Digitized by Google

37
47 G
6

TERTVLLIANI OMNILOQVIVM ALPHABETICVM RATIONALE,

SIVE TERTVLLIANI OPERA OMNIA.

IN LOCOS COMMVNES, NOVO ORDINE, NON TANTVM alphabetico, ſed & rationali exactiſſimè digeſta, breuibus Scholijs ad ſingula obſcura literaliter expoſita, & per ſelectiſſimas ex medulla S. Scripturæ, Conciliorum, Patrum, & probatiſſimorum cujuſuis diſciplinæ Authorum Sententias illuſtrata: Traditiones Eccleſiæ explicatæ, omnes Hæreticorum controuerſiæ diſſolutæ, Summa denique Theologiæ Scholaſticæ, Poſitiuæ, & Moralis, pro rerum occurſu contexta.

AVGVSTINO IN OMNIBVS ET PER OMNES PAGINAS illuſtratore præclariſſimo in Sententijs orthodoxis Tertulliani, & in erroneis, & hæreticis cenſore æquiſſimo.

Cum triplici Indice locupletiſſimo. Scripturæ S. Rerum ac Verborum, & Concionum per Annum.

Autore F. CAROLO MOREAV, *Ord. Eremit. S. Auguſtini Communit. Bituric. Conuentus Reg. Margaritæ Pariſienſis.*

TOMVS TERTIVS.

Qui cœpit in vobis opus bonum, ipſe perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu, *Ad Philipp. 1. 6.*

PARISIIS,
Apud IACOBVM D'ALLIN, viâ Iacobæâ, ſub ſigno S. Stephani.

M. DC. LVIII.

Cum Priuilegio Regis, Approbatione Doctorum, & Licentia Superiorum.

OMNILOQVIVM TERTVLLIANI.

TOMVS TERTIVS.

LABOR, LAC, LACRYMÆ.

Labor indictus manducare volenti, & cibus operanti in Euangelio. 5. cont. Marc. cap. 16. in. f.

IVbere operari eum qui velit manducare, eius disciplina est, qui boui trituranti os liberum jussit. 2. Thess. 3. 8. 10. 11.

LABOR.

EIVS DISCIPLINA EST. *Ab eodem Deo Creatore, & vtriusque Testamenti authore lex imposita, vt qui in veteri vetuit:* Non alligabis os boui trituranti. *In noua idem per Apostolum suum commendaret: sicut bis alibi vidimus. Nunc autem Author alludit ad. 2. Thess. 3. 8. & seq.* Neque gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione, nocte & die laborantes, ne quem vestrûm grauaremus. Non quasi non habuerimus potestatem *viuendi ex Euangelio sicut & cæteri*, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cùm essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, nec manducet. *Augustinus in Psalm.* 103. *in versum*; producens fœnum jumentis, & herbam seruituti hominum; *quem versum etiam repetit Psaltes & exponit Augustinus, in* S. Aug. *Psal.* 146. Verum est, inquit, video, agnosco creaturam: producit terra fœnum jumentis, &c. Sed video & alia jumenta Dei, quæ significantur, cùm dicitur, *Deut.* 25. 4. *Et* 1. *Cor.* 9. 9. boui trituranti os non infrenabis: dicit enim ipsum jumentum, *quod abundantius laborauit omnibus in Euangelio* numquid de bobus pertinet ad Deum? propter nos Scriptura ergo dicit. Quomodo ergo producit terra fœnum jumentis? quia Dominus constituit, vt qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuant. Misit prædicatores, & ait illis; Luc. 10. Omnia quæ ab ipsis apponuntur vobis, manducate: Dignus est enim operarius mercede sua, &c. Quid dant? quid accipiunt? dant spiritalia, accipiunt carnalia: dant aurum, accipiunt fœnum. Omnis enim caro fœnum, &c. Omnia temporalia quæ tibi superfluunt & redundant, fœnum jumentorum sunt. Quare? quia carnalia sunt. Audi quorum jumentorum sit fœnum. Si nos vobis spiritalia seminauimus, magnum est si carnalia vestra metamus. Hoc Apostolus dixit, talis annuntiator, tam laboriosus, tam impiger, tam exercitatus, vt ipsum fœnum donaret terræ. Ego, inquit, 1. Cor. 9. nullius horum vsus sum. Ostendit sibi deberi, & non accepit. Nec condemnauit eos qui acceperunt quod debebatur, &c. Tu noli esse sterilis, produc fœnum jumentis. Si nolunt jumenta fœnum tuum, non te tamen sterilem inueniant. Accipis spiritalia, redde carnalia: debita sunt militi, militi reddes: prouincialis Christi es, *hoc est stipendiarius, qui stipem debes Christi militibus.* Quis militat suis stipendiis vnquam? *ait ibidem Paulus.* Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? *de quo non implenit manum suam qui metit* quis pascit gregem, & de lacte eius non percipit? Et herbam seruituti hominum, &c. Vbi ergo est, vos in libertatem vocati estis? sed audi eundem ipsum. Cum enim liber sim ex omnibus, omnium seruum me feci, vt plures lucrifacerem. Et quibus dixit, in libertatem vocati estis, quid adiunxit? tantum ne libertatem in occasioné carnis detis: sed per Charitatem seruite inuicem: Quos liberos fecerat, seruos fecit, non conditione seruili, sed tamen Christi redemptione: Non necessitate, sed Charitate. *Sic igitur & jumenta Dei* glorificant & portant Deum in corpore suo; *& seruiunt proximis, dum aratrum trahunt Euangelij in agro Ecclesiæ, & in eiusdem area triturant: quibus vtique* os infrenandum non est, duplici enim honore digni sunt qui benè præsunt, imò vt jumenta seruiunt, maximè in Euangelio.

Lac fit ex decoctione sanguinis menstrui. De Car. Chri. Cap. 20. circa. f. V. Verbum. Maria. 6. in m.

LACRYMÆ.

Lacrymæ & risus Deæ Valentini: Ex quibus aqua omnes, dulces, amaræ, Medica, Venenata fluxerunt. De risu autem, lumen prodiit. cont. Valent. cap. 15. in m.

EX lacrymis eius vniuersa aquarum natura manauit. Hîc æstimandum, quem exitum duxerit, quantis lacrymarum generibus inundarit. Habuit & salsas, habuit & amaras

& dulces, & calidas & frigidas guttas, & bituminosas, & ferruginantes, & sulphurantes, vtique & venenatas, vt & Nonacris inde sudauerit quæ Alexandrum occidit, & Lyncestarum inde defluxerit quæ ebrios efficit, & Salmacis inde se soluerit quæ masculos molles. Cœlestes imbres pipiauit Achamoth: & nos in cisternis etiam alienos luctus & lacrymas seruare curamus. Proinde ex consternatione & pauore corporalia elementa ducta sunt. Et tamen in tanta circunstantia solitudinis, in tanto circumsepto destitutionis, ridebat interdum, quà conspecti Christi recordans, eo de gaudio risus lumen effulsit. Cujus hoc prouidentiæ beneficium, quale illam ridere cogebat, idcirco ne semper nos in tenebris moraremur? Nec obstupescas, quî lætitia eius tam splendidum elementum radiauerit mundo, cùm mœstitiâ quoque eius tam necessarium instrumentum defluxerit seculo? O risum illuminatorem! ô fletum rigatorem! Et tamen poterat remedio jam agere cum illius loci horrore. Omnem enim obscuritatem eius discussisset, quoties ridere voluisset, vel ne cogeretur desertores suos supplicare.

LACRYMÆ SCHOL.

EX LACRYMIS EIVS. *Supple Achamoth, de qua infra; quæ fuit vnum Ectroma, siue abortiuus fœtus Æonum. Cuius lacrymas Valentinus voluit esse originem omnium aquarum.* QVEM EXITVM. *Finem sortita sit.* HABVIT ET SALSAS. *Ex Irenæo, Aquas maris & Salinarum ex lacrymis amaris produxit, dulces ex sudoribus* NONACRIS. *de qua vide dicta. Verbo Aqua. 2.* SALMACIS. *de qua Ouidius. lib. 15. Metamorphos.* Cui non audita est obscœnæ Salmacis vnda. *Sic molles, & impudicos reddit. Vitruuius tamen lib. 2. de Architectura, non refert ad mollitiem Veneream, sed ad Barbarorum duritiem emolliendam. Adeò enim erat suauis hæc aqua, vt quidam ea inuentâ, tabernam erexerit, vbi hanc aquam vendebat; cuius potu barbaros quosque, & latrones ad mansuetudinem redigebat.* COELESTES IMBRES PIPIAVIT. *Cum gemitu clamans aquas pluuiales effudit.* ALIENOS LVCTVS. *Ex nubibus fusos, non ex oculis Achamoth.* EX CONSTERNATIONE, *destitutione, paupertate extrema, & timore, aquæ diuersæ productæ sunt.* CIRCVMSTANTIA SOLITVDINIS, *licet ab omnibus deserta in loco horroris, & vastæ solitudinis, obsepta miseriis, interdum subridebat ex memoria & recordatione visi Christi; ex quo eius gaudio & risu, lumen irradiauit. Sed quid tantum ex risu Achamoth nobis beneficium protulit? an forte, ne nos hîc infra miseri & mortales perpetuis in tenebris viueremus?* QVI LÆTITIA. *quomodo per eius risum, excusso tristitiæ nubilo, lumen effulserit mundo. Ironicè dicta.* NECESSARIVM INSTRVMENTVM. *nempe aquæ Elementum.* POTERAT REMEDIO AGERE. *habebat Achamoth in sua potestate remedium tristitiæ suæ, risum videlicet, quo poterat, quoties voluisset, risu suo omnem suæ solitudinis horrorem excutere, ex Christi conspectû recordatione.* NE COGERETVR DESERTORES. *Christum scilicet, & Paracletum, qui se ab ea subduxerant vt in pleroma recederent, hoc est plenitudinem, siue amplitudinem summi tabulati Cœli. Licet has Valentinianas fabellas dignissimè rideat author; tamen de risu & lacrymis fidelium pauca seriò dicam; ne quid inutiliter prætermittam. Et quidem, vt lacrymæ pro rebus temporalibus fusæ, Nonacri fonti sint similes, quæ vt Alexandro mortem, sic contra Dei nutum, rebus mortalibus adhærenti, plerumque & corpori mortem, præ mœrore tabescenti, & animæ per inordinatum amorem mortaliter peccanti afferunt; vel contrario sensu, lacrymæ pœnitentiæ, peccata occidunt, animamque viuificant; animos barbaros emolliunt, non secus ac Salmacis. Lyncestarum instar, inebriant, non animam tantum, obliuione terrestrium, vt exclamet:* quando veniam & apparebo ante faciem Dei? *quin & ipsum Deum inebriant; dicente Propheta:* Inebriabo te lacryma mea. *adeo vt ipse dicat, potatis vino compunctionis & cibatis pane lacrymarum,* peccatorum eius non memorabor amplius. *Quod si nimio mœrore constringitur anima, recordetur Dei & Christi per fidem visi, cum Psalte dicat* memor fui Dei & delectatus sum. *& rursum,* memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt, &c. *Et continuò:* lux orta est justo, & rectis corde lætitia. *Tunc licebit exclamare,* risum fecit mihi Dominus, *& risui mundano insultare cum Sapiente:* risum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid frustra deciperis? *Tum rigata cœlestibus imbribus anima deserta terra, & fructus dignos pœnitentiæ faciente: sicut hîc exclamat Tertullianus:* O risum illuminatorem, ô fletum rigatorem! cuius lætitiâ tam splendidum Elementum radiauerit mundo, cuius mœstitia tam necessarium instrumentum defluxerit sæculo. *Augustinus. Ser. 45. de Sanctis, qui est primus de plurib. Martyrib. Ex Verbis Pauli. Gal. 6.* Bonum facientes, non deficiamus, tempore enim suo metemus. Qui, inquit, defecerit in semine, non gaudebit in messe. Quare ergo in lacrymis, cum omnia opera, nostra habere debeant hilaritatem? *Hilarem enim datorem diligit Deus. Sed risus dolore miscebitur. Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.* Et si, inquit, seminauerunt in lacrymis, transiet dolor & gemitus, transiet tristitia cum fine, & venit lætitia sine fine, &c. Audite quemadmodum ad omnes pertineat, euntes ibant & flebant. Ex quo nascimur, imus. Quis enim stat? quis non ex quo viam intrauit, cogitur ambulare? Infans natus est, crescendo ambulat. Mors finis est. *Via.* in die jam veniendum est, sed cum exultatione. Quis enim non hîc plorat in via ista mala, quando ipse infans inde incipit? vtique infans quando nascitur, de angustiis vteri, in huius mundi latitudinem, *diceret Tertullianus hîc quod supra, in tantam circunstantiam solitudinis, in tantum circumseptum destitutionis,* funditur, de tenebris procedit ad lucem: & tamen de tenebris veniens ad lucem, plorare potest, ridere non potest. Etenim vita ista; quando gaudetur hîc, time ne fallat; quando hîc ploratur, roga vt euadas, *Nec desertores tuos, amicos scilicet, honores, voluptates, &c. Sed Deum consolatorem cogeris supplicare.* Et transit tribulatio, & venit tribulatio: & rident homines, & plorant homines: Et quod rident homines, plorandum est. Sed plorat alius damnum suum, plorat alius pressuram suam, qui in carcere est constitutus. Plorat alius quod amiserit mortuum aliquem amicorum suorum: Ille hinc, iste hinc. Iustus vnde? *Psaltem interroga. Fuerunt, inquit, mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?* Primò de his omnibus. Iustus enim plorat veraciter, non plorat steriliter. Plorat plorantes, plorat ridentes: quia & qui plorant de rebus vanis, inaniter plorant; Et qui rident de rebus vanis, malo suo rident, &c. Etenim fratres mei quando sumus in corpore peregrinamur à Domino. Non desideras

[Marginal notes, right margin: S. Aug. (beside "Bonum facientes…"); S. Aug. (beside "Et si, inquit, seminauerunt…"); S. Aug. (beside "Nec desertores tuos…"). Section letters A, B, C, D printed between the columns.]

patriam peregrinatio fine lacryma, &c. Vnde dicturus es Deo, posuisti lacrymas meas in conspectu tuo? Vnde dicturus es Deo, factæ sunt mihi lacrymæ meæ panes? &c. Consolatæ sunt esurientem, pauerunt gementem, &c. qua fronte ad patriam venit, qui non absens suspirauit? Quare abundant mala? quid aliud dicitur, nisi, vbi est Deus tuus? qui audit, gemit; quia qui dicit, perit *propter blasphemiam*, bene operatur, & hilaris est: plorat vt benè operetur; plorat, quia bene operatus non est. Plorando exigit bonum opus; plorando commendat bonum opus quod fecit. Crebræ ergo sunt lacrymæ justorum, sed in ista via. Nunquid in patria, &c? quia venientes venient in exultatione, &c. Porro B autem illi qui hic inaniter plorant, inaniter rident: Cupiditatibus suis dissipati *sicut Achamoth passionibus suis* quando fraudantur, gemunt; quando fraudant, exultant. Plorant & ipsi in via ista, plorant & ipsi, sed non in exultatione portantes manipulos suos. Quid colligunt qui nihil seminauerunt? Imo colligunt, sed quod seminauerunt; quia spinas seminauerunt, ignem colligunt; & eunt, non de fletu ad risum, sicut Sancti euntes ibant & flebant, &c. Illi à fletu ad fletum. à fletu cum risu, ad fletum sine risu. quid enim illis fiet? quò eunt quando resurre- A xerint? quid nisi quod Dominus dixit, ligate illis manus & pedes, & projicite illos in tenebras exteriores? Age, quid postea? tenebræ erunt, & dolor non erit? forte palpabunt, sed non dolebunt? non videbunt? non cruciabuntur? absit. Non solum tenebræ erunt. Non eis sola tollitur species qua gaudebant, sed datur etiam quod in æternum gemant. Ne contemneres enim tenebras, *quibus circumsepta fingitur Achamoth* ò quisquis es flagitiosus, qui soles propter tua mala facta, & propter lasciua adulteria, *oculus enim adulteri obseruat caliginem, & qui malè agit odit lucem*: non solum tenebras non horrere, sed quærere: qui soles plus gaudere, quando lucerna B extinguitur, non tales tenebras habebis, vbi gaudeas, vbi læteris, vbi te voluptatibus carnis oblectes: non sic erunt ipsæ tenebræ, *sed quas propheta dixit: Ecce tenebræ horribiles, tenebræ in desperationem eorum.* quomodo erunt? ibi erit fletus & stridor dentium. Tortor sine defectu, tortus sine defectu. Nec qui torquet fatigatur, nec qui torquetur, moritur. Erunt ergo æternæ lacrymæ illis qui sic vixerunt, æterna gaudia Sanctorũ, quando venientes venient cum exultatione, &c. dicent enim tempore messis Domino suo: Domine, adiuuante te fecimus quod jussisti, redde quod promisisti nobis in æternum.

LAVACRVM.

Lauacrum interius, Exteriori melius est: Deus tamen idem, vtriusque Creator est. 4. *cont. Marc. cap.* 27. *à. p.*

IDeo & tunc Pharisæus, qui illum vocaret ad prandium, retractabat penes se, cur non prius tinctus esset quàm recubuisset secundùm legem, qui Deum legis circumferret? Iesus autem etiam interpretatus est ei legem, dicens, [a] *Illos calicis & catini exteriora emundare; interiora autem ipsorum plena esse rapina, & iniquitate.* vt significaret vasculorum munditias, hominum esse intelligendas apud Deum: quia & Pharisæus de homine, non de calice illoto, apud se tractauerat. *Ideo exteriora*, inquit, *calicis lauatis*, id est carnem: *interiora autem vestra non emundatis*, id est animam. adjiciens, *Nonne qui exteriora fecit*, id est carnem; *& interiora fecit*, id est animam? quo dicto apertè demonstrauit, ad eundem Deum pertinere munditias hominis exterioris & interioris, cuius vterque sit, præponentis misericordiam non modo lauacro hominis, sed etiam sacrificio. Subjungit enim, [b] *Date quæ habetis eleemosynam, & omnia munda erunt vobis.* Quod si & alius potest Deus misericordiam mandasse, non tamen antequam cognitus. Porro & hic apparet, illos non de Deo increpitos, sed de eius disciplina, à quo illis & figuratè vasculorum munditiæ, & manifestè misericordiarum opera imperabantur.

a Luc. 11. 37. & 38.
Oseæ, 6. 6.
b Luc. 11. 41.

LAVACRVM. SCHOL.

PHARISÆVS *de quo Luc.* 11. 37. *& seq.* Cum loqueretur, rogauit illum quidam Pharisæus vt pranderet apud se, & ingressus recubuit. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere: quare non baptizatus esset, *Syr. quod non prius abluisset sese* ante prandium. Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Pharisæi quod deforis est calicis, & catini, *Syr. paropsidis* mundatis: quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate. Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod de intus est fecit? verumtamen quod superest date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. RETRACTABAT. *reuoluebat, recogitabat apud se.* SECVNDVM LEGEM. *Non quidem scriptam, sed traditionem maiorum, sicut Math.* 15. *& Marci* 7. *Christus eorum superstitionem arguit. Sic enim Math.* 15. 1. *& seq. Pharisæi murmurant*; quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Non enim lauant manus suas cum panem manducant. Ipse autem respondens ait illis: quare & vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestrã. *Marci autem* 7. 3. Pharisæi & omnes Iudæi nisi crebro lauerint manus, non manducant, A tenentes traditionẽ Seniorum: & à foro. *Syr. à plateis redeuntes, nisi intincti non comedunt*, nisi baptizẽtur, non comedũt: & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis seruare, *Syr. quæ receperunt obseruanda* baptismata calicũ, & vrceorum & Æramentorũ. *Syr.* lotiones calicum, Oenophororũ, vasorumque æneorum & lectorũ. *Legem autẽ propriè interpretatus est Christus, se filium Creatoris ostendens, eamque expressè tuitus est contra superstitionem traditionis, cui legem meritò prætulit, Dei cultum, honoremque parentum, & dilectionem proximi siue misericordiam & eleemosynam omnia peccata mundantem, vt alibi vidimus, non modo lauacro externo, sed &* B *sacrificio præferentem, dum ait juxta Oseam.* 6. 6. Discite quid est, misericordiam volo, & non sacrificium. DATE QVÆ HABETIS. *Sic secutus est Syriacum*: Verum id quod est, *supple apud vos, quod habetis* date in Eleemosynam: & ecce omnia erunt vobis munda. CVIVS VTERQVE SIT. *Homo enim tam interior, quàm exterior à Deo Creatore conditus est.* SI ALIVS DEVS. *Bonus scilicet ille Deus Marcionis*; *debuit prius se manifestasse, & probasse existentiam suam, quàm aliqua præcepta legesque statueret.* NON DE DEO

INCREPITOS. *Christus enim non arguit Pharisæos quasi errantes circa fidem Dei Creatoris, sed circa Disciplinam & mores, circa legem quam non obseruabant, circa traditiones malè intellectas, quas legi præponebant, intelligere enim debebant, per externa vasa, vel corpora mundanda, multò magis ipsis commendari emundationem animæ à peccatis, per pœnitentiæ lacrymas, & opera misericordiæ, de quibus omnibus, sicut & de Pharisæo, multa alibi ex professo diximus. Contentus sit lector hæc ab Augustino de sacrificio lacrymarum, & misericordiæ, siue Eleemosynæ, peccata purgante & hominem interiorem emundante sumere. In Psal. 6.* Laboraui in gemitu meo. Et tanquam, inquit, parum profuerit, addidit, & dicit, lauabo per singulas noctes lectum meum. Lectus est hoc loco appellatus vbi requiescit animus æger & infirmus, id est in voluptate corporis, & omni delectatione seculari, quam delectationem lacrymis lauat, qui sese ab illa conatur extrahere. *Ecce quomodo juxta Tertullianum, vasculorum munditias intelligit apud Deum, hominum mundandorum corpora, & animas, sicut Dauid ait, rogans Abimelech si vasa puerorum munda essent: hodie, inquit, purificabitur in vasis.* Videt enim jam se damnare concupiscentias carnales, & tamen delectatione tenetur infirmitatis, & in ea libenter jacet, *sicut in lecto molli* vnde resurgere, nisi sanatus animus non potest. Quid autem ait, per singulas noctes? fortasse accipi voluit, quod ille qui spiritu promptus, *carne autem infirmus* sentit aliquam lucem veritatis, & tamen in delectatione huius sæculi per carnis infirmitatem aliquando requiescit, tanquam dies & noctes alterno affectu cogitur pati. Vt cùm dicit Rom. 7. mente seruio legi Dei, tanquam diem sentiat. Rursus cùm dicit, carne autem legi peccati, inclinetur in noctem, donec omnis nox transeat, & veniat vnus dies de quo dicitur Psal. 5. Mane adstabo tibi & videbo. Tunc enim adstabit, nunc autem jacet, quando in lecto est. *Id est anima in corpore infirmo, & corruptibili; quod resurget incorruptibile, in matutino resurrectionis, cum exultabunt Sancti in gloria, & lætabuntur in cubilibus suis.* Quem lauabit per singulas noctes, vt tantis lacrymis impetret efficacissimam de Dei misericordia Medicinam, in lacrymis stratum meum rigabo, &c. Hoc accipimus stratum, quod superius lectum. Quamquam rigabo, amplius sit aliquid quàm lauabo: quoniam potest aliquid in superficie lauari, rigatio vero, ad interiora permanat, quod significat fletum vsque ad cordis intima. *Et in Psal. 50.* Amplius laua me ab iniquitate mea. Magis, inquit, magisque laua me ab iniustitia mea. Quid est magis, magisque laua? *in corpore & anima sordidatum, homicidio super adulterio pollutum* multùm inquinatum. Magis magisque laua peccata scientis, quia abluisti peccata ignorantis. Nec sic desperandum de misericordia tua. Et à delicto meo munda me. Quo merito? Medicus est, offer mercedem. Deus est, offer Sacrificium. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, &c.* Quid dabis vt munderis? Vide enim quem inuoces, justum inuocas, odit peccata. Si justus est, vindicat in peccata: si justus est, vtique non poteris auferre a Domino Deo justitiam eius. Implora misericordiam, sed attende justitiam. Misericordia est, vt ignoscat peccanti; justitia est, vt puniat peccatum. Quid ergo? quæris misericordiam, peccatum impunitum remanebit? respondeat Dauid, respondeant lapsi, respondeant cum Dauid, vt misericordiam mereantur sicut Dauid, & dicant: non Domine, non erit impunitum peccatum meum. Noui justitiam eius, cuius quæro misericordiam. Non impunitum erit: Sed ideo nolo vt me punias, quia ego peccatum meum punio: Ideo peto vt ignoscas, quia ego agnosco. Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, & delictum meum coram me est semper. Non posui post dorsum meum quod feci. Non intueor alios, oblitus mei. Non affecto stipulam eiicere de oculo fratris mei, cùm sit trabes in oculo meo. Peccatum meum ante me est, non post me. Fuit enim post me, quando ad me missus est Propheta, &c. Suam iniquitatem nondum agnoscebat, & ideo alienæ non ignoscebat. *Dignum morte judicans diuitem raptorem vnicæ ouiculæ pauperis, & in quadruplum reddendam censuit.* Sed Propheta ad hoc missus, abstulit à dorso peccatum, & ante oculos posuit, vt videret illam sententiam tam seueram in se esse prolatam. *Sed tantum purgauit maculam pœnitentiæ lacrymis & peccatum contritione deleuit. Vnde ibidem.* Lauabis me, id est, inquit Aug. mundabis me, & super niuem dealbabor. Et si fuerint, inquit Esaiæ. 1. Peccata vestra sicut Phœnicium, *coccinum, vermiculus*, tanquam niuem dealbabo. De talibus sibi exhibet Christus vestem sine macula & ruga. Proinde vestis eius in monte, quæ tanquam nix dealbata effulsit, significanit Ecclesiam omni macula peccati mundatam. *De emundatione autem per Eleemosynam. Teste Tobia:* Ipsa est quæ purgat peccata, *Eademque juxta Danielem redimit. Idem Augustinus in Psal. 37.* Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus ante me est semper. Quis dolor, inquit? forte de flagello. Et verè fratres mei, verè dicam vobis, flagella sua dolent homines, quare flagellantur non dolent. Non erat iste sic, &c. Dolent damnum pecuniæ, non dolent justitiæ, &c. Quis dolor? vnde dolor? quoniam iniquitatem meam pronuntiabo, & curam geram *Vulgata, cogitabo*: pro peccato meo. Ecce vnde dolor. Non de flagello dolor. De vulnere, non de Medicina. Nam flagellum medicamentum est contra peccata, &c. Ne securus sis cum confessus fueris peccatum, tanquam semper preparatus ad confitendum, & committendum peccatum. Sic pronuntia iniquitatem tuam, vt curam geras pro peccato tuo. Quid est curam gerere, &c? Curam gerere pro vulnere tuo. Si diceres curam geram pro vulnere meo, quid intelligeretur, nisi dabo operam vt sanetur? hoc est enim curam gerere pro delicto, semper niti, semper intendere, semper studiosè & sedulo agere, vt sanes peccatum. Ecce de die in diem plangis peccatum tuum: sed fortè lacrymæ currunt, & manus cessant. Fiant Eleemosynæ, redimantur peccata: gaudeat indigens de dato tuo, vt & tu gaudeas de dato Dei. Eget ille, Eges & tu: Eget ille ad te, Eges & tu ad Deum. Tu contemnis egentem tui, Deus non contemnet egentem sui? &c. *Sanat vulnera sua Elephas oleæ flore, tu cura tua, Eleemosynæ rore*, Hoc est, inquit, curam geram pro peccato meo, faciam omnia quæcumque facienda sunt ad abluendum & sanandum peccatum meum. *Et to. 3. in Enchir. ad Laur. cap. 72.* Ad omnia, inquit, quæ vtili misericordia fiunt valet, quod Dominus ait, date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Non solum autem qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentū, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægro, vel incluso visitationem, captiuo redemptionem, debili subuectionem, cæco deductionem, tristi consolationem, non sano Medicinam, erranti viam, deliberanti consilium, & quod cuique necessarium est indigenti: verum etiam, & qui dat veniam peccanti, Eleemosynam dat. Et qui emendat verbere in quem potestas datur; vel coercet aliqua disciplina, & tamen peccatum eius quo ab illo læsus est, aut offensus, dimittit ex corde; vel orat vt ei dimittatur; non solum in eo quod dimittit, atque orat, verum etiam in eo quod corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, Eleemosynam dat, quia misericordiam præstat.

LEX PRIMA.

1. Lex prima data Adæ radix est omnium præceptorum, quæ Deus postea ex ipsa deduxit. Cont. Iud. cap. 2. in m. Vide infra. numero. 7. in f.

2. Lex naturæ antiquis patribus indita, legem Moysi præcessit. cont. Iud. cap. 2. in m.

ANte legem Moysi scriptam in tabulis lapideis, legem fuisse contendo non scriptam,
quæ naturaliter intelligebatur, & à patribus custodiebatur. Nam vnde Noë justus in- Gen. 6. 8.
uentus, si non illum naturalis legis justitia præcedebat? vnde Abraham amicus Dei depu-
tatus, si non de æquitate & justitia legis naturalis? vnde Melchisedech sacerdos Dei summi Iac. 2. 23.
nuncupatus, si non ante Leuiticæ legis sacerdotium Leuitæ fuerunt, qui sacrificia Deo of- Gen. 14.
ferebant? sic enim post suprascriptos Patriarchas data lex est Moysi, eo tempore postea- 18.
quam ab Ægypto excesserunt, post interuallum multorum temporum, & spatia. Denique Hebr. 7. 1.
post quadringentos & triginta annos Abrahæ data est lex. Vnde intelligimus Dei legem Exo. 20. 1.
etiam ante Moysen, nec in Choreb tantum, aut in Sina & in Eremo, sed antiquiorem pri- Gal. 3. 17.
mùm in paradiso, pòst Patriarchis, atque ita & Iudæis certis temporibns reformatam; vt Exo. 33. 6.
non jam ad Moysi legem ita attendamus, quasi ad principalem legem, sed ad subsequen- Exo. 20. 4.
tem, quam certo tempore Deus & Gentibus exhibuit, & repromissam per Prophetas in
melius reformauit. & præmonuit futurum. vt sicuti certo tempore data est lex per Moy-
sen, ita temporaliter obseruata & custodita credatur: nec adimamus hanc Dei potestatem,
pro temporum conditione legis præcepta reformantem in hominis salutem.

LEX PRIMA. II. SCHOL.

A LEGEM NON SCRIPTAM, *nisi scilicet* in tabulis cordis carnalibus. Signato lumine vultus Dei NATVRALITER INTELLIGEBATVR, *vt ait Paulus Rom. 8.* Cum enim Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: Eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. *Aug. to. 3. lib. de spiritu & litera, ad Marcellinum. cap. 28.*

S. Aug. Nec moueat, inquit, quod naturaliter eos dixit quæ legis sunt facere, non spiritu Dei, non fide, non gratiâ. Hoc enim agit spiritus gratiæ, vt imaginem Dei in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis. Vitium quippe contra naturam est, quod vtique sanat gratia. Propter quam Deo dicitur, miserere mei, sana animam meam quoniam peccaui tibi. Proinde naturaliter homines, quæ legis sunt faciunt. Qui B enim hoc non faciunt, vitio suo non faciunt. quo vitio lex Dei est deleta de cordibus; ac per hoc, vitio sanato, cùm illic scribitur, fiunt quæ legis sunt naturaliter: non quòd per naturam negata sit gratia, sed potius per gratiam reparata natura, &c. Qua gratia in interiori homine renouato justitia scribitur, quam culpa deleuerat, &c. Si autem hi qui naturaliter quæ legis sunt faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum quos Christi justificat gratia, sed in eorum potius, quorum etiam impiorum, nec Deum verũ veraciter justéque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel nouimus, vel audimus, quæ secundum justitiæ regulam, non solum vituperare non possumus, verum etiam meritò rectéque laudamus: quamquam si discutiatur quo fine C fiant, vix inueniuntur quæ justitiæ debitam laudem defensionemue mereantur. Verumtamen quia non vsqueadeo, in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, vnde merito dici possit etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere: si hoc est, quod dictum est, quia Gentes quæ legem non habent, hoc est legem Dei *datam Moysi, vel à Christo fidelibus* naturaliter quæ legis sunt faciunt, &c. Et scriptum opus legis habent in cordibus suis: id est non omnimodò deletum est quod ibi per imaginem Dei, cum crearentur, impressum est: Etiam sic illa differentia non perturbatur, qua distat à veteri testamentum nouum, eò quod per nouum scribitur lex Dei in corde fidelium *quod & de lege naturæ dixerat Paulus* quæ per vetus in tabulis scripta est: hoc enim illic scribitur per renouationem, quod non omnimodò deletum est per vetustatem. *Et tract. in Psal. 57. in p.* Manu, inquit, S. Aug. formatoris nostri, in ipsis cordibus nostris veritas scripsit, quod tibi non vis fieri, ne facias alteri. Hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, vt esset vnde judicarentur, & quibus lex non esset data. Sed ne sibi homines aliquid deesse quererentur, scriptum est & in tabulis, quod in cordibus non legebant. Non enim & scriptum non habebant, sed legere nolebant. Oppositum est oculis eorum quod in conscientia videre cogerentur: Et quasi forinsecus admota voce Dei, ad interiora sua homo compulsus est, dicente Scriptura Sap. 1. in cogitationibus enim impij interrogatio erit. Vbi interrogatio, ibi lex. Sed quia homines appetentes ea quæ foris sunt, etiam à seipsis exules facti sunt, data est etiam conscripta lex; non quia in cordibus scripta non erat, sed quia tu fugitiuus eras cordis tui, ab illo qui vbique est comprehẽderis, & ad teipsum intro reuocaris. Propterea scripta lex quid clamat eis, qui deseruerunt legẽ scriptam in cordibus suis? Esaiæ 46. Redite præuaricatores ad cor. Quis enim te docuit nolle accedi ab altero ad vxorem tuam? quis te docuit, nolle tibi furtũ fieri? quis te docuit, nolle iniuriam pati, & quidquid aliud vel vniuersaliter, vel particulariter dici potest, &c? Age, si non vis pati ista, nunquid solus es homo? Nonne in societate viuis generis humani, &c? Quod ergo tibi non vis fieri, noli alteri facere. Iudicas enim malum esse in eo quod pati non vis, & hoc te cogit nosse lex intima in ipso tuo corde conscripta, &c. Furtum bonum est? Non. Interrogo, Adulterium bonum est? & omnes clamant, Non. Homicidium bonum est? Omnes clamant detestari se. Concupiscere rem proximi bonum est? Non, vox omnium est. Aut si adhuc non confiteris, accedat qui concupiscat rem tuam; placeat tibi: & responde quod vis, &c. Interrogatur omnis anima esuriens, famem pateris? Alius habet panem, & redundat ei vltra sufficientiam, nouit te egere, non dat, displicet tibi esu-

tiendi, &c. Peregrinus tecto indigens, venit in patriam tuam, non suscipitur, &c. Oportet vt & te cogites peregrinum, & videas quomodo tibi possit displicere, qui tibi non præstiterit quod tu in patria tua non vis peregrino præstare. Interrogo omnes, vera sunt hæc? Vera. Iusta sunt hæc? Iusta. A PATRIBVS. *Qui ante legem Scriptam viuebant, lex hæc naturæ, per Dei gratiam & fidem seruabatur.* POST QVADRINGENTOS ET TRIGINTA. *Gal. 3. 17.* Hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo: *quod cum Abraham fecit, in semine eius benedicens Gentes* quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, Non irritum facit ad euacuandam promissionem *Syriaca translatio paulo clarius*: Hoc autem dico, nempe testamentum quod ante confirmatum est à Deo in Meschicho *id est Christo Messia* lex ipsa quæ facta est post quadringentos & triginta annos, non potest improbare, & obliterare illud promis-
S. Aug. sum. *Augustinus citatus à Beda in hunc locum* Post quadringentos, inquit, & triginta annos factam legem dicit Apostolus, non ex tempore quo Iacob intrauit in Ægyptum. Deinde etiam ipsa Scriptura Exodi hoc significabatur. Non enim dicit incolatus filiorum Israel quem incoluerunt, in terra Ægypti anni quadringenti triginta; sed apertè dixit quam incoluerunt in terra Ægypti, & in terra Chanaam, ipsi & patres eorum. Ac per hoc manifestum est computandum esse tempus etiam Patriarcharũ Abrahæ, Isaac, & Iacob, ex quo peregrinari cepit Abraham in terra Chanaam; id est, ex illa promissione, in qua eius fidem laudat Apostolus, vsque ad illud tempus quo ingressus est Israel in Ægyptum. Toto quippe

A isto tempore peregrinati sunt Patres in terra Chanaam, & deinde semen Israel in Ægypto: ac sic completi sunt quadringenti triginta anni à promissione vsque ad exitum Israel ex Ægypto; quando facta est lex in Monte Sina, quæ non infirmat testamentum, ad euacuandas promissiones. Septuagesimo ergo & quinto anno vitæ suæ Abraham, sicut Scriptura dicit Gen. 21. Ingressus est in terram Chanaam, & genuit Isaac cum esset annorum centum. Fiunt itaque anni vigintiquinque ex promissione, vsque ad natum Isaac. His adduntur omnes anni vitæ Isaac, id est centũ octoginta, & fiunt ducenti quinque. Tunc erat Iacob annorum centum viginti. Nati sunt enim sexagenario Patri gemini, ipse, & Esaü. Post decem annos intrauit Iacob in Ægyptum, cùm esset annorum centum triginta: Ioseph autem esset triginta
B nouem. Fiunt proinde anni à promissione vsque ad ingressum Iacob in Ægyptum, ducenti quindecim. Ioseph autem ab illo tricesimo & nono anno ætatis suæ, in quo eum Pater in Ægypto inuenit, vixit annos septuaginta vnũm: quia omnes ætatis eius anni centum decem fuerunt. Cùm itaque ad ducentos quindecim annos accesserint septuaginta vnum, fiunt anni ducenti octoginta sex: restant centum quadraginta quatuor vel quinque, quibus intelligitur seruisse in Ægypto populus Israel post mortem Ioseph. IN CHOREB. *Sic 70. vbi Vulgata legit Horeb.* PRIMVM IN PARADISO *primis parentibus data.* REFORMATAM, *non quòd aliqua esset deformitas aut defectus, sed quòd magis explicita fuerit.* AD SVBSEQVENTEM, *Legem gratiæ.*

3. *Lex prima, data homini capaci implendi eam. 2. cont. Marc. cap. 8. in m.*

NEc legis pondus imposuisset, si grauis lex inualido sustinendi; nec quem excusabilem sciret nomine imbecillitatis: eum definitione mortis conuenisset. Postremò, non libertate, nec potestate arbitrij fecisset infirmum, sed potius defectione earum.

4. *Lex prima, data est ad probationem libertatis. 2. cont. Marc. cap. 6. circa f.*

IN hoc & lex constituta est, non excludens, sed probans libertatem de obsequio sponte præstando, vel transgressione sponte committenda; ita in vtrumque exitum libertas patuit arbitrij.

5. *Lex prima data homini, non ad moriendum, sed ad rectè viuendum. 2. cont. Marc. cap. 8. in p.*

NEque enim ad viuendum solummodo produxerat hominem, vt non ad rectè viuendum, in respectu scilicet Dei, legisque eius. Igitur viuere quidem ille ipse præ-
a Gen. 2. 7. stiterat, [a] *factio in animam viuam*; rectè verò viuere demandarat, admonito in legis obsequium. Ita non in mortem institutum hominem probat, qui nunc cupit in vitam restitu-
b Ezech. 18. 23. tum; [b] *malens peccatoris pœnitentiam, quàm mortem.* Igitur, sicut Deus homini vitæ statum induxit; ita homo sibi mortis statum attraxit. Et hoc non per infirmitatem, sicuti nec per ignorantiam, ne quid auctori imputaretur.

6. *Lex prima, prohibens lignum scientiæ, bona fuit, etiam in pœna imposita. 2. cont. Marc. cap. 4. in f.*

QVam arguis legem, quam in controuersias torques, bonitas erogauit, consulens homini quo Deo adhæreret, ne non tam liber, quàm abjectus videretur, æquandus famulis suis ceteris animalibus, solutis à Deo & ex fastidio liberis: sed vt solus homo gloriaretur, quod solus dignus fuisset qui legem à Deo sumeret; vtque animal rationale, in-
a 1. Cor. 15. 28. tellectus & scientiæ capax, ipsa quoque libertate rationali contineretur; [a] *ei subjectus, qui subjecerat illi omnia.* Cuius legis obseruandæ consilium, bonitas pariter adscripsit: [b] *Qua*
b Gen. 2. 17. *die autem ederitis, morte moriemini.* Benignissimè enim demonstrauit exitum transgressionis, ne ignorantia periculi, negligentiam juuaret obsequij. Porro, si legis imponendæ ratio præcessit, sequebatur etiam obseruandæ, vt pœna transgressioni adscriberetur; quam tamen euenire noluit, qui antè prædixit. Agnosce igitur bonitatem Dei nostri interim,

vel huc vsque ex operibus bonis, ex benedictionibus bonis, ex indulgentiis, ex prouidentiis, ex legibus & præmonitionibus bonis & benignis.

LEX PRIMA. 3. 4. 5. & 6.

A INVALIDO SVSTINENDI. *Si homo vires non habuisset implendi legem, cum fuit creatus in statu innocentiæ, Dei bonitas onus legis ei non imposuisset.* CONVENISSET. *Non egisset cum homine sub conditione vitæ vel mortis, si præceptum seruasset, vel fuisset transgressus; si eum excusaturum se præuidisset in causa infirmitatis. Denique non creauit Deus hominem infirmum, integram ei tribuens libertatem, & potestatem arbitrij; sed quia ex nihilo creauit, deficere potuit, & de facto defecit à perfectione libertatis, qua poterat non peccare, si benè uti voluisset suo libero arbitrio, & qua de facto peccauit ex defectibilitate naturæ de nihilo creatæ, malè vtendo libero arbitrio. Augustinus lib. 14. de Ciuit. cap. 11.* Quia Deus, inquit, cuncta præsciuit, & ideo S. Aug. hominem quoque peccaturum ignorare non potuit, &c. Quem bonum ipse creauit, quàm malus esset futurus, & quid boni etiam sic de illo esset ipse facturus, &c. Fecit itaque Deus sicut scriptum est hominem rectum, ac per hoc voluntatis bonæ. Non enim rectus esset bonam non habens voluntatem. Bona igitur voluntas opus est Dei cum ea quippe ab illo factus est homo; mala verò voluntas prima quoniam omnia mala opera præcessit in homine, defectus potius fuit quidam ab opere Dei ad sua opera, quam opus vllum. *Et to. 3. lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 7.* S. Aug. Ecce, inquit, nos concedimus meliorem esse naturam quæ omnino peccare nolit: concedant & ipsi non esse malam naturam, quæ sic facta est, vt posset non peccare si vellet: & justam esse sententiam, qua punita est, quæ voluntate, non necessitate peccauit. Sicut ergo ratio vera docet meliorem esse naturam, quam prorsus nihil delectat illicitum: ita ratio vera nihilominus docet, etiam illam bonam esse, quæ habet in potestate, illicitam delectationem, si extiterit, ita cohibere, vt non solum de cæteris licitis rectéque factis, verum etiam de ipsius prauæ delectationis cohibitione lætetur.

4. IN HOC. *Hic finis fuit, ideo Deus legem primum homini præfixit, non vt eius impediret, sed probaret libertatem, dum non coactè, sicut cæteræ creaturæ Deo necessitate seruiunt, sed sponte & ex libera voluntate Deo præcipienti obtemperant.* IN VTRVMQVE EXITVM. *Tunc enim indifferentia erat, & perfectum æquilibrium humanæ libertatis, quæ vel in bonum, vel in malum flecti poterat. Ideo porro legem datam primo homini, ad probandum liberæ voluntatis obsequium, siue meritum obedientiæ,* S. Aug. *testatur Augustinus in Psal. 70.* Homo, inquit, positus sub præcepto, audiuit a Domino Deo, noli tangere. Quid? hanc arborem. quid est enim illa arbor? si bona est, quare non tango, si mala est, quid facit in paradiso? prorsus ideo est in paradiso, quia bona est, sed nolo tangas. quare non tango? quia obedientem te volo, non contradicentem seruum: ad hoc serue, sed noli male serue; Serue audi prius Domini jussum, & tunc jubentis disce consilium. Bona est arbor, nolo tangas. Quare? quia Dominus sum, & seruus es. hæc tota causa est. Si parua est, dedignaris esse seruus. Quid autem tibi expedit nisi esse sub Domino? quomodo eris sub Domino, nisi fueris sub præcepto? porro si expedit tibi esse sub Domino & sub præcepto, quid tibi jussurus erat Deus? Aliquid enim quærit abs te. Offer mihi sacrificium, dicturus est tibi? &c. *melior est autem obedientia quam victima. Quia vt dicit Greg. per victimas aliena caro, per obedientiam voluntas propria mactatur.* Quia ergo nullo abs te indiget Deus, nihil tibi debuit jubere? si autem debuit aliquid jubere, vt te, quod tibi expedit, sentires esse sub Domino, ab aliqua re prohibendus eras, *à qua facilè libertatem tuam in vtrumque flexibilem cohibere poteras.* Non propter illius arboris malitiam, sed propter tuam obedientiam. Non potuit Deus perfectius demonstrare, quantum bonum sit obedientiæ, nisi cum prohibuit ab ea re quæ non erat mala. Sola ibi obedientia tenet palmam, *vir obediens loquetur victorias.* Sola ibi inobedientia inuenit pœnam.

5. VT NON AD RECTE VIVENDVM. *Non sic Deus fecerat hominem* in animam viuentem, *vt simpliciter viueret, sed vt rectè, & justè, & secundum legem Deo sibi præscriptam obedienter viueret, nec vt seruus fugitiuus faciem Domini sui timeret.* NON IN MOR- B TEM, Deus enim mortem non fecit. Qui posuit animam meam ad vitam. IN VITAM RESTITVTVM. *per Christi gratiam.* Vita enim in voluntate eius, & ira in indignatione eius. *Dedignatur enim irasci, egreditur de loco suo, ad opus alienum à se.* MORTIS STATVM ATTRAXIT. Per hominem enim mors, & per hominem vita. & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. NON PER INFIRMITATEM. *Impossibilitatem naturæ.* NEC PER IGNORANTIAM. Præceptũ enim Domini lucidum, illuminans oculos. *Et in lumine, & scientia conditus fueras, & apertè vt sub pœna mortis prohibuerat, ne ederes vetitum. Inde Aug. in Psal. 118. concione 24.* Quantò, inquit, legis maior in quocum- S. Aug. C que cognitio, tantò minor peccati excusatio. Quantò minor peccati excusatio, tantò manifestior præuaricatio, &c. lex siue in paradiso data, siue naturaliter insita, siue in literis promulgata, præuaricatores fecit omnes peccatores terræ. *Et in Psal. 70. Vbi de arbore vetita.* Bonum est, inquit, nolo tangas: non enim non tangendo moriturus es. Numquid qui hinc prohibuit, alia subtraxit? Nonne est paradisus fructuosis plenus arboribus? quid tibi deest? hoc nolo tangas. hinc nolo gustes. bonum est, sed obedientia melior. proinde cùm tetigeris, nunquid arbor illa malum erit, vt moriaris? sed inobedientia te subiecit morti, quia prohibita tetigisti. Ideo arbor illa D appellata est scientia dignoscendi boni & mali, non quia inde talia quasi poma pendebant: sed quidquid esset arbor illa, cuiuslibet pomi, cuiuslibet fructus esset, ideo sic vocata est, quia homo qui nollet bonum à malo discernere per præceptum, discreturus erat per experimentum, vt tangendo vetitum, inueniret supplicium. Quare autem tetigit, fratres mei? quid illi deerat? dicatur mihi, quid illi deerat in paradiso constituto, in media opulentia, mediisque delitiis? cui magnæ delitiæ erant ipsa visio Dei, *in forma humana apparentis & colloquentis.* Cuius faciem quasi inimici timuit post peccatum? quid illi deerat vt tangeret, nisi quia sua potestate vti voluit, E præceptum rumpere delectauit, vt nullo sibi dominante fieret sicut Deus, quia Deo nullus vtique dominatur? Malè vagus, malè præsumens, futurus mortuus recedendo à vita justitiæ: Ecce soluit præceptum, excussit à ceruice disciplinæ, habenas regiminis exultante animositate dirũpit. Vbi est nunc? *Adam vbi es?* certè captiuus clamat, Domine quis similis tibi? volui esse peruersè similis tibi, & factus sum similis pecori: sub tua dominatione, sub tuo præcepto verè similis eram; sed homo in honore positus, non intellexit, comparatus &c. Iam de similitudine jumentorum, clama serò, & dic, Domine quis similis tibi.

A 6. ARGVIS LEGEM. *Tu Martion, non modò disputas de lege præscripta à Deo Adæ, an bona fuerit; sed ex ea, Deum malum arguis, qui tamen eam ex abundantia bonitatis sua ei præstitit. Primò enim per hanc consuluit hominis saluti, & modum docuit quo obligatus per legem, Deo adhæreret arctius. Secundò vt dignitatem eius ab aliis animalibus separaret. Si enim sine lege fuisset, illis fuisset similis quæ à Deo soluta sunt, quæ Deus dedignatus est, & indigna censuit, quibus aliquid imperaret, cùm homo solus rationalis, legis accipiendæ capax fuerit judicatus.* LIBERTATE RATIONALI. *Vnde Paulus dixit:* rationabile obsequium: *Quo libertas hominis sub jugo præcepti continebatur. Tertiò quia dum pœnam præuaricationi suæ legis indixit, præmonuit de mortis periculo, ne homo negligens esset in obsequio.* LEGIS RATIO. *De qua supra diximus: nempe vt homo cæterorum Dominus, ex præcepto cognosceret se esse sub maiori omnium Domino, & tantæ potestatis Domino, vt suæ legis præuaricatores morte animæ & corporis, temporali & æterna plecteret. In quo se justum simul & bonum probauit. Iustum quidem, peccata puniendo: bonum autem à peccato, metu pœnæ deterrendo, quam infligere se nolle nisi compulsum ostendit, dum exitum & euentum futurum prouidentia paterna admonuit. Accipe Aug. de bonitate arboris, & legis, & legislatoris esum eius inhibentis, sic fantem to. 3. lib. 8. de Gen. ad lit. cap. 13.* Si, inquit, aliquid mali esset lignum istud, vnde prohibuit hominem Deus, eius ipsius mali naturâ venenatus videretur ad mortem. Quia verò ligna omnia in paradiso bona plantauerat qui fecit omnia bona valde, nec vlla ibi natura mali erat, quia nusquam est mali vlla natura, &c. ab eo ligno quod malum non erat, prohibitus est, vt ipsa per se præcepti conseruatio bonum illi esset, *vnde Psaltes, mihi autem adhærere Deo bonum est. adhæsisset autem Adam Deo obligatus præcepto si illud obseruasset.* Et transgressio malum. *Vnde Propheta gustanti de illicito clamat: gusta & vide, quia malum & amarum est dereliquisse te Dominum Deum tuum.* Nec potuit melius & diligentius commendare, quantum malum sit sola inobedientia, cùm ideo reus iniquitatis factus est homo, quia eam rem tetigit contra prohibitionem, quam si non prohibitam tetigisset, non vtique peccasset, &c. Denique à peccante nihil aliud appetitum est, nisi non esse sub dominatione Dei, quando illud admissum est, in quo, ne admitteretur sola deberet jussio dominantis attendi. Quæ si sola attenderetur, quid aliud, quàm Dei voluntas attenderetur? Quid aliud quàm Dei voluntas amaretur? quid aliud quam Dei voluntas humanæ voluntati præponeretur? &c. Si hæc ipsa magna est vtilitas homini, quòd Deo seruit, jubendo Deus vtile facit quidquid jubere voluerit; de quo metuendum non est, ne jubere, quod inutile est, possit. Nec fieri potest, vt voluntas propria, non grandi ruinæ pondere super hominem cadat, si eam voluntati superioris extollendo præponat. *Quia quò altius erigitur, eò ruinosius decidit.* Hoc expertus est homo contemnens præceptum Dei, & hoc experimento didicit quid interest inter bonum & malum: bonum scilicet obedientiæ, malum autem inobedientiæ, id est superbiæ, & contumaciæ, peruersæ imitationis Dei, & noxiæ libertatis. Hoc autem in quo ligno accidere potuit, ex ipsa re nomen accepit. Malum enim nisi experimento non sentiremus, quia nullum esset, si non fecissemus. Neque enim vlla natura mali est, sed amissio boni hoc nomen accepit. Bonum quippe incommutabile Deus est, homo autem quantum ad eius naturam in qua eum Deus condidit, pertinet, bonum est quidem, sed non incommutabile vt Deus. Mutabile autem bonum, quod est post incommutabile bonum, melius bonum fit, cum bono incommutabili adhærerit, amando atque seruiendo rationali & propria voluntate. *Vide quàm exactè respondeat Tertulliano.* Ideo quippe, & hoc magni boni natura est, quia & hoc accepit, vt posset summi boni adhærere naturæ. Quod si noluerit, bono se priuat, & hoc ei malum est: vnde per justitiam Dei etiam cruciatus consequitur. Quid enim tam iniquum, quàm vt bene sit desertori boni? *Quid justius, quàm vt mors sequatur, desertorem vitæ? Quid æquius, quàm vt captiuitas seruum subiiciat sua libertate contra Dominum insurgentem. Aug. in Psal. 70. Cuius titulus* ipsi Dauid filiorum Ionadab, & eorum qui primi captiui ducti sunt; *notat hos filios obedisse patri prohibenti ne vinum biberent, vel in domibus residerent, sed tantum in tabernaculis; quos ideo ex Ierem. 35. Deus benedixit. Aduertit*

B *etiam in titulo, junctos obedientibus filiis, in captiuitatem Babyl. abductos filios Israël; vt exemplo obedientiæ eorum confunderet rebelles, & non sponte, sed coactè in captiuitatem, Deo sic volente, euntes.* Accedit etiam, inquit, quia Ionadab interpretatur Domini spontaneus. Quid est hoc, Domini spontaneus? Dei voluntati libenter seruiens, &c. Si enim disciplina Apostolica seruum monet, vt homini Domino suo non tanquam ex necessitate, sed ex voluntate seruiat, & libenter seruiendo, se in corde liberum faciat: quanto magis Deo tota, & plena, & libenti, voluntate seruiendum est; videt ipsam voluntatem tuam. *Et concione secunda in eundem Psalmum, sic inducit Paulum captiuum loquentem:* Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, &

C captiuum me ducentem in lege peccati quæ est in membris meis. Ipsa est prima captiuitas nostra, qua concupiscit aduersus spiritum caro. Venit autē hoc de pœna peccati, vt homo aduersus seipsum diuideretur, qui vni subditus esse noluit. Nihil enim tam expedit animæ quam obedire. Et si expedit animæ obedire, in seruo, vt obediat domino; in filio, vt obediat patri; in vxore, vt obediat viro: quantò magis in homine vt obediat Deo. *Pulcherrimè autem contra Marcionem jactari potest, quod ipse habet to. 6. lib. 1. cont. Aduers. legis & Prophet. cap. 14.* Ecce, inquit, in eo quod reprehendit iste hominis conditorem, quia prohibuerit eum sumere cibum dignoscentiæ boni & mali, tanquam eum pecoribus pa-

D rem esse voluisset nescientibus ista discernere, & hoc ei negasset, cui potestatem dedisset in bestias, quo solo homo superat bestias: quam necessarium est vitæ benè agendæ, quod dicimus quædam infeliciter disci, & feliciter nonnulla nesciri. Morbos enim & dolores, quantò felicius nesciremus? si ergo medicus nos ab aliquo cibo prohiberet, quo accepto ægrotaturos esse præsciret, & ob hoc appellaret eundem cibum dignoscentiæ sanitatis & imbecillitatis, eo quòd per ipsum homo cum ægrotare cœpisset, experiendo dignosceret quid interesset inter contractam malam valetudinem, & bonam perditam sanitatem: quod vtique melius ignorasset, & in illa quam perdidit, sanitate mansisset, credens

E medico per obedientiam, non morbo, per experientiam. Numquid talem medicum inuidisse nobis eiusmodi scientiam diceremus? &c. *Subiicit de Christo ignorante & arguente peccatum, ex Paulo Ephes. 5.* Omnia quæ arguuntur, à lumine manifestantur. Quomodo igitur a quo ignorabantur, arguebantur? Nonne rectissimè respondebitur, & nouerat, & non nouerat? rectissimè omnino. Nouerat enim per sapientiam, non nouerat per experientiam. Huic itaque diuinæ sapientiæ credere debuit Adā, vt ab illa mali scientia quæ fit per experientiam, præcepto Dei obediens, temperaret. Sic enim malum nescisset, nisi fecisset. Fecit autem sibi, non Deo. Nihil enim facere potuit voluntate inobedientiæ, nisi quod ipse pateretur

Marginal notes: S. Aug. (left, beside "bentis, sic fantem to. 3."); S. Aug. (left, beside "commendare, quantum malum"); S. Aug. (right, beside "Accedit etiam"); S. Aug. (right, beside "Video aliam legem"); S. Aug. (right, beside "Ecce, inquit"); S. Aug. (right, beside "Omnia quæ arguuntur").

patereretur lege justitiæ. Hæc est enim pœna inobedienti homini reddita in semetipso, vt ei vicissim non obediatur, nec à semetipso. *Hinc rebellauit contra animam caro, & animalia contra hominem, &c.* Breuiter respondemus ad id quod ait iste hominis institutorem à magno bono prohibuisse quem fecerat, dum eum pecori similem sine dignoscentia boni & mali esse voluisset. Hæc enim dignoscentia, A non est beati hominis sapientia, sed miseri experientia. Vnde lignum nomen accepit, à cuius cibo est homo prohibitus: vt obedientia commendaretur, quæ maxima est virtus, &, vt sic dixerim, omnium origo materque virtutum, in ea natura, cui sic datum est arbitrium liberæ voluntatis, vt eam tamen necesse sit viuere sub potestate melioris.

7. *Lex tota decalogi in prima data Adæ violata est cont. Iud. cap. 2. à p.*

IN principio mundi, ipsi Adæ & Euæ legem dedit, ne de fructu arboris plantatæ in me-
dio paradisi ederent: quod si contrà fecissent, morte morerentur. quæ lex eis sufficeret, Gen.2.17.
si esset custodita. In hac enim lege Adæ data, omnia præcepta condita recognoscimus, quæ
postea pullulauerunt data per Moysen, id est, [a] *Diliges Dominum Deum tuum de toto corde*
tuo, & ex tota anima tua. &, Diliges proximum tibi tanquam te. &, Non occides, non mœcha- a Deut. 6.
beris, non furaberis, falsum testimonium non dices. Honora patrem tuum & matrem. &, Alienum 5.
non concupisces. Primordialis lex est enim data Adæ & Euæ in paradiso, quasi matrix omnium Exo. 20.
præceptorum Dei. Denique si Dominum Deum suum dilexissent, contra præceptum eius 13.
non fecissent: si proximum diligerent, id est semetipsos, persuasioni serpentis non credidis- Luc. 19.
sent, atque ita in semetipsos homicidium non commisissent, excidendo de immortalitate, 18.
faciendo contra Dei præceptum. à furto quoque abstinuissent, si de fructu arboris clam
non degustassent, nec à conspectu Domini Dei sui sub arbore delitescere gestissent. nec
falsum asseueranti diabolo participes efficerentur credendo ei quod similes Dei essent futuri. atque ita nec Deum offendissent vt patrem, qui eos de limo terræ quasi ex vtero matris figurauerat. si alienum non concupissent, de fructu illicito non gustassent. Igitur in hac generali & primordiali Dei lege, quam in arboris fructu obseruari Deus sanxerat, omnia præcepta legis posterioris specialiter indita fuisse cognoscimus, quæ suis temporibus edita germinauerunt. Eiusdem est enim postea subducere legem, qui ante præmiserat præceptum: quoniam & ipsius est erudire postea, qui ante justos formare instituerat. Quid enim mirum si is auget disciplinam, qui instituit? Si is perficit qui cœpit?

LEX TOTA DECALOGI IN PRIMA DATA ADÆ VIOLATA EST. 7. SCHOL.

EIS SVFFICERET. *Neque enim confirmatis in gratia, sicut Angelis, propter meritum obedientiæ, vlla alia lex necessaria fuisset, vel in bonum impellens, vel à malo prohibens.* CONDITA. *Recondita quasi in semine, radice, fonte.* SI DILEXISSENT. *Ita enim Christus:* Si quis diligit me, mandata mea seruabit. qui habet mandata mea & seruat ea, ille est qui diligit me. SEMETIPSOS. *quid enim tàm proximum homini quàm ipse homo?* GESTISSENT, *festinassent, se subducentes & suffurantes Domino suo.* DIABOLO PARTICIPES. Mendax enim est & Pater eius. *Et sicut Deo credens fit filius Dei:* potestatem enim dedit Filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius: *Sic & credendo diabolo Patri mendaci, facti sunt filij eius.* LEGIS POSTERIORIS. *Moysi scilicet.* INDITA, *inseminata, abscondita.* SVBDVCERE. *Quasi ex abdito educere, fusius explicare.* PRÆCEPTVM. *Propriè. Lex enim ad plures, & ad communitatem obligandam fertur; præceptum, priuatæ personæ imponitur.* FORMARE *quasi primàm* C *formam crassiorem rudioremque imprimere. toto hoc textu aliud nihil conficit Tertullianus, quàm vt inductione probet, Adamum in vnico præcepto sibi dato in paradiso, totam legem Moysi datam, velut in matrice conclusam, violasse. Quod & probat Augustinus Ep. 29. ad Hieronymum à D. Iacobo prænotatum. cap. 2. dum ait*
S. Aug. Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. *Quem locum, cùm fusissimè examinasset, tandem circa finem Epistolæ, sic soluit quæstionem.* Si præcepta, inquit, non essent, non vtique esset vbi se homo certius inspiceret & videret, *tanquam in speculo, cuius & meminit in Epistola Iacobus, nos volens in lege tanquam in speculo, non vt viros formæ negligentes, sed vt mulieres speciem diligentes, faciem animæ contemplari, purgare, augere formam, &c.* vnde auerteretur, quo conaretur, quare

B gratularetur, *Deo benefactori, & benedictionem danti legislatori,* quid precaretur. Magna est ergo vtilitas præceptorum, si libero arbitrio tantum detur, vt gratia Dei *sine qua ea non potest seruare liberum arbitrium*, amplius honoretur. Quæ si ita se habent, vnde fiet omnium reus, si in vno offendat, qui totam legem seruauerit? an fortè quia plenitudo legis charitas est, qua Deus proximusque diligitur, in quibus præceptis charitatis tota lex pendet, & prophetæ, meritò fit reus omnium qui contra illam facit in qua pendent omnia? Nemo autem peccat, nisi aduersus illam faciendo: quia non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupisces; & si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur, in eo quod diligis proximum tuum tanquam teipsum; dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo autem legis est charitas. Nemo autem diligit proximum, nisi diligens Deum. Et hoc C quantum potest proximo impendat, quem diligit tanquam semetipsum, vt & ille diligat Deum; quem si ipse non diligit, nec se, nec proximum diligit. ac per hoc qui totam legē seruauerit *id est reliqua præcepta Decalogi, & vnum solum violauerit, in quo est tota charitas, totam proinde violauit, & vt reus peccati mortalis punietur; non tamen tā graui pœna, quàm si etiam cætera præcepta violasset,* si in vno offenderit, fit omnium reus; quia contra charitatem facit, vnde tota lex pendet. reus itaque fit omnium, faciendo contra eam in qua pendent omnia. *Reus ergo Adam totius Decalogi violati, qui contra charitatem Deo debitam, & sibiipsi maximè proximo impendendam, peccauit; & omnis concupiscentiæ in filiis suis fomitem accendit, vnde omnia contra legem peccata nascuntur. Expressius adhuc idem Aug. to. 3. in Enchir. ad Laur. cap. 44. & seq. vbi in vnico peccato Originali, sicut & in actuali primi pa-*

S. Aug. *reatis omnia peccata collecta.* Cum illud, inquit, originale vnum plurali numero significatur, quando dicimus in peccatorum remissionem baptizari paruulos, nec dicimus in remissionem peccati: illa est contraria locutio, qua per pluralem locutionem significatur numerus singularis. Sicut de Herode mortuo in Euangelio dictum est: mortui sunt enim qui quærebant animam pueri. Non dictum est, mortuus est. Et in Exodo fecerunt, inquit, sibi Deos aureos: cum vnum vitulum fecerint tantùm, de quo dixerunt: hi sunt dij tui Israël, qui eduxerunt te de terra Ægypti: & hic ponentes pluralem pro singulari. Quamuis & in illo peccato vno, quod per vnum hominem intrauit in mundum, & in omnes homines pertransiit, propter quod etiam paruuli baptizantur, possint intelligi plura peccata, si vnum ipsum in sua quasi membra diuidatur singula. Nam & superbia est illic; quia homo in sua potius esse, quam in Dei potestate dilexit. Et sacrilegium, quia Deo non credidit. *Fidemque debitam violauit, arboremque sacram & reseruatam Deo tetigit.* Et homicidium, quia seipsum præcipitauit in mortem. Et fornicatio spiritalis, quia integritas mentis humanæ serpentina suasione corrupta est. Et furtum, quia cibus prohibitus vsurpatus est. Et auaritia, quia plusquàm illi sufficere debuit, appetiuit. Et si quid aliud in hoc vno admisso diligenti consideratione inueniri potest. *Quæ omnia ad verbum transcripsit D. Leo. Papa in Epist. Decretali ad Nicetam quæ est 86.*

LEX VETVS.

1. Lex vetus data Moysi, non Iudæis tantum, sed & Gentibus à communi Deo lata est. cont. Iud. cap. 2. in p.

CVr Deus vniuersitatis conditor, mundi totius gubernator, hominis plasmator, vniuersarum gentium sator, legem per Moysen vni populo dedisse credatur, & non omnibus gentibus attribuisse dicatur? Nisi enim omnibus eam dedisset, nullo pacto ad eam etiam proselytos ex gentibus, accessum habere permitteret. sed vt congruit bonitati Dei & æquitati ipsius, vt pote plasmatoris generis humani, omnibus gentibus eandem legem dedit, quam certis & statutis temporibus obseruari præcepit, quando voluit, & per quos voluit, & sicut voluit.

LEX VETVS SIVE MOYSI. 1. SCHOL.

VNI POPVLO HEBRÆO, *qui vnicam terram promissam occupabat.* OMNIBVS GENTIBVS, *quarum æquè Deus erat, earumque cordibus naturæ legem inscripserat, qua summatim præscripserat* quod tibi fieri non vis, alteri non feceris. *In quo vnico præcepto lumine naturali noto, omnia continentur Decalogi præcepta, de cultu vnius Dei, & amore proximi lata.* PROSELYTOS. *Aduenas ex Gentilitate conuersos ad Iudaismum, legem Moysi profitentes, eiusque mysteriis initiatos. Paulus Rom. 2. Iudæorum superbiam comprimit, ex lege sibi data per Moysem contra Gentiles insurgentium, quem exponit Augustinus lib. de Spiritu & litera cap. 26.* S. Aug. Gentes, inquit, commemorans naturaliter quæ legis sunt facientes, & scriptum habentes opus legis in cordibus, illos intelligi voluit qui credunt in Christum, quia non sicut Iudæi præmissa sibi lege veniunt ad fidē: Non est car eos conemur discernere ab eis, quibus per Prophetam Dominus promittens testamentum nouum, dixit leges suas se scripturum in cordibus eorum, quia & ipsi per insertionē quam oleastro præstitam dicit, ad eandem oleam, hoc est eundem Dei populum pertinent: potiusque concordat Prophetico etiam hoc Apostolicum testimonium. Vt hoc sit pertinere ad Testamentum nouum, legem Dei habere, non in tabulis, sed in cordibus scriptam, hoc est in intimo affectu iustitiam legis amplecti, vbi fides per dilectionem operatur, quia ex fide iustificat Gentes Deus. Quod scriptura præuidens, prænuntiauit Abrahæ dicens: in semine tuo benedicentur omnes Gentes: vt per hanc promissionis gratiam oliuæ insereretur oleaster, & fierent fideles gentes filij Abrahę in semine Abrahę quod est Christus, &c. *Cum ergò Paulus dicat Deum esse:* Non tantum Iudæorum, sed & Gentium Deum, apud quem non est personarum acceptio. *Et concludit Aug. supra* quia, inquit, personarum acceptio non est apud Deum, & non auditores legis, sed factores iustificabuntur: ideo siue Iudæus, siue Græcus, hoc est quilibet ex Gentibus crediderit, salutem in Euangelio pariter habebit.

2. Lex vetus licet stulta & infirma in ceremoniis & Sacramentis, confundit tamen sapientiam mundi: huius legis obscura, Christus vt thesauros occultos aperuit. 5. cont. Marc. cap. 5. in f. & 6. in p.

NIhil à Deo dispositum, est verè modicum, & ignobile, & contemptibile, sed quod ab homine: apud Creatorem autem etiam vetera, stultitiæ, & infirmitati, & inhonestati, & pusillitati, & contemptui deputari possunt. Quid stultius, quid infirmius, quàm
Leuit. 1. 1. & 2. 2. sacrificiorum cruentorum, & holocaustomatum nidorosorum à Deo exactio? Quid infirmius, quàm vasculorum & grabatorum purgatio? Quid inhonestius, quàm carnis jam erubescentis alia dedecoratio? Quid tam humile, quàm talionis indictio? Quid tam contemptibile, quàm ciborum exceptio? Totum, quod sciam, vetus Testamentum omnis hæreticus irridet.[a] *Stulta enim mundi elegit Deus, vt confundat sapientiam.* Marcionis Deus nihil tale. Quia nec æmulatur contraria contrariis redarguere,[b] *ne glorietur omnis caro; vt quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur.* In quo? vtique in eo qui hoc præcepit. nisi Creator præcepit vt in Deo Marcionis glorietur. Igitur per hæc omnia ostendit, cuius Dei[c] *sapientiam loquatur inter perfectos*: Eius scilicet qui[d] *sapientiam sapientium abstulerit, & prudentiam prudentium irritam fecerit, qui infatuauerit sapientiam mundi, stulta eligens*

a 1. Cor. 1. 27.
b 1. Cor. 1. 29. & 31.
c 1. Cor. 2. 6.
CAP. VI.
d 1. Cor. 1. 19. Isa. 29. 14.

eius, & disponens in salutem. Hanc dicit sapientiam in occulto fuisse, quæ fuerit in stultis & in pusillis & inhonestis; quæ latuerit etiam sub figuris, allegoriis & ænigmatibus, reuelanda postmodum in Christo, posito in lumen Nationum à Creatore promittente per Esaïæ vocem, [e] *Patefacturum se thesauros inuisibiles & occultos.* Nam vt absconderit aliquid is Deus, qui nihil egit omnino in quod aliquid abscondisse existimaretur, satis incredibile. Ipse si esset, latere non posset, nedum aliqua eius sacramenta. Creator autem tam ipse notus, quàm & sacramenta eius; palam scilicet decurrentia apud Israël; sed de significantiis obumbrata, in quibus [f] *sapientia Dei delitescebat inter perfectos, narranda suo in tempore, proposita veri in proposito Dei ante secula.* Esa. 42.7. e Esa. 45.3. f 1. Cor. 2. 6.

LEX MOYSI. 2. SCHOL.

A NIHIL VERE MODICVM. *Quidquid tale forinsecus videatur, quia diuinum est.* APVD CREATOREM. *Quem Marcion Dei nomine indignum censet, & ab eo omnia vetera legis antiquæ sacrificia & Sacramenta pro stultis, & infirmis habentur.* CRVENTORVM. *Deo placido & miti minimè congruentium.* NIDOROSORVM. *Quasi verò nidor & fumus concrematorum animalium Deo gratum esse possit munus, qui vt spiritus est, nares carneas non habet.* CARNIS ERVBESCENTIS. *Ob membrum pudendum.* ALIA DEDECORATIO. *In præputio circumciso.* QVID TAM HVMILE, *pusillanime; cùm generositas vera vicem talionis non exigat, sed magnanimiter irâ & vindictâ compressa, lædenti indulgeat:* CIBORVM EXCEPTIO. *Ab immundis animalibus edendis prohibitio.* TESTAMENTVM. *Vetus.* OMNIS HÆRETICVS. *Qui omnia ex suo sensu metitur.* B STVLTA ENIM. *Sic infert, vt tacitè mordeat omnem hæreticum, & maximè Marcionitam, qui cùm Deum Creatorem irrideat, vt veteris testamenti Autorem; Deum verò suum Nouum extollat, vtpotè noui conditorem; Non aduertit Paulum in noua lege dicentem, Deum verum ipsumque Creatorem ea ipsa quæ stulta Marcion reputat, elegisse, quod Deus Marcionis non præstitit.* QVIA NEC ÆMVLATVR. *Prosequitur ironiam, dicens, Deum Marcionis placidum nullo zelo & æmulatione contraria contrariis arguere, nec stultitiâ sapientiam confundere, infirmisque fortia superare, sicut noster Deus Creator, qui ideo instrumentis vtitur infirmis & stultis vt ipsi soli, non verò vilibus instrumentis abiectisque creaturis gloria tribuatur.* CVIVS DEI SAPIENTIAM. *Non noui & incogniti, sed veteris, veri, & cogniti Dei Creatoris sapientiam loquitur Paulus;* C *qui olim promiserat, vt alibi vidimus, ex Paulo citante Prophetam,* se perditurum sapientiam sapientũ. *Quæ quidem Sapientia, id est Dei Filius, æqualis in magnitudine & gloria Patri, abscondita latebat in infirmis & stultis in apparentia, legis antiquæ sacrificiis, Sacramentis, & figuris.* PER ESAIÆ VOCEM. *Cap.* 45. 3. Dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum: vt scias quia ego Dominus. 70. Dabo tibi thesauros tenebrosos, absconditos, inuisibiles aperiam tibi. IS DEVS. *Quomodo dici potest Deus Marcionis aliquid abscondisse, qui nihil omnino condidit? Quibus in latebris absconderit, qui nullum thesaurum habet suum, nullam arcam, vel Gazophilatium quod construxerit? Qui ipse si aliquod esse haberet, non tandiu absconditus latuisset, sed seipsum suis operibus declarasset.* D SIGNIFICANTIIS. *Signis & figuris obuelata.* INTER PERFECTOS, *Patriarchas & Prophetas. Scripsit Augustinus duos libros contra Aduersarium legis & Prophetarum, in quibus multa contra Marcionem iaculatus est, alterum verè legis & Prophetarum aduersarium. Inter cætera lib. 2. cap. 9.* In omnibus, inquit, Sanctis Scripturis, secundùm sanæ fidei regulam figuratè dictum vel factum, si quid exponitur de quibuslibet rebus & verbis quæ Sacris paginis continentur, expositio illa ducatur, non aspernanter, *vt Marcion Sacramenta & sacrificia legis aspernatus est.* Sed sapienter audiamus: & relinquamus istum inania garrientem, & nesciendo quid loquatur, quadam, si dici potest, imperita peritia de S. Aug.

A figurarum qualitate tractantem. Qui cùm dicit, rebus congruis, non contrariis aliquid esse significandum, potest vanus dicere, semper Deum lucido auro, nunquam nigro atramento scribi oportere: quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Non est enim quòd putet Apostolum, vt congrueret infirmis & imperfectis, multa falsa & improbanda dixisse: quia testimoniis quæ de lege & Prophetis ponit, quam venerabiliter Scripturas illas accipiat, per Epistolas eius apparet, &c. *De Sacrificiis autem & muneribus quæ Deo offerri stultum censuit Marcion, sic loquitur lib. 1. cap. 18. vbi primò induxit loquentem aduersarium:* Ideo non est, inquit, credendus Deus verus, qui sacrificiis delectatur. *Paulo post respondet:* De Sacrificio iste valde nihil sapit: & ideo fallitur, B quia jam sacrificia talia non offert Dei populus Deo, postea quam velut vnicum Sacrificium, cuius vmbræ fuerunt illa omnia, non hoc improbantia, sed hoc significantia. &c. Vnum tamen sciant insipientes, tardi ad intelligendum. & præcipites ad reprehendendum, quòd dæmon sibi Sacrificium, non exigeret, nisi Deo vero deberi sciret. Falsus enim Deus sic vult honorari ab eis quos decipit. quomodo verus Deus honoratur ab eis quibus consulit: & maximè Sacrificium est, quod præcipuè debetur Deo, &c. Sacrificiis autem Deum non egere, quis nescit? Sed nec laudibus nostris eget. Verum sicut nobis, non illi vtile est, offerre sacrificium Deo: quoniam singulari & solo vero Sacrificio pro nobis Christi sanguis effusus est: ideo primis temporibus ad hoc Sacri- C ficium talibus significationibus prophetandũ immaculatorum animalium sacrificia Deus sibi jussit offerri: vt quemadmodum illa immaculata erant à corporum vitiis, ita speraretur immolandus esse pro nobis, qui solus immaculatus fuerat à peccatis. *Et ipse est Christus*, In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei reconditi: *qui ait:* eructabo abscondita à constitutione mundi. *De muneribus autem Deo offerendis idem Aug. sic fatur lib. 2. cap. 11.* Deo munera offerenda esse monstrauit qui nullis indiget, & munera sumendo, plus confert. Ipse est enim Prophetarum Deus, qui & munera suos accipere vetat, quibus excæcantur oculi judicantium: & munera ipse quamuis non egeat accipit, vt pietate faciat opulentas animas. *Alios hic citatos scripturæ locos habes alibi* D *expositos. Vnicum ex Paulo subijcio, à Beda citato in 1. Cor. 2.* Loquimur Dei sapientiam in ministerio quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram. *Vbi producit locum Augustini dicentis:* Gratia ista Christiana, omnes latuit sapientes huius mundi: nec solùm illi qui circa creaturas vel terrestres, vel cœlestes, nimia & intentissima curiositate occupati neglexerunt quærere, nec valuerunt inuenire Creatorem; sed etiam nec illi qui ex creatura, & ex iis quæ videbantur, inuisibilia eius à quo facta sunt, in cognitione peruenire non potuerunt, agnouerunt quod dictum est *de thesauris absconditis reuelatis à Christo dicente;* Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Hæc Moyses vidit, *cui dixit Deus, veni*

S. Aug.
S. Aug.
S. Aug.

& ostendam tibi omne bonum. Et quidem in nomine Iesu absconditum: vnde subiecit, & vocabor in nomine meo coram te. Prophetæ viderunt. *Sicut Esaias de quò hic Tertullianus refert thesauros inuisibiles* Patriarchæ viderunt. *Sicut Abraham vnum adorauit humana facie, incarnandum scilicet filium, cuius diem vt vidit in ariete vepribus herente, exultauit & gauisus est.* Sapientes

S. Aug. illi magni, arguti disputatores, inquisitores eloquij,

A quasi tonantes professores omnino ignorauerunt hoc mysterium quod absconditum fuit à sæculis in Deum. Nunc autem manifestum est *per Christum reuelatum* Sanctis eius, paruulis eius. *De quibus dicebat: Confitebor tibi Domine Pater Rex Cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Ergo humilibus eius, super quos requiescit spiritus eius, quietis, & trementibus verba eius.

3. Lex vetus spiritalis dicitur, quia Christum sensu mystico prophetabat. 5. cont. Marc. cap. 13. in f.

Rom. 7. 14.

SI autem & spiritalem confirmat legem; vtique & propheticam, vtique & figuratam. Debeo enim & hinc constituere Christum in lege figuratè prædicatum, quò nec à Iudæis omnibus potuerit agnosci.

LEX VETVS. 3. SCHOL.

SPIRITALEM CONFIRMAT LEGEM. *Paulus legem veterem licet carnalem in litera, spiritalem tamen testatur esse in mysterio, quia signum erat, Prophetia, & figura nouæ legis, quæ prorsus spiritalis est, nec jam in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis èxarata igneo prorsus Spiritus sancti stilo.* QVÒ NEC A IVDAIS OMNIBVS, *&c. A Iudæis magna ex parte carnalibus. Christus in lege figuratus est, & ideo absconditus, vt a paucis electis fuerit agnitus: Paulus Rom. 7. 14.* Scimus enim quia lex spiritalis est, *Syr. legem spiritus esse*, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. *Augustinus*

S. Aug. *Ser. 12. de Verb. Apost.* Lex, inquit, non est corporalis, non est carnalis. Sed quoniam Deus spiritus est, qui legem dedit, procul dubio lex spiritalis est. Sed quid ait Apostolus? scimus enim quia lex spiritalis est, &c. Noli ergo mirari ô venundate sub peccato, si tibi dominetur, cui es venundatus. Audi Apostolum Ioannem, peccatum iniquitas est. Contra talem ergo dominam inuocamus Dominum cui dicimus; gressus meos dirige secundùm verbum tuum, & non dominetur mihi omnis iniquitas. Venundatus clamat, redemptor exaudiat. Ipse homo se vendidit per liberum arbitrium sub dominante iniquitate, & accepit pretium, exiguam de arbore vetita voluptatem, &c. Vendidi me, redime me. Vendidi me arbitrio meo, redime me sanguine tuo. In venditore erubescat superbia, in redemptore glorietur gratia.

S. Aug. *Et Ser. 47. de temp. Vbi refert eundem locum; Spiritalis est lex, &c. Cum prius dixisset ex Gen. 3.* Maledicta terra in operibus tuis, spinas & tribulos germinabit tibi, & in sudore vultus tui edes panem tuum. Hæc inquit est lex membris omnium inserta mortalium quæ repugnat legi mentis nostræ, eamque à diuino

B arcet intuitu, quæ maledicta terra in operibus nostris, post agnitionem boni & mali, cogitationum spinas cœpit ac tribulos germinare, quarum aculeis semina præfocantur, ne illum panem nostrum qui de cœlo descendit, *quem escam spiritalem & potum dicit Apostolus in lege spiritali promissum, hoc est spiritaliter intelligendum*; quique confortat cor hominis, edere absque vultus nostri sudore possimus. Omne igitur humanum genus huic generaliter legi sine vlla exceptione subiicitur. Nullus enim est quamuis sanctus, qui supradictum panem non cum sudore vultus sui, & solicita cordis intentione percipiat. Cæterum communi isto pane, multi, vt videmus, diuites sine vllo vultus sui sudore vescuntur. Quam etiam legem B. Apostolus spiritalem asserit dicens: scimus autem quia lex spiritalis est, *id est spiritaliter intelligenda est, sicut à Deo spiritu data est* ego autem S. Aug.

C carnalis sum venundatus sub peccato. Spiritalis enim est quæ nobis jubet vt in sudore vultus nostri comedamus illum panem qui de cœlo descendit: sed nos carnales fecit venundatio illa peccati. Quod rogo istud? cuiusve peccatum est? sine dubio Adæ: cuius præuaricatione, atque vt ita dicam negotiatione damnosa, fraudulentoque commercio venditi sumus. Omnem enim prolem suam serpentis persuasione seductus, illiciti cibi perceptione distractum, jugo perpetuæ seruitutis addixit, &c. Oportebat eius sobolem tandiu sub auita conditione durare, quousque eandem originalibus vinculis liberatam, in antiquum libertatis statum prioris Domini gratia pretio sui sanguinis reformaret, &c. Quid enim aliud seruile coniugium potest producere, quam seruos? &c.

4. Lex vetus, humana, quæ homini, animalibus, ipsi terræ requiem indulget à labore. 2. cont. Marc. cap. 17. in f.

Exo. 21. 2.
Exo. 23. 10.
Leuit. 23. 4.
Deut. 25. 4.
1. Cor. 9. 9.

AD hæc innocentiæ, pudicitiæ, & justitiæ, & pietatis principalia consulta, accedunt etiam humanitatis præscripta: quum septimo quoque anno seruitia libertate soluuntur: quum eodem tempore agro parcitur, egenis cedendo locum: boui etiam terenti vincula oris remittuntur ad fructum præsentis laboris, quò facilius in pecudibus præmeditata humanitas, in hominum refrigeria erudiretur.

LEX VETVS. 4. SCHOL.

AD HÆC. *Præter omnia virtutum documenta quibus lex vetus humanæ saluti consulit, præscribit etiam homini, quomodo humaniter & benignè cum hominibus agat.* SERVITIA. *Serui libertate donantur post septem seruitutis annos Exodi. 21. 2.* Si emeris seruum Hebræorum, sex annis seruiet tibi: in septimo egredietur liber gratìs. Cum quali veste intrauerit, cum tali exeat: si habens vxorem, & vxor egredietur si-

D mul. EODEM TEMPORE. *Reuoluto septimo anno.* AGRO PARCITVR. *Non metitur à Domino, nec fructus eius ab eo colligitur, sed pauperibus relinquitur. Leuit. 25. 3. & seq.* Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus eius: septimo autem anno Sabbathum erit terræ, requietionis Domini: agrum non seres, & vineam non putabis. Quæ sponte gignet humus, non metes: &

vuas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam: Annus enim requietionis terræ est. *Nihil hic de pauperibus nisi tacitè. Sed expreſsius Exod. 23. 10. & seq.* Sex annis seminabis terram tuam, & congregabis fruges eius. Anno autem septimo dimittes eam, & requiescere facies, vt comedant pauperes populi tui: & quidquid reliquum fuerit, edant bestiæ agri. Ita facies in vinea, & olivueto tuo. VINCVLA ORIS *frænum. Deut. 25. 4.* Non ligabis os bouis terentis in area fruges tuas. *Vel vt legunt 70.* Non obturabis bouem triturantem. QVO ERVDIRETVR. *Vt ex his præceptis legis jubentis humanitatem exerceri in pecora, discerent homines, in sui similes humaniter agere. De humanitate erga seruos exhibenda, Augustinus libro primo de Ser. Do. in monte. cap. 19. circa f. Vbi de dimittendis contendenti omnibus bonis, pro pace seruanda cum proximo.* (S. Aug.) Ea, inquit, quæ nostra dixi, eo genere includenda sunt, quo Dominus ipse præscripsit dicens: si quis vult judicio tecū contendere, & tunicam tuam tollere, &c. Omnia ergo intelliguntur de quibus judicio nobiscum contendi potest: itaut à nostro jure, in jus illius transeant, qui contendit, vel pro quo contendit: sicut est vestis, domus, fundus, jumentum, & generaliter omnis pecunia. Quod verū etiam de seruis accipiendum sit, magna quæstio est. Non enim Christianum oportet sic possidere seruū, quomodo equum, aut argentum; quamquam fieri possit, vt maiore pretio valeat equus quam seruus, & multò magis aliquid aureum, vel argenteum. Sed ille seruus si rectius, & honestius, & ad Deum colendum accommodatius abs te Domino educatur, aut regitur, quàm ab illo potest, qui eum cupit auferre: nescio vtrum quisquam dicere audeat, vt vestimentum eum debere contemni. *Quem in lege veteri Deus septimo quoque anno cum veste æquè honesta, quâ emptus fuerat, præscripsit libertate donari.* Hominem namque homo tanquam seipsum diligere debet, cui ab omnium Domino, sicut ea quæ sequuntur, ostendunt, etiam vt inimicos diligat, imperatur. *De loco Leuit. 25. & Sabbatho terræ, consule Aug. to. 4. quæst. 89. in Leuiticum. Locum autem Exo. 23. sic exponit:* An sic, inquit, accipiendum: sex annis seminabis terram tuam & colliges fructum eius: hoc est, (S. Aug.) sex annis seminabis, & colliges; septimo verò non colliges: vt intelligatur, seminabis, etiam si dictum non est: vt ad sex annos seminare & colligere pertineat, ad septimum vero, dimittere quod fuerit seminatum? Nam quid inde habebunt pauperes, quorum residuum etiam feris bestiis dedit, eis videlicet quæ illis frugibus vesci possint, sicut sunt apri, & cerui, & si quid huiusmodi? *supra dixerat in principio quæstionis: quæri potest quid colligant pauperes si septimo anno ita parcit terra, vt nec seminetur quidem?* quod tamen non diceretur, nisi alicuius significationis gratia. *Ad significandam videlicet auaritiæ cohibitionem, & charitatis in pauperes exhibitionem, vacationemque ab agricultura, quasi dicente Deo, vacate & videte quoniam suauis est Dominus.* Nam si quod attinet ad præcepta quæ hominibus data sunt, de bobus cura non est Deo: *Cuius tamen prouidentia & ad formicam extenditur, quanquam minus quam circa hominem, cui cætera omnia subiecta sunt.* Quod non sic intelligitur, (S. Aug.) tanquam non ipse pascat ea quæ nec seminant, nec metunt, neque congregant in horreum: sed quia ei curæ non est præcepto monere hominem, quomodo boui suo consulat: *Iam enim satis jumenta sua & boues curat quilibet homo.* Quantò minus ei cura est de feris bestiis præcipere, quomodo illis ab hominibus consulatur; cùm eas ipse pascat diuitiis naturæ vsquequaque fructiferæ, qui eas etiam per alios sex annos pascit, cùm colliguntur quæ seminantur: *Docet ergo lex per curam pascendarum ferarum etiam noxiarum, quod eadem Scriptura vetus admonet,* si esurierit inimicus tuus, pasce illum, &c. *De humanitate in genere commendata, hæc rursum breuiter sume ab Augustino. Ser. 8. de Verb. Apost. ex. 1. Tim. 1.* Humanus (S. Aug.) sermo & omni acceptione dignus, &c. Non liberaretur, inquit, humanum genus, nisi sermo Dei dignaretur esse humanus. Nam & homo ille dicitur humanus, qui se exhibet hominem, & maximè qui hospitio suscipit hominem. Si ergo humanus dicitur, qui in domo sua suscipit hominem, quàm humanus est qui in seipso suscepit hominem?

5. *Lex vetus delicti vindictam, & talionem exigens, misericors magis quàm seuera: metu enim pœnæ arcet culpam, vt non sit quod justitia puniat. 2. cont. Marc. cap. 18. in p.*

SEd quæ potius legis bona defendam, quàm quæ hæresis concupiit, vt talionis definitionem, [a] *oculum pro oculo, dentem pro dente, & liuorem pro liuore* repetentis? Non enim iniuriæ mutuò exercendæ licentiam sapit, sed in totum cohibendæ violentiæ prospicit, vt quia durissimo & infideli in Deum populo, longum, vel etiam incredibile videretur, à Deo expectare defensam, edicendam postea per Prophetam, [b] *Mihi defensam, & ego defendam, dicit Dominus:* interim commissio iniuriæ, metu vicis statim occursuræ, repastinaretur; & licentia retributionis, prohibitio esset prouocationis; vt sic improbitas astuta cessaret, dum secundâ permissâ, prima terretur; & primâ deterritâ, nec secunda committitur, quà & aliàs facilior timor talionis, per eundem saporem passionis. Nihil amarius quàm idipsum pati, quod feceris aliis.

a Leuit. 24. 20.
b Deut. 32. 35.

LEX VETVS. 5. SCHOL.

LEGIS BONA. *Fructum ex talionis lege prodeuntem, cuius metu ab inferenda proximis iniuria homines coërcentur.* HÆRESIS CONCVPIIT. *Marcionitarum scilicet, qui cum maximè legi veteri aduersentur, tanquam seueræ & crudeli, postulant à nobis vt eam à nimij rigoris nota defendamus, cùm talionis legem indixit.* IN TOTVM PROSPICIT. *Tantum abest vt lex talionis sapiat licentiam reciprocandæ contra inuicem iniuriæ, quin potius prouidet absolutè, ne quis omnino proximum lædat, intentata pœna simili ineuitabiliter subeunda, si quem læseris.* DEFENSAM *vindictam.* INTERIM. *Dum Deus moratur & differt vindictam sumere, vt se sumpturum promisit per Prophetam Moysem, de quo pluries alibi diximus.* STATIM OCCVRSVRÆ, *statim rependendæ ex lege talionis.* REPASTINARETVR, *statim in terra defoderetur, & sepeliretur primò concepta voluntas iniuriæ proximo inferendæ. Vox sumpta ab agricultura, cuius instrumentum fodiendæ terræ aptum dicitur* repastina: *vt dum ex lege veteri licebat retribuere iniuriam, eo ipso iniuria prohiberetur inferri:* QVIA ET ALIAS. *Præterea aliunde facilius suadetur timenda lex talionis, & metus retributionis eiusdem iniuriæ incutitur, dum quisque sapit, id est concipit, ex proprio sensu doloris, similem non esse alteri inferendum quem sibi ipsi certo scit eadem*

lege fore rependendum. Tantò enim amarius est idipsum perpeti, quò dulcius fuit suæ satisfaciendo libidini, alterum pati. Cùm jam sæpius de lege talionis & vindicta non sumenda dixerimus, paucula nunc ex Augustino referam, ne sim lectori onerosus. Sic itaque to. 6. lib. 19.
S. Aug. *Contra Faustum cap. 25.* Illud, inquit, quod antiquis dictum est, oculum pro oculo, &c. Quomodo contrarium habet quod ait Dominus, ego autem dico vobis non resistere malo: sed si quis percusserit te in maxillam tuam dexteram &c. Quandoquidem & illud antiquum ad reprimendas flammas odiorum, sæuientiumque immoderatos animos refrenandos, ita præceptum est. Quis enim tantumdē facilè contentus est rependere vindictæ, quantum accepit injuriæ? Nonne videmus homines leuiter læsos moliri cædem, sitire sanguinem, vixque inuenire in malis inimici, vnde satientur? quis pugno percussus, non aut judicia concitat in damnationē eius qui percusserit, aut si ipse repercutere velit, totum hominem, si non etiam telo aliquo accepto, pugnis calcibusque contundit? huic igitur immoderatæ, ac periniustæ vltioni, lex justum modum figens, pœnam talionis instituit: hoc est vt qualem quisque intulit iniuriam, tale supplicium pendat. Proinde oculum pro oculo, dentem pro dente, non fomes, sed limes furoris est: Non vt id quod sopitum erat hinc accenderetur, sed ne id quod ardebat, vltra extenderetur. Imposita est enim quædam justa vindicta, justéque debetur ei A qui passus fuerit iniuriam. Vnde vtique cùm ignoscimus, de nostro quodămodo jure largimur. Vnde etiam debita dicuntur, quæ in oratione Dominica humanitus dimittere monemur, vt & nobis nostra diuinitus dimittantur. Quod autem debetur, & si benignè dimittitur, non tamen iniquè repetitur: sed sicut in jurando, etiam qui verum jurat, propinquat periurio, vnde longè abest qui omnino non jurat: & quamuis non peccet qui verum jurat, remotior tamen a peccato est, qui non jurat: vnde admonitio non jurandi, conseruatio est à peccato periurij: Ita cùm peccet qui per immoderationem iniustè vult vindicari, non peccet autem qui modum adhibens justè vult vindicari, remotior est à peccato iniustæ B vindictę qui non vult omnino vindicari. Peccat enim qui exigit vltra debitum, non peccat autem qui exigit debitum: sed tutior longè est a peccato iniusti exactoris, qui omnino non exigit debitum, præsertim ne cogatur & ipse reddere debitum, ab eo qui nullum habet debitum, &c. *Deinde concludit juxta Tertullianum loquentem de durissimo & infideli populo Iudæorum:* S. Aug. Duro, inquit, populo modus prius adhibendus fuit, quo discerent non egredi debitum: vt edomita ira, quæ ad immoderatam vindictam rapit, jam qui vellet, tranquillus attenderet quid ipse deberet, quod sibi relaxari, à Domino cuperet; vt hac consideratione conseruo debitum relaxaret.

6. Lex vetus, animalia in Creatione benedicta, quædam tamen immunda censuit & vetuit comedi, ad cultum abstinentiæ, pœnam Gulæ, frænum luxuriæ. 2. cont. Marc. cap. 18. in m.

Deut. 14. 3. & seq. Gen. 1. 22. & 24. Psal. 77. 29. Num. 11. 5. a Exo. 32. 6.

ET si lex aliquid cibis detrahit, & immunda pronuntiat animalia, quæ aliquando benedicta sunt, consilium exercendæ continentiæ intellige, & frenos impositos illi gulæ agnosce, quæ quum panem ederet angelorum, cucumeres & pepones Ægyptiorum desiderabat. Agnosce simul & comitibus gulæ, libidini scilicet atque luxuriæ prospectum, quæ ferè ventris castigatione frigescunt. [a] *Manducauerat enim populus, & biberat, & surrexerat ludere.* Proinde vt & pecuniæ ardor restingueretur ex parte, qua de victus necessitate causatur, pretiosorum ciborum ambitio detracta est. Postremò, vt facilius homo ad jeiunandum, Deo formaretur, paucis & non gloriosis escis assuefactus, & nihil de lautioribus esuriturus. Reprehendendus sanè Creator, quòd cibos potius populo suo abstulit, quàm ingratioribus Marcionitis.

LEX VETVS. 6. SCHOL.

ET SI LEX. *Quamuis lex vetus interdixerit vsum aliquorum ciborum, & animalia olim benedicta in sua creatione, vt immunda quædam tam à sacrificio, quàm ab esu humano arceat, non ea prohibet tanquam mala, sed ad temperantiam exercendam & frenandam gulam Hebræorum, qui cùm ad Manna nausearent, cæpas & allia Ægypti suspirabant.* FRIGESCVNT. *Sicut fertur adagio:* sine Cerere & Baccho, friget Venus. REPREHENDENDVS. *Ironicè dicta. Sic rides Marcionem arguentem Deum Creatorem, quòd suo populo vsum tot ciborum abstulerit, quos potius detrahere debuerat Marcionitis, maiori ingratitudine notatis circa Deum ciborum omnium authorem, quem ipsi blasphemant, cùm de tot bonis ei gratias agere deberent. Toties de animalibus mundis & immundis, & de frenanda gula per abstinentiam & ieiunium, tractauimus, vt pigeat hic plura superaddere. Legem interim bonam aduerto, cibos excipientem plurimos, adeò vt cum Paulo concludam Rom. 7. 12.* Itaque lex quidem sancta & mandatum sanctum, & justum & bonum. *Sanctum quidem quòd à Deo sancto latum est, in finem sanctitatis, & castimoniæ facilius colendæ, edomitā per abstinentiam carne; justum, vt impositum ad satisfactionem pro peccato gulæ, & bonum ex omni parte. Iuxta eundem Paulum,* bonum est homini
S. Aug. non manducare carnem. *Augustinus to. 1. lib. de moribus Manichæorum cap. 13. rides Manichæorum abstinen-* C *tiam.* Possunt, inquit, Catholici Christiani vestram à vino & carnibus abstinentiam jumentis, & multis passeribus, postremò etiam innumerabilibus generibus vermium comparare. Sed ne in vestram incidam temeritatem, *qua paulò supra dixerat: soletis & vos, cum Catholicarum vobis virginum multitudo prædicatur, dicere, etiam mula virgo est. Temerè id quidem, propter imperitiam Catholicæ disciplinæ: sed tamen significantes vanam esse continentiam istam, nisi ad aliquem rectissimum finem certa ratione referatur.* Non id præ- S. Aug. properè faciam, sed discutiam primò, quo ista fine faciatis, &c. Si ergo parsimoniæ gratia & coercendæ libidinis, qua escis talibus & potu delectamur & capimur, audio & probo *& capite 14. vbi citat* D *locum Apostoli:* Bonum est fratres non manducare carnem, neque bibere vinum. *Quem cum ipsi Manichæi obiicerent, sic respondet* S. Aug. Quasi verò quisquam nostrûm id bonum neget: sed aut eo fine quem superius commemoraui, secundùm quem dicitur, & carnis curam ne feceritis in concupiscentiis: aut eis quos rursus idem Paulus ostendit, id est aut refrænandæ gulæ causa, quæ his rebus solet rabidius immoderatiusque raptari: aut ne frater offendatur: aut ab infirmis idolio communicetur: eo enim tempore quo hæc scribebat Apostolus, multa immolatitia caro in macello vendebatur. Et quia vino etiam

libabatur diis Gentium, multi fratres infirmiores *scrupulosi* qui etiam rebus his venalibus vtebantur, penitus à carnibus se & vino cohibere maluerunt, quam vel nescientes incidere in eam quam putabant cum idolis communicationem. Propter hos autem, etiam ij qui firmiores erant, & hæc maiori fide *conscientia fortiori & solidiori* contemnenda judicarant, scientes nihil immundum esse, nisi per malam conscientiam, tenentesque illam Domini sententiam, non quod intrat in os vestrum vos coinquinat, sed quod exit: tamen propter hos infirmiores, ne offenderentur, ab his rebus abstinere debebant.

7. Lex Vetus, Sacrificiorum varietate populum ad Idola pronum coërcuit, ceremoniis rudem poliuit, & in Dei præsentia retinuit, totaque Prophetica & Sancta ad omnem virtutem excitauit. 2. cont. Marc. cap. 18. in f. & 29. per totum.

SAcrificiorum quoque onera, & operationum, & oblationum negotiosas scrupulosita- Leuit.1.1.
tes nemo reprehendat, quasi Deus talia sibi propriè desiderauerit, qui tam manifestè Leuit.2.2.
exclamat, [a] *Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum? Et quis exquisiuit ista de manibus* & seq.
vestris? sed illam Dei industriam sentiat, qua populum pronum in idololatriam & trans- a Esa.1.11.
gressionem, eiusmodi officiis religioni suæ voluit adstringere, quibus superstitio seculi age-
batur, vt ab ea auocaret illos, sibi jubens fieri quasi desideranti, ne simulacris faciendis delin-
queret. Sed & in ipsis commerciis vitæ & conuersationis humanæ domi ac foris, adusque Cap. 19.
curam vasculorum omnifariam distinxit, vt istis legalibus disciplinis occurrentibus vbique, Math. 23.
ne vllo momento vacarent à Dei respectu. Quid enim faceret beatum hominem, [b] *quàm in* 25.
lege Domini voluntas eius? & in lege Domini meditabitur die ac nocte. Quam legem non duritia b Psal.1.2.
promulgauit auctoris, sed ratio summæ benignitatis, populi potius duritiam edomantis, &
rudem obsequio fidem operosis officiis dedolantis: vt nihil de arcanis attingam significan-
tis legis, spiritalis scilicet & propheticæ, & in omnibus pene argumentis figuratæ. Sufficit
enim in præsenti, si simpliciter hominem Deo obligabat, vt nemo eam reprobare debeat,
nisi cui non placet Deo deseruire. Ad hoc beneficium, non onus legis adiuuandum, etiam
Prophetas eadem bonitas Dei ordinauit, docentes Deo digna; [c] *Auferre nequitias de anima,* c Esa.1.16.
discere benefacere, exquirere judicium, judicare pupillo, & justificare viduam, diligere quæstiones, fu- d Esa. 58.
gere improborum contactum, dimittere conflictam in integram, dissipare scripturam iniustam, [d] *infringere* 7.
gere panem esurienti, & tectum non habentem inducere in domum tuam; nudum si videris, contegere, e Psal. 33.
& domesticos seminis tui non despicere; [e] *compescere linguam à malo, & labia ne loquantur dolum;* 13.
declinare à malo, & facere bonum; quærere pacem, & sectari eam; [f] *irasci, & non delinquere,* id f Psal.4.5.
est, in ira non perseuerare, siue sæuire; [g] *non abire in concilium impiorum, nec stare in via pec-* g Psal.1.1.
catorum, nec in cathedra pestilentium sedere. Sed vbi? [h] *Vide quàm bonum & quàm jucundum ha-* h Psal.132. 1.
bitare fratres in vnum, [i] *meditantes die ac nocte in lege Domini;* [k] *Quia bonum scilicet fidere in Do-* i Psal.1.1.
minum, quàm fidere in hominem; & sperare in Dominum, quàm sperare in principes. Qualis enim k Psal.117.
apud Deum merces homini? [l] *Et erit tanquam lignum quod plantatum est juxta exitus aquarum,* 8.
quod fructum suum dabit in tempore suo; & folium eius non decidet; & omnia quæcunque faciet pro- l Psal.1.3.
sperabuntur illi. [m] *Innocens autem & purus corde, qui non accepit in vanum nomen Dei, & non ju-* m Psal.23.
rauit ad proximum suum in dolo: iste accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo sa- 4. n Psal.32.
lutificatore suo. Oculi enim [n] *Domini super timentes eum, sperantes in misericordiam ipsius, ad elibe-* 18.
randas animas eorum de morte, vtique æterna, *& nutricandos eos in fame,* vtique vitæ æternæ. o Psal. 33.
[o] *Multa* enim *pressura justorum, & ex omnibus liberabit eos Dominus.* [p] *Honorabilis mors in conspe-* 19.
ctu Domini sanctorum eius. [q] *Dominus custodit omnia ossa eorum: vnum ex ipsis non comminuetur.* p Psal.115.
Redimet Dominus animas seruorum suorum. Pauca ista de tantis scripturis Creatoris intulimus, 5.
& nihil puto jam ad testimonium Dei optimi deest, quod satis & præcepta bonitatis, & q Psal. [illegible].
promissa consignant. 20.

LEX VETVS. 7. SCHOL.

ONERA. *Propter eorum diuersitatem & multitudinem.* OPERATIONVM, *vel à quibus cessare debebant, vel quas exercere tenebantur.* NEMO REPREHENDAT, *sicut hæc omnia arguunt Marcionitæ, quasi his Deus propriè fuerit delectatus: nec enim his indiget cuius sunt omnia, sed ideo hæc pronis in idololatriam Iudæis indixit, vt dum perpetuò circa Dei cultum occupati essent, & soliciti, etiam cum scrupulo, ob metum pœnæ si horum aliquid neglexissent, eos ab idolorum cultu reuocaret.* SVPERSTITIO SÆCVLI. *Idololatria gentium* ADVSQVE CVRAM VASCVLORVM, *quæ tot ablutionibus purificari debebant.* VT NIHIL DE ARCANIS. *Vt taceam mysteria legis veteris, noua mysteria figurantis.* DEO OBLIGABAT. *Vnde & lex à ligando dicta.* NON ONVS. *Non ad onus legis cumulandum, & aggrauandum, sed ad subleuandum potius, Deus in veteri lege Prophetas instituit tanquam prædicatores, ad informandos Iudæorum mores, vitia compescenda, docendasque virtutes.* DILIGERE QVÆSTIONES; *id est interrogantes & consulentes se non respuere, sed cum dilectione audire, & pupillo & viduæ gratis consulere. Seu vt alij legunt,* dirigere quæstiones, *id est libellos supplices principi vel judici præsentandos præscribere. Cæterum licet hæc verba in nulla versione legantur, aptè tamen pupilli & viduæ commendationi subiunguntur, locus porro Esaiæ sic habet cap. 1. 11. & seq.* Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum dicit Dominus? plenus sum: holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorũ, & agnorum & hircorum nolui. Cùm veniretis ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris, vt ambularetis in atriis meis? 70. *Parum differunt, nisi in his:* plenus sum holocaustis arietum. *Id est, satur, ad fastidium. Sed vulgata significantius:* Plenus sum. *Quasi Sadai, id est sufficiens mihi: plenus*

bonis, nullius indigens. Versu autem 16. sic prosequitur: Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruersè. 70. *à malitiis vestris* discite benefacere: quærite judicium, subuenite oppresso, judicate pupillo, defendite 70. *Iustificate* viduam, & venite & arguite me dicit Dominus. FVGERE CONTACTVM. Immundum ne attigeritis. DIMITTERE CONFLICTAM. *Esa.* 58. 6. Solue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt, liberos, & omne onus dirumpe. 70. *Dissolue obligationes violentorum contractuum. Dimitte fractos in remissionem: & omnem scripturam iniquam conscinde*, frange esurienti panem tuum, &c. COMPESCERE LINGVAM, prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diuerte à malo, & fac bonum, inquire pacē & persequere eam. NON ABIRE. Beatus vir qui non abiit in consilio impiorū, &c. VIDE QVAM BONVM. Ecce quàm bonum, &c. QVIA BONVM, *&c. Psal.* 117. 8. Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus. IVXTA EXITVS, secus decursus aquarum. PVRVS CORDE. Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, &c. OCVLI DOMINI *Psal.* 32. 18. Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius. Vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame PRESSVRÆ. Multæ tribulationes justorum. HONORABILIS. *Pretiosa.* NON COMMINVETVR. *Non conteretur.* DEI OPTIMI. *Quidquid blasphemet Marcion, Deum Creatorem malum asserens.* PRÆCEPTA BONITATIS. *Ad virtutis bonum exhortantia.* PROMISSA, *merces bonorum operum.* CONSIGNANT *simul subscribunt summa bonitatis Creatoris. Duo summatim hic videnda sunt quibus totus textus nititur, quo probat legis veteris bonitatem: in sacrificiis quidem, quibus populum ad idola pronum in vnius Dei cultu occuparet, de quo dicta à nobis alibi lector quæret. De bonitate legis bona & justa præcipientis, & significantis, & promittentis hæc subiicio. Aug. sic bonam tuetur legem Ser. 4. de Verb. Apost. circa finem* Videte charissimi videte etiam atque etiam Paulum Apostolum contra furorem Manichæorum, *dicamus & nos Marcionitarum* esse legis diuinæ apertissimum laudatorem. Videte quid adjungat: itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum & bonum. Numquid vberius laudari potest? Paulò ante verbo illo quod dixit, absit, defenderat a crimine, non laudauerat. Aliud est à crimine obiecto defendere: aliud debito præconio prædicare. Crimen obiectum fuit; quid ergo dicimus? lex peccatum est? Absit. Vno verbo defenditur veritas, quia magna est Apostoli defendentis authoritas. Quid diu defendat? sufficit, absit. An vultis, inquit, experimentum accipere eius qui in me loquitur Christus? 2. Cor. 13. modo autem: itaque lex quidem Sancta, & mandatum Sanctum & justum & bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit, quia bonum non est mors. Sed peccatum vt appareat peccatum, per bonū *id est per legem prohibentem peccatum, quale est istud à Tertulliano citatum, quod summatim omnia præcepta tam positiua de cultu & amore Dei & proximi, quam negatiua in se colligit, declina à malo, & fac bonum, &c.* operatum est mihi mortem. Mors non

S. Aug.

A est lex. *Dedit ei legem vitæ & disciplinæ.* Sed peccatum est mors. Iam dudum autem dixerat, sine lege, peccatum mortuum est. Vbi vos ad monuerā, quia, mortuum est, dixit, absconditum latet, non apparet. Modo videte quam verè ita dictū sit, peccatum, inquit, vt appareat peccatum. Non dixit, vt sit: quia erat, & quando non apparebat. Peccatum vt appareat peccatum. Quid est vt appareat peccatum? quia concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces. Non ait, concupiscentiam non habebam: sed, concupiscentiam nesciebam. Sic etiam hîc non ait, vt sit peccatum, sed vt appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem. Quam mortem? vt fiat supra modum peccator, aut peccatum per mandatum. Quare supra modum? quia jam & præuaricatio. *Vnde & supra modum contra fidem*

B *vnius Dei, & supra modum contra præcepta moralia peccauerunt Iudæi, accepta lege justa, & sancta & bona, quæ sacrificium vni Deo deberi, & declinare à malo & facere bonum per legem datam Moysi, & præcepta ceremonialia & moralia, perque tot prædicatorum & Prophetarum documenta didicerunt. De multis Sacrificiis vnicum Corporis Christi significantibus idem Sanctissimus Doctor. lib. 10. de Ciuit. cap. 20.* Huius, inquit, veri sacrificij multiplicia variaque signa erant Sacrificia prisca Sanctorum, cùm hoc vnum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res vna diceretur, vt sine fastidio *vide alteram Dei bonitatem, per varietatem oblationum populi sui tædium subleuantem*, multum commendaretur. huic summo veroque sacrificio, cuncta sacrificia falsa cesserunt. *Et lib. 20. cont. Faust. cap. 18.* Hebræi in victimis pecorum quæ of-

S. Aug.

S. Aug.

C ferebant Deo, multis & variis modis sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrarunt futuræ victimæ, quam Christus obtulit. Vnde jam Christiani peracti eiusdem Sacrificij memoriam celebrant, Sacrosancta oblatione, & participatione Corporis Christi & Sanguinis. *Rectè ad mentem Tertulliani, vbi agit*, de arcanis significantis legis, spiritalis scilicet & Propheticæ, & in omnibus penè argumentis figuratæ. *Idem Aug. lib. 7. de Ciuit. cap. 32.* Hoc, inquit, mysterium vitæ æternæ, jam inde ab exordio generis humani per quædam signa & sacramenta temporibus congrua, quibus oportuit, per Angelos prædicatum est. *sicut ex Paulo & lex Moysi data est in dispositione Angelorum.* Deinde populus Hebræus in vnam quandam rempublicā, quæ hoc Sacramentum ageret, congregatus est; vbi per quosdā scientes

S. Aug.

D tes *Prophetas dictos videntes* per quosdam nescientes, id quod ex aduentu Christi vsque nunc, & deinceps agitur, prænuntiaretur esse venturum: sparsa etiam pòst eadem gente per gentes propter testimonium Scripturarum, quibus æterna salus in Christo futura prædicta est. Omnes enim non solum prophetiæ quæ in verbis sunt; nec tantum præcepta vitæ, quæ mores pietatemque conformant *fidei scilicet Dei optimi* atque illis literis continentur: verū etiam Sacra, Sacerdotia, Tabernaculum, siue templum, Altaria, Sacrificia, Ceremoniæ, dies festi, & quidquid aliud ad eum seruitutem pertinet, quæ Deo debetur, & Græcè propriè Latria dicitur, ea significauerunt, & prænuntiauerunt, quæ propter æternam vitam fidelium in Christo, & impleta credimus, & implenda confidimus.

LEGIS VETERIS ABROGATIO.

1. *Legis veteris Sacramenta & Ceremoniæ jam non obligant, vt nec ante datam, primos Patres obligabant. cont. Iud. cap. 2. in f. & 3. in p.*

QVi contendit & sabbatum adhuc obseruandum quasi salutis medelam, & circuncisionem octaui diei propter mortis comminationem; doceat in præteritum justos sabbatizasse,

tizasse, aut circuncidisse, & sic amicos Dei effectos. Nam si circuncisio purgat hominem,
Deus Adam incircuncisum cum faceret, cur eum non circuncidit, vel posteaquam deli- Gen. 3. 6.
quit, si purgat circuncisio? Certè in paradiso constituens eum incircuncisum, colonum
paradisi præfecit. Igitur cùm neque circuncisum, neque sabbatizantem Deus Adam insti-
tuerit; consequenter quoque sobolem eius Abel offerentem sibi sacrificia, incircuncisum, Gen. 4. 4.
nec sabbatizantem laudauit, accepto ferens quæ offerebat in simplicitate cordis, & repro-
bans sacrificium fratris eius Caïn, qui quod offerebat, non rectè diuidebat. Noë quoque Gen. 6. 8.
incircuncisum Deus, sed & non sabbatizantem de diluuio liberauit. nam & Enoch justissi- Gen. 5. 24.
mum non circuncisum, nec sabbatizantem de hoc mundo transtulit, qui necdum mortem
gustauit, vt æternitatis candidatus, jam nobis ostenderet, nos quoque sine legis onere,
Moysi Deo posse placere. Melchisedech quoque summi Dei sacerdos incircuncisus, & non Gen. 14.
sabbatizans, ad sacerdotium Dei allectus est. Probat & Loth frater Abrahæ, quod pro 18.
meritis justitiæ sine legis obseruatione de Sodomitarum incendio sit liberatus. Sed Abra- Gen. 19.
ham, inquit, circuncisus est. Sed antè Deo placuit quàm circuncideretur, nec tamen sab- 16.
batizauit Acceperat enim circuncisionem, sed quæ esset in signum temporis illius, non in Cap. 3.
salutis prærogatiuam. Denique sequentes Patriarchæ incircuncisi fuerunt, vt Melchise- Gen. 17. 2. 4. & 5.
dech, qui ipsi Abrahæ jam circunciso, reuertenti de prœlio, panem & vinum obtulit in- Gen. 14.
circuncisus. 18.

LEGIS VETERIS ABROGATIO. 1. SCHOL.

QVI CONTENDIT. *Si Iudæus etiamnum disputat, post impletam à Christo legem, & Circumcisionem cordis, Circumcisioni carnis, & Sabbatum mentis, cessationemque ab opere seruili peccati, Sabbato veteri subrogata, adhuc ceremonias & Sacramenta legis obseruanda; probet ante, prioribus temporibus, & in lege naturæ veteres Patres Circumcisionem & Sabbatum obseruasse.* ACCEPTO FERENS, *approbans & acceptans.* NON RECTE DIVIDEBAT. *Iuxta* 70. Si rectè offeras, & non rectè diuidas, peccasti. ÆTERNITATIS CANDIDATVS. *Quasi tyrocinium agens, & ediscens immortalitatem, qui post translationem in paradisum tot sæculis adhuc superstes viuit.* SED ABRAHAM INQVIT. *Iudæus scilicet, obiicit nobis Abraham circumcisum.* IN SIGNVM TEMPORIS. *Quo tunc populus fidelis à Gentili discerneretur.* NON IN SALVTIS PRÆROGATIVAM. *Quasi diceret. Abraham quidem circumcisum fatemur, sed negamus Circumcisionem prius illi salutem erogasse quàm crederet, cum antequam circuncideretur, de eo scriptum sit.* Credidit Abraham Deo & reputatum est ei ad justitiam. *Non tamen negat Tertullianus Circumcisionem remedium fuisse peccati originalis, licet non ex opere operato* quod proprium est Sacramenti nouæ legis *sed ex opere operantis gratiam conferret.* SEQVENTES PATRIARCHÆ. *Non quidem Hebræi, sed Gentiles, qualis Melchisedech, Iob, &c. August. to. 6. lib. 19. contra Faustum cap. 20. Patres Moysem & Abraham præcedentes, ante legem justos fuisse probat & à peccatis per legem vetitis abstinuisse.* Ab his, inquit, quæro verum illi antiqui
S. Aug. justi, Enoch & Seth: hos enim potissimum Faustus commemorat, & si qui alij non solum ante Moysem, sed & si qui ante Abraham fuerunt, irati sint fratri sine causa, aut dixerunt, fratri, fatue, &c. An ignorabant illi justi frenandam esse iracundiam nec petulanti conuitio fratrem esse lacessendum: aut nouerant quidem, sed ab his se abstinere non poterant? Ergo rei erant gehennæ: quomodo igitur justi? profectò enim nec imperitam rerum ad suum officium pertinentium; nec intemperantem audes dicere eorum fuisse justitiam; in tantum vt eos faceret reos gehennæ, &c. An fortè lex non mœchandi apud illos justos antiquos semiplena erat, donec à Domino adimpleretur, addente, ne quis ad concupiscendum videat mulierem? &c. Itane verò illi justi Seth, vel Enoch, vel si qui eis similes fuerunt, mœchabantur in cordibus suis, & aut non erat cor eorum templum Dei, aut mœchabantur in templo Dei? Quod si non audes dicere quomodo etiam de hac re, legem illorum, quæ apud illos jam tunc plena erat, modo veniens Christus impleuit? *& in Psal. 104. in versum,* Memor fuit in sæculum testamenti sui, verbi quod mandaui in mille Generationes, quod disposuit ad Abraham, & juramenti sui ad Isaac. Et statuit illud Iacob in præceptum, & Israel in testamentum æternum; dicens, tibi dabo terram Chanaam. *Quo loco gloriosi ne exultarent Iudæi, quasi lex vetus, eiusque Sacramenta nusquam abroganda forent, sic eos comprimit.* Quomodo, inquit, intelligendum est æternum, cum (S. Aug.) terrena illa hæreditas æterna esse non possit? Et ideo vetus testamentum vocatur, quia per nouum aboletur. Mille verò generationes, nec æternum videntur aliquid significare, quia vtique finem habent, &c. Quæ sunt istæ mille generationes, non solum à tempore Abrahã quando ei facta est ista promissio, vsque ad tempus noui Testamenti; sed ab ipso Adã, vsque ad terminũ sæculi. Quis enim audeat dicere, quindecim annorum millibus hoc sæculum extendi? proinde mihi videtur non hîc vetus testamentum intelligendum, quod nouo esset tollendum. *Sed testamentum fidei & justitiæ Abrahæ, quam & eius ab Adam prædecessores justi, & post eum etiam Gentiles vsque ad consummationem sæculi seruaturi erant, sicut hic notauit Tertullianus.* Dicitur per Prophetam ecce dies veniunt, dicit Dominus, & confirmabo domum Iacob in testamentum nouum: non secundum testamentum quod constitui patribus eorum, cum eduxissem eos de terra Ægypti. Sed testamentum fidei quod laudat Apostolus, cum Abraham, nobis proponit imitandum, & de legis operibus *quorum præcipua sunt Circumcisio & Sabbatum* gloriantes inde conuincit: quod Abraham etiam ante Circumcisionem credidit Deo, & reputatum est illi ad justitiam. Denique cum dixisset, memor fuit in sæculum testamenti sui, quod in æternum intelligere debemus, testamenti scilicet justificationis, & hæreditatis æternæ, quam fidei promisit Deus; verbi inquit quod mandauit in mille generationes; quid est mandauit? quod enim ait, tibi dabo terrã Chanaam, non mandatum est, sed promissum, mandatum est autẽ, quod facere debemus, promissum quod accipere. Mandatum ergo fides est, vt justus ex fide viuat. Et huic fidei hæreditas æterna promittitur. Mille ergo generationes, propter numeri perfectionem, pro omnibus intelligendæ sunt, id est quandiu generatio generationi sequendo succedit, tandiu mandatum est, viuendum ex fide. Quod obseruat populus Dei, filij promissionis, nascendo venientes, & moriendo abeuntes, donec omnis generatio finiatur, &c. *Tam*

de illis tribus patribus: Ipſi, inquit, ſunt tres Patriarchæ, quorum ſpecialiter ſe dicit Deum: quos & Dominus nominat in Teſtamento nouo, vbi dicit, *de Incircumciſis, & non Sabbatizantibus:* multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno Cœlorum. Ita eſt hæreditas æterna, &c. Si enim opus eſt in præcepto, merces in promiſſo. *Et to. 6. libro 22. contra Fauſtum, cap.* 6. De præceptis & Sacramentis veteris Teſtamenti ſæpè ac multa jam diximus, vt intelligeretur aliud ibi fuiſſe, quod per gratiam Noui Teſtamenti faciendo donaretur implendum: aliud quod per veritatem patefactam remouendo demonſtraretur impletum: cùm Dei & proximi dilectione ſuſciperetur legis perficienda præceptio: *vnum Deum colendo, & Sabbatum mentis, ceſſando à peccatis in Deum & proximum.* Circumciſionis autem, atque aliorum illius temporis Sacramentorum ceſſatione, oſtenderetur legis perſoluta promiſſio. Præceptum quippe reos faciebat ad deſiderandã ſalutem, promiſſum autem figuras celebrabat ad expectandum Saluatorem: vt per aduentum noui teſtamenti, illos liberaret gratia donata, illas auferret, veritas reddita. *Quia promiſſa.* Ipſa enim lex per Moyſem data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Gratia ſcilicet, vt data indulgentia peccatorum, quod præceptum erat, ex Dei dono cuſtodiretur: veritas autem, vt ablata obſeruatione vmbrarum, quod promiſſum erat ex Dei fide præſentaretur. *Per fidem, vel fidelitatem Dei in* A *ſuis promiſſis præſtandis, vel fidem Chriſtianorum intellige, vel veterum Patrum Dei promiſſis credentium vt & in Chriſtum venturum.* IPSI ABRAHÆ OBTVLIT. *Nullibi textus dixit ipſi Abrahæ obtuliſſe ſiue protuliſſe panem. Nec enim alteri quàm Deo offerri debet Sacrificium. Quinimo Melchiſedech, tanquam major & Sacerdos, Abrahæ velut minori benedixit: & decimas ex omnibus ſpoliis Regum quos ſuperauerat Abraham, Melchiſedech accepit. Sic enim vulgata Gen. 14. 18.* At verò Melchiſedech Rex Salem proferens panem & vinum: erat enim Sacerdos Dei altiſſimi, benedixit ei, & ait: benedictus Abram Deo excelſo qui creauit Cœlum & terram; & benedictus Deus excelſus, quo protegente, hoſtes in manibus tuis ſunt. Et dedit ei decimas ex omnibus. *Sept. Expreſſius quam Hebræa &* B *Chald.* Et dedit ei Abram decimam de omnibus. *Quod & confirmat Hebr. 7. 1. & ſequentibus:* hic enim Melchiſedech Rex Salem Sacerdos Dei ſummi, qui obuiauit Abrahæ regreſſo à cæde Regum, & benedixit ei: cui & decimas omnium diuiſit Abraham, &c. Decimas ſumpſit ab Abraham, & hunc qui habebat repromiſſiones benedixit. Sine vlla autem contradictione, quod minus eſt, à meliore benedicitur. *Non infitior tamen in verbis Geneſis poſſe ſubintelligi, de oblato Pane & Vino, Deo, Melchiſedech offerre, ſeu proferre potuiſſe Abrahæ vt comederet; ſicut & poſtea Abimelech panes propoſitionis dedit Dauid in eſcam, cùm non haberet tunc laïcos & communes panes.*

2. Legis veteris abrogatio, & noua inſtitutio prophetata. Et noua, contra veteres ceremonias à Paulo defenſa, eumdem Deum vtriuſque probat, de quo nulla vnquam diſputatio.
1. cont. Marc. cap. 20. à p. ad. f. & 21. in p.

SI feruenter, vt adhuc neophytus, aduerſus Iudaïſmum aliquid in conuerſatione reprehendendum exiſtimauit, paſſiuum ſcilicet conuictum, poſtmodum & ipſe vſu omnibus
a 1. Cor. omnia futurus, [a] *vt omnes lucraretur, Iudæis quaſi Iudæus, & eis qui ſub lege, tanquam ſub lege:*
9. 20. tu illam ſolius conuerſationis, placituræ poſtea accuſatori ſuo, reprehenſionem, ſuſpectam
vis haberi, etiam de prædicationis erga Deum præuaricatione. Atquin de prædicationis vni-
b Gal. 2. 9. tate, quod ſuprà legimus, [b] *dexteras junxerant*, & ipſa officij diſtributione, de Euangelij ſo-
c 1. Cor. cietate condixerant: ſicut & alibi, [c] *Siue ego*, inquit, *ſiue illi, ſic prædicamus.* Sed etſi quoſ-
15. 11. dam falſos fratres irrepſiſſe deſcripſit, qui vellent Galatas ad aliud Euangelium transferre,
Gal. 1. 6. ipſe demonſtrat adulterium illud Euangelij, non ad alterius Dei & Chriſti fidem transferen-
Gal. 5. 2. dam, ſed ad diſciplinam Legis conſeruandam, habuiſſe intentionem, reprehendens ſcilicet
Gal. 4. 10. illos circumciſionem vindicantes; & obſeruantes tempora, & dies, & menſes, annos Iudaï-
carum cæremoniarum, quas jam excluſas agnouiſſe debuerant, ſecundùm innouatam diſpo-
d Eſa. 43. ſitionem Creatoris, olim de hoc ipſo prædicantis per Prophetas ſuos. vt per Eſaïam: [d] *Ve-*
19. *terà tranſierunt*, inquit; *ecce noua quæ ego nunc facio.* & alibi: [e] *Et diſponam teſtamentum, non*
e Ierem. *quale diſpoſui ad patres veſtros, cùm illos eduxiſſem de terra Ægypti.* Sic & per Hieremiam:
31. 31. [f] *Renouate vobis nouamen nouum, & circumcidimini Deo veſtro, & circumcidimini præputia cordis*
f Ierem. *veſtri.* Hanc ergo circumciſionem jam ſiſtens Apoſtolus, & hoc nouamen, illas quoque
4. 4. Gal. 5. 1. vetuſtates cæremoniarum diſſuadebat, de quibus idem conditor earum quandoque ceſſa-
& 2. turis profitebatur, per Oſee: [g] *Et auertam omnes jocunditates eius, & dies feſtos eius, & neome-*
g Oſeæ 2. *nias, & ſabbata, & omnes cæremonias eius.* Sic enim & per Eſaïam: [h] *Neomenias veſtras, &*
21. *ſabbata, & diem magnum non ſuſtineo: ferias & jeiunium, & dies feſtos veſtros odit anima mea.*
h Eſa. 1. Quod ſi & Creator omnia hæc jampridem recuſauerat, & Apoſtolus ea jam recuſanda
14. Gal. 1. 6. pronuntiabat, ipſa ſententia Apoſtoli conſentanea decretis Creatoris, probat non alium
Deum ab Apoſtolo prædicatum, quàm cuius decreta cupiebat jam agnoſci; falſos & Apo-
ſtolos & fratres notans in hac cauſa, qui Euangelium Chriſti Creatoris transferrent, à no-
CAP. 21. uitate prænuntiata à Creatore, ad vetuſtatem recuſatam à Creatore. Ceterum, ſi quaſi no-
uum Deum prædicans, veteris Dei legem cupiebat excludere, quare de Deo quidem nouo
nihil præſcribit, ſed de vetere lege ſolummodo? niſi quoniam fide manente in Creatorem,
i Pſal. 2. ſola lex eius conceſſare debebat? vt & Pſalmus ille præcecinerat: [i] *Diſrumpamus à nobis vin-*
3. *cula eorum, & abjiciamus eorum jugum à nobis:* Ex quo ſcilicet *tumultuatæ ſunt gentes, & populi*
meditati ſunt inania: adſtiterunt reges terræ, & magiſtratus conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Et vtique ſi alius Deus prædicaretur à Paulo, nulla diſceptatio eſſet ſeruandæ legis, necne, non pertinentis ſcilicet ad Dominum nouum, & æmulum

legis. Ipsa enim Dei nouitas atque diuersitas abstulisset non modo quæstionem veteris & alienæ legis, verùm omnem eius mentionem. Sed hîc erat totus status quæstionis, quod cùm idem Deus legis in Christo prædicaretur, legi eius derogaretur. Stabat igitur fides semper in Creatore, & Christo eius; sed conuersatio & disciplina nutabat. Nam & alij de idolothyto edendo, alij de mulierum velamento, alij de nuptiis vel repudiis, nonnulli & de spe resurrectionis, disceptabant; de Deo, nemo. Nam si fuisset hæc quoque quæstio disceptata, & ipsa apud Apostolum inueniretur, vel quantò principalis.

3. *Et 3. contra. Marc. cap. 22. à p.*

[a] D*Iuertite, diuertite* inclamat Esaïas, *excedite illinc, & immundum ne attigeritis*; blasphe- a Esa. 52.
miam scilicet in Christum. *Excedite de medio eius*, vtique synagogæ; *separamini qui* 11.
Dominica vasa portatis. Iam enim, secundùm suprà scripta, [b] *reuelauerat Dominus brachio suo* b Esa. 52.
sanctum, id est, virtute sua Christum *coram nationibus, vt viderint vniuersæ nationes & summa* 10.
terræ salutem, quæ erat à Deo. Sic & ab ipso Iudaïsmo diuertentes, cùm legis obligamenta & onera, Euangelica jam libertate mutarent, psalmum exequebantur, [c] *disrumpamus vincula* c Psal. 2. 3.
eorum, & abjiciamus à nobis jugum eorum: postea certè quam *tumultuata sunt gentes, & populi meditati sunt inania: Astiterunt Reges terræ, & principes congregati sunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.*

4. *Et 5. cont. Marc. cap. 4. circa. m.*

QVæ ipse constituerat, inquis, erasit? Magis quàm alius: aut si alius, ergo ille adjuuit sententiam Creatoris, auferens quæ & ille damnauerat. Sed non hujus loci quæstio, cur leges suas Creator infregerit. Sufficit quod infracturum probauimus, vt confirmetur nihil Apostolum aduersus Creatorẽ determinasse, cùm & ipsa amolitio legis à Creatore sit.

5. *Et ibid. à m.*

[a] Q*Vi autem turbat vos, judicium feret.* A quo Deo? Ab optimo? Sed ille non judicat. a Gal. 5.
A Creatore? Sed nec ille damnabit adsertorem circumcisionis. Quod si non erit 10.
alius qui judicet nisi Creator, jam ergo non damnabit Legis defensores, nisi qui ipse eam cessare constituit. Quid nunc si & confirmat illam ex parte qua debet?

6. *Legis veteris in nouam mutatio, expressa in Moyse & Elia disparente, remanente Christo. 4. cont. Marc. cap. 22. V. Verbum. Christi magnalia. 6. in m.*

7. *Lex vetus quoad onera, non quoad justitiam, abrogata est; ampliata magis & superabundans per nouam. De Monog. cap. 7. in p.*

ET quoniam quidam interdum nihil sibi dicunt esse cum lege, quam Christus non dissoluit, sed adimpleuit; interdum quæ volunt legis arripiunt; planè & nos sic dicimus decessisse legem, vt onera quidem eius, quæ secundùm sententiam Apostolorum nec Pa- Act. 15. 10.
tres sustinere voluerunt, concesserint; quæ verò ad justitiam spectant, non tantum reseruata permaneant, verùm & ampliata; vt scilicet [a] *redundare possit justitia nostra super Scri-* a Math. 5.
barum & Pharisæorum justitiam. Si justitia, vtique & pudicitia. 20.

8. *Et de pudic. cap. 6. à p.*

ONera legis vsque ad Ioannem, non remedia. operum juga rejecta sunt, non discipli- Math. 11.
narum. libertas in Christo, non fecit innocentiæ injuriam. Manet lex tota pietatis, 13.
sanctitatis, humanitatis, veritatis, castitatis, justitiæ, misericordiæ, beneuolentiæ, pudi- a Psal. 1. 2.
citiæ. In qua lege, [a] *Beatus vir qui meditabitur die ac nocte.* De qua idem Dauid rursus, [b] *Lex* b Psal. 18.
Domini irreprehensibilis, conuertens animas. iura Domini directa, oblectantia corda. præceptum Do- 8.
mini longè lucens, illuminans oculos. Sic & Apostolus, [c] *Itaque lex quidem sancta est, & præce-* c Rom. 7. 12.
ptum sanctum & optimum; vtique, [d] *Non mœchaberis.* d Exo. 20. 14.

9. *Legis onera & prima rudimenta, non sunt repetenda Iudæo conuerso, nec cultus elementorum Gentili. 5. cont. Marc. cap. 4. à p.*

POst has itaque diuitias, [a] *non erat reuertendum ad infirma & mendica elementa.* Elementa a Gal. 4.
autem apud Romanos quoque etiam primæ litteræ solent dici. Non ergo per mundia- 9.
lium elementorum derogationem à Deo eorum auertere cupiebat; etsi dicendo suprà,
[b] *Si ergo his qui non natura sunt Dei seruitis*; physicæ, id est, naturalis superstitionis elementa b Ibid. 8.
pro Deo habentis sugillabat errorem, nec sic tamen elementorum Deum taxans. Sed quæ

e Ibid. 10. velit intelligi elementa, primas scilicet litteras legis, ipse declarat: [c] *Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos; & sabbata*, vt opinor, *& cœnas puras, & jeiunia, & dies ma-*
d Esa. 1. 14. *gnos.* Cessare enim ab his quoque sicut & circumcisione oportebat ex decretis Creatoris, qui & per Esaïam; [d] *Neomenias vestras & sabbata & diem magnum non sustinebo: Iejunium*
e Amos. 5. 21. *& ferias & ceremonias vestras odit anima mea.* & per Amos [e], *Odi, rieci ceremonias vestras, & non odorabor in frequentiis vestris.* item per Osee, [f] *Auertam vniuersas jucunditates eius, & ce-*
f Osee. 2. 11. *remonias eius, & sabbata, & neomenias eius, & omnes frequentias eius.*

10. *Et ibid. à m.*

Gal. 5. 1. DE seruitute igitur exemptos, ipsam seruitutis notam eradere perseuerabat, circum-
a Hier. 4. 4. cisionem; ex prædicationis scilicet propheticæ auctoritate; memor dictum per Hie-
b Deut. 10. 16. remiam, [a] *Et circumcidimini præputia cordis vestri.* Quia & Moyses, [b] *Circumcidetis duricordiam vestram*, id est, non carnem.

LEGIS VETERIS ABROGATIO. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. SCHOL.

VT NEOPHITVS. *De nouo in Christianismo natus,* Nouam in Christo Creaturã *prædicans Paulus.* PASSIVVM CONVICTVM. *Communem & passim vsitatum Iudæis circa abstinentiam à cibis immundis.* VSV, *conuersatione tam Iudæis quàm Gentibus congruens, vt vtrosque Christo lucrifaceret.* TV ILLAM, &c. *Tu Marcion, Pauli reprehensionem de sola conuersatione Petri Iudaizantis vis pertrahere ad alterius Dei tui defensionem à Paulo susceptam, quasi in Creatorem authorem Iudaismi insurgeret.* DE PRÆDICATIONIS VNITATE. *De eadem fide eiusdem vnici Dei Creatoris prædicanda consenserant, mutuas sibi tradendo dexteras. De quo vt & cæteris hic citatis locis, vide alibi à nobis relata.* OFFICII DISTRIBVTIONE. *Quâ Apostoli orbem terræ inter se partiti sunt, vt* in omnem terram exiret sonus eorum, & in fines
B orbis terræ verba eorum: *Maximè cum Paulus Apostolus Gentium, Petrus Iudæorum fuerit.* Qui operatus est Petro in Apostolatum, operatus est & mihi inter Gentes HANC CIRCVMCISIONEM SISTENS, *Paulus volens stabilire circumcisionem cordis, & nouã legem, veteres legis ceremonias dissuadebat conuerti volentibus, vel de nouo conuersis.* PER OSEE. *Cap. 2. 11.* Et cessare faciam omne gaudium eius, solemnitatẽ eius, Sabbatum eius, & omnia festa tempora eius 70. *Secutus est Tertullianus suo more, nisi quod pro ceremoniis, legunt* omnes festiuitates eius. DIEM MAGNVM. *Esaiæ. 13. 1. & seq.* Ne offeratis Sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi. Neomeniam & Sabbatum, &
C festiuitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri: Calendas vestras, & solemnitates vestras odiuit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens. 70. *verò*; Vanum incensum, abominatio mihi est. Neomenias vestras, & Sabbata, & diem magnum *Sabbati scilicet, vel Agni Paschalis, aut Pentecostes*: non fero, jeiunium & otium *Vacationem ab opere seruili* & Neomenias vestras, &c. Facti estis mihi in satietatem: nequaquam vltra dimittam peccata vestra. DE DEO NOVO. *Quem Marcion prædicabat.* CONCESSARE. *Simul ac lex noua per Christum introducta est.* TVMVLTVATÆ SVNT. Quare fremuerunt gentes, &c? MAGISTRATVS. *Principes.* NVLLA DISCEPTA-
D TIO. *Paulus non disputasset cum Petro de obseruanda, vel abroganda veteri lege Creatoris, si alium Deum quàm Creatorem prædicasset; quid enim ad eum pertineret de huiusmodi lege tractare, quam justam & bonam & Sanctam tam apertè defendit?* DEVS IN CHRISTO. *Tanquam vero eius filio.* STABAT. *Eadem fides inconcussa manebat; sed quidam dubij erant, an ceremoniæ ab eo institutæ, adhuc obseruandæ essent.* DE IDOLOTHYTO EDENDO. *1. Cor. 10. 21.* Non potestis mensæ Domini participes esse & mensæ dæmoniorum. *Et sequentibus; vbi de Idolothytis.* DE MVLIERVM VELAMENTO. *1. Cor. 11. 5. & seq.* Omnis autem mulier orans, aut prophetans, non velato capite, deturpat caput suum. *Et versu. 10.* Ideo debet mulier potestatem habere
A *velamen in signum subiectionis potestati viri.* supra caput, propter Angelos. DE NVPTIIS VEL REPVDIIS. *1. Cor. 7. per totum, maximè versu* 10. Iis autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, &c. DE SPE RESVRRECTIONIS. *1. Cor. 15. 12. & seq.* Si autem Christus prædicatur quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis quoniam resurrectio mortuorum non est? &c. QVANTÒ PRINCIPALIS. *Eo ipso quod præcipua & maioris momenti, vt est fides fundamentum; de Deo an sit, Apostolus multò magis disputasset, quàm de cæteris: sed nulla vnquàm de Deo Creatore fuerat exorta contentio.*

3. DIVERTITE. *Esa. 52. 11.* Recedite, recedite, exite
B inde, pollutum nolite tangere; exite de medio eius, mundamini qui fertis vasa Domini. 70. Separamini, qui portatis vasa Domini. SECVNDVM *supra scripta versu præcedenti.* Parauit Dominus brachium sanctũ suum in oculis omnium Gentium: & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. 70. Et reuelabit Dominus brachium sanctum suum, &c. & videbunt omnes fines terræ salutẽ, quæ à Deo nostro. PSALMVM EXEQVEBANTVR. *Implebant Prophetiam Dauid.* DIVERTENTES *à Iudaismo ad Christi fidem conuersi, seruitutem legis veteris, in libertatem nouæ commutabant.*

4. QVÆ CONSTITVERAT. *Paulus legem quam aliàs* abundantius æmulator existens paternarum traditionum, *& acerrimus antiquæ legis defensor, postea abro-*
C *gauit, vt obiiciebat Marcion.* MAGIS QVAM ALIVS. *Respondet Tertullianus, Paulum præ cæteris Apostolis à ceremoniis legis dissuasisse.* SI ALIVS. *Si Paulus quasi mutatus in alterum virum, respuit quæ zelanter affectabat;* quæ olim lucra ei fuerant, propter Christum nouæ legis Authorem arbitratus detrimenta, *eo ipso confirmans se esse Apostolum Creatoris, cuius sententiæ fauebat, jam respuens, quæ Creator per Prophetas se ablaturum esse prædixerat*

5. QVI TVRBAT VOS. *Gal. 5. 10.* Currebatis bene: quis vos impediuit veritati non obedire? persuasio hæc non est ex eo qui vocat vos. modicum fermentũ *Antiquæ Ceremoniæ* totam massam corrumpit. Ego
D confido in vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis. Qui autem conturbat vos, portabit judicium, *et* quicumque est ille. A QVO DEO? *supple judicium feret.* ADSERTOREM CIRCVMCISIONIS. *Supple spiritalis in locum carnalis substitutæ. Vnde Paulus subiicit,* ego autem fratres, si circumcisionem adhuc prædico *carnalem scilicet, qualem adserebat adhuc obseruandam Galatis iste suasor malus* quid adhuc persecutionem patior? ergo euacuatum est scandalum crucis. *Frustra igitur Christus ignominiosam mortem patiens de impleta lege dixit*, consummatum est: CONFIRMAT EX PARTE. *Nempe quod attinet ad præcepta moralia, quæ sunt de jure naturæ.*

7. QVIDAM DICVNT. *Hic pungit tacitè Psychicos.* A DECESSISSE LEGEM. *mortuam & abolitam esse, quoad onus & jugum circumcisionis, & ceremoniarũ legalium.* APOSTOLORVM. *maximè Petri vt alibi vidimus.* CONCESSERINT. *abolita fuerint.* AMPLIATA. *quæ ad mores & justitiæ & sanctitatis omnis cultum, tantum abest vt abrogata sint, quin potius per legem nouam fuerunt in statum perfectiorem ampliatioremque prouecta, Christo dicente;* Nisi abundauerit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, &c. VTIQVE ET PVDICITIA. *quia videlicet justitia vniuersalis omnes in se virtutes continet.*

8. VSQVE AD IOANNEM. *Finem legis & Prophetarum. Cuius quidem legis onera, hoc est onerosæ ceremoniæ, & Sacramenta cessarunt, non autem remedia vitiorum, hoc est documenta morum.* LIBERTAS IN CHRISTO, B *lex gratiæ, per Christum introducta, non infirmauit, sed confirmauit & perfecit innocentia in lege Mosaica præscripta documenta.* INVITVPERABILIS. *Psal.* 18. 8. Lex Domini immaculata conuertens animas, testimonium Domini fidele sapientiam præstans paruulis. Iustitiæ Domini rectę lætificantes corda. Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. VTIQVE NON MOECHABERIS. *Lex vel ex eo sancta, quòd sanctimoniam præcipiat, & damnet adulterium.*

9. POST HAS DIVITIAS *gratiam Euangelij, & lucrum, quam Paulus præferebat omnibus legis ceremoniis.* NON ERAT REVERTENDVM. *Gal.* 4. 9 Nunc autem cùm cognoueritis Deum, imò cogniti sitis à Deo, *qui vocauit vos ex tenebris idololatriæ, in admirabile lumen suum* quomodo conuertimini iterum ad infirma C & egena elementa, quibus denuo seruire vultis? dies seruatis, & menses & tempora, & annos. *Vide alibi dicta.* DEROGATIONEM. *Contemptibilia elementa spernens, quæ Gentiles pro Diis colebant; non tamen à Deo elementorum Creatore animos Galatarum auertebat.* DICENDO SVPRA. *versu.* 8. Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis qui natura non sunt dij, seruiebatis. VELIT INTELLIGI ELEMENTA. *alibi dupliciter exposuimus hunc locum, vel de elementis mundi, vel de rudimentis legis, ad quæ, conuerti Galatas nolebat, ad cultum Dei Creatoris & fidem Christi a Gentilitate jam conuersos, ne ab elementis, ad alia elementa transirent.* COENAS PVRAS, *abstinentiam à cibis immundis.* DIES MAGNOS. *Festa Paschatis, & Pentecostes, aliasque festi-* D *uitates secundum legem Moysi celebrandas.* ET PER AMOS *cap.* 5. 21. Odi & projeci festiuitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum. Quod si obtuleritis mihi holocaustomata, & munera vestra, non suscipiam: & vota pinguium vestrorum non respiciam. 70. *paulo aliter:* odio habui, repuli festiuitates vestras, nec odorabor hostias in conuentionibus vestris, &c. & salutares præsentiæ vestræ non respiciam.

10. DE SERVITVTE EXEMPTOS. *Legis Mosaicæ; quæ seruos suos, velut cauterio, circumcisione notabat. Paulus authoritate Prophetica fundatus, hanc notam velut jam turpem tradere contendebat. Gal.* 5. 1. State, *Syr. state igitur in libertate illa qua Meschico vos donauit.* & no- E lite iterum jugo seruitutis contineri Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. QVIA ET MOYSES. *Deut.* 10. 16. Circumcidite igitur præputium cordis vestri, & ceruicem vestram ne induretis amplius. 70. Et circumcidemini duritiem cordis vestri, &c.

Quoniam hi omnes textus idem ipsum probant, vnico sub Scholio redegi: quorum mentẽ selectissimis confirmo locis ex intima Augustini medulla depromptis. Probat itaque non ineleganter nec indoctius Tertulliano: veterẽ legem impletam, figuris eius & vmbris per veritatem promissam & prophetarum, excussis & abrogatis eiusdem ceremoniis & Sacramentis, moralia præcepta non minus, imò perfectius quàm in veteri testamento commendari. Ita scribit Epistola. 100. *ad Asellicum de Iudaismo, circa finem.*

Aptus, inquit, iste nescio quis, de quo scripsisti, S. Aug.
quod doceat Iudaizare Christianos, eo modo se, sicut insinuauit sanctitas tua, Iudæum & Israelitam vocat, vt ab escis prohibeat, à quibus pro temporis illius congruentia, lex per sanctum famulum Dei Moysem data prohibebat, & cæteras illius temporis obseruationes jam nunc apud Christianos abolitas remotasque persuadeat; quas vmbras futurorũ appellat Apostolus, vt & prophetia in illis intelligatur, & eorũ obseruatio jam euacuata monstretur. Vnde apparet, quare se iste aptius velit Israelitam Iudæumque vocitari, non spiritualiter, sed omnino carnaliter. Nos autem nec illis obseruationibus quæ nouo testamento reuelato euacuatæ sunt, tenemur obstricti; & præcepta legis, huic etiam tempori necessaria, qualia sunt, non adulterabis, non homicidium facies, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, quod in hoc sermone recapitulatur, diliges proximum tanquam teipsũ, non viribus humanis quasi nostram constituentes justitiam, sed gratiâ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, in ea justitia, quæ ab illo est, obseruanda esse didicimus & docemus. Nec tamen ideo nos negamus semen Abrahæ, quibus dicit Apostolus, vos ergo Abrahæ semen estis; aut Iudæos in abscondito, *cordis homine* de quibus idem dicit: non enim qui in manifesto Iudæus, neque quæ in manifesto in carne est circumcisio, sed qui in abscondito Iudæus est; & circumcisio cordis quæ est spiritu, non litera, cuius laus non ex hominibus sed ex Deo est, aut Israelitas spiritales, ad eum scilicet pertinentes *Iacob siue Israel.* cui minori prædictum est seruiturum esse majorem. Sed hæc vocabula *aliena a jactantia & fastu* nobis non indecenter apponimus, eaque mysteriorum intelligentiâ continemus, non verborum insolentiâ ventilamus. *Non secus materiam eandem prosequitur to.* 6. *lib.*
10. *contra Faustum cap.* 2. *Sic inducit aduersarium obii-* S. Aug.
cientem sibi: Cur tenes vetus testamentũ cuius præcepta non seruas? respondeo seruari a Christianis etiam ex ipsis libris præcepta vitæ agendæ: præcepta verò vitæ significandæ tunc rectè obseruata, quando prænuntiabantur ista quæ nunc reuelata sunt. quapropter etiam ipsa, sic non obseruo ad Religionem, vt teneam tamen ad testificationem: sicut & promissa carnalia *temporalia* quæ ibi continentur, vnde propriè vetus dicitur testamentum. Quamuis enim mihi æterna speranda reuelata sint, & illa tamen *carnalia in lege promissa* attestantia lego, quæ in figura contingebant illis: scripta sunt autem propter nos in quos finis sæculorum obuenit. *Et lib.* 19. *contra eundem Faustum cap.* 17. *cum de reprehensione Petri à Paulo facta dixisset, & de consilio Apostolico, quo decretum est, Gentiles ad fidem conuersos, ad Iudaismum non*
esse cogendos. Sic concludit capite sequenti. Quid habent S. Aug.
ergo isti, vnde legi & Prophetis calũnientur, quod eos Christus soluere venerit potius quam adimplere? Quia Christiani non obseruant quæ ibi præcepta sunt, cum ea sola non obseruent, per quæ Christus promittebatur; & ideo non obseruent magis, quia eadem promissa jam Christus impleuit: nec adhuc promittuntur, quia jam impleta sunt: eorumque promissiua signa in eis terminari debuerunt, quos fides Christi hæc adimplentis, jam talibus imbutos inuenerat? numquid enim non obseruant Christiani quod in illa Scriptura est: audi Israel Dominus Deus tuus, Deus vnus est: non facies tibi idolum & cætera huiusmodi? numquid non obseruant Christiani quod ibi dicitur, non accipies nomẽ Domini Dei in vanum? numquid ipsum Sabbatum quod ad intelligendam veram requiem pertinet, non

obseruant Christiani? numquid honorem parentibus Christiani non deferunt, quod ibi præceptum est? numquid à fornicationibus aut homicidiis, aut furtis, aut falsis testimoniis aut à concupiscenda vxore proximi, aut à concupiscēda re proximi non se temperant Christiani: quæ omnia in illa lege conscripta sunt? Hæc præcepta sunt morū, illa Sacramenta sunt promissorum: hæc implentur per adiuuantē gratiam, illa per redditam veritatem: vtraque per Christum, & illam semper gratiam donantem, nunc etiam reuelantem; & hanc veritatem, tunc promittentem, nunc exhibentem; quia lex per Moysem data est, gratia autem & veritas per IesumChristum facta est. Denique ista quæ in rectè viuente conscientia conseruantur, fide per dilectionem operante complentur: illa verò quæ in promittente significatione versata sunt, rebus redditis transierunt. Ita & ipsa non soluta sed impleta sunt, quia ea non irrita, nec fallacia Christus ostendit, cùm id, quod eorum significatione promittebatur exhibuit. *Et to. 7. lib. 3. ad Bonifacium contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 4. vbi retexit quæ supra Scholio primo ab eo transcripsimus contra Faustum Scribente de justis ante legem.* S. Aug. Siue Abraham, inquit, siue ante illum justi, siue post eum vsque ad ipsum Moysem per quem datum est testamentum à Monte Sina in seruitutem generans, siue cæteri Prophetæ post eum, & sancti homines Dei vsque ad Ioannem Baptistam, filij sunt promissionis & gratiæ secundum Isaac filium liberæ, non ex lege, sed ex promissione hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Absit enim vt Noë justum, & prioris temporis justos, & quicumque ab illo vsque ad Abraham justi esse potuerunt, vel conspicui, vel occulti, negemus ad supernam Ierusalem quæ mater nostra A est, pertinere, quamuis anteriore tempore inueniantur esse quam Sara, quæ ipsius liberæ Matris Prophetiam figurasque gestabat. Quantò euidentius ergo post Abraham; cui sic declarata est ipsa promissio, vt Pater multarum gentium diceretur, quicumque Deo placuerunt, filij promissionis habendi sunt? non enim ex Abraham & deinceps justorum generatio verior, sed prophetia manifestior reperitur. Ad testamentum autem vetus, quod est à Monte Sina in seruitutem generans, quod est Agar, illi pertinent, qui cùm acceperint legem sanctam, & justam, & bonam, putant sibi ad vitam, literam posse sufficere, &c. Qui Iudæi secundum Prophetias quas legunt, per omnes sunt terras vbique dispersi, vt ex eorum quoque codicibus, Christianæ non desit testimonium veritati. Et vetus igitur testamentum Deus condidit, quia Deo placuit vsque ad plenitudinem B temporis, promissis terrenis tanquam in præmio constitutis, promissa velare cœlestia; & populo terrenis bonis inhianti, & propterea durum cor habenti, quamuis spiritalem, tamen in tabulis lapideis legem dare. Exceptis quippe librorum veterum Sacramentis, quæ sola significandi ratione præcepta sunt, quanquam & in eis, quia spiritaliter intelligenda sunt, rectè lex dicitur spiritalis: cætera certe quæ ad pietatem, bonosque mores pertinentia, non ad aliquam significationem vlla interpretatione referenda, sed prorsus vt sunt dicta, facienda sunt: profectò illam Dei legem, non solum illi tunc populo, verum etiam nunc nobis ad instituendam rectè vitam, necessariam nemo dubitauerit. *Prosequitur juxta præmissos locos, obligationem retentam omnia præcepta moralia legis obseruandi, liberatis ab onere ceremoniarum, figuratiuarum Mysteriorum noui Testamenti.*

LEX NOVA.

1. *Lex noua implet veterem abundante justitia. De pudic. cap. 6. à p.*

[a] L*Egem ergo euacuamus per fidem? Absit, sed legem sistimus*; scilicet in his quæ & nunc nouo Testamento interdicta etiam cumulatiore præcepto prohibentur. Pro, [b] *Non mœchaberis, Qui viderit ad concupiscentiam, jam mœchatus est in corde suo.* & pro, [c] *Non occides, Qui dixerit fratri suo Racha, reus erit gehennæ.* Quære an salua sit lex non mœchandi; cui accessit, nec concupiscendi. Ceterum, si qua vobis exempla in sinum plaudent, non opponentur huic quam defendimus disciplinæ. Frustra enim lex suprastructa est, origines quoque delictorum, id est, concupiscentias & voluntates, non minus quàm facta condemnans.

a Rom. 3. 31. b Exo. 20. 14. c Math. 5. 22. 28.

2. *Et de Orat. cap. 1. à p.*

CEterum quicquid retrò fuerat, aut demutatum est, vt circuncisio: aut suppletum, vt reliqua lex: aut impletum, vt prophetia: aut perfectum, vt fides ipsa. Omnia de carnalibus in spiritalia renouauit noua Dei gratia, superducto Euangelio expunctore totius retrò vetustatis.

LEX NOVA. 1. & 2. SCHOL.

LEGEM ERGO. *Rom* 3. 31. Legem ergo destruimus per fidem? Absit. Sed legem statuimus. *Translat. Syr.* Numquid igitur legem ipsam abrogamus per fidem? absit: quinimo legem ipsam stabilimus. CVMVLATIORE PRÆCEPTO. *Vt non tantùm actum homicidij, vel verbum iniuriosum, sed & ipsum motum iræ: nec tantum adulterium, sed & concupiscentiam ipsam vxoris alienæ, lex noua interdicat.* SI QVA EXEMPLA. *Venia data mœchis vobis tacitè in corde blandiuntur; nihil facient, non praualebunt rigori nostræ disciplinæ, qua non recipiendo lapsos in mœchiam post baptismum, firmissimum pudicitiæ conseruandæ vallum obstruximus.* LEX SVPRASTRVCTA. *Si enim tam facile indulgetur adulteris, ipsa indulgentia procliuitatem naturæ corruptæ juuante, frustra Christus legis plenitudinem su-* C *perstruxit, & actibus jam lege Mosayca prohibitis, etiam concupiscentiam & voluntatem peccandi ex qua actus peccati oriuntur, adjecit.*

2. RETRO FVERAT, *in veteri lege præscriptum.* VT CIRCVMCISIO; *carnis, in Circumcisionem spiritus.* SVPPLETVM. *gratia per Iesum data quæ deerat vacuis & egenis elementis legis.* IMPLETVM. *vt præter Prophetias verborum & oraculorum, figuræ etiam propheticæ impletæ sint.* PERFECTVM. *fide jam explicita, & facta substantia & fundamento rerum spiritualium & æternarum sperandarum.* EXPVNCTORE VETVSTATIS. *Abrogatore & obliteratore veteris legis quoad præcepta ceremonialia; impletore verò, & perfectore, quoad moralia. Quoniam satis alibi de impleta lege per Euangelium, prohibens etiam peccata interiora voluntatis, tra-*

ctauimus; Sufficiet nunc locum Pauli à Tertulliano citatum exponere Augustini verbis. to. 4. lib. Exposit. quarumdam propositionum Ep. ad Rom. proposit. 19. Quod autem, inquit, dicit, legem euacuamus per fidem, absit? Sed legem statuimus, id est firmamus. Sed quemadmodum firmanda fuerat lex, nisi per justitiam? Iustitia autẽ quæ est ex fide: quia ea ipsa quæ non poterant impleri per legem, per fidem impleta sunt. *Et to. 3. lib. de Spiritu & litera cap.* 30. Liberum, inquit, arbitrium euacuamus per gratiam? Absit, sed magis liberum arbitrium statuimus. Sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam, non euacuatur sed statuitur. Neque enim lex impletur nisi libero arbitrio; sed per legem cognitio peccati; per fidem impetratio gratiæ contra peccatum; per gratiam sanatio animæ abolitione peccati; per animæ sanitatem libertas arbitrij; per liberum arbitrium justitiæ dilectio. *addo ego per dilectionem in opere justitiæ delectatio*; per justitiæ dilectionem legis operatio, ac per hoc, sicut lex non euacuatur, sed statuitur per fidẽ, quia fides impetrat gratiam qua lex impleatur: Ita liberum arbitrium non euacuatur per gratiam, sed statuitur, quia gratia sanat voluntatem, qua justitia liberè diligatur. Omnia hæc quæ velut

S. Aug.

S. Aug.

A cathenatim connexui, habent voces suas in Scripturis. Lex dicit: non concupisces. Fides dicit, sana animam meam: *credit enim in Medicum qui sanat omnes infirmitates suas; maximè carnalem concupiscentiam, qua Vriæ concupiuit vxorem, cuius causa se etiam præstitit homicidam.* quoniam peccaui tibi. *Tibi soli peccaui, qui concupiscere & occidere prohibuisti.* Gratia dicit, ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne quid deterius tibi contingat. Sanitas dicit, Domine Deus meus clamaui ad te & sanasti me. Liberũ arbitrium dicit, voluntariè sacrificabo tibi. Dilectio justitiæ dicit, narrauerunt mihi iniusti delectationes, sed non vt B lex tua Domine. Vt quid ergo miseri homines, aut de libero arbitrio audent superbire antequam liberentur, aut de suis viribus, si jam liberati sunt, nec attendunt in ipso nomine liberi arbitrij vtique libertatem sonare? vbi autem spiritus Domini, ibi libertas. Si ergo serui sunt peccati, quid se jactant de libero arbitrio? à quo enim quis deuictus est huic & seruus addictus est. Si autem liberati sunt, quid se jactant velut de opere proprio, & gloriantur quasi non acceperint? An ita sunt liberi, vt nec illũ velint habere Dominum qui eis dicit, sine me nihil potestis facere: & si filius vos liberauerit, tũc verè liberi eritis.

3. *Lex noua est verbum breuiatum.* 4. *cont. Marc. cap.* 1. *in m.*

HÆc erit lex apud Dauid [a] *inuituperabilis*, quà perfecta, *conuertens animas*, vtique ab idolis, ad Deum. hic erit & sermo, de quo idem Esaïas: [b] *Quoniam, inquit, decisum sermonem faciet Dominus in terra.* Compendiatum est enim nouum Testamentum, & legis laciniosis oneribus expeditum.

a Psal. 18. 8.

b Esa. 10. 23.

4. *Lex noua sermone & aqua breui, magnos effectus producit. V. Verbum, Gentilis leprosus.* 3.

LEX NOVA 3. SCHOL.

HÆc erit lex *noua & gratiæ à Psalte prophetata, Psal.* 18. 8. Lex Domini immaculata conuertens animas, &c. *Quem locum ibidem Aug. Christo applicat nouæ legis authori.* Lex, inquit, Domini, ipse est qui venit legem implere non soluere. Et immaculata lex, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, non premens animas seruitutis jugo, sed ad se imitandum libertate conuertens. Testimonium Domini fidele. Quia nemo nouit patrem nisi filius, & cui voluerit filius reuelare; quæ abscondita sunt à sapientibus, & reuelata paruulis, quoniam Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda. Omnes justitiæ Domini in illo rectæ, qui non docuit, quod ipse non fecit; vt qui imitarentur, corde gauderent in eis quæ liberè eam charitate facerent, non seruiliter cum timore. Præceptum Domini lucidum, sine velamento carnalium obseruationum, illuminans hominis interioris aspectum. *Onus leue, jugum suaue, pro tot præceptis cæremonialibus, & totius Decalogi mandatis, omnia in vno recapitulans & colligens, dilectione scilicet proximi:* Qui enim diligit proximum, legem impleuit: *Legis veteris prolixis laciniis & oneribus sermo expeditus.* DE QVO ESAIAS *cap.* 10. 23. Consummatio abbreuiata inundabit justitiam. Consummationem enim & abbreuiationem *Sanct. Pagn. ex Hebr. consummationem decisam* Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ. *Quod sic transferunt* 70. Verbum consummans & breuians in justitia: quoniam sermonem breuiatum faciet Dominus in toto orbe terræ. *Quem locum retulit D. Paulus Rom.* 9. 28. Verbum enim consummans & ab-

S. Aug.

C breuians in æquitate quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram. *Translat. Syr.* Sermonem ad consummationem contulit, & præcidit, eumque præstabit Dominus super terram. *Quod sic explanauit Aug. to. 4. lib. primo quæstionum ad Simplicianum, quæst.* 2. Verbum, inquit, consummans & breuians faciet Dominus super terram: id est vt compendio fidei per gratiam saluos faciat credentes, non per innumerabiles obseruationes, quibus illa multitudo seruiliter onerata premebatur. Per gratiam quippe nobis verbum consummans & breuians fecit super terram, dicens, jugum meum leue est, & sarcina mea suauis est. Quod & paulò post hic dicitur, *eodem cap. 10. ad Rom. ex Deut.* 30. Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo. Hoc est verbum fidei quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo, quia D Dominus est Iesus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad justitiam, &c. Hoc est verbum consummans & breuians, &c. Qua consummatione atque breuitate latro justificatus est, qui defixus in cruce omnibus membris, & habens libera hæc duo, corde credidit ad justitiam, ore confessus est ad salutem. Statimque audire meruit, *ô verbum breuiatum!* hodie mecum eris in paradiso. *merces fidei loquentis verbo breuiato, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Consequerentur enim bona opera eius, si percepta gratia diu inter homines viueret. Sed tamen non ea præcesserant, vt eandem gratiam mereretur, ex latrocinio fixus in cruce, ex cruce in paradisum translatus.

S. Aug.

5. Lex noua quò pluribus veteris legis caremoniis nos soluit, strictius paucis nos obligat. De pudic. cap. 12. in m.

CVr ceruicem nostram à tanto jugo excusant, nisi vt illi compendia ista disciplinæ semper imponant? Cur tot vincula indulgent, nisi vt perpetuò ad necessariora constringant? Soluerunt à pluribus, vt nocentioribus obseruandis obligaremur. Compensatione res acta est. lucrati sumus multa, vt aliqua præstemus.

6. Lex gratiæ spiritalis, cum suis Sacrificiis, eiusque caeremoniis legi carnali, impleta Prophetia, successit. cont. Iud. cap. 5. in f. & 6. in p.

ITaque quomodo carnalia sacrificia reprobata intelliguntur, de quibus & Esaïas loqui-
a Esa.1.11. tur, dicens, [a] *Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum? dicit Dominus*; ita sacrificia
b Ibid.13. spiritalia accepta prædicantur, vt Prophetæ annuntiant. Quoniam [b] *etsi adtuleritis*, inquit,
c Ibid.14. *mihi similam, vanum supplicamentum, execramentum mihi est.* Et adhuc dicit: [c] *Holocaustomata*
55. *& sacrificia vestra, & adipem hircorum, & sanguinem taurorum nolo: nec si veniatis videri mihi.*
Malach.1. *quis enim exquisiuit hæc de manibus vestris?* De spiritalibus verò sacrificiis addit, dicens: *Et in*
11. *omni loco sacrificia munda offerentur nomini meo, dicit Dominus.* Igitur cùm manifestum sit, &
Cap. VI. sabbatum temporale ostensum, & sabbatum æternum prædictum, circumcisionem carnalem prædictam, & circumcisionem spiritalem præindicatam: legem quoque temporalem, & legem æternalem denuntiatam: sacrificia carnalia, & sacrificia spiritalia præostensa; sequitur vt præcedenti tempore datis omnibus istis præceptis carnaliter populo Israël, superueniret tempus, quo legis antiquæ & cæremoniarum veterum præcepta cessarent, & nouæ legis promissio, & spiritalium sacrificiorum agnitio, & noui Testamenti pollicitatio
d Luc.1. superueniret, fulgente nobis [d] *lumine ex alto, qui sedebamus in tenebris, & in vmbra mortis*
78. *detinebamur.* Itaque necessitas nobis incumbit, vt quoniam prædicatam nouam legem à Prophetis prædiximus, & non talem qualis jam data esset patribus eorum eo tempore quo eos de terra Ægypti produxit, ostendere & probare debeamus, tam legem illam veterem cessasse, quàm legem nouam promissam nunc operari.

LEX NOVA. 5. & 6. SCHOL.

A TANTO IVGO EXCVSANT. *Cur Apostoli in illo suo Concilio Hierosolymitano Christianos à jugo circumcisionis, & tot caremoniarum legalium eximunt, nisi vt in perpetuum obligent reseruatis strictioribus preceptis moralibus, maximè verò pudicitiæ?* VT NOCENTIORIBVS OBSERVANDIS, *vt cautius à grauioribus peccatis fornicationis, & mœchiæ abstineremus.* COMPENSATIONE. *Definitur à Modestino Iureconsulto, in l. 1. ff. de Compensat.* Debiti & crediti inuicem inter se contrahentium contributio; id est per æris sui computationem, ab ære alieno liberatio. Liquidi autem ad liquidum fit compensatio. Lege finali *C. de Compensat. Sed & compensatio fit damni. leg. 57. ff. de donat. inter vir. fit etiam donationis. l. 7. §. si vir. ff. eo titulo. Denique & negligentiæ, l. 10. ff. de Compensat.* Sed hæc de qua Tertull. valde nobis lucrosa est, vt pro multis grauibus oneribus, pauca leuia subeamus.

6. REPROBATA INTELLIGVNTVR. *Sicut nouimus in noua lege reiecta sacrificia carnalia, sic intelligimus grata esse Deo, sicut per Prophetas suos prædixerat, sacrificia spiritalia.* ETSI ATTVLERITIS. *Esa. 1. 13.* Ne offeratis sacrificium vltra: incensum abominatio est mihi. 70. si afferatis similam; vanum incensum, abominatio mihi est. SI VENERITIS VIDERI. *Esa. 1. 12.* Cùm veneritis ante conspectum meum. 70. *autem:* Neque veniatis vt appareatis mihi. SACRIFICIA NON ACCIPIAM. *vulgata.* Munus non suscipiam de manu vestra. ADDIDIT. *Malach. 1. 11.* Ab ortu enim Solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnũ est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. 70. *paulò aliter:* clarificatum est nomen meum, &c. Incensum offertur nomini meo, & sacrificium mundum. OSTENSVM. *in praxim redactum, & transactum.* SABBATVM ÆTERNVM. *requies sempiterna. Aug. to. 7. lib. 3. ad Bonifacium, contra duas literas Pelagianorum, præclarè de cessatione legis antiquæ per nouam introductam, quantum attinet ad Sacrificia cæteraque præcepta caeremonialia, reseruatâ nihilominus strictiori obseruatione cultus vnius Dei & dilectione proximi, in quo est compendiata summa decalogi. cap. 4.* Si, inquit, Christus nobis abstulit illud grauissimum multarum obseruationum jugum, ne carnaliter circumcidamur, ne pecorum victimas immolemus, ne Sabbato septeno dierum volumine redeunte, ab operibus etiam necessariis quiescamus, & cætera huiusmodi; sed ea spiritaliter intellecta teneamus, remotisque vmbris significantibus, in rerum ipsarum quæ significantur, luce vigilemus: numquid propterea dicturi sumus, non ad nos pertinere quod scriptum est, vt alienum quodcumque perditum quisquis inuenerit, reddat ei qui perdidit, & alia multa similia, quibus piè rectéque viuere discitur: maximéque ipsum decalogũ, qui duabus illis lapideis tabulis continetur, exceptâ Sabbati *in Dominicam authoritate Apostolica mutati* obseruatione carnali, quæ spiritalem sanctificationem quietemque significat? Quis enim dicat non debere obseruare Christianos, vt vni Deo religionis *maximè Sacrificij Eucharistici oblatione mundissima* obsequio seruiatur, vt idolum non colatur, vt nomen Domini non accipiatur in vanum, vt parentes honorentur; ne adulteria, homicidia, furta, falsa testimonia perpetrentur; ne vxor, ne omnino res vlla concupiscatur aliena? Quis est tam impius, qui dicat ideo se ista legis non custodire præcepta, quia est ipse Christianus, nec sub lege, sed sub gratia constitutus? verùm hæc planè magna distantia est, quòd faciunt ista sub lege positi, quos litera occidit, ob terrenam fœlicitatem, vel cupiditate adipiscendi, vel timore amittendi; & ideo non verè faciunt, quoniam carnalis cupiditas qua peccatum augetur, cu- S. Aug.

piditate aliâ non sanatur. Hi ad vetus pertinent testamentum quod in seruitutem generat, quia facit eos carnalis timor & cupiditas seruos, non Euangelica fides, spes, & charitas liberos. Sub gratia verò positi, quos viuificat spiritus, & fide ista faciunt quæ per dilectionem operatur in spe bonorum non carnalium, sed spiritalium, non terrenorum, sed cœlestium; non temporalium, sed æternorum; præcipuè credentes in mediatorem, per quem sibi non dubitant & spiritum gratiæ subministrari vt benè ista faciant, & ignosci posse, cum peccant. Hi pertinent ad Testamentum nouum filij promissionis, & regenerati à Deo patre & libera matre; huius generis B fuerunt antiqui omnes iusti, & ipse Moyses testamenti minister veteris, hæres noui: quia ex fide qua nos viuimus, vna eademque vixerunt, incarnationem, passionem, resurrectionemque Christi credentes futuram, quam nos credimus factam, vsque ad ipsum Ioannem Baptistam, tanquam præteritæ dispensationis limitem quemdam, qui mediatorem ipsum non aliqua vmbra futuri, vel allegorica significatione, vel vlla prophetica prænuntiatione, venturum esse significans; sed digito demonstrans ait:

A Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccatum mundi. *Originale quidem quod omnes contrahimus, & in genere omne peccatum pro quo soluendo immolatus est agnus sacrificio cruento, & quotidie in omni loco offertur oblatio munda incruento pro mundo mundando immundo:* tanquam dicens, quem multi iusti videre concupierunt, [S. Aug.] in quem venturum ab ipsius humani generis initio crediderunt; *qui in Abel occisus est agnus ab origine mundi, ab Abraham in ariete suffectus est in locum Isaac immolandi:* de quo Abrahæ dictæ sunt promissiones, de quo scripsit Moyses, de quo lex & prophetæ sunt testes: Ecce Agnus Dei, &c. Ab hoc Ioanne, & deinceps, cœperunt de Christo fieri præterita, vel præsentia, quæ ab illis omnibus anterioris temporis iustis credebantur, sperabantur, & desiderabantur futura. Eadem igitur fides & in illis qui nondum nomine, sed re ipsa fuerunt antea Christiani, & in istis qui non solum sunt, verùm etiam vocantur, & in vtrisque eadem gratia per Spiritum Sanctum. Vnde dicit Apostolus. 2. Cor. 4. habentes autem eundem spiritum fidei, secundùm quod scriptum est, Credidi propter quod locutus sum, & nos credimus propter quod & loquimur.

7. *Lex noua gloriosior veteri, in euacuata gloria Moysi. 5. cont. Marc. cap. 11. à p.*

COmmemorat & de velamine Moysi, quo faciem tegebat, incontemplabilem filiis Israël. Si ideo vt claritatem majorem defenderet noui Testamenti, quod manet in gloria, quàm veteris, quod euacuari habebat; hoc & meæ conuenit fidei, præponenti Euangelium Legi. & vide ne magis meæ. Illic enim erit superponi quid, vbi fuerit & illud cui superponitur. [2. Cor. 3. 7. Exo. 34. 30.]

8. *Lex & testamentum nouum non mutatur. De pudic. cap. 12. in f.*

NOuissimi Testamenti semper indemutabilis status est, & vtiq. recitatio decreti, consiliumque illud cum sæculo desinet.

LEX NOVA. 7. & 8. SCHOL.

COMMEMORAT. *Frustra Marcion profert Paulum agentem de velamine, quo Moyses texit faciem suam fractis primis tabulis, rediret facie illustri, quam ferre non poterant Israëlitæ: vt vetus Testamentum, præ nouo vilescat.* HABEBAT. *debebat.* MAGIS MEÆ, *supple fidei congruit, quæ vtrumque testamentum ab eodem Deo Creatore fluxisse credit, licet nouum præponat veteri; quàm tuæ, quæ non habet vetus, cui nouum superponat. Locum Pauli accipe, non reiicientis vetus tanquam malum, sed nouum vt perfectius veteri præponentis. 2. Cor. 3. 7.* Si ministratio mortis *legis administratio per Moysem, & literæ occidentis, ob defectum gratiæ, & spiritus viuificantis*, literis deformata in lapidibus, *Syr. in Scriptura exarata est in lapidibus* fuit in gloria, *ob gloriosam & lucidam faciem Moysi* ita vt non possent intendere *Syr. intueri* filij Israël in faciem Moysi, propter gloriam vultus eius quæ euacuatur: *Syr. quæ* D *abolita est.* quomodo non magis ministratio spiritus *legis Euangelicæ & gratiæ viuificantis* erit in gloria? *vnde in Monte Thabor Moyse cornuta instar lunæ facie, & Helia quasi Sole Prophetarum, post testimonium redditum disparentibus, solus Christus splendidus apparuit; sicut Sol, luna & stellis recedentibus; vt gloria noui testamenti, gloriam veteris obscuram obsoletamque euacuaret. Pluribus de illustri facie Moysi alio loco dictis, quæ sequuntur, habes apud Augustinum to. 6. lib. de vtilitate credendi, contra Manichæos. cap. 3.* Euacuatur, inquit, in Christo non vetus testamentum, sed velamen eius, vt per Christum intelligatur, & quasi [S. Aug.] denudetur, quod sine Christo obscurum atque adopertum est. Statim quippe idem Apostolus subiicit: cum autem transieris ad Christum, auferetur ve-

C lamen. Non enim ait, auferetur lex, aut testamentum vetus. Non igitur per Domini gratiam, *legem gratiæ* tanquam inutilia ibi tegerentur, ablatæ sunt; sed tegmen potius, quo vtilia tegebantur. Hoc modo agitur cum ijs qui studiosè ac piè, non turbidè atque improbe Scripturarum illarum sensum requirunt; demonstraturque sedulò, & ordo rerum, & causæ factorum atque dictorum, & veteris testamenti ad nouum tanta congruentia, vt apex nullus qui non consonet, relinquatur; & figurarum tanta secreta, vt omnia quæ interpretando eruuntur, miseros esse cogant fateri, qui hæc volunt ante condemnare quam discere. *Facessant igitur cum Manichæis Marcionitæ, vetus Testamentum, quod non intelligunt, reprobantes.*

8. SEMPER INDEMVTABILIS. *Numquam mutabilis, D & æternus status, quo decretum & voluntas Dei, consiliumque immutabile scriptum nobis quotidie recitatur.* CVM SÆCVLO DESINET. *Imo*, consilium Domini in æternum manet. *Desinet tamen, vt alibi fusè probat Augustinus, quoad vsum Sacramentorum, & quantum ad opera misericordiæ; & pœnitentia in noua lege commendata, quando nullum amplius erit peccatum pro quo pœnitentia agatur, nullâ miseria proximi, cui subueniatur. De æterno testamento nouo Augustinus in Psal. 104.* [S. Aug.] Memor fuit testamenti sui, vtique inquit testamenti æterni, quod disposuit ad Abraham, non veteris quod aboletur, sed noui, quod etiam in veteri absconditur. *Et in Psal. 109. Quoniam mutatâ lege mutatur Sacerdotium, de immutabili Testamento nouæ legis ob æternum Sacrificium:* Iurauit Dominus & non pœnitebit eum. Iurauit, inquit, firmauit, non eum [S. Aug.]

pœnitebit, non mutabit. Quid? Tu es Sacerdos in æternum. Ideo in æternum, quia non pœnitebit eum. Sed Sacerdos secundùm quid? numquid erunt istæ hostiæ, victimæ oblatæ à Patriarchis, Aræ sanguinis & Tabernaculum, & illa primi Testamenti veteris Sacramenta? Absit. Iam illa sublata sunt, euerso jam templo, remoto illo Sacerdotio, pereunte victimâ eorum & sacrificio. Hæc nec Iudæi habent. Vident perisse jam Sacerdotium secundùm ordinem Aaron, & non agnoscunt Sacerdotium secundùm Melchisedech. *Et in titulum Psalmi. 143. de mutatione eiusdem testamenti, & oneroso Sacerdotio.* Nostis, inquit,
S. Aug. multis Sacramentis visibilibus: & corporalibus one-
A ratum esse populum primum, circumcisione, negotioso illo quodam Sacerdotio, & templo figuris pleno, multiplicibus holocaustorum, Sacrificiorumque generibus. Hæc Dauid noster tanquam arma prementia, non adiuuantia posuit. Si enim data esset lex quæ posset viuificare. *Et quomodo viuificaret ministratio mortis de qua Schol. præcedenti?* Verè ex lege esset justitia. Vt quid ergo lex? sequitur: sed conclusit, inquit, scriptura omnia sub peccato vt promissio *indemutabilis & firma*, ex fide Iesu Christi daretur credentibus. *In lege gratia, de qua Paulus:* Gratia Dei vita æterna. *Et Psaltes* justitia eius manet in sæculum sæculi.

9. *Lex noua tota pacis & veniæ. cont. Iud. cap. 3. à m.*

Denique ex hac domo Dei Iacob, etiam legem nouam processuram sequentibus verbis annuntiat Esaïas dicens:[a] *De Sion enim exiet lex, & Verbum Domini ex Ierusalem, & judicauit inter gentes*, id est inter eos qui ex gentibus sumus vocati: *& concident*, inquit,[b] *gladios suos in aratra, & lanceas suas in falces, & non accipiet gens super gentem gladium, & jam non discent præliari.* Igitur intelliguntur alij quàm nos, qui noua lege edocti illa obseruamus, obliterata veteri lege, cuius abolitionem futuram actus ipse demonstrat? nam vetus lex vltione gladij se vindicabat, &[c] *oculum pro oculo* eruebat, & vindictam iniuriæ retribuebat. Noua autem lex clementiam designabat, & belli pristina in æmulos legis, & hostis exsecutionem, in pacificos actus, arandæ, & colendæ terræ reformabat.

a Esa. 2. 3.
b Ibid.
c Leuit. 24. 20.

LEX NOVA. 9. SCHOL.

Annuntiat Esaias. 2. 3. Venite & ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & Verbum Domini de Ierusalem. Et judicabit gentes. Et arguet populos multos: & conflabunt gladios suos in vomeres, *70. inter gentes &c. Concident in aratra &* lanceas suas, in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prœlium. Actvs ipse, *abolitio de facto impleta, & lex talionis & vindictæ, in legem clementiæ & indulgentiæ demutata.* Belli pristina, *odia scilicet in gentiles diuinæ legi aduersantes.* Hostis execvtionem. *Euersionem & ruinam, ense, & gladio prius peractam, in agriculturam tempore pacis exercendam. posteriori parte prophetiæ relicta, vt aliàs expositâ, priorem ex Augustino referam, to 6. Oratione contra Iudæos. cap. 7.* Quid, inquit,
S. Aug. ad illud responsuri estis, quod Esaiaś Propheta proclamat, erit in nouissimis temporibus manifestus mons Domini paratus in cacumine montium, & exaltabitur super colles & venient ad eum vniuersæ gentes, & dicent, venite, & ascendamus, &c. Ex Sion enim lex prodiet, &c. An & hîc dicturi estis, nos sumus? Quoniam audistis, domum Iacob, & Sion, & Ierusalem: quasi nos negemus de semine Iacob esse Christum Dominum secundùm carnem, qui significatus est vocabulo montis parati super cacumen montium, quòd omnes celsitudines eorum eius celsitudo transcendit: aut negemus Apostolos, & illas Ecclesias Iudææ, quæ post Christi resurrectionem continuò in eum crediderunt, ad domum Iacob pertinere: aut vero alius intelligendus sit spiritaliter Iacob, quàm ipse populus Christianus: qui cùm sit minor natu quàm ipse populus Iudæorum, tamen eum crescendo superauit, & subdidit, vt impleretur quod de duobus illis fratribus in figura prædictum est: & maior seruiet minori. Sion autem & Ierusalem quamuis spiritaliter intelligatur Ecclesia, magis tamen aduersus istos idoneum testimonium est, quod ex illo loco vbi Christum crucifixerunt, & lex, & Verbum Domini processit ad gentes. Lex enim quæ illis per Moysen data est, de qua superbius
B extolluntur, & de qua melius conuincuntur, non intelligitur prodisse de Sion & Ierusalem, sed monte Sina. Ad terram quippe promissionis, vbi est quæ appellatur etiam Ierusalem, post quadraginta annos cum ipsa lege venerunt: non autem ibi eam, vel inde acceperunt. Euangelium verò Christi, & lex fidei, quod certum est, inde processit. Sicut etiam ipse Dominus posteaquam resurrexit à mortuis loquens discipulis suis, & ostendens prædicta diuinorum eloquiorum in se esse completa; quoniam sicut scriptum est, inquit, & sic oportet Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorũ per omnes gentes, incipientibus ab Ierusalem. Ecce quod Pro-
C phetauit Esaias dicens: ex Sion enim lex prodiet. Ibi enim veniens desuper secundum promissionem, Spiritus sanctus, eos quos tunc vna domus continebat, impleuit, & loqui linguis omnium gentium fecit: & inde exierunt prædicare Euãgelium in notitiam omnium gentium. Sicut enim lex illa quæ processit de Monte Sina quinquagesimo die post celebratum Pascha, conscripta est digito Dei, quo significatur Spiritus sanctus: ita lex ista quæ processit de Sion & Ierusalem, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis sanctorum Euangelistarũ Scripta est per Spiritum sanctum quinquagesimo die post verum Pascha Passionis & Resurrectionis Domini Christi: quo die Spiritus sãctus est missus, qui fideliter fuerat ante
D promissus. Ite nunc ô Israëlitæ secundum carnem, non secundum spiritum, ite nunc, & adhuc contradicite apertissimæ veritati: & cum auditis, venite & ascendamus, &c. Dicite nos sumus, vt cæci offendatis in montem, vbi collisa facie peius perdatis frontem. Si verè vultis dicere, nos sumus; ibi hoc dicite, ob iniquitatem populi mei ductus est ad mortem, &c. Si verè vultis dicere, nos sumus: tunc dicite quando auditis incrassa cor populi huius, &c. Tota die expandi manus, &c. Et nunc tu domus Iacob venite, &c. Hic profectò dicitis vt soletis, nos sumus. Sed quod dicitur, &c. Diuisit plebem suam domum Israel. Hic dicite nos sumus: his vos agnoscite, & nobis, quia ista commemoramus, ignoscite.

LEX VETVS ET NOVA SIMVL.

1. Lex vtraque in monte data cum nube & voce. 4. cont. Marc. cap. 22. V. Verbum Christi magnalia 6. circa med.

2. Lex vtraque, tam litera occidentis, quàm Spiritus viuificantis, ab eodem Deo Creatore venit. 5. cont. Marc. cap. 11. à p.

SIc & testamentum nouum non alterius erit, quàm qui illud repromisit; & si non litera, at eius spiritus, hoc erit nouitas. Denique, qui litteram tabulis lapideis inciderat, idem & de spiritu edixerat, [a] *Effundam de meo spiritu in omnem carnem.* Et si [b] *littera occidit, spiritus verò viuificat*, eius vtrumque est qui ait, [c] *Ego occidam, & ego viuificabo, percutiam, & sanabo.* Olim duplicem vim Creatoris vindicauimus, & iudicis & boni; litterâ occidentis per Legem, & spiritu viuificantis per Euangelium. Non possunt duos Deos facere, quæ & si diuersa, apud vnum recenseri præuenerunt.

2. Cor. 3. 6. Exo. 24. 12. a Ioël. 2. 28. b 2. Cor. 3. 6. c Deut. 32. 39.

3. Et 5. cont. Marc. cap. 13. circa f.

[a] LEx autem, inquit, *subintroiuit, vt abundaret delictum.* Quare? *Vt superabundaret*, inquit, *gratia.* Cujus Dei gratia, si non cujus & lex? nisi si Creator ideo legem intercalauit, vt negotium procuraret gratiæ Dei alterius, & quidem æmuli, ne dixerim ignoti; *vt quemadmodum apud ipsum regnauerat peccatum in mortem, ita & gratia regnaret in justitia in vitam per Iesum Christum*, aduersarium ipsius. Propter hoc, [b] *omnia concluserat lex Creatoris sub delictum, & totum mundum deduxerat in reatum & omne os obstruxerat*, ne qui gloriaretur per illam; vt gratia seruaretur in gloriam Christi, non Creatoris, sed Marcionis. Possum & hîc de substantia Christi præstruere, ex prospectu quæstionis subsecuturæ. [c] *Mortuos enim nos*, inquit, *Legi.* Ergo corpus Christi & potest corpus contendi, non statim caro. Sed & quæcunque substantia sit; cùm eius nominat corpus, quem subjicit ex mortuis resurrexisse, non potest aliud corpus intelligi, quàm carnis, in quam lex mortis est dicta. Ecce autem & testimonium perhibet legi, & causa delicti eam excusat. [d] *Quid ergo dicemus? Quia lex peccatum? Absit.* Erubesce, Marcion: Absit. abominatur Apostolus criminationem legis. *Sed ego delictum non scio nisi per legem.* O summum ex hoc præconium legis, per quam liquuit delictum latere! Non ergo lex seduxit, sed [e] *peccatum per præcepti occasionem.* Quid Deo imputas Legis, quod Legi eius Apostolus imputare non audet? Atquin & accumulat, [f] *Lex sancta, & præceptum eius justum & bonum.* Si taliter veneratur legem Creatoris, quomodo ipsum destruat nescio. Quis discernit duos deos, justum alium, bonum alium; cùm is vtrumque debeat credi, cuius præceptum & bonum & justum est?

a Rom. 5. 20. b Gal. 3. 22. c Rom. 6. 11. d Rom. 7. 7. ibid. e Ibid. 11. f Ibid. 12.

LEX VETVS ET NOVA. 2. & 3. SCHOL.

NON ALTERIVS, *Dei scilicet Marcionis.* QVI REPROMISIT *Dei Creatoris* HOC ERIT NOVITAS. *Nouum Testamentum, Spiritus est, respectu veteris, corticem literæ habentis, siue figuras & vmbras continentis. Vel alio sensu: Etsi nouum testamentum non eadem litera, siue verbis sit conscriptum, tamen ab eodem Dei Spiritu conceptum & dictatum fuit.* ET SI LITERA OCCIDIT. *Iuxta Paulum 2. Cor. 3. 6.* Idoneos nos fecit, ministros Noui Testamenti, non litera sed Spiritu: litera enim occidit. Spiritus autem viuificat. RECENSERI PRÆVENERVNT. *Eo ipso quod jam in veteri Testamento idem Deus Creator qui Spiritu suo scripserat legem in tabulis lapideis, & promiserat per Ioëlem se eundem Spiritum effusurum super omnem carnem: & per Moysem, occisurum se, & viuificaturum prænuntiauerat, præuenerat & præoccupauerat animos nostros, ne alium Deum esse crederemus; malum quidem literæ & legis Mosaycæ authorem, alium bonum legis nouæ habentis Spiritum viuificantis gratiæ. Aug. to. 3. lib. de Spiritu & litera. cap. 3.* Dicimus, inquit, humanam voluntatem sic diuinitus adiuuari ad faciendam justitiam, vt præter quòd creatus est homo cum libero arbitrio voluntatis, præterque doctrinam qua ei præcipitur quemadmodum viuere debeat, accipiat Spiritum Sanctum, quo fiat in animo eius, delectatio dilectioque illius summi atque incommutabilis boni, quod Deus est, etiam nunc cùm adhuc per fidem ambulatur, nondum per speciem: vt hac sibi velut arrha data gratuiti muneris inardescat inhærere Creatori, atque inflammetur accedere ad participationem illius veri luminis, vt ex illo ei bene sit, à quo habet vt sit. Nam neque liberũ arbitrium quicquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via: & cùm id quod agendum, & quò nitendum est, cœperit non latere, nisi etiam delectet & ametur, non agitur, non suscipitur, non bene viuitur. Vt autem diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, non per arbitrium liberum quod surgit ex nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Doctrina quippe illa qua mandatum accipimus continenter recteque viuendi, litera est occidens, nisi adsit viuificans Spiritus. neque enim solo illo modo intelligendum est quod legimus, litera occidit, Spiritus autem viuificat, vt aliquid figuratè scriptum, cuius est absurda proprietas, non accipiamus sicut litera sonat, sed aliud quod significat intuentes, interiorem hominem spiritali intelligentia nutriamus: quoniam sapere secundum carnem, mors est; sapere autem secundum Spiritum, vita & pax. Velut si quisquam multa quæ scripta sunt in Cantico Canticorum carnaliter accipiat, non ad luminosæ charitatis fructum, sed ad libidinosæ cupiditatis affectũ. Non ergo isto solo modo intelligendum est quod ait Apostolus, litera occidit, &c. Sed etiam illo, eoque vel maximè, quod apertissimè alio in loco dicit Rom. 7. Concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret, non

A B S. Aug.

concupiſces. Et paulò poſt ait: occaſione accepta, A peccatum per mandatum feſellit me, & per illud occidit. Ecce quid eſt, litera occidit. Et vtique non figuratè aliquid dicitur quod accipiendum non ſit ſecundùm literæ ſonum, cùm dicitur, non concupiſces: ſed apertiſſimum ſaluberrimumque eſt præceptum, quod ſi quis impleuerit, nullum habebit omnino peccatum. Nam hoc ideo elegit Apoſtolus generale quiddam quo cuncta complexus eſt, tanquam hæc eſſet vox legis ab omni peccato prohibentis, quod ait, non concupiſces. Neque enim vllum peccatum niſi concupiſcendo committitur: proinde quæ hoc præcipit, bona & laudabilis lex eſt. Sed vbi Sanctus non adiuuat Spiritus, inſpirans pro concupiſcentia mala concupiſcentiam bonam, hoc eſt charitatem diffundens in cordibus noſtris, B profectò illa lex, quamuis bona, auget prohibendo deſiderium malum. Sicut aquæ impetus, ſi in eam partem non ceſſet influere, vehementior fit obice oppoſito, cuius molem cum euicerit, maiore cumulo præcipitatus violentius per prona prouoluitur. Neſcio quo enim modo hoc ipſum quod concupiſcitur, fit jucundius, dum vetatur: & hoc eſt quod fallit peccatum per mandatum, & per illud occidit, cùm accedit etiam præuaricatio, quæ nulla eſt, vbi lex non eſt.

3. LEX SVBINTROIVIT. *Rom.* 5. 20. Lex autem ſubintrauit, vt abundaret delictum: vbi autem abundauit delictum, ſuperabundauit gratia. Vt ſicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam, per Ieſum Chriſtum C Dominum noſtrum. *Tranſlat. Syr. paulò aliter incipit:* Introitus porrò patuit legi, vt multiplicaretur peccatum. SI LEGEM INTERCALAVIT. *Intercalare eſt interſerere. Et menſis Februarius Intercalaris ideo dicitur, quod ei interſeratur vnus dies, qui ideo dicitur Intercalaris. Et dies exemptiles dicti ſunt, quod eximi ſolerent ex menſe, vt annus cum Solis & Lunæ ratione congrueret. Ita Budæus in l. 3. §. Minorem de minore. Plin. Annum biſſextilem Intercalarem dixit, quem Græci ἐμβόλιμον appellant. Inter peccatum ab Adam commiſſum, vſque ad legem gratiæ, Deus Creator intercalauit, interuocauit, interiecit legem Moſaycam, quod Paulus dixit,* Subintrauit lex. VT NEGOTIVM PROCVRARET. *Ironicè dicta. quaſi verò Deus Creator, ideo legem veterem* D *introduxerit, occaſionem maioris infirmitatis peccati; vt Dei Marcionis, æmuli ſui legi gratiæ negotium præpararet; haberetque quo vim ſuam medicam contra morbos à lege ſua cauſatos exerceret abundantius.* NE DIXERIM IGNOTI *quem prorſus, nullatenus, vt nullo opere & effectu ſe prodentem, hactenus agnouerat.* PROPTER HOC. *Proſequitur ironiam. Gal. 3. 22.* Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccato, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. DE SVBSTANTIA CHRISTI *de veritate carnis Chriſti poſſum hic præmittere quæ fuſius poſtea ſum probaturus.* EX PROSPECTV. *Eo quòd prævideam quæſtionem ſubſequentem.* MORTVOS ENIM. *Iam redit ad Epiſt. ad Romanos. vbi cap. 6. Paulus initio agit de morte & reſurrectione Chriſti. Et concludit verſu* E 11. Quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel, quod autem viuit, viuit Deo. Ita & vos exiſtimate, vos mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autem Deo in Chriſto Ieſu Domino noſtro. *Non ait Paulus,* mortuos legi, *ſed;* mortuos peccato. *Citat ergo Paulum juxta lectionem corruptam Marcionis. Niſi manis mortuos legi, id eſt cæremoniis legis abrogatis, non amplius ſeruire* ERGO CORPVS CHRISTI. *Hæc concluſio deduci non poteſt, niſi ex ſuppoſito textu capitis 6. ad Romanos. Vbi de morte & reſurrectione Chriſti tractat.* CORPVS, NON STATIM CARO. *Sic inducit ratiocinantem irrationaliter Marcionem; qui licet Corpus Chriſto tribuat, non eo ipſo carnem veram, natam ex Virgine, & ex elementis compoſitam admittit.* SED ET QVÆCVMQVE. *Huic reſpondet Tertullianus; ex quacumque ſubſtantia conſtet Corpus Chriſti, non poſſe intelligi alterius fuiſſe naturæ quam carneæ, cum Paulus dicat illud reſurrexiſſe; non reſurgit autem niſi id quod moritur, & legi mortis ſubditur, quæ in Adam peccatorem & omnes poſteros eius lata eſt.* ECCE AVTEM. *Mirare Marcion, Paulum, quem Dei tui boni Apoſtolum fingis, proindeque Dei Creatoris aduerſarium, legis ipſius Creatoris, non modo defenſorem contra blaſphemias tuas, ſed & eximium laudatorem.* SED EGO DELICTVM. *Rurſus inducit loquentem Marcionem. Cùm dixiſſet Tertullianus ex Paulo Rom. 7. 7.* Quid ergo dicemus? lex peccatum eſt? Abſit: *replicat Marcion:* Sed peccatum non cognoui niſi per legem. LIQVVIT. *Ceſſauit peccatum latere, & morbus prius latens liquido conſtitit & apparuit ægro; vt ſentiens morbum, medicum quæreret.* NON ERGO LEX. *Rom. 7. 11.* Inuentum eſt mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem. Nam peccatum occaſione accepta per mandatum ſeduxit me, *Syr. fecit me errare & per illud occidit.* ACCVMVLAT. *Exaggerat laudes legis, tantùm abeſt vt eam condemnet aut ſpernat.* IPSVM DESTRVAT. *gloriam legiſlatoris euertat.* QVIS DISCERNIT. *quàm temerè Marcion duos Deos inducit; alium juſtitiæ ſeuerum, alium bonitati mitem præſidem: cùm Paulus legem eidem adſcribat ſimul & juſtam & bonam. Reſtat vt Paulum per Auguſtinum explicem: to. 3. lib. de Spiritu & litera cap. 6.* S. Aug. Volens, inquit, Apoſtolus commẽdare gratiam quæ per Ieſum Chriſtum omnibus gentibus venit, ne Iudæi aduerſus cæteras gentes de accepta lege ſe extollerent, &c. Lex, inquit, ſubintrauit vt abundaret delictum, &c. Vidit à peruerſis peruerſe accipi poſſe quod dixerat, &c. Propter abundantiam gratiæ prodeſſe poſſe peccatum. Hoc diluens reſpondit, abſit, &c. Neque enim qui laudat beneficium medicinæ, prodeſſe morbos dicit & vulnera, à quibus illa hominem ſanat: ſed quantò maioribus medicina laudibus prædicatur, tantò magis vituperantur & horrentur vulnera & morbi, à quibus liberat quæ ita laudatur. Sic laus & prædicatio gratiæ, vituperatio, & damnatio eſt delictorum. Demonſtranda enim fuerat homini fœditas languoris eius, cui contra iniquitatem ſuam nec præceptum ſanctum & bonum profuit, quo magis aucta eſt iniquitas, quàm minuta: quandoquidem lex ſubintrauit vt abundaret delictum; vt eo modo conuictus atque confuſus, videret non tantùm doctorem ſibi eſſe neceſſarium; *legem tanquam pedagogum qui ſibi peccatum quaſi digito oſtenderet:* verum etiam adiutorem Deum, à quo eius itinera dirigantur, ne dominetur ei omnis iniquitas: & confugiendo ad opem diuinæ miſericordiæ, ſanetur: atque ita vbi abundauit delictum, ſuperabundaret & gratia, non peccantis merito, ſed ſubuenientis auxilio. Conſequenter eandem medicinam in paſſione & reſurrectione Chriſti myſticè demonſtratam oſtendit Apoſtolus, &c. quod enim mortuus eſt peccato, &c. Ita & vos exiſtimate mortuos peccato, &c. Nempe ſatis elucet myſterio Dominicæ mortis & reſurrectionis, figuratum vitæ noſtræ veteris occaſum, & exortum nouæ; demonſtratamque iniquitatis abolitionem, renouationemque juſtitiæ *Et Ser. 5. de Verb. Apoſt.* Quid, inquit, S. Aug. dubitamus ad hoc legem eſſe datam, vt inueniret ſe homo? Quando enim Deus non prohibebat à malo, latebat ſe homo, vires ſuas languidas non inuenit, niſi quando legem prohibitionis accepit. Inuenit ergo ſe, in malis inuenit ſe. Quò fugit ſe? Quocumque enim fugerit ſe, ſequitur ſe. Et quid ei prodeſt de ſe inuento ſcientia, quem ſauciat conſcientia? *recurras ergo ad medicum, ad legem gratiæ medicinalem refugias, quem lex Moyſi ægrum demonſtrat,*

nec sanat. Locum citatum ad Galatas 3. Exponit de Scriptura, supple veteris legis, omnia concludente sub peccato, quod nobis per legem manifestatum est. to. 4. in expositione ad Gal. cap. 3. vbi sumit illud Pauli ad Romanos 3. Scitis autem quoniam quæcumque lex dicit, his qui in lege sunt, loquitur: vt omne os obstruatur, & reus fiat omnis mundus Deo: Iudæi scilicet de transgressione legis, & gentes de impietate sine lege. Vnde & iterum ait Rom. 11. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, vt omnibus misereatur. Hoc & nunc dicit refricans ipsam quæstionem. Lex ergo aduersus promissa Dei? absit. Si enim data esset lex quæ posset viuificare, omnino ex lege esset iustitia: sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi, daretur credentibus. Non ergo lex data est, vt peccatum auferret, sed vt sub peccato omnia concluderet. *Vt non tantum gentilis contra legem naturæ peccans, sed & Iudæus contra legem Moysi, ægrum se & in carcere conclusum agnosceret, & medico & liberatore indigens eius gratiam reclamaret.* Lex enim ostendebat peccatum esse, quod illi per consuetudinem excæcati possent putare iustitiam. Vt hoc modo humiliati, cognoscerent non in sua manu esse salutem suam, sed in manu mediatoris. Maximè quippe humilitas reuocat, vnde nos deiecit superbia. Et ipsa humilitas est accommodata percipiendæ gratiæ Christi, qui singulare humilitatis exemplum est, &c. Cognitio maioris ægritudinis vt desiderari medicum vehementius fecit, & diligi ardentius. Cui enim plurimum dimittitur, plurimum diligit. *Et in Psal. 83.* Data, inquit, est lex hominibus, non quæ saluaret eos jam, sed per quam cognoscerent, in qua ægritudine jacebant, &c. Data est lex vt ægrum de morbo conuinceret, qui sibi sanus videbatur, vt peccata demonstrarentur, non auferrentur. Demonstrato peccato per datam legem auctum est peccatum, quia peccatum est & contra legem. Occasione, inquit, accepta per mandatum, &c. quid est, occasione accepta per mandatum? acceptum mandatum quasi viribus suis conati sunt facere homines, victi concupiscentia, mandati etiam ipsius transgressione rei facti sunt. Sed quid ait Apostolus? vbi autem abundauit peccatum, &c. Id est auctus est morbus, commendata est medicina. *Subiicit legem figuratam fuisse in quinque porticibus piscinæ, in quibus producebantur ægroti.* Quinque, inquit, illæ porticus, lex est in quinque libris Moysi. Ad hoc producebantur ægroti de domibus, vt jacerent in porticibus. Ergo lex producebat ægrotos, non sanabat. Sed benedictione Dei turbabatur aqua tanquam Angelo descendente. Visâ aquâ turbatâ, qui poterat vnus descendebat, & sanabatur. Aqua illa cincta quinque porticibus populus Iudæorum erat lege conclusus. Hunc perturbauit Dominus præsentia sua, vt occideretur. Nisi enim descensu suo Dominus turbaret populum Iudæorũ, numquam crucifigeretur. Itaque perturbata aqua passionem Domini significat, quæ facta est, perturbata gente Iudæorum. In hanc passionem credit languidus, tanquam in aquam turbatam descendens & sanatur, &c. Nam & benedictionem dabit qui legem dedit, &c. Afflixit nos lege, pressit nos lege, sub lege gemuimus. Quid restat nisi vt benedictionem det qui legem dedit? adueniente gratia post legem, ipsa est benedictio, &c. *Et in Psal. 102. in versum.* Notas fecit vias suas Moysi, &c. Per Moysem, inquit, data est lex, & habet aliquid obscurum traditio ipsa legis. Ad hoc enim data est lex vt conuinceretur languidus, & medicum imploraret. Ipsa est occulta via Dei. *Subiicit vt supra de quinque porticibus.* Lex subintrauit vt abundaret peccatum. *Sicut per rimas nauis subintrat aqua maris, & viator nauigans, impleret nauarcus.* Quare lege subintrante abundauit peccatum? quia nolebant se confiteri homines peccatores, addita lege, facti sunt præuaricatores, &c. Vt crescente peccato, humiliarentur superbi, humiliati, confiterentur; confessi, sanarentur. Istæ sunt viæ occultæ quas notas fecit Moysi, per quem legem dedit, qua peccatum abundaret, & superabundaret gratia. Non crudeliter hoc fecit Deus. *Vt contra Creatorem blasphemabat Marcion* sed consilio medicinæ. Aliquando enim videtur sibi homo sanus, & ægrotat: & in eo quod ægrotat, & non sentit, medicum non quærit. Augetur morbus, crescit molestia, quæritur medicus, & totum sanatur corpus.

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

4. *Lex vetus & noua, gladius bis acutus, quo Christus vincit & regnat. 3. cont. Marc. cap. 14. à p ad m.*

Videamus ergo, an alius sit ensis ille, cuius alius est actus. Nam & Apostolus Ioannes in Apocalypsi,[a] *ensem describit ex ore Dei prodeuntem, bis acutum*, præacutum; quem intelligi oportet sermonem diuinum, bis acutum duobus Testamentis, Legis & Euangelij: acutum sapientia, infestum diabolo; armantem nos aduersus hostes spiritales nequitiæ & concupiscentiæ omnis, amputantem etiam à carissimis ob Dei nomen. Quod si Ioannem agnitum non vis, habes communem magistrum Paulum,[b] *præcingentem lumbos nostros veritate, & lorica iustitiæ, & calciantem nos præparationem Euangelij pacis*, non belli:[c] *adsumere jubentem scutum fidei, in quo possimus omnia diaboli ignita tela extinguere; & galeam salutaris, & gladium spiritus; quod est*, inquit, *Dei sermo*. Hanc & Dominus ipse[d] *machæram venit mittere in terram, non pacem*. Si tuus Christus est, ergo & ipse bellator est. si bellator non est, machæram intentans allegoricam, licuit ergo & Christo Creatoris in psalmo sine bellicis rebus, ensem sermonis Dei præcingi figurato, cui supradicta tempestiuitas congruat, & gratia labiorum; quem tunc jam[e] *cingebatur super femur*, apud Dauid, quandoque missurus in terram. Hoc est enim quod ait,[f] *Et extende, & prosperare, & regna.* Extendens sermonem in omnem terram ad vniuersarum gentium vocationem; prosperaturus successu fidei, qua est recepturus; & regnans exinde, qua mortem resurrectione deuicit. *Et deducet te*, inquit, *mirificè dextera tua*; virtus scilicet gratiæ spiritalis, qua Christi agnitio deducitur. *Sagittæ tuæ acutæ*, per volantia vbique præcepta, & minæ, & traductiones cordis, compungentes & transfigentes conscientiam quamque. *Populi sub te concidens*, vtique adorantes. Sic bellipotens & armiger Christus Creatoris. sic & nunc accipiens spolia, non solius Samariæ, verum & omnium gentium. Agnosce & spolia figurata, cuius & arma allegorica didicisti. Esa. 8. 4.

a Apoc. 1. 16. & 19. 15.
b Ephes. 6. 14. & seq.
c Ibid. 16.
d Matth. 10. 34.
e Psal. 44. 4.
f 5. Ibid. & seq.

LEX VETVS ET NOVA. 4. SCHOL.

AN ALIVS SIT. *ab eo quem super femur accinctus est Psalmo 44. de quo paulò supra dixeras.* ALIVS ACTVS. *gestus, vel operatio. Cum enim Psaltes imponat femori, Ioannes autem in Apoc. ori, diuersus poterit esse vtriusque effectus.* AMPVTANTEM, *separantem; iuxta verba Christi. Matth.* 10. Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, &c. IOANNEM AGNITVM NON VIS, *non admittis Ioannis Apocalypsim tanquam Canonicam.* COMMVNEM MAGISTRVM. *Cuius scripta nobiscum recipis.* MACHÆRAM. *Frameam, gladium ancipitem, bis acutum.* SI TVVS CHRISTVS. *Si tibi vindicas Christum, si eum asseris non esse Dei Creatoris & Domini exercituum, sed Dei tui tantummodo boni & pacifici filium; quomodo bellator est, & gladio diuidis & separat? Si gladium vibrat mysticum, hoc est gladium spiritus vtraque parte acutum Dei Verbum, siue vtrumque testamentum, cur non liceat Christo Creatoris filio etiam ensem mysticum supra femur portare, carnales affectus pacifico prælio debellare?* FIGVRATÒ, *figuratiuè & mysticè.* SVPRA DICTA TEMPESTIVITAS. *maturitas & prudentia sapientis eloquij, de qua initio capitis dixerat.* IAM TVNC. *In prophetia & figura veteris Testamẽti.* LIQVVIT ERGO. *ab his verbis vsque ad finem huius textus, habes eadem prorsus ijsdemque terminis, Verbo Christi elogia. num.* 18. *Cum scriberet contra Iudæos, quæ proinde hic non amplius explicabo. De gladio item, alijsque armis ad alibi dicta recurrat lector; Quibus sequentia ex August. adijcio. lib* 20. *de Ciuit. cap.* 21. Potest, inquit, & ignis, & gladius, & vulnus accipi in bono. Nam & (S. Aug.)

A ignem Dominus velle se dixit mittere in mundum. Et visæ sunt illis linguæ diuisæ velut ignis, quando venit Spiritus sanctus. & non venit, inquit, idem Dominus pacem mittere in terram, sed gladium. Et sermonem Dei dicit Scriptura gladium bis acutum propter aciem geminam testamentorum duũm. Et in Cantico Canticorum charitate se dicit Sancta Ecclesia vulneratam, velut amoris impetu sagittatam. *Et in Psal.* 149. Gladij ancipites in manibus eorum. Frameas, inquit, bis acutas intelligimus sermonem Domini, &c. Vnde bis acutus? dicit de temporalibus, dicit de terrenis, in vtroque probat quod dicit, & eum quem ferit separat à mundo. Nonne ipse est gladius de quo Dominus dicit, non veni pacem, &c? vetus testamentum terrena promittit, nouum, æterna: B in vtroque sermo Dei verax inuentus est, &c. quare in manibus & non in lingua? in manibus dixit, in potestate. *Et to.* 9. *lib. Medit. cap.* 37. *Sic de telo & gladio amoris Dei quo se cupit vulnerari:* vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es: vulnera eam igneo & potentissimo telo tuæ nimiæ charitatis. Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Hebr. 4. tu sagitta electa, & gladius acutissimus, qui durum scutum humani cordis penetrare, tua potentia vales; confige cor meum iaculo tui amoris, vt dicat tibi anima mea, charitate tua vulnerata sum: itaut ex ipso vulnere amoris tui, vberrimæ fluant, lacrymæ die ac nocte. (S. Aug.; S. Aug.)

5. *Lex vetus & noua pariter mendacium, iram, opera tenebrarum, societatem malorum, ebrietatem Sacerdotibus maximè prohibet. 5. cont. Marc. cap. 18. à p.*

[a] *DEponentes mendacium, loquimini veritatem ad proximum suum quisque. Et,* [b] *irascimini, & nolite delinquere*: ipsis verbis quibus psalmus exponeret sensus eius. [c] *Sol non occidat super iracundiam vestram.* [d] *Nolite communicare operibus tenebrarum.* [e] *Cum iusto enim iustus eris, & cum peruerso peruerteris. Et,* [f] *auferte malum de medio vestrum. Et,* [g] *exite de medio eorum; &, immundum ne attigeritis. Separamini, qui fertis vasa Domini* Sic &, [h] *inebriari vino*, dedecor; inde est, vbi sanctorum inebriatores increpantur: [i] *Et potum dabatis sanctis meis vinum.* Quod prohibitus erat potare & Aaron Sacerdos, & filij eius cùm adirent ad sancta. Et psalmis & hymnis Deo canere docere illius est, qui cum tympanis potius & psalteriis vinum bibentes incursari à Deo norat. Ira, cuius inuenio præcepta, & semina præceptorum, vel augmenta, eius Apostolum agnosco.

a Eph. 4. 25. & 26. b Ps. 4. 5. c Eph. 4. 26. d Eph. 5. 11. e Psal. 17. 27. f 1. Cor. 5. 13. g 2. Cor. 6. 17. h Esa. 52. 11. i Ephes. 5. 18. Amos. 2. 12. Num. 6. 3. Leuit. 10. 9. Eph. 5. 19. Esa. 5. 11 12.

LEX VETVS ET NOVA. 5. SCHOL.

DEPONENTES MENDACIVM. *Ephes.* 4. 25. Propter quod deponentes mendacium loquimini veritatem, vnusquisque cum proximo suo, quia sumus inuicem membra. *Augustinus citatus à Beda in ser. de hac lectione.* Nemo, inquit, cogitet cum Christiano loquendam veritatem, & cum pagano mendacium. Cum proximo tuo loquere, proximus est omnis homo. Omnes proximi sumus conditione terrenæ natiuitatis. Et taliter fratrem illâ spe cœlestis hæreditatis proximum tuum debes putare omnem hominem, & antequam sit Christianus. Non enim nosti qualis sit futurus apud Deum, qui modò aut Iudæus, aut hæreticus, aut paganus est; fortè per misericordiam Dei ita conuertetur ad Dominum, vt inter sanctos primum locum obtinere mereatur. *Et lib. cont. Mendacium cap.* 6. In psalmo cùm dictum esset: qui loquitur veritatem in corde suo; non sic accipiendum est, quasi retentâ in corde veritate, loquendum sit in ore mendacium, &c. Mox additum est, qui non egit dolum in lingua sua. Et illud quod Apostolus ait: deponentes mendacium, &c. (S. Aug.; S. Aug.)

C Absit vt sic intelligamus, tanquam loqui mendacium permiserit cum eis qui non sunt nobiscum membra Corporis Christi. Sed ideo dictum est, quia vnusquisque nostrũ hoc debet quemque deputare, quod eum vult fieri, etiam si nondum factus est; sicut Dominus alienigenam Samaritanum, proximum eius ostendit, cum quo misericordiam fecit. Proximus ergo habendus est, non alienus, cum quo id agendum est, ne remaneat alienus. Et si propter id, quòd nondum est fidei nostræ Sacramentique particeps factus, aliqua illi occultanda sunt vera, non D tamen ideo dicenda sunt falsa, &c. Sed & si aliter omnino non posset educi de cauernis suis hæretica impietas, nisi à tramite veritatis lingua Catholica deuiaret, tolerabilius illa occultaretur, quàm ista præcipitaretur. Tolerabilius in suis foueis delitescerent vulpes, quàm propter illas capiendas, in blasphemiæ foueam caderent venatores. IRASCIMINI. Et nolite peccare *August. lib.* 1. *Retract. cap.* 19. Non fratri irascitur, qui peccato fratris irascitur. Qui ergo fratri, non peccato irascitur, sine causa irascitur. (S. Aug.)

Et Ser. 35. de Verb. Do. Si dico, corrigite vos, mihi non debetis irasci, sed vobis, vt corrigamini. Ad hoc enim valet quod dictū est in Psalmo: irascimini, & nolite peccare. Volo vos irasci, sed vt non peccetis. Vt autem non peccetis, quibus habetis irasci, nisi vobis? Quid est enim homo pœnitens, nisi homo iratus sibi? Vt accipiat veniam, de seipso exigit pœnam. *Vide alibi tractatos alios locos hic citatos.* CVIVS, *Dei Creatoris Apostolum vel inde agnosce, respondentem per omnia veteri testamento, cuius legem implet & perficit.*

S. Aug.

LEX HVMANA.

1. *Leges omnes humanæ, à lege Dei & Moysi sunt depromptæ. 2. cont. Marc. cap. 17. circa f.*

VEni deniq. ad inspectationem doctrinarum, disciplinarum, præceptorum, consiliorumque eius. Dices forsitan, hæc etiam humanis legib. determinari. Sed ante Lycurgos & Solonas omneis, Moses & Deus. Nulla posteritas non à primordiis accipit. Tamen non à tuo Deo didicit Creator meus proscribere, [a] *Non occides. non adulterabis. non furaberis. non falsum testimonium dices. alienum non concupisces. honora patrem & matrem, &, diliges proximum tuum vt temetipsum.* a Exo. 20. 14.

LEX HVMANA. 1. SCHOL.

INSPECTATIONEM. *Disquisitionem & examen.* EIVS. *Dei Creatoris.* ANTE LYCVRGOS. *Plurale pro singulari. Ante omnes legislatores, Moyses legem à Deo accepit & populo Hebræo promulgauit.* ACCIPIT, *sumit à prædecessoribus quæ iustè latæ sunt leges.* NON A TVO. *qui longè posterior est, qui tot sæculis incognitus fuit, ô Marcion.* PROSCRIBERE. *præscribere, prius ferre legem, vel prohibere, & quasi in exilium amandare, & interdicere homicidium, adulterium, furtum, &c. De legislatoribus antiquis Augustinus libro 2. de Ciuit. cap. 16.* Si, inquit, à diis suis Romani viuendi leges accipere potuissent, non aliquot Annos post Romam conditam ab Atheniensibus mutuarentur leges Solonis: quas tamen non vt acceperunt, tenuerunt, sed meliores & emendatiores facere conati sunt: quamuis Lycurgus Lacedemoniis leges ex Apollinis authoritate se instituisse confinxerit. Quod prudenter Romani credere noluerunt, propterea non inde acceperunt. Numa Pompilius, qui Romulo successit in regnum, quasdam leges quæ quidem regendæ ciuitati nequaquam sufficerent, condidisse fertur: qui eis etiam multa sacra constituit: non tamen perhibetur easdem leges à Numinibus accepisse. *Quod hic Magius, & Nicolaus Cragius, arguunt memoria lapsum Augustinum dicentem Romanos non accepisse leges à Lacedemoniis, non aduerterunt, ipsum secutum esse Liuium lib. 3. Aduerte legislatores plurimos vt maiorem suis legibus conferrent authoritatem, finxisse se eas à diis accepisse. Ita Mynias Ægyptiorum legislator suas à Mercurio, Minos à Ioue, Solon à Minerua, Zamolxis à Vesta, Lycurgus ab Apolline confinxit.* Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua. *Quid ita?* Et lex tua veritas. *Verissimum enim est Moysem à Deo in Monte Sina legem accepisse, non duodecim tabularum, sed duarum, decalogum continentium.* Induxit illum in nubem, & dedit illi coram præcepta; & legem vitæ & disciplinæ. *Præ cæteris:* Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. *De antiquitate Moysi & Sacræ Scripturæ authoritate super omnes leges suo loco fusius tractabimus.*

S. Aug.

2. *Leges hominum, maximè vero gentilium erroneæ, & vt tales emendatæ, magna Authorum confusione. Apol. cap. 4. à p.*

SEd quoniam, cùm ad omnia occurrit veritas nostra, postremò legum obstruitur auctoritas aduersus eam, vt aut nihil dicatur retractandum esse post leges, aut ingratis necessitas obsequij, præferatur veritati: de legibus prius consistam vobiscum, vt cum tutoribus legum. Iam primùm, cùm durè definitis, dicendo non licet esse vos; & hoc sine vllo retractatu humaniore præscribitis, vim profitemini, & iniquam ex arce dominationem, si ideo negatis licere, quia vultis, non quia debuit, non licere. Quòd si, quia non debet. ideo non vultis licere, sine dubio id non debet licere, quod malè fit, & vtique hoc ipso præjudicatur licere, quod benè fit. Si bonum inuenero esse, quod lex tua prohibuit, nonne ex illo præjudico prohibere eam non posse, quod, si malum esset, jure prohiberet? Si lex tua errauit, puto ab homine concepta est· neque enim de cœlo ruit. Miramini hominem aut errare potuisse in lege condenda, aut resipuisse in reprobanda? Non enim & ipsius Lycurgi leges à Lacedæmoniis emendatæ tantum auctori suo doloris incusserunt, vt in secessu inediâ de semetipso judicarit? Nonne & vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem & squalentem siluam legum nouis principalium rescriptorum, & edictorum securibus ruspatis & cæditis?

3. *Leges gentilium stultæ & impiæ, quæ ignorata crimina, & non inquisita puniri volunt. Apol. cap. 4. in f.*

QVomodo iniquas dicimus? immò si nomen puniunt, etiam stultas. si verò facta, cur in nobis de solo nomine puniunt facta, quæ in aliis de admisso, non de nomine probanda definiunt? Incestus sum; cur non requirunt? infanticida; cur non extorquent? in Deos, in Cæsares aliquid committo; cur non audior, si quid habeo quo purger? nulla lex vetat discuti, quod prohibet admitti: quia neque judex justè vlciscitur, nisi cognoscat admissum esse quod non licet: neque ciuis fideliter legi obsequitur, ignorans quale sit quod

vlciſcitur. Nulla lex ſibi ſoli conſcientiam juſtitiæ ſuæ debet, ſed eis, à quibus obſequium expectat. Ceterùm ſuſpecta lex eſt, quæ probari ſe non vult: improba autem, ſi non probata dominetur. *Et lib. 1. ad Nat. cap. 6. per totum.*

LEGES HOMINVM. 2. & 3. SCHOL.

A OCCVRRIT VERITAS NOSTRA. *Lex Diuina & Chriſtiana, omnibus criminibus viam obſtruit, ſed quidquid ſancta ſit omnis diſciplina noſtra, legum veſtrarum ſola authoritas opponitur nobis, in qua quidem authoritate tuenda vos gentiles in duplicem incurritis iniquitatem. Quarum prima eſt, vt ne quidem examinare velitis; vtrum leges veſtræ contra Chriſtianos latæ juſtæ ſint vel iniquæ, ſed oculis clauſis, ijs parendum eſſe cenſeatis.* AVT INGRATIS. *Secunda, quòd vos ſic adſtrictos obſequio principum teneatis, vt non tantùm iniuſtè, ſed & ſeruiliter & indignè illud obſequium cæcum veritati & juſtitiæ præferatis, idque gratis facitis, nulla inde gratia & commodo vobis accedente.* CONSISTAM VOBISCVM. *alij legunt* concurram, *diſceptabo de veſtris legibus quarum vos exhibetis acerrimos defenſores.* NON LICET ESSE VOS. *vobis non licet Chriſtianam religionem*
B *profiteri. Exterminandum eſt nomen Chriſtianum.* VIM PROFITEMINI. *vos tyrannos eſſe confitemini, & tyrannicam velut ex Arce poteſtatis in Chriſtianos exercere dominationem.* PROHIBERE NON POSSE, *cùm lex omnis juſta, non debeat niſi quod malum eſt prohibere, profectò lex veſtra iniqua eſt, nec de cælo à Deo venit quæ mores optimos Chriſtianorum prohibet.* INEDIA IVDICARIT *ſeipſum Lycurgus fame necarit præ triſtitia concepta, de emendatis legibus ſuis.* TENEBRAS ANTIQVITATIS. *ex Sylua legum opaca productas.* PRINCIPALIVM RESCRIPTORVM. *id eſt à principibus latarum legum.* RVSPATIS. *alij legunt* truncatis. *Ruſpari propriè dicuntur gallinæ ſcrutantes vermiculos aliaſque eſcas: vnde ſumitur pro diligenter inquirere & examinare.*

C 3. INIQVAS DICIMVS? *Iuſtè leges veſtras in Chriſtianos latas iniquitatis arguimus, & ſtultitiæ, quæ pœnas ſoli nomini indicant & infligunt.* DE SOLO NOMINE. *quaſi ſatis ſit reum eſſe facti & criminis, quod nomen Chriſtiani habemus.* CONSCIENTIAM IVSTITIÆ, *Non ſatis eſt vt lex juſta videatur legiſlatori, ſed & talis agnoſci debet ab eo qui legi obſequitur. Quoniam vel hæc ipſa vel ſimilia ſæpius alibi expoſuimus ſine verbo*, Chriſtiana Religio, ſine verbo Gentilis, *hæc ſummatim attigi, vno contentus quod propriè ſupra præcipitem in multis arguit author noſter legum Gentilium authoritatem, cum ait*: Neque enim de cœlo ruit. *Vnde longè præferenda eſt, non ſolùm antiquitate præpollente, ſed & apparatu magno Deo dante, lex Moyſi, ſicut notauit Auguſtinus lib. 10. de Ciuit. cap. 13.* Cum, inquit, opor-
D teret Dei legem, *quam vt ſupra diximus quoad Decalogum obſeruant Chriſtiani, vt ſanctam & juſtam & bonam*; in edictis Angelorum terribiliter dari, non vni homini, paucisue ſapientibus, ſed vniuerſæ genti, & populo ingenti, coram eodem populo magna facta ſunt in monte *igne, fumo, tonitru, tubis, &c.* Vbi lex per vnum dabatur, *incontemplabilem facie ſplendida*; conſpiciente multitudine metuenda ac tremenda quæ faciebant. Non enim populus Iſraël ſic Moyſi credidit, quemadmodum ſuo Lycurgo Lacedæmonij, quod à Ioue ſeu Apolline leges, quas condidit, accepiſſet. Cùm enim lex dabatur populo, qua coli vnus jubebatur Deus, in conſpectu ipſius populi, quantum ſufficere diuina prouidentia judi- S. Aug.

cabat, mirabilibus rerum ſignis ac motibus apparebat, ad eandem legem dandam, docentem Creatori, ſeruire creaturam.

Et lib. 1. ad Nat. c. 6. AD ARVLAM. *vt tanquam arioli, quid circa nos agendum ſit, legum veſtrarum oracula, diuina videlicet; conſulatis.* EXSECVTORES. *præſides & judices.* HOMICIDAM. *Suppone, lege ſancitam eſſe pœnam contra homicidam. De jure quidē conſtat; de facto autem, diligenter inueſtigandum eſt.* ERVI DEBET, *extorqueri debet interrogationibus ordo facti* LEGIS INIVSTÆ. *Lib. 1. de lib. arbit. cap. 5. ita Euodius cum Auguſtino colloquens*: Non ergo lex juſta eſt quæ dat poteſtatem vel viatori, vt latronem, ne ab eo ipſe occidatur, occidat; vel cuipiam viro, aut fœminæ, vt violenter ſibi ſtupratorem irruentem, ante illatum ſtuprum, ſi poſſit, interimat: Nam militi etiam jubetur lege, vt hoſtem necet: à qua cæde ſi temperauerit, ab Imperatore pœnas luit. Num iſtas leges iniuſtas, vel potius nullas dicere audebimus? nam mihi lex eſſe non videtur, quæ juſta non fuerit. *Præmiſerat Auguſtinus & in rem noſtram congruentius; cùm longè iniuſtior ſit lex Imperatorum, Chriſtianos ſine cauſa, interrogatione non præmiſſa, ſuppliciis immanibus damnans, deorum ſacrilego cultus prætextu: dum ſic eum interrogaret Euodius*: quare nunc age, quæramus ſi placet, vtrum etiam in ſacrilegiis libido dominetur, quæ videmus plura ſuperſtitione committi. Aug. vide nè præproperum ſit; prius enim diſcutiendum videtur, vtrum vel hoſtis irruens, vel inſidiator ſicarius, ſiue pro vita, ſiue pro libertate, ſine vlla interficiatur libidine. Euod. quomodo poſſunt arbitrari carere iſtos libidine, qui pro iis rebus digladiantur, quas poſſunt amittere inuiti: aut ſi non poſſunt, quid opus eſt pro his, vſque ad hominis necem progredi? *Porro cùm juxta Paulum*, non ſit poteſtas niſi à Deo: *& Chriſtus Pilato judici reſponderit*; non haberes in me poteſtatem vllam, niſi datum tibi eſſet deſuper: *Quomodo lex à poteſtate terrena lata in Chriſtianos, juſta non eſt, ſi à Deo eſt? ſed licet iniuſtè, & inordinatè, vt pote ſine cauſa ab Imperatore feratur, juſtè tamen, & piè à Deo ferri permittitur; vt Chriſtiani Martyrio coronentur, & tyranni æterno igne puniantur. Hinc Aug. malum inferentes, ſæuius torqueri, malum patientibus, notat lib. 1. Confeſſ. c. 18.* Quaſi verò, inquit, quemlibet inimicum hominem pernicioſius ſentiat, quàm ipſum odium, quo in eum irritatur: aut vaſtet quiſquam perſequendo alium grauius, quam cor ſuum vaſtat, inimicando. & certè non eſt interior literarum ſcientia, *quæ leges in libris, vel edictis principum præſcribuntur*, quam ſcripta conſcientia, id ſe alteri facere, quod nolit pati. Quàm tu ſecretus es, habitans in excelſis, in ſilentio Deus ſolus magnus, lege infatigabili ſpargens pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates. *Et lib. 5. cap. 8.* Hoc miſeriores eos oſtendens, quò jam quaſi liceat, *per legem vel conſuetudinem* faciunt, quod per tuam æternam legem numquam licebit: & impunè ſe facere arbitrantur, cùm ipſa cæcitate faciendi puniantur. Et incomparabiliter patiantur peiora quàm faciunt. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

4. *Lex Papia de ſuſcipiendis liberis, impura: & lex mortis in debitores, mutata in mulctam pecuniæ & pudoris. Apol. cap. 4. in m.*

NOnne vaniſſimas Papias leges, quæ antè liberos ſuſcipi cogunt, quàm Iuliæ matrimonium contrahi; poſt tantæ auctoritatis ſenectutem, heri Seuerus conſtantiſſimus

Principum exclusit? Sed & judicatos retro in partes secari à creditoribus, leges erant. consensu tamen publico crudelitas postea erasa est; in pudoris notam capitis pœnâ conuersâ. bonorum adhibita proscriptio, suffundere maluit hominis sanguinem, quàm effundere. Quot adhuc vobis repurgandæ latent leges? quas neque annorum numerus, neque conditorum dignitas commendat, sed æquitas sola. & ideo, cum iniquæ recognoscuntur, meritò damnantur, licet damnent.

5. Leges posteriores, priores abrogant. De Bapt. cap. 13. in p. V. Verbum. Baptismi necessitas. in m.

6. Leges sunt inutiles, nimia pœnarum indulgentia de pudic cap. 1. circa. f. & 2. in p. Vide Verbum. Remissio peccati. in alphabeto errorum num. 1. in f. & num. 2. in p.

LEX PAPIA. 4. SCHOL.

VANISSIMAS PAPIAS LEGES. *Plurali, pro singulari vtitur. Consulendus Dio lib. 55. & Isid. lib. 5 Etym. cap. 15. sub Augusto Imperatore lata est à Papio, & Popao Consulibus, in qua lege præmia patribus decernuntur pro suscipiendis liberis. Vanissimas dicit, quòd fœminas longè antequam nubiles essent, & possent filios suscipere, nubere cogebant.* QVAM IVLIÆ *licet ab Augusto editæ essent, tamen in honorem Iulij Cæsaris sic vocatæ sunt, quibus certam ætatem præscribebant, vltra quam Cœlibatum seruare quisquam vetabatur, & Matrimonium inire cogebatur. Lex Papia juxta Sozomen. lib. 1. hist. Eccl. cap. 9. & Rufinum lib. 1. hist. tripartitæ cap. 9. prohibuit Cœlibes qui annum 25. prætериissent, frui priuilegiis, quibus nupti vtebantur. Adeo vt nihil ex parentum & propinquorum testamento capere possent, nisi intra centum dies legi parerent, vt notat Vlpianus in fragmento 17. de caducis legatis. Liberos item non habentes, media bonorum parte mulctauit. Quam legem licet in aliquo Tyberius, & Claudius Cæsares moderati sint, Seuerus vt notat hic Tertullianus, Constantissimus Imperator sic vocatus ob animi constantiam in abroganda penitus hac lege, prorsus extinxit. Deinde à Constantino, & post eum ab Honorio, tandem à Iustiniano sublata est. Eo porro consilio lata est lex Papia contra Cœlibatum, quòd vrbs ciuibus exhausta propter bella Ciuilia, multitudine prolis in statum pristinum reducenda videretur. Contra huiusmodi leges scripsit Ambrosius lib. 3. de Virg. docens eos decipi, qui ex Cœlibatu Christianorum, putabant fœcunditatem arescere Imperij Romani; probatque exemplis, in locis vbi paucæ sunt virgines, pauciores quoque homines reperiri, multiplicari vero vbi plures sunt virgines. Papias & Iulias leges pluries carpsit Author noster. Sic enim lib. 1. ad Vxorem cap. 5.* Nimirum necessaria est soboles; quærenda nobis onera sunt, quæ legibus locantur. *Quasi conductitiæ sint leges, quæ seruantur spe mercedis, aut metu mulctæ. De his rursum, de Monogamia scribens:* legibus Iuliis agi credunt, & existimant Cœlibes & orbos ex testamento Dei solidum non posse capere. *Et de exhort. castit.* Ad quos suscipiendos, legibus compelluntur homines. *Ita edixit lex duodecim tabularum.* Censores, Cœlibes esse prohibunto. *Præterea & Plato libro 6. de legibus, pecunia & honoribus mulctauit eos qui Annis 35: peractis, coniuges non haberent, nec habere vellent.* RETRÒ, *antea, prioribus temporibus, leges crudeles erant latæ contra debitores, quibus judicabantur, in partes diuidi debitorum corpora, & creditoribus juxta debiti quantitatem distribui. Alludit ad legem duodecim tabularum cap. 8. de Nexis, id est obligatis:* Tertiis nundinis capite pœnas luito, aut trans Tyberim peregrè ito. Ast si plures erunt rei, *id est eiusdem debitoris creditores*, tertiis nundinis partes secanto; si plus minusue secuerint, sine fraude esto. BONORVM PROSCRIPTIO. *quæ communiter dicitur,* cessio bonorum, *successit pœnæ mortis; & suffusio sanguinis in pudore, & verecundia faciei, in sanguinis effusionem. Lex ergo illa decemuiralis abrogata est*

A *anno. 630. ab Vrbe condita, & per legem consularem, L. Papirio Muggellano Cursore, & C. Poëtelio. 2. Coss. Et pœna mortis in bonorum proscriptionem commutata. De laudibus castitatis, & virginitatis, deque nuptiarum bonis, fusè alibi. Hic breuiter de multiplicatione à Deo benedicta cum Augustino. lib. 14. de Ciuit. cap. 21.* Illa, inquit, benedictio nuptiarum, vt coniugati crescerent & multiplicarentur, & implerent terram, quamuis & in delinquentibus manserit: tamen antequam delinquerent, data est, vt cognoscerent procreationem filiorum ad gloriam connubij, non ad pœnam pertinere peccati. *Et lib. 9. de Gen. ad lit. cap. 3.* Si quæratur, inquit, ad quam rem fieri oportuerit adiutorium simile homini, nihil aliud probabiliter occurrit, quam propter filios procreandos, sicut adiutorium semini terra est, vt virgultum ex vtroque nascatur: hoc enim & cum prima rerum conditione dictum erat, masculum & fœminam fecit eos, & benedixit Deus dicens eis, crescite & multiplicamini, & replete terram, & dominamini eius. Quæ ratio conditionis & coniunctionis masculi & fœminæ, atque benedictio, nec post peccatum hominis pœnamque defecit. Ipsa enim est secundum quam nunc terra hominibus plena est dominantibus eius: quanquam enim jam emissi de paradiso conuenisse & genuisse commemorentur, tamen non video quid prohibere potuerit vt essent etiam eis in paradiso honorabiliores nuptiæ, & thorus immaculatus; hoc Deo præstante fideliter justéque viuentibus, eique obedienter sanctéque seruientibus, vt sine vllo labore ac dolore pariendi fœtus ex eorum semine gignerentur. *Sed longè perfectior, non tantùm lege humana, de multiplicatione prolis, sed & ipsa diuina propagationis humani generis, lex Euangelica, in consiliò castitatis, quæ mater est castæ virtutum omnium generationis: de qua idem Aug. supra. lib. 14. de Ciuit. cap. 21.* Alij, inquit, quamuis Scripturas accipiant & honorent: illud tamen quod dictum est, crescite & multiplicamini, non secundum carnalem fœcunditatem volunt intelligi: quia secundum animam legitur tale aliquid dictum: multiplicabis in anima mea virtutem: vt id quod in Genesi sequitur, & implete terram, & dominamini eius: terram intelligant carnem, quam præsentia sua implet anima, eiusque maximè dominatur, cum in virtute multiplicatur. *Et cap. 22. vbi de masculo & fœmina ad literam intelligenda, non probat quæ ab aliis in eodem homine dicuntur.* De Spiritu, inquit, qui imperat, & carne quæ obtemperat, aut de animo rationali qui regit, & irrationali cupiditate quæ regitur, aut de virtute contemplatiua quæ excellit, & de actiua quæ subditur, aut de intellectu mentis, & sensu corporis. *Habemus item in Deo creditore nostro Christo, maximè aduersam crudelitati legis 12. tabul. Clementiæ legem; cùm enim in partes diuidi pœnâ mortis æternâ propter peccata mereremur, ipse vt pro nobis debita solueret Patri, diuisâ est in partibus, per di-*

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

B C D E

versa tormenta, carne, tandem animam à corpore volens A
diuidi, & pœnam mortis in nos latam, solo pudore confessionis commutauit: Dum ipse sustinuit crucem con-
S. Aug. fusione contemptâ, *Aug. Ser. 18. de Verb. Do.* Debitum, inquit, quid est nisi peccatum? ergo si non accepisses alieni fœneratoris pecuniam, non egeres: Et ideo peccatum tibi imputatur. Habuisti pecuniam, cum qua diues nascereris. Diues eras ad imaginem Dei, & similitudinem factus: perdidisti quod habebas, hoc est humilitatem. Dum arrogantiam desideras vindicare, perdidisti pecuniam. Sicut Adam nudus es factus, accepisti à diabolo debitum, quod non erat necessarium. *Iam satis diuiti per gratiam. quæstus enim magnus pietas est cum sufficientia.* Et ideo qui eras liber in Christo, debitor factus es diabolo. Cautionem tuam tenebat inimicus: sed eam Dominus crucifixit: *tollens Chirographum debiti quod erat contrarium nobis, & affigens illud cruci.* & suo cruore deleuit. *alij legunt, diluit.* abstulit debitum tuum, & reddidit libertatem.

LIBERTAS ET LIBERVM ARBITRIVM.

1. *Libertas vera, Christi seruitus est. De Cor. cap. 13. in m.*

1. Cor. 6. 20. CORONAT & libertas secularis. Sed tu jam redemptus es à Christo, & quidem magno. Seruum alienum, quomodo seculum manumittet? Et si libertas videtur, sed & seruitus videbatur. Omnia imaginaria in seculo, & nihil veri. Nam & tunc liber hominis eras,
1. Cor. 7. 21. 22. redemptus à Christo: & nunc seruus es Christi, licet manumissus ab homine. Si veram putes seculi libertatem, vt & corona consignes, redisti in seruitutem hominis, quam putas libertatem: amisisti libertatem Christi quam putas seruitutem.

LIBERTAS. 1. SCHOL.

LIBERTAS SÆCVLARIS. *apud Gentiles, serui libertate donati coronari solent.* TV REDEMPTVS. 1. *Cor.* 6. 20. Non estis vestri *Syr. vestri juris.* Empti enim estis pretio magno. SERVVM ALIENVM. *Contra jus est, de seruis alienis disponere, eisque donare libertatem. Quomodo ergo emptitium Christi seruum, tanti emptum præsumet Gentilis aliquis manumittere, & manumittendo coronare, in signum regiæ libertatis?* SI LIBERTAS VIDETVR. *Vt apud Gentiles, & in vsu sæculi, non juxta veritatem, sed secundum imaginationem omnia æstimantur, nec propriè vera libertas, nec vera seruitus est.* LIBER HOMINIS ERAS. *Quicumque enim liber in sæculo, à Christo seruus emitur, licet libertate donatus sit à Domino Gentili, seruus tamen Christi manet.* VT ET CORONA CONSIGNES. *Commodum enim & quasi perfectum signaculum libertatis erat impositio coronæ capiti manumissi. In quo, inquit, erras, & te subtrahens liberæ Christi seruituti, seruili te mancipas sæculi libertati. Paulus.* 1. *Cor.* 7. 22. Qui enim in Domino vocatus est seruus, *id est qui dum seruus esset, ad fidem Christi conuersus est,* libertus est Domini. *Et Rom.* 6. 20. Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc vero liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. *Veram libertatem, sine integritatem liberi arbitrij positam, in electione summi boni, quod in communi proprium est obiectum, voluntatis; quod absque vlla coactione, & necessitate, sponte & liberrimè amplectitur; & in perfecta alienatione à malo peccati, quod propriè solum & vnicum malum est, vbique docet Augustinus. Et hæc Dei libertas est, quòd peccare non possit:* quoniam Deus non volens iniquitatem tu es: *talis libertas Christi: de quo Paulus:* talis decebat vt nobis esset Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, &c. *Talis beatissimæ Virginis, quæ ab ipso conceptu, in gratia confirmata, peccare omnino non potuit. Talis beatorum Angelorum, qui in præmium boni vsus libertatis indifferentis, quam sicut & Adam, in principio suæ creationis acceperant, electo bono summo, et perfectè adhæserunt, eique inseparabili nexu connecti meruerunt; talis denique Sanctorum omnium Deo in gloria fruentium, qui perpetuò seruituti peccati renuntiauerunt in sæculo, & liberrimæ Christi seruituti subiecti, reprobato malo peccati, bonum virtutis elegerunt. Aliquos locos ex Augustini fontibus haustam. to. 7. lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 5.* Nonne, inquit, faciente, ac suscipiente verbo, ipse homo ex quo esse cœpit, filius Dei vnicus esse cœpit? nonne filium Dei vnicum fœmina illa gratia plena concepit? nonne de Spiritu Sancto ex virgine Maria, Dei filius vnicus natus est, non carnis cupidine, sed singulari Dei munere? numquid metuendum fuit, ne accedente Ætate, homo ille libero peccaret arbitrio? An ideo in illo non libera voluntas erat, ac non tantò magis erat, quantò magis peccato seruire non poterat. *Et lib. de Corrept. & Gratia. cap. 11.* Neque metuendum erat, ne isto ineffabili modo in vnitatem personæ à Verbo Deo natura humana suscepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium; cùm ista susceptio talis esset, vt natura hominis à Deo ita suscepta, nullum in se motum malæ voluntatis admitteret. *Et lib. de natura & gratia cap. 46.* Nec dicere audemus ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere justitiæ, quia non potest velle peccare. *Lib. autem 22. de Ciuit. de perfecta libertate & immunitate beatorum à peccato, sic fatur cap. vltimo:* Nec ideo, inquit, liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippe erit liberum à delectatione peccandi, vsque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum. Nam primum liberum arbitrium quod homini datum est, quando primùm creatus est rectus, potuit non peccare, sed potuit & peccare: hoc autem nouissimum eò potentius erit, quò peccare non poterit. Verùm hoc quoque Dei munere, non suæ possibilitate naturæ, &c. Certè Deus ipse numquid quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est?

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

2. *Liber & bonus homo, non natura sicut Deus, sed à Deo proprietate accepta. 2. cont. Marc. cap. 6. circa m.*

BONUS natura Deus solus. Qui enim quod est sine initio habet, non institutione habet illud, sed natura. Homo autem, qui totus ex institutione est, habens initium, cum

initio sortitus est formam qua esset: atque ita non naturâ in bonum dispositus est, sed institutione; non suum habens bonus esse, quia non naturâ in bonum dispositus est, sed institutione, secundùm institutorem bonum, scilicet bonorum conditorem. Vt ergo bonum jam suum haberet homo, emancipatum sibi à Deo, & fieret proprietas jam boni in homine, & quodammodo natura, de institutione adscripta est illi, quasi libripens emancipati à Deo boni, libertas, & potestas arbitrij, quæ efficeret bonum, vt proprium jam sponte præstari ab homine; quoniam & hoc ratio bonitatis exigeret voluntariè exercendæ; ex libertate scilicet arbitrij, non fauente institutioni, non seruiente: vt ita demum bonus consisteret homo, si secundùm institutionem quidem, sed ex voluntate jam bonus inueniretur, quasi de proprietate naturæ: proinde vt & contra malum (nam & illud vtique Deus prouidebat) fortior homo prætenderet, liber scilicet & suæ potestatis: quia si careret hoc jure, vt bonum quoque non voluntate obiret, sed necessitate, vsurpabilis etiam malo futurus esset ex infirmitate seruitij, proinde & malo, sicut bono famulus. *V. mutatio. 3.*

LIBER ET BONVS HOMO. 2. SCHOL.

DEVS SOLVS. *Scilicet per essentiam solus bonus est. Cæteri per participationem. Vnde Christus Discipulo dicenti sibi.* Magister bone. Quid me, inquit, vocas bonum? nemo bonus *à se*, nisi solus Deus. NON INSTITVTIONE, *id est non ab alio institutus, & conditus, accepit ab aliquo bonum quod habet, siue vt rectius dicam, quod est; sed illud ab æterno possidet.* HOMO EX INSTITVTIONE. *Qui totus creatura conditus est ex nihilo.* NON NATVRA IN BONVM. *Non vult Author hominem in bonum finem non fuisse conditum, aut naturam bonam non accepisse, sed à se non habere, sicut eam Deus à se habet.* IAM SVVM. *De quo tanquam de suo disponere posset, quasi de emancipato, hoc est à manu Dei, in proprias manus tradito.* QVASI LIBRIPENS, *vt esset arbiter boni sibi à Deo dati, & posset hinc inde quasi libris ponderare, quid à Deo accepisset, quid de accepto referre gratiæ deberet: quid pœna, quid mercedis ex Dei obsequio suscepto, vel neglecto veniret; data est ei libertas & potestas arbitrij, qua posset jam sponte & liberè & voluntariè bonum virtutis colere, & Deo seruire.* LIBRIPENS *à libra & pendendo dictus est, quod in emptione pretium in massa penderetur. Sic fiebant seruorum emancipationes, ad quas hic alludit Author. Quo ritu, id fieret docuit Caius lib. 1. Instit.* Est mancipatio venditio. Is qui mancipium accipit, æs tenens, ita dicit: hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse aio; isque mihi emptus est hoc ære æneaque libra. Deinde ære percutit libram: idque æs dat ei, à quo mancipium accipit quasi pretij loco. *Plin. libro 33. cap. 3.* Qua, inquit, consuetudine, in his emptionibus quæ mancipi sunt, etiam nunc libra interponitur. *Eadem voce vsus est Iustinianus Instit. de Testam. §. accessit.* NON FAVENTE INSTITVTIONI, *id est non ex necessitate natura condita bona, seruiens institutori; neque ex aliqua cæteris creaturis communi seruitute;* quoniam omnia seruiunt tibi. VT ITA DEMVM BONVS. *Vt non solum ob bonam naturam acceptam, sed ob bonam & liberam boni virtutis operationem, bonus esset, quasi ex proprietate naturæ rationalis.* PROINDE VT ET CONTRA MALVM. *Ideo etiam liber conditus est, vt contra peccati malum fortis obsisteret, benè vtens libertate sua; qua si careret, infirmitate naturæ se peccasse causari potuisset, sicut & rectè egisse non ex voluntatis arbitrio, sed ex vi necessitatis, merito caruisset & præmio in vtroque non liber; sed tam peccati quàm virtutis seruus. Aug. lib. 22. de Ciuit. cap. vlt. Notat differentiam liberæ Dei bonitatis, & humanæ naturæ.* Aliud, inquit, est esse Deum, aliud participem Dei. Deus natura peccare non potest; particeps verò Dei ab illo accepit, vt peccare non possit. Seruandi autem gradus erant diuini muneris, vt primum daretur liberum, quo non peccare posset homo: nouissimum, quo peccare non posset: atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium pertineret. Sed quia peccauit, ista

S. Aug.

A natura, cùm peccare potuit, largiore gratia liberatur, vt ad eam perducatur libertatem, in qua peccare non possit. Sicut enim prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori; nouissima erit, non posse mori: ita primum liberum arbitrium, posse non peccare: nouissimum non posse peccare. Sic enim erit inamissibilis voluntas pietatis, & æquitatis, quomodo est fœlicitatis. Nam vtique peccando nec pietatem, nec fœlicitatem tenuimus, voluntatem verò fœlicitatis, nec perdita fœlicitate perdidimus, &c. Erit ergò illius ciuitatis, & vna in omnibus, & inseparabilis in singulis voluntas libera, ab omni malo liberata, & impleta omni bono, fruens indeficienter æternorum jucunditate gaudio-
B rum, oblita culparum, oblita pœnarum, nec tamen ideo suæ liberationis oblita, vt liberatori suo sit ingrata. *De libra pensilis hinc inde libertatis in statu innocentiæ, in quo æquè poterat homo sanus, in bonum flecti, sicut & in malum, nulla difficultas; sed perditâ innocentiâ, res ita non habet. Licet enim remanserit facultas, & potestas ad vtrumlibet, non est tamen par ad vtrumque facilitas; cùm & intellectus debilitatus ignorantiâ, non clarè percipiat verum, & voluntas per concupiscentiam inclinata ex se non facilè, vt ante, flectatur in bonum. Vnde nisi gratia sanet intellectum, & voluntatem, in eligendo bono vero fallitur ex se, & facilè decipitur; & pondere concupiscentiæ trahentis in malum, non erigitur ad amplexandum verum bonum. Differentiam*
C *hanc subtilissimè, & pulcherrimè statuit Augustinus. lib. 3. cont. Iul. operis perfecti, à sectione 112. ad 121.* Iulianus dixit: vt res absoluta paucis illuminetur exemplis, vt tam liberum sit homini sacrilegium facere velle, quam nolle; tã liberum sit parricidiũ velle perpetrare, quàm nolle; tam liberũ sit adulterium committere velle, &c. tam liberum Deo obedire imperanti, quàm diabolo persuadenti. Augustinus respondit: verum dicis: hoc est liberum arbitrium; tale omnino accepit Adam: sed quod datum est à conditore, & à deceptore vitiatum, vtique à Saluatore sanãdum est. Hoc vos non vultis cum ECCLESIA confiteri, hinc estis hæretici. Homo qui non cogitas vbi sis, & in
E diebus malis, tanquam in bonis cæcus extolleris. Quando erat tale, quale describis liberũ arbitrium, nondum homo vanitati similis factus erat, &c. Nondum dicebatur, ego in iniquitatibus conceptus sum: Nondum dicebatur: quis enim mundus à sorde, nec infans, &c. Postremò non dicebatur, non quod volo, sed quod audio, illud facio. Et scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum. Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Et, video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Hoc malum in Adam, quando rectus creatus est, non erat, quia natura humana depravata non erat: rectorem habebat,

S. Aug.

quem libero reliquit arbitrio; non liberatorem quærebat, per quem liber fieret à vitio, &c. *Et Sectione* 114. Ecce quod jam dixi, & iterum dico, & vobis video sæpè dicendum. S. Aug. Nemo nisi per gratiam Christi, ad bonum quod vult, agendum, & ad malum quod odit, non agendum, habere potest, liberum voluntatis arbitrium: non vt voluntas eius ad bonum sicut ad malum captiua rapiatur, sed vt à captiuitate libera, ad liberatorem suum liberali suauitate amoris, non seruili amaritudine timoris attrahatur. *Et Sect.* 118. S. Aug. Dico ego esse possibile voluntati hominis, deflectere à malo, & facere bonum; sed ei voluntati, quàm Deus adjuuat gratis, non quam Iulianus inflat ingratus. S. Aug. *Et Sect.* 120. Iulianus dixit: sed quæro, qui-

A bus Poëtis in talem incurreris Ippocrinem, vt bimembrem bestiam fingeres, non quidem criminando, sed blasphemando; cuius corpus de mala necessitate formares, & solam faciem nomine libertatis obduceres. Augustinus respondit: pingis tibi ipse quod placet, cui vacat inani corde inania volutare phantasmata. Cur enim tu adminicula gratiæ supponis bonæ voluntati, *non vt simpliciter, sed vt facilius agat*. Cùm voluntas mala nullo innitatur adminiculo, vt mala sit, vel mala esse persistat? An hîc libra tua, quam conaris ex vtraque parte per æqualia momenta suspendere, vt voluntas quantum est ad malum, tantum etiam sit ad bonum libera, vergendo te in vnam partem, te indicat delirantem?

3. Liber esse debuit homo, imago Dei, & vniuerso imperaturus. 2. cont. Marc. cap. 5. à m.

Liberum & sui arbitrij & suæ potestatis inuenio hominem à Deo institutum, nullam magis imaginem & similitudinem Dei in illo animaduertens, quàm eiusmodi status formam. Neque enim facie & corporalibus lineis, tam variis in genere humano, ad vniformem Deum expressus est; sed in ea substantia, quam ab ipso Deo traxit, id est animæ, ad formam Dei respondentis, & arbitrij sui libertate & potestate signatus est.

Et ibidem. c. 6. circa. m.

Sed & aliàs quale erat vt totius mundi possidens homo, non in primis animi sui possessione regnaret, aliorum dominus, sui famulus?

4. Liberum hominem creare debuit ratio & bonitas Dei; per quam Author boni naturæ, non mali lapsus innotesceret. 2. cont. Marc. cap. 6. in f.

Si & bonitas & ratio Dei inuenitur circa libertatem arbitrij concessam homini, non oportet omissa primo definitione bonitatis atque rationis, quæ ante omnem tractatum constituenda est, pòst factis præiudicare, non ita Deum instituere debuisse, quia aliter quàm Deum deceret euasit; sed dispecto, quia ita debuerit instituere, saluo eo quod dispectum est, cetera explorare. Ceterum, facile est offendentes statim in hominis ruinam, antequam conditionem eius inspexerint, in auctorem referre quod accidit, quia nec auctoris examinata sit ratio. Denique, & bonitas Dei à primordio operum perspecta, persuadebit nihil à Deo mali euenire potuisse, & libertas hominis recogitata se potius ream ostendet, Cap. VII. quod ipsa commisit. Hac definitione omnia Deo salua sunt; & natura bonitatis, & ratio dispositionis, & præscientiæ & potentiæ copia.

LIBER ESSE DEBVIT. 3. & 4. SCHOL.

NVLLAM MAGIS IMAGINEM. *Diuersè sentiunt Patres de imagine Dei in homine. Alij ponunt in eo quod in summo rerum sit gradu, hoc est spiritalium, sicuti Deus & Angeli; Alij quod sit immortalis anima cum Origene. Alij cum Damasceno, quòd præditus sit intellectu, memoriâ & voluntate. Alij cum Nysseno quod sit capax sapientiæ, virtutis, gratiæ, visionis beatificæ. Alij cum Basilio, quòd cunctis animalibus veluti Rex dominetur. Alij cum Ambrosio post Tertullianum quod libero arbitrio sit donata. Augustinus libro. 5. Operis perfecti contra Iul. sect.* 38. S. Aug. Hoc putas ad naturam liberi arbitrij pertinere, vt possit vtrumque, & peccare scilicet, & non peccare: & in hoc existimas hominem factum ad imaginem Dei, cùm Deus ipse non possit vtrumque. Neque enim demens quisquam dixerit Deum posse peccare; aut tu dicere audes Deum liberum arbitrium non habere. Dei ergo, non nihili munus est, liberum arbitrium: sed in ipso Deo summum est arbitrium qui peccare non potest. NEQVE ENIM FACIE. *Cùm Deus sit incorporeus (quidquid alibi corporeum finxerit) lineamentis corporeis, homo Deum, nisi fortè incarnatum, referre non potest; neque exprimere tot diuersis formis vniformem Dei substantiam* SIGNATVS EST. *Iuxta Psaltem.* Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. QVA-

A LE ERAT. *Quàm indignum fuisset, vt Rex mundi à Deo constitutus homo, seipsum, in potestate sua libera non habuisset, vt in seipso regnaret, & liberè de seipso in statu innocentiæ conditus rectus, nec in malum vlla concupiscentia impellente pronus. Quàm incongruè sui ipsius appetitus seruus extitisset, qui cæterorum animalium creatus fuerat Dominus. De imagine Dei in homine. Vide dicta to. 2. V. homo imago Dei, per sex numeros. vbi plurima ex August.* RATIO DEI. *Sapientia qua condidit vniuersa.*

4. NON OPORTET OMISSA, &c. *Priusquam de euentu rerum à Deo dispositarum iudicium feramus, debet primo præsupponi, Deum nihil absque iudicio & sapientia fecisse: & blasphemum est dicere, propter sinistrum* B *euentum rerum, maximè earum quæ libertate à Deo donatæ sunt, sicut homo, & Angelus; ea ad malum liberè abutentes. Deum non ita eas instituere, & condere debuisse.* SALVO EO QVOD DISPECTVM EST. *Oportet igitur primò dispicere & diligenter aduertere res omnes, vt Deo dignum erat, rectè & optimè fuisse institutas, deinde rerum euentus ad hanc regulam iustitiæ & bonitatis examinare. Aliàs quicumque sine hoc præsupposito fundamento inciderit in lectionem lapsus hominis, statim incurret in blasphemiam Marcionis, & peccatum hominis eius creatori imputabit.* IPSA COMMISIT. *Homo seipsum reum fatebitur, quòd ad imaginem Dei conditus, liber & Rex*

ac Dominus sui, sua sponte abusus est libertate. Quo posito Deus eximitur ab hominis reatu, & summa bonitate & sapientia talem hominem condidisse, & abundantissima sapientia lapsum eius prævidisse, & maxima potentia eum à lapsu erexisse & imaginem licet peccato deformatam, gratiâ redemptoris reparasse, & in perfectissimum statum plenissimæ & consummatissimæ similitudinis in gloriam prouexisse, vbi iam Deo similis omnino peccare non possit, vt impleatur illud Ioannis: Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. *Nihil in rem Tertulliani aptius quàm quod habet Augustinus. tract. 4. in Ep. Io. Vbi hunc locum perbellè tractat, quem subiiciam paucis præmissis ex Scholasticorum doctrina; Nempe beatos peccare non posse, & in hoc Deo simili libertate frui; quòd cùm peccatum sit auersio ab æterno & incommutabili, vtroque ac summo bono, & conuersio ad commutabile & corruptibile bonum, impossibile est beatos cognitione illius clarissima, & amore ardentissimo perfruentes, ab eo auerti, vt ad bonum creatum, mutabile, corruptibile conuertantur. Sic igitur ratiocinatur Augustinus:* Intelligat, inquit, charitas (S. Aug.) vestra; magna res: scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Iam illud attendite, quid vocatur? est. Quid vocatur, & non solum vocatur, sed verè est? incommutabilis est, semper manet, mutari nescit, nulla ex parte corrumpitur: nec proficit, quia perfectum est; nec deficit, quia æternum est. Et quid est hoc? In principio erat Verbum. Et quid est hoc? qui cum in forma Dei esset, &c. Ergo visuri sumus quandam visionem fratres, quam nec oculus vidit, &c. visionem quandam, visionem præcellentem omnes pulchritudines terrenas, auri, argenti, nemorum atque camporum, pulchritudinem maris, & aëris, pulchritudinem Solis, & Lunæ, & stellarum, Angelorum, omnia superantem, quia ex ipso pulchra sunt omnia. Quid ergo erimus, quando videbimus quod nobis promissum est? Similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. *Audi Paulum iam spe beatum, & dicentem.* Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur de claritate in claritatem. *Et quæ tandem imago? nisi vt summo, vero, incommutabili bono, & impeccabili iustitia, & sanctitati adhærentes, impeccabiles, boni, ac beati efficiamur. Ne ergo Marcion, aut blasphemus aliquis dicat Deum sic debuisse creare hominem impeccabilem.* Inexterminabilem enim, *teste Sapiente, eum fecerat, arbitrij sui compotem, in natura suam imaginem, in gratia similitudinem; quam deformatam Verbo suo incarnato reformauit in melius, & in optimum statum impeccabilitatis in beatitudine cœlestis paradisi prouexit. Augustinus tract. 3. in Ep. Io. sic blasphemis respondet.* Quomodo, inquiunt, & quare tales nos fecit? Nonne dicunt hoc quotidie (S. Aug.) homines conuicti de factis suis? praua voluntate peruersi artificem accusant. Clamat ille artifex de cœlo, quia ipse nos fecit, qui nos refecit. Ego hominem feci, non auaritiam: Ego hominem feci, non latrocinium, ego hominem feci, non adulterium. Audistis quia laudant me opera mea, &c. Laudant Angeli, laudant stellæ, laudant luminaria, laudant quidquid natat, quidquid volat, quidquid ambulat, quidquid repit, &c. Numquid audistis quia laudat Dominum auaritia? Numquid audistis quia laudat Dominum ebriositas? quia laudat luxuria, laudat nugacitas? quidquid ibi non audis laudem dare Domino, non fecit Dominus. Corrige quod tu fecisti, vt saluetur quod in te fecit Deus. *Rectissimum ordinem institutæ à Deo libertatis fusè prosequitur Augustinus lib. 3. de Lib. arbitrio cap. 5.* Quidã cùm ratione verissima videant meliorem esse creaturam, quæ quamuis habeat liberam voluntatem, Deo tamen semper (S. Aug.) infixa numquam peccauerit; intuentes peccata hominum, non vt peccare desinant, sed quia facti sunt, dolent, dicentes: tales nos faceret, vt semper incommutabili eius veritate perfrui, numquam autem peccare vellemus. Non clament, non succenseant, quia neque ipsos ideo cogit peccare, quia fecit, quibus potestatem vtrum vellent, dedit: & sunt tales quidam Angeli, qui neque peccauerunt vnquam, neque peccaturi sunt. Quamobrem si te delectat creatura, *quasi perfectissima imago Dei* quæ perseuerantissima voluntate non peccat, non est dubitandum quod eam peccanti, recta ratione præponas: sed sicut eam tu recta ratione præponis, sic eam creator Deus ordinatione præposuit. Crede esse talem in superioribus sedibus, & in sublimitate cœlorum: quia si bonitatem conditor præbuit ad eam condendam, cuius præuidit futura peccata, nullo modo non præberet eam bonitatem, vt creaturam conderet quam peccaturam non esse præsciuit. Habet enim illa sublimis perpetua beatitudinem suam, in perpetuum fruens creatore suo, quem perpetua tenendæ iustitiæ voluntate promeretur. Habet deinde ordinem suum etiam ista peccatrix, amissa in peccatis beatitudine, sed non dimissa recuperandæ beatitudinis facultate, quæ profectò superat eam quam peccandi perpetua voluntas tenet. Inter quam & illam priorem permanentem in voluntate iustitiæ, hæc medietatem quandam demonstrat, quæ pœnitendi humilitate altitudinem suam recipit. Nam neque ab illa creatura quam præsciuit Deus non solum peccaturam, sed etiam in peccandi voluntate mansuram, abstinuit largitatem bonitatis suæ, vt eam non conderet. Sicut enim melior est vel aberrans equus; quàm lapis, propterea non aberrans, quia proprio motu & sensu caret: Ita est excellentior creatura quæ libera voluntate peccat, quàm quæ propterea non peccat, quia non habet liberam voluntatem.

5. Liberum arbitrium lex prima homini data probat, vt quæuis alia, præmium, vel pœnam proponens. 2. cont. Marc. cap. 5. in f.

HVnc statum eius confirmauit etiam ipsa lex, tunc à Deo posita. Non enim poneretur lex ei, qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate: nec rursus commi- (Gen. 2. 17.) natio mortis transgressioni adscriberetur, si non & contemptus legis in arbitrij libertatem homini deputaretur. Sic & in posteris legibus Creatoris inuenias,[a] *proponentis ante hominem bonum & malum, vitam & mortem:* sed nec aliàs totum ordinem disciplinæ per præcepta (a Eccli. 15. 18.) dispositum, auocante Deo, & minante, & exhortante, nisi & ad obsequium & ad contemptum libero & voluntario homine.

6. Libertas hominis, sine lege irrationalis fuisset, & cum animalibus lege solutis adæquasset. 2. cont. Marc. cap. 4. V. Verbum. Lex prima. num. 6.

LIBER HOMO. 8. SCHOL.

TOTA LIBERTAS. *Plena, & indifferens, ac versatilis pro nutu suo in bonum & malum.* SVI DOMINVS. *Sui juris.* CONSTANTER OCCVRRERET, *absque violentia, constanti animo, sponte peccatum vitare petens, & bonum agere.* SVB IVDICIO DEI, *à quo pœnam vel mercedem recepturus erat.* IVSTVM ILLVD EFFICERE, *judicium Dei scilicet justum probare, ex meritis bonis vel malis à libero arbitrio precedentibus.* IVRE PENSARETVR, *justè redderetur. Nisi homo voluntate libera benè vel malè egisset, vbi enim necessitas & coactio, ibi nullum meritum vel peccatum. Aug. to. 1. lib. Solilq. cap. 1. Sic Deum laudat, & precatur; vbi ex libero Arbitrio bona vel mala merita hominus fluere agnoscit.* Deus cuius legibus in æuo stantibus, motus instabilis rerum mutabilium perturbatus esse non sinitur, frenisque circumeuntium sæculorum, semper ad similitudinem stabilitatis reuocatur; cuius legibus arbitrium animæ liberum est, bonisque præmia, & malis pœnæ, fixis per omnia necessitatibus distributæ sunt. *Aduerte, non intendere, legem Dei, fixam & immobilem necessitatem imponere libero hominis arbitrio. Neque enim liberum esset, sed coactum. Sed legem pœnarum, & præmiorum immobilem; quia æterna sunt, & pœnæ, & præmia; quia, teste Psalte:* Iustitia tua, iustitia in æternum. *Iustitia autem non esset si homo benè vel malè, non voluntate, sed necessitate fecisset. Et lib. 3. de lib. Arbitrio cap. 16. probat hominem nihil à Deo pro meritis suis exigere posse, a quo habet vt sit, vt liberè velit, & benè velit.* Deus, inquit, nulli debet aliquid quia omnia gratuita præstat. Et si quisquam dicet ab illo aliquid deberi meritis suis; certè vt esset, non ei debebatur. Non enim erat cui deberetur. Et tamen quod meritum est, conuertere ad eum ex quo es, vt ex ipso etiam melior sis, ex quo habes, vt sis, &c. Omnia ergo illi debent, primo quidquid sunt, in quantum naturæ sunt. Deinde quidquid melius possunt esse, si velint, quæcumque acceperunt vt velint, aut quidquid oportet eas esse. Ex eo igitur quod non accepit, nullus reus est: ex eo verò quod non facit quod debet, justè reus est. Debet autem si accepit, & voluntatem liberam, *sicut Adam integram, & nulla concupiscentiæ pondere in malum pronam, sed rectam.* & sufficientissimam facultatem. *En gratia, quam Augustinus in homine & Angelo ante lapsum sufficientissimam agnoscit, quæ satis erat ad non peccandum, si voluissent.* Vsque adeo autem, dum non facit quisque quod debet, nulla culpa est conditoris; vt & laus sit, quoniam quod debet, patitur; & in eo ipso quod vituperatur, non faciendo quod debet, non nisi laudetur ille cui debet. Si enim tu laudaris videndo quid facere debeas, cùm id non videas, nisi in illo qui est incommutabilis veritas; quantò magis ille qui & velle præcepit, & posse præbuit, & non impunè nolle permisit. *Et to. 3. libro de Agone Christ. cap. 10.* Nostræ, inquit, imbecillitati misertus est: quam imbecillitatem, non eius opere, sed nostra voluntate meruimus. Nam Deus hominem inexterminabilem fecit, & ei liberum voluntatis arbitrium dedit; non enim esset optimus, si Dei præceptis, necessitate, non voluntate seruiret. *Et lib. 13. de Ciuit. cap. 14.* Deus creauit hominem rectum, naturarum author, non vtique vitiorum: sed sponte deprauatus, justéque damnatus, deprauatos, damnatosque generauit. Omnes enim fuimus in illo vno, quando omnes fuimus ille vnus, qui per feminam lapsus est in peccatum, quæ de illo facta est ante peccatum. *Et to. 7. lib. 3. contra Crescontium, cap. 11.* Dedit quidem Deus homini liberam voluntatem; sed nec bonam infructuosam, nec malam esse voluit impunitam.

S. Aug. — A — B — S. Aug. — S. Aug. — S. Aug.

9. *Libero arbitrio peccatum imputandum est, non autem Deo; qui bonus & sapiens fecit hominem liberum, in quo tanquam in imagine nosceretur.* 2. *cont. Marc. cap. 6. in p.*

SEd quoniam ex hoc jam intelligimur, eò struentes liberam hominis potestatem arbitrij sui, vt quod ei euenit, non Deo, sed ipsi debeat exprobari; ne & tu hinc jam opponas, non ita illum institui debuisse, si libertas & potestas arbitrij exitiosa futura esset; hoc quoque prius defendam, ita institui debuisse, quo fortius commendem, & ita institutum, & dignè Deo institutum, potiore ostensa ea causa quæ ita fecit institui. Bonitas Dei, & ratio eius, huic quoque instituto patrocinabantur, in omnibus conspirantes apud Deum nostrum. Nec ratio enim sine bonitate, ratio est; nec bonitas sine ratione, bonitas nisi forte penes Deum Marcionis irrationabiliter bonum sicut ostendimus. Oportebat dignum aliquid esse, quod Deum cognosceret: quid tam dignum prospici posset, quàm imago Dei & similitudo? Et hoc bonum, sine dubio, & rationale. Oportebat igitur imaginem & similitudinem Dei, liberi arbitrij, & suæ potestatis institui, in qua hoc ipsum, imago & similitudo Dei deputaretur; arbitrij scilicet libertas & potestas: in quam rem ea substantia homini accommodata est, quæ hujus status esset, adflatus Dei; vtique liberi & suæ potestatis.

LIBERO ARBITRIO. 9. SCHOL.

IAM INTELLIGIMVR, *à Marcionitis, peccatum hominis Deo Creatori imputantibus, quòd eum creauerit, quem peccaturum esse præsciuerat.* EÒ STRVENTES. *Ideo asserimus datam homini à Deo libertatem benè vel malè agendi, vt peccatum homini non Deo imputetur.* INSTITVI, *talem, scilicet liberum non debuisse creari.* RATIO EIVS. *Sapientia.* IN OMNIBVS CONSPIRANTES, *semper & vbique in omnibus Dei operibus coniunctæ.* DIGNVM ALIQVID. *Creaturam Dei cognitione dignam.* HOC IPSVM, *Supple quod est ipsa Dei imago.* IN QVAM REM, *in quem finem. Scilicet vt agnosceretur Dei bonitas & sapientia in homine faciendo ex afflatu suo imaginem suam, & opificem suum maximè liberum, libero suo arbitrio repræsentaret. Supra dicta de hac Dei imagine in libero arbitrio posita, consulet lector, hæc superaddo textui Tertulliani accommodata. Ex to. 3. in Enchir. ad Laur. cap. 104. & seq.* Primum hominem, inquit, Deus in ea salute in qua conditus erat custodire voluisset, eumque oportuno tempore post genitos filios sine interpositione mortis ad meliora perducere, vbi jam non solum peccatum non committeret, sed nec voluntatem posset habere peccandi, *in quo supra vidimus positam esse perfectissimam Dei imaginem,* si ad permanendum sine peccato, sicut factus erat, per-

C — S. Aug.

petuam voluntatem habiturum esse præscisset. Quia verò eum malè vsurum libero arbitrio, hoc est, peccaturum esse præsciebat, ad hoc potius præparauit voluntatem suam, vt benè ipse faceret etiam de malè faciente: ac sic hominis voluntate mala non euacuaretur, sed nihilominus impleretur omnipotentia bona. Sic enim oportebat prius hominem fieri, vt & benè velle posset, & malè; nec gratis si benè, nec impunè, si malè: postea vero sic erit *ad perfectam imaginem & similitudinem Dei redigendus*, vt malè velle non possit, nec ideo libero carebit arbitrio. Multò quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit seruire peccato. Neque enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati esse sic volumus, vt esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus. Sicut ergo nunc etiam anima nostra nolle infœlicitatem; ita tunc nolle iniquitatem, semper habitura est. Sed ordo prætermittendus non fuit, in quo Deus voluit ostendere quàm bonum sit animal rationale; quod etiam peccare possit, *sicut benè agere & meritoriè acceperat ex innata libertate*. Quamuis sit melius quod peccare non possit: sicut fuit minor immortalitas, sed tamen fuit, in qua posset etiam mori. Illam natura humana perdidit per liberum arbitrium, & hanc est acceptura per gratiam, quam fuerat, si non peccasset, acceptura per meritum: quamuis sine gratia, nec tunc vllum meritum esse potuisset. Quia etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, *ex defectibilitate naturæ in nihilum suum reuolubilis*, non tamen justitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni, diuinum adiutorium præberetur. Sicut enim mori est in hominis potestate, cùm velit; nemo est enim qui non seipsum, vt nihil aliud dicam, vel non vescendo, possit occidere; ad vitam verò tenendam, voluntas non satis est, si adiutoria, siue alimentorum, siue quorumcumque tutaminum desint. Sic homo in paradiso ad se occidendum, relinquendo justitiam, idoneus erat per voluntatem: vt autem ab eo teneretur vita justitiæ, parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat adiuuaret. Sed post illam ruinam, maior est misericordia Dei, quando & ipsum liberum arbitrium liberandum est à seruitute cui dominatur cum morte peccatum: nec omnino per seipsum, sed per solam Dei gratiam, quæ in fide Christi posita est, liberatur: vt voluntas ipsa, sicut scriptum est, à Domino præparetur, qua cætera Dei munera capiantur, per quæ veniatur ad munus æternum, &c. Sic ergo factus est homo rectus, vt manere in ea rectitudine posset, non sine adiutorio diuino, & suo fieri peruersus arbitrio: & vtrumlibet horum elegisset, Dei voluntas fieret, aut etiam ab illo, *bonum virtutis ad meritum, ex misericordia & gratia*, aut certè de illo. *Liberè peccante, ad ostendendã Dei vindicantis justitiam.* Proinde quia suam maluit facere quàm Dei, de illo facta est voluntas Dei, qui ex eadem massa perditionis quæ de illius stirpe profluxit, facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam; in honorem, per misericordiam; in contumeliam, per judicium: vt nemo glorietur in homine, ac per hoc nec in se. Nam neque per ipsum liberaremur vnũ Mediatorem Dei & hominũ Christum Iesum, nisi esset & Deus. Sed cùm factus est Adam, homo scilicet rectus, mediatore non opus erat. Cùm vero genus humanum peccata longè separauerunt a Deo, per mediatorem qui solus sine peccato vixit, & occisus est, reconciliari nos oportebat Deo vsque ad carnis resurrectionem in vitam æternam: vt & humana superbia per humilitatem Dei argueretur & sanaretur; & demonstraretur homini quàm longè à Deo recesserat, & per Incarnatum Deum reuocaretur; & per hominem Deum exemplum obedientiæ contumaci homini præberetur, & vnigenito suscipiente formam serui, quæ nihil ante meruerat, fons gratiæ panderetur; & carnis etiam resurrectio redemptis promissa, in ipso redemptore præmonstraretur; & per eandem naturam quam se decepisse lætabatur Diabolus, vinceretur: nec tamen homo gloriaretur, nec iterum superbia nasceretur. *Obmutesce Marcion, & tu quicumque Dei bonitatem, sapientiamue blasphemas, quòd hominem Deus, quem libertate peccaturum esse præsciuit, donatum tamen libertate creauit. Primò enim suam in Creatura tam nobili, libera, Regia, sibi simili condenda ostendit. 2°. Sapientia sua, quid de peccatore Adamo eiusque posteris siue justitiâ damnandis, siue gratiâ saluandis, ad suam vtrimque gloriam facturus esset præsciuit. 3°. Mediatorem ad animæ carnisque vitam in melius reparandam, summa sapientia, potentia, bonitate ordinauit.*

10. *Libertas peccantis hominis, nil præiudicauit Deo: peccatum enim præuidit tantum, & nolitum permisit, quia data libertatis vsum relinquere debuit. 2. cont. Marc. cap. 7. à p. ad f.*

Exigere à Deo debes, & grauitatem summam, & fidem præcipuam in omni institutione eius, vt desinas quærere, an Deo nolente potuerit quid euenire. Tenens enim grauitatem & fidem Dei boni, sed rationalibus institutionibus eius vindicandas, nec illud miraberis, quod Deus non intercesserit aduersus ea, quæ noluit euenire; vt conseruaret ea, quæ voluit. Si enim semel homini permiserat arbitrij libertatem & potestatem, & dignè permiserat, sicut ostendimus, vtique fruendas eas, ex ipsa institutionis auctoritate permiserat; fruendas autem quantum in ipso, secundùm ipsum, id est, secundùm Deum, id est, in bonum: quis enim aduersus se permittet aliquid? quantum verò in homine, secundùm motus libertatis ipsius? Quis enim non hoc præstat ei, cui quid semel frui præstat, vt pro animo & arbitrio suo fruatur? Igitur consequens erat, vti Deus secederet à libertate, semel concessa homini; id est, contineret in semetipso & præscientiam & præpotentiam suam, per quas intercessisse potuisset, quo minus homo malè libertate sua frui aggressus, in periculum laberetur. Si enim intercessisset, rescidisset arbitrij libertatem, quam ratione & bonitate
Gen. 2. 17. permiserat. Denique, puta intercessisse, puta rescidisse illum arbitrij libertatem, dum re-
Gen. 3. 15. uocat ab arbore, dum ipsum circumscriptorem colubrum à congressu feminæ arcet, nonne exclamaret Marcion? O dominum futilem, instabilem, infidelem, rescindentem quæ instituit! Cur permiserat liberum arbitrium, si intercedit? cur intercedit, si permisit? Eligat vbi semetipsum erroris notet, in institutione, an in rescissione. Nonne tunc magis deceptus ex impræscientia futuri videretur, cum obstitisset? & quod quasi ignorans quomodo euasurum esset, indulserat, quis non diceret? Sed etsi præscierat malè hominẽ institutione

sua

sua vsurum, quid tam dignum Deo, quàm grauitas, quàm fides institutionum qualiumcunque? Vidisset homo, si non benè dispunxisset, quod benè acceperat; vt ipse legi reus fuisset, cui obsequi noluisset, non vt legislator ipse fraudem legi suæ faceret, non sinendo præscriptum eius impleri. Hæc dignissimè peroraturus in Creatorem, si libero arbitrio hominis ex prouidentia & potentia, qua exigis, obstitisset; nunc tibi insusurra pro Creatore & grauitatem, & patientiam, & fidem, institutionibus suis functo, vt & rationalibus, & bonis.

LIBERTAS. 10. SCHOL.

A EXIGERE A DEO DEBES. *Expecto, inquit, à te, ô Marcion, vt à Deo meo Creatore exigas summam in omnibus operibus rebusque gerundis constantiam, & in quibuscumque institutis suis fidem, siue fidelitatem; de qua Paulus:* Fidelis Deus, seipsum negare non potest. *Id est nihil indignum Deo agere. Et secundùm Psaltem:* Omnia opera eius in fide. *Et rursum:* Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. *Quo posito, cessabis fortè importunè quærere, an quidquam contra omnia præuidentem præscientiam eius, & omnipotentem voluntatem potuerit euenire.* TENENS ENIM, &c. *Si enim credas Creatorem Dei nomine dignum, eum consequenter & bonum, & fidelem, & maturum prudentemque confitebere, quibus attributis fidem facient, eaque tuebuntur & defendent perfecta omnia opera eius. Tum mirari desines, quòd non se opposuerit his, quæ noluit euenire; scilicet hominis peccato;* B *vt decreto consilij eius æterni, maneret, & immutabile conseruaret, quod proposuerat ab æterno super salute generis humani.* VTIQVE FRVENDAS: *Frustra enim liberum ei concessisset arbitrium, licet præscius eo abusurum, si ab eius vsu ipsum impedisset. Neque enim ad peccatum, sed ad meritum, id ei concesserat. Quis enim ad se occidendum alteri arma præbeat?* SECEDERET A LIBERTATE. *Non quidem deserendo sua gratia, quàm vnà cum arbitrio libero homini dederat sufficiens auxilium ad non peccandum; sed vt eum relinqueret in manu consilij sui, & ipse libertatis munere, vt supra dixit, manumissum.* CONTINERET IN SEMETIPSO. *Non vteretur, nec homini lapsum suum aperiret, nec omnipotentia sua præueniret.* SI INTERCESSISET, *interposuisset, præpedisset sua præscientia & potestate, hominis lapsum.* PVTA RESCIDISSE. *Si hoc etiam, Marcion, exigis à Creatore, vt frenare debuerit ex sua bonitate, & potestate, hominis libertatem, numquid sufficienter id præstitit, præcauens eius peccatum, & sub tanta mortis pœna, & præmio abstinentis obedientia, in ligno vetito probans eius libertatem.* C A CONGRESSV FOEMINÆ. *Quæ satis de callido præmonita tentatore, cautum sibi, & viro, de non edendo fructu prohibito nouerat.* NONNE EXCLAMARET, *si Creator frenasset & impedisset hominis libertatem, & vsum eius abstulisset, quem dederat.* SI INTERCEDIT, *interponit obicem contra vsum libertatis.* EVASVRVM. *Quis euentus futurus esset* VIDISSET HOMO. *Hominis enim fuisset videre, quomodo vsus fuisset sua libertate.* DISPVNXISSET, *benè implesset: rectè administrasset, vel dissipasset bonum sibi creditum libertatis.* PRÆSCRIPTVM IMPLERI. *Præceptum datum liberè exequi.* D *Tam multis jam in rem Tertulliani ab Augustino congestis, necdum thesaurus eius exhaustus est, hæc ex eodem fonte manantia promo. Sic itaque lib. 7. de Gen. ad lit. c. 26.* S. Aug. Iustè sanè Creator laudatur in omnibus quæ fecit omnia bona valde. Neque enim ex ijs tantum laudandus est, quibus præscientiam dedit, cùm rectè laudetur etiam quia pecora creauit, quibus est natura humana præstantior, etiam in ipsis peccantibus. Natura quippe hominis ex Deo est, non iniquitas, qua seipse inuoluit, malè vtendo libero arbitrio, quod tamen si non haberet, in natura rerum minus excelleret. Cogitādus quippe est homo justè viuens, etiam non præscius futurorum, & ibi videndum est excellentia voluntatis bonæ, quàm non impediatur, ad rectè viuendum, & Deo placendum, quod ignarus futuri viuit ex fide. Huiusmodi ergo creaturam *liberam* quisquis esse nollet in rebus, contradicit Dei bonitati: quisquis autem pœnas eam non vult luere pro peccatis, inimicus est æquitati. *Et libro. 5. de Ciuit. cap. 8.* S. Aug. Optimè, inquit, & veracissimè creditur, & cuncta scire antequam fiant, & nihil inordinatum relinquere, à quo sunt omnes potestates, quamuis ab illo non sint omnium voluntates. *Et cap. 9.* S. Aug. Spiritus, inquit, vitæ qui viuificat omnia, creatorque est omnis corporis, & omnis creati spiritus, ipse est Deus, Spiritus vtique non creatus. In eius voluntate summa potestas est, qui creatorum spirituum voluntates bonas adiuuat, malas judicat, omnes ordinat; & quibusdam tribuit potestatem, quibusdam non tribuit. Sicut enim omnium naturarum Creator est; ita omnium potestatum dator, non voluntatum. *Id est volitionum.* Malæ quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est. *Et libro de Corrept. & gratia. cap. 11. Vbi de gratia Christi incarnati facti impeccabilis:* S. Aug. Istam, inquit, gratiam non habuit homo primus, qua nunquam vellet esse malus: sed sanè habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset; sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Nec ipsū ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in eius libero arbitrio, quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est, nisi adiuuetur ab omnipotenti bono: quod adiutorium, si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus: sed deseruit & desertus est. Tale quippe erat adiutorium, quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret, vt vellet. Hæc prima est gratia quæ data est primo Adam. Sed hæc potentior est in secundo Adā. Prima est enim qua fit vt habeat homo justitiam, si velit; secunda ergo plus potest, qua etiam fit vt velit; & tantum velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat, &c. Quia noluit permanere, *perseuerare in accepta gratia & adiutorio liberi arbitrij, sibi concesso à Deo* profectò eius culpa est, cuius meritum fuisset, si permanere voluisset; sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus cæteris per liberū arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, & huius mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit, semper se in illa esse mansuros. Si autem hoc adiutorium vel Angelo, vel homini, cùm primùm facti sunt defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere, si vellet; non vtique sua culpa cecidissent, adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. *Gregorius Magnus Augustini frequens lector, & sententiarum eius sectator assiduus, libro. 5. Mor. cap. 28. Sic de Angelica & humana libertate scribit:* Mirè, inquit, omnipotens Deus, naturam summorum spirituum bonam, sed mutabilem condidit, vt & qui permanere nollent, ruerent; & qui in conditione persisterent, tantò in ea iam dignius, quantò ex arbitrio starent: & eo maioris apud Deum meriti

fierent, quo mutabilitatis suæ motum, voluntatis statione fixissent. Quia ergo ipsa quoque natura Angelica est in semetipsa mutabilis; quam videlicet mutabilitatem vicit per hoc, quòd ei qui semper idem est, vinculis amoris alligatur, rectè nunc dicitur: Iob 4. Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, atque eiusdem protinus documentum mutabilitatis adiungitur, cum de Apostatis spiritibus subinfertur: & in Angelis suis reperit prauitatem. Ex quorum comparatione, benè casus infirmitatis humanæ considerationem colligit, cùm illico subnectit: quantò magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea? luteas quippe domos habitamus, quia in corporibus terrenis subsistimus. Quæ benè Paulus considerans ait, 2. Cor. 4. Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, &c. Tinea autem de veste nascitur, & eamdem vestem de qua oritur, oriendo corrumpit. Quasi quædam verò vestis animæ caro est; sed hæc nimirum vestis habet tineam suam: quia ab ipsa carnalis tentatio oritur, ex qua laceratur, &c. Ac si apertè dicat: si illi spiritus, esse ex se incommutabiles nequeunt, *nisi gratia confirmet consummata liberum eorum & ex natura mutabile arbitrium*, qui nulla carnis infirmitate deprimuntur; qua temeritate se homines in bono permanere constanter existimant, quos in eo quod intellectus ad summa euehit, carnalis infirmitas aggrauans præpedit: vt per corruptionis vitium, *concupiscentiam intellige, quæ non erat in statu innocentiæ*, in semetipsis habeant; vnde ab intima nouitate veterascant? *Instar vestimenti putrescant, & amittant gratiam noui hominis. Et lib. 15. Mor. cap.32.* Omnipotens Deus Angelorum merita discernens, alios in æterna luce sine lapsu permanere constituit. *Vide statutum & decretum Dei circa electionem Angelorum* alios sponse lapsos, à statu suæ celsitudinis, in æternæ damnationis vltione prostrauit. Nobiscum igitur iniustè nil agit, *dum subtracta gratiâ, mutabilitati nos relinquit arbitrij* qui & subtiliorem nobis naturam, iustè judicauit. *Idipsum confirmat lib. 25. Mor. cap. 4.* Humana, inquit, anima in lapsum non caderet, si mutabilis non fuisset: quæ à paradisi quoque gaudiis expulsa, si mutabilis non esset, ad vitam nunquam rediret, &c. Virtute propria in præceps posse se ire considerat: sed ad Creatorem suum amoris manu se retinet ne cadat, quousq; ad immutabilitatem trãseat, & eo verè immortaliter, quo immutabiliter viuat. Ipsi quoque Angelici spiritus mutabiles ex natura sunt conditi, quatenus aut sua sponte caderent, aut ex arbitrio starent. Sed quia humiliter elegerũt ei inhærere à quo creati sunt, hanc ipsam in se mutabilitatem suam, standi jam immutabilitate vicerunt: vt hoc ipsum meritò transcenderent, quod naturæ suæ ordine mutabilitati subesse potuissent.

11. Libertas hominis præualet tentationi diaboli, vt impleat legem. 2. cont. Marc. cap. 8. in f.

EVmdem hominem, eandem substantiam animæ, eundem Adæ statum, eadem arbitrij libertas & potestas, victorem efficit hodie de eodem diabolo, cùm secundùm obsequium legum eius administratur.

LINGVA.

Lingua vices calami gerit, vt patet in Zacharia. De Idol. cap. 23. V. Verbum jurare. 2. in f.

LIBERTAS HOMINIS. 11. SCHOL.

EVNDEM HOMINEM. *Non aduertit Author magnam differentiam status integri & corrupti. Licet enim eadem sit animæ humanæ substantia, longè tamen diuersa est liberi arbitrij potestas. Rectum accepit Adam, nec concupiscentiæ pondere inclinans & trahens ad peccatum, nunc cum Paulo omnis homo clamat.* Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum hoc facio. *Acceperat Adam quo posset Dei obedire præcepto, & victor a conflictu redire de diabolo: nunc autem nec potest nisi gratiâ medicinali sanante Dei seruare mandatum, nec tentatori diabolo resistere sine maiori quàm Adæ datum sit, adiutorio, simplex enim ei sufficiebat adiutorium gratiæ, cum libero arbitrio integro & sano, & suapte natura bona prona in rectum & bonum. nunc autem præter adiutorium gratiæ, sanandum est arbitrium liberum quo cum libertate possit seruire justitiæ, quod perdidit dum sponte peccati factum est vile mancipium. Hunc Tertulliani errorem saniori doctrina sic corrigit lingua & calamo medicinali Augustinus. Ep. 89. ad Hilarium contra Pelagianos & Manichæos. Vbi sic ratiocinatur.* S. Aug. Hæc, inquit, voluntas libera tanto erit liberior, quantò sanior: tantò autem sanior, quantò diuinæ misericordiæ gratiæque subiectior, &c. Ipse quippe fideliter orat & dicit: itinera mea dirige secundum verbum tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas. Quomodo enim libera est, cui dominatur iniquitas? &c. Ad hoc credunt, qui rectè credunt, vt inuocent in quem crediderunt, & valeant facere quod in præceptis legitimis acceperunt, quoniam id quod lex imperat, fides impetrat, &c. *Subjicit de oratione sapientis pro continentia à concupiscentia, qua committitur omne peccatum.* S. Aug. Numquid dixit, & cum scirem quia nemo potest esse continens, nisi per proprium liberum arbitrium, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire, à meipso esse hoc bonum? non planè hoc dixit, quod quidam in sua vanitate dicunt: *Sicut & hic dicit Tertullianus, dans libertati humanæ, vt seipsam obsequium legum diuinarum seipsam administrare & regere posit, victricemque diaboli præstare, secundùm Adæ statum.* Sed quod fuit in sanctæ Scripturæ veritate dicẽdum. Cum scirem, inquit, quia nemo esse potest continens nisi Deus det. Iubet ergo Deus continentiam, *sicut Adæ vt se contineret a ligno.* Et dat continentiam: jubet per legem, dat per gratiam: jubet per literam, dat per Spiritum. Lex enim sine gratia facit abundare delictum, & litera sine spiritu occidit. Iubet ideo, vt facere iussa conati, & nostra infirmitate sub lege fatigati, adiutorium gratiæ poscere nouerimus, & si quid facere potuerimus operis boni, ei qui adiuuat, non simus ingrati. Hoc & iste fecit: id enim cum sapientia docuit cuius esset hoc donum. Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juuatur: sed ideo juuatur, quia non tollitur. Qui enim Deo dicit, Adiutor meus esto, confitetur se velle implere quod jussit, sed ab eo qui jussit, adiutorium poscere, vt possit. *Et libro de Correpe. & gratia cap. 1.* S. Aug. Liberum itaque arbitrium, & ad bonum & ad malum faciendum, confitendum est nos habere: sed in malo faciendo liber est quisque justitiæ seruusque peccati: in bono autem liber esse nemo potest, nisi fuerit liberatus ab eo qui dixit, si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis. Nec ita, vt cum quisque fuerit à peccati dominatione liberatus, jam non indigeat sui liberatoris auxilio, sed ita potius, vt ab illo audiens, sine me nihil potestis facere, dicat ei & ipse: Adiutor meus esto, ne derelinquas me. *Et in Enchir. ad Laur. c. 30. Expressius de corrupto voluntatis arbitrio.* S. Aug. Quid, inquit, boni operari potest perditus, nisi quantum fuerit à perditione liberatus? Numquid libero voluntatis arbitrio? & hoc absit. Nam libero arbitrio malè vtens homo, & se perdidit & ipsum. Sicut enim qui se occidit, vtique viuendo occidit, sed se occidendo non viuit, nec seipsum potest resuscitare cùm occiderit: ita cùm li-

bero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est & liberum arbitrium; à quo enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est. Petri certè Apostoli est ista sententia. Quæ cùm vera sit, qualis quæso potest serui addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? liberaliter enim seruit, qui sui Domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati seruus est. Vnde ad justè faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus, esse justitiæ cœperit seruus. Ipsa est vera libertas propter recti facti lætitiam, *& in hac imago perfecta diuinæ libertatis. De Deo enim dicitur: lætabitur Dominus in operibus suis. Et idem Psaltes: de justis: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo. Et de impluuio gratiæ: in stillicidiis eius lætabitur germinans.* Simul & via seruitus propter præcepti obedientiam. Sed ista libertas ad benefaciendum vnde erit homini addicto & vendito, nisi redimat ille cuius illa vox est, si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis. *Et Ser. 2. de verb. Apostoli.* Sunt, inquit,

S. Aug. homines ingrati gratiæ, multum tribuentes inopi sauciæque naturæ. Verum est: magnas arbitrij liberi vires homo cùm conderetur, accepit, sed peccando amisit. *Non quidem arbitrium, sed vires eius, hoc est libertatem ad benè agendum.* In mortem lapsus est, infirmus factus est, à latronibus semiuiuus *pondera emphasim, media enim libertate, eaque meliori, ad bonum scilicet valente, propria voluntate, truncatum est arbitrium.* In via relictus est. In jumentum suum leuauit eum transiens Samaritanus, *Christus iumento suæ carnis imposuit hominem spoliatum, &c.* quod interpretatur custos: Ad stabulum adhuc perducitur. Quid extollitur? adhuc curatur. Sed sufficit, inquit, mihi, quod in baptismo accepi remissionem omnium peccatorum. Numquid quia deleta est iniquitas, finita est infirmitas? Accepi, inquit, remissionem omnium peccatorum. Prorsus verum est, deleta sunt cuncta peccata in Sacramento Baptismatis, cuncta prorsus, dicta, facta, cogitata, cuncta deleta sunt. Sed hoc est, quod in via infusum est oleum & vinum, &c. Iam vtique errori eius indultum fuit, & tamen sanatur languor in stabulo. Stabulum si agnoscitis Ecclesia est. Stabulum modo quo viuendo tu[..]simus, domus erit vnde numquam migrabimus, cùm ad regnum cœlorum sani peruenerimus. Interim in stabulo libenter curemur, non, adhuc languidi, de sanitate gloriemur, ne nihil aliud superbiendo faciamus, nisi vt nunquam curando sanemur. *Pulcherrimè differentiam libertatis in vtroque hominis statu, beato, & misero, & diuersitatem auxilij diuinæ gratiæ ad juuandum liberum arbitrium explicuit Aug. lib. de Corrept. & gratia cap. 11. Vbi cum de adiutorio dato libero arbitrio primi hominis ad perseuerandum si voluisset, sic de præsenti statu contra Tertulliani errorem:* Nunc autem, inquit, quibus deest tale adjuto-

S. Aug. rium, jam pœna peccati est: quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundùm debitum, & tantò amplius datur per Iesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, vt non solum adsit *auxilium gratiæ* sine quo permanere non possumus, etiam si velimus, verum etiam tantum ac tale vt velimus. Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam, in bono accipiendo, & perseueranter tenendo, non solum posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus. Quod non fuit in homine primo. Vnum enim horum in illo fuit, alterum non fuit. Namque vt reciperet bonum, gratia non egebat, quia non perdiderat: vt autem in eo permaneret, egebat adiutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset. Et acceperat posse, si vellet: sed non habuit velle, quod posset: Nam si habuisset, perseuerasset: posset enim perseuerare si vellet: quod

A vt nollet, de libero descendit arbitrio: quod tunc ita liber erat, vt bene velle posset, & malè. Quid erit autem liberius libero arbitrio, quando non poterit seruire peccato, quæ futura erat & homini, sicut facta est & Angelis sanctis merces meriti? Nunc autem per peccatum perdito bono merito, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat. *Verum lubet hic exclamare cum Ecclesia,* fœlix culpa Adam. *Et cum Bernardo post Paulum:* Non sicut delictum ita & donum: excedit enim damni magnitudinem doni magnitudo. *Prima libertas incurrit damnum & priuationem auxilij, quo benè agere posset, & in bono perseuerare si vellet, non mori, non peccare, si vellet: Sed donum Saluatoris tale ac tantum est vt accipiat homo in statu gratiæ confirmatus, vt peccare non possit, nec mo-*

B *ri, peccato quod dicitur ad mortem. Quod dico, non quasi velim ipsam peccandi potestatem sine libertatem prorsus esse ligatam, & necessitate, ad benè rectèque viuendum esse compulsam, quod falsum est: sed in sensu composito, & ex supposito quod quis sit confirmatus in gratia, implicat vt non sit confirmatus in ea: & si confirmatus est; eo ipso à gratia excidere non potest: à qua cum in actus bonos & meritorios impellatur, non potest simul in actus contrarios & peccaminosos ferri; adeo vt licet non necessario, infallibiliter tamen, & lubens, & liber benè agit; quia volens, etiam cum lætitia & delectatione animi, quod rectæ rationi & voluntati per gratiam sanatæ conuenit operatur, quod rationale, iustum, & sanctum est Dei mandatum; & sic, tali in gratia, & Deo manenti, confirmatio in ea id præstat, quod beatis visio clara, &*

C *ex ea charitas sempiterna. Et hoc sensu intelligendus est Ioannes Apostolus 1. Io. 3. 9.* Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet: *quod semen? nisi verbum Dei intus in corde susceptum; de quo Psaltes, in æternum Domine, verbum tuum permanet in cœlo. quo cœlo? anima iusti. Cœlum mihi, inquit, sedes est. anima autem iusti, sedes sapientiæ.* ET NON POTEST PECCARE, quoniam ex Deo natus est. *Peccato scilicet ad mortem, de quo ibid. cap. 4. 17.* Est Peccatum ad mortem. Scimus quia omnis qui natus est ex Deo non peccat: sed generatio Dei conseruat eum, & malignus non tangit eum. *Electus enim in eo, de quo Deus in Psalmo,* In splendoribus Sanctorum, ex vtero ante luciferum genui te: *&*

D *ipse* in parte sortis Sanctorum in lumine, inter filios lucis voluntariè genitus verbo veritatis, peccare non potest, *peccato mortali, si fuerit in gratia confirmatus: vel si iustus ceciderit,* non collidetur, quia Dominus supponit manum suam: *vel si elisus fuerit,* Dominus erigit elisos, vt Dominus custodit iustos. *Vel saltem, si electus, & prædestinatus fuerit,* peccato ad mortem non peccabit, *id est in peccato mortali, vsque ad mortem non perseuerabit. Atque vt id sine concursu liberi arbitrij, à diuina tamen gratia præmoti, fieri non suspicemur, appositè nobis hic occurrit translatio Syriaca:* Porro, inquit, scimus, quòd omnis qui natus est ex Deo, non peccat: is enim qui natus est ex Deo, custodit seipsum, & malus ille non tangit eum. *Quàm*

E *præclarus cum vi gratiæ præmotrice, voluntatis, & libertatis humanæ concursus! vulgata legit:* generatio Dei conseruat eum: *Syriaca transfert:* custodit seipsum. *Sic ex Psalte:* dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea: *hoc agit homo libero arbitrio: sed vt agat, diuino eget adiutorio: quod innocat dicens:* pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis, vt non declines. *Declinare sinas, subtrahendo gratiam* cor meum in verba malitiæ. *Accipe Augustinum sic differentem eodem lib. de Corrept.* S. Aug.
& gratia cap. 12. Bina, inquit, ista quid inter se differant, diligenter, & vigilanter intuendum est; posse non peccare, & non posse peccare: posse non mori, & non posse mori: bonum posse non deserere,

& bonum non posse deserere. Potuit enim non peccare primus homo, potuit non mori, potuit bonum non deserere. Numquid dicturi sumus, non potuit peccare, qui tale habebat liberum arbitrium? Aut, non potuit mori, cui dictum est, si peccaueris, morte morieris? aut non potuit bonum deserere, cùm hoc peccando deseruerit, & ideo mortuus sit? prima ergo libertas voluntatis erat posse non peccare, nouissima erit multò maior, non posse peccare. Prima immortalitas erat, posse non mori: nouissima erit multò maior, non posse mori. Prima erat perseuerantiæ potestas, posse bonum non deserere: nouissima erit fœlicitas perseuerantiæ, bonum non posse deserere. Numquid quia erunt bona nouissima potiora & meliora, ideo fuerunt illa prima vel nulla vel parua? *Tandem sic concludit de diuersis adiutoriis vtrique statui collatis*; Ipsa, inquit, adiutoria distinguenda sunt. Aliud est adiutorium, sine quo aliquid non fit. & aliud est adiutorium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus viuere, nec tamen cùm affuerint alimenta, eis fit vt viuat, qui mori voluerit. Ergo adiutorium alimentorum est, sine quo non fit, non quo fit vt viuamus. At verò beatitudo quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus. *Viso clarè, vero & summo atque incommutabili bono, sic eo afficitur, & delectatur voluntas, vt ei immutabiliter inhæreat:* adiutorium est enim, non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit, propter quod datur, &c. Primo itaque homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adiutorium perseuerantiæ, non quo fieret vt perseueraret sed sine quo per liberum arbitrium perseuerare non posset. Nunc verò sanctis in regnū Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adiutoriū perseuerātiæ datur, sed tale vt eis perseuerantia ipsa donetur, non solū vt sine isto dono perseuerantes esse non possint; verum etiam vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint. Non solum enim dixit, sine me nihil potestis facere: verum etiam dixit, non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Quibus verbis, eis non solum iustitiam, verū etiam in illa perseuerantiam se dedisse monstrauit. Christo enim sic eos ponente, vt eant, & fructum afferant, & fructus eorum maneat; quis audeat dicere, forsitan non manebit? sine pœnitentia sunt enim dona & vocatio Dei: sed vocatio eorum, qui secundum propositum vocati sunt. Pro his ergo interpellante Christo ne deficiat fides eorum, *ea vtique, quæ per dilectionem operatur, & charitatem quæ numquam excidit* sine dubio non deficiet vsque in finem, nec eam nisi manentem vitæ huius inueniet finis, &c. & accipiunt tantam per istam gratiam libertatem, vt quamuis quandiu hic viuunt, pugnent contra concupiscentias peccatorum, eisque nonnulla subrepant, propter quæ dicunt quotidie, dimitte nobis debita nostra, non tamen vltra seruiant peccato quod est ad mortem; de quo dicit Ioannes Apostolus; est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis; de quo peccato, quoniam non expressum est, possunt multa & diuersa sentiri: ego autem dico id esse peccatum, fidem quæ per dilectionem operatur deserere vsque ad mortem. Huic peccato vltra non seruiunt: non prima conditione, sicut ille, liberi; sed per secundum Adam Dei gratia liberati; & ista liberatione habentes liberum arbitrium quo seruiunt Deo, non quo captiuentur à diabolo. *Vide Verbo gratia & Verbo, Voluntas, & Voluptas, adhuc plurima ex Augustino, de gratia per dilectionem & delectationem liberum arbitrium peccati seruum, in liberiorem libertatem asserente. Sed maximè in alphabeto errorum, Verbo* libertas. *Interea luculentissimus est August. locus de libero arbitrio per peccatum inamissibili, nuper depromptus ex Manuscripto Biblioth. Clarauall. vbi lib. 6. operis perfecti Sect. 26. contra Iulianum sic loquitur:* Liberū arbitriuū, quod de hac re habemus, ita nobis naturaliter insitum est, vt nullâ miseriâ nobis possit auferri, quòd miseri esse nolumus, & volumus beati. Vsqueadeo, vt illi qui malè viuendo sunt miseri, malè viuere quidem velint, nolint tamen esse miseri, sed beati. Hoc est liberum arbitrium nostris mentibus immobiliter fixum: non quo benè agere volumus, nam id humana iniquitate, potuimus amittere, & gratia diuina possumus recipere: sed liberum arbitrium, quo beati esse volumus, & miseri nolumus, nec miseri amittere possunt, nec beati. Beati quippe omnes esse volumus: quod ipsi quoque Philosophi huius sæculi, & Academici de rebus omnibus dubitantes teste Patrono suo Tullio, coacti sunt confiteri; idque vnum esse dixerunt quod disputatione non egeat: quod nemo est qui non expectat. Hoc arbitrium liberum adiuuatur per gratiam Dei, vt quod naturaliter volumus, hoc est beatè viuere, benè viuendo habere possimus. *Præmiserat eodem libro Sectione 12.* Immutabilis, inquit, cum qua homo creatus est, & creatur, illa libertas est voluntatis, qua beati esse omnes volumus, & nolle non possumus. Sed hæc, vt beatus sit quisque, non sufficit, nec vt viuat rectè, per quod beatus sit: quia non ita est homini congenita libertas immutabilis voluntatis, qua velit, possitque benè agere, sicut congenita est, qua velit beatus esse, quod omnes volunt, & qui rectè agere nolunt. *Post amissionem autem status innocentiæ, iam contra tentationes diaboli, propriamque concupiscentiam sic liberum arbitrium ad malum propensum abripitur, vt nisi diuina gratia ad singulos actus adiuuetur, ab aduersario superetur. Ita Augustinus lib. 6. Operis perfecti contra Iulianum Sect. 15.* Scriptum est, inquit, Io. 8. *Si filius vos liberauerit, tunc verè liberi eritis*, Quod non solùm propter peccata præterita dictum esse, quorum remissione liberamur, verumetiam propter adiutorium gratiæ, quod ne peccemus accipimus. Id est liberi ita efficimur, Deo nostra itinera dirigente, vt non nobis dominetur omnis iniquitas. Dominica testatur oratio, vbi non solum dicimus, dimitte nobis debita propter mala quæ fecimus, verū etiam ne nos inferas in tentationem; propter hoc vtique ne mala faciamus; vnde & Apostolus dicit; Oramus autem ad Dominum, ne quid faciatis mali. Quod si ita esset in potestate, quomodo fuit ante peccatum priusquam esset natura humana vitiata, non vtique posceretur orando, sed agendo potius teneretur. Verum quoniam post pristinam ruinam tam grauem, vt in huius mortalitatis miseriā caderemus, prius Deus certare nos voluit, donans nobis vt eius agamur spiritu, & mortificemus opera carnis, atque ipso dante victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum, in æterna cum illo postea pace regnemus. Profectò nisi Deus adsit, nemo est idoneus certare cum vitiis. Ne sine certamine pertrahatur ab eis, aut ne jam certans in ipsa eorum conflictatione vincatur: ideo in hoc agone magis nos Deus voluit orationibus certare quam viribus, quia & ipsas vires quantas hic habere nos competit, ipse subministrat certantibus, quem rogamus. Si ergo hi, quorum contra carnem jam spiritus concupiscit, AD ACTVS SINGVLOS INDIGENT DEI GRATIA, ne vincantur; qualem libertatem voluntatis habere possunt, qui nondum de potestate eruti tenebrarum, dominante iniquitate, nec certare cœperunt, aut si certare voluerunt, nondum liberatæ voluntatis seruitute vincantur?

LVCAS.

1. Lucæ Euangelium, Paulo; Marci autem, Petro adscribitur. 4. cont. Marc. cap. 5. à p.

EAdem auctoritas Ecclesiarum Apostolicarum, ceteris quoque patrocinabitur Euangeliis, quæ proinde per illas; & secundùm illas habemus; Ioannis dico & Matthæi; licet & Marcus quod edidit, Petri adfirmetur, cuius interpres Marcus. nam & Lucæ Digestum, Paulo adscribere solent. Capit magistrorum videri, quæ discipuli promulgarint.

2. Lucæ Euangelium vt & cætera Apostolorum scripta, recepta sunt ab Ecclesia. 4. cont. Marc. cap. 5. à p.

HAbemus & Ioannis alumnas Ecclesias. Nam etsi Apocalypsin eius Marcion respuit, Apoc. 1. 1.
ordo tamen Episcoporum ad originem recensus, in Ioannem stabit auctorem. Sic & 8. 11. 18.
ceterarum generositas recognoscitur. Dico itaque apud illas, nec solas jam Apostolicas; Apoc. 3. 1.
sed apud vniuersas, quæ illis de societate sacramenti confœderantur, id Euangelium Lucæ 7. 14.
ab initio editionis suæ stare, quod cummaximè tuemur: Marcionis verò, plerisque nec notum; nullis autem notum, vt non eò damnatum. Habet plane & illud Ecclesias, sed suas, tam posteras quàm adulteras; quarum si censum requiras, facilius apostaticum inuenias quàm apostolicum; Marcione scilicet conditore, vel aliquo de Marcionis examine. Faciunt fauos & vespæ, faciunt Ecclesias & Marcionitæ.

LVCAS EVANGELISTA. 1. & 2. SCHOL.

AVTHORITAS ECCLESIARVM. *Iam aduertimus alibi, Authoritatem traditionis Ecclesiæ, quæ suffragatur Euangelio recipiendo, de qua Augustinus:* Non crederem inquit, Euangelio, nisi me Ecclesiæ moueret Authoritas. QVOD MARCVS EDIDIT, *Petri breuiator Marcus Discipulus eius fuisse traditur. Lucas autem breuiatorem non habuit. Cuius rationem reddit*
S. Aug. *Augustinus. to. 4. lib. 1. de Consensu Euang. cap. 3.* Secundum hominem, inquit, Christus & Rex & Sacerdos effectus est, cui dedit Deus sedem Dauid Patris eius, vt regni eius non esset finis; & esset ad interpellandum pro nobis mediator Dei & hominum (*Sacerdos*) homo Christus Iesus. Nòn autem habuit tanquam breuiatorem coniunctum Lucas, sicut Marcum Matthæus. Et hoc fortasse non sine aliquo Sacramento, quia Regum est, non esse sine B comitum obsequio. Vnde ille qui Regiam personam Christi narrandam susceperat, habuit sibi tanquam comitem adiunctum, qui sua vestigia quodammodo sequeretur. Sacerdos autem, quoniam in Sancta Sanctorum solus intrabat, propterea Lucas, cuius circa Sacerdotium Christi erat intentio, non habuit tanquam socium subsequentem, qui suam narrationem quodammodò breuiaret. LVCÆ DIGESTVM, *Euangelium, quo ordo vitæ Christi digeritur, Paulo à multis adscribitur. Vnde 2. Cor. 8. Vbi de Tito. versu. 18.* Misimus etiam cum illo fratrem, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias; non solum autem, sed & ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ, in hanc gratiam quæ ministratur à nobis, ad Domini gloriam, & destinatam voluntatem nostram. *Quem socium Pauli licet Theod. & Chrysost. dicant Barnabam; melius Hiero. & Ansel. Lucam. Et antiquissimus Ignatius in Ep. ad Ephesios hunc Pauli locum applicat Lucæ.* Vt testatur, inquit, Lucas, cuius laus est in Euangelio. *Vnde Hiero. dicit, Paulum, quoties Euangelij sui meminit in Epistolis, Lucæ Euangelium intelligere.* CAPIT MAGISTRORVM VIDERI. *Non incongruè dici possunt, Discipuli à Magistris suis hausisse, quæ in lucem ediderunt, & discipulorum opera Magistris adscribi.*

2. IOANNIS ALVMNAS. *De his alibi. De Ioanne scribit Hiero. quod* totas Asiæ fundauit & rexit Ecclesias. *Quod liquet ex iis quarum Episcopis scribit in libro Apoc.* ORDO RECENSVS. *Registri Episcoporum Asiæ, probat Ioannem earum Ecclesiarum fuisse principem.* GENEROSITAS *illustris origo ab Apostolis sumpta.* NEC SOLAS IAM. *Alias quippe post Apostolos, eorum Discipuli fundauerunt,* DE SOCIETATE SACRAMENTI, *in vnitate fidei conspirant.* EVANGELIVM LVCÆ CVM MAXIME. *in eadem puritate, incorruptum quale ab Luca Editum est, adhuc in Ecclesiis Apostolicis perseuerare. Hoc autem præ cæteris elegit Tertullianus quo contra Marcionem vteretur qui prima eius capita truncauerat, quòd apertè Christi Carnem, & Mysteria Natiuitatis eius & Infantia declaret.* EÒ DAMNATVM. *Hoc ipso quod scitur Euangelium Lucæ à Marcione vsurpatum, statim vt corruptum condemnatur.* ET ILLVD *supple Euangelium Marcionis suas habet, quæ illud admittunt & legunt, Ecclesias.* SI CENSVM REQVIRAS. *Originem reuoluas, non tam à viro Apostolico, quam Apostatico conscriptum reperies, vel aliquo eius Discipulo: Neque enim solæ apes mellifica cellas suas habent, sed & vespæ, id est hæretici quoque nihil vtilis operis facientes, sed pungentes tantùm, & apum mella furantes, sua habent Conuenticula & Synagogas. August. to. 4. lib. 1. de Consensu. Euang.* S. Aug.
cap. 1. Ne putaretur, inquit, quod attinet ad percipiendum & prædicandum Euangelium, interesse aliquid, vtrum illi annuntient, qui eundem Dominum, hic in carne apparentem discipulatu famulante secuti sunt, an ij qui ex illis fideliter comperta crediderunt, diuinà prouidentia procuratum est per Spiritum Sanctum, vt quibusdam etiam, ex illis qui primos Apostolos sequebantur, non solum annuntiandi, verum etiam scribendi Euangelium, tribueretur Authoritas. *Et cap. 7.* Has Domini, inquit, sanctas quadrigas, quibus per orbem vectus subigit C populos leni suo jugo & sarcinæ leui, quidam vel impia vanitate, vel imperitâ temeritate calumniis appetunt, vt eis veracis narrationis derogent fidem, per quos Christiana religio disseminata, per mundum, tanta fertilitate prouenit, vt homines infideles jam inter seipsos calumnias suas mussitare vix audeant, compressi fide gentium, & omnium deuotione populorū. *Nec tantum quatuor animalibus pennatis, sed & Angelis scalæ Iacob eos comparat. to. 6. lib. 12. contra Faustum. c. 26. de Nathanaële vero Israëlita, hoc est filio Iacob, Christus dixit:* Amodo videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis. Hoc enim, inquit, Israël viderat, cùm illum lapidem ad caput habebat, *Christum figurantem* à terra in cœlum scalas, per quas S. Aug.

ascendebant, & descendebant Angeli Dei. In quibus significati sunt Euangelistæ prædicatores Christi: Ascendentes vtique, cùm ad intelligendam eius supereminentissimam diuinitatem, excedunt vniuersam creaturam, *sicut Ioannes præ cæteris Aquila.* Vt A cum inueniant in principio Deum apud Deum, per quem facta sunt omnia: descendentes autem, vt cum inueniant factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret. *Vide Verbo. Euangelistæ, num. 2. & 3.*

LVXVRIA.

1. De luxuria & gula dicturo, pudor est. De Ieiun. cap. 1. circa m.

Piget jam cum talibus congredi, pudet & jam de eis altercari, quorum nec defensio verecunda est. Quomodo enim protegam castitatem & sobrietatem sine taxatione aduersariorum?

2. Luxuria sola, non autem concubitus & conceptus hominis erubescendus est. De An. cap. 27. in m.

Ne itaque pudeat necessariæ interpretationis. natura veneranda est, non erubescenda. concubitum libido, non conditio fœdauit. excessus, non status est impudicus. Siquidem benedictus status apud Deum: [a] *Crescite, & in multitudinem proficite.* Excessus verò maledictus, adulteria, & stupra, & lupanaria.

[a] Gen. 1. 28.

LVXVRIA. 1. & 2. SCHOL.

Cvm talibvs congredi. *Cum tam sordidis vitiis depugnare.* Defensio, *prohibitio ipsa, verecundia non caret, vt nec virtutum contrariarum protectio suscipi possit, absque pudore. Augustinus lib. 14. de Ciuit. c. 23. in f.* Quisquis, inquit, ad has literas impudicus accedit, culpam refugiat, non naturam: facta denotet suæ turpitudinis, non verba nostræ necessitatis, in quibus mihi facillimè pudicus & religiosus Lector vel auditor ignoscit, donec infidelitatem refellam, non de fide rerum inexpertarum, sed de sensu expertarum argumentantem.

2. Non conditio, *opus conditoris institutum ad finem castæ generationis, non est erubescendum, sed libido & excessus; de concubitu enim necessariò dicere, pudere non debet. Ita Augustinus libro 14. de Ciuit. cap. 20. in f.* (S. Aug.) Pudet, inquit, huius libidinis humanam sine vlla dubitatione naturam, & meritò pudet. In eius quippe inobedientia quæ genitalia corporis membra solis suis motibus & *non rationi & voluntati* subdidit, & potestatis voluntati eripuit, satis ostenditur, quid sit illius hominis primæ inobedientiæ retributum; quod in ea parte maximè oportuit apparere, qua generatur ipsa natura, quæ illa primo & magno in deterius est mutata peccato. *Et cap. 23.* (S. Aug.) Legit, inquit, hæc, A sine offensione, qui non exhorret Apostolum horrenda fœminarum flagitia reprehendentem, quæ immutauerunt naturalem vsum, in eum vsum qui est contra naturam; præcipuè quia nos non damnabilem obscœnitatem nunc, sicut ille, commemoramus atque reprehendimus; sed in explicandis, quantum possumus, humanæ generationis affectibus, verba tamen, sicut ille, obscœna deuitamus. *Et to. 7. libro de nuptiis & concupiscentia cap. 12.* Quamuis, inquit, concubitus qui fit intentione generandi, (S. Aug.) non sit ipse peccatum, quia bona voluntas animi sequentem ducit, non ducentem sequitur corporis B voluptatem; nec humanum arbitrium trahitur subiugante peccato, cùm justè redigitur in vsu generandi plaga peccati: huius plagæ quidam pruritus in adulteriorum, & fornicationum & quorumlibet stuprorum atque immunditiarum fœditatibus regnat; in connubiorum verò necessitudinibus seruit. Ibi de Domino tali turpitudo damnatur, hîc de pedissequo tali, honestas verecundatur. Non est igitur hæc libido nuptiarum bonum, sed obscœnitas peccantium, necessitas generantium, lasciuiarum ardor, nuptiarum pudor.

3. Luxuriæ & mœchiæ præ cæteris delictis grauitas. De Pudic. cap. 7. circa f.

(Luc. 15. 8.) Ivxta drachmæ quoque exemplum, etiam intra domum Dei Ecclesiam, licet esse aliqua delicta pro ipsius drachmæ modulo ac pondere mediocria, quæ ibidem delitescentia, mox ibidem & reperta, statim ibidem cum gaudio emendationis transigantur. Mœchiæ verò & fornicationis non drachma, sed talentum, quibus exquirendis, non lucernæ spiculi lumine, sed totius solis lancea opus est. Simul apparuit, statim homo de Ecclesia expellitur, nec illic manet, nec gaudium confert repertrici Ecclesiæ, sed luctum; nec congratulationem aduocat vicinarum, sed contristationem proximarum fraternitatum.

4. Luxuria damnatur in Decalogo post Idololatriam, & ante homicidium. De Pudic. cap. 5. in p. ad circa f.

Ergo mœchia, quod etiam fornicationis est res, secundùm opus criminis quanti æstimanda sit sceleris, prima lex Dei præsto est. Siquidem post interdictam alienorum deorum superstitionem, ipsorumque idolorum fabricationem; post commendatam sabbati venerationem; post imperatam in parentes secundam à Deo religionem, nullum aliud in talibus titulis firmandis monendisque substruxit præceptum, quàm, [a] *Non mœchaberis.* Post spiritalem enim castitatem sanctitatemque, corporalis sequebatur integritas. Et hanc itaque muniuit, hostem statim eius prohibendo mœchiam. Quale delictum jam intellige, cuius cohibitionem post idololatriæ ordinauit. Nihil secundum longinquat à primo. Nihil

[a] Exo. 20. 14.

eam proximum primo, quàm ſecundum. Quod fit ex primo, aliud quodammodo primum eſt. Itaque mœchia adfinis idololatriæ. Nam & idololatria mœchiæ nomine & fornicationis ſæpe populo exprobrata, etiam ſorte coniungetur illi, ſicut & ſerie; etiam damnatione cohærebit illi, ſicut & diſpoſitione. Eo amplius præmittens, [b] *Non mœchaberis*; adjungit, *Non occides*. Onerauit vtique mœchiam, quam homicidio anteponit. In prima itaque fronte ſanctiſſimæ legis, in primis titulis cœleſtis edicti, principalium vtique delictorum proſcriptione ſignata, de loco modum, de ordine ſtatum, de confinio meritum cuiuſque dignoſcas. Eſt & mali dignitas, quod in ſummo aut in medio peſſimorum collocatur. Pompam quandam atque ſuggeſtum adſpicio mœchiæ, hinc ducatum idololatriæ antecedentis, hinc comitatum homicidij inſequentis. Inter duos apices facinorum eminentiſſimos, ſine dubio digna conſedit, & per medium eorum, quaſi vacantem locum pari criminis auctoritate compleuit. Quis eam talibus lateribus incluſam, talibus coſtis circunfultam, à cohærentium corpore diuellet, de vicinorum criminum nexu, de propinquorum ſcelerum complexu, vt ſolam eam ſecernat ad pœnitentiæ fructum? Nonne hinc idololatria, inde homicidium, detinebunt; & ſi qua vox fuerit, reclamabunt, Noſter hic cuneus eſt, noſtra compago. Ab idololatria metamur, illa diſtinguente coniungimur, illi de medio emicanti adunamur; concorporauit nos ſcriptura diuina, litteræ ipſæ glutina noſtra ſunt, jam nec ipſa ſine nobis poteſt. Ego quidem Idololatria ſæpiſſimè mœchiæ occaſionem ſubminiſtro. Sciunt luci mei & mei montes, & viuæ aquæ. ipſaque in vrbibus templa, quantum euertendæ pudicitiæ procuremus. Ego quoque Homicidium nonnunquam mœchiæ elaboro. Vt tragœdias omittam, ſciunt hodie venenarij, ſciunt magi, quot pellicatus vlciſcar, quot riualitates defendam, quot cuſtodes, quot delatores, quot conſcios auferam. Sciunt etiam obſtetrices, quot adulteri conceptus trucidentur. Etiam apud Chriſtianos non eſt mœchia ſine nobis; ibidem ſunt idololatriæ, vbi immundi ſpiritus res eſt. ibidem eſt & homicidium, vbi homo, quum inquinatur, occiditur.

Exo. 34. 15.
b Exo. 20 14.

5. *Et Ibid. cap.* 12. *à p.*

NOs in Apoſtolis quoque veteris legis formam ſalutamus, circa mœchiæ, quanta ſit, demonſtrationem; ne forte lenior exiſtimetur in nouitate diſciplinarum, quàm in vetuſtate. Cùm primum intonuit Euangelium, & vetera concuſſit, vt de legis retinendæ necne ſtatu diſceptaretur, primam hanc regulam de auctoritate Spiritus ſancti, Apoſtoli emittunt ad eos, qui jam ex nationib. allegi cœperant. [a] *Viſum eſt*, inquiunt, *Spiritui ſancto & nobis, nullum amplius vobis adjicere pondus, quàm eorum à quib. neceſſe eſt abſtineri, à ſacrificiis, & à fornicationibus, & ſanguine. à quib. obſeruando rectè agitis*; vectante vos Spiritu ſancto. Sufficit & hîc ſeruatum eſſe mœchiæ & fornicationi locum honoris ſui, inter idololatriam, & homicidium. Interdictum enim ſanguinis, multò magis humani intelligemus.

a Act. 15. 28.

LVXVRIÆ ET MOECHIÆ. 3. 4. & 5. SCHOL.

IVXTA DRACHMÆ EXEMPLVM. *Secundùm parabolam drachmæ perditæ, quædam peccata minus grauia, in domo Dei, hoc eſt in Eccleſia tolerari poſſunt; mœchia verò & fornicatio grauia ſunt, & onerofa talenti inſtar, quod ſuo pondere mergitur & infigitur cum Dauide mœcho*, in limo profundi, *quibus peccatis inueniendis, non ſufficit ſimplex ſpiculum accenſæ lampadis, quam mulier illa Euangelica accendit inquirenda drachma: ſed tota Solis lancea opus eſt; adhibenda eſt Dei omnipotentia, cui ſoli juxta errorem Tertulliani, remiſſio tanti peccati reſeruatur; quem fuſiſſimè in alphabeto errorum confutauimus, pluribus in hanc cauſam Auguſtini teſtibus, & textibus adductis. Cæterùm quoniam hic lanceæ Solis meminit, & Solem iuſtitiæ Chriſtum ambigit nemo; quæ ſit eius lancea, nullus ignorat: ea certè fuit, qua latus eius vnus militum aperuit in Cruce, dum decem mille talenta, id eſt omnia mundi peccata pro nobis Patri ſolueret.*

S. Aug. *Auguſtinus in Pſal.* 29. *verſum*, concidiſti ſaccum meum non tibi vileſcat, inquit, quod dixit ſaccum meum, ibi enim erat incluſum pretium tuum: concidit ſaccum lancea perſecutor, & pretium noſtrum fudit redemptor. *Rurſum, cùm ex eodem Auguſtino omne peccatum debitum ſit, & grauiora ſint peccata mœchiæ & fornicationis, effudit vſque ad nouiſſimam guttam ſanguinis: adeò vt ſicut bona fidejuſſoris qui ſoluendo non eſt, ſubhaſtari ſolebant; & velut extrema ſubucula Saladini, poſt mortem, militis lancea erecta portabatur,*

A *dum clamaret, huc redacta cernite Saladini bona; ſic extrema lancea ſaccus humanitatis Chriſti, ſummam eius inopiam, ad vſque aquæ effuſionem pro debito tanto probauit. Vt mirum non ſit, ſi præconis inſtar exclamet Auguſtinus hanc quaſi manu tenens lanceam:* Chriſtus lancea vulneratur, ò paupertas! SIMVL APPARVIT. *cùm primum quis mœchiæ crimine conuictus eſt, ſtatim excommunicatur.* REPERTRICI ECCLESIÆ. *Vt mulieri drachma inuenta.* PROXIMARVM FRATERNITATVM. *Eccleſiarum hæreticarum Montani. Cùm Eccleſia vera juxta parabolam, per pœnitentium condignam de reperto & conuerſo mœcho cum omnibus fidelibus gaudeat, & Soli iuſtitiæ de tantis tenebris excuſſis, & eius ſanguini & aquæ, de tanti talenti debito eius impenſis per-*

S. Aug.

B *ſoluto gratuletur.*

4. FORNICATIONIS EST RES. *Species contenta ſub genere luxuriæ.* PRÆSTO EST. *Apertè declarat Lex Moyſi data, quàm graue ſit ſcelus.* SECVNDAM RELIGIONEM. *Cultum, pietatem, reuerentiam, quia parentes repræſentant ſicut imagines, diuinam fœcunditatem, & patriam in creaturas omnes, & rationales maximè, poteſtatem.* POST SPIRITALEM CASTITATEM. *quæ vnus Deus caſtè colitur & amatur vt animæ ſponſus. Vnde vt ſupra vidimus Verbo idololatria, ſcriptura frequenter idololatriam appellat fornicationem & mœchiam.* SORTE CONIVNGETVR. *Eodem exitu miſero, & ferè ſimili pœna torquebitur, ſicut in ordine decalogi proximum eſt cri-*

men. ONERAVIT MOECHIAM. *Pondus adiecit homicidio grauius. Et hoc erroneum. Grauius enim eſt vitam hominis eripere, quàm vxorem: niſi fortè ratione,* Sacramenti magni, in Chriſto dico & in Eccleſia, *quod mœchus ſacrilegè violat, corporum, & proinde animorum diuidens vnitatem.* DE LOCO MODVM *menſuram delicti ſtatum & meritum ex loco & ordine quem tenet mœchia inter grauiſſima delicta, facilè eſt cuique dignoſcere.* EST ET MALI DIGNITAS, *vt & in malo & peccato ſit ſua quoque dignitas, ſicut in virtutibus eſt principatus.* DVCATVM: *principatum.* VT SOLAM EAM SECERNAT. *Hic pungit Pſychicos faciliùs indulgentes lapſis in mœchiam, nec immeritò quidem cùm ſit leuius, quàm in idololatriam, homicidiumue relapſis.* METAMVR. *Metas ordimur accipere, illi immediatè coniungitur.* IAM NEC IPSA. *Idololatria ſic coniuncta eſt mœchiæ, vt jam tempore perſecutionis, prius expugnetur ante fidem caſtitas, & mœchia ſiue fornicatio viam præparet colendis idolis.* SCIVNT LVCI. *Opaca nemora, lene murmur fontium, Veneris templa, aliorumque Deorum. In quibus regn·. Sic enim inducit idololatriam loquentem, negotium mœchiæ procurantem.* HOMICIDIVM MOECHIÆ ELABORO. *Doceo etiam, inquit, quomodo viri vxoribus, vxoreſque viris vitam eripiant; ad liberius exercendam mœchiam.* VT TRAGOEDIAS OMITTAM. *Quæ libros implent Poëtarum, & Scenas theatrorum, quibus docentur, mœchiæ cauſa, homicidia committi.* PELLICATVS, *cum pellicibus adulteria perpetrata coniugum vindicem, venenis, & artibus magicis.* AVFERAM. *De medio tollam, & hæc omnia crimina apud Gentiles idololatras non tantùm admittuntur, ſed etiam apud Chriſtianos, coniungitur idololatria mœchiæ, vix enim immundus ſpiritus & luxuriæ præſidens,* negotium perambulat in tenebris, *quin & homicidia, in ipſo adulterij actu perpetrantur, & facilè mœchus & fornicator ventrem & venerem colens in idololatriam prolabitur.*

5. IN APOSTOLIS *in ſcriptis, Epiſtolis & Actis Apoſtolorum legimus & veneramur antiquæ legis formam & normam circa prohibitionem fornicationis, quæ inter vetita ſacrificia, idolis exhibita, & ſanguinis eſum hoc eſt vindictæ homicidalis vſum, media interdicta cernitur.* VETERA CONCVSSIT. *Veteres legis cæremonias Euangelij promulgatio abrogauit.* ALLEGI COEPERANT. *Ex gentilitate ad Chriſtianiſmum conuerti.* VECTANTE VOS, *ducente vos in viam rectam Spiritu ſancto. Quantum mœchiam & fornicationem omnem abominetur Deus, teſtatur Auguſtinus lib. 5. in Eptateuc. quæſt. 37. ex Deut. 23. 17.* S. Aug. Non erit meretrix a filiabus Iſraël, & non erit fornicans a filiis Iſraël. Ecce vbi manifeſtè prohibuit fornicari & viros & fœminas, etiam cum non alienis coniugibus, peccatum eſſe demonſtrans miſceri non coniugibus ſuis: quando & meretrices eſſe, & ad meretrices accedere prohibet, quarum publice venalis eſt turpitudo. In decalogo autem mœchiæ nomine non videtur hoc apertè prohibuiſſe, quoniam mœchia non niſi adulterium intelligi ſolet. *Sic autem dixerat lib. 2. qq. in Exodum q. 71. in qua tractat de diſtinctione præceptorum decalogi.* S. Aug. Quæri ſolet, inquit, vtrum mœchiæ nomine etiam fornicatio teneatur? hoc enim Græcum verbum eſt, quo jam ſcriptura vtitur pro Latino. Mœchos tamen Græci non niſi adulteros dicunt. Sed vtique iſta lex non ſolis viris in populo, verùm etiam fœminis data eſt, &c. vterque ſexus conſtringitur, cùm & ipſum præceptum poteſt referri ad vtrumque, ſicut non occides, non furaberis, & alia quæ ſimiliter non expreſſo vno ſexu, vtique videntur ſonare communiter. Tamen vbi vnus exprimitur *ſicut in hoc, non concupiſces vxorem proximi tui* honoratior vtique exprimitur, id eſt maſculinus, vt ex hoc intelligat etiã fœmina, quid ſibi præceptum ſit. Ac per hoc ſi fœmina mœchata eſt habens virum, concumbendo cum eo qui vir eius non eſt, etiamſi ille non habeat vxorem: etiam vir mœchatus eſt habens vxorem, concumbendo cum ea quæ vxor eius non eſt, etiamſi illa non habeat virum. Sed vtrum ſi faciat qui vxorem non habet, cum fœmina quæ virum non habet, ambo præcepti huius tranſgreſſione teneantur, meritò quæritur. Si enim non tenentur, non eſt prohibita in decalogo fornicatio, ſed ſola mœchia, id eſt adulterium: quamuis omnis mœchia etiam fornicatio eſſe intelligitur, ſicut loquuntur Scripturæ. Dominus enim dicit in Euangelio; quicumque dimiſerit vxorem ſuam, excepta cauſa fornicationis, facit eam mœchari. Hîc vtique fornicationem appellauit, ſi cum alio peccet quæ virum habet, quod eſt mœchia, id eſt adulterium. Omnis ergo mœchia etiam fornicatio in ſcripturis dicitur. Sed vtrum etiam omnis fornicatio mœchia dici poſſit, in iiſdem ſcripturis non mihi interim occurrit locutionis exemplum. Sed ſi non omnis fornicatio etiam mœchia dici poteſt, vbi ſit in decalogo prohibita illa fornicatio quam faciunt viri qui vxores non habent, cum fœminis quæ viros non habent, vtrum inueniri poſſit, ignoro. Sed ſi furti nomine benè intelligitur omnis illicita vſurpatio rei alienæ: non enim rapinam permiſit qui furtum prohibuit; ſed vtique à parte totum intelligi voluit, quidquid illicitè rerum proximi aufertur: profectò & nomine mœchiæ, omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus vſus prohibitus debet intelligi. *Maximè cum Paulus de actu meretricio loquens dicat,* jam non eſtis veſtri; empti enim eſtis pretio magno. *Corpus igitur ſuum furatur Chriſto Domino, qui eo abutitur ad libidinem. Quin & mœchatur, qui carnem à Chriſto deſponſatam, ſacrilego tradit Meretrici commercio. Idem Aug. to. 9. lib. de decem Chordis cap. 9.* Veni, inquit, S. Aug. ad quintam Chordam homo qui tango pſalterium decem Chordarum, numquid prætermiſſurus eram quintam? imò aſſiduè percuſſurus. In illa enim video jacere penè totum genus humanum, &c. Ipſam percutiendo, quid dico? nolite mœchari poſt vxores veſtras, quia non vultis vt mœchentur poſt vos vxores veſtræ. Nolite ire vos, quo eas ſequi non vultis, &c. vt non ſequatur malum caput ſuum, teneat ſe ad caput Eccleſiæ Chriſtum: huic debens caſtitatem ſuam, huic deferens honorem ſuum. Abſens ſit vir, præſens ſit vir, nec peccet illa, quia numquam eſt abſens, cui debet vt non peccet, &c. Nec amara ſunt quæ dico: aut ſi amara ſunt, curant. Potio iſta ſi amara eſt, accipiatur, quia in periculo ſunt viſcera, amara eſt, bibatur. Melius eſt modica amaritudo in faucibus; quam æternum tormentum in viſceribus. Mutate ergo vos, &c. fœdum eſt fratres mei, turpe eſt, vt vir dicat, non poſſe fieri, quod facit fœmina, &c. quod poteſt fœmina, vir non poteſt? quid enim illa? carnem non portat? prior à ſerpente decepta eſt, &c. ſed fortè dices, ideo illam poſſe faciliùs facere, quia multa illi cuſtodia eſt, legis præceptum, diligentia maritalis, terror etiam legum publicarum: eſt etiam verecundiæ & pudoris illius magnum munimentum. Multæ cuſtodiæ faciunt fœminam caſtam. Virum caſtum faciat ipſa virilitas. Nam ideo mulieri melior cuſtodia, quia maior infirmitas. Illa erubeſcit viro, tu non erubeſcis Chriſto? *vt enim vir caput mulieris, ſic caput viri Chriſtus.* Tu liberior, quia fortior: quia facilè vincis, ideo tibi commiſſus es. Super illam & diligentia viri, & terror legum, & conſuetudo morum, & verecundia maior: & Deus ſuper te, tantum Deus. *Tum mœchiam cæteris decalogi præceptis magis prohibitam docet.* Si quis, inquit, inter vos faciat homicidium, quod auertat Deus, pellere eum vultis de patria, & continuò ſi fieri poteſt excludere. Si quis faciat furtum, oditis illum, nec

videte

videre vultis: si quis dicat falsum testimonium abominamini, nec vobis homo videtur. Si quis concupiscat alienas res, raptor & iniustus deputatur: si quis volutatur cum ancillis suis amatur, blandè accipitur, conuertuntur vulnera in joca, &c. ad hoc delapsa est humana peruersitas, vt vir habeatur à libidine victus, & vir nō habeatur victor libidinis, &c. jacent prostrati, & viri sunt. Si spectares, ille tibi videretur fortior, qui jam jaceret sub bestia, quàm si perimeret bestiam? *contra adulterium scribit, & graue peccatum esse declarat, quamuis illud esse leue diabolus suadeat, Aug. Ser. 164. de Temp.* Adulterium, inquit, sic timete, quomodo mortem, mortem non quæ animam soluit à corpore, sed vbi anima semper ardebit cum corpore. Fratres, fratres mei, filij mei, filiæ meæ, sorores meæ: scio scio agere diabolum partes suas, nec quiescere loqui in cordibus eorum, quos obligatos suis vinculis tenet, scio fornicatoribus, adulteris, qui contenti non sunt, coniuge sua, dicere diabolum in cordibus eorum, non sunt magna carnis peccata. Contra hanc diaboli susurrationem debemus habere Christi Incarnationem. Hoc est vnde Christianos decipit inimicus per carnis illecebras, cùm eis facit leue quod graue est, leue quod asperum est, dulce quod amarum est. Sed quid prodest quia satanas facit leue, quod Christus ostendit graue? Numquid nouum aliquid facit diabolus dicere Christianis fidelibus, nihil graue est quod facis in carne tua peccans? numquid in spiritu facile deletur carnis peccatum, facilè à Deo venia datur? quid facis magnum? artificium suum facit, quod & in paradiso dixit, manducate, & eritis sicut dij; nequaquam moriemini. Deus dixerat, qua die manducaueritis, morte moriemini. Monet inimicus, & ait, non moriemini, sed aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij. Dimissa est iussio Dei, & audita est persuasio diaboli: tunc inuenta est vera iussio Dei, & falsa diaboli. Numquid profuit, obsecro vos,

S. Aug.

A quia dixit mulier, serpens seduxit me? numquid valuit excusatio? si valuit excusatio, quare secuta est damnatio? ideo vobis dico fratres mei, filij mei, qui habetis vxores, vt nihil aliud noueritis: & qui non habetis & ducere vultis, integri vos ad eas seruate, sicut integras vultis inuenire. Vos qui continentiam Deo vouistis, nolite retrospicere. Ecce dico vobis, ecce clamo vobis, ego me absoluo: erogatorem me posuit Deus, non exactorem; sed tamen vbi possumus, vbi datur locus, non cesso: vbi scimus, corripimus, objurgamus, anathematizamus, excommunicamus; & tamen non corrigimus. Quare? quia neque qui plantat, aliquid est, neque qui rigat, sed qui B incrementum dat Deus. Modo qui loquor, quia moneo, quid opus est nisi exaudiat me Deus pro vobis, hoc est in cordibus vestris? *Contra adulterij vitium, ad castitatis amorem sicut & interioris animæ pulchritudinem perorat Aug. ser. 83. de Temp. de Ioseph & Domina sua.* Pulchrior erat, inquit, intus Ioseph quàm foris; pulchrior in luce cordis, quàm in facie corporis. Vbi illius fœminæ oculus non penetrabat, ibi ipse sua pulchritudine fruebatur. Intuens ergo interiorem pulchritudinem castitatis in speculo conscientiæ suæ, quando illam maculari, quando violari fœminea tentatione permitteret? Quod ergo videbat in se, & tu vis videre in te pulchritudinem pudicitiæ C interiorem spiritus talem? si habes ad illam qualescumque oculos, exempli gratia tibi aliquid propono, ipsam vis in coniuge tua: noli ergo odisse in aliena, quod amas in tua. Quid enim debes amare in coniuge tua? vtique castitatem. Hanc odisti in aliena. Serua ergo in coniuge aliena, quod seruare cupis in tua, quia & in vxore castitatem potius diligis quàm carnem. *Et rursum de Ioseph.* Amabat, inquit, illum, an potius se? ego puto quia nec illum, nec se. Si illum amabat, quare volebat perdere? si se amabat, quare quærebat perire?

S. Aug.

** 6. Luxuriæ actus animam eneruat, & debilitat oculos. De Ani. cap. 27. in m.*

VT adhuc verecundiâ magis pericliter quàm probatione, in illo ipso voluptatis vltimo æstu quo genitale virus expellitur, nonne aliquid de anima quoque sentimus exire? atque adeo marcescimus, & deuigescimus, cum lucis detrimento? Hoc erit semen animale protinus ex animæ destillatione, sicut & virus illud corporale semen ex carnis defæcatione.

LVXVRIÆ ACTVS. 6. SCHOL.

MAGIS PERICLITER. *Plus, inquit, periculi mihi est timendum ex parte puderis, quàm ex parte probationis. Hic juxta errorem suum refutatum à nobis in Alphabeto errorum, animæ corporalitatem, & passibilitatem, prosequitur, insinuatque animæ originem ex traduce.* GENITALE VIRVS. *Sperma generando homini aptum.* DEVIGESCIMVS, *vigorem amittimus.* CVM LVCIS DETRIMENTO *oculi enim ex actu concubitus minuuntur acie.* SEMEN ANIMALE *ex anima distillatum, sicut carnale, ex carnis fluxu excretum. Vbi vides simul effundi cum semine generatiuo carnis, animæ quoque semen productiuum. Augustinus certè, quem fusè loco supradicto in errore isto confutando impendimus, de libidinis actu aciem mentis exigurante sic fatur de Ciuit. lib. 14. c. 16.* Cum, inquit, sint multarum libidines rerum, tamen cùm libido dicitur, nec cuius rei sit libido additur, non ferè assolet animo occurrere nisi illa qua obscœnæ partes corporis excitantur. Hæc D autem sibi non solum totum corpus, nec solum extrinsecus, verum etiam intrinsecus vendicat, totumque commouet hominem, animi simul affectu cum carnis appetitu coniuncto atque permixto, vt ea voluptas sequatur, qua maior in corporis voluptatibus nulla est: itaut momento ipso temporis, quo ad eius peruenitur extremum, penè omnis acies, & quasi vigilia cogitationis obruatur. Quis autem amicus sapientiæ, sanctorumque gaudiorum, coniugalem agens vitam, sed sicut Apostolus monuit, sciens vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in morbo desiderij, sicut & Gentes quę ignorāt Deum; non mallet si posset, sine hac libidine filios procreare: vt etiam in hoc serendæ prolis officio, sic eius menti, ea quæ ad hoc opus creata sunt quemadmodum cætera suis quæque operibus distributa membra seruirent, nutu voluntatis acta, non æstu libidinis incitata?

S. Aug.

7. Luxuriæ species omnis grauis est, quia carnem polluit. De Pudic. cap. 4. à p.

CEterùm, & si adulterium & si stuprum dixero, vnum erit contaminatæ carnis elogium. Nec enim interest nuptam alienam, an viduam quis incurset, dum non suam feminam. Sicut nec locis refert, in cubiculis, an in curribus pudicitia trucidetur. Omne homicidium

extra filuam, latrocinium est. Ita & vbicunque, vel in quamcunque, semetipsum adulterat & stuprat, qui aliter quàm nuptiis vtitur. Ideo penes nos occultæ quoque conjunctiones, id est, non prius apud Ecclesiam professæ, juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitantur. Nec inde consertæ obtentu matrimonij, crimen eludant. Reliquas autem libidinum furias impias, & in corpora, & in sexus, vltra jura naturæ, non modo limine, verùm omni Ecclesiæ tecto submouemus; quia non sunt delicta, sed monstra.

8. Luxuriæ corpora nostra subducit Paulus, quia membra sunt Christi, empta eius sanguine, & eius merito suscitanda. 5. cont. Marc. cap. 7. à p.

a 1. Cor. 6.13. AVertens autem nos à fornicatione, manifestat carnis resurrectionem.[a] *Corpus*, inquit, *non fornicationi, sed Domino, & Dominus corpori*; vt templum Deo, & Deus templo.
b Ibid. 14. Templum ergo Deo peribit, & Deus templo. Atquin vides,[b] *Qui Dominum suscitauit, & nos suscitabit*, in corpore quoque suscitabit; quia corpus Domino, & Dominus corpori. Et
c Ibid. 15. benè quod aggerat,[c] *Nescitis corpora vestra membra esse Christi?* Quid dicet hæreticus? Mem-
d Ibid. 20. bra Christi non resurgent, quæ nostra jam non sunt?[d] *Empti enim sumus pretio magno.* Planè nullo, si phantasma fuit Christus, nec habuit vllam substantiam corporis, quam pro nostris corporibus dependeret. Ergo Christus habuit quo nos redimeret; & si aliquo magno redemit hæc corpora, in quæ eadem committenda fornicatio non erit, vt in membra jam Christi, non nostra: vtique sibi salua præstabit, quæ magno comparauit. Iam nunc quomodo honorabimus? quomodo tollemus Deum in corpore perituro?

** 9. Luxuria corpus proprium, immo à Christo emptum violat. De Pudic. cap. 16. circa m.*

a 1. Cor. 6. 18. 19. [a] O*Mne delictum quod admiserit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Ac ne hoc dictum in licentiam fornicationis inuaderes, vt in rem tuam, non Domini delicturus, aufert te tibi, & Christo sicut disposuerat adjicit, *Et non estis vestri.* Sta-
b Ibid. 20. tim apponens,[b] *Empti enim estis pretio*; sanguine scilicet Domini. *Glorificate, & tollite Dominum in corpore vestro.* Hoc qui præcipit, vide an ignouerit ei qui dedecorauerit Dominum, & qui eiecerit eum de corpore suo, & quidem per incestum.

10. Luxuria, & omnis carnis immunditia, post Verbum Incarnatum, & baptismum susceptum, grauior est. De Pudic. cap. 6. à m.

LVserit ante Christum caro, immo perierit antequam à Domino suo requisita est; non-
Gen. 3. 6. & 7. dum erat digna dono salutis, nondum apta officio sanctitatis. adhuc in Adam deputabatur cum suo vitio, facile quod speciosum viderat concupiscens, & ad inferiora respiciens, & de ficulneis foliis pruriginem retinens. inhærebat vsquequaque libidinis virus, & jactæ sordes non ablui idoneæ, quod nec ipsæ adhuc aquæ lauerant. At vbi sermo Dei descendit
a Io. 1. 14. in carnem, ne nuptiis quidem resignatam;[a] *Et sermo caro factus est*, ne nuptiis quidem resignanda, quæ ad lignum, non incontinentiæ, sed tolerantiæ accederet; quæ non dulce aliquid, sed amarum aliquid inde gustaret; quæ non ad inferos, sed ad cœlum pertineret; quæ non lasciuiæ frondibus, sed sanctimoniæ floribus præcingeretur, quæ munditias suas aquis traderet, exinde caro quæcumque in Christo reliquas sordes pristinas soluit, alia jam
1. Cor. 12. 27. res est, noua emergit jam, non ex seminis limo, non ex concupiscentiæ fimo, sed ex aqua
1. Cor. 6. 15. & 19. pura & spiritu mundo. Quid itaque illam de pristino excusas? non Corpus Christi; non membra Christi, non templum Dei vocabatur, cùm veniam mœchiæ consequebatur.

** 11. Et de pudic. cap. 20. in f.*

a Leuit. 19. 20. SIc & de famulæ concubitu, quæ homini esset reseruata, necdum redempta, necdum liberata.[a] *Prospicietur*, inquit, *illi, & non morietur, quia nondum est manumissa cui seruabatur.* Nondum enim caro à Christo manumissa, cui seruabatur, impunè contaminabatur, ita jam manumissa non habet veniam.

** 12. Luxuria carni indulgens, grauius peccatum inducit, quàm sit Christi negatio extorta tormentis. De Monog. cap. 15. in f.*

VTique enim illam magis excusari capit, quæ in prœlio cecidit, quàm quæ in cubiculo; quæ in equuleo succubuit, quàm quæ in lectulo; quæ crudelitati cessit, quàm quæ libidini; quæ gemens deuicta est, quàm quæ subans. Sed illam quidem à communicatione depellunt, quia non sustinuit in finem; hanc verò suscipiunt, quasi & hæc sustinuerit in
Math. 10. 22. finem. Propone quid vtraque non sustinuerit in finem, & inuenies eius causam honestiorem, quæ sæuitiam, quàm quæ pudicitiam sustinere non potuit. Et tamen nec cruentam defectionem infirmitas carnis excusat, nedum impudicam.

13. *Et de Padic. cap. 22. V. Verbum. remissio mœchis neganda. In Alphab. errorum. num. 17. circa. f.*

LVXVRIÆ SPECIES OMNIS. 7. 8. 9. 10. 11. & 12. SCHOL.

SI STVPRVM. *Cum virgine aut vidua, concubitum.* ELOGIVM. *Titulus infamiæ, propter corpus labe luxuriæ conspurcatum.* NVPTAM ALIENAM, *alterius viri vxorem.* INCVRSET. *Concumbendo subigat* NEC INTEREST. *Scilicet quantum ad carnis maculam. Aliàs enim multum interest rem cum soluta per mortem lege viri, vel cum vincta habere, nam in adulterio præter castitatem etiam justitia violatur, & fit iniuria sacramento Matrimonij.* LATROCINIVM *perinde est, æquè latronis est negotium extra Syluam vel in ipsa hominem occidere.* SEMETIPSVM ADVLTERAT. *Christi thorum carnis suæ sponsi violans, qui seipsum polluit & præter nuptias legitimas sordida carnis voluptate vtitur.* OCCVLTÆ CONIVNCTIONES. *Nuptiæ Clandestinæ in facie, vt dicunt, Ecclesiæ non contractæ, pro Mœchis & fornicariis in dubium veniunt & penè judicantur, nec postea solemnius celebratæ nomen Matrimonij sortiuntur, itaut eius obtentu notam criminis non euadant.* LIBIDINVM FVRIAS. *Monstra infra vocat, hoc est contra naturam peccata, veluti mollitiem, Sodomiam, incestus, &c. Non tantum Ecclesiastica censura, sed ab omni priuato tecto domesticorum Ecclesiæ hoc est fidelium consortio amandamus. Augustinus de terra Sodomorum propter peccatū abominabile immutata lib. 21. de Ciuit. cap. 9.* S. Aug. Terra, inquit, Sodomorum non fuit vtique vt nunc est: sed jacebat simili cæteris facie, eademque, vel etiam vberiore fœcunditate pollebat. Nam Dei paradiso in diuinis eloquiis comparata est. Hæc posteaquam, tacta de cœlo est, sicut illorum quoque attestatur historia, & nunc ab eis qui veniunt ad loca illa, conspicitur, prodigiosa fuligine horrori est, & poma eius interiorem fauillam mendaci superficie maturitatis includunt. Ecce non erat talis, & talis est. Ecce à conditore naturarum, natura eius in hanc fœdissimam diuersitatem mirabili mutatione conuersa est. Et quod post tam longum accidit tempus, tam longo tempore perseuerat. *Iura naturæ mutantibus, ipsa in pœnam natura mutatur; & sulphureus puluis, præ se fert fœtorem criminis, & poma in superficie matura & pulchra, pulchritudinem cutis & formam voluptatis exprimunt, eorum qui juxta Paulum Rom.* 1. Traditi in passiones ignominiæ, & in reprobum sensum contumeliis afficiunt corpora sua in semetipsis: *Et oculis capti, nec suum vident crimen, nec arguentes audiunt, sed reprehendentibus insultant. Ita August. Ser. 44. de Verbis Domini.* S. Aug. Qui, inquit, faciendo quod malum est, etiam mala consuetudine se implicāt, vt ipsa consuetudo mali non eos sinat videre quia malum est, fiunt defensores malorum factorū suorum. Irascuntur cum reprehenduntur: in tantum vt Sodomitæ quondam dicerent viro justo reprehendenti nequissimam voluntatem; habitare venisti, non leges dare. Tanta ibi nefandæ turpitudinis consuetudo erat, vt jam nequitia esset justitia, & prohibitor potius reprehenderetur, quàm factor. Tales consuetudine maligna pressi, tanquam sepulti sunt. Sed quid dicam fratres? ita sepulti, vt de Lazaro dictum est, jam putet. Moles illa imposita sepulchro, ipsa est vis diræ consuetudinis, qua premitur anima, nec surgere, nec respirare permittitur.

8. AVERTENS NOS, *Paulus, vt nos deterreret à fornicatione, cum 1. Cor. 6 versu 9. dixisset:* Nolite errare, neque fornicarij neque Idolis seruientes, neque adulteri; neque molles *Syr. Corruptores* neque masculorum concubitores, &c. regnum Dei possidebunt: *Merito oritur carnis incorruptæ & gloriosæ suscitandæ. Ita enim versu* 13. Esca ventri, & venter escis: Deus autem hunc & has destruet: corpus autem non fornicationi, sed Domino; *seruiat.* Et Dominus corpori *imperet & regnet.* Deus verò & Dominum suscitauit, & nos suscitabit per virtutem suam: Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? Erunt enim, duo in carne vna. qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est. *Infra locum exponemus. Nunc quoniam sequentes loci idipsum probant, explicationem solam textus prosequar, & hæc interim prælibabo circa textum Apostoli, à fornicatione deterrentis membra Christi. August. Ser. 164. de temp. ad baptizatos de nouo:* Breuiter dico, & vobis commendo, & fideles terreo, & vos ædifico. S. Aug. Membra Christi estis, nolite me, sed Apostolum audite. Tollens, inquit, membra Christi, faciam membra meretricis? sed dicit aliquis, meretrix non est quam habeo, concubina mea est. O Sancte Episcope, meretricem fecisti concubinā meam. Nunquid ego dixi? Apostolus clamat, & ego incurri calumniam. Ego volo te esse sanum, quare in me furis sicut insanus. Habes vxorem qui hoc dicis: habeo, inquis. Bene; velis nolis: illa quæ præter vxorem tecum dormit, meretrix est. Ecce vade & dic ei, quia iniuriam tibi fecit Episcopus. Habes vxorem legitimam tuam, & alia tecū dormit, quæcumque est illa, jam dixi, meretrix est. Sed seruat tibi vxor tua fidem, nec nouit alium nisi te solum, & non disposuit se nosse alterum. Cùm ergo illa sit casta, tu quare fornicaris? si illa te vnum, quare tu duas? sed dicis, ancilla mea concubina mea est. nunquid ad vxorem alienam vado? nunquid ad meretricem vado publicam? an non licet mihi facere in domo mea quæ volo? dico tibi, non licet In gehennam vadunt qui hoc faciunt; in sempiternum ignem ardebunt. HÆRETICVS, *Marcionita, & Christi carnem veram, & veritatem resurrectionis nostræ carnis negans.* IAM NON SVNT *sed Christi, ex quo ab eo redempta sunt. Vnde prosequitur Paulus;* Empti enim estis pretio magno. SI PHANTASMA. *Si corpus Christi fuit phantasticum.* SIBI SALVA PRÆSTABIT. *Reproducet integra & incorrupta in resurrectione.* QVOMODO TOLLEMVS. *Portabimus & glorificabimus in corpore, si corpus prorsus interit, adeo vt nunquam resurgat?*

9. OMNE DELICTVM. *Prosequitur juxta Paulum ibidem dicentem versu* 18. Fugite fornicationem, omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est *id est juxta August. anima quæ propriè peccat non sic immergitur corpori in aliis peccatis etiam per corpus exercendis, sicut in peccato quod ideo dicitur carnis, in quo tota videtur absorberi, & vnum cum eo effici, cum è contra qui Deo adhæret, vnus cum eo spiritus efficitur amore & delectatione spiritali.* Qui autem fornicatur in corpus suum peccat. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro. *Translat. Syr. majore emphasi:* Empti enim estis pretio. Glorificate itaque Deum corpore vestro, & spiritu vestro, quæ quidem sunt Dei. *Aug. to. 10. In tertio fragmento, citato à Beda, in verba Pauli. 1. Cor. 6.* S. Aug. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus proprium peccat, *cum profundam quæ-*

stionem pluribus disseruisset, probassetque non posse extra corpus hominem in hac vita quoduis peccatum committere, nisi carnali sensu, & carnali prudentia, isto
S. Aug. *adhuc circumseptum in corpore, sic concludit:* Sic, inquit, quantum mihi videtur, salua fide intelligi potest, vtriusque fornicationis malum, tam specialis, *qua impletur voluptate carnali* quàm vniuersalis, *qua rebus corporeis amore inordinato adhæret anima, deserto Creatore.* In hoc vno capitulo tanti & tam magni doctoris, vbi ait; omne peccatum quodcumque fecerit homo, &c. Vt aut exaggeratio facta sit ab Apostolo huius specialis fornicationis, qua in corpus propriũ peccari rectè intelligitur; quia nusquam sic totus homo corporis ipsius voluptati addicitur, & ineffabiliter, vel ineuitabiliter afficitur, vt in comparatione huius tanti mali, cætera peccata extra corpus esse videantur, etiam si per corpus exerceantur, quemadmodum solum fornicationis, vis quædam imperiosæ libidinis conditioni suæ subdit, propriumque ipsius corporis mancipium pessimum facit, tempore maximè ipsius immundissimæ operationis, vt aliud quid, præter quod agit in ipso corpore, non sit liberum humanæ menti vel cogitare, vel intendere. *Sic supra dixerat:* Liberum est, inquit, animo humano, in aliis quibuscumque sceleribus, & vnum aliquid eorum operari, & eo ipso tempore alibi cogitatione distendi, quod in fornicationis ipso opere atque tempore, non licet animo, ad aliud aliquid cogitandum liberum esse. Sic enim totus homo absorbetur ab ipso & in ipso corpore, vt jam dici non possit ipse animus suus esse, sed simul totus homo dici possit, quod caro sit, *jam non sunt duo, sed vna caro* & spiritus vadens, & non rediens. *De fornicatione autem generali, ita prosequitur.* Si autem, inquit, etiam generalem significare voluit Apostolus, propter quam dixisse videatur, omne peccatum, &c. Sic accipiendum & intelligendum, vt quisquis, dum non adhæret Deo, qui adhæret mundo, *hoc est qui diligit mundum, & ea quæ in mundo sunt contra mandatum Ioannis Apostoli,* omnia tamen temporalia diligens & concupiscẽs, meritò in corpus proprium peccare dicatur, id est, vniuersæ concupiscentiæ carnali deditus, & subditus factus, tanquam totus creaturæ seruus, ab ipso Creatore alienus, per illam initium omnis peccati superbiam cuius superbiæ initium est, Apostatare à Deo, &c VIDE AN IGNOVERIT. *Hoc loco abutitur probans errorem suum de non recipiendis lapsis in mœchiam, exemplo Pauli incestum Corinthium Anathemate ferientis. De quo vide Alphabetum errorum. verbo, remißio peccati.*

10. LVSERIT ANTE CHRISTVM CARO. *Ante Christi Incarnationem impudicitiæ se tradiderit,* & lusum existimauerit vitam suam, nullo prætermisso prato quod non pertransiret luxuria eius. IMMO PERIBRIT, *peccato lethali sauciæ.* DONO SALVTIS, *Sacramento cuius gratiam anima per corpus recipit.* OFFICIO SANCTITATIS. *Colendæ castimoniæ.* IN ADAM DEPVTABATVR. *Censebatur caro corrupta peccato primi hominis, qui cum muliere, fructu vetito specioso inspecto & gustato verenda protexit, & foliis asperis pruriginem cohibere conatus est.* NON ABLVI IDONEÆ *maculæ contractæ ex peccato Adæ nondum ablutæ aqua baptismi.* SERMO DEI. *Verbum.* NE NVPTIIS QVIDEM, &c. *id est in Virginem Mariam nuptiis cum Sancto Ioseph contractis integram.* NON INCONTINENTIÆ. *A cuius fructu Adam non se continuerat, & in pœnam iustam, motus libidinis continere non potuerat.* TOLERANTIÆ. *Crucis.* AMARVM ALIQVID, *fel, acetum, vinum myrrhatum.* NON AD INFEROS. *Scala perueniret, sed vt scala Iacob ad Cœlum pertingeret.* LASCIVIÆ FRONDIBVS. *Foliis ficulneis ex quibus perisomata consuit.* SANCTIMONIÆ FLORIBVS *Liliis castitatis, quibus circumuallatus est vterus Virginis.* A AQVIS TRADERET. *Dum in Iordane baptizatus est.* CARO QVÆCVMQVE *siue masculi siue fœminæ.* IN CHRISTO. *In Christi baptismo relictas posteris ab Adamo sordes peccati originalis abluit.* DE PRISTINO EXCVSAS, *in veterem Adam exutum in lauacro, nouum indutus, quid carnis concupiscentiam excusas & refundis?* CVM VENIAM MOECHIÆ, *alludit ad veniam datam Dauidi mœcho ante Verbi Incarnationem, quasi jam adulterium sit irremißibile.*

11. DE FAMVLÆ CONCVBITV. *Vide dicta in alphabeto errorum Verbo remißio peccati.* NONDVM A CHRISTO MANVMISSA. *Redempta, sicut supra ex Paulo dixit:* Empti estis pretio magno, &c. IMPVNE CONTAMINABATVR. *Et hoc falsum; nisi de ancilla intelligat, neque enim mœchia capitali pœna carebat: lex* B *enim jubebat carnem mœcham lapidari.* NON HABET VENIAM. *In Ecclesia scilicet Montani.*

12. EXCVSARI CAPIT. *Recipit excusationem, potest facilius excusari caro, quæ vi dolorum, animum ad fidei negationem impulit dum contra Tyrannum certaret, quàm quæ voluptate cecidit.* SVBANS, *vox exprimens suum in coitu libidinem.* QVASI SVSTINVERIT. *Patiens fuerit, cum tamen libidinis impatiens, concupiscentiæ satisfecerit, nec perseuerauerit in castitate.* CRVENTAM DETECTIONEM. *Si, inquit, Ecclesia non excusat, deficientem à fide sauitiæ tormentorum cedente infirmitate carnis, quomodo excusare potest, & ad veniam recipere impudicitiæ blanditiis succumbentem? pulchrè Augustinus scelera prosequitur, in quæ luxuriosi prolabuntur, maximè verò contra Christum impij & crudeles, qui non* C *modo eum eiusque Crucem suis delitiis abnegant, sed eum spinis, flagellis, Cruci, morti turpißimæ condemnant iuxta Paulum:* rursum crucifigentes Christum. *Sequentia legat & ponderet Lector, & prædicator amans castimoniæ, & insanæ libidinis verbo scriptoque persecutor, quæ habet Augustinus Ser. 246. de Temp.* Hinc, inquit, S. Aug. ille nascitur sermo hominum in flagitia defluentium, & inde in scelera crudescentium. Dixerunt enim cogitantes, apud se non rectè, exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis. Venite ergo fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso & vnguentis nos impleamus, & cætera D quæ in eodem loco attexuntur gestientis verba luxuriæ, hominum de vita æterna desperantium, & spẽ suam tanquam in arena torrentis, ita in tẽporali carnis corruptione ponẽtium. Ex hac autẽ enumeratione libidinũ & putredinum, & vermibus flagitiorũ, videte in quæ facinora, & in quam immania scelera prosilitur. Exhausti enim atque submersi immoderatorum delictorum turpium corruptela, vel dum seueritatem veritatis sibi contradicentis oderunt: opprimamus ergo, inquiunt, pauperem & iustum, & non parcamus viduæ nec seni; nec reuereamur canos multi temporis. Sit autem fortitudo nostra lex iustitiæ. Quod infirmum & inutile inuenitur. Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis, E & contrarius est operibus nostris. Talia de Domino nostro Iesu Christo Iudæorum impietas cogitauit. Quod manifestius in verbis consequentibus inuenitur: paulò enim pòst dicit, promittit scientiam Dei se habere, & filium Dei se nominat: deinde rursus paulò pòst dicunt, contumelia & tormento interrogemus illum, vt faciamus reuerentiam illius. Morte turpissima condemnemus eum. Erit enim respectus ex sermonibus illius. Sed attendite quam de illis sententiam ferat Spiritus Sanctus, quando statim subiungit. Hæc cogitauerunt & errauerunt: excæcauit enim illos malitia illorum. Omnia horrenda facinora quæ timentur in sceleratis hominibus, videte de qua labe consurgant. Quid enim

mollius quàm illa luxuria? quid durius quam ista crudelitas? Iam dudum dicebant, fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter, & non prætereat nos flos temporis, & vbique relinquamus signa lætitiæ: nunc dicunt opprimentes pauperem, non parcamus viduæ, nec reuereamur senem: circumueniamus iustum, contumelia & tormento interrogemus eum, morte turpissima condemnemus eum. Vinum sequitur furor, vnguenta tormenta, sanguis rosas, ira lætitiam. A talibus ligatus, cæsus, interfectus est Dominus. Quis de coronis florentibus cruenta vincula formidaret? Quis de suauibus poculis dolores sæuissimos præuideret? quis de mollibus pratis tam dirum Crucis lignum prænosceret? & tamen nulla ætas, nulla luxuria, nisi iuuentus flori temporis comparata est? sic enim dixerunt, vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. *Exaggerat autem idem sanctissimus* S. Aug. *Doctor, quod supra ex Paulo attigimus, Ser. 52. de Temp.* Illicitum, inquit, amorem cauete, membra Christi estis & Corpus Christi estis. Audite Apostolum, & terremini. Non potuit enim grauius dicere, non potuit vehementius, non potuit acrius deterrere Christianos ab amore fornicationum, nisi vbi dixit, tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? vt autem hoc diceret, superius ait; nescitis quia qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? & testimonium de scriptura dedit, quod scriptum est, erunt duo in carnem vnam. Dictum est enim hoc diuinitùs: sed de viro & vxore, vbi licet, vbi concessum est, vbi honestum est: non vbi turpe, non vbi illicitum, non vbi omni ratione damnabile. Sicut autem vna fit caro in permixtione licita viri & vxoris: sic vna fit caro in permixtione illicita meretricis & amatoris. Cùm ergo vna fit caro, illud te terreat, illud exhorreas, quod addidit: tollēs ergo membra Christi: membra Christi, Christiane attende, mēbra Christi. Noli in altero, in te attende mēbra Christi, qui emptus es sāguine Christi. Tollens ergo mēbra Christi, &c? hoc qui non horret, Deo horret. Prorsus; prorsus, obsecro vos, fratres mei: Ecce ponamus, quod non est, promisisse Deum talibus impunitatem, & dixisse, qui talia fecerint, miserebor eorum, non eos damnabo, &c. Etiam promissa impunitate tollit quisque mēbra Christi, &c? non facit, si est ibi tertia diuina dilectio, &c. *Prosequitur, & dicit nec coniugatum, mittere meretricem in domum suam, vt habitet cum vxore; nec adolescentem, eam facere habitare cum sorore, vel matre sua*: Ne, inquit, iniuriam faciat humanæ pudicitiæ, ne offendat decus sanguinis sui. Si ergo non facis habitare meretricem quam diligis, cum matre tua, cum sorore tua; ne sicut dixi, offendas decus sanguinis tui: facis habitare in corde tuo dilectionem meretricis, cum dilectione Dei, & offendis decus sanguinis Christi? *Cuius post Incarnationem caro tua, soror eius facta est. Nec tantum ob Incarnationis, sed & maximè ob Sacramenti Eucharistici reuerentiam, quo maior fit cum singulis Ecclesiæ Corporis Christi membris personalis vnio, & vnionis Incarnationis applicatio, & indiuisa vnitatis distributio: omnis fornicatio exhorrenda; ob cuius vel infimam speciem mortalem, à regno cœli excludit Apostolus: Ita Augustinus* S. Aug. *lib. 21. de Ciuit. cap. 25. vbi ex Galat. 5.* Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, &c. quæ prædico vobis, sicut prædixi. quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt, &c. Et si in regni Dei possessione numquam erunt, æterno supplicio tenebuntur; quoniam non est locus medius vbi non sit in supplicio, qui illo non fuerit constitutus in regno. *Postea subjicit ex Io. 6.* Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum. *Et ex 1. Cor.* 10. Vnus panis, vnum corpus multi sumus, qui de vno pane participamus, cuius inquit, Corporis Sacramentum fideles communicantes, de altari sumere consueuerunt, &c. *Tum supradictis ex Tertulliano, de negantibus Christum, castimoniam abiurando, & in ea non perseuerantibus vsque in finem, respondens adjicit de excludendis secundum Paulum à regno Dei*: Vnde, inquit, nec illi in perditis & damnabilibus moribus debent esse securi, qui vsque in finem quidem, velut in communione Ecclesiæ Catholicæ perseuerant, intuentes quod dictum est: qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit: & per vitæ iniquitatem, ipsam vitæ justitiam, quod eis Christus est, *sicut Paulus ait, mihi viuere Christus est*, deserunt, siue fornicando, siue alias immunditias flagitiorum, quas nec Apostolus exprimere voluit, in suo corpore perpetrando, siue in turpitudine luxuriæ diffluendo, siue aliquid aliud eorum agendo de quibus ait, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt; ac per hoc quicumque agunt talia, nisi in sempiterno supplicio non erunt, quia in regno Dei esse non poterunt. In his enim perseuerando vsque in huius vitæ finem, non vtique dicendi sunt, in Christo perseuerasse vsque in finem; quia in Christo perseuerare, est in eius fide perseuerare. Quæ fides, vt eam definit idem Apostolus, per dilectionem operatur. Dilectio autem, sicut ipse alibi dicit, malum non operatur. *Dicunt se nosse Deum, factis autem negant.* Nec isti ergo dicendi sunt manducare Corpus Christi, *ad salutem æternam* quoniam nec in membris computandi sunt Christi. *Sed meretricis.* Vt enim alia taceam, non possunt simul esse & membra Christi, & membra meretricis. Denique ipse dicens, qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo; ostendit quid sit, non Sacramento tenus, sed reuerà Corpus Christi manducare & eius sanguinem bibere: hoc est enim in Christo manere, *perseuerare in gratia & castitate & vnitate membrorum cum capite*, vt in illo maneat & Christus. Sic enim hoc dixit, tanquam diceret: qui non in me manet, & in quo ego non maneo, non se dicat, aut existimet manducare corpus meum, aut bibere sanguinem meum. *Scilicet ad vitam æternam.* Non itaque manent in Christo, qui non sunt membra eius. Non sunt autem membra Christi, qui se faciunt membra meretricis; nisi malum illud pœnitendo esse destiterint, & ad hoc bonum reconciliatione redierint. *Hæc longè sanius Tertulliano, à spe veniæ per reconciliationem Ecclesiæ mœchos excludente, Augustinus; qui rursum Ser. 18. de Verb. Apost.* Apostolum, inquit, audiuimus, cùm legeretur, corripientem & coercentem humanas libidines, & dicentem: nescitis quia corpora vestra membra Christi sunt? &c. Corpora ergo nostra membra Christi esse dixit: quoniam Christus caput nostrum est, eo quòd homo factus est propter nos. Caput de quo dictum est, ipse Saluator Corporis nostri: corpus autem eius Ecclesia est. Si ergo Dominus noster Iesus Christus tantummodo animam humanam susciperet, membra eius non essent nisi animæ nostræ: quia vero & corpus suscepit, per quod etiam caput est nobis qui ex anima & corpore constamus; profectò illius membra sunt & corpora nostra. Si ergo vnusquisque cupiens fornicari, vilescat sibi & in seipso, contemnat seipsum; saltem non in se contemnat Christum. Non dicat, faciam, nihil sum: omnis caro fœnum. Sed corpus tuum, membrum est Christi. Quo ibas? redi. Quo te tanquam præcipitare cupiebas? parce in te Christo, ignosce in te Christo. Tollens ergo membra Christi, &c? meretrix est enim quæ tibi in adulterium consentit. *Quia caro tua à Verbo desponsata est*

Incarnato, & tu suauissimo panis Eucharistici glutino vnum cum eo corpus & caro effectus, cum aliena adulteras? Et fortè ipsa Christiana, tollit membra Christi, & facit membra adulteri. Inuicem in vobis contemnitis Christum, nec agnoscitis Dominum vestrum, *empititij eius serui, jam proinde non vestri.* Nec cogitatis pretium vestrum. *Empti enim estis pretio magno.* Qualis autem ille Dominus, qui seruos suos fecit fratres suos? sed parum erat fratres suos, nisi faceret membra sua. Itanè tanta dignitas viluit? quia eam benignè præstita est, non honor ei retribuitur? si non præstaretur, desideraretur: quia præstita est, contemnitur. *Idem Aug. Ser. 250. de Temp.* Et quanta, inquit, iniquitas, & quàm lugenda peruersitas; ita vt animam quam Christus sanguine suo redemit, luxuriosus quisque propter vnius momenti delectationem libidinis, diabolo vendat. Verè enim nimium plangenda, & miseranda conditio est, vbi cito præterit quod delectat, & per diabolum in Cruce manet sine fine quod cruciat. Sub momento enim libidinis impetus transit, & opprobrium infelicis animæ permanet.

S. Aug.

* 14. *Luxuria Spiritum Sanctum abigit. De Monog. cap. 1. in f.*

a Gal. 5. 17.

b Gen. 6. 3.

PSychicis non recipientibus spiritum, ea quæ sunt spiritus non placent. Ita, dum quæ sunt spiritus non placent, ea quæ sunt carnis placebunt, vt contraria spiritui. [a] *Caro,* inquit, *aduersus spiritum concupiscit, & spiritus aduersus carnem.* Quid autem concupiscet caro, quàm quæ magis carnis sunt? Propter quod & in primordio extranea spiritus facta est: [b] *Non,* inquit, *permanebit spiritus meus in istis hominibus in æuum, eo quod caro sint.*

15. *Luxuria templum Dei magis polluit, quam auaritia & rapina. De pudic. cap. 1. circa m.*

Math. 21. 13.

TErrenum Dei templum citius spelunca latronum appellari potuit à Domino, quàm mœchorum & fornicatorum.

LVXVRIA SPIRITVM SANCTVM ABIGIT. 14. & 15. SCHOL.

PSYCHICIS *sic infamat Catholicos Romanos factus hæreticus; Animales eos vocans. de quo vide dicta in Alphab. errorum, Verbo, Psychici.* NON RECIPIENTIBVS SPIRITVM. *Paracletum, quem in Montanum abundantius quàm in ipsos Apostolos defluxisse credidit.* QVÆ SVNT SPIRITVS. *Qualis est castitas, per quam iuxta Paulum supra:* qui adhæret Deo vnus spiritus est. QVÆ MAGIS CARNIS. *propriè carnis sunt, & manifesta opera carnis, per quæ quis* in proprium corpus peccat. EXTRANEA SPIRITVS. *A Spiritu sancto aliena, de quo ante diluuium dixit Deus. Gen. 6. 3.* Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. 70. in hominibus his in æternum, quia carnes sunt. *Et quomodo permaneret, quem vt columbam puritatis amatricem, fœtore carnis abigunt templo suo?*

15. TERRENVM TEMPLVM. *A Salomone constructum, quo Christus negotiatores expulit, potius tulit ab auaris habitari, quàm mœchis, licet & auaros inde excusserit, dicens:* Domus mea, domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam speluncam latronum. *Sed expressè Paulus à templo Spiritus sancti, hoc est corporibus nostris, fornicationem omnem eliminat, in quibus & imago Christi Dei Incarnati facti in similitudinem hominis, hoc peccato conspuitur. Ita Aug. to. 9. lib. de decem Chordis, cap. 10.* Si, inquit, quod non vis pati ab hominibus, ipsi Deo vis facere, quid est hoc? non facis alteri, quod pati non vis: charior tibi factus est homo quam Deus? ergo quomodo iniuriam facio, inquis, ipsi Deo? corrumpis teipsum. Et vnde iniuriam facio Deo, quia corrumpo meipsum? vnde facit tibi iniuriam qui voluerit fortasse lapidare tuam tabulam pictam, in qua tabula imago tua est in domo tua inaniter posita ad vanum honorem tuum, nec sentiens, nec loquens, nec videns? si quis eam lapidet, nonnè in te factam esse contumeliam attendis? cùm verò imaginem Dei quod es tu, corrumpis in te per fornicationes, & diffluentias libidinis, attendis quia ad nullius vxorem accessisti, attendis quia post vxorem tuam, nihil fecisti. quia vxorem non habes: & non attendis, per libidines, & illicitas fornicationes, cuius imaginem violasti? &c. hoc iussit, hoc præcepit Dominus, ne per illicitas voluptates corruat templum eius, quod esse cœpisti. Numquid hoc ego dico? Apostolum audite: nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? hoc dicit Christianis, hoc dicit fidelibus: nescitis quia templum, &c. si quis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus. Videtis quomodo minatur? non vis corrumpi domũ tuam; quare corrumpis domum Dei? certè facis alicui, *non homini, sed Deo* quod pati non vis. *Et Ser. 18. de Verb. Apost.* Hæc, inquit, corpora nostra quæ dicit Apostolus membra esse Christi propter Corpus Christi quod ex genere corporis nostri suscepit; dicit idem Apostolus templum esse in nobis Spiritus sancti, quem habemus à Deo. Propter Corpus Christi, corpora nostra membra sunt Christi: propter inhabitantem Spiritum Christi, corpora nostra sunt templum Spiritus sancti. Quid horum in te contemnis? Christum, cuius membrum es? an Spiritum sanctum, cuius templum es? ipsam meretricem quæ tibi consentit ad malum, non audes fortasse introducere in cubiculum tuum, vbi habes lectum tuum coniugalem: sed quæris aliquem abiectum in domo tua, & turpem locum, in quo turpiter voluteris. Defers ergo honorem cubiculo vxoris tuæ, & non defers templo Dei tui? non introducis impudicam, vbi dormis cum coniuge tua, & tu ipse is ad impudicam, cum sis templum Dei? puto quia melius est templum Dei, quàm cubiculum vxoris tuæ. Quocumque enim ieris, Iesus videt te, qui fecit te, & perditum redemit te, & pro mortuo mortuus est pro te. Tu te non agnoscis: sed ille à te oculos non auertit, non ad adiuuandum, sed ad puniendum. Oculi enim Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum. Continuò subiecit, & terruit eos qui sibi malam securitatem dabant, qui sibi dicebant, faciam: non enim Deus me tam turpia facientem dignatur attendere. Audi quid sequitur, cuius sis attende: quoniam quocumque ieris, Iesus videt: vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Sed de qua terra? vbi dicitur, spes mea es tu, portio mea in terra viuentium.

S. Aug.

S. Aug.

16. *Luxuria & gulæ vitia cognata: & gula fomentum est libidinis, cui domandæ frænum gulæ necessarium Ieiunium. De Ieiun. cap. 1. à p.*

MOnstrum scilicet haberetur libido sine gula, cùm duo hæc tam vnita atque concreta sint, vt si disjungi omnino potuissent, ipsi prius ventri pudenda non adhærerent. Specta corpus, & vna regio est. denique pro dispositione membrorum, ordo vitiorum; prior venter, & statim cetera saginæ substructa lasciuia est. per edacitatem salacitas transit.

17. *Et de Ieiun. cap. 6. V. Verbum. Ieiunij effectus. num. 5.*

18. *Et de Ieiun. cap. 17. circa m.*

APpendices scilicet gulæ lasciuia atque luxuria. quam societatem & Apostolus sciens, cùm præmisisset, [a] *Non in ebrietatibus, nec in comessationibus*; adjunxit, *Nec in cubilibus & libidinibus.* a Rom. 13. 13.

19. *Et de Pudic. cap. 17. circa. f.*

NOn intuens etiam fundamenta eius ab Apostolo effossa; cùm ebrietates & comessationes compescit, sicut & hîc, [a] *Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Rom. 13. 13. a Ephes. 5. 18.

20. *Et de Spectac. cap. 10. à p.*

POmpeius Magnus, solo theatro suo minor, cum illam arcem omnium turpitudinum extruxisset, veritus quandoque memoriæ suæ censoriam animaduersionem, Veneris ædem superposuit, & ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum, sed Veneris templum nuncupauit, Cui subjecimus, inquit, gradus spectaculorum. ita damnatum & damnandum opus templi titulo prætexit, & disciplinam superstitione delusit. sed Veneri & Libero conuenit, duo ista dæmonia conspirata & conjurata inter se sunt, ebrietatis & libidinis. Itaque theatrum Veneris, Liberi quoque domus est.

21. *Et 1. ad Vxo. cap. 8. circa f.*

PEr loquacitatem inrepunt verba pudoris inimica: per otium à seueritate deducunt: per vinolentiam quiduis mali insinuant: per curiositatem æmulationem libidinis conuehunt. Nulla hujusmodi feminarum de bono vniuiratus loqui nouit: [a] *Deus enim illis* (vt ait Apostolus) *venter est*, ita & quæ ventri propinqua. a Philipp. 3. 19.

22. *Luxuria, spiritum Ecclesiæ mundum polluit, qui ejecto per anathema fornicatore saluus & purus manet. ipsius autem fornicatoris tam anima, quam caro, æternæ pœnæ rea efficitur, salua, id est integra manet in supplicio. de pudic. cap. 13. in f. V. Verbum Remissio peccati neganda mœchis. in alphabeto errorum. n. 9.*

LVXVRIÆ ET GVLÆ VITIA COGNATA. 16. 17. 18. 19. 20. 21. SCHOL.

MONSTRVM HABERETVR. *Quasi res noua & insolita videretur, adeò connexa sunt etiam situ membrorum, vt vix ea separari posse ipsa natura demonstrauerit.* SAGINÆ SVBSTRVCTA. *Sequitur enim ventrem mero & epulis plenum luxuria, & via fit salacitati, per edacitatem.*

18. APPENDICES, *sequentes, & dependentes comites, & sociæ inseparabiles gulæ sunt lasciuia & luxuria. Quod innuit Paulus, dum contexuit immediatè post ebrietates & comessationes, cubilia & impudicitias.*

19. FVNDAMENTA EIVS, *luxuriæ scilicet, cuius fundamenta effodiendo aperit, dum sicut supra, ebrietates & comessationes præmisit cubilibus & impudicitiis, sic Ephes. 5. 18. vinum luxuriæ praire facit.*

20. POMPEIVS MAGNVS. *Sic libro de pallio Alexandrum Magnum* sola gloria minorem dixit. *Sed verè Pompeius minor theatro quod erexit, cuius in ludis scenicis, animi sui voluptuosi vilitatem ostendit.* ARCEM OMNIVM TVRPITVDINVM. *Sic hoc ipso libro de spectaculis. Cap. 17. theatrum dixit* priuatum consistorium impudicitiæ. *Melius hîc arcem vocat, quasi in loco tuto impunè lasciuia dominetur. Et Aug. lib. 1. de Ciuit. cap.* 32. Ludi scenici, spectacula turpitudinum, licentiæ vanitatum. VERITVS CENSORIAM ANIMADVERSIONEM. *Censorum enim erat, edictis compescere talia. Sicut supra dixerat* sæpè Censores, renascentia tum maximè theatra destruebant, moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens, de lasciuia prouidebant. VENERIS ÆDEM. *Vel theatro titulum inscripsit:* ædes, siue templum Veneris. *Vel ædiculam, juxta theatrum Veneri dedicauit. Cuius dedicationis meminit Plin. lib. 8. c. 7.* Pompeij quoque altero consulatu dedicatione Templi Veneris victricis, pugnauere in circo viginti Elephanti, Getulis ex aduerso jaculantibus. DISCIPLINAM. *Censoriam scilicet correctionem.* CONVENIT. *Scenæ enim non tantum Veneri, sed & Baccho sacræ sunt: proindeque theatrum; sicut ebrietas & libido indiuisæ sunt comites, iisque præsidentia dæmonia Bacchus & Venus.* S. Aug.

21. INREPVNT. *Irrepunt, quia,* in multiloquio non deerit peccatum. A SEVERITATE DEDVCVNT. *Abducunt à grauitate. Otium enim non patitur seria loqui, & vtilia.* PER VINOLENTIAM. *Statim dicam ex Aug. quanta mala ex vinolentia fluant.* ÆMVLATIONEM LIBIDINIS, *dum enim mulieres curiosius & comptius se exornant, & alias huiusmodi rerum curiosas & auidas frequentant, mutuo veluti commercio placendi hominibus inuicem libidinem æmulantur.* QVÆ VENTRI PRO-

PINQVA. *Verenda scilicet, vt sint non tantum ventricolæ, sed & vilia mancipia Veneris. Alludit toto hoc textu ad verba Pauli 1. Tim. 5. 13.* Simul autem & otiosæ discunt circuire domos: non solum otiosæ, sed & verbosæ & curiosæ, loquentes quæ non oportet. S. Aug. *Augustinus tract. in Psal. 99.* Scitote, inquit, omnem professionem in Ecclesia habere fictos, &c. sunt Christiani mali, sed sunt & boni. Quasi plures malos vides, quia paleæ sunt, nec ad grana te peruenire permittunt. Sunt ibi & grana: accede, tenta, excute, adhibe oris iudicium, inuenis sanctimoniales indisciplinatas, numquid ideo sanctimonium reprehendendum est? multæ non stant in domibus suis, circumeunt domos alienas, curiosè agentes, loquentes quæ non oportet, superbæ, linguatæ, ebriosæ: Sed si Virgines sunt, quid prodest integra caro, mente corrupta? melius est humile coniugium, quam superba Virginitas. *De vinolentia eiusque damnis, & inter cætera, de luxuria & lasciuiæ veneno ex vino prodeunte, fusè tractat Ser. 231. de Temp. Vbi & plures scripturæ locos hoc titulo à Tertulliano relatos congerit.* S. Aug. Omnes, inquit, ebriosi tales sunt, quales paludes esse videntur. Quod enim in paludibus nascatur, non ignorat charitas vestra: totum quod ibi nascitur, nullum fructum habere cognoscitur. Nascuntur ibi serpentes, *& à serpente suggestio esus ligni prohibiti, & ex esu prurigo carnis.* Sanguisugæ: *quæ ex Salomone insatiabiles sunt, & dicunt semper, affer, affer,* nascuntur ibi ranæ, *mensam & lectum Pharaonis insultantes.* Et diuersa genera vermium, *ex corruptione carnis generatorum:* quæ magis horrorem possunt generare, quàm aliquid quod ad victum proficiat exhibere. Istæ enim herbæ, vel arbores, quæ aut in ipsis paludibus, aut circa ripas earum nasci solent, nihil vtilitatis habere videntur; *velut salices infrugiferæ, quarum in medio, teste Iob, velut lecto suo moratur Leuiathan; in quibus secundum Gregorium quasi inutilia suspenduntur organa prædicationis.* In tantum vt annis singulis incendio concrementur. *Adde* S. Aug. *in vites sustentaculum in terra figuntur.* Videte quod de ebrietate nascitur, &c. quorum sensus tardi, graues, obtusi, & quodammodò jam sepulti. Denique in ipsa frequenter ebrietate, nec seipsos, nec alios recognoscunt, nec ambulare valent, nec stare, dicere aliquid vel audire quod ad rationem pertineat, omnino non possunt. Frequenter etiam vsque ad vomitum se ingurgitare non erubescunt, & ad mensuram, sine mensura bibere: maiora enim pocula prouidentur, certa bibendi lege contenditur, qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine, &c. Exsit in illis oculorum caligo, vertigo, fatigatio & dolor capitis, suffusio vultus, membrorum omnium tremor, animæ ac mentis stupor. In talibus impletur quod scriptum est Prouerb. 23. Cui væ? cui tumultus? cui iræ, rixæ, cui sine causa vulnera, cui suffusio oculorum? nonne his qui morantur in vino, & eis qui inuestigant vbi potus fiunt, & student calicibus epotandis? *Nec verò oblitus est inseparabilem gulæ ebrietatisque comitem lasciuiam: nam ibidem.* S. Aug. Inde, inquit, lites & rixæ nascuntur: inde diuersis & horrendis saltationibus membra torquentur: inde adulteria, & nonnunquam homicidia perpetrantur, &c. populus autem Iudæorum de quo scriptum est, sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere: *Tertullianus alibi: lusum, inquit, nisi impudicum scriptura non denotasset:* postquam vinum plusquam oportebat accepit, idola sibi fabricari fecit, & in honore ipsorum idolorum, *in plurali loquitur, quia Aaron dixit, licet de vno vitulo aureo: hi sunt dij tui. Cæterum & tauri signum capite in ventrem, & genitalia incuruo pingitur: quorum Deus venter, & gloria in confusione ipsorum, hoc est in pudenda libidine.* Cœpit phrenetico choros ducere more, diuersis saltationibus membra torquere. Herodes quoque *adulter & incestus ille* vbi nimio vino concaluit, ad vnius puellæ saltationem S. Ioannem Baptistam interfecit. Quid adhuc de ebrietatis malo nascatur, Spiritus sanctus per Salomonem testatur dicens: vinum, inquit, & mulieres, *aduerte coniunctum & sequentem post vinum amorem mulierum:* Apostatare faciunt à Deo sapientes, & arguunt sensatos. Et iterum: ne intuearis vinum quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius; ingreditur enim blandè, & in nouissimo mordebit vt coluber, *sic enim per gulam ventre irrepsit serpens antiquus vt postea libidinem carnis excitaret; vnde supra Tertull. folia lasciuiæ dixit detracta ex arbore gulæ* & quasi regulus venena diffundet. *Et quæ nisi luxuria? inde Subiecit sapiens* oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruersa. Paulus etiam Apostolus contra ebrietatis malum nos admonet dicens: nolite inebriari vino, in quo est luxuria. *Et ne quid deesset ex locis à Tertulliano citatis, ipse locum Pauli Rom. 13. sibi ipsi applicat, & ex ebrietatibus & comessationibus, cubilia & impudicitias velut appendices subsecutas confitetur lib. 8. Confessionum cap. 12. cum dixisset apud se de carnis voluptatibus quorum in limo infixus erat:* Sentiebam, inquit, me ab eis teneri, & jactabam voces miserabiles: quandiu, quandiu; cras, & cras? quare non modo? quare non hac hora finis turpitudinis meæ? dicebam hæc, & flebam amarissima contritione cordis mei. Et ecce audio vocem de vicina domo, cum cantu dicentis, & crebrò repetentis, quasi pueri, an puellæ nescio; tolle lege, tolle lege, &c. repressoque impetu lacrymarum, surrexi, nihil aliud interpretans diuinitùs mihi juberi, nisi vt aperirem codicem & legerem quod primum capitulum inuenissem, &c. Itaque concitus redij ad eum locum vbi sedebat Alipius: ibi enim posueram codicem Apostoli, cùm inde surrexeram. Arripui, aperui, & legi in silentio capitulum quo primùm coniecti sunt oculi mei. Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induite Dominum Iesum Christum, & carnis prouidentiam ne feceritis, in concupiscentiis. Nec vltra volui legere, nec opus erat. *Ex quibus liquet quod ex prima gula secuta est libido pudenda, de qua Augustinus breuiter lib. 14. de Ciuit. cap. 21.* S. Aug. Post peccatum, inquit, *inobedientiæ & gulæ* exorta, inspecta, confusa, velata est: *deinceps sociali nexu sic confœderata sunt vitia, vt vix vnum sine altero reperiatur. Vnde idem Ser. 65. de Temp.* S. Aug. Princeps ille humani generis Adam, quandiu jeiunauit seruans mandatum, *abstinentiæ à ligno vetito*, in paradiso fuit. Vbi verò comedit, eiectus est de paradiso. Et qui in paradiso Dei Virgo fuerat, eiectus de paradiso cognouit vxorem. Semper enim juncta est saturitati lasciuia. Vicina sibi sunt venter & genitalia, & pro membrorum ordine, ordo vitiorum intelligitur. *Et citatur 35. dist. 44. cùm autem. Et Serm. 77. de Temp.* S. Aug. Quia homo epulando, mulierem cognouerat, eandem jeiunando despiciat. Adam enim Euam, non nisi intemperantia prouocante cognouit. Quandiu autem mansit in illis temperata parcitas, mansit & impolluta virginitas: & quandiu jeiunauerunt ab interdictis epulis, tamdiu & à pudendis jeiunauerunt peccatis. *Non vult dicere peccasse Adamum in cognitione uxoris, sed hoc intelligendum est de fomite libidinis, quæ in posteris fuit causa peccatorum carnis.* S. Aug. Fames enim amica virginitatis est, inimica lasciuiæ: saturitas verò castitatem prodit, nutrit illecebram.

23. Luxuria species grauis incestus est, & à Paulo Creatoris vltoris Apostolo, Satanæ additur. 5. cont. Marc. cap. 7. à p.

NOn defendo secundùm legem Creatoris displicuisse illum, qui mulierem patris sui habuit. communis & publicæ religionis secutus sit disciplinam. Sed cùm eum damnat [a] *dedendum satanæ*, damnatoris Dei præco est. Viderit & quomodo dixerit *in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini*; dum & de carnis interitu, & de salute spiritus judicarit; [b] *& auferri jubens malum de medio*, Creatoris frequentissimam sententiam commemorauerit. [c] *Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio sicut estis azymi.*

a 1. Cor. 5. 5.
b Ibid. 13. Deut. 13. 5. & 17. 7.
c 1. Cor. 5. 7.

24. Contra luxuriam, frustra caro suam infirmitatem obtendit, quæ se spiritu fortiorem probat. De pudic. cap. 22. V. Verbum Remissio mœchis neganda in alphabeto errorum in f. vltima linea.

LVXVRIÆ SPECIES GRAVIS. 23. SCHOL.

NON DEFENDO. *Non jam contendo, Paulo illum Corinthium incestum displicuisse, quòd legem Dei Creatoris, tantum scelus prohibentem violauerit.* COMMVNIS ET PVBLICÆ, *&c. Natura legem, & reuerentiam naturalem, in tanti criminis damnatione secutus sit Apostolus. Satis mihi est vt te conuincam, Marcion, Paulum se in hoc crimine condemnato, tradendo reum Sathanæ in interitum carnis, vt saluus sit spiritus eius in die Domini, Dei damnatoris & judicis, proindeque Creatoris, & non Dei tui boni, vindictæ nescij, esse Apostolum & prædicatorem.* AVFERRI IVBENS. *Etiam confirmat idipsum; dum vtitur verbo vsitatissimo Dei Creatoris in lege veteri: Nec non dum fermenti & azymi meminit de quibus ibidem est sermo. De tollendo è medio; vbi de Pseudopropheta est sermo: Deut. 13. 5.* Auferes malum de medio tui. 70. *verò*: delebis malum ex vobis ipsis. *Et de abducentibus alios in Idololatriam. Deut. 17. 7.* Manus testium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur: vt auferas malum de medio tui. *Augustinus to. 4. lib. 5. in Deuteronomium, quæst. 39. in verba Deut. 24. 7. vbi sic habet textus*: Si deprehensus fuerit homo sollicitans fratrem suum 70. *furans animam ex fratribus suis filiis Israël*; & vendito eo, acceperit pretium, interficietur, & auferes malum de medio tui. 70. *autem*: morietur fur ille, & auferes malignum ex vobis ipsis. *Sic fatur Augustinus.* Morietur, inquit, fur ille: id est homo qui S. Aug. furatus est hominem, & auferetis malignum ex vobis ipsis. Assiduè hoc dicit Scriptura, cùm jubet occidi malos. Qua locutione vsus est etiam Apostolus, cùm diceret: quid enim mihi de ijs qui foris sunt judicare? *id est de Gentilibus, Ecclesiæ jurisdictioni non subditis* Nonne de ijs qui intus sunt vos judicatis? Auferte [illegible] ex vobis ipsis, ex quo apparet eum voluisse [illegible]igi, qui aliquid tale commisit, vt excommunicatione sit dignus. Hoc enim nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc, *tempore legis veteris*, interfectio. Quamuis & aliter illud Apostolicum possit intelligi, vt vnusquisque malum, vel malignum ex seipso sit jussus auferre. Qui sensus acceptabilior esset, si hoc malum, vel hoc malignum, non autem hunc malignum in Græco inueniretur. Nunc verò credibilius est de homine dictum, quàm de vitio. Quanquam possit eleganter intelligi etiam homo auferre à se malum hominem; quemadmodum dictum est, exuite vos veterem hominē. Quod exponens ait, qui furabatur, jam non furetur. *De seueritate erga fornicarios, & maximè incestuosos exercenda. Augustinus to. 7. lib. 2. contra literas Petiliani, conquerentis Catholicos Episcopos, apud Imperatores Christianos deferre hæreticos suæ sectæ Donatistas, & tradere puniendos: Sic capite 10.* S. Aug. Petilianus dixit: Si Apostoli persecuti sunt aliquem, aut aliquem tradidit Christus? Augustinus respondit, possem quidem dicere, ipsum Satanam omnibus malis hominibus esse pe-

A jorem, cui tamen tradidit Apostolus hominem in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini Iesu. Itemque alios, de quibus dicit; quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare. Et Dominus Christus flagellatos expulit de templo improbos mercatores, vbi etiam connexum est testimonium Scripturæ dicentis, zelus domus tuæ comedit me. Ecce inuenimus Apostolum traditorem, Christum persecutorem. *Moderationem nihilominus, & charitatem seruandam in correctionibus docet libro 3. contra Parmenianum cap. 1. vbi multa congerit, quæ contra nimiam Tertulliani seueritatem, & eius causa ab vnitate Ecclesiæ ad partes Montani & Nouati defectionem, torqueri possunt; dum à spe veniæ & reconciliationis, lapsos in Mœ-* B *chiam excludunt.* Ne, inquit, luce veritatis carere S. Aug. ostendantur, vmbram rigidæ seueritatis obtendunt; & quæ in Scripturis sanctis, salua dilectionis sinceritate, & custodita pacis vnitate, ad corrigenda fraterna vitia, moderatiori curatione fieri præcepta sunt, ad sacrilegium schismatis, & ad occasionem præcisionis vsurpant, dicentes; ecce ait Apostolus, Auferte malum ex vobis ipsis, quod malum vtique, si integris, inquiunt, non obesset, nec juberetur auferri. *Nota lib. 2. Retract. cap. 17. agnoscere se respondisse Parmeniano, Paulum jubentem auferri malum ex hominibus bonis, quod exposuerat de malo id est peccato à proprio corde tollendo, juxta Græcum, de homine malo, censura Ecclesiastica à bonis separando, intelligendū.* Cùm S. Aug. C quisque impeditur ab Ecclesiæ congregatione malos homines separare, si ex seipso auferat malum, non eis corde miscetur, atque ita spiritaliter non solum coniungitur bonis, sed etiam separatur à malis, &c. Quisquis contempserit Ecclesiæ Dei Disciplinam, vt malos cum quibus non peccat, & quibus non fauet, desistat monere, corrigere, arguere, si etiam talem gerit personam, & pax Ecclesiæ patitur, vt etiam à Sacramentorum participatione quempiam possit separare, non alieno malo peccat, sed suo. Ipsa quippe in tanta re negligentia graue malum est; & ideo sicut Apostolus admonet, si auferat malum à seipso, non solum auferet audaciam committendi, aut pestilentiam consentiendi, sed etiam pigritiam corri- D gendi, & negligentiam vindicandi, adhibita prudentia & obedientia; eo quod præcipit Dominus, ne frumenta lædantur. Ea quippe intentione, quisquis inter triticum & zizania tolerauerit, auferendo à seipso malum, non eis communicat, & ea distinguit, ac judicat interim ad diem. *Suspendens censuram, expectans emendationem.* Non enim nouit quid crás futurum sit: & ideo dilectione seruata, non sine spe correctionis, *quam prorsus Tertullianus ablegabat.* Vindicandum est, quidquid corrigi vel vindicari necessaria seueritas postulat, &c. Et virga charitatem habet: sed aliud est charitas seueritatis, aliud charitas mansuetudinis. Vna quidem charitas est, sed

diuersa in diuersis operatur. *Deinde expressè locū Pauli* A *instare primi hominis qui superbiâ lapsus est, quasi fermentata, & corrupta mente facit elatos, in vnam conspersionem, qui sibimet in eam simili iactantia vanitate consentiunt. Lapso scilicet quasi stantes insultando.* S. Aug.

S. Aug. *de incesto Corinthio refert. Ex 1. Cor. 5.* Omnino, inquit, auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec in gentibus; itaut vxorem Patris sui quis habeat. De tam immani facto videamus quemadmodum eos sæuire præceperit. Et vos, inquit, inflati estis, & non potius luctum habuistis, vt tolleretur de medio vestrum, qui hoc opus fecit. Quare luctum potius, & non iram? nisi quia si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: & non luctum, quia tollebatur; sed luctum, inquit, vt tolleretur: id est, vt lugentium dolor ad Deum ascenderet, & ipse tolleret hoc opus de medio eorum, sicut ipse sciret, ne forte illi per humanam imperitiam eradicarent simul & triticum. *Quia qui hodie inter Zizania computatur, si corrigat, in tritico connumerabitur.* Cum ergo ad talem vindictam necessitas cogit, humilitas lugentium debet impetrare misericordiam, quam repellit superbia. *Idem Augustin. cap. 2. fermento comparat dicens, superbia, velut ex ve-*

Nec illius ipsius qui de medio fratrum tollitur, debet negligi salus: sed ita agendum est, vt ei talis vindicta sit vtilis, & agendum voto & precibus, si corrigi obiurgationibus non potest. Ideoque sequitur & dicit: ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicaui quasi præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu Christi tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, vt Spiritus saluus sit in die Domini. Quid ergo agebat Apostolus, nisi vt per interitum carnis, saluti spiritali consuleret? vt, siue aliqua pœna, vel morte corporali, sicut Ananias & vxor eius, ante pedes Apostoli Petri ceciderunt: siue per pœnitentiam, quoniam Satanæ traditus erat, interimeret in se scelerata carnis concupiscentiam?

M.

MAGDALENA.

Magdalena fides & pœnitentia, ad disposuit gratia vitam, & Christum vngens veram eius carnem probauit. 4. cont. Marc. cap. 18. in f.

a Luc. 7. 37. & 38. Illius peccatricis feminæ argumentum eò pertinebit, vt quum [a] *pedes Domini osculis figeret, lacrymis inundaret, crinibus detergeret, vnguento perduceret*, solidi corporis veritatem, non phantasma inane tractauerit. Et vt peccatricis pœnitentia, secundùm Creatorem meruerit, veniam præponere solitum sacrificio. Sed & si pœnitentiæ stimulus ex
b Ibid. 50. fide acciderat, per pœnitentiam ex fide justificatam, ab eo audiit, [b] *Fides tua te saluam fecit*: qui per Abacuc pronuntiarat, [c] *Iustus ex fide sua viuet.*
c Abac. 3. 4.

MAGDALENA. SCHOLIA.

Figeret, *pro pedibus oscula figeret. Vel elegantius, clauis dilectionis, Christi pedes amantissimæ amoris Cruci configeret, Quidni? cum & sponsus Cant. 4. dicat:* Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. Perdvceret, *totos deliniret.*
S. Aug. *Aug. in Psal. 125.* Etsi contactus corporis aliquid facit, ô immunde Pharisæe, caro Domini posset pollui contactu mulieris, an mulier mundari contactu Domini? permittebat autem Medicus ægrotantem tangere medicamentum, & illa quæ venerat, nouerat Medicum; & quæ solebat in sua fornicatione fortasse esse frontosa, frontosior facta est ad salutem. Irrupit in domum quo non erat inuitata, sed vulnera habebat, & illuc venerat vbi Medicus recumbebat: *Et in Psal. 140. Vbi eadem penè reuetit,*
S. Aug. *& subiicit:* Irrupit in domum alienam, sed ille qui ibi discumbebat non erat alienus. Non extranea quemlibet conuiuam, sed ancilla Dominum suum secuta est. Accessit ad pedes, quia eius vestigia sequi cupiebat, lauit lacrymis, tersit capillis. Pedes Christi qui sunt, nisi per quos peragrauit totū mundum? &c. quia capilli quasi superflui sunt, inde illa pedes Domini detergebat. Superflua tua, necessaria sunt tibi si inde fueris obsecutus pedibus Domini. Ergo illa curari volebat conscia magni vulneris. Sed numquid magnum vulnus, & paruus Medicus? &c. Si ad pedes illius Pharisæi accederet, repelleret eam, ne sanctitas eius pollueretur: habebat eam enim in corpore, non in corde: & quia non habebat eam in corde, vtique falsam habebat in corpore, &c. Dominus autem sic habebat oculos in illam mulierem, vt aures haberet in corde Pharisæi, &c. dimittuntur ei &c? quare? quia confessa est, quia fleuit, quia non declinatum est cor eius in verba maligna, ad excusandas excusationes in peccatis: non combinata est

B cum electis eorum, id est defendentibus se &c. An non quotidie pares eius in turpitudine, sed non pares in confessione, Meretrices, Adulteræ, flagitiosæ, defendunt peccata sua &c? ô si Deus hoc nollet, non facerem: hoc voluit Deus, fortuna hoc voluit, hoc voluit fatum &c. *Quod si dimissa sunt Magdalenæ peccata multa, quoniam fleuit multum; quanto magis quia dilexit multum? Idem D. Augustinus Homilia 23.*
Si, inquit, inuenero plus diligere illum cui peccata plura dimissa sunt, &c. Vtilior erat multa iniquitas, ne esset tepida charitas, &c? Quid ergo facere debui? multa mala committere, vt multa essent quæ posset ille mihi dimittere, vt amplius possem diligere? Angustat nos: sed quia hæc vera Dominus proposuit, ab angustiis liberet me. Dictum est hoc propter Pharisæum illum, qui vel nulla, vel pauca se putabat habere peccata. Non enim Dominum inuitaret, nisi aliquantulum diligeret. Sed quàm parum erat? non osculum dedit &c. O Pharisæe, ideo C parum diligis, quia parum tibi dimitti suspicaris. Non quia parum dimittitur, sed quia parum putas esse quod dimittitur, &c. hic multa commisit, & multorum debitor factus est: ille gubernante Deo, pauca commisit. Cui deputat ille quod dimisit, huic & iste deputat quod non commisit, &c. Nullum est enim peccatum quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit rector à quo factus est homo, &c. Vt adulterium non committeres, suasor defuit; & vt suasor deesset, ego feci. Locus & tempus defuit, & vt hæc deessent, ego feci, affuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus, vt non consentires ego terrui. Agnosce ergo gratiam eius, cui debes & quod non admisisti. *Sic inducit Deum loquentem. Chrysologus item Sermone 94. de parabola duorum debitorum.* S. Aug.
Audistis, inquit, quomodo cœlestis creditor totum

debitum charitate compensat, & ad incrementum totius fœnoris amoris solius exigit, & requirit vsuram. Plectendus debitor, qui dilectione sola, suam negligit redimere cautionem, &c. factus es gloriosi fœnoris debitor luctuosus, cui deficientibus virtutum lucris criminum multiplicatur vsura, &c. Vide ne desperes: homo, remansit tibi vnde piissimo satisfacias creditori. Absolui vis, ama: Charitas cooperiet multitudinem peccatorũ, &c. teneræ militiæ, delicati conflictus est, amore solo de cunctis criminibus reportare victoriam. *Ita demũ Ambrosius Orat. de obitu Theodosij Imperatoris, eius animã in exitu triumphantem inducit:* recedens, inquit, è terris pia anima, B & sancto repleta Spiritu, quasi interrogantibus iis qui sibi occurrerent, cum sese ad sublimia & superna subrigeret, dicebat: dilexi: nihil hoc plenius, nihil expressius. Interrogabant Angeli vel Archangeli: quid egisti in terris? dicebat, dilexi. Hoc est dicere, legem impleui, Euangelium non præteriui, &c. Et ideo confido, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque virtutes, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à Charitate Dei quæ est in Christo Iesu, &c. Absolutus dubio certamine, fruitur nunc augustæ memoriæ Theodosius luce perpetua, tranquillitate diuturna, & pro ijs quæ in hoc gessit corpore, remunerationis diuinæ fructibus gratulatur. Ergo quia dilexit Dominum Deum suum, meruit consortia sanctorum, &c. Et ego dilexi virum qui magis arguentem quam adulantem probaret. Strauit omne quo vtebatur insigne regium. Sicut Magdalena capillos, vnguentum, omne pompæ muliebris ad Christi pedes pœnitens strauit ornamentum. Defleuit in Ecclesia publicè peccatum suum, &c. quod priuati erubescunt; non erubuit Imperator publicè agere pœnitentiam, &c. quid quod præclaram adeptus victoriam, tamen quia hostes in acie prostrati sunt; abstinuit à consortio Sacramentorum. SECVNDVM CREATOREM. *Sic Oseæ 6. alibi jam citato:* misericordiam volui, & non sacrificium. ACCIDERAT, *protesserat; non enim pœnituisset peccati, nisi prius in Deum credidisset quem offenderat.* QVI PER ABACVC. *De hoc & alibi dictum. Vt notes semper contra Martionem, Christum esse Creatoris, qui vetus testamentum Authoritate sua confirmarit.*

MAGI, ET MAGIA.

1. *Magi dicti sunt Samaritani, ob Idololatriam. V. Verbum, peccata grauia vnius populi. num. 5.*

2. *Magia ars fallax, non animas mortuorum, sed dæmones eas fingentes euocat ab inferis. De Ani. cap. 57. à p.*

QVid ergo dicemus Magiam? quod omnes penè, fallaciam. sed ratio fallaciæ solos non fugit Christianos, qui [a] *Spiritalia nequitiæ*, non quidem socia conscientia, sed inimica scientia nouimus; nec inuitatoria operatione, sed expugnatoria dominatione tractamus, multiformem luem mentis humanæ, totius erroris artificem, salutis pariter animæque vastatricem scientiam magiæ; secundæ scilicet idololatriæ, in qua se dæmones perinde mortuos fingunt, quemadmodum in illa deos. quidni? cùm & dij mortui. Itaque inuocantur quidem aori, & biæothanati, sub illo fidei argumento, quòd credibile videatur eas potissimum animas, ad vim, & injuriam facere, quas per vim, & injuriam, sæuus & immaturus finis extorsit, quasi ad vicem offensæ Sed dæmones operantur sub obtentu earum; & hi vel maximè, qui in ipsis tunc fuerunt cùm adviuerent, quique illas in hujusmodi impegerunt exitus Nam & suggessimus nullum penè hominem carere dæmonio. & pluribus notum est, dæmoniorum quoque operâ & immaturas & atroces effici mortes, quas incursibus deputant. Hanc quoque fallaciam spiritus nequam sub personis defunctorum delitescentis, nisi fallor, etiam rebus probamus; quum in exorcismis interdum, aliquem se ex parentibus hominem suis affirmat, interdum gladiatorem, vel bestiarium, sicut & alibi, Deum; nihil magìs curans quàm hoc ipsum excludere quod prædicamus, ne facilè credamus animas vniuersas ad inferos redigi, vt & judicij, & resurrectionis fidem turbet. Et tamen ille dæmon postquàm circumstantes circumuenire tentauit, instantiâ diuinæ gratiæ victus, id quod in vero est, inuitus confitetur. Sic & in illa alia specie magiæ, quæ jam quiescentes animas euellere ab inferis creditur, & conspectui exhibere, non alia fallaciæ vis est operatior. planè, quia & phantasma præstatur, quia & corpus adfingitur: nec magnum illi, exteriores oculos circumscribere, cui interiorem mentis aciem excæcare perfacilè est. Corpora denique videbantur Pharaoni, & Ægyptiis, magicarum virgarum dracones: sed Moysis veritas, mendacium deuorauit.

[a] Ephes. 6. 12.

Exo. 7. 12.

MAGIA. 2. SCHOL.

FVGIT, *latet*, SPIRITALIA *Ephes. 6. 12.* Non est C nobis colluctatio, &c. sedet contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus, *id est spiritibus nequam. Vel vt Syr.* Cum spiritibus malis, qui sub cœlo sunt. SOCIA CONSCIENTIA, *non quasi socij dæmonum, & magiæ conscij, sed vt aduersarij, à Deo docti, machinas debellamus.* INVITATORIA, *inuocando dæmones, sacrificiis & incantationibus.* SECVNDÆ, *altera species idololatriæ, qua colantur dæmones contra vnius Dei veri cultum.* MORTVOS, *animas mortuorum se esse fingunt, & mortuorum hominum personam induunt.* IN ILLA, *prima specie idololatriæ.* DII MORTVI, *quis dubitet? cum & sic delusserint homines, vt suaserint mortuos Apotheosi donari, & coli tanquam Deos.* AORI, *siue Abori, immatura morte præuenti.* BIÆOTHANATI *per vim oppressi* FIDEI ARGVMENTO, *quo facilius conuicti homines credant.* AD VIM, *inferendam conferre & juuare.* AD VICEM, *vltionem iniuriæ.* OBTENTV, *sub earum specie & imagine.* IN IPSIS, *vel possessis, vel obsessis, vel vrgentissimè tentatis.* EXITVS, *impulerunt in mortes præmaturas & violentas.* INCVRSIBVS, *casibus imputant indocti.* REBVS, *exemplis sensibilibus in Energumenis.* AFFIRMAT,

diabolus. BESTIARIVM, damnatum ad bestias. HOC A IPSVM, vnicum Dei verè numen. Vel melius ad sensum præsentem, quod subdit; ne facilè, &c. REDIGI, concludi, retineri: hic errorem suum insinuat, de omnibus omnino (exceptis Martyrum) animabus, vsque ad iudicium apud inferos commorantibus. CIRCVMVENIRE, decipere. QVOD IN VERO, quod verum est. INSTANTIA, vi gratiæ gratis datæ, Exorcista, ad expulsionem dæmonum. OPERATIOR, operibus clarior, studiosior. CIRCVMSCRIBERE, deludere apparentiis. CORPORA, vera & solida draconum. Exodi.7. Proiecerunt singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones: sed de- B uorauit virga Aaron virgas eorum. Mirum quod cum & Hebr. & Chald. & 70. quos semper sequitur Tertull. legant, virgam Aaron sicut & versic. 9. dixit Moysi; dices ad Aaron: tolle virgam tuam; vt & aliæ versiones, 70. verò simpliciter sume virgam & projice in terram. Tertull. dicat Moysi virgam. Sed dicendum communem vtrique intellexisse virgam & miraculorum potentiam. Aug. lib.2. in Exod. c.20. Si fortè dixisset,
S. Aug. proiecit virgam, nulla esset quæstio. Quod verò addidit, suam, cum eam Moyses dederit, non frustra forsitan dictum est. An erat vtrique virga illa communis, vt cuiuslibet eorum diceretur, verum diceretur? & absorbuit virga Aaron virgas illorum, &c. draco vtique potuit virgas absorbere non virga. Sed eo nomine appellata res, vnde versa est, non in quod versa est, quia in id etiam reuersa est: ideo hoc vocari debebat, quod principaliter erat, &c. Subjicit de virgis Magorum: an potius videbantur esse quod non erant ludificatione venefica? &c. sed demonstrare difficile quomodo etiamsi veri dracones facti sunt è virgis Magorum, non fuerint tamen creatores draconum, nec Magi, nec Angeli mali, quibus ministris illa operabantur, &c. Dicendum ergo, quod si verè dracones fuerint, à dæmone virgarum loco suppositi sunt. Vt idem Aug. lib. 18. de Ciuit. c. 18. Si- S. Aug.
cut cerua pro Iphigenia Regis Agamemnonis filia, neque enim dæmonibus, iudicio Dei permissis, huiusmodi præstigiæ difficiles esse potuerunt: sed quia illa Virgo postea viua reperta est, suppositam pro illa ceruam esse, facilè cognitum est.

3. *Magia per dæmones occulta scrutatur. De Ani. cap. 28. in f.*

SCimus etiam Magiæ licere explorandis occultis per catabolicos, & paredros, & Pythonicos spiritus. Non enim & Pherecydes Pythagoræ magister, his forsan artibus diuinabat, ne dicam somniabat? Quid si idem dæmon in illo fuit, qui & in Euphorbo res sanguinis gessit? Denique, qui se Euphorbum ex argumento clypei probarat, cur neminem Trojanorum commilitonum æquè recognouit? Nam & illi jam reuixissent, si viui ex mortuis fierent.

MAGIA. 3. SCHOL.

MAGIÆ LICERE, explorare posse, & detegere oc- C culta per eos quos malignus spiritus diuersimodè agitat. Alij sic legunt magos elicere id est euocare dæmones vt explorent occulta. Vnde & carmina elicia dicta. PER CATABOLICOS, sic dicti spiritus quidam maligni, qui diuinos & phanaticos spumantes ad terram prosternunt, & ad vaticinandum cogunt. Sic dicti quasi contrarij menti & consilio, quod in amentiam & furorem correptos vertant. Quos & alij procatabolicos vocant. Et hi quidem spiritus non semper adsunt diuinantis, sed ex condicto & pacto, certis temporibus & horis. PAREDROS, spiritus sunt juxta Eusebium ab assidendo dicti, qui assidua familiaritate assistunt, qualis erat in Simone Mago. PYTHONICOS. Ab Appolline Py- D thio. Hos Engastrimythos siue ventriloquos dixit Suidas, quod in pectore siue ventre residens spiritus hominem ad diuinandum prouocaret. PHERECYDES, eius Prophetias vide apud Diogenem, vbi multa prænuntiasse narratur. PYTHAGORÆ, eius opera Magica, vide apud Rhodiginum, lib.19. c.7. Aug. lib.7. de Ciuit. cap.35. vbi de Hy-
S. Aug. dromantia. Quod genus diuinationis Varro à Persis dicit allatum, quo & ipsum Numam, & postea Pythagoram Philosophum vsum fuisse cõmemorat: vbi adhibito sanguine etiam inferos perhibet sciscitari, & Necromantiam Græcè dicit vocari. Quæ siue Hydromantia, siue Necromantia dicatur, idipsum est, vbi videntur mortui diuinare. IN EVPHORBO. Orig. lib. 6. cont. Celsum: quid memorem Pythagoram, de quo multa prodigiosa feruntur, quod in Conuentu Græcorum nudauerit femur eburneum, quodque agnouerit Clypeum gestamen suum, cum olim esset Euphorbus, conspectusque sit eadem die in duabus vrbibus. Euphorbus porrò nobilis Troianus, in bello Iliaco à Menelao occisus, cuius animum Pythagoras in se migrasse affirmabat, legendus Ouidius lib. 15. Metamorph. RES SANGVINIS. Bellicas vt patet, ARGVMENTO CLYPEI Maximus Tyrius sermone 28. rem totam narrat, siue fabulam de Pythagora olim Euphorbo Troiano cum enim Templum Mineruæ intrasset & varia donaria cerneret, inter ea Clypeum Græca forma vetustate detritum vidit, & suum esse cognouit, dixitque sibi in bello Iliaco à Menelao ereptum à quo interfectus est. Quod cum ciues mirarentur, detracto Clypeo vnde pendebat hanc inscriptionem inuenerunt: Palladi Mineruæ, ab Euphorbo, Menelaus. CVR NEMINEM, &c. hoc est, si verè cum reuixerat, debuerant & eius commilitones etiam per animarum reditum in corpora reuixisse, & eos Euphorbus jam Pythagoras, vel Pythagoras in Euphorbo recognoscere. SI VIVI, &c. Si verum esset, in aliis corporibus transmigrantes animas reuiuiscere.

4. *Magia omnis, & Mathematica judiciariæ species excluditur: & ab Apostolis in Simone & Elima punitur. De Idol. cap. 9. in f.*

SIc & alia illa species Magiæ quæ miraculis operatur, etiam aduersus Moysen æmulata,
Exo.7.11. patientiam Dei traxit ad Euangelium vsque. Nam exinde & Simon Magus jam fidelis,
Act.8.18. quoniam aliquid adhuc de Circulatoria secta cogitaret, vt scilicet inter miracula professionis suæ, etiam Spiritum Sanctum per manuum impositionem enundinaret, maledictus ab Apostolis, de fide eiectus est. alter Magus qui cum Sergio Paulo, quoniam iisdem aduer-
Act.13.8. sabatur Apostolis, luminum amissione multatus est. Hoc & Astrologi retulissent credo, si qui in Apostolos incidissent. Attamen cum Magia punitur, cuius est species Astrologia, vtique & species in genere damnatur. Post Euangelium, nusquam inuenias aut Sophistas,
a 1.Cor.1.20. aut Chaldæos, aut incantatores, aut coniectores, aut Magos, nisi planè punitos. [a] Vbi sa-

piens, vbi literator, vbi conquisitor huius æui? Nonne infatuauit Deus sapientiam huius sæculi? nihil scis Mathematice, si nesciebas te futurum Christianum. si sciebas, hoc quoque scire debueras, nihil tibi futurum cum ista professione. Ipsa te de periculo suo instrueret, quæ aliorum climacterica præcanit. [b] *Non est tibi pars neque sors in ista ratione.* Non potest regna Cœlorum sperare, cuius digitus aut radius abutitur Cœlo. *b* Act. 8, 21.

5. *Magi Christum adorant. V. Verbum Christi Elogia num.* 18. 19. 20.

MAGIA. 4. SCHOL.

MIRACVLIS OPERATVR. *Miracula facit, vel se prodit per opera prodigiosa. Aug. lib. 2. de Doctrina Christ. c.* 23. S. Aug. Omnes huiusmodi artes, vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestiferâ societate hominum, quasi pacto infidelis, & dolosæ amicitiæ constitutæ. *Hæc non sunt propriè miracula, quæ solus Deus facit, sed signa & prodigia. De his videndus Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 7. & 8.* ÆMVLATA, *Zelo enim contra Moysem Magi Pharaonis prodigia fecerant,* PATIENTIAM TRAXIT, *exercuit Dei patientiam, permittentem magorum operationes usque ad Christi tempora.* EXINDE, *etiam post Christi Ascensionem in Cœlum.* FIDELIS, *post fidem susceptam in baptismo.* CIRCVLATORIA, *ars est quam exercent circumeundo triuia incantatores prodigia fingentes, qui hominum circulis & cœtibus circumquaque stupentibus ambiuntur.* PROFESSIONIS, &c. *signa & prodigia artis Magicæ.* ENVNDINARET, *mercaretur ceu rem in foro venalem.* ALTER. *Elymas scilicet Magus: Act. 13. 8.* Resistebat illis Elymas Magus, sic enim interpretatur nomen eius, & quærebat auertere Proconsulē, *Sergium Paulum* à fide. Saulus autem qui & Paulus, repletus Spiritu sancto, intuens in eum dixit: ô plene omni dolo, &c. Et nunc ecce manus Domini super te & eris cæcus, &c. HOC RETVLISSENT, *eandem pœnam debitam* SPECIES, *quia & Astrologia iudiciaria Magiam sapit.* SOPHISTAS, *coniectores, ita Tertul. ipse de Ieiun.* Circa somniū Regis Babylonis omnes terrentur Sophistæ. CHALDÆOS, *non hic gentem intellige, sed Astrologiæ iudiciariæ Professores, quod huius artis Principes essent Chaldæi.* PVNITOS. *Non tantum ab Imperatoribus Christianis & sacris Canonibus, sed & legibus humanis hæ artes prohibitæ ante Christum. Aug. lib. 7. de Ciuit. cap. 35. Ante Christum prohibitas legibus asserere non audet:* S. Aug. Nolo dicere has artes etiam ante nostri Saluatoris Aduentum, in ipsis ciuitatibus Gentium legibus solere prohiberi & pœna seuerissima vindicari. Nolo, inquam, hoc dicere: fortassis enim talia tunc dicebant. *Et lib. 8. de Ciuit. c. 19* S. Aug. Cur tam grauiter ista plectuntur seueritate legum, si opera sunt numinum colendorum? an forte istas leges Christiani instituerunt, quibus artes Magicæ puniuntur?

A secundùm quem alium sensum, nisi quo hæc maleficia generi humano perniciosa esse, non dubium est. *Consulendus est liber 9. Cod. tit. 18. in quo sunt leges seuerissimæ multorum Imperatorum contra artes Magicas. Sed longè ante leg. 12. tab. vetita est Magia, contra quam Tiberius leges sanxit. Et ex Tacito lib. 2. Annal. facta sunt Senatusconsulta de Magis, & Mathematicis Italia pellendis.* VBI SAPIENS. *1. Cor. 1. 20.* Vbi Sapiens? vbi scriba? vbi conquisitor huius sæculi? nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? *Vbi ex D. Thoma per sapientem intelligit secretas naturæ causas perscrutantem. Tertul. autem incantatores & Magos, Sophistas dixit. Per scribam, peritum in lege Iudæum Doctor Angelicus accipit. Per conquisitorem sæculi,* B *prudentem, & quærentem quæ sit conuenientia vitæ humanæ in rebus huius sæculi. Quos omnes Paulus vult rarò in numero fidelium simplicium reperiri. Deus autem, ait D. Thomas, stultam fecit, id est demonstrauit sapientiam huius mundi, faciendo quod impossibile putabat, Deum nasci, & hominem mortuum resurgere. Vel, fecit stultam, dum etiam mundi sapientibus hæc mysteria persuasit, quæ stulta prius sentiebat. Ambrosius magis ad mentem Tertul.* Conquisitor sæculi hic est, qui à constellationibus agi mundum, & duodecim signis; ortus & occasus fieri decernit calculis, nihil omnino sine eorum motu putans posse fieri. CLIMACTERICA, *Id est pericula. Clem. Rom. lib. 9. recogn.* Climacteras introducunt, vt de rebus incertis scien- C tiam fingant; climacteras enim dicunt, quasi periculi tempus. *Censorinus lib. de die Nat. septimum quemque annum periculosum & climactericum. Alij ex nouenariis constare, maximè autem ex nouem nouenariis. Vnde Augustus gratulari solitus amicis hunc annum prætergresis.* DIGITVS. *Siue astra monstrando, ex quibus sortem pendere censet Astrologus, siue per digitos supputando: sicut idem Tertul. in Apol.* dinumerant in semetipsos, &c. RADIVS, *Virga Mathematici, quo describitur cœli & astrorum motus. Vnde & Sidonius lib. 4. ep. 3. Archimedi pro instrumento proprio dat radium.* ABVTITVR. *Propriè; cum cœlum in corpus tantum influat, in hominis libertatem aliquid posse docet Mathematicus; vel qui astra pro diis colit, eis abutitur.*

MALVM POENÆ ET CVLPÆ.

Mali pœnæ Deus author est, quia à bona iustitia procedit: mali culpæ, Diabolus institutor est. 2. cont. Marc. cap. 14. per totum & 15. in p.

AD omnia tibi occurrit Deus idem, [a] *percutiens, sed & sanans;* [b] *mortificans, sed & viuificans; humilians, sed & sublimans;* [c] *Condens mala, sed & pacem faciens.* vt etiam hinc respondeam hæreticis: Ecce enim, inquiunt, ipse se conditorem profitetur malorum, dicens, *Ego sum qui condo mala.* Amplexi enim vocabuli communionem, duas malorum species in ambiguitate turbantem; quia mala dicuntur, & delicta, & supplicia; passim volunt eum conditorem intelligi malorum, vt & malitiæ auctor renuntietur. Nos autem adhibita distinctione vtriusque formæ, separatis malis delicti & malis supplicij, malis culpæ & malis pœnæ, suum cuique parti definimus auctorem: malorum quidem peccati & culpæ, diabolum: malorum verò supplicij & pœnæ, Deum creatorem; vt illa pars malitiæ deputetur, ista iustitiæ, mala condentis iudicia, aduersus mala delicti. De his ergo Creator profitetur malis, quæ congruunt judici. Quæ quidem illis mala sunt, quibus rependuntur: ceterùm, suo nomine bona, quâ justa, & bonorum defensoria, & delictorum inimica; atque in hoc ordine, Deo digna. Aut proba ea iniusta, vt probes malitiæ deputanda, id est, iniustitiæ

a Deut. 32. 39. *b* 1. Reg. 2. 6. 7. *c* Esa. 45. 7. *ibid.*

mala: quia si justitiæ erunt, jam mala non erunt, sed bona; malis tantummodo mala, qui-
Gen. 3. 3. bus etiam directò bona pro malis damnantur. Constitue igitur iniustè hominem diuinæ le-
gis voluntarium contemptorem id retulisse, quo voluit caruisse; iniustè malitiam æui illius
Gen. 7 10. imbribus, dehinc & ignibus cæsam; injustè Ægyptum fœdissimam, superstitiosam, amplius
Gen. 19. hospitis populi conflictatricem, decemplici castigatione percussam. Indurat cor Pharao-
24. nis: sed meruerat in exitium subministrari, qui jam negauerat Deum; qui jam legatos eius
Exo. 7. 17. toties superbus excusserat; qui jam populo laborem operis adjecerat: postremò, quà Ægy-
20. & 8. & seq. ptius olim, Deo reus fuerat gentilis idololatriæ, ibin & crocodilum citius colens, quàm
Num. 11. Deum viuum. Impendit & ipsum populum, sed ingratum. Immisit & pueris vrsos, sed ir-
1. & 21. 6. reuerentib. in Prophetam. Iustitiam ergo primò judicis dispice, cuius si ratio constiterit,
4. Reg. 2. tunc & seueritas, & per quæ seueritas decurrit, rationi & justitiæ reputabuntur. Ac ne plu-
24. ribus immoremur, adserite causas ceteras quoque, vt sententias condemnetis: excusate
Cap. xv. delicta, vt judicia reprobetis. Nolite reprehendere judicem, sed reuincite malum judicem.
Exo. 20. 5. Nam & si patrum delicta ex filiis exigebat, duritia populi talia remedia compulerat, vt vel
posteritatibus suis prospicienter, legi diuinæ obedirent. Quis enim non magis filiorum
salutem, quàm suam curet?

MALVM POENÆ, &c. SCHOL.

DEVS IDEM. *Non duplex vt vult Marcion.* VOCABVLI *nomen enim* mali, *commune est tam malo pœnæ quam culpæ.* TVRBANTEM. *Confundentem.* RENVNTIETVR, *asseratur. Vel repudietur vt deitate indignus, si author est malitiæ.* FORMÆ, *species.* PROFITETVR, *se Authorem. Vel, profitetur, id est à Christianis agnoscitur & colitur.* SVO NOMINE, *in quantum mala pœnæ sunt iustè inflicta.* BONORVM DEFENSORIA. *Quia tuentur bona Dei mandata & præcepta iustitiæ. Terrorem enim delicti incutiunt, in malum peccati inclinatione, nec fragilitate pronis. Et sic etiam bonos & justos, metu pœnæ deffendunt à reprobis.* QVIBVS DIRECTÒ, *qui soli absque vllo examine rei, statim ea quæ natura sua bona sunt, tanquam mala condemnant.* CONSTITVE. *Tu ergo Marcionita sancies & definies spontaneam legis diuinæ transgressionem, à Creatore* B *iniustè puniri, qui quantum in se est, hominem non punisset, si peccare noluisset.* ÆVI ILLIVS, *temporis, quo Creator regnauit.* IMBRIBVS, *diluuio delente mundum.* IGNIBVS, *Sodomam vrentibus.* HOSPITIS, *gentis Hebrææ.* DECEMPLICI, *decem plagis.* SVBMINISTRARI. *Vt Dei justitiæ famularetur, qui dedere se misericordiæ*
S. Aug. *noluerat. Aug. ep. 105. ad Sixtum vbi de induratione Pharaonis ex Rom. 9* Dicit scriptura ad Pharaonem quia ad hoc excitaui te vt ostendam in te potentiam meam, &c. ergo cuius vult miseretur, & quem vult obdurat. Hoc facit apud quem non est iniquitas. Miseretur itaque gratuito dono, obdurat autem iu-
S. Aug. stissimo merito. *Et in Enchir. c. 99.* Quis tam impiè desipiat, vt dicat Deum malas hominum volunta- C tes, quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit, non posse in bonum conuertere? sed cum facit, per misericordiam facit; cùm autem non facit, per iudicium non facit: quoniam cuius vult miseretur, & quem vult obdurat, &c. Quis enim nisi insipiens Deum iniquum putet? siue iudicium pœnale ingerat digno, siue misericordiam præstet indigno. *Et paulo infra locutus de obduratione Pharaonis:* miseretur, inquit, magna bonitate, obdurat nulla iniquitate: vt nec liberatus de suis meritis glorietur, nec damnatus nisi de suis meritis conqueratur. Sola enim gratia redemptos discernit à perditis, quos in vnam perditionis concreuerat massam, ab origine

A ducta causa communis. *Et curiosè vrgenti & petenti* S. Aug. *rationem:* absit, inquit, vt pudeat hoc nos respondere, quod respondisse videmus Apostolum: ô homo, tu quis es qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum, &c. Hoc loco enim quidam stulti putant Apostolum in responsione defecisse, & inopia reddendæ rationis, repressisse contradictoris audaciam. Sed magnum habet pondus quod dictum est, ô homo tu quis es? & in talibus quæstionibus, ad suæ capacitatis considerationem reuocare hominem, verbo quidem breuis, sed reipsa magna est redditio rationis. Si enim hæc non capit, quis est qui respondeat? si autem capit, magis non inuenit quod respondeat. Videt enim, si capit, vniuersum genus humanum tam justo judicio diuino in Apo- B statica radice damnatum, vt etiam si nullus inde liberaretur, nemo rectè posset Dei vituperare iustitiam: & qui liberantur, sic oportuisse liberari: vt ex pluribus non liberatis, atque in damnatione iustissima derelictis, ostenderetur quid commeruisset vniuersa consparsio; & quo etiam istos debitum iudicium Dei duceret, nisi eis indebita misericordia subuenisset: vt volentium de suis meritis gloriari, omne os obstruatur, & qui gloriatur, in Domino glorietur. NEGAVERAT. Non noui, inquit, Dominum. LEGATOS, *Moysem & Aaron.* ADIECERAT, *pensum quotidianum laterum duplicando.* ÆGYPTIVS, *populus.* IBIN, *auem Ægyptiam.* IMPENDIT. *In prædam dedit hostibus, vel juxta Psaltem;* vendidisti po- C pulum tuum sine pretio, &c. IRREVERENTIBVS, *dum Elisæo insultabant dicentes:* ascende calue. REPVTABVNTVR, *supple, conuenire. Vel imputabuntur.* ADSERITE, *vindices estote causæ nequissimæ peccatorum.* REVINCITE, *conuincite.* DVRITIA POPVLI. *Populum Hebræum, non Deus, vt nec Pharaonem, sed propria libertas mala indurauit, dum repetitis plagis, justo Dei judicio non adiutus gratia vt molliretur, callum obduxit; vt nimia lux miraculorum obcæcauit, & aures ad verba prophetiasque aggrauata, non audierunt, Deo tunc justo judicio non infundente gratiam, sed indebitam subtrahente, vt ait sæpissimè Augustinus.* COMPVLERAT, *prouocaras Deum ad talia remedia.*

MANDATA DEI.

1. Mandatis Dei, si parendum est in minimis, multo magis in magnis. 4. cont Marc. cap. 27. a p.

Luc. 11. 42. SIc & oluscula decimantes, vocationem autem & dilectionem Dei prætereuntes objurgat. Cuius Dei vocationem & dilectionem, nisi cuius & rutam & mentam, ex forma

legis de decimis offerebant? Totum enim exprobrationis hoc erat, quod modica curabant ei vtique, cui majora non exhibebant, dicenti, [a] *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, qui te vocauit ex Ægypto.* Ceterùm, nec tempus admisisset, vt Christus tam præcoquam, immo tam acerbam adhuc dilectionem, expostularet nouo & recenti Deo, ne dixerim nondum palam facto. a Deut. 6. 5.

MANDATA DEI. 1. SCHOL.

OLVSCVLA, *parua olera, & viles herbas, sic Luc.* 11. 42. Væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham & rutam, & omne olus, & præteritis iudicium, & charitatem Dei: hæc autem oportuit facere, & illa non omittere. EX FORMA, *præscripto legis, omnium primitias & decimas exigentis.* NISI CVIVS, &c. *idem enim Deus est qui & se præcepit diligi, & qui mentham & rutam creauit.* ADMISISSET, *Pharisæus scilicet Christi reprehensionem omnino rejecisset.* PRÆCOQVAM, *tam immaturam, extemporaneam. Cum mandatum dilectionis Dei, supponat eius cognitionem, quam acerbum fuisset, hunc fructum exigere diligendi Dei Marcionis noui, de quo nihil adhuc audierant, quomodo tulissent objici sibi præuaricationem legis, quam Deus ille non condiderat.* EXPOSTVLARET, *exigeret erga Deum nouum & recentem.* DILIGES DOMINVM. *Aug. lib. 1. de doctrina Christiana c. 22.* Tunc est optimus homo cum tota vita sua pergit in incommutabilem vitam, & tota affectu inhæret illi. Si autem se propter se diligit, non se refert ad Deum, sed ad seipsum conuersus, non ad incommutabile aliquid conuertitur. Et propterea jam cum defectu aliquo se fruitur; quia melior est cum totus hæret atque constringitur incommutabili bono, quàm cum inde, vel ad seipsum relaxatur. Si ergo teipsum, non propter teipsum debes diligere, sed propter illud, vbi dilectionis tuæ rectissimus finis est, non succenseat alius homo, si etiam ipsum propter Deum diligis. Hæc enim regula dilectionis constituta est. Diliges, inquit, proximum tuum sicut teipsum. Deum verò ex toto corde, &c. vt omnes cogitationes tuas *quæ exeunt ex corde* & omnem vitam *quæ ab anima* & omnem intellectum *mentem* in illum conferas, à quo habes ea ipsa quæ confers. *Multo vtique chariora Deo charitatem exigenti, quam sit mentha, ruta & olus quodcumque; Dei enim agricultura estis ait Apostolus* cum autem ait, toto corde, &c. nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, vt alia re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit. *Vide sequentia capita eiusdem libri vsque ad caput 33. vbi fuse agit de quatuor rebus diligendis,* Vnum quod supra nos est, alterum quod nos sumus, tertium quod juxta nos est, quartum quod infra nos est. S. Aug.

2. Mandata Dei seruare justi prouocantur, non spe temporalium vt Iudæi, sed æternorum. De Resur. cap. 26. in m. ad circa f.

SIc & apud Esaïam, [b] *Bona terræ edetis*; bona carnis intelligentur; quæ illam manent in a Esa. 1. 19.
Regno Dei reformatam, & angelificatam, & consecuturam [b] *quæ nec oculus vidit, nec* b 1. Cor.
auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Alioquin, satis vanum, vt ad obsequium, Deus 2. 9.
fructibus agri, & cibariis vitæ huius inuitet, quæ etiam inreligiosis & blasphemis, semel
homini addicta conditione, communicat; [c] *pluens super bonos & malos, & solem suum emittens* c Math. 5.
super justos & iniustos. Fœlix nimirum fides, si ea consecutura sunt, quibus hostes Dei & 45.
Christi non modo vtuntur, verum etiam abutuntur, [d] *ipsam conditionem colentes aduersus* d Rom. 1
conditorem. Bulbos & tubera, in terræ bonis deputabis, Domino pronuntiante, [e] *ne in pane* 25.
quidem victurum hominem. Sic Iudæi terrena solummodo sperando, cœlestia amittunt, igno- e Math.
rantes & panem, de cœlesti, repromissum, & oleum diuinæ vnctionis, & vinum spiritus, 4. 4.
aquam animæ vigorantis ex vite Christi: sicut & ipsam terram sanctam, Iudaïcum propriè
solum reputant, carnem potius Domini interpretandam, quæ exinde & in omnibus Chri- Exo. 3. 5.
stum indutis, sancta sit terra. verè sancta per incolatum Spiritus sancti. verè lacte & melle
manans, per suauitatem spei ipsius verè Iudæa, per Dei familiaritatem. [f] *non enim, qui in* f Rom. 2.
manifesto, Iudæus; sed qui in occulto vt & templum Dei eadem sit, & Hierusalem, audiens 28. & 29.
ab Esaïa, [g] *Exurge, exurge Hierusalem, induere fortitudinem brachij tui; Exurge sicut in primordio* g Esa. 51.
dei. scilicet in illa integritate quæ fuerat ante delictum transgressionis. Quæ enim in eam 9.
Hierusalem voces eiusmodi competent exhortationis & aduocationis, quæ occidit Pro- Math. 23.
phetas, & lapidauit ad se missos, & ipsum postremò Dominum suum confixit? Sed nec vlli 37. & Luc.
omnino terræ salus repromittitur, quam oportet cum totius mundi habitu præterire. 13. 34.

MANDATA DEI. 2. SCHOL.

BONA TERRÆ. *Esa. 1. 19.* Si volueritis, & audieritis me; bona terræ comedetis. 70. *nil hic differunt.* ILLAM, *carnem gloriosam.* ANGELIFICATAM, *similem factam Angelis, immortalem, incorruptibilem.* VANVM, *supple, est.* INRELIGIOSIS, *irreligiosis, & impiis. Pulchrè Aug. in Psal. 72. 21. & seq. depretiat bona terræ, & ad æterna inuitat, & pro eo quod legimus:* quia inflammatum est cor meum, &c. *ipse legit:* quia delectatum est cor meum. Quando, inquit, me delectauerunt temporalia ista, mutati sunt renes mei. Potest & sic intelligi; quia delectatũ est cor meum in Deo; & renes mei mutati sunt: id est libidines meæ mutatæ sunt, & castus totus factus sum. Ad nihilum, &c. quasi pecus factus sum, & non cognoui, &c. Iste quasi pecus factus est desiderando terrena, quando redactus ad nihilum, non cognouit æterna. Tenuisti manum dexteræ meæ, potestatem dexteræ meæ, &c. quam potestatem? dedit eis potestatem filios Dei fieri. Cœpit esse jam inter filios Dei, ad nouum Testamentum pertinens, S. Aug.

&c. fuit pecus primò, terrena desiderans, & secundum vetus Testamentum viuens, &c. & cum gloria assumpsisti me, &c. cœpit cogitare fœlicitatem ipsam cœlestem, & arguere se, quia pecus fuit, & terrena desiderauit: Quid enim mihi est in cœlo, &c? cogitans & æstuans in cogitatione cuiusdam rei ineffabilis, quam nec oculus vidit, nec auris, &c. non dixit, illud aut illud mihi est in cœlo: sed, quid mihi est in cœlo, &c? quantum est? quale est? quid est? &c cum non transit quod habeo in cœlo, à te quid volui super terram? &c. seruas mihi tu in cœlo diuitias immortales, teipsum; & ego volui à te in terra quod habent & impij, quod habent & mali, quod habent & facinorosi, pecuniam, aurum, & argentum, gemmas, familias: quod habent & scelerati multi, quod habent multæ fœminæ turpes, &c. hæc pro magno desideraui a Deo meo super terram, cum seruet se mihi in cœlo Deus meus, &c. hoc ergo mihi est in cœlo seruatum: Deus cordis mei, &c. quid est fratres? inuenimus diuitias nostras: eligat sibi partes genus humanum. Videamus homines cupiditatum diuersitate dilaniari. Eligant alij militiam, alij aduocationem, alij diuersas variasque doctrinas, alij negotiationem, alij agriculturam. Istas partes sibi faciant de rebus humanis; clamet populus Dei pars mea, Deus meus, non ad tempus pars mea, sed pars mea Deus in sæcula. ADDICTA CONDITIONE, *mundo condito simul & semel a principio hominis subiecto, cui dictum est: Gen. 1 28.* Dominamini piscibus maris & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, &c. *Et Psal. 8. 8* Omnia subiecisti sub pedibus eius. FOELIX, &c. *Ironicè* IPSAM CONDITIONEM. *Rom. 1 25.* coluerunt, & seruierunt creaturæ, potius quam Creatori. BVLBOS, *allia agrestia, genus cæpe, vel in genere radices rotunda.* TVBERA. *Dicuntur tumentia terræ calli, & quidam prægnantis arenæ fœtus, & species boletorum. Martialis* tubera boletis poma secunda sumus. *Deputabis, computabis.* A. DE GOBRESTI *quære. Vel cælestium intelligendam* AQVAM ANIMÆ VIGORANTIS. *Id applicat Eucharistiæ, cuius in consecratione, aqua vino miscetur in calice, & populus fidelis per aquam figuratus, Christi sanguini iungitur. Vel Christus aquam, id est tribulationem mutat in vinum lætitiæ spiritualis, vt dicat anima cum Psalte:* Conuertisti planctum meum in gaudium mihi, &c. *vel vt vitis aquam pluuiam mutat in vinum eiusque vigorem, sic Christo viti veræ adhærentes vt palmites, immissam à Deo tribulationem, mutant in communium vindemiæ defecatæ, calicem & torrentem voluptatis inebriantem.* PROPRIE *ad literam sibi applicant promissam terram Chanaam.* SANCTA SIT TERRA, *siue promissa Abrahæ:* tibi dabo terram hanc, *siue Moysi iusso discalceari:* locus in quo stas terra Sancta est. CHRISTVM INDVTIS. *Sic Paulus*: quotquot baptizati estis Christum induistis. *Et Petrus recens baptizatis:* Quasi modo geniti infantes rationabiles, sine dolo, lac concupiscite, &c. SPIRITVS. *Ille scilicet qui Sacramenta viuificat.* SPEI, *quia pignus est futuræ gloriæ.* FAMILIARITATEM: non enim taliter fecit omni nationi. NON ENIM, &c. *secus familiaritas transit ad populum Christianum, qui non carnaliter, sed spiritaliter Iudæus est.* EADEM *Iudæa spiritalis scilicet,* EXVRGE, *Esa. 51. 9. vulgata,* consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini: consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum. *70. nil differunt à Tertull. nisi quod legunt:* sicut in principium diei, sicut generatio sempiterna. INTEGRITATE, *innocentia originali.* QVÆ ENIM, *quomodo carnali Ierusalem hæc conueniente, cui Christus exprobrat effusum sanguinem Prophetarum? Luc. 13. 34.* Ierusalem Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te, &c. VLLI OMNINO, *terra elementari & literaliter intellecta* HABITV *sic Paulus alibi relatus. 1. Cor. 7. 31.* præterit figura huius mundi. *Syr.* species. *Peral* habitus.

S. Aug.

3. *Mandatum Dei non quia vtile est nobis, sed quia à Deo datum, seruandum est. De Pœnit. cap. 4. in m.*

NOs pro nostris angustiis vnum inculcamus, bonum atque optimum esse quod Deus præcipit. Audaciam existimo de bono diuini præcepti disputare. Neque enim quia bonum est, idcirco auscultare debemus, sed quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obsequij, prior est majestas diuinæ potestatis. Prior est auctoritas imperantis, quam vtilitas seruientis. Bonum est pœnitere, an non? Quid reuoluis? Deus præcipit.

MANDATVM DEI. 3. SCHOL.

PRIOR EST, *prius considerandа, & reuerenda est.* QVIA BONVM *est, nobis scilicet vtile.* QVID REVOLVIS? *quid dubitas an bonum sit quod à Deo præcipitur? Sic reuoluit serpens:* cur præcepit vobis? &c. *sic reuoluit Adam & Eua. Aug. in Psal. 70.* Hoc diabolus fecit, imitari Deum voluit, sed peruersè. Non esse sub illius potestate, sed habere contra illum potestatem. Homo autem positus sub præcepto audiuit à Domino Deo, noli tangere. Quid? hanc arborem. Quid est enim ista arbor? si bona est, quare non tango? si mala est, quid facit in paradiso? prorsus ideo est in paradiso quia bona est, sed nolo tangas. Quare non tango? quia obedientem te volo. Non contradicentem seruum ad hoc serue, sed noli ma è serue. Serue audi prius Domini jussum, & tunc jubentis disce consilium. Bona est arbor, nolo tangas. Quare? quia Dominus sum, & seruus es. hæc tota causa est, si parua est, dedignaris esse seruus. Quid autem tibi expedit, nisi esse sub Domino? quomodo eris sub Domino, nisi fueris sub præcepto? porro si expedit tibi esse sub Domino & sub præcepto, quid tibi jussurus erat Deus? aliquid enim quærit abs te? &c. quia ergo nullo abs te indiget Deus, nihil tibi debuit jubere? si autem debuit aliquid jubere vt te, quod tibi expedit, sentires esse sub Domino, ab aliqua re prohibendus eras, non propter illius arboris malitiam, sed propter tuam obedientiam. Non potuit Deus perfectius demonstrare quantum sit bonum obedientiæ, nisi cum prohibuit ab ea re quæ non erat mala. Sola ibi obedientia tenet palmam, sola ibi inobedientia inuenit pœnam. *Vt ergo bonum præceptum fuit prohibens ne moreretur homo, bonum vtique præceptum pœnitentiæ post peccatum ne pereat homo. Dictum enim.* Nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis.

S. Aug.

4. *Mandati violatio, grauior est, quam Consilij. 2. ad vxo. cap. 1. in f.*

SVasum impunè quis negligat, quàm jussum: quòd illud de consilio veniat, & voluntati proponatur: hoc autem de potestate descendat & necessitati obligetur: ille libertas, hic contumacia delinquere videatur.

IMPUNE, *supple magis.* VOLUNTATI, *amplectendum, vel respuendum.* DE POTESTATE, *absolutè imperantis.* OBLIGETUR *voluntas eius mandatur.* LIBERTAS, *quæ potest sine peccato, non obedire consilio. Differentiam præcepti & consilij pulchrè distinguit Aug. Ser. 71. de Temp. vbi consilium virginitatis, & præceptum dilectionis sic diuidit.* Aliud est consilium, aliud præceptum. Consilium datur, vt virginitas conseruetur, vt à vino & à carnibus abstineatur, vt vendantur omnia, & pauperibus erogentur. Præceptum verò datur, vt justitia custodiatur, & omnis homo, diuertat à malo, & faciat bonum. Denique de virginitate dicitur Matth. 19. qui potest capere, A capiat. De justitia verò non dicitur, qui potest facere faciat: sed Matth. 3. omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Consilium qui libenter audierit & fecerit, maiorem habebit gloriam. Præceptum qui non impleuerit, nisi pœnitentia subuenerit, euadere pœnam non poterit. Sic enim præcepit Dominus Matth. 5. diligite inimicos, &c. & si quæras, quam mercedem accipies; audi quod sequitur, vt sitis filij, &c. aduertite, quia si inimicos non diligimus, filij Dei esse non possumus. *Et quis fructus arboris melior quam charitas, quæ fructus est spiritus?*

S. Aug.

MARCION ET MARCIONITÆ.

1. Marcion in Ponto natus, omnem in se vno loci barbariem collegit. 1. cont. Marc. cap. 1. à p.

POntus qui dicitur Euxinus, natura negatur, nomine illuditur. Ceterùm, hospitalem Pontum nec de situ æstimes: ita ab humanioribus fretis nostris, quasi quodam barbariæ suæ pudore secessit: gentes ferocissimæ inhabitant, si tamen habitatur in plaustro. Sedes incerta, vita cruda, libido promiscua & plurimum nuda, etiam cùm abscondunt, suspensis de jugo pharetris indicibus, ne temere qui intercedat. Ita nec armis suis erubescunt. Parentum cadauera cum pecudibus cæsa, conuiuio conuorant. Qui non ita decesserint, vt escatiles fuerint maledicta mors est. Nec feminæ sexu mitigantur secundùm pudorem: vbera excludunt, pensum securibus faciunt; malunt militare, quàm nubere. Duritia de cœlo quoque. Dies nunquam patens: Sol nunquam libens; vnus aër, nebula; totus annus, hibernum; omne quod flauerit, Aquilo est. Liquores ignibus redeunt, amnes glacie negantur, montes pruina exaggerantur. Omnia torpent, omnia rigent: nihil illic nisi feritas calet; illa scilicet, quæ fabulas scenis dedit, de sacrificiis Taurorum, & amoribus Colchorum, & crucibus Caucasorum. Sed nihil tam barbarum ac triste apud Pontum, quàm quod illic Marcion natus est, Scytha tetrior, Hamaxobio instabilior, Massageta inhumanior, Amazona audacior; nubilo obscurior, hyeme frigidior, gelu fragilior; Istro fallacior, Caucaso abruptior. Quidni? penes quem verus Prometheus Deus omnipotens blasphemiis lancinatur. Iam & bestiis illius barbariæ importunior Marcion. Quis enim tam castrator carnis castor, quàm qui nuptias abstulit.

2. Marcion pro corde Peponem habuit. 4. cont. Marc. cap. 40. in m.

CVr autem [a] *panem corpus* suum appellat, & non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit? non intelligens veterem fuisse istam figuram Corporis Christi, dicentis per Ieremiam, [b] *aduersum me cogitauerunt cogitatum dicentes, venite coniiciamus lignum in panem eius.* Scilicet crucem in corpus eius.

a Luc.22. 19.
b Hier.11. 19.

3. Marcion mus Ponticus Euangelium rosit, & Antidiogenes Dei vnius veritatem meridie clariorem extinxit. 1. cont. Marc. cap. 1. circa f.

QVis tam comesor mus Ponticus, quàm qui Euangelia corrosit? Næ tu, Euxine, probabiliorem feram philosophis edidisti, quàm Christianis. Nam illa canicula Diogenes hominem inuenire cupiebat, lucernam meridie circumferens: Marcion, Deum quem inuenerat, extincto lumine fidei suæ amisit. Non negabunt discipuli eius, primam illius fidem nobiscum fuisse, ipsius litteris testibus: vt hinc jam destinari possit hæreticus, qui deserto quod prius fuerat, id postea sibi elegerit, quod retrò non erat.

4. Et 5. cont. Marc. cap. 4. à p.

ERubescat spongia Marcionis, nisi quod ex abundanti retracto quæ abstulit, quum validius sit illum ex his reuinci quæ seruauit.

5. Et Ibid. in m.

SEd vt furibus solet aliquid excidere de præda in indicium; ita credo & Marcionem nouissimam Abrahæ mentionem dereliquisse nullam magis auferendam, etsi ex parte conuertit.

6. *Et 5. cont. Marc. cap. 17. in f.*

a Ephes. 2. 20. ABstulit hæreticus, a *Et Prophetarum*; oblitus Dominum posuisse in Ecclesia sicut Apostolos, ita & Prophetas. Timuit scilicet ne & super veterum Prophetarum fundamenta, ædificatio nostra constaret in Christo: cùm ipse Apostolus vbique nos de Ephes. 4. 11. Prophetis exstruere non cesset. Vnde enim accepit b *summum lapidem angularem dicere Christum*, nisi b Ephes. 2. 20. de Psalmi significatione: c *Lapis quem reprobauerunt ædificantes, iste factus est in summo anguli?* c Psal. 117. 22. De manibus hæretici præcidentis non miror, si syllabas subtrahit, quum paginas totas plerumque subducat.

7. *Et de Car. Chri. cap. 2. à p.*

HIs opinor consiliis, tot originalia instrumenta Christi delere Marcion ausus es, ne caro eius probaretur. Ex qua, oro te, auctoritate? si propheta es, prænuntia aliquid. si Apostolus, prædica publicè. si Apostolicus, cum Apostolis senti. si tantum Christianus es, crede quod traditum est. si nihil istorum es, merito dixerim, morere. nam & mortuus es, qui non es Christianus, non credendo, quod creditum Christianos facit. Et eo magis mortuus es, quo magis non es Christianus; qui cùm fuisses, excidisti, rescindendo quod retro credidisti: sicut & ipse confiteris in quadam epistola; & tui non negant, & nostri probant. Igitur rescindens quod credidisti, jam non credens rescidisti: non tamen quia credere desiisti, rectè rescidisti. atque in rescindendo quod credidisti; probas, antequam rescinderes, aliter fuisse quod credidisti Aliter illud, ita erat traditum. porro, quod traditum erat, id erat verum, vt ab eis traditum, quorum fuit tradere. Ergo quod erat traditum rescindens, quod erat verum rescidisti. Nullo jure fecisti.

8. *Et de Car. Chri. cap. 3. circa f.*

SI scripturas opinioni tuæ resistentes, non de industria alias rejecisses, alias corrupisses, confudisset te in hac specie euangelium Ioannis, prædicans spiritum columbæ corpore Io. 1. 32. delapsum dedisse super Dominum.

9. *Marcion juxta morem hæreticum Euangelium Lucæ truncatum, suum fecit; & ex antithesibus Euangelij cum lege, duos Deos contrarios inuexit. 4. cont. Marc. cap. 1. in p.*

OMnem sententiam & omnem paraturam impij atque sacrilegi Marcionis, ad ipsum jam Euangelium eius prouocamus, quod interpolando suum fecit. Et vt fidem instrueret, dotem quandam commentatus est illi opus ex contrarietatum oppositionibus, Antitheses cognominatum, & ad separationem Legis & Euangelij coactum, quâ duos deos diuidens, proinde diuersos, alterum alterius Instrumenti, vel (quod magis vsui est dicere) Testamenti; vt exinde Euangelio quoque secundùm antitheseis credendo patrocinaretur.

10. *Marcion D. Lucæ Apostolici viri Euangelium, quod corrumperet, elegit. 4. cont. Marc. cap. 2. in m.*

EX iis commentatoribus quos habemus, Lucam videtur Marcion elegisse, quem cæderet. Porro. Lucas non Apostolus, sed Apostolicus; non magister, sed discipulus; vtique magistro minor; certè tantò posterior, quantò posterioris Apostoli sectator, Pauli sine dubio: vt & si sub ipsius Pauli nomine, Euangelium Marcion intulisset, non sufficeret ad fidem singularitas Instrumenti, destituta patrocinio antecessorum. exigeretur enim id quoque Euangelium quod Paulus inuenit, cui fidem dedit, cui mox suum congruere ge-
Gal. 2. 2. & seq. stiit. Siquidem propterea Hierosolymam ascendit ad cognoscendos Apostolos & consultandos, ne forte in vacuum cucurrisset, id est, ne non secundùm illos credidisset, & non secundùm illos euangelizaret.

11. *Et 4. cont. Marc. cap. 3. in f.*

SI ipsum erit verum, id est Apostolorum, quod Marcion habet solus; & quomodo nostro consonat, quod non Apostolorum, sed Lucæ refertur? Aut si non statum Lucæ deputandum est, quo Marcion vtitur, quia nostro consonat, scilicet adulterato etiam circa titulum; ceterùm Apostolorum est. jam ergo & nostrum quod illi consonat, æque Apostolorum est, sed adulteratum de titulo quoque.

12. *Et 4. cont. Marc. cap. 5. in m.*

DE his Marcion flagitandus, quid omissis eis, Lucæ potius institerit; quasi non & hæc apud ecclesias à primordio fuerint, quemadmodum & Lucæ. Atquin hæc magis à

primordio fuisse credibile est, vt priora, quâ apostolica; vt cum ipsis ecclesiis dedicata. Ceterùm, quale est, si nihil Apostoli ediderunt, vt discipuli potius ediderint, qui nec discipuli existere potuissent sine vlla doctrina magistrorum? Igitur dum constet hæc quoq. apud ecclesias fuisse, cur non hæc quoque Marcion attigit, aut emendanda si adulterata, aut agnoscenda si integra? Nam & competit, vt si qui Euangelium peruertebant, eorum magis curarent peruersionem, quorum sciebant auctoritatem receptiorem ideo & Pseudapostoli, quod per falsum Apostolos imitarentur. In quantum ergo emendasset quæ fuissent emendanda, si fuissent corrupta, in tantum confirmauit non fuisse corrupta, quæ non putauit emendanda. Denique emendauit, quod corruptum existimauit. Sed nec hoc merito, quia non fuit corruptum. Si enim apostolica integra decurrerunt; Lucæ autem quod est secundùm nos, adeo congruit regulæ eorum, vt cum illis apud ecclesias maneat, jam & Lucæ constat integrum decucurrisse vsque ad sacrilegium Marcionis. Denique, vbi manus illi Marcion intulit, tunc diuersum & æmulum factum est apostolicis. Igitur dabo consilium discipulis eius, vt aut & illa conuertant, licet sero, ad formam sui, quò cum apostolicis conuenire videantur (nam & quotidie reformant illud, prout à nobis quotidie reuincuntur:) aut erubescant de magistro vtrobique traducto, quum Euangelij veritatem nunc ex conscientia tramittit, nunc ex impudentia euertit. Gal. 1. 7. 2. Cor. 11. 13.

13. *Marcion scripturam sibi contrariam erasit. 4. cont. Marc. cap. 6. in m.*

CErtè propterea contraria quæque sententiæ suæ erasit; conspirantia cum creatore, quasi ab assertoribus eius intexta · competentia autem sententiæ suæ reseruauit. Hæc conueniemus, hæc amplectemur, si nobiscum magis fuerint; si Marcionis præsumptionem percusserint, tunc & illa constabit eodem vitio hæreticæ cæcitatis erasa, quo & hæc reseruata.

14. *Marcion exceptâ Epistolâ ad Philemonem, cæteras interpolauit, maximè ad Timotheum: ad Titum autem prorsus sustulit. 5. cont. Marc. cap. 21. in p.*

SOli huic epistolæ breuitas sua profuit, vt falsarias manus Marcionis euaderet. Miror tamen, quum ad vnum hominem litteras factas receperit, quid ad Timotheum duas, & vnam ad Titum, de Ecclesiastico statu compositas recusauerit. Adfectauit, opinor, etiam numerum epistolarum interpolare. ad Philem.

15. *Marcion truncator Apostoli. 5. cont. Marc. cap. 13. à p.*

QVantas autem foueas in ista vel maximè epistola Marcion fecerit, auferendo quæ voluit, de nostri instrumenti integritate parebit. Mihi sufficit quæ proinde eradenda non vidit, quasi negligentias & cæcitates eius accipere.

16. *Et Ibidem cap. 14.* *V. Verbum judicium per ignem.*

17. *Marcionis Euangelium acephalum. 4. cont. Marc. cap. 2. in m.*

MArcion, Euangelio, scilicet suo, nullum adscribit auctorem; quasi non licuerit illi titulum quoque adfingere, cui nefas non fuit ipsum corpus euertere. Et possem hîc jam gradum figere, non agnoscendum contendens opus, quod non erigat frontem, quod nullam constantiam præferat, nullam fidem repromittat de plenitudine tituli, & professione debita auctoris. Sed per omnia congredi malumus, nec dissimulamus quod ex nostro intelligi potest.

18. *Marcion latrone peior, timore carens. 4. cont. Marc. cap. 17. circa f.*

PVto me non temerè huic vsque adhuc lineæ insistere, quâ definio, nusquam omninò alium Deum à Christo reuelatum. In hoc solo adulterium Marcionis manus stupuisse miror, nisi quod etiam latrones timent. Nullum maleficium sine formidine est, quia nec sine conscientia sui.

19. *Marcion humanæ naturæ, & suimet hostis. De Car. Chri. cap. 4. à p.*

HOrres vtique & infantem, cum suis impedimentis profusum vtique & oblitum. Dedignaberis quod pannis dirigitur, quod vnctionibus formatur, quod blanditiis deridetur. Hanc venerationem naturæ, Marcion, despuis: Et quo modo natus es? odisti nascentem hominem: Et quo modo diligis aliquem? te quidem planè non amasti, cùm ab Ecclesia & fide Christi recessisti. Sed videris, si tibi displices, aut si aliter es natus. *Libro de præscript. c. 30. à p.*

20. *Post modum idem Marcion pœnitentiam confessus, cùm conditioni datæ sibi occurrit, ita pacem recepturus, si cæteros quoque quos perditioni erudisset, Ecclesiæ restitueret; morte præuentus est.*

21. *Marcion præcursor Antichristi. V. Antichristus. I.*

MARCION. 1. 2. 3. 4. 5. & seq. SCHOL.

A NATVRA *quia nihil natura congruum & placitum habet; adeo sæua est plaga, vt naturaliter abnegent omnes se in ea natos.* NOMINE ILLVDITVR. *Quia per ludibrium dicitur hospitalis Græcis εὔξεινος; cum potius ἄξενος, id est, inhospitalis deberet appellari.* IN PLAVSTRO. *Plaustrum dictum est quod ex omni parte, sit palam & apertum quod in huiusmodi curru vehitur, vt ait Varro lib. 4. de lingua Latina. Accipitur etiam pro Septentrionalibus syderibus quas vocant vrsas, quarum singulæ quatuor stellis constant in quadrangulum dispositis, & alijs tribus, quas Astronomi tribus equis currum trahentibus assimilant. De quibus Seneca in Oedipo:* quasque despectat vertice summo Sydus Arcadicum, geminumque plaustrum. *Siue ergo plagam rigentem frigore, siue vndique patentem & inhabitabilem intelligas, rectè plaustrum dixeris. Aug. lib. de vnitate Ecclesiæ, cap. 19 à m. ex Psal. 47.* Latera Aquilonis B ciuitas Regis magni, non est nisi Ecclesia, &c. fortasse illo testimonio Marcion hæreticus vteretur, qui dicitur Ponticus fuisse, quæ partes ad Aquilonem sunt, &c. *quæ ironicè dicit, sicut & meridiem donato,* GENTES FEROCISSIMÆ. *Quales sunt Tauri, Colchi, Scytha, Tauroscytæ, Hamaxobij, &c.* SEDES INCERTA. *Quia Pontini non certo loco habitant, sed vagantur.* CRVDA. *Rudis, aspera. Vel quod crudis vescantur carnibus.* LIBIDO PROMISCVA, *nulla matrimonij fides. Vix verenda tegunt.* DE IVGO. *Id est collo, cui iugum imponi solet.* QVI, *quis.* INTERCEDAT. *Interueniat, accedat.* ERVBESCVNT. *Non abscondunt arma.* CONVORANT, *simul vorant.* DECESSERINT, *mortui fuerint.* SECVNDVM PVDOREM, *licet pudor sit innatus mulieribus, Pontinæ tamen nec sexu mites, nec pudore verenda tecta.* EXCLVDVNT, *nudant.* PENSVM. C *Labore diurno exercentur, & operas suas locant securibus arbores cædendo.* LIBENS, *liber & patens, adeo nubibus abscondi cogitur.* HYBERNVM, *tempus scilicet.* LIQVORES. *Gelu non soluitur, nisi ignibus magnis accensis.* NEGANTVR, *non fluunt nec manant fluuij ob assiduum gelu.* EXAGGERANTVR, *altiores fiunt, pruinâ & niue densati.* SCENIS DEDIT. *Subministrauit materiam tragœdiis.* DE SACRIFICIIS TAVRORVM. *Qui pro victimis mactabant aduenas.* AMORIBVS COLCHORVM. *Tritum Iasonis & Medeæ.* CAVCASORVM. *Vulgatum etiam de Tytio, & Prometheo ad Caucasum vinctis, & vulturi expositis.* HAMAXOBIO INSTABILIOR, *Sarmatiæ gens vicina Ponto sedem subinde mutans.* ISTRO FALLACIOR. *Danubium Fluuium intelligit, qui ab Axio oppido vsque ad Pontum Euxinum Ister dicitur, à quo & dicta Istropolis. Vide Plin. lib. 4. c. 12.* D *fallax dicitur, aut propter flexum sinuosum, aut ostiorum multitudinem, aut quod subito inundans accolas opprimat.* VERVS PROMETHEVS, *qui non fictè, sed verè hominem finxit de limo terræ.* CASTOR, *sibi conscius ob pudenda mortem parari, ea sibi dentibus abscindit. Marcion omnino nuptias interdicit, vt malas, quod à Creatore in paradiso terrestri introducta fuerint.*

2. CVR AVTEM. *Marcionem irridet vt vecordem & sensu carentem, nec habentem cor humanum, rationale, intelligens, sed pro corde peponem; qui Corpus Christi phantasticum censuit, quod Luc. 22. 19. Christus dixerit de pane accepto:* hoc est Corpus meum. *Quod nisi fuisset verum corpus humanum, poterat æquè peponem aut cucurbitam fictam appellare.* ISTAM FIGVRAM. *Non solum in veteri lege panis figura fuit Corporis Christi, sed & in noua, species panis, & Sacramentum, signum est cruenti sacrificij in incruento mysterio. Nec figura veritatem excludit; aliàs Paulus Hebr. 1. filium Dei dicens figuram substantiæ Patris, & ad Philipp. 2. in forma, seu vt vertit Tertul. in effigie Dei constitutum, à Patris consubstantialitate exclusisset.* PER IEREMIAM. *Vulgata: Ier. 11. 19.* Et ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam: & non cognoui, quia cogitauerunt super me consilia dicentes: mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. 70. non cognoscebam. Super me cogitauerunt cogitationem malam dicentes, venite, &c. & exteramus eum de terra viuentium, &c.

3. MVS, *Pontica mures, ut reliqua soli barbariore cæteris, insinuat. Legendus Plin. lib. 8. c. 57. vbi notat hos mures hieme condi & præmansa remandere.* NÆ, *certè.* EVXINE. *Ponto Euxino oriunde.* PROBABILIOREM, &c. *te magis commendasti apud Philosophos, quam apud Christianos.* FERAM, *murem vel canem Ponticum.* CANICVLAM. *Inde Diogenes Cynicus dictus, quod canis instar oblatraret & morderet; & quia vanitatem sæculi despuebat, ideo probatus Philosophus.* NOBISCVM, *id est cum fidelibus & Christianis primò sentiebat.* DESTINARI, *designari ad scopum & signum, iustæ reprehensionis iaculis expositum.* RETRO, *antehac, prius.*

4. SPONGIA, *qua multa deleuit ex vnico Lucæ Euangelio, quod solum admittit.* EX ABVNDANTI, *frustra, superfluè agis.* VALIDIVS, *firmiora solidioraque argumenta depromam ex scriptis Lucæ quæ admittis, quibus apertè conuincitur, quam ex his quæ respuit.*

5. NOVISSIMAM, *postremò à Paulo memoratam.* NVLLAM MAGIS, &c. *quia magis contra eum facit. Immediatè enim præmiserat ex Paulo ad Galatas 3.* Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dixit seminibus, quasi pluribus, sed semini, tanquam vni, quod Christus est. CONVERTIT, *mutauit ex parte, & peruertit.*

6. ET PROPHETARVM. *Ephes. 2. 20.* Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, &c. *quod abstulit, quia Prophetas pertinentes ad testamentum Creatoris respuit.* IN ECCLESIA. *Ephes. 4. 11.* Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, &c. EXSTRVERE. *Instruere, ædificare. Frequenter Paulus aliique Apostoli vtuntur authoritatibus sumptis ex Prophetis veteris Testamenti.* SVMMVM LAPIDEM, *Ephes. 2. 20.* Ipso summo angulari lapide Christo Iesu. ISTE FACTVS, *Psal. 117. 22.* Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.

7. ORIGINALIA, &c. *Literas authenticas, quibus Christi origo probetur.* MORTVVS ES. *Certè si* iustus ex fide viuit, mortuus est qui non habet fidem; *ait Aug. & iniustus Marcion qui & Christo veritatem carnis eripit, & nobis veram per eius carnem & sanguinem salutem, & Deo gloriam.* MAGIS MORTVVS. *Omnis quidem infidelis mortuus est, quia viuificantem fidei spiritum non habet: vnde Paulus,* Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus: *sed hic qui numquam credidit, minus mortuus est, qui negatiuè tantum, quàm Marcion, aut alius infidelis positiuè, qui à fide prius accepta spontaneè recessit.* Trita enim lux hominum; *& fides lumen & vita fidelium.*

8. IN HAC SPECIE, &c. *Vox iuris. In hoc genere*

criminis plagiarij, in hac erroris specie, qua Christo veram carnem negas, cum & verè lotus à Ioanne fuerit in Iordane, & verè super eius caput solidum & non inane, corporea columba consederis, conuincitur apertè error tuus, & patet malitia, qua Ioannis Euangelium reiecisti.

9. PARATVRAM. *Id est apparatum Euangelij eius.* IMPII. *Quia impugnat veritatem carnis Christi, de qua Paulus:* manifestè magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestum est in carne, &c. SACRILEGI. *quia Scripturam sacram truncauit in multis.* AD IPSVM, &c. *argumentatur ad hominem. Etiam ex Euangelio per ipsum consarcinato & mutilato ad libitum, contra ipsum disputans.* INTERPOLANDO, *fucando.* DOTEM, *quasi sponsa Scriptura suæ velut Amasia adinuenit speciosum nomen, quo velut dote Euangelium suum ditaret & ornaret.* COACTVM, *compilatum, vel magna violentia in contrarium sensum Scripturas abripiens.* AD SEPARATIONEM, &c. *vt legem veterem Nouæ contrariam probaret, & proinde duos eius authores, & Deos diuersos adstrueret.* INSTRVMENTI, *Testamenti.* VT EXINDE, &c. *vt inde nobis incautus viam aperuerit contra ipsum concludendi, ex multis Noui Testamenti antithesibus, & oppositionibus, diuersos quoque Deos, & authores eius extitisse.* PATROCINARETVR, *assumpto per hoc ab ipso Marcione patrocinio; cum sit par vtriusque ratio.*

10. COMMENTATORIBVS. *Scriptoribus Euangelicis.* CÆDERET, *truncaret.* NON APOSTOLVS. *Fuit enim tantum Discipulus & Euangelista.* POSTERIOR, *comes & socius peregrinationibus Pauli, qui* abortiuum se, nouissimum, & minimum *dixit. Quamuis Marcion non iam sub Lucæ nomine, sed ipsius* PAVLI *Euangelium suum edidisset, fidem tamen non faceret hoc singulare instrumentum, nec ei crederetur nisi consentiret Apostolorum antecessorum fidei & doctrina: cùm & ipse Paulus, ne in vacuum scriberet & doceret, consuluerit antecessores suos Apostolos. Qua propter cùm Euangelium Lucæ à Marcione electum, ab eoque truncatum & interpolatum, non respondeat aliis Euangeliis prius editis, nec Apostolicæ fidei, ei fides habenda non est.*

11. SI IPSVM, &c. *Contendit cum Marcione de veritate Euangelij. Marcion suum, verum esse tuetur, nos nostrum, ex antiquitate præcedente; eius verò corruptum asserimus.* SOLVS, *quod iactat se solum habere purum & sincerum* ET QVOMODO, &c. *Quæro, quomodo consonat Euangelium Marcionis Euangelio nostro, cui non inscribitur titulus Apostolorum?* AVT SI NON STATIM, &c. *Si ideo Euangelium quo vtitur Marcion (quodque adulterauit circa titulum, inscribendo illud & cognominando, vt supra numero 9.* Antitheses) *Lucæ adscribendum non est:* STATIM, *primo inspectu, nulla alia ratione, quàm quia respondet nostro.* CÆTERVM, *de cætero ab Apostolis scriptum, & fide dignum censendum est;* IAM ERGO, &c. *Sequitur vt Euangelium nostrum illi consonans in cæteris & Apostolicum, & fide dignum habeatur; licet Marcion ipse corruptor tituli, imponat nobis, nos eius titulum corrupisse inscribendo ei;* Euangelium secundùm Lucam. *Quis litem hanc dirimet, nisi exemplaria antiqua, quæ nostra, & Marcionis tempora præcesserunt.*

12. DE HIS, &c. *Interrogandus Marcion, cur Euangelio Lucæ potius hæserit, illudque receperit quàm alia Euangelia, & scripta Apostolorum; cum hæc ab initio Ecclesiæ non minus extiterint quam Lucæ Euangelium.* DEDICATA, *id est cum nascente Ecclesia, priuatisque Ecclesiis quibus scripserunt Apostoli, vnam Catholicam constantibus Ecclesiam, Apostolica scripta prodierunt. Nec credibile est Discipulos prius Ecclesiam scriptis docuisse, quàm Magistros suos Apostolos.* COMPETIT. *Decebat magis Marcionem cum suis sectariis, Euangelia Apostolorum emendare, si à quibusdam Pseudapostolis fuerant deprauata; & eorum peruersitatem tanto accuratius re-*
A *stituere, quantò authoritas Apostolorum maioris momenti erat, quam Discipulorum.* APOSTOLICA. *Scripta integra ad nos vsque permansere, & ipsum quoque Lucæ Euangelium, donec sacrilegis illud Marcion manibus violauit.* ILLA, *scripta & Euangelia Apostolorum redigant* AD FORMAM SVI *Euangelij Lucæ truncati & corrupti.* QVÒ; *vt hoc modo scriptis Apostolorum coaptent Euangelium Lucæ, quod & subinde reformant, prout à nobis conuincuntur de falsitate & corruptione.* TRADVCTO. *Vox Pauli, & Euangelij quia captiuus & conuictus traducitur Marcion ad iudicium condemnandus vt falsarius.* TRANSMITTIT, *transmutat fraudulenter, aut apertà impudentià corrumpit, vt transmittat ad posteros.*

13. CONSPIRANTIA, *quæ conueniunt in Nouo Te-*
B *stamento cum veteri, quod Marcion Creatori tribuit.* AB ASSERTORIBVS *id est cultoribus Dei Creatoris, ex Veteri Testamento, in Euangelio Lucæ admixta, deleuit.* CONVENIEMVS. *Vox iuris: ex ipsis locis quæ Marcion reseruauit, cum ipso congrediemur.* SI NOBISCVM, &c. *Si Orthodoxæ fidei magis faueant.*

14. EPISTOLÆ, *ad Philemonem scilicet.* AD VNVM *scilicet Philemonem.* ETIAM NVMERVM *Epistolarum Pauli, vt & numerum Euangeliorum.* INTERPOLARE. *Non tantum hîc significat immutare, consarcinare, veteres renouare, aut fucare, nouis admixtis, sed & numerum ipsum intercipere, & minuere.*

15. QVANTAS FOVEAS. *Hiatus intelligit intermedios, erasis multis verbis & sententiis.* IN ISTA *scilicet Epistola ad Romanos de qua totum est caput 13. &*
C *14. libri quinti contra Marc.*

17. FRONTEM, *id est titulum Euangelio præfixum cum sui Authoris Lucæ nomine.* EX NOSTRO *scilicet Euangelio Lucæ nomen præferente, in capite, & corpore textus integro.*

18. LINEÆ, *spatio cursus & metæ præfixæ.* ALIVM DEVM, *quàm Creatorem. Vbi aduerte immediatè egisse de bona arbore non ferente fructum malum, nec malâ bonum, vt de bono vel malo thesauro cordis, quod sic explicat:* nec Marcion aliquid boni de thesauro Cerdonis malo protulit, nec Apelles de Marcionis; multò enim hæc congruentius in ipsos interpretabimur, quæ Christus in homines allegorizauit, non in duos Deos, secundùm scandalum *id est hæresim,*
D Marcionis. ADVLTERIVM *quo Euangelium adulterauit.* IN HOC SOLO. *Videlicet puncto doctrinæ erroneæ Marcionis, quo nouum Deum & alium à Creatore per Christum reuelatum asserit,* MIROR MANVS *huiusmodi fabricatrices miratas fuisse* ADVLTERIVM *suum, hoc est adulterinum & fictitium Deum, vero Deo suffurando honorem.* NISI QVOD, &c. *tota differentia inter adulterum & furem Marcionem, & alios prædones & maleficos, hæc est, quod alij semper timent, & propria conscientiæ stimulis excitati, vigilanter aduertunt, ne manus cum furto & maleficio deprehendantur; stupidus autem Marcion de nouo inuento Deo suis adgratulatur manibus, & in furto suo aperto deprehendi non timuit.*

E 19. IMPEDIMENTIS, *secundinis quibus infans inuoluitur* OBLITVM, *sordidum.* DIRIGITVR, *ne membra curuentur, & distorta, malum habitum contrahant.* VNCTIONIBVS FORMATVR, *forma eius & decor impuro deturpatus sanguine, aqua, vino, oleo, detersus confirmatur* BLANDITIIS, *nutriculæ risu, & osculo.* VENERATIONEM, *opus quod natura author cunctis animalibus venerandum produxit.* QVOMODO ALIQVEM, *si innocentem infantem omnibus amabilem odisti, quem potes diligere?* TE PLANE, &c. qui enim diligit iniquitatem odit animam suam.

20. POENITENTIAM CONFESSVS. *Publicè testatus pœnitere se pristini erroris.* ITA PACEM RECEPTVRVS. *Ad Ecclesiæ vnitatem, post detestationem & abiura-*

tionem publicam erroris, & impletam, quæ ab Hæresiarchis exigebatur, conditionem; qua etiam eos quos seduxerant ad veram fidem Ecclesiæ reuocarent, idque satagerent quoad possent verbo & exemplo. Cui conditioni cum A *Marcion sponte occurreret eamque implere moliretur, morte præuentus est. PERDITIONI ad perditionem. De hac conditione legendus Eusebius lib. 6. cap. 35. & Cypr. ep. ad Antoninum de Trophymo.*

MARCIONIS DEVS QVAM RIDICVLVS.

1. *Marcion Dei noui inductor superbus, falsum Deum profert exemplo paganorum. 1. cont. Marc. cap. 8. in p.*

PRimo, supercilio stuporem suum ædificant Marcionitæ, quod nouum Deum proferant, quasi nos veteris Dei pudeat. Inflantur & pueri nouis calceis: sed à vetere pædagogo calceati mox vanam gloriam vapulabunt. Nouum igitur audiens Deum in vetere mundo, & in vetere æuo, & sub vetere Deo ignotum, inauditum, quem tantis retro seculis neminem, & ipsa ignorantia antiquum, quidam Iesus Christus, & ille in veteribus nominibus nouus reuelauerit, nec alius antehac; gratias ago huic gloriæ eorum, maximo adjutorio eius hinc jam hæresim probàturus; nouæ scilicet diuinitatis professionem. Hæc erit nouitas, quæ etiam ethnicis Deos peperit, nouo semper ac nouo titulo consecrationis cuiusque. Quis Deus nouus, nisi falsus? Ne Saturnum quidem tanta hodie antiquitas Deum probabit, quia & illum nouitas aliquando produxerit quum primum consecrauit. Atenim viua & germana diuinitas, nec de nouitate, nec de vetustate, sed de sua veritate censetur.

2. *Marcion debet prius probare, alterius Dei sui existentiam, quam legis eius authoritatem. 4. cont. Marc. cap. 12. à p.*

ET oportuerit vtique prius alium Deum exponi, postea disciplinam eius induci; quia Deus auctoritatem præstet disciplinæ, non Deo disciplina: nisi si & Marcion planè tam peruersas non per magistrum litteras didicit; sed per litteras magistrum.

3. *Marcionis Deus impotens, si creare non potuit; sibi iniurius, si noluit. 1. cont. Marc. cap. 11. in f. & 12. in p.*

HOc ipso nemo Deum Creatorem dubitet, quia totum hoc condidit; hoc ipso nemo debeat credere Deum & illum qui nihil condidit, nisi ratio fortè proferatur. Duplex ista videatur necesse est, vt aut noluerit condere quid, aut non potuerit. Tertium cessat. Sed non potuisse, indignum Deo est. Noluisse, an dignum, volo inquirere. Dic mihi, Marcion, voluit Deus tuus cognosci se quocunque in tempore? anne alio proposito & descendit, & prædicauit, & passus resurrexit, quàm vti cognosceretur? Et sine dubio si cognitus est, voluit: nihil enim circa eum fieret, nisi voluisset. Quid ergo tantopere notitiam sui procurauit, vt in dedecore carnis exhiberetur; & quidem majore, si falsæ? Nam hoc
Deut. 21. 22. turpius, si & mentitus est substantiam corporis, qui & maledictum in se creatoris admisit, ligno suspensus. Quantò honestius per aliqua propriæ molitionis indicia cognitionem sui præstruxisset? maximè aduersus eum cognosci habens, apud quem ex operibus ab initio cognitus non erat. Nam & quale est, vt creator quidem ignorans esse alium super se Deum,
Esa. 44. 24. vt volunt Marcionitæ, qui solum se etiam jurans adseuerabat, tantis operibus notitiam sui armauerit, quam potuerat non ita curasse secundùm singularitatis suæ præsumptionem: ille autem sublimior, sciens inferiorem Deum tam instructum, nullam sibi prospexerit agnoscendo paraturam? quando etiam insigniora & superbiora opera debuisset condidisse, vt Deus ex operibus cognosceretur secundùm creatorem; & ex honestioribus, potior & ge-
CAP. XII. nerosior creatore. Ceterùm, etsi esse eum possemus confiteri, sine caussa esse eum deberemus argumentari. Sine caussa enim esset, qui rem non haberet: quia res, omnis causa est, vt sit aliquis cujus res sit. Porro, inquantum nihil oportet esse sine causa, id est sine re; quia si sine causa sit, perinde est atque si non sit, non habens rei causam, rem ipsam: in tantum Deum dignius credam non esse, quàm esse sine causa. Sine causa enim est, qui rem non habendo, non habet causam. Deus autem sine causa, id est sine re, esse non debet. Ita, quoties ostendo eum sine causa esse, tanquam sit, hoc constituo non esse illum: quia si fuisset, omnino sine causa non fuisset. Sic & ipsam fidem dico illum sine causa ab homine captare, aliter solito Deum credere ex operum auctoritate formatum, quia nihil tale prospexit, per quod homo Deum didicit. Nam etsi credunt plerique in illum, non statim ratione credunt, non habentes Dei pignus, opera eius Deo digna. Itaque hoc nomine cessationis & defectionis operum, & impudentiæ & malignitatis adfinis est: impudentiæ, qua fidem non debitam sibi captat, cui præstruendæ nihil prospexit: malignitatis, quâ plures incredulitatis reos fecit, nihil fidei procurando.

4. *Marcionis Deus infirmus, qui solummodo bonus est: aut si etiam seuerus juxta Paulum, de veteri lege Creatoris exempla recensentem, ea mendicat ab aduersario suo. 5. cont. Marc. cap. 7. circa f.*

Reliquum exitum populi decursurus, præmittit, [a] *Hæc autem exempla nobis sunt facta.* Dic mihi, à Creatore, alterius quidem ignoti Dei hominibus, exempla sunt facta? an alius Deus, ab alio mutuatur exempla, & quidem æmulo? De illo me terret sibi, à quo fidem meam transfert. Meliorem me illi aduersarius faciet? Iam si deliquero eadem quæ & populus, eademne passurus sum, an non? Atquin si non eadem, vanè mihi timenda proponit, quæ non sum passurus. Passurus autem à quo ero? Si à Creatore; qualia infligere ipsius est; & quale erit, vt peccatorem æmuli sui puniat magis, quàm è contrario foueat Deus zelotes? Si ab illo Deo: Atquin punire non nouit. Ita, tota ista propositio Apostoli nulla ratione consistit, si non ad disciplinam Creatoris est. Denique & in clausula, præfationi respondet. [b] *Hæc autem quemadmodum euenerunt illis, scripta sunt ad nos commonendos, in quos fines æuorum decucurrerunt.* O Creatorem & præscium jam & admonitorem alienorum Christianorum!

a 1. Cor. 10. 6.
ibid.
b ibid.

5. *Dei Marcionis non est donum aliquod exhibere; nec Christum sibi, vel Apostolum vindicare, qui nullum Prophetam habuit, per quem aliquid posset promittere 5. cont. Marc. cap. 8. in f. & 9. in p.*

Res ipsæ probare debebunt, quis nostrûm temerè Deo suo vindicet: & an nostræ parti possit opponi; hæc, & si Creator repromisit in suum Christum nondum reuelatum, vt Iudæis tantum destinatum, suas habitura in suo tempore, in suo Christo, & in suo populo operationes. Exhibeat itaque Marcion Dei sui dona, aliquos Prophetas, qui tamen non de humano sensu, sed de Dei spiritu sint locuti, qui & futura prænuntiarint, & cordis occulta traduxerint. Edat aliquem psalmum, aliquam visionem, aliquam orationem, dumtaxat spiritalem, in ecstasi, id est amentia, si qua linguæ interpretatio accessit. Probet mihi, etiam mulierem apud se prophetasse, ex illis suis sanctioribus feminis; magni ducam. Si hæc omnia facilius à me proferuntur, & vtique conspirantia regulis & dispositionibus & disciplinis Creatoris, sine dubio Dei mei erit Christus, & Spiritus & Apostolus. Habet professionem meam, qui voluerit eam exigere. Interim Marcionites nihil eiusmodi exhibebit, qui timet jam pronuntiare, cuius magis Christus nondum sit reuelatus. Sicut meus expectandus est, qui à primordio prædicatus est, illius idcirco non est, quia non à primordio sit. Melius nos credimus in Christum futurum, quàm hæreticus in nullum.

1. Cor. 14. 26.
Cap. IX.

6. *Marcionis Deus minor est Creatore nostro; cum maximum eius opus fuerit salus hominis, à Creatore facti. 1. cont. Marc. cap. 17. in p.*

His compressi, erumpunt dicere: Sufficit vnicum hoc opus Deo nostro, quod hominem liberauit summa & præcipua bonitate sua, & omnibus locustis anteponenda. O Deum majorem, cujus tam magnum opus non potuit inueniri, quàm in homine Dei minoris! Enimverò, prius est vt eum probes esse, per quæ Deum probari oportet; per opera; tunc deinde per beneficia. Primo enim quæritur, an sit; & ita, qualis sit. Alterum de operibus, alterum de beneficiis dinoscetur. Ceterùm, non quia liberasse dicitur hominem, ideo esse eum constat: sed si esse constiterit, tunc & liberasse dicetur; vt & an liberauerit constet; quia potuerit & esse, & non liberasse. Quomodo ergo, quia liberasse dicetur, etiam esse credetur? quum potuerit & esse, & non liberasse?

7. *Marcionis Deus defectu operum incognitus. 1. cont. Marc. cap. 17. in m.*

Nunc in isto articulo ab ignoti Dei quæstione deductis, satis constitit, tam nihil illum condidisse, quàm debuisse condidisse, vti cognosceretur ex operibus; quia si fuisset, cognosci debuisset; & vtique à primordio rerum. Deum enim non decuisset latuisse. Regrediar necesse est ad originem quæstionis Dei ignoti, vt ceteros quoque ramulos eius excutiam. Primò enim quæri oportebit, quî postea se protulerit in notitiam; cur postea, & non à primordio rerum? quibus vtique necessarius, quâ Deus, & quidem melior, quò necessarior, latere non debuit. Non enim potest dici non fuisse aut materiam, aut causam cognoscendi Deum, quum & homo à primordio esset in seculo, cui nunc subuenit; & malitia creatoris, aduersus quam vt bonus subuenit. Igitur aut ignorauit & causam & materiam suæ reuelationis necessariæ, aut dubitauit, aut non potuit, aut noluit. Omnia hæc Deo indigna, maximè optimo.

8. *Marcionis Deus stultè dicitur absconditus, cuius Christus lucernam vetat abscondi. 4. cont. Marc. cap. 19. à p.*

Luc. 8. 16. MIror autem quum lucernam negat abscondi solere, quî se tanto seculo absconderat majus, & necessarius lumen, quum omnia de occulto in apertum repromittit, qui Deum suum vsque adhuc obumbrat, expectans, opinor, nasci Marcionem.

9. *Marcionis Dei reuelatio sera, quasi ab Astris suspensa, illuditur, vt & ipse Marcion fictor Deorum. 1. cont. Marc. cap. 18. Per totum.*

PRocesserit, age, jam in notitiam quando voluit, quando potuit, quando hora fatalis aduenit. fortasse enim anabibazon ei obstabat, aut aliquæ maleficæ, aut Saturnus quadratus, aut Mars trigonus. Nam & Mathematici plurimum Marcionitæ: nec hoc erubescentes, de ipsis etiam stellis viuere creatoris. Tractandum & hîc de reuelationis qualitate, an dignè cognitus sit; vt constet an verè; & ita credatur esse, quem dignè constiterit reuelatum. digna enim Deo probabunt Deum. Nos definimus Deum, primò natura cognoscendum, dehinc doctrina recognoscendum: natura ex operibus, doctrina ex prædicationibus. Sed cui nulla natura est, naturalia instrumenta non suppetunt. Ergo vel prædicationibus reuelationem sui debuerat operari; maximè aduersus eum reuelandus, qui & conditionis, & prædicationis operibus tot ac tantis, vix tamen hominum fidem impleuerat. Quomodo itaque reuelatus est? Si per humanam conjecturam, nega Deum aliàs cognosci posse quàm per semetipsum: nec tantum ad formam prouocans creatoris, verum & ad conditionem tam diuinæ magnitudinis, quàm humanæ mediocritatis. ne major Deo homo videri possit, qui eum non vltro volentem cognosci, suis viribus quodammodo in publicum agnitionis extraxerit: quum humana mediocritas facilius deos fingere sibi norit secundùm totius æui experimenta, quàm verum sectari quem naturâ jam intelligunt. Alioquin, si sic homo Deum commentabitur, quomodo Romulus Consum, & Tatius Cloacinam, & Hostilius Pauorem, & Metellus Alburnum, & quidam ante hoc tempus Antinoum; hoc aliis licebit: nos Marcionem nauclerũ nouimus, non regem, nec imperatorem.

10. *Marcionis Deus latens, abscondita reuelare non potuit, sed solus Deus Creator. 4. cont. Marc. cap. 25. in p.*

a Luc. 10. 21. QVis Dominus cœli inuocabitur, qui non prius factor ostenditur? [a] *Gratias enim*, inquit, *ago, & confiteor, Domine cœli, quod ea quæ erant abscondita sapientibus & prudentibus, reuelaueris paruulis.* Quæ ista? & cuius? & à quo abscondita? & à quo reuelata? Si à Deo Marcionis abscondita & reuelata, qui omnino nihil præmiserat, in quo aliquid absconditum esse potuisset, non prophetias, non parabolas, non visiones, non vlla rerum, aut verborum, aut nominum argumenta, per allegorias & figuras, vel ænigmatum nebulas obumbrata; sed ipsam magnitudinem sui absconderat, quam cummaximè per Christum reuelabat, satis iniquè. Quid enim deliquerant sapientes & prudentes, vt absconderetur illis Deus? ad quem cognoscendum non suffecerat sapientia atque prudentia illorum, nulla via data ab ipso per aliquam operum prædicationem; vel vestigia, per quæ sapientes atq. prudentes deducerentur. Quamquam & si in aliquo deliquissent erga Deum ignotum, pone tunc notum; non tamen zelotem eum experiri debuissent, qui dissimilis Creatoris inducitur. Igitur si nec materias præmiserat, in quibus aliquid occultasset; nec reos habuerat, à quibus occultasset; nec debuerat occultasse, etiam si habuisset; jam nec reuelator ipse erit, qui absconditor non fuit: ita nec Dominus cœli, nec Pater Christi; sed ille, in quem competunt omnia.

11. *Marcionis Deus vt bonus probaretur, debuerat statim se prodere ex innata bonitate, ex qua malum Creatoris in homine apparuit. 1. cont. Marc. cap. 22. à p.*

QVum circumspicio tempora, nusquam est, à primordio materiarum, & introitu causarum, cum quibus debuerat inueniri exinde agens, quod agi habuit. Erat enim jam & mors, & aculeus mortis delictum, & ipsa malitia creatoris; aduersus quam subuenire deberet alterius Dei bonitas, primæ huic regulæ diuinæ bonitatis occurrens, si se naturalem probaret, statim succurrens, vt causa cepit. Omnia enim in Deo naturalia & ingenita esse debebunt, vt sint æterna, secundùm statum ipsius; ne obuenientia & extranea reputentur, ac per hoc, temporalia, & æternitatis aliena. Ita & bonitas perennis & jugis exigetur in Deo, quæ in thesauris naturalium proprietatum reposita & parata, antecederet causas & materias suas; & primam quamque susciperet, non despiceret & destitueret, si antecedebat. Denique, non minus & hîc quæram, cur non à primordio operata sit bonitas eius, quàm de ipso quæsiuimus, cur non à primordio sit reuelatus; Quidni? qui per bonitatem

reuelari haberet, si qui fuisset. Non posse quid, Deo non licet, nedum naturalibus suis fungi: quæ si continentur, quo minus currant, naturalia non erunt. Et otium enim sui natura non nouit. hinc censetur, si agat; sic, nec noluisse videbitur, exercere bonitatem interim naturæ nomine. Natura enim se non potest nolle, quæ se ita dirigit, vt si cessauerit, non sit. Sed cessauit aliquando in Deo Marcionis, de opere bonitas; Ergo non fuit naturalis bonitas, quæ potuit aliquando cessasse, quod naturalibus non licet. Et si non erit naturalis, jam nec æterna credenda, nec Deo par; quia non æterna; dum non naturalis: quæ denique nullam sui perpetuitatem, aut de præterito constituat, aut de futuro repromittat. Nam & à primordio non fuit, & in finem sine dubio non erit. Potest enim & non esse quandoque, sicut non fuit aliquando.

12. *Martionis Deus post tantum tempus subueniens homini, passioni, & mutationi subiectus probatur.* 1. *cont. Marc. cap.* 25. *in m.*

ECce enim hoc ipso quod retro quietus, qui nec notitiam sui aliquo interim opere curauerit, post tantum æui senserit in hominis salutem, vtique per voluntatem, nonne concussibilis tunc fuit nouæ voluntati, vt & ceteris motibus videatur obnoxius? Quæ autem voluntas sine concupiscentiæ stimulo est? Sed & cura accedet voluntati. Quis volet, quod non concupiscet? Quis enim volet quid & concupiscet, & non curabit? Igitur cum & voluit & concupiit in hominis salutem, jam & sibi & aliis negotium fecit, Epicuro nolente, consiliario Marcione. Nam & aduersarium sibi constituit, ipsum illud, aduersus quod & voluit, & concupiit & curauit, siue delictum, siue mortem: in primis ipsum arbitrum eorum, & dominum hominis creatorem. Porro, nihil sine æmulatione decurret, quod sine aduersario non erit. Denique volens, & concupiscens, & curans hominem liberare, hoc ipso jam æmulatur & eum à quo liberat; aduersus eum scilicet sibi liberaturus; & ea de quibus liberat, in alia liberaturus. Proinde enim æmulationi concurrant necesse est officiales suæ in ea quæ æmulatur, ira, discordia, odium, dedignatio, indignatio, bilis, nolentia, offensa. Hæc omnia, si æmulationi adsistunt, æmulatio autem liberando homini procurat; liberatio autem hominis, operatio bonitatis est, non poterit ea bonitas sine suis dotibus, id est, sine sensibus & affectibus, per quos administratur aduersus creatorem; ne sic quoque irrationalis proscribatur, si careat & sensibus & affectibus debitis.

13. *Marcionis Deus otiosus & vacans à beneficio præstando, defectuosus, malignus, & fautor mali à Creatore producti.* 1. *cont. Marc. cap.* 22. *à m.*

IGitur, cùm constet in primordio cessasse bonitatem Dei illius: (non enim à primordio liberauit hominem;) & voluntate potius eam, quàm infirmitate cessasse, jam voluntas suppressæ bonitatis, finis inuenietur malignitatis. Quid enim tam malignum, quàm nolle prodesse cùm possis? quàm vtilitatem cruciare? quàm iniuriam sinere? Totum denique creatoris elogium in illum rescribetur, qui sæuitias eius, bonitatis suæ morâ juuit. Nam in cuius manu est quid ne fiat, eius jam deputatur, cùm fit. Homo damnatur in mortem, ob vnius arbusculæ delibationem, & exinde proficiunt delicta cum pœnis; & pereunt jam omnes, qui paradisi nullum cespitem norunt. Et hoc melior aliqui Deus aut nescit, aut sustinet? Si vt ex hoc melior inueniretur quanto creator deterior haberetur, satis & in isto consilio malitiosus, qui & illum voluit oneratum operationibus eius admissis, & seculum in vexatione detinuit. Quid de tali medico judicabis, qui nutriat morbum morâ præsidij, & periculum extendat dilatione remedij, quo pretiosius aut famosius curet? Talis & in Deum Marcionis dicenda sententia est, mali permissorem, iniuriæ fautorem, gratiæ lenocinatorem, benignitatis præuaricatorem, quam non statim causæ suæ exhibuit. Planè, si natura bonus, exhibiturus, & non accessione: si ingenio optimus, & non disciplina: si ab æuo Deus, & non à Tiberio; immo (quod verius) à Cerdone & Marcione. Tiberio nunc Deus ille præstiterit, vt imperio eius diuina bonitas in terris dedicaretur.

14. *Marcionis Deus malus est, qui irrationaliter succurrit homini à Deo malo producto; & iniustus, qui sibi vendicat filium & seruum alienum, in Domini domo.* 1. *cont. Marc. cap.* 23. *à m. ad f.*

CÆterùm, qualis bonitas, quæ per iniuriam constat, & quidem pro extraneo? fortasse enim pro domestico aliquatenus rationalis habeatur bonitas iniuriosa. pro extraneo verò, cui nec proba legitimè deberetur, qua ratione, tam iniusta, rationalis defendetur? Quid enim iniustius, quid iniquius & improbius, quàm ita alieno benefacere seruo, vt Domino eripiatur, vt alij vindicetur, vt aduersus caput Domini subornetur, & quidem, quo indignius, in ipsa adhuc domo Domini, de ipsius adhuc horreis viuens, sub ipsius adhuc plagis tremens? Talis adsertor etiam damnaretur in sæculo, nedum plagiator. Non

aliter Deus Marcionis irrumpens in alienum mundum, eripiens Deo hominem, patri filium, educatori alumnum, Domino famulum; vt eum efficiat Deo impium, Patri irreligiosum, educatori ingratum, Domino nequam. Oro te, si rationalis bonitas talem facit, qualem faceret irrationalis? Non putem impudentiorem, quam qui in aliena aqua alij Deo tinguitur, ad alienum Cœlum alij Deo expanditur, in aliena terra alij Deo sternitur, super alienum panem alij Deo gratiarum actionibus fungitur, de alienis bonis, ob alium Deum nomine Eleemosynæ & dilectionis operatur. Quis iste Deus tam bonus, vt homo ab illo malus fiat? tam propitius, vt alium illi Deum, & Dominum quidem ipsius faciat iratum?

15. Marcionis Deus vanus & inconstans, qui desertores suos igni Creatoris addicit, & baptismo sanctificat carnem malam ab eodem factam. 1. *cont. Marc. cap.* 27. *in f. &* 28. *per totum.*

MVltò adhuc vanius, cùm interrogati, quid fiet peccatori cuique die illo? respondent, abjici illum quasi ab oculis. Nonne & hoc judicio agitur? judicatur enim abjiciendus, & vtique judicio damnationis: nisi si in salutem abjiciatur peccator, vt & hoc Deo optimo competat. Et quid erit abjici, nisi amittere id quod erat consecuturus, si non abjiceretur? id est salutem. Ergo salutis in detrimentum abjicietur: & hoc decerni non poterit nisi ab
CAP. XXVIII. irato, & offenso, & executore delicti, id est judice. Exitus autem illi abjecto quis? Ab igne, inquiunt, creatoris deprehendetur. Adeone nullum habet elementum, vel in hanc causam prouisum, quo peccatores suos vel sine sæuitia relêget, ne illos dedat creatori? Quid tunc creator? Credo sulphuratiorem eis gehennam præparabit, vt blasphemis suis scilicet: nisi
Exo.20.5. quod Deus zelotes fortassean desertoribus aduersarij sui parcat. O Deum vsquequaque peruersum, vbique irrationalem, in omnibus vanum, atque ita neminem: cuius non statum, non conditionem, non naturam, non vllum ordinem video consistere; jam nec ipsum fidei eius sacramentum. Cui enim rei baptisma quoque apud eum exigitur? Si remissio delictorum est, quomodo videbitur delicta dimittere, qui non videbitur retinere? quia retineret, si judicaret. Si absolutio mortis est, quomodo absolueret à morte, qui non deuinxit ad mortem? deuinxisset enim, si à primordio damnasset. Si regeneratio est hominis, quomodo regenerat, qui non generauit? Iteratio enim non competit ei, à quo quid nec semel factum est. Si consecutio est Spiritus sancti, quomodo spiritum adtribuet, qui animam non prius contulit? quia suffectura est quodammodo spiritus anima. Signat igitur hominem, nunquam apud se resignatum; lauat hominem, nunquam apud se coinquinatum; & in hoc totum salutis sacramentum carnem mergit exortem salutis. Nec rusticus terram rigabit, fructum non relaturam, nisi tam vanus, quàm Deus Marcionis. Proinde, cur tantam, siue sarcinam, siue gloriam, infirmissimæ, aut indignissimæ carni imponit sanctitatem? Quid dicam autem de disciplinæ vanitate qua sanctificat substantiam sanctam? Quid aut onerat infirmam, aut exornat indignam? Quid non salute remunerat, quam onerat vel exornat? Quid fraudat mercedem operis, non rependens carni salutem? Quid & honorem sanctitatis in illa mori patitur?

16. Marcionis Deus non est simpliciter bonus, qui suos reliquit sub flagellis temporalibus Creatoris. 1. *cont. Marc. cap.* 24. *in f.*

Gen.3.18. ERat & illud perfectæ bonitatis, vt homo liberatus in fidem Dei optimi, statim eximeretur de domicilio atque dominatu Dei sæui. At nunc & febricitas, ô Marcionita, & ceteros tribulos & spinas dolor carnis tuæ tibi edit; nec fulminibus tantum, aut bellis, & pestibus, alijsque plagis Creatoris, sed & scorpiis eius obiectus; in quo te putas liberatum de regno eius, cuius te muscæ adhuc calcant? Si de futuro erutus es, cur non & de præsenti, vt perfectè? Alia est nostra conditio, apud auctorem, apud judicem, apud offensum principem generis. Tu tantummodo bonum Deum præfers. non potes autem perfectè bonum ostendere, à quo non perfectè liberaris.

17. Marcionis Deus improbus, qui & paucos saluet, & ex eis solam animam, & non carnem; quam priuat nuptiis, Martyriis laniat, & tamen baptizat. 1. *cont. Marc. cap.* 24. *in p. ad circa f.*

a Matth. 6. 48. SEd Deus, sicut æternus & rationalis, ita opinor & perfectus in omnibus. [a] *Eritis enim perfecti, quemadmodum Pater vester qui in cœlis est.* Exhibe perfectam quoque bonitatem eius. Etsi de imperfecta satis constat, quæ neque naturalis inuenitur, neque rationalis, nunc & alio ordine traducetur: nec jam imperfecta, immo & defecta, exigua, & exhausta, minor numero materiarum suarum, quæ non in omnibus exhibetur. Non enim omnes salui fiunt sed pauciores omnibus & Iudæis & Christianis Creatoris. Pluribus verò pereuntibus, quomodo perfecta defenditur bonitas ex maiore parte cessatrix? paucis aliqua, plu-

ribus nulla, cedens perditioni, partiaria exitij? Quod si plures salui non erunt, erit jam non bonitas, sed malitia perfectior. Sicut enim bonitatis operatio est, quæ facit saluos: ita malignitatis, quæ non facit saluos. Magis autẽ non faciens saluos dum paucos facit, perfectior erit in non juuando, quàm juuando. Non poteris & in creatorem referre bonitatem, in omnes defectionem. Quem enim judicem tenes, dispensatorem si forte bonitatis ostendis intelligendum, non profusorem; quod Deo tuo vindicas. Vsque adeo hac sola eum præfert bonitate creatori; quam si solam profitetur & totam, nulli deesse debuerat. Sed nolo jam de parte maiore pereuntium perfectum bonitatis arguere Deum Marcionis: sufficit ipsos, quos saluos facit, imperfectæ salutis inuentos, imperfectam bonitatem eius ostendere: scilicet anima tenus saluos, carne deperditos, quæ apud illum non resurgit. Vnde hæc dimidiatio salutis, nisi ex defectione bonitatis? Quid enim tam perfectæ bonitatis, quàm totum hominem redigere in salutem, totùm damnatum à creatore, totum à Deo optimo allectum? Quod sciam, & caro tinguitur apud illum, & caro de nuptiis tollitur, & caro in confessione nominis desæuitur. Sed &, si carni delicta reputantur, præcedit animæ reatus, & culpæ principatus animæ potius adscribendus, cui caro ministri nomine occurrit. Carens denique anima caro, hactenus peccat. Ita & in hoc iniusta bonitas, & sic quoque imperfecta, innocentiorem substantiam relinquens in exitium, obsequio, non arbitrio delinquentem: cuius Christus etsi non induit veritatem, vt tuæ hæresi visum est, imaginem tamen eius subire dignatus est. Ipsum quod mentitus est illam, aliquid ei debuit debuisse. Quid est autem homo aliud quàm caro? si quidem nomen hominis, materia corporalis non animalis, ab auctore sortita est. [b] *Et fecit hominem Deus*, inquit, *limum de terra*; non animam. b Gen. 2. 7.
anima enim de adflatu. *Et factus est homo in animam viuam.* Quid? vtique qui de limo, [c] *Et posuit Deus hominem in paradiso*: quod finxit non quod flauit: qui caro nunc, non qui anima. c Gen. 2. 8.
Itaque si ita est, quo ore contendes perfectum bonitatis titulum, quæ non jam à partitione speciali hominis liberandi defecit, sed à proprietate generali? si plena est gratia & solida misericordia quæ soli animæ salutaris est, plus præstat hæc vita, qua toti & integri fruimur. Cæterùm, ex parte resurgere, multari erit, non liberari.

18. *Marcionis Deus carnem exhorrens, multomagis phantasma eius debuit auersari.* 3. *cont. Marc. cap.* 10. *in p. ad circa f.*

IGitur non admissus ad consortium exemplorum creatoris, vt alienorum, & suas habentium causas, velim edas & ipse consilium Dei tui, quo Christum suum non in veritate carnis exhibuit. Si aspernatus est illam, vt terrenam, &, vt dicitis, stercoribus infersam, cur non & simulacrum eius proinde despexit? nullius enim dedignandæ rei imago dignanda est. sequitur statum similitudo. Sed quomodo inter homines conuersaretur, nisi per imaginem substantiæ humanæ? Cur ergo non potius per veritatem? vt verè conuersaretur, si necesse habebat conuersari? quantò dignius necessitas fidem, quam stropham administrasset? Satis miserum Deum instituis, hoc ipso, quod Christum suum non potuit exhibere, nisi in indignæ rei effigie, & quidem alienæ. Aliquantis enim indignis conueniet vti, si nostris, sicut alienis non congruet vti, licet dignis. Cur enim non in aliqua alia digniore substantia venit, & in primis sua, ne & indigna & aliena videretur eguisse? Si creator meus per rubum quoque & ignem, idem postea per nubem & globum cum homine congressus est, & elementorum corporibus in repræsentationibus sui vsus est, satis hæc exempla diuinæ potestatis ostendunt, Deum non eguisse aut falsæ, aut etiam veræ carnis paratura. Exo. 3. 2. & 19. 16. & 24. 17.

19. *Marcionis spes in Deum suum vana* 3. *cont. Marc. cap.* 24. *in p.*

IMmo, inquis, spero ab illo (quod & ipsum faciat ad testimonium diuersitatis) regnum Dei æternæ & cœlestis possessionis. Ceterùm, vester Christus pristinum statum Iudæis pollicetur, ex restitutione terræ, &, post decursum vitæ, apud inferos in sinu Abrahæ refrigerium. Deum optimum! si reddit placatus, quod & abstulerat iratus. O Deum tuum qui & cædit & sanat, condit mala & facit pacem! O Deum etiam ad inferos vsque misericordem! Luc. 16. 22. Esa. 45. 7.

20. *Marcion post Cerdonem, duos Deos asserit, ex scriptura malè intellecta.* 1. *cont. Marc. cap.* 2. *per totum.*

DVos Ponticus deos adfert, tanquam duas symplegadas naufragij sui: quem negare non potuit, id est, creatorem, id est nostrum; & quem probare non poterit, id est suum: passus infelix huius præsumptionis instinctum, de simplici capitulo Dominicæ pronuntiationis, in homines non in deos disponentis exempla illa bonæ & malæ arboris, quod neque bona malos, neque mala bonos proferat fructus: id est, neque mens vel fides bona, malas edat operas, neque mala bonas. Languens enim (quod & nunc multi, & maximè Luc. 6. 43. Matth. 7. 17.

hæretici) circa mali quæstionem. Vnde malum? & obtusis sensibus ipsa enormitate curiositatis, inueniens creatorem pronuntiantem, [a] *Ego sum qui condo mala*; quantò ipsum præsumpserat mali auctorem, & ex aliis argumentis, quæ ita persuadent peruerso cuique, tantò in creatorem interpretatus malam arborem malos fructus condentem, scilicet mala, alium Deum præsumpsit esse debere in partem bonæ arboris bonos fructus. Et ita in Christo quasi aliam inueniens dispositionem, solius & puræ benignitatis, vt diuersæ à creatore, facile nouam & hospitam argumentatus est diuinitatem in Christo suo reuelatam, modicoque exinde fermento totam fidei massam hæretico acore decepit. Habuit & Cerdonem quendam, informatorem scandali huius. Quo facilius duos deos cæci perspexisse se existimauerunt. Vnum enim non integrè viderant. Lippientibus, etiam singularis lucerna numerosa est. Alterum igitur deum, quem confiteri cogebatur, de malo infamando, destruxit: alterum, quem commentari connitebatur, de bono præferendo construxit.

a Esa. 45. 7. Math. 7. 17. 1. Cor. 5. 6.

21. *Marcionis opus proprium, est separatio Euangelij à Testamento veteri: Ex quorum contrarietate ficta, duos Deos asseruit. 1. cont. Marc. cap. 19. à. m. ad f.*

SEparatio Legis & Euangelij, proprium & principale opus est Marcionis: nec poterunt negare discipuli eius, quod in summo instrumento habent, quo denique initiantur, & indurantur in hanc hæresin. Nam hæ sunt antitheses Marcionis, id est, contrariæ oppositiones; quæ conantur discordiam Euangelij cum Lege committere, vt ex diuersitate sententiarum vtriusque instrumenti, diuersitatem quoque argumententur deorum. Igitur, quum ea separatio Legis & Euangelij, ipsa sit quæ alium Deum Euangelij insinuauerit, aduersus Deum Legis; apparet ante eam separationem, Deum in notitia non fuisse, qui ab argumento separationis innotuit: atque ita non à Christo reuelatum, qui fuit ante separationem; sed à Marcione commentatum, qui instituit separationem aduersus Euangelij Legisque pacem, quam retro illæsam & inconcussam, ab apparentia Christi, vsque ad audaciam Marcionis, illa vtique ratio seruauit, quæ non alium Deum & Legis & Euangelij tuebatur, præter creatorem; aduersus quem tanto pòst tempore separatio à Pontico immissa est.

22. *Marcion nouem Deos, & non jam duos admittere cogitur. 1. cont. Marc. cap. 15. per totum.*

POst hæc, vel ante hæc, quum dixeris esse & illi conditionem suam, & suum mundum, & suum cœlum; de cœlo quidem illo tertio videbimus, si & ad Apostolum vestrum discutiendum peruenerimus; interim, quæcunque substantia est, cum suo vtique Deo apparuisse debuerat. At nunc quale est vt Dominus à XII. Tiberij Cæsaris reuelatus sit, substantia verò ad decimum quintum jam Seueri Imperatoris, nulla omnino comperta sit, quæ friuolis creatoris præcellens vtique latere desisset, non latente jam Domino suo & auctore? Et ideo si ipsa non potuit manifestari in hoc mundo, quomodo Dominus paruit eius in hoc mundo? Si Dominum cepit hic mundus, cur substantiam capere non potuit, nisi Domino fortasse maiorem? Iam nunc de loco quæstio est, pertinens & ad mundum illum superiorem, & ad ipsum Deum eius. Ecce enim, si & ille habet mundum suum infra se, supra creatorem, in loco vtique fecit eum, cuius spatium vacabat inter pedes suos, & caput creatoris. Ergo & Deus ipse in loco erat; & mundum in loco faciebat; & erit jam locus ille maior & Deo & mundo. Nihil enim non maius est, id quod capit, eo quod capitur. & videndum, ne qua adhuc illic vacent subsiciua, in quib. & tertius aliqui stipare Deus secum mundo suo possit. Ergo jam incipe deos computare. Erit enim & locus, Deus; non tantum quà Deo maior: sed & quà innatus, & infectus; ac per hoc, æternus, & Deo par; in quo semper Deus fuerit. Dehinc, si & ille mundum ex aliqua materia subiacente molitus est, innata, & infecta, & contemporali Deo, quemadmodum & de creatore Marcion sentit, redigis & hoc ad maiestatem loci, qui & Deum & materiam, duos Deos, clusit. Et materia enim Deus, secundùm formam diuinitatis; innata scilicet, & infecta, & æterna. Aut si de nihilo molitus est mundum, hoc & de creatore sentire cogetur, cui materiam subjicit in substantia mundi. Sed ex materia & ille fecisse debebit; eadem ratione occurrente illi quoque Deo, quæ opponeretur creatori, vt æque Deo. Atque ita tres interim mihi deos numera Marcionis, Factorem, & Locum, & Materiam. Proinde & creatorem in loco facit; vtique eadem conditione censendo; & materiam ei subjicit, vtiq. innatam & infectam, & hoc nomine æternam, vt Domino. Amplius, & Malum materiæ deputans, innatum innatæ, infectum infectæ, & æternum æternæ, quartum jam hinc Deum fecit. Habes igitur in superioribus tres substantias diuinitatis; in inferioribus, quatuor. His quum accedunt & sui Christi; alter qui apparuit sub Tiberio; alter qui à creatore promittitur, manifestam jam fraudem Marcion patitur ab eis, qui duos illum deos inferre præsumunt, quum nouem assignet, licet nesciens.

MARCIONIS DEVS. 1. 2. 3. 4. & seq. SCHOL.

STVPOREM SVVM. Vtitur & hac voce de cultu A mulierum, vbi de lapillis: solum mulierum stuporem ædificare nouerunt. Admiratio porro & stupor de rebus nouis & prius inauditis & incognitis oritur. Sic superbia erecto collo stupidi & stupentes proponunt Deum nouum, admirabilis bonitatis, absque vlla admixtione justitiæ; sed miri stuporis & negligentiæ, qui tot annorum millibus otio languenti torpuerit, nil operans. VANAM, ob vanam gloriam. VETERE DEO. Hic apud Danielem antiquus dierum. NEMINEM, prorsus nullum. IGNORANTIA, &c. Antiquitus ignoratum, & antehac semper ignotum. QVIDAM IESVS. Loquitur de Christo Marcionis repentino, & subito de cælo lapso in Synagogam. IN VETERIBVS, &c. in Cyro Christo dicto, Dauid, Regibus & Pontificibus vnctis. In Iesu Naue, B Syrach, & Iosedech, figuratus. NOVVS. Quia nouum prorsus, & non in veteri lege figuratum vult Marcion. GRATIAS, &c. quia gratiam nobis præstitere Marcionitæ, arma præbendo contra se, cum de nouo Deo gloriantur: De hac enim ipsa eorum gloria triumphabimus, & eos ad hæresim suam fatendam compellemus, quod veteri fidei Dei antiqui aduersetur noua diuinitatis professio. Noui recentesque venerunt, quos non cognouerunt Patres eorum. NOVO TITVLO, nomine diuinitati imposito. NE SATVRNVM QVIDEM, &c. quamuis antiquum & summi Iouis Patrem. NEC DE SVA, &c. sed ex veritate semper eadem & immutabili manente. CENSETVR, æstimatur. Cæterùm Deus, α & ω, principium & finis, primus & nouissimus; & Pater C ab æterno, vt & nunc dicit: ego hodie genui te. Et Paulus de Christo: Iesus Christus heri & hodie, ipse & in sæcula.

2. EXPONI, probari, & ostendi. DISCIPLINAM, legem, mandata, doctrinam. QVIA; vt, vel, supple, oportet vt præstet; vel Dei est authoritatem præstare disciplinæ. PERVERSAS, præposteras & inuersi ordinis.

3. TOTVM HOC, vniuersum, cælum & terram. HOC IPSO. Si enim ab effectis causa cognoscitur & creditur, Deum Marcionis verum esse quis credat, qui nihil fecit. CESSAT, tertia ratio dari non potest. ANNE. an, nonne? QVOCVMQVE, quocumque tandem tempore, hoc scilicet extremo, cum prius prorsus incognitus fuerit. VTI, vt. CREATORIS. In lege sancitum veteri ad D Creatorem pertinente, Deut. 21. 22. maledictus omnis qui pendet in ligno. MOLITIONIS, operationis. SOLVM SE, &c. Esa. 44. 24. vulgata: hæc dicit Dominus redemptor tuus, & formator tuus ex vtero. Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, & nullus mecum. 70. Extendi cœlum solus, & firmaui terram. Sed cum hic non iuret, sed Esa. 45. 21. 22. 23. huc magis respexit author: Numquid non ego Dominus & non est vltra Deus absque me? Deus justus, & saluans non est præter me, &c. in memetipso juraui, &c. 70. Ego sum Deus, & non est alius. Per memetipsum juro. ARMAVERIT, munierit, probauerit tot creationis & gubernationis operibus se vnicum Deum esse. SINGVLARITATIS. E Quasi securus se solum Deum esse, nec ab æquali, multominus à superiore Deo quidquam regno suo timens. SVBLIMIOR, Deus Marcionis. INSTRVCTVM, munitum, armatum. PARATVRAM, apparatum operum & creaturarum, quibus sibi agnoscendo, fidem hominum præpararet. SECVNDVM CREATOREM, vt Creator præparauerat sibi, vel ex Zelo aduersarij sui Dei Creatoris. QVI REM, &c. opus, creaturam, quam à se conditam sua prouidentia gubernaret. Qui enim sine opere est, sine causa & frustra est. Vel SINE CAVSA; id est qui non causas & producit, vt causa prima efficiens rerum omnium, frustra nomen Dei sibi arrogat, & exigit cultum à creaturis, quas ipse non fecit. HOC CONSTITVO. Eo ipso censeo. FORMATVM. Quasi Deus sit informis, siue monstrum diuinitatis imperfectæ, cui ab exordio temporis deest operum productio, quæ benè formatum, plenum & integrum probent Deum opificem. DIDICIT homo per demonstrationem à posteriori, per effectus Deum esse cognouit. Rom. 1. Inuisibilia Dei a creatura mundi nobilissima, scilicet homine, qui dicitur omnis creatura, & hoc quod continet omnia per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, &c. PLERIQVE, Marcionitæ irrationales & bruti. IN ILLVM Deum nouum. DEI PIGNVS, oppignerauit enim Deus verus nobis fidem potentiæ suæ, aliorumque attributorum, per exhibitionem operum suorum. ADFINIS, Deus Marcionis impudentiæ & malignitati proximus, exigens fidem ab homine, cui nullum opus potentiæ suæ credibile produxit. Malignus item, quia plures à fide Marcionis auersos, facit incredulos, eo ipso, quod nihil fide dignum hactenus otio torpens & languidus produxerit.

4. DECVRSVRVS, Paulus Hebræi populi exitum ab Ægypto, & exitium incredulitati debitum enarraturus. Hæc autem 1. Cor. 10. 6. Hæc autem in figura facta sunt nostri. Et rursum Hebr. 4. 11. Vt ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. Syr. expressius: ne quis eodem concidat exemplo quo ij qui non crediderunt. ALTERIVS, Dei Marcionis. AB ILLO, Deo Creatore æmulo suo exempla sumis, quibus me sibi faciat seruum tremebundum. TRANSFERT, auertit, vt in se transferat. MELIOREM, seruum obsequentiorem. EADEM, peccata admisero, quæ populus Israël. PECCATOREM ÆMVLI. Peccantem in Deum Marcionis aduersariumque suum. AB ILLO, Deo Marcionis. NON NOVIT. Quia Marcion eum solius bonitatis, & nullius vindictæ Deum facit. EST, relata ad Deum Creatorem, vltorem, & authorem veteris Testamenti. CLAVSVLA finis huius narrationis, respondet initio. HÆC AVTEM. 1. Cor. 10. 11. hæc autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum deuenerunt. Id est lex vltima gratiæ. ALIENORVM, pertinentium ad Deum Marcionis, quos præmonuisse, stultum est credere, nihil ad se pertinentes.

5. RES IPSÆ, rerum euentus. QVIS NOSTRVM, &c. an Marcionitæ, an Iudæi, an Christiani, temerè dona spiritalia suo quique Deo accepta tribuant. HÆC. Dona scilicet, si Deus creator promisit ob meritum Christi sui, pleni doni Spiritus sancti, quem Iudæi sibi tantum à Deo Creatore destinatum, necdum in gloria quam expectant, reuelatum blandiuntur; quæ quidem dona sunt habitura suas operationes & manifestationes in suo Christo, & in suo Iudaico populo, & tempore à Deo constituto. TRADVXERINT, aperuerint, & tenebris cordis eruerint. AMENTIA. Sic ferè semper vocat ecstasin, quod furore quodam Sybillino extra se, vel supra se elata mente diuina eructarent oracula. HABET, &c. nullo exigente, vltro fidei meæ professionem facio. NONDVM REVELATVS, quia nullis vmbris figuris, Propheticis oraculis prius velatus & promissus. MEVS EXPECTANDVS. Non hæc dicit Iudæorum sensu, qui Christum nondum venisse dicunt, & venturum expectant. Vult enim dicere expectari debuisse antequam venisset, qui venturus fuerat Prophetatus, qualis venisse probatur. ILLIVS, Marcionis. A PRIMORDIO, à tempore legis veteris prædictus. MELIVS, &c. si quæ fides, præter nostram, tolerabilis esset, melior esset fides Iudæi expectantis Christum Prophetatum, quam Marcionitæ, qui nullum habet Christum in quem credat; cuius & carnem & passionem phantasticam, & opera proinde imaginaria & nulla credit.

6. OMNIBVS LOCVSTIS. Iudaeis Marcionem infidel

tantum Creatori, quod sit conditor locustarum, & quod vna hominis redemptio Dei sui mera bonitate procurata, longè excedat opera omnia Creatoris. DEI MINORIS, scilicet Creatoris. QVOMODO ERGO, &c. quasi diceret, probanda tibi est primum, ô Marcion, Dei tui existentia, potius ex hominis creatione, quam ex eiusdem liberatione.

7. QVI, quomodo. QVIBVS, rebus scilicet, MAXIME OPTIMO, qualem suum fingit Marcion. Cætera per se plana expositione non indigent. MALITIA CREATORIS, à primordio scilicet erat sufficiens causa, cui jam tum subuenire debebat Deus Marcionis.

8. LVCERNAM, &c. Luc. 8. 16. Nemo lucernam accendens, operit eam vase, aut subtus lectum ponit, sed supra candelabrum ponit, vt intrantes videant lumen. QVI, quomodo, TANTO SÆCVLO, tamdiu ab initio mundi vsque ad Christi aduentum. OMNIA DE OCCVLTO, &c. sic subiicit supra dictis Luc. 8. 17. Non est occultum quod non manifestetur: nec absconditum, quod non cognoscatur, & in palam veniat. VSQVE ADHVC, vsque ad Christi aduentum. OBVMBRAT, abscondit Deum suum. EXPECTANS, ironicè dictum. Expectabat scilicet Marcionis ortum, qui nouus Apostolus, latentis prius Dei mysterium reuelaret.

9. AGE. Dic, si lubet, Deum tuum, notitiam sui hominibus exhibuisse. QVANDO POTVIT. Carpit Marcionitas Astrologiæ studiosos, & fato credentes. ANABIBAZON est ascendens planeta, conceptui, vel natali præsidens. MALEFICÆ, sagæ conceptum & partum impedientes & sortilegiis artibus remorantes, urgentes, abortus procurantes. QVADRATVS, &c. Astronomi horum astrorum aspectus hac figura dispositos, conceptum vel ortum alicuius spectantes, infaustos dictitant. STELLIS CREATORIS. Pudeat Marcionitas aduersarios Dei Creatoris ab stellis ab eo creatis pendere. CVI NVLLA NATVRA, qui omnino non est. Vel qui nullam naturam condidit, nulla propria instrumenta & probationes habet, quibus se ex operibus Deum esse conuincat. CONDITIONIS, creaturæ conditæ. PRÆDICATIONIS, Prophetiæ. Quod torquet in Marcionitas Prophetias veteris Testamenti respuentes. FIDEM IMPLEVERAT. Plenam sibi apud homines fidem vix conciliauerat. NEGA, tanta tibi impudentia non erit, vt dicas aliter Deum cognosci posse, quam via & modo, quo ipse summus omnium arbiter sciri & cognosci ab hominibus voluerit. Si enim à conjectura & pro hominum libito, quasi violenter & tenebris expressa fuerit cognitio Dei latere volentis & non sponte seipsum prodentis, homo Deo maior erit; quod tam maiestati Dei, quam humanæ infirmitati repugnat. AD FORMAM, &c. non tantum prouoco te, vt probes mihi Deum tuum per opera & Prophetias suas, sicut meum verum esse conuinco; sed & tuam amentiam arguo, quod Deum tuum magnum humanæ pusillitati & voluntati subjicias. COMMENTABITVR, finget, fabulabitur. CONSVM. Aug. lib. 4. de Ciuit. c. 11. Ipse sit & Deus Consus præbens consilia. S. Aug. Eius Ara sub terra occulta, vnde & Consus quasi absconsus; à quo consilium Romulus sumpsit in difficultate coniugiorum pro rapiendis Sabinis. Certè ex Platone consilium non tantum res sacra est, sed occulta quoque esse debet. Aptè Tertul. alludens ad Deum Marcionis tamdiu absconsum. Et aduerte Cloacinam & Pauorem plebeia & vilia nomina eligere, & Antinoum seruum Adriani Imperatoris, vt confundat maiestatem Dei Marcionis. ALBVRNVM. Vel montem Lucaniæ, vel portum huius nominis ibidem, vel nobilem declamatorem alium non legi. HOC ALIIS, &c. argutè pungit Marcionem; quod licet ridiculi sint Gentiles colentes Deos pro libito factos ab hominibus, tamen ab Imperatoribus & Consulibus consecratos; Marcion Nauclerus Ponticus vilissimæ sortis homuncio id sibi juris arrogare non debeat.

10. PRIVS FACTOR, quasi diceret, ô Marcion, tu qui Lucæ Euangelium admittis, quid dicis, cum Christum, quem tibi vsurpas, audis orantem Dominum cœli & terræ? quis verè ac propriè Dominus eius, quam qui Creator eius est? GRATIAS. Luc. 10. 21. Confiteor tibi Pater (Syr. addit, mi) Domine cœli & terræ, quod abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Syr. habet: Infantibus. NIHIL PRÆMISERAT. Prius posuerat extra causas, creauerat, prophetauerat. SATIS INIQVE. Quanta iniquitas in Deo Marcionis, vt se absconderet sapientibus sæculi? qui ob peccatum ignorantiæ affectatæ puniri non debuerunt, quia ignorantia inuincibili laborabant; cum non possent vel ex operibus eius præcedentibus, vel Prophetiis, ad eius cognitionem peruenire? PONE, esto, suppone tum cognitum, vel postea notum. ZELOTEM, Cum Deus Creator in veteri lege zelotes vocetur & vindex; Deus Marcionis eius aduersarius, zelo & vindicta contra se ignorantes vti non debuit, vt eis sui cognitionem, paruulis infusam, subduceret. MATERIAS, creaturas & opera. NEC REOS. Præfatos sapientes, à quibus absconderet. NEC REVELATOR, de quo Christus, reuelasti ea paruulis. SED ILLE Deus noster Creator. IN QVEM, cui dicta omnia à Christo conueniunt.

11. CVM TEMPORA, &c. si Deus Marcionis verus Deus, & verè bonus esset, vt fingitur, tamdiu differre non debuerat opem ferre homini: sed cum tempus succurrendi perpendo, & ab initio mundi, materiam fuisse & causam subueniendi homini, morti à Creatore damnato, ob peccatum, mortis aculeum, lingua serpentis exacutum, &c. NVSQVAM EST. Non apparet auxiliator Deus ille bonus; qui si fuisset, jam tum videri debebat AGENS, operans, quod agendum erat, vel impediendo tentatorem, vel statim remedium lapso porrigendo. OCCVRRENS, id est agens secundum regulam, qua vera Dei bonitas agnoscitur, videlicet si prompta, vt naturalis & æterna, & malum omne temporale præcurrens, vel statim vt malum ortum est, ei medelam afferens. NEDVM, &c. multò magis dedecet Deum, non posse suis proprietatibus naturalibus vti. CENSETVR æstimatur, esse cognoscitur ex actione. Vnde Augustinus de Deo, ait; semper agens. S. Aug. Et Salomon: omnibus mobilibus mobilior sapientia. NEC NOLVISSE. Duplex negatio. quasi diceret; interea, si Deus est, in quantum natura aliqua est, certè vel ex hoc nomine, quod nil in rerum natura vacat, bonitatem suam Deus exercere debuit & aliquid facere. SIC NEC NOLVISSE, sic nec interea congruum videbitur Deo bono, saltem in quantum natura est essentialiter actiua, noluisse exercere bonitatem suam, & eam operibus declarare. DE OPERE, ab opere, id est otiosa fuit, nil produxit bonitas Dei Marcionis.

12. RETRO QVIETVS, otiosus: priusquam reuelaretur nouellus hic Deus, cessauit ab omni opere, nil condidit. TANTVM ÆVI, post tot sæcula. SENSERIT, motus fuerit compassione humanæ salutis. PER VOLVNTATEM, bona in hominem voluntate commotus, & in Deum Creatorem hominis zelo aliquo perturbante excitatus. CONCVSSIBILIS, noua voluntate mobilis & ei obtemperans. MOTIBVS, passionibus. CVRA, sollicita scilicet.

13. CESSASSE. Non quidem ab opere condito, sicut Deus Creator septimo die requieuit ab omni opere, quod patrarat; sed nihil omnino produxisse, quo suam erga hominem panderet bonitatem. FINIS, extremum consummatæ malignitatis. CRVCIARE, quasi Cruci affixam bonitatem vi continere, ne in vtilitatem hominis sponte erumpens, effundatur. ELOGIVM. nota infamiæ quam Creatori impingit Marcion, in eius Deum retorquebitur. CESPITEM. Cespes, siue Cæspes, terra cum herba auulsa & in modum lateris cæsa. MELIOR, Deus Marcionis. ALIQVI. frequenter sumit, pro aliquis. ONERATVM. permisit onerari. PRETIOSIVS, ob chariora remedia adhibenda. CAVSÆ, occasioni, necessitati vrgenti. ACCESSIONE, temporis & occasionis bonus. DISCIPLINA, arte

& studio. A TIBERIO, *sub quo Christum è Cœlo lapsum, Cerdon Magister, & Marcion eius discipulus inducunt.* DEVS ILLE. *Esto, Deus Marcionis hanc Tiberio gratiam dederit, vt sub eius imperio, eo jubente, cognita sua bonitas, sacrificiis cœpta sit coli, nouellus perinde Deus erit.*

14. CONSTAT. *Est, subsistit, se prodit.* EXTRANEO, *homine condito ab alio Deo.* PROBA, *bonitas scilicet.* ALII VINDICETVR, *alteri Domino adiudicetur.* TINGVITVR, *baptizatur, vt sit eius fidelis.* EXPANDITVR, *Cœlum versus orans expansis manibus.* DILECTIONIS, *Agapes & conuiuia Charitatis pauperibus exhibita respicit.* OPERATVR, *opera misericordiæ exercet. Pulchrè hæc omnia torquet in Deum Marcionis, qui hominem Deo & Domino Creatori proprium & naturalem seruum & vernaculum surripuit, quem omnibus creaturis corporeis ad vsus sacros & communes contra Creatorem vult abuti, transferens omnia in cultum suum. Quis post tantam malitiam & iniustitiam, bonum hunc Deum credat?*

15. INTERROGATI, *Marcionitæ scilicet.* DIE ILLO, *judicij.* ABIICI, &c. *vt indignum Dei aspectu.* NISI SI, *nisi fortè dicant.* DEO OPTIMO, *scilicet Marcionis.* EXECVTORE, *vindice minas suas exequente & implente.* DEPREHENDETVR, *susceptus corripietur.* HABET, *Deus Marcionis adeone pauper &c.* DEDAT CREATORI, *subiiciat elemento à Creatore condito.* QVID? *supple, aget* SVLPHVRATIOREM, *grauecolentiorem fœtentiori sulphure. Alludit ad stagnum ignis & sulphuris à Ioanne descriptum in Apoc.* FORTASSEAN *forsitan.* ZELOTES, *Creator sic dictus in veteri Testamento, justa in æmulum Deum Marcionis vindicta motus, parcat peccatoribus in eundem Deum, quod ab eo recesserint.* NEMINEM, *prorsus nullum.* FIDEI SACRAMENTVM. *Baptismum quo fides infunditur, & eadem solemni Sacramento & jusjurando, vel ab adulto ore proprio, vel ab infante sponsoris ore præstatur.* SI IVDICARET, *puniret. Eiusdem enim est retinere, siue punire peccata, cuius est remittere.* SVFFECTVRA. *Complementum, perfectio, vel substitutio. Vt enim generationem præmisit regenerationi, sic collationem animæ, spiritui: vt prius sit juxta Paulum, animale, quam spiritale. Vel respicit primam hominis formationem in qua dictum est primo:* Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, *Et postea subiicit quasi suffecturam & complementum spiritus siue spiraculi, animam:* Et factus est homo in animam viuentem. RESIGNATVM. *Sic alibi luciferum dixit,* resignaculum similitudinis. *Quasi homo peccando, cor prius Deo signatum, sacratum, similitudine gratiæ sigillatum, aperuerit Diabolo.* APVD SE, *Deum scilicet Marcionis, qui nullum primo homini esum ligni sub pœna peccati & mortis interdixit.* EXORTEM. *Extra sortem gloriæ resurrectionis, Marcion eiicit carnem tanquam malam.* TOTVM SALVTIS, &c. *Sine quo nemo saluari potest. Io. 3.* Nisi quis renatus fuerit &c. SANCTITATEM, *aptè juxta principia Marcionis, omnem baptismi sanctitatem, vocat sarcinam carnis, quod vanum sit & inutile pondus, & obligatio imposita illius suscipiendi.* SVBSTANTIAM SANCTAM, *animam scilicet, quam Marcion sanctam, vt à Deo bono & sancto conditam. Frustra autem jubet lex Dei & Christi Marcionis, eam sanctificari, si jam sancta est.* INFIRMAM, *carnem intelligit.* ONERAT. *obligatione baptismi.* EXORNAT, *gratia sanctificante.* FRAVDAT, *carnem justo præmio resurrectionis ad gloriam, vel pœnam, per quam anima benè, vel malè operata est.* HONOREM, &c. *quo donatur, dum baptizatur caro.* MORI PATITVR, *dum post mortem, nulla ei in resurrectione pars honoris.*

16. IN FIDEM, *per fidem. Vel vt crederet Deo optimo Marcionis.* DOMICILIO, *mundo.* DEI SÆVI, *Creatoris judicis.* SCORPIIS, *non tantum magnis, & Deo judice terribili dignis plagis, sed & reptilibus immundis subiicitis.* DE FVTVRO. *malis æternis post hanc vitam.* PRINCIPEM, *Creatorem generis humani.*

17. ERITIS. *Sic ex Græco perfectè extulit. Matth. 6. 48.* Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester Cœlestis (*Syr. qui est in Cœlis*) perfectus est. TRADVCETVR, *palam triumphatus conuincetur.* DEFECTA, *deficiens.* NVMERO MATERIARVM, *minor erit numero hominum erga quos vt propriam materiam & obiectum debuit exerceri, si omnes non saluet.* PAVCIORES &c. *Cum longè multò sint plures Gentiles omnino non credentes in Deum, quàm Iudæi & Christiani Deum Creatorem agnoscentes, qui respectu Gentilium,* pusillus grex, pauci electi, *à Christo vocantur: & multò adhuc istis pauciores sint Dei boni Marcionis cultores, dicat Marcion, in quo bonitas Dei sui summa luceat, cum multò plures in perditione reliquerit quàm ad suam notitiam perduxerit; an non maior ejus malitia & seueritas quam bonitas?* PARTIARIA. *Diabolo fauens, & partes aduersas sustinens, ruinæ humanæ causatrices.* NON POTERIS, &c. *Nec retorquere poteris, in nostrum* Deum *Creatorem, similem eius, ridiculam bonitatem: Nec dices eum deficere circa omnes penè, cum pauci etiam sint electi eius. Cum enim ideo eum respuas, quia judicem credis, certè si judex est, necesse est, vt justè dispenset, & non prodigè effundat suam, vt tuus* Deus *prodigus, bonitatem.* IMPERFECTVM. *Imperfectæ bonitatis, vel, in bonitate imperfectum.* ALLECTVM, *ad suam gloriam assumptum participem; vt anima eius clara visione, caro suscitata, immortalitate fruatur.* TINGVITVR, *baptizatur.* DE NVPTIIS, *nubere prohibetur* IN CONFESSIONE, *Martyrio pro Christi & Christiani nomine.* DESÆVITVR, *pro, desæuitur in carnem.* REPVTANTVR, *imputantur.* PRINCIPATVS, *principaliter enim anima peccat, cuius voluntas principium est peccati.* OCCVRRIT, *id est seruit vt ancilla & ministra. Et scitè dictum, quia post lapsum Adæ, vltro caro sensualibus implendis occurrit anima vt seruiat peccato.* HACTENVS PECCAT. *vsque huc, vel cessat peccare.* IMAGINEM, *phantasma, apparentiam.* IPSVM, *eo ipso.* ALIVD, *non quod homo non sit formalius rationalis, quàm carnalis: sed quia homo ab humo. sic Scriptura:* non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. NOMEN, *homini prius inditum à* Deo *Corpori de limo formato; cum homo fuerit animalis factus, afflatu diuino, spiritum ei & animam rationalem infundente.* FECIT HOMINEM *Gen. 2. 7.* Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. 70. Et finxit Deus hominem puluerem de terra, & insufflauit in faciem eius flatum vitæ, &c. QVOD FINXIT. *vulgata Gen. 2. 15.* Tulit ergo Dominus Deus hominem. 70. *soli habent* quem fecit, & posuit eum in paradiso deliciarum. *Non quod homo inanimis translatus sit in paradisum; sed respicit limum, de quo factus est homo, id est caro hominis.* NVNC, *jam, tunc, vel ex eo quod dicitur,* quod finxit. *Non enim anima de limo, sed nihilo, per* Dei *afflatum producta est.* SPECIALI, *parte specificante hominem, ratione scilicet eum à cæteris animalibus discernente.* DEFECIT, *bonitas* Dei *Marcionis, quia non omnes animas à peccato & morte æterna liberauit.* PROPRIETATE *generali, qua omnes propriè homines ab humo dicti, caro sunt; & hanc carnem vt* Deus *Marcionis non condidit, sic nec saluti æternæ id est resurrectioni & immortalitati destinauit.* SI PLENA &c. *Si integram bonitatem* Deo *tuo tribuis Marcion, qui solas Animas saluat, plus nobis in hac miseriæ valle collatum est à* Deo *nostro, quem tu malum censes; quia eius beneficio, tota vita plena, anima simul & carne viuente fruimur, quàm* Deus *tuus bonus suis præstet in beata vita; in qua sola anima viuit; carne in æternum mortua.* MVLTARI, *vna parte priuari.* LIBERARI, *non plenè saluari.*

18. AD CONSORTIVM &c. *quia Marcion reiicit vetus Testamentum, in quo exempla, figuræ, & prophetiæ futuri Christi, & carnis eius veræ exprimuntur.* INFERSAM *plenam.* SEQVITVR. *Imago & similitudo, statui & nau*

turæ rei respondere debet. SED QVOMODO *&c. Inducit Marcionem loquentem; aliter non potuisse conuersari Christum suum cum hominibus, nisi carnis similitudinem & phantasma hominis induisset.* CVR ERGO, *&c. obiicit Tertull. Marcioni, cur non potius, & melius, & congruentius vero Christo; humanæ se conuersationi coaptarie per veram carnem susceptam?* NECESSITAS, *salutis humanæ,* FIDEM *veritatem fallere nescientem, cui proinde fides debeatur.* STROPHAM, *fallacem repræsentationem, versutiam, imposturam.* ALIENÆ. *ab altero & æmulo Deo creatæ carnis,* SI NOSTRIS, *tolerabile erit, rebus etiam indignis interdum vti, si nostræ sint: cum ex aduerso sit probrosum vti rebus alienis mendicatis, quantumuis dignis & excellentibus.* PER RVBVM, *Exo* 3. 2. apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi. *quamquam* 70. *legant:* apparuit ei Angelus Domini in igne flammæ ex rubo: *sed versu* 6. *ostendunt Dei personam egisse Angelum:* Et dixit: ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham &c. PER NVBEM ET GLOBVM. *Exo* 19. 16. Cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem. 70. factæ sunt voces & fulgura, & nubes caliginosa super montem Sina, &c. & ascendebat fumus &c. *Et rursum Exo.* 24 17. Erat autem species gloriæ Domini quasi ignis ardens super verticem montis. 70. *nil differunt,* GLOBVM, *adglomeratam & conglobatam nubem & fumum intelligit.* CONGRESSVS, *collocutus, conuersatus est,* REPRESENTATIONIBVS, *quibus se præsentem exhiberet; vel proprietates & attributa sua, zelum & amorem in igne; sollicitudinem pro populo vexato, in spinis; impenetrabilitatem secretorum suorum, in nube, minas & seueritatem iudicis in violatores legis, in tonitru & fulgure.* VIRÆ *&c. quam æquè poterat creare, aut fingere, sicut eiusdem suæ symbola potestatis.* PARATVRA, *præparatione creaturarum ab alio Deo facta, quam vt indigens ab eo mendicasset; sicut Deus & Christus Marcionis à vera hominis carne, à Deo Creatore condita, indigus mendicauit, vnde similitudinem & phantasma carnis, tanquam ab exemplari depromeret.*

19. IMMO, *inducit Marcionem loquentem, & spem in Deo suo figentem.* AD DIVERSITATEM, *Dei Marcionis à nostro: iactat enim suum Deum æternam Cœli gloriam seruare Marcionitis, cum noster in veteri lege bona terræ Iudæis promitteret.* CÆTERVM. *Iam loquitur Tertul. & retundit Marcionem.* VESTER CHRISTVS, *Dei tantum boni, & æterna & inuisibilia tantum bona promittentis filius,* PRISTINVM STATVM *&c. alludit ad Discipulos Christum interrogantes:* Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël? APVD INFEROS, *non apud cœlos tantum, vt vis Marcion, sed & apud Lucam tuum, quem admittis, meminit sinus Abrahæ, & quietis sub terra.* DEVM OPTIMVM. *Ironicè torques in Deum Marcionis, qui etiam contra eius sensum, per zelum iudicis, ablatam terram, mutatus in placidum reddat.* O DEVM TVVM *&c. O Marcion quid hic dices? audebisne deinceps obycere Deum nostrum Creatorem esse mutabilem, cum in tuum retorqueri possint quæ de scriptura veteri torquebas in nostrum? Locos hic prætereo iam alibi expositos* AD INFEROS *&c. Opponit Marcioni dicenti solam in Cœlo dari à Deo bono mercedem; cum & Christus, quem suum fingit, etiam in inferis, in sinu Abrahæ sub terra refrigerium lazaro præbeat.*

20. PONTICVS, *Marcion inde oriundus.* SYMPLEGADAS, *scitè admodum Ponto Euxino nato duplex naufragium fidei Symplegadibus aptat. Aliter Cyaneæ insulæ, dictæ, vel melius scopuli vltra Bosphorum Thracium, in Ostio Ponti Euxini; qui tam paruo interuallo inter se dirimuntur, vt intrantibus quidem ex aduerso gemini videantur, deflexa tamen tantillum oculi pupilla, inter se coadunari & coire putantur. Vnde & Poëta Symplegadas olim vnitas inter se fabulantur. Inter duos igitur Deos fidei naufragium Marcion Nauclerus Ponticus incurrit.* QVEM, *verum scilicet nostrum, Creatorem, quem ex operibus conuictus negare non potest.* PASSVS INSTINCTVM. *Instigante diabolo, ex praua interpretatione verbi Christi præsumpsit temerariè Deos duos asserere. Luc.* 6. 43. Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos; neque arbor mala faciens fructum bonum. Vnaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. IN HOMINES. *Christus non duobus diuersis diis, sed hominibus bonis vel malis parabolam bonæ, aut malæ arboris applicauit. Immediatè enim prius apud Luc. dixerat,* hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo &c. *deinde statim,* non est enim arbor bona &c. *Matthæi autem* 7. 15. *cum dixisset:* attendite à falsis prophetis &c. *Subiecit;* à fructibus eorum &c. LANGVENS. *Marcion hæsitans quærendo, vnde mali origo procedat.* ENORMITATE, *sic nimia contentio, sensus hebetat, & iuxta scripturam,* scrutator maiestatis opprimitur gloria à gloria. IN PARTEM, *id est inflexit sensum loci in Deum suum bonum, significatum per arborem bonam.* HOSPITAM, *aduenticiam.* ACORE, *acidum est enim fermentum, maximè hæreticum, vt & Pharisaicum. Sic Paulus.* 1. *Cor. c.* 6. nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? INFORMATOREM, *primam formam scandalosæ hæreseos inuehentem.* QVO, *vt inde factum sit Magistrum Cerdonem, & discipulum eius Marcionem adeo cæcutisse, vt pro vno vero Deo summè bono, duos viderint & crediderint; vnum boni, alterum mali authorem.* INTEGRE. *Deus enim vnus & bonum omne creat, & iuxta Aug. mala culpæ ab homine vel Angelo voluntatis arbitrio facta, ad finem iustitiæ suæ, & mala pœnæ ad gloriam prouidentiæ, benè & iustè ordinat.* NVMEROSA, *duplex & multiplex, vnicum lumen diuinitatis, ægræ mentis oculo apparet.*

21. SEPARATIO, *opus proprium, quo principaliter se Marcion commendare voluit; est, quod legem veterem ab Euangelica diuiserit, & vtramque inuicem contrariam demonstrare præsumpserit, & duos inde vtriusque Deos Authores sibi contrarios esse concluserit.* IN SVMMO INSTRVMENTO, *in capite & titulo libri Marcionis inscriptum legunt.* INITIANTVR, *quasi mysteriis nouæ diuinitatis à Marcione prædicatæ imbuuntur.* INDVRANTVR, *persistunt, confirmant in hac hæresi.* CVM LEGE, *veteri scilicet.* COMMITTERE, *ex aduerso congredi, & inter se pugnantes ostendere veterem & nouam legem.* INSTRVMENTI, *testamenti.* AB ARGVMENTO, *post Marcionis argumentationem.* NON A CHRISTO, *&c. Vnde liquet à Marcione separatore Euangelij, Dei noui reuelationem fictam, non verò à Christo reuelatam, qui longè præcessit dictæ separationis tempus.* PACEM, *concordantiam.* AB APPARENTIA, *à Christo nato & reuelato Pastoribus & magis, vsque ad præsumptionem & temeritatem Marcionis Ponto Nati.*

22. POST HÆC, *quæ nimirum præcedenti capite dixerat, nempe elementa & mundum vniuersum. quasi diceret: siue Deus tuus bonus post mundum, vel ante mundum conditum extiterit.* ILLI, *Deo tuo, conditionem, creaturam suam, opus à se conditum.* SI AD APOSTOLVM, *si aliquando, vel quando occasio dabitur loquendi de tertio Cœlo, quo raptus est Paulus, quem vestrum Apostolum fingitis.* QVÆCVMQVE SVBSTANTIA, *quæcumque res à Deo vestro condita, debuit cum suo Authore innotescere hominibus.* DOMINVS, Deus, *vel Christus eius.* SVBSTANTIA, *mundus nouus à Deo Marcionis factus, non apparueris hactenus &c. Aduerte, Seuerum Imperatorem.* 15. *Annum Imperij egisse, dum hunc librum scriberet Tertul.* FRIVOLIS, *rebus à Creatore conditis,* NON LATENTE IAM. *Certè cum Christo à Patre omnis potestas in Cœlo & terra data sit, si Pater eius, vt Deus melior Creatore, nouum mundum condidit; eum ostendere debuisset, vt suam inde potentiam, & maiorem filij sui dominationem hominibus manifestaret, qua sic eos à cultu Creatoris, ad suum abduceret.* SI IPSA *substantia mundi*

mundi facti à Deo Marcionis CEPIT, *continuit, habuit visibilem Christum.* SVPERIOREM, *super sensus nostros positum, inaccessum, inuisibilem: quaeritur vbi & quo loco sit positus hic nouus mundus.* SVBSICIVA, *loci alicuius reliquiae.* ALIQVI *aliquis Deus tertius, praeter Deum Creatorem, & Deum Marcionis.* STIPARE, *coercere, & inferiorem sub se cum suis creaturis vtrumque Deum continere possit.* CLVSIT, *Conclusit.* SECVNDVM FORMAM, *juxta proprietatem formalem, qua Deus innatus non factus, aeternus est; sic & materia talis, Marcionis & Hermogenis sensu, pro Deo habenda.* MOLITVS, *molem mundi condidit.* IN SVBSTANTIA, *in mundo creando, Marcion materiam vt Deum minorem subiecit Creatori.* ET ILLE, *Deus Marcionis.* VT DOMINO, *referendum ad verbum,* subiicit. A DEPVTANS, *imputans materiae, malum corporeae creaturae: illud malum, quia aeternum credit, vt materiae connatum, Deum etiam fateri cogitur.* IN SVPERIORIBVS. *Inter superiores & eminentiores Diuinitatis substantias, tres Deos maiores ponit; Deum scilicet optimum Marcionis, Deum malum Creatorem, & mundum superiorem.* IN INFERIORIBVS, *inter Deos inferiores computandos, quatuor: factorem mundi inferioris, locum, materiam, & malum.* HIS diis CVM ACCEDVNT. *Cum adiungis Christum tuum ô Marcion, sub Tiberio ex improuiso, & subitò apparentem, & Christum Creatoris, in lege veteri figuratum, & Prophetatum;* FRAVDEM, *fidem tuam minuunt Discipuli tui, qui duos tantum te Deos dixisse asserunt, cum ipse incautus, nouem recenseas Deos.*

MARCIONIS CHRISTVS.

1. *Marcionis Christus, ante omnem Prophetiam subitò apparens suspectus est; cum ordine naturae debuerit prius à Patre manifestari, quàm Pater ab ipso. 3. cont. Marc. cap. 2. per totum.*

HInc denique gradum confero, an debuerit tam subitò venisse. Primò, quia & ipse Dei sui filius. hoc enim ordinis fuerat, vt antè pater filium profiteretur, quàm patrem filius; & antè pater de filio testaretur, quàm filius de patre. Dehinc & quia missus, praeter filij nomen. Proinde enim praecessisse debuerat mittentis patrocinium in testimonium missi, quia nemo veniens ex alterius auctoritate, ipse eam sibi ex sua affirmatione defendit; sed ab ipsa defendi se potius expectat, praeeunte suggestu eius, qui auctoritatem praestat. Ceterùm, nec filius agnoscetur, quem nunquam pater nuncupauit; nec missus credetur, quem nunquam mandator designauit; nuncupaturus pater, & designaturus mandator, si fuisset. Suspectum habebitur omne, quod exorbitarit à regula; rerumque principalis gradus non sinit posterius agnosci patrem post filium, & mandatorem post mandatum, & Christum post Deum. Nihil origine sua prius est in agnitione, quia nec in dispositione. Subitò filius, & subitò missus, & subitò Christus. Atquin nihil putem à Deo subitum, quia nihil à Deo non dispositum. Si autem dispositum, cur & non praedicatum, vt probari posset & dispositum ex praedicatione, & diuinum ex dispositione? Et vtique tantum opus, quod scilicet humanae saluti parabatur, vel eatenus subitum non fuisset, qua per fidem profuturum. In quantum enim credi habebat vt prodesset, in tantum paraturam desiderabat, vt credi posset, substructam fundamentis dispositionis & praedicationis; quo ordine fides informata, meritò & homini indiceretur à Deo, & Deo exhiberetur ab homine; ex agnitione debens credere quia posset; quae scilicet credere didicisset ex praedicatione.

2. *Marcionis Christi Aduentus subitus, cuius miracula non sufficiunt ad faciendam fidem. 3. cont. Marc. cap. 3. in p. ad circa f.*

NOn fuit, inquis, ordo eiusmodi necessarius. quia statim se & filium, & missum, & Dei Christum rebus ipsis esset probaturus per documenta virtutum. At ego negabo, solam hanc illi speciem ad testimonium competisse, quam & ipse postmodum exauctorauit. Siquidem edicens multos venturos, & signa facturos, & virtutes magnas edituros; auersionem etiam electorum; nec ideo tamen admittendos; temerariam signorum & virtutum fidem ostendit, vt etiam apud pseudochristos facillimarum. Aut quale est, si inde se voluit probari, & intelligi, & recipi; ex virtutibus dico; vnde ceteros noluit, aeque & ipsos tam subito venturos, quàm à nullo auctore praedicatos? Si quia prior eis venit, & prior virtutum documenta signauit, idcirco, quasi locum in balneis, ita fidem occupauit, posteris quibusque praeripuit, vide ne & ipse in conditione posteriorum deprehendatur, posterior inuentus Creatore, antè jam cognito, & proinde virtutes antè operato, & non aliter praefato non esse aliis credendum, post eum scilicet. Igitur si priorem venisse, & priorem de posteris pronuntiasse, hoc fidem eludet; praedamnatus erit & ipse jam ab eo quod posterior est agnitus, & solius erit auctoritas Creatoris, hoc in posteros constituendi, qui nullo posterior esse potuit. Iam nunc quum probaturus sim Creatorem easdem virtutes, quas solas ad fidem Christo tuo vindicas, interdum per famulos suos retro edidisse, interdum per Christum suum edendas destinasse; possum & ex hoc meritò praescribere, tantò magis Christum non ex solis virtutibus credendum fuisse, quantò illum non alterius quàm Creatoris interpretari potuissent, vt respondentes virtutibus Creatoris, & editis per famulos suos, & in Christum suum repromissis. Quamquam etsi alia documenta inuenirentur in tuo Christo, noua scilicet, facilius crederemus etiam noua eiusdem esse cuius & vetera,

Luc. 17. 23.
Matth. 24. 24.
Exo. 7. 10. & seq.
Esa. 42. 7.

quàm cuius tantummodo noua; egentia experimentis fidei victricis vetustatis; vt sic quoque prædicatus venire debuerit, tam prædicationibus propriis exstruentibus ei fidem, quàm & virtutibus; præsertim aduersus Christum Creatoris venturum, & signis & prophetis propriis munitum; vt æmulus Christi per omnes diuersitatum species reluceret.

3. Marcionis fides monstruosa, quæ exigit Christum venisse antequam esse supponatur. 3. cont. Marc. cap. 3. in f. & 4. in p.

CAP. XV. SEd quomodo à Deo nunquam prædicato Christus eius prædicaretur? Hoc est ergo quod exigit, nec Deum, nec Christum tuum credi, quia & Deus ignotus esse non debuit, & Christus agnosci per Deum debuit. Dedignatus, opinor, est imitari ordinem Dei nostri, vt displicentis, vt cummaximè reuincendi. Nouus nouè venire voluit; filius ante patris professionem, & missus ante mandatoris auctoritatem; vt & ipsam fidem monstrosissimam induceret, qua antè crederetur Christum venisse quam sciretur fuisse.

4. Marcion Christum suum reuelatum fingens sub Antonino Pio, & non sub Tiberio, 115. Annis incognitum facit. 1. cont. Marc. cap. 19. à p.

Luc. 3. 1. ANno xv. Tiberij, Christus Iesus de cœlo manare dignatus est, spiritus salutaris: Marcionis salutem, qui ita voluit, quoto quidem anno Antonini maioris de Ponto suo exhalauerit aura canicularis, non curaui inuestigare. De quo tamen constat, Antoninianus hæreticus est, sub Pio impius. A Tiberio autem vsque ad Antoninum, anni ferè cxv. & dimidium anni, cum dimidio mensis. tantumdem temporis ponunt inter Christum & Marcionem. Quum igitur sub Antonino primus Marcion hunc Deum induxerit, sicut probauimus; statim, qui sapis, plana res est. Præiudicant tempora, quod sub Antonino primùm processit, sub Tiberio non processisse; id est Deum Antoniniani Imperij, Tiberiani non fuisse: atque ita non à Christo reuelatum, quem constat à Marcione primum prædicatum.

5. Marcionis Christus impotens, qui tamdiu inuitus tulit Creatorem aduersum; & imprudens, qui Aduentum suum post Christum Creatoris non distulit, vt saltem eius errorem emendaret. 3. cont. Marc. cap. 4. à p. ad f.

VAnè sustinuit prædicari Christum eius, quem non sustinuit exhiberi. Aut sine causa intercidit temporis alieni decursum, aut sine causa tamdiu non intercidit. Quid illum detinuit, quidue turbauit? Atquin in vtrumque commisit, post Creatorem quidem tam tardè reuelatus, ante Christum verò eius tam properè. Alterum verò jamdudum debuerat traduxisse, alterum nondum. Ne illum quidem tamdiu sæuientem sustinuisse: istum verò adhuc quiescentem inquietasse, circa ambos excidens ab optimi Dei titulo, certè varius & ipse & incertus; tepidus scilicet in Creatorem, & calidus in Christum, & vanus vtrobiq. Non magis enim compescuit Creatorem, quàm obstitit Christo. Manet & Creator, qualis omnino est; veniet & Christus, qualis & scribitur. Quid venit post Creatorem, quem emendare non valuit? Quid ante Christum eius reuelatus est, quem reuocare non potuerit? Aut si emendauit Creatorem, post illum reuelatus est, vt emendanda præcederent: ergo & Christum eius æque emendaturus expectasse debuerat, proinde & illius posterior emendator futurus, sicut Creatoris. Aliud est, si & ipse post illum rursus adueniet; vt primò quidem aduentu processerit aduersus Creatorem, legem & Prophetas destruens eius; secundo verò procedat aduersus Christum, regnum redarguens eius. Tunc ergo conclusurus ordinem suum, tunc si fortè credendus est, aut si jam hinc perfecta res est eius; vanè ergo venturus est, nihil scilicet peracturus.

6. Marcionis Christi caro phantastica, omnia eius gesta & passa per carnem, immò & ipsam eius diuinitatem dubiam & nullam fecit 3. cont. Marc. cap. 8. per totum.

DEsinat nunc hæreticus à Iudæo, aspis (quod aiunt) à vipera mutuari venenum; euomat jam hinc proprij ingenij virus, phantasma vindicans Christum. Nisi quod & ista sententia alios habebit auctores, præcoquos & abortiuos quodammodo Marcionitas, quos 1. Ioan. 4. Apostolus Ioannes Antichristos pronuntiauit, negantes Christum in carne venisse; & ta- a. & 3. men non vt alterius Dei jus constituerent, quia & de isto notati fuissent; sed quoniam incredibile præsumpserant Deum carnem. quo magis Antichristus Marcion sibi eam rapuit præsumptionem; aptior scilicet ad renuendam corporalem substantiam Christi, qui ipsum Deum eius, nec auctorem carnis induxerat, nec resuscitatorem: optimum videlicet, & in isto, diuersissimum à mendaciis & fallaciis Creatoris. Et ideo Christus eius ne mentiretur, ne falleret, & hoc modo Creatoris forsitan deputaretur, non erat quod videbatur, & quod erat mentiebatur; caro nec caro, homo nec homo: proinde Deus Christus, nec

Deus. Cur enim non etiam Dei phantasma portauerit? An credam ei de interiore substan-
tia, qui sit de exteriore frustratus? Quomodo verax habebitur in occulto, tam fallax re-
pertus in aperto? Quomodo autem in semetipso veritatem spiritus, fallacia carnis con-
fundens, negatam ab Apostolo, lucis, id est veritatis; & fallaciæ, id est tenebrarum, com- 2. Cor. 6.
misit communicationem? Iam nunc quum mendacium deprehenditur Christi caro: sequi- 15.
tur vt & omnia quæ per carnem Christi gesta sunt, mendacio gesta sint; congressus, con-
tactus, conuictus; ipsæ quoque virtutes. Si enim tangendo aliquem liberauit à vitio, vel Luc. 7. 39.
tactus ab aliquo; quod corporaliter actum est, non potest verè actum credi, sine corporis Luc. 8. 44.
ipsius veritate. Nihil solidum ab inani, nihil plenum à vacuo perfici licuit. Putatiuus habi- Matth. 8.
tus, putatiuus actus: imaginarius operator, imaginariæ operæ. Sic nec passiones Christi, 3. 15. & 9.
eius fidem merebuntur. nihil enim passus est, qui non verè est passus. Verè autem pati, 20. 21. 29.
phantasma non potuit. Euersum est igitur totum Dei opus. Totum Christiani nominis & & 14. 36.
pondus & fructus, mors Christi negatur, quam tam impresè Apostolus demandat, vtrique & 17. 7.
veram, summum eam fundamentum Euangelij constituens, & salutis nostræ, & prædica- & 20. 34.
tionis suæ: [a] *Tradidi enim*, inquit, *vobis in primis, quod Christus mortuus sit pro peccatis nostris,* a 1. Cor.
& quod sepultus sit, & quod resurrexerit tertia die. Porro, si caro eius negatur, quomodo mors 15. 3.
eius adseueratur, quæ propria carnis est passio per mortem deuertentis in terram, de qua
est sumpta, secundùm legem sui auctoris? Negata verò morte dum caro negatur, nec de Gen. 3. 19.
resurrectione constabit. Eadem enim ratione non resurrexit, qua mortuus non est, non
habendo substantiam scilicet carnis, cuius sicut & mors, ita & resurrectio est. Proinde re-
surrectione Christi infirmata, etiam nostra subuersa est. Nec ea enim valebit, propter quam
Christus venit, si Christus non resurrexit. Nam sicut illi, qui dicebant resurrectionem mor-
tuorum non esse, reuincuntur ab Apostolo, ex resurrectione Christi: ita resurrectione
Christi non consistente, aufertur & mortuorum resurrectio. atq. ita [b] *inanis est fides nostra,* b 1. Cor.
inanis est prædicatio Apostolorum. inueniuntur autem etiam falsi testes Dei. quod testimonium 15. 14.
dixerint quasi resuscitauerit Christum, quem non resuscitauit. *& sumus adhuc in delictis.*
& qui in Christo dormierunt, perierunt. sanè resurrecturi, sed phantasmate forsitan, sicut
& Christus.

7. *Marcionis Christus, quomodo crucifixus & mortuus, quem natum negat. 3. cont. Marc. cap. 19. à. m.*

CEterùm, nec ipso Christo eius prædicato, nedum cruce ipsius, sufficit in meum Christum solius mortis prophetia. Ex hoc enim quod non est edita qualitas mortis, potuit & per crucem euenisse, tunc alij deputanda, si in alium fuisset prædicatum. nisi si nec mortem volet Christi mei prophetatam; quo magis erubescat, si suum quidem Christum mortuum annuntiat, quem negat natum: meum verò mortalem negat, quem nascibilem confitetur.

8. *Marcion duos Christos ponit, vnum ad gentium salutem missum, alterum mittendum ad restitutionem Iudaismi. 4. cont. Marc. cap. 6. in m.*

COnstituit Marcion alium esse Christum, qui Tiberianis temporibus à Deo quondam ignoto reuelatus sit in salutem omnium gentium: alium qui à Deo Creatore in restitutionem Iudaïci status sit destinatus, quandoq. venturus. Inter hos magnam & omnem differentiam scindit, quantam inter iustum & bonum, quantam inter legem & Euangelium, quantam inter Iudaïsmum & Christianismum.

9. *Marcionis spes cœli in Christo suo futilis, cuius incertum cœlum, & caro phantastica est. 3. cont. Marc. cap. 24. in f.*

AT tu hinc quoque alium argumentaris Christum, quod regnum nouum annuntiet. Prius est, aliquod exemplum indulgentiæ proferas, ne meritò dubitem de fide tantæ promissionis, quam sperandam dicis; immo ante omnia est, vt quem cœlestia prædicas repromittere, aliquod cœlum probes eius. At nunc vocas ad cœnam, nec domum ostendis: allegas regnum, nec regiam monstras. An quia Christus tuus cœleste regnum repromittit, non habens cœlum, quomodo & hominem præstitit, non habens carnem? O phantasma inane! ô præstigia magnæ etiam promissionis!

MARCIONIS CHRISTVS. 1. 2. 3. & seq. SCHOL.

GRADVM CONSERO, *congredior, disputo.* VENISSE, *Christus scilicet repente, non prophetatus, non expectatus.* PRÆTER, *præterquam Dei Patris est filius, est insuper ab eo missus.* EAM SIBI, *authoritatem sibi arrogat*, SVGGESTV, *maiestate, vel apparatu condigno mittente, & dantis authoritate.* GRADVS, *ordo præcipuus rerum.* NIHIL ORIGINE, *prior origo cognosci debet.* DISPOSITIONE, *statu rei. Prius enim est aliquem habere*

Patrem, & esse filium, quàm mitti, manifestari, & A *agnosci filium.* ATQVIN. *frequenter, pro*, atqui, quinetiam. PRÆDICATVM, *prophetatum antequam eueniret.* PER FIDEM, *qua crederent homines in Christum venturum, prophetiis eius aduentum præcinentibus.* PARATVRAM, *dispositionem, præparationem.* PRÆDICATIONIS, *prophetiæ.* QVIA POSSET, *&c. Credere scilicet in Christum, quem Propheta annuntiabant venturum.* EX PRÆDICATIONE, *prædictione Prophetarum.*

2. ORDO, *de quo supra, scilicet vt prius filius intelligatur, quàm missus agnoscatur.* VIRTVTVM, *miraculorum.* SOLAM SPECIEM, *probationis & testimonij fidem facientis missioni sua; scil. per miracula.* EXAVCTORAVIT, *annullauit, authoritate priuauit, non solum sufficere ostendit, cum de Antichristi præcursoribus dixit, quod habetur Luc. 17. 23.* & dicent vobis (*Syr. si dixerint* B *vobis*) ecce hic, & ecce illic. Nolite ire, neque sectemini. & *Luc. 21. 8* videte ne seducamini: multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum. *Sed expressius Matth. 24. 23. & seq.* tunc si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim Pseudochristi, & Pseudoprophetæ: & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur si fieri potest etiam electi. AVCTORE, *Deo & Propheta eius.* QVASI LOCVM *&c. vt locus prior in balneo, est praeoccupantis.* IN CONDITIONE, *reputetur Deus tuus & Christus eius inter eos qui vltimò venerunt, cum Creator, & miracula, & Prophetia eius, tempore præcesserint Christum tuum, & Deum quem reuelauit, ô Marcion.* PRONVNTIASSE, *sententiâ latâ, eos ab authoritate diuina exclusisse.* CLV- C DET, *concludet, & probabit fidei veritatem.* IPSE, *Deus & Christus tuus, Marcion.* AB EO QVOD. *eo ipso quod posterior venit in notitiam.* RETRO, *prius, in veteri Testamento.* DESTINASSE, *de longè prædixisse.* PRÆSCRIBERE, *ex antiqua possessione miraculorum & Prophetiarum Creatoris, tueri veritatem fidei.* RESPONDENTES, *similes miraculis à Creatore olim factis, & de Christo eius vêturo Prophetatis.* FIDEI VICTRICIS, *quia fides in Deum Creatorem, fundata in veteribus miraculis & Prophetiis, superat & vincit fidem fundatam in nouis, quæ carent experientia probata veterum.* EXTRVENTIBVS, *prophetiis & miraculis antiquis, præparantibus & facientibus fidem Deo Creatori, & Christo eius venturo. His debuerat Christus Marcionis communitus aduenire, vt æmulus Christi* D *Creatoris, & contrariis omnino Prophetiis, maioribusque miraculis authoritatem aduersarij sui debellare.*

3. PRÆDICATO, *prophetato*, ORDINEM. *dispositionem, qua Deus Creator se & Christum suum voluit agnosci.* CVMMAXIME, *quammaximè.* REVINCENDI, *quem Deo nostro superiorem conuincere debebat.* NOVVS, *Christus, nouo modo veniens, voluit apparere.* ANTE PROFESSIONEM. *antequam quidquam de Patre eius quispiam præfatus fuisset.* MONSTROSISSIMAM, *maximè præposteram.*

4. DE COELO MANARE. *pro Marcione loquitur qui fingit contra Psaltem dicentem*, veritas de terra orta est, *id est ex August. Christus de virgine natus est, subito de Cœlo cum carne phantastica lapsum.* SPIRITVS SALV- E TARIS. *frequens est Tertull. vocare Christum* Dei Spiritum, *quia Io. 4.* Deus Spiritus est. *Salutarem vocat, quasi Saluatorem.* MARCIONIS SALVTEM. *Ironicè.* QVI ITA VOLVIT. *Christus scilicet eius.* ANTONINI MAIORIS. *Id est pij, à quo nomen alij Antonini desumpserunt, sub quo Marcion, & initio Pontificatus Aniceti Romæ occurrit S. Policarpo, vt scribit Euseb. lib. 4. hist. cap. 13.* DE PONTO SVO, *patria Marcionis.* AVRA CANICVLARIS, *præferuida, cum Sole existente in Leone, vt zelum exprimat Christi Marcionis, cum Zelotypia exhalantis salutem eius. Sed aduerto antithesim: cum enim supra Ponti regionem describens, perpetuum gelu in eo rigere, & nusquam Solem liberum vigere di-xerit; nunc nisi magno sarcasmo, de Ponto auram Canicularem exhalatam ait. Forte vt inscriptum ridear librum Marcionis*, antitheses &c. *Vel alludit ad Diogenem Cynicum, latrantemque & mordentem Canicularem.* ANTONIANVS, *sub Antonino Pio hæresim spargens.* ANNI FERE. 115. *Aliis rectius supputantibus, legendum esset Anni centum quinque fortè ab originali primo aberrantes copistæ inseruerunt, pro* CV. CXV. QVI SAPIS, *si intelligis, sapienti veritas patet.* PRÆIVDICANT, *supputatio temporum. Concludit* QVOD, *numen scilicet diuinum, per Marcionem innotuit, & primo processit in lucem, non eum esse Deum, quem Christus sub Tiberio, tot annis ante Marcionem reuelauit.*

5. VANE SVSTINVIT, *frustra permisit Deus Marcionis per Prophetas annuntiari Christum Creatoris, quem non* B *est passus, hominibus realiter & cum vera carne exhiberi. Quod dicit Tertull. sensu Marcionis, qui vult Christum quidem venisse, sed suum, & Dei optimi filium cum carne phantastica, & non cum vera, de virgine nata, qualem Prophetæ Creatoris promiserant. Cur enim Deus Marcionis, vt ipse vult, potentior Creatore, non impediuit Prophetas eius talem Christum nuntiare?* AVT SINE CAVSA *&c. vel enim frustra & furtiuè tempus non suum, sed alienum, & per motum Cœli Creatoris productum interrupit; impediendo ortum Christi Creatoris, cum vera carne, & eo tempore quo juxta Prophetas fuerat nasciturus, & Patris sui notitiam daturus hominibus: vel frustra tantum temporis excurrere permisit, quo Deus Creator hominibus notus, ipse verò tandiu incognitus & latens maneret.* COMMISIT, *in vtroque deliquit Deus* C *Marcionis.* TAM PROPERE, *quia subito, nullo præcursore & Propheta præmisso, de Cœlo lapsus est.* ALTERVM *Deum Creatorem.* TRADVXISSE, *triumphasse, & palam infirmitatis & impotentiæ arguisse.* ALTERVM, *Christum scilicet.* ILLVM SÆVIENTEM, *Creatorem in veteri lege vindicem, & tot pœnas de peccatoribus exigentem.* ISTVM QVIESCENTEM. *Christum, nondum surgentem in judicium, sed sedentem* à dextris Patris, donec ponat inimicos suos scabellũ pedum suorum. *Vel per*, quiescentem *intelligit agnum in primo Aduentu*, coram tondente se, obmutescentem. CIRCA AMBOS, *Creatorem scilicet & Christum eius.* TEPIDVS, *tam remissè sustinens Creatorem.* CALIDVS, *feruidus, telo in Christum Creatoris.* VENIET CHRI- D STVS, *in judicium; in secundo Aduentu.* QVID VENIT, *Deus Marcionis.* EMENDARE, *cuius opera corrigere non potuit melioribus, qui nulla edidit.* ANTE CHRISTVM, *Creatoris scilicet.* REVELATVS EST, *Deus scilicet Marcionis,* REVOCARE, *id est primum aduentum eius in carne supprimere non potuit, vèl è cœlo vbi sedet ad dexteram Patris, exturbare.* EMENDANDA, *opera Creatoris, quæ Deum optimum Marcionis præcesserunt.* ALIVD EST. *&c. sequentia ironicè & pulchrè dicta.* POST ILLVM, *post secundum Aduentum in judicio.* SI IAM HINC *&c. si post judicium, jam Christus omne salutis humanæ negotium absoluerit, tradens regnum Ecclesiæ triumphantis Deo Patri, frustra tum venturus est Christus Marcionis nihil habens vltra quod faciat.*

E 6. DESINAT *&c. Cesset Marcion à Iudæo haurire, ex parte qua dicit Christum Creatoris nondum venisse, suæ virus hæreseos, vt aspis pestilentior à vipera minus nocenti, venenum mutuari dicitur. Sic pestilentior Marcion Iudæo.* PHANTASMA, *&c. Iam propriam suam, ex commento suo, eructet hæresim, qua carnem Christi phantasticam asserit.* PRÆCOQVOS, *præmaturos, hæreseos Marcionis instructores.* PRONVNTIAVIT. 1. *Io.* 4. 2. omnis Spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est; & omnis Spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est: & hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit, & nunc jam in mundo. *Syriac. expressius* omnis Spiritus qui non confitetur Ieschua venisse in carne, non est ex Deo. Dei

IVS, *testamentum nouum ad alterum Deum pertinere. vel simpliciter si alium Deum quam Creatorem induxerent, de hoc à Ioanne notati fuissent.* DEVM CARNEM, *Verbum Carnem factum, Deum Incarnatum fuisse.* MAGIS ANTICHRISTVS, *peior omnibus, quos Ioannes censuit Antichristos.* DIVERSISSIMVM, *ironicè dictum & sensu Marcionis.* CREATORIS DEPVTARETVR, *filius mendax & fallax, Patris imitator æstimaretur.* NON ERAT, *verè caro.* QVOD ERAT, *Deus scilicet, interiore, latente diuinitate.* FRVSTRATVS, *mentitus, frustrans fidem & oculos hominum.* SPIRITVS, *Deitatis.* CONFVNDENS, *euertens, vel dubiam relinquens fidem hominum circa suam diuinitatem, admixtam & confusam cum mendacio carnis.* NEGATAM COMMVNICATIONEM. 2. *Cor.* 6. 14. & 15. quæ societas luci ad tenebras? *Syriac. quæ communio luci cum tenebris?* quæ autem Conuentio Christi ad Belial? COMMISIT, *inter se pugnare fecit, vel permiscuit lucem veræ diuinitatis, cum tenebris mentitæ & fallacis carnis. Lux enim & veritas ad Deum pertinent, vt tenebræ & mendacium, ad principem tenebrarum.* CONGRESSVS, *communicatio & conuersatio cum hominibus.* VIRTVTES, *miracula.* A VITIO, *morbo.* TACTVS, *passiuè ab hæmoroissa.* LICVIT, *potuit.* FIDEM, *indignæ erunt passiones Christi, quibus fides habeatur.* IMPRESSE DEMANDAT, *identidem, sollicitè toties impressum Epistolis suis commendat & inculcat.* TRADIDI, 1. *Cor.* 15. 3. Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi (*Syr. prout & accepi*) quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundùm Scripturas. DEVERTENTIS, *reuertentis juxta mandatum Dei qui carnem condidit. Sic Gen.* 3. 19. In sudore vultus tui vesceris pane (70. *Edes panem tuum*) donec reuertaris in terram de qua sumptus es: quia puluis es & in puluerem reuerteris. 70. *sic:* quia terra es & in terram ibis. *Porro* deuertentis *dixit, quod velut in diuersorio, sic in sepulchro versetur caro, ad vitam reuersura.* SICVT ILLI, *Sadducæi, aliique negantes resurrectionem.* REVINCVNTVR, *conuincuntur.* INANIS EST, 1. *Cor.* 15. 14. Si autem Christus non resurrexit: inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra. *Et rursum versu* 17. quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra; (*Syr. otiosa est*) adhuc enim estis in peccatis vestris. *Quia ex D. Thoma ibidem, Si* ACT. 15. *fide purificat corda hominum, fides autem resurrectionis vana & falsa est, profectò manent in peccatis, qui fidem veram non habent. Cui addam, quod si Christus, causa exemplaris & meritoria nostræ resurrectionis, non verè resurrexit, propter justificationem nostram, vt nec verè mortuus est, nec verus Agnus vero sanguine abluit peccata nostra, adhuc manemus in peccatis, & quoad culpam non deletam, & quoad mortem debitam. Pœna enim apud Paulum etiam peccatum appellatur.* FALSI TESTES, 1. *Cor.* 15. 15. Inuenimur autem & falsi testes Dei: *Supra & Cephæ, & postea vndecim, deinde quingentis simul, postea Iacobo, postremo sibi visum post resurrectionem dixit* quoniam testimonium diximus aduersùs Deum, quod suscitauerit Christum, quem non suscitauit. *D. Thomas ibid. Ex D. Aug.* non minori, sed maiori fortasse scelere in Deo laudatur falsitas, quam vituperetur veritas. *Et ratio D. Thomæ est, quia intellectus creatus, non potest tantum laudare Deum, quin deficiat a perfectione eius; & ideo si non totaliter & perfectè omnem veritatem excellentiæ diuinæ possit intelligere, id vertitur in laudem eius, vnde dicitur:* vincens scientiam nostram: & *rursum:* ascendet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus, & 1. *Io.* 3. Deus maior est corde nostro. *Sed si attribuitur aliquid Deo quod non habet, vel non facit, tum videtur intellectus noster esse maior Deo, & intelligere aliquid maius eo quod ipsi falsò attribuit.* S. Aug.

7. EIVS, *Marcionis.* PRÆDICATO, *Prophetato.* IN MEVM, *Christum Creatoris. Sufficit ad veritatem eius conuincendam, quod impleta sit Prophetia circa genus mortis eius, vt eum verum Christum credam.* EDITA, *per Prophetas nuntiata qualitas mortis, Christi Marcionis; potuit quidem crucifigi, si veram carnem habuisset; sed alteri Christo hoc est meo imputanda fuit mors crucis, cum talis de illo fuerit Prophetata. Cætera plana sunt.*

8. CONSTITVIT, *decernit, asserit.* SCINDIT, *emphaticè magis dixit sicut Scriptura,* diuisit mare rubrum in diuisiones.

9 ALIQVOD. *vt aliquod.* INDVLGENTIÆ, *largitatis aliàs præstita.* DE FIDE, *fidelitate & veritate. Cætera patent.*

MARCIONITÆ.

1. Marcionitæ frustra dicunt, non tam separatum à lege per Marcionem Euangelium, quàm, ex adulterato restitutum. 1. *cont. Marc. cap.* 20. *in p.*

HVic expeditissimæ probationi defensio quoque à nobis necessaria est, aduersus obstrepitacula diuersæ partis. Aiunt enim Marcionem non tam innouasse regulam separatione Legis & Euangelij, quàm retro adulteratam recurasse. O Christe patientissime Domine! qui tot annis interuersionem prædicationis tuæ sustinuisti, donec tibi scilicet Marcion subueniret. Nam & ipsum Petrum, ceterosque, columnas Apostolatus, à Paulo reprehensos opponunt, quod non recto pede incederent ad Euangelij veritatem; ab illo certè Paulo, qui adhuc in gratia rudis, trepidans denique ne in vacuum cucurrisset aut curreret, tunc primum cum antecessoribus Apostolis conferebat. Gal. 2. 9. & 11. Gal. 2. 2.

2. Marcionitæ Deum nouum volunt, agnitione; quem proinde prius ignotum fingunt. 1. *cont. Marc. cap.* 9. *in p.*

SCio quidem quo sensu nouum Deum jactitent; agnitione vtique: sed & ipsam nouitatis cognitionem, percutientem rudes animas; ipsamque naturalem nouitatis gratiositatem volui repercutere: & hinc jam de ignoto Deo prouocare. Vtique enim quem agnitione nouum opponunt, ignotum ante agnitionem demonstrant. Age igitur, ad lineas rursum & in gradum. Persuade Deum ignotum esse potuisse. Inuenio planè Ignotis deis aras prostitutas. sed Attica idololatria est. Item, Incertis deis. sed superstitio Romana est. Porro, incerti dei minus noti, vt minus certi; & proinde ignoti, quà minus certi. Quem titulum incidemus ex duob. Deo Marcionis? Vtrumque, opinor, & nunc incerto, & re- Act. 17. 23.

tro ignoto. Sicut enim ignotum eum fecit Deus notus Creator, ita & incertum Deus certus. Sed non euagabor vti dicam, Deus, si ignotus fuit, latuitque, illum regio latebrarum obumbrauit, noua vtique & ipsa, & ignota, & similiter nunc quoq. incerta; certè immensa aliqua, & maior indubitatè eo quem abscondit.

3. *Marcionitæ Dei justitiam crudelitati, lenitatem pusillanimitati tribuunt: Et eadem inuiti de suo Deo coguntur admittere. 2. cont. Marc. cap. 27. in f. & 28. per totum.*

QVanta itaque peruersitas vestra erga vtrumque ordinem Creatoris? Iudicem eum designatis, & seueritatem judicis secundùm merita causarum congruentem pro sæuitia exprobratis. Deum optimum exigitis, & lenitatem eius benignitati congruentem, pro captu mediocritatis humanæ deiectius conuersatam, vt pusillitatem depreciatis. Nec magnus vobis placet, nec modicus; nec judex, nec amicus. Quid si nunc eadem & in vestro deprehendantur? Iudicem quidem & illum esse jam ostendimus, in libello suo; & de judice necessariè seuerum, & de seuero sicut sæuum, si tamen sæuum. Nunc & de pu-
CAP. XXVIII. sillitatibus, & malignitatibus, ceterisque notis, & ipse aduersus Marcionem antitheses æmulas faciam. Si ignorauit Deus meus esse alium super se, etiam tuus omnino non sciuit esse alium infra se. Quod enim ait Heraclitus ille tenebrosus, eadē via sursum & deorsum. Denique si non ignorasset, & ab initio ei occurrisset. Delictum & mortem, & ipsum auctorem delicti, diabolum, & omne malum, quod Deus meus passus est esse. hoc & tuus, qui illum pati passus est. Mutauit sententias suas Deus noster. proinde quà & vester. qui enim genus humanum tam sero respexit, eam sententiam mutauit, qua tanto æuo non respexit. Pœnituit in aliquo Deum nostrum. sed & vestrum. Eo enim quod tandem animaduertit ad hominis salutem, pœnitentiam dissimulationis pristinæ fecit, debitam malo facto. Porro, malum factum deputabitur negligentia salutis humanæ, nonnisi per pœnitentiam emendata apud Deum vestrum. Mandauit fraudem Deus noster; sed auri & argenti. Quantò autem homo pretiosior auro & argento, tantò fraudulentior Deus vester,
a Exo. 21. 24. qui hominem domino & factori suo eripit. [a] *Oculum pro oculo* reposcit Deus noster; sed & vester vicem prohibens, iterabilem magis iniuriam facit. Quis enim non rursus percutiet, non repercussus? Nesciit Deus noster qualeis adlegeret. ergo nec vester. Iudam traditorem adlegisset, si præscisset? Si & mentitum alicubi dicis Creatorem, longe maius mendacium est in tuo Christo, cuius corpus non fuit verum. Multos sæuitia Dei mei absumpsit. tuus quoque Deus, quos saluos non facit, vtique in exitium disponit. Deus meus aliquem jussit occidi. tuus semetipsum voluit interfici; non minus homicida in semetipsum, quàm in eum, à quo vellet occidi. Multos autem occidisse Deum eius probabo Marcioni. Nam fecit homicidam, vtique periturum, nisi si populus nihil deliquit in Christum.

4. *Marcionitæ cæcos Iudæos secuti cæci, in foueam impegerunt. 3. cont. Marc. cap. 7. in p.*

DIscat nunc hæreticus ex abundanti cum ipso licebit Iudæo, rationem quoque errorum eius, à quo ducatum mutuatus, in hac argumentatione, cæcus à cæco in eandem decidit foueam.
a Matth. 15. 14.

5. *Marcionitæ cum Iudæis conspirant in Christo vero reiecto; quem ipsa Scriptura à Iudæis ignorandum prædixit. 3. cont. Marc. cap. 6. à. p. ad vltra med.*

QVum igitur hæretica dementia eum Christum venisse præsumeret, qui nunquam fuerat annuntiatus; sequebatur vt eum Christum nondum venisse contenderet, qui semper fuerat prædicatus: atque ita coacta est cum Iudaïco errore sociari, & ab eo argumentationem sibi struere, quasi Iudæi certi & ipsi alium fuisse qui venit, non modo respuerint eum vt extraneum, verùm & interfecerint eum vt aduersarium, agnituri sine dubio, & omni officio religionis prosecututi, si ipsorum fuisset. Scilicet nauclero illi non quidem Rhodia lex, sed Pontica cauerat, errare Iudæos in Christum suum non licere, quando etsi nihil tale prædicatum in illos inueniretur, vel sola vtique humana conditio deceptui obnoxia, persuasisset, Iudæos errare potuisse, quà homines: nec statim præiu-
1.Cor.2.8. dicium sumendum de sententia eorum, quos credibile fuerit errasse. Porro, quum & prædicatum sit non agnituros eos Christum, ideoque etiam perempturos; jam ergo ipse erit & ignoratus & interemptus ab illis, in quem ita admissuri prænotabantur. Hoc si probari exigis, non eas scripturas euoluam, quæ interemptibilem Christum edicentes, vtique & ignorabilem affirmant: nisi enim ignoratus nihil scilicet pati posset: sed reseruatis eis ad caussam passionum, eas prædicationes in præsenti sufficiet adhibere, quæ interim igno-
a Esa. 29. 14. rabilem probent Christum, & hoc breuiter, dum ostendunt omnem vim intellectus ad-
b Esa. 6. 10. emptam populo à Creatore. [a] *Auferam*, inquit, *sapientiam sapientium illorum, & prudentiam prudentium eorum abscondam.* Et, [b] *Aure audietis, & non audietis: & oculis videbitis, & non vi-*

debitis: Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos concluserunt, ne quando auribus audiant, & oculis videant, & corde conjiciant, & conuertantur, & sanem illos. Hanc enim obtusionem salutarium sensuum meruerant, [c] *labiis diligentes Deum, corde autem longè absistentes ab eo.* Igitur si Christus quidem annuntiabatur à Creatore [d] *solidante tonitruum, & concludente spiritum, & annuntiante in homines Christum suum*, secundùm Amos Propheram: Si omnis spes Iudæorum, ne dicam etiam Gentium, in Christi reuelationem destinabatur, sine dubio id demonstrabantur non agnituri, & non intellecturi, ablatis agnitionis & intelligentiæ viribus, sapientiâ atque prudentiâ, quod annuntiabatur, id est Christus, erraturis in eum principalibus sapientibus eorum, id est Scribis, & prudentibus eorum, id est Pharisæis: pariter & populo *auribus audituro, & non audituro*, vtique Christum docentem: *& oculis visuro, & non visuro*, vtique Christum signa facientem, secundùm quod & alibi: [e] *Et quis cæcus, nisi pueri mei? & quis surdus, nisi qui dominatur eorum?* Sed & quum exprobrat per eundem Esaiam, [f] *Filios generaui, & exaltaui: at illi me rejecerunt. Agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israël autem me non cognouit, & populus me non intellexit.* Nos quidem certi, Christum semper in Prophetis locutum, spiritum scilicet Creatoris, sicut Propheta testatur, [g] *Spiritus personæ eius, Christus Dominus*, qui ab initio vicarius patris in Dei nomine & auditus sit & visus; scimus ipsius voces eiusmodi fuisse jam tunc Israëli exprobrantis, quæ in illum commissuri prædicabantur, [h] *Dereliquistis Dominum, & in iram prouocastis Sanctum Israël.*

c Esa. 29. 13. d Amos. 4. 13. Ier. 14. 8. e Esa. 42. 19. f Esa. 1. 2. g Thren. 4. 20. h Esa. 1. 4.

6. Marcionitæ Christum in proprio nomine venientem non receperunt, alienum in mendicato nomine recepturi. 4. cont. Marc. cap. 39. in p.

OLim constitit de nominum proprietate, ei illam competere, qui prior & Christum suum in homines annuntiaret, & Iesum transnominaret. Constabit itaque & de impudentia eius, qui multos dicat venturos in nomine ipsius; quod non sit ipsius, si non Christus & Iesus Creatoris est, ad quem proprietas nominum pertinet: amplius, & prohibeat eos recipi, quorum & ipse par sit, vt qui proinde in nomine venit alieno; si non ipsius erat, à mendacio nominis præuenire discipulos, qui per proprietatem nominis possidebat veritatem eius. [a] *Venient denique illi, dicentes, Ego sum Christus.* Recipies eos, qui consimilem recepisti. Et hic enim in nomine suo venit. Quid nunc, quod & ipse veniet nominum Dominus Christus & Iesus Creatoris, reiicies illum? Et quàm iniquum, quàm iniustum, & optimo Deo indignum, vt non recipias eum in nomine suo venientem, qui alium in nomine eius recepisti?

a Luc. 21. 8. *Ibid.*

MARCIONITÆ, 1. 2. 5. & seq. SCHOL.

EXPEDITISSIMÆ. *Clarissima*, DIVERSÆ, *aduersæ* A *partis Marcionitarum*, REGVLAM, *fidei scilicet, siuè disciplinam Christianam.* RETRO, *prius corruptam.* RECVRASSE, *expurgasse, restituisse, reparasse.* PATIENTISSIME, *Ironicè dicta.* OPPONVNT, *Marcionitæ.* COLVMNAS, *ad Gal.* 2. 9. Cum cognouissent gratiam quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ, societatis. *Syr. autem:* qui quidem habebantur, vt qui essent columnæ, dextram societatis dederunt mihi & Barnabæ. *Et versu.* 11. Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat *Syr. verò:* in faciem ipsius illum coargui, quoniam offendebantur in eo. RVDIS, *nouus adhuc & parum instructus.* NE IN VACVVM, *Gal.* 2. 2. Ascendi autem secundùm reuelationem, & contuli cum illis Euangelium quod prædico in Gentibus. Seorsum autem iis qui videbantur aliquid esse, ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem. ANTECESSORIBVS, *sic Gal.* 1. 17. Neque veni Ierosolymam ad antecessores meos Apostolos, sed abij in Arabiam, &c. *aduerte porrò quam ironicè Tertul. vt potè sensu Marcionitarum, dixit rudem Paulum. Nam cum versu sequenti dixisset* post annos. 3. *scilicet à conuersione* veni Ierosolymam videre Petrum: *sic incipit caput* 2. Deinde post annos quatuordecim, iterum ascendi Ierosolymam cum Barnaba &c. *quæ ante retulimus: addit versu* 6. *de se loquens, non tanquam rudi, sed exercitato, qui nec ab aliis præcipuus & versatis in lege Christi, aliquid noui mutuari posset, vtpotè jam è tertio cælo reuersus:* mihi qui videbantur aliquid esse, nihil contulerunt, &c. & cum cognouissent gratiam quæ data est mihi, &c. qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi, &c.

2. PERCVTIENTEM, *scandalizantem, rudes animas, & subtilitatem distinctionis Marcionitarum non intelligentes.* NATVRALEM GRATIOSITATEM, *quia nouitati cuilibet, quadam arridens & blandiens gratia connata est, quam ego volo retundere.* PROVOCARE *Marcionitas ad disputandum, vt vel de ignoto tandiu Deo suo erubescant.* AD LINEAS. *Iterum curramus, congrediamur, &c.* IGNOTIS DEIS *Act.* 17. 22. Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video. Præteriens enim, & videns simulacra vestra, inueni & Aram, in qua scriptum erat: ignoto Deo. *Syr.* Dei B reconditi. PROSTITVTAS, *vel ob prophanationem diuini cultus vsque ad ignota & contemptibilia numina, vel vltimo vsu Scripturæ, vocantis idololatriam, fornicationem & Mœchiam. Ierem.* 3. 1. Fornicata es cum amatoribus multis. *& versu* 6. Abiit sibimet, super omnem montem excelsum, & sub omni ligno frondoso, & fornicata est ibi. *Et versu* 9. Facilitate fornicationis suæ contaminauit terram, & mœchata est cum lapide & ligno. *Id est Deo ligneo & lapideo adamato & adorato, Deum verum sponsum suum spreuit.* ATTICA *Atheniensis & Græca.* INCIDEMVS, *calabimus, insculpemus altari vel idolo Dei Marcionis.* RETRO, *prius.* DEVS NOTVS, *qui solus Deus verus agnitus est, omnem ignotum & falsum exclusit.* EVAGABOR, *Errabo.* VTI. *vt, si dicam.* MAIOR, *quia continens, & abscondens, majus est contento & absconso.*

3. VTRVMQVE ORDINEM. *Attributum lenitati.*

& justitiæ. DESIGNATIS, quasi signum & scopum jaculi blasphemiæ vestræ. PRO CAPTV, ut se hominum captui benignè coaptaret. LIBELLO SVO, juxta sæpius à nobis dicta, Euangelium Lucæ intelligit à Marcione consarcinatum. DE IVDICE eo ipso quod judex est sicut, &c. quasi ad sæuitiam accedentem, sæui judicis moribus proximantem. SI TAMEN, saniam audeam dicere Deum optimum Marcionis. NOTAS, probrosis & infamantibus. ANTITHESES, & ego æmulabor Marcionis librum quem inscripsit, antitheses. TENEBROSVS, obscurus in sententiis. EADEM VIA, siue à superiore descendas, siue ab inferiore ascendas, idem iter & distantia terminorum. OCCVRRISSET, siue opposuisset se malis ab eo ingruentibus, siue eis subitum remedium attulisset. HOC, supple, passus est. ILLVM PATI, Deum Creatorem tot mala permittentem, & tuus ille bonus nostrum permittere passus est. QVA, sicut & vester. FRAVDEM quæ tamen fraus verè non fuit, cum Deus verè sit Dominus auri & argenti, Aggæi 2. meum est aurum & argentum. Et justam mercedem, pro tanto labore fraudatam Israëlitas ab Ægyptiis tollere justè præcepit. ERIPIT. Fraudulentior & rapacior Deus Marcionis, qui hominem à Creatore conditum sibi vsurpat. QVALES ADLEGERET, cum scilicet eligeret Saülem postea reprobandum. MENTITVM ALICVBI. Dum per Ionam ruinam Niniue comminatus, euentus contrarius fuit, vel cum Angelus sæpè pro Deo loquitur. ALIQVEM OCCIDI, vt Isaac, &c. SEMETIPSVM, &c. animam suam ponens pro omnibus, &c. ITERABILEM, vltionem omnem prohibens iniuriæ, eam iterandi, dat licentiam. FECIT HOMICIDAM, judam filium perditionis suspendendum, NISI SI, nisi fortè dicas populum Iudæorum clamantem tolle tolle, crucifige eum homicidio non peccasse in Christum.

4. DISCAT, hæreticus Marcionista, à Iudæo, EX ABVNDANTI. Vt proprio errori superabundanter addas vendicatum à Iudæo. Qua ratione, quove modo erraueris Iudæum, quem secutus est ducem erroris, vt cæcus cæcum, in eandem simul foueam corruentes. IN HAC, &c. dum sicut Iudæus primum Christi aduentum inglorium, & mortem veram crucis scandalosam despexit, sic Marcionista & veram eius carnem, proindeque mortem veram agnoscere noluit.

5. DEMENTIA. Marcionitarum. ANNVNTIATVS, per Prophetas. PRÆDICATVS, prophetatus. SI IPSORVM, &c. si fuisset ille Christus gloriosus quem expectabant, deceptiin primo aduentu contemptibili. SCILICET, ironicè. NAVCLERO, Marcioni, nautica artis mancipio. RHODIA LEX. Nautica quidem hæc lex, sed Romana & à viris sapientissimis lata, quam Ponticus & Barbarus non nouerat, quia tamen Rhodia lex de qua agitur in Digestis, tit. ad. l. Rhodiam de jactu, ad Naucleros pertinet & nauigantes, qua jubetur, damnum proiectarum mercium in mare, juxta rerum seruatarum æstimationem, à singulis esse compensandum; facetè jocatur in Marcionem, & ironicè fingit Ponticam fortè aliquam legem, Pontico Marcioni suasisse, fas non esse credere, Iudæos circa verum Christum agnoscendum decipi potuisse. NIHIL TALE, &c. scilicet, etsi nil Prophetæ prædixissent, de hac cæcitate & errore Iudæorum. IN ILLOS, contra illos, vel de illis, STATIM non examinata causa. PRÆIVDICIVM, exemplum & imitatio similis erroris assumenda non erat. PRÆDICATVM, prædictum. AD CAVSAM, occasionem & tempus, quo de Christi passione ex professo dicemus. IGNORABILEM, qui potuerit ignorari, & de facto à cæcis Iudæis fuit ignoratus. SALVTARIVM, per quos salus intrare poterat in animam. Fides enim ex auditu, & visa eius exempla in miraculis & virtutibus saluti eorum plusquam verba seruire poterant. SOLIDANTE. Amos 3. 13. vulgata: quia ecce formans montes, & creans ventum, & annuntians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam, & gradiens super excelsa terræ; Dominus Deus exercituum nomen eius. 70. verò: quia ecce ego firmãs tonitruum, & creans spiritum, & annuntians in homines hominibus, vel in hominum credentium salutem, incredulorum reprobationem Christum suum. Faciens manè & nebulam, & ascendens super excelsa terræ, Dominus Deus omnipotens nomen ei. ET QVIS CÆCVS. Esa. 42. 19. quis cæcus, nisi seruus meus? & surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? quis cæcus, nisi qui venundatus est? & quis cæcus, nisi seruus Domini? Tertull. sequutus est 70. suo more, & hic ad verbum, excepto plurali: surdi & excæcati sunt serui Dei. SPIRITVM CREATORIS. Non quod confundat Christum cum Spiritu sancto, sed vt sæpe monui, Dei Spiritum, & Deum de Deo Christum vocat. AB INITIO, mundi, & toto veteri Testamento filius apparuit. VICARIVS, vicarius, negotia Patris gerens, sine quo factum est nihil.

6. OLIM, dudum probatum à nobis. EI, Deo Creatori. ILLAM, proprietatem veram mittendi Christum. IN HOMINES, hominibus, vel in salutem hominum. TRANSNOMINARET, id est præter Christi nomen, etiam Iesum cognominaret: vel, à viris illustribus veteris Testamenti dictis Iesu, in figura venturi veri Saluatoris, nomen in illum transfunderet. EIVS, Marcionis, IN NOMINE nomen eius vsurpantes. PAR, nomine. IPSIVS ERAT, &c. si non ipse vt verus Christus & sua Zelator gloriæ, jus habebat monendi Apostolos, vt sibi à Pseudochristis cauerent. RECIPIES, Antichristos sine dubio amplecteris, qui jam semel deceptus, Christum Dei tui optimi phantasticum recepisti, & ei ex sola nominis similitudine credidisti. HIC, Christus tuus. IN NOMINE, cum isto nomine vsurpato. QVID NVNC? quid respondebis ad hæc, ô indigne Dei optimi discipule, in secundo aduentu venientem Dominum vtriusque nominis & Christi & Iesu, iniustissimè rejicies.

MARIA VIRGO MATER DEI.

1. Maria Virgo multò dignius sine viro mater, quam fictitia Sophia Valentini. cont. Valent. cap. 10. à p.

EX semetipsa sola, nullâ operâ coniugij concepit, & procreat fœminam. Miraris hæc? Et gallina sortita est de suo parere. Sed & vultures feminas tantum aiunt: & tamen sine masculo mater

MARIA VIRGO 1. SCHOL.

EX SEMETIPSA. Sophia scilicet Valentini. FOEMINAM, entymesin id est animationem cum passione. θυμὸς enim animum vehementem significat, vnde deriuata entymesis, id est cogitatio intenta, conceptus animi vehemens. Quod Virgini applicari potest; non quod in ea Christus fuerit animatus cum passione & corruptione virginitatis, sed quod vehementer intenta Verbis Angeli, cogitabat qualis esset ista salutatio: beatior vtique mente quam ventre. Nec fœminam concepit vt Sophia fabulosa, sed vera Mater simul & Virgo: de qua Propheta canit: fœmina circundabit virum. SORTITA, hoc habet à natura gallina, vt possit oua sine galli copula parere.

parere. VVLTVRES, *sic Ælianus & alij.* MATER, *unicum in vultur, masculo carens, vento Australi excepto concepit & parit. Quantò magis Virgo Maria, quæ concepit de Spiritu sancto, vento vtique Australi. de quo Abacuc. 3* Deus ab Austro veniet, *Spiritus à meridie. Procedit enim vt amor.* Et sanctus *filius de quo dictum ab Angelo, quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei* de monte Pharan, *seu vt vertit Aug.* de monte vmbroso *Virgine obumbrata, virtute altißimi, quæ* præparatus est mons Domini, in vertice montium. *De hoc conceptu sine masculo Aug. Ser. 10. de Tempore.* Probat virtutem Domini ordo nascendi, concepit Virgo virilis ignara consortij. Impletur vterus, nul-
S. Aug. lo humano pollutus amplexu. *Quod fuit penitus ignotum Salomoni fatenti:* quartum penitus ignoro, viam viri in adolescentula: *Hebræis, Almah, Virgine clausa & abscondita. De qua & Iob, loquens de Christo aue Orientali, Ornomegia, aue Regia, carente masculo, ex sanguine cordis grauida,* semitam ignorauit auis, nec intuitus est oculos vulturis. *Augustinus tom. 6. lib. de*
S. Aug. *quinque hæresibus cap. 5. Virginis Matris eiusque filij integritatem contra Manich. sic tuetatur:* Frustrà Manichæe conaris aduersari Prophetis: ecce Apostolus dicit: Rom. 1. 3. de filio suo qui factus est ei de semine Dauid secundùm carnem. Quod Prophetæ præuiderunt & prædixerunt, hoc Apostoli viderunt, & prædicauerunt, qui erat, factus est. Quid erat? quid factus est? Io. 1. 14. Verbum erat, caro factus est. Deus erat, homo factus est: suscepit humanitatem, non amisit diuinitatem: factus humilis, mansit sublimis: natus est homo, non destitit esse Deus: natus est paruulus, latens magnus: qui libenter amplectitur

A ctitur Deum natum, non horreat Virginis partum: Dicit tibi Deus Creator hominis, filius hominis, quid est quod te permouet in mea Natiuitate? Non sum libidinis conceptus cupiditate. Ego matrem, de qua nascerer, feci: ego viam meo itineri præparaui atque mandaui, *eam à peccato præseruando, & à communi debito liberando.* Hanc quam despicis Manichæe, Mater est mea, sed manu fabricata est mea. Si potui inquinari cùm eam facerem; potui in illa inquinari cùm ex ea nascerer. Sicut transitu meo illius non est corrupta virginitas, sic & mea non est ibi maculata maiestas. Si Solis radius cloacarum sordes desiccare nouit; eis inquinari non nouit: quantò magis splendor lucis æternæ, in quo nihil inquina-
B menti incurrit, quocumque radiauerit, mundare potest, ipse pollui non potest? Stulte, vnde sordes in Virgine Matre, vbi non est concubitus cum homine patre? vnde sordes in ea quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo est perpessa dolorem? vnde sordes in domo ad quam nullus habitator accessit? Solus ad eam Dominus & fabricator eius venit, vestem quam non habebat, induit: eamque sicut inuenit, clausam reliquit. Sicut ille natus est solus inter mortuos liber: sic istius, ex qua natus est Matris pudor, solus est integer. Eua inobediens meruit pœnam, Maria obediendo consecuta est gratiam. Illa gustando prohibitum, maledicta: hæc credens Angelo, est benedicta. Illa nobis mortem contulit, hæc Virgo vitam nobis peperit. Quid agis Manichæe? Christianum premis, non Christum defendis. Taceat immunda vanitas, quia munda nata est veritas.

2. *Maria vera Mater Christi, Eua contraria: ex ea Christus vt de terra Virgine primus Adam, veram carnem sine viri semine accepit; & contrarius Caïno, & Abele melior, occisores suos saluauit. De Car. Chri. cap. 16. in f. & 17. per totum.*

CEterùm, (quod ad omnes dictum sit, qui ideo non putant carnem nostram in Christo fuisse, quia non fuit ex viri semine) recordentur Adam ipsum in hanc carnem, non ex semine viri factum. Sicut terra conuersa est in hanc carnem sine viri semine, ita & Gen. 2. 7.
Dei verbum potuit sine coagulo in eiusdem carnis transire materiam. Sed remisso Alexan- CAPVT
dro cum suis syllogismis, quos in argumentationibus torquet, etiam cum Psalmis Valen- XVII.
tini, quos magna impudentia, quasi idonei alicuius auctoris interserit, ad vnam jam lineam congressionem dirigamus; An carnem Christus ex Virgine acceperit; vt hoc præcipuè modo humanam eam constet, si ex humana matrice substantiam traxit. Quanquam liquit jam & de nomine hominis, & de statu qualitatis, & de sensu tractationis, & de exitu passionis humanam constitisse. Ante omnia autem commendanda erit ratio quæ præfuit, vt Dei filius de virgine nasceretur. Nouè nasci debebat, nouæ natiuitatis dedicator, de qua signum daturus Dominus, ab Esaïa prædicabatur. Quod est istud signum? [a] *Ecce* a Esa. 7.
Virgo concipiet in vtero, & pariet filium. Concepit igitur Virgo & peperit Emmanuelem, 14.
nobiscum Deum. Hæc est natiuitas noua, dum homo nascitur in Deo, in quo homine Deus natus est, carne antiqui seminis suscepta, sine semine antiquo, vt illam nouo semine, id est spiritaliter reformaret, exclusis antiquitatis sordibus expiatam. Sed tota nouitas ista, sicut & in omnibus, de veteri figurata est, rationali, per virginem, dispositione, Domino nascente. Virgo erat adhuc terra, nondum opere compressa, nondum sementi subacta: Gen. 2. 7.
ex ea hominem factum accepimus à Deo in animam viuam. Igitur, si [b] *primus Adam de* b 1. Cor.
terra traditur; meritò sequens, vel nouissimus Adam, vt Apostolus dixit, proinde de terra, 15. 45.
id est carne nondum generationi resignata, *in spiritum viuificantem* à Deo est prolatus. Et *ibid.*
tamen, ne mihi vacet incursus nominis Adæ; vnde Christus Adam ab Apostolo dictus est, si terreni non fuit census homo eius? Sed & hic ratio defendit, quòd Deus imaginem & similitudinem suam à diabolo captam æmula operatione recuperauit. In virginem enim adhuc Euam irrepserat verbum ædificatorium mortis. In virginem æquè introducendum erat Dei verbum extructorium vitæ, vt quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eua serpenti: credidit Maria Ga- Gen. 3. 6.
brieli. quod illa credendo deliquit, hæc credendo deleuit. Sed Eua nihil tunc concepit in Luc. 1. 38.
vtero ex diaboli verbo. Immò concepit. Nam exinde vt abjecta parêret, & in doloribus pareret, verbum diaboli semen illi fuit. enixa est denique diabolum fratricidam. Contrà, Gen. 4. 8.

Maria eum edidit, qui carnalem fratrem Israël, interemptorem suum, saluum quandoque præstaret. In vuluam ergo Deus verbum suum detulit, bonum fratrem, vt memoriam mali fratris eraderet. Inde prodeundum fuit Christo, ad salutem hominis, quò homo jam damnatus intrauerat.

MARIA VERA MATER. 2. SCHOL.

CARNEM NOSTRAM, *veram, & nostræ similem habuisse Christum.* NON FVIT, *facta.* IN HANC CARNEM, *ex hac carne compositum.* COAGVLO, *copula viri & mulieris, & permixtione seminis. Vnde Iob:* sicut caseum me coagulasti. ALEXANDRO, *quem idem Tertul. dicit:* de Valentini factione. *Et Suidas facit Episcopum Hierapoleos, & Martyrem, qui scripserit sententias reconditas, de nouo, quod Christus in mundum intulit. Sed non ille fuit; cum ex ipso Tertul. cont. Valent. c. 29. & Scorp. c. 1. Valentinianos vocet* refragatores Martyrij. *Vnde alium intellexit huius nominis.* PSALMIS, *quos peruerterat immittendo verba sua Daviditis.* TORQVET, *contra veritatem carnis Christi, vel vim inferens Scripturæ malè intellectæ.* VNAM LINEAM. *Metam, scopum.* MATRICE, *vtero materno.* LIQVIT, *alij,* licuit *veteres enim mutabant sic literam.* Planum *fuit & clarum.* DE NOMINE. *Ex nomine hominis, & filij hominis toties in nouo Testamento repetito.* STATV QVALITATIS, *qualis homo fuerit, paßibilis scilicet & mortalis.* SENSV TRACTATIONIS, *quod contrectando, sensui tactus fuerit palpabilis.* EXITV PASSIONIS. *morte Crucis, de qua Psaltes juxta expositionem Augustini:* & Domini Domini exitus mortis. PRÆFVIT, *ob quam præcipuè Christus factus est filius Virginis.* NOVE, *nouo modo, non communi.* NOVÆ NATIVITATIS, *qui nouam de Spiritu sancto hominum natiuitatem in se consecrabat: vel de nouo instituebat Io. 3.* nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c *Vnde D. Leo:* dedit aquæ, quod dedit Matri. *Et Chrysol. Ser. 117. ex verbis Pauli,* qualis cœlestis, tales & cœlestes. *Sic fatur:* hinc est fratres, quod virgineum fontis vterum, cœlestis spiritus, arcana luminis sui admixtione fœcundat: vt quos origo limosæ stirpis profuderat sub misera conditione terrestres, cœlestes pariat, & ad similitudinem sui perducat authoris. SIGNVM. *Esa. 7.* Dabit Dominus ipse vobis signum, &c. PEPERIT EMMANVELEM NOBISCVM DEVM. *Sic enim sonat. Vox Hebræa: & propriè exprimit Christum mediatorem Dei & hominum; de quo sic Aug lib. 8. de Genesi ad lit. cap. 14.* Adhuc, inquit, est bonum, quod dolet amissum bonum: nam nisi aliquod bonum remansisset in natura, nullus boni dolor esset in pœna. Cui autem sine mali experimento placeat bonum, id est, vt antequam boni amissionem sentiat, eligat tenere ne amittat, super omnes homines prædicandus est. Sed hoc nisi cuiusdam singularis laudis esset, non illi puero tribueretur, qui ex genere Israël factus, Emmanuel nobiscum Deus, reconciliauit nos Deo, hominum & Dei homo mediator, Verbum apud Deum, caro apud nos, Verbum caro inter Deum & nos. De illo quippe Propheta dicit, priusquam sciat puer bonum aut malum, contemnet malitiam, vt eligat bonum. Quomodo quod nescit aut contemnit aut eligit, nisi quia hæc duo sciuntur aliter per prudentiam boni, aliter per experientiam mali? per prudentiam boni, malum scitur, & si non sentitur. Tenetur enim bonum, ne amissione eius sentiatur malum. Item per experientiam mali scitur bonum, quoniam quid amiserit sentit, cui de bono amisso malè fuerit. Priusquam sciret ergo puer per experientiam, aut bonum quo careret, aut malum quod boni amissione sentiret, contempsit malum vt eligeret bonum, id est noluit amittere quod habebat, ne sentiret amittendo quod amittere non debebat. Singulare exemplum obedientiæ, (S. Aug.)

A quippe qui non venit facere voluntatem suam, sed eius voluntatem à quo missus est: non sicut ille qui elegit facere voluntatem suam, non eius à quo factus est. Meritò sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obedientiam justi constituuntur multi: quia sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes viuificabuntur. IN DEO, *ex Deo Io. 1.* Ex Deo nati sunt. IN QVO, *ex quo. vel alludit ad Psaltem alibi expositum:* homo natus est in ea. ANTIQVI SEMINIS, *id est ex carne verè sumpta per Virginem, virili quidem semine ortam, sed absque peccato originali, cuius filius ex ipsa sola de Spiritu sancto conceptus absque viri semine.* VT ILLAM, *carnem hominis. Hic sumit carnem pro toto*

B *homine, seu natura humana reformata per Christum. Vel si carnem strictè sumas, intellige dotem in resurrectione de qua Paulus:* resurget spiritale. DE VETERI, *juxta vetus Testamentum, & primi hominis de terra Virgine natiuitatem.* OPERE, *agricultura.* SEMENTI, *semini suscipiendo exarata & culta.* RESIGNATA, *aperta; clausa semper manente Virgine.* VACET, *ne frustra occurras mihi legenti Paulum, nomen Adæ Christo applicatum. Si enim non censum, id est originem traxit Christus à Maria terra virginea, cur eum Paulus Adam & hominem vocat?* RATIO DEFENDIT, *tuetur veritatem originis Christi de Virgine.* IMAGINEM, *hominem.* ÆMVLA OPERATIONE, *Deus zelotes operatione simili redemit hominem, quem diabolus captiuauit.* ÆDIFICATORIVM, &c. *suggerente serpente mortale virus,* nequa-

C quam moriemini. REDIGERETVR, *reduceretur: Pulcherrimè Augustinus 13. de Trinit. c. 18.* Poterat vtique Deus hominem aliunde suscipere, in quo esset mediator Dei & hominum, non de genere illius Adam, qui peccato suo genus obligauit humanum; sicut ipsum quem primum creauit, non de genere creauit alicuius. poterat ergo vel sic, vel alio quo vellet modo, creare vnum alium hominem, de quo vinceretur victor prioris: *aduerte operationem Dei æmulam & victricem, reparatricem damnorum Euæ, caput serpentis conterentem* sed melius judicauit, vt de ipso quod victum fuerat genere, assumeret hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum. Et tamen ex virgine, cuius conceptum, spiritus, non (S. Aug.)

D caro; fides, non libido præuenit, nec interfuit carnis concupiscentia, per quam seminantur & concipiuntur cæteri, qui trahunt originale peccatum: Sed ea penitus remotissima, credendo, non concumbendo, sancta est fœcũdata virginitas; vt illud quod nascebatur ex propagine primi hominis, tantummodo generis, non etiam criminis, originem duceret. Nascebatur nãque non transgressionis cognatione vitiata natura, sed omnium talium vitiorum sola medicina. Nascebatur, inquam, homo nullum habens, nullum habiturus omnino peccatum, per quem renascerentur liberandi à peccato, qui nasci non possunt sine peccato, &c. oportebat itaque vt ista carnalis concupiscentia nulla ibi esset omnino, quando concipiebatur virginis partus, in quo nihil

E dignum morte fuerat inuenturus, & eum tamen occisurus author mortis, authoris vitæ morte vincendus. Victor primi Adam, & tenens genus humanum, victus à secundo Adam, & amittens genus Christianum, liberatum ex humano genere ab humano crimine, per eum qui non erat in crimine, quamuis esset ex genere; vt deceptor ille ab eo vin-

cretur genese, quod vicerat crimine. Et hoc ita gestum est, vt homo non extollatur, sed, qui gloriatur, in Domino glorietur: qui enim victus est, homo tantum erat; & ideo victus est, quia superbè Deus esse cupiebat. Qui autem vicit, & homo erat, & Deus: ideo sic vicit natus ex virgine, quia Deus similiter, non quomodo alios sanctos regebat illum hominem, sed gerebat. *Et hæc est juxta Tertull. æmula Dei operatio. Quod hîc habet Tertull. de differentia Euæ, & Mariæ, pulcherrimè exponit Aug. l.3. de Symbolo ad Catechumenos cap.4.* Iisdē gradibus, dilectissimi, quibus perierat humana natura, à IESV Christo Domino nostro reparata est. Adam superbus, humilis Christus. Per fœminam mors, per fœminā vita. Per Euam interitus, per Mariam salus. Illa corrupta secuta est seductorem; hæc integra peperit Saluatorem. Illa poculum à serpente propinatum libenter accepit, & viro tradidit, ex quo simul mererentur occidi: hæc gratia cœlesti desuper infusa vitam protulit, per quam caro mortua possit resuscitari. Quis est qui hæc operatus est, (*operatione æmula*) nisi virginis filius, & virginum sponsus? qui attulit matri fœcunditatem, sed non abstulit integritatem. Quod contulit matri suæ, hoc donauit & sponsæ suæ. Denique sancta Ecclesia, quæ illi integro integra conjuncta est, quotidie parit membra eius, & virgo est. *Et Ser. 15. de Temp.* Quoniam, inquit, diabolus per serpentem Euæ locutus, per Euæ aures mundo intulit mortem: Deus per Angelum ad Mariam protulit verbum, & cunctis sæculis vitam effudit. Angelus sermonem eiecit, & Christum virgo concepit. *& lib. 1. cont. Iul. cap. 3. Irenæum referens:* quemadmodum, inquit, adstrictum est morti genus humanum per virginem, soluatur per virginem, æquâ lance dispositâ virginali inobedientiâ, per virginalem obedientiam. Adhuc enim protoplasti peccato per correptionem primogeniti, emendationem accipiente, serpentis prudentia deuicta per simplicitatem columbæ, vinculis illis resoluti sumus, per quæ alligati eramus morti. IMÒ CONCEPIT. *Aug. ser. 20. de verb. Do. in verba Matth. 24.* Væ prægnantibus & nutrientibus, omnis homo concipit, nec vllus potest esse sine conceptu. Sed alij concipiunt de Christo, alij de Diabolo. Sicut enim de illis qui à Diabolo concipiunt, dicitur Psal. 7. concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Ita & de illis, qui à Spiritu Sancto concipiunt, scriptum est Esa.26. à timore tuo in vtero concepimus, & peperimus spiritum salutis tuæ. ABIECTA, *deiecta, obediens & succumbens tentationi.* SEMEN ILLI, &c. *quo proprium peccatum concepit, dolorem cordi fixurum, simul & corpori, cui dictum:* in dolore paries. ENIXA EST, *operâ quidem, Adæ viri primogenitum* Cain, DIABOLVM, *non naturâ, sed homicidij imitatione. August. tract. 42. in Io.* Vnde Iudæi filij diaboli? imitando, non nascendo. Audite Scripturæ sanctæ consuetudinem. Propheta Ezech. 16. dicit ad ipsos Iudæos: Pater tuus Amorrhæus, & Mater tua Cethæa &c. Iudæi imitati sunt impietates illorum, inuenerunt sibi parentes, non de quibus nascerentur, sed quorum mores sectantes, pariter damnarentur. CARNALEM FRATREM, *quia Christus ex semine Abrahæ per Mariam.* INDE, *ex vtero virginis.* HOMO IAM DAMNATVS. *Cain ob peccatum originale, quod primus incurrit, in massa damnationis; vel quia erat caput damnatorum & reproborum, in præscientia Dei.*

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

3. *Maria, terra Virgo, fructifera. cont. Iud. cap. 13. à p.*

[a] TErra *dedit benedictiones suas.* Vtique illa terra virgo, nondum pluuiis rigata; nec imbribus fœcundata, ex qua homo tunc primùm plasmatus est; ex qua nunc Christus secundùm carnem ex virgine natus est.

a Psal.66. 5. Gen.2.5.

MARIA. 3. SCHOL.

TERRA DEDIT. *Respicit Psal. 66. 5.* terra dedit fructum suum. *quem locum Aug. applicat animæ:* terra erat, spinis plena erat. accessit eradicantis manus, accessit vocatio maiestatis eius, & misericordiæ; cœpit terra confiteri, jam dat fructum suum. daret fructum suum, nisi ante complueretur? Audi compluentem Dominum, agite pœnitentiam &c. pluit, & ipsa pluuia tonitruus est, terret: time tonantem, & excipe pluentem. *Sed Tertull. mysticam terram Mariam intelligit, quæ in vno fructu, benedicto fructu ventris sui, plusquam Sara, dedit benedictiones suas: in eius enim semine Christo, benedictæ sunt nationes.* De *hac terra Psal.* 84. Benedixisti Domine terram tuam: auertisti captiuitatem Iacob. *quam captiuitatem August. exponit ibidem ex Rom.* 7. de lege peccati in membris repugnante legi mentis. *Hanc captiuitatem auertit Deus à Maria, de qua subiicit Psaltes,* vt inhabitet gloria in terra nostra. *de qua terra rursum:* veritas de terra orta est &c. *Aug. ibid.* veritas de terra orta est, Christus de fœmina natus est. veritas de terra orta est, filius Dei de carne processit. Quid est veritas? filius Dei. Quid est terra? Caro. Interroga vnde natus est Christus, & vides quia veritas de terra orta est. Sed hæc veritas quæ orta est de terra, erat ante terram, & per ipsam factum est Cœlum & terra. Sed vt justitia de cœlo prospiceret, id est, vt justificarentur homines diuinâ gratiâ, veritas nata est de Maria Virgine, vt posset pro illis justificandis offerri Sacrificium, Sacrificium passionis, Sacrificium Crucis: Et vnde offerret Sacrificium pro peccatis nostris, nisi moreretur? vnde autem moreretur, nisi à nobis sumeret carnem mortalem? &c. quomodo carnem indueret nisi veritas de terra oriretur? NONDVM PLVVIIS &c. *Gen. 2. 5.* Non enim pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat, qui operaretur terram. *Benè quadrat virgini, nulla pluuia aut cultu humano viri Ioseph irrigata, & culta; sed Verbum* Dei, descendit sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram, *de quo & per alium Prophetam:* Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem. *August. lib. de fide & Symbolo c. 4.* operante Dei benignitate *alludit ad illud Psalmi præcitati, Dominus dabit benignitatem, siue vt vertit Aug. suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum* ab illa incommutabili Dei Sapientia natura nostra mutabilis suscepta est, &c. Credentes in eum Dei filium, qui natus est per Spiritum Sanctum ex Virgine Maria. dono enim Dei, hoc est Spiritu Sancto, concessa nobis est tanta humilitas tanti Dei, vt totum hominem suscipere dignaretur in vtero virginis.

S. Aug. S. Aug. S. Aug.

4. *De Maria vtero Virginali, sine viro, Christi caro floruit. 3. cont. Marc. cap. 20. in m.*

NEc enim hæc in Dauid interpretaberis; quia præmisit, [a] *Et disponam vobis dispositionem æternam, religiosa & fidelia Dauid.* Atquin hinc magis Christum intelligere de-

a Esa. 55. 3.

bebis ex Dauid deputatum, carnali genere, ob Mariæ Virginis censum De hoc enim pro-
b Ps. 131. 11. missο juratur in Psalmo ad Dauid, [b] *Ex fructu ventris tui collocabo super thronum tuum.* Quis
iste venter est? ipsius Dauid? vtique non. neque enim pariturus esset Dauid. sed nec vxoris
eius. Non enim dixisset, *Ex fructu ventris tui*; sed potius, ex fructu ventris vxoris tuæ Ipsius
ergo dicendo ventrem, superest vt aliquem de genere eius ostenderit, cuius ventris futurus
esset fructus, caro Christi, quæ ex vtero Mariæ floruit. Ideoque & fructum ventris tantum
nominauit, vt propriè ventris; quasi solius ventris, non etiam viri: & ipsum ventrem ad
Dauid redegit; ad principem generis, & familiæ patrem. nam quia viro deputare non po-
terat Virginis eum ventrem, patri deputauit. Ita, quæ in Christo noua dispositio inuenitur
c Esa. 55. 3. hodie, hæc erit quam tunc Creator pollicebatur; [c] *Religiosa & fidelia Dauid* appellans, quæ
erant Christi, quia Christus ex Dauid: immò ipsa erit caro eius, *Religiosa & fidelia Dauid*,
jam sancta religione, & fidelis ex Resurrectione. Nam & Nathan Propheta in secundo Ba-
d 2. Reg. 7. 12. siliarum, professionem ad Dauid facit semini eius [d] *quod erit*, inquit, *ex ventre ipsius.* Hoc
si in Salomonem simpliciter edisseres, risum mihi incuties. Videbitur enim Dauid peperisse
Salomonem. An & hic Christus significatur, ex eo ventre semen Dauid, qui esset ex Dauid,
id est Mariæ? Quin & ædem Dei magis Christus ædificaturus esset, hominem scilicet san-
ctum, in quo potiore templo inhabitaret Dei Spiritus, & in Dei Filium magis Christus
habendus esset, quàm Salomon Filius Dauid.

DE MARIÆ VTERO. 4. SCHOL.

IN DAVID *de Dauid.* ET DISPONAM, &c. *Esa.* 55. 3. *vulgata*: feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias Dauid fideles. 70. Et constituam vobis testamentum æternum sancta Dauid fidelia. ATQVIN, *atqui.* DEPVTATVM, *Prophetatum, oriundum ex genere Dauid.* CENSVM, *originem.* IVRATVR. *Psal.* 131. 11. Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super
S. Aug. sedem tuam. *Aug. ibidem*: quid est jurauit? promissum per seipsum firmauit Quid est, non penitebit eum? non mutabit. Non enim dolorem pœnitentiæ patitur Deus, aut in aliquo fallitur, vt velit corrigere in quo errauit, &c. Ex fructu ventris tui, &c. poterat dicere ex fructu femoris tui. Quare ex fructu ventris voluit dicere? & illud quidem *femoris* si diceret, verum diceret: sed significantius dicere voluit ex fructu ventris, quia de fœmina natus est Christus, quò vir non accessit. PROPRIE VENTRIS, *vt soli ventri virginali, sine viro Ioseph genitus sit Christus.* REDEGIT, *restrinxit.* AD DAVID, *quod Virgo de genere Iuda per Dauid ortum duceret.* VIRO DEPVTARE. *Iosepho applicare.* PATRI DEPVTAVIT, *Dauidi apropriauit. Licet venter & corpus Virginis jure matrimonij ad*

A *virum Ioseph pertineret, sed & ipse Virgo, juri suo cessit de quo Paulus*: mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir. NOVA DISPOSITIO. *De qua initio*, & disponam vobis, &c. HODIE. *In nouo Testamento impleta, vt in veteri prædicta ab eodem Christo per Prophetam prædicente, & in se implente. Sic enim Paulus:* Iesus Christus heri & hodie. *Heri in veteri, hodie in noua dispositione.* SANCTA, quod enim nascetur ex te Sanctum. RELIGIOSA, *quia colitur Latriâ, ob vnicum Verbi suppositum, Deus homo cultu latriæ.* FIDELIS, *quia fideliter impleuit, quod vt se verè moriturum, sic resurrecturum promiserat.* BASILIARVM, *secundi Regum* 7. 5. PROFESSIONEM, *promissionem. Sic habet textus*
B *juxta vulgata*: suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo. 70. *Parabo*: regnum eius &c. VIDEBITVR, *nihil mirum, non erit magna Prophetia, sed ridicula res erit. Quis enim ignorat Dauid genuisse Salomonem?* AN ET, &c. *an non potius hic locus de Messia explicandus est, vt verè prophetarit Nathan?* ÆDEM DEI, *humanitatem suam, domum & templum de quo Prouerb.* 9. Sapientia ædificauit sibi domum; *Et Christus ipse de templo corporis sui loquens*: soluite templum hoc, &c.

5. *Maria Christi Mater, & virga Iesse, de qua Christus flos, & filius Dauid secundùm carnem: quam veram esse tota eius genealogia conuincit. De Car. Chri. cap. 21. inf. & 22. per totum.*

a Esa. 11. 1. AN quia ipse est [a] *flos de virga projecta ex radice Iesse*: radix autem Iesse, genus Dauid:
virga ex radice, Maria ex Dauid: flos ex virga, filius Mariæ, qui dicitur Iesus Chri-
stus, ipse erit & fructus? Flos enim fructus: quia per florem & ex flore omnis fructus eru-
ditur in fructum. Quid ergo? negant & fructui suum florem, & flori suam virgam, & virgæ
suam radicem, quo minus suam radix sibi vendicet per virgam proprietatem eius quod ex
Matth. 1. 1. & seq. virga est, floris & fructus. Siquidem omnis gradus generis ab vltimo ad principalem recen-
Luc. 3. 23. setur. vt jam nunc carnem Christi, non tantum Mariæ, sed & Dauid per Mariam, & Iesse
per Dauid, sciant adhærere. Ideo hunc fructum ex lumbis Dauid, id est, ex posteritate
Psal. 131. 11. carnis eius jurat illi Deus concessurum in throno ipsius. Si ex lumbis Dauid, quantò ma-
gis ex lumbis Mariæ, ob quam in lumbis Dauid? Deleant igitur & testimonia [b] *dæmonum*
Cap. XXII. b Luc. 4. 41. *filium Dauid proclamantia Iesum*: sed testimonia Apostolorum delere non poterunt, si
dæmonum indigna sunt. Ipse in primis Matthæus, fidelissimus Euangelij commentator,
vt comes Domini, non aliam ob causam, quàm vt nos originis Christi carnalis compotes
c Matth. 1. 1. faceret, ita exorsus est: [c] *Liber genitura Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham.* His originis
fontib. genere manante, cùm gradatim ordo deducitur ad Christi natiuitatem, quid aliud
quàm caro ipsa Abrahæ & Dauid, per singulos traducem sui faciens, in Virginem vsque de-
scribitur inferens Christum? immò ipse Christus proditur de Virgine? Sed & Paulus, vt-
pote eiusdem Euangelij & discipulus & magister, & testis, quà eiusdem ipsius Christi Apo-
d Ro. 1. 3. stolus; confirmat [d] *Christum ex semine Dauid secundùm carnem*, vtique ipsius. Ergo ex semine

Dauid caro Christi. Sed secundùm Mariæ carnem, ex semine Dauid: ergo ex Mariæ carne est, dum ex semine est Dauid. Quocunque detorseris dictum, aut ex carne est Mariæ, quod ex semine est Dauid: aut ex Dauid semine est, quod ex carne est Mariæ. Totam hanc controuersiam dirimit idem Apostolus, ipsum definiens esse Abrahæ semen. Cùm Abraham, vtique multò magis Dauid, quasi recentioris. Retexens enim promissionem benedictionis nationum in nomine Abraham, [e] *Et in semine tuo benedicentur omnes nationes*: non, inquit, *dixit*, *seminibus*, *tanquam de pluribus*; *sed semine*, *tanquam de vno*, *quod est Christus*. Qui hæc legimus & credimus, quam debemus & possumus agnoscere in Christo carnis qualitatem? vtique non aliam, quàm Abraham; siquidem semen Abraham Christus: nec aliam, quàm Iesse; siquidem ex radice Iesse flos Christus: nec aliam, quàm Dauid; siquidem fructus ex lumbis Dauid, Christus: nec aliam, quàm ex Maria; siquidem ex Mariæ vtero, Christus. Et adhuc superius: nec aliam, quàm Adam; siquidem secundus Adam, Christus. Consequens ergo est, vt aut illos spiritalem carnem habuisse contendant, quò eadem conditio substantiæ deducatur in Christo; aut concedant carnem Christi spiritalem non fuisse, quæ non de spiritali stirpe censetur.

e Gen. 22. 18. Gen. 26. 3. Gal. 3. 16. Esa. 11. 1. Psal. 131. 11. 1. Cor. 15. 45.

MARIA. 5. SCHOL.

RADIX IESSE. *Esa. 11. 1. Vulgata cum 70. consonant*: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. *Aug. in Psal. 72. cui titulus*: defecerunt hymni Dauid, filij Iesse. *Sic fatur*: erat Dauid Rex Israel filius Iesse tempore quodam veteris Testamenti, quo tempore nouum Testamentum occultatum ibi erat, tanquam fructus in radice. Si enim quæras fructum in radice, non inuenis: nec tamen inuenis in ramis fructum, nisi qui de radice processerit, &c. Quemadmodum ipse Christus secundùm carnem nasciturus, in radice erat occultus in semine Patriarcharum, & quodam tempore reuelandus, tanquam fructu apparente, sicut scriptum est: floruit virga de radice Iesse, &c. Quid sibi vult fratres quod Abraham mittens seruum suum fidelem ad desponsandam vxorem vnico filio suo, facit eum jurare sibi, & in juramento dicit ei; pone manum sub femore meo, & jura? quid erat in femore Abrahæ, &c. quid ibi erat, nisi quod & tùc ei promissum est, in semine tuo benedicentur omnes gentes? femoris nomine caro significatur, de carne Abrahæ per Isaac & Iacob, & ne multa commemoremus per Mariam Dominus noster Iesus Christus. PROIECTA, *emissa*, *producta*. FLOS FRVCTVS. *Sic per Salomonem virgo præfata*: flores mei fructus honoris & honestatis. *Item in Canticis*: si flores fructus parturiunt. FRVCTVS, *primus & præcox Prophetiarum scilicet*. ERVDITVR. *ruditiem & acerbitatem deponit*, *vt in fructum veritatis discat maturescere*. *Vel Christus ipse*: puer crescebat & proficiebat ætate & sapientia. *Et virgo in Canticis de Herode vulpecula cum suis fingente Christum adorare velle, sic Magis loquitur*: capite nobis vulpes, paruulas quæ demoliuntur vineas, (*paruulos innocentes*) nam vinea nostra floruit: *Christus scilicet infans, donec fieret* botrus Cypri dilectus in vineis Engaddi, *& maturus fructus prælo crucis exprimeretur*. NEGANT. *Valentiniani*. FRVCTVI, *negant veritatem carnis Christi & totam eius œconomiam*. *Vt & Marcionitæ subito fingunt de cælo lapsum perfectum virum, in Sinagogam, fructum doctrinæ & miraculorum edentem, sed florem natiuitatis, & profectum infantis in puerum, pueri in adolescentem, & huius in virum respuunt*. IVRAT. *vt supra Psal. 31*. Iurauit Dominus Dauid veritatem, &c. TESTIMONIA DÆMONVM. *Nullibi in Euangelio dæmones Christum dixerunt filium Dauid*, *sed vel Cæci*, *vel Chananæa*. *Lapsus est memoriæ*. *Qui tamen hoc loco venialis non est*, *cum hic probare velit Christum filium Dauid*. *Sed & ipse Tertull. testimonia dæmoniorum indigna Christo rectè subiicit*, *qui* increpans non sinebat ea loqui. COMMENTATOR, *Scriptor*. GENITVRÆ, *pro eo quod habet vulgata*: generationis. PRODITVR. *dicitur natus*. EX SEMINE DAVID. *Rom. 1. 3*. qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem. *Aug. tract. in Psal. 118*. non erat factus vnigenitus, cum per eum facta sunt omnia: sed factus est ex semine Dauid, &c. vt esset IESVS, id est Saluator, qui jam erat Creator. RECENTIORIS, *proximioris*. ET IN SEMINE. *Gal. 3. 16*. Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit, & seminibus, quasi in multis: sed quasi in vno: & semini tuo, qui est Christus. *Aug. Ser. 61. de Verb. Do*. Vnus nobiscum factus est, secundùm semen Abrahæ, in quo benedicentur omnes gentes: quod cum commemorasset, ait Apostolus, non dicit in seminibus &c. & quia & nos ad id pertinemus quod est Christus, nobis simul corporatis, & illi capiti cohærentibus, vnus est Christus. & quia & nobis dicit: ergo Abrahæ semen estis secundùm promissionem hæredes: si enim vnum est semen Abrahæ, & illud vnum semen Abrahæ non intelligitur nisi Christus; hoc autem semen Abrahæ nos sumus: hoc ergo totum, id est caput & Corpus vnus est Christus. CONDITIO *qualitas carnis spiritalis*. DEDVCATVR, *concludatur*, *fuisse in Christo*, *ex his omnibus per veram generationem deducto & producto*. CENSETVR, *non dicit originem*, *vel*, *non recensetur ex genealogia spiritali*.

S. Aug. S. Aug. S. Aug.

6. Maria vera Christi mater, *quia non solum in ea*, *sed ex ea*, *de Spiritu sancto*, *non ex voluntate viri Christus natus est*; *Et eius vberibus enutritus*, *absque corruptione virginali*.
De Car. Chri. cap. 20. per totum. & 21. in p.

QValis est autem tortuositas vestra; vt ipsam *Ex* syllabam præpositionis officio adscriptam, auferre quæratis, & aliâ magis vti, quæ in hac specie non inuenitur penes Scripturas Sanctas? Per Virginem dicitis natum, non ex Virgine; & in vulua, non ex vulua. quia & Angelus in somnis ad Ioseph, [a] *Nam quod in ea natum est*, inquit, *de Spiritu sancto est*; non dixit ex ea. Nempe tamen, etsi *ex ea* dixisset, in ea dixerat. In ea enim erat, quod ex ea erat. Tantumdem ergo, & cùm dicit, in ea, & ex ea, consonat: quia ex ea erat, quod in ea erat. Sed benè, quod idem dicit Matthæus, originem Domini decurrens ab Abraham vsque ad Mariam, [b] *Iacob*, inquit, *generauit Ioseph*, *virum Mariæ*, *ex qua nascitur Christus*. Sed & Pau-

a Matth. 1. 20. b ibid. 16.

e Gal. 4. 4. lus Grammaticis istis silentium imponit: [e] *Misit*, inquit, *Deus filium suum factum ex muliere.*
Nunquid per mulierem, aut in muliere? Hoc quidem impressius, quod factum potius di-
d Io.1.14. cit, quàm natum: simplicius enim enunciasset natum. Factum autem dicendo; &, [d] *Ver-
bum caro factum est*, consignauit; & carnis veritatem ex Virgine factam adseuerauit. Nobis
quoque ad hanc speciem Psalmi patrocinabuntur, non quidem Apostatæ & hæretici, &
Platonici Valentini; sed sanctissimi & receptissimi Prophetæ Dauid. Ille apud nos canit
Christum, per quem se cecinit ipse Christus. Accipe Christum, & audi Dominum Patri
e Psal. 21. 9. Deo colloquentem: [e] *Quia tu es qui auulsisti me ex vtero matris meæ.* Ecce vnum. *Et spes mea ab
vberibus matris meæ, super te sum proiectus ex vulua.* ecce aliud: *Et ab vtero matris meæ Deus meus
es tu.* ecce aliud. Nunc ad sensus ipsos decertemus. *Auulsisti me*, inquit, *ex vtero.* Quid auel-
litur, nisi quod inhæret? quod infixum, innexum est ei, à quo vt auferatur, auellitur? Si
non adhæsit vtero, quomodo auulsus est? si adhæsit qui auulsus est, quomodo adhæsisset,
nisi dum ex vtero est per illum neruum vmbilicarem, quasi folliculi sui traducem, adnexus
origini vuluæ? Etiam cùm quid extraneum extraneo adglutinatur, ita concarnatur & con-
uisceratur cum eo cui adglutinatur, vt cùm auellitur, rapiat secum ex corpore aliquid à
quo auellitur, quasi sequelam quandam abruptæ vnitatis, & producis mutui coïtus. Ce-
terùm, quæ vbera matris suæ nominat? sine dubio quæ hausit. Respondeant obstetrices,
Medici & Physici, de vberum natura, an aliter manare soleant, sine vuluæ genitali pas-
sione, suspendentibus exinde venis sentinam illam inferni sanguinis, & ipsa translatione
decoquentibus in materiam lactis lætiorem. Inde adeo fit, vt vberum tempore, menses
sanguinum vacent. Quod si *Verbum caro* ex se *factum est*, non ex vuluæ communicatione,
nihil operata vulua, nihil functa, nihil passa; quomodo fontem suum transfudit in vbera,
quæ, nisi habendo, non mutat? habere autem sanguinem non potuit lacti subministrando,
si non haberet causas sanguinis ipsius; auulsionem scilicet suæ carnis. Quid fuerit nouita-
tis in Christo ex Virgine nascendi, palam est: scilicet solummodo hoc, quod ex Virgine, se-
cundùm rationem quam edidimus; & vti Virgo esset regeneratio nostra, spiritaliter ab om-
nibus inquinamentis sanctificata per Christum, virginem & ipsum, etiam carnaliter, vt ex
CAP. XXI. virginis carne. Si ergo contendunt hoc competisse nouitati, vt quemadmodum non ex vi-
ri semine, ita nec ex virginis carne caro fieret Dei verbum; quare non hoc sit tota nouitas;
f Esa. 7. 14. vt caro non semine nata, carne processerit? Accedam adhuc cominius ad congressum. [f] *Ec-
ce*, inquit, *virgo concipiet in vtero.* quidnam? vtique Dei verbum, non viri semen: certè vt
Ibid. pareret filium. Nam, *Et pariet*, inquit, *filium.* Ergo, vt ipsius fuit concepisse, ita ipsius est
quod peperit: licet non ipsius fuerit quod concepit. Contrà, si verbum ex se caro factum est;
jam ipsum se concepit & peperit, & vacat prophetia. Non enim virgo concepit, neque pe-
Matth. 1. 20. perit, si non quicquid peperit ex verbi concepto, caro ipsius est. Sola hæc autem Prophe-
tæ vox euacuabitur? an & Angeli, conceptum & partum Virginis adnuntiantis? an & om-
Luc. 1. 28. nis jam Scriptura, quæcunque matrem pronuntiat Christi? Quomodo enim mater, nisi
quia in vtero eius fuit? Sed nihil ex vtero eius accepit, quod matrem eam faceret, in cuius
vtero fuit. Hoc nomen non debet caro extranea. Matris vterum non appellat, nisi filia vte-
Luc. 1. 42. ri, caro. Filia vteri porro non est, si sibi nata est. Tacebit igitur & Elizabeth Prophetam
portans, jam Domini sui conscium infantem, & insuper Spiritu sancto adimpleta. Sine
g Ibid. 43. causa enim dicit, [g] *Et vnde mihi vt mater Domini mei ad me veniat?* Si Maria non filium, sed
h Ibid. 42. hospitem in vtero gestabat Iesum, quomodo dicit, [h] *Benedictus fructus vteri tui!* Quis hic
fructus vteri, qui non ex vtero germinauit? qui non in vtero radicem egit? qui non eius est,
cuius est vterus? Et qui vtique fructus vteri? Christus.

MARIA. 6. SCHOL.

TORTVOSITAS. *ô Valentiniani, cæterique veræ carnis Christi obtrectatores, quid tortuoso flexu serpitis.* IN HAC SPECIE. *vox juris: in hoc casu.* PENES. *in Scripturis sanctis: mutant enim propositionem, ex in alias*, in, per. QVA ET ANGELVS. *in hoc fundati, quod & Angelus dixerit*; quod in ea natum est. DIXERAT, *dixisset æquiualens.* BENE, *optimè nobiscum agitur, à Deo prouisum est.* IACOB, *Matth.* 1. 16. Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est IESVS, qui vocatur Christus. GRAMMATICIS, *de præpositione certantibus.* MISIT. *Gal.* 4. 4. vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. *Syr.* & factus est ex muliere, & factus est sub lege. *Aug. lib.* 4. *de Trin. c.* 20. *vbi de missa Patris Sapientia juxta votum Salomo-*
S. Aug. *nis Sap.* 7. Emitte illam de sanctis cœlis tuis, & mitte illam à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, id est doceat me laborare, ne la-
A borem &c. sed aliter mittitur vt sit cum homine, aliter missa est vt ipsa sit homo. In animas enim Sanctas se transfert, atque amicos Dei & Prophetas constituit, sicut etiam implet Sanctos Angelos, & omnia talibus ministeriis congrua, per eos operatur. Cum autem venit plenitudo temporis, missa est, non vt impleret Angelos, nec vt esset Angelus, nisi in quantum consilium Patris annũtiabat, quod & ipsius erat; nec vt esset cum hominibus, aut in hominibus: hoc enim & antea in Patribus & Prophetis: sed vt ipsum Verbum Caro fieret, id est homo fieret: in quo futuro reuelato Sacramento, etiam eorum sapientium atque Sanctorum salus esset; qui, priusquam ipse de Virgine nasceretur, de mulieribus nati sunt. & in quo facto, atque prædicato, salus sit omnium credentium, sperantium, diligentium. Hoc enim magnum pietatis est Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit

Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria &c. Verbo itaque Dei ad vnitatem personæ copulatus, & quodammodo commixtus est homo, cum veniente plenitudine temporis, missus est in hunc mundum factus ex fœmina filius Dei, vt esset & filius hominis propter filios hominum. Hanc personam Angelica natura figurare antea potuit, vt prænuntiaret, non expropriare (*propriè assumere in vnitatem personæ*) vt ipsa esset. NVMQVID, *supple dixit.* IMPRESSIVS, *quod maiorem imprimat fidem vera carnis Christi facta ex Maria.* CONSIGNAVIT. *Subscripsit Paulo Ioannes, simul signauit.* PSALMI, *non more Valentini consarcinati.* PLATONICI, *Platonis sectatoris, sic eundem vocat de Præscr. c. 7.* QVIA TV ES. *Psal. 21.* quoniam tu es qui extraxisti me de ventre: spes mea ab vberibus Matris meæ, in te proiectus sum ex vtero; de ventre matris meæ Deus meus es tu. *August. Ep. 120. ad Honoratum cap. 20.* Ideo de ventre Matris meæ &c. quoniam

S. Aug. Pater, in tantum est Deus eius, in quantum homo est in forma serui, non in quantum illi æqualis in forma Dei est, ideo de ventre matris &c. ac si diceret, ex eo quod homo factus sum, Deus meus es tu. Sed quid est, tu extraxisti me de ventre? &c. An inde significare voluit partum virginis seruata virginis integritate mirabili, cum ait, tu extraxisti me &c. vt quod illud mirabiliter factum est, cum Deus fecisse dicitur, nemini incredibile videatur. AD SENSVS, *de interpretatione & vero sensu litteræ disputemus.* NERVVM VMBILICAREM, *ab ipso vtero, vbi est infans, per vmbilicum traducitur alimentū infanti. Sensus est; dum fœtus connexus per neruum vmbilicarem quasi per traducem & continuationem folliculi, id est corpusculi, (Apologetici enim cap. vltimo Anaxarchus corpus suum follem dixit) adnexus est origini vuluæ; per quem neruum est edit, comedit, sugit alimentum.* ABRVPTÆ VNITATIS. *Nimis hic probat; nec vi auulsus Christus à Matre cum effusione sanguinis vel dolore. Vnde Cypr.* Sponte lapsus est ex arbore baiula fructus, nec diuelli oportuit, quod sponte prodibat. PRODVCIS, *quæ producis & continuas mutuam connexionem. Non inficior tamen, præcisum sine manibus vmbilicū, materno vtero adhærentem.* QVÆ VBERA MATRIS. *Aug. Ep. 120. c. 12.:* quid

S. Aug. ergo est, & illud spes mea ab vberibus matris meæ? &c. Neque spes alia intelligēda est, nisi quia futurum erat, vt Deus eum exaltaret à mortuis, &c. An fortè quia vbera fœminarū ab ipso cōceptu in vbertatem promoueri perhibentur, sic intelligi voluit, ab vberibus; tanquam diceret, ex quo carnem sumpsit, cui carni fuerat speranda immortalitas? GENITALI PASSIONE. *Cautè intelligendum. Neque enim vult passam in virginitate corruptionem, sed solam alterationem qua fit in vulua propter fœtum. Quod explicat dum ait,* SVSPENDENTIBVS, &c. *alij legunt* pendentibus *sed non mihi placet, cum dum implentur vbera lacte facto ex sanguine menstruo, tum cessant venæ tributum pendere inferioris sanguinis menstrui. Vnde melius lego* suspendentibus, *quod ad mammas superiores transmissus hic sanguis in lac vertatur, & suspendatur à sentina missus. Nisi velis easdem venas tributum hoc deinceps ad alimentum pueri, pendere mammis lacte implendis, latiore vtique materia. Sed prior sensus propior Tertulliano infra dicenti,* vberum tempore menses sanguinum vacare: *id est mensibus quibus menstruus sanguis fluere solet, dum vbera turgent lacte, cessare.* VVLVÆ COMMVNICATIONE. *tantum abest vt hic turpem coitum & inquinamentum intelligas, aut aliquod passa fuerit detrimentum pudoris, dum subiicit,* nihil passa *solum enim vult factam alterationem in menstruis, mutatis in lac, & verè factam matrem, ex vtero & substantia sua generando filium. Incorruptam virgineam vuluam, purissimis verbis ex Ambrosio Lucam exponente deprompsit. expressit Aug. lib. 1.*

A *cont. Iul. cap. 3.* Non virilis coitus, inquit, vuluæ virginalis secreta reserauit, sed immaculatum semen (*semen autem est Verbum Dei,*) inuiolabili vtero Spiritus Sanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis de fœmina Sanctus Dominus IESVS, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non senserit, & cœlesti maiestate depulerit. FONTEM SVVM. *Vuluam intelligit fontem menstruorum quæ sanguinem in vbera transmittit.* AVVLSIONEM, *fœtus scilicet.* SVÆ CARNIS. *August.* Christi Caro, Mariæ Caro, vna erat. *quæ auulsa est per præcisionem vmbilici,* CAVSAS SANGVINIS. *Causa materialis lactis, sanguis menstruus; efficiens, concoctio caloris; finalis, nutritio pueri auulsi ex vtero. Cæterum Beda in cap. 11. Luc.* qua consequentia eius lacte credatur nutritus, cuius

S. Aug.

S. Aug.

B semine negatur esse conceptus? cum ex vnius eiusdemque fontis origine secundum Physicos vterque liquor emanare approbetur. QVID FVERIT. *quæ causa mouerit Christum, vt nouo modo ex Virgine nasceretur, patet.* VTI, *vt scilicet regeneratio nostra in Baptismo, Sancta, pura virgo esset. Hinc Augustinus sæpius juxta Paulum, Ecclesiam nos regenerantem lauacro aquæ in verbo vitæ, Beatæ Virginis partui comparat.* ETIAM CARNALITER, *etiam secundum natiuitatem temporalem, & carnalem Christus virgo fuit, sicut purissimus secundum æternam & diuinam.* CONTENDVNT, *hæretici veram carnem negantes, & nouam Christi natiuitatem in eo ponentes; quod sicut verè non ex viri semine, sic non veram carnem sumpsit ex Virginis carne, sed è cœlo syderеam & cœlestem sumpserit.* QVARE NON HOC &c.

C *Cur rationabilius non admittunt, totam nouitatem in hoc ponendam, quod caro Christi vera ex carne Virginis facta sit, sine semine viri carnali?* COMINIVS, *dictum à cominus, proximius eos, & strictius aggredior.* CONCEPISSE, *quod concepit, Verbum.* NON IPSIVS, *scilicet verbum: quia à Patre, ab æterno conceptum & genitum. Nota non excludi hic Virginem à dignitate Matris Dei; ob identitatem enim personæ Verbi, concepit verè & peperit Dei filium: quia* non duo, sed vnus est Christus. *Sed vult dicere, prius ab æterno conceptum Verbum, fuisse Patris Verbum; nec à Matre conceptum, quasi antea non esset, sed concepit incarnatum, cum antea incarnatum non esset. Et sic nulla est contradictio.* VERBVM ex se &c. *non sumpta ex virgine carnis materia.* VACAT, *frustra*

D *Prophetauit Esaias dicens*, ecce virgo concipiet &c. CONCEPTO. *Neutrum, pro,* conceptu. *aduerte concretum, &* verbi conceptum, *significare Verbum Incarnatum.* SOLA HÆC &c. *putas verò frustratam solummodo Esaiæ Prophetiam? sic insanies hæretice, vt mentitum dicas Gabrielem?* SED NIHIL &c. *Obijcis hæretice &c.* HOC NOMEN, *matris.* NON DEBET *hunc respectum filij ad matrem, caro è cœlo; vel aliunde quam ex matris vtero sumpta.* SI SIBI, *ex sc.* TACEBIT, *frustra locuta, vel taceas igitur &c.* HOSPITEM. *alienigenam, aliunde ortum ex alia materia formatum &c.*

Purissimum lactis virginei succum expressit Cyprianus tract. de Christi Natiuitate. Nulla, inquit, domus ambitio, nisi reclinatorium in stabulo, mater in fœ-

E no, filius in præsepio. Tale elegit fabricator mundi hospitium, huiusmodi habuit delicias sacræ virginis puerperium. panniculi pro purpura, pro bysso in ornatu regio laciniæ congeruntur. Genitrix & obstetrix, & deuotam dilectæ soboli exhibet clientelam. Attrectat, amplectitur, iungit oscula, porrigit mammam, totum negotium plenum gaudio: nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio, &c. Nec locus ibi erat lauacris quæ solent puerperis præparari, quippe nec aliqua naturæ iniuria matrem Domini læserat; quoniam sine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate: & tamen consuetudinem sequens, vt legi satisfaceret, quasi cum aliis mulieribus esset ei in hoc opere ratio similis, dio-

bus designatis recubuit: & depositi oneris lassitudinem professa, oblatæ quieti paruit, & in diebus separationis, non se à thoro Ioseph, qui eam numquam tetigit, sed ab ingressu templi, & cæteris quæ lex prohibebat, continuit. Vltro maturus ab arbore baiula fructus elapsus est; nec oportuit vellicari, quod sponte prodibat. Nihil in hac re petiit vltio, nec præcedens delectatio aliquam expetiit pœnarum vsuram. Spiritu sancto obumbrante, incendium originale extinctum est; ideoque innoxiam affligi non decuit. Nec sustinebat iustitia, vt illud vas electionis, communibus lassaretur iniuriis; quoniam plurimum à cæteris differens, naturâ communicabat, non culpâ. Eratque ei proprium priuilegium, quod nulla mulierum, nec ante, nec deinceps meruit obtinere; quòd erat simul mater & virgo, singulis titulis insignita. Vnde & matri plenitudo gratiæ debebatur, & virgini abundantior gloria; quæ carnis & mentis integritate insignis, spiritali & corporali, intus & extra, Christi præsentia fruebatur. Ornamenta quæ deerant etiam si adessent, non haberent oculos inspectores; quia præsentia paruuli; sic eorum qui aderant, Ioseph, & si quis fortè alius ibi erat, oculos occuparat, sic illuminauerat animos, sic corda illexerat; vt in hoc summo bono, omnium bonorum vnica collectio videretur. Nec opus esset euagari, & mendicari per partes, quod simul in se vno fidelibus omnipotens infantia præsentabat. *Hinc Propheta meritò animam in varia obiecta distractam, in hoc vnum summè necessarium colligens:* vsquequo deliciis dissolueris, filia vaga? quia creauit Dominus nouum super terram: fœmina circundabit virum.

Regreditur dehinc Cyprianus ad matris vbera castius describenda, vt supra partum purius descripserat, duritiem Tertulliani emolliens: paruulus, inquit, sugens vbera, pura alimonia vtebatur, & fons sacri pectoris defæcatum edulium ori mundissimo infundebat. Sed & cor matris quædã dulcedines quæ humanum superant intellectum, imbuebant: eratque vtrimque mira jucunditas; cùm pia sanctæ matris & deuota humilitas, & sancti sanctorum immensa benignitas, confœderatis affectibus mergerentur. *Concludo cum*
S. Aug. *Augustino ser. 9. de Tempore:* Ducite, inquit, fideles

A festiuissima gaudia, in ligno mortali vitæ arbor inseritur, & portans in se omnia virtus, ab infirmitate portatur, &c. De riuulo suo fons magnus exoritur, radix omnium de virgulto suo nascitur, & vitis vera palmitis sui fructus efficitur. Adest ecce optatissimus dies gratiâ geminatâ resplendens, &c. In quo æternus Sol, lucrum lucis, & dispendium cæcitatis, de summa altitudine claritatis paternæ descendens, vuluæ virginalis aditum reserauit, & totius mundi caliginem fulgida coruscatione repressit. Ducite fideles Christi, festiuissima gaudia, res nobis hodie perfecta est noua, quæ olim fuerat repromissa, vt sine virginei detrimento pudoris, filium lactarent vbera genitricis. Hæc illa est nouitas Ieremiæ Prophetæ vaticinio nuntiata Faciet, inquit, Dominus nouum
B super terram. Et quasi quandam lucernam huius obscuritatis accendens, statim subiecit; fœmina circundabit virum, &c. O fœmina super fœminas benedicta, quæ & virum non cognouit, & virum vtero circundedit: quæ concubitu carnali non tangitur, & tamen carnea prole, de spiritali semine gratulatur! Circundat Maria virum, Angelo fidem dando, quia Eua perdidit virum serpenti consentiendo, &c. Occultatur in membris infantis potentia maiestatis. Deus pendet ad vbera genitricis. Pannorum vilium squalore contegitur, durissimi suffert præsæpis angustias, & totum misericors humiliter patitur, dummodo mundus qui perierat liberaretur. O Beata infantia per quam nostri generis præparata est vita!
C O gratissimi, delectabilesque vagitus, per quos stridores dentium, æternosque ploratus euasimus! ô fœlices panni, quibus peccatorum sordes extersimus! ô præsepe splendidum, in quo non solùm iacuit fœnum animalium, sed cibus inuentus est Angelorum! lacta Maria Creatorem tuum, lacta panem cœli, pretium mundi. Postremò tu illi vt mater temporalem ministra substantiam vt ipse nobis, & tibi, vna cum Patre & Spiritu sancto vitam tribuat sempiternam. *Sic sic Augustinus & cum Tertulliano veram & natam ex virginis purissimo sanguine & eius lacte nutritam, & cum Cypriano, longè Tertulliano honestius asserit dictam, & eloquentius edisserit carnem.*

7. De Maria Virgine, sine humano semine, & de Spiritu sancto nasci debuit Christus; ne totus esset filius hominis; sed simul esset verus Deus & verus homo. De Car. Chri. cap. 18. & 19. per totum.

NVnc, vt simplicius respondeamus, non competebat ex semine humano Dei filium nasci, ne si totus esset filius hominis, non esset & Dei filius, nihilque haberet amplius Salomone, & amplius Iona; & de Hebionis opinione credendus erat. Ergo, jam Dei filius ex patris Dei semine, id est spiritu, vt esset & hominis filius, caro ei sola erat ex hominis carne sumenda, sine viri semine. Vacabat enim viri semen, apud habentem Dei semen. Itaque, sicut nondum natus ex virgine, patrem Deum habere potuit sine homine matre: æquecum de virgine nasceretur, potuit matrem habere hominem sine homine patre. Sic denique homo cum Deo, dum caro hominis cum spiritu Dei. Caro sine semine, ex homine: spiritus cum semine, ex Deo. Igitur si fuit dispositio rationis super filium Dei ex virgine proferendum, cur non ex virgine acceperit corpus, quod de virgine protulit? Quia
j Io. 1. 14. aliud est quod à Deo sumpsit: quoniam, inquiunt, [j] *Verbum caro factum est.* Vox ista, quid caro factum sit, contestatur; nec tamen periclitatur, quasi statim aliud sit factum caro, & non verbum. Si ex carne factum est verbum caro, aut si ex semine ipso factum est, scriptura dicat. Quum scriptura non dicat, nisi quod sit factum, non & vnde sit factum: ergo ex alio, non ex semetipso suggerit factũ. Si non ex semetipso, sed ex alio; jam hinc tracta, ex quo magis credere congruat, carnem factum verbum, nisi ex carne, in qua & factum est: vel quia
k Io. 3. 6. ipse Dominus sententialiter & definitiuè pronuntiauit, [k] *Quod in carne natum est, caro est*, quia ex carne natum est. Sed si de homine tantummodo dixit, non & de semetipso: planè nega
l Io. 3. 6. hominem Christum; & ita, defende non & in ipsum competisse. Atquin subjicit, & [l] *quod*
Io. 4. 24. *de spiritu natum est, spiritus est.* quia *Deus spiritus est*, & de Deo natus est. Hoc vtique vel eo magis in ipsum tendit, si & in credentes eius: Si ergo & hoc ad ipsum, cur non & illud suprà?

neq.

neq enim diuidere potes, hoc ad ipsum, illud suprà ad ceteros homines, qui vtramque substantiam Christi, & carnis, & spiritus, non negas. Ceterùm, si tam carnem habuit, quàm spiritum, cùm de duarum substantiarum conditione pronuntiat, quas & ipse gestat, non potest videri de spiritu quidem suo, de carne verò non sua determinasse. Ita, cùm ipse sit de spiritu Dei, & spiritus Deus est, & Deus ex Deo natus ipse est, & ex carne hominis, homo in carne generatus. Quid est ergo,[m] *Non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo natus est?* Hoc quidem capitulo ego potius vtar, quum adulteratores eius obduxero. Sic enim scriptum esse contendunt, *Non ex sanguine, nec ex carnis voluntate, nec ex viri, sed ex Deo natus est.* Quasi suprà dictos credentes in nomine eius, designet, vt ostendat esse semen illud arcanum electorum, & spiritalium, quod sibi imbuunt. Quomodo autem ita erit, quum omnes qui credunt in nomine Domini, communi lege generis humani ex sanguine & ex carne, & ex viri voluntate nascantur: etiam Valentinus ipse? Adeo singulariter, vt de Domino scriptum est: [n] *Et ex Deo natus est.* Meritò, quia verbum Dei, & cum verbo Dei spiritus, & in spiritu Dei virtus, & quicquid Dei est Christus. Quà caro autem,[o] *non ex sanguine, nec ex carnis & viri voluntate*: quia ex Dei voluntate, *Verbum caro factum est.* Ad carnem enim, non ad verbum pertinet negatio formalis nostræ natiuitatis, quia caro sic habebat nasci, non verbum. Negans autem ex carnis quoque voluntate natum, cur non negauit etiam ex substantia carnis? neque enim quia ex sanguine negauit, substantiam carnis renuit, sed materiam seminis, quam constat sanguinis esse calorem, vt despumatione mutatum in coagulum sanguinis feminæ. Nam ex coagulo in caseo vis est substantiæ, quam medicando constringit, id est lactis. Intelligimus ergo, ex concubitu natiuitatem Domini negatam, quod sapit voluntas viri, & carnis, non ex vuluæ participatione. Et quid vtique tam exaggeranter inculcauit, non ex sanguine, nec ex carnis voluntate, aut viri, natum; nisi quia ea erat caro, quam ex concubitu natam nemo dubitaret? Negans porrò ex concubitu, non negauit ex carne; immò confirmauit ex carne: quia non proinde negauit ex carne, sicut ex concubitu negauit. Oro vos, si Dei spiritus non de vulua carnem participaturus descendit in vuluam, cur descendit in vuluam? potuit enim extra eam fieri caro spiritalis; simplicius multò, quàm intra vuluam fieret extra vuluam. Sine causa eò se intulit, vnde nihil extulit. Sed non sine causa descendit in vuluam: Ergo ex illa accepit. Quia si non ex illa accepit, sine causa in illam descendit, maximè eius qualitatis caro futurus, quæ non erat vuluæ, id est spiritalis.

CAP. XIX.
m Io. 1. 13.
n Io. 1. 13.
o Io. 1. ibid. & 14.

DE MARIA VIRGINE. 7. SCHOL.

AMPLIVS SALOMONE. *Cum dixerit tamen de seipso Christus*, ecce plusquam Salomon hic. AMPLIVS IONA. *& rursum ibidem Matth. 12. 41.* Et ecce plusquam Ionas hic. HEBIONIS, *juxta Hebionis heretici sententiam purus homo fuisset æstimandus.* SEMINE. Verbum est semen Dei. ID EST SPIRITV. *Deus de Deo. Io. 1.* Deus erat Verbum. *Et Io. 4.* Deus Spiritus est. VACABAT. *frustra erat.* VIRI, *Ioseph* APVD HABENTEM, *in virgine habente Dei Verbum.* SINE HOMINE MATRE. *Aug.* Ex Patre sine matre Deus, ex matre sine Patre homo: &c. mirabilis illa generatio, quia sine Matre: mirabilis ista, quia sine Patre. HOMO CVM DEO: Emmanuel nobiscum Deus. CVM SPIRITV DEI, *Verbo quod Deus est, & Spiritus de Spiritu.* EX HOMINE, *Matre humana, sine semine paterno.* SPIRITVS, *Deus.* CVM SEMINE. *Cum persona Verbi.* INQVIVNT, *heretici sic intelligunt, Verbum factum ex semetipso, non ex matre sumpta carne.* VOX ISTA, *scilicet* Verbum Caro factum est, *satis indicat, inquiunt aduersarij, quòd caro mutata sit in Verbum, & proinde spiritalis facta, siue spiritus.* NEC TAMEN PERICLITATVR, *jam respondet hereticis, nihil inde periculi esse veritati carnis & solide eius & tractabili substantia.* QVASI STATIM. *quasi verò, inquit, subitò, Verbo Incarnato, Caro suum esse mutauerit corporeum in spiritale, & mutata sit in Verbum.* ET NON VERBVM. *Non quod velit Verbum mutatum esse in Carnem. Aut aliud factum sit in se, alteratâ & mutatâ essentia aut persona substantiâ: Nam ex Aug. multoties:* assumpsit quod non erat, manens quod erat: *Sed factum est unitum Carni vera, & ex homine Deo factus est vnus Christus, quod antea non erat.* SI EX CARNE. *id est si caro ab esse carnis transijt & mutata est in Verbum;* SI EX SEMINE IPSO. *Verbo scilicet, de quo supra loquens de Virgine dixit*, habentem Dei semen, & semen *quod Euangelium dicit*, Verbum Dei, *vt heretici mussitantur, Verbum ex semetipso, & non ex matre fecit carnem. Dicat illud Scriptura &c.* NON ET IN IPSVM, *ipsi conuenisse.* EÒ MAGIS, *tantò magis hic locus de Christo intelligendus, si de Christianis baptizatis, & renatis ex Spiritu, volunt hæc dicta.* EX SANGVINE. *Ex sanguinibus.* QVID EST ERGO, *inducit obijcientes.* EGO POTIVS *&c. Cum refutauero Scriptura corruptores.* SEMEN ARCANVM. *Intelligit distinctionem seminis spiritalis & animalis quo imbuuntur electi à Demiurgo & Achamoth. Vide locum contra Valentinianos cap. 25.* SINGVLARITER. *Nota non solum Tertull. sic legere, sed & Athanasium lib. 2. de propriis personis ad Theophilum* sed ex Deo natus est. *Et Iren. lib. 3. cap. 21.* qui non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri natus est. *Vt sit sensus*, dedit potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. *Qui filius Dei verus est*, & non natus ex voluntate viri, neque ex sanguinibus, & Verbum Caro factum est &c. *vt credentes in filium Dei naturalem, fiant eius filij adoptiui.* CONTENDVNT *sic quidem scriptum esse in numero singulari fatentur, sed sensum adulterant, dum non Christo vnico Patris semini, vt Verbum est, vnicoque matris virginis filio, sed semini suo spiritali applicant.* ADEO SINGVLARITER &C. *Errant, inquit, soli enim Christo id congruit, qui nec secundùm æternam, nec secundùm temporalem originem, de viro eiusque excocto sanguine, seminéve, sed ex Deo Patre ab æterno genitus, & in tempore de Spiritu sancto Conceptus; natus est ex Virgine.* VERBVM DEI, *filius Patris æterni.* ET CVM VERBO, *personâ Verbi.* DEI SPIRITVS, *natura diuina à Patre communicata filio.* DEI VIRTVS, *sic Paulus vocat Christum:* Dei virtutem. VERBVM CARO. *Aug. tract. 2.*

S. Aug.

in Io. in plurali legit ex sanguinibus: qui non ex sanguinibus. *Licet fateatur in Græco pluraliter, Latinè tamen non dicimus sanguines:* si, inquit, diceret ex sanguine, singulari numero, non explicaret quod volebat, ex sanguinibus enim homines nascuntur maris & fœminæ &c. Hi ergo non ex voluntate carnis &c. Sed ex Deo nati sunt. Vt autem homines nascerentur ex Deo, primo ex ipsis natus est Deus. Christus enim Deus, & Christus natus ex hominibus, non quæsiuit quidem nisi Matrem in terra, quia jam Patrem habebat in Cœlo: Natus ex Deo per quem efficeremur, natus ex fœmina per quam reficeremur. Noli ergo mirari ô homo, quia efficeris filius per gratiam, quia nasceris ex Deo secundùm verbũ eius. Prius ipsum Verbum voluit nasci ex homine (*matre humani generis*) vt tu securus nascereris ex Deo, & diceres tibi. Non sine causa Deus nasci ex homine voluit, nisi quia alicuius momenti, me existimauit, vt immortalem me faceret, & pro me mortaliter nasceretur. Ideo cum dixisset, ex Deo nati sunt; quasi ne miraremur & exhorreremus tantam gratiam, vt nobis incredibile videretur, quia homines ex Deo nati sunt; quasi securum te faciens ait; & Verbum Caro factum est &c. Quid ergo miraris, quia homines ex Deo nascuntur? attende ipsum Deum natum ex hominibus. *Dictum intellige de Genealogia Mariæ, per quam, de ipsa nasci voluit* & Verbum Caro factum est. *Idem August. in Enchir. c. 34.* Verbum Caro factum est, à Diuinitate Carne suscepta, non in Carnem Diuinitate mutata. Carnem porro hic debemus accipere à parte totum significante locutione: sicut dictum est Rom. 3. quoniam ex operibus legis non justificabitur omnis caro, id

S. Aug.

S. Aug.

A est omnis homo. Nam nihil naturæ humanæ, in illa susceptione, fas est dicere, defuisse, sed naturæ ab omni peccati nexu omnino liberæ: Non qualis de vtroque sexu nascitur per concupiscentiam carnis, cum obligatione delicti, cuius reatus per regenerationem diluitur; sed qualem de Virgine nasci oportebat, quem fides Matris, non libido conceperat. Quod si vel per nascentem corrumperetur eius integritas, non jam ille de virgine nasceretur: cumque falsò, quod absit, de Virgine Maria natum, tota confiteretur Ecclesia, quæ imitans eius matrem, quotidie parit membra eius, & virgo est &c. proinde Christus Iesus Dei filius est, & Deus, & homo est. Deus ante omnia sæcula, homo in nostro sæculo. Deus, quia Dei Verbum, Deus enim erat Verbum: homo autem, quia in vnitatem personæ accessit Verbo anima rationalis & Caro. NEGATIO FORMALIS. B *Non est hîc quæstio de generatione Verbi ex Patre, sed de Carnali ex Matre, de qua formaliter negamus, quod facta sit ex voluntate viri, sanguine & semine Ioseph.* HABEBAT, *debebat sic nasci secundùm carnem.* MEDICANDO, *purificando componit.* NON EX VVLVA &c. *non vero negatam Christi Natiuitatem ex Virginis vtero, ex quo Carnem participauit humanam.* NEMO DVBITARET, *Christi scilicet Carnem veram, vt alterius cuiuspiam hominis natam ex concubitu carnali, nisi Scriptura toties repetendo inculcasset corruptionẽ à Christi natiuitate prorsus exclusam, quam Ioannes etiam reiicit à Natiuitate spiritali credentium in eum, qui ex Deo, & opere Spiritus sancti spiritaliter per Christi merita renascuntur.* SI DEI SPIRITVS, *Dei Filius Deus,* FIERET, *supple spiritalis.* ACCEPIT, *carnis scilicet substantiam.*

8. *Maria Virgo concipiens & pariens fuit signum magnum. Cont. Iud. cap. 9. V. Verbum Christi elogia num. 18. à p. ad m.*

9. *Et 3. cont. Marc. cap. 13. à p.*

SED & Virginem, inquit, parere natura non patitur, & tamen creditur prophetæ Et meritò. Præstruxit enim fidem incredibili rei, rationem edendo, quod in signo esset futura, [a] *Propterea, inquit, dabit vobis Dominus signum: Ecce Virgo concipiet in vtero, & pariet filium.* Signum autem à Deo, nisi nouitas aliqua monstruosa, tam dignum non fuisset. Denique & Iudæi, si quando ad nos dejiciendos mentiri audent, quasi non Virginem, sed juuenculam concepturam & parituram scriptura contineat, hinc reuincuntur, quòd nihil signi videri possit res quotidiana, juuenculæ scilicet prægnatus & partus. In signum ergo disposita Virgo & mater, meritò creditur: infans verò bellator non æquè. Non enim & hîc signi ratio versatur. Sed signo natiuitatis nouæ adscripto, exinde post signum, alius ordo jam infantis edicitur, mel & butyrum manducaturi. Nec hoc vtique in signum est, malitiæ non assentaturi; & hoc enim infantia est; sed [b] *accepturi virtutem Damasci, & spolia Samariæ aduersus Regem Assyriorum.*

a Esa. 7. 14.

b Esa. 8. 4.

MARIA. 9. SCHOL.

INQVIT, *Marcion scilicet.* ET MERITO, *respondet Tertull.* PRÆSTRVXIT, *præparauit, fundamentum fidei præmisit.* RATIONEM, *qua animus moueretur assentiri, res aliàs sine fide incredibili. Et quia vt ait Paulus,* signa infidelibus: *Ideo Propheta de Virgine concipiente dicturus, præfatus est de signo & portento. Porro signum Deo tam dignum non fuisset, nisi circa rem inaudita & stupenda nouitatis. Hoc stupet Augustinus portentum ser. 13. de Temp.* Qui natus est primo sine Matre in cœlis, hodie natus est sine Patre in terris. O Miracula, ô prodigia, fratres charissimi, naturæ jura mutantur in homine. Deus nascitur, virgo sine viro grauidatur, viri nesciam sermo Dei maritat. Simul facta est Mater Virgo: Mater facta, sed incorrupta, Virgo habens filium nesciens virum. Semper clausa, sed non infœcunda, &c. Virgo concepit, sola vulneri nostro

S. Aug.

C Medicinam parere potuit, quæ non ex peccati vulnere germen piæ prolis emisit. O Mira & inexquisita compago, ô noua & inaudita commixtio &c. DEIICIENDOS, *deturbandos ex fide Virginei Conceptus & partus.* BELLATOR, *quasi diceret, quod subiicit Esaias de infante bellatore, & spolia Damasci auferente, licet prodigiosum videatur, non est tamen æquale signo Virginei Conceptus: hoc enim ad litteram; illud verò, de vocatione Gentium, mysticè intelligendum est.* ET HIC, *in hoc bellum, non cadit nomen signi, Virginis concipientis aptatum.* NEC HOC &c. *Scilicet infantili esca vesci, prodigium est, sed commune.* NON ASSENTATVRI, *blandituri, consensuri malitiæ: simplicitas enim & innocentia propria est infantium. Aug. In Iob. 20. in verba* ne quidem pabula mellis & butyri *vbi impio minatur eum priuandum fructibus bonorum operum, sic exponit:* S. Aug.

opera bona cum charitate & hilaritate cordis, & largitate præbentis; butyrum enim lac pingue est. S. Aug. *Subiicit verba Iob:* in vanum & frustra laborauit: quia, inquit, non intelligit *super egenum & pauperem, paruulum & humilem Christum in minimis fratribus pauperibus, de bonorum pinguedine pascendum; vnde in iudicio, ex misericordia, vel ex eius defectu reprobat malum & eligit bonum* non intelligit hæc de his operanda quæ ad misericordiam pertinent. Vnde & Dominus butyrum & mel dicitur manducare, quia hæc

A illi in humilibus eius præbentur. *Subiicit rursũ verba Iob:* quæ egerunt vt durum quid, quod mandi non potest nec glutiri; durum nescio quid, est puto iniquitas vel superbia. *Diuitum scilicet iniquorum.* ALIVS ORDO &c. *post conceptum & natiuitatem, cui tantum Propheta signi nomen affixit; subiicit innocentiam simul & fortitudinem accepturi virtutem Damasci &c. de quibus alibi iam diximus. V. in Alphab. Errorum V. Maria. 1. & 2.*

10. *Maria adiutrix Christi in salute hominis, figurata in Eua. 2. cont. Marc. cap. 4. in m.*

EAdem bonitas & adjutorium prospexit, ne quid non boni: [a] *non est enim*, inquit, *bonum, solum esse hominem.* Sciebat illi sexum Mariæ, & deinceps Ecclesiæ profuturum. a Gen. 2. 18.

11. *Mariam matrem Christus non negauit, sed spiritalem generationem prætulit. V. Verbum, parentes. Et V. Christi caro. 6.*

MARIA. 10. SCHOL.

NON BONI. *scilicet crederetur à Deo factum.* NON EST &c. *Gen. 2. 18.* Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi. 70. Secundum ipsum. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Adiutorium quod sit coram eo. *Paraph. Chald.* Adiutorium quasi cum. SEXVM MARIÆ. *per quem Adam & tota Ecclesia saluaretur.* S. Aug. *Aug. Ser. 15. de Tempore, vult omnibus Ecclesiæ membris salutiferam Mariam.* Maledicta, inquit, Eua fuerat, quam nunc credimus per Mariam ad benedictionem gloriæ remeasse &c. Venite Virgines ad Virginem, venite concipientes ad concipientem. Venite parientes ad parientem, venite matres ad matrem, venite lactantes ad lactantem, venite iuuenculæ ad iuuenculam. Ideo omnes istos cursus naturæ, Virgo Maria in Domino nostro Iesu Christo suscepit, vt omnibus ad se confugientibus fœminis subueniret, & sic restauraret omne genus humanum ad se venientium, noua Eua seruando virginitatem; sicut omne genus virorum Adam nouus recuperat Dominus Iesus Christus. S. Aug. *Et lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 14.* Corrupto animo fœminæ ingressus est morbus: integro corpore fœminæ processit salus. S. Aug. *Et lib. de fide & Symbolo cap. 4.* Detestandi illi sunt, qui Dominum nostrum Iesum Christum matrem Mariam in terris habuisse negant: cùm illa dispensatio vtrumque sexum, & masculinum, & fœmininum honorauerit, & ad curam Dei pertinere monstrauerit, non solum quem suscepit, sed etiam illum per quem suscepit; virum gerendo, nascendo de fœmina. *Mariam Virginem Deiparam vt mediatricem inuocandam tota docet Patrum Ecclesia traditio, quæ laudes eius vno omnium ore incessanter prædicauit. Cùm & Deo sit coniunctissima, & proinde charitate plenissima, & suffragij sui efficacissimi vigore potentissima. Hinc Irenæus lib. 5. cap. 19.* Sicut Eua seducta est vt effugeret Deum: sic Maria suasa est vt obediret Deo: vt Virginis Euæ Virgo Maria fieret aduocata. *Methodius inter Authores Ecclesiasticos ab Hieronymo recensitus Olympiæ primò in Lycia, inde Tyri Episcopus & Martyr, qui floruit ante Concilium Nycænum, sic Virginem affatur in Epiph. Domini:* Tu Creatoris Mater, tu nutrix omnia nutrientis, tu cuncta continentis & comprehendentis comprehensio, tu illius gestatrix, qui verbo suo portat vniuersa: tu porta per quam in carnem ingressus est Deus, tu purificantis carbonis forceps, tu incomprehensibilis illius rons vellus, tu Bethleemitica cisterna quam velut refocillatricem vitæ Dauid desiderauit, & ex qua immortalitatis poculum emanauit, &c. Salue in æternum, ad te namque recurrimus in festiuitate nostra principium tu, medium tu, finis tu, pretiosa cœle-

B stis regni margarita: tu fons vberrimus totius sanctitatis, tu animarum altare, panis vitæ. Salue Spiritus sancti vmbraculum. *Epiph. Ser. de laudibus Deiparæ.* Aue gratia plena, multis virtutibus exornata Virgo, in lampade gestans lucem inextinguibilem, Sole splendidiorem. Aue gratia plena, hami esca spiritalis: in te siquidem hamus diuinitatis; *carne nostra tectus, qua, juxta Prophetam, homines factos velut pisces maris, per Apostolos hominum piscatores, Verbo incarnato piscatus est Deus.* Aue gratia plena quæ es vrna aurea continens manna cœleste. Aue gratia plena quæ sitientes perennis fontis dulcedine satias: mare spiritale habens gemmam cœlestem Christum. Aue gratia plena splendidum cœlum, quæ in cœlis incomprehensum contines Deum, &c. Quid dico, & quid proloquar? Quo pacto Beatam prædicabo gloriæ radicem? Solo Deo excepto, cunctis superior C existis. Natura formosior es ipsis Cherubin, Seraphin, & omni exercitu angelico. *Cyrill. Alex. Homil. in Concilio Ephesino recitata contra Nestorium.* Salue Sancta Deipara, eximium illud totius orbis decus & ornamentum. Salue lampas inextinguibilis corona virginitatis, sceptrum rectæ doctrinæ, templum indissolubile. *Vide Chrysost. Ser. de Genesi & interdictione arboris. Ephrem Orat. de laudibus eius. Nyssenum Orat. de Nat. Chri. Andream Ierosol. Ser. de Salut. Angel. Andream Cret. in eadem. Chrysippum Presbyt. de eiusdem laudibus. Ambr. Orat. 2. præpar. ad Missam.* Vt efficax mea sit deprecatio, B. Mariæ Virginis suffragia peto, quam tanti meriti esse fecisti, vt prima inter mulieres nouum munus offerret, & nulla præter ipsam tam nouum acciperet. *Iustinianus Imp. l. 1. Cod. de offic. præfecti Præt. Africæ.* Hoc etiam deprecantes exoramus, & gloriosæ semper Virginis & Dei genitricis Mariæ precibus, vt quidquid minus est rei no- D stræ, per nos vltimos seruos suos restituat, in suo nomine Deus, & dignos nos faciat seruitium eius adimplere. *Augustinus lib. medit. cap. 35. Mediatricem apud Deum implorat Virginem.* S. Aug. Pie & misericordissime Domine, ne efficiatis mihi inexorabilis propter peccata mea, sed propter bonitatem tuam suscipe preces serui tui, & da mihi effectum petitionis meæ, & desiderij mei, intercedente, & orante, & impetrante gloriosa Virgine genitrice tua Maria Domina mea, cum omnibus Sanctis tuis. *Et ibid. cap. 40.* Sancta & immaculata Virgo Dei genitrix Maria, & mater Domini nostri Iesu Christi, interuenire pro me apud illum digneris, cuius meruisti effici templum. *Et Ser. 18. de Sanctis in verba Missus est:* S. Aug. descendit Angelus de Cœlo missus à Patre Deo in nostræ redemptionis exordium, ac Beatam salu-

tando Mariam, *pudeat hæreticum Mariæ salutationem auersantem, cum legas in Euangelio eum iisdem quibus nos verbis eam salutantem:* Aue ait, gratia plena Dominus tecum. Impleta est ergo gratia, & Euæ vacuata est culpa. Maledictio Euæ, in benedictionem mutatur Mariæ. Aue, inquit, gratia plena, Dominus tecum. Tecum Dominus in corde, tecum in ventre, tecum in vtero, tecum in auxilio. Gratulare Beata Virgo, Christus Rex è cœlo suo, incarnatur in vtero tuo: ex sinu Patris, in vterum dignatur descendere matris, &c. O Beata Maria, sæculum omne captiuum tuum deprecatur assensum: te apud Deum mundus suæ fidei obsidem fecit. Noli morari Virgo, nuntio festinanter responde verbum, & suscipe filium, da fidem, & senti virtutem, &c. O fœlix obedientia, ô insignis gratia quæ dum fidem humiliter dedit, cœli in se opificem corporauit, &c. O Beata Maria quis tibi digne valeat iura gratiarum ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito, &c. *Quod tota canit Ecclesia secunda die infra Octauam Natiuitatis eius. Nec mirum si mediatricem inter Deum & hominem tota inuocat Ecclesia, quam Deus Pater sibi voluit in mediatoris generatione fatere similem. Aug. Serm. 22. de Temp.* S. Aug. *vtramque temporis natiuitatem.* Hac, inquit, die est natus ex Virgine Matre, qui ante sæcula æternus est genitus ex Deo Patre. In illa natiuitate ex impassibili nascitur genitore, in ista incorrupta natus ex Virgine. Illam solus Pater sciuit ipse qui genuit; hanc in se sola Virgo & mater intemerata cognouit, quæ virum in concipiendo non pertulit. In Patre impassibilitas, in matre incorruptibilitas. In ista matrem habet Virginem, sed hominem non habet Patrem. In illa coæternus est Patris, & coæternus authoris; in ista filius est Virginis, & author est matris. *Sed vt Pater æternus, sic & mater in vnigenito filio, nos Dei & sui filius fecit adoptiuos Angelorum socios & commensales. Ita Serm. 23. de Temp.* S. Aug. Factus, inquit, filius hominis filius Dei, multos filios hominum facit filios Dei, & nutritos seruos per visibilem formam serui, perficit liberos ad videndam formam Dei. Nondum idonei sumus conuiuio Patris nostri, agnoscamus præsepe Domini nostri. *Et ibid. supra:* S. Aug. laudent eum condignè omnes Angeli eius, quorum cibus æternus est, incorruptibili eos sagina viuificans, quia Verbum Dei est, huius vita viuunt, cuius æternitate semper viuunt, cuius bonitate semper beatè viuunt. Sunt illi nuntij eius, sumus & nos pecora eius. Impleuit in cœlo mensam ipsorum, impleuit in terra præsepe nostrum. Plenitudo mensæ est, quia in principio erat Verbum, &c. Plenitudo præsepis nostri est, quia Verbum caro factum est, &c. Vt enim panem Angelorum manducaret homo, Creator Angelorum factus est homo. *Et cui hoc post Deum debemus nisi matri quæ de seruis & iumentis fecit Dei filios & socios Angelorum. Sic Augustinus Ser. 11. de tempore.* S. Aug. Hodie, inquit, parturiente Maria natus est nobis Dei filius, vt germanæ carnis nostræ conceptione productus creato a se homini, & pietatem paternam, & fraternum largiretur affectum. *Honoremus matrem, & in omnibus necessitatibus mediatricem inuocemus.*

MARTYRES.

1. *Martyrum virtus & constantia laudabilior fortitudine famosorum Gentilium. Apol. cap. 50. à p.*

MEritò itaque victis non placemus. Propterea enim desperati & perditi existimamur. Sed hæc desperatio & perditio penes vos, in causa gloriæ & famæ, vexillum virtutis extollunt. Mutius dexteram suam libens in ara reliquit. ô sublimitas animi. Empedocles totum sese Catanensium Ætneis incendiis donauit. ô vigor mentis. Aliqua Carthaginis conditrix rogo secundùm matrimonium dedit. ô præconium castitatis. Regulus ne vnus pro multis hostibus viueret, toto corpore cruces patitur. ô virum fortem, & in captiuitate victorem. Anaxarchus cum in exemplum, prisanæ pilo contunderetur; Tunde, tunde, aiebat, Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non tundis. ô Philosophi magnanimitatem, qui de tali exitu suo etiam iocabatur. Omitto eos qui cum gladio proprio, aliove genere mortis mitiore de laude pepigerunt. ecce enim & tormentorum certamina coronantur à vobis. Attica meretrix carnifice iam fatigato, postremò linguam suam comesam in faciem tyranni sæuientis expuit, vt expueret & vocem, ne coniuratos confiteri posset, si etiam victa, voluisset. Zeno Eleates consultus à Dionysio, Quidnam Philosophia præstaret? cum respondisset, Contemptum mortis, flagellis tyranni subiectus sententiam suam ad mortem vsque signabat. Certè Laconum flagella sub oculis etiam hortantium propinquorum acerbata tantum honoris conferunt, quantum sanguinis fuderint. O gloriam licitam, quia humanam, cui nec præsumptio perdita, nec persuasio desperata reputatur, in contemptu mortis & atrocitatis omnimodæ, cui tantum pro patria, pro imperio, pro amicitia pati permissum est, quantum pro Deo non licet. Et tamen illis omnibus & statuas defunditis, & imagines inscribitis, & titulos inciditis in æternitatem; quantum de monimentis potestis scilicet, præstatis & ipsi quodammodo mortuis resurrectionem. hanc qui veram à Deo sperat, si pro Deo patiatur, insanus est. *Et lib. 1. ad Nat. cap. 18.*

MARTYRES. 1. SCHOL.

VICTIS. *Patientia nostra gentilibus.* DESPERATI. *Quòd vltro nos offeramus Martyrio.* PENES VOS *apud vos Gentiles, & authores vestros.* IN CAVSA GLORIÆ. *Cùm propter gloriam & famam, vestri tormenta sustinent.* MVTIVS. *Idem Tertullia. ad Martyres.* Mutius manum suam dexteram in ara cremauit, vt hoc factum eius famam haberet. *Quod & repetit lib. de Anima cap. 58. Noster Augustinus lib. 4. de Ciuit. cap. 20. ridet Gentiles.* S. Aug. Cur, inquit, fortitudo Dea non est, quæ affuit Mutio cùm dexteram porrexit in flammam. *Et lib. 5. de Ciuit. cap. 18.* S. Aug. Si Mutius, vt cum Porsenna Rege pax fieret, qui grauissimo bello Romanos premebat, quia Porsennam, ipsum occidere non potuit, & pro eo alterum deceptus occidit, in ara-

dentem Aram, ante oculos eius dexteram extendit A dicens, multos tales qualem illum videret, in eius exitium coniurasse: cuius ille fortitudinem, & coniurationem talium perhorrescens sine vlla dilatione, se ab illo bello, facta pace, compescuit: quis Regno cœlorum imputaturus est merita sua, si pro illo, non vnam manum, neque hoc sibi vltro faciens, sed persequente aliquo patiens, totum flammis corpus impenderit? EMPEDOCLES. *Nat. Orat.* 3. ille cum per Sicula foramina *Æthnæos caminos* diuinitatem, vt sibi opinione fingebat comparasset, *curiosius ignis causas explorando* charissimo calceo *æneo* ignis æstu eiecto proditus est. Atque ita non Deus post hominem ostensus est, verum inanis gloriæ studiosus, Philosophiæque post mortem expers, ac ne communi quidem sensu præditus. CONDITRIX. *Siue sit Dido, siue Elisa vt ait Petrus Faber; primo viri rogo secundas nuptias concinerauit.* REGVLVS. *Idem Tertul. ad Martyras cap.* 4. Cum se vnum pro multis captiuis Carthaginensibus compensari noluisset, maluit hostibus reddi, & in Arcæ genus stipatus, vndique extrinsecus clauis transfixus tot cruces sensit. *Et de eodem Aug. lib* 5. *de Ciuit. cap.* 18. *vbi concludit:* qui cruciatus non sunt pro fide illius patriæ contemnendi, ad cuius beatitudinem fides ipsa perduxit? aut quid retribuetur Domino pro omnibus quæ retribuit, si pro fide, quæ illi debetur *vt ab illo infusa* talia fuerit homo passus, qualia pro fide quam perniciosissimis inimicis *Carthaginensibus* debebat, passus est Regulus. IN EXEMPLVM, *constantiæ.* FOLLEM. *Arnobius, & Nonius vt Tertull. pro corpore sumunt. Corpus enim instar follis ventum attrahit & expirat. Saccum etiam apud Vegetium, & Plautus seruo minatus eum facturum follem pugillatorium; vn balon. cui pugnis cædendum.* NON TVNDIS, *id est animum, quo propriè, separatus à carne, secundùm vim nominis vocat, sed solum follem, supple corpus tundis.* EXITV, *morte.* PEPIGERVNT, *vt pro eis Propheta dicat,* pepigimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum; *vt laudem hominum promererentur.* ECCE, *quid nobis desperati animi labem aspergitis, ob auiditatem Martyrij, spe æterna gloriæ; cum vestros coronetis durissima ferentes pro vacua spe laudis humanæ?* ATTICA, *Græca meretrix, quam Ambr. lib.* 1. *de*

S. Aug.

Virg. Pythagoream rectè nominat ob silentium suis discipulis indictum. VICTA, *tormenti acerbitate.* ZENO ELEATES. *Parmenidis auditor fuit, & teste Suida in administranda Republica clarissimus. Zephirus, sub Dionysio, alij sub Nearcho Tyranno passum referunt, qui ne participes coniurationis reuelaret, concisam linguam in os Tyranni expuit.* LACONVM FLAGELLA. *Ex Sinesio ep.* 57. *Lacedemones Dianam suam expresso sibi verberibus sanguine colebant.* ACERBATA, *adaucta.* O GLORIAM, *ironicè.* CVI, *apud quam, cuius respectu.* DEFVNDITIS, *id est ex ære erigitis.* RESVRRECTIONEM, *vt superstites viuant in memoria, nominibus & titulis dignitatum in marmoribus & ære incisis. Et libro* 1. *ad Nat. cap.* 18. VOLVNTARIOS. *Sponte morientes transfodit. Vide* B *exempla supra citata.* REGINA. *Cleopatra serpentibus, &c.* SEXVS. *Loquax & infirmus.* PASTAM, *truncatum dentibus.* ERADICATÆ, *extortæ instrumentum.* TEMPORVM, *quibus homines duriores erant.* IN EXTRANEOS *ironicè.* EADEM VOCE. *Similia omnino.* FABVLAS FECIT. *Si adeo peruersi estis, vt maiorum vestrorum exempla stupenda conuertatis in risum, & repræsentetis in theatris hodie in gladiatorum pugnis veterum Romanorum generositatem.* AD LANISTAS. *Sunt apud vos qui vitam suam locant apud gladiatores ediscendo artem gladiatoriam.* NON VITÆ AMORE. *Certè cùm vos sub armorum Magistris, artem bellicam addiscitis, quos & lanistas melius ab arte crudeli nominatis, & proprio mortis nomine artem bellicam nuncupatis, non dulci amore vitæ, sed duro contemptu id profitemini, quem nobis vt dementem & obstinationem obijcitis.* MORTIS NOMEN. C *Lanistas, propriè carnificinæ addictos, gladiatores appellatis. Et sic militiam mortis nomine dehonestatis.* AD BESTIAS ITIS. *Ad spectacula gladiatorum cum bestiis certantium: adeo crudeles estis.* CRVCEM PEPIGIT. *Si fabulosum est, Regulum se cruciatui addixisse; ne pactam fidem solueret, nuper quidam ex vestris se ardenti clamyde indutum spectaculo locauit.* VENATORIOS, *inter flagra venatorum.* AVCTORAVIT. *Turneb.* 2. *aduers. c.* 20. Præmium mercedemque sibi quæsiuit. *Se obligauit.* LACONICA GLORIA. *Vana vtique in flagris, altisque duris ferendis; qui & in omnibus negotiis Lunæ rationes superstitiosè consulebant.*

2. *Martyrum tormentis frustra Gentiles insultant, cum liberè patiantur. Apol. cap.* 49. *in m. ad. f. &* 50. *in p.*

DE qua iniquitate sæuitiæ non modo cæcum hoc vulgus exultat & insultat, sed & quidam vestrum, quibus fauor vulgi de iniquitate captatur, gloriantur. quasi non totum, quod in nos potestis, nostrum sit arbitrium. certè, si velim, Christianus sum. tunc ergo me damnabis, si damnari velim. cum verò quod in me potes, nisi velim, non potes, jam meæ voluntatis est, quod potes, non tuæ potestatis. Proinde & vulgus vanè de nostra vexatione gaudet. Proinde enim nostrum est gaudium quod sibi vindicat, qui malumus damnari, quam à Deo excidere. Contrà, illi qui nos oderunt, dolere non gaudere debebant, Cap. L. consecutis nobis quod elegimus. Ergo, inquitis, cur querimini quod vos insequamur, si pati vultis; cum diligere debeatis, per quos patimini quod vultis? Planè volumus pati. verum eo more, quo & bellum nemo quidem libens patitur, cum & trepidare, & periclitari sit necesse. tamen & prœliatur omnibus viribus, & vincens in prœlio gaudet, qui de prœlio querebatur, quia & gloriam consequitur & prædam. Prœlium est nobis, quod prouocamur ad tribunalia, vt illic sub discrimine capitis pro veritate certemus. Victoria est autem, pro quo certaueris, obtinere. Ea victoria habet & gloriam placendi Deo, & prædam viuendi in æternum. Sed obducimur. Certè cum obtinuimus. ergo vincimus cum occidimur. denique euadimus cum obducimur. Licet nunc sarmenticios & semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidij axis reuincti sarmentorum ambitu exurimur. Hic est habitus victoriæ nostræ. hæc palmata vestis. tali curru triumphamus.

3. *Martyrum tormenta justius consecramus, qui pro Deo viuo moriuntur, quam Gentiles colunt idola hominum mortuorum. Apol. cap.* 12. *V. Verbum Dij Gentil. num.* 6.

e Gal. 4. 4. Ius Grammaticis istis silentium imponit: [e] *Misit*, inquit, *Deus filium suum factum ex muliere.*
Nunquid per mulierem, aut in muliere? Hoc quidem impressius, quod factum potius di-
d Io.1.14. cit, quàm natum: simplicius enim enuntiasset natum. Factum autem dicendo; &, [d] *Ver-
bum caro factum est*, consignauit; & carnis veritatem ex Virgine factam adseuerauit. Nobis
quoque ad hanc speciem Psalmi patrocinabuntur, non quidem Apostatæ & hæretici, &
Platonici Valentini; sed sanctissimi & receptissimi Prophetæ Dauid. Ille apud nos canit
Christum, per quem se cecinit ipse Christus. Accipe Christum, & audi Dominum Patri
e Psal. 21. 9. Deo colloquentem: [e] *Quia tu es qui auulsisti me ex vtero matris meæ.* Ecce vnum. *Et spes mea ab
vberibus matris meæ, super te sum proiectus ex vulua.* ecce aliud: *Et ab vtero matris meæ Deus meus
es tu.* ecce aliud. Nunc ad sensus ipsos decertemus. *Auulsisti me*, inquit, *ex vtero.* Quid auel-
litur, nisi quod inhæret? quod infixum, innexum est ei, à quo vt auferatur, auellitur? Si
non adhæsit vtero, quomodo auulsus est? si adhæsit qui auulsus est, quomodo adhæsisset,
nisi dum ex vtero est per illum neruum vmbilicarem, quasi folliculi sui traducem, adnexus
originiuuluæ? Etiam cùm quid extraneum extraneo adglutinatur, ita concarnatur & con-
uisceratur cum eo cui adglutinatur, vt cùm auellitur, rapiat secum ex corpore aliquid à
quo auellitur, quasi sequelam quandam abruptæ vnitatis, & producis mutui coïtus. Ce-
terùm, quæ vbera matris suæ nominat? sine dubio quæ hausit. Respondeant obstetrices,
Medici & Physici, de vberum natura, an aliter manare soleant, sine vuluæ genitali pas-
sione, suspendentibus exinde venis sentinam illam inferni sanguinis, & ipsa translatione
decoquentibus in materiam lactis lætiorem. Inde adeo fit, vt vberum tempore, menses
sanguinum vacent. Quod si *Verbum caro* ex se *factum est*, non ex vuluæ communicatione,
nihil operata vulua, nihil functa, nihil passa; quomodo fontem suum transfudit in vbera,
quæ, nisi habendo, non mutat? habere autem sanguinem non potuit lacti subministrando,
si non haberet causas sanguinis ipsius; auulsionem scilicet suæ carnis. Quid fuerit nouita-
tis in Christo ex Virgine nascendi, palam est: scilicet solummodo hoc, quod ex Virgine, se-
cundùm rationem quam edidimus; & vti Virgo esset regeneratio nostra, spiritaliter ab om-
nibus inquinamentis sanctificata per Christum, virginem & ipsum, etiam carnaliter, vt ex
Cap. xxi. virginis carne Si ergo contendunt hoc competisse nouitati, vt quemadmodum non ex vi-
ri semine, ita nec ex virginis carne caro fieret Dei verbum; quare non hoc sit tota nouitas;
vt caro non semine nata, carne processerit? Accedam adhuc cominius ad congressum. [f] *Ec-
f Esa. 7. 14. ce*, inquit, *virgo concipiet in vtero.* quidnam? vtique Dei verbum, non viri semen: certè vt
Ibid. pareret filium. Nam, *Et pariet*, inquit, *filium.* Ergo, vt ipsius fuit concepisse, ita ipsius est
quod peperit: licet non ipsius fuerit quod concepit. Contrà, si verbum ex se caro factum est,
jam ipsum se concepit & peperit, & vacat prophetia. Non enim virgo concepit, neque pe-
Matth. 1. 20. perit, si non quicquid peperit ex verbi concepto, caro ipsius est. Sola hæc autem Prophe-
tæ vox euacuabitur? an & Angeli, conceptum & partum Virginis adnuntiantis? an & om-
Luc. 1. 28. nis jam Scriptura, quæcunque matrem pronuntiat Christi? Quomodo enim mater, nisi
quia in vtero eius fuit? Sed nihil ex vtero eius accepit, quod matrem eam faceret, in cuius
vtero fuit. Hoc nomen non debet caro extranea. Matris vterum non appellat, nisi filia vte-
Luc. 1. 42. ri, caro. Filia vteri porro non est, si sibi nata est. Tacebit igitur & Elizabeth Prophetam
portans, jam Domini sui conscium infantem, & insuper Spiritu sancto adimpleta. Sine
g Ibid. 43. causa enim dicit, [g] *Et vnde mihi vt mater Domini mei ad me veniat?* Si Maria non filium, sed
h Ibid. 42. hospitem in vtero gestabat Iesum, quomodo dicit, [h] *Benedictus fructus vteri tui!* Quis hic
fructus vteri, qui non ex vtero germinauit? qui non in vtero radicem egit? qui non eius est,
cuius est vterus? Et qui vtique fructus vteri? Christus.

MARIA. 6. SCHOL.

TORTVOSITAS. *ô Valentiniani, cæterique veræ carnis Christi obtrectatores, quid tortuoso flexu serpitis.* IN HAC SPECIE. *vox juris: in hoc casu.* PENES. *in Scripturis sanctis: mutant enim propositionem, ex in alias, in, per.* QVA ET ANGELVS. *in hoc fundati, quod & Angelus dixerit*; quod in ea natum est. DIXERAT, *dixisset æquiualens.* BENE, *optimè nobiscum agitur, à Deo promissum est.* IACOB, *Matth.* 1. 16. Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est IESVS, qui vocatur Christus. GRAMMATICIS, *de præpositione errantibus.* MISIT. *Gal.* 4. 4. vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. *Syr.* & factus est ex muliere, & factus est sub lege. *Aug. lib. 4. de Trin. c. 20. vbi de missa Patris Sapientia juxta votum Salomo-*
S. Aug. *nis Sap. 7.* Emitte illam de sanctis cœlis tuis, & mitte illam à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, id est doceat me laborare, ne la-
A borem &c. sed aliter mittitur vt sit cum homine, aliter missa est vt ipsa sit homo. In animas enim Sanctas se transfert, atque amicos Dei & Prophetas constituit, sicut etiam implet Sanctos Angelos, & omnia talibus ministeriis congrua, per eos operatur. Cum autem venit plenitudo temporis, missa est, non vt impleret Angelos, nec vt esset Angelus, nisi in quantum consilium Patris annũtiabat, quod & ipsius erat; nec vt esset cum hominibus, aut in hominibus: hoc enim & antea in Patribus & Prophetis: sed vt ipsum Verbum Caro fieret, id est homo fieret: in quo futuro reuelato Sacramento, etiam eorum sapientium atque Sanctorum salus esset; qui, priusquam ipse de Virgine nasceretur, de mulieribus nati sunt. & in quo facto, atque prædicato, salus sit omnium credentium, sperantium, diligentium. Hoc enim magnum pietatis est Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit

Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria &c. Verbo itaque Dei ad vnitatem personæ copulatus, & quodammodo commixtus est homo, cum veniente plenitudine temporis, missus est in hunc mundum factus ex fœmina filius Dei, vt esset & filius hominis propter filios hominum. Hanc personam Angelica natura figurare antea potuit, vt prænuntiaret, non expropriare (*proprié assumere in vnitatem personæ*) vt ipsa esset. NVMQVID, *supple dixit.* IMPRESSIVS, *quod maiorem imprimat fidem vera carnis Christi facta ex Maria.* CONSIGNAVIT. *Subscripsit Paulo Ioannes, simul signauit.* PSALMI, *non more Valentini consarcinati.* PLATONICI, *Platonis sectatoris, sic eundem vocat de Præscr. c.* 7. QVIA TV ES. *Psal.* 21. quoniam tu es qui extraxisti me de ventre: spes mea ab vberibus Matris meæ, in te proiectus sum ex vtero; de ventre matris meæ Deus meus es tu. *Augu st. Ep.*120. *ad Honoratum cap.* 20. Ideo de ventre Matris meæ &c. quoniam

S. Aug.

Pater, in tantum est Deus eius, in quantum homo est in forma serui, non in quantum illi æqualis in forma Dei est, ideo de ventre matris &c. ac si diceret, ex eo quod homo factus sum, Deus meus es tu. Sed quid est, tu extraxisti me de ventre? &c. An inde significare voluit partum virginis seruata virginis integritate mirabili, cum ait, tu extraxisti me &c. vt quod illud mirabiliter factum est, cum Deus fecisse dicitur, nemini incredibile videatur. AD SENSVS, *de interpretatione & vero sensu litteræ disputemus.* NERVVM VMBILICAREM, *ab ipso vtero, vbi est infans, per vmbilicum traducitur alimentũ infanti. Sensus est; dum fœtus connexus per neruum vmbilicarem quasi per traducem & continuationem folliculi, id est corpusculi, (Apologetici enim cap. vltimo Anaxarchus corpus suum follem dixit) adnexus est origini vuluæ; per quem neruum est edit, comedit, sugit alimentum.* ABRVPTÆ VNITATIS. *Nimis hic probat; nec vi auulsus Christus à Matre cum effusione sanguinis vel dolore. Vnde Cypr.* Sponte lapsus est ex arbore baiula fructus, nec diuelli oportuit, quod sponte prodibat. PRODVCIS, *quæ producit & continuat mutuam connexionem. Non inficior tamen, præcisum sine manibus vmbilicũ, materno vtero adhærentem.* QVÆ VBERA MATRIS. *Aug. Ep.*120. *c.*12: quid ergo est, & illud spes mea ab vberibus matris meæ?

S. Aug.

&c. Neque spes alia intelligẽda est, nisi quia futurum erat, vt Deus eum exaltaret à mortuis, &c. An fortè quia vbera fœminarũ ab ipso cõceptu in vbertatem promoueri perhibentur, sic intelligi voluit, ab vberibus; tanquam diceret, ex quo carnem sumpsit, cui carni fuerat speranda immortalitas? GENITALI PASSIONE. *Cautè intelligendum. Neque enim vult passam in virginitate corruptionem, sed solam alterationem quæ fit in vulua propter fœtum. Quod explicat dum ait,* SVSPENDENTIBVS, &c. *alij legunt* pendentibus *sed non mihi placet, cum dum implentur vbera lacte facto ex sanguine menstruo, tum cessant venæ tributum pendere inferioris sanguinis menstrui. Vnde melius lego* suspendentibus, *quod ad mammas superiores transmissus hic sanguis in lac vertatur, & suspendatur à sentina missus. Nisi velis easdem venas tributum hoc deinceps ad alimentum pueri, pendere mammis lacte implendis, latiore vtique materia. Sed prior sensus propior Tertulliano infra dicenti,* vberum tempore menses sanguinum vacare: *id est mensibus quibus menstruus sanguis fluere solet, dum vbera turgent lacte, cessare.* VVLVÆ COMMVNICATIONE. *tantum abest vt hic turpem coitum & inquinamentum intelligat, aut aliquod passa fuerit detrimentum pudoris, dum subiicit,* nihil passa *solum enim vult factam alterationem in menstruis, mutatis in lac, & verè factam matrem, ex vtero & substantia sua generando filium. Incorruptam virgineam vuluam, purissimis verbis ex Ambrosio Lucam exponente deprompteis. expressit Aug. lib.* 1. *cont. Iul. cap.* 3. Non virilis coitus, inquit, vuluæ virginalis secreta reserauit, sed immaculatum semen (*semen autem est Verbum Dei,*) inuiolabili vtero Spiritus Sanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis de fœmina Sanctus Dominus IESVS, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non senserit, & cœlesti maiestate depulerit.

S. Aug.

FONTEM SVVM. *Vuluam intelligit fontem menstruorum quæ sanguinem in vbera transmittit.* AVVLSIONEM, *fœtus scilicet.* SVÆ CARNIS. *Augu st.* Christi Caro, Mariæ Caro, vna erat. *quæ auulsa est per præcisionem vmbilici,* CAVSAS SANGVINIS. *Causa materialis lactis, sanguis menstruus; efficiens, concoctio caloris; finalis, nutritio pueri auulsi ex vtero. Cæterum Beda in cap.* 11. *Luc.* qua consequentia eius lacte credatur nutritus, cuius semine negatur esse conceptus? cum ex vnius eiusdemque fontis origine secundum Physicos vterque liquor emanare approbetur. QVID FVERIT. *quæ causa mouerit Christum, vt nouo modo ex Virgine nasceretur, patet.* VTI, *vt scilicet regeneratio nostra in Baptismo, Sancta, pura virgo esset. Hinc Augustinus sæpius juxta Paulum, Ecclesiam nos regenerantem lauacro aquæ in verbo vitæ, Beatæ Virginis partui comparat.* ETIAM CARNALITER, *etiam secundum natiuitatem temporalem, & carnalem Christus virgo fuit, sicut purissimus secundum æternam & diuinam.* CONTENDVNT, *hæretici veram carnem negantes, & nouam Christi natiuitatem in eo ponentes; quod sicut verè non ex viri semine, sic non veram carnem sumpsit ex Virginis carne, sed è cœlo sydeream & cœlestem sumpserit.* QVARE NON HOC &c. *Cur rationabilius non admittunt, totam nouitatem in hoc ponendam, quòd caro Christi vera ex carne Virginis facta sit, sine semine viri carnali?* COMINIVS, *dictum à cominus, proximius eos, & strictius aggrediar.* CONCEPISSE, *quod concepit, Verbum.* NON IPSIVS, *scilicet verbum: quia à Patre, ab æterno conceptum & genitum. Nota non excludi hic Virginem à dignitate Matris Dei; ob identitatem enim personæ Verbi, concepit verè & peperit Dei filium: quia* non duo, sed vnus est Christus. *Sed vult dicere, prius ab æterno conceptum Verbum, fuisse Patris Verbum: nec à Matre conceptum, quasi antea non esset, sed concepit incarnatum, cum antea incarnatum non esset. Et sic nulla est contradictio.* VERBVM *ex se &c. non sumpta ex virgine carnis materia.* VACAT, *frustra Prophetauit Esaias dicens,* ecce virgo concipiet &c. CONCEPTO. *Neutrum, pro,* conceptu. *aduerte concretum, &* verbi conceptum, *significare Verbum Incarnatum.* SOLA HÆC &c. *putas verò frustratam solummodo Esaiæ Prophetiam? sic insanies hæretice, vt mentitum dicas Gabrielem?* SED NIHIL &c. *Obijcis hæretice &c.* HOC NOMEN, *matris.* NON DEBET *hunc respectum filij ad matrem, caro è cœlo; vel aliunde quam ex matris vtero sumpta.* SI SIBI, *ex se.* TACEBIT, *frustra locuta, vel taceat igitur &c.* HOSPITEM. *alienigenam, aliunde ortum ex alia materia formatum &c.*

Purissimum lactis virginei succum expressit Cyprianus tract. de Christi Natiuitate. Nulla, inquit, domus ambitio, nisi reclinatorium in stabulo, mater in fœno, filius in præsepio. Tale elegit fabricator mundi hospitium, huiusmodi habuit delicias sacræ virginis puerperium. panniculi pro purpura, pro bysso in ornatu regio laciniæ congeruntur. Genitrix & obstetrix, & deuotam dilectæ soboli exhibet clientelam. Attrectat, amplectitur, iungit oscula, porrigit mammam, totum negotium plenum gaudio: nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio, &c. Nec locus ibi erat lauacris quæ solent puerperis præparari, quippe nec aliqua naturæ iniuria matrem Domini læserat; quoniam sine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate: & tamen consuetudinem sequens, vt legi satisfaceret, quasi cum aliis mulieribus esset ei in hoc opere ratio similis, dic-

bus designatis recubuit: & depositi oneris lassitudinem professa, oblatæ quieti paruit, & in diebus separationis, non se à thoro Ioseph, qui eam numquam tetigit, sed ab ingressu templi, & cæteris quæ lex prohibebat, continuit. Vltro maturus ab arbore baiula fructus elapsus est; nec oportuit vellicari, quod sponte prodibat. Nihil in hac re petijt vltio, nec præcedens delectatio aliquam expetiit pœnarum vsuram. Spiritu sancto obumbrante, incendium originale extinctum est; ideoque innoxiam affligi non decuit. Nec sustinebat iustitia, vt illud vas electionis, communibus lassaretur iniuriis; quoniam plurimùm à cæteris differens, naturâ communicabat, non culpâ. Eratque ei proprium priuilegium, quod nulla mulierum, nec ante, nec deinceps meruit obtinere; quod erat simul mater & virgo, singulis titulis insignita. Vnde & matri plenitudo gratiæ debebatur, & virgini abundantior gloria; quæ carnis & mentis integritate insignis, spiritali & corporali, intus & extra, Christi præsentia fruebatur. Ornamenta quæ deerant etiam si adessent, non haberent oculos inspectores; quia præsentia paruuli; sic eorum qui aderant, Ioseph, & si quis fortè alius ibi erat, oculos occuparat, sic illuminauerat animos, sic corda illexerat; vt in hoc summo bono, omnium bonorum vnica collectio videretur. Nec opus esset euagari, & mendicari per partes, quod simul in se vno fidelibus omnipotens infantia præsentabat. *Hinc Propheta meritò animam in varia obiecta distractam, in hoc vnum summè necessarium colligens:* vsquequo deliciis dissolueris, filia vaga? quia creauit Dominus nouum super terram: fœmina circundabit virum.

Regreditur dehinc Cyprianus ad matris vbera castius describenda, vt supra partum purius descripserat, duritiem Tertulliani emolliens: paruulus, inquit, sugens vbera, pura alimonia vtebatur, & fons sacri pectoris defæcatum edulium ori mundissimo infundebat. Sed & cor matris quædã dulcedines quæ humanum superant intellectum, imbuebant: eratque vtrimque mira iucunditas; cùm pia sanctæ matris & deuota humilitas, & sancti sanctorum immensa benignitas, confœderatis affectibus mergerentur. *Concludo cum* S. Aug. *Augustino ser. 9. de Tempore:* Ducite, inquit, fideles A festiuissima gaudia, in ligno mortali vitæ arbor inseritur, & portans in se omnia virtus, ab infirmitate portatur, &c. De riuulo suo fons magnus exoritur, radix omnium de virgulto suo nascitur, & vitis vera palmitis sui fructus efficitur. Adest ecce optatissimus dies gratiâ geminatâ resplendens, &c. In quo æternus Sol, lucrum lucis, & dispendium cæcitatis, de summa altitudine claritatis paternæ descendens, vuluæ virginalis aditum reserauit, & totius mundi caliginem fulgida coruscatione repressit. Ducite fideles Christi, festiuissima gaudia, res nobis hodie perfecta est noua, quæ olim fuerat repromissa, vt sine virginei detrimento pudoris, filium lactarent vbera genitricis. Hæc illa est nouitas Ieremiæ Prophetæ vaticinio nuntiata Faciet, inquit, Dominus nouum B super terram. Et quasi quandam lucernam huius obscuritatis accendens, statim subiecit; fœmina circundabit virum, &c. O fœmina super fœminas benedicta, quæ & virum non cognouit, & virum vtero circundedit: quæ concubitu carnali non tangitur, & tamen carnea prole, de spiritali semine gratulatur! Circundat Maria virum, Angelo fidem dando, quia Eua perdidit virum serpenti consentiendo, &c. Occultatur in membris infantis potentia maiestatis. Deus pendet ad vbera genitricis. Pannorum vilium squalore contegitur, durissimi suffert præsepis angustias, & totum misericors humiliter patitur, dummodo mundus qui perierat liberaretur. O Beata infantia per quam nostri generis præparata est vita! C O gratissimi, delectabilesque vagitus, per quos stridores dentium, æternosque ploratus euasimus! ô fœlices panni, quibus peccatorum sordes extersimus! ô præsepe splendidum, in quo non solùm iacuit fœnum animalium, sed cibus inuentus est Angelorum! lacta Maria Creatorem tuum, lacta panem cœli, pretium mundi. Postremò tu illi vt mater temporalem ministra substantiam vt ipse nobis, & tibi, vna cum Patre & Spiritu sancto vitam tribuat sempiternam. *Sic sic Augustinus & cum Tertulliano veram & natam ex virginis purissimo sanguine & eius lacte nutritam, & cum Cypriano, longe Tertulliano honestius asserit dictam, & eloquentius edisserit carnem.*

7. De Maria Virgine, sine humano semine, & de Spiritu sancto nasci debuit Christus: ne totus esset filius hominis; sed simul esset verus Deus & verus homo. De Car. Chri. cap. 18. & 19. per totum.

NVnc, vt simplicius respondeamus, non competebat ex semine humano Dei filium nasci, ne si totus esset filius hominis, non esset & Dei filius, nihilque haberet amplius Salomone, & amplius Iona; & de Hebionis opinione credendus erat. Ergo, jam Dei filius ex patris Dei semine, id est spiritu, vt esset & hominis filius, caro ei sola erat ex hominis carne sumenda, sine viri semine. Vacabat enim viri semen, apud habentem Dei semen. Itaque, sicut nondum natus ex virgine, patrem Deum habere potuit sine homine matre: æque cum de virgine nasceretur, potuit matrem habere hominem sine homine patre. Sic denique homo cum Deo, dum caro hominis cum spiritu Dei. Caro sine semine, ex homine: spiritus cum semine, ex Deo. Igitur si fuit dispositio rationis super filium Dei ex virgine proferendum, cur non ex virgine acceperit corpus, quod de virgine protulit? Quia
i Io. 1. 14. aliud est quod à Deo sumpsit: quoniam, inquiunt, [i] *Verbum caro factum est.* Vox ista, quid caro factum sit, contestatur: nec tamen periclitatur, quasi statim aliud sit factum caro, & non verbum. Si ex carne factum est verbum caro, aut si ex semine ipso factum est, scriptura dicat. Quum scriptura non dicat, nisi quod sit factum, non & vnde sit factum: ergo ex alio, non ex semetipso suggerit factũ. Si non ex semetipso, sed ex alio; jam hinc tracta, ex quo magis credere congruat, carnem factum verbum, nisi ex carne, in qua & factum est: vel quia
k Io. 3. 6. ipse Dominus sententialiter & definitiuè pronuntiauit, [k] *Quod in carne natum est, caro est,* quia ex carne natum est. Sed si de homine tantummodo dixit, non & de semetipso: planè nega
l Io. 3. 6. hominem Christum; & ita, defende non & in ipsum competisse. Atquin subjicit, & [l] *quod*
Io. 4. 24. *de spiritu natum est, spiritus est.* quia *Deus spiritus est,* & de Deo natus est. Hoc vtique vel eo magis in ipsum tendit, si & in credentes eius: Si ergo & hoc ad ipsum, cur non & illud suprà?

neq.

neq enim diuidere potes, hoc ad ipsum, illud suprà ad ceteros homines, qui vtramque substantiam Christi, & carnis, & spiritus, non negas. Ceterùm, si tam carnem habuit, quàm spiritum, cùm de duarum substantiarum conditione pronuntiat, quas & ipse gestat, non potest videri de spiritu quidem suo, de carne verò non sua determinasse. Ita, cùm ipse sit de spiritu Dei, & spiritus Deus est, & Deus ex Deo natus ipse est, & ex carne hominis, homo in carne generatus. Quid est ergo, [m] *Non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo natus est?* Hoc quidem capitulo ego potius vtar, quum adulteratores eius obduxero. Sic enim scriptum esse contendunt, *Non ex sanguine, nec ex carnis voluntate, nec ex viri, sed ex Deo natus est.* Quasi suprà dictos credentes in nomine eius, designet, vt ostendat esse semen illud arcanum electorum, & spiritalium, quod sibi imbuunt. Quomodo autem ita erit, quum omnes qui credunt in nomine Domini, communi lege generis humani ex sanguine & ex carne, & ex viri voluntate nascantur: etiam Valentinus ipse? Adeo singulariter, vt de Domino scriptum est: [n] *Et ex Deo natus est.* Meritò, quia verbum Dei, & cum verbo Dei spiritus, & in spiritu Dei virtus, & quicquid Dei est Christus. Quà caro autem, [o] *non ex sanguine, nec ex carnis & viri voluntate:* quia ex Dei voluntate, *Verbum caro factum est.* Ad carnem enim, non ad verbum pertinet negatio formalis nostræ natiuitatis, quia caro sic habebat nasci, non verbum. Negans autem ex carnis quoque voluntate natum, cur non negauit etiam ex substantia carnis? neque enim quia ex sanguine negauit, substantiam carnis renuit, sed materiam seminis, quam constat sanguinis esse calorem, vt despumatione mutatum in coagulum sanguinis feminæ. Nam ex coagulo in caseo vis est substantiæ, quam medicando constringit, id est lactis. Intelligimus ergo, ex concubitu natiuitatem Domini negatam, quod sapit voluntas viri, & carnis, non ex vuluæ participatione. Et quid vtique tam exaggeranter inculcauit, non ex sanguine, nec ex carnis voluntate, aut viri, natum; nisi quia ea erat caro, quam ex concubitu natam nemo dubitaret? Negans porrò ex concubitu, non negauit ex carne; immò confirmauit ex carne: quia non proinde negauit ex carne, sicut ex concubitu negauit. Oro vos, si Dei spiritus non de vulua carnem participaturus descendit in vuluam, cur descendit in vuluam? potuit enim extra eam fieri caro spiritalis; simplicius multò, quàm intra vuluam fieret extra vuluam. Sine causa eò se intulit, vnde nihil extulit. Sed non sine causa descendit in vuluam: Ergo ex illa accepit. Quia si non ex illa accepit, sine causa in illam descendit, maximè eius qualitatis caro futurus, quæ non erat vuluæ, id est spiritalis.

CAP. XIX.
m Io. 1. 13.
n Io. 1. 13.
o Io. 1. Ibid. & 14.

DE MARIA VIRGINE. 7. SCHOL.

AMPLIVS SALOMONE. *Cum dixerit tamen de seipso Christus*, ecce plusquam Salomon hic. AMPLIVS IONA. *& rursum ibidem Matth. 12. 41.* Et ecce plusquam Ionas hic. HEBIONIS, *juxta Hebionis hæretici sententiam purus homo fuisset æstimandus.* SEMINE. Verbum est semen Dei. ID EST SPIRITV. *Deus de Deo. Io. 1.* Deus erat Verbum. *Et Io. 4.* Deus Spiritus est. VACABAT. *frustra erat.* VIRI, *Ioseph* APVD HABENTEM, *in virgine habente Dei Verbum.* SINE HOMINE MATRE. *Aug.* Ex Patre sine matre Deus, ex matre sine Patre homo: &c. mirabilis illa generatio, quia sine Matre: mirabilis ista, quia sine Patre. HOMO CVM DEO. Emmanuel nobiscum Deus. CVM SPIRITV DEI, *Verbo quod Deus est, & Spiritus de Spiritu.* EX HOMINE, *Matre humana, sine semine paterno.* SPIRITVS, *Deus.* CVM SEMINE. *Cum persona Verbi.* INQVIVNT, *hæretici sic intelligunt, Verbum factum ex semetipso, non ex matre sumpta carne.* VOX ISTA, *scilicet* Verbum Caro factum est, *satis indicat, inquiunt aduersarij, quòd caro mutata sit in Verbum, & proinde spiritalis facta, siue spiritus.* NEC TAMEN PERICLITATVR, *jam respondet hæreticis, nihil inde periculi esse veritati carnis & solidæ eius & tractabili substantiæ.* QVASI STATIM. *quasi verò, inquit, subitò, Verbo Incarnato, Caro suum esse mutauerit corporeum in spiritale, & mutata sit in Verbum.* ET NON VERBVM. *Non quod velit Verbum mutatum esse in Carnem. Aut aliud factum sit in se, alteratâ & mutatâ essentia aut personâ substantiâ: Nam ex Aug. multoties:* assumpsit quod non erat, manens quod erat: *Sed factum est vnicum Carne vera, & ex homine Deo factus est vnus Christus, quod antea non erat.* SI EX CARNE. *id est si caro ab esse carnis transiit & mutata est in Verbum;* SI EX SEMINE IPSO. *Verbo scilicet, de quo supra loquens* A *de Virgine dixit*, habentem Dei semen, & semen *quod Euangelium dicit*, Verbum Dei, *vt hæretici nugantur, Verbum ex semetipso, & non ex matre fecit carnem. Dicat illud Scriptura &c.* NON ET IN IPSVM, *ipsi conuenisse.* EÒ MAGIS, *tantò magis hic locus de Christo intelligendus, si de Christianis baptizatis, & renatis ex Spiritu, volunt hæc dicta.* EX SANGVINE. *Ex sanguinibus.* QVID EST ERGO, *inducit obiicientes.* EGO POTIVS *&c. Cum refutauero Scripturæ corruptores.* SEMEN ARCANVM. *Intelligit distinctionem seminis spiritalis & animalis quo imbuuntur electi à Demiurgo & Achamoth. Vide locum contra Valentinianos cap. 25.* SINGVLARITER. *Nota non solum Tertull. sic legere, sed & Athanasium lib. 2. de propriis personis ad Theophilum* sed ex Deo natus est. *Et Iren. lib. 3. cap. 21.* qui non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri natus est. *Vt sit sensus*, dedit potestatem filios Dei fieri, his qui B credunt in nomine eius. *Qui filius Dei verus est*, & non natus ex voluntate viri, neque ex sanguinibus, & Verbum Caro factum est &c. *vt credentes in filium Dei naturalem, fiant eius filij adoptiui.* CONTENDVNT *sic quidem scriptum esse in numero singulari fatentur, sed sensum adulterant, dum non Christo unico Patris seminis, vt Verbum est, vnicoque matris virginis filio, sed semini suo spiritali applicant.* ADEO SINGVLARITER &C. *Errant, inquit, soli enim Christo id congruit, qui nec secundùm æternam, nec secundùm temporalem originem, de viro eiusque excocto sanguine, fomenteue, sed ex Deo Patre ab æterno genitus, & in tempore de Spiritu sancto Conceptus; natus est ex Virgine.* VERBVM DEI, *filius Patris æterni.* ET CVM VERBO, *personâ Verbi.* DEI SPIRITVS, *naturâ diuina à Patre communicata filio.* DEI VIRTVS, *sic Paulus vocat Christum:* Dei virtutem. VERBVM CARO. *Aug. tract. 2.*

S. Aug.

in Io. in plurali legit ex sanguinibus: qui non ex sanguinibus. *Licet fateatur in Græco pluraliter, Latinè tamen non dicimus sanguines:* S. Aug. si, inquit, diceret ex sanguine, singulari numero, non explicaret quod volebat, ex sanguinibus enim homines nascuntur maris & fœminæ &c. Hi ergo non ex voluntate carnis &c. Sed ex Deo nati sunt. Vt autem homines nascerentur ex Deo, primo ex ipsis natus est Deus. Christus enim Deus, & Christus natus ex hominibus, non quæsiuit quidem nisi Matrem in terra, quia jam Patrem habebat in Cœlo: Natus ex Deo per quem efficeremur, natus ex fœmina per quam reficeremur. Noli ergo mirari ô homo, quia efficeris filius per gratiam, quia nasceris ex Deo secundùm verbū eius. Prius ipsum Verbum voluit nasci ex homine (*matre humani generis*) vt tu securus nascereris ex Deo, & diceres tibi. Non sine causa Deus nasci ex homine voluit, nisi quia alicuius momenti, me existimauit, vt immortalem me faceret, & pro me mortaliter nasceretur. Ideo cum dixisset, ex Deo nati sunt; quasi ne miraremur & exhorreremus tantam gratiam, vt nobis incredibile videretur, quia homines ex Deo nati sunt; quasi securum te faciens ait; & Verbum Caro factum est &c. Quid ergo miraris, quia homines ex Deo nascuntur? attende ipsum Deum natum ex hominibus. *Dictum intellige de Genealogia Mariæ, per quam, de ipsa nasci voluit* & Verbum Caro factum est. *Idem August. in Enchir. c. 34.* S. Aug. Verbum Caro factum est, à Diuinitate Carne suscepta, non in Carnem Diuinitate mutata. Carnem porro hic debemus accipere à parte totum significante locutione: sicut dictum est Rom. 3. quoniam ex operibus legis non justificabitur omnis caro, id

A est omnis homo. Nam nihil naturæ humanæ, in illa susceptione, fas est dicere, defuisse, sed naturæ ab omni peccati nexu omnino liberæ: Non qualis de vtroque sexu nascitur per concupiscentiam carnis, cum obligatione delicti, cuius reatus per regenerationem diluitur; sed qualem de Virgine nasci oportebat, quem fides Matris, non libido conceperat. Quod si vel per nascentem corrumperetur eius integritas, non jam ille de virgine nasceretur: eumque falsò, quod absit, de Virgine Maria natum, tota confiteretur Ecclesia, quæ imitans eius matrem, quotidie parit membra eius, & virgo est &c. proinde Christus Iesus Dei filius est, & Deus, & homo est. Deus ante omnia sæcula, homo in nostro sæculo. Deus, quia Dei Verbum, Deus enim erat Verbum: homo autem, quia in vnitatem personæ accessit Verbo anima rationalis & Caro. NEGATIO FORMALIS. B *Non est hic quæstio de generatione Verbi ex Patre, sed de Carnali ex Matre, de qua formaliter negamus, quod facta sit ex voluntate viri, sanguine & semine Ioseph.* HABEBAT, *debebat sic nasci secundùm carnem.* MEDICANDO, *purificando componit.* NON EX VVLVÆ &c. *non vero negatam Christi Natiuitatem ex Virginis vtero, ex quo Carnem participauit humanam.* NEMO DVBITARET, *Christi scilicet Carnem veram, vt alterius cuiuspiam hominis natam ex concubitu carnali, nisi Scriptura toties repetendo inculcasset corruptionē à Christi natiuitate prorsus exclusam, quam Ioannes etiam reiicit à Natiuitate spirituali credentium in eum, qui ex Deo, & opere Spiritus sancti spiritaliter per Christi merita renascuntur.* SI DEI SPIRITVS, *Dei Filius Deus,* FIERET, *supple spiritalis.* ACCEPIT, *carnis scilicet substantiam.*

8. *Maria Virgo concipiens & pariens fuit signum magnum. Cont. Iud. cap. 9. V. Verbum Christi elogia num. 18. à. p. ad m.*

9. *Et 3. cont. Marc. cap. 13. à p.*

SEd & Virginem, inquit, parere natura non patitur, & tamen creditur prophetæ. Et meritò. Præstruxit enim fidem incredibili rei, rationem edendo, quod in signo esset futura, [a] *Propterea, inquit, dabit vobis Dominus signum; Ecce Virgo concipiet in vtero, & pariet filium.* Signum autem à Deo, nisi nouitas aliqua monstruosa, tam dignum non fuisset. Denique & Iudæi, si quando ad nos dejiciendos mentiri audent, quasi non Virginem, sed juuenculam concepturam & parituram scriptura contineat, hinc reuincuntur, quòd nihil signi videri possit res quotidiana, juuenculæ scilicet prægnatus & partus. In signum ergo disposita Virgo & mater, meritò creditur: infans verò bellator non æquè. Non enim & hîc signi ratio versatur. Sed signo natiuitatis nouæ adscripto, exinde post signum, alius ordo jam infantis edicitur, mel & butyrum manducaturi. Nec hoc vtique in signum est, malitiæ non assentaturi; & hoc enim infantia est; sed [b] *accepturi virtutem Damasci, & spolia Samariæ aduersus Regem Assyriorum.*

a Esa. 7. 14.
b Esa. 8. 4.

MARIA. 9. SCHOL.

INQVIT, *Marcion scilicet.* ET MERITO, *respondet Tertull.* PRÆSTRVXIT, *præparauit, fundamentum fidei præmisit.* RATIONEM, *qua animus moueretur assentiri, rei aliàs sine fide incredibili. Et quia vt ait Paulus,* signa infidelibus: *Ideo Propheta de Virgine concipiente dicturus, præfatus est de signo & portento. Porro signum Deo tam dignum non fuisset, nisi circa rem inaudita & stupenda nouitatis. Hoc stupet Augustinus portentum ser. 13. de Temp.* S. Aug. Qui natus est primo sine Matre in cœlis, hodie natus est sine Patre in terris. O Miracula, ô prodigia, fratres charissimi, naturæ jura mutantur in homine. Deus nascitur, virgo sine viro grauidatur, viri nesciam sermo Dei maritat. Simul facta est Mater Virgo: Mater facta, sed incorrupta. Virgo habens filium nesciens virum. Semper clausa, sed non infœcunda, &c. Virgo concepit, sola vulneri nostro

C Medicinam parere potuit, quæ non ex peccati vulnere germen piæ prolis emisit. O Mira & inexquisita compago, ô noua & inaudita commixtio &c. DEIICIENDOS, *deturbandos ex fide Virginei Conceptus & partus.* BELLATOR. *quasi diceret, quod subiicit Esaias de infante bellatore, & spolia Damasci auferente, licet prodigiosum videatur, non est tamen æquale signo Virginei Conceptus: hoc enim ad litteram; illud vero, de vocatione Gentium, mysticè intelligendum est.* ET HIC. *in hoc bellum, non cadit nomen signi, Virgini concipienti aptatum.* NEC HOC &c. *Scilicet infantili esca vesci, prodigium est, sed commune.* NON ASSENTATVRI, *blandituri, consensuri malitia: simplicitas enim & innocentia propria est infantium. Aug. In Iob. 20. in verba:* neque pabula mellis & butyri *vbi impio minatur eum priuandum fructibus bonorum operum, sic exponit:* S. Aug.

opera bona cum charitate & hilaritate cordis, & largitate præbentis; buryrum enim lac pingue est. S. Aug. *Subiicit verba Iob:* in vanum & frustra laborauit: quia, inquit, non intelligit *super egenum & pauperem, paruulum & humilem Christum in minimis fratribus pauperibus, de bonorum pinguedine pascendum; vnde in iudicio, ex misericordia, vel ex eius defectu reprobat malum & eligit bonum* non intelligit hæc de his operanda quæ ad misericordiam pertinent. Vnde & Dominus butyrum & mel dicitur manducare, quia hæc A illi in humilibus eius præbentur. *Subiicit rursũ verba Iob:* quæ egerunt vt durum quid, quod mandi non potest nec glutiri; durum nescio quid, est puto iniquitas vel superbia. *Diuitum scilicet iniquorum.* ALIVS ORDO &c. *post conceptum & natiuitatem, cui tantum Propheta signi nomen affixit; subiecit innocentiam simul & fortitudinem accepturi virtutem Damasci &c. de quibus alibi jam diximus. V. In Alphab. Errorum V. Maria. 1. & 2.*

10. *Maria adiutrix Christi in salute hominis, figurata in Eua. 2. cont. Marc. cap. 4. in m.*

EAdem bonitas & adjutorium prospexit, ne quid non boni: [a] *non est enim, inquit, bonum, solum esse hominem.* Sciebat illi sexum Mariæ, & deinceps Ecclesiæ profuturum. a Gen. 2. 18.

11. *Mariam matrem Christus non negauit, sed spiritalem generationem prætulit. V. Verbum, parentes. Et V. Christi caro. 6.*

MARIA. 10. SCHOL.

NON BONI. *scilicet crederetur à Deo factum.* NON EST &c. *Gen. 2. 18.* Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi. 70. Secundum ipsum. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Adiutorium quod sit coram eo. *Paraph. Chald.* Adiutorium quasi cum. SEXVM MARIÆ. *per quem Adam & tota Ecclesia saluaretur.* S. Aug. *Aug. Ser. 15. de Tempore, vult omnibus Ecclesiæ membris salutiferam Mariam.* Maledicta, inquit, Eua fuerat, quam nunc credimus per Mariam ad benedictionem gloriæ remeasse &c. Venite Virgines ad Virginem, venite concipientes ad concipientem. Venite parientes ad parientem, venite matres ad matrem, venite lactantes ad lactantem, venite juuenculæ ad juuenculam. Ideo omnes istos cursus naturæ, Virgo Maria in Domino nostro Iesu Christo suscepit, vt omnibus ad se confugientibus fœminis subueniret, & sic restauraret omne genus humanum ad se venientium, noua Eua seruando virginitatem; sicut omne genus virorum Adam nouus recuperat Dominus Iesus Christus. S. Aug. *Et lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 14.* Corrupto animo fœminæ ingressus est morbus: integro corpore fœminæ processit salus. S. Aug. *Et lib. de fide & Symbolo cap. 4.* Detestandi illi sunt, qui Dominum nostrum Iesum Christum matrem Mariam in terris habuisse negant: cùm illa dispensatio vtrumque sexum, & masculinum, & fœmininum honorauerit, & ad curam Dei pertinere monstrauerit, non solum quem suscepit, sed etiam illum per quem suscepit; virum gerendo, nascendo de fœmina. *Mariam Virginem Deiparam vt mediatricem inuocandam tota docet Patrum Ecclesiæ traditio, quæ laudes eius vno omnium ore incessanter prædicauit. Cùm & Deo sit coniunctissima, & proinde charitate plenissima, & suffragij sui efficacissimi vigore potentissima. Hinc Irenæus lib. 5. cap. 19.* Sicut Eua seducta est vt effugeret Deum: sic Maria suasa est vt obediret Deo: vt Virginis Euæ Virgo Maria fieret aduocata. *Methodius inter Authores Ecclesiasticos ab Hieronymo recensitus Olympiæ primò in Lycia, inde Tyri Episcopus & Martyr, qui floruit ante Concilium Nycænum, sic Virginem affatur in Epiph. Domini:* Tu Creatoris Mater, tu nutrix omnia nutrientis, tu cuncta continentis & comprehendentis comprehensio, tu illius gestatrix, qui verbo suo portat vniuersa: tu porta per quam in carnem ingressus est Deus, tu purificantis carbonis forceps, tu incomprehensibilis illius roris vellus, tu Bethleemitica cisterna quam velut refocillatricem vitæ Dauid desiderauit, & ex qua immortalitatis poculum emanauit, &c. Salue in æternum, ad te namque recurrimus in festiuitate nostra principium tu, medium tu, finis tu, pretiosa cœle- B stis regni margarita: tu fons vberrimus totius sanctitatis, tu animarum altare, panis vitæ. Salue Spiritus sancti vmbraculum. *Epiph. Ser. de laudibus Deiparæ.* Aue gratia plena, multis virtutibus exornata Virgo, in lampade gestans lucem inextinguibilem, Sole splendidiorem. Aue gratia plena, hami esca spiritalis: in te siquidem hamus diuinitatis; *carne nostra tectus, qua, juxta Prophetam, homines factos velut pisces maris, per Apostolos hominum piscatores, Verbo incarnato piscatus est Deus.* Aue gratia plena quæ es vrna aurea continens manna cœleste. Aue gratia plena quæ sitientes perennis fontis dulcedine satias: mare spiritale habens gemmam cœlestem Christum. Aue gratia plena splendidum cœlum, quæ in cœlis incomprehensum contines Deum, &c. Quid dico, & quid proloquar? Quo pacto Beatam prædicabo gloriæ radicem? Solo Deo excepto, cunctis superior C existis. Natura formosior es ipsis Cherubin, Seraphin, & omni exercitu angelico. *Cyrill. Alex. Homil. in Concilio Ephesino recitata contra Nestorium.* Salue Sancta Deipara, eximium illud totius orbis decus & ornamentum. Salue lampas inextinguibilis corona virginitatis, sceptrum rectæ doctrinæ, templum indissolubile. *Vide Chrysost. Ser. de Genesi & interdictione arboris. Ephrem Orat. de laudibus eius. Nyssenum Orat. de Nat. Chris. Andream Ierosol. Ser. de Salut. Angel. Andream Cret. in eadem. Chrysippum Presbyt. de eiusdem laudibus. Ambr. Orat. 2. præpar. ad Missam.* Vt efficax mea sit deprecatio, B. Mariæ Virginis suffragia peto, quam tanti meriti esse fecisti, vt prima inter mulieres nouum munus offerret, & nulla præter ipsam tam nouum acciperet. *Iustinianus Imp. l. 1. Cod. de offic. præfecti Præt. Africæ.* Hoc etiam deprecantes exoramus, & gloriosæ semper Virginis & Dei genitricis Mariæ precibus, vt quidquid minus est rei nostræ, per nos vltimos seruos suos restituat, in suo D nomine Deus, & dignos nos faciat seruitium eius adimplere. *Augustinus lib. medit. cap. 35. Mediatricem apud Deum implorat Virginem.* S. Aug. Pie & misericordissime Domine, ne efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea, sed propter bonitatem tuam suscipe preces serui tui, & da mihi effectum petitionis meæ, & desiderij mei, intercedente, & orante, & impetrante gloriosa Virgine genitrice tua Maria Domina mea, cum omnibus Sanctis tuis. *Et ibid. cap. 40.* Sancta & immaculata Virgo Dei genitrix Maria, & mater Domini nostri Iesu Christi, interuenire pro me apud illum digneris, cuius meruisti effici templum. S. Aug. *Et Ser. 18. de Sanctis in verba Missus est:* descendit Angelus de Cœlo missus à Patre Deo in nostræ redemptionis exordium, ac Beatam salu-

tando Mariam, *pudeat hæreticum Mariæ salutationem auersantem, cum legat in Euangelio eum iisdem quibus nos verbis eam salutantem:* Aue ait, gratia plena Dominus tecum. Impleta est ergo gratia, & Euæ vacuata est culpa. Maledictio Euæ, in benedictionem mutatur Mariæ. Aue, inquit, gratia plena, Dominus tecum. Tecum Dominus in corde, tecum in ventre, tecum in vtero, tecum in auxilio. Gratulare Beata Virgo, Christus Rex è cœlo suo, incarnatur in vtero tuo: ex sinu Patris, in vterum dignatur descendere matris, &c. O Beata Maria, sæculum omne captiuum tuum deprecatur assensum: te apud Deum mundus suæ fidei obsidem fecit. Noli morari Virgo, nuntio festinanter responde verbum, & suscipe filium, da fidem, & senti virtutem, &c. O fœlix obedientia, ô insignis gratia quæ dum fidem humiliter dedit, cœli in se opificem corporauit, &c. O Beata Maria quis tibi digne valeat jura gratiarum ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito, &c. *Quod tota canit Ecclesia secunda die infra Octauam Natiuitatis eius. Nec mirum si mediatricem inter Deum & hominem tota inuocat Ecclesia, quam Deus Pater sibi voluit in mediatoris generatione fatere similem. Aug. Serm. 22. de Temp. vtramque componit natiuitatem.* Hac, inquit, die est natus ex Virgine Matre, qui ante sæcula æternus est genitus ex Deo Patre. In illa natiuitate ex impassibili nascitur genitore, in ista incorrupta natus ex Virgine. Illam solus Pater sciuit ipse qui genuit; hanc in se sola Virgo & mater intemerata cognouit, quæ virum in concipiendo non pertulit. In Patre impassibilitas, in matre incorruptibilitas. In ista matrem habet Virginem, sed hominem non habet Patrem. In illa coæternus est Patris, & coæternus authoris; in ista filius est Virginis, & author est matris. *Sed vt Pater æternus, sic & mater in vnigenito filio, nos Dei & sui filios fecit adoptiuos Angelorum socios & commensales. Ita Serm. 23. de Temp.* Factus, inquit, filius hominis filius Dei, multos filios hominum facit filios Dei, & nutritos seruos per visibilem formam serui, perficit liberos ad videndam formam Dei. Nondum idonei sumus conuiuio Patris nostri, agnoscamus præsepe Domini nostri. *Et ibid. supra:* laudent eum condignè omnes Angeli eius, quorum cibus æternus est, incorruptibili eos sagina viuificans, quia Verbum Dei est, huius vita viuunt, cuius æternitate semper viuunt, cuius bonitate semper beatè viuunt. Sunt illi nuntij eius, sumus & nos pecora eius. Impleuit in cœlo mensam ipsorum, impleuit in terra præsepe nostrum. Plenitudo mensæ est, quia in principio erat Verbum, &c. Plenitudo præsepis nostri est, quia Verbum caro factum est, &c. Vt enim panem Angelorum manducaret homo, Creator Angelorum factus est homo. *Et cui hoc post Deum debemus nisi matri quæ de seruis & jumentis fecit Dei filios & socios Angelorum. Sic Augustinus Ser. 11. de tempore.* Hodie, inquit, parturiente Maria natus est nobis Dei filius, vt germanæ carnis nostræ conceptione productus creato à se homini, & pietatem paternam, & fraternum largiretur affectum. *Honoremus matrem, & in omnibus necessitatibus mediatricem inuocemus.*

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

MARTYRES.

1. *Martyrum virtus & constantia laudabilior fortitudine famosorum Gentilium. Apol. cap. 50. à p.*

Meritò itaque victis non placemus. Propterea enim desperati & perditi existimamur. Sed hæc desperatio & perditio penes vos, in causa gloriæ & famæ, vexillum virtutis extollunt. Mutius dexteram suam libens in ara reliquit. ô sublimitas animi. Empedocles totum sese Catanensium Ætneis incendiis donauit. ô vigor mentis. Aliqua Carthaginis conditrix rogo secundùm matrimonium dedit. ô præconium castitatis. Regulus ne vnus pro multis hostibus viueret, toto corpore cruces patitur. ô virum fortem, & in captiuitate victorem. Anaxarchus cum in exemplum, ptisanæ pilo contunderetur; Tunde, tunde, aiebat, Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non tundis. ô Philosophi magnanimitatem, qui de tali exitu suo etiam jocabatur. Omitto eos qui cum gladio proprio, aliove genere mortis mitiore de laude pepigerunt. ecce enim & tormentorum certamina coronantur à vobis. Attica meretrix carnifice jam fatigato, postremò linguam suam comesam in faciem tyranni sæuientis expuit, vt expueret & vocem, ne coniuratos confiteri posset, si etiam victa, voluisset Zeno Eleates consultus à Dionysio, Quidnam Philosophia præstaret? cum respondisset, Contemptum mortis, flagellis tyranni subiectus sententiam suam ad mortem vsque signabat. Certè Laconum flagella sub oculis etiam hortantium propinquorum acerbata tantum honoris conferunt, quantum sanguinis fuderint. O gloriam licitam, quia humanam, cui nec præsumptio perdita, nec persuasio desperata reputatur, in contemptu mortis & atrocitatis omnimodæ, cui tantum pro patria, pro imperio, pro amicitia pati permissum est, quantum pro Deo non licet. Et tamen illis omnibus & statuas defunditis, & imagines inscribitis, & titulos inciditis in æternitatem; quantum de monimentis potestis scilicet, præstatis & ipsi quodammodo mortuis resurrectionem. hanc qui veram à Deo sperat, si pro Deo patiatur, insanus est. *Et lib. 1. ad Nat. cap. 18.*

MARTYRES. 1. SCHOL.

Victis. *Patientia nostra gentilibus.* Desperati. *Quòd vltro nos offeramus Martyrio.* Penes vos *apud vos Gentiles, & authores vestros.* In causa gloriæ. *Cùm propter gloriam & famam, vestri tormenta sustinent.* Mutius. *Idem Tertullia. ad Martyres.* Mutius manum suam dexteram in ara cremauit, vt hoc factum eius famam haberet. *Quod & repetit lib. de Anima cap. 58. Noster Augustinus lib. 4. de Ciuit. cap. 20. ridet Gentiles.* Cur, inquit, fortitudo Dea non est, quæ affuit Mutio cùm dexteram porrexit in flammam. *Et lib. 5. de Ciuit. cap. 18.* Si Mutius, vt cum Porsenna Rege pax fieret, qui grauissimo bello Romanos premebat, quia Porsennam, ipsum occidere non potuit, & pro eo alterum deceptus occidit, in ar-

S. Aug. S. Aug.

dentem Aram, ante oculos eius dexteram extendit dicens, multos tales qualem illum videret, in eius exitium coniurasse: cuius ille fortitudinem, & conjurationem talium perhorrescens sine vlla dilatione, se ab illo bello, facta pace, compescuit: quis Regno cœlorum imputaturus est merita sua, si pro illo, non vnam manum, neque hoc sibi vltro faciens, sed persequente aliquo patiens, totum flammis corpus impenderit? EMPEDOCLES. *Naz. Orat. 3.* ille cum per Sicula foramina *Æthnæos caminos* diuinitatem, vt sibi opinione fingebat comparasset, *curiosius ignis causas explorando* charissimo calceo *æneo* ignis æstu eiecto proditus est. Atque ita non Deus post hominem ostensus est, verum inanis gloriæ studiosus, Philosophiæque post mortem expers, ac ne communi quidem sensu præditus. CONDITRIX. *Siue sit Dido, siue Elisa vt ait Petrus Faber; primi viri rogo secundas nuptias concinerauit.* REGVLVS. *Idem Tertul. ad Martyras cap.* 4. Cum se vnum pro multis captiuis Carthaginensibus compensari noluisset, maluit hostibus reddi, & in Arcæ genus stipatus, vndique extrinsecus clauis transfixus tot cruces sensit. *Et de eodem Aug. lib 5. de Ciuit. cap. 18. vbi concludit:* qui cruciatus non sunt pro fide illius patriæ contemnendi, ad cuius beatitudinem fides ipsa perduxit? aut quid retribuetur Domino pro omnibus quæ retribuit, si pro fide, quæ illi debetur *vt ab illo infusa* talia fuerit homo passus, qualia pro fide quam perniciosissimis inimicis *Carthaginensibus* debebat, passus est Regulus. IN EXEMPLVM, *constantiæ.* FOLLEM. *Arnobius, & Nonius vt Tertull. pro corpore sumunt. Corpus enim instar follis ventum attrahit & expirat. Sacuum etiam apud Vegetium, & Plautus seruo minatus eum facturum follem pugillatorium;* vn balon. *tot pugnis cædendum.* NON TVNDIS, *id est animum, quo propriè, separatus à carne, secundùm vim nominis vocor, sed solum follem, supple corpus tundis.* EXITV, *morte.* PEPIGERVNT, *vt pro eis Propheta dicat,* pepigimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum; *vt laudem hominum promererentur.* ECCE, *quid nobis desperati animi labem aspergitis, ob auiditatem Martyrij, spe æternæ gloriæ; cum vestros coronetis durissima ferentes pro vacua spe laudis humanæ?* ATTICA, *Græca meretrix, quam Ambr. lib. 1. de Virg. Pythagoream rectè nominat ob silentium suis discipulis indictum.* VICTA, *tormenti acerbitate.* ZENO ELEATES. *Parmenidis auditor fuit, & teste Suida in administranda Republica clarissimus. Zephirus, sub Dionysio, alij sub Nearcho Tyranno passum referunt, qui ne participes coniurationis reuelaret, concisam linguam in os Tyranni expuit.* LACONVM FLAGELLA. *Ex Sinesio ep. 57. Lacedemones* Dianam *suam expresso sibi verberibus sanguine colebant.* ACERBATA, *adaucta.* O GLORIAM, *ironicè.* CVI, *apud quam, cuius respectu.* DEFVNDITIS, *id est ex ære erigitis.* RESVRRECTIONEM, *vt superstites viuant in memoria, nominibus & titulis dignitatum in marmoribus & ære incisis. Et libro 1. ad Nat. cap. 18.* VOLVNTARIOS. *Sponte morientes transfodit. Vide exempla supra citata.* REGINA. *Cleopatra serpentibus, &c.* SEXVS. *Loquax & infirmus.* PASTAM, *truncatum dentibus.* ERADICATÆ, *extortæ instrumentum.* TEMPORVM, *quibus homines duriores erant.* IN EXTRANEOS *ironicè.* EADEM VOCE. *Similia omnino.* FABVLAS FECIT. *Si adeo peruersi estis, vt maiorum vestrorum exempla stupenda conuertatis in risum, & repræsentetis in theatris hodie in gladiatorum pugnis veterum Romanorum generositatem.* AD LANISTAS. *Sunt apud vos qui vitam suam locant apud gladiatores edíscendo artem gladiatoriam.* NON VITÆ AMORE. *Certè cùm vos sub armorum Magistris, artem bellicam addiscitis, quos & lanistas melius ab arte crudeli nominatis, & proprio mortis nomine artem bellicam nuncupatis, non dulci amore vitæ, sed duro contemptu id profitemini, quem nobis vt duritiem & obstinationem objicitis.* MORTIS NOMEN. *Lanistas, propriè carnificinæ addictos, gladiatores appellatis. Et sic militiam mortis nomine dehonestatis.* AD BESTIAS ITIS. *Ad spectacula gladiatorum cum bestiis certantium: adeo crudeles estis.* CRVCEM PEPIGIT. *Si fabulosum est, Regulum se cruciatui addixisse; ne pactam fidem solueret, nuper quidam ex vestris se ardenti clamyde indutum spectaculo locauit.* VENATORIOS, *inter flagra venatorum.* AVCTORAVIT. *Turneb. 2. aduers. c. 20,* Præmium mercedemque sibi quæsiuit. *Se obligauit.* LACONICA GLORIA. *Vana vtique in flagris, aliisque duris ferendis; qui & in omnibus negotiis Lunæ rationes superstitiosè consulebant.*

S. Aug.

2. Martyrum tormentis frustra Gentiles insultant, cum liberè patiantur. Apol. cap. 49. in m. ad. f. & 50. in p.

DE qua iniquitate sæuitiæ non modo cæcum hoc vulgus exultat & insultat, sed & quidam vestrum, quibus fauor vulgi de iniquitate captatur, gloriantur. quasi non totum, quod in nos potestis, nostrum sit arbitrium. certè, si velim, Christianus sum. tunc ergo me damnabis, si damnari velim. cum verò quod in me potes, nisi velim, non potes, jam meæ voluntatis est, quod potes, non tuæ potestatis. Proinde & vulgus vanè de nostra vexatione gaudet. Proinde enim nostrum est gaudium quod sibi vindicat, qui malumus damnari, quam à Deo excidere. Contrà, illi qui nos oderunt, dolere non gaudere debebant, Cap. L.
consecutis nobis quod elegimus. Ergo, inquitis, cur querimini quod vos insequamur, si pati vultis; cum diligere debeatis, per quos patimini quod vultis? Planè volumus pati. verum eo more, quo & bellum nemo quidem libens patitur, cum & trepidare, & periclitari sit necesse. tamen & prœliatur omnibus viribus, & vincens in prœlio gaudet, qui de prœlio querebatur, quia & gloriam consequitur & prædam. Prœlium est nobis, quod prouocamur ad tribunalia, vt illic sub discrimine capitis pro veritate certemus. Victoria est autem, pro quo certaueris, obtinere. Ea victoria habet & gloriam placendi Deo, & prædam viuendi in æternum. Sed obducimur. Certè cum obtinuimus. ergo vincimus cum occidimur. denique euadimus cum obducimur. Licet nunc sarmenticios & semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidij axis reuincti sarmentornm ambitu exurimur. Hic est habitus victoriæ nostræ. hæc palmata vestis. tali curru triumphamus.

3. Martyrum tormenta justius consecramus, qui pro Deo viuo moriuntur, quam Gentiles colunt idola hominum mortuorum. Apol. cap. 12. V. Verbum Dij Gentil. num. 6.

MARTYRVM TORMENTIS. 2. SCHOL.

VVLGVS, *Gentilium.* SI VELIM, *quia fides post Deum pendet à libero hominis arbitrio. Vnde ex Theologis licet subiectiuè sit in intellectu, imperatiuè est in voluntate.* DAMNARI. *ad mortem; non tantum, sed & ad infernum, qui ob ordinem iustitiæ melior est peccato. Inde Senex ille Eleazar apud Machab. dixit:* se præmitti velle in infernum. EXCIDERE, *per infidelitatem.* OBTINERE, *supple, id.* OBDVCIMVR. *id est quasi conuicti criminis, pudore affecti caput & faciem velamus. Immò verò* obtinuimus *supple supra Gentiles lucrum causæ & veritatis fidei. Vel obductionem intellige de tribunali ad tribunal, vel ex carcere ad sententiam capitis subeundam ducimur.* PALMATA VESTIS *de pictis palma vestibus vide Cassiod. lib. 6. Ep. 1. Capitolinum in Gordianis, Vopiscum in Probo, Paulinum ad Macharium. Carolus autem Paschalius lib. 8. de coronis cap. 21. Tertullianum intelligit loqui de palmis mirabilibus quæ nascuntur in Rupe Vulcani perpetuo ardente, quas Q. Calaber lib. 2. hist. & florere & vberem fructum ferre narrat;* radice licet ardente cum saxis. *quod magis consonat* sarmentitiis & semiaxiis, *de quibus immediatè dixerat author. August. tract. 51. in Io.* A Rami palmarū laudes sunt, significantes victoriam, quia erat Dominus mortem moriendo superaturus, & trophæo crucis de diabolo mortis principe triumphaturus. *Et in Psal. 91.* Iustus vt palma florebit. In palma altitudinem significauit, quia in nouissimis suis pulcra est &c. aspera radix videtur in terra, pulcra coma sub cœlo est. Erit ergo & tua pulcritudo in fine. radix tua fixa sit, sed sursum versus habeamus radicem nostram; *aduerte car palmæ sursum in apice esse* radix enim nostra Christus est, qui ascendit in cœlum. *Caput Martyrum, palma omnium patientum Christus; ad quam certatim Martyres cum sponsa dicunt conuitentes:* ascendam ad palmam & apprehendam fructus eius. *Quin & Martyres à Ioanne in Apoc. visi in stolis albis lotis in agni sanguine, cuius merito obtinuere fortitudinem, qua & suum funderent:* Et palmæ in manibus eorum: *vt fortiter passi per ascensum purpureum proprij sanguinis, ad ferculum & currum triumphalem agni prouehi mererentur, cruore in proprio tincta Martyrij trabea, & palmis victoriarum, variè picta.* S. Aug. S. Aug.

4. *Martyres, Deus bonus, & non homicida, iustius cum vnigenito, filios adoptiuos, sibi immolat, quam dij Gentium homines victimans sibi. Scorp. cap. 6. in f. & 7. per totum.*

HÆc tu remedia, consilia, judicia, spectacula, etiam Dei atrocitatem judicabis? Sanguinem hominis Deus concupiscit? Et tamen ausim dicere, si & homo regnum Dei, si homo certam salutem, si & homo secundam regenerationem. Nulli compensatio inuidiosa est, in qua aut gratiæ, aut iniuriæ communis est ratio. Incutiat adhuc scorpius, homicidam Deum ventilans, horrebo planè spurcum blasphemiæ flatum de hæretico ore fœtentem: sed & talem Deum de fiducia rationis amplectar, qua ratione etiam ipse se plus quàm homicidam pronuntiauit ex Sophiæ suæ persona, voce Salomonis: [a] *Sophia, inquit, jugulauit filios suos.* Sophia, sapientia est Sapienter vtique jugulauit, dum in vitam; & rationaliter, dum in gloriam. O paricidij ingenium! ô sceleris artificium! ô argumentum crudelitatis, quæ idcirco occidit, ne moriatur quem occiderit! Et ideo quid sequitur? [b] *Sophia in exitibus cantatur Hymnis;* cantatur enim & exitus Martyrum. [c] *Sophia in plateis de constantia agit,* benè enim *filios suos jugulat: super summos autem muros confisa dicit.* Cum quidem secundum Isaiam hic exclamat, [d] *Ego Dei sum: & hic vociferatur, In nomine Iacob. & alius scribit, In nomine Israelis.* O bonam matrem! opto & ipse in filios eius redigi, vt ab ea occidar. Opto occidi, vt filius fiam. Solum autem jugulat filios suos, an & torquet? Audio enim & alibi dicentem Deum, [e] *Vram illos sicuti vritur argentum, & probabo illos sicuti probatur aurum.* Vtique per tormenta ignium & suppliciorum, per martyria fidei examinatoria. Scit & Apostolus qualem Deum adscripserit, quum scribit, [f] *Si Deus filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, quomodo non & cum illo omnia condonauit nobis?* Vides quomodo etiam proprium suum filium primogenitum & vnigenitum sophia diuina jugulauerit; vtique victurum, immò & ceteros in vitam redacturum. Possum dicere, cum sophia Dei Christus est, qui se tradidit pro delictis nostris; jam & semetipsam sophia trucidauit. Verba non sono solo sapiunt, sed & sensu: Nec auribus tantummodo audienda sunt, sed & mentibus. Crudelem Deum, qui non intelligit, credit. Quamquam & non intelligenti posita sententia est, quæ temeritatem cohibeat aliter intelligendi. [g] *Quis enim, inquit, cognouit sensum Dei?* [h] *aut quis illi consiliarius fuit, qui eum instruat; aut viam intelligentiæ quis demonstrauit illi?* Sed enim Scytharum Dianam, aut Gallorum Mercurium, aut Afrorum Saturnum, hominum victima placari apud seculum licuit. & Latio ad hodiernum Ioui media in vrbe humanus sanguis ingustatur, nec quisquam retractat, aut non rationem præsumit aliquam, aut inæstimabilem Dei sui voluntatem Si noster quoque Deus propriæ hostiæ nomine Martyria sibi depostulasset, quis illi exprobrasset funestam religionem, & lugubres ritus, & aram rogum, & pollinctorem Sacerdotem? & non beatum amplius reputasset, quem Deus comedisset?

Cap. VII. a Prou. 9. 2. b Prou. 1. 20. 21. c Prou. 9. 2. d Esa. 44. 5. e Zach. 13. 9. f Rom. 8. 32. g Rom. 11. 34. 1. Cor. 2. 16. h Esa. 40. 13. & seq.

MARTYRES. 4. SCHOL.

REMEDIA, *quibus Deus nos eripit insidiis Diaboli, sæculi retibus, peccati occasionibus.* CONSILIA. *quibus Deus consulit & judicat, melius & gloriosius sibi, & Martyri, sanguinem fundere, & tyrannos in* C *judicio ridiculos traducere.* SPECTACVLA. *Sic Paulus:* spectaculum facti sumus, mundo, Angelis, & hominibus. ATROCITATEM. *Post tot ac tanta dona, Deum, Gnostice, vt sæuum reprehendes.* SANGVINEM

HOMINIS &c. *qui & de pecoribus ait:* nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? AVSIM &c. *Esto & dicam in tantum Deum auidum humani sanguinis, in quantum ipse homo hac via. Christi regia regnum Cælorum, vim passum, violenter inuadere concupiscit. Vel ideo vult Deus hæc media gloriosiora, quia maiorem vult Martyribus præ cæteris Sanctis finem gloriæ.* REGENERATIONEM, *in Baptismo sanguinis, vel iuxta Paulum Hebr. 11. 35.* Distenti sunt, non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem. *Syr. autem:* in cruciatibus mortui sunt, neque sperauerunt se liberatum iri, vt resurrectionem præstantiorem haberent. *Christus enim hanc vocat regenerationem:* in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos &c. *vt prima regeneratio sit lauacri,* consepultis cum Christo per Baptismum in mortem *peccatorum*, vt mortui peccatis, iustitiæ B viuant; *secunda verò sit resurrectio corporis ad vitam immortalem.* INVIDIOSA, *onerosa esse non debet retributio facienda à Deo iusto in iudicio, in quo magna æquitate, aut gratiam pro gratiâ, & gloriam, pro constantia reddet Martyri, aut iniuriam & pœnam rependet, nominis sui negatori.* SCORPIVS, *hæreticus Gnosticus cauda pungens in æstu meridiano æstatis (quo ex Augustino in Psal. 90. vehemens persecutio designatur) à Martyrio deterret.* INCVTIAT, *inculcet & rursum dicat crudelem Deum.* FIDVCIA RATIONIS, *hanc cum magna & rationabili fide Deum iustum & bonum recipiam, etiam iubentem, pro sui nominis confessione pati Martyrium, qui & filios ex fide sibi genitos iugulauit.* SOPHIA &c. *Prouerb. 9. 1. 2.* Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, immolauit victimas suas. 70. Et subdidit columnas septem: mactauit hostias suas. *nulla versio habet,* filios. *Aduerte ergo Tertull. vt frequenter, ita & hic paraphrasticè filios pro victimis posuisse. Ita enim explicat Augustinus de Martyribus hunc locum lib. 17. de Ciuit. cap. 20.* Hic certè agnoscimus Dei Sapientiam, hoc est Verbum Patri coæternum, in vtero Virginali domum sibi ædificasse corpus humanum, & huic tanquam capiti membra, Ecclesiam subiunxisse, Martyrum victimas immolasse. (S. Aug.) IN VITAM. *Sapienti vtique commercio, vt temporalem mutet in æternam, & breuem confusionem, rationabiliter in gloriam sempiternam, iuxta Paulum:* Momentaneum & leue tribulationis nostræ, æternum in sublimitate, gloriæ pondus operatur in nobis. *Et rursum:* non sunt condignæ passiones &c. O PARRICIDII, *genus, artem, &c. Ironicè.* NE MORIATVR, veni vt vitam habeant, & abundantius habeant. QVID SEQVITVR, *(supple nisi vt acri suæ gratulans, hymnum cantet de filiis suis inspirante se, simul in propriam mortem sponte conspirantibus actinas illud Prou. 18. & seq. vbi sit communis versio:* Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur & moliuntur fraudes contra animas suas, &c. Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam. *70. verò:* homicidij participes sunt, thesaurizant sibi ipsis mala, &c. Impietate, *vt putant Gnostici Martyriorũ refragatores,* enim, suam ipsorum animam auferunt. Sapientia in exitibus canitur. *Alij legunt cantas & prædicat,* in plateis autem cum libertate agit; & super summos muros clamitat, & in portis dinastarum assidet, & in portis Ciuitatis confidenter ait &c. EXITVS, mors *Martyrum* in conspectu Domini pretiosa. DE CONSTAN- A TIA. *cum constantia & libertate.* SECVNDVM ESAIAM *c. 44. 5. vulgata:* iste dicet: Domini ego sum: & ille vocabit in nomine Iacob, & hic scribet manu sua, Domino: & in nomine Israël assimilabitur. 70. Iste dicet, Dei sum: & ille clamabit in nomine Iacob: & alius scribet, in manu sua: Dei sum: & nomine Israël clamabit. REDIGI, *recenseri.* MATREM, *sapientiam,* VRAM ILLOS, *Zach. 13. 9. vulgata:* & ducam tertiam partem per ignem, & vram eos sicut vritur argentum, & probabo eos sicut probatur aurum. *70. nil differunt:* transducam tertiam partem per ignem, &c. ADSCRIPSERIT. *adstipulans veteri legi. Rom. 8. 32:* qui etiam proprio filio suo &c. *Syr. fauet Tertulliano:* quod si ne proprio quidem filio pepercit &c. quomodo cum eo non largietur nobis? *Aug. tract. 109. in Io.* quod a Patre sibi dicit datum Calicem Passionis, profecto illud est quod ait Apostolus: qui filio proprio non pepercit &c. Verum author calicis huius, est etiam ipse qui bibit. Vnde idem Apostolus dicit Ephes. 5. Christus dilexit nos & tradidit seipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. *Et lib. 22. de Ciuit. Eundem locum tractans:* cum hæc promissio complebitur, quid erimus? quales erimus? quæ bona in illo regno accepturi sumus? quandoquidem Christo moriente pro nobis tale jam pignus accepimus. REDACTVRVM. *reducturum, restituturum.* SEMETIPSAM, surgite eamus. *& rursum:* ego pono animam meam pro ouibus meis. NON INTELLIGIT, *quia fides est supra intellectum & sensum.* POSITA, *lex imposita à Paulo non inquirendi consilia Dei. Tertull. sequitur Syr. vulgata* consiliarius eius. INSTRVAT, *1. Cor. 2. 16.* qui instruat eum. VIAM INTELLIGENTIÆ. *Esa. 40. 13. & seq. vulgata:* quis adiuuit Spiritum Domini? C aut quis consiliarius eius fuit? & ostendit illi cum quo init consilium, & instruxit eum, & docuit eum semitam iustitiæ, & erudiuit eum scientiam, & viam prudentiæ ostendit illi? *Tertull. vltimam partem habet cum 70.* SCYTHARVM. *Plin. lib. 4. c. 12. notat Tauros Ponti Incolas, Dianæ Scythæ, hospites suos immolasse.* MERCVRIVM. *Ita in Apol. cap. 9.* Maior ætas apud Gallos Mercurio prosecatur. *id est immolatur & cæditur. Legendus Aug. lib. 7. de Ciuit. cap. 19.* SATVRNVM. *Item Tertull. in Apol. c. 9.* Infantes penes Africam Saturno immolabantur. *Vide Aug. ibid. supra.* APVD SÆCVLVM. *populum Gentilem.* LICVIT. *alij liquit, placuit,* LATIO IOVI, *Latino, siue Romano. Minutius Felix:* hodie similiter à Romanis Latiaris Iupiter homicidio colitur, & quod Saturni filio dignum est, mali & noxij hominis sanguine saginatur. HODIERNVM. *tempus, vel diem.* D INGVSTATVR, *effusus & cratere exceptus prælibatur Ioui.* RETRACTAT, *reprehendit.* PRÆSVMIT *apud se cogitat, rationabiliter mandari quidquid à summo Ioue præcipitur.* INÆSTIMABILEM, *grandem & occultam.* FVNESTAM, *crudelem & mortalem, qualis est Gentilium* ARAM ROGVM, *opponit altaria Martyrum sanguine perfusa, & Cratem Laurentij, pyris & rogis Paganorum.* POLLINCTOREM, *curatorem funerum, cuius officium erat lauare & vngere cadauera.* COMEDISSET, *sicut Beatum Ægyptij Patrem censebant, cuius puerum aliquis de Nilo Crocodilus, Deus habitus, sorbuisset; vel Mars, Mercurius, Saturnus, Diana, sanguinem ebibisset, & carnes igne altaris allambente deuorasset.*

(S. Aug. — beside "tract. 109. in Io."; S. Aug. — beside "Et lib. 22. de Ciuit.")

5. *Martyribus Deus promittit os & linguam, ad respondendum Iudici.*
4. *cont. Marc. cap. 39. à p.*

ET hîc igitur ipse vetat cogitari, quid responderi oporteat apud tribunalia, qui & Balaam quod non cogitauerat, immò contra quàm cogitauerat, suggessit; & Moysi causato linguæ tarditatem, [a] *os repromisit, & sapientiam ipsam, cui nemo resisteret,* per Esaïam de- Luc. 21. 14. 15. Num. 22. 38. & 23.

5.&24.5. monstrauit: [b] *Hic dicet, Ego Dei sum, & clamabit in nomine Iacob; & alius inscribetur in no-*
Exo.4.10. *mine Israëlis.* Quid enim sapientius & incontradicibilius confessione simplici & exerta in
a Luc.21. 15. martyris nomine [c] *cum Deo inualescentis? quod est interpretatio Israëlis.* Nec mirum suis cohi-
b Esa.44. 5. buit præcogitationem, qui & ipse à Patre excepit pronuntiandi tempestiuè subministra-
tionem: [d] *Dominus mihi dat linguam disciplinæ, quando debeam proferre sermonem.* nisi Marcion
c Gen.32. 28. Christum non subiectum Patri infert.

d Esa.50. 4.

MARTYRIBVS. 5. SCHOL.

VETAT, *Luc.* 21.14. Ponite ergo in cordibus vestris, non præmeditari quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri. ET BALAAM. *num.* 22. 38: *vulgata:* nunquid potero aliud nisi quod Deus posuerit in ore meo? 70. *verò:* potens ero loqui quippiam? verbum quodcumque iniecerit Deus in os meum: hoc loquar. *Ponderandum quod ait:* Et Balaam: *quasi diceret etiam Magum & malum hominem. August. in*
S. Aug. *num. q.* 48. omnino permissus non est, dicere quod volebat, sed quod virtute Spiritus cogebatur; & ipse quidem reprobus mansit. Nam posterior de illo Sancta Scriptura ita locuta est, vt quidam reprehensibiles & reprobi, viam eius secuti dicerentur: secuti, inquit, (2. *Petri* 2.) viam Balaam filij Behor, qui mercedem iniquitatis dilexit. ET MOYSI, *Exod.* 4.10. Obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudiustertius: & ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ ego sum. 70: ex quo cepisti loqui famulo tuo, gracili voce & tardæ linguæ ego sum. *vulgata prosequitur:* Dixit Dominus ad eum &c. Ego ero in ore tuo: doceboque te quid loquaris. 70. Ego aperiam os tuum, &
S. Aug. instruam te quod locuturus es: *Aug. q.* 9. *in Exo.* Satis hic apparet non tantum instructionem oris, sed ipsam etiam apertionem, ad Dei voluntatem & gratiam pertinere. Non enim ait, tu aperi os tuum & ego instruam te: sed vtrumque ipse promisit, aperiam & instruam. Alibi autem dicit in Psalmo, dilata os tuum, & adimplebo illud. Vbi significat in homine voluntatem accipiendi *quam tamen & ipse juxta Paulum operatur, vt jubendo excitet voluntatem* quod Deus donat volenti: vt ad voluntatis (*excitatæ à Deo*) exordium pertineat, dilata os tuum, ad Dei autem gratiam, & adimplebo illud. Hic verò & aperiam os tuum, & instruam te. PER ESAIAM *cap.* 44.5. Ille dicet: Domini ego sum; & ille vocabit in nomine Iacob; & hic scribet manu sua: Domino: & in nomine Israel assimilabitur. INSCRIBITVR. 70. *Ibid.* & alius scribet in manu sua, Dei sum: & in nomine Israël clamabit. EXERTA, *aperta, & constanti.* MARTYRIS. *Id est; testis fidelis, & fortis.* INVALESCENTIS. *Gen.* 32. 28. *post luctam tota nocte cum Angelo:* Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines præualebis? 70. quia inualuisti cum Deo; & cum hominibus potens eris. DOMINVS MIHI DAT. *sic Esa.* 50. 4. *vulgata:* Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum qui lassus est verbo. 70. *sermonis Tertull. in priori parte; secunda parum differt:* vt sciam quando oporteat loqui verbum. NISI MARCION. *nisi fortè Marcion hunc etiam locum respuat, qui filium Christum Patre minorem supponat, ob carnem & aurem & linguam, quam phantasticam Christo affingit. Sed satis est ad eum conuincendum quod Lucas quem sequitur, omnino respondeat veteri Testamento.*

6. Martyribus, & patientibus, adest Christus compatiens. 4°. cont Marc. cap. 10. à m.

NOmen sortitus est Christi, & appellationem filij hominis; Iesus scilicet Creatoris.
Dan.3.92. Hic erat visus Babylonio Regi in fornace cum Martyribus suis quartus, tanquam filius hominis.

7. Martyres animam suam cum tribus pueris odientes, saluauit Christus. 4. cont. Marc. cap. 21. in m.

a Luc. 9. 24. [a] QVi *voluerit animam suam saluam facere, perdet illam; & qui perdiderit eam propter me, saluam faciet eam.* Certè filius hominis hanc sententiam emisit, Perspice igitur & tu
Dan.3.92. cum Rege Babylonio, fornacem eius ardentem, & inuenies illic tanquam filium hominis; (nondum enim verè erat, nondum scilicet natus ex homine) jam tunc istos exitus constituentem. Saluas facit animas trium fratrum, qui eas pro Deo perdere conspirauerant: Chaldæorum verò perdidit, quas illi per idololatriam saluas facere maluerant. Quæ est ista noua doctrina, cuius vetera documenta sunt? Quamquam & prædicationes martyriorum, tam futurorum, quàm à Deo mercedem relaturorum decucurrerunt. [b] *Vide*, inquit
b Esa. 57. 1. Esaïas, *quomodo perit justus, & nemo excipit corde. Et viri justi auferuntur, & nemo considerat.* Quando magis hoc fit, quàm in persecutione sanctorum eius? Vtique non simplex, nec de
c Luc. 9. 24. naturæ lege communis, sed illa insignis & pro fide militaris; in qua [c] *qui animam suam propter Deum perdit, seruat illam:* vt & hîc tamen judicem adcognoscas, qui malum animæ lucrum perditione eius, & bonum animæ detrimentum, salute eius remuneraturus.

MARTYRIBVS. 6. & 7. SCHOL.

NOMEN CHRISTI. *Qui in veteri lege per Dauid & Cyrum aliosque Reges vel Sacerdotes, Christos Dei, tangi prohibitos, figurabatur: sicut* IESVS, *in Iosue,* IESV *Sirach, &* IESV *Iosedech, delineabatur:* FILII HOMINIS. *Sicut apud Danielem cap.* 3. 92. *Nescio vbi legeris hoc capite* 3. *Nomen filij hominis; cum in nulla versione repererim. Ita enim vulgata:* ecce ego video quatuor viros solutos & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei. *Ita & Hebraicè habetur.* 70. *verò:* & species

cies quatti similitudo filij Dei. *Alij interpretes legunt* filij Deorum. *Aquila interpretatur*, Angeli Dei. *Nihil de filio hominis. Nisi memoria lapsus, ex Dan. 7. 13. hunc transtulerit:* aspiciebam in visione noctis; & ecce cum nubibus cœli, quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit. *Quod pariter legunt cætera versiones. Non inficior tamen hunc Angelum, viri specie apparuisse, in forma humana, & sic repræsentasse filium hominis.* CVM MARTYRIBVS. *Sic suis adest, nec Martyres deserit. Aug. lib. 1. de Ciuit. cap.* S. Aug. 14. Fuerunt in captiuitate tres pueri, fuit Daniel, fuerunt alij Prophetæ, nec Deus defuit consolator.

7. HANC SENTENTIAM, *quam tu admittis apud Lucam.* ET TV, *qui vetus Testamentum Creatoris respuis, aspice Christum tuum eadem dicentem, quæ ipsum præstiterat in veteri Testamento, saluas faciens animas & vitas trium puerorum, quas eas propter ipsum perdere volebant.* INVENIES ILLIC. *Vide dicta præcedenti Scholio.* ISTOS EXITVS. *Sortes diuersas benè perdentium, & malè saluantium animas.* SALVAS FACIT. *Aug. Ser. 110. de diuersis in Supplem. parte 1. vbi Machabæos confert cum tribus pueris.* Quando, inquit, illi non ardebant, & laudabant, aderat Dominus. Quando isti ardebant, confitebantur, tamen moriebantur, vbi erat Dominus? An fortè illi justi erant, isti peccatores? &c. æqualiter justi, confessores æqualiter peccatorum; ideo irreprehensibiles, quia non mendaces. Si enim dixerimus, ait Ioannes, quia peccatum non habemus, nosipsos decipimus, & veritas in nobis non est, &c. Ad justos ergo pertinet confessio peccatorum, ad superbos pertinet defensio meritorum; Pariter ergo justi, peccata confitentes, pariter ergo Deo gloriam dantes: pariter pro eius legibus mo- A ri parati. Quare illi ab ignibus liberantur, isti ab ignibus consumuntur? Ergo illis Deus aderat, hos deseruerat? absit. Immò vtrisque adfuit. Illis in aperto, istis in occulto: illos visibiliter liberabat; istos inuisibiliter coronabat. Illi quidem de morte liberati sunt; sed in huius vitæ tentatione manserunt. Ab igne liberati, ad pericula reseruati. Vno tyranno victo; adhuc certaturi cum diabolo. Fratres mei, sicut Christiani intelligite. Machabæi meliùs & tutiùs liberati sunt. Ab illis tribus viris, cæteris remanentibus, illa vna tentatio superata est; ab istis ista vita finita, quæ tota tentatio est. Deinde diuino judicio, occulto proculdubio, sed tamen justo, Nabuchodonosor meruit conuerti; Antiochus meruit obdurari. Ille inuenit misericordiam, iste auxit superbiam. CHALDÆORVM VERO. *Dan. 3. 47. vulgata:* Effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta nouem; B & erupit & incendit quos reperit juxta fornacem de Chaldæis. Angelus autem Domini descendit cum Azaria & sociis eius in fornacem; & excussit flammam ignis de fornace. *Ita & 70.* NOVA, *cum jam olim præscripta fuerint eius documenta per Prophetas Creatoris, non probant Deum nouum Marcionis* DECVCVRRERVNT, *quasi jam impletum descripserunt.* MILITARIS. *Teste & milite Christi digna fides.* NATVRÆ LEGE, *qua omnes mori debent.* INQVIT ESAIAS. *Ad verbum sequitur hic 70. Vulgata autem Esa. 57. 1.* Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo: & viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat, à facie enim malitiæ collectus est justus. HIC IVDICEM ADCOGNOSCAS, *agnosce & hic Marcion judicem, tu qui Deum talem non admittis.*

8. *Martyr in carcere liber, in tenebris lux, in fœtore suauis odor, in tribunali Iudex. ad Mart. cap. 2. in p.*

CÆtera æquè animi impedimenta vsque ad limen carceris deduxerint vos, quousque & parentes vestri. Exinde segregati estis à mundo. Si enim recogitemus ipsum magis mundum carcerem esse, exisse vos è carcere, quam in carcerem introisse intelligemus. Maiores tenebras habet mundus, quæ hominum præcordia excæcant. Grauiores catenas induit mundus, quæ ipsas animas hominum constringunt. Pejores immunditias expirat mundus, libidines hominum. Plures postremò mundus reos continet, scilicet vniuersum hominum genus. Iudicia denique non Proconsulis, sed Dei sustinet. Quo vos, benedicti, de carcere in custodiarium si fortè translatos existimetis. Habet tenebras, sed lumen estis Matth. 5. ipsi. Habet vincula, sed vos soluti Deo estis. Triste illic expirat, sed vos odor estis suauita- 14. tis. Iudex expectatur, sed vos estis de judicibus ipsis judicaturi. Contristetur illic, qui fru- 2. Cor. 2. ctum seculi suspirat. Christianus etiam extra carcerem seculo renuntiauit, in carcere au- 15. tem etiam carceri. Nihil interest vbi sitis in seculo, extra seculum estis. Et si aliqua ami- 1. Cor. 6. sistis vitæ gaudia, negotiatio est aliquid amittere vt majora lucreris. 2. & seq.

MARTYR. 8. SCHOL.

IMPEDIMENTA, *quæ aliquandiu animum vestrum, vt parentum & bonorum cura, ab alacritate Martyrij retardabant, in limine carceris deponite, ad quod vsque vos parentes deduxerunt.* MAGIS CARCEREM, *quamquam latè pateat, arctioribus tamen vinculis malè liberos* S. Aug. *seruos suos adstrictos tenet. Aug. in Psal. 141.* Educ de custodia, erue de carcere animam meam. Quibusdam visum est quod spelunca & carcer mundus iste sit, &c. Educ id est de laboribus & pressuris huius sæculi. TENEBRAS, *quibus præsunt, juxta Paulũ* rectores mundi tenebrarum harum: *de quibus & Ioannes 1.* & tenebræ eum non comprehenderunt, &c. & mundus eum non cognouit. EXPIRAT, *efflat graueolentiam.* QVÒ, *vt*, DE CARCERE, *latiori* CVSTODIARIVM, *arctius ergastulum.* SOLVTI DEO. *Io. 8.* Veritas liberabit vos, &c. omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Si ergo filius vos liberauerit, tunc C verè liberi eritis. *Aug. tract. 41. in Io.* O miserabilis S. Aug. seruitus! plerumque homines cum Dominos malos patiuntur, venales se petunt, non quærentes Dominum non habere, sed saltem mutare: seruus peccati quid faciat? quem interpellet? apud quem se venalem petat? Deinde seruus hominis, aliquando sui Domini duris imperiis fatigatus, fugiendo requiescit: seruus peccati quò fugit? secum se trahit quocumque fugerit. Non fugit seipsam mala conscientia, non est quo eat, sequitur se, immò non recedit à se, peccatum enim quod facit, intus est. Fecit peccatum, vt aliquam corporalem caperet voluptatem, voluptas transit, peccatum manet, præterit quod delectabat, remansit quod pungat: mala seruitus, &c. Ad Christum omnes fugiamus, contra peccatum, Deum liberatorem interpellemus: venales nos petamus, vt eius sanguine redimamur: Di-

cit enim Dominus; gratis venundati estis, & sine argento redimemini: sine pretio, scilicet vestro, quia meo TRISTE, *ob halitum fœtentem*, ODOR, *sic Paulus*, bonus odor Christi sumus Deo in omni loco. IVDICATVRI. 1. *Cor.* 6. 2. *& seq.* an nescitis quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? & si in vobis *Syr. si per vos mundus judicandus est*, judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis? Nescitis quoniam Angelos judicabimus, quantò magis A sæcularia? FRVCTVM. *Gaudia mundi.* ETIAM CARCEREM, *quem nec suum æstimat.* VBI SITIS, *corpore.* EXTRA, *animo conuersantes in cœlis.* NEGOTIATIO. *Basilius Seleuciæ:* Deus naturæ fluctus sustollit, vt nundinatores faciat homines amicitiæ suæ. *Vt, qui arena, vel saxis oneratam nauim, vi tempestatis exonerare coactus, impingeret in rupem proximam portui, adamantibus & gemmis plenō: hæc Martyrum negotiatio.*

9. *Martyres peccata omnia sanguine purgant. De Pudic. cap. 9. circa f.*

Luc. 15. 20. & seq. SI aliorsum parabolas transducere liceret, ad Martyrium potius dirigeremus spem illarum, quod solum omni substantia prodacta restituere filium poterit, & drachmam inter omnia, licet in stercore repertam, cum gaudio prædicabit, & ouem per aspera quæque & abrupta fugitiuam humeris ipsius Domini in gregem referet.

MARTYRES. 9. SCHOL.

ALIORSVM *in alium sensum abducere.* SPEM ILLARVM. *Id quod promittunt hæ parabolæ, potius applicandum Martyribus, quam relapsis post baptismum in mœchiam.* QVOD SOLVM, *supple Martyrium potest omnem substantiam gratiæ dissipatam prodigè, restituere, vt alter baptismus.* DRACHMAM, *animam, gratiam, fidem.* IN STERCORE, *luxuriæ.* PRÆDICABIT. *Adgratulantibus vicinis, Martyrium sordes omnes abluisse proclamabit. Aug. in Psal.* 138. Perdiderat drachmam B sapientia Dei. Quid est drachma? nummus, in quo nummo imago erat ipsius Imperatoris nostri. Factus est enim homo ad imaginem Dei, & perierat. Et quid facit mulier sapiens? accendit lucernam. Lucerna de luto est, sed habet lucem qua inueniatur drachma. Lucerna ergo sapientiæ, caro Christi. De luto facta est, sed Verbo suo lucet, & inuenit perditos. S. Aug.

10. *Et Apol. cap. 50. in f.*

ILla ipsa obstinatio, quam exprobratis, magistra est. Quis enim non contemplatione eius concutitur ad requirendum quid intus in re sit? Quis non vbi requisiuit, accedit? vbi accessit, pati exoptat? vt Dei totam gratiam redimat, vt omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat? omnia enim huic operi delicta donantur. Inde est, quod ibidem sententiis vestris gratias agimus. Vt est æmulatio diuinæ rei & humanæ, cum damnamur à vobis, à Deo absoluimur.

MARTYRES. 10. SCHOL.

OBSTINATIO, *sic vocatis constantiam Martyrum.* MAGISTRA, *quia docet spectatores, & vrget inquirere, quæ & quanta sit fides persuadens tot dura perferre, & ad Martyrium accendit.* TOTAM GRATIAM. *In Adamo perditam,* VENIAM EXPEDIAT, *citò obtineat, quasi literas Regias, pro abolitione omnium criminum.* OPERI, *maxima charitatis.* DONANTVR, *remittuntur.* IBIDEM. *In tribunalibus judicum.* VT EST. *Tanta est æmulatio & Zelus inter Deum & mundum, vt quos vnus condemnat, alter absoluat.* COMPENSATIONE SANGVINIS, *vt Martyrium quasi alter baptismus coram Deo satisfaciat pro omnibus peccatis. Inde non pro ipsis oramus vt eis peccata dimittantur qui ea lauerunt* C *sanguine. Aug. tract.* 84. *in Io.* ideo ad ipsam mensam, non sic eos cōmemoramus, quemadmodū alios qui in pace quieuerunt, sed magis vt orent ipsi pro nobis, vt eorum vestigiis adhæreamus, quia impleuerunt ipsi charitatem, qua Dominus dixit, non posse esse maiorē. *Et Ser.* 17. *de ver. Apostoli.* Ideo habet Ecclesiastica disciplina, quod fideles nouerunt, cum Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, vbi non pro ipsis oretur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oretur. Iniuria est enim pro Martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari: Certauit enim contra peccatū vsque ad sanguinem. S. Aug. S. Aug.

11. *Martyri confitenti Christum, nihil est timendum post mortem, sed neganti.*
4. *cont. Marc. cap. 28. à p.*

a Luc. 12. 4. COnuersus ad discipulos; [a] *Dico autem*, inquit, *vobis amicis meis, nolite terreri ab eis qui vos solummodo occidere possunt, nec post hoc vllam in vobis habent potestatem.* sed iis erit

b Esa. 57. 1. Esaias prædicens, [b] *Vide quomodo justus aufertur; & nemo aduertit.* [c] *demonstrabo autem vobis quem timeatis. timete eum, qui postquam occiderit, potestatem habet mittendi in gehennam;* Crea-

c Luc. 12. 5. torem vtique significans. *itaque dico vobis, hunc timete.* Et hoc in loco sufficeret mihi, si, quem timeri jubet, offendi vetat; & quem offendi vetat, demereri jubet; & qui hæc mandat ipsius est, cui timendo, & non offendendo. & demerendo procurat. Sed habeo & de sequen-

d Luc. 12. 8. tibus sumere: [d] *Dico enim vobis, Omnis qui confitebitur in me coram hominibus, confitebor in illo coram Deo.* Qui confitebuntur autem in Christo, occidi habebunt coram hominibus, nihil vtique amplius passuri post occisionem ab illis. Hîc ergo erunt quos suprà præmonet, ne

e Luc. 12. 9. timeant tantummodo occidi; ideo præmittens non timendam occisionem, vt subjungeret substruendam confessionem: [e] *Et omnis qui negauerit me coram hominibus, denegabitur coram*

Deo; ab eo vtique qui illum confitentem, confessurus fuisset. Si enim confessorem confitebitur, ipse est qui & negatorem negabit. Porrò, si confessor est, cui nihil timendum est post occisionem, negator erit cui timendum est etiam post mortem. Itaque quum Creatoris sit quod timendum est post mortem, gehennæ scilicet pœna, & negator ergo Creatoris est. Si autem & negator, & confessor, qui post occisionem nihil ab homine passurus est, à Deo planè passurus, si negaret: atque ita Christus Creatoris est, qui ostendit negatores suos Creatoris gehennam timere debere.

MARTYRI CONFITENTI. 11. SCHOL.

DICO AVTEM. *Luc.* 12. 4. Dico autem vobis amicis meis: ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent ampliùs quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete. IIS ERIT ESAIAS. *Idem, inquit, jam Creator per Esaiam prædixerat.* VIDE QVOMODO. *Iam supra de hoc loco Schol.* 7. CREATOREM. *Contra Marcionem, agnoscit Christus gehennæ & vindictæ Deum.* IPSIVS EST, *filius scilicet Creatoris.* PROCVRAT, *cuius res & negotia gerit, & timorem ingerit.* IN ILLO, *illum.* HIC ERGO, *hoc loco intelligi debebunt.* OMNIS QVI, *Luc.* 12. 8. Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei: Qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei. CREA- A TORIS EST, *ad Creatorem pertinet jure creationis, & justitiæ eius subiectus est: sicut & Christus filius Creatoris, & non Dei Marcionis esse conuincitur, qui negantes se terret timore gehennæ Creatoris. Augustinus Ser.* 18. *de ver. Apostoli.* Dico tibi, &c. quare non committis adulterium? & respondebis, quia timeo gehennam, timeo supplicium ignis æterni. Timeo judicium Christi, timeo societatem diaboli, ne puniar ab illo, cum illo ardeam. Quid dicturus sum? malè times? Quomodo tibi dicam de aduersario, quia quærebat corpus tuum occidere? ibi enim rectè dicebam, malè times, securum te fecit Dominus Deus tuus dicens, nolite timere eos, &c. quid dicturus sum? malè times? vanè times? non audeo, quandoquidem ipse Dominus ablato timore subjecit timorem, & ait, &c. eum timete, &c. Planè time: nihil melius times, nihil est quod magis timere debeas. S. Aug.

12. *Martyres sunt volucres, respectu piscium, id est Baptizatorum. de Resur. cap. 52. à m.*

ALia caro volucrum, id est martyrum, qui ad superiora conantur: *alia autem piscium*, id est, quibus aqua baptismatis sufficit. a 1. Cor. 15. 39.

MARTYRES. 12. SCHOL.

ALIA CARO. 1. *Cor.* 15. 39. Non omnis caro, eadem caro: *Syr. omne corpus æquale non est*, sed alia quidem hominũ, alia verò pecorum, alia volucrum, alia autẽ piscium. *Vbi aduerte post distinctionem corporum cœlestium & terrestrium, sic concludere Paulum*: sic & resurrectio mortuorum. *Tertull. autem Martyres aliis baptizatis superuolare hic probat. Et Aug. in Psal.* 67. *in versum* Principes Iuda duces eorum, Principes Zabulon, Principes Nephthalim. Nomine Principum omnes significantur in Ecclesiis excellentes, atque imitatione dignissimi, &c. Hebræa sunt nomina quorum Iuda confessio interpretari dicitur: Zabulon habitaculum fortitudinis: Nephthalim dilatatio mea. Quæ omnia verissimos nobis insinuant Principes Ecclesiarum, dignos ducatu, dignos imitatione, dignos honoribus. Martyres namque in Ecclesia locum summum tenent, atque apice sanctæ digni- S. Aug. B tatis excellunt. Iam verò in Martyrio primò confessio est, & pro illa quidquid acciderit tolerandi, sequens assumitur fortitudo: Deinde post omnia tolerata, finitis angustiis, latitudo consequitur in præmio. Potest & sic intelligi, vt quoniam tria hæc præcipuè commendat Apostolus 1. Cor. 13. fidem, spem Charitatem: confessio sit in fide, fortitudo in spe, *in silentio & spe erit fortitudo vestra, dum similes agno obmutescenti, qui occisus à lupis fecit agnos de lupis*. latitudo in Charitate. Fidei quippe res est, vt corde credatur ad justitiam, ore autem confessio fiat ad salutem. Rom. 10. In passionibus autem tribulationum, res tristis est, sed spes fortis est. Si enim quod non videmus speramus, per patientiam expectamus. Latitudinem verò præstat charitatis in corde diffusio: Nam consummata Charitas foras mittit timorem: qui timor tormentum habet, per animæ angustias.

13. *Martyres pacem habentes, ex abundanti eam peccatoribus largiuntur. Ad Mart. cap. 1. in f.*

QVam pacem quidam in ecclesia non habentes, à martyribus in carcere exorare consueuerunt. Et ideo eam propterea in vobis habere, & fouere, & custodire debetis; vt si fortè, & aliis præstare possitis.

MARTYRES. 13. SCHOL.

PACEM. *Baro. to.* 1. *Annal. anno Chri.* 253. *intelligit indulgentiam, quam Martyrum merita peccatoribus obtinebant. Cypr. ep.* 11. Cum vos ad me literas direxeritis, quibus examinari desideria vestra, & quibusdam lapsis pacem dari postulatis, &c. *Verum non satis ad literam; cum immediatè ante de diabolo loquens, ad pacem & unitatem Christianos hortetur:* nec illi tam benè sit in suo regno *carcere scilicet, ubi reis, quasi sui Regni tributariis vt plurimum imperat ob crimina*, vt vos committat: *diuidat, pugnare & dissentire faciat*, sed C inueniat munitos, & cõcordia armatos, quia pax vestra bellum est illi. *Nisi accipiatur Author de pace concordiæ, transire ad pacem indulgentia. Cæterùm pulchrè Aug. desperantes de relapsu, sic excitat spe indulgentiæ tract.* 33. *in Io.* Propter illos qui desperatione periclitantur, proposuit indulgentiæ portum: *promiserat Ezech.* 18. *In quacumque die iniquus conuersus fuerit, omnes iniquitates eius obliuiscar* propter illos qui spe periclitantur, & dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum. S. Aug.

14. *Martyres sunt oues, & Ecclesiæ fundamenta, à Zacharia prædicta. 4. cont. Marc. cap. 39. à p.*

Luc. 21. 19. ANte hæc autem persecutiones eis prædicat & passiones venturas, in martyrium vtique & in salutem. Accipe prædicatum in Zacharia: [a] *Dominus*, inquit, *omnipotens proteget eos. Et consument illos, & lapidabunt lapidibus fundæ, & bibent sanguinem illorum velut vinum, & replebunt pateras quasi altaris; & saluos eos faciet Dominus illo die, velut oues, populum suum, quia lapides sancti volutant.* Et ne putes hæc in passiones prædicari, quæ illos tot bellorum nomine ab allophylis manebant, respice ad species. Nemo in prædicatione bellorum legitimis armis debellandorum, lapidationem enumerat popularibus cœtibus mag: & inermi tumultui familiarem. Nemo tanta in bello sanguinis flumina paterarum capaci ate metitur, aut vnius altaris cruentationi adæquat. Nemo oues appellat eos, qui in bello armati, & ipsi ex eadem feritate certantes cadunt; sed qui in sua proprietate, atque patientia, dedentes potius semetipsos, quàm vindicantes trucidantur. Denique, [b] *quia lapides*, inquit, *sancti volutant*, non quia milites pugnant. Lapides enim sunt & [c] *fundamenta, super quæ nos ædificamur; exstructi*, secundùm Paulum, *super fundamentum Apostolorum*, qui lapides sancti oppositi omnium offensui volutabant. A proximis quoque persecutiones, & nominis ex odio vtique blasphemiam prædicatam, non debeo rursus ostendere. Sed [d] *per tolerantiam, inquit, saluos facietis vosmetipsos*; de qua scilicet Psalmus: [e] *tolerantia, inquit, iustorum non peribit in finem.* quia & alibi: [f] *honorabilis mors iustorum*; ex tolerantia sine dubio; quia & Zacharias; [g] *corona autem erit eis qui tolerauerint.* Sed ne audeas argumentari, Apostolos vt alterius Dei præcones à Iudæis vexatos; memento Prophetas quoque à Iudæis passos, tamen non alterius Dei Apostolos fuisse, quàm Creatoris.

a Zach. 9. 15.
b ibid. 16.
c Eph. 2. 20.
d Luc. 21. 19.
e Psal. 9. 19.
f Psalm. 115. 5.
g Zach. 6. 14.

MARTYRES. 14. SCHOL.

PRÆDICAT *prædicit.* IN MARTYRIVM. *vsque ad Martyrium. Vel, vt ad Martyrij gloriam se præparent.* PRÆDICATVM, *Prophetatum.* ZACHARIA. *cap. 9. 15. vulgata:* Dominus exercituum proteget eos: & deuorabunt, & subiicient lapidibus fundæ: & bibentes inebriabuntur quasi à vino, & replebuntur vt phialæ, & quasi cornua altaris: & saluabit eos Dominus Deus eorum in die illa; vt gregem populi sui: quia lapides sancti eleuabuntur super terram eius. *Tertull. secutus 70[a]. nisi quod sic habent in fine:* obruent eos in lapidibus fundæ: & bibent eos sicut vinum: & implebunt phialas sicut altare. VOLVTANT. 70. Voluuntur super terram eius. IN PASSIONES, *ad prænunciandas afflictiones ferendas populo Israëli.* ALLOPHYLIS. *Extraneis, alienigenis. Aug. in tit. Psal. 55.* In finem pro populo, qui à Sanctis longè factus est, ipsi Dauid cum tenuerunt eum Allophyli in Geth; Omnis, inquit, populus humano Regnó delectatus *vt populus Iudæus Cæsarem non Christum, Regem agnoscens* respuens in se regnare Dominum, quo regnante, ita quisque subiectus est, vt regnet & ipse cupiditatibus suis: omnis ergo populus talis, longè est à Sanctis, &c. Geth ciuitas Allophylorum id est alienigenarum, vtique populi longè à Sanctis, &c Interrogata interpretatio huius nominis *Geth* indicat torcular, &c. quomodo ergo hic tenetur in Geth? tenetur in torculari corpus eius, id est Ecclesia eius. Quid est in torculari? in pressuris: sed in torculari fructuosa pressura est. Vua in vite pressuram non sentit, integra videtur, sed nihil inde manat. Mittitur in torcular, calcatur, premitur, iniuria videtur fieri vuæ, sed ista iniuria sterilis non est, immò si nulla iniuria accederet, sterilis remaneret. Quicumque ergo Sancti pressuram patiuntur ab eis qui longè facti sunt à Sanctis, attendant Psalmum istum, agnoscant hîc se, dicant quod hic dicit, qui patiuntur, quod hic dicitur. Certè qui non patitur, non dicat. Non astringo ad vocem, quem video extra passionem. Sed videat, ne cum vult esse longè à passione, longè fiat à Sanctis. *A Sanctis, inquam, lapidibus, ab ouibus, ab altari, à lapidibus conculcatis, sed eleuatis ad fundamenti dignitatem, à frumento tribulâ purgato, ab vua torculari expressa in vinum* *merum amoris, Calice Dei dignum. Inde Aug. dicti Psalmi primum versum sic explicat:* dicamus Deo; miserere mei Domine, quoniam conculcauit me homo. Noli timere quia conculcauit te homo, vinum habeto, vua factus es, vt calceris, &c. ne deficiat in ista conculcatione sciens quem inuocet, & quo exemplo fortis effectus sit. Primus botrus in torculari pressus est Christus. Cum ille botrus passione expressus est, manauit illud, vnde Calix inebrians quam præclarus est. *Inde, post lapides Sanctos, concludit Zacharias:* quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum & vinum germinans Virgines? 70. *autem:* quia si quid optimum illius, & si quid bonum eius, frumentum iuuenibus, & boni odoris ad Virgines. AD SPECIES, *scilicet tormentorum.* METITVR. *Cum Zacharias agat de sanguine quem capere possit vnus calix, & quo vnum altare rubricari, non potest intelligi de sanguine effuso in bello, in quo non jam saxis, seditionis popularis armis, sed longè aliis vti solent milites.* OVES, *inermes & innocuas.* VOLVTABANT, *pro volutabantur, in luto conculcati.* A PROXIMIS. *Luc. 16.* Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis: & eritis odio omnibus propter nomen meum: BLASPHEMIAM PRÆDICATAM. *Prædictam. Maledicēdus enim erat Christus, in Christianis ab eo dictis.* PER TOLERANTIAM. *Luc. 21. 19.* In patiētia vestra possidebitis animas vestras. TOLERANTIA IVSTORVM. *Psalmo 9. 19.* Quoniam non in finem obliuio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem. *Quod sic exponit Augustinus ibid.* Qui, inquit, videtur nunc in obliuione esse, cùm peccatores fœlicitate huius sæculi florere existimantur, & iusti laborare. Sed patientia, inquit, pauperum non peribit in finem. Quapropter nunc patientia opus est ad perferendos malos, qui jam voluntatibus separati sunt, donec etiam vltimo judicio separentur. *De æterno autem patientiæ Martyrum & omnium iustorum præmio, lib. 14. de Ciuit. cap. 9. vbi & de timore permanente:* quo, inquit, alio modo potest intelligi timor castus permanere in sæculum sæculi? non est timor exterrens a malo, quod accidere potest, sed tenens in bono, quod amitti non potest. Vbi enim

S. Aug.
S. Aug.
S. Aug.
S. Aug.

boni adepti amor immutabilis est, profectò, si dici potest, mali cauendi timor securus est. Timoris quippe casti nomine, ea voluntas significata est, qua nos necessè erit, nolle peccare; & non solicitudine infirmitatis, ne fortè peccemus; sed tranquillitate charitatis, cauere peccatum. Aut si nullius omnino generis timor esse poterit in illa certissima securitate perpetuorum, fœliciumque gaudiorum: sic dictum est, timor Domini castus, perfectus, permanens in sæculum sæculi: quemadmodum dictum est; patientia pauperum non peribit in æternum. Neque enim æterna erit ipsa patientia, quæ necessaria non est, nisi vbi toleranda sunt mala: sed æternum erit, quò per patientiam peruenitur. Ita fortassè timor castus in sæculum sæculi dictus est permanere; quia id permanebit, quò timor ipse perducit. *Similiter & libro de Pat. cap. 29.* Clamemus; inquit, Spiritu charitatis,
S. Aug. sed donec veniamus ad hæreditatem in qua semper maneamus. Liberali amore simus, non seruili timore. Patienter clamemus, quandiu pauperes sumus, donec illa hæreditate ditemur. Magna quippe inde pignora accepimus, quòd ad nos ditandos, pauper factus est Christus: quo in supernas diuitias exaltato, missus est, qui sancta desideria nostris cordibus inspiraret, Spiritus sanctus. Horum pauperum adhuc credentium, nondum contemplantium: adhuc sperantium, nondum tenentium: adhuc desiderio suspirantium, nondum fœlicitate regnantium: adhuc esurientium, & sitientium, nondum satiatorum: horum ergo pauperum patientia non peribit in æternum. Non quia & illic patientia erit, vbi quod toleretur non erit: sed non peribit, sicut dictum est, quia infructuosa non erit. Fructum autem habebit A æternum, ideo non peribit in æternum. Quisquis autem laborat inaniter, cùm eum spes fefellerit, propter quam laborabat, meritò dicit, perdidi tantum laborem. Quisquis verò ad sui laboris promissa peruenerit, gratulans dicit, non perdidi laborem meum. Dicitur ergo labor non perisse, non quia manet perpetuus, sed quia non est inaniter fusus. Sic & patientia pauperum Christi, sed ditandorum hæredum Christi, non peribit in æternum: non quia & illic patienter ferre videbimur, sed quia pro iis quæ hîc patienter pertulimus, æterna beatitudine perfruemur. Non dabit finem sempiternæ fœlicitati, qui donat temporalem patientiam voluntati; quia vtrumque munus donatæ donatum est charitati. *Vnde enim charitas? An à libero arbitrio, tanquam à seipso? an à Spiritu sancto? Apostolum interroga.* Diffusa B est, inquit, charitas Dei in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis. *Charitas autem quid, & qualis?* Charitas, inquit, patiens est. *Et vnde patientia?* quoniam ab ipso patientia mea. *Sic itaque verè cecinit Psaltes:* qui coronat te in misericordia & miserationibus, gratiam, & gloriam dabit Dominus. HONORABILIS. *Psal. 115. 5.* Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. ZACHARIAS. *Zach. 6. 14.* Et coronæ erunt Helem, & Tobiæ, & Idaiæ, & Hem filio Sophoniæ, memoriale in templo Domini. 70. *aliter.* Corona autem erit expectantibus, & vtilibus eius, & cognouerunt eam *vel pacem Domini vel domum eius, de qua loquebatur* & in gratiam filij Sophoniæ, & in psalmũ in domo Domini. MEMENTO PROPHETAS. *Sic Matth. 23. 31.* Filij estis eorum qui Prophetas occiderunt. *Act. 7. 52.* Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri?

[a] 15. *Martyrum gloria, ex corporis contemptu, statim sequitur post mortem; qui peregrini in hac vita fuerunt. de Resur. cap. 43. in p. ad m.*

PRoinde cùm dicit: [a] *Itaque confisi semper, & scientes quòd cùm immoramur in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim incedimus, non per speciem;* manifestum est hoc quoque non pertinere ad offuscationem carnis, quasi separantis nos à Domino. Et hîc enim exhortatio fastidiendæ vitæ huius obuertitur; siquidem [b] *peregrinamur à Domino quamdiu viuimus: per fidem incedentes, non per speciem;* id est spe, non re: & ideo subiungit, [c] *Fidentes autem, & bonum ducentes magis peregrinari à corpore, & immorari ad Dominum:* scilicet vt per speciem magis incedamus, quàm per fidem; per rem potius, quàm per spem. Vides quàm & hîc corporum contemptum ad martyriorum præstantiam referat. Nemo enim peregrinatus à corpore, statim immoratur penes Dominum, nisi ex martyrij prærogatiua: paradiso scilicet, non inferis, deuersurus. Defecerant autem Apostolo verba ad significandum de corpore excessum? An ratione, etiam nouè loquitur? temporalem enim absentiam à corpore volens significare, peregrinari nos ab eo dixit, quoniam qui peregrinatur, etiam reuertetur in domicilium.

a 2. Cor. 5. 6. & 7.
b Ibid. 7.
c Ibid. 8.

MARTYRES. 15. SCHOL.

ITAQVE CONFISI. *2. Cor. 5. 6. & seq.* Audentes igitur semper, scientes, quoniam dum sumus in corpore peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, & non per speciem. *Syr. & non per visum* audemus autem *Syr. propterea confidimus* & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum. *Syr.* esse apud Dominum. *Aug. tract. 68. in Io.* Qui à Domino pe-
S. Aug. regrinantur, opus habent ex fide viuere, quia per hæc ad speciem contemplandam parantur: B. enim mundo corde, &c. & fide mundat corda eorum. Illud in Euangelio. *Matth. 5.* hoc in Apostolorum Actibus legitur *Act. 15.* fides autem, qua eorum qui Deum visuri sunt, quandiu peregrinantur, corda mundantur, quod non videt, credit. Nam si vides, non est fides: credenti colligitur meritum, videnti redditur præmium. Eat Dominus & paret locum; eat, ne videatur; C lateat, vt credatur. Tunc enim locus paratur, si ex fide viuatur: creditus desideretur, vt desideratus habeatur. Desiderium dilectionis præparatio est mansionis. Ita Domine para quod paras, nos enim tibi paras, & te nobis paras, quoniam locum paras, & tibi in nobis, & in te nobis: tu enim dixisti, manete in me, & ego in vobis. Quantum quisq; fuerit particeps tui, alius minus, alius amplius, hæc erit diuersitas, præmiorum, pro diuersitate meritorũ; hæc erit multitudo mansionum pro disparilitate mansorum; sed tamen omnium in æternitate viuorum & sine fine beatorum. Quid est quod vadis? quid est quod venis? si te benè intelligo, nec vnde vadis, nec vnde venis, recedis. Vadis latendo, venis apparendo; sed nisi maneas regendo, vt proficiamus benè viuendo, quomodo parabitur locus vbi possimus manere perfruendo? PEREGRINAMVR. *Idem Aug. in Psalmos,*

S. Aug. Quid est peregrinamur? per fidem enim ambulamus, inquit, & non per speciem. qui ergo peregrinatur, & per fidem ambulat, nondum est in patria, sed jam est in via. Qui autem nec credit, nec in patria est, nec in via. Sic ergo ambulemus, tanquam in via simus: quia ipse Rex patriæ factus est via. Rex patriæ nostræ Dominus Iesus Christus. Et ibi veritas, hic autem via. Quà imus? per fidem. Quò imus? ad Christum. Qua imus? per Christum. Ipse enim dixit, ego sum via &c. OBFVSCATIONEM *opprobrium, quia carnem Marcionita depretiant.* OBVERTITVR. *non hic agitur à Paulo de carnis contemptu, quasi mala sit, & nos separet à Deo; sed de vita præsenti respectu futura* A *contemnenda* PRÆSTANTIAM. *super cæteros morte naturali ex hac vita decedentes.* NEMO ENIM &c. *De hoc errore, suo loco; quo credidit ante resurrectionem nullas præter Martyrum animas Cælo frui.* PEREGRINATVS. *Separatus animus à corpore per mortem.* PENES DOMINVM, *ad Dei conspectum & domum Cæli admittitur.* INFERIS DEVERSVRVS. *commoraturus in Cælo non vt alij sub terra.* DEFECERANT. *non poterat alio quam peregrinationis nomine mortem exprimere? AN, nonne potius cum magna ratione loquitur de anima in corporis proprij domum reuersura in resurrectione, post temporalem absentiam?*

16. *Martyres alloquendi cum reuerentia, quos Ecclesia vberibus nutrit. Ad Mart. cap. 1. in p.*

INter carnis alimenta, benedicti Martyres designati, quæ vobis & domina mater Ecclesia de vberibus suis, & singuli fratres de opibus suis propriis in carcerem subministrant, capite aliquid & à nobis, quod faciat ad spiritum quoque educandum. Carnem enim saginari, & spiritum esurire non prodest. Immò si quod infirmum est curatur, æque quod infirmius est negligi non debet. Nec tantus ego sum, vt vos alloquar. Veruntamen & gladiatores perfectissimos non tantum magistri & præpositi sui sed etiam idiotæ, & superuacuè quique adhortantur de longinquo, vt sæpe de ipso populo dictata, suggesta profuerint.

MARTYRES 16. SCHOL.

DESIGNATI, *in carcere signati & conclusi, destinati ad sustinenda tormenta Martyrij.* DOMINA MATER. *quia Domini Iesu sponsa.* DE VBERIBVS, *Gazophilatio communi de quo jam alibi.* NON PRODEST. *teste enim Paulo:* regnum Dei non est esca & potus. *& iuxta Aug* melior est refectio mentis quam ventris. *Et in Psal. 62.* in hoc sæculo non debemus quasi amare saginam, hic sitiendum est, alibi saginabimur. modo autem vt non deficiamus in isto deserto, aspergit nobis rorem verbi sui, & non nos dimittet prorsus arescere, &c. sicut adipe & pinguedine re- S. Aug. B pleatur anima mea. Putatis aliquam pinguedinem carnis desiderasse animam istam fratres mei, &c. est quædam saturitas pinguis sapientiæ. Sapientiâ enim istâ, animæ quæ carent, marcescunt, & omnino ita exiles fiunt, vt in bonis operibus cito deficiant. QVOD INFIRMIVS. *mirum, cum dixerit Christus:* Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. *Sed hoc dixit propter grauiores animas quas carnis tentationes, superant & ob volubilitatem humani arbitrij: & quia ex Paulo* non sumus sufficientes aliquid ex nobis cogitare &c. DE POPVLO. *gratulando, acclamante.*

17. *Martyrum sanguis semen Christianorum, eorumque constantia potens est exhortatio ad Martyrium. Apol. cap. 50. circa f.*

NEc quicquam tamen proficit exquisitior quæque crudelitas vestra, illecebra est magis sectæ. Plures efficimur, quoties metimur à vobis. semen est sanguis Christianorum. Multi apud vos ad tolerantiam doloris & mortis hortantur, vt Cicero in Tusculanis, vt Seneca in Fortuitis, vt Diogenes, vt Pyrrhon, vt Callinicus; nec tamen tantos inueniunt verba discipulos, quantos Christiani factis docendo.

MARTYRES. 17. SCHOL.

ILLECEBRA. *fusus sanguis Martyrum spectantes inescat & allicit.* AD SECTAM, *professionem Christianam amplexandam.* METIMVR, *truncamur, occidimur. Aug. in Psal. 58.* S. Aug. Effusus est magnus & multus Martyrum sanguis, quo effuso tanquam seminata seges Ecclesiæ fertilius pullulauit, & totum mundum sicut nunc conspicimus, occupauit. *Aug. Ser. 1. de Natali SS. Perpetuæ & Felicitatis:* S. Aug. Sicut ille vnus *singularis donec transiret, transitu mortis ad Patrem* animam suam pro nobis posuit: ita & imitati sunt Martyres, & animas suas pro fratribus posuerunt: atque vt ista populorum tanquam germinum copiosissima fertilitas surgeret, terram suo sanguine rigauerunt: fructus laboris ergo illorum etiam nos sumus. Miramur illos, miserantur nos: gratulamur eis, precantur pro nobis. Illi corpora sua tanquam vestimenta prostrauerunt, cùm pullus Dominum portans in Ierusalem duceretur: nos saltem velut ramos de arboribus cædentes, de scripturis sanctis hymnos laudesque decerpimus, quas in commune gaudium pro- C feramus. Omnes tamen eidem Domino paremus, eundem Magistrum sequimur, eundem principem comitamur, eidem capiti subiungimur, ad eandem Ierusalem tendimus, eandemque sectamur charitatem, eandemque amplectimur vnitatem. DIOGENES, *libro de morte de quo Laërtius.* PYRRHON, *Eliensis citatur à Suida & Athenæo: fuit Philosophus, discipulus Anaxarchi, qui nec passiones à sapiente sentiri jactabat.* CALLINICVS, *& hic Sophista cuius meminit Suidas. Scripsit de tolerantia doloris & mortis.* VERBA *vestrorum Autorum Gentilium, non tot sibi captant discipulos.* FACTIS, *eloquentia facti potentior. August. Ser. 19. de diuersis, qui est de Sanctis Geruasio & Prothasio:* via S. Aug. prius spinosa, pedibus Apostolorum contrita, facta est lenis secuturis. Sed ante, quasi semine impleta est Martyribus terra; & de fœmore sanguinis eorum, fidelis seges surrexit prædicatio Euangelica, & plures asserunt Christum mortui quàm viui, & adhuc hodie prædicant, & si tacet lingua, sonant facta.

18. Martyr fuit Daniel, & tres pueri, licet illæsi. Scorp. cap. 8. à m.

O Martyrium & sine passione perfectum! satis passi, satis exusti sunt; quos propterea Deus texit, ne potestatem eius mentiri viderentur. Nam & Danielem nullius præter Dei supplicem, & idcirco à Chaldæis delatum ac dépostulatum, statim vtique conclusa & vsitata feritas leonum deuorasset, si Darij digna præsumptio de Deo, falli debuisset. Dan.3.14. Dan.6.10. & 13.

MARTYRES. 18. SCHOL.

SINE PASSIONE, *quamquam illæsi euaserint.* SATIS PASSI, *quia Martyrij voluntas non defuit. August. Ser. 46. de Sanctis.* Non Martyrium sola effusio sanguinis consummat, nec sola dat palmam exustio illa flammarum. Peruenitur non solum occasu, sed etiam contemptu carnis ad coronam. TEXIT, *protexit, liberauit.* MENTIRI, *quia dixerant. Dan. 3 17.* Ecce Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. 70. *fidentius:* & de manibus tuis, ô Rex, liberabit nos. IDEO ERGO, *oppignerata fide Martyrum Dei potentia, obligauit Deum ipsum, vt ad Martyrium paratos de facto liberaret.* DEI SVPPLICEM, *quem vnicum quia Daniel orabat, Chaldæi accusauerunt. Dan. 6. 13.* Daniel de filiis captiuitatis Iuda, non curauit de lege tua, & de edicto, quod constituisti: sed tribus temporibus per diem orat obsecratione sua. 70. Petit à Deo suo petitiones suas. DEPOSTVLATVM, *petitum ad bestias.* CONCLVSA, *ideoque præter naturam, irritata.* DIGNA PRÆSVMPTIO. *Quia dignè sentiebat* A *de Deo vero Danielis. Dan. 6. 16.* adduxerunt Danielem, & miserunt eum in lacum leonum. Dixitque Rex (*Darius*) Danieli: Deus tuus, quem colis semper, ipse liberabit te, *& vt pateat quam securus esset de leonum feritate, & non hominum:* Allatusque est lapis vnus, & positus est super os laci: quem consignauit Rex annulo, & annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem. 70. *magis emphaticè:* ne quid secus fieret in Danielem. *id est ne aliter quam lex tulerat, mittendum in lacum leonum, qui aliquem Deum per dies triginta, quàm regem oraret, vt habetur versu 7. & 12. de Daniele in lacum leonum misso breuiter August. Ser 242. de Temp. qui est de Susanna:* Daniel Propheta, inquit, nec in lacu proiectus leonum timore perculsus expauit sed inter ista bestiarum ora consistens, Dominum tota mente placauit; & tyrannicas dispositiones illæsus euasit. FALLI DEBVISSET. *Erat autem infallibilis, & dignum erat, Deum tam benè fundatam spem Darij non fallere.*

S. Aug. | S. Aug.

MARTYRIVM.

1. A Martyrio Gnostici velut scorpiones æstu persecutionis furentes, frustra simplices auertunt rationibus sensui blandientibus, si paratam à Tertulliano potionem bibant. Scorp. cap. 1. à p.

QVid promittit stilus iste, si fides de suo tuta est? vt & aliàs de suo tuta sit, quum suos scorpios patitur. Acerba mediocritas & istis, & genus variũ, & vno modo armantur, & certo tempore subornantur, nec alio quàm ardoris. Hoc apud Christianos persecutio est. Quum igitur fides æstuat, & Ecclesia exuritur de figura rubi, tunc Gnostici erumpunt, tunc Valentiniani prosorpunt, tunc omnes Martyriorum refragatores ebulliunt, calentes & ipsi offendere, figere, occidere. Nam quod sciant multos simplices ac rudes, tum infirmos, plerosque verò in ventum, & si placuerit, Christianos, nunquam magis adeundos sapiunt, quàm quum aditus animæ formido laxauit; præsertim quum aliqua atrocitas fidem Martyrum coronauit. Itaque primò trahentes adhuc caudam, de adfectibus adplicant, aut quasi in vacuum flagellant. Hæccine pati homines innocentes? Vt putes fratrem, aut de melioribus ethnicum; Siccine tractari sectam nemini molestam? dehinc adigunt: Perire homines sine caussa. Perire enim, & sine caussa. Prima fixura. Exinde jam cædunt. Sed nesciunt simplices animæ, quid, quomodo scriptum sit, vbi, & quando, & coram quibus confitendum. nisi quod nec simplicitas ista, sed vanitas; immò dementia, pro Deo mori. Et, Quis me saluum faciat, si is occidet, qui saluum facere debebit? Semel Christus pro nobis obiit, semel occisus est ne occideremur. Si vicem repetit, num & ille salutem de mea nece exspectat? Psal. 49. An Deus hominum sanguinem flagitat, maximè si taurorum & hircorum recusat? Certè 14. 15. peccatoris pœnitentiam mauult quàm mortem. Et quomodo non peccatorum desiderat Ezech. 18. mortem? Hæc, & si qua alia admenta hæreticorum venenorum, quem non vel in scrupu- 23. & 33. lum figant, si non in exitium? vel in bilem, si non in mortem? 11.

2. Et Scorp. cap. 15. in f.

QVod si jam tunc Prodicus aut Valentinus adsisteret, suggerens, Non in terris esse confitendum apud homines; minùs verò, ne Deus humanum sanguinem sitiat, nec Christus vicem passionis, quasi & ipse de ea salutem consecuturus expostcat; statim audisset à seruo Dei, quod audierat à Domino diabolus, [a] *Recede, Satana, scandalum mihi es: Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Sed & nunc audire debebit, quare nus multò post, venena ista suffudit, nulli infirmorum facilè nisi nocitura, si qui non hanc nostram ex fide præbiberit, vel etiam superbiberit potionem. a Matth. 16. 23. Matth. 4. 10.

MARTYRIVM. 1. & 2. SCHOL.

STILVS. *liber hic noster. vel stilus hæreticorum Gnosticorum auertens à Martyrio.* DE SVO, *fundamento* B *Christo inconcussa manet.* ALIAS, *aliunde.* DE SVO, *etiam stilo, id est Euangelio dante promissum* calcandi

super scorpiones *suos, aduersarios Gnosticos.* MEDIOCRITAS, *medica est & ista species scorpionum, sed dura.* GENVS VARIVM. *Exponit infra, de Gnosticis, Valentinianis ceterisque* Martyriorum refragatoribus, VNO MODO. *simili cum scorpiis, cauda pungentibus.* SVBORNANTVR, *à Diabolo excitantur, sub specie charitatis & prudentiæ ornata.* ARDORIS *vt Scorpius æstate, sic illi persecutionis ardore. Aug. in Psal. 90. multa præclara habet de dæmonio meridiano :* Tentationem, quæ fit ignorantibus leuis, timorem nocturnum appellauit: & tentationem quæ fit leuis in scientibus, sagittam volantem per diem appellauit &c. Sed quando cœpit persecutor instare, vehementius agitare minis, pœnis, tormentis, aliquando cedunt, & scientes tanquam in die cadunt. Quare autem in meridie? quia multum feruet persecutio. Maiores æstus dixit meridiem. DE FIGVRA. *ad instar rubi, vel præfigurata in rubo Moysi ardenti & inconsumptibili.* IN VENTVM, *frustra.* LAXAVIT. *cum tamen timor stringat, aperit aditum hæreticorum suasioni.* TRAHENTES, *retrahentes & abscondentes.* DE AFFECTIBVS. *primo applicant, vt scorpij os blandum, & se affectu & charitate agere fingunt, vel liberorum, vxorum, bonorum conseruationem proponunt.* IN VACVVM. *præludunt grauiori expugnationi, lenioribus argumentis adoriuntur.* HÆCCINE. *sic inducit loquentes Gnosticos: an hoc iubet fides &c? Aug. Ser. 19. de diuersis de SS. Geruas. & Prothasio.* Execrabantur & detestabantur, habebantur pro maledicto, & dicebatur: sic moriaris, sic incendaris, sic crucifigaris? VTPVTES. *Sic blandè & amicè loquuntur, vt vel Christianum putes, vel vnum ex humanioribus ethnicis.* ADIGVNT, *vrgent, & cauda stimulum exerunt.* PERIRE. *rursum inducit Gnosticos, quid vultis perire Christiani, & quod inhumanius, sine causa?* PRIMA FIXVRA, *aculei Scorpiaci.* IAM CÆDVNT. *prorsus occidunt.* SED NESCIVNT. *Iterum hoc dicunt Gnostici rudibus Christianis,* NISI QVOD *hic Tertullianus ipse ironicè loquitur. Dicere, inquit, debueras Gnostice, non tantum simplicitatem, sed & stultitiam esse, pro Deo mori.* ET QVIS ME. *Sic resumunt Gnostici.* SI, IS. *Deus & Christus.* SI TAVRORVM. *Psal. 49. 14.* Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? POENITENTIAM MAVVLT. *Ezech. 18. 21.* Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis

S. Aug. (margin, at "perfecutionis ardore")

S. Aug. (margin, at "inducit loquentes Gnosticos")

A &c. in justitia sua quam operatus est viuet. Nunquid voluntatis meæ est mors impij dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis suis & viuat? ET QVOMODO, *supple verum est quod ais, si ipse exigat mortem.* ADMENTA, *tela, commenta. alij legunt* adinuenta. FIGANT, *mittant. vel jam currentem ad Martyrium sistant, vt scrupulo in calceum misso.*

2. IAM TVNC, *cum scilicet Apostoli alacres ad martyria pergebant pro confessione nominis Christi.* PRODICVS. *De hoc Clem. Alex. lib. 7. Strom. Cui & tribuit aliam, præter Gnosticorum cum Valentino communem hæresim,* non esse ctandum. *Propria autem Gnosticorum fuit, de qua Tertull. Scorp. 10. non esse hic in terris nomen Dei confitendum coram hominibus.* MINVS VERO, *supple confitendum & dicendum, Deum humani sanguinis sitibundum esse, vel Christum reciprocum Martyrum sanguinem ad salutem suam exigere.* AVDISSET *Prodicus*

B *& Valens. Idem responsum Christi ad Satanam Matth. 4. 10.* Vade Satana; scriptum est enim &c. SCANDALVM. *confudit hic Tertull. responsum Christi ad Petrum, cum dato Satanæ. Nam Matth. 16. 22. Christo de sua passione loquente:* assumens eum Petrus cœpit increpare illum dicens: absit a te Domine, non erit tibi hoc. Qui conuersus, dixit Petro: vade post me Satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. Tunc Iesus dixit Discipulis suis: si quis vult post me venire, abneget semetipsum, *Syr. animam suam, id est vitam;* & tollat Crucem suam, & sequatur me. *August. in Psal. 126. sic de Petro, exponens versum:* vanum est vobis ante S. Aug.

C lucem surgere. Ante lucem volebat surgere, & luci consilium dare. Sed quid fecit Dominus? fecit illum, vt post lucem surgat. redi post me Satana. Ideo enim Satanas, quia ante lucem vis surgere; redi post me, vt ego præcedam, tu sequaris: quò ego eo, illuc eas; non quò tu vis ire, illuc me velis ducere. MVLTO POST, *tentationem Diaboli & Petri.* VENENA ISTA, *Scorpius Gnosticus.* SVFFVDIT, *occultè & sub blanda specie charitatis fudit.* NISI, *transposita particula, & referenda* nulli nisi infirmorum. *Vel sequentibus: nisi si qui, id est nisi si quis hanc potionem in hoc libro præparatam sumere ante vel post venenum sumptum, neglexerit.* EX FIDE *confidenter. Vel ex fide & Scriptura Pharmacum compositum.*

3. *Martyrium ab initio dedicatum in Abel, deinde in Prophetis subsecutum.* *Scorp. cap. 8. à p.*

HAbes hîc quoque & prædicationem & remunerationem Martyriorum. A primordio enim justitia vim patitur. Statim vt coli Deus cepit, inuidiam religio sortita est. qui
Gen. 4. 8. Deo placuerat, occiditur, & quidem à fratre: quò procliuius impietas alienum sanguinem
1. Reg. 18. sectaretur, à suo auspicata est. Denique non modo justorum, verumetiam & propheta-
10. & seq. rum. Dauid exagitatur, Helias fugatur, Hieremias lapidatur, Esaïas secatur, Zacharias
2. Reg. 15. inter altare & ædem trucidatur, perennes cruoris sui maculas silicibus adsignans. Ipse clau-
14. & seq. sula Legis & Prophetarum; nec propheres, sed angelus dictus, contumeliosa cæde trun-
3. Reg. 19. 2. catur in puellæ psalticæ lucar. Et vtrique qui spiritu Dei agebantur, ab ipso in martyria di-
Hebr. 11. rigebantur, vt & jam patiendo quæ & prædicassent. Proinde & trina fraternitas, quum
37. dedicatio imaginis regiæ vrbem vrgeret officio, non ignorauerunt quid fides, quæ sola in
2. Par. 24. illis captiua non fuerat, exigeret; moriendum scilicet aduersus idololatriam. Meminerant
21. enim & Hieremiæ scribentis ad eos, quibus illa captiuitas imminebat: [a] *Et nunc videbitis*
Marc. 6. *deos Babyloniorum aureos, & argenteos, & ligneos portari super humeros, ostentantes nationibus ti-*
12. *morem. Cauete igitur ne & vos consimiles sitis Allophylis, & timore capiamini, dum aspicitis tur-*
Dan. 3. 18. *bas adorantes retro eos & ante: sed dicite in animo vestro, Te, Domine, adorare debemus.* Itaque
a Baruch. dixerunt à Deo conceptâ fiduciâ, quando vigore animi conditionales minas regis excu-
6. 3. 4. & 5. tiunt: [b] *Non habemus necessitatem respondendi huic tuo imperio. Est enim Deus noster quem coli-*
b Dan. 3. *mus, potens eruere nos de fornace ignis, & ex manibus tuis; & tunc manifestum fiet tibi, quod neque*
16. *idolo tuo famulabimur, nec imaginem tuam auream, quam statuisti, adorabimus.*

MARTYRIVM. 3. SCHOL.

PRÆDICATIONEM. *prædictionem, vel laudem.* RELIGIO. *pietas Abel.* A SVO, *fraterno cœpit. Aug. lib. 12. cont. Faustum c. 9. fusè de Cain & Abel. Inter cætera:* super Sacrificium Cain non respicit, sed super Sacrificium Abel respicit. Itaque occiditur Abel minor natu, à fratre maiore natu. Occiditur Christus caput populi minoris natu (*Gentilis*) à populo Iudæorum maiore natu. Ille in campo, iste in Caluariæ loco, &c. *Vide multa præclara hoc loco de comparatione Iudæorum cum Cain, & Abel cum Christo.* ÆDEM, *templum.* ADSIGNANS, *quasi sigillatas & indelebiles relinquens. Aug. Ser. 242. de Temp.* Zacharias Pontifex Magnus pro cultu Dei, pro legibus sacris, pro censura in templo Sacerdotali, rebellem increpans populum, mortem constanter accepit, & detestabilis acies Iudæorum, eius cruore pauimentum infecit. Zacharias Martyr triumphat, & Daniel confessor exultat. Vnus moritur & triumphat, alter euadit & regnat. CLAVSVLA, *terminus legis veteris, & initium nouæ. dicente Christo:* lex & Prophetæ vsque ad Ioannem. PSALTICÆ. *alij* salticæ, *saltatricis.* LVCAR. *Festus ait, pretium quod ex lucis, id est locis obscuris, diis, aut meretricibus sacris captatur. Iosephus Scaliger, mercedem saltatorum.* AGEBANTVR, *inspirabantur, ad prophetandum mouebantur.* TRINA, *tres pueri in eadem fide fratres.* IMAGINIS *Statua aureæ Nabuch.* OFFICIO, *ad officium adorationis.* SCRIBENTIS. *per Scribam suum Baruch.* ET NVNC. *sic Tertull. cum 70. parum distat vulgata. Baruch 6. 3. & seq.* Nunc autem videbitis in Babylonia Deos aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos in humeris portari, ostentantes metum Gentibus. Videte ergo ne & vos similes efficiamini factis alienis, & metuatis, & metus vos capiat in ipsis. Visa itaque turba de retro, & ab ante, adorantes; dicite in cordibus vestris, te oportet adorari Domine. ITAQVE DIXERVNT *supple tres pueri, quorum jam prosequitur constantiam.* CONDITIONALES, *sub pœna mortis Dan. 3. 15.* Si non adoraueritis, eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentis: & quis est Deus qui eripiet vos de manu mea? NON HABEMVS. *vulgata versu 16.* Non oportet nos de hac re respondere tibi. Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi Rex, quia Deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti non adoramus. *70. nil à vulgata differunt. nisi quod legunt* est enim Deus noster in Cœlis. *Et loco statuæ, legunt,* imaginem. ESAIAS SECATVR. *Epiphanius lib. de Prophetarum vita & interitu. cap. de Esaia.* Esaias, inquit, Propheta in Ierusalem, de tribu Iuda ortus, sub Manasse verò Rege Iuda sectus in duas partes, occubuit. Tumulatus est sub quercu Rogel, juxta transitum aquarum, quas olim Ezechias Rex obstruxerat, cùm eas vndas peruias efficeret. Fontem quippe Deus Siloam causâ Prophetæ effecit, quoniam priusquam moreretur, pusillum precatus est, vti vndas illic effingere dignaretur: & confestim demisit illi cœlitus aquam viuentem, vnde sortitus est locus ille appellationem Siloam, quod si quis interpretatur, sonat demissum.

Marginalia: S. Aug. — S. Aug.

4. *Martyrij debitrix semper fuit fides, magno lucro gehennæ vitandæ, & gloriæ acquirendæ, quæ æquat seruum Domino. Scorp. cap. 8. in f. & 9. in p. ad m.*

CEterùm, pati oportebat omnem Dei prædicatorem atque cultorem, qui ad idololatriam prouocatus negasset obsequium, secundùm illius quoque rationis statum, qua & præsentibus tunc & posteris deinceps commendari veritatem oportebat, pro qua fidem diceret passio ipsorum defensorum eius; quia nemo voluisset occidi, nisi compos veritatis. Talia à primordio, & præcepta, & exempla debitricem martyrij fidem ostendunt. Superest, ne antiquitas suum quoque habuerit Sacramentum, nouitatem Christianam recensere, quasi & de Deo aliam, ac proinde disciplinâ quoque æmulam, cuius [a] *Sophia filios suos jugulare* non norit Planè alia in Christo & diuinitas, & voluntas, & schola, Martyria aut nulla in totum, aut aliter intelligenda mandarit, qui neminem ad huiusmodi discrimen hortetur, qui pro eo passis nihil repromittat, quia pati eos nolit. Et ideo præceptorum principia deducens: [b] *Beati*, inquit, *qui persecutionem patiuntur ob justitiam, quoniam illorum est regnum cœlorum.* Hoc quidem absolutè ad omnes, dehinc propriè ad Apostolos ipsos; [c] *Beati eritis cùm vos dedecorauerint, & persecuti fuerint, & dixerint aduersus vos omnia mala propter me: Gaudete & exultate, quoniam merces vestra plurima in cælo.* [d] *Sic enim faciebant & Prophetis patres eorum;* vt etiam prophetaret quod & ipsi occidi haberent ad exemplum Prophetarum. Quamquam & si omnem hanc persecutionem conditionalem in solos tunc Apostolos destinasset, vtique per illos cum toto Sacramento, cum propagine nominis, cum traduce Spiritus sancti, in nos quoque spectasset etiam persecutionis obeundæ disciplina, vt in hæreditarios discipulos, & Apostolici seminis frutices. Nam & rursus ad Apostolos dirigit, [e] *Ecce ego mitto vos tanquam oues in medio luporum, & cauete ab hominibus: Tradent enim vos in consessus, & in synagogis suis flagellabunt vos, & ad præsides & reges perducemini, mei causâ, in testimonium illis & nationibus, &c.* Quum autem subiicit, [f] *Tradet autem frater fratrem, & pater filium in mortem, & insurgent filij in parentes, & mortificabunt eos;* manifestè iniquitatem istam in ceteros pronuntiauit, quam in Apostolis non inuenimus. Nemo enim eorum aut fratrem aut patrem passus est traditorem, quod plerique jam nostri. Dehinc ad Apostolos reuocat, [g] *Et eritis odio omnibus propter nomen meum.* Quantò magis nos, quos à parentibus quoque tradi oportet? Ita, ipsa hac permixtione nunc ad Apostolos, nunc ad omnes disponendo, eundem in vniuersos nominis exitum effudit, in quibus consederit nomen cum odij sui lege. *Qui autem sustinuerit vsque in finem, iste saluus fiet.* Quid sustinendo, nisi persecutionem, nisi traditionem, nisi occisionem? Nec enim aliud est sustinere in finem, quàm

Marginalia: Cap. IX. — a Prou. 9. 2. — b Matth. 5. 10. — c Ibid. 11. — d & Luc. 6. 22. — e Matth. 10. 16. — f Ibid. 21. — g Ibid. 22. — Ibid.

h Ibid. 24. pati finem. Et ideo [h] *non est discipulus super magistrum.* Statim sequitur, *Nec seruus super Dominum suum:* quia cùm magister & dominus ipse perpessus sit persecutionem, & traditionem, & occisionem, multò magis serui & discipuli eandem expendere debebunt, ne quasi superiores exempti de iniquitate videantur; quando hoc ipsum sufficere eis ad gloriam debeat, æquari passionibus Domini & Magistri; ad quarum tolerantiam ædificans monet,
i Ibid. 28. [i] *non eos timendos, qui solum corpus occidant, animam autem interficere non valeant; sed illi potius metum consecrandum, qui & corpus, & animam occidere, & perdere possit in gehenna.* Quinam hi solius corporis interemptores, nisi præsides & reges supradicti? homines opinor. Quis etiam animæ dominator, nisi Deus solus? Quis iste ignium comminator, nisi is, sine cuius voluntate nec passerum alter in terram cadit; id est, nec altera ex duabus substantiis hominis, caro aut anima? Quia & capillorum apud eum regestus est numerus. Nolite ergo me-
k Ibid. 31. tuere quum super dicit, [k] *Multis passeribus antistatis*; non frustrà, id est, non sine emolumen-
l Ibid. 32. to casuros in terram repromittit, si magis ab hominibus quàm à Deo occidi eligamus. [l] *Omnis igitur qui in me confessus fuerit coram hominibus, & ego confitebor in illo coram Patre meo qui in cœlis est. Et omnis qui negauerit me coram hominibus, & ego negabo illum coram Patre meo qui in cœlis est.*

MARTYRIVM. 4. SCHOL.

PATI OPORTEBAT, *omnis Dei cultor verus, Prædicator & Propheta veritatis, compulsus seruire Idolis, debebat fortiter recusare, & tormenta pati pro confessione fidei.* SECVNDVM ILLIVS, &c. *Iuxta firmam & statutam rationem, quæ & suis contemporaneis, & posteris, eiusdem fidei veritatem vsque ad sanguinem sustinendam, suæ exemplo constantia probaret.* FIDEM DICERET, *faceret, confirmaret fidem veritatis, effusus sanguis prædicatorum, pro tuenda veritate certantium.* QVIA NEMO, &c. *nullus enim eorum, nisi de Religionis suæ veritate certus, tanta pati voluisset.* DEBITRICEM, *quod omnis fidelis debeat pro veritate subire Martyrium,* SVPEREST, &c. *Ironicè dicta quæ sequuntur, quasi diceret: restat vt Gnostici ad suum errorem, figmentum Martionis addant, de duplici Deo, diuerso Authore vtriusque testamenti; & probent Christum docendo & iubendo ferenda pro fide Martyria, aliquid noui præcepisse: vel vt dicant antiquam legem aliquo secreto Mysterio, & sibi proprio, & tunc habuisse sapientiam, & diuinitatem filiorum suorum, id est Martyrum (vt supra diximus) immolatricem, quod noua lex veteri contraria reprobet.* PLANE ALIA. *Iterum ironicè. Hoc tibi Gnostice deerat, vt cum Martionitis sentires, & diceres, alium Deum, & longè aliter à veteri testamento docuisse & præcepisse.* ET IDEO. *continuat ironiam.* HOC QVIDEM. *Iam seriò agit ipse Tertullianus.* AD OMNES *fideles.* DEDECORAVERINT. *Luc. 6. 22.* Beati eritis, cum vos oderint homines, & cum separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hominis. Gaudete in illa die & exultate, &c. Secundùm hæc enim &c. *Syr.* Sic enim faciebant Patres eorum Prophetis. CONDITIONALEM, *sub conditione, pacto, & spe mercedis.* DESTINASSET, *à solis Apostolis, ferendam, prædixisset.* PER ILLOS, *nobis transmittendam, eadem patiendi doctrinam curasset.* TOTO SACRAMENTO, *Baptismi, cum solemni iuramento obstricta fide Christo, & eius disciplinæ.* PROPAGINE, *nomine Christiani, ad nos vsque propagato.* TRADVCE *communicatione Spiritus Sancti data à Christo Apostolis, & per eos Discipulis, Episcopis, & nobis; quo induti virtute ex alto fortiter confessi pateremur.* DIRIGIT, *sequentia scilicet.* TRADENT ENIM. *Matth. 10.*

A 17. in Conciliis, &c. ducemini propter me, &c. & Gentibus. MORTIFICABVNT, morte eos afficient. PLERIQVE, *patiuntur.* REVOCAT, *quod scilicet sequitur.* EXITVM, *finem & confessionem nominis Christi vsque ad mortem.* CONSEDERIT, *fuerit quasi in propria sede germana appellatio Christiani, cum nota propriæ, & conditione suscepti odij Gentilium.* PATI FINEM, *vitæ, mortem.* EXPENDERE, *exemplo Domini pendere; vel rependere Domino.* SVPERIORES. *quia supra dixerat,* non est Discipulus supra Magistrum. REGESTVS. *digestus, supputatus.* ANTISTATIS, *vulgata:* pluris, meliores estis vos. QVAM A DEO. qui potest animam & corpus perdere in gehennam. IN ME. *vulgata:* qui me confessus fuerit &c. NON SINE EMO-
B LVMENTO. *Intelligit conditionalem, quam supra dixit, persecutionem, spe multæ mercedis subeundam. De morte eiusque emolumenti præclarè Aug. lib. 13. de Ciuit. cap.* S. Aug.
4. Fidei robore atque certamine, etiam mortis fuerat superandus timor, quod in Sanctis Martyribus maximè eminuit, &c. Maiore & mirabiliore gratia Saluatoris, in vsus iustitiæ peccati pœna conuersa est. Tunc enim dictum est homini, morieris si peccaueris; nunc dicitur Martyri, morere, ne pecces. Tunc dictum est, si mandatum transgressi fueritis, morte moriemini. Nunc dicitur, si mortem recusaueritis, mandatum transgrediemini. Quod tunc timendum fuerat, vt non peccaretur: nunc suscipiendum est, ne peccetur. Sic per ineffabilem Dei mi-
C sericordiam, & ipsa pœna vitiorum transit in arma virtutis, & fit iusti meritum, etiam supplicium peccatoris. Tunc enim mors est acquisita peccando, nunc impletur iustitia moriendo. Verum hoc in Sanctis Martyribus, quibus alterutrum à persecutore proponitur, vt aut deserant fidem, aut sufferant mortem: iusti enim malunt credendo perpeti, quod sunt primitus iniqui non credendo perpessi, &c. Factum est per illorum culpam, vt veniretur in pœnam: fit per istorum pœnam, ne veniatur in culpam. Non quia mors bonum aliquod facta est, quæ antea malum fuit; sed tantam Deus fidei præstitit gratiam, vt mors, quam vitæ constat esse contrariam, instrumentum fieret, per quod transiretur ad vitam.

5. Ad Martyrium Spiritus sanctus impellit. Vide supra. Martyrium. 3. circa m.

6. Ad Martyrium hortantur Apostoli à Deo docti, spe mercedis. Scorp. cap. 12. parum à p. ad circa f.

AN & illi aliter quàm sentiunt scribunt, fallaciæ magistri, non veritatis? Petrus quidem ad Ponticos, [a] *Quanta enim,* inquit, *gloria, si non vt delinquentes puniamini, sustinetis.*
a 1. Petr. 2. 20. *Hæc enim gratia est, in hoc & vocati estis, quoniam & Christus passus est pro nobis, relinquens*

vobis exemplum semetipsum, vti adsequamini vestigia ipsius. Et rursus,[b], *Dilecti, ne expauescatis* b 1. Petr.
vstionem, quæ agitur in vobis in tentationem, quasi nouum accidat vobis: Etenim secundùm quod 4. 12.
*communicatis passionibus Christi, gaudete, vti & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si
dedecoramini in nomine Christi, beati estis, quoniam gloria & Dei spiritus requiescit in vobis, dum
ne quis vestrùm patiatur, vt homicida, aut fur, aut maleficus, aut alieni speculator. Si autem vt
Christianus, ne erubescat, glorificet autem Dominum in nomine isto.* Ioannes verò,[c] *vt etiam pro* c 1. Io. 3.
fratribus nostris animas ponamus, hortatur,[d] *negans timorem esse in dilectione. Perfecta enim di-* 16.
lectio foras abjicit timorem: quoniam timor pœnam habet; & qui timet, non est perfectus in dilectione d 1. Io. 4.
Quem timorem intelligi præstat, nisi negationis auctorem? quam dilectionem perfectam 18.
adfirmat, nisi fugatricem timoris, & animatricem confessionis? quam pœnam timore pu-
niat, nisi quam negator relaturus est, cum corpore & anima occidendus in gehenna? Matth.
Quod si pro fratribus, quantò magis pro Domino moriendum docet? satis de Apocalypsi 10. 33.
quoque sua instructus hæc suadere. Mandauerat etenim spiritus ad angelum Ecclesiæ
Smyrnæorum,[e] *Ecce diabolus ex numero tuo conjiciet in carcerem, vt tentemini diebus decem. esto* e Apoc. 2.
fidelis ad mortem vsque, & dabo tibi vitæ coronam. Item ad Pergamenorum[f] *de Antipa fidelissi-* 10.
mo Martyre interfecto in habitatione Satanæ. Item ad Philadelphenorũ,[g] *quod à tentatione vl-* f Ibid. 12.
tima liberaretur qui Domini nomen non negarat. Exinde victori cuique promittit nunc arbo- g Apoc. 3.
rem vitæ, & mortis veniam secundæ: nunc latens manna cum calculo candido, & nomi- 10.
ne ignoto: nunc ferreæ virgæ potestatem, & stellæ matutinæ claritatem: nunc albam ve- Apoc. 2. 7.
stiri, nec deleri de libro vitæ, & columnam fieri in Dei templo, in nomine Dei & Domi- & 10.
ni, & Hierusalem cœlestis inscriptã: nunc residere cum Domino in throno eius, quod ali- Apoc. 3. 5.
quando Zebedæi filiis negabatur. Quinam isti tam beati victores, nisi propriè martyres? & 12.
Illorum etenim victoriæ, quorum & pugnæ; eorum verò pugnæ, quorum & sanguis. Sed Matth.
& interim sub altari martyrum animæ placidum quiescunt, & fiduciâ vltionis patientiam 20. 23.
pascunt, & indutæ stolis, candidam claritatis vsurpant, donec & alij consortium illarum Apoc. 6.
gloriæ impleant. Nam & rursus innumera multitudo albati & palmis victoriæ insignes re- 9.
uelantur; scilicet de Antichristo triumphantes. Apoc. 7. 14.

MARTYRIVM. 6. SCHOL.

AN ET ILLI. *an dices etiam Apostolos aliter scripsisse de Martyrio, quam senserint?* AD PONTICOS. *sic & Cyprianus post Magistrum suum inscripsit, quia nimirũ Petrus. 1. 1. versu 1. sic habet:* Petrus Apostolus Iesu Christi, electis aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ &c. QVANTA ENIM. *Sic 1. Petri 2. 19.* Hæc enim gratia, si propter Dei conscientiam (*Syr. Illi enim gratiam habent coram Deo, qui propter bonam conscientiam &c.*) sustinet quis tristitias, patiens iniustè: quæ enim est gloria, si peccantes, & colaphizati suffertis? sed si benè facientes patienter sufferis; hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis: quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius. VTI, *vt.* NE EXPAVESCATIS. 1. *Petri* 4. 12. Charissimi, nolite peregrinari in feruore. (*Syr. dilecti mei ne miremini in tentationibus quas habetis*) qui ad tentationem vobis fit, quasi noui aliquid vobis contingat: sed communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, (*Syr. quod si probrum patimini pro nomine &c.* Beati eritis: Quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius Spiritus super vos requiescit. DVM NE QVIS. *Syr. Ibid. versu* 15. tantum ne quis &c. *vulgata autem*: nemo autem vestrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. SPECVLATOR *propriè ex Græco transtulit. Vt speculetur fur quomodo aliena bona peculetur. Augustinus autem in* S. Aug. *expositione inchoata ad Romanos*: Petrus quoque Apostolus exhortans fratres ad perferendas pro Christi nomine passiones, ita loquitur: nemo autem vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut curas alienas agens. *quasi diceret; negotium faciens, & iniuriam proximo, cui est molestus & iniurius. Hos locus etiam decurrit Augustinus to. 3. in speculo, in quo totam Scripturam breuiter excurrit; cui censuram iniquam, vt solet, hanc apposuit Erasmus, qui, vt & in vindiciis nostris Quadripartitis annotaui, non veretur* A *etiam ab Augustino agnita opera reiicere, quasi non Augustini essent. Hanc speculo apposuit censuram.* Hoc opus vix eram adscripturus Augustino, nisi Possidonius, siue vt quidam malunt, Possidius, in vita, nominatim illi tribuisset. IOANNES VERO. 1. *Io.* 3. 16. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. *August. tract. 5. in Epist. Io. ex Psalm.* 115. Quid retribuam Domino &c? Accipere S. Aug. Calicem salutarem, & inuocare nomen Domini, hoc est satiari charitate, & ita satiari, vt non solùm non oderis fratrem, sed paratus sis mori pro fratre; B perfecta ista charitas est &c. hanc ipse Dominus in se exhibuit, mortuus pro omnibus, orans pro eis à quibus crucifigebatur, & dicens, Pater ignosce &c. Sed si solus hoc fecit, non erat magister, si discipulos non habebat. Secuti discipuli hoc fecerunt. Lapidabatur Stephanus, & genuflexo ait: Domine ne statuas &c. amabat à quibus occidebatur, quia pro ipsis moriebatur, &c. NEGANS TIMOREM. 1. *Io.* 4. 18. timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet (*Syr. in perturbatione est*) qui autem timet, non est perfectus in charitate. *Vide August. fusè tractan-* S. Aug. *tem hunc locum de timore casto & seruili tract. 9. in Ep. Io. circa medium.* AVTHOREM, *qui impellit ad negandum Christum.* C POENAM, *quam habet timor mortis temporalis à tyrannis intentata.* TIMORE PVNIAT, *maiore scilicet, qui oritur ex minis Christi inferenda corpori & animæ gehennæ.* INSTRVCTVS, *paratus est multis locis. ad suadendum.* ECCE DIABOLVS. *Apoc. 2. 10.* Nihil horum timeas quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem vt tentemini, & habebitis tribulationẽ diebus decem, &c. ITEM AD, *Episcopum scilicet versu 13.* Scio vbi habitas, vbi sedes est Satanæ, &c. Et in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, vbi Satanas habitat. QVOD A TENTATIONE. *Antichristi scil. Apocal. 3. 8. & seq.* Quia modicam habes

virtutem, & seruasti verbum meum, & non negasti nomen meum &c. Et ego seruabo te ab hora tentationis quæ ventura est in orbem vniuersum tentare habitantes in terra. VENIAM, *liberationem à morte secunda, scilicet damnatione æterna.* INSCRIPTAM. *Apoc.* 3. 12. Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius: & scribam super eum nomen Dei mei, (*supple super eum quem dixit columnam*) & nomen Ciuitatis Dei mei nouæ Ierusalē, quæ descendit de Cœlo à Deo meo, & nomen meum nouum. ZEBEDÆI FILIIS *sedere volentibus ante potum Calicis. Matth.* 20. 23. sedere ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis. PLACIDVM, *placidè.* CANDIDAM VSVRPANT. *stolam gloriæ, & visionem Dei claram præripiunt cæteris justis ante Resurrectionem. Hic suum insinuat errorem, de quo in Alphabeto & alibi jam diximus.* FIDVCIA VLTIONIS, *dicentibus enim sub altari. Apoc.* 6. 10. Vsquequo Domine Sanctus & verus, non A judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra? & datæ sunt illis singulæ stolæ albæ: & dictum est illis vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut & illi. MVLTITVDO ALBATI. *Phrasis Tertullianica. Apoc.* 7. 9. Vidi turbam magnam &c. amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum. SICVT VNVS &c. *vel respicit viginti quatuor Seniores coronas mittentes ante thronum. vel Eliam aut Enoch qui de Antichristo triumphabunt. Verè enim illi Seniores qui tot sæculis in paradiso seruati, cum Antichristo pugnaturi, de ipso triumphabunt. Aug. in fine præfati speculi summam Apocalypsis paucis verbis complexus est:* cum Angeli monentur, homines intelliguntur moneri: in omnibus, S. Aug. eisdem præceptis, discimus falsos fratres per patientiam sustinendos propter nomen Dei, & per pœnitentiam ad prima opera redeundum, & vsque ad mortem persecutiones pro fide tolerandas.

7. Martyrium vel hinc bonum, quod à Deo præceptum sit. Scorp. cap. 2. in p.

NOndum de bono Martyrij, nisi debito primùm; nec antè de vtilitate eius, quàm de necessitate discendum. Auctoritas diuina præcedit, an tale quid voluerit atque mandauerit Deus, vt qui negant bonum, non suadeantur accommodum, nisi quum subacti fuerint. Ad officium hæreticos compelli, non inlici dignum est. duritia vincenda est, non suadenda. Et vtique satis optimum præiudicabitur, quod probabitur à Deo constitutum atque præceptum.

MARTYRIVM. 7. SCHOL.

NONDVM. *supple agimus.* NISI DEBITO, *nisi prius de obligatione subeundi Martyrij dixerimus.* PRÆCEDIT, *prius & magis attendi debet, quàm vtilitas nostra.* NEGANT BONVM, *contra ordinem rationis esse dicebant Gnostici.* ACCOMMODVM, *vtile esse suaderi nequeunt.* SVBACTI *coacti fuerint prius & bonum & vtile fateri, si conuicti fuerint à Deo præceptum.* INLICI *suauiter allici. August. præfatione in Psal. 69. docet Christum non solo verbo præcepisse Martyrium, sed & exemplo:* Laborauerunt Martyres, & inter magnas tem- S. Aug. pestates odiorum, in hoc sæculo periclitati sunt, non tam corpore, quod quandoque posituri erant, sed B ipsa fide: ne deficientes, & fortè acerbis persecutionum cedentes doloribus, vel amore vitæ huius amitterent quod promiserat Deus, qui non solum verbo, sed etiam exemplo abstulerat omnem timorem. Verbo, dicens, nolite timere eos &c. Exemplo, faciens quod verbo præcepit, vt nec eorum verberantium manus vellet deuitare, nec alapas percutientium, nec saliuas conspuentium, nec coronam de spinis imponentium, nec crucem interficientium: nihil horum vitare voluit, cui nihil opus erat, propter eos quibus hoc opus erat, faciens ægrotis de seipso medicamentum.

8. Martyrium bonum est, à Deo bono præceptum, ad fugam Idololatriæ, purganda peccata perfecta charitate, & victoriam Diaboli victoris, Scorp. cap. 4. 5. per totum; & 6. in p.

HAnc si à primordio constat & prohibitam, de tot tantisque præceptis; & nunquam impunè commissam, de tot tantisque documentis; nec vllum tam superbum crimen apud Deum deputari, quàm huiusmodi transgressionem, vltro intelligere debemus diuinarum & denuntiationum & executionum intentionem, jam tunc martyriis patrocinatam non modo non dubitandis, verum etiam sustinendis; quibus scilicet locum feceras prohibendo idololatriam: aliter enim martyria non euenirent; & vtique auctoritatem suam præstruxerat, volens ea euenire, quibus locum fecerat. Nunc enim de Dei voluntate compungimur, & ingeminat scorpius plagam, hanc negans, hanc accusans voluntatem, vt aut alium Deum insinuet, cuius hæc non sit voluntas; aut nostrum nihilominus destruat, cuius talis sit voluntas; aut omnino neget voluntatem Dei, si ipsum negare non poterit. Nos autem de Deo alibi dimicantes, & de reliquo corpore hæreticæ cuiusque doctrinæ, nunc in vnam speciem congressionis certas prædicimus lineas, non alterius Dei quàm Israëlis, eam defendentes voluntatem, quæ martyriis locum fecerit, tam ex præceptis prohibitæ semper, quàm ex judiciis punitæ idololatriæ. Si enim præceptum obseruatum vim patitur, hoc erit quodammodo obseruandi præceptum, vt id patiar per quod potero obseruare præceptum; vim scilicet quæcunque mihi imminet cauenti ab idololatria. Et vtique qui imponit præceptum, extorquet obsequium. non potuit ergo noluisse ea euenire, per quæ
Exo.23.13. constabit obsequium. Præscribitur mihi ne quem alium Deum dicam; ne vel dicendo, non minus lingua quàm manu Deum fingam; ne quem alium adorem, aut quoquo modo ve-
Deut.6.2. nerer, præter vnicum illum qui ita mandat; quem & jubeor timere, ne ab eo deserar; &
5. & 13. de omni substantia diligere, vt pro eo moriar. Huic sacramento militans ab hostibus prouocor. par sum illis, si illis manus dedero. hoc defendendo, depugno in acie, vulneror,

concidor, occidor. quis hunc militi suo exitum voluit, nisi qui tali eum sacramento consignauit? Habes igitur Dei mei voluntatem. occursum est huic plagæ. In alium ictum consideremus, de voluntatis qualitate. Longum est vt Deum meum bonum ostendam, quod jam à nobis didicerunt Marcionitæ. Deum interim sufficit dici, vt necesse sit bonum credi. Malum enim Deum qui præsumpserit, constare in vtroque non poterit. aut Deum negare debebit, quem malum existimarit: aut bonum dicere, quem Deum pronuntiarit. Bona igitur erit & voluntas eius, qui nisi bonus, non erit Deus. Probabit hoc etiam ipsius rei bonitas, quam Deus voluit, martyrij dico. Quia bonum, non nisi bonus, voluit. Bonum contendo martyrium apud eundem Deum, à quo & prohibetur & punitur idololatria. Obnititur enim & aduersatur idololatriæ martyrium. Malo autem obniti & aduersari nisi bonum non potest. Non quasi negemus esse æmulationem, tam malorum inter se, quàm & bonorum. Sed alia conditio est huius tituli. Martyrium enim non de communi aliqua militia certat cum idololatria, sed cum sua gratia. liberat enim ab idololatria. quod à malo liberat, quis non bonum pronuntiabit? quid aliud est aduersatio idololatriæ atque martyrij, quàm mortis & vitæ? in tantum vita martyrio deputabitur, quantum morti idololatria. Vitam qui malum dixerit, habet mortem quam bonum dicat. Est & hæc peruersitas hominum, salutaria excutere, exitiosa suscipere, periculosa quærere, medica malè vitare; mori denique citius quàm curari desiderare. Nam & medicinæ præsidium plures refugiunt. plures enim stulti, plures timidi, & malè verecundi. Et est planè quasi sæuitia medicinæ, de scalpello, deque cauterio, de sinapis incendio: non tamen secari, & inuri, & extendi, idcirco malum, quia dolores vtiles adfert. nec quia tantummodo contristat, recusabitur; sed quia necessariè contristat, adhibebitur. Horrorem operis fructus excusat. Vlulans denique ille, & gemens, & mugiens inter manus medici, postmodum easdem mercede cumulabit, & artifices optimas prædicabit, & sæuas jam negabit. Sic & martyria desæuiunt, sed in salutem. licebit & Deo in vitam æternam per ignes & gladios & acerba quæque curare. Sed medicum quidem miraberis etiam in illo, quod fermè pares adhibet qualitates medelarum aduersus qualitates querelarum, quum quasi de peruerso auxiliatur, per ea subueniens per quæ laboratur. Nam & calores caloribus amplius onerando compescit, & ardores, siti potius macerando, restinguit, & fellis excessus amaris quibusque potiunculis colligit, & sanguinis fluxus defusa insuper venula reuocat. Deum verò, & quidem zelotem, culpandum existimabis, si voluit certasse cum causa, & iniuriæ æmulando, prodesse; mortem morte dissoluere, occisionem occisione dispargere, tormentis tormenta discutere, supplicia suppliciis euaporare, vitam auferendo conferre, carnem lædendo juuare, animam eripiendo seruare. Peruersitas quam putas, ratio est; quod sæuitiam existimas, gratia est; ita Deo de momentaneis æterna medicante. Magnifica bono tuo Deum tectum. incidisti in manus eius, sed feliciter incidisti. incidit & ille in ægritudines tuas. Homo semper medico prior negotium facit. denique sibimetipse periculum mortis attraxit. acceperat à domino suo, vt à medico, satis vtilem disciplinam secundùm legem viuendi, vt omnia quidem ederet, ab vna solummodo arbuscula temperaret, quam ipse medicus importunam interim nouerat. audiit ille quem maluit, & abstinentiam rupit: edit inlicitum. & transgressione saturatus, in mortem cruditauit. dignissimus bona fide in totum perire, qui voluit. Sed Dominus sustentata feruura delicti, donec tempore medicina temperaretur; paulatim remedia composuit, omnes fidei disciplinas, & ipsas æmulas vitio, verbum mortis, verbo vitæ rescindentes, auditum transgressionis auditu deuotionis limantes. ita & quum mori præcipit medicus ille, veternum mortis excludit. Quid grauatur pati nunc homo ex remedio, quod non est tunc grauatus pati ex vitio? Displicet occidi in salutem, cui non displicuit occidi in perditionem? Nauseabit ad antidotum, qui hiauit ad venenum? Sed si certaminis nomine, Deus nobis martyria proposuisset, per quæ cum aduersario experiremur, vt à quo libenter homo elisus est, eum jam constanter elidat, hic quoque liberalitas magis quàm acerbitas Dei præest. Euulsum enim hominem de diaboli gula per fidem, jam & inculcatorem eius voluit efficere per virtutem; ne solummodo euasisset, verumetiam euicisset inimicum. Amauit, qui vocauerat in salutem, inuitare & ad gloriam; vt gaudeamus liberati, exultemus etiam coronati.

Cap. 5. Gen. 2. 17. Gen. 3. 3. 6. 7. Cap. VI.

MARTYRIVM. 8. SCHOL.

HANC, *idololatriam scilicet, de qua agebat prius.* A DEI TOT. *Constat multis præceptis interdictam, maximè cum ait inculcando:* Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. *Exo. 20. 3. & seq.* DOCVMENTIS, *exemplis sumptis à Deo vindictæ contra idololatras.* SVMMVM. *Licet enim ex Aug.* Nullum sine superbiæ appellatione vitium reperies: *tamen juxta Salomonem, caput,* initium superbiæ apostatare à Deo. *Et idem Aug. in Psal. 18.* mundabor à delicto maximo *vel vt ipse vertit* magno quo alio nisi superbiæ? non est majus delictum quàm apostatare à Deo, quod est initium superbiæ hominis. Et verè ille immaculatus est, qui etiam hoc delicto caret; quia hoc est vltimũ redeunt.

S. Aug. S. Aug.

tibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit. *Fusius de hoc agit expositione secunda in eundem Psalmum.* DENVNTIATIONVM, *minarum.* EXECVTIONVM *actualium vindictarum.* INTENTIONEM. *Intendebat Deus in vtrisque fauere causæ Martyrum.* DVBITANDIS, *timendis, vel in dubium vocandis an rectè sustineri possint.* ALITER, *quàm à Gentilibus illata pro zelo & cultu Deorum.* PRÆSTRVXERAT, *fundamentum dederat, basim erexerat gloriæ Martyrum, in diuina authoritate fundatam; satisque ostenderat se velle multos subire Martyrium, cui viam fecerat prohibendo idololatriam.* COMPVNGIMVR, *Ab omnibus simul Gnosticis exagitamur, quasi contra Dei voluntatem facientes. Quod si velit tantum homini malum, non bonus erit, sed malus.* LINEAS, *jam hic tantum limitibus nostram disceptationem circumscribimus, vt dicamus nullius alterius Dei, quàm Israëlis expressa voluntate, nos obligari ad Martyrium.* B

S. Aug. EXTORQVET, &c. *Aug. juxta Psal.* 8?. Quia præceptum ipsi Israel est, & judicium Deo Iacob. Vbi præceptum, ibi judicium. Qui enim in lege peccauerunt, per legem judicabuntur. Rom. 2. Et ipse præcepti dator Dominus Christus, Verbum caro factum; In judicium, inquit, veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Io. 9. Quid est, vt qui non vident, &c. nisi, humiles exaltentur; *Deum factum hominem humiliter adorantes, & pro eo morientes, ad gloriam Martyrij prouehantur*, superbi dejiciantur; *adoratores syderum & Deorum, Christi pedibus conculcentur*, non enim, qui vident, cæci fiant; sed, qui sibi videre videntur, de cæcitate conuincantur. NE QVEM ALIVM. *Exo.* 23. 13. Per nomen externorum Deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro. 70. Nomen Deorum aliorum non rememorabitis. FINGAM, *fabricem falsum Deum.* HVIC SACRAMENTO, *sub hoc jusiurando, pacto, fide præstita.* PAR SVM, *vel quia dictum est:* Similes illis fiant qui faciunt ea, &c MANVS DEDERO. *Idololatriæ consensero.* Si expandimus manus nostras ad Deum alienum. *Vel*, par sum *id est eadem cum eis libertate bonis, vitâ fruor, si idola colere cum illis voluero.* HOC *Sacramentum scilicet militis Christiani & cultum veri Dei tuendo.* EXITVM *successum, mortem voluit euenire.* CONSIGNAVIT. *Vel respicit Sacramentum confirmationis robur conferens ad tuendam fidem; vel dictum juramentum in baptismo præstitum: vt signaculum fidei, nomen Christi, & passionem eius, ponamus, hortante Sponso in Cant. super cor, diligendo; super os confitendo; super brachium, propugnando, super humeros, jugum ferendo, & toto cum Paulo corpore mortificationem Christi circumferendo.* PLAGÆ, *à Gnosticis intentatæ obuiam manum misimus.* QVALITATE. *De Dei voluntate constat, restat vt videamus, qualis sit, bona vel mala.* NISI BONVS.

S. Aug. *Aug. tract.* 27. *in Io.* Hoc est proprium Dei, contrarium iniquis. Sicut enim iniqui malè vtuntur bonis operibus Dei, sic contra Deus benè vtitur malis operibus iniquorum, &c. Et quis tam bonus, quam vnus Deus? quandoquidem ipse Dominus dixit A Matth. 10. Nemo bonus, nisi vnus Deus. Quantò ergo ille melior, tanto melius vtitur & malis nostris, &c. Satanas quantos Martyres persecutus est? si Satanas persequendo cessaret, hodie tam gloriosam coronam S. Laurentij non celebraremus, &c. Modo corpus Christi mixtum est tanquam area, sed nouit Dominus qui sunt eius: si tu nosti quid trituras, quia ibi est latens massa: nec consumit trituratio, quod purgatura est ventilatio. TITVLI, *nomina Martyrij.* ÆMVLATIONEM, *contrarietatem.* MILITIA, *oppositione.* SVA GRATIA, *sibi propria qualitate.* SALVTARIA, *quæ apertè saluti congruunt, examinare, an bona sint.* MALE VERECVNDI, *qui morbum aut vulnus, in natura pudendis celando Medico, mortem incurrunt.* DE SCALPELLO, *lancinula, nouacula cædendo.* INCENDIO, *quia sinapi vt & cauterium, impressionem habet calidam.* MALVM *est* FRVCTVS, *euentus vtilis.* IN ILLO, *eo ipso quod, &c.* QVERELARVM *morborum ad planctum prouocantium.* DE PERVERSO, *via apparenter aduersa, sed tamen propria & sympathica.* COMPESCIT, *poros dilatando, per quos euaporetur internus calor.* COLLIGIT, *minuit.* DEFVSA, *aperta.* CVM CAVSA, *idololatria, aduersa gloriæ suæ.* ÆMVLANDO, *aduersando cum zelo, iisdem & consimilibus curare animarum ægritudines.* MEDICANTE, *operante* BONO TVO, *de bono Martyrij, salute tibi collata, Deum lauda; licet videatur sæuus.* INCIDIT ILLE, *Deus in te inuenit morbos animi.* HOMO, *infirmus.* DISCIPLINAM, *quæ doctus est antidotum sumere contra morbum.* IMPORTVNAM. *Non quidem ex se malam, sed serpente,* occasione accepta C per mandatum, operante omnem concupiscentiam; *edendi vetitum.* QVEM MALVIT, *diabolum.* INLICITVM, *illicitum.* SATVRATVS, *ob abundantiam peccati,* in vno factus omnium reus: *vt probat alibi Tertull.* CRVDITAVIT, *ex crudo, præcoci, immaturo fructu scientiæ, quam alteri vitæ seruabat Deus, ob escam crudam, lethalem morbum incurrit.* SVSTENTATA FERVVRA, *patienter tolerata ebullitione peccati.* TEMPORE, *legis gratiæ.* ÆMVLAS, *contrarias.* VERBVM MORTIS *à diabolo suggestum.* VERBO VITÆ, *per legem datam, Prophetas.* VETERNVM MORTIS, *veteris mortis ob peccatum inflictæ dedecus abstulit, & in gloriam Martyrij mutauit, vt esset* pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. TVNC *cum Adam peccauit.* EXPERIREMVR. *Quid cum Dei gratia possimus, cum diabolo certantes,* LIBENTER, *volens vltrò; & quam inde infirmus aduersarius, qui nisi volentes, & cedentes, deijcere non potuerit.* GVLA, *quem per gulam ipse deglutierat.* PER FIDEM, *qua Deus illum firmat, prima incredulitatis damna reparans.* INCVLCATOREM, *conculcatorem & triumphatorem;* Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis, Leonem & Draconem. EVICISSET. *Vox juris. Vnde dicta* euictio. *Quæ*, est rei emptio, aliáve causa acceptæ, per judicis decretum ablatio. *Vel aliter:* est eius rei quam aduersarius legitimo jure acquisierat, per judicem recuperatio. *L. non tamen.* 24. *ff. de Euict.* D

9. *Et Scorp. cap.* 12. *circa f.*

a Apoc. 7. 14. a HI *sunt*, ait, *qui veniunt ex illa pressura magna, & lauerunt vestimentum suum, & candidauerunt ipsum in sanguine agni.* vestitus enim animæ, caro Sordes quidem baptis-
Esa. 1. 18. mate abluuntur, maculæ verò martyrio candidantur. Quia & Esaïas ex russeo & coccino niueum & laneum repromittit.

10. *Martyrium pro Christo, gloriosè debitum ipsi soluit per carnem V. Verbum Resurrectio probatur rationibus, num.* 8.

MARTYRIVM. 9. SCHOL.

HI SVNT. *Apoc.* 7. 14. Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, E & dealbauerunt eas in sanguine Agni. VESTITVS, *sic Iob.* pelle & carnibus vestisti me. SORDES, *id est ori-*

ginali peccato, quae baptismus aquae propriè abluit. MACVLAE, peccata post baptismum contracta, baptismo sanguinis dealbantur. EX RVSSEO, rubro. sic Esa. 1. 18. Si fuerint peccata vestra vt coccinum 70. quasi Phoeniceum, quia Phoenices & Tyrij insignes purpurarij quasi nix dealbabuntur: Et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. 70. Vt coccinum, sicut lanam dealbabo. Aug. lib. 13. de Ciuit. c. 6. Cum ex hominis primi perpetuata propagine, proculdubio sit mors poena nascentis; tamen si pro pietate justitiáque pendatur, fit gloria renascentis: & cum sit mors peccati retributio, aliquando impetrat, vt nihil retribuatur peccato. Et cap. 7. Quicumque etiam non percepto regenerationis lauacro, pro Christi confessione moriuntur: tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit: nisi quis renatus fuerit, &c. aliâ sententiâ istos fecit exceptos, vbi non minus generaliter dixit: qui me confessus fuerit, &c. & alio loco: qui perdiderit animam, &c. hinc est, quod scriptum est: pretiosa in conspectu, &c. Quid

S. Aug.

S. Aug

A

B

enim pretiosius quam mors per quàm fit vt etiam delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur? Neque enim tanti sunt meriti, qui cum mortem differre non possent, baptizati sunt, deletisque omnibus peccatis ex hac vita emigrarunt; quanti sunt hi qui mortem differre cum possent, ideo non distulerunt: quia maluerunt Christum confitendo finire hanc vitam, quam cum negando, ad eius baptismum peruenire: quod vtique si fecissent etiam hoc eis in illo lauacro dimitteretur, quod timore mortis negauerant Christum: in quo lauacro, & illis facinus tam immane dimissum est, qui occiderant Christum. Sed quando, nisi abundantia gratiae Spiritus illius qui vbi vult, spirat, tantum Christum amare possent, vt cum in tanto vitae discrimine, tanta sub spe veniae in baptismo post negationem suscipiendo negare non possent? Mors igitur pretiosa sanctorum, quibus cum tanta gratia, est praemissa & praerogata mors Christi, vt ad eum acquirendum sit mors lucrum suam non cunctarentur impendere.

11. *Martyrium verum extra fidem & charitatem esse non potest, vt patet in Praxea. cont. Prax. cap. 1. in m.*

ISte primus ex Asia hoc genus peruersitatis intulit Romae; homo & aliàs inquietus; insuper de jactatione martyrij inflatus, ob solum & simplex & breue carceris taedium; quando, [a] *etsi corpus suum tradidisset exurendum, nihil profecisset, dilectionem Dei non habens,* cuius charismata quoque expugnauit. [a] 1. Cor. 13. 3.

MARTYRIVM. 11. SCHOL.

ISTE, Praxeas, EX ASIA vnde natus. HOC GENVS, sinae haereseos, qua, Deum Patrem, cum filio passo confundit. ROMAE. Alij legunt, Romanae humo: Prouinciis scilicet Romae vicinioribus: pars enim Asiae Romano subiacebat Imperio. CARCERIS TAEDIVM. Quod per breue tempus carceratus fuisset. QVANDO ET SI. Qui juxta Paulum dicere posset: 1. Cor. 13. 3. Etsi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Aug. in Psal. 59. in versum: meus est Galaad, Galaad habet interpretationis suae vocem, & magni Sacramenti. Interpretatur enim aceruus testimonij. Quantus aceruus testimonij in Martyribus, meus est Galaad, meus est aceruus testimonij Martyres enim Graecè, sunt testes mei sunt Martyres veri. Moriantur mali pro vetusta vanitate sua sine sale, nunquid pertinent ad aceruum testimonij? quia & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, &c. Cum autem quodã loco moneret Dominus de pace retinenda, in vnitate Ecclesiae, à qua diuisus est Praxeas cum haereticis praemisit salem: habete, inquit, in vobis salem, & pacem habete inter vos

S. Aug.

C

D

Matth. 9. Tunc ignominiosa Ecclesia erat in omnibus hominibus, tunc opprobrium illi viduae post viri Christi obitum obiectabatur, quia Christi erat, quia signum Crucis in fronte portabat: nondum erat honor, crimen erat tunc, &c. Tunc factus est aceruus testimonij, & per aceruum testimonij dilatata est charitas Christi, & per dilatationem charitatis Christi, occupatae sunt gentes. Sequitur: & meus est Manasses, quod interpretatur, oblitus. Huic enim dictum erat Esa. 54. Confusionem in perpetuum obliuisceris, & ignominiae viduitatis tuae non eris memor. Quando enim erat quaedam confusio inter homines, aceruus testimonij factus erat; modò jam nemo meminit illius confusionis, quando ignominia erat esse Christianum, jam nemo meminit, jam omnes obliti sunt, jam meus est Manasses. CHARISMATA Prophetias Paracleti Montani intelligit, & eius Prophetissas de quibus immediatè dicit, jam Prophetias Montani Priscae Maximillae, &c. Ipse Tertull. jam peruersus erat dum haec scriberet.

12. *Martyrio inepta sunt exculta corpora; cui dura nos praeparant. 2. de Cult. faem. cap. 13. in m.*

DIscutiendae sunt deliciae, quarum molliriâ & fluxu fidei virtus effoeminari potest. Ceterùm nescio an manus spatalio circumdari solita, in duritiam catenae stupescere sustineat. nescio an crus periscelio laetatum in neruum se patiatur artari. timeo ceruicem, ne margaritarum & smaragdorum laqueis occupata, locum spathae non det. Quare, benedictae, meditemur duriora, & non sentiemus: relinquamus laetiora, & non desiderabimus. Stemus expeditae ad omnem vim, nihil habentes quod relinquere timeamus. Retinacula ista sunt spei nostrae. Projiciamus ornamenta terrena, si coelestia optamus.

MARTYRIVM 12. SCHOL.

DISCVTIENDAE, excutiendae, deponendae. FLVXV. Siue quod fluxae, & euanidae sint, siue quod fluxum & mollitiem dent corporis; fortè & legi posset: Luxu. SPATALIO, armilla genus ex corallio nigro. PERISCELIO Gallicè jartiere à circumdatione cruris vel tibiae.

E

NERVVM ARTARI. In angusta compede, comprimi, de qua & Iob: posuisti in neruo pedem meum. IN DVRITIAM STVPESCERE, possit obdurescere, vsque ad insensibilitatem, ex assiduitate vinculorum. LAQVEIS; quia haec ornamenta collum ablaqueant. SPATHAE, ma-

fori ensi. BENEDICTA *sit alloquitur modestas fœminas, quas à cultu meretricum Apoc. auertit; de quo alibi, gemmas, purpuram, &c. execrans, ait*: sine quibus non poterat maledicta describi. NON SENTIEMVS. *Si præmeditatione assueti, nos Martyrio præparemus.* VIM. *A Tyrannis, & fidei hostibus imminentem.* RETINACVLA, *quæ nos impediunt ad spei æternæ possessionem anhelare. Aug. in Psal. 69. in versum.* Auertantur retrorsum & erubescant, &c. Qui, inquit, volumus rectè celebrare natalitia Martyrum, desideremus imitationem Martyrum. Ne velimus præcedere Martyres, & melioris consilij nobis videri esse, quia euitamus passiones pro justitia, & pro fide, quas illi non euitauerunt. Ergo illi qui cogitant mala, & in luxuria nutriunt corda sua, auertantur retrorsum & erubescant. Audi ab Apostolo postea dicente, *Rom. 6.* Quem fructum habuistis aliquando in quibus nunc erubescitis? &c. *Erubescant ergo delicati, de mollibus, quæ ad dura pro Christo ferenda non disponunt, sed auertunt.*

S. Aug.

13. *Ad Martyria grauia, per leuia, disponi debemus vt milites. Ad Mart. cap. 3. in p.*

VOcati sumus ad militiam Dei viui, jam tunc, cum in sacramenti verba respondimus. Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, sed de papilionibus expeditis & substrictis: vbi omnis duritia, & imbonitas, & insuauitas constitit. Etiam in pace, labore & incommodis bellum pati jam ediscunt: in armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo, testudinem densando. Sudore omnia constant, ne corpora atque animi expauescant: de vmbra ad solem, de sole ad cœlum, de tunica ad loricam, de silentio ad clamorem, de quiete ad tumultum?

MARTYRIVM. 13. SCHOL.

SACRAMENTI. *Baptismi jusiurandum, petitum à nobis Sacerdotis voce, num abrenuntiaremus diabolo, mundo & pompis eius? respondimus ore sponsorum infantes, proprio adulti*; abrenuntio. DE PAPILIONIBVS, *tabernaculis*, SVBSTRICTIS, *angustis. Aug. in Psal. 42.* Est & tabernaculum peregrinantium & militantium. Cum audis tabernaculum bellum intellige, hostem caue. IMBONITAS, INSVAVITAS. *Sic solitus nomina componere. Quasi diceret, nihil in professione militari bonum & suaue sensui reperiri.* TESTVDINEM DENSANDO, *scutis inuicem junctis facta testudine. Alij legunt desiccando. Quod referunt ad lignorum siccationem quibus testudines, siue Cryptæ subterraneæ fiebant. Malim ego ad fossas referre euacuandas aqua.* DE VMBRA. *Ironicè dictum & interrogatiuè? quasi diceret quis aptus sit Soli & cœlo, eiusque iniuriis & loricæ ponderi & bellico fragori, mollibus assuetus. Vnde Hiero. ad Heliod:* Corpus adsuetum tunicis loricæ onus non fert. *Potest & simpliciter intelligi de vmbra Xysti vbi exercebantur Athletæ*, AD SOLEM. *Vbi & Dei filius juxta Psaltem* posuit tabernaculum suum. *Id. juxta Aug. in aperto posuit Incarnationem, contra errores pugnaturus.* DE SOLE. *In quo interdum durius præludentes milites exercentur;* AD COELVM *vndique apertum excipiendasque omnes iniurias.* DE TVNICA *clamyde militari leuiori, &c.* DE SILENTIO. *Id est pacifico conflictu & prælusorio.*

S. Aug.

S. Aug.

14. *Martyrij fames leuibus tormentis accenditur, & Gaudij æterni spe dulcescit. Scorp. cap. 1. in f.*

ET nunc præsentia rerum est medius ardor, ipsa canicula persecutionis, ab ipso scilicet cynocephalo. Alios ignis, alios gladius, alios bestiæ Christianos probauerunt. Alij fustibus interim, & vngulis insuper, degustata martyria in carcere esuriunt. Nos ipsi vt lepores, destinata venatio, de longinquo obsidemur, & hæretici ex more grassantur. Itaque tempus admonuit aduersus nostrates bestiolas promptam mederi theriacam, stilo temperare. qui legeris, biberis. non amarum potio. Si [a] *eloquia Domini dulcia super mella & fauos*, inde pigmenta sunt: si lacte & melle promissio Dei manat, hoc sapiunt quæ illuc faciunt. *Væ autem qui dulce in amarum, & lumen in tenebras conuertunt.* Perinde enim & qui martyriis refragantur, salutem perditionem interpretantes, tam dulce in amarum, quàm lucem in tenebras reformant, atque ita miserrimam hanc vitam illi beatissimæ præuertendo, tam amarum pro dulci, quàm tenebras pro luce supponunt.

a Psal. 18. 11. Exo. 3. 8. Esa. 5. 20.

MARTYRIVM. 14. SCHOL.

PRÆSENTIA RERVM. *Præsens status est Reipublicæ Christianæ vt Soli meridiano & ardori persecutionis sit exposita. Augustinus sæpè juxta Euangelium exponit de Christianis non benè radicatis & fundatis in charitate, semina esse, quæ orto Sole aruerunt*, quia non habebant radicem. IPSA CANICVLA, *pungit Gnosticos similes Scorpiis, qui ardente canicula, &* CYNOCEPHALO, *id est caniculæ capite, Proconsule & Præfecto Africæ, persecutionem mouente pungunt. Sunt qui referant, in nus ad litteram, ad monstra hominum, canino capite, de quibus Aug. 16. de Ciuit. cap. 8.* Quid dicam de Cynocephalis, quorum canina capita, atque ipse latratus magis bestias, quam homines confitetur? *Et mirum cum teste Plin. lib. 7. lacte viuat hoc hominum genus: ex eodem lib. 8. c. 54.* Efferatior Cynocephalis natura, sicut mitissima Satyris. *Cynocephalea verò herba, diuina prorsus & ad omnia venena efficax, quæ teste Plin. lib. 13. c. 2. Appion Grammaticus ad percontandam patriam & parentes Homeri, eius Manes ab inferis se euocasse gloriatus est.* DEGVSTATA, *quasi epulas exquisitas appetitum irritantes. Vnde & Aug. illud Prouer. 23.* Quando sederis vt comedas cum principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam, sciens quoniam talia te oportet præparare: *De Stephano loquens, & Martyrium eius sicut Christi mensam cibis Regiis instructam vocans:* talia, inquit, in mensa sua præparauit, qualia ipse in mensa Domini comedit. *Et tract. 84. in Io.* Quid est sic mittere manum, vt scias quia talia te oportet præparare? nisi quod jam dixi, quia sicut pro nobis Christus animam suam posuit, sic & nos debemus animas pro fratribus ponere. Sic enim ait etiam Apostolus Petrus:

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

mus: Christus pro nobis passus est relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius. Hoc est talia præparare. Hoc Beati Martyres ardenti dilectione fecerunt, quorum si non inaniter memorias celebramus atque in conuiuio, quo & ipsi saturati sunt, ad mensam Domini accedimus, oportet vt quemadmodum ipsi, & nos talia præparemus. *Inde sitiens in Cruce plus pati, cum gustasset myrrhatum & felle & aceto mixtum, noluit totum bibere, vt residuum Martyribus propinaret, ad quos, in horto, transferri à se Calicem postulauerat à Patre. Ebrietatem ex hoc Calice præclaro, hauserunt Apostoli, & Martyres de Spiritu sancto,* S. Aug. *vt notat Aug. Ser. 185. de Temp. de Missione Spiritus sancti super Apostolos.* Istud, inquit, nouum vinum non putemus solos tunc Apostolos suscepisse, &c. Hoc spiritali mero calebant Martyres: quando abjicientes, & post se jactantes omnia sæculi blandimenta ibant ad passiones: obliuiscentes facultates & affectiones, patrimonia ac matrimonia sua: & vincentes armatam contra se paruulorum pignorum fletibus pietatem: vociferantes quidem parentes, Puluerem mittentes in capita sua; & matres facies suas auulsis crinibus dilacerantes; Sed illi tanquam ebrij hæc omnia non videbant, nec cognoscebant suos; quia infuso præcordiis suis Spiritu sancto, ad dolores, ad supplicia, tanquam ad consolationes, & S. Aug. ad præmia festinabant, &c. *Et paulo supra*; Hoc musto, inquit, inflammantur, & hoc præclaro poculo quotidie inebriantur etiam corda fidelium, & animæ se conuertentium. Quod frequenter fieri videmus, quando præ desiderio salutis suæ, parentes & patriam suam fugiunt. Exeunt nullo compellente de terra & cognatione sua: & mortui huic mundo alios spiritaliter animarum inquirunt parentes, & liberi sub jugo veniunt: & paulò ante elati atque sublimes, humilia affectant: superba fastidiunt; & cupiunt esse quod antea despexerant, & odisse incipiunt quod fuerant. TEMPVS *persecutionis feruens.* NOSTRATES *Scorpios Africæ.* LEPORES, *Ironicè contra timidos Christianos expositos Gnosticis, vt canibus venaticis, quos præmittit de longè Satanas vt Martyrium fugiant.* MEDERI. *præparare.* STILO, *hic libro contra Gnosticos inscripto.* NON AMARVM, *supple aliquid est hac potio: benè enim temperata & confecta ex melle & lacte scripturæ. Psal.* 18. 11. dulciora super mel & fauum. *& Psal.* 118. 103. quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. INDE PIGMENTA, *hinc deprompta sunt remedia quæ vobis propino.* PROMISSIO DEI, *Exo.* 3. 8. Educam de terra illa, in terram bonam & spatiosam, in terram quæ fluit lacte & melle. Hoc SAPIVNT, *mel & lac.* ILLVC, *in hanc rem de qua agimus, nempe bonum martyrij, spe mercedis.* VÆ AVTEM *Esa.* 5. 20. *vulgata.* Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. 70. *nil differunt; nisi quod,* væ qui dicunt &c. qui ponunt amarum dulce &c. REFORMANT, *mutans peruersa forma.* PRÆVERTENDO, *anteponendo.*

15. *Martyrij auiditas in Christianis, judices præuenit. ad Scap. cap. 5. in p.*

MAjora certamina, majora sequuntur præmia. Crudelitas vestra gloria est nostra. Vide tantum ne hoc ipso, quod talia sustinemus, ad hoc solum videamur erumpere, vt hoc ipsum probemus, nos hæc non timere, sed vltro vocare. Arrius Antoninus in Asia cum persequeretur instanter, omnes illius ciuitatis Christiani ante tribunalia eius se manu facta obtulerunt. cum ille, paucis duci jussis, reliquis ait, ὦ δειλοί, εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνοὺς ἢ βρόχους ἔχετε. Hoc si placuerit & hic fieri, quid facies de tantis millibus hominum, tot viris ac feminis, omnis sexus, omnis ætatis, omnis dignitatis, offerentibus se tibi? Quantis ignibus, quantis gladiis opus erit? Quid ipsa Carthago passura est decimanda à te, cùm propinquos, cùm contubernales suos illic vnusquisque cognouerit, cùm viderit illic fortasse & tui ordinis viros & matronas, & principales quasque personas, & amicorum tuorum vel propinquos, vel amicos? Parce ergo tibi, si non nobis. parce Carthagini, si non tibi. parce prouinciæ quæ visa intentione tua obnoxia facta est concussionibus, & militum, & inimicorum suorum cuiusque.

MARTYRIVM. 15. SCHOL.

VIDE. *loquitur judici Scapulæ, cui inscriptus est liber.* ARRIVS. *Ex Baro. to. 2. Annal. Anno Chri. 124. fuit Proconsul in Asia, teste Lampridio, & aliis, qui multùm exagitauit Christianos.* VIDEAMVR ERVMPERE, *non in seditionem, sed vltroneam Martyrij passionem.* ὦ δειλοί &c. *ô vos miseri, si mori cupitis, laqueos* S. Aug. *& præcipitia habetis.* CONTVBERNALES. *August. in Psal.* 131. Tabernacula militum in procinctu, in expeditione, vnde contubernales dicuntur milites, quasi tabernacula eadem habentes & habitantes. TVI ORDINIS, *Senatoriæ & Præfectoriæ dignitatis.* DECIMANDA. *Liuius lib.* 2. Cætera multitudo, sorte decimus quisque ad supplicium lectus. CONCVSSIONIBVS, *milites enim, & priuati cuiusque inimici, agnitâ eâ in Christianos sæuitiâ, omni in eos violentia insurgent, & priuatas, vltra Deorum causam, vlciscentur iniurias. De auiditate subeundi vltro Martyrij post exem-* S. Aug. *plum Christi sic August. in Psal.* 140. singularis ego sum donec transeam. Quid est donec transeam? Euangelista dicit: cùm autẽ venisset hora, vt IESVS transiret de hoc mundo ad Patrem, &c. Cùm transiero, multiplicabor. Multi me imitabuntur, multi patientur pro nomine meo, &c secundum Græcam locutionem Pascha videtur passionem significare, πάσχειν enim pati dicitur: secundùm Hebræam autem, Pascha transitus interpretatur, &c. attende ipsius verba in Euangelio Io. 12. nisi granum frumenti cadens &c. Vbi etiam dixit; Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum, &c. Ergo illi grano multa seges debebatur: sed expecta, mortificetur adhuc, quia granum nisi in terram ceciderit, &c. Ergo solus erat antequam esset mortificatus. *Idem in Psal.* 59. & Ephraim fortitudo capitis mei; S. Aug. Ephraim fructificatio interpretatur. Mea, inquit, fructificatio, & hæc fructificatio, fortitudo est capitis mei. Caput enim meum Christus est. Et vnde fructificatio fortitudinis eius? quia nisi granum caderet in terram, non multiplicaretur, solum remaneret. Cecidit ergo in terram Christus in passione, & secuta est fructificatio in resurrectione, &c. Pendebat, & contemnebatur, granum erat intus, habebat vires trahendi post se omnia, &c. in Christi cruce abscondita erat virtus, apparebat infirmitas, ô magnum granum! Certè infirmus est pendens,

certè ante illum caput plebs illa agitauit, certè dixerunt, si filius Dei est descendat de Cruce. Audi fortitudinem eius 1. Cor. 1. quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Meritò tanta fructificatio consecuta est: hæc mea est, dicit Ecclesia. Iuda Rex meus. Quis Iuda? qui de tribu Iuda, &c. Quid ergo timeam, quando Rex meus dicit, nolite timere eos qui occidunt corpus? Moab olla spei meæ. *Per Moab intelligit Gentiles, natos de filiabus Loth persecu-* A *tores fidelium. Et ait:* Quare olla? quia tribulatio. Quare spei meæ? quia præcedit Iuda Rex meus. Quia enim præcessit te debes sequi, quid times? quà præcessit? per tribulationes, per angustias, per opprobria. Septa erat via, sed antequam transiret; posteaquam transiit, sequere: jam patet via illius, sequere tu. Singularis ego sum, inquit, sed quousque transeam. Singulare granum, sed quoadusque transeat: cum transierit sequitur fructificatio.

16. *Martyria Apostolorum, ab ipsis prophanis relata credere, multò magis imitari debemus saluo capite fidei, serpentinâ prudentiâ. Scorp. cap. 15. ad circa f.*

NVm ergo & Apostolorum litteræ mobiles? & nos vsquequaque simplices animæ, & solummodo columbæ, libenter errantes? credo viuendi cupiditate. Ita vero sit, vt recedant à litteris suis sensus. Quæ tamen passos Apostolos scimus, manifesta doctrina est; hanc intelligo solam Acta decurrens; nihil quæro; carceres illic, & vincula, & flagella, & saxa, & gladij, & impetus Iudæorum, & cœtus Nationum, & Tribunorum elogia, & Regum auditoria & Proconsulum tribunalia, & Cæsaris nomen, interpretem non habent.
Act. 4. 1. Quod Petrus cæditur, quod Stephanus opprimitur, quod Iacobus immolatur, quod Pau-
& 2. & 5. lus distrahitur, ipsorum sanguine scripta sunt. Et si fidem Commentarij voluerit hæreti-
18. 40. cus, instrumenta Imperij loquentur, vt lapides Ierusalem. Vitas Cæsarum legimus; orien-
Act. 7. 58. tem fidem Romæ, primus Nero cruentauit. Tunc Petrus ab altero cingitur, quum cruci
Act. 12. 2. adstringitur. Tunc Paulus ciuitatis Romanæ consequitur natiuitatem, quum illic marty-
Act. 14. 18. rij renascitur generositate. Hæc vbicumque jam legero, pati disco; nec mea interest quos
Io. 21. 18. sequar martyrij magistros; sensusne an exitus Apostolorum; nisi quod & sensus in exitibus
Act. 15. recognosco. Nihil enim passi fuissent, quod non prius patiendum esse sensissent. Quum
20. 11. vincula Paulo Agabus gestu quoque prophetasset, discipuli flentes & orantes ne se Hie-
Act. 21. 11. rosolyma committeret, frustrà orauerunt. Ille enim quod semper docuerat, animatus;
a Act. 21. 13. [a] *Quid fletis, inquit, & contristatis cor meum? At ego non modo vincula Hierosolymis pati optauerim, verùmetiam mori pro nomine Domini mei Iesu Christi. Atque ita cesserunt, dicendo,* [b] *Fiat*
b Ibid. 14. *voluntas Domini* fidentes scilicet, passiones ad voluntatem Dei pertinere. Non enim dehortationis consilio, sed dilectionis retinere tentauerant, vt Apostolum desiderantes, non vt martyrium dissuadentes.

MARTYRIVM. 16. SCHOL.

MObiles. *Mutabiles, & incerta fidei quibus nos ad Martyrium hortantur vel in contentionem reuocabiles. Non video quem sensum habeant alij qui legunt:* Literæ nobiles. SIMPLICES, *absque prudentia* SOLVMMODO, *nec simul serpentes prudentiâ seruandi capitis, & exuenda in Martyrio pellis, pro immutatione superuestiendæ immortalitatis.* LIBENTER, *sponte, vel facilè à propriis foraminibus petræ & cauerna materiæ, abductæ & seductæ; sicut illa Prophetæ,* Ephraim columba seducta, non habens cor. *An non potius Ecclesia, cuius membra sumus, dormiens inter medias ollas & fortes securas, cuius pennæ deargentatæ propter eloquia Apostolorum & Prophetarum; casta, sicut argentum igne examinatum, cuius posteriora, id est finis, etiam in abundante iniquitate olla succensa, in Aquilone persecutionis vltimæ, non refrigescit; sed magis exardet charitate; in pallore auri, non timore quidem fugaci expressa, sed in* B *de Nerone*) quos vulgus Christianos appellabat. *Et Sueton. c. 16.* afflicti suppliciis Christiani. VT LAPIDES, *eorum sanguine purpurati. Vel quia vt Historici Iudæorum referunt, ob Sancti Iacobi necem euersa Ierusalem, nullo super lapidem relicto lapide, vel quia Propheta Habacuc.* 2. 11. Concidisti populos multos, & peccauit anima tua. Quia lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter juncturas ædificiorũ est, respondebit. AB ALTERO CINGITVR. *Io.* 21. 18. Cum senueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet te quò tu non vis. *in quem locum Aug. tract.* S. Aug. 123. Extendes, inquit, manus tuas, hoc est crucifigeris. Ad hoc autem vt venias, alius te cinget, & ducet non quò vis, sed quò non vis, &c. Nam Crucifixus, non, quò nolebat, abiit: sed potius, quò volebat: solutus quippe a corpore, volebat esse cum C *nitore per ignem probato figurata* CREDO, *ironicè. Cum vitam sponte pro Christo offerrent.* SIT, *esto, fit ita. Epistolæ Apostolorum alio sensu intelligantur, quam scriptæ sunt ab ipsis.* SOLAM, *&c. Licet nullas Epistolas haberent hortatorias ad Martyrium, solus Actorum liber, ad id sufficeret.* NIHIL QVÆRO. *Amplius. Vel absque inuestigatione, ad aperturam libri Actuum Apostolorum, per singulas paginas occurrunt mihi eorum Martyria.* NATIONVM. *Gentilium.* ELOGIA, *sententiæ diffamatoriæ.* CÆSARIS NOMEN: *Cum dixit Paulus* Cæsarem appello. INTERPRETEM. *Non opus habent expositore, littera per se plana est.* HÆRETICVS. *Gnosticus reprobans fidem commentarij, id est veritatem huius libri Actuum.* INSTRVMENTA IMPERII, *Annales Romani. Sic enim Tacitus libro.* 15. quæsitissimis pœnis affecit (*loquitur* Christo; sed si fieri posset, præter mortis molestiam, vitam concupiscebat æternam: ad quam molestiam, nolens ductus est, sed ab ea volens eductus est: nolens ad eam venit, sed volens eam vicit, & reliquit hunc infirmitatis affectum, quò nemo vult mori, vsque adeo naturalem, vt eum Beato Petro nec senectus auferre potuerit, cui dictum est: cum senueris, duceris quo non vis, propter nos consolandos: hunc etiam in se figurauit ipse Saluator, dicens; Pater si fieri potest transeat à me calix iste, &c. Sed molestia quantacumque sit mortis, debet eam vincere vis amoris, quo amatur ille, qui cùm sit vita nostra, etiam mortem voluit perferre pro nobis: nam si nulla esset mortis, vel parua molestia, non esset tam magna Martyrum gloria, &c. ac per hoc, præcedente passionis eius exemplo, quis non videat

magis debere imitando, pastori hærere Pastores, si A
eum multæ etiam imitatæ sunt oues, sub quo Pastore vno, in grege vno, & Pastores ipsi sunt oues. Omnes quippe fecit suas oues, pro quibus est omnibus passus, quia & ipse vt pro omnibus pateretur, ouis est factus. CIVITATIS ROMANÆ. *Iam per Martyrij gloriam purpuratus Senator Romanus fit, qui Act. 22. 25. Centurioni dixerat*; si hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare? *& Tribuno ibidem 28.* Ego multâ summâ ciuilitatem hanc consecutus sum. & Paulus ait: ego autem & natus sum. SENSVSNE, *doctrinam.* EXITVS, *finem vitæ in Martyrio expositæ.* AGABVS GESTV. *Act. 21. 11.* Superuenit quidam à Iudæa Propheta nomine Agabus. Is cum venisset ad nos, tulit Zonam Pauli: & alligans sibi pedes & manus, dixit: hæc dicit Spiritus Sanctus: virum, cuius est Zona hæc, sic alligabunt in Ierusalem Iudæi, & tradent eum in manus Gentium. IEROSOLYMA COMMITTERET. *ne vltro se Ierosolymis, conflictus daret.* QVID FLETIS. *Act. 21. 13.* Quid facitis flentes & affligentes cor meum? ego enim non solum alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu. Et cum ei suadere non possemus, quieuimus, dicentes: Domini voluntas fiat. FIDENTES, *firmiter credentes, Deum velle suos Martyrium pati.*

MASCVLVS.

Masculus tempore femellam præcedit de Ani. cap. 36. circa f.

CErtè & hîc se primordiorum forma testatur, cùm masculus temporiùs effingitur. Gen.1.27.
prior enim Adam: femina aliquanto serius, posterior enim Eua.

MASCVLVS. SCHOL.

ET HIC *exponit statim*, cum masculus, &c. FORMA, *à Deo seruata in productione maris & feminæ, etiamnunc obseruatur. Mare quadraginta diebus, fœmina octoginta perfecta.* TEMPORIVS *maturius, citius. Hinc nata lex purificationis de qua Aug. to. 4. q. 40. in Leuit. 12. vbi producto masculo iubetur mulier post 7. dies immunda manere, & 33. sedere in sanguine suo mundo, Græci immundo, sanctuarium non ingredi, & omne Sanctum non contingere.* Hos dies immunditiæ eius si fœminam pareret, lex duplicabat, & 14. fiebant; reliquos autem, quibus sedebat in sanguine mundo suo, etiam ipsos duplices iussit seruari, id est 66. vt omnes essent in partu masculi 40. & fœminæ octoginta, &c. *Vbi subiicit oblationem agni, vel pulli columbini, aut turturis (alij & turturis) pro peccato, non ad parientem referri, sed ad partum: & concludit ex Euangelio Luc. 2.* Cum tale aliquid nato ex Virgine Domino facerent, magis propter consuetudinem legis, quàm propter necessitatem alicuius in eo expiandi, purgandique peccati, sic legitur, & cum inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundùm consuetudinem legis pro eo: non dictum est, pro matre eius, sed pro eo, &c. Sic enim baptizari ipse etiam dignatus est baptismo Ioannis, qui erat baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum, quamuis nullum haberet ille peccatum.

S. Aug.

S. Aug.

MATERIA.

1. Materia Deo coæterna secundùm apparentes Hermogenis rationes. cont. Hermog. cap. 1. in f. & 2. per totum, & 3. in p.

TOtum, quod est Deus, aufert; nolens illum ex nihilo vniuersa fecisse. A Christianis enim conuersus ad Philosophos, de Ecclesia in Academiam & Porticum, inde sumpsit à Stoïcis Materiam cum Domino ponere, quæ ipsa semper fuerit neque nata, neque facta, nec initium habens omnino nec finem, ex qua Dominus omnia postea fecerit. Hanc Cap. II.
primam vmbram planè sine luce pessimus pictor illis argumentationibus colorauit, præstruens, aut Dominum de semetipso fecisse cuncta, aut de nihilo aut de aliquo: vt cum ostenderit neque ex semetipso fecisse potuisse, neque ex nihilo, quod superest exinde confirmet, ex aliquo eum fecisse, atque ita aliquid illud, Materiam fuisse. Negat illum ex semetipso facere potuisse: quia partes ipsius fuissent, quæcunque ex semetipso fecisset Dominus. Porro in partes non deuenire, vt indiuisibilem & indemutabilem, & eundem semper quâ Dominus. Ceterùm, si de semetipso fecisset aliquid, ipsius fuisset aliquid Omne autem, & quod fieret, & quod faceret, imperfectum habendum; quia ex parte fieret, & ex parte faceret: aut si totus totum fecisset, oportuisset illum simul & totum esse, & non totum; quia oporteret & totum esse, vt faceret semetipsum; & totum non esse, vt fieret de semetipso. Porro difficillimum. Si enim esset, non fieret, esset enim. si verò non esset, non faceret, quia nihil esset. eum autem qui semper sit, non fieri, sed esse illum in æuum æuorum. Igitur non de semetipso fecisse illum, qui non eius fuerit conditionis, vt de semetipso facere potuisset. Proinde ex nihilo, non potuisse eum facere, sic contendit, Bonum & optimum definiens Dominum, qui bona atque optima tam velit facere quàm sit; immo nihil non bonum atque optimum & velle eum & facere. Igitur omnia ab eo bona & optima oportuisse fieri secundùm conditionem ipsius. Inueniri autem & mala ab eo facta, vtique non ex arbitrio, nec ex voluntate: quia si ex arbitrio & voluntate, nihil incongruens & indignum sibi faceret. Quod ergo non arbitrio suo fecerit, intelligi oportere ex vitio alicuius Cap. III.
rei factum, ex materia esse sine dubio. Adiicit & aliud: Deum semper Deum etiam Dominum fuisse, nunquam non Deum. Nullo porro modo potuisse illum semper Dominum haberi, sicut & semper Deum, si non fuisset aliquid retro semper, cuius semper Dominus haberetur: fuisse itaque Materiam semper Deo Domino.

MATERIA. 1. SCHOL.

TOTVM. *Hermogenes omnem Deo, æternitatis & potestatis gloriam eripit; potestatis, dum negat eum ex nihilo cuncta fecisse: æternitatis, dum ei materiam coæuam facit.* A CHRISTIANIS, *cum quibus prius fidelis senserat Deum omnipotentem, ex nihilo omnia condidisse, transiit ad sententiam Philosophorum dicentium, ex nihilo nihil fieri.* IN ACADEMIAM. *Academia locus nemorosus ab Athenis distans mille passus, vbi & Plato docuit, cuius discipuli Academici.* ET PORTICVM *in quo deambulantes disputabant.* SVMPSIT PONERE, *hanc thesim sumpsit à Stoicis.* CVM DOMINO, *materiam æqualem Deo, & quasi vniuersi Dominam, quæ ex æquo Deo respondecit mundum formanti. Aug. lib. 20. cont. Faustum c. 14.* Hylen Græci, cum de natura disserunt, S. Aug. A materiem quandam rerum definiunt, nullo prorsus modo formatam sed omnium corporalium formarum capacem, &c. Verum in hoc errant quidam Gentilium, quod eam tanquam coæternam Deo conjungunt: vt hæc ab illo non sit, quamuis ab illo formetur. VMBRAM, *pungit pictorem imperitum.* SINE LVCE, *non tantum fidei, sed & rationis.* PRÆSTRVENS, *dicens.* QVA DOMINVS, *Dominans & superior omnibus à quibus mutari non potest. Vnde ex Aug.* Omnia mouet immotus. S. Aug. IPSIVS FVISSET, *pars aliqua Dei.* DIFFICILLIMVM, *illud concipere.* OMNE AVTEM, *illud.* NON FACERET, *agere enim, supponit esse.* CONDITIONEM, *naturam eius optimam.* IN ÆVVM, *in sæcula sæculorum.* QVAM SIT, *ipse bonus & optimus.*

2. *De Materia æterna si Deus creasset mundum, mundus duraret in æternum. cont. Hermog. cap. 34. à m.*

REuertor ad causam, definientem omnia ex nihilo edita, in nihilum peruentura. Ex æterno enim, id est ex materia, nihil Deus interibile fecisset, nec ex majoribus minora condidisset, cui magis congruat, ex minoribus majora producere, id est ex interibili æternum.

MATERIA. 2. SCHOL.

AD CAVSAM, *principale scilicet subiectum, de quo nobis sermo est contra Hermogenem.* IN NIHILVM. *Licet strictè sumat in priori parte sententiæ nomen nihili, quia verè omnia ex nihilo creata sunt, latè & impropriè intelligendus est in secunda, in qua sumit pro rerum omnium interitu & corruptione.* EX ÆTERNO, &c. *Nam ex aduerso, supposito Hermogenis errore, si materia æterna esset, ex qua facta vult omnia,* NIHIL INTERIBILE, *corruptibile Deus ex ea fecisset.* CVI, *vt potenti magis conueniens est, ex corruptibilibus æterna, quam ex æternis corruptibilia facere. Cæterùm non in totum destruetur* B *mundus ad nihilum redactus, sed mutabitur. Aug. lib. 20. de Ciuit. c. 14. ex Apoc. 20.* Eum se vidisse dixit in throno sedentem, cuius à facie fugit cœlum & terra, & locus eorum non est inuentus. Peracto quippe judicio, tunc esse desinet hoc cœlum, & hæc terra, quando incipiet esse cœlum nouum & terra noua. Mutatione namque rerum, non omnimodo interitu transibit hic mundus. Vnde & Apostolus ait. 1. Cor. 7. Præterit enim figura huius mundi, volo vos sine solicitudine esse, figura ergo præterit, non natura. S. Aug.

3. *Materia si æterna esset, æqualis esset Deo, nec ei subiecta esset, cui soli competit æternitas. cont. Hermog. cap. 4. 5. 6. & 7. per tota.*

HInc incipiam de Materia retractare, quod eam Deus sibi comparet proinde non natam, proinde non factam, proinde æternam: sine initio, sine fine propositam. Quis enim alius Dei census, quàm æternitas? quis alius æternitatis status, quàm semper fuisse & futurum esse, ex prærogatiua nullius initij & nullius finis? Hoc si Dei est proprium, solius Dei erit, cuius est proprium: quia etsi alij adscribatur, jam non erit Dei proprium, sed commune cum eo cui & adscribitur. [a] *Nam, etsi sunt qui dicuntur dei siue in cœlo, siue in terra, nomine; ceterùm, vnus Deus pater, ex quo omnia*: quo magis apud nos solius Dei esse debeat, quod Dei proprium est: &, vt dixi, jam non proprium esset, quia alterius esset. Quod si Deus est, vnicum sit necesse est, vt vnius sit. Aut quid erit vnicum & singulare, nisi cui nihil adæquabitur? quid principale, nisi quod super omnia? nisi quod ante omnia, & ex quo omnia? Hæc Deus solus habendo est, & solus habendo, vnus est. Si & alius habuerit: tot jam erunt Dei, quot habuerint quæ Dei sunt. Ita Hermogenes duos deos infert. Materiam parem Deo infert. Deum autem vnum esse oportet: quia quod summum sit, Deus est: summum autem non erit, nisi quod vnicum fuerit: vnicum autem esse non poterit, cui aliquid adæquabitur. adæquabitur autem Deo Materia, cùm æterna censetur. Sed Deus, Deus est: Materia, Materia est. Quasi diuersitas nominum comparationi resistat, si status idem vindicetur. Sit & natura diuersa, sit & forma non eadem, dummodo ipsius status vna sit ratio. Innatus Deus, an non & innata Materia? Semper Deus, an non semper & Materia? Ambo sine initio, ambo sine fine, ambo etiam auctores vniuersitatis. tam qui fecit, quàm de qua fecit. Neque enim potest non & Materia auctrix omnium deputari, de qua vniuersitas consistit. Quomodo respondebit? Non statim Materiam comparari Deo, si quid Dei habeat, quia, non totum habendo, non concurrat in plenitudinem comparationis? Quid Deo reliquit amplius, vt non totum Dei, Materiæ dedisse videatur? Vel quâ, inquit, & sic habente Materia, salua sit Deo & auctoritas & substantia, quâ solus & primus auctor est, & Dominus omnium censeatur. Veritas autem sic vnum Deum exigit defendendo, vt solius sit quicquid ipsius est. Ita enim ipsius erit, si fuerit solius: & ex hoc alius

a 1. Cor. 8. 5.

CAP. V.

Deus non possit admitti, dum nemini licet habere de Deo aliquid. Ergo, inquis, nec nos habemus Dei aliquid. Immò habemus, & habebimus, sed ab ipso, non à nobis. Nam & Dei erimus, si meruerimus illi esse de quibus prædicauit, [b] *Ego dixi, vos Dei estis*; &, [c] *Stetit Deus in ecclesia deorum*: sed ex gratia ipsius, non ex nostra proprietate: quia ipse est solus qui deos faciat. Materiæ autem proprium facit quod cum Deo habet: aut si à Deo accepit, quod est Dei, ordinem dico æternitatis, potest credi & habere illam cum Deo aliquid, & Deum illam non esse. Quale est autem, cum confitetur ille aliquid cum Deo habere, & vult solius Dei esse, quod Materiam non negat habere? Dicit saluum Deo esse, vt & solus sit, & primus, & omnium auctor, & omnium Dominus, & nemini comparandus, quæ mox Materiæ quoque adscribit. [d] *Ego quidem Deus*, contestabitur Deus, & jurauit nonnunquam per semetipsum, quòd alius non sit qualis ipse: sed mendacem eum faciet Hermogenes. erit enim & Materia qualis Deus, infecta, innata, initium non habens, nec finem. Dicet Deus: [e] *Ego primus*. & quomodo primus, cui Materia coætanea est? Inter coætaneos autem & contemporales ordo non est, aut & Materia prima est. [f] *Extendi*, inquit, *cælum solus*: atquin non solus, cum ea enim extendit, de qua & extendit. Cum proponit: saluo Dei statu, fuisse Materiam; vide ne ei reddatur à nobis, proinde saluo statu Materiæ fuisse Deum, communi tamen statu amborum. Saluum ergo erit & Materiæ, vt & ipsa fuerit, sed cum Deo: quia & Deus solus: sed cum illa. Et ipsa prima cum Deo, quia & Deus primus cum illa: sed & illa incomparabilis cum Deo, quia & Deus incomparabilis cum illa, & auctrix cum Deo, & domina cum Deo. Sic aliquid, & non totum Materiæ habere. ita illi nihil reliquit Hermogenes, quod non & Materiæ contulisset: vt non Materia Deo, sed Deus potius Materiæ compararetur. Atque adeo, cùm ea quæ propria Dei vindicamus, semper fuisse, sine initio, sine fine, & primum fuisse, & solum, & omnium auctorem, Materiæ quoque competant; quæro quid diuersum & alienum à Deo, ac per hoc priuatim Materia possederit, per quod Deo non compararetur? In qua omnia Dei propria recensentur, satis præjudicant de reliqua comparatione. Si minorem & inferiorem Materiam Deo, & idcirco diuersam ab eo, & idcirco incomparabilem illi contendit, vt majori, vt superiori: præscribo non capere vllam diminutionem & humiliationem, quòd sit æternum & innatum: quia hoc & Deum faciat tantum, quantus est, nullo minorem, neque subjectiorem, immò omnibus majorem & sublimiorem. Sicut enim cetera quæ nascuntur, aut finiunt, & idcirco æterna non sunt, semel opposita fini, quæ & initio; admittunt ea quæ Deus non capit, diminutionem dico interim & subjectionem, quia nata & facta sunt: ita & Deus ideo ea non capit, quia nec natus omnino, nec factus est. Materiæ autem status talis est. Igitur & duobus æternis, vt innatis, vt infectis, Deo atque Materia, ob eandem rationem communis status, ex æquo habentibus id, quod neque diminui, nec subjici admittit, id est, æternitatem: neutrum dicimus altero esse minorem, siue majorem: neutrum altero humiliorem, siue superiorem; sed stare ambo ex pari magna, ex pari sublimia, ex pari solidæ & perfectæ felicitatis, quæ censetur æternitas. Neque enim proximi erimus opinionibus Nationum; quæ si quando coguntur Deum confiteri, tamen & alios infra illum volunt. Diuinitas autem gradum non habet, vtpote vnica; quæ si & in Materia erit, vt proinde innata, & infecta, & æterna, aderit vtrobique: quia minor se nusquam poterit esse. Quomodo ergo discernere audebit Hermogenes? atque ita subjicere Deo Materiam, æternam æterno, innatam innato, auctricem auctori? dicere audentem, Et ego prima, & ego ante omnia, & ego à quo omnia: par fuimus, simul fuimus, ambo sine initio, sine fine: ambo sine auctore, sine Deo. Quis me Deus subjicit contemporali, coætaneo? Si quia Deus dicitur, Habeo & ego meum nomen. Aut ego sum Deus, aut ille Materia: quia ambo sumus quod alter est nostrum.

[b] Psal. 81. 6.
[c] Ibid. 1.
CAP. VI.
[d] Esa. 45. 5. & 23.
[e] Esa. 41. 4. & 44. 6.
[f] Esa. 44. 24.
CAP. VII.

MATERIA. 3. SCHOL.

RETRACTARE, *frequens vsus compositi huius, pro tractare, vel respondere rationibus Hermogenis.* COMPARET, *vt sibi necessariam, æqualem, eisdem attributis fruentem.* CENSVS, *origo, existentia.* NAM ETSI, *1. Cor. 8. 5.* Nam etsi sunt qui dicuntur dij siue in cœlo, siue in terra. *Siquidem sunt dij multi, & Domini multi* nobis tamen, vnus Deus Pater, ex quo omnia. NOMINE, *tenus, non re tales sunt. Aug. in Psal. 94.* S. Aug. *cum eundem locum Pauli retulisset*: Sunt, inquit, sed non sunt nobis, &c. si ergo non nobis, quibus? audi ex alio Psalmo 95. quoniam dij Gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit, &c. quid magnum esset, super omnia dæmonia? quia dij Gentium dæmonia. Vbi est autem Deus tuus? Dominus autem cœlos fecit. Illud fecit Dominus tuus, vbi non possunt habitare dæmonia: De cœlis enim dejecta sunt A dæmonia, cœli præponuntur dæmoniis; Dominus tuus & cœlis, quia Dominus tuus & cœlos fecit. Quantò ergo altior à dæmoniis diis gentium, qui altior est cœlis, vnde ceciderunt Angeli, vt fierent dæmonia? APVD NOS, *qui non modo Philosophicè de* proprio, *sed & Christianè, de attributo soli Deo conueniente sentimus*, ALTERIVS, *alteri etiam commune esset.* VNICVM, *proprium.* HÆC, *propria habendo.* SVMMVM SIT. *Est.* SED DEVS, *ait Hermogenes.* COMPARATIONI, *quasi verò diuersa appellatio Dei & materiæ, obstet quo minus materia habens propria Dei, Deo comparari possit.* AVCTRIX, *Principium.* DEPVTARI, *reputari.* NON STATIM, *non ideo, eo ipso materiam æquari Deo.* CONCVRRAT, *non Deo ex æquo respondeat* QVA, *in quantum, ait Hermogenes.* ET SIC HABENTE, *sic se habente, vel, aliqua Dei propria habente cum eo*

communia, materiâ. SALVA SIT, *propriè & priuatim Deo reseruata.* VERITAS AVTEM, *iam respondet Tertull. veram fidem, quæ vnicum Deum tuetur. Omnia in eo attributa propria, & nulli alteri conuenientia agnoscere.* EGO DIXI. *Psal.* 81. 6. Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes. STETIT DEVS. *Psal.* 81. 1. Deus stetit in Synagoga Deorum. *Aug. ibid.* Quos Deos? absit vt intelligamus Deos Gentium, siue idola, siue aliquam, præter homines, cœlestem, terrestremque creaturam, cum paulò post hunc versum, idem iste Psalmus asserat, &c. vbi ait, ego dixi dij estis. *Sed pulchrius in Psal.* 94. Habemus scripturæ testimonium; Deus stetit in Synagoga Deorum, &c. Deos dixit participatione, non naturâ, sed gratiâ. *Qui dixit loco præcedenti, dijudicare; siue juxta Paulum discernere vasa iræ à vasis misericordiæ, siue Deos ratione imaginis naturalis, peccato deprauatos, à justificatis* qua voluit facere Deos. Quantus Deus est qui facit Deos? aut quales dij sunt quos facit homo? quam ille magnus Deos faciendo, tam isti nihil, qui ab homine facti sunt. Deus verus facit Deos credentes in se, quibus dedit potestatem filios Dei fieri. Et ideo ipse verus Deus, quia Deus non factus est, nos autem facti, non veri Dij, meliores tamen illis quos homo facit. Quoniam simulacra gentium, &c. os habent, &c. nobis autem Deus noster oculos videntes fecit, neque in eo tamen nos Deos fecit, qui videntes oculos nobis fecit, nam fecit & hoc pecoribus; sed ideo nos Deos fecit, quia interiores oculos nostros illuminauit. ET MATERIA PRIMA EST, *sicut Deus primus.* CVM DEO, *commune habet.* ET REDDATVR, *idem respondeatur.* MATERIÆ HABERE, *Deum scilicet.* PRÆSCRIBO, *doctè & propriè pro materia certat, jure præscriptionis, de æqualitate cum Deo, si non jam immemorabili tempore, sed æternitate, Deo coæua est.* SEMEL, *quia simul est; & semel; quod æternum est.* OPPOSITA FINI, *scilicet ea quæ æterna sunt, fine carent, vt & initio.* ADMITTVNT EA. *Referenda sunt hæc ad prius membrum, & ad* cætera quæ nascuntur, aut finiunt. NON CAPIT, *quorum Deus ob summam perfectionem non est capax.* NATIONVM. *Gentilium.* ALIOS. *Deos.* ILLVM, *suum quem colunt.* GRADVM, *vt alter sit altero superior vel inferior.* QVÆ SI, &c. *Diuinitas scilicet* VTROBIQVE, *& Deo, & Materia inerit diuinitas.* MINOR SE, *seipsa inferior diuinitas esse non poterit, siue in Deo sit, siue in materia.* DISCERNERE AVDEBIT. *Non verebitur Hermogenes iram sibi materia prouocare, quam audet discernere à Deo, & eam vt inferiorem ipsi subiicere, quæ Deo æqualis est in propriis diuinitatis attributis.* ET EGO PRIMA. *Potest materia eadem sibi tribuere, quæ Deus sibi vindicat in Scriptura.* QVIS ME DEVS. *Tertius scilicet præter me & Deum superior, vt me æqualem subjiciat ipsi?* SI QVIA DEVS. *Si ideo Hermogenes me Deo subiicit, quia ille vocatur Deus, & ego materia. & ille materia dici potest; & ego vocari possum Deus; quia ambo infecti, innati, æterni sumus.*

S. Aug.

4. *Materiam æternam qui credit, eam præponit Deo, qua ipse indigeat. cont. Hermog. cap. 8. per totum.*

PVtas itaque Materiam Deo non comparasse, quam scilicet subjiciat illi? Atquin etiam præponit illam Deo, & Deum potius subjicit Materiæ, cum vult eum de Materia cuncta fecisse. Si enim ex illa vsus est ad opera mundi, jam & Materia superior inuenitur, quæ illi copiam operandi subministrauit, & Deus subjectus Materiæ videtur, cuius substantiæ eguit. Nemo enim non eget eo de cuius vtitur: nemo non subiicitur ei cuius eget, vt possit vti: sic & nemo de alieno vtendo, non minor est eo de cuius vtitur. Et nemo qui præstat de suo vti, non in hoc superior est eo cui præstat vti. Itaque Materia ipsa quidem Deo non eguit, sed egenti se Deo præstitit, diuitem & locupletem & liberalem, minori, opinor, & inualido & minus idoneo de nihilo facere quæ velit. Grande reuera beneficium Deo contulit, vt haberet hodie per quem Deus cognosceretur, & omnipotens vocaretur: nisi quod jam non omnipotens, si non & hoc potens, ex nihilo omnia proferre. Sanè & sibi præstitit aliquid Materia, vt & ipsa cum Deo possit agnosci coæqualis Deo, immò & adiutrix: nisi quod solus eam Hermogenes cognouit, & hæreticorum patriarchæ Philosophi. Prophetis enim & Apostolis vsque adhuc latuit, puto & Christo.

MATERIA. 4. SCHOL.

NON COMPARASSE, *credis Hermogenem, non adæquasse materiam Deo, quia eam ipsi subjicit.* ATQVIN, *quinimo.* EX ILLA, *illa.* SVBSTANTIÆ EGVIT, *substantia.* DE CVIVS, *cuius, vel, qua vtitur. Græcismus frequens Tertulliano.* SVPERIOR, *juxta sensum Pauli de Verbo tradito Christi, Act.* 20. 35. Omnia ostendi vobis; quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse Verbi Domini Iesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare quàm accipere. HODIE *ex quo mundus & tempus esse cœpit.* DEVS COGNOSCERETVR, *vt causa ab effectibus. Aug. Ser.* 55. *de Verb. Domini ex Rom.* 1. Inuisibilia eius per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Interroga, inquit, mundum, ornatum cœli, fulgorem dispositionemque syderum, Solem diei sufficientem, Lunam noctis solatium: interroga terram fructificantem herbis & lignis, animalibus plenam, hominibus exornatam: interroga Mare quantis & qualibus natatilibus plenum: interroga aera quantis volatilibus viget: interroga omnia, & vide si non sensu suo tanquam tibi respondent, Deus nos fecit. Hæc & Philosophi nobiles quæsierunt, & ex arte artificem cognouerunt. *Hic autem Tertull. ironicè agit de Materia Hermogenis infecta, sine qua Deus ab effectis cognosci non poterat* PATRIARCHÆ. *Vide Tertull. lib. de Præscr. cap. 7. vbi probat Philosophos Patriarchas hæreticorum, quod hi ab illis didicerint rebus sensibilibus hærere, & non per fidem supra sensus erigi. Laertius porro in vita Platonis notat eum duo rerum principia posuisse, Materiam vnum, & Deum, alterum. A quo id mutuatus est Hermogenes.*

S. Aug.

5. *De Materia licet Deus mundum fecisset, ipsam tamen fecisse credendus est; nec proinde innata est. Cont. Hermog. cap. 33. per totum.*

SEd dum illam Hermogenes inter colores suos inuenit, (inter scripturas enim Dei inuenire non potuit) satis est quod omnia & facta à Deo constat, & ex materia facta non

constat: quæ etiam si fuisset, ipsam quoque à Deo factam credidissemus: quia nihil innatum præter Deum præscribentes, obtineremus. In hunc vsque articulum locus est retractatui, donec ad scripturas prouocata deficiat exhibitio materiæ. Expedita summa est: nihil inuenio factum, nihil ex nihilo, quia quod factum inuenio, non fuisse cognosco. Io. 1. 3.
Etiam si quid ex aliquo factum est, ex facto habet censum, vt ex terra herba, & fructus, & pecudes, & figuratio hominis ipsius: vt ex aquis natatiles & volatiles animæ. Huiusmodi origines rerum ex his prolatarum, potero materias appellare, sed factas à Deo & ipsas.

MATERIA. 5. SCHOL.

DVM ILLAM *materiam scilicet pictam & fictam.* A *Quasi diceret: licet Hermogenes fingat, Deum eguisse materia ad facienda opera sua;* CONSTAT, *tamen, & certum est ex Scriptura Deum omnia creasse, & proinde ex nihilo, & sine materia fecisse.* IN HVNC, *huc vsque tractare potuimus rationibus Philosophicis, de materia disputantes: sed cum exigo ab heretico, vt mihi probet ex scriptura materiam suam innatam & Deo coæternam, deficit in hac probatione.* EXPEDITA, *uno verbo, summatim dico.* NIHIL INVENIO. *Io. 1. 3.* sine ipso factum est nihil, quod factum est. *Sine, nihil inuenio, inter omnia quæ facta sunt, fuisse aliquid, antequam factum esset.* NIHIL EX NIHILO. *Reperit & inculcat.* B *Nihil ex rebus omnibus de nihilo factis reperio, quod non agnoscam prius non fuisse, antequam fieret. Si enim factum est, certè aliquid factum est cum prius esset nihil.* EX FACTO. *Ex aliquo, quod jam factum erat, & quod ipsum non erat antequam fieret.* HABET CENSVM, *originem suam trahit. Aug. de natura boni cont. Manichæos* S. Aug. *c. 26.* Quia Deus omnia quæ de se non genuit, sed per verbum suum fecit, non de his rebus quæ iam erant, sed de his quæ omnino non erant, hoc est de nihilo fecit. Ita dicit Apostolus; qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Apertius autem in libro Machab. *2. Mach. 7. 28.* scriptum est: oro te, fili, respice ad cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt: Vide, scito, quia non erant, ex quibus nos fecit Dominus Deus. Et illud quod in Psal. 148. scriptum est, ipse dixit & facta sunt; manifestissimum est, quod non de se ista genuerit, sed in Verbo atque imperio fecerit. Quod autem non de se, vtique de nihilo Non enim erat aliquid vnde faceret. *Expressius autem cap. 27. in rem Tertull.* Aliquis homo si gignat filium, & faciat domum; ex ipso filius, ex ipso domus: *tanquam ex causa efficiente* sed filius de ipso, domus de terra & ligno, *vt ex materia componente* sed hoc, quia homo est, qui non potest aliquid de nihilo facere: Deus autem, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, *Rom. 11. 36.* non opus habebat aliqua materia, quam ipse non fecerat, adjuuari omnipotentiam suam. FIGVRATIO. *Propriè, quia finxit eum Deus de luto, primo facto.* EX AQVIS, *pisces & aues.* ANIMÆ. *Sic ipse lib. de Bapt.* Primus liquor, quod viueret, edidit. SED ET, *solitum transpositre. Cla rum; sed & ipsas etiam à Deo factas.* S. Aug.

6. *Materiâ si ex Hermogene malâ Deus vsus est, impotens fuit, aut violentus. cont. Hermog. cap. 9. per totum. & 10. in p.*

NOn potest dicere Deum vt Dominum Materia vsum ad opera mundi, Dominus enim non potuit esse substantiæ coæqualis. Sed precariò forsitan vsus est. Et ideo precariò, non dominio, vt cùm ea mala esset, de mala tamen sustinuerit vti, scilicet ex necessitate mediocritatis suæ, qua non valebat ex nihilo vti; non ex potestate, quam si habuisset omnino vt Deus in Materiam, quam malam norat, antè eam in bonum conuertisset vt dominus & bonus, vt ita de bono, non de malo vteretur. Sed quia bonus quidem, dominus autem non; ideo, qualem habuit, tali vsus, necessitatem suam ostendit cedentem conditioni materiæ: quam, si dominus fuisset, emendasset. Sic enim Hermogeni respondendum est; cùm, ex dominio, defendit Deum materia vsum, & de re non sua, scilicet non facta ab ipso. Iam ergo malum ab ipso, qui est mali, si non auctor, quia non effector, certè permissor, quia dominator. Si verò materia non & ipsius, quâ malum Dei non est: de alieno ergo vsus, aut precariò vsus est, quâ egens eius: aut & iniuriâ, quâ præualens eius. His enim tribus modis aliena sumuntur, jure, beneficio, impetu; id est, dominio, precariò, vi. Dominio non suppetente, eligat Hermogenes, quid Deo congruat, precariò, an vi de materia cuncta fecisse. Non ergo melius censuisset Deus, nihil Cap. 10.
omnino faciendum, quàm precariò aut vi faciendum, & quidem de malo? nonne, etiamsi materia optima fuisset, æquè indecorum sibi existimasset, de alieno, licèt bono? Fatuè satis, si ita gloriæ suæ causâ molitus est mundum, vt debitorem se alienæ substantiæ ostenderet, & quidem non bonæ.

MATERIA. 6. SCHOL.

NON POTEST, *Hermogenes.* DOMINVS NON C POTVIT. *Cùm dixerit Hermogenes materiam Deo æqualem, implicat Deum se habere erga sibi coæqualem, vt Dominum, & eam sibi subjicere vt famulam, qua vtatur.* PRECARIO. *Vox juris frequens in Pandectis. l. 1. §. ex contrario. l. 10. l. 21. l. 36. ff. de acquir. possess. l. 18. ff. com. præd.* Precariò autem habere, vel possidere intel igitur, qui possessionem vel corporis, vel juris adeptus est, hac solummodo causa, quod preces adhibuit, & impetrauit precibus, vt sibi possidere, aut vti liceat; & qui finito tempore, ad quod precarium rogauerat patiente Domino, possedit. l. 1. §. vltimo cum l. seq. l. 4. in fine ff. de precario. *Ironicè hic Tertull.* NON DOMINIO, *quia indignum fuisset à bono Domino, malam factam fuisse materiam.* SVSTINVERIT, *dignatus fuerit vti, patienter sit vsus.* MEDIOCRITATIS, *sic exigente tenuitate potentiæ suæ, quæ nihil sine materia facere posset.* CONDITIONI, *naturæ.* DEFENDIT, *asserit.* ET IPSIVS, *etiam ipsius est jure Creationis.* DE ALIENO. *Alieno. Frequenter abundat huiusmodi propositionibus.* INIVRIA, *iniustè alienum vsurpans.* PRÆVALENS, *vim non suo vsus.* BENEFICIO, *gratuitò*

Non svppetente, *vsum legitimum Dei.* De alieno, *supple mundum facere.* Fatve. *Stultè tu Hermogenes id asseris, vel ille sua gloria zelator egisset.* Debitorem se. *Sic Rom. 11. 35.* Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum. *Pulchrè in rem Tertul. dicentis Deum propter gloriam suam mundum creantem, debitorem esse non decuisse materiæ, quam malam censuit Hermogenes; sic Aug. Ser. 16. de*
S. Aug. *Ver. Apostoli:* In his quæ jam habemus, laudemus Deum largitorem, in his quæ nondum habemus, tenemus debitorem, debitor enim factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed, quod ei placuit, promittendo. Aliter enim dicimus homini, debes mihi, quia dedi tibi: & aliter dicimus, debes mihi, quia promisisti mihi, &c. Deo igitur, quid dicimus? redde mihi, quia dedi tibi? quid dedimus Deo, quando totum quod sumus, & quod habemus boni, ab illo habemus? nihil ergo ei dedimus, non est quemadmodum ista voce exigamus debitorem Deum, maximè dicente nobis Apostolo, quis prior dedit illi &c.? Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, vt dicamus, redde quod promisisti, quia

A fecimus quod jussisti, & hoc tu fecisti, qui laborantes juuisti. Nemo ergo dicat, ideo me vocauit Deus, quia colui Deum. Quomodo coluisses, si vocatus non fuisses? si propterea te vocauit Deus, quia coluisti Deum, ergo prior dedisti, & retribuetur tibi, &c. Sed ecce, quando vocatus es, vel jam eras, quando prædestinareris, non eras; quid Deo dedisti, quando, qui aliquid dares, non eras? quid ergo fecit Deus, quando prædestinauit qui non erant? Quod ait Apostolus Rom. 4. qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Si jam esses, non prædestinareris; nisi auersus esses, non vocareris; nisi
B impius esses, non justificareris; nisi terrenus & abjectus esses, non glorificareris. Quis ergo prior dedit, &c? quoniam ex ipso, &c. Quid ergo reddimus? ipsi gloria, quia non eramus, quando sumus prædestinati; quia auersi eramus, quando sumus vocati; quia peccatores eramus, quando sumus justificati. Agamus Deo gratias, ne remaneamus ingrati. Materia *ergo vt & cætera creata, Deo debitrix est, quando eam cum omnibus creauit ad suam gloriam, non ei in aliquo debitor est.*

7. *Materia mala esse non potest, si æterna est: aut, si malum æternum est, immutabile & insuperabile est. cont. Hermog. cap. 11. per totum. & 12. in p.*

Et tamen vnde nobis persuadet Hermogenes malam esse Materiam? non enim poterit non malum dicere cui malum adscribit. Nam definimus diminutionem & subjectionem capere non posse quod sit æternum, vt alij coæterno inferius deputetur. Ita & nunc nec malum dicimus competere illi, quia nec subjici ex hoc possit, quod nullo modo potest subjici, quia æternum est. Sed cum aliàs summum bonum constet esse, quod sit æternum, vt Deus, per quod solus est Deus, dum æternus est; & ita bonus, dum Deus: quomodo materiæ inerit malum, quàm vt æternam, summum bonum credi necesse est? Aut, si quod æternum est, poterit & mali capax esse, poterit hoc & in Deum credi: & sine causa gestiuit malum à Deo transferre, si competit & æterno, competendo materiæ. Iam verò si quod æternum est, malum potest credi, inuincibile & insuperabile erit malum vt
a 1. Cor. æternum: & ita nos frustra laboramus de [a] *auferendo malo ex nobis ipsis*, tum & Deus hoc
5. 13. frustrà mandat & præcipit: immò & judicium frustrà constituit Deus, iniustitiâ vtique
Matth. puniturus. Quod si tunc erit mali finis, cùm præses eius diabolus abierit in ignem, quem
25. 41. præparauit illi Deus & angelis eius, prius in puteum abyssi relegatus, cùm reuelatio filio-
Apoc. 20. rum Dei redemerit conditionem à malo, vtique vanitati subjectam; cùm restituta inno-
3. Rom. 8. centia & integritate conditionis, pecora condixerint bestiis, & paruuli de serpentibus lu-
19. serint; cùm Pater Filio posuerit inimicos sub pedes: vtique operarios mali. vtique si finis
Esa. 11. 6. malo competit, necesse est competierit initium, eritque materia habens initium, habendo
7. 8. & finem mali. Quæ enim malo deputantur, secundùm mali statum computantur. Age
Psal. 109. nunc malam ac pessimam credamus esse materiam, vtiq. natura; sicut Deum bonum &
2. optimum credimus, proinde natura. porro naturam certam & fixam haberi oportebit tam
1. Cor. 15. in malo perseuerantem apud materiam, quàm in bono apud Deum inconuertibilem &
25. indemutabilem. Scilicet quia si demutabitur natura in materia de malo in bonum, demu-
Cap. xii. tari poterit & in Deo de bono in malum.

MATERIA. 7. SCHOL.

Ex hoc, *in quantum Hermogenes dicit malam esse materiam, nec sic potest Deo subiici. Licet enim malam fateremur, eo ipso quod facis æternam, Deo subiici non potest, vtpote ei æqualis, & coæterna.* In Devm, *de Deo.* Gestivit, *frustra se probare voluit gloria Dei zelatorem, omne malum ab eo eliminans.* A nobis ipsis, *qui materia mala constamus, à principio intrinseco mali sumus.* Avferendo. *Alludit ad 1. Cor. 5. 13.* Eos qui foris sunt, Deus judicabit. Auferte malum ex vobis ipsis. *Syr.* Tollite sceleratum è medio vestri. Inivstitia, *iniustè.* Revelatio filiorvm. *Rom. 8. 19.* Expectatio creaturæ, reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subiecta est non volens, &c. *Aug. to. 4. lib. 83. qq. quæst. 67.* Benè additum est, non spōte; homo quippe sponte peccauit, sed non

C sponte damnatus est. Peccatum itaque fuit spontaneum, contra præceptum facere veritatis: peccati autem pœna, subiici fallaciæ. Non ergo sponte creatura subiecta est vanitati, sed propter eum qui subiecit eam in spe: id est propter eius justitiam atque clementiam, qui neque impunitum reliquit peccatum, neque insanabilem voluit esse peccantem. Quia & ipsa creatura, id est ipse homo, cum jam signaculo imaginis *per gratiam* propter peccatum amisso, remansit tantummodo creatura: & ipsa itaque creatura, id est, & ipsa quæ nondum vocatur filiorum forma perfecta, sed tantùm vocatur creatura, liberabitur à seruitute interitus. *Quod ad finem mundi & resurrectionem differtur, in qua mors vltra non erit. Adverte, quod Aug. lib. 1. retract. cap. 26. Explicat quod hic*

hic dixerat: Quod non ita accipiendum est, quasi totum amiserit homo quod habebat imaginis Dei. Nam, si omnino non amisisset, non esset propter quod diceretur Rom. 12. reformamini in nouitate mentis vestræ. Et 2. Cor. 3. in eandem imaginem transformamur. Sed rursum, si totum amisisset, nihil maneret vnde diceretur Psalmo 38. quanquam in imagine ambulet homo, tamen vanè conturbatur. REDEMERIT CONDITIONEM. *Creaturam omnem, siue mundum conditum.* A MALO, *à seruitute corruptionis, siue à peccatorum jam creaturis abutentium iniusto dominio: cum omnia juxta Paulum electis creata sint, non reprobis, vanitati & superbiæ, & diabolo,* constituto Regi super omnes filios superbiæ, *subiectis.* RESTITVTA INNOCENTIA, *vel strictè intelligis statum fœlicem resurrectionis, ipso statu innocentiæ meliorem, in quo juxta Petrum in actis,* tempore restitutionis omnium, *puritas reddetur elementis, & corporibus humanis fiet restitutio in integrum. Ita vt sicus in prima hominis conditione, animalia inuicem pacifica, & erga hominem innocentia erant, sic nihil impaßibilibus corporibus nocumenti erit à creaturis, non quod velit tamen animalia, (præter solum hominem,) suscitanda. Vel vt Esaias tempus Christi Regis pacifici, primumque eius ad-* A *uentum præsagiens, dixit c.* 11. 6. *& seq.* Habitabit lupus cum agno: & pardus cum hœdo accubabit: vitulus & leo & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus & vrsus pascentur: simul requiescent catuli eorum: & leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis: & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet; Non nocebunt, & non occident in vniuerso monte sancto meo. *Quæ vno verbo expreßit Tertull.* PECORA CONDIXERINT, *domestica feris, in vnum pastum conuenerint. Quod si mysticè impletum est, Gentilibus vt feris, cum Iudæis, in vnum Christi jugum vnitis; quantò magis in resurrectione & fine omnis mali? Quod cum juxta Hermogenem à materia mala procedat, si omne malum, vt supra dixit, cum* B *diabolo eius Principe, in judicio finietur, sic & materia finem accipiet. Ergo cum nihil finem habeat, quod simul non habuerit initium, materia finienda vt mala, habuit quoque initium, & proinde non est Deo coæterna.* MALO DEPVTANTVR. *Quæ inter mala recensentur, vel malo infecta reputantur, in tantum inter ea quæ mala sunt computantur, in quantum* STATVM *id est naturam primi & antiquißimi mali, materiæ scilicet, participant.*

8. *Materia ab æterno, neque bona, neque mala, perperam fingitur ab Hermogene. cont. Hermog. cap. 37. per totum.*

NVnc video te ad aliam rursus rationem reuerti, quæ tibi nihil certi renuntiare consueuit. Nam sicut nec corporalem nec incorporalem infers materiam, ita nec bonam, nec malam adlegas: & proinde superargumentans; si enim, inquis, esset bona quæ semper hoc fuerat, non desideraret compositionem Dei: si esset naturâ mala, non accepisset translationem in melius: nec quicquam compositionis suæ adplicuisset illi Deus tali naturâ: in vacuum enim laborasset. Verba hæc tua sunt: quorum te & alibi meminisse oportuerat, ne quid his contrarium inferres. Sed quoniam de mali & boni ambiguitate super materiam in præteritis aliquid tractauimus, nunc ad præsentem & solam propositionem & argumentationem tuam respondebo. Nec dicam, & hîc te certum aliquid debuisse pronuntiasse: aut bonam, aut malam, aut tertium aliquid: sed ne hîc, quod tibi libuit pronuntiasse, custodisse. Rescindis enim quod pronuntiasti nec bonam nec malam: quia cum dicis, Si esset bona, non desideraret componi à Deo, malam portendis: & cum adponis, Si esset mala naturâ, non admitteret in melius translationem, bonam subostendis: atque ita & boni & mali adfinem constituisti, quam nec bonam nec malam pronunciasti. Vt autem argumentationem, qua putasti te propositionem tuam confirmaturum, retundam, oppono etiam illud, Si bona fuisset materia semper, quare non desiderasset in melius reformari? Quod bonum, non desiderat, aut non optat, aut non capit profectum? vt fiat de bono melius. Æquè, si mala naturâ fuisset, quare non potuerit à Deo conuerti, vt à potentiore, vt ab eo qui lapidum quoque naturam conuertere valeat in filios Abrahæ? Nempe ergo non Matth. 3. tantum comparas Deum materiæ, sed & subjicis, à quo natura materiæ deuinci & edo- 9. mari in melius non potuisset. Sed & quam hîc non vis naturâ malam, alibi te confessum negabis.

MATERIA 8. SCHOL.

TE, *Hermogenes,* ADLEGAS, *allegas, asseris.* Hoc FVERAT *scilicet bona.* COMPOSITIONEM DEI. *Cuius copula bona fieret, cum per se iam esset.* IN MELIVS, *reformari non potuisset malitia eius, vtpote æterna.* NEC QVIDQVAM, *bonitatis.* TALI NATVRA, *cum talis, id est mala ex natura sua esset, & immutabilis in bonum.* AMBIGVITATE, *quia Hermogenes nunc bonam, nunc malam, ambiguus & hæsitans dixerat.* QVOD BONVM, C *supple est.* DE BONO. &c. *Sic Apoc.* Qui justus est justificetur adhuc. *Aug. to. 3. lib. sententiarum sent.* 27. Nemo tam eruditus, nemo tam doctus est, qui superna illustratione non egeat. Non enim vlla ista diuinorum bonorum augmenta sufficiunt, vt non semper supersit, quod mens rationalis & intelligendum desideret, & gerendum. S. Aug.

9. *Et ibidem cap. 43. in m. ad f.*

DE natura materiæ quoties cadas, accipe. Suprà dicis: Si autem esset materia naturâ mala, non accepisset translationem in melius: nec Deus aliquid compositionis accommodasset illi. in vacuum enim laborasset. Finisti igitur duas sententias, nec materiam naturâ malam, nec naturam eius à Deo potuisse conuerti. Horum immemor, postea infers: At vbi accepit compositionem à Deo, & ornata est, cessauit à naturâ. Si in bonum

reformata est, vtique de malo reformata est. Et si per compositionem Dei cessauit à natura mali, natura cessauit ergo, & mala fuit natura ante compositionem, & desinere potuit à natura post reformationem. *Et cap. 35. in m. ad f.* Quæ est ista ratio recta, quæ nihil recti renuntiat, id est nihil certi? nisi fallor enim, omnis res aut corporalis, aut incorporalis sit, necesse est: (vt concedam interim esse aliquid incorporale de substantiis duntaxat, cùm ipsa substantia corpus sit rei cuiusque) certè post corporale & incorporale nihil tertium. Age nunc sit & tertium, quod illa recta ratio Hermogeniana compererit, quæ neque corporalem neque incorporalem materiam facit: vbi est? quale est? quid vocatur? quid describitur? quid intelligitur? Tantùm hoc ratio renuntiauit, nec corporalem materiam, nec incorporalem.

MATERIA. 9. SCHOL.

CADAS, *in errorem incidas. Omnia per se plana sunt & expositione non indigent.* QVÆ EST ISTA RATIO. *Hermogenis* ALIQVID INCORPORALE. *Nempe animam & Angelum, quanquam juxta errorem suum eam substantiam corpoream faciat. Hìc autem substantiam sumit pro corpore, id est existentia solida cuiusque rei. Ridet Hermogenem fingentem materiam, quæ neque corporea, neque incorporea sit. Quod autem substantia materiæ mala non sit, probat Aug. lib. 2. de moribus Manichæorum cap. 8. vbi ridet Manichæos.* Quodam, inquit, dicente nullam substantiam malam esse, vnus de primatibus huius hæresis, quem familiarius creбriusque audiebamus, dicebat, vellem scorpionem in manu hominis ponere, ac videre vtrum non subtraheret manum. Quod si faceret, non verbis, sed re ipsa conuinceretur aliquam substantiam malam esse, quandoquidem illud animal esse substantiam non negaret, &c. Quis meliusculè imbutus & eruditus non videat per inconuenientiam corporalis temperationis hæc lædere, ac rursus per conuenientiam non lædere, imò & sæpè etiam commoda non parua conferre? Nam si illud venenum per seipsum malum esset, eundem Scorpionem magis priusque interimeret. At contra si ei penitus aliquo pacto detrahatur, sine dubitatione interiret. Ergo illius corpori malum est amittere quod nostro recipere. Item illi bonum est habere id, quo nobis bonum est carere. Erit ergo eadem res & bonum & malum? nullo modo: sed malum est quod contra naturam est: hoc enim & bestiæ illi, & nobis malum est, id est ipsa inconuenientia, quæ sine dubio non est substantia, imò est inimica substantiæ. *De substantia autem incorporea animæ, lib. de vera Relig. c. 23.* Cum omnis anima rationalis aut peccatis suis misera sit, aut rectè factis beata, omnis autem irrationalis, aut cedat potentiori, aut pareat meliori, aut comparetur æquali, aut certamen exerceat, aut damnato noceat; & omne corpus suæ animæ seruiat, quantum pro eius meritis, & pro rerum ordine sinitur, nullum malum est naturæ vniuersæ, sed sua cuique culpa fit malum.

(Margin: S. Aug. — S. Aug. — A — B)

10. *Materia Hermogenis frustra informis dicitur, quæ tot induta formis inducitur. Cont. Hermog. cap. 30. in m. ad f.*

VAnissimum denique, vt materia quæ informis inducitur, de tot formarum vocabulis informis adseueretur, non edito quid sit illud corpus confusionis, quod vnicum vtique credendum est, si informe est: vniforme etenim, quod informe est. Informe autem quod ex varietate confusum est, vnam habeat necesse est speciem; quod non habet speciem, dum ex multis vnam habet speciem. Ceterùm, aut habebat in se species istas materia, de quarum vocabulis intelligenda esset; tenebras dico, & abyssum, & spiritum, & aquas, aut non habebat. Si enim habebat, quomodo inducitur non habens formas? Si non habebat, quomodo agnoscitur?

(Margin: Gen. 1. 3.)

MATERIA. 10. SCHOL.

VANISSIMVM, *supple est.* NON EDITO. *Cum non dixeris, &c* CORPVS CONFVSIONIS, *corpus materia confusum & informe.* VNIFORME. *Ouid. 1. Metam.* Vnus erat toto naturæ vultus in orbe, &c. VOCABVLIS *nominibus cognoscenda est facta formosa.* TENEBRAS DICO, &c. *Gen. 1.* Terra autem erat inanis & vacua 70. *Inuisibilis & incomposita* & tenebræ erāt super faciem abyssi, & Spiritus Domini ferebatur super aquas. QVOMODO AGNOSCITVR. *Informe enim & inuisibile & incompositum videri & intelligi non potest. Aug. lib. 12. Confess. Cum de terra inuisibili & incomposita, & tenebris, sic cap. 3. & seq.* Nonne tu Domine docuisti me, quod priusquam istam informem materiam formares atque distingueres, non erat aliquid: non color, non figura, non corpus, non spiritus, non tamen omnino nihil? erat quædam formitas sine vlla specie. Quid ergo vocaretur, quo etiam sensu tard oribus vtcumque insinuaretur, nisi vsitato aliquo vocabulo? quid autem in omnibus mundi partibus reperiri potest propinquius informitati omnimodæ, quàm terra & abyssus? minus etiam speciosa sunt pro suo gradu infimo, quàm cætera superiora perlucida & luculenta omnia. Cur ergo non accipiam informitatem materiæ, quam sine specie feceras? vnde speciosum mundum faceres, ita commodè hominibus intimatam, vt appellaretur terra inuisibilis & incomposita.

(Margin: C — S. Aug.)

11. *Et ibid. cap. 32. à m.*

REspondebitur fortasse ex diuerso: Planè factas eas, sed ex materia. Vt stilus quidem Moysi. *Et tenebræ super abyssum, & Spiritus Dei super aquas ferebatur*, materiam sonet, cæteræ verò scripturæ, quæ ex materia factæ sint, species in disperso demonstrent. Ergo

sicut terra de terra, ita & abyssus ex abysso, & tenebræ ex tenebris, & spiritus & aquæ ex spiritu & aquis constiterunt. Et sicut suprà diximus, non potuit informis fuisse materia, si species habebat, vt & aliæ ex ea sint confectæ, nisi quod non aliæ, sed ipsæ ex semetipsis: si quidem non capit diuersas fuisse quæ iisdem nominibus eduntur. quo jam operatio diuina otiosa videri possit, si quæ erant fecit: cùm generosior esset, quæ non erant facta, si fierent.

MATERIA. II. SCHOL.

Ex diverso, ab Hermogene scilicet aduerso vera sententia: factas quidem à Deo rerum species, sed non ex nihilo, sed ex materia æterna. Vt textus quidem Moysi loquentis de tenebris & abysso, loquatur sub his nominibus de materia informi, alij verò loci Scripturæ singulas rerum species probent, factas ex materia. ERGO SICVT, &c. *Iam respondet Tertull. ex his concludi contra Hermogenem materiam non fuisse prorsus informem, cum species & formas rerum contineret, quæ ex ea sint productæ; nisi malit dicere, easdem species, ex seipsis productas.* NON CAPIT, *dici non potest, intellectus capere non potest.* ALIÆ, *species scilicet.* EDVNTVR, *vocantur, vel producuntur iisdem nominibus appellatæ.* QVÒ, *vt inde.* OTIOSA, *nihil Dei potentia operata est, si res ex jam similibus præjacentibus, & latentibus in materia formis factæ sunt.* GENEROSIOR. *Censeretur Deus multò nobilior in potentia, si omnino de nouo fierent ab eo, quæ non erant facta.*

A *Alij sic legunt referendo ad ipsa opera, minus scitè, quàm ad ipsum opificem;* Cum generosiora essent, quæ non erant facta, quàm si fierent. *Quia jam ipsa cum materia in qua erant, coæterna erant. Aug. lib. 12. Confess. c. 8.* Illud totum propè nihil erat, quoniam adhuc omnino informe erat: jam tamen erat, quod formari poterat. Tu enim Domine fecisti mundum de materia informi *quam cap. 8. dixerat ante omnia fecisse de nihilo* quam fecisti de nulla re, penè nullam rem, vnde faceres magna, quæ miramur filij hominum, &c. Terra autem ipsa quam feceras, informis materies erat, quia inuisibilis erat, & incomposita, & tenebræ erant super abyssum. De qua terra inuisibili & incomposita; de qua informitate, de quo penè nihilo faceres hæc omnia quibus ipse mutabilis mundus constat. S. Aug.

12. Materia informis, mundi formosi speculum esse non potuit. Cont. Hermog. cap. 40. per totum.

Dicis in melius reformatam materiam, vtique de deterioribus: & vis meliora, deteriorum exemplarium ferre. Confusa res erat, nunc verò composita est. Et vis ex compositis, incomposita præberi. Nulla res speculum alterius rei, id est non coæqualis. Nemo se apud tonsorem pro homine mulum inspexit: nisi si qui putat in hac extructione mundi, dispositæ jam & comptæ, informem & incultam materiam respondere. Quid hodie informe in mundo? quid retro speciatum in materia, vt speculum sit mundus materiæ? Cùm ornamenti nomine, sit penes Græcos mundus, quomodo inornatæ materiæ imaginem refert, vt dicas totum eius partibus cognosci? Certè ex illo toto erit etiam hoc, quod non venit in deformationem. Et suprà edidisti, non totam eam fabricatum. Igitur vel hoc rude & confusum & incompositum non potest in expolitis & distinctis & compositis recognosci, quæ nec partes materiæ appellari conuenit, cum à forma eius, ex mutatione, diuisa recesserunt.

MATERIA. II. SCHOL.

DICIS, *Hermogenes,* EXEMPLARIVM, *exemplar. Vis Deum sumpsisse ex informi & mala materia, exemplar, iuxta quod meliores rerum species efformaret.* ALTERIVS, *diuersæ, contrariæ, vel vt exponit subdens,* non coæqualis rei. APVD TONSOREM. *Irridet Hermogenem, cum speculum tonsor porrigit attonso, non muli sed hominis speciem repræsentat.* NISI, &c. *Nisi fortè quis sic sentiat, vt dicat disposita extructioni mundi ornati & formosi, materiam informem esse similem.* RETRO SPECIATVM, *ante mundum conditum & species eius distinctas, quid formosum in materia? quæ species in eo distincta?* NOMINE, *supple donatus. κόσμος enim ornatum & pulchrum significat.* TOTVM, *mundum.* IN DEFORMATIONEM. *Magna pars ornatus mundi est, quod nulla pars eius sit deformis, sed quælibet eius species, vel in se considerata, ornata est, vel si deformis apparet, vt in monstris, etiam formosa est, in quantum refertur ad speciem & ornatum vniuersi. Aug. lib. 12. de Ciuit. cap. 22. vbi de feris, venenis & aliis creaturis nociuis:* Nec attendunt quam vel in suis locis naturisque vigeant, pulchroque ordine disponantur, quantumque vniuersitati rerum pro suis portionibus decoris, tan- S. Aug.

B quam in communem Rempublicam conferant, vel nobisipsis, si eis congruenter atque scienter vtamur, commoditatis attribuant: Itaut venena ipsa, quæ per inconuenientiam perniciosa sunt; conuenienter adhibita in salubria medicamenta vertantur. *Vide eundem lib. 1. de Gen. cont. Manich. cap. 16. & lib. 3. de Gen. ad literam cap. 14. Et nominatim de monstris lib. 16. de Ciuit. cap. 8. vbi concludit de monstruosis hominibus & gentibus:* Deus Creator est omnium, qui vbi & quando creari quid oporteat, vel oportuerit, ipse nouit: sciens vniuersitatis pulchritudinem, quarum partium vel similitudine, vel diuersitate contexat. Sed qui totum inspicere non potest, tanquam deformitate partis offenditur: quoniam cui congruat, & quo referatur ignorat. S. Aug.

C EDIDISTI, *dixisti.* NON TOTAM, *materiam scilicet, in mundi compositionem impensam.* VEL HOC, *quòd ex ea rude & informe mansit, non applicatum mundo formando, saltem agnosci non potest in partibus mundi formosis & speciosis, id est sua specie & ornatu fruentibus: cum dictæ species,* IN MVTATIONE *in formatione mundi, à deformitate informis materiæ fuerint separatæ.*

13. Materiam in loco & per partes ponit, sibi contrarius Hermogenes. Cont. Hermog. cap. 38. & 39. per totum.

DE situ materiæ id tracto, quod & de motu, vt peruersitatem tuam traducat. Subjacentem facis Deo materiam, & vtique locum illi qui sit infra Deum. In loco ergo

materia. Si in loco, ergo intra locum: si intra locum, ergo determinatur à loco, intra quem est: si determinatur, habet lineam extremam, quam, quantum propriè pictor, agnoscis finem esse omni rei, cuius linea extrema est. Non ergo erit infinita materia, quæ dum in loco est, à loco determinatur; & dum determinatur ab illo, extrema eum linea patitur. At tu infinitam facis, dicens: Infinita est autem, eo quod semper est. Et si qui discipulorum tuorum voluerit argumentari, quasi infinitatem æuo, non modo corporis intelligi velis: atquin corporaliter infinitam, corporaliter immensam, & incircumscriptam, sequentia ostendunt. Vnde, inquis, nec tota fabricatur, sed partes eius. Adeo corpore infinita, non tempore est. Et obduceris, corpoream eam infinitam faciens, cùm locum ei adscribens, intra locum & extremam loci lineam includis. Sed tamen cur non totam eam formauerit Deus, non scio; nisi quà aut inualidus, aut inuidus. Itaque dimidium eius, quæ non tota formata sit quæro, vt qualis tota fuerit agnoscam. Debuerat enim Deus vt exemplarium antiquitatis ad gloriam operis palam fecisse. Sit nunc definitiua, sicut rectius tibi videtur, per demutationes suas & translationes: sit & comprehensibilis, vt quæ fabricatur, inquis, à Deo, quia & conuertibilis, & demutabilis, & dispartibilis. Demutationes enim eius, inquis, dispartibilem eam ostendunt. Et hîc à lineis tuis excidisti, quibus circa personam Dei vsus es, præscribens Deum illam non ex semetipso fecisse, quia in partes venire non posset qui sit æternus & manens in æuum, ac per hoc immutabilis & indiuisibilis. Si & materia eadem æternitate censetur, neque initium habens neque finem, eadem ratione non poterit pati dispertitionem & demutationem, qua nec Deus. In æternitatis consortio posita, participet cum illo necesse est & vires, & leges, & conditiones æternitatis. Æquè cum dicis, Partes autem eius omnia simul ex omnibus habent, vt ex partibus totum dinoscatur. Vtique eas partes intelligi vis, quæ ex illa prolatæ sunt, quæ hodie videntur à nobis. Quomodo ergo omnia ex omnibus habent, vtique ex pristinis, quando quæ hodie videntur, aliter habeant quàm pristina fuerunt?

CAPVT XXXIX.

MATERIA. 13. SCHOL.

DE SITV, *in quo loco & quomodo sita sit à te.* TRADVCAT, *palam faciat & manifestam.* LOCVM ILLI, *supple facis.* PROPRIE PICTOR, *artem eius stylo suo pungit, de linea loquens qua circumscribat extremam materiæ partem, quam vult esse in loco.* PATITVR. *Recipit lucum, arctatur loco, & locum eius extrema loci linea & terminus materiam recipiens, eam quoque cum suo loco continente claudit & limitat.* SI QVI, *si quis à te instructus, pro te contra nos disputare voluerit, & dicere nobis, te infinitam constituisse materiam, non quidem propter extensionem corporalem, sed propter durationem æternam.* ATQVIN, *quinimo, respondet Tertul. Verba Hermogenis sequentia probant eum sensisse materiam etiam corporali extensione infinitam.* NEC TOTA, &c. *Tota materia in totius mundi fabricam impensa non est, sed aliquæ tantum eius partes. Quàm ergo immensa, quam totus orbis totam non capiat; cuius partes vniuerso fabricando suffecerint.* OBDVCERIS, *contradictorius tibi arguêris.* EXEMPLARIVM ANTIQVITATIS, *antiquissimum rerum omnium exemplar & prototypum.* DEFINITIVA, *finita.* LINEIS TVIS. *Rursum pungit pictorem: à* A *præscriptis terminis excessisti.* NON EX SEMETIPSO. *Aug. lib. de natura boni contra Manichæos cap.26.* Deus omnia quæ de se non genuit, sed per Verbum suum fecit. *Et cap. 27. ex Rom. 11. 36.* Quoniam ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ex ipso autem, non hoc significat, quod, de ipso. Quod enim de ipso est, potest dici ex ipso: non autem omne quod ex ipso est, rectè dicitur, de ipso. Ex ipso enim cœlum & terra, quia ipse fecit ea, non autem de ipso, quia non de substantia sua. S. Aug. IN PARTES VENIRE. *Diuidi in partes.* CENSETVR, *æstimatur à te, eadem cum Deo æternitate frui.* OMNIA, *facta à Deo ex materia, partes in se habent materiæ, &c.* DINOSCATVR, *dignoscatur.* B *Vult Hermogenes totam materiam cognosci ex omnibus partibus suis toto mundo dispersis, cum supra dixerit, totam materiam non fuisse impensam.* OMNIA, *creata.* EX *omnibus.* MATERIÆ PARTIBVS. EX PRISTINIS, *partibus materiæ ipsi coæternis quæ erant inuisibiles, vt & informes.* ALITER HABEANT, *se habeant, vel habeant alio modo partes materiæ jam formatas, quod prius non erant.* QVANDO, *quandoquidem.*

14. *Materiæ motus, ex Hermogene, turbulentus & placidus. Cont Hermog. cap. 41. & 42. per totum. & 43. ad m.*

REuertor ad motum, vt vbique te lubricum ostendam. Inconditus, & confusus, & turbulentus fuit materiæ motus. Sic enim & ollæ vndique ebullientis similitudinem apponis. Et quomodo alibi alius à te adfirmatur? Cum enim vis materiam nec bonam nec malam inducere, Igitur, inquis, subjacens materia æqualis momenti habens motum, neque ad bonum, neque ad malum plurimum vergit. Si æqualis momenti, jam non turbulentus, nec cacabaceus; sed compositus, & temperatus; scilicet, qui inter bonum & malum suo arbitrio agitatus, in neutram tamen partem pronus & præceps, mediæ (quod aiunt) aginæ æquilibrato impetu ferebatur. Hæc inquies non est, hæc turbulentia & passiuitas non est; sed moderatio, & modestia, & justitia motationis neutram in partem inclinantis. Planè si huc & illuc, aut in alterum magis proclinaret, tunc inconcinnitatis, & inæqualitatis, & turbulentiæ denotari mereretur. Porro si neque ad bonum, neque ad malum pronior erat motus, vtique inter bonum & malum agebatur: vt ex hoc quoque materiam determinabilem appareat, cuius motus nec malo nec bono pronus, eo quod in neutrum vergebat, inter vtrumque ab vtroque pendebat, & hoc nomine ab vtroque deter-

minabatur. Sed & bonum & malum in loco facis, cum dicis motum materiæ in neutrum eorum fuisse propensum. Materia enim quæ in loco erat, neque huc neque illuc deuergens, in loca non deuergebat, in quibus erat bonum & malum. Dans autem locum bono & malo, corporalia ea facis, faciendo localia; quia quæ locum habent, prius est vt corporalia sint. Denique incorporalia proprium locum non haberent, nisi in corpore, cùm corpori accidunt. Ad bonum autem & malum non deuergente materia, vt aut corporalia aut localia non deuergebat. Bonum ergo & malum, erras, si substantias esse vis. Substantias enim facis quibus loca adsignas. Loca autem adsignas, cum materiæ motum ab vtraque regione suspendis. Dispersisti omnia, ne de proximo quàm contraria sibi sint relucerent. At ego colligam singula, & conferam. Inconditum adseueras motum materiæ, eamque adjicis sectari informitatem: dehinc alibi, desiderare componi à Deo. Desiderat formationem quæ sectatur informitatem? aut sectatur informitatem quæ desiderat formationem? Non vis videri, Deum æquari materiæ: & subjicis, habere illam cum Deo communionem. Impossibile enim, inquis, non habentem illam commune aliquid cum Deo, ornari eam ab ipso. atquin si commune aliquid habebat cum Deo, non desiderabat exornari ab ipso, pars scilicet Dei per communionem. Aut & Deus poterat ornari à materia, habendo cum illa aliquid & ipse commune, & jam in hoc necessitati subjicis Deum, si fuit aliquid in materia propter quod eam formaret. Commune autem inter illos facis, quòd à semetipsis, & semper mouentur. Quid minus materiæ quàm Deo adscribis? Totum consortium diuinitatis hoc erit, libertas & æternitas motus. Sed Deus compositè, materia inconditè mouentur. Tamen diuinum proinde, motu proinde libero & æterno. Atquin plus materiæ das, cui licuit sic moueri quomodo Deo non licuit. De motu & illud notauerim. Nam, secundum ollæ similitudinem sic erat, inquis, materiæ motus, antequam disponeretur, concretus; inquietus, inadprehensibilis præ nimietate certaminis. Dehinc subjicis: Stetit autem in Dei compositionem; & inadprehensibilem habuit conditum motum præ tarditate inconditi motus. Suprà certamen motui adscribis, hic tarditatem.

CAPVT XLII. (beside "At ego colligam singula")

CAPVT XLIII. (beside "De motu & illud notauerim")

MATERIA. 14. SCHOL.

AD MOTVM, *quem materiæ tribuit.* LVBRICVM, *versatilem te & mobilem similemque materiæ tuæ inconstantiâ probem* INCONDITVS *per te inordinatus est materiæ motus, & similis aquæ bullienti in olla.* ADFIRMATVR. *Frequenter sic componit, & sequenti numero* adparet, adpropinquat, &c. SVBIACENS, *Deo,* ÆQVALIS MOMENTI, *in æquilibrio posita.* CACABACIVS, *ad instar cacabi ferventis.* AGINÆ, *sic & libro de pudicitia cap.* 9. Non admittetur exemplorum adæquatio, licet in agina congruentissima. *Festus vult* Aginam *esse foramen cui inseratur scapus trutinæ, in quo vertitur trutina: ut sit mediâ aginâ consistens trutina, cum stat in æquilibrio nullam in partem inclinans, cuius in meditullio lingula trutinæ versatur. Hinc natum Prouerbium judicum & arbitrorum, & virtutum constitutarum inter duo extrema vitiorum.* INQVIES, *inquietudo, vel materia inquieta non est.* PASSIVITAS, *passio inquieta, libertas mala, inconstantia, patiens motum versatilem huc & illuc.* MOTATIONIS, *motionis.* IVSTITIA, *æquilibrium.* DENOTARI. *Nota probrosa affici.* ACCIDVNT, *adueniunt.* ERRAS, *si, &c. si putes, malum habere corpoream & solidam substantiam. Aug. to.1. lib. 2. de moribus Manichæorum c. 2. fusè disputat contra eos qui dicunt malum esse substantiam.* Quis ita est mente cæcus, qui non videat id cuique generi malum esse, quod contra eius naturam est? sed hoc constituto, euertitur hæresis vestra: nulla enim natura malum, sed quod contra naturam est, id erit malum. Vos autem asseritis quandam naturam atque substantiam malum esse. Accedit etiam illud, quod contra naturam quidquid est, vtique naturæ aduersatur, & eam perimere nititur. Tendit ergo id quod est, facere vt non sit. Nam & ipsa natura, nihil est aliud, quam id quod intelligitur in suo genere ali- S. Aug.

A quid esse. Itaque vt nos jam nouo nomine, ab eo quod est esse, vocamus essentiam, quam plerumque substantiam etiam nominamus: ita veteres, qui hæc nomina non habebant pro essentia & substantia, naturam vocabant. *Sic ergo Tertullianus ante mundum conditum, negat omnino fuisse substantias boni vel mali inter quas materia steterit indifferens.* DE PROXIMO. *Quia contraria contra se posita magis elucescunt.* SECTARI, *rebus informibus inclinari.* VIDERI, *supple sentire te, & dicere talia.* PER COMMVNIONEM. *In quantum, inquit, ex ipso quod habebat communionem cum Deo, unita illi quasi pars eius censeri debuit: proinde cum omne quod in Deo est sic ordinatum & formosum, frustra optasset ornatum, ordinem, formam, cum jam in Deo ut pars eius,*
B *per communionem possideret.* PROPTER QVOD *cuius respectu, Deus se obligatum sentiret ad materiam informem, efformandam.* TOTVM HOC, &c. *æqualitas materiæ cum eo euidens est, si semper mouetur, & ab æterno motus eius tranquillus est. Nam ex Aug. 1. Confess. cap. 4.* Deus semper agens, & semper quietus. SED DEVS, &c. *Inducit objicientem sic Hermogenem.* DIVINVM, *supple, aliquid ex æquo materia possidet, quod liberè & ab æterno moueatur.* PLVS, *quam Deo.* SIC MOVERI *inconditè & ab æterno. Vt Deus non potuerit hunc motum liberum materiæ temperare.* NIMIETATE CERTAMINIS, *partium scilicet materiæ, sicut aquæ ferventis in olla, nunc sursum, nunc deorsum; quæ ob nimium motus celeritatem, apprehendi non poterant, sed nec vix percipi.* DISPONERETVR CONCRETVS. *Vult enim compositum hunc motum per concretionem, & compositionem cum Deo, qui antequam concretus esset, inquietus erat, & inapprehensibilis.* PRÆ TARDITATE, *sic sibi contradicit qui paulò ante nimietatem dixerat.* CERTAMEN, *intelligit conflictum partium materiæ, ut aquæ bullientis.* S. Aug.

15. *Materia tantùm appropinquando & apparendo, Deum ex ea omnia fecisse, quam stultè sensit Hermogenes. Cont. Hermog. cap. 44. per totum.*

SEd & qualiter operatum facias Deum, sequitur vt ostendam. Planè à Philosophis recedis, sed tamen & à Prophetis. Stoici enim volunt Deum sic per materiam decucurrisse,

quomodo mel per fauos. At tu non, inquis, pertransiens illam facit mundum, sed solummodo adparens & adpropinquans ei, sicut facit qui decor solummodo adparens, & Magnes lapis solummodo adpropinquans. Quid simile Deus fabricans mundum, & decor vulnerans animum, aut Magnes adtrahens ferrum? Nam etsi adparuit Deus materiæ, sed non vulnerauit illam, quod decor animam: & si adpropinquauit, sed non cohæsit illi, quod Magnes ferro. Puta nunc exempla tua competere. Certè si adparendo & adpropinquando materiæ, fecit ex illa Deus mundum, vtique ex quo adparuit fecit, & ex quo adpropinquauit. Ergo quando non fecerat retro, nec adparuerat illi, nec adpropinquauerat. Et cui credibile est, Deum non adparuisse materiæ, vel quà consubstantiali suæ per æternitatem? ab ea longè fuisse quem credimus vbique esse, & vbique adparere? cui etiam inanimalia & incorporalia laudes canunt apud Danielem. Quantus hic locus, in quo Deus à materia tantum distabat, vt neque adpareret, neque adpropinquaret ante mundi molitionem? credo peregrinatus est ad illam de longinquo, cum primum ei voluit adparere & adpropinquare.

Dan. 3. 57. & seq.

MATERIA. 15. SCHOL.

SED TAMEN. *Licet tolerabile sit Philosophos non sequi Stoicos, volentes Deum per materiam transisse sicut mel fluit per fauos: criminosum tamen & hæreticum est à Prophetis recedere, creationem mundi, & ipsius materiæ ex nihilo per solam Dei omnipotentiam asserentibus.* QVI DECOR, *aliquis decor & forma apparens, & sola sua præsentia alliciens oculos, & cor vulnerans.* QVID SIMILE, *supple factum est, cum Deus mundum condidit ex materia.* ETSI ADPARVIT, *esto apparuerit, præsentem vultum suum formosum exhibuerit materia Deus.* QVOD DECOR, *quod facit decor, qui cor intuentis & appropinquantis vulnerat.* COMPETERE, *conuenire.* RETRO, *prius, tota æternitate.* VEL QVA, *vel saltem, in quantum substantia materi Deo coæterna fuit.* AB EA LONGE. *Aug. lib. 1. Confess. c. 2.* Quo te inuoco, cum in te sim? Aut vnde venias in me? quò enim recedam extra cœlum & terrã, vt inde veniat Deus meus, qui dixit, cœlum & terram ego impleo? capiũtne ergo te cœlũ & terra, quoniam tu imples ea? an imples, & restat, quoniam non te capiunt? & quò refundis quidquid impleto cœlo & terra restat ex te? an nõ opus habes, vt à quoquam continearis, qui contines omnia, quoniam quæ imples, continendo imples? non enim vasa quæ te plena sunt, stabilem te faciunt; quia & si frangantur, non effunderis, & cum effunderis super nos, non tu iaces, sed erigis nos, nec tu dispergeris, sed colligis nos: sed qui imples omnia, te toto imples omnia. INANIMALIA, &c. *vt ignis, grando &c.* INCORPORALIA, *vt Angeli & Spiritus rationales, vel incorporalia intelligit, substantias minus palpabiles, vt aërem & ventum.* APVD DANIELEM, *in cantico puerorum, quod licet non habeatur in Hebr. tamen Aug. Tertull. aliique Patres vt canonicum receperunt. Sed & Psal. 148. Inducit omnia Deum laudantia. In quem Aug.* Sunt quædam, quæ habent spiritum laudandi Deum in eo affectu quo eis placet Deus: nemo enim laudat, nisi quod ei placet. Sunt autem quæ spiritum vitæ & intellectum ad laudandum Deum non habent, sed quia & ipsa bona sunt, & in ordine suo integrè disposita sunt, & ad pulchritudinem vniuersitatis referuntur, quam condidit Deus, ipsa quidem per se voce sua, & corde suo non laudãt Deum: sed cum ab intelligentibus considerantur, per ipsa laudatur Deus, & cum per ipsa laudatur Deus, quodammodo & ipsa laudant Deum. MOLITIONEM. *Creationem.*

A B S. Aug. S. Aug.

MATTHÆVS.

Matthæus fidelissimus Euangelista, generationem Christi veram probat ex parentibus. De carne Chri. cap. 22. à p.

IPse in primis Matthæus, fidelissimus Euangelij commentator; vt comes Domini, non aliam ob causam, quàm vt nos originis Christi carnalis compotes faceret, ita exorsus est: *Liber geniture Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham.* His originis fontibus genere manante, cùm gradatim ordo deducitur ad Christi Natiuitatem, quid aliud quàm caro ipsa Abrahæ, & Dauid, per singulos traducem sui faciens, in Virginem vsque describitur, inferens Christum?

Matth. 1. 1.

MATTHÆVS. SCHOL.

COMMENTATOR, *scriptor.* VT COMES, *inde fidelissimum dixit, quia visa & audita à Christo fideliùs narrare potuit, vel ex quo telonium relinquens sequutus est Iesum, nusquam reliquit; nec ad telonium regressus est. Aug. de consensu Euang. lib. 1. c. 3.* Ipse Dauid cuius non frustra crebrius filius dictus est, quàm filius Abrahæ, & quem communiter tenuerunt Matthæus & Lucas: Ille, à quo per Salomonem descenderet; iste ad quem per Nathan ascenderet. Quanquam apertè Rex fuit, figurauit tamen & Sacerdotis personam, quando panes propositionis manducauit; quos non licebat manducare nisi solis Sacerdotibus, &c. Cum ergo Matthæus circa Regis, Lucas circa Sacerdotis personam gereret intentionem, vtrique humanitatem Christi maximè commendarunt. *Et lib. 17. contra Faustum Manich. c. 3.* O mirabilem insaniam, de Christo aliquid narranti nolle credi Matthæo, & velle credi Manichæo, &c. cur ex ore Ioannis cõdiscipuli sui non posset vera Matthæus audire de Christo vbi ille affuit, & ipse non affuit, si ex libro Ioannis possumus vera loqui de Christo, non solum nos tanto post nati, sed etiam post nos alij nasciturí? hinc enim non solum Matthæi, verum etiam Lucæ ac Marci Euangelium, qui eosdem discipulos secuti sunt, in non imparem authoritatem receptum est. Huc accedit, quia & ipse Dominus, potuit narrare Matthæo, quod, antequam eum vocasset, cum iis egerat, quos prius vocauerat. LIBER GENITVRÆ, *generationis.* FONTIBVS, *auis Christi.* GENERE, *progenie descendente.* TRADV-

S. Aug. C S. Aug.

cem svi, *caro autem Christi se traduxit & propagatur per singulos ab eis gradatim descendentes vsque ad Beatam Virginem.* Inferens Christvm. *Caro scilicet Abrahæ & Dauid propagata Christum protulit.*

MATHVSALEM.

Mathusalem, an superstes diluuio. 1. de Cult. fœm. cap. 3. à p.

REcordentur pronepotem ipsius Enoch, fuisse superstitem cataclysmi, Noë; qui vtique domestico nomine & hereditaria traditione audierat, & meminerat, de proaui sui penes Deum gratia, & de omnibus prædicatis eius: cum Enoch filio suo Mathusalæ nihil aliud mandauerit, quàm vt notitiam eorum posteris suis traderet. Igitur sine dubio potuit Noë in prædicationis delegatione successisse, vel quia & aliàs non tacuisset, tam de Dei conseruatoris sui dispositione, quàm de ipsa domus suæ gloria.

MATHVSALEM. SCHOL.

RECORDENTVR, *librũ Enoch de quo immediatè prius dixerat, à diluuio potuisse saluari. Pronepotem autem Enoch subjicit fuisse Noë, sed interruptio familiaris Tertulliano dubium reliquit, An simpliciter Cataclysmum Noë dicere voluerit, an verò Noë pronepotem Enoch, Cataclysmo superstitem. Nec frustra dubitem; quærit enim Aug. lib. 15. de Ciuit. cap. 10. & 11. agens de discrepantia supputationis Hebræorum & 70. Sic enim capite 10.* S. Aug. (*vbi de Mathusalem.*) Antequam gigneret filium qui vocatus est Noë, sex annos minus habet in Hebræis, quàm in nostris: postea verò quàm eum genuit, triginta amplius in eisdem quàm in nostris. *Et cap. 11.* B S. Aug. Per hanc autem discrepantiam Hebræorum codicum atque nostrorum exoritur illa famosissima quæstio; vbi Mathusalem quatuordecim annos vixisse post diluuium computatur, cum Scriptura ex omnibus qui in terra tunc fuerant, solos octo homines in arca exitium commemoret euasisse diluuij, in quibus Mathusalem non fuit. *Et paulo infra, non suam,* S. Aug. *sed aliquorum opinionem refert; Mathusalem cum Patre Enoch, donec diluuium præteriret, translatum fuisse, & postea superuixisse in terra; Iudæorumque potius mendosos codices credidisse, quàm fidem 70. interpretibus detraxisse. Hiero. lib. de quæst. Hebr. in Gen.* Famosissima quæstio, & disputatione omnium Ecclesiarum ventilata, quod juxta diligentem supputationem 14 annis C post diluuium Mathusala fuisse referatur. *Quod probat ex supputatione facta. Deinde subjicit.* Restat ergo vt quomodo in plerisque *codicibus* ita in hoc sit error in numero. Siquidem & in Hebræis & Samaritanorum libris ita scriptum reperi. Et vixit Mathusala 187. annis, & genuit Lamech, & vixit Mathusala postquam genuit Lamech 782. annos, & genuit filios & filias, & fuerunt omnes Mathusala anni 969. & mortuus est; & vixit Lamech 182. annis & genuit Noë. A die verò natiuitatis Mathusala vsq; ad diem natiuitatis Noë, sunt anni 369. his adde 600. annos A Noë, quia sexcentesimo vitæ eius anno factum est diluuium, atque ita fit, vt 969. anno vitæ suæ Mathusala mortuus sit, eo anno quo cœpit esse diluuium. *Aug. tandem quæst. 2. in Gen.* Quæri solet, quomodo Mathusalem secundùm annorum computationem viuere post diluuium potuerit, cum omnes, S. Aug. præter eos qui in Arcam ingressi sunt periisse dicantur. Sed hanc quæstionem plurium codicum mendositas peperit. Non solum quippe in Hebræis aliter inuenitur, verum etiam in 70. interpretatione. Mathusalem in codicibus paucioribus, sed veracioribus sex annos ante diluuium reperitur mortuus. *Constat porro Mathusalem non fuisse pronepotem Enoch, sed filium. Gen. 5. 21.* Enoch vixit 65. annis, & genuit Mathusalem. *De Noë ergo eius pronepote loquitur Tertullianus, & Noë vocat superstitem Cataclysmi. Nec tempore Tertulliani fortè hæc quæstio versabatur, quam non præterisset; immò si codices eius æui sic corrupti fuissent, cum ipse semper sit secutus versionem 70. haud dubiè Mathusalem diluuio superstitem posuisset.* DOMESTICO NOMINE. *Pro debito honore domus & familiæ, vt pronepos Enoch, prout hæc acceperat à Patre suo Mathusala, nec immemor gratiæ quam Enoch proauus suus apud Deum habuerat, vt habetur Gen. 5. 24.* Ambulauitque cum Deo (*70. placuit Enoch Deo, & non inueniebatur, quia* C *transtulit eum Deus* & non apparuit, quia tulit eum Deus. OMNIBVS PRÆDICATIS, *Prophetiis. Libri Enoch meminit Iudas in Epistola versu 14.* Prophetauit autem & de his septimus ab Adam Enoch. *Quem librum ideo retulit Tertullianus agens de cultu mulierum, quem vult fuisse causam ruinæ Angelorum talis ornatus concupiscentium.* PRÆDICATIONIS DELEGATIONE, *vt paternam traditionem posteris nunciaret.* ALIAS *& si non delegatus, tradidisset tamen; tam vt dixit domestico nomine, id est ad gloriam domus & familiæ, quàm ad laudem Dei, qui sic se in diluuio seruarat, & proauum suum Enoch Prophetia, & translatione in paradisum extulerat.*

MATRIMONIVM.

1. In Matrimonio Adæ, quod dictum est, propter hoc relinquet homo, &c. non de ipso, sed de posteris dictum est. De Vel. Virg. cap. 5. à m.

COnstituto nomine nouæ feminæ, quod est mulier, & explicito quod prius fuit, id est nomine assignato, conuertit jam ad propheticam rationem, vti diceret, [a] *Propter hanc relinquet homo patrem & matrem.* Adeo separatum est nomen à prophetia, quantum & ab ipsa persona, vt non vtique de ipsa Eua dixerit, sed in illas feminas futuras, quas in matrice generis feminini nominarit. Alioqui non Adam relicturus erat patrem & matrem quos non habebat, propter Euam. Ergo non ad Euam pertinet, quia nec ad Adam, quod prophetice dictum est. De maritorum enim conditione prædictum, qui ob mulierem parentes suos erant relicturi, quod in Euam cadere non potuit, quia nec in Adam.

[a] Gen. 2. 24.

MATRIMONIVM. 1. SCHOL.

INSTITVTO, &c. *Post datum nomen mulieris, fœminæ recenter creatæ.* QVOD PRIVS FVIT, *antequam scilicet aliud sumeret, & antequam Adam prophetiam ederet de futuro Christi cum Ecclesia Matrimonio.* Con-

VERTIT, *jam Adam sermonem dirigit ad prophetiam.* YII, *vt propter hanc. Gen. 2. 24.* Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. *Ita prorsus &* 70. NOMEN, *mulieris.* A PROPHETIA, *prædicta Adæ.* PERSONA, *Euæ. quem enim illa vel Adam, patrem & matrem relicturi erant causa coniugij?* IN ILLAS, *de illis supple futuris prædixerit.* MATRICE, *origine prima mulierum, & Matrimoniorum futurorum. De Matrimonij Sacramento nil expresſius Pauli verbis Ephes. 5. 32.* Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. *Et supra versu 28. & 29.* Viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam. *Quem locum Patres omnes de vero Sacramento Matrimonij intellexerunt. Chrysostomus in Psal. 43. & Homil. 20. in ep. ad Ephes. cap. 5. Greg. Naz. orat. de sorore sua Gorgonia. Nyssenus lib. de Virgin. cap. 8. Basilius item lib. de vera Virginitate. Epiph. hæresi 67. Cyril. Ierosol. Catech. 4. Athan. ser. cont. Hæreticos. Quinetiam prioris sæculi Patres Græci: Ignatius ep. ad Philipp. Iustinus Martyr. orat. ad Antoninum Pium, Clem. Alex. 3. Strom. Orig. Homil. 11. in Exo. & lib. 8. in ep. ad Rom. Et noster Tertullianus alibi expositus à nobis lib. de Anima cap. 21. de Præscript. cap. 40. cont. Valent. cap. 30. de Monog. cap. 5. Non ignarus vtique linguæ Græcæ Matrimonium vocat Sacramentum. Ita enim præcitato loco cont. Valent.* Honorandorum coniugiorum supernorum gratiâ, dicitur apud illos meditandum atque celebrandum semper Sacramentum. *Et lib. de Monog. cap. 5.* Christus, inquit, habens vnam Ecclesiam sponsam, secundùm Adæ & Euæ figuram, quam Apostolus in illud magnum Sacramentum interpretatur in Christum & Ecclesiam competisse carnali Monogamiæ per spiritalem. *Ambr. lib. 1. de Abraham cap. 7. vbi de Abimelech per ignorantiam putante Saram & non vxorem Abrahæ, cui Dominus:* Ego cognoui quoniam puro corde fecisti hoc, & peperci tibi vt non peccares in me: propter hoc non sum passus te tangere illam. Cognoscimus, inquit, velut præsulem custodemque coniugij esse Deum, qui non patiatur alienum torum pollui. Et si qui fecerit, peccare eum in Deum, cuius legem violet, gratiam soluat. Et quia in Deum peccat, Sacramenti cœlestis amittit consortium. *Id est à Christo diuiditur, & ab Ecclesia meretur separari, cuius magnum Sacramentum & signum soluit. Vnde & Concilio Elibertino can. 9. excommunicatur mulier adultera.* Fidelis fœmina, quæ adulterum maritum reliquit fidelem, & alterum duxerit, prohibeatur ne ducat, si autem duxerit, non prius accipiat communionem, quàm is quem reliquit, de sæculo exierit, nisi necesſitas infirmitatis dare compulerit. *Et Concil. Milenit. can. 17.* Placuit vt secundùm Euangelicam & Apostolicam Disciplinam, neque dimissus ab vxore, neque dimissa à marito, alteri coniungantur: sed ita maneant, vt sibimet reconcilientur: quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. *Augustinus alibi citandus à nobis verbo Sacramentum: Matrimonium vbique decernit esse Sacramentum. Sicut lib. 1. de nupt. & concup. cap. 10. vbi discernit inter Matrimonium fidelium & Gentilium.* (S. Aug.) Quoniam, inquit, non tantùm fœcunditas cuius fructus in prole est, nec tantùm pudicitia cuius vinculum

A est fides, verum etiam quoddam Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis, vnde dicit Apostolus: viri diligite vxores vestras sicut & Christus dilexit Ecclesiam: huius proculdubio Sacramenti res est, vt mas & fœmina connubio copulati, quandiu viuunt, inseparabiliter perseuerent; nec liceat exceptâ causâ fornicationis, à coniuge coniugem dirimi. Hoc etiam custoditur in Christo & Ecclesiâ, vt viuens cum viuente, in æternum nullo diuortio separetur. Cuius Sacramenti tanta obseruatio est in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius, hoc est in Ecclesia Christi, quibusque fidelibus coniugatis, qui sine dubio membra sunt Christi, vt

B cùm filiorum procreandorum causâ vel nubant fœminæ, vel ducant vxores, nec sterilem coniugem fas sit relinquere, vt alia fœcunda ducatur. Quod si quisquam fecerit, non lege huius sæculi, vbi interueniente repudio, sine crimine conceditur cùm aliis alia copulare connubia, quod etiam sanctum Moysem Dominus propter duritiem cordis illorum Israëlitis permisisse testatur, sed lege Euangelij reus est adulterij, sicut etiam illa si alteri nupserit. Et vsque adeò manent inter viuentes semel inita iura nuptiarum, vt potius sint inter se coniuges qui ab alterutro separati sunt, quam cum his quibus aliàs adhæserunt. Cum aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum coniuges permanerent. Denique mortuo viro cum quo verum connubium fuit, fieri verum

C connubium potest, cum quo priùs adulterium fuit: ita inter viuentes manet quoddam vinculum coniugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis: sicut apostata anima velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita, Sacramentum fidei non amittit, quod lauacro regenerationis accepit: redderetur enim proculdubio redeunti, si amisisset abscedens. Habet autem hoc qui recesserit ad cumulum supplicij, non ad meritum præmij. *Et idem Augustinus lib. 1. de bono coniugali cap. 7. 15. & 18. idem confirmat. vbi inter cætera cap. 18.* In nostris nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas vteri. (S. Aug.) *Et lib. 12. contra Faustum cap. 8. vbi de sex ætatibus mundi.* Sexto, in-

D quit, die formatur homo ad imaginem Dei, sexta ætate sæculi manifestatur reformatio nostra in nouitate mentis, secundùm imaginem eius qui creauit nos, sicut dicit Apostolus. Fit viro dormienti coniunx de latere, fit Christo morienti Ecclesia de Sacramento sanguinis qui de latere mortui profluxit. Vocatur Heua vita & mater viuorum, quæ de viri sui latere facta est. Et dicit Dominus in Euangelio: si quis non manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem, non habebit in se vitam. Neque frustra dixit Apostolus Rom. 5. Adam qui est forma futuri. Et illud Ephes. 5. relinquet homo patrem & matrem, &c. Sacramentum, inquit, hoc magnum est, &c. Quis enim non agnoscat Christum eo modo reliquisse Patrem, qui cùm in forma Dei esset, &c. reliquisse etiam matrem Synagogam Iudæorum, veteri testamento carnaliter adhærentem, & adhæsisse vxori suæ Sanctæ Ecclesiæ, vt in pace noui testamenti essent duo in carne vna? Quia cùm sit Deus apud Patrem, per quem facti sumus, factus est per carnem particeps nostri, vt illius capitis corpus esse possemus.

2. *Matrimonij Sacramentum, quod magnum est Apostolo, minimum autem hæretico, figura fuit connubij Christi cum Ecclesia. 5. cont. Marc. 18. à m.*

LAborabo ego nunc eundem Deum probare masculi & Christi, mulieris & Ecclesiæ, carnis & spiritus; ipso Apostolo sententiam Creatoris adhibente, immò & differente:

Propter

[a] *Propter hoc relinquet homo Patrem & matrem, & erunt duo in carnem vnam. Sacramentum hoc magnum est.* Sufficit inter ista, si Creatoris magna sunt apud Apostolum sacramenta, minima apud hæreticos. *Sed ego autem dico*, inquit, *in Christum & Ecclesiam.* Habet interpretationem, non separationem sacramenti. Ostendit figuram sacramenti ab eo præministratam, cuius erat vtique sacramentum. Quid videtur Marcioni? Creator quidem ignoto Deo figuras præministrare non potuit: etiam quia aduersario, si noto. Deus superior ab inferiore, & ad destruendum potius mutuari nihil debuit.

a Ephes. 5.32. Ibid.

MATRIMONIVM. 2. SCHOL.

LABORABO. *Ironicè. quasi diceret, nullo negotio conuincam Deum Creatorem esse vtriusque testamenti autorem, qui & primum hominem, & secundum, Adam & Christum, Euam & Ecclesiam condidit: & qui sit author carnis bona, per Adam & Euam significata, & spiritus siue coniugij spiritalis inter Christum & Ecclesiam: Cùm & Paulus quem Marcion admittit, nec Christi Apostolum negare potest, non tantùm referat, sed & explicet dictum Creatoris in Genesi.* IN CARNEM, *in carne*, INTER ISTA, *interea.* MINIMA, *sic nostri hæretici juxta Marcionem sapiunt.* IN CHRISTVM. *In Christo dico & in Ecclesia.* NON SEPARATIONEM. *Pungit Marcionem jactantem opus suum esse separationem Euangelij & Sacramenti eius à veteri lege, quod Apostolus non facit, sed mysticè exponit vetus, & nouum in eo à Creatore figuratum dicit.* AB EO, *Deo Creatore, & authore veteris Testamenti.* IGNOTO, *Deo Marcionis.* QVIDEM, *certè.* ETIAM, *etiamsi notus fuisset, quia tamen ei contrarius erat, suo aduersario seruire noluisset, in ministrandis suorum mysteriorum figuris.* SVPERIOR *Marcionis Deus destructor operum Creatoris, figuras ab ipso mutuari non debuit, multominus eas implere. Aug. lib. de Gen. ad lit. c. vltimo:* Illa extasis quàm Deus immisit in Adam, vt soporatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immissa, vt & ipsius mens per extasim particeps fieret tanquam Angelicæ curiæ, & intrans in Sanctuarium Dei, intelligeret nouissimâ. *Psal. 72.* denique euigilans, tanquam prophetiæ plenus, cum ad se adductam costam, mulierem suam videret eructauit continuò quod magnum Sacramentum commendat Apostolus, hoc nunc os, &c. propter hoc relinquet, &c. quæ verba cum primi hominis fuisse Scriptura ipsa testetur, Dominus tamen in Euangelio Matth. 19. Deum dixisse declarauit. Ait enim, non legistis, quia qui fecit ab initio masculum & fœminam fecit eos, & dixit, propter hoc, &c. vt hinc intelligeremus, propter extasim quæ præcesserat in Adam hoc eum diuinitùs tanquam prophetam dicere potuisse.

S. Aug. S. Aug.

3. *Matrimonium Paulus Apostolus Creatoris, & non Marcionis, approbauit; & mulierem viro reconciliari jussit. 5. cont. Marc. cap. 7. à p.*

SEquitur de nuptiis congredi, quas Marcion constantior Apostolo prohibet. Etenim Apostolus, etsi bonum continentiæ præfert, tamen coniugium & contrahi permittit, & vsui esse, & magis retineri quàm disjungi suadet. Planè Christus vetat diuortium, Moyses verò permittit. Marcion totum concubitum auferens fidelibus, (viderint enim catechumeni eius) repudium antè, nuptæ jubens, cuius sententiam sequitur, Moysi an Christi? Atquin & Christi Apostolus, quum [a] *præcipit mulierem à viro non discedere*; aut si discesserit, manere innuptam, aut reconciliari viro; & repudium permisit, quod non in totum prohibuit; & matrimonium confirmauit, quod primò vetuit disjungi; & si fortè disjunctum, voluit reformari.

1. Cor. 7. 1. & 17. Matth. 19. 6. & 8. Deut. 24. 1. a 1. Cor. 7.10.

MATRIMONIVM. 3. SCHOL.

CONGREDI, *restat vt disputemus.* CONSTANTIOR, *ironicè, castior, vel vt alibi castor, præcidens virilia in totum tollens Matrimonium. Vel denique durior, prorsus rejiciens quod Apostolus concedens ait 1. Cor. 7. 1. & seq.* Bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat. *Syr. quisque vxori suæ adhæreat, & vnaquæque viro suo adhæreat:* vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro, &c. *Et versu 8.* Dico autem non nuptis & viduis: Bonum est illis si sic permaneant sicut & ego. Quod si non se continent, nubant. *Aug. lib. 9. de Gen. ad lit. c. 7.* Vtriusque sexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honestate nuptiarum, vt quod sanis possit esse officium *in statu innocentiæ* sit ægrotis remedium, *in statu naturæ corrupta:* neque enim quia incontinentia malum est, ideo connubium vel quo *etiam* incontinentes copulantur, non est bonum: immò verò non propter illud malum, culpabile est hoc bonum, sed propter hoc bonum, veniale est illud malum; quoniam id quod bonum est habent nuptiæ, & quòd bonæ sunt nuptiæ, peccatum esse nunquam potest. Hoc autem tripertitum est; fides, proles, Sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum coniugale, cum altera, vel altero concumbatur; in prole, vt amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. In Sacramento autem vt conjugium non separetur, & dimissus, aut dimissa, nec causa prolis alteri conjungatur. Hæc est tanquam regula nuptiarum, quâ vel naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ regitur prauitas. *Videas Lector caput sequens, in quo Aug. pulchra inductione probat homines ab vno extremo ad aliud transire vitium, & concludit.* Ita dum nesciunt homines quid in adulteriis & fornicationibus diuino jure damnetur, etiam causa procreandi, coniugalem concubitum detestantur. PLANE CHRISTVS, *pro Marcione obiter, Christum Moysi contrarium.* CATECHVMENI, *nescio si id suis ante baptismum permittat.* ANTE NVPTÆ, *volens prorsus repudiari, nec ei omnino coniugij vel jam ducta renuntiari.* ATQVIN, *atqui.* CVM PRÆCIPIT, 1. *Cor. 7. 10.* Iis autem qui Matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus *Matth. 19. 6. Luc. 16. 18.* vxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir vxorem non

S. Aug.

S. Aug. dimittat. REFORMARI *redintegrari. Aug. lib. 1. ad Pollentium de Adulterinis conjugiis c. 3. cum textum Pauli retulisset.* Cur dixisti Apostole, quod si discesserit manere innuptam? licetne discedere, an non licet? si non licet, cur præcipis discedenti vt maneat innupta? si autem licet, profecto est aliqua causa quâ liceat. Hæc autem inquisita, non inuenitur, nisi quam solam Saluator excepit, id est causa fornicationis, Ac per hoc non præcepit Apostolus mulierem, si discesserit, manere innuptam, nisi quæ illâ causâ discedit à viro, quâ solâ ei licitum est discedere à viro. A Vbi enim dicitur, præcipio non discedere, quod si discesserit manere innuptam; absit vt contra hoc præceptum faciat, quæ sic discedit vt innupta permaneat, &c. Quis est qui dicat, si discesserit mulier à viro non fornicante, innupta permaneat, cum ei nisi à viro fornicante discedere omnino non liceat? sensus itaque iste tuus quantum aduersetur vinculo conjugali, vbi Dominus nec continentiam voluit suscipi, nisi pari concordique sensu, puto quod jam intelligas.

4. *Matrimonij diuortium vetuit Christus Creatoris, quod permisit Moyses ad duritiam cordis* 4. *cont. Marc. cap. 34. in p. vsque ad m.*

a Luc. 16. 18. CHristus diuortium prohibet, dicens; [a] *Qui dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit,*
adulterium committit: qui dimissam à viro duxerit, æquè adulter est. Vt sic quoque prohi-
beat diuortium, illicitum facit repudiatæ matrimonium. Moyses verò permittit repudium
b Deut. 24. 1. in Deuteronomio; [b] *Si sumpserit quis vxorem, & habitauerit cum ea, & euenerit non inuenire*
eam apud eum gratiam, eo quod inuentum sit in illa impudicum negotium, scribet libellum repudij, &
dabit in manu eius, & dimittet illum de domo sua. Vides diuersitatem Legis & Euangelij, Moy-
si & Christi? Planè. Non enim recepisti illud quoque Euangelium eiusdem veritatis, &
c Matth. 19. 6. & 8. eiusdem Christi, in quo prohibens diuortium, propriam quæstionem eius absoluit; [c] *Moy-*
ses propter duritiam cordis vestri, præcepit libellum repudij dare; à primordio autem non fuit sic, quia
scilicet qui marem & feminam fecerat, Erunt duo, dixerat, in carne vna; Quod Deus itaque junxit,
homo disjunxerit? Hoc enim responso, & Moysi constitutionem protexit, vt sui; & Crea-
toris institutionem direxit, vt Christus ipsius. Sed quatenus ex his reuincendus es, quæ
recepisti, sic tibi occurram, ac si meus Christus. Nonne & ipse prohibens diuortium, &
patrem tamen gestans eum, qui marem & feminam junxit, excusauerit potius quàm de-
struxerit Moysi constitutionem? Sed ecce, sic tuus sit iste Christus, contrarium docens
Moysi & Creatori, vt si non contrarium ostendero, meus sit. Dico enim illum conditio-
d Luc. 16. 18. naliter nunc, fecisse diuortij prohibitionem, si ideo quis dimittat vxorem, vt aliam ducat:
[d] *Qui dimiserit, inquit, vxorem, & aliam duxerit, adulterium commisit. & qui à marito dimissam*
duxerit, æquè adulter est; ex eadem vtrique causa, quâ non licet dimitti, vt alia ducatur: illi-
citè enim dimissam, pro indimissa ducens, adulter est. Manet enim matrimonium, quod
non ritè diremptum est. Manente matrimonio nubere, adulterium est. Ita si conditiona-
liter prohibuit dimittere vxorem, non in totum prohibuit. & quod non prohibuit in to-
tum, permisit aliàs, vbi causa cessat ob quam prohibuit. Et jam non contrarium Moysi
docet, cuius præceptum alicubi conseruat: nondum dico, confirmat. Aut si omnino negas
permitti diuortium à Christo, quomodo tu nuptias dirimis? nec conjungens marem & fe-
minam, nec alibi conjunctos ad Sacramentum baptismatis & Eucharistiæ admittens, nisi
inter se coniurauerint aduersus fructum nuptiarum, vt aduersus ipsum Creatorem? Certè,
quid facit apud te maritus, si vxor eius commiserit adulterium? habebitne illam? Sed nec
1. Cor. 6. 15. tuum Apostolum sinere scis conjungi prostitutæ, membra Christi. Habet itaque & Chri-
stum assertorem, justitia diuortij. Iam hinc confirmatur ab illo Moyses, ex eodem titulo
prohibens repudium, quo & Christus, si inuentum fuerit in muliere negotium impudicum.
e Deut. 24. 1. Matth. 19. 9. Luc. 16. 18. Nam & in Euangelio Matthæi; [e] *Qui dimiserit, inquit, vxorem suam præter causam adulterij,*
facit eam adulterari. atque ita adulter censetur & ille, qui dimissam à viro duxerit. Ceterùm,
præter ex causa adulterij, nec Creator disjungit, quod ipse scilicet conjunxit; eodem alibi
Moyse constituente eum qui ex compressione matrimonium fecerat, non posse dimittere
vxorem in omne tempus. Quod si ex violentia coactum matrimonium stabit, quantò ma-
Deut. 22. 28. gis ex conuenientia voluntarium? sicut & prophetiæ auctoritate, [f] *Vxorem juuentutis tuæ*
f Malach. 2. 15. *non dimittes.* Habes itaque Christum vltro vestigia vbique Creatoris ineuntem, tam in per-
mittendo repudio, quàm in prohibendo. Habes etiam nuptiarum, quoquo velis latere,
prospectorem, quas nec separari vult, prohibendo repudium; nec cum macula haberi,
tunc permittendo diuortium. Erubesce, non conjungens, quos tuus quoque Christus
conjunxit. Erubesce etiam disjungens, sine eo merito, quo disjungi voluit & tuus Christus.

MATRIMONIVM. 4. SCHOL.

CHRISTVS DIVORTIVM, &c. *Sic inducit objicientem Marcionem, probantem Christum alterius Dei, quam Dei Creatoris filium, ex eo quod aduersetur Moysi, prohibeatque diuortium quod ille permisit. Sic enim Moyses Deut. 24. 1.* Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius, propter aliquam fœditatem: 70. *quia inuenit in ea rem turpem* scribet libellum repudij, & dabit in manus illius, & dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam,

dederitque ei libellum repudij, & dimiserit de domo sua, vel certè mortuus fuerit: non poterit prior maritus recipere eam in vxorem: quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino. *Christus autem Luc. 16. 18.* Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimissam a viro ducit, mœchatur. PLANE, *respondet Tertull.* EVANGELIVM EIVSDEM VERITATIS, *eandem veritatem tractans, & eiusdem Christi, qui de se dixit*, Ego sum veritas. *Matthæi Euangelium intelligit, quod, solo Luca in multis truncato & suo more consarcinato, servato; reiecit Marcion.* MOYSES PROPTER, &c. *Matth. 19. 3. tentantibus Pharisæis*: si licet homini dimittere vxorem suam quacumque ex causa? qui respondens ait eis: non legistis, quia qui fecit hominem ab initio masculum & fœminam fecit eos? & dixit: propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna *Syr. adjunget sese vxori suæ, eruntque ambo vna caro.* Itaque jam non sunt duo, sed vna caro, quod ergo Deus conjunxit, homo non separet: dicunt illi quid ergo Moyses mandauit dare libellum repudij, & dimittere? Ait illis: quoniam Moyses ad duritiam *Syr. propter duritiam* cordis vestri; permisit vobis dimittere vxores vestras: Ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem *Syr. non adulteram*, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur. VT SVI, *a se inspirati vt hoc scriberet.* DIREXIT, *ostendit esse rectam, & bonitati suæ respondentem, qui adiutorium masculo prospexerat fœminam, & duos in carnem vnam junxerat, & vtriusque Testamenti authorem vnum, & se Dei Creatoris filium confirmauit.* EX HIS, *scriptis noui Testamenti, scilicet ex Luca, quem Marcion admittit, satis conuincitur.* QVASI MEVS, *& non tuus.* NONNE IPSE, *Christus.* PATREM GESTANS, *ipsum vt eius imago referens, Deum Creatorem agnoscens, verba eius ex Genesi proferens & quasi manu gestans.* SIC TVVS, *esto; ita tibi proprius vendicetur Christus destructor videatur legis Mosaycæ in hac parte, diuortium reprobans: apertè nihilominus, & meum esse, & Creatoris filium probo, quanquam non possem in hoc exemplo de repudio legis Mosaicæ defensorem demonstrare; quod tamen feci.* DICO NVNC, *nil aliud tibi nunc pro hac parte respondeo, Christum non absolutè prohibuisse diuortium à Moyse concessum, sed sub hac tantum conditione, vt patet ex littera textus, quâ vir vxorem repudiaret, vt alteram duceret.* PRO INDIMISSA. *Quasi indimissam & adhuc primo viro obligatam.* ALICVBI, *aliqua ex parte conseruat.* S. Aug. *Aug. to. 6. lib. 1. ad Pollentium de Adulterinis coniugiis cap. 2.* Cum dictum est, quicumque dimiserit vxorem suam exceptâ causâ fornicationis, facit eam mœchari; quomodo dictum intellecturi sumus, nisi prohibitum esse hominem dimit-

A tere vxorem, si nulla causa fornicationis extiterit? & dictum est quare, ne scilicet faciat eam mœchari. Vtique ideo, quia etiamsi non ipsa dimiserit, sed dimissa fuerit, erit mœcha si nupserit, &c. *Et cap. 3.* S. Aug. Nec continentiæ causa dimitti coniugem voluit, qui solam causam fornicationis excepit. *Et capite 5.* Hanc S. Aug. solam Deus magister excepit, cum de dimittenda loqueretur vxore; deditque intelligi, talem formam etiam in viro esse seruandam; quoniam non solum mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir; sed similiter & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier. 1. Cor. 7. *Et cap. 7.* Restat vt quod S. Aug. dictum est, si discesserit manere innuptam, de illa B dictum docere debeamus, cui licere discedere, non vtique nisi à fornicante didicimus. Ne si aliter docuerimus, obtentu continentiæ, perturbemus Christiana coniugia, & contra misericordissimum Domini præceptum dimissos à continentibus mulieribus incontinentes viros, vel à continentibus viris incontinentes mulieres, in adulteria compellamus. *Et cap. 9.* Quicumque hoc fecerit, vt vxore sua dimissa alteram ducat, mœchatur: sine dubio ibi sunt S. Aug. ambo, & qui præter, & qui propter causam fornicationis dimittit vxorem. TV NVPTIAS *omnino prohibes vt malas & institutas à Creatore.* NEC CONIVNGENS. *Inuri non permittens.* ALIBI, *jam aliàs vel in alia* C *quam tua secta contractas.* CONIVRAVERINT, *simul jurauerint abstinere ab actu Matrimonij & generatione prolis.* ADVERSVS CREATOREM, *id iubentem initio mundi, ad propagationem generis humani Gen. 1. 27.* Masculum & fœminam creauit eos, benedixitque illis Deus & ait: Crescite & multiplicamini & replete terram & subjicite eam. HABEBITNE, *retinebitne, habitabit, cognoscet illam?* TVVM APOSTOLVM *quem tuum fingis & tibi vsurpas.* MEMBRA CHRISTI, *1. Cor. 6. 15.* Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? *quia corporis eius, id est Ecclesiæ sunt, vel empta à Christo* tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? IVSTITIA, *justa causa diuortij à Christo defenditur.* PRÆTER, *præterquam.* MOYSE CONSTITVENTE *Deut. 22. 28.* Si inuenerit D vir puellam virginem quæ non habet sponsum, & apprehendens 70. *& vim faciens dormierit cum ea, & inuentus fuerit* concubuerit cum illa, & res ad judicium venerit: dabit qui dormiuit cum ea patri puellæ quinquaginta siclos argenti, 70. *didrachmata* & habebit eam vxorem, quia humiliauit illam: non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ. CONVENIENTIA, *consensu.* PROPHETIÆ, *Malach. 2. 15.* Vxorem adolescentiæ tuæ noli despicere. 70: ne derelinquas. QVOQVO, *quantumcumque latere velis.* HABERI, *retineri.* SINE EO MERITO *in pœnam adulterij.*

V. VERBVM NVPTIÆ.

MENDACIVM ET MENDAX.

Mendacium & dissimulatio, in causa Religionis, prohibetur Apol. cap. 21. circa f.

NEmo jam infamiam incutiat, nemo aliud existimet, quia nec fas est vlli de sua Religione mentiri. Eò enim, quod aliud à se coli dicit, quàm colit, negat quod colit, & culturam in alterum transfert, & transferendo jam non colit quod negauit.

MENDACIVM. SCHOL.

INCVTIAT, *nemo tentet deinceps nos à fide profitenda deterrere incusso timore infamiæ nominis Christiani. Vel, nemo toties nobis obiicias & inculces à vobis ficta* *Religionis nostræ crimina.* ALIVD EXISTIMET. *Quam quod Christianus de sua Religione confitetur.* VLLI, *non tantum fideli, sed & infideli non licet.* DE SVA RE-

LIGIONE. *Aug. lib. de Mendacio c. 18.* Ab doctrina Religionis, atque ab eis omnino enuntiationibus, quæ propter doctrinam Religionis enuntiantur, cùm illa docetur & discitur, omnia penitus mendacia remouenda sunt, nec vlla omnino causa inueniri posse credatur, cur in rebus talibus mentiendum sit, quando nec ideo in ea doctrina mentiendum est, vt ad eam ipsam quisque facilius perducatur. Fracta enim vel leuiter diminuta authoritate veritatis, omnia dubia remanebunt, quæ nisi vera credantur, teneri certa non possunt. Licet igitur vel disertori & disputatori, atque prædicatori rerum æternarum, vel narratori, vel prænuntiatori rerum temporalium ad ædificandam religionem, atque pietatem pertinentium occultare in tempore, quidquid occultandum videtur; mentiri autem nunquam licet, Ergo nec occultare mentiendo. Eo, *ipso facto*, ALIVD, *inquam*, QVOD COLIT, *numen illud, Deum suum.* CVLTVRAM, *cultum, latriam, alteri conferens, quem mentitur & fingit se colere.*

S. Aug.

Mendax & infidelis in modico, erit etiam in magno. De Ani. cap. 28. à m.

TAntò & in durioribus fefellit, qui molliora mentitus est.

MENDAX. SCHOL.

TAntò *magis.* IN DVRIORIBVS, *grauioris momenti, in quibus aliquid lucri vel famæ, mentiens prætendit; vel in rebus difficilioris fidei, & auditu durioribus, jam fefellisse præsumitur. Ad literam agit de Pythagora; de quo sequenti Scholio. Nos ad morale retulimus juxta Luc. 16. 10.* qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est. *Qui peierat vt Pythagoras in fingenda morte sua, re parui momenti, peierauit in grauiori, animarum omnium recidiuatu & reditu in corpora. Vnde vt mendaci, omnino credendum non est. Aug. cont. Mendacium cap. 4.* Videsne quo tendat hoc malum, vt scilicet non solum nos illis (*Priscillianistis hæreticis*) ipsique nobis, sed omnis frater, omni fratri non immeritò videatur esse suspectus? Atque ita dum per mendacium tenditur, vt doceatur fides, id agi potius, vt nulli habenda sit fides. Si enim & contra Deum loquimur cum mentimur, quid tantum mali poterit in vllo mendacio reperiri, quod tanquam scelestissimum omnimodo deuitare debeamus?

S. Aug.

METEMPSYCHOSIS.

METEMPSYCHOSIS PYTHAGORÆ, ET RECIDIVATVS ANIMARVM.

1. *Platonis, quàm mendax & vanus. De An. à cap. 28. per totum vsque ad 33. in p.*

QVis ille nunc vetus sermo apud memoriam Platonis, de animarum reciproco discursu, quod hinc abeuntes eant illuc, & rursus huc veniant & viuant, & dehinc è vita abeant: rursus ex mortuis effici viuos? Pythagoricus, vt volunt, quin & diuinus, vt Albinus existimat, aut Mercurij forsitan Ægyptij. Sed nullus sermo diuinus, nisi Dei vnius, quo Prophetæ, quo Apostoli, quo ipse Christus intonuit. multò antiquior Moyses etiam Saturno, nongentis circiter annis, nedum pronepotibus eius; certè diuinior multò, qui decursus generis humani ab exordio mundi quoque per singulas natiuitates nominatim temporatimq. digessit, satis probans diuinitatem operis ex diuinatione vocis. Si verò Samius Sophista Platoni auctor est animarum de recidiuatu reuolubili semper ex alterna mortuorum atque viuentium suffectione, certè ille Pythagoras, etsi bonus cetera, tamen vt hanc sententiam exstrueret, non turpi modò, verùm etiam temerario mendacio incubuit. Cognosce, qui nescis, & crede nobiscum. mortem simulat, subterraneo latitat, septenni se illic patientia damnat, interea quæ de posteris defunctis ad fidem rerum esset relaturus, ab vnica conscia, & ministra matre cognoscit. vt satis sibi visus est corpulentiam interpolasse ad omnem mortui veteris horrorem, de adytis fallaciæ emergit, vt ab inferis redditus. quis non crederet reuixisse, quem crediderat obisse? audiens præsertim ab eo, quæ de posteris mortuis nisi apud inferos, non videretur cognoscere potuisse. sic ex mortuis viuos effici senior sermo est. quid enim si & junior? neque veritas desiderat vetustatem, neque mendacium deuitat nouellitatem. Teneo planè falsum, antiquitate generosum; quidni falsum, cuius testimonium quoque ex falso est? quomodo credam non mentiri Pythagoram, qui mentitur vt credam? quomodo mihi persuadebit Æthalidem, & Euphorbum, & Pyrrhum piscatorem, & Hermotimum se retro ante Pythagoram fuisse, vt persuadeat viuos ex mortuis effici, qui iterum se Pythagoram peierauit? Quantò enim credibilius ipse ex semetipso semel redisset in vitam, quam totiens alius atque alius? tantò & in durioribus fefellit, qui molliora mentitus est. Sed clypeum Euphorbi olim Delphis consecratum recognouit, & suum dixit, & de signis vulgo ignotis probauit. Respice ad hypogeum eius, &, si capit, crede. Nam qui talem commentus est stropham, cum iniuria bonæ valetudinis, cum fraude vitæ septennio excruciatæ infra terram inedia, ignauia, vmbra; cui tanti fuit fastidium cœli; quam non accesserit temeritatem? quam non tentauerit curiositatem? vt ad notam clypei illius perueniret? Quid autem, si in historiis aliquibus occultioribus reperit, quid si defectæ jam traditionis superstites aliquas famæ aurulas hausit? quid si ab æditro redempta clam inspectione cognouit? Scimus etiam Magiæ licere explorandis occultis per catabolicos, & paredros, & Pythonicos spiritus. Non enim & Pherecydes Pythagoræ magister, his forsan artibus diuinabat, ne dicam somniabat? Quid si idem dæmon in illo fuit, qui & in Euphorbo

res sanguinis gessit? Denique, qui se Euphorbum ex argumento clypei probarat, cur neminem Trojanorum commilitonum æquè recognouit? Nam & illi jam reuixissent, si viui ex mortuis fierent. *Vide sequentia to. 1. libro de Anima.*

METEMPSYCHOSIS. 1. SCHOL.

CAP. XXVIII. VETVS SERMO &c. *Sic Plato in Phædone* vetus A equidem sermo quispiam hic est, quod hinc abeuntes, illinc sint, & rursus huc redeunt, & ex mortuis fiunt viuentes. APVD MEMORIAM. *Carpit Platonis reminiscentiam, quasi obliuionem excusserit huius veteris dicti, cuius tum memoriam refricauerit.* PYTHAGORIBVS, *supple hic vetus sermo, immo & diuinus, quia & à multis habitus inter Deos, & Magister eius Pherecides.* VT ALBINVS. *malè alij legunt*, Albini vt existimo. *cum Tertull. dicat veterem hunc sermonem, apud Platonem: Albinus quippe Platone recentior, & discipulus eius. Malim igitur Albinum hunc sermonem, siue sententiam tribuere Platoni quem omnes communiter* Diuinum *appellant.* MERCVRII. *Trismegistum intelligo, de quo Tertull. lib. de Anima cap. 2. ait, eius* B *sententias secutum Platonem: cum enim de Doctrina diuina ageret, sic inter cætera:* plerosque authores etiam Deos existimauit antiquitas, nedum diuos; vt Mercurium Ægyptium, cui præcipuè Plato adsueuit. IPSE CHRISTVS, *de quo in Euang.* nunquam sic homo locutus est. ETIAM SATVRNO. *sic Eusebius lib. 10. præpar. c. vltimo, antiquitatem Moysi asserit, vt det pondus Doctrinæ Sacræ. Cum Tertulliano consonat Lactantius lib. 4. c. 5. & Theophilus lib. 3. ad Autolycum, in hac supputatione. & ipse Tertull. Apol. 19. notat juxta Iosephum, Moysem annis mille circiter cladem Priami præcessisse; Saturnus autem vt notant Eusebius & Beda, non regnauit nisi 150. annis ante Æneæ* C *in Italiam aduentum. Vnde si Moyses floruit mille annis ante ruinam Troianam, restat eum præcessisse Saturnum nongentis circiter annis. Nec abs re hoc tempus memorat Author noster, vt carpat Metempsychosim Pythagoræ, Platonis, cum maximè Pythagoras iactet se fuisse in bello Troiano. Quin & Artapanus refert Moysen dedisse litteras Ægyptiis, & eum esse quem Mercurium dixerunt.*

S. Aug. *Et August. lib. 18. de Ciuit. cap. 39.* Quod attinet ad Philosophiam quæ se docere aliquid profitetur, vnde fiant homines Beati, circa tempora Mercurii, quem Trismegistum vocauerunt, in illis terris eiusmodi studia claruerunt: longè quidem ante sapientes vel Philosophos Græciæ, sed tamen post Abraham & Isaac & Iacob, & Ioseph, nimirum etiam D post ipsum Moysem, eo quippe tempore quo Moyses natus est, fuisse reperitur Atlas ille magnus Astrologus Promethei frater, maternus auus Mercurij maioris, cuius nepos fuit Trismegistus iste Mercurius. DIVINATIONE VOCIS. *Opus suum nempe Pentateuchum, ex diuinis oraculis in eo editis probauit. Vel opus Creationis Diuinum esse, cum toties scripsit:* Dixit Deus, fiat, &c. *Diuinauit Patrem Verbo suo Cælum & omnia fecisse; siue prophetauit.* SAMIVS SOPHISTA, *à Samo Insula vbi floruit, & Italicam Disciplinam transportauit. Sophistam in bonam partem sumit Tertullian. cont. Valentin. vbi vocat Miltiadem* Ecclesiarum Sophistam. *Vt & Claudianus Mamertus lib. 2. de statu animæ c. 2. D. Augustinum Sophistam dicit. Hic ego in* E *malam partem sumpsisse credo, nec hæret coniectura Lacerda. Licet enim dicat Tertull.* Bonus cætera, *id est cæteroqui, vel alias, bonus: id ironicè dictum constat ex subiectis: vbi & Magum, & periurum. Et ignauum & temerarium, & adeoni corruptorem vocat. Augustinus Samium dixit & Philosophum lib. 8. de Ciuit. cap. 2. Vbi de duplici genere Philosophorum Italico & Ionico.*

S. Aug. Italicum genus authorem habuit Pythagoram Samium, à quo etiam ferunt, ipsum Philosophiæ nomen exortum. Nam cum antea sapientes appellarentur, qui modo quodam laudabilis vitæ aliis præstare videbantur: iste interrogatus, quid profiteretur, Philosophum se esse respondit, id est studiosum vel amatorem sapientiæ: quoniam sapientem profiteri, arrogantissimum videbatur. RECIDIVATV, *reditu animarum reuolubili in corpora.* PLATONI AVTHOR, *à quo Plato id didicit.* TEMERARIO, *quia se morti exponebat ob crassiorem & humidiorem aërem, tandiu latens sub terra; vel Deum prouocabat*, perdentem loquentes mendacium, *& Magiæ vacantes.* SVBTERRANEO, *loco, sepulchro forsitan, vnde August. lib. 7. de Ciuit. c. 35. Ex Varrone notat Pythagoram non Hydromantiæ tantum, sed & Necromantiæ peritum, & adhibito sanguine inferos sciscitatum.* POSTERIS, *post suam mortem simulatam, mortuis.* VT, *vbi, cum vidit.* CORPVLENTIAM INTERPOLASSE, *satis finxisse separationem animæ suæ à corpore, & mortem, adeo vt septennis mortuus, supra quatriduanum Lazarum fœtens, arcere posset etiam charissimos ab aperiendo sepulchro.* ADYTIS FALLACIÆ *abditis mentitæ mortis latebris.* REDDITVS, *quasi suscitatus à mortuis, vel vt Metempsychosim proprio doceret exemplo, anima transmigrante in corpus.* DE POSTERIS, *defunctis post ipsum Pythagoram putatum mortuum.* SENIOR, *vetus. Inde manauit antiqua opinio Pythagoræ de reditu animarum in corpora.* NEQVE VERITAS, *inconcussa, semper eadem manens, non eget vetustate probationum.* NOVELLITATEM. *nouitatem non fugit mendacium; quia hodie, vt olim,* filij hominum diligunt vanitatem, & quærunt mendacium. FALSVM, *talem animarum reditum; licet nobilis hæc opinio videatur ignorantibus propter antiquam eius à Pythagora originem.* PERSVADEBIT. *Ipse Pythagoras se fuisse hos quatuor viros nominatos, priusquam Pythagoras fuisset, cum iterum ipse periurus se prius fuisse Pythagoram asseruerit. Videndus Diogenes Laërtius in Pythagora, vbi has recenset diuersas transmigrationes.* ETHALIDEM, *alij malè legunt* Ephalidem & Hermippum. *Ethalides autem narratur fuisse Mercurij filius, qui à Patre obtinuit vt viuus & defunctus haberet memoriam omnium quæ agerentur. Hinc Pythagoras cum Hermotimus esset aut Euphorbus, iactabat se fuisse Ethalidem, & omnium quæ gesserat se meminisse.* EVPHORBVM *nobilem Troianum in bello Troiano à Menelao occisum, cuius animam Pythagoras in se transmigrasse affirmabat.* HERMOTIMVM, *alij Hermotinum, hominem quendam Clazomenium, cuius anima deserto corpore solebat errare, & vaga è longinquo multa nuntiabat, quæ sciri non poterant nisi ibi præsens fuisset, corpore interim iacente velut exanimi. Tandem quidam Cantaridæ dicti, animæ eius redeunti, quasi vaginam abstulerunt, corpore cremato. Vide Plin. lib. 7. c. 52.* PYRRHVM *Delium piscatorem, de quo consule Diogenem Laërtium.* TANTO ET IN DVRIORIBVS. *Vide dicta V. Mendax.* TOTIENS, *toties.* SED CLYPEVM. *Vide dicta V. Magia. 3.* HYPOGEVM *alij* Hypogæum. *Sepulchrum scilicet subterraneum, ædificium concameratum, sub quo à matre custoditus & nutritus est.* SI CAPIT, *si verè, vt* Capulum, *id est conditorium & sepulchrum verè tum mortuum, septennio cepit, cæteris eius fabulis crede.* COMMENTVS, *finxit.* STROPHAM, *fraudem, imposturam, versutiam.* CVM INIVRIA, *quia iniustè finxit se mortuum, qui benè valebat; vel plenam sanitatem aperto morbi periculo subterraneus exposuit.* TANTI FVIT, *qui sic neglexit libertatem videndi cœli, & hauriendi purioris aëris; ad quam opinionem temerariam asserendam, non erumpet, qui fuimet bestiis, tam dura subiit, vt fabulæ suæ fidem*

A *pareret.* CVRIOSITATEM, *Magiam. Act.* 19. 19. *Vulgata* multi autem ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros & combusserunt coràm omnibus; & computatis pretiis illorum inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. *Syr. Expressius:* multi porro etiam ex magis congregarunt libros suos, allatosque concremarunt coram omnibus: cæterùm supputarunt pretium earum, & ascendit ad argenti quinque Myriadas. REDEMPTA INSPECTIONE. *Ab adituo templi Delphici, numerata pecunia, apud se Clypeum habuit, cuius notas clam inspiceret, & examinaret.* SCIMVS ETIAM. *Habes jam exposita sequentia vsque ad cap. 29. V. Magia. 3. Pherecides.*

S. Aug. *August. Epist. 3. ad Volusianum vbi de Christo Magistro veritatis:* quod ad Magisterium eius attinet: quis nunc extremus idiota, vel quæ abiecta muliercula non credat animæ immortalitatem, vitamque post mortem futuram? quod apud Græcos olim primus Pherecydes Assyrius cum disputasset, Pythagoram Samium illius disputationis nouitate permotum, ex athleta in Philosophum conuertit.

C. XXIX. MORTVOS QVIDEM &c. *hic respondet Platoni, qui docuit in Phædone ex mortuis sic viuos homines fieri, sicut ex viuis fiunt mortui. Et hoc eius fundamentum erat, quod omnia fiant ex contrariis, mors autem vitæ contraria est; ergo vt homo qui vixit moritur, sic qui moritur reuiuiscit. Inde orta reuolutio, & reditus animarum.*

S. Aug. *August. lib. 12. de Trin. c. 15.* non acquiescendum est eis qui Samium Pythagoram ferunt recordatum fuisse talia nonnulla quæ non fuerat expertus, cum hîc alio jam fuisset in corpore: & alios nonnullos narrant alij eiusmodi aliquid in suis mentibus passos. Quas falsas fuisse memorias, quales plerumque experimur in somnis, quando nobis videmur reminisci quasi egerimus, aut viderimus, quod nec egimus omnino, nec vidimus: Et eo modo affectas esse illorum mentes etiam vigilantium, instinctu spirituum malignorum atque fallacium, quibus curæ est de reuolutionibus animarum falsam opinionem ad decipiendos homines firmare vel serere, ex hoc coniici potest; quia si verè illa recordarentur quæ hîc in aliis antea positi corporibus viderant, multis ac penè omnibus id contingeret: Quandoquidem vt de viuis mortuos, ita de mortuis viuos, tanquam de vigilantibus dormientes, & de dormientibus vigilantes, sine cessatione fieri suspicantur. NON IDEO. *Licet naturæ lege homo ex corruptibilibus conflatus elementis, sit mortalis, & omnis viuens moriatur:* quis est homo qui viuet, & non videbit mortem? *non tamen sequitur (excepta resurrectione mortuorum per omnipotentiam Dei, & meritum mortis Christi) vt mortui ad vitam redeant.* VIVI PRIORES. *à mundi exordio primi homines, non sunt orti ex seipsis mortuis, sed primò viui conditi sunt.* ÆQVE, *similiter ab exordio mundi posterius mortui sunt; priusquam semel morerentur, semel item viui fuerant. Contra sensum* Platonis *de quo Aug. lib. 12.*

S. Aug. *de Trinit. c. 14.* Plato ille Philosophus nobilis persuadere conatus est vixisse hîc animas hominum, & antequam ista corpora gererent, & hinc esse quod ea quæ discuntur, reminiscuntur potius cognita, quàm cognoscuntur noua. ILLI, *scilicet viui priores de quibus supra* VNDE POTIVS *aliunde ortus & vitæ suæ principium quodlibet habuerunt, quam seipsos, jam mortuos.* ISTI, *mortui posteriores.* DEDVCERENTVR. *originem traherent: mallem tamen hanc vocem ad funus applicare, quia enim prius viui erant, & mortales, principium mortis in se habentes, vnde ad sepulchrum deducuntur, nisi quia prius vixere mortales?* ORIGINI FONS? *an fortè exhaustus erat fons omnis vitæ Deus, vt origini, id est humano generi propagando non sufficeret, vt singulis corporibus, singulas animas de nouo creatas, singulis corporibus organizatis infunderet, sed vno semel numero animarum condito, per earundem in diuersa corpora reuolutionem, genus humanum subinde repararet?* AN FORMÆ POENITVIT? *quā scilicet mundi exordio primo homines viuos condidit, vt à vita prima semel transirent ad mortem: vnde & Apostolus:* statutum est omnibus hominibus semel mori: *id est animam semel è proprio corpore migrare, in idem ipsum semel remigraturam, vt in judicio recipiat vnaquæque prout gesserit in corpore suo, non alieno, siue bonum siue malum.* SALVA EST? *vis saluam esse in mortuis formam, qua dicis animam defuncti post mortem in alia corpora transmigrare, vt rursum hic viuat apud viuos.* NON QVIA, *inducit hic Platonem respondentem sibi, non sequi necessariò, vt quod ab initio fuit, vt scilicet mortui fierent ex hominibus prius semel viuis, idipsum semper sic accidat.* AVT ENIM. *Quod*

B *obscurum reddit Authorem nostrum, est frequens mutatio interlocutorum, eorum nomine suppresso. Hic igitur Tertullianus loquitur: si non vult Plato, eandem semper formam, ab initio institutam seruari, quam nos credimus; Sed vult mutatam esse, contrariorum lege, vt qui prius fuerant viui, vnde facti sunt mortui, sic è contrario ex eisdem mortuis rursum fiant viui: aut primam omnino formam in viuis mortuisque seruauit, aut in vtrisque mutauit.* SI VIVOS. *Si animæ mortuorum debebant postea in alia corpora transire, vt rursum hic viuerent; cùm velit omnia in contrarium fieri; non debebant animæ viuorum migrare ex corporibus, sed in his semper viuere, nec ex viuis inter mortuos abire.* SI NON PERÆQVARE, *quod si fides quam exigit* Plato *ab auditoribus suis, in hoc suo instituto, & Sententia de reuolubili reditu ani-*

C *marum, æqualiter se non habet in omnibus contrariis, nec admittit quod rectè intulimus, semel ex mortuis animam redditam corpori, rursum eo relicto hominem ex viuo effici mortuum:* NON VSQVEQVAQVE, *omnimodè verum non est fundamentum eius, &c.* REFORMARI ALTERNANT, *vicissim ex contrariis reparantur.* ET NOS ENIM. *Nos quoque* Platoni *quatuor obiiciemus contraria, innatum, & natum, visibilitatem & cæcitatem, juuentutem & senectutem, sapientiam & insipientiam: Nec enim potest oriri quod innatum est, de nato, nec de cæcitate visibilitas, &c.* ALBINVS, Platonis *Discipulus timens & præcauens hæc obiicienda* Platoni, *quibus conuincitur, regulam eius de contrariis, vniuersaliter veram non esse, inter contraria distinxit, dicens viuis & mortuis*

D *omnibus id conuenire, quod cæteris contrariis fortè non conuenit.* AD SENTENTIAM *tuendam.* INTERPRETANTVR, *alij scilicet cum Albino Platonici.*

C. XXX. QVID AVTEM. *Quid ad alia Platonis argumenta dicemus? vel potius, quid ad cætera jam dicta contra Platonem responsionis adiiciemus?* HÆSISSET, *fixus & determinatus, nec maior, nec minor quàm primò conditus stetisset hominum & animarum numerus.* EXISSENT, *animæ de corporibus,* QVAM REDIRENT, *in alia corpora.* COMMENTARIOS, *historias & libros rerum humanarum.* ABORIGINES, *sic dicti, quasi absque origine aliena, primi scilicet progenitores, cultores & indigenæ vrbium.* VAGI, *nullo certo loco manentes, sed errantes circumquaque.* EXTORRES, *exules pulsi ex terra natali.*

E GLORIOSI, *famæ & gloriæ causa alias terras occupantes.* SCYTHÆ, *Iustin. lib. 2. tradit imperium Bactrianum & Parthicum à Scythis conditum.* AMYCLÆ, *alij legunt,* Menidæ, alij Temenidæ. *Ipse quidem Tertull. lib. de Pallio:* Herculea posteritas, qui Temeno pariter Peloponesum occupando producunt. *Amyclæ porro, Laconiæ Ciuitas, à Lacedæmonis filio Amycla, cuius ciues, secundum Pythagoram, ab esu carnium & animalium cæde abstinebant. Quibus cum frequenter hostium aduentus falsò nunciarentur, lege cautum est, ne quis deinceps hanc famam spargeret. Vnde ex improuiso capta Vrbe, natum prouerbium,* Amyclæ taciti: *& rursum:* loqui volo, nam scio Amyclas tacendo periisse. *Amyclæ item coloniam miserunt in Cretam.* SOLEMNES

MIGRATIONES, quæ datâ operâ ex præscripto Reipublicæ vel Imperatoris fiebant. FOENERAVERVNT, nationem suam multiplicauerunt. IN PROMPTV primo oculi intuitu id probat. NEGOTIOSA, negotio, arte, opere hominum multiplicatorum exculta, vel negotiationi addicta & commercio. ARVA DOMVERVNT subegerunt aratro. PECORA, animalia domestica. PANGVNTVR, plantantur, sic Columella; id est quæ deserta primo erant & sterilia, aduecta terra fimoque, hominum labore fertilescunt. CASÆ, lapsæ HORRENT, horrorem incutiunt serpentibus & feris. VBI VITA, ubi homines viuere possunt. ARTIORES, arctiores, angustiores. SEMEL ORBIS, obstupuit, cum tamen Plato lib. 10. de Republica, & in Phædro dixerit post mille annos vniuersi generis humani & totius mundi restitutionem. ÆQVA VIS, æqualis. SVPPARETVR, restituatur in pari numero. QVOD EROGATVR, quasi rogo & igni traditum consumitur, & in cineres soluitur. PARIASSET, par fuisset, ex pari respondisset. COMMEATVS, decursus huius vitæ breuis, cum illis mille annis, vnde facilius extingueretur quàm reuiuisceret. QVÆ HOC MODO, quo Plato voluit. INTERCIDISSET, amissio & restitutio viuorum.

C. XXXI. IAM VERO. Pergit hoc capite contra Platonis sententiam disputans: si ex mortuis denuo viui fiunt, animabus mortuorum in alia corpora transmigrantibus; certè singuli redeuntes ad vitam, ex singulis mortuis reuiuiscent. SI ET BINÆ, &c. Refricat memoriam eorum quæ dixerat hoc ipso lib. de Anima cap. 6. de muliere plures fœtus, proindeque plures animas eos viuificantes in vno vtero concludente. RESVMVNTVR pro vna anima quæ è corpore mortui migrauerat. ET HOC MODO cum scilicet plures animæ pro vna redeunt. SIGNATVR, alij sigillatur, singulatur. Singulariter confirmatur, quod sensit Tertull. quòd ex primi parentis anima, cæteræ sumpserunt originem ex traduce. Aug. lib. 10. de Gen. ad litt. cap. 6.

S. Aug. Illud jam videamus, cuinam potius sententiæ diuina testimonia suffragentur: eine, quâ dicitur, animam vnam Deum fecisse, & dedisse primo homini, vnde cæteras faceret, sicut ex eius corpore cætera hominum corpora: an ei, qua dicitur singulas singulis facere, sicut illi vnam, non ex illa cæteras. Illud enim quod per Esaiam cap. 57. dicit, omnem flatum ego feci: cum hoc eum de anima dicere, quæ sequuntur, satis ostendant, ad vtrumque accipi potest. Nam siue ex vna primi hominis anima, siue ex aliquo suo secreto, omnes proculdubio animas ipse fecit. Et illud quod scriptum est Psal. 32. qui finxit singillatim corda eorum; Si nomine cordium voluerimus animas intelligere, neque hoc repugnat cuiquam duorum de quibus nunc ambigimus, &c. quamquam hoc non mihi videatur dictum, nisi ex eo quod per gratiam nostræ animæ ad imaginem Dei renouatione formantur, &c. Ephes. 2. ipsius enim sumus figmentum creatum in Christo Iesu in operibus bonis, &c. hoc etiam illud esse puto; qui finxit spiritum hominis in ipso: tanquam aliud sit, factam animam mittere, id est in corpus infundere, aliud, in ipso homine facere, id est, reficere ac renouare; sed etiam hoc, si non de gratia in qua renouamur, sed de natura in qua nascimur, intelligamus, ad vtramque sententiam duci potest: quia vel ex vna illa primi hominis, tanquam semen animæ attractum ipse fingit in homine, vt viuificet corpus; siue spiritum vitæ, non ex illa propagine, sed aliunde ex nihilo scilicet creatum corpori infusum, ipse itidem fingit per mortales sensus carnis, vt fiat homo in animam viuam. ITEM CVM VARIA subjicit aliud argumentum contra Platonicos: cum diuersa ætate, serius ocyusve animæ decedant ex corpore, cur semper redeunt in prima ætate infantiæ? sic enim incipiunt mortui reuiuiscere? cur senex infans renascitur? SI DECRESCIT FORIS, si anima foras corpus emissa, minuitur & à sexagenaria retrogreditur, ad infantem, cuius est vita vnius diei super terram, cum crescere potius deberet per illud millenarium annorum Platonis, extra corpus posita; sapientia vtique prouectior esse debuerat, impedimento corporei carceris expedita, &c. Sed esto, iisdem corporis lineamentis & magnitudine non redeat, cur saltem non cum iisdem animi dotibus, ingenio, moribus? hic aduerte Rigaltium in textu præteriisse, sequentia, quæ cæteri legunt. Licet non flatorum, quoque fortè casam vel, &c. Et quidem sic corruptus est hic locus vt non possit bonus elici sensus. Quod potui sic elicui: sed etsi eædem, &c. id est licet eædem animæ semper redirent in corpora, licet non haberent eandem corpoream effigiem (quam expressè tribuit animæ Tertullianus) licet etiam easdem formas & imagines parentum non referrent, (quos flatores vocat, quod flatum id est animam ex traduce crediderit;) vel rursum clarius, per flatus, intelligendo animas earumque formas, vt nec corporum quoque priorum, nec fortè quoque casam, idest domicilium & receptaculum facultatum animi & cellam ingenij & studij: Pristinas tamen & primas ingeniorum, & studiorum, & morum proprietates referre debuerant, sine quibus temerè & sine ratione creduntur eædem esse quæ in corpora redeunt, cum non easdem modò, sed plerumque contrarias proprietates habere probantur. VNDE SCIAS, &c. Inducit Platonicos obijcientes: quid scis vtrum hæc occultè ita sehabeant, sed tot annorum lapsus tibi adimit facultatem discernendi tam lineamenta externa quàm habitus & mores tam veteris defuncti; vnde in reditu post mille annos tibi sunt ignotæ animæ & earum qualitates. ATQVIN, atqui, ait, Tertull. certò scio id non esse verum; Cum inter exempla à te relata sit ipse Pythagoras in Euphorbum mutatus, quem constat tam diuersum moribus. Euphorbus enim miles strenuus, vt patet ex Clypeo in templo Delphico consecrato; Pythagoras reses id est in Italia residens Mathematica vacans & pacificis disciplinis. AGEBAT, exercebatur, vitam transigebat. VT ANIMALIBVS, in quæ animas hominum transire credebat. INRVERAT, innexerat. PER FABALIA, campum fabis satum Vnde ex Iamblico cap. 31. Pythagoræ discipuli cum fugerent milites Dionysij Tyranni, & in fabalia inciderent, maluerunt occidi quam per hæc sata transire. Solus ex his Myllias, captus & interrogatus à Dionysio de socijs: hi quidem sustinuerunt, ne fabas conculcarent: ego prius moriar, quàm dicam tibi cur fabas conculcare nolimus. De ipso Pythagora narrat Suidas, eum incensa domo ab hostibus fugientem, ad campum fabalem constitisse, & jugulatum ibi fuisse. RECVPERANTVR; ad viuos redeunt. GRÆCIÆ CENSV, numero recensitorum in albo Græcorum; vel de tanta Græcorum progenie, quatuor tantum ex mortuis rediisse; vt taceam de tota humani generis progenie, &c. Cur non omnes animæ mortuorum huc transmigrant? μετεμψύχωσιν. Ab Augustino transanimatio dicitur. ET μετενσωμάτωσιν. Transmigratio in diuersa specie & dignitate corpora. SCYTHÆ, sic Anacharsis Philosophiam Professus est, ex Lactant. lib. 3. c. 24. INDI, Brachmanes & Gymnosophistæ. Licet, inquit, apud Indos hæc Pythagoræ transmigratio inualuerit, nullus tamen inter eorum Philosophos se alium fuisse meminit, vt nec alij Philosophi Græciæ quos subjuit. OB MELLA, inde Plato dictus Apis Attica.

C. XXXII. EMPEDOCLES, Laërtius narrat hunc voluisse diuinitatem apud homines affectare. Coronam auream ferens capite, æreos calceos pedibus, manibus autem coronas Delphicas, Vrbes pertransibat. Senex noctu se misit in Æthnam, ne homines eius corpus viderent: cuius tamen sandalium ab igne fuit eiectum. THAMNVS. Licet aliqui hac voce fruticem intelligant, quòd Empedocles arbores quoque diceret ratione præditas. Malim ego, quod se Deum fingeret, intellexisse Adonidem. Vnde hi versus apud Clem. Alex. 6. Strom. & Suidam: nam memini quondam fueram puer atque puella

Thamnus, & ignitus piscis, pernixq; volucris. *Ezech. 8. 14. inter idola reponitur Thamnus, nam vbi vulgata:* Ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Tamuz. 70. *verò* Thammuz. PEDO. *Cui alibi cor Martionis aquat. Insulsum dicit quod se piscem dixerit, inflatum & vento cum Chamæleone distentum, quòd se Deum.* VT PISCIS ASSVM, *Æthnais ignibus excoctum, ne homines aromatibus conditum corpus, tandem putredini exponerent.* IN ILLO FINITA. *Cùm in Deum mutatus, in aliud corpus migrare non curaret.* VT ÆSTIVA, *sicut æstate cœna finitur in cibis assis, quæ sunt extrema fercula, alludit fortè ad Græcorum morem, qui ex Eucharistia post cœnam assabant linguas, quas Mercurio sacrificabant.* PRÆSVMPTIONEM. *Opinionem fingentem animas hominum migrare in bestias, & ex iis rursum in homines.* VIDERINT THAMNI. *Hic ridet Empedoclem, pariterque se vel Deos, vel frutices fuisse nugantes.* LICEBIT ET RAPTIM. *Cursim. Et patet ex sequentibus, sic melius legi; quàm qui legunt,* licebit & lapti, *id est ex Rhenano bibaci, edenti sonum lambentis canis. Vel* licebit & Laphati, vel Lappæ. *Planta speciei; fingere scilicet huiusmodi transmigrationes.* CENSERETVR, *æstimaretur originem ducere.* IGNIS ANIMA, *supple sit.* ANIMALIA, *supple esse singulis elementorum speciebus.* RIGENT. *Frigida sunt.* ÆMVLO, *contrario.* EXSVCCIDA, *sine succo, contraria sunt humidis.* PVRPVRA, *sanguinis scilicet.* CENSVM, *numerum.* SPIRITVI, *vento; vel aëri & spirationi.* SVBAQVANEVM, *sub aquis viuentia.* SOLIS TENEBRIS *ferendis, vel obscuro lumini* ATOMOS, *corpuscula indiuisibilia, principia rerum constituit, vt Pythagoras numeros & Plato ideas.* ENTELECHIAS, *id est perfectiones, vel* Endelechias, *id est ex Cicerone continuatam & perennem motionem. Sic dicta anima quod materiam perficiat.* FORS, *fortè,* SPECIEBVS, *principiis.* NOMINE CONTRARIETATIS, *propter contrarietatem, vt contraria.* REFORMARI, *transformari per transmigrationem.* ET CENSVM, *naturam, & substantiam sibi similem transmigrando conferre non posset anima.* HABERET, *deberet.* NOMINE HVIVS, *ob hanc primam contrarietatem specificam.* COMMITTIT, *pugnare facit.* ET RELIQVÆ *supple contrarietates qualitatum, propriarum naturis singulis,* SEDES ALIAS, *organa & instrumenta.* VALETVDINES, *morbos.* NVLLIVS INTREPIDA, *id est, omnis loci alti & profundi trepida.* IN AQVILA. *Sicut* Plato *lib.* 10. *de Repub. dicit Agamemnonis animam elegisse in Aquila domicilium.* LIBERALIBVS, CVRATIS, *anima libera & rationali dignis, & arte paratis.* CADAVERINAM, *quales sunt corui, & aliæ volucres carniuora, vt sit non tantum cadauera bestiarum, sed & hominum, anima hominis in vrsum aut leonem transmigrando deuaret, licet in his feris se olim in humano corpore vixisse recordetur.* OBDVCI, *concludi, vt vlterius non extendatur.* CAPIT, *recipit, capax est mutationis.* BESTIIS ADÆQVANTVR, *comparantur ob mores similes.* ADSIMILATVS, *Psal.* 48. 21. Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. *Aug. ibid.* Factus est ad imaginem & similitudinem Dei homo prælatus iumentis. Non enim fecit Deus sic hominem, quomodo fecit iumentum: sed fecit Deus hominem, cui seruirent iumenta. Nunquid eius viribus, & non intellectui? ille autem non intellexit. Et qui factus erat ad imaginem Dei, comparatus est iumentis insensatis, & similis factus est illis. Vnde alibi dicitur, nolite esse sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. *Et lib.* 7. *de Gen. ad lit. cap.* 9. Cauendum est ne quædam translatio animæ fieri à pecore in hominem posse credatur, quod veritati fideique Catholicæ omnino contrarium est, &c. de quo ludibrio quorundam Philosophorum, etiam eorum posteri erubuerunt, nec eos hoc sensisse, sed non rectè intellectos esse

S. Aug.

S. Aug.

A dixerunt. Et credo ita esse, velut si quisquam etiam de scripturis nostris hoc sentiat, vbi dictum est: homo in honore positus non intellexit, &c. aut vbi item legitur Psal. 73. ne tradideris Domine bestiis animam confidentem tibi, &c. sed quoquo modo se habeat, vel non habeat opinio Philosophorum de reuolutionibus animarum, Catholicæ tamen fidei non conuenit credere, animas pecorum in homines, aut hominum in pecora transmigrare. *Et rursum cap.* 10. Fieri sanè homines vitæ genere pecoribus similes, & ipsæ res humanæ clamant, & scripturæ testantur; vnde est illud quod commemoraui, homo in honore positus, &c. sed in hac vita vtique, non post mortem. Proinde vel talibus bestiis nolebat in potestatem dari animam suam qui dicebat: Ne tradideris bestiis, &c. quales cauendos Dominus significat, vbi dicit eos indutos vestitu ouium, intus autem esse Lupos rapaces; vel ipsi diabolo & Angelis eius, nam & ille dictus est & Leo & Draco. Quid enim afferunt argumenti Philosophi qui putant animas hominum in pecora, vel pecorum in homines post mortem posse transferri? hoc certè quod morum similitudo ad id trahat, velut auaros in formicas, rapaces in miluos, sæuos ac superbos in Leones, sectatores immundæ voluptatis in sues, &c. Vnde procliuius & ipse crediderim, quod etiam eorum posteri sectatores, illos homines qui hoc primitus in libris suis posuerunt, in hac vita potiùs intelligi voluisse, quadam peruersitate morum ac turpitudine, homines pecorum fieri similes, ac sic quodammodo in pecora commutari, vt hoc dedecore obiecto, eos a cupiditatum prauitate reuocarent. VBIQVE NATVRAM, *id est, proprietatem naturalem.* ALIVD NATVRA, *accidens naturale.* NATVRA COMMVNIS *qualitas & proprietas naturalis.* COMMVNICAT, *communis est.* PARIANT, *paria & similia sunt.* NATVRÆ SIMILITVDO, *qualitatis paritas.* DIVINA PRONVNTIATIO *Psal.* 48. 21. comparatus est iumentis, &c. NOTASSET, *nominasset, nota probrosa mulctasset, si substantialiter in pecudem mutatum sciret.*

S. Aug.

B

C

IVDICII NOMINE. *Ex obligatione quâ omnes animæ iusto Dei iudicio sisti debent vt pro meritis bonis vel malis migrent in corpora animalium.* VINDICATVR, *asseritur, hac Pythagoræ sententia.* IN OCCISORIIS, *quales sunt oues & capreæ, &c. quibus ad victum vtimur.* FAMVLATORIIS, *equis, mulis, asinis, camelis, quæ omnia Psaltes,* seruitutem hominum *dixit. Nec hic tacebo iocum lepidum Augustini lib.* 10. *de Ciuit. c.* 30. Platonem animas hominum post mortem reuolui vsque ad corpora bestiarum scripsisse certissimum est. *In Timæo sub finem, & in Phædone, & lib.* 10. *de Repub. sub finem* hanc sententiam Plato Doctor tenuit & Plotinus: discipulo Porphyrio tamen iure displicuit, in hominum sanè non sua quæ dimiserant, sed in alia noua corpora redire humanas animas arbitratus est. Puduit scilicet illud credere, ne mater fortasse filium in mulam reuoluta vectaret: Et non puduit hoc credere, ne reuoluta mater in puellam filio forsitan nuberet. OPERARIIS, *vt sunt boues.* IMMVNDIS, *vt sunt sues.* DISPVNGENTVR, *iudicabuntur, in computum & rationem venient.* RATIO *causa.* SENSVS, *intelligentia & perceptio pœna vel mercedis, reddendæ pro meritis.* STATVS VERTERIT, *si transeant in corpora bestiarum.* ÆQVE, *id est, quanquam animæ eadem in sua substantia perseuerent in iudicium adducendæ, si fuerint translatæ in corpora animalium, ratio & causa iudicij euacuabitur, cum eadem corpora humana per quæ anima benè vel malè merita est, debeant, vel plecti, vel munerari.* MERCVRIVS. *scil. Trismegistus censuit animas hominum licet ab anima vniuersi fluxerint, in corpora propria infusa, post egressum tamen non refundi in ipsam, sed singulas determinatas manere, vt Patri, id est Deo rationem reddant*

C. XXXIII.

D

S. Aug.

E

reddent de gestis in corpore. Aug. lib. 10. de Ciuit. c. 30. Quantò honestius creditur, reuerti semel animas ad A corpora propria, quam reuerti toties ad diuersa: *Vt iuxta Paulum propria corporis quisque referat.*

2. Metempsychosin Simon Magus credidit in Helena Priamo. Exitiosa; quam etiam de prostibulo redemit, pro donis spiritus oblata pecunia. De An. cap. 34. per totum.

NVllaquidem in hodiernum dementiæ huiusmodi sententia erupit, sub nomine hære-
tico quæ homines refingat in bestias. Sed necessariè hanc quoque speciem intuli-
mus, & exclusimus, vt superioribus cohærentem quò perinde in pauo tunderetur Ho-
merus, sicut in Pythagora, Euphorbus, atque ita hac etiam Metempsychosi, siue Me-
tensomatosi repercussa, illa rursus cæderetur, quæ aliquid hæreticis subministrauit. Nam Act.8.18.
& Simon Samarites in Actis Apostolorum redemptor Spiritus sancti, posteaquam damna-
tus ab ipso cum pecunia sua in interitum, frustra fleuit, conuersus ad veritatis expugnatio-
nem, quasi pro solatio vltionis; fultus etiam artis suæ viribus, ad præstigias virtutis alicu-
ius Helenam quamdam Tyriam de loco libidinis publicæ eadem pecunia redemit, dignam
sibi mercedem pro Spiritu sancto. Et se quidem finxit summum patrem, illam verò inie-
ctionem suam primam, qua iniecerat angelos & archangelos condere: huius eam propositi
compotem exilisse de patre, & in inferiora desultasse; atque illic præuento patris propo-
sito, angelicas potestates genuisse, ignaras patris, artificis mundi huius. ab his verò per
inuidiam retentam, ne digressâ eâ, alterius genimina viderentur. & idcirco omni contu-
meliæ addictam, vt nusquam discedere depreciatam liberet, humanæ quoq. formæ suc-
cidisse, velut vinculis carnis coërcendam ita multis æuis per alios atq. alios habitus femi-
ninos volutatam, etiam illam Helenam fuisse, exitiosissimam Priamo, & Stesichori postea
oculis, quem & excæcasset ob conuicium carminis, dehinc reluminasset ob satisfactionem
laudis. proinde migrantem eam de corporib. in corpora, postrema dedecoratione, sub ti-
tulo prostitisse Helenam viliorem. Hanc igitur esse ouem perditam, ad quam descende- Luc.15.4.
rit pater summus, Simon scilicet, & primùm recuperata ea & reuecta, nescio humeris
an feminibus, exinde ad hominum respexerit salutem, quasi per vindictam liberandorum
ex illis angelicis potestatibus; quibus fallendis, & ipse configuratus æquè, & hominibus
hominem ementitus, in Iudæa quidem filium, in Samaria verò patrem gesserit. O Hele-
nam inter poëtas & hæreticos laborantem: tunc adulterio, nunc stupro infamem! nisi
quod de Troja gloriosius eruitur, quàm de lupanari: mille nauibus de Troja, nec mille de-
nariis forsitan de lupanari. Erubesce Simon, tardior in requirendo, inconstantior in retra-
hendo. At Menelaus statim insequitur amissam, statim repetit ereptam, decenni prœlio
extorquet, non latens, non fallens, non cauillabundus. Vereor ne ille magis pater fuerit,
qui circa Helenæ recuperationem, & vigilantius, & audentius, & diutius laborauerit.

METEMPSYCHOSIS. 2. SCHOL.

NVLLA *hactenus, & ad hodiernum diem sub alicuius hæretici nomine sententia prodiit, quæ animas hominum in corpora bestiarum migrasse finxerit, sed hanc transmigrationis etiam speciem protuli & refutaui,* QVÒ *vt sicut explosimus animam Euphorbi migrantem in Pythagoram, sicut Homeri in Pauum.* ILLA RVRSVS. *scilicet quæ animas hominum in aliorum hominum corpora transire dicit,* HÆRETICIS *Simoni scilicet & Carpocrati, de quibus statim.* SIMON, *Magus,* SAMARITES, *Samaritanus genere.* REDEMPTOR. *Quia emptum ab Apostolis credidit Spiritum Sanctum quem & ipse redimere pecunia voluit. August. Hom. 23.* Tunc sic dabatur Spiritus Sanctus, vt etiam appareret datus. S. Aug. Qui enim eum accipiebant, linguis omnium gentium loquebantur; vt significarent Ecclesiã in gentibus, linguis omnium locuturam. Acceperunt ergo Spiritum Sanctum, & in eis euidenter apparuit. Quod cum vidisset Simon, putans hoc esse hominum, voluit esse suum. Quod hominum putauit, ab hominibus emere voluit. Quantã inquit, à me vultis pecuniam sumere, vt per impositionem manuum mearum detur Spiritus Sanctus? tunc eum detestatus Petrus, ait: Non est tibi pars, neque sors, in hac fide. Donum Dei putas pecuniâ comparandum? pecunia tua tecum sit in perditionem. AB IPSO, *Spiritu Sancto, per os Petri sententiam ferente.* FRVSTRA FLEVIT, *inutilem egit pœnitentiam, peruersè conuersus ad* B *persequendam Ecclesiam.* ARTIS, *Magicæ.* VIRTVTIS, *summa Diuinitatis.* EADEM, *pecunia quâ Spiritum Sanctum emere voluerat.* PATREM, *summum Deum.* INIECTIONEM, *primam cogitationem, quasi Mineruam quandam suam. Irenæus,* mentis conceptionem. *Iustinus,* primam mentis intelligentiam. QVA INIECERAT; *cogitauerat Angelos facere.* COMPOTEM, *cum illa sciuisset intentionem summi Patris.* ALTERIVS GENIMINA, *Angeli & creaturæ à Patre conditæ.* CONTVMELIÆ, *ab Angelis prostituta, vt hic maneret, & præ pudore ad Patrem redire non auderet.* SVCCIDISSE, *humiliatam fuisse vsque ad humanam formam. & in diuersa fœminarum corpora transmigrantem hominum libidini succubuisse,* C *migrasse etiam in Helenam cuius causa euersa est Troia, quæ etiam Stesichorum Poëtam excæcauit, vltrix nempe mordacis carminis; quem rursum oculauit propter infamiam reparatam ab eo alio Carmine honorifico.* SVB TITVLO, *quem prostibulum præferebat, vel sub nomine publicæ meretricis dicta Helena, quæ tandem post tot transmigrationes, in hac mansit quam vt ouem perditam bonus hic Pastor Simon non humeris, sed* FEMINIBVS *femoribus retulit; sic suffundit hæretici libidinem. August. tom. 6. lib. de Hæresibus ad Quodvult Deum hæresi prima:* Simoniani à Simone Mago, qui baptizatus à Philippo Diacono, sicut in Act. Apost. legitur, pecuniâ voluit emere à Sanctis Apostolis, vt etiam per impositionem manus eius, daretur Spiritus Sanctus. Hic S. Aug.

Magicis fallaciis deceperat multos. Docebat autem detestandam turpitudinem, indifferenter vtendi fœminis, nec Deum fecisse mundum. Negabat etiam carnis resurrectionem; & asserebat se esse Christum. Itemque Iouem se credi volebat, Mineruam verò meretricem quandam Selenem (*Lunam*) quam sibi sociam scelerum fecerat: imaginesque & suam, & eiusdem meretricis discipulis suis præbebat adorandas, quas & Romæ tanquam deorum simulachra authoritate publica constituerat. In qua vrbe Beatus Apostolus Petrus eum verâ omnipotentis Dei virtute extinxit. Dixerat enim se in Monte Sina legem Moysi in Patris persona dedisse Iudæis. Tempore Tyberij in filij persona putatiuè apparuisse: postea se in linguis igneis Spiritum Sanctum super Apostolos venisse, Christum autem nec venisse, nec à Iudæis quidquam pertulisse. PER VINDICTAM *digna magno Iuris'consulto vox juris. Sic enim dicitur in jure,* vindictâ libertatem imponere *l. 10. Cod. qui test. fac.* vindicta manumittere. *l. 33. ff. de dolo. tit. de Manumiss. vindict.* PLVT. *de ijs qui tardius à Deo puniuntur:* Romani, corporibus quos in libertatem efferunt, tenuem festucam imponunt *alij cum Cicerone virgulam dicunt à lictore cum solemnibus verbis capiti manumittendi serui impositam, quam Horatius etiam festucam dixit. Hæc igitur festuca, vindicta dicebatur, sic teste Liuio lib. 2. à Vindice seruo sic vocato, qui cum adolescentum quorundam nobilium conspirationem detexisset, libertate & ciuitate donatus est.* INTER POETAS *Homerum*

A *aliosque Helenam Priamo & Troiæ exitialem decantantes, & hinc indeque eundo redeundoque versatam.* ET HÆRETICOS, *Simonem, & asseclas toties transmigrantem.* TVNC, *apud Troiam,* NVNC, *cum esset putata Minerua, & prima summi Patris cogitatio, in corpus compacta & ad lupanar damnata.* MILLE NAVIBVS. *Narrant historiæ Helenam siue Helenem filiam Iouis ex Læda Tyndari Laconiæ Regis vxore, quæ primo ob formam eximiam adhuc virguncula rapta à Theseo, & intacta Castori & Polluci fratribus repetentibus reddita, Menelao nupsit. Cuius pulchritudinis fama illectus Paris, collectis aliquot nauibus in Græciam appulit, vbi à Menelao hospitio exceptus, se clam in eius amorem insinnauit, & absente viro abductam in patriam transuexit, quo commoti Græciæ principes de bello Troianis inferendo coniurarunt. Paulo*
B *post mille contractis nauibus, Ilium obsederunt. Vbi & Paris mortuus. Et Helena proditionis particeps, pro signo inter ipsam & Græcos compacto facem ex arce sustulit. Hinc* Priamo *exitiosa dicitur qui Troiam ab Hercule euersam instaurauerat. Et* Pater Paridis *erat, qui ob raptum Helenæ, bellum decennale à Græcis in Troianos excitauit, & causa ruinæ fuit. Et per hæc patent hic dicta contra Simonem.* MENELAVS STATIM. *Frater Agamemnonis Rex Spartæ vxorem suam Helenam statim per Legatos à* Paride *repetiit, & ut jam dictum* Priami *regiam Ilium decennio oppugnauit, & sic tamdem eam recuperauit.* ILLE MAGIS, *Menelaüs scilicet,* PATER FVERIT, *quàm tu Simon qui te Deum* Patrem *jactas.*

3. *Metempsychosis Carpocratis quàm impura & impia; de An. cap. 35. in p. ad circa f.*

SEd non tibi soli Metempsychosis hanc fabulam instruxit; inde etiam Carpocrates vtitur pariter magus, pariter fornicarius. etsi Helena minus. quidni? cum propter omnimodam diuinæ & humanæ disciplinæ euersionem constituendam, recorporari animas adseuerauerit. nulli enim vitam istam rato fieri, nisi vniuersis, quæ arguunt eam, expunctis: quia non natura quid malum habeatur, sed opinione. itaque Metempsychosin necessariè imminere, si non in primo quoque vitæ huius commeatu omnibus inlicitis satisfiat. scilicet facinora tributa sunt vitæ. ceterum totiens animam reuocari habere, quotiens minus quid
a Matth. 5. 26. intulerit, reliquatricem delictorum, [a] *donec exsoluat nouissimum quadrantem*, detrusa identidem in carcerem corporis. Huc enim temperat totam illam allegoriam Domini, certis interpretationibus relucentem. & primo quidem simpliciter intelligendam. nam & ethni-
b 1. Cor. 5. 10. cus homo aduersarius noster est, incedens eandem viam vitæ communis. [b] *ceterùm, oportebat nos de mundo exire*, si cum illis conuersari non liceret. Huic ergo bonis animi præstes
c Luc. 6. 35. Matth. 5. 25. jubet. [c] *Diligite inimicos vestros*, inquit, *& orate pro maledicentibus vos*, ne aliquo commercio negotiorum iniuriâ prouocatus, abstrahat te ad suum judicem, & in custodiam delegatus, ad exsolutionem totius debiti arteris. Tum si in diabolum transfertur aduersarij mentio, & obseruatione comitante, cum illo quoque moneris eam inire concordiam, quæ deputetur ex fidei conuentione. Pactus es enim renuntiare ipsi, & pompæ, & Angelis eius. Conuenit inter vos de isto hæc erit amicitia obseruatione sponsionis, ne quid eius postea resumas ex his quæ ejerasti, quæ illi reddidisti; ne te vt fraudatorem, vt pacti transgressorem
Apoc. 12. 10. judici Deo objiciat, sicut eum legimus alibi sanctorum criminatorem, & de ipso etiam
d Matth. 5. 26. nomine, delatorem, [d] *Et judex te tradat Angelo executionis, & ille te in carcerem mandet infernum, vnde non dimittaris, nisi modico quoque delicto mora resurrectionis expenso.* Quid his sensibus aptius? quid his interpretationibus verius? Ceterùm, apud Carpocratem, si omnium facinorum debitrix anima est, quis erit inimicus & aduersarius eius intelligendus? credo mens melior, quæ illam in aliquid innocentiæ impegerit, adigendam rursus ac rursus in corpus,
Matth. 7. 17. donec in nullo rea deprehendatur bonæ vitæ. Hoc est ex malis fructibus bonam arborem intelligi. Id est, ex pessimis præceptis doctrinam veritatis agnosci. Spero huiusmodi hæreticos, Heliæ quoque inuadere exemplum, tanquam in Ioanne repræsentati, vt Metem-
e Matth. 17. 12. psychosi patrocinentur, prænuncio Domini; [e] *Helias jam venit, & non cognouerunt eum.* Et alibi, *& si vultis audire, hic est Helias qui venturus est.* Nunquid ergo & Iudæi ex opinione
f Io. 1. 21. Pythagorica consulebant Ioannem, [f] *Tu es Helias*; & non ex prædicatione diuina? [g] *Et ec-*
g Malach. 4. 5. 4. Reg. 2. 11. *ce mittam vobis Heliam Tesbitem.* Sed enim Metempsychosis illorum, reuocatio est animæ jampridem morte functæ, & in aliud corpus iteratæ. Helias autem non ex decessione vitæ, sed ex translatione venturus est, nec corpori restituendus, de quo non est exemptus; sed mundo reddendus, de quo est translatus; non ex postliminio vitæ, sed ex supplemento prophetiæ; idem & ipse, & sui nominis & sui hominis.

METEMPSYCHOSIS. 3. SCHOL.

NON TIBI SOLI, *loquitur Simoni Mago.* ETIAM CARPOCRATES. *tecum Magus, similiter impudicus, licet in re Venerea, inferior Helena, etiam Metemphychosim fabulosam docuit.* PROPTER OMNIMODAM *&c. ad omnem honestatem jure diuino & humano præscriptam, conspurcandam, ideo dixerit, necesse esse,* RECORPORARI, *rursum post obitum, animas hominum in corpora migrare, vt omnem libidinem prima vice non impletam expleant. Adeo vt nulli hominum vita rata, id est pro expleta habenda sit, nisi impletis omnibus quæ eam sensualem fuisse conuincant, & hoc tantò liberius docuit, quò voluptates istas sola hominum opinione malas esse dixit.* IMMINERE, *expectandam esse,* PRIMO COMMEATV, *primo cursu,* INLICITIS, *illicitis.* SCILICET, *ironicè. Nimirum, inquit, ideo viuimus, vt hæc facinora, quasi tributa debita, vita sensuali pendamus.* TOTIENS, *toties.* HABERE, *debere.* INTVLERIT, *debitori persoluerit.* RELIQVATRICEM, *debitricem. Hinc apud Iureconsultos*, reliquatio, reliquorum debitio. *Paulus l. 44. ff. de admin. tut. Et l. 53. ff. de manum. testam.* Reliquatores item dicuntur, qui, quod alicui debent ex asse, ex integro non persoluunt, sed alicuius partis debitores adhuc remanent. *Vlp. in l. rescripto. §. sed eos, ff. de muner. & hono. Et l. 102. §. Valer. ff. de solut. l. 9. §. reliquatores, ff. de publican.* DONEC EXOLVAT. *Sic totam Christi allegoriam accommodat, vt dicat, carcerem esse corpus, in quod anima detrudi debeat, donec vsque ad minimam voluptatem vitæ sensuali debitam impleat; cum tamen potuisset, & debuisset simpliciter hanc parabolam intelligere, de Ethnico nobiscum humanè viuente, aliàs oporteret nos extra mundum esse, si cum tot ethnicis supra fidelium numerum existentibus, conuersari non liceret.* BONIS ANIMI, *de bonis.* DELEGATVS, *relegatus.* ARTERIS, *arcteris, compelleris.* EX OBSERVATIONE, &c. *qui semper assidet lateri vt nos obseruet & peccata computet.* CONVENTIONE, *factâ in fide suscepta in Baptismo.* EIERASTI, *renunciasti, abiurasti.* LEGIMVS ALIBI. *Apoc. 12. 10*: proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte: *cæterùm hunc locum Matth. 5. referam & exponam V. Purgatorium. 2.* APVD CARPOCRATEM. *Secundùm sententiam Carpocratis, si anima debet omnia* A *implere flagitia, nihil tam ei aduersarium erit, quàm mens melior quæ illum inducat in aliquod justitiæ opus, propter quod vlciscendum, in varia corpora transmigrare cogatur, donec nullius boni actus apud judicem accusari possit; quod est sensum scripturæ peruertere, & bonam arborem ex malis fructibus dignoscere.* SPERO, &c. *Credo hos hæreticos Simonem & Carpocratem, etiam in sua Metemphychosis defensionem, per vim tracturos Heliam, quasi in Ioannem transmigrauerit Domini præcursorem, de quo dixit Matth.* 17. 12. dico autem vobis, quia Helias jam venit, & non cognouerunt, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic & filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis. *Erat certè in Spiritu &* B *virtute, non verò in persona Helias. Sic enim Angelus Zachariæ: Luc.* 1. 17. Ipse præcedet ante illum in Spiritu & virtute Eliæ. NVNQVID? *Ironicè: fortè secundum Pythagoram, & non secundum veritatem Euangelicam Iudæi adorsi sunt Ioannem. Io 1* 21. Elias es tu? *Aug. lib. 5. cont. Faustum c. 10. Manichæis tribuit similem* S. Aug. *Carpocrati errorem:* quid fallitis auditores vestros, qui cum suis vxoribus, & filiis, & familiis, & domibus, & agris, (*quæ scilicet vt sua retinent,*) vobis seruiunt? si quisquis ista omnia non deserit, non accipit Euangelium? sed quia eis, non resurrectionem, sed reuolutionem ad istam mortalitatem promittitis; vt rursus nascantur, & vita electorum vestrorum viuant, tam vana, & inepta, & sacrilega, quàm vos viuitis, quando valde laudamini: aut si melioris meriti sunt, C in melones, & cucumeres, vel in alios aliquos cibos veniant, quos vos manducaturi estis, vt vestris ructatibus cito purgētur: meritò eos à mandatis Euangelicis alienatis: sed & vosipsos talia sentientes atque suadentes, maximè inde separare debetis. *Id est maximè alienis existimare, vel omnia relinquere, quod tamen non facitis.* PRÆDICATIONE. *Prophetia Malachiæ* 4. 5. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam. *Tertull. secutus 70.* ITERATÆ. *Regressæ.* EXEMPTVS, *ereptus.* SVPPLEMENTO, *ad implendam Prophetiam einsdem Malachiæ immediatè subiicientis*, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. *70. magna & illustris.* SVI HOMINIS, *suæ propriæ personæ.*

4. *Metempsychosis crudelium animarum in ferarum corpora, non tam pœna quàm merces putanda est; & proinde Deo justo iniuria. De An. cap. 33. a. p. ad m.*

VOlo judicij vtique diuini justitiam, grauitatem, maiestatem, dignitatem recensere; si non sublimiore fastigio præsidet humana censura, plenior vtriusque sententiæ honore, pœnarum & gratiarum, seuerior in vlciscendo, & liberalior in largiendo. Quid putas futuram animam homicidæ? aliquod credo pecus, lanienæ & macello destinatum, vt perinde juguletur, quia & ipsa jugulauerit; perinde decorietur, quia & ipsa despoliauerit; perinde in pabulum proponatur, quia & ipsa bestiis objecerit eos quos in syluis & auiis trucidauerit. Si ita judicabitur, nonne illa anima plus solatij quàm supplicij relatura est? quòd funus inter cocos pretiosissimos inuenit, quòd condimentis Apicianis & Lurconianis humatur, quòd mensis Ciceronianis infertur, quòd lancibus splendidissimis Syllanis effertur, quòd exequias conuiuium patitur, quòd à coæqualibus deuoratur potius quàm à miluis, & lupis, vt in hominis corpore tumulata, & in suum genus regressa resurrexisse videatur, exultans aduersus humana judicia, si ea experta est. Namq. illa sicarium variis & exquisitis, & jam præter naturam eruditis feris dissipant, & quidem viuentem, immò nec facilè morientem. curatâ morâ finis ad plenitudinem pœnæ. sed & si anima præfugerit, vltimo gladio; ne corpus quoque euaserit ferrum, nihilominus jugulo ventreq. confossis, costisq. transfixis, compensatio proprij facinoris exigitur. inde in ignem datur, vt & sepultura puniatur. aliter denique non licet. nec tamen tanta est rogi cura, vt reliquias aliæ bestiæ inueniant. certè nec ossibus parcitur, nec cineribus indulgetur, nuditate plectendis. Tanta est apud homines homicidij vindicta, quanta ipsa quæ vindicatur natura. Rom. 13. Quis non præferat seculi justitiam, quam & Apostolus non frustra gladio armatam conte- 4.

ſtatur, quæ pro homine ſæuiendo religioſa eſt? Si cæterorum quoque ſcelerum mercedem cogitemus, patibula, & viuicomburia, & culleos, & vncos, & ſcopulos, cui non expediat apud Pythagoram & Empedoclem ſententiam pati? Nam & qui laboribus atque ſeruitiis puniendi, in aſinos vtique & mulos recorporabuntur, quantum ſibi de piſtrinis & aquilegis rotis gratulabuntur, ſi metallorum, & ergaſtulorum, & operum publicorum, ipſorumque carcerum, licet otioſorum, recordentur.

METEMPSYCHOSIS. 4. SCHOL.

IVDICII DIVINI, &c. *Lubet, inquit, comparare judicium Dei cum humano, vt pateat, ſuppoſita Metempſychoſi, longè humanam cenſuram præcellere diuina, ſiue in puniendo ſcelerato, ſiue in remunerando juſto.* QVID PVTAS. *Quid ſentis de anima homicida? migrabit fortè in aliquod pecus occiſioni deſtinatum, vt & occidatur in pecore, &c.* QVOD FVNVS, &c. *Compara coquum carnifici, condimenta & aromata, &c. cloacæ patibuli, &c. quæ fortè à judicibus humanis ob ſcelera ſubiit, alij legunt inter coccos, id eſt cibos purpuratos & Regios, alij* Crocos. *Thren. 4.* Qui nutriebantur in Croceis. *Plin. lib. 21. c. 20.* Qui crocum prius biberint, crapulam non ſentiunt, &c. coronæ quoque ex eo mulcent ebrietatem. APICIANIS. *Apicius Romanus Contemporaneus Senecæ, omnium helluonum maximus, deuorator vectigalis Capitolij, volumen edidit de gula irritamentis. Quem Seneca lib. de Conſol. narrat, laqueo vitam finiſſe, quod* B *ſubductis rationibus, centies tantum ex ſeſtertio millies quod in culinam expenderat ſupereſſe cognouiſſet.* LVRCONIANIS. *Tertull. de Pallio cap. 5.* Aufidius Lurco primus ſagina corpora vitiauit, & coactis alimentis, in adulterinum prouexit ſaporem. CICERONIANIS, *idem Tertull. de Pallio cap. 5.* Adigo cauterem ambitioni, qua M. Tullius quingentis millibus nummûm orbem citri emit. *Vide Plin. lib. 13. c. 15. vbi de menſa Ciceronis, & inter cætera,* confines Mauri quibus plurima arbor citri, & menſarum inſania quas fœminæ viris, contra Margaritas regerunt. SVLLANIS. *Tertull. ibid.* Lances Centenarij ponderis Sulla molitur. *De eius luxu vitiiſque Auguſtinus* S. Aug. *juxta Saluſtium lib. 2. de Ciuit. c. 22.* Sylla ipſe, cuius vitam, mores, facta deſcribente Saluſtio aliiſque hiſtoriæ ſcriptoribus, quis non exhorreat? QVOD EXEQVIAS. *Alludit ad vocem præcedentem,* effertur. C *Et ſequentem,* deuoratur. *Anima enim in animal conuiuale migrando aureo argenteove feretro effertur, humano corpore, vt ſepulchro conditur, & in viuente homine exultat ſe reuixiſſe, & judici à quo prius patibulo damnata fuerat inſultat.* ERVBITIS, *vel fame vel paruis jaculis ignitis, aut clamore populari irritatis.* CVRATA MORA, *vt lenta morte vitam finiant pleniori pœna.* PRÆFVGERIT, *id eſt, ſi quis vt euadat judicis pœnas, ſeipſum extremo gladio perimat.* NE CORPVS, &c. *Index corpus mortuum addicit gladio, ne ferrum tribunalis euadat,* IVGVLO VENTREQVE *alij legunt* VTROQVE. *Sed corruptè. Niſi legas,* vteroque. SEPVLTVRA PVNIATVR, *ignea ſcilicet, vbi in cineres ex parte redigitur. Lacerdam ſequor, qui expoſuit,* puniatur pro, priuetur, *etenim rei puniuntur vt plurimum priuatione* A *ſepultura, maximè ſui ipſius homicidæ, ſequentia ſatis mentem Authoris aperiunt, dum ait:* ALITER DENIQVE NON LICET, *ſupple ſepeliri quàm in igne.* ROGI CVRA, *non ſic judices curant totum corpus rei igne cremari, vt aliquas cadaueris partes ſibi non ſumant beſtiæ.* NVDITATE PLECTENDIS, *cum nec oſſa ſepulchro, nec cineres vrnâ conderentur, ſed in aërem ſpargerentur.* HOMINE SÆVIENDO. *Phraſis Tertulliana homine cum ſæuitia plectendo.* NON FRVSTRA GLADIO. *Rom. 13. 4.* Si malum feceris, time; non enim ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit. *Inde Religioſam dixit, quia hæc poteſtas Dei miniſtra eſt, & judices, vt Sacerdotes dicti Antiſtites, quòd reos vt victimas immolent altari juſtitiæ. Aug. Ep. 54. ad Maced. Vbi agit de ſeueritate judicum & hunc locum exponit,* hæc verba Apoſtoli vti- S. Aug. litatem veſtræ ſeueritatis oſtendunt. Proinde ſicut B dilectionem juſſi ſunt terrentibus debere, qui timent, ita dilectionem juſſi ſunt timentibus debere, qui terrent. Nihil nocendi cupiditate fiat, ſed omnia conſulendi charitate, & nihil fiat immaniter, nihil inhumaniter. Ita formidetur vltio cognitoris, vt nec interceſſoris religio contemnatur. (*Solebant Antiſtites pro reis intercedere, quibus pœnitentiam grauem imponebant*) quia & plectendo, & ignoſcendo, hoc ſolum benè agitur, vt vita hominum corrigatur. Quod ſi tanta eſt peruerſitas & impietas, vt ei corrigendæ, nec diſciplina poſſit prodeſſe, nec venia; à bonis tamen intentione, atque conſcientia, quam Deus cernit, ſiue ſeueritate, ſiue lenitate, non niſi officium dilectionis impleatur. VIVICOMBVRIA, *quo viui comburebantur.* CVLLEOS *ex Iſid. in Gloſſ.* Culleus, eſt tunica ex Spartho, in modum crumenæ C facta, quæ liniebatur à populo pice & bitumine, in qua includebantur parricidæ, cum ſimia, ſerpente, & gallo inſuta, mittebantur in mare, & contendentibus inter ſe animantibus, homo maioribus pœnis afficiebatur. VNCOS, *ferreas ſcilicet furcas aduncas & curuas, pectines ferreos, &c.* SCOPVLOS *præcipitia; qualis erat rupes in foro Tarpeio. Hac pœna plectebantur falſi teſtes, lege 12. tab.* RECORPORABVNTVR, *in aſini & muli corpus tranſmigrabunt.* DE PISTRINIS &c. *Cum ſic migrarint in jumenta, piſtrinæ, molendini, & aquas colligentibus rotis voluendis addicta, longè mitius ſecum agi judicio diuino gratulabuntur, quàm cum humano ad metalla, opera publica, ædificia, cloacas &c. curandas & carceres ob delicta ſua in hac vita condemnati fuerunt, licet in carcere otioſi, & ſine alio, quàm captiuitatis onere remanſerunt.*

5. Metempſychoſis præmia juſtorum, mutat in pœnas. de An. cap. 33. à m. ad circa f.

PErinde qui integrè morari commendauerint judici vitam, quæro præmia; ſed potius inuenio ſupplicia. Nimirum magna merces bonis in animalia quæcunq. reſtitui. Pauum ſe meminit Homerus Ennio ſomniante. ſed poëtis nec vigilantibus credam. Et, ſi pulcerrimus pauus, & quo velit colore cultiſſimus; ſed tacent pennæ, ſed diſplicet vox. & poëtæ nihil aliud quàm cantare malunt, damnatus eſt igitur Homerus in pauum, non honoratus. Plus de ſæculi remuneratione gaudebit, pater habitus liberalium diſciplinarum, vt malit famæ ſuæ ornamenta, quam caudæ. Age nunc, vt poëtæ in pauos, vel in cycnos tranſeant, ſi vel cycnis decora vox eſt; quod animal indues viro juſto Æaco; quam beſtiam integræ fœminæ Didoni? quam volucrem patientia, quam pecudem ſanctimonia, quem

piscem innocentia sortientur? Omnia famula sunt hominis, omnia subjecta, omnia mancipata. Si quid horum futurus est, diminoratur. Illic ille cui ob merita vitæ imagines, statuæ, & tituli, honores publici, priuilegia rependuntur? cui curia, cui populus suffragiis immolat? O judicia diuina post mortem, humanis mendaciora; contemptibilia de pœnis, fastidibilia de gratis; quæ nec pessimi metuant, nec optimi cupiant; ad quæ magis scelesti, quàm sancti quique properabunt: illi, vt justitiam seculi citius euadant; isti, vt tardius eam capiant. Benè Philosophi docetis, vtiliter suadetis, leuiora post mortem supplicia vel præmia; cum si quod judicium animas manet, grauius debeat credi in dispunctione vitæ, quàm in administratione: quia nihil plenius, quàm quod extremius; nihil autem plenius, quàm quod diuinius. Psal. 8. 7.

METEMPSYCHOSIS. 3. SCHOL.

RESTITVI, *in vitam redire, transmigrando in animalium corpora.* PVLCERRIMVS, *pulcherrimus.* IN PAVVM. *transmigrando,* SÆCVLI, *Ethnicorum, bene de eo sentientium.* FAMÆ SVÆ, *de qua Virgil.* Cui quot sunt corpore plumæ, tot vigiles oculi subter. *Sic oculata cauda pauonis.* SI VEL CYCNIS. *in dubium vertat, ob dissensum historicorum, Plinij, Æliani, Cardani &c. Quorum alij modulatam circa mortem afferunt, alij negant.* INDIVES. *Benè, & juxta scripturam apud Iob & Paulum, corpus est animæ vestimentum.* ÆACO. *Apollinis oraculo teste Porphyrio justus Æacus. Et ex Platone in Gorgia, judex factus Europæorum. Hic tantæ justitiæ fuisse narratur, vt apud inferos à Plutone cum Minoë & Rhadamantho peccata discutiat, & pœnas irroget, alij legunt* Deiocæ, *qui & ob justitiam teste Herodoto lib. 1. à Medis judex & Rex fuerit electus.* INTEGRÆ *secundo viro innupta.* OMNIA FAMVLA, *Psal. 8.* Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, &c. omnia subiecisti; &c. SVFFRAGIIS IMMOLAT, *votis vel calculis Apotheosi donat, & cultu diuino & sacrificiis dignum clamat.* MENDACIORA. *alij* mendiciora. DE GRATIS, *alij* gratiis, *mercede, gloria &c.* BENE PHILOSOPHI *Pythagoras, Plato, Empedocles &c. Metempsychosim docentes, ironicè dicta.* IN DISPVNCTIONE *in fine vitæ & ratione reddenda in morte.* NIHIL PLENIVS. *Sic & Apol. 48. vbi adhuc de Metempsychosi, & de æternitate pœnæ in judicio inferenda reprobis, in extremum enim vitæ dilata, per Dei patientiam, justa vltio plenius exercebitur; quia* A *diuinius; hoc est secundum potestatem iræ Dei, & æternam eius immotamque sententiam, ad perpetuitatem pœnæ infligendam. Nunc enim juxta Paulum,* secundùm duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis justi judicij Dei. qui reddet vnicuique secundùm opera eius &c. *Rom. 2. 5. August. Ser. in versum Psalmi* Deus manifestè veniet: quidquid homo facit modo, in thesaurum mittit, in thesaurum cœlestem; boni, quid colligant sciunt; mali, quid colligant nesciunt. Bonus enim ponit in thesauro cœlesti omnia opera misericordiæ &c. Et scit quia fidelis est custos qui illi seruat omnia quæ reponit. Et non ea videt, sed de thesauro suo certus est, &c. quia à Domino potentissimo custoditur. B Si enim homines pecunias fideli seruo commendant, & securi sunt; misericordias suas commendant potenti Domino, & solliciti sunt? mali verò & ipsi mittunt in thesaurum. Omnia mala opera sua seruat illis Deus; hoc est quod dicit Apostolus thesaurizas tibi &c. sed quoniam seruatur, quidquid mali faciunt, nesciunt. Vbi venerit Deus noster manifestus &c. Incipit jam tractare thesauros vtrorumque, quod quisque posuit, vt inueniat &c. *Conclude cum Tertull. Apol. 48.* tunc restituetur omne humanum genus, ad expungendum quod in isto æuo boni seu mali meruit, & exinde in immensam æternitatis perpetuitatem: ideoque neque mors jam, nec rursus ac rursus resurrectio (*transmigratio*) sed erimus ijdem qui nunc, ne alij post. S. Aug.

MILES ET MILITIA.

1. *Milites togatis in vitiis inferiores. V. Verbum pallium. 3.*

2. *Miles Christianus coronam capite gestare nefas duxit, & depositis armis sæcularibus, Apostolica induit. De Cor. cap. 1. in p.*

PRoximè factum est. Liberalitas præstantissimorum Imperatorum expungebatur in castris. Milites laureati adibant. quidam illic magis Dei miles, cæteris constantior fratribus qui se duobus dominis seruire posse præsumpserant, solus libero capite, coronamento in manu otioso, vulgato jam & istâ disciplinâ Christiano, relucebat. Singuli designare, & ludere eminus, infrendere cominus. murmur Tribuno defertur: & persona jam ex ordine decesserat. Statim Tribunus, Cur, inquit, tam diuersus habitu? Negauit ille sibi cum ceteris licere. Causas expostulatus, Christianus sum, respondit. O militem gloriosum in Deo! Suffragia exinde, & res ampliata, & reus ad Præfectos. Ibidem grauissimas penulas posuit, releuari auspicatus: speculatoriam morosissimam de pedibus absoluit, terræ sanctæ insistere incipiens: gladium nec dominicæ defensioni necessarium reddidit: laurea & de manu corruit. & nunc russatus sanguinis sui spe, calceatus de Euangelij paratura, succinctus acutiore verbo Dei, totus de Apostolo armatus, & de martyrij candida melius coronandus, donatiuum Christi in carcere expectat. Matth. 6. 24. Luc. 16. 13. Exo. 3. 5. Matth. 26. 52. Ephes. 6. 14. & seq.

MILES. 2. SCHOL.

PRoximè. *recentem casum describit.* FACTVM EST. *alii sic jungunt:* facta est liberalitas &c. EXPVNGEBATVR, *dabatur, vnicuique donatiuum Imperatorum. L. Septimij Seueri, & M. Antonini Caracallæ* C *eius filij. Alij legunt:* expungebantur in castris milites &c. *puncto notabantur nomina accipientium. Vel dum quisque accipiebat, nomen eius delebatur.* MAGIS DEI, *quam Imperatorum seruus, vel cæteris fratribus,*

id est commilitonibus Christianis constantior. PRÆSVMPSERANT, contra Christi verbum Luc. 16. 13. nemo seruus potest duobus Dominis seruire. alij sic legunt: qui se duobus Dominis seruire non posse præsumpserat. id est animo præparato & præoccupato, apud se, vni Deo seruire decreuerat. LIBERO CAPITE, cum alij vinctum & impeditum haberent laureâ coronâ. Verè liber, quia Christi vnius seruus, & iuxta Chrysol. vni seruire libertas est, captiuitas, multis. & August. libera seruitus, vbi non necessitas, sed charitas seruit. CORONAMENTO. ornamento coronæ. OTIOSO. frustra enim manu gestabat cum datum esset in præmium capiti. VVLGATO, id est manifestato hac forma, & coronæ contemptu Christiano milite, Christianum institutum relucebat. Alij aliter legunt vulgata jam & ista disciplina Christianorum relucebat. Sed minus benè. SINGVLI DESIGNARE, cœperunt scilicet, monstrare digito. COMMINVS, propius. EX ORDINE, gradu militari exciderat in mente judicis, antequam pronuntiaret sententiam. Alij sic: ex ordine accesserat, vocatus scilicet vt redderet rationem. HABITV, coronâ in manu, non eam habens in capite, vt alij milites. CVM CÆTERIS, gentilibus. SVFFRAGIA, colliguntur, & causa eius consultatione decernitur. RES AMPLIATA. sic enim plerumque crimen augetur. Vel locutione forensi ampliare, est interloqui, cum de re aliqua non liquet. Vide Vlp. l. 13 §. arbiter in fi. de recept. arb. & ampliati rei sunt quorum damnatio differtur, vel quia sistendi testes, vel quia non planè liquet de crimine, vel de modo pœnæ. Vide Bud. in Annot. Aliter alij: & res apud Acta, id est scripta est in libro causarum criminalium. Acta, libri forenses, siue judicialium scribarum, in quibus pronunciata judicum scribebantur. Paulus l. Acta. 45. ff. de re judic. Galli regesta vocant. APVD PRÆFECTOS, supple rapitur vt subeat judicium. IBIDEM, apud Præfectum. PENVLAS, vestem militarem arcendis pluuiis aptam. RELEVARI, exonerari incipiens, vel vt alij legunt, reuelari, hoc est detegi & manifestari. SPECVLATORIAM. Calceamenti genus quo vtebantur qui præcipui speculatores erant, & custodes corporis Imperatoris. MOROSISSIMAM vt pote clauis suffixam. Vide Sueton. in Caligula c. 52. Tacitum. Iosephum lib. 7. de Bello Iudaico. Balduinum lib. de Calceo cap. 13. sic dictum hoc calceamentum, vel ob pondus ferri, vel ob moram continuam speculatorum circa custodiam Imperatoris. TERRÆ SANCTÆ. Alludit ad illud Exod. 3. 5. vbi dictum Moysi: solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est. Et Iosue. 5. 16 solue &c. locus enim in quo stas, sanctus est. DOMINICÆ DEFENSIONI. Matth. 26. 51. manus iniecerunt in Iesum &c. Et ecce vnus ex his qui erant cum IESV extendens manum, exemit gladium suum &c. tunc ait illi IESVS, conuerte gladium tuum in locum suum. RVSSATVS, purpuratus in flagellatione. Vnde & alij legunt: russatus in sanguine suo, spe calceatus. Sed minus rectè. Spem enim concepit abundantioris sanguinis effundendi, ex flagellationis sanguine, vt pro penula quæ russea erat de more juxta Lypsium lib. 1. Elect. c. 25. Et Trebellium in Claudio, Vopiscum in Aureliano; ipse inter generosos equites Christi censeri sperabat, vt Patres exponunt illud Zach. 1. 8. Ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta quæ erant in profundo: & post eum equi rufi varij & albi. Si enim secundùm Esaiam 31. 3. equi eorum caro: Martyrum caro sanguine rufa, alba sola virginitate vel innocentia vitæ, varia, & virginitate & Martyrio permixta, Christum sequitur ducem Virginum & Martyrum inter vmbrosa & densa amoris myrteta: vt ei turba palmatorum innumera, juxta Psaltem; constituat diem solemnem in condensis, vsque ad cornu altaris: sub quo interfectorum animæ vindictam sanguinis à corruptione clamant. Interea & hic miles post

S. Aug.

A Christum secutus est Stephanum; de quo Chrysol. Ser. 154. in p. Stephanus purpuratum duxit exercitum, qui pro Domini sui adhuc calente sanguine, sanguinem suum auidus bellator effudit: & quia sanguine proprio tinctam sibi ipse purpuram conquisiuit, meritò à rege suo consequutus post coronam, qui jam cum nasceretur, nomen sortitus est à corona MARTYRII CANDIDA, quam ambiebat in carcere candidatus. Vel quia fascia capitis, vt diadema, candida erat. Vel quia Apoc. 7. Stolas dealbauerunt in sanguine agni, quæ & corona dicitur Martyrij. Vnde August. lib. 2. de fide ad Catechum. cap. 6. in isto sanguine Sancti Martyres stolas suas lauerunt, candidas eas fecerunt. DONATIVVM. stipendium militi non debitum, ex mera principum largitate. DE APOSTOLO ARMATVS Ephes. 6. 13. accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam justitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite, & gladium Spiritus quod est Verbum Dei. August. sic de Cingulo Ser. 19. de Ver. Do. secundùm Matth. hic jam cognoscere se debet omnis homo qui militat. Non enim tantum de his militantibus Scriptura loquitur, qui armata militia detinentur, sed quisque militiæ suæ cingulo vtitur, dignitatis suæ miles adscribitur &c. Etiamsi non militare videamur sæculo, tamen Deo & Domino militamus sicut ait Apostolus 2. Tim. 2. nemo militans Deo obligat se negotiis sæcularibus. Videmur inquam militare, non remissis ac fluentibus tunicis, sed habemus militiæ nostræ cingulum, quo castimoniæ interiora constringimus: de quo cingulo Dominus ait ad discipulos suos Luc. 12. sint lumbi vestri præcincti &c. Milites igitur Christi sumus, & stipendium ab ipso donumque percipimus, sicut dicit Apostolus 2. Cor. 1. qui dedit nobis pignus Spiritus, hoc est, qui Spiritus Sancti nos remuneratione ditauit. Si quis ergo Christianorum hoc donatiuo (differt à stipendio, quod hoc debitum erat militi, illud vero mera Imperatoris liberalitate donatum) contentus forte non fuerit, & quærit amplius, incipit hoc ipso carere quod meruit. CALCEATVS, August. lib. 2. qq. super Euangelia quæst. 33. vbi de prodigo stola prima est, dignitas quam perdidit Adam. Serui qui eam proferunt, reconciliationis prædicatores. Annulus in manu, pignus est Spiritus Sancti propter gratiæ participationem (alij cum Beda partitionem) quæ digito Dei benè significatur. Calciamenta in pedes, præparatio Euangelizandi, ad non tangenda terrena. August. in Psal. 34. concione prima: apprehende arma & scutum &c. magnum spectaculum est, videre Deum armatum pro te. Et quod eius scutum? quæ arma? Domine, inquit, Psalmo 5. vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos, &c. Subiicit de his armis Apostoli: armauit nos talibus armis, qualibus audistis, laudabilibus & inuictis, insuperabilibus & splendidis, Spiritalibus sanè atque inuisibilibus, quibus & hostes inuisibiles expugnamus. Si vides hostem tuum, videantur arma tua: armamur earum rerum fide, quas non videmus, & sternimus hostes quos non videmus. Notat deinde Paulum interdum hæc arma confundere: Apostolum videmus dixisse quodam loco loricam fidei (1. Thess. 8. Induti loricam fidei & charitatis, & galeam spem salutis) & alio loco dixisse, scutum fidei: (Ephes. 6. 16.) ergo ipsa fides & lorica potest esse & scutum. Scutum ergo est, quia tela inimicorum excipit & repellit: lorica est, quia interiora tua transfigi non sinit. ACVTIORE VERBO. August. in Psal. 149. gladij ancipites (vel vt ipse vertit, frameæ bis

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

acutæ in manibus eorum.) *Sic pulchrè differit*: frameas bis acutas intelligimus sermonem Domini, & vna framea est, sed ideo multæ dicuntur, quia ora sunt & multæ linguæ sunt Sanctorum. Sermo Dei gladius bis acutus, Hebr. 4. vnde bis acutus? dicit de temporalibus, dicit de æternis. In vtroque probat quod dicit, & eum quem ferit, separat à mundo, &c. Duo Testamenta ad gladium bis acutum pertinent. Vetus Testamentum terrena promittit, nouum æterna, &c. venit Dominus noster ferens gladium bis acutum, promittens æterna, implens temporalia.

S. Aug.

A

3. ***Militare apud castra gentilium, coronæ causa, ob multa fidei & disciplinæ Christianæ pericula, vetitum Christiano. De Cor. cap. 11. in p. ad m.***

VT ipsam causam coronæ militaris aggrediar, puto prius conquirendum, an in totum Christianis militia conueniat. Quale est alioquin de accidentibus retractare, cùm à præcedentibus culpa sit? Credimusne humanum sacramentum diuino superduci licere, & in alium dominum respondere post Christum? & ejerare patrem ac matrem, & omnem proximum, quos & Lex honorari, & post Deum diligi præcipit, quos & Euangelium solo Christo pluris non faciens, sic quoque honorauit? Licebit in gladio conuersari, Domino pronuntiante, [a] *Gladio periturum, qui gladio fuerit vsus?* Et prælio operabitur filius pacis, cui nec litigare conueniet? Et vincula & carcerem & tormenta & supplicia administrabit, nec suarum vltor injuriarum? Iam stationes, aut aliis magis faciet quam Christo? aut & Dominico die, quando nec Christo? & excubabit pro templis, quibus renuntiauit? & cœnabit illic vbi Apostolo non placet? & quos interdiu exorcismis fugauit, noctibus defensabit, incumbens & requiescens super pilum, quo perfossum est latus Christi? vexillum quoque portabit æmulum Christi? & signum postulabit à principe, qui jam à Deo accepit? mortuus etiam tuba inquietabitur æneatoris, qui excitari à tuba angeli expectat? & cremabitur ex disciplina castrensi Christianus, cui cremare non licuit; cui Christus merita ignis indulsit? Quanta alia in delictis circunspici possunt castrensium munium, transgressioni interpretanda? Ipsum de castris lucis in castra tenebrarum nomen deferre, transgressio est. Planè si quos militia præuentos fides posterior inuenit, alia conditio est, vt illorum quos Ioannes admittebat ad lauacrum; vt Centurionum fidelissimorum, quem Christus probat, & quem Petrus catechizat: dum tamen suscepta fide atque signata aut desrendum statim sit, vt à multis actum: aut omnibus modis cauillandum, ne quid aduersus Deum committatur, quæ nec ex militia permittuntur; aut nouissime perpetiendum pro Deo, quod æquè fides pagana condixit. Nec enim delictorum impunitatem, aut martyriorum immunitatem militia promittet. Nusquam Christianus aliud est. Vnum euangelium, & idem Iesus: negaturus omnem negatorem, & confessurus omnem confessorem Dei: & saluam facturus animam pro nomine eius amissam, perditurus autem de contrario aduersus nomen eius lucri habitam. Apud hunc tam miles est, paganus fidelis; quàm paganus est, miles infidelis.

Matth. 10. 37. Exo. 20. 12. Leuit. 19. 18. a Matth. 26. 52. 1. Cor. 6. 6. Matth. 5. 9. & 39. 1. Cor. 8. 12. 10. 19. 34. Luc. 3. 16. Matth. 8. 10. 11. Act. 10. 34. Matth. 10. 33. & 39.

MILITARE. 3. SCHOL.

CAVSAM CORONÆ. *Vtrum militi Christiano liceat coronari.* IN TOTVM, *omnino & absolutè* ACCIDENTIBVS. *Qualis est corona & alia quæ militia congruunt, & ad eam pertinent.* RETRACTARE, *disceptare.* PRÆCEDENTIBVS, *corona enim extrema est militi post victoriam, sed multa alia in militia præcedunt, quæ à Christianis vix absque culpa exerceri possunt, tempore idololatriæ, cuius causa tum Tertullianus militiam fideli interdictam censebat.* HVMANVM, *militare jusiurandum.* DIVINO, *Deo præstito in baptismo.* SVPERDVCI, *præstari in præiudicium jam dati Deo.* RESPONDERE, *sponsionem secundam & nouam dare Imperatori infideli, in contemptum Domini Christi, vt interrogatus cui fermias, cuius mandata sequaris in omnibus, qui primo responderas, & spoponderas Christo, secundo, Imperatori Pagano spondeas.* EIERARE PATREM. *Sic enim obstringebat jusiurandum milites, fidem eius vnico Imperatori, vt etiam patrem & matrem præ Imperatoris salute abjuraret. Sicut Christus id in Euangelio exigit, licet post tria præcepta primæ tabulæ, primum secunda sit de honore parentum: Luc. 14. 26.* Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, &c. non potest meus esse discipulus. *Et Matth. 10. 37.* Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus: & qui amat filium, aut filiam super me non est me dignus. *Aug. in Psal. 149.* Nonne ipse est gladius de quo Dominus dicit, non veni pacem mittere sed gladium? Audite quomodo venit disjungere, quomodo venit separare. Disjungit Sanctos, disjungit impios, separat à te quod te impedit. Filius vult seruire Deo, pater non vult; venit gladius, venit sermo Dei, diuidit filium à patre. Filia vult, mater non vult; gladio diuiduntur ab inuicem. Nurus vult, sed socrus non vult, veniat gladius bis acutus, afferat promissionem vitæ præsentis & futuræ, consolationem temporalium, æternorum perfruitionem. CONVERSARI, *conuersationem & institutum militare profiteri.* NEC LITIGARE. 1. *Cor. 6. 6.* Frater cum fratre judicio contendit *Syr. litigat* & hoc apud infideles? *judices*, jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. PRÆLIO OPERABITVR *operam suam locabit bello qui Principis pacis est filius.* ET VINCVLA, &c. *siue in captos hostes, siue etiam in Christianos, vel ethnicos milites aut alios reos tortorem agendo, vt moris erat, & sicut Christus per milites vexatus est.* STATIONES. *Vel significant vigilias diurnas, vel quia ieiuni milites erant in Stationibus, vnde cum die Dominico jeiunium Christianis sit interdictum, sic locutus est Tertull.* ALIIS FACIET, *idolis scilicet excubans & vigilans ante templa, ad custodienda idola.* COENABIT ILLIC, *de Idolothyto sumens contra Apostoli vetitum.* ET QVOS, *dæmones scilicet.* PILVM, *alij legunt super Lunchum; Græcu hastam sonat, vel lanceam.* ÆMVLVM, *ob pictos Deos Gentilium.* SIGNVM, *tesseram militarem. Qui signum Crucis à Christo accepit.* MORTVVS, *juxta Apostolum Coloss. 3.* Mortui estis, & vita vestra,

S. Aug.

B

C

absconditа est cum Christo in Deo. *Vel à somno excitabitur tuba bellica. Vel alludit ad morem castrensem, quo anea tuba mortui milites efferuntur.* INQVIETABITVR, *pacificum funus Christiani, præstolantis tubam Angeli, suscitatricem mortuorum.* CREMARE NON LICVIT, *aliorum scilicet cadauera more pagano.* MERITA IGNIS, *pœnam inferni debitam.* IN DELICTIS, *inter delicta reputanda admissa contra legem Christianam.* DE CASTRIS LVCIS. *Sic Paulus* abjiciamus opera tenebrarum & induamur arma lucis. PRÆVENTOS, *id est qui prius militiæ nomen dederint, antequam fierent Christiani.* ALIA CONDITIO, *aliter res se habet, primo enim milites, quam fideles, quales fuere, tam baptizati à Ioanne, quàm Centurio laudatus à Christo, quàm Cor- A nelius instructus à Petro.* CAVILLANDVM. *Circumspectè & omni aduertentiâ cauendum.* CONDIXIT, *id est idipsum, militi ad Christum conuerso agendum est, vt æquè fidelis sit in seruando usque ad mortem jusjurando in baptismo præstito, sicut Paganus Imperatori promiserat.* MARTYRIORVM IMMVNITATEM, *militia non eximit militem à subeundo supplicio, si peccet.* ALIVD EST, *alius, siue sit miles, siue non. Idem præstare debet, quia idem Dominus & eadem fides militis & pacifici.* PAGANVS FIDELIS. *Paganus vel rusticum sonat ortum pago, & militia inexpertum, vel Ethnicum. Est ergo sensus: apud Deum pro milite, in militia spiritali censetur fidelis rusticus, sicut & apud eundem, miles infidelis, rusticus reputatur.*

4. *Et ibid. cap. 12. per totum.*

PVta denique licere militiam, vsque ad causam coronæ. Sed & de corona prius dicamus. Laurea ista, Apollini vel Libero sacra est: illi, vt deo telorum; huic, vt deo triumphorum. Sic docet Claudius cum & myrto ait milites redimiri solere. Veneris enim myrtum, matris Æneadarum, etiam amiculæ Martis, per Iliam & Romulos, Romani. Sed ego Venerem non credo ex hac parte cum Marte Romanam, qua pellicis dolor est. Quum & olea militia coronatur, ad Mineruam est idololatria, armorum æquè deam. sed & paci cum Neptuno initæ ex hac arbore coronatam. In his erit serti militaris superstitio polluta & polluens, omniaque jam polluentur & causis. Ecce annua votorum nuncupatio, quid videtur? Prima in principiis, secunda in capitoliis. Accipe post loca, & verba. TVNC TIBI IVPITER BOVEM CORNIBVS AVRO DECORATIS VOVIMVS ESSE FVTVRVM. Cujus sententiæ
Matth. vox est? vtique negationis. Etiamsi tacet illic Christianus ore, coronatus capite respondit.
26. 15. Eâdem laureâ in donatiui dispensatione denuntiatur planè non gratuita idololatria, aliqui-
a Matth. bus aureis venditans Christum, vt argenteis Iudas. Hoc erit, [a] *Non potestis Deo seruire &*
6. 24. *mammonæ:* mammonæ manum tradere, & à Deo absistere? Hoc erit, [b] *Reddite quæ sunt Cæ-*
b Matth. *saris Cæsari, & quæ Dei Deo:* nec hominem Deo reddere, & denarium Cæsari auferre?
22. 21. Triumphi laurea foliis struitur, an cadaueribus? lamnis ornatur, an bustis? vnguentis delibuitur, an lacrimis conjugum & matrum? fortasse quorundam & Christianorum: & apud barbaros enim Christus. Qui hanc portauerit in capite causam, nonne & ipse oppugnauit? Est & alia militia regiarum familiarum. Nam & castrenses appellantur, munificæ & ipsæ solennium Cæsarianorum. Sed & tu proinde miles ac seruus alterius es: & si duorum, Dei & Cæsaris, certè tunc non Cæsaris, cum te Deo debes, etiam in communibus, credo, potiori.

MILITIA. 4. SCHOL.

VSQVE AD CAVSAM. *Esto, tuo sensu licita sit Christiano militia, (quam sufficienter tamen hactenus probaui illicitam) tamen exclusiuè vsque ad coronam licitam fatebere professionem militarem.* LAVREA ISTA. *Originem primo sumpsit ab Appolline, vel Libero. Deum triumphorum vocat Liberum, sicut eodem libro cap. 7:* Sed & aliàs Liberū principem coronæ planè laureæ, in qua ex Indis triumphauit, *Apollinem autem Deum telorum, ob sagitta percussum serpentem Pythonem. De quo eodem capite Tertull.* Habes Callimachum, qui & Apollinem memorat interfecto Delphico Dracone lauream induisse, quà supplicem. CLAVDIVS. *De hoc & eodem cap. 7.* Præstantissimus in hac quoque materia commentator Claudius Saturninus. Nam est illius de coronis liber. REDIMIRI, C *coronari.* AMICVLÆ MARTIS, *amasiæ.* PER ILIAM, &c. *Id de Marte intelligit, qui licet bellorum Deus, laurum sibi victorialem arroget, myrtum tamen ob Venerem amicam non respuit, qui, & Romanus, imò & Romanorum origo fuit, cum ex Ilia Romulum & Remum genuerit. Vnde & Venus Martis amicula, in eius honorem, militibus coronam myrteam imposuit.* SED EGO VENEREM. *Errat, inquit, Claudius, neque enim Venus Zelotypa, de riuali & pellice Ilia Romana, vindictam potius de Romanis militibus, aliisque Martis subditis sumpsisset, quàm eis suam myrtum in coronam præbuisset.* CVM ET OLEA, *alij legunt*, quin & olea militiam coronari à Minerua, non solum artium, sed armorum quo- B que Dea, & pacem cum Neptuno iniisse, ex hac arbore coronatam. AD MINERVAM, *erga Mineruam.* CVM NEPTVNO. *Nemo ignorat litem Neptuni & Palladis circa nomen imponendum Athenis, de qua Aug. pulchrè sic ludit lib. 18. de Ciuit. cap. 19. per totum. Vbi notat Cecropem Regem ab oraculo Delphico accepto responso super oliua hinc, inde verò aqua repente erumpente, edoctum, aquâ Neptunum, oleâ significari Mineruam, & Liberum ciuibus ab alterutro nomen imponere ciuitati, fœminas tum conciliis publicis, cum viris assistentes conuocasse, & mares pro Neptuno, fœminas pro Minerua pronuntiasse.* Et, quia, *inquit, Aug.* vna plus S. Aug.
estinuenta fœminarum, Minerua vicit: tunc Neptunus iratus, marinis fluctibus exæstuantibus terras C Atheniensium populatus est: quoniam spargere latius quaslibet aquas difficile dæmonibus non est. Cuius vt iracundia placaretur, triplici supplicio dicit idem Author *Varro* ab Atheniensibus affectas esse mulieres; vt nulla vlterius ferrent suffragia: vt nullus nascentium maternum nomen acciperet: vt ne quis eas, ἀθηναίας vocaret: *Minerua enim Græcis Athena dicitur* ita illa ciuitas mater ac nutrix liberalium doctrinarum, & tot tantorumque Philosophorum, qua nihil habuit Græcia clarius atque nobilius, ludificantibus dæmonibus de lite deorum suorum, maris & fœminæ, & de victoria per fœminas fœminea, Athenas nomen accepit, & à victo læsa, ipsam victricis victoriam punire compulsa est,

plus

plus aquas Neptuni, quàm Mineruæ arma formidans. IN HIS. *Ex præmissis concludit triplicem speciem coronæ militaris, puram esse superstitionem, quæ polluta est à causa qualibet sua, inuentore scilicet Deo vel Dea; & polluit, propter idololatriam, quam jam exponit.* ECCE ANNVA. *Respicit vota solemnia quæ quotannis populus suscipiebat pro salute Imperatorum mense Ianuario. Vide Suet. in Tiberio cap. 44. Tunc etiam nummi cudebantur, quibus Imperatores hæc vota sibi grata testabantur. Vt patet ex nummo Antonini, in cuius vna parte legitur:* Antoninus Pius Aug. *Ex alia:* vota suscepta. QVID VIDETVR? *nisi idololatriam sapere plenam, vt constat ex conceptis voti verbis.* IN PRINCIPIIS, *non hic imperium signat, sed locum castrorum sic dictum apud Valerium, Varronem, Florum & alios. Vbi aquilæ & vexilla seruabantur.* CAPITOLIIS, *sic plurali frequenter vtitur pro singulari. Lamprid. de Heliogab.* in Capitolium ad vota concipienda, & perficienda solemnia ire noluit. TVNC TIBI, &c. *alij sic:* hunc tibi Iupiter bouem cornibus auro decoratis, vouemus esse futurum. *Supple sacrum. Alij:* facturum. *Quod idem est.* CVIVS SENTENTIÆ, &c. *Cuius partis, nisi gentilis? vel quem sensum hæc vox exprimit, nisi Deum verum negantis?* DENVNTIATVR, *iubetur portari à milite, dum gratuitum munus Imperatoris distribuitur, licet non sit idololatria gratuita, accipientis aureos nummos, quibus Christum vendit, vt argenteis Iudas. Hinc Lamprid. de Heliogabalo in meretrices & sordidos liberali:* pronuntiauit, his quasi militibus, ternos aureos donatiuum. HOC ERIT, &c. *ironicè.* CÆSARI AVFERRE, *à quo miles accipiebat donatiuum. Et quidem si corde fidelis, foris tantum idololatra, furabatur nummum Cæsari, & debitam Deo oris confessionem ad salutem, detrahebat; cui, vt subiicit, se totum debebat. Pulchrè & breuiter Aug. in Psal. 4.* Ad hoc credo pertinere quod quidam prudenter intelligunt, illud quod Dominus viso Cæsaris nummo ait; reddite, &c. tan-

S. Aug.

A quam si diceret: quemadmodum Cæsar à vobis exigit impressionem imaginis suæ, sic & Deus. Vt quemadmodum illi redditur nummus, sic Deo anima lumine vultus eius illustrata atque signata. *Breuius idem alibi:* reddite Cæsari nummos suos, Deo vos ipsos. FOLIIS STRVITVR. *Hæc causa damnandæ laureæ, quod in triumphis principum idololatria miscetur, hæ autem laureæ ornatiores erant cæteris. Alij sic legunt:* adornatur lemniscis, inauratur lamnulis, vnguentis delibuitur à lachrymis coniugum & matrum. *Lemnisci, (vnde lemniscata corona) apud Festum* sunt fasciolæ purpureæ dependentes ex coronis; solebant enim veteres, coronas fasciis laneis ex purpura alligatas donare. *Lamnula, id est laminula, &* B lamnis, *id est laminis argenteis vel aureis, valde exilibus, vel auripigmento concisis coronas laureas adornabant. Vnguentis item delibutæ erant ex myrrha, nardo, malabatro, cinnamo. Acutior nostra lectio, quòd exprobret, non decere Christianum, hostium cadaueribus, & bustis, & lacrymis viduarum, vel vxorum & matrum captiuorum insultare.* APVD BARBAROS *quos Seuerus Imperator Parthorum & Armeniorum victor domuerat, apud quos jam multi fideles erant, quibus insultando, Christum in suis, miles Christianus coronatus, oppugnauerat.* MILITIA REGIARVM. *Id est milites custodiæ Principum deputati, quibus coronæ, dictæ castrenses, (ab aliis distinctæ, quæ dabantur militibus primò irrumpentibus in ho-* C *stium castra,) dabantur in munus* solemnium Cæsarianorum, *id est eorum, qui de more, communiter, muniis Cæsarianis Palatij seruiebant quæ quidem solemnia dicuntur, quia hæ coronæ castrenses dabantur militibus regiæ familiæ, in locum pretij, & mercedis debitæ.* SED ET TV. *Tu verò Christiane vnius Dei seruus es simul & miles. Et quidem licet vterque communiter vocetur Dominus, & Cæsar & Deus, potiori Domino, Deo scilicet seruire debes, vt credo, eique soli, cùm de religione agitur.*

5. *Militia interdicta Christiano filio pacis. De Idol. cap. 19. per totum.*

POsset in isto capitulo etiam de militia definitum videri, quæ inter dignitatem & potestatem est. At nunc de isto quæritur, an fidelis ad militiam conuerti possit, & an militia ad fidem admitti, etiam caligata, vel inferior quoque, cui non sit necessitas immolationum, vel capitalium judiciorum. Non conuenit sacramento diuino & humano, signo Christi & signo diaboli, castris lucis & castris tenebrarum: non potest vna anima duobus deberi, Deo & Cæsari. Et virgam portauit Moyses, fibulam & Aaron; cingitur loro & Ioannes; agmen agit & Iesus Naue; bellauit & populus, si placet ludere. Quomodo autem bellabit, immò quomodo etiam in pace militabit, sine gladio; quem Dominus abstulit? Nam & si adierant milites ad Ioannem, & formam obseruationis acceperant, si etiam Centurio crediderat; omnem postea militem Dominus in Petro exarmando discinxit. nullus habitus licitus est apud nos illicito actui adscriptus.

Matth. 22. 21.
Exo. 4. 2.
Exo. 28. 13
Matth. 3. 4.
Exo. 17. 10.
Luc. 3. 14.
Matth. 8. 10.
Matth. 26 52.

MILITIA. 5. SCHOL.

INTER DIGNITATEM. *Iustè Tertull. absolutè interdicit militiam Christianis, eo tempore quo vigebat idololatria, sine cuius aliquo actu ante vel post, & in ipsis bellis vota & sacrificia, ritusque alij prophani diis gentium non offerebantur, nec jam idem status est rerum, vnde nec bella iustâ causâ suscepta, prohibita sunt Christianis. Quod attinet ad militiam de qua agit;* quæ inter dignitatem & potestatem est; *id est vtrum possit Christianus apud Gentiles militans, Dux exercitus, Centurio, vel Tribunus esse, sunt enim hæc dignitatis & potestatis officia in militia: definit, multò magis illicitum, vt magis periculosum, has gerere dignitates, quàm simplicem militem agere.* AT NVNC. *Iam inquit quæro an Christianus possit suscipere militiam, vel miles ad baptismum recipi, nisi hanc professionem deserat, licet non incumbat illi ex officio dignitatis & potestatis cura sacrificiorum,* D *vel condemnandorum ad pœnam capitalem Christianorum, propter causam fidei.* CALIGATA, *sic dicta à Caliga, clauato calceamento militari. Vnde Plin. lib. 7. cap. 43. vbi de Mario* inuentam inopem, ait, in Caliga militari tolerasse. NON CONVENIT. *Respondet absolutè Tertull. jusiurandum præstitum Deo in baptismo & signum Crucis susceptum, non posse conuenire cum vexillis Gentilium, pictis, imaginibus Deorum.* CASTRIS LVCIS. *Pulchrè opponit armis tenebrarum arma lucis, & respicit illud Cant. vbi Ecclesia militans tota lucida pingitur:* quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? ET VIRGAM, &c. *sic inducit obiicientem aliquem pro militia licita. Virga porrò Centurionum vitea in manu insigne erat, vt habet Silius Italicus. Plin. Tacitus, & alij.* FIBVLAM. *Fibula*

ligit aureos vncinos quibus inuicem nectebantur super humerale & rationale Pontificis, vt habetur Exo. 28. 25. Ipsarum catenarum extrema duobus copulabis vncinis in vtroque latere superhumeralis quod rationale respicit. *Fibula autem aurea donabantur olim milites; sic apud Liuium 27.* Tum puero annulum aureum, tunicam lato clauo, cum Hispano sagulo, & aurea fibula, equumque ornatum donat. *Idem. 9. Bell. Maced.* Quintius alter Prætor suos equites catellis ac fibulis donauit. *Catellæ autem catenulæ erant aureæ. Sine armillæ vel torques. Fibulæ autem, vel circuli aurei auribus, vel chlamyds connectenda apti vncini. Fibula insigne erat vt patet ex pluribus locis Scripturæ, primi Mach.10. 89.* Vt audiuit Alexander Rex sermones istos, addidit adhuc glorificare Ionatham. Et misit ei fibulam auream sicut consuetudo est dari cognatis Regum. *Et 1. Mach. 11. 57.* Scripsit Antiochus adolescens Ionathæ dicens: constituo tibi Sacerdotium, & constituo te super quatuor ciuitates, vt sis de amicis Regis. Et misit illi vasa aurea in ministerium, & dedit ei potestatem bibendi in auro, & esse in purpura, & habere fibulam auream. *Quo fortè respexit Tertull. Ionatham Sacerdotem, à primo Pontifice, Aaron, denominans. Item 1. Mach. 14. 44. cum dictum esset à Rege Demetrio confirmatum Sacerdotium summum Simoni:* vt sit super eos Dux, & vt cura esset illi pro Sanctis, & vt constitueret præpositos super opera eorum, & super Regionem, & super arma, & super præsidia, &c. Et ne liceat vlli ex populo & ex Sacerdotibus irritum facere aliquid horum, &c. & sine ipso *id est ipsius authoritate, vel præter ipsum quidquam fieri, & inter cætera, quod subjicit* vestiri purpura, & vti fibula aurea. CINGITVR LORO, *zona pellicea quasi baltheo militari. Matth. 3. 4. Ioannes ha-*

A *bebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos.* LVDERE. *Sic concludit pro militia licita certans, tecum, inquit, & ludam ô Tertulliane.* QVOMODO AVTEM. *Hic respondet Tertullianus.* ABSTVLIT *Petro scilicet.* AD IOANNEM *conuersi milites petentes formam seruandæ legis in bello. Aug. ser. 19. de Ver. Do. qui totus est de reddendo Cæsari debito & de stipendiis militantium; est & apud Ambros. ser. 66. in Dominicam 22. post Pent.* Nonnulli fratres qui aut militiæ cingulo detinentur, aut in actu sunt publico constituti, cum peccant grauiter, hac solent à peccatis suis prima se voce excusare, quod militant, & S. Aug.
B ne benè aliquando faciant, occupato: se malis actibus conqueruntur. Perinde quasi militia hominum non voluntas in culpa sit, ita quod ipsi gerunt officiis suis adscribunt. Non enim militare delictum est, sed propter prædam militare peccatum est; nec Rempublicam gerere criminosum est, sed ideo agere Rempublicam, vt rem familiarem potius augeas videtur esse damnabile, &c. apud omnem Christianum prima honestatis debet esse militia, &c. quod Cæsar præcipit, ferendum est, quod Imperator indicit, tolerandum est: sed fit intolerabile, dum illud præda exactionis accumulat, &c. Interrogauerunt
C & milites quid faciemus & nos? ait illis Ioannes, neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, sed contenti estote stipendiis vestris, &c. Quicumque stipendia sibi publicè decreta consequitur, si amplius quærit, tanquam calumniator & concussor Ioannis sententiâ condemnatur, &c. Nec interest apud Deum, vtrum vi, an circumuentione quis res alienas occupet, dummodo quoquo pacto teneat alienum.

6. *Milites Christiani aquam in siti publica orantes impetrant. V. Verbum orationis dignitas 3.*

MILLE.

Mille post annos Plato mortuorum restitutionem ad vitam, vanè credidit. De Ani. cap. 30. V. Metempsychosis. 1. de Anima. c. 30. in m.

MISERICORDIA IN PAVPERES.

1. *Misericordia & judicium & sequela Dei, vtraque lege mandatur. 4. cont. Marc. cap. 36. à p.*

a Luc. 18. 18. INterrogatus ab illo quodam: [a] *Præceptor optime, quid faciens vitam æternam possidebo?* de præceptis Creatoris an ea sciret, id est faceret, expostulauit, ad contestandum præceptis Creatoris vitam acquiri sempiternam. Cumque ille principaliora quæque affirmasset
b Ibid. 22. obseruasse se ab adolescentia: [b] *Vnum*, inquit, *tibi deest. Omnia quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me.* Age Marcion, omnesq. jam commiserones & coodibiles eius hæretici, quid audebitis dicere? Resciditne Christus priora præcepta, non occidendi, non adulterandi, non furandi, non falsum testandi, diligendi patrem & matrem? An & illa seruauit, & quod deerat, adjecit? quamquam & hoc præceptum largitionis in egenos vbique diffusum sit in Lege & Prophetis, vti gloriosissimus ille obseruator præceptorum, pecuniam multò cariorem habiturus traduceretur. Saluum est
c Matth. 5. 17. igitur & hoc in Euangelio, [c] *Non veni dissoluere Legem & Prophetas, sed potius adimplere.* Si-
Luc. 18. 19. mul & cetera dubitatione liberauit, manifestando vnius esse & Dei nomen & optimi, & vitam æternam, & thesaurum in cœlo, & semetipsum; cuius præcepta supplendo & con-
d Micheę 6. 8. seruauit & auxit: secundùm Michæam quoque hoc loco recognoscendus, dicentem; [d] *Si annuntiauit tibi homo quid bonum? aut quid à te Dominus exquirit, quàm facere judicium, diligere misericordiam, & paratum esse sequi Dominum Deum tuum?* Et homo enim Christus annun-
e Luc. 18. 20. tians quid sit bonum, scientiam legis; [e] *Præcepta, inquit, scis? facere judicium; Vende inquit, quæ habes; diligere misericordiam; Et da, inquit, egenis; paratum esse ire cum Deo; Et veni, inquit, sequere me.*

MISERICORDIA. 1. SCHOL.

AB ILLO QVODAM. *Matth. quidem 19. 16:* Et eccę vnus accedens ait illi; Magister bone quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? *Syr. verò:* & venit quidam accedens ac dixit ei: Doctor bone,

&c. *Luc. verò* 18. 18. *quem admittit Marcion:* Interrogauit eum quidam princeps, (*Syr. vnus ex primoribus*) dicens: Magister bone &c. *Vt habet Tertull.* CREATORIS, *authoris veteris Testamenti, quod Marcion reprobat* PECVNIAM CARIOREM. *Vt Christus, inquit, palam faceret hunc hypocritam, pluris diuitias facere, quàm obseruationem præceptorum. August. lib.* 2. S. Aug. *contra literas Petiliani. c.* 104. dictum cuidam diuiti, si vis perfectus esse, &c. tristis quidem ille discessit, neglector perfectionis, & elector defectionis. *Et* S. Aug. *Ep.* 89. *ad Hilarium:* si vis venire, &c. quæ iuuenis cum sibi à Domino ex lege commemorata se seruasse dixisset, & quæsisset quid adhuc sibi deesset, responsum accepit: si vis perfectus esse, &c. Et ne se illa quæ multum amabat, hoc modo perdere existimaret, & habebis, inquit, thesaurū in cœlis. Deinde addidit: & veni, sequere me: ne cuiquam, cum hæc fecerit aliquid prodesse existimetur, si non sequitur Christum. At ille quidem tristis abscessit, qui viderit, quemadmodum illa legis mandata seruauerat: puto enim quod se arrogantius, quàm verius, seruasse responderat. Veruntamen Magister bonus, mandata legis, ab ista excellentiore perfectione distinxit. Ibi enim dixit: si vis venire ad vitam, serua mandata: hic autē; si vis perfectus esse, vade, vende omnia, &c. Cur ergo negamus diuites, quamuis ab illa perfectione absint, venire tamen ad vitam, si mandata seruauerint, & dederint, vt detur illis? &c. Credimus enim ministrum noui Testamenti fuisse Apostolum, cum scribens ad Timotheum. (1. *Tim.* 6.) diceret; præcipe diuitibus huius mundi non superbè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, &c. benè faciant diuites, sint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurū, vt apprehendant veram vitam, de qua & illi adolescenti dictum est, si vis venire ad vitam, &c. *Et in eadem Epist.* 89. *Circa finem de suo instituto Monastico, proposito & voto Religionis, sic expressè in eadem verba, vbi & de Monachorum operibus quos seruos Dei vocat: quibus & scripsit librum de opere Monachorum, quem non sibi scriptum, vt nec opus manuum sibi proprium, Canonici Regulares* S. Aug. *affirmant.* Ego qui hæc scribo, perfectionē, de qua Dominus locutus est, quando ait diuiti adolescenti: vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & A habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me: vehementer adamaui, & non meis viribus, sed gratia ipsius adiuuante sic feci. Neque enim quia diues non fui, ideo minus mihi imputabitur. Nam neque ipsi Apostoli qui priores hoc fecerunt, diuites fuerunt. Sed totum mundū dimittit, qui & illud quod habet, & quod optat habere, dimittit. Quantum autem in hac perfectionis via profecerim, magis quidem noui ego, quàm quisquam alius homo: sed magis Deus quàm ego. Et ad hoc propositum quantis possum viribus alios exhortor; & in nomine Domini habeo consortes quibus hoc per meum ministerium persuasum est: Sic tamen vt præcipuè sana doctrina teneatur, nec eos qui ista non faciunt vanâ contumaciâ judicemus, dicentes, eis nihil prodesse B quod pudicè, quamuis coniugaliter viuunt, quod domos suas & familias Christianè regunt, quod operibus misericordiæ sibi thesaurizant in posterū; ne ista disputando, non Scripturarum Sanctarum tractatores, sed eorum accusatores inueniamur. COMMISERONES. *Non commiseratione dignos intelligit, sed potius in voluntaria & hæretica miseria, vnà cum Marcione odibiles.* QVOD DEERAT. *quia juxta* Paulum nihil ad perfectū adduxit lex. SALVVM EST. *Id est, cum Christus in Euangelio dixerit se non venisse legem soluere, sed adimplere, etiam illud implenti, quod lex egenis dandum præcipit.* DVBITATIONE LIBERAVIT, *id est vt nemo dubitet, an vnus & idem Deus sit Author vtriusque Testamenti, qui & optimus sit (quod Marcion Deo suo arrogat) qui vitæ æternæ, thesauri cœlestis, & essen-* C *tia sua sit largitor in gloria, cuius præcepta Christus impleuerit, & ampliarit.* SECVNDVM MICHÆAM. *Et hic quoque locus Lucæ, cum Michæa conuenit. Nam Mich.* 6. 8. *vulgata.* Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique facere judicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo. 70. *verò:* si annuntiatum est tibi, homo, quid bonum, aut quid Dominus quærat à te, nisi vt facias judicium; & diligas misericordiam, & paratus sis ambulare cum Domino Deo tuo. *Et cum in Græco sit vocatiuum, nescio vnde Tertull. in nominatiuo ponat, vt Christo homini applicet, nisi Hebræum sit secutus. Sic enim Sanct. Pagn. transtulit ex Hebræo:* nuntiauit tibi homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirit à te.

2. *Misericordiæ defectus minas habet in vtraque lege, & in judicio damnabitur.* 4. *cont. Marc. cap.* 24. *in m.*

[a] P*Vluerem jubet excuti in illos, in testificationem*, & hærentiam terræ eorum, nedum communicationis reliquæ. Si enim inhumanitas & inhospitalitas nullam ab eo relaturæ sunt vltionem, cui rei præmittit testificationem, minas vtique portendentem? Porro, quum etiam Creator in Deuteronomio, Ammonitas & Moabitas probibeat recipi in Ecclesiam, quod populum Ægypto profectum, inhumanè & inhospitaliter copiis defraudassent: ergo in Christum inde manasse constabit communicationis interdictum, vbi habet formam. a Luc. 9. 5. Deut. 23. 3.

MISERICORDIA. 2. SCHOL.

PVLVEREM. *Luc.* 10. 11. in quamcumque autem ciuitatem intraueritis & non susceperint vos, exeuntes in plateas eius, dicite; etiam puluerem qui adhæsit nobis de ciuitate vestra extergimus in vos: tamen hoc scitote, quia appropinquauit (*Syr. ad vos*) regnum Dei. Dico vobis quia Sodomis in die illa remissius erit, quàm illi ciuitati. COMMVNICATIONIS RELIQVÆ, *id est non tantum jubet puluerem tanquam malum excuti, ne hæreat pedibus terra hac reproba, sed multò magis, ne in aliis rebus maioris momenti communicent. Pro* hærentia, *legunt alij* horrentiam *abominationem scilicet.* VLTIONEM, *vt probet & Christum contra sensum Marcionis Dei vltoris filium.* TE- D STIFICATIONEM. *Licet Matthæus* 10. 9. *expressè non meminerit testimonij. Marc. tamen quanquam breuiator eius, illud exprimit* 6. 11. quicumque non receperint vos, exeuntes inde, excutite puluerem de pedibus vestris, in testimonium illis. *Et Luc.* 9. 5. quicumque non receperint vos, exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem pedum vestrorum excutite in testimonium super illos. *Aug. to.* 4. *lib. quæst. in Matth. quæst.* 7. Excutite puluerem de pedibus vestris; aut S. Aug. ad contestationem laboris terreni, quem pro illis inaniter suscepissent, aut vt ostenderent vsqueadeo se ab ipsis nihil terrenum quærere, vt etiam puluerem de terra eorum sibi non paterentur adhærere.

AMMONITAS. *Deut.* 23. 3. Ammonites & Moabites non intrabunt etiam post decimam generationem Ecclesiam Domini in æternum: quia noluerunt vobis occurrere cũ pane & aqua in via, quando egressi estis de Ægypto; & quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mosopotamia Syriæ, vt malediceret tibi. *Ita Hebr.* 70. *& Chald.* COPIIS *ad vitam necessariis.* IN CHRISTVM: *pates contra Marcionem, & hic concordantia vtriusque Testamenti; & constat, Christum, juxta veterem legem, quam hoc facto approbat & confirmat, interdixisse Apostolis communicationem cum gente inhospitali; sicut Ammonitas & Moabitas ad Synagogam Iudaorum recipi, & Iudaos cum gentilibus communicare, Deus Creator, Pater Christi prohibebat. de Misericordia. V. Verbum. Dei Misericordia, & Christi Misericordia.*

S. MONICA.

* *S. Monica mœrore facta est mater masculi, multò dignius quàm Sophia Valentini. cont. Valens. cap.* 10. *à p.*

IN illo mœrore ex semetipsa sola, nullâ operâ coniugij concepit, & procreat fœminam. Miraris hæc? Et gallina sortita est de suo parere. Sed & vultures fœminas tantum aiunt: Et tamen sine masculo mater. Primò quidem contristari propter inconsummationem generationis: metuere postremò, ne finis quoque insisteret; hærere de ratione casus.

MONICA. SCHOL.

IN ILLO MOERORE, *per sensum accommodationis, Sophiæ Valentini fabulosum mœrorem, vero Monicæ S. Nostræ Matris luctui aptami, veraciter efficati: nisi, quod, non illa fœminam, sed masculum Augustinum, de Spiritu Sancto super aquas lachrymarum eius incubante concepit: similis mulieri Apocalypsis* 12: quæ cruciabatur vt pareret: *expectante Dracone Rufo, hoc est Diabolo, tot animarum sanguine purpurato*, vt cum peperisset, deuoraret filium eius. SINE MASCVLO. *Vide hunc locum jam expositum V. Maria.* 1. INCONSVMMATIONEM, *imperfectionem operis. Licet enim ingenio prævaleret Augustinus, moribus tamen depravatus erat: & Monica magno timore angebatur, ne ante correctionem morum, & susceptum baptisma morte præriperetur, & finis cum vita, in extremum sine fine exitium abriperet.* HÆRERE &c. *dubia erat & anxia de salute eius, vt pulchrè describit in Confessionibus suis; & ipse de seipso:* hæsitans, inquit, morti mori, & vitæ viuere. *Tandem sic* consummatus in breui impleuit tempora multa, *vt eum Monica, ante mortem suam, viderit non tantum Baptizatum & Christianum, sed omni sæculo contempto, & relicto, Religiosum & Monachismo initiatum: quod his verbis expressit lib.* 8. *Confess. c.* 12. ad matrem ingredimur, indicamus, gaudet, narramus quemadmodum gestum sit, exultat & triumphat, & benedicit tibi, qui potens es, vltra quam petimus, aut intelligimus facere; quia tantò amplius sibi à te concessum de me videbat, quàm petere solebat miserabilibus eius flebilibusque gemitibus, conuertisti enim ita me ad te, vt nec vxorem quærerem, nec aliquam spem sæculi huius, stans in ea regula fidei, in qua me ante tot annos ei reuelaueras; & conuertisti luctum eius in gaudium multò vberius quàm voluerat, multò carius atque castius, quàm de nepotibus carnis meæ requirebat. *Sed adhuc expressius lib.* 9. *Confess. c.* 10. *sic inducit matrem loquentem:* ait illa; fili, quantum ad me attinet, nulla re jam delector in hac vita: quid hic faciam adhuc, & cur hic sim nescio, jam consumpta spe huius sæculi. *Quæro, lector, quid vltra sperare poterat quàm videre Baptizatum, & exactum Diuinæ legis obseruatorem? quid cumulo gaudij deerat matri, nisi vt videret Monica Monachum Augustinum, deserto mundo, abdicatis voluptatibus strictioris vitæ Regularis institutum amplexum? Sic subiicit:* Vnum erat propter quod in hac vita aliquantùm immorari cupiebam, vt te Christianum Catholicum viderem priusquam morerer; cumulatius hoc mihi Deus meus præstitit: vt te etiam contempta fœlicitate terrena, seruum eius videam, quid hic facio? *quòd verò* SERVI DEI *nomen, tam apud Augustinum, quàm veteres Patres, Monachum & Religiosum significet; quodque verè & propriè Monachus fuerit Augustinus, nubem testium, & clarissimè tam Posidonij, quàm ipsiusmet Augustini testimonia, in thesi nostra Apologetica & vindiciis quadripartitis eandem veritatem contestantia lector curiosus videre poterit, quæ hîc referre instituti mei breuitas non patitur. Vnicum proferam Ep.* 70. *ad Bonifacium.* Omnes actus publicos quibus occupatus eras, relinquere & te in otium sanctum conferre, atque in ea vita viuere, in qua serui Dei, Monachi viuunt. *Vide jam dicta Verbo misericordia.* 1. *Schol. in m.* S. Aug.

MONOGAMIA.

* 1. *Monogamia primis temporibus in vsu non fuit, & post Lamech primum, Patriarcha polygami ob generis multiplicationem: nunc autem restricta sunt coniugia. De Exhort. Cast. cap.* 5. *in f. &* 6. *ad m.*

Gen. 4. 19. NVmerus matrimonij à maledicto viro cœpit. Primus Lamech duabus maritatus, tres
CAP. VI. in vnam carnem effecit. Sed & benedicti, inquis, Patriarchæ non modo pluribus
Gen. 16. 3. vxoribus, verum etiam concubinis conjugia miscuerunt. Ergo propterea nobis quoque
Gen. 29. licebit, innumerùm nubere? Sanè licebit, si adhuc typi, futuri alicuius sacramenta, su-
27. 29 30. persunt, quos nuptiæ tuæ figurent; vel si etiam nunc locus est vocis illius, [a] *Crescite &*
Gen. 30. *multiplicamini*; id est, si nondum alia vox superuenit, [b] *Tempus jam in collecto esse; restare vt*
26. *& qui vxores habent, tanquam non habentes agant.* vtique enim continentiam indicens, &
a Gen. 1. 28. compescens concubitum, seminarium generis, abolefecit [c] *Crescite* illud *& multiplicamini.*
b 1. Cor. Vt opinor, autem, vnius & eiusdem Dei vtraque pronuntiatio & dispositio est, qui tum
7. 29. quidem in primordio sementem generis emisit indultis coniugiorum habenis, donec mun-
c Gen. 1. dus repleretur, donec nouæ disciplinæ materia proficeret: nunc verò sub extremitatibus
28.

temporum compressit quod emiserat, & reuocauit quod indulserat. non sine ratione prorogationis in primordio, & pastinationis in vltimo. Semper initia laxantur, fines contrahuntur. Propterea syluam quis instituit, & crescere sinit, vt tempore suo cædat. Sylua erit vetus dispositio, quæ ab Euangelio nouo deputatur, in quo & [d] *securis ad radices arboris posita.* [d] Matth. 3. 10.

MONOGAMIA. 1. SCHOL.

MALEDICTO. *Sic tum hæreticus Tertull. execratus est secundas nuptias, vt maledictum vocet primum Bigamum Lamech, nunquam tamen in scriptura maledictum.* TRES IN VNAM, &c. *duabus scilicet junctus vxoribus, cum dictum sit:* erunt duo in carne vna. BENEDICTI. *Inducit sibi obiicientem pro repetito Matrimonio, & opponit benedictos* Patriarchas, *maledicto Lamech.* INNVMERVM *aduerbialiter, sine numero definito toties quoties libuerit. Aug. to. 4. lib. de bono viduitatis*
S. Aug. *cap. 11.* De tertiis, & de quartis & de vltra pluribus solent homines mouere quæstionem. Vnde vt breuiter respondeam, nec vllas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre, &c. quis enim sum qui putem definiendum, quod nec Apostolum video definisse? ait enim. 1. Cor. 7. mulier alligata est quandiu vir eius viuit; si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino: Beatior autem erit si sic permanserit. Quid huic sententiæ, quantum ad hanc rem attinet,
A addi vel detrahi possit, ignoro. TYPI SACRAMENTA, &c. *Si viget adhuc lex vetus cuius figura & mysteria, futuram aliam nouam legem, vmbras veteris implentem expectens.* LOCVS VOCIS, *quasi dicat hæc Dei vox, qua in prima humani generis institutione in Adam, vel restaurationis in Noë, multiplicari jussit ad conseruandam speciem, necessaria erat ob tantam mundi durationem: alia jam voce Apostoli (quam alibi exposuimus) non necessariam esse constat; tum quòd sufficientissimè propagatum sit genus humanum; tum quod monet* Paulus *tempus breue, & collectum esse, & instare judicium.* DONEC, *vsquedum.* NOVÆ DISCIPLINÆ *legis Euangelicæ.* EMISERAT. *Laxauerat.* PASTINATIONIS. *Alij* repastinationis, *id. auulsionis & recisionis. repastinare, propriè Columellæ lib. 3. c. 8. Est refodere vineam ferramento bisulco.* VLTIMO, *tempore mundi extremo.* DEPVTATVR. *Amputatur.* VETVS DISPOSITIO, *lex vetus.* SECVRIS *Luc. 3. 9.* Iam enim securis ad radicem arborum *Syr. arboris* posita est.

* 2. *Et de Monog. Cap. 4. in m.*

VBi primum scelus, homicidium, in fratricidio dedicatum, tam dignum secundo loco scelus non fuit, quàm duæ nuptiæ. Neque enim refert duas quis vxores singulas habuerit, an pariter singulæ duas fecerint. Idem numerus conjunctorum & separatorum. Semel tamen vim passa institutio Dei per Lamech, constitit postea in finem vsque gentis illius. Secundus Lamech nullus extitit, quomodo duabus maritatus. Negat scriptura quod non notat. Aliæ diluuium iniquitates prouocauerunt, semel defensæ qualescunque fuerunt; non tamen [e] *septuagies septies*, quod duo matrimonia meruerunt. Gen. 4. 8. & 19. Gen. 4. 19. Gen. 6. 7. [e] Gen. 4. 24.

MONOGAMIA. 2. SCHOL.

PRIMVM SCELVS, *non Caïn, sed Eua, immò Ada fuit* in quo omnes peccauimus, *& mortui sumus. Sed scelus ait, apertum homicidium.* TAM DIGNVM. *Hæc nimis exaggerata, plenam eius in condemnatis secundis nuptiis hæresim sapiunt.* NEQVE REFERT, &c. *parum interest, vtrum Lamech duas singillatim, & seorsum vxores habuerit, vel pariter, id est simul habitantes in eadem domo Lamech; & sic illæ duæ vxores, duas nuptias, id est duplex Matrimonium constituerint. Aug.*
S. Aug. *lib. 15. de Ciuit. c. 21.* Oportebat istas duas proponere ciuitates, vnam per homicidam, vsque ad homicidam: Nam & Lamech duabus vxoribus suis se perpetrasse homicidium confitetur: alteram per eum qui sperauit inuocare nomen Domini Dei Hoc est quippe in hoc mundo peregrinantis Ciuitatis Dei totum atque summum in hac mortalitate negotium, quod per vnum hominem, quem sanè occisi *Abel scilicet* resurrectio genuit, *quia Gen. 4. 25. Adam genito Seth dixit juxta 70. suscitauit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Caïn. Et Seth factus est filius, & vocauit nomen eius Enos. Hic sperauit inuocare nomen Domini* commendandum fuit. Homo quippe ille *Seth* vnus, totius supernæ ciuitatis est vnitas: Nondum quidem completa, sed præmissa ista prophetica præfiguratione complenda. Filius ergo Caïn, hoc est filius possessionis, cuius nisi terrenæ habeat nomen in ciuitate terrena, quæ in eius nomine condita est? de his est enim de quibus cantatur in Psal. 48. Inuocabunt nomina eorum in terris ipsorum: propter quod sequitur eos, quòd in alio Psalmo scriptum est: *Psal. 72.* Domine in ciuitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges Filius autem Seth, hoc est,
B filius resurrectionis, speret inuocare nomen Domini Dei. Eam quippe societatem hominum præfigurat, quæ dicit Psal. 51. Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei, speraui in misericordia Dei. Vanas autem glorias famosi in terra nominis non requirat. Beatus enim vir, cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas. VIM PASSA, *quia Lamech fecit contra primum & vnicum à Deo inter vnum Adam, & vnam Euam institutum Matrimonium. Violauit etiam dictum illud:* erunt duo in carne vna. CONSTITIT, *stetit, vlterius non est progressa hæc violatio, hæsit in Lamech vsque ad diluuium.* QVOMODO, *supple, ille.* ALIÆ, *quàm Poligamia, & pluralitas vxorum. Scriptum est enim quod,* omnis caro corrupit viam suam. SEMEL DEFENSÆ. *Simul & semel punitæ, & vindicatæ. Sic sumitur L. si*
C *oleum de Dol. mal.* SEPTVAGIES SEPTIES. *Non mirum excidisse memoriâ, qui tum exciderat à fide. Quasi verò hanc mulctam Deus pro Bigamia imposuerit, & non ipse Lamech in terrorem vxoribus obiecerit subinnuens quod si Deus Gen. 4. 11. dixit Caïn, (non verò Lamech vt supponit Tertull.)* maledictus eris super terram: *Et versu 15.* Omnis qui occiderit Caïn septuplum punietur, *& juxta 70:* septem vindictas exoluet. *Sic capite 4. 23.* Dixit Lamech vxoribus suis Adæ & Sellæ: audite vocem meam vxores Lamech, ausculate sermonem meum; quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum. Septuplum vltio dabitur de Caïn: de Lamech verò septuagies septies. *Quem locum alibi exposui, nec intelligendus Caïn puniendus pro Abel occiso, septuplum; vt nec Lamech, pro Bigamia: sensus enim omnino contrarius est.*

3. *Et primo ad vxo. cap. 2. à p. ad f. Et cap. 3. in p.*

Gen. 16. 3. Gen. 30. per totũ. SAnè apud veteres nostros, ipsosque Patriarchas, non modo nubere, sed etiam plurifariàm matrimoniis vti fas fuit. Erant & concubinæ. Sed licet figuraliter in Synagoga Ecclesia intercesserit, vt tamen simpliciter interpretemur, necessarium fuit instituere, quæ postea aut amputari, aut temperari mererentur. Superuentura enim lex erat. Oportebat legis adimplendæ causas præcucurrisse. Item mox legi succedere habebat Dei sermo, circuncisionem inducens spiritalem. Igitur per licentiam tunc passiuam, materiæ subsequentium emendationum præministrabantur, quas Dominus Euangelio suo, dehinc Apostolus in extremitatibus seculi aut excîdit redundantes, aut composuit inconditas.

Cap. III. Sed non ideo præmiserim de libertate vetustatis, & posteritatis castigatione vt præstruam Christum separandis matrimoniis, abolendis conjunctionibus aduenisse, quasi jam hinc finem nubendi præscribam.

MONOGAMIA. 3. SCHOL.

PLVRIFARIAM, *imitatur illud Apostoli*, multifariam multisque modis, &c. ERANT ET CONCVBINÆ. *Aug. lib. 16. de Ciuit. cap. 34. vbi de Agar, & Cethura Abrahæ concubinis*, ambæ & vxores Abrahæ, & concubinæ sunt appellatæ. (S. Aug.) Sara verò nunquam dicta est concubina, sed vxor tantum. Nam & quando data est Agar Abrahæ, ita scriptum est Gen. 16. Et apprehendit Sara vxor Abram Agar Ægyptiam ancillam suam, post decem annos quam habitauerat Abram in terra Chanaam, & dedit eam Abram viro suo vxorem. De Cethura autem quam post obitum Saræ accepit, sic legitur: adjiciens autem Abraham sumpsit vxorem, cui nomen erat Cethura. Ecce ambæ dicuntur vxores, ambæ porro concubinæ fuisse reperiuntur, postea dicente Scriptura: dedit autem Abraham omnem censum suum Isaac filio suo, & filiis concubinarum suarum dedit Abraham dationes, &c. habent ergo nonnulla munera filij concubinarum, sed non perueniunt ad regnum promissum, nec hæretici, nec Iudæi carnales: quia præter Isaac, nullus est hæres: Et non qui filij carnis, hi filij Dei, sed filij promissionis deputantur in semine, de quo dictum est: in Isaac vocabitur tibi semen Rom. 9. Neque enim video cur Cethura post vxoris mortem ducta, nisi propter hoc mysterium, dicta sit concubina. Sed quisquis hæc non vult in istis significationibus accipere, non calumnietur Abrahæ. Quid si enim & hoc prouisum est contra hæreticos futuros secundarum aduersarios nuptiarum, vt in ipso Patre multarum gentium, post obitum coniugis, iterum coniugari, demonstraretur non esse peccatum? INTERCESSERIT, *id est Ecclesia fi-* A *gurata fuerit in multis, per Synagogam Iudæorum.* SVPERVENTVRA LEX, *Moysi scilicet post legem naturæ, quæ multa etiam circa coniugia inter fratres & sorores initio mundi necessaria, amputauit, & in aliis modificauit.* PRÆCVCVRRISSE, *præcessisse.* HABEBAT, *debebat.* DEI SERMO, *sic sæpè dixit Christum Verbum Patris*, sermonem Dei; *vel sermonem Euangelicum, & legem gratiæ.* SPIRITALEM, *carnalis circumcisionis impletiuam & perfectiuam.* PASSIVAM, *toleratam, communem permissam passim omnibus, plures habendi vxores.* MATERIÆ SVBSEQVENTIVM, &c. *Quia circa has in melius emendandas, Christus & Apostoli versari debebant. Aug. ser. 243. de Temp.* Coram Deo & Angelis contestor, atque denuntio, ista mala, & semper prohibuisse, & nunquam ei placita fuisse, quia præcipuè temporibus Christianis concubinas habere nunquam licuit, nunquam licebit. (S. Aug.) B Sed quod pejus est, faciunt hoc multi viri jure fori, non jure cœli, non justitia jubente, sed libidine dominante. Cum enim Apostolus coniugia habentibus dicat 1. Cor. 7. Tempus breue est, & super est vt qui habent vxores tanquam non habentes sint, & illud: Abstinete ad tempus, vt vacetis orationi: quomodo adulteras concubinas permittit habere, qui castitatem seruare, & in coniugiis positis præcepit? DE LIBERTATE VETVSTATIS. *Quà liberè veteres Patres pluribus vxoribus nubebant.* POSTERITATIS. *Nouæ legis emendatione & coërcitione.* VT PRÆSTRVAM. *Non præmisi supra dicta, quasi velim dicere, Christum ideo venisse, vt omnino nuptias tanquam malas condemnaret; vel quasi videar docere, ab Aduentu Christi, finem impositum nuptiis.*

* 4. *Monogamia, nec onerosa, nec noua. De Monog. cap. 3. in p.*

AN onerosa Monogamia, viderit adhuc impudens infirmitas carnis. An autem noua, de hoc interim constet. Illud enim amplius dicimus, etiamsi totam & solidam virginitatem siue continentiam Paracletus hodie determinasset, vt ne vnis quidem nuptiis feruorem carnis despumare permitteret, sic quoque nihil noui inducere videretur; ipso Domino spadonibus aperiente regna cœlorum, vt & ipso spadone; ad quem spectans & Apostolus, propterea & ipse castratus, continentiam mauult. (Matth. 19. 12. 1. Cor. 7. 7.)

MONOGAMIA. 4. SCHOL.

IMPVDENS INFIRMITAS, *quæ pro repetendis nuptiis, pro se, sine pudore allegat dictum Christi:* Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. PARACLETVS. *Montanum intelligit eiusque doctrinam à Spiritu sancto (vt errat Tertull.) traditam.* DETERMINASSET. *Nuptias omnino condemnasset.* VNIS, *vnicis & solis primis coniugiis.* SPADONIBVS. *Castis, virginibus. Iuxta illud Matth. 19.* Sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. SPECTANS. *Quem respiciens, ad cuius exemplar se conformans; vel* C *ad quem pertinens Apostolus.* MAVVLT. 1. *Cor. 7. 7.* Volo omnes vos esse sicut meipsum. *Syr. autem* siquidem ego velim omnes homines esse sicuti sum puritate. *Aug. lib. de gratia & libero arbitrio cap. 4.* de ipsa quoque pudicitia coniugali Apostolus ait, quod vult faciat, non peccat si nubat: (S. Aug.) & tamen hoc etiam Dei donum est, dicente Scriptura, à Domino jungitur mulier viro. Ideo Doctor gentium & pudicitiam coniugalem, per quam non fiunt adulteria; & perfectiorem continentiam, per quam nullus con-

cubitus quæritur, suo sermone commendans, & hoc, & illud, donum Dei esse demonstrauit; admonens coniuges, ne se inuicem fraudent. Quod cùm admonuisset, adiecit: vellem autem omnes homines A esse sicut meipsum. Quia vtique ipse ab omni concubitu continebat. Et continuò subiunxit: sed vnusquisque proprium donum habet à Deo, alius quidem sic, alius autem sic.

** 5. Monogamia antiquitas in Adam. De Monog. cap. 4. à p.*

QVod pertineat ad antiquitatem, quæ potest antiquior forma proferri, quàm ipse census generis humani? Vnam feminam masculo Deus finxit, vna costa eius decerpta, & Gen. 2. 21. vtiq. ex pluribus. Sed & in præfatione ipsius operis, [a] *Non est*, inquit, *bonum homini, solum eum esse; faciamus adjutorium illi.* Adjutores enim dixisset, si pluribus eum vxoribus destinasset. Adjecit & legem de futuro. Siquidem prophetice dictum est, [b] *Et erunt duo in carnem vnam*; non tres, neque plures. Ceterùm, jam non duo, si plures. Stetit lex. Denique, perseuerauit vnio coniugij in auctoribus generis ad finem vsque; non quia non erant feminæ aliæ, sed quia ideo non erant, ne primitiæ generis duplici matrimonio contaminarentur. Alioquin, si Deus voluisset, esse potuissent: certè de filiarum suarum numerositate sumpsisset, non minus ex ossibus & ex carne sua habens Euam, si hoc piè fieret.

a Gen. 2. 18.
b Gen. 2. 24.

MONOGAMIA. 5. SCHOL.

PERTINEBAT, *quod attinet.* FORMA. *Exemplum* CENSVS, *origo generis humani & stirps posteritatis.* FINXIT, *fecit. Vel quia totum Adæ corpus fictum est ex luto à magno figulo Deo; vnde & Paulus:* Nunquid potest dicere figmentum figulo, quare finxisti me sic? *proinde & costa ficta, & mulier ex vna earum ficta dicitur.* EX PLVRIBVS. *Costis scilicet.* PRÆFATIONE OPERIS, *formationis Euæ; cum se accingeret ad formandam Euam, & hac præfatione vsus est.* NON EST BONVM, *jam alibi expositus locum.* STETIT LEX. *Inuiolata mansit.* VNIO, *indiuisa vnitas coniugij in vna vxore, nec in carnes plures diuisa.* AD FINEM, *vsque ad diluuium.* HABENS EVAM, *id est vxorem & viraginem de viro sumptam: quia aquè alia ex ossibus & carne eius, om-* B *nium origine, deriuatæ essent.* SI PIE. *Vel respicit magnum illud Pauli Sacramentum quod & vocat* manifestè magnum pietatis Sacramentum, *quo Verbum carodues naturas in vnum Christum, vel seipsum Ecclesiæ junxit vnicæ columbæ; quod violat Bigamus Tertulliani sensu: vel respicit pietatem siue honorem verecundum, quem debet nata & filia suæ origini & Patri. Vnde pulchrè Aug. lib. 15. de Ciuit. c. 16.* Inest humanæ verecundiæ quiddam naturale atque laudabile, vt cui debet causa propinquitatis verecundum honorem, ab ea contineat, quamuis generatricem, tamen libidinem, de qua erubescere videmus & ipsam pudicitiam coniugalem. S. Aug.

6. Et primo ad vxo. cap. 2. in p.

NOn quidem abnuimus coniunctionem viri & feminæ benedictam à Deo, vt seminarium generis humani, & replendo orbi, & instruendo seculo, excogitatam, atque exinde permissam; vnam tamen. Nam & Adam vnus Euæ maritus, & Eua vna vxor illius, vna mulier, vna costa.

MONOGAMIA. 6. SCHOL.

BENEDICTAM. *Gen. 1. 27.* Masculum & fœminam creauit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam. *Vide Aug. to. 6. lib. de bono coniugali cap. 2. lib. 15. de Ciuit. cap. 16.* Copulatio maris & fœminæ, quantum attinet ad genus mortalium, quoddam se- C minarium est ciuitatis: sed terrena ciuitas generatione tantummodo, cœlestis autem etiam regeneratione opus habet, vt noxam generationis euadat. *Vide mysticam Aug. expositionem huius loci Gen. 1. to. 1. de Gen. cont. Manich. lib. 1. c. 19.* INSTRVENDO. *Ornando mundo. Cætera clara sunt.*

S. Aug.

** 7. Monogamia in Noë restitutore generis humani, in filiis eius, & in animalibus etiam immundis. De Monog. cap. 4. à m. ad f.*

SEd & reformatio secundi generis humani Monogamiâ matre censetur. Iterum duo in vnam carnem, crescere & redundare suscipiunt. Noë & vxor, filiique eorum in vnicis Gen. 9. 1. nuptiis. Etiam in ipsis animalibus Monogamia recognoscitur, ne vel bestiæ de mœchia nascerentur. [a] *Ex omnibus*, inquit, *bestiis, ex omni carne, duo induces in arcam, vt viuant tecum masculus & femina. Erunt de animalibus volatilibus secundùm genus, & de omnibus serpentibus terræ, secundùm genus ipsorum, duo ex omnibus introibunt ad te, masculus & femina.* Eadem forma & septena ex binis adlegi mandat ex masculo & femina, vno & vna. Quid amplius dicam? Immundis quoque alitibus cum binis feminis introire non licuit. Hæc quantum ad primordiorum testimonium, & originis nostræ patrocinium, & diuinæ institutionis præjudicium.

a Gen. 6. 19. & 7. 2.
Gen. 7. 3.

MONOGAMIA. 7. SCHOL.

REFORMATIO. *Instauratio generis humani per Noë superstitem diluuio.* CENSETVR, *originem ducit.* CRESCERE, &c. *audiunt Deum, vt in prima formatio-* D *ne dicentem:* Crescite & multiplicamini. NOE ET VXOR, &c. *Aug. lib. 12. cont. Faustum cap. 21. non tantum Noë & filios eius Monogamos fuisse notat; sed &*

subtiliter, per viros, hominum animos; per vxores, corpora significata, cur de Arca coniuncti exeunt, qui disjuncti intrauerant: sic enim dictum erat; quod intrauerit in Arcam Noë & filij eius, & vxor eius, & vxores filiorum eius. Seorsum viri, seorsum fœminæ commemorati sunt? in hoc enim tempore huius Sacramenti, caro concupiscit aduersus Spiritum, & spiritus aduersus carnem. Exeunt autem Noë, & vxor eius, & filij eius, & vxores filiorũ eius, nunc coniuncti commemorati masculi & fœminæ: quia in fine sæculi atque in resurrectione iustorum *in qua tamen non erunt coniuncti vir & fœmina nisi mente, neque enim nubent, sed erunt sicut Angeli* omnimoda & perfecta pace, spiritui corpus adhærebit, nulla mortalitatis indigentia vel concupiscentia resistente. *Et in Ps. 101.* Plena est hominibus terra, sed cum aliis morientibus, alij nascendo succedunt, semper arbor illa veste viridi ornata est. Sed subter attende quam multa calces arida folia. Ergo fuit generatio sub Adam, transiit, &c. venit diluuium, remansit vna domus. Et illa generatio dedit aliquos, ipsum Noe, & tres filios eius, & tres nurus eius: in tota domo ista octonaria solus vnus peccator inuentus est, &c. de tribus filiis Noë, tanquam de tribus mensuris farinæ impletus est orbis. EX OMNIBVS BESTIIS. *Gen. 7. 2. vulgata*, ex omnibus animãtibus mũdis tolle septena, & septena, masculũ & fœminã: de animantibus verò immundis, duo & duo, masculum & fœminam. Sed & de volatilibus cœli septena & septena masculum & fœminam, vt saluetur semen super faciem vniuersæ terræ. 70. *autem*, à iumentis mundis induc ad te, septem, septem, masculum & fœminam: à iumentis autem immundis duo, duo: masculum & fœminam; & à volatilibus cœli mundis septem, septem, masculum & fœminam: & ab omnibus volatilibus immundis duo, duo: masculum & fœminam, vt nutriatur semen super omnem terram. *Aug. lib. 15. de Ciuit. cap. 27. vbi fusè de animalibus arcæ*: cum dicitur masculus & fœmina erunt: profectò intelligitur ad reparandum genus dici: ac per hoc nec illa necesse fuerat ibi esse quæ possunt sine concubitu, de quibusque rebus, vel rerum corruptionibus nasci &c. Non autem ad præfigurandam Ecclesiam pertinere tam multiplicia rerum signa gestarum, nisi fuerit contentiosus, nemo permittitur opinari. Iam enim gentes ita Ecclesiam (*vnam & Monogamam, in vna arca, & vna coniunctione maris & fœminæ, tam in hominibus, quàm animalibus figuratam*) repleuerunt, mundique & immundi, donec certum perueniatur ad finem, ita eius vnitatis quadam compagine continentur, vt ex hoc vno manifestissimo, etiam de cæteris, quæ obscurius aliquantò dicta sunt, & difficilius agnosci queunt, dubitari fas non sit. EADEM FORMA, *similiter*. PRÆIVDICIVM, *quia inde præiudicatur, polygamiam à Deo interdictam, ex institutione generis humani, & eiusdem omniumque animalium restitutione, & vnica vtrobique maris & fœminæ coniunctione.*

S. Aug. (marg.) · S. Aug. (marg.) · S. Aug. (marg.)

8. Monogamia ab Adam, Noë, Christo ipso exemplari virtutum ediscenda. de Monog. cap. 5. in m.

ELige in quo eorum initium tuum deputes. In ambobus te sibi Monogamiæ censura defendit. Sed & si initium transmittit ad finem, vt α ad ω, quomodo finis remittit ad initium, vt ω, ad α, atque ita census noster transfertur in Christum, animalis in spiritalem, [a] *quia non primo quod spiritale est, sed quod animale, dehinc quod spiritale*: proinde videamus, an idipsum debeas huic quoque censui secundo; an in eadem te forma esse conueniat, in qua nouissimus quoque Adam, in qua & primus; quando nouissimus Adam, id est Christus, innuptus in totum, quod etiam primus Adam ante exsilium. Sed donato infirmitati tuæ carnis suæ exemplo, perfectior Adam, id est Christus, eo quoque nomine perfectior quà integrior, volenti quidem tibi spado occurrit in carne. si verò non sufficis, Monogamus occurrit in spiritu, vnam habens Ecclesiam sponsam, secundùm Adam & Euæ figuram; quam Apostolus in [b] *illud magnum sacramentum* interpretatur, *in Christum & Ecclesiam*, competisse carnali Monogamiæ per spiritalem.

a 1. Cor. 15. 46.
b Ephes. 5. 32.

MONOGAMIA. 8. SCHOL.

ELIGE IN QVO, *an in Adam, vel in Noë, vtroque monogamo*. CENSVRA, *origo, vel restrictio ad vnam vxorem*. DEFENDIT, *te sibi vendicat & tenet obstrictum vnico Matrimonio obeundo*. INITIVM, *Adam stirps generis*. AD FINEM, *Christum qui ex Paulo Rom. 10. 4.* Finis legis Christus; ad iustitiam omni credenti. *Aug. in tit. Psal. 4.* Intentio ergo dirigatur in finem, dirigatur in Christum. Quare finis dicitur? quoniam quidquid agimus, ad illum referimus, & cum ad eum peruenerimus, vltra quod quæramus, non habebimus. Dicitur enim finis qui consumit, & dicitur finis qui perficit. Aliter quippe intelligimus cum audimus, finitus est cibus qui manducabatur: & aliter intelligimus cum audimus, finita est vestis quæ texebatur. In vtroque audimus, finitum est: sed cibus, vt jam non esset; vestis, vt perfecta esset. Finis ergo noster perfectio nostra esse debet, perfectio nostra Christus est. In illo enim perficimur, quia ipsius capitis membra sumus. Et dictus est finis legis, quia sine illo nemo perficit legem. *Ipse caput, & α. ipse & finis. ω.* Ego sum, ait, principium & finis. REMITTIT, *vt sit reciprocatio exempli Monogamiæ, siue ab initio generis Adam, ad finem legis omnis Christum respicias, siue à fine, ad idem initium spectes*. CENSVS NOSTER, *origo nostra spiritalis, à carnali natiuitate ex Adam, in Christum transfertur.* QVIA NON PRIMO. 1. *Cor. 15. 46.* Non prius quod spiritale est, sed quod animale: Deinde quod spiritale. *Alibi expositum habes hunc locum*. CENSVI SECVNDO, *origini secundæ ex Christo, iuxta Augustinum alibi relatum, in Cruce dormiente, & ibi vnicam Ecclesiam sibi desponsante, cuius ex latere vnica prodiit Ecclesia, vt ex vna costa Adæ vnica Eua*. ANTE EXSILIVM. *Eiectionem à Paradiso*. INNVPTVS. *Christus Virgo: vt & Adam in Paradiso, in quo quidem vir fuit, sed non cognouit vxorem nisi post eiectionem. Vnde cum vltimo versu Gen. 3. dixisset Moyses de eius eiectione, & Cherubin custode paradisi, statim incipit caput 4. his verbis:* Adam verò cognouit vxorem suam Euam: quæ concepit & peperit Caïn. CARNIS SVÆ *de Adam primo loquitur*. DONATO. *Alludit ad Paulum indulgentem. Primæ Cor. 7. vbi cum dixisset*: propter fornicationem, vnusquisque suam vxorem habeat, &c. *Versu 6. ait*; hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium. *Syr. autem*: tanquam infirmis, non ex præcepto. EXEMPLO, *cognoscendi vxorem*. INTEGRIOR. *Perfectum enim cui nihil deest, nihil ex substantia detractum eu semine*. VOLENTI,

S. Aug. (marg.)

TI, *quia Paulus ait*: de virginibus præceptum Domini non habeo. SPADO, *Virgo*. NON SVFFICIS, *satis non habes gratiæ vt Virgo sis corpore*. IN SPIRITV, *spiritale habes exemplum in vno Christi cum Ecclesia coniugio*. A COMPETISSE, *videre & intelligere potes ex Christo Monogamo, datum tibi competens & congruum exemplum, quo inducaris ad Monogamiam realem & carnalem obseruandam*.

* 9. *Et ibidem cap. 17. in f.*

ERubesce caro, quæ Christum induisti. Sufficiat tibi semel nubere, in quod à primordio facta es, in quod à fine reuocaris. Redi in Adam vel priorem, si in nouissimum non potes. Semel gustauit ille de arbore, semel concupiit, semel pudenda protexit, semel Deo erubuit, semel ruborem suum abscondit, semel de paradiso sanctitatis exulauit, semel exinde nupsit. Si in illo fuisti, habes tuam formam; si in Christum transisti, melior esse debebis. Exhibe tertium Adam, & hunc digamum, & tunc poteris esse, quod inter duos non potes.

MONOGAMIA. 9. SCHOL.

INDVISTI, *juxta Paulum aliàs citatum à nobis*: quicumque baptizati estis, Christum induistis. IN QVOD, *in quem finem plasmata à Deo, & in Patre primo Adam, caro tua vni Euæ coniuncta*. NON POTES, *Christum Virginem imitari; saltem primum Adam sectare Monogamum*. SEMEL DEO ERVBVIT, &c. *Vide Aug. to. 7. lib. 2 de Peccat. merit. cap. 22. & to. 4. in Dial. 65. quæstionum ad Orosium. quæst. 34. & to. 3.*
S. Aug. *lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 1.* Erant ambo nudi, verum est, omnino nuda erant corpora duorum hominum in paradiso conuersantium, nec pudebat eos. Quid enim puderet, quando nullam legem senserant in membris suis repugnantem legi mentis suæ, quæ illos pœna peccati post perpetrationem præuaricationis secuta est, vsurpante inobedientia prohibi- B tum, & justitia puniente commissum; quod antequam fieret, nudi erant & non confundebantur. Nullus erat motus in corpore cui verecundia deberetur: nihil putabant velandum quia nihil senserant refrenandum, &c. PARADISO SANCTITATIS. *Quia in eo sancta virginitas à primis parentibus custodita est*. SEMEL EXINDE. *Postquam eiectus est, vnicam cognouit vxorem cui jam nupserat Deo coniungente in paradiso*. SI IN ILLO, *vt membrum in capite, ramus in radice, riuus in fonte*. FORMAM, *exemplum quod sequi debeas*. TRANSISTI, *tuam Christo assumente naturam, vel à peccato originali per baptismum in Christi gratiam transisti*. DIGAMVM, *duarum vxorum virum*. INTER DVOS, *primum & secundum Adam, hunc Virginem vnius Ecclesiæ Virginis sponsum, & istum Monogamum*.

10. *Monogamia sequenda exemplo meliorum, Ioseph, Moysi, Aaronis, Iosue. De Monog. cap. 6. in f.* 2. Reg. 3. 14.

SI exempla circumspicis, alicuius Dauid etiam per sanguinem nuptias sibi ingerentis, 2. Reg. 11. 15. 27.
alicuius Salomonis etiam vxoribus diuitis; meliora sectari jussus, habes & Ioseph vni- 3. Reg. 11. 3.
jugum, & hoc nomine, audeo dicere, patre meliorem; habes Moysen, Dei de proximo ar- Gen. 41.
bitrum; habes Aaronem principalem sacerdotem. Secundus quoque Moyses populi se- 45.
cundi, qui imaginem nostram in promissionem Dei induxit, in quo primò nomen Domi- Gen. 29.
ni dedicatum est, non fuit digamus. 31. & seq. & 30. 4. & 26. Exo. 2. 14. & 6. 23. Num. 13. 7.

MONOGAMIA. 10. SCHOL.

CIRCVMSPICIS *quæ carnis libido magis sibi imitanda proponas*. PER SANGVINEM, *Philistinorum pro habenda Michol, amputatis centum præputiis Philistinorum 2. Reg. 3. 14. vt exegerat Saül 1. Reg. 18. 25.* INGERENTIS, *congerentis & multiplicantis, vt patet 2. Reg. 11. 15.* Ponite Vriam ex aduerso belli, & vbi fortissimum est prælium: & derelinquite eum, vt percussus intereat. VXORIBVS DIVITIS, *vt ad copiam auri, argenti, equorum, curruum, &c. etiam vxorum multitudine diues esset. Cant. 6. 7.* Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea, &c. MELIORA IVSSVS. *1. Cor. 12. 31.* Æmulamini autem charismata meliora. *Aug. to. 6. lib. de S. Virginitate*
S. Aug. *cap. 45. vbi tractat hunc locum & agit de semine multiplicato*: viderint qui hæc melius quam nos intelligunt, siue virginalis vita in centeno fructu sit, in sexageno vidualis, in triceno autem conjugalis: siue centena fertilitas Martyrio potius imputetur, sexagena continentiæ, & tricena connubio: siue virginitas accedente Martyrio centenum fructum impleat, sola verò in sexageno sit; coniugati autem tricenum ferentes, ad sexagenum perueniant, si Martyres fuerint, &c. ne continentiam vidualem aut in nullo C fructu instituamus, aut ad coniugalis pudicitiæ meritum deponamus, aut virginali gloriæ coæquemus. VNIIVGVM, *vnici coniugij jugo constrictum*. PATRE MELIOREM. *Iacob scilicet qui Liam & Rachel habuit vxores, præter concubinas tum licitas ad prolem*. DEI DE PROXIMO, &c. *vel aduerbialiter, pro proximè. Vt post Deum arbiter immediatus esset & judex populi. Vel vt de proximo suo populo Iudæo judicaret*. PRINCIPALEM, *Principem Sacerdotum, & summum Pontificem*. SECVNDVS MOYSES, *Iesum Naue siue Iosue intelligit, qui Moysi successit in Ducatum populi secundi (primus enim ob murmur continuum mortuus est in deserto) & eum in terram promissam introduxit*. IMAGINEM NOSTRAM, *populum nouæ legis, in cœlum & torrentem voluptatis* D *inducendum per Christum, signantem. Vnde Paulus. 1. Cor. 10. 10.* Neque murmuraueritis sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore, &c. *Et versu 5. & seq.* Hæc autem in figura facta sunt nostri, &c. DEDICATVM EST *Iosue enim primus fuit in Scriptura vocatus Iesus Naue, qui & Iesum filium Syrach authorem libri Ecclesiastici, & Iesum Iosedech Sacerdotem præcessit*. DIGAMVS, *duarum vxorum vir*.

11. Monogamia & continentia imitanda in Zacharia, Maria, semel nuptura post partum; Simeone, Anna, Petro & Apostolis. De Monog. cap. 8. in p. ad m.

Luc. 1. 5. NVnc ad legem propriè nostram, id est, ad Euangelium, conuersi qualibus excipimur
& 17. & 2. exemplis? dum ad sententias peruenimus, ecce statim quasi in limine, duæ nobis an-
37. Matth. 11. tistites Christianæ sanctitatis occurrunt Monogamia & Continentia: alia pudica, in Za-
charia sacerdote; alia integra, in Ioanne antecursore; alia placans Deum, alia prædicans
9. Christum; alia totum prædicans sacerdotem, alia plus præferens quàm Propheten, scili-
cet eum, qui non tantum prædicauerit, aut demonstrauerit coràm, verumetiam baptiza-
uerit Christum. Quis enim corpus Domini dignius initiaret, quàm eiusmodi caro, qualis
Luc. 2. 7. & concepit illud, & peperit? Et Christum quidem virgo enixa est, semel nuptura post par-
tum, vt vterque titulus sanctitatis in Christi censu dispungeretur, per matrem & virgi-
nem, & vniuiram. At vbi infans templo exhibetur, quis illum in manus suscipit? quis in
spiritu primus agnoscit? Vir justus, & cautus, & vterque non Digamus, vel ne dignius
Luc. 2. 28. mox Christus à femina prædicaretur vetere vidua & vniuira, quæ & templo dedita satis
Ibid 37. in semetipsa portendebat, quales spiritali templo, id est, Ecclesiæ debeant adhærere. Ta-
Matth. 8. les arbitros infans Dominus expertus, non alios habuit & adultus. Petrum solum inuenio
15. Matth 16 maritum. per socrum; Monogamum præsumo, per Ecclesiam, quæ super illum ædificata,
18. omnem gradum ordinis sui de Monogamis erat collocatura. Ceteros cùm maritos non
1. Tim. 3. inuenio, aut spadones intelligam necesse est, aut continentes.
3. Tit. 1. 6.

MONOGAMIA. 11. SCHOL.

EXCIPIMVR, *remouemur à Polygamia.* AD SENTENTIAS. *Si quærimus quam sententiam proferat in hac causa lex Euangelica, quot exempla Monogamiæ legimus, tot decreta prolata audimus.* IN LIMINE, *primo scilicet capite Lucæ.* ANTISTITES. *Benè in limine prostant. Vel quod & à Patre Sacerdote Zacharia & Ioanne filio eius sit, quasi victima grata, immolata, & castitas coniugalis, & integritas virginalis.* PLACANS DEVM. *Vel quia* maledicta sterilis quæ non paris: *vnde Zacharia & Elizabeth videbatur iratus Deus: vel melius quia Zacharias dubius fuerat Angelici promissis & ideo linguæ vsu mulctatus. Vel, simplicius, & literalius; quia munus Sacerdotis exercebat continens & castus Monogamus, thure & victimis placans Deum populo.* TOTVM SACERDOTEM. *Tum quod narret Lucas virtutes veri Sacerdotis in Zacharia: tum quod Sacerdotium plenum & verum, pudicitiam exigat, sine qua nullius est omnino meriti apud Deum.* PLVS PRÆFERENS. *Quia de Ioanne dictum à Christo ob virginitatis meritum, quod Angelus esset, & proinde plusquam Propheta quem* S. Aug. *præcellit Angelus, vnde Aug. ser. 21. de Sanctis:* præcellit cæteros, eminet vniuersis; antecellit Prophetas, supergreditur Patriarchas, & quisquis de muliere natus est, inferior est Ioanne, &c. tanta in illo excellentia erat, tanta gratia, vt ipse putatus sit Christus. *Et ser. 22. de Sanctis.* Elizabeth Sanctæ partus non ablatus est, sed dilatus, donec pertransiret tempus carnis, passio corporis, coniugij necessitas, voluptatis causa, cupiditatis sensus, & totum quod humanam confundit, grauat, oneratque conscientiam. Mundabatur enim longo tempore sacrificij domus, sanctitatis hospitium metatum metatoris Christi, Angeli domicilium, aula Spiritus sancti, Dei templum. Dei templum estis, inquit, Apostolus 1. Cor. 3 & Spiritus Dei habitat in vobis. Denique vbi tota corporis sedata est querela, & in toto facti sunt sine querela, vox sterilitatis fugit, reuiuiscit senectus, fides concipit, parit castitas, nascitur maior homine, par Angelis, tuba cœli, præco Christi, Arcanum Patris, filij nuntius, signifer superni Regis, peccatorum venia, Iudæorum correctio, vocatio gentium & vt propriè dicam, legis & gratiæ fibula, quæ diploidem Summi Sacerdotis sancto Patri jungebatur in corpore. Euangelista ergo virtutes Patris matrisque describit, vt generantium meritis, dignitas germinis nosceretur, & probaretur major ho-

A mine, qui ortu suo excedebat leges natiuitatis humanæ. Sed si processurus est, jam nascatur Ioannes, quia instat Natiuitas Christi. Surgat nobis Lucifer, quia jubar veri Solis erumpit, & vociferetur præco, quia adest judex. Et quia processurus est Deus, Angelus præcedat. Verùm quia quod supra hominem est, homo referre non sufficit, virtute nascentis Angeli, Angelus jam loquatur. *Reperitur etiam apud Chrysol. hic sermo.* CORAM, *monstrando digito, & dicendo:* ecce Agnus Dei, &c. INITIARET, *baptizaret. Vox digna baptismo nostro, qui est janua Sacramentorum, & initium fidei: vnde sponsa vocatur, baptismo candidata. Cant.* 4. Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, &c.
B 70. *verò.* Venies, & transibis à principio fidei. *Potes etiam referre initiandi verbum, ad Sacerdotes Monogamos qui consecrandi corporis Christi accepere potestatem.* EIVSMODI CARO, *virginea.* SEMEL NVPTVRA. *Vide dicta in alphabeto Errorum V. Maria 2. Possem tamen & absque errore sic intelligere,* semel nupsisse post partum. *Non quòd altert viro, quàm Iosepho, nupserit; vnde Christo Domino fratres vterinos produxerit, quod vel suspicari nefas, & omnino contra mentem Tertulliani, semper Virginem, Beatissimam Mariam profitentis: sed intellexit partum, id est generationem Christi in vtero, non natiuitatem ex vtero. Cùm enim esset tantùm desponsata, necdum plenè nupta, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto, & dum cogitaret eam Ioseph dimittere, audiuit*
C *illud ab Angelo:* noli timere accipere Mariam coniugem tuam, &c. *Qui enim sponsam tantùm prius, per verba de futuro acceperat, tum sumpsit coniugem per verba de præsenti, post Christi partum hoc est conceptum in vtero. Christi porro generatio Spiritus sancti operâ, in virgine & de virgine facta est, sic perfecta vt Propheta prædixerit:* fœmina circundabit virum. *Et Sapiens Prouerb, 30. 18. & seq.* Quartum penitus ignoro, &c. viam viri in adolescentia. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Viam viri in virgine. *Quo & sensu Ioannes Baptista dixit,* qui post me venit, *sex mensibus natus posterior* ante me factus est: *Breuiori tempore formatus & perfectius vir est. Quin & constat ex sequentibus verbis Tertull. nulli post S. Ioseph nupsisse virginem, quam dixit,* & matrem, & virginem, & vniuiram. CENSV DISPVNGERETVR. *In Christi origine de Maria, impleretur vterque titulus castitatis. quia & Virgo, & vniuira.* IN SPIRITV. Venit in spiritu in templum. *Vel quia spiritu prophetico ven-*

S. Aug. *tura de Christo prædixit.* CAVTVS. *Luc. 2. 25.* Et homo iste justus & timoratus. VTERQVE, *referendum ad Zachariam de quo supra, & Simeonem.* NE DIGNIVS, *ideo Simeon debuit esse Monogamus, ne indignius ipse Christum agnosceret, tractaret, prophetaret quàm Anna vniuira. De qua Aug. to. 4. lib. de bono Viduitatis c. 14.* Vnam ponamus vniuiram, &c. *vbi tres ponit viduas differentes inter se gradu meritorum, & concludit:* plus intenta in Deum, plus sit solicita, quæ illi placeant, actitare, die ac nocte, sicut Anna jeiuniis & obsecrationibus seruiens; si contendatur, quænam illarum sit meritis potior, quis non videat in hoc certamine palmam dandam esse maiori feruentiorique pietati? SPIRITALI TEMPLO, *per materiale, cui assidua erat casta vidua, significato. Et quales Prælati Eccle-* A *siæ sponsi, & Sacerdotes esse deberent, tum hæc vidua, tum Zacharias & Simeon sua castitate prophetabant.* ARBITROS, *testes, & benè de se sentientes.* PER SOCRVM, *nisi Lucas c. 4. 38. & Matth. 8. 14 febrientis socrus Petri meminissent, nesciremus vnquam Matrimonio junctum fuisse.* PER ECCLESIAM, *vnam sponsam, cui post Christum nupsit, vnius proinde vxoris vir.* ORDINIS SVI, *in castitatis saltem Monogamiæ honore constitutum, sicut erat Petrus.* GRADVM COLLOCATVRA. *Quia Ecclesia nullum Bigamum absque magna dispensatione, ad gradum cuiuscumque ordinis suscipit. Et cum de Matrimonio spiritali agat, vtitur aptè verbo Matrimoniali juris,* collocatura. CÆTEROS, *Apostolos.* SPADONES, *Virgines.* CONTINENTES, *Monogamos, aut castos.*

12. *Monogamia ab ethnicis honorata. De Exhort. Cast. cap. 13. in p.*

AD hanc meam cohortationem, frater dilectissime, accedunt etiam secularia exempla, quæ sæpe nobis etiam in testimonio posita sunt, quum quid bonum; & Deo placitum ab extraneis quoque agnoscitur, & testimonio oneratur. Denique Monogamia apud Ethnicos ita in summo honore est, vt & virginibus legitimè nubentibus vniuira pronuba adhibeatur; & si auspicij causa, vtique boni auspicij est. Item, vt in quibusdam solemnibus & officiis, prior sit vniuiræ locus. Certè Flaminica nonnisi vniuira est, quæ & Flaminis lex est. Nam cùm ipsi Pontifici maximo iterare matrimonium non licet, vtique Monogamiæ gloria est:

MONOGAMIA. 12. SCHOL.

SÆCVLARIA, *Ethnica.* EXTRANEIS, *à fide alienis, quos Paulus diceret,* qui foris sunt. ONERATVR, *tantò maius nobis incumbit onus virtutis alicuius exercendæ, quo & eam apud ethnicos in vsu fuisse, Deus in judicio exprobrabit.* PRONVBA, *ex Goth. ad Rub. C. de sponsalibus,* quæ nuptiis celebrandis præest ex parte vxoris, sicut auspex ex parte viri; *sic dictus ab auium inspectu auspicia sumens nuptiarum.* BONI AVSPICII, *fore scilicet, & nouam nuptam vniuiram.* SOLEMNIBVS, *Deorum festis & sacrificiis.* OFFICIIS. *Exequiis, vel conuiuiis, aut cœtibus.* FLAMINICA. *Vxor Flaminis.* FLAMINIS LEX. *Quia nec ipse nisi semel debebat vxorem ducere. De Flaminis dignitate sic August. lib. 2. de*

S. Aug. *Ciuit. c. 15.* Etiam Flaminē illi instituerunt (*loquitur de Romulo inter Deos recepto*) quod Sacerdotij genus adeo in Romanis Sacris testante apice excelluit, vt tres solos Flamines haberent tribus numinibus institu- B tos: Dialem Ioui: Martialem, Marti: Quirinalem, Romulo. Nam beneuolentiâ ciuium velut receptus in Cœlum Quirinus est postea nominatus. *Flamines porro dicti quasi* filamines ex Varrone lib. 2. de lingua Latina quod capite velato semper essent, & cincto filo. Apex autem pileum siue galerum Pontificis Flaminis significat ad modum Galeæ militaris factum, in cuius summo virgula fixa erat, circa quam filum lanæ albæ religatum erat. Quod capitis ornamentum erat sicut mitra nunc Episcopis. De hoc apice Valer. Max. lib. 1. cap. 1. Sulpitio inter Sacrificandum apex prolapsus, eidem Sacerdotium abstulit. *Sumpsit demum Simius ex Leuit. 21. 10. Vbi de Pontifice Maximo:* caput suum non discoperiet. 70. non nudabit Cidarā. *August.* Non reteget. *Quin & Ezech. 44. 18.* Vittæ lineæ erunt in capitibus eorum. 70. Cidaras lineas habebunt super capita sua. S. Aug.

13. *Monogamia culta à Sacerdotibus veteris legis, succisa Bigamia, multò magis colenda à nobis. De Exhort. Cast. cap. 7. in p.*

CVr autem de pristinis exemplis non ea potius agnoscamus, quæ cùm posterioribus communicant, de disciplina & forma vetustatis ad nouitatem transmittunt? Ecce enim in veteri lege animaduerto castratam licentiam sæpius nubendi. Cautum in Leuitico:[a] *Sacerdotes mei non plus nubunt.* Possum dicere, etiam illud plus esse quod semel non est. a Leuit. 21. 14.
Quod non vnum est, numerus est. Denique, post vnum incipit numerus. Vnum autem est, omne quod semel est. Sed Christo seruabatur, sicut in ceteris, ita in isto quoque legis plenitudo. Inde igitur apud nos plenius atque instructius præscribitur, vnius matrimonij esse oportere qui alleguntur in ordinem sacerdotalem. Vsqueadeo quosdam memini digamos loco deiectos. 1. Tim. 3. 3. Tit. 1. 6.

MONOGAMIA. 13. SCHOL.

COMMVNICANT, *similitudine scilicet, exempla veteris legis prioris, cum posteriori & noua concordant.* TRANSMITTVNT. *Exemplar imitandum.* CASTRATAM, *præcisam.* IN LEVITICO *cap. 21. 13.* Virginem ducet vxorem: viduam autem & repudiatam, & sordidam atque meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo. *Nil differunt aliæ versiones. Quin & Ezech. 44. 22.* Et viduam & repudiatam non accipient vxores, sed Virgines de semine domus Israel: sed & viduam, quæ fuerit vidua à Sacerdote, accipient. *Nullibi legitur quod denuò nubant. Exaggerat igitur, vel conuicit ex ducta Virgine, & exclusâ omni viduâ, præter quam à Sacerdote viduâ, Monogamiam, à fortiori, præscriptam Sacerdotibus.* PLVS ESSE. *Quia vult dictum,* non plus nubent. *Plus ergo est, qui pluries nubit quàm semel.* LEGIS PLENITVDO. *Quam figuratiuam implere venerat Christus, vnius Ecclesiæ vir, Sacerdotes & Episcopos vnius vxoris viros institueturus.* LOCO DEIECTOS,

bigamos depositos vt irregulares. 1. Tim. 3.3. Et Tit. 1.6. Constituas per ciuitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Si quis sine crimine est, vnius vxoris vir &c. *August. to. 6. lib. de bono coniugali cap 18.* Sacramentum nuptiarum temporis nostri sic ad vnum virum & vnam vxorem redactum est, vt dispensatorem Ecclesiæ non liceat ordinare, nisi vnius vxoris virum. Quod acutius intellexerunt, qui nec eum qui Catechumenus, vel Paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt; de Sacramento enim agitur, non de peccato, nam in baptismo peccata omnia dimittuntur. Sed qui dixit: si acceperis vxorem, non peccasti; & si nupserit Virgo, non peccat; &, quod vult faciat, non peccat si nubat; satis de- A clarauit, nuptias nullum esse peccatum; propter Sacramenti autem Sanctitatem, sicut fœmina, etiamsi Catechumena fuerit vitiata, non potest post baptismum inter Dei Virgines consecrari; ita non absurdè visum est, eum qui excessit vxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quandam Sacrament amisisse, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessariam. Ac per hoc, sicut plures vxores antiquorum Patrum significauerunt futuras nostras ex omnibus gentibus Ecclesias vniuiro subditas Christo: ita noster Antistès vnius vxoris vir, significat ex omnibus gentibus vnitatem, vni viro subditam Christo.

* *14. Et de Monog. cap. 7. à m. ad f. Vide dicta tom 2. V. Cœlibatus.*

Leuit. 22. 13. DEnique prohibet eadem, Sacerdotes denuo nubere: Filiam quoque sacerdotis jubet viduam vel eiectam, si semen non fuerit illi, in domum patris sui regredi, & de pane eius ali. Ideo, si semen non fuerit illi, non, vt si fuerit, denuo nubat, (quantò magis enim non nubet, si filios habeat?) sed vt si habuerit, à filio potius alatur quàm à patre, quò

a Exo. 20. 12. & filius præceptum Dei exequatur, [a] *Honora patrem & matrem.* Nos autem Iesus summus sacerdos & magnus patris, de suo vestiens, (quia qui in Christo tinguuntur, Christum in-

b Apoc. 1. 6. duerunt) [b] *sacerdotes Deo patri suo fecit*, secundùm Ioannem. Nam & illum adolescentem festinantem ad exequias patris, ideo reuocat, vt ostendat sacerdotes nos vocari ab eo,

Matth. 8. 21. quos lex vetabat parentum sepulturæ adesse: [c] *Super omnem*, inquit, *animam defunctam sa-*

c Leuit. 21 10. *cerdos non introibit; & super patrem suum, & super matrem suam non contaminabitur.* Ergo & nos hoc interdictum obseruare debemus? Non vtique. Viuit enim vnicus pater noster Deus, & mater Ecclesia; & neque ipsi mortui sumus, qui Deo viuimus; neque mortuos sepelimus, quia & illi viuunt in Christo. Certè sacerdotes sumus à Christo vocati, Monogamiæ debitores ex pristina Dei lege, quæ nos tunc in suis sacerdotibus prophetauit.

MONOGAMIA. 14. SCHOL.

EAdem, *lex vetus.* Eiectam *repudiatam. Vide locum Leuit. 21. 13. & seq. Expositum Schol. præcedenti vbi dixit Sacerdotem non bic nubere; & bigamus censetur, qui viduam alterius ducit, nisi fuerit vidua Sacerdotis.* Filiam qvoqvè. *Leuit. 22. 12. & 13. Vulgata:* si filia Sacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit (*70. si fuerit viro alienigen . Sanct. Pagn. Ex Hebr. viro alieno: Chald. nupta viro alieno*) de his quæ sanctificata sunt, & de primitiis non vescetur. Sin autem vidua, vel repudiata & absque liberis reuersa fuerit ad domum Patris sui: sicut puella consueuerat, aletur cibis Patris sui. 70. *sic*, & si ia Sacerdotis si facta fuerit vidua, vel eiecta, semen autem non fuerit ei, redibit in domum paternam: secundùm juuentutem suam de panibus Patris sui comedet. Ideo, *scilicet regredi debet in domum Patris, vt alatur cibis eius: non verò intelligendum, vt iterum nubat, maximè si filios habeat.* Secvndvm Ioannem *Apoc. 1. 6.* dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri suo.

S. Aug. *August. Homil. 10.* Intuere Dauid Regem: jam vtique & ipse illius temporis Sacramenta perceperat jam circumcisus erat vtique, quod Patres nostri pro baptismo habebant &c. Iam etiam vnctus erat vnctione venerabili, qua Regale Sacerdotium præfigurabatur Ecclesiæ. *Vide & to. 3. in Sententiis. Sent. 34?. & to. 4 lib. 2. qq. in Euang. quæst 40.* Illvm adolescentem. *Matth. 8 21.* alius autem de discipulis eius ait illi: Domine permitte me primum ire & sepelire Patrem meum. Iesus autem ait illi: se- B quere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

S. Aug. *August. to. 4. lib. qq. in Matth. q. 6.* Mortuos hîc non credentes dixit, mortuos autem suos, qui nihilominus sine fide, de corpore exirent. *Vide & tract. 22 in Io. & lib 4. de Trin. cap. 3. & to. 7. de duabus animabus c. 2. Et cont. lit. Petil. lib. 2. c. 7.* Lex vetabat. *Leuit. 21. 1.* ne contaminetur Sacerdos in mortibus ciuium suorum, nisi tantum in consanguineis, ac propinquis, id est, super patre, & matre, & filio, & filia, fratre quoque. Et sorore Virgine, quæ non est nupta viro: Sed nec in principe populi sui contaminabitur. 70. Super animam non contaminabit se in populis suis. Sed super carne sua, propinquo sibi, super Matre sua, & super Patre suo, & super filio suo, & super filia sua, & super fratre suo. C Et super sorore sua Virgine, quæ est propinqua ei, cui non est vir, super ea contaminabit se. Non contaminabit se super Domino in populis suis, ad polluendum se. *Versu autem 11. Vbi de Pontifice Maximo sermo est:* ad omnem mortuum non ingredietur omnino; super Patre quoque suo & Matre non contaminabitur. 70. *verò:* ad omnem animam mortuam non introibit; super Patrem suum & super Matrem suam non inquinabitur. *De hoc vide August. to. 4. lib. 3 qq. in Leuit. q. 83. Et to. 1. lib. 2. retract. cap. 55.* Monogamiæ debitores. *Obstrictos vi Sacerdotij mystici, oblationis Sacrificij & thuris precum, qui debeamus Monogamiam obseruare, cum etiam Paulus, ex consensu mutuo, continere velit, vt vacent orationi.*

* *15. Monogamia suadetur quidem honestè, sed non præcipitur, ex Adam Monogamo, repudio vetito, & casu mortis alterutrius coniugis, Deo sic volente. De Monog. cap. 9. per totum. & 10. in p. ad vltra med.*

SEd hæ argumentationes potius existimentur de coniecturis coactæ, si non & sententiæ adstiterint, quas Dominus emisit in repudij retractatu, quod permissum aliquando,

a Matth. 19. 8. jam prohibet; in primis, quia [a] *ab initio non fuit sic*, sicut matrimonij numerus; tum, quia

[b] *quos Deus coniunxit, homo non separabit*; scilicet ne contra Dominum faciat. Solus enim *b Ibid. 6.*
ille separabit, qui & conjunxit. separabit autem, non per duritiam repudij, quàm expro-
brat & compescit, sed per debitum mortis. Siquidem [c] *vnus ex passeribus duobus non cadit in* *c Matth.*
terram sine patris voluntate. Igitur, si [d] *quos Deus conjunxit, homo non separabit repudio*; æque 10. 29.
consentaneum est, vt quos Deus separauit morte, homo non conjungat matrimonio; pro- *d Matth.*
inde contra Dei voluntatem, juncturus separationem, atque si separasset, conjunctio- 19. 6.
nem. Hoc quantum ad Dei voluntatem non destruendam, & initij formam restruendam.
Ceterùm, & alia ratio conspirat, immò non alia, sed quæ initij formam imposuit, & volun-
tatem Dei mouit ad prohibitionem repudij: Quoniam *qui dimiserit vxorem suam, prater-*
quam ex causa adulterij, facit eam adulterari; & qui dimissam à viro duxerit, adulterat vtique.
Non & nubere legitimè potest repudiata; & si quid tale commiserit sine matrimonij nomi-
ne, non capit elogium adulterij, quà adulterium in matrimonio crimen est? Deus aliter
censuit citra quàm homines, vt in totum, siue per nuptias, siue vulgò, alterius viri admis-
sio adulterium pronuntietur. Videamus enim quid sit matrimonium apud Deum, & ita
cognoscemus quid sit æque adulterium. Matrimonium est, cùm Deus jungit duos in vnam
carnem, aut junctos deprehendens in eadem carne, conjunctionem signauit. Adulterium
est, cùm quoquo modo disjunctis duobus, alia caro, immo aliena miscetur, de qua dici
non possit, [e] *Hæc est caro ex carne mea, & hoc os ex ossibus meis.* Semel enim hoc & factum & *e Gen. 2.*
pronuntiatum sicut ab initio, ita & nunc in aliam carnem non potest conuenire. Itaque 23.
sine causa dices, Deum, viuo marito, nolle repudiatam alij viro jungi, quasi mortuo ve-
lit; quando si mortuo non tenetur, proinde nec viuo; tam repudio matrimonium diri-
mente quàm morte, non tenebitur ei, cui per quod tenebatur abruptum est; adeo non
interest viuo an mortuo viro nubat. Neque enim in illum delinquit, sed in semetipsam.
[f] *Omne delictum quod admiserit homo, extra corpus est: qui autem adulteratur, in corpus suum de-* *f 1. Cor. 6.*
linquit. Adulteratur autem, sicut suprà præstruximus, qui aliam carnem sibi immiscet su- 18.
per illam pristinam, quam Deus aut conjunxit in duos, aut coniunctam deprehendit. Ideo-
que abstulit repudium, quod [g] *ab initio non fuit*; vt quod ab initio fuit, muniat duorum in *g Matth.*
vnam carnem perseuerantiam, ne necessitas vel occasio tertiæ concarnationis irrumpat, 19. 8.
soli causæ permittens repudium, si fortè præuenerit, cui præcauetur. Adeo autem repu-
dium à primordio non fuit, vt apud Romanos post annum sexcentesimum Vrbis conditæ,
id genus duritiæ commissum denotetur. Sed illi etiam non repudiantes adulteria commis-
cent; nobis etsi repudiemus, ne nubere quidem licebit. Video jam hinc ad Apostolum CAP. X.
nos prouocari. Ad cuius sensum facilius perspiciendum, tantò instantius præculcandum
est mulierem magis defuncto marito teneri, quo minus alium virum admittat. Recogite-
mus enim repudium, aut discordiâ fieri, aut discordiam facere; mortem verò ex lege Dei,
non ex hominis offensa euenire. idque omnium esse debitum, etiam non maritorum. Igi-
tur si repudiata quæ per discordiam, & iram, & odium. & causas eorum, iniuriam vel con-
tumeliam, vel quamlibet querelam, & anima & corpore separata est, tenetur inimico,
ne dicam marito; quantò magis illa, quæ neque suo, neque mariti vitio, sed Dominicæ
legis euentu, à matrimonio non separata, sed relicta, eius erit etiam defuncti, cui etiam
defuncto concordiam debet? A quo repudium non audiit, non diuertit; cui repudium non
scripsit, cum ipso est; quem amisisse noluit, retinet. Habet secum animi licentiam, qui
omnia homini quæ non habet, imaginario fructu repræsentat. Ipsam denique interrogo
feminam. Dic mihi, soror, in pace præmisisti virum tuum? Quid respondebit? An in dis-
cordia? Ergo hoc magis ei vincta est, cum quo habet apud Deum causam. Non discessit,
quæ tenetur. sed in pace. Ergo perseueret in ea cum illo necesse est, quem jam repudiare
non poterit, ne sic quidem nuptura si repudiare potuisset. Enimuerò & pro anima eius
orat, & refrigerium interim adpostulat ei, & in prima resurrectione consortium, & offert
annuis diebus dormitionis eius. Nam hæc nisi fecerit, verè repudiauit quantum in ipsa est;
& quidem hoc iniquius, quantò quomodo potuit, quia non potuit; & hoc indignius,
quantò jam indignius, si quia non meruit. Aut nunquid nihil erimus post mortem, secun-
dùm aliquem Epicurum, & non secundùm Christum? Quod si credimus mortuorum re-
surrectionem, vtique tenebimur, cum quibus resurrecturi sumus, rationem de alterutro
reddituri. Si autem in illo æuo [h] *neque nubent neque nubentur, sed erunt æquales angelis*; non ideo *h Matth.*
non tenebimur coniugibus defunctis, quia non erit restitutio coniugij. Atquin eo magis 22. 30.
tenebimur, quia in meliorem statum destinamur, resurrecturi in spiritale consortium,
agnituri tam nosmetipsos quàm & nostros. Ceterùm, quomodo gratias Deo in æternum
canemus, si non manebit in nobis sensus & memoria debiti huius? si substantiâ, non con-
scientiâ reformabimur? ergo qui cum Deo erimus, simul erimus, dum omnes apud Deum *i Io. 14. 2.*
vnum (licet merces varia, licet [i] *multæ mansiones penes Patrem eundem*) vno denario eiusdem Matth. 20
mercedis operati, id est vitæ æternæ, in qua magis [k] *non separabit quos conjunxit Deus*, quam 10.
in ista minore vita separari vetat. *k Matth.*
19. 6.

COACTÆ. *Violentæ, non suaviter & efficaciter ratione persuasæ, sed in solis coniecturis fundata.* ADSTITERINT, *firmius fulcientes coniecturas.* RETRACTATV, *reuocatione & annullatione repudij.* NVMERVS, *supple item non fuit: quia Adam vni Euæ nupsit.* PER DVRITIAM, *quia duræ ceruicis, & cordis, populo permissum fuit.* DEBITVM MORTIS, *quòd debito Adæ mortalis, & mortalium Patris exsoluto, debeat vterius coniugum manere continens. De quo vtroque debito accipi potest illud August.* (S. Aug.) Debet quod Adam, qui natus est ex Adam. VNVS EX PASSERIBVS. *Si absque voluntate Patris, nec duorum passerum coniunctorum vnus, mas vel fœmina non moritur, quantò minus vir vel vxor? vnde contra Dei voluntatem agere videtur, qui secundo matrimonio jungitur, quem Deus per mortem disjunxit à primo.* INITII FORMAM. *Modum & exemplar quo Deus vnum Adam vni Euæ junxit.* NON IT NVBERE. *Nonne, nunquid? sicut & rursum cum ait:* non capit *quasi diceret: quasi verò nubere possit legitimè alteri viro, quæ à suo viro est repudiata? Et si aliquem actum libidinis exerceat cum altero homine non accepto in virum, per aliud Matrimonium, nunquid incurrit notam & probrũ adulterij, in quantum alteri jungitur, quæ per repudium a lege Matrimonij soluta non est?* DEVS ALITER &c. *Longè alia est Dei sententia, & tantum remota à judicio hominum;* VT IN TOTVM, *vt absolutè declaret adulteram quæ repudiata, vel alteri nubit, vel cum altero soluto miscetur.* CVM DEVS &c. *Id est cum duos fideles, & Dei Sacramento signatos, hoc est baptismo, in Ecclesia jungit; aut ante fidem junctos, fidei Sacramento superueniente obsignat, hoc est charactere baptismi, per nouum consensum & ratihabitionem, primum contractum ciuilem tantummodo, ad Sacramenti dignitatem eleuat, & confirmat.* HÆC EST CARO. *August. lib. 14. de Ciuit. cap. 22. cum juxta Matth 19. de repudio à Moyse permisso, & à Christo retractato, dixisset, de duobus in carne vna, sic concludit:* (S. Aug.) Certum est igitur masculum & fœminam ita primitus institutos, vt nunc homines duos diuersi sexus videmus & nouimus. Vnum autẽ dici, vel propter coniunctionem, vel propter originem fœminæ, quæ de masculi latere creata est. Nam & Apostolus per hoc primum, quod de Deo instituente præcessit exemplum, singulos quosque admonet, vt viri vxores suas diligant. SINE CAVSA DICES. *Hic error eius apertus, cum teste Paulo, per mortem viri, lege coniugij soluta sit.* VELIT. *Non secundum Imperium ait Apostolus, sed secundum indulgentiam.* Nubat cui volet, tantum in Domino. QVANDO, *quandoquidem.* TAM REPVDIO, *falsum est; repudium enim soluit à cohabitatione, non autem à vinculo, quod mors abrumpit.* NON TENEBITVR, *viro non erit obstricta.* NON IN ILLVM &c. *sit ita; absque causa repudiata sit à viro: sed peccabit in Deum, & in vinculum matrimonij.* OMNE DELICTVM. *abutitur Paulo ad confirmandam hæresim suam; Apostolus enim nec de vero adulterio & mœchia loquitur, sed simplici fornicatione. 1. Cor. 6. 18.* Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est (*Syr. ipsius est:*) qui autem fornicatur (*Syr. scortatur*) in corpus suum peccat. *August. ser. propria in hunc locum, quidquid dici potest congerit; & miratur quomodo hoc dicat Apostolus; cùm omnia peccata cuiuscumque speciei, non sine sensu carnali, admittat homo, & operetur, & Paulus etiam inter opera carnis recenseat æmulationes, dissensiones, inuidias, hæreses. Et concludit,* (S. Aug.) videtur B. Apostolus in quo loquebatur Christus, exaggerare voluisse fornicationis malum super omnia cætera peccata; quæ etsi per corpus committantur, non tamen animum humanum concupiscentiæ carnali ita efficiunt obstrictum & obnoxium, quemadmodum in solo opere fornicationis corporalis commisceri faciat animum vis agens libidinis cum ipso corpore, & vnum cum ipso quodammodo agglutinari & deuinctum esse: in tantum vt nihil aliud ipso momento & experimento huius tam magni flagitij cogitare homini liceat aut intendere. Nisi quod sibimet abiicit mentemque captiuam subdit ipsa submersio & quodammodo absorbitio libidinis & concupiscentiæ carnalis, vt hoc esse videatur quod dictum est; qui fornicatur, in corpus proprium peccat. Quia tunc fit proprie & familiariter seruum corporis, cor hominis fornicantis &c. Nunquid hoc posset dici de aliis atque aliis quibuscumque facinoribus hominum? liberum est enim animo humano in aliis quibusque sceleribus & vnum aliquid eorum operari, & eo ipso tempore alia cogitatione distendi: quod in fornicationis ipso opere ac tempore, non licet animo ad aliud aliquid cogitandum liberum esse. Sic enim totus homo absorbetur ab ipso, & in ipso corpore, vt jam dici non possit ipse animus suus esse; sed simul totus homo dici possit, quod caro sit, & spiritus vadens & non rediens. *Sed sic potius in animum peccat, quam in corpus; cui animum subiicit: nisi intelligas peccare animum nimio amore in corpus; vel corpus naturâ seruum animæ, in eius dominium assumere, sicut fieret iniuria & illusio seruo, cum Domino præponendo; vel quia corpus, vt ibidem ait Paulus, emptum Christi sanguine, & membrum corporis Christi, & carnem ab eo assumptam & vnitam, vnit & incorporat meretrici.* DEVS DEPREHENDIT. *Vt supra jam dixi, ante fidem susceptam, junctos contractu ciuili inuenit.* CONCARNATIONIS, *carnalis vnionis, quâ vnio tertia fieret, per secundas nuptias.* SOLI CAVSÆ, *adulterij scilicet, si in id lapsus fuerit, cui datur præcautio, ne labatur.* SEXCENTESIMVM. *Apol. 6.* Per annos fermè sexcentos ab vrbe condita, nulla repudium domus scripsit. *Quin & Seruius Sulpitius libro de dotibus scribit.* Sp. Carbilius cognomento Ruga, vir nobilis cum vxore diuortium fecit, quia liberi ex ea corporis vitio non gignerentur, anno vrbis conditæ 523. M. Attilio & P. Valerio Coss. GENVS DVRITIÆ. *alludit ad dictum Christi Matth. 19. 8.* Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras: ab initio autem non fuit sic. DENOTETVR. *Nota infamiæ inuratur.* SED ILLI. *Gentiles, etiam non repudiatis vxoribus, adulterant.* NOBIS. *fidelibus.* PROVOCARI, *video nobis obiici sententiam Apostoli, nostræ contrariam.* PRÆCVLCANDVM, *præmittendum, intentè præsupponendum est.* ET ANIMA, *corde, voluntate, amore coniugali separata est.* TENETVR INIMICO, *obstricta manet vinculo coniugali, quamuis inimico.* DOMINICÆ LEGIS, *quâ ex Paulo:* statutum est omnibus hominibus semel mori. IMAGINARIO FRVCTV. *Hic aduerte, quod licet vidua castum amorem viri defuncti recogitare possit; maximè tamen periculosum esse, voluptatis præteritæ fructum imaginationi repræsentare.* APVD DEVM CAVSAM, *ad eius tribunal rationem reddituro vtroque, & pendente lite nil innouari debet.* SED IN PACE. *Si respondeat concordes fuisse, dum est mortuus vir.* NE SIC QVIDEM. *Vxor licet virum adulterum repudiare potuisset, dum viuerat; tamen nec ab eo separata, alteri nubere potuisset.* PRO ANIMA EIVS. *Vide in hanc rem dicenda verbo Purgatorij pœnæ. 3.* TENEBIMVR *obstricti scilicet iis cum quibus &c.* SPIRITALE CONSORTIVM, *tanto strictiori spirituum & cordium connubio, quo nullum erit corporum. Vel ob societatem indiuiduam, & perennem præsentiam corporum, jam qualitate, spiritalium.* QVOMODO GRATIAS. *alludit ad quatuor animalia, 24. Seniores, & Cælites omnes, die ac nocte gratias immortales reddentes Deo & Agno, quas dixit non posse referre, animas immemores debiti fi-*

delitatis & castimoniæ, indignas consortio eorum, qui similes Angelis, non nubunt in Cœlo. Vult enim non reformandos in substantiam corporis meliorem in æterna vita, qui in hac breui, conscientiam suam non reformaverint supra homines veteris Testamenti, vel Gentiles, pluries nubentes. Quæ omnia suaderi quidem honestè possunt, sed crudè præcipi, & sub adulterij crimine, secunda nuptiæ prohiberi, sine hæresi Tertullianæ non possunt.

** 16. Monogamiam suadet, affectus à mortuo coniuge non diuidendus. De Monog. cap. 10. à m. ad f.*

CVm hæc ita sint, quomodo alij viro vacabit, quæ suo etiam in futurum occupata est? Vtrique autem sexui loquimur, etsi ad alterum sermo est, quia vna disciplina præest. Alium habebit in spiritu, alium in carne? Hoc erit adulterium, vnius feminæ in duos viros conscientia. si alter à carne disjunctus est, sed in corde remanet, illic (vbi etiam cogitatus sine carnis congressu, & adulterium antè perficit ex concupiscentia, & matrimonium ex voluntate) vsque adhuc maritus est, ipsum illud possidens, per quod & factus est, id est animum: in quo si & alius habitabit, hoc erit crimen. Cæterùm, non est exclusus, si à viliore commercio carnis decessit. Honoratior maritus est, quando mundior factus est. Matth. 5. 28.

MONOGAMIA. 16. SCHOL.

ALII VIRO. *Cui secundò nubit post obitum primi. Cui affectu & prece toto residuo vitæ intenta esse debet.* VNA DISCIPLINA, *fides & Doctrina Christiana.* ALIVM, *primum defunctum.* ALIVM, *secundum viuum,* CONSCIENTIA, *affectus, vel conscius animus, diuisi animi & corporis, ream facit adulterij. Hic aperta hæresis Tertulliani.* ANTE PERFICIT. *Augustin. ser. 44. de Verb. Domini.* Sunt intus, (*mortui scil.*) Qui peccatum in corde habent, in facto nondum habent. Nescio qui, commotus est aliqua concupiscentia; dicit enim ipse Dominus Matth. 5. 28. Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo. Nondum accessit corpore, consensit in corde, mortuum intus habet, nondum extulit. EX VOLVNTATE. *Quia ex Iureconsultis:* Nuptias non concubitus, sed consensus facit. MARITVS EST, *defunctus.* EXCLVSVS. *A vinculo Matrimonij.* MVNDIOR, *animo scilicet meliore sui parte, (quo & Matrimonij vinculum fit,) à carnis contagione libero.* S. Aug.

** 17. Et primo ad vxo. cap. 3. à p.*

VIderint qui inter cetera peruersitatum suarum disjungere docent carnem in duobus vnam, negantes eum qui feminam de masculo mutuatus, duo corpora ex eiusdem materiæ consortio sumpta, rursus in se matrimonij computatione compegit.

MONOGAMIA. 17. SCHOL.

CÆTERA PERVERSITATVM, *cæteras peruersitates.* DISIVNGERE. *Per secundas nuptias.* NEGANTES EVM, *crudè nimis dictum, quasi verò Deum neget, vel qui secundò nubit, vel id licere docet.* MVTVATVS, *costa sumpta ex Adamo sopito.* EIVSDEM MATERIÆ, *limo scilicet, computatione. Sic enim computauit Deus, Gen. 2. 24.* Et erunt duo: COMPEGIT, *addendo quod sequitur:* in carne vna. *August. cont. Faustum lib. 12. cap. 8.* Fit viro dormienti coniux de latere, fit Christo morienti Ecclesia de Sacramento sanguinis, qui de latere mortui profluxit, &c. Adhæsit vxori suæ Sanctæ Ecclesiæ, vt in pace noui Testamenti essent duo in carne vna. S. Aug.

18. Monogamia consulitur ex breuitate vitæ, & ipsius mundi. De Monog. cap. 14. in m.

SI Deo & Christo dignum fuit duritiam cordis tempore expleto compescere, cur non dignius sit & Deo, & Christo infirmitatem carnis tempore jam collectiore discutere? Si justum est, matrimonium non separari, vtique & non iterari honestum est. Denique, apud seculum, vtrumque in bona disciplina deputatur, aliud Concordiæ nomine, aliud Pudicitiæ.

MONOGAMIA. 18. SCHOL.

DEO ET CHRISTO DIGNVM. *Quia Deus Creator ab initio in vnam carnem, masculum & feminam junxit; Christus autem, juxta Augustinum in Psalmos, arcum legis veteris durum ac ferreum, fune nouæ legis, in vna charitate, perfectionis vinculo, inflexit, duritiam cordis emolliens, ob quam Moyses permiserat libellum repudij: Christo inquam dignum fuit vinculum Matrimonij constringere, compescendo diuortium, propter duritiam cordium, contra vinculum Matrimonij, & vnionem à Deo Patre constrictam inuectum; qui & illud in se perficere & implere venerat indissolubile Sacramentum, Verbi cum carne, capitis cum corpore, Christi & Ecclesiæ. Aug. ser. 6. de Temp.* De Christi gemina Dei hominisque substantia; & erunt, inquit, duo in carne vna: id est, Deus & homo vnus Christus. Quod Apostolus de Christo & Ecclesia, id est, Christi corpore præcepit intelligi, sicut ait, & erunt duo in carne vna. Ego autem dico in Christo & in Ecclesia Ephes. 5. INFIRMITATEM CARNIS. *Quam Deus Pater ob filium Incarnandum primò plasmauit in homine: quam Verbum Patris, virtus & fortitudo, per quam fecit & portat omnia, caro factum, in tantum robur erexit, vt teste Paulo,* Quod infirmum est Dei *caro scilicet assumpta in qua dixit Propheta, virum dolorum, & scientem infirmitatem* fortius sit omnibus hominibus. *Aug. lib. 12. cont. Faustum. cap. 8. Cùm de forma Dei dixisset in qua est filius æqualis Patri; itemque de forma serui in qua adhæsit Ecclesiæ & naturæ humanæ, sic concludit:* Cùm sit Deus apud Patrem, per quem facti sumus, factus est per carnem particeps nostri, vt illius ca-

S. Aug. S. Aug. S. Aug.

pitis corpus esse possemus. *Quantum verò influxit robur hoc caput corporis? quam fortem castitatem suis membris, filius Virginis? Quam strictam indixit unionem, unicæ columbæ sponsus unicus? quam carnis infirmitatem prætendat tantæ fortitudini junctus?* TEMPORE COLLECTIORE. *Dicente Paulo*; tempus breue est, &c. *Nec enim jam propagationis humanæ necessitas vrget, vt sicut olim vel pluribus nubant homines, vel post coniugis mortem alteri nubant, vel vna repudiata, alteram du-* A *cant.* APVD SÆCVLVM *apud Gentiles* VTRVMQVE. *Supra dixit, Verbo Monogamia 15. Apud Romanos, sexcentis annis diuortium in vsu non fuisse, & plerosque primo per mortem soluto coniugio, non iniisse secundum honestate & pudicitia suadente: alios sic vixisse concordes, vt nullum fuerit diuortium, & causa repudij.* IN BONA DISCIPLINA, *sic reputabant vtrumque, bonis moribus consentaneum.*

MORS ET MORTALITAS.

1. *Mors est separatio animæ & corporis; & frustra quidam narrant mortuos sponte motos, & animam post mortem adhuc in corpore manere dicunt. De Ani. cap. 51. per totum.*

OPus mortis in medio est, discretio corporis animæque. sed quidem ad immortalitatem animæ, quam quidam non à Deo edocti infirme tuentur, ita argumentationes emendicant, vt velint credi etiam post mortem quasdam animas adhærere corporibus. Ad hoc enim & Plato, etsi, quas vult animas ad cœlum statim expedit, in Politia tamen cuiusdam insepulti cadauer opponit, longo tempore sine vlla labe, præ animæ scilicet indiuiduitate, seruatum. Ad hoc & Democritus crementa vnguium & comarum in sepulturis aliquanti temporis denotat. Porro & aëris qualitas, corpori illi potuit tutela fuisse. Quid enim, si aridior aër, & solum salsius? quid si & ipsius corporis substantia exsuccior? quid si & genus mortis, antè jam corruptelæ materias erogarat? Vngues autem, cùm exordia neruorum sint, merito neruis resolutione porrectis, prouectiores, & quotidie deficiente carne expelli videntur. Comæ quoque alimenta de cerebro, quod aliquandiu durare præstat secreta munitio. Denique, in viuentibus etiam pro cerebri vbertate, vel affluit capillago, vel deserit. Habes medicos. Sed nec modicum quid animæ subsidere in corpore est, decessurum quandoque & ipsum, cùm totam corporis scenam tempus aboleuerit. Et hoc enim in opinione quorundam est, propterea nec ignibus funerandum aiunt, parcentes superfluo animæ. Alia est autem ratio pietatis istius, non reliquiis animæ adulatrix, sed crudelitatis etiam corporis nomine auersatrix, quod & ipsum homo non vtique mereatur, pœnali exitu impendi. Cæterùm, anima indiuisibilis vt immortalis, etiam mortem indiuisibilem exigit credi: non quasi immortali, sed quasi indiuisibili animæ indiuisibiliter accidentem. Diuidetur autem mors, si & anima. Superfluo scilicet animæ quandoque morituro. Ita portio mortis cum animæ portione remanebit. Nec ignoro aliquod esse vestigium opinionis istius. De meo didici. Scio feminam quandam vernaculam Ecclesiæ, forma & ætate integra functam: post vnicum & breue matrimonium, cùm in pace dormisset, & morante adhuc sepultura, interim oratione presbyteri componeretur, ad primum halitum orationis manus à lateribus dimotas in habitum supplicem conformasse, rursumq. condita pace, situi suo reddidisse. Est & alia relatio apud nostros. In cœmeterio, corpus corpori juxta collocando spatium recessu communicasse. Si & apud ethnicos tale quid traditur, vbique Deus potestatis suæ signa proponit, suis in solatium, extraneis in testimonium. Magis enim credam ex Deo factum, quàm ex vllis animæ reliquiis: quæ si inessent, alia quoque membra mouissent; & si manus tantum, sed non in causam orationis. corpus etiam illud non modo fratri cessisset, verùm & aliàs, mutatione situs sibimet ipsi refrigerasset. Certè vnde vnde sunt ista, signis potius & ostentis deputanda, naturam facere non possunt: mors si non semel tota est, non est. si quid animæ remanserit, vita est. non magis vitæ miscebitur mors, quàm diei nox.

MORS. 1. SCHOL.

IN MEDIO EST, *apertum est, omnibus cognitum, mortem operari diuisionem animæ à corpore.* SED QVIDEM, *sed equidem. Sed certè aliqui non secundum fidem, proindeque debiliter animæ immortalitatem sustinent, &c.* STATIM EXPEDIT, *post exitum à corpore, pro libito suo, animas Philosophorum cœlo collocat, vt scribit in Phædone, Timæo, & Phædro.* IN POLITIA, *lib. 10. de Republica refert de quodam Ægyptio in bello occiso, qui duodecimo post mortem die in Pyra positus reuixit: id est aliqua vitæ signa edidit.* EXSVCCIOR, *minus succi & humiditatis habens, quæ est causa corruptionis.* GENVS MORTIS, *vtpote febris calidior vel morbus tabidus exsugens humidum, corruptionis materiam* EROGARAT, *consumpserat. Vox sumpta à rogo, In quo corpora cremabantur.* EXORDIA NERVORVM. *Id sensit juxta Empedoclem. Melius & simplicius ad literam, extremitates intelligis,* B *Nerui enim originem ducunt à cerebro juxta Medicos.* EXPELLI, *extendi.* COMÆ, *capillaturæ.* SECRETA MVNITIO, *cranium intelligit cerebrum muniens.* DESERIT. *Defluit ad caluitium.* HABES MEDICOS *quos hac de re interroges. Hippocrates lib. 1. de Dieta docuit animas hominum augeri & minui, & corrumpi cum corpore.* SVBSIDERE, *superesse*, EST, *constat.* DECESSVRVM *corpus scilicet totum soluendum in puluerem.* CORPORIS SCENAM, *formam humani corporis aliquandiu spectabilem.* NEC IGNIBVS. *Idcirco aliqui credentes aliquid animæ post mortem superesse in corpore, rogo illud non tradunt.* SVPERFLVO, *illi animæ residuo parcentes. Ex Varrone Democritus vri nolebat cadauera sed in melle seruari. Ægyptij quoque Sale, & Nitro, & Aromatibus cadauera conseruabant.* PIETATIS ISTIVS. *Qua parcebant corporibus mortuorum, non tam vt blandiren-*

tur

tur animæ reliquiis, quam quod horrerent crudeliter ipsa etiam corpora innocentum igni tradere, quo sortilegorum cadauera puniuntur. Et id significat quod subiicit, pœnali exitu impendi. NON QVASI IMMORTALI, *non quod neget immortalem, sed quod ratio instantaneæ & diuisibilis mortis, accidat ex indiuisibilitate animæ, quæ non successiuè nec per partes, sed simul & semel à corpore separatur.* DE MEO, *exemplo scilicet cadaueris Christiani non Ethnici, quale retulit supra ex Platone.* VERNACVLAM, *siue quod Ecclesiæ seruiret, siue quod ab origine Christi ancilla baptizata esset. Seruus enim domi nostræ natus ex ancilla aut seruo, verna dicitur L. seruus §. fin. de Legat. 3. l. cum semper vernis C. de rei vindic.* ORATIONE PRESBYTERI, *dum Sacerdos oraret interim, cadauer defunctæ in Ecclesia de more componentibus pollinctoribus.* HALITVM, *alij legunt* habitum, *id est cum primum haberet orationem Sacerdos circa mortuam.* HABITVM SVPPLICEM. *Iunctis scilicet manibus, vel expansis.* CONDITA PACE, *id est absoluta Missa, & dicto*, requiescat in pace. CORPVS CORPORI. *Sicut etiam D. Laurentij corpus secessit, & dextrum latus cessit corpori S. Stephani.* APVD ETHNICOS. *Si quod tale spectaculum verè accidit, Deo sit operante, vel dæmoni aut Angelo permittente, euenit. Aut si verè anima propria, regressa in corpus ad tempus aliquod, illud mouit, id factum est in testimonium immortalitatis animæ.* REFRIGERASSET, *id est, anima ex parte residens in corpore illud etiam loco mouisset, ad dandum illi aliquod refrigerium.* VNDE VNDE, *undecumque tandem procedant.* NATVRAM TACERE, *naturæ imputari non possunt, quasi soleant naturaliter huiusmodi cadauerum motus accidere ex animæ reliquiis post mortem corpori hærentibus.* MORS SI NON SEMEL. *Aug. lib. 13. de Ciuit. cap. 11* Quemadmodum tria sunt cum dicimus, ante mortem, in morte, post mortem: ita tria singulis singula, viuēs, moriens, mortuusque reddantur. Quando itaque sit moriens, id est in morte, vbi neque sit viuens, quod est ante mortem, neque mortuus, quod est post mortem, sed moriens, id est morte, difficillimè definitur. Quandiu quippe est anima in corpore, maximè si etiam sensus adsit, proculdubio viuit homo, qui constat ex anima & corpore: ac per hoc adhuc ante mortem, non in morte esse dicendus est. Cum verò anima abscesserit, omnemque abstulerit corporis sensum, jam post mortem mortuusque perhibetur. Perit igitur *id est dici non potest* inter vtrumque, quomodo moriens, vel in morte sit: quoniam si adhuc viuit, ante mortem est: si viuere destitit: jam post mortem est. Nunquam ergo moriens, id est in morte esse comprehenditur. Ita etiam in transcursu temporum, quæritur præsens, nec inuenitur: quia sine vllo spatio est, per quod transitur ex futuro in præteritum. Nonne ergo videndum est, ne ista ratione mors corporis nulla esse dicatur? *& hoc etiam significat indiuisibilitas mortis hoc titulo à Tertulliano definita.* Si enim est; quando est, quæ in nullo, & in qua vllus esse non potest? quandoquidem si viuitur, adhuc non est, quia hoc ante mortem est, non in morte: si autem viuere jam cessatum est, jam non est: quia & hoc post mortem est, non in morte. Sed rursus si nulla mors est ante vel post, quid est quod dicitur ante mortem, vel post mortem? nam & hoc inaniter dicitur, si mors nulla est. Atque vtinam in paradiso benè viuendo egissemus, vt reuera nulla esset mors. Nunc autem, non solum est, verum etiam tam molesta est, vt nec vlla explicari locutione possit, nec vlla ratione vitari. S. Aug.

2. *Mors ad hominem pertinet, quidquid dicat Epicurus, & homo verè mortalis est. De Ani. cap. 42. per totum.*

DE morte jam superest, vt illic materia ponat, vbi ipsa anima consummat. quamquam Epicurus vulgari satis opinione negarit mortem ad nos pertinere. Quod enim dissoluitur, inquit, sensu caret; quod sensu caret, nihil ad nos. Dissoluitur autem & caret sensu, non ipsa mors, sed homo, qui eam patitur. At ille ei dedit passionem, cuius est actio. Quod si hominis est pati mortem, dissolutricem corporis, & peremptricem sensus; quàm ineptum, vt tanta vis ad hominem non pertinere dicatur. Multò coactius Seneca: Post mortem, ait, omnia finiuntur, etiam ipsa. Hoc si ita est, jam & mors ad semetipsam pertinebit, si & ipsa finitur: eò magis ad hominem, in quo inter omnia finiendo, & ipsa finitur. Mors nihil ad nos. ergo & vita nihil ad nos. Si enim quo dissoluimur, præter nos, etiam quo compingimur, extra nos. Si ademptio sensus nihil ad nos, nec adeptio sensus quicquam ad nos. Sed mortem quoque interimat, qui & animam. A nobis, vt de postuma vita, & de alia prouincia animæ, ita de morte tractabitur, ad quam vel ipsi pertinemus, si ad nos illa. Denique, nec speculum eius somnus, aliena materia est.

MORS. 2. SCHOL.

MATERIA PONAT, *vbi de anima consummata tractatio est & finita, superest vt subiectum & materia de morte incipiat, cum enim anima compleuit tempus moræ suæ in corpore, dum ab eo separatur, tunc mors aduenit.* EPICVRVS. *Lactantius lib. 3. c. 17. sic refert opinionem Epicuri.* Nos metu liberat mortis, de qua hæc ipsius verba sunt expressa: quando nos sumus, mors non est, quando nos non sumus, mors est. Mors ergo nihil ad nos; quam argutè nos fefellit? quasi verò transacta mors timeatur, quia jam sensus ereptus est, at non ipsum mori, quo sensus eripitur. Est enim tempus aliquod, quo & nos jam non sumus *sensibiles scilicet, anima sensus informare desinente* & mors tamen nondum est; idque ipsum videtur miserum esse, cum & mors esse incipit, & nos esse desinimus. Nec frustra dictum est: mors misera non est, aditus ad mortem est miser, hoc est morbo tabescere, ictum perpeti, ferrum corpore excipere, ardere igni, dentibus bestiarum laniari: hæc sunt quæ timentur, non quia mortem afferunt, sed quia dolorem magnum. DISSOLVITVR. *Hic assumit Tertull. contra Epicurum.* AT ILLE, *homo scilicet obiectum dedit mortis sui ipsius corporis dissolutionem, in quod & mors ageret, & à qua ipse dissolutionem pati posset.* COACTIVS *supple quam Epicurus. Sic habet Seneca in Troade act. 21. in choro:* post mortem nihil est, ipsaque mors nihil. AD SEMETIPSAM. *Quia scilicet ipsa finitur, mori enim est finiri. Ergo multò magis ad hominem pertinebit, quem finiendo, in ipso quoque finito, mors ipsa finitur.* PRÆTER NOS, *extra nos est*, COMPINGIMVR, *componimur, nempe anima corpus viuificante.* POSTVMA VITA, *id est à nobis aliena vita, & ab*

anima alterius prouincia & naturæ quam sit, siue functione & actione diuersa; sic de morte vt aliena prorsus à rei veritate tractabitur; ad quam certè nos pertinemus, cuius imperio subdimur, si verè morimur, si & ipsa ad nos pertinet, quorum proprium est vt corruptibilium emori. SPECVLVM, *imago mortis.* ALIENA. *Alia, altera materia est. Aug. lib. 6. Confess. c. 16.* Nec me reuocabat à profundiore, voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis, & futuri iudicij tui, qui per varias quidem opiniones, numquam tamen recessit de pectore meo. Et disputabam cum amicis meis Alipio & Nebridio de finibus bonorum & malorum, Epicurum accepturum fuisse palmam in animo meo, nisi ego credidissem post mortem restare animæ vitam, & tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit. Et quærebam si essemus immortales, & in perpetua corporis voluptate, sine vllo amissionis terrore viueremus, cur non essemus Beati, aut quid aliud quæreremus; nesciens idipsum ad magnam miseriam pertinere, quod ita demersus & cæcus cogitare non possem lumen honestatis, & gratis amplectendæ pulchritudinis, quam non vidit oculus carnis, & videtur ex intimo, &c. O tortuosas vias! væ animæ audaci, quæ sperauit si à te recessit se aliquid melius habituram, versa & reuersa in tergum & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia, & tu solus requies. Et ecce ades, & liberas à miserabilibus erroribus, & constituis nos in via tua, & consolaris, & dicis: Currite, ego feram & ego perducam, & ego ibi feram.

S. Aug.

3. *Morti nos obligat ipsa natiuitas. De Car. Chri. cap. 6. in m.*

MVtuum debitum est inter se natiuitati cum mortalitate. Forma moriendi, causa nascendi est: Si propter id quod moritur, mortuus est Christus; id autem moritur, quod & nascitur; consequens erat, immo præcedens, vt æquè nasceretur propter id, quod nascitur; quia propter idipsum mori habebat, quod, quia nascitur, moritur. Non competebat non nasci, pro quo mori competebat.

MORS. 3. SCHOL.

MVTVVM DEBITVM. *Seneca de remed. fortuit.* morieris. Hac conditione intraui, vt exirem, &c. ad hanc conditionem cuncta gignuntur, quod cœpit, & desinit. FORMA MORIENDI. *Hæc forma contractus fuit, quando vitam accepimus, vt vitam Deo creditori, cum repeteret creditum, redderemus. Vel quia nascimur mortales & corruptibiles, idcirco morimur. Aug. lib. 13. de Ciuit. c. 10.* Ex quo quisque in isto corpore morituro esse cœperit, nunquam in eo non agitur vt mors veniat. Hoc enim agit eius mutabilitas toto tempore vitæ huius: si tamen vita dicenda est, vt veniatur ad mortem, &c. quidquid temporis viuitur, de spatio viuendi demitur: Et quotidie fit minus minusque quod restat: vt omnino nihil sit aliud tempus vitæ huius quam cursus ad mortem. In quo nemo vel paululum stare, vel aliquantò tardius ire permittitur, &c. Neque enim cui vita breuior fuit, celerius diem duxit, quam ille cui longior: sed cum æqualiter, & æqualia momenta raperentur ambobus, alter habuit propius, alter remotius, quò non impari velocitate ambo currebant, &c. Porro si ex illo quisque incipit mori, hoc est esse in morte, ex quo in illo agi cœperit ipsa mors, id est vitæ detractio: quia cum detrahendo finita fuerit, post mortem jam erit, non in morte: profectò ex quo esse incipit in hoc corpore, in morte est, &c. Nunquam igitur in vita homo est, ex quo est in corpore isto moriente potius, quam viuente: si & in vita & in morte simul non potest esse. An potius & in vita & in morte simul est? in vita scilicet in qua viuit, donec tota detrahatur: in morte autem, quia jam moritur, cum vita detrahitur. PROPTER ID, &c. *Nempe propter corpus mortale; in quo assumpto mortuus est, quo assumpto proinde prius verè homo natus est, &c. de vera Christi carne & natiuitate fusissimè dicta à Tertulliano in textu, & à nobis in Scholiis consule V. Christi caro. Christi Natiuitas, Christi mors, &c.*

S. Aug.

4. *Mors, naturæ debitum est commune omnibus, etiam Sanctis, Eliaque & Enoch morituris, & ipse Ioannes Euangelista mortuus. De Ani. cap. 50. per totum.*

NVnc ad originem huius excessus, id est ad ordinem mortis; quia nec ipsam sine quæstionibus, licet finem omnium quæstionum. Publicâ totius generis humani sententiâ, mortem naturæ debitum pronuntiamus. Hoc stipulata est Dei vox. Hoc spopondit omne quod nascitur. Vt jam hinc non Epicuri stupor suffundatur, negantis debitum istud ad nos pertinere; sed hæretici magis Menandri Samaritani furor conspuatur, dicentis mortem ad suos non modo non pertinere, verùm nec peruenire. In hoc scilicet se à superna & arcana potestate legatum, vt immortales, & incorruptibiles, & statim resurrectionis compotes fiant, qui Baptisma eius induerint. Legimus quidem pleraque aquarum genera miranda. Sed aut ebriosos reddit, Lyncestarum vena vinosa, aut Lymphaticos efficit Colophonis scaturigo dæmonica, aut Alexandro accidit Nonacris Arcadiæ venenata. Fuit & Iudææ lacus medicus ante Christum. Planè Stygias paludes Poëta tradidit mortem diluentes. Sed & Thetis filium planxit. Quanquam si & Menander in Stygen mergit, moriendum erit nihilominus, vt ad Stygen venias. Apud inferos enim dicitur. Quænam & vbinam ista fœlicitas aquarum, quas nec Ioannes Baptizator præministrauit? nec Christus ipse discipulis demonstrauit? Quod hoc Menandri Balneum? Magicum credo. Sed cur tam infrequens, tam occultum, quo paucissimi lauant? Suspectam enim faciam tantam raritatem securissimi atque tutissimi sacramenti, apud quod nec pro Deo ipso mori lex est; cùm contrà, omnes jam nationes ascendant in montem Domini, & in ædem Dei Iacob, mortem per martyrium quoque flagitantis, quam de Christo etiam suo exegit? nec magiæ tantum dabit quisquam, vt eximat mortem, aut repastinet vitis modo vitam, ætate renouata. Hoc

enim ne Medeæ quidem licuit in hominem, & si licuit in verueecem. Translatus est Enoch & Helias, nec mors eorum reperta est. dilata scilicet. Cæterùm morituri reseruantur vt Antichristum sanguine suo extinguant. Obiit & Ioannes, quem in Aduentum Domini Io. 21. 23. remansurum frustra fuerat spes. Ferè enim hæreses ad nostra exempla prosiliunt, inde sumentes præsidia quò pugnant. Postremò, compendium est; Vbi sunt illi quos Menander ipse perfudit? quos in Stygem suam mersit? Apostoli perennes veniant, adsistant; videat illos meus Thomas; audiat, contrectet, & credidit.

MORS. 4. SCHOL.

HVIVS EXCESSVS. *Exitus animæ de corpore.* ORDINEM, *qua via & ordine mors processerit quæ causa eius, nunc dicendum est.* SINE QVÆSTIONIBVS, *supple præterire licet.* FINEM OMNIVM. *Quia post mortem ex Paulo judicium. In quo non Minos quidam fabulosus, sed verus judex quæsitor vrnam mouebit, qua sors bona vel mala, electis vel reprobis nunc latens, tunc patebit. Vel finem dixit omnium quæstionum, quia imponit silentium omnibus disputationibus & quæstionibus. Et quomodo subtiliter de rebus Philosophicis quæstiones agitares mortuus, cum nec rationem possit reddere, cur mortuus non possit declinari, Grammaticus? id notauit Au-* S. Aug. *gustinus 13. de Ciuit. cap. 11.* Non importunè neque incongruè arbitror accidisse, etsi non humana industria, judicio fortasse diuino, vt hoc verbum, quod est, moritur; in Latina lingua nec Grammatici declinare potuerint, &c. Namque ab eo quod est, oritur, fit verbum præteriti temporis ortus est, &c. Ab eo verbo, quod est moritur, si quæramus præteriti temporis verbum, responderi solet, mortuus est, V. litera geminata, &c. illud autem vt declinetur, quod declinari non potest, pro participio præteriti temporis, ponitur nomen. Conuenienter itaA que factum est, vt quemadmodum id quod significat, non potest agendo, ita ipsum verbum declinari loquendo non possit. Agi tamen potest in adiutorio gratiæ redemptoris nostri, vt saltem secundam mortem declinare possimus. Illa enim est grauior & omnium malorum pessima, quæ non fit separatione animæ & corporis, sed in æternum potius, vtriusque complexu. *Id est reunione animæ cum corpore.* STIPVLATA DEI VOX. *cum dixit Deus Gen. 2.* Qua die ederitis ex illo, morte moriemini. SPOPONDIT, *hoc pacto & conditione promisit se accipere vitam, vt si peccaret, eam per mortem justam amitteret. Aug.* B *lib. 13. de Ciuit. cap. 15.* Constat inter Christianos veraciter Catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem, non lege naturæ, qua nullam mortem homini Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati: quoniam peccatum vindicans Deus, dixit homini, in quo tunc omnes eramus, terra es, & in terram ibis. S. Aug. EPICVRI STVPOR. *De quo supra jam diximus, eiusque mentis hebetudine. V. Mors 2. in p.* MENANDRI SAMARITANI. *Reliquum huius capitis expositum habes V. Baptismus Menandri.*

5. *Mors non est defectio Animæ immortalis, sed instrumentorum eius. De Ani. cap. 53. in p. ad m.*

SEd quò deinde anima nuda & explosa diuertit, sine dubio prosequemur ex ordine. prius tamen quod est loci huius explebimus, ne quia varios exitus mortis ediximus, expectet quis à nobis rationes singulorum, medicis potius relinquendas, propriis arbitris omnium letalium rerum siue causarum, & ipsarum corporalium conditionum. Planè ad immortalitatem animæ hîc quoque protegendam in mentione mortis aliquid de eiuscemodi exitu interstruam, in quo paulatim ac minutatim anima dilabitur: habitum enim sustinens defectionis, abducitur, dum absumi videtur. & coniecturam præstat interitus de excessus temperatura. Tota autem in corpore & ex corpore est ratio. nam quisquis ille exitus mortis, sine dubio aut materiarum, aut regionum, aut viarum vitalium euersio est: materiarum, vt fellis, vt sanguinis: regionum, vt cordis, vt jecoris: viarum, vt venarum, vt arteriarum. Dum igitur hæc ex propria quaque iniuriæ causa vastantur in corpore, adusque vltimam euersionem, & rescissionem vitalium, id est naturalium finium, situum, officiorum, necessariò & anima, dilabentibus paulatim instrumentis, & domiciliis & spatiis suis, paulatim & ipsa migrare compulsa, deducitur in diminutionis effigiem; non alio modo quàm quo & aurigam ipsum quoque defecisse præsumitur, cùm vires equorum defatigatio denegauit, quantum de dispositione destituti hominis, non de passionis veritate. Perinde auriga corporis spiritus animalis, deficientis vectaculi nomine, non suo, deficit; opere decedens, non vigore; actu clanguens, non statu; constantiam, non substantiam decoquens, quia comparere cessat, non quia esse.

MORS. 5. SCHOL.

ANIMA NVDA, *veste carnis exuta,* EXPLOSA, *excussa vi morbi & mortis.* DIVERTIT, *alij legunt* deuertet. *Quasi ad hospitium, in domum æternam corporis post resurrectionem reuersura.* MINVTATIM, *non quod anima sit diuisibilis, sed sensim vi morbi organa destruentis, singulas corporis partes informare desinat.* HABITVM SVSTINENS, *eodem modo ferè se habens, quasi ipsa defectioni & corruptioni subiecta esset.* ABSVMI VIDETVR, *absumptis organis.* CONIECTVRAM PRÆSTAT, *inde sumitur coniectura quædam ab ignorantibus statum & immortalitatem animæ, vt ex modulo & for-* C *ma cessantium operum vitæ, anima ipsa emori & interire videatur.* TOTA AVTEM RATIO. *Tota causa exitus animæ, & per eius egressum, mortis & dissolutionis compositi, procedit ex parte corruptibilitatis corporis & eius partium, quas hic tangit & ipsemet exponit.* IN DIMINVTIONIS EFFIGIEM. *Repetit quod supra dixerat:* Paulatim, ac minutatim anima dilabitur. *Adeo vt videatur minui, juxta formam, modum, effigiem reparo quæ per partes dilabuntur. Et confert animam aurigæ, qui equis fatigatis, & ipse lassus videtur, quia currum tardius promouet, donec sine motu hæreat.* DESTITVTI

HOMINIS, *adminiculo equorum necessario, non verò quòd ipse verè auriga defectum & laßitudinem patiatur.* SPIRITVS ANIMALIS, *id est animans corpus.* VECTACVLI NOMINE, *propter corpus deficiens.* CONSTANTIAM, *consistentiam in corpore amittens, non propriam suam substantiam.*

S. Aug. *Aug. lib. 7. de Gen. ad litt. cap. 19:* dum hæc eius tanquam ministeria vitio quolibet, seu perturbatione omnimodo deficiunt, desistentibus nuntiis sentiendi, & ministris mouendi, tanquam non habens cur adsit, abscedit. Si autem non ita deficiunt, vt in morte assolet, turbatur eius intentio, tanquam conantis redintegrare labentia, nec valentis. Et in quibus rebus turbatur, inde cognoscitur, quæ pars ministeriorum in causa sit, vt si potuerit, medicina succurrat. Namque aliud esse ipsam, aliud hæc eius corporalia ministeria, vel vasa, vel organa, vel si quid aptius dici possunt, hinc euidenter elucet, quod plerumque se vehementi cogitationis intentione auertit ab omnibus, vt præ oculis patentibus, rectèque valentibus, multa posita nesciat; & si major

A intentio est, dum ambulabat, repente subsistat auertens vtique imperandi nutum à ministerio motionis, qua pedes agebantur. COMPARERE, *per effectus & signa vitæ prodere se desinens. Aug. totam corporis esse defectionem fatetur quidem, sed ipsius mortis causa est anima peccatrix. Sine qua peccare volente, mors non fuisset. Sic lib. 13. de Ciuit. cap. 15.* Cum jam corpus anima ipsa deseruit ætate corruptum, & senectute confectum, venit in experimentum mors altera, de qua Deus peccatum adhuc puniens homini dixerat, terra es, & in terram ibis: vt ex his duabus, mors illa prima quæ totius hominis est *id est & animæ peccantis à Deo vita sua vera desertæ, & corporis, quod anima, egrediens deserit*, compleretur; quam secunda *mors æterna* in vltimo, *in extremo vitæ momento*, sequitur, nisi homo per gratiam Dei liberetur. Neque enim corpus quod de terra est, rediret in terram, nisi sua morte, *si ibi & non animæ propria* quæ illi accidit cum deseritur sua vita, id est, anima. S. Aug.

6. Mors non tantum violenta, sed & lenta, indiuisibilis est; licet anima per partes excedere videatur. De Ani. cap. 53. in m.

RApida quæque mors, vt ceruicum messis, semel ac tantam januam pandens; aut ruinæ vis semel omnia vitalia elidens, vt apoplexis, interior ruina, nullam animæ moram præstat, nec discessum eius in momenta discruciat. At vbi longa mors, prout deseritur anima, ita & deserit; non tamen conciditur hac facie, sed extrahitur; & dum extrahitur, postremitatem suam partem videri facit. Non omnis autem pars statim & abscissa est, quia postera est; nec quia exigua est, statim & ipsa peritura est. Sequitur seriem suus finis, & mediocritas trahitur ad summa, & reliquiæ vniuersitati cohærentes, expectantur ab illa, non derelinquuntur. atque ita ausim dicere, totius vltimum, totum est: quia licet minus atque posterius sit, ipsius est.

MORS. 6. SCHOL.

RAPIDA, *violenta mors similis est falci metenti capita hominum, quæ semel & subito vno ictu totam pandit januam animæ vt egrediatur de corpore.* AVT RVINÆ, *vel similis est subitæ ruinæ, simul omnia vitalia suffocans.* LONGA MORS. *Morbus prolixus, & lenta mors.* HAC FACIE, *hoc modo, quo violenta. Nec ipsa in se anima in partes scinditur licet videatur paulatim deficere.* SEQVITVR SERIEM. *Id est finis extremus moræ animæ in corpore, totus simul est & impartibilis, & respondens seriei, & contextui totius vitæ.* ET MEDIOCRITAS, &c. *id est quod residuum est, quamquam sit mediocre & modicum, siue duratione, siue informationis totius corporis respectu; ad summam tamen & totam animæ in toto corpore residentiam commensurari debet. Quia vt tota fuit in toto, & in qualibet parte corporis, & toto tempore vitæ præcedenti; sic in extremo momento, & centro vitali cordis tota adhuc est anima impartibiliter. Hinc dixit Tertullianus,* PARTEM VIDERI FACIT: *videtur enim (sed non est tamen ita) pars quædam animæ in extremo aliquo loco remansisse, desertis cæteris partibus corporis; sed cum pars qualibet minutißima sit partibilis, anima autem tota sit indiuisibilis; hinc tota simul & non per partes exit de corpore.* LICET MINVS, &c. *quam-*

B *quam corpus minus informet, & posterius in aliqua tantum eius parte maneat aliis desertis, in ea tamen tota est anima. Propter hanc animæ indiuisibilitatem Augustinus probat difficillimum esse, momentum extremum vitæ & instans mortis aßignare, quo anima exit de corpore, & quo homo ponitur in statu morientis: Libro 13. de Ciuit. cap. 9. & sequentibus. Sic autem cap. 9.* Quomodo S. Aug. morientes dicamus eos qui nondum mortui sunt, sed imminente morte, jam extrema & mortifera afflictione jactantur, explicare difficile est; etiamsi rectè illi appellantur morientes, qui cum mors, quæ jam impendet, aduenerit, non morientes, sed mor-

C tui nuncupantur. Nullus est ergo moriens, nisi viuens; quoniam cum in tanta est extremitate vitæ, in quanta sunt quos agere animam dicimus, profectò qui nondum anima caruit, adhuc viuit. Idem ipse igitur simul & moriens est, & viuens: sed morti accedens, vita decedens, adhuc tamen in vita; quia inest anima corpori: nondum autem in morte, quia nondum abscessit à corpore. Sed si cum abscesserit, nec tunc in morte, sed post mortem potius erit, quando sit in morte quis dixerit?

7. Mortis causarum arbitri sunt medici. De Ani. cap. 53. Vide supra. num. 5. in p.

8. Mors hominis animæ & carnis, non ex ignorantia, vel fragilitate naturæ, sed ex prauo libertatis vsu venit. 2. cont. Marc. cap. 8. à p.

Gen. 2. 3. SIcut Deus homini vitæ statum induxit; ita homo sibi mortis statum attraxit. Et hoc
Gen. 3. 5. non per infirmitatem, sicuti nec per ignorantiam, ne quid auctori imputaretur.

MORS. 8. SCHOL.

VITÆ STATVM, *quando* insufflauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. MORTIS STATVM. *Sponte consentiendo serpenti, mulier: vir mulieri. Nec infirmitate peccauit vterque, in statu innocentiæ & gratia conditus: nec ignorantiâ iuris, cum præceptum tam clarum* præceptum Domini lucidum, illuminans oculos *mentis, & sub pœna mortis animæ & corporis, temporalis & æterna, ad cautelam accepisset. Aug. lib. 13. de Ciuit. c. 14.* Deus creauit hominem rectum, naturarum author, non vtique vitiorum, sed sponte deprauatus, justéque damnatus, deprauatos damnatosque generauit, &c. ac per hoc à liberi arbitrij malo vsu, series huius calamitatis exorta est, quæ humanum genus origine deprauata, velut radice corrupta, vsque ad secundæ mortis exitium, quæ non habet finem: solis eis exceptis, qui per gratiam Dei liberantur, miseriarum connexione perducit. S. Aug.

9. *Mors quælibet etiam ex risu, gaudio, gloria, somno, violenta est; nec à natura, sed à voluntate hominis peccatrice venit. De Ani. cap. 52. per totum.*

HOc igitur opus mortis, separationem carnis atque animæ, seposita quæstione fatorum & fortuitorum, bifariam distinxit humanus adfectus; in ordinariam, & extraordinariam formam. Ordinariam quidem, naturæ deputans, placidæ cuiusque mortis: extraordinariam verò, præter naturam judicans, violenti cuiusque finis. Qui autem primordia Gen. 2. 3. hominis nouimus, audenter determinamus, mortem non ex natura secutam hominem, sed Gen. 3. 5. ex culpa, ne ipsa quidem naturali. facilè autem vsurpari naturæ nomen, in ea quæ videntur à natiuitate ex accidentia adhæsisse. Nam si homo in mortem directò institutus fuisset, tunc demum mors, naturæ adscriberetur. Porro, non in mortem institutum eum, probat ipsa lex, conditionali comminatione suspendens, & arbitrio hominis addicens mortis euentum. Denique, si non deliquisset, nequaquam obiisset. Ita non erit natura, quod ex oblationis potestate accidit per voluntatem, non ex instituti auctoritate per necessitatem. Proinde, etsi varij exitus mortis, vt est multimoda conditio causarũ, nullum ita dicimus lenem, vt non vi agatur. Ipsa illa ratio operatrix mortis, simplex licet, vis est quid enim? quæ tantam animæ & carnis societatem, tantam à conceptu concretionem sororum substantiarum, diuellit, ac dirimit. Nam etsi præ gaudio quis spiritum exhalet, vt Chilon Spartanus, dum victorem Olympiæ filium amplectitur; etsi præ gloria, vt Clidemus Atheniensis, dum ab histrionibus ob præstantiam auro coronatur; etsi per somnium, vt Plato; etsi per risum, vt P. Crassus; multò violentior mors, quæ per aliena grassatur; quæ animam per commoda expellit; quæ tunc mori adfert, cùm jucundius viuere est, in exultatione, in honore, in requie, in voluptate. Vis est & illa nauigiis, cùm longè à Caphareis saxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quassata decumanis, adulante flatu, labente cursu, lætante comitatu, intestino repente perculsu, cum tota securitate desidunt. non secus naufragia sunt vitæ, etiam tranquillæ mortis euentus. nihilo refert integram abire corporis nauem, an dissipatam, cùm animæ nauigatio euertatur.

MORS. 9. SCHOL.

SEPOSITA QVÆSTIONE, *nil hic quæro & disputo de morte, quæ separat animam à carne, vi fati vel fortunæ; cui gentiles vt Deo credunt, & ei multa mortis accidentia imputant.* HVMANVS ADFECTVS. *Hominis placitum distinxit mortem, in ordinariam & extraordinariam.* DEPVTANS, *imputans.* NE IPSA QVIDEM. *Quia homo non in peccato sed in gratia conditus fuit. Licet aliunde naturaliter peccauerit, tum ex defectibilitate naturæ, tum ex prauo naturalis libertatis vsu.* A NATIVITATE, *ab exordio vitæ.* EX ACCIDENTIA, *ex accidenti, tentatione scilicet exteriori serpentis & mulieris.* CONDITIONALI. Quocunque die comederitis ex eo, &c. ARBITRIO HOMINIS, &c. *Aug. lib. 13. de Ciuit. c. 3.* Fatendum est primos quidem homines ita fuisse institutos, vt si non peccassent, nullum mortis experirentur genus: sed eosdem primos peccatores ita fuisse morte mulctatos, vt etiam quidquid eorum stirpe esset exortum, eadem pœna teneretur obnoxium. Non enim aliud ex eis quam quod ipsi fuerant, nasceretur: pro magnitudine quippe culpæ illius naturam damnatio, mutauit in pejus: vt quod pœnaliter præcessit in peccantibus hominibus primis, etiam naturaliter sequeretur in nascentibus cæteris, &c. Quod est autem parens homo, hoc est proles homo. In primo igitur homine per fœminam in progeniem transiturum vniuersum genus humanum fuit, quando illa coniugum copula diuinam sententiam suæ damnationis excepit. Et quod homo factus est, non cum crearetur, sed cum peccaret & puniretur, hoc genuit; quantum quidem attinet ad peccati & mortis originem. OBLATIONIS POTESTATE. *Quia Deus in hominis posuerat potestate, & ei obtulerat optionem mortis & vitæ, adeo vt juxta Augustinum in statu innocentiæ conditus in potestate sua haberet*, posse non mori, & posse non peccare, *nunc autem post peccatum, habet* non posse non peccare, non posse non mori. *Adeo, vt quod primò accidit, per liberam hominis voluntatem, euenerit, non verò vi & necessitate naturæ, quam Deus bonam rectamque condiderat* NVLLVM, *exitum scilicet quo homo exit de vita.* VI AGATVR, *violentus est quilibet exitus.* QVID ENIM? *aliud supple est quàm magna violentia, quæ dissoluit duas substantias sorores, & in vnum hominis compositum coalescentes.* CHILON SPARTANVS *Plin. lib. 7. cap. 53.* Funus Chilonis Lacedemonij, cum, victore filio Olympiæ, expirasset gaudio, tota Græcia prosecuta est. CLIDEMVS *scriptor antiquus. Quem citant Athenæus & Plutarchus.* HISTRIONIBVS, *Comœdis, vel adulatoribus, vetus lectio habet*, ab historicis. OB PRÆSTANTIAM, *quod præstans cæteris scriptor esset. Eius librum de plantis sæpè citat Theophrastus, vt & Protogoniam Athenæus.* PRÆ GLORIA, *quam ex*

S. Aug. (left margin, beside "Ciuit. c. 3.")

S. Aug. (right margin, beside "haberet")

nimia laude & corona aurea sibi imposita, concepit, mortuus est. VT PLATO. *Sic de eo Suidas.* Epulatus Plato in festo, & dormiens, vita excessit. P. CRASSVS. *Multos legi Crassos, sed nullum, cui quadret, quod hic refert Tertullianus. P. enim Crassus Crassi Oratoris frater, juris peritissimus, sub Principatu L. Cinnæ, partes Marianas sequutus, seipsum occidit, ne in manus hostium incideret. Neque item fuit M. Crassus, P. Crassi filius Romanorum ditissimus, qui in bello Parthico cum filio à Surina Regis Præfecto captus & occisus est. Cuius mortui ori barbari liquefactum aurum infuderunt, insatiabili eius auaritiæ insultantes. Vnicum reperio Crassum, dicti Crassi diuitis Auum, qui ex Plin. lib. 7. c. 19. quod nunquam riserit dictus est Agelastus. Fortè & Publius sit aliquando dictus. Et quia hunc Platoni junxit Tertullianus, somni parcissimo; Ideo; & hunc Crassum, vno semel risu in tota vita, mortuum refert. Hiero. ep. 8. ad Demetr.* Catonem & Marcum Crassum semel in vita risisse scribit Lucillius. *Rectè ergo Tertull. inter mortes violentas, posuit, Platonis & Crassi obitum: quid enim violentius, quàm quod insolentius? quid tam insolitum insomni vt plurimum Platoni, quam mors longiori semel somno concitata? & Crasso Agelasto, quàm mors vno semel risu prouocata?* PER ALIENA. *Quid enim tam alienum à morte tristi, dolorosa, inquieta, ingloria, quàm honor, quies, voluptas, &c? quid proinde violentius?* CAPHAREIS *Caphareus, Mons Celsissimus Eubœæ circa Hellespontum, scopulis frequens, & vndarum vorticibus. Ibi Rex Eubœæ Nauplius facem montis in vertice posuit, vt specie portus attractos, Græcos euersâ Troiâ redeuntes mergeret, & sic filij sui Palamedis, ab Vlysse per dolum interfecti, mortem vltus est.* VIS EST ET ILLA. *Id est mortes præfatæ per risum, somnum, gaudium, gloriam, licet lenes appareant & non violentæ, similes sunt mersioni tacitæ nauium, quæ internâ & rimosâ laxatione trabium & asserum, vel aliter fatiscentes, in imum labuntur, nulla tempestate subactæ, nullis fluctibus decumanis, id. decemplicìter supra vsum elatis, concussæ, licet ab apertis cautibus Caphareì promontorij sint remotæ.*

10. *Mors non longè distat à nobis. De Ani. cap. 46. in p.*

ET quando perueniemus ad mortem? & hic dixerim, cùm Deus dederit: nullæ longæ moræ eius quod eueniet.

MORS. 10. SCHOL.

CVM DEVS DEDERIT. *Sic Iob: de breuitate vitæ loquens.* Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est; constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt. *Et Psal. 38. 6.* Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te. *Aug. ibidem sic legit:* Ecce veteres posuisti dies meos. Veteres dies ex Adam, veteres illos posuisti, veterascunt quotidie, & sic veterascunt, vt aliquando etiam consumantur. *Aug. 13. de Ciuit. cap. 10.* Nemo est qui non ei *morti scilicet de qua agit*, post annum sit, quàm ante annum fuit, & cras quam hodie, & hodie quàm heri, & paulò post, quàm nunc, & nunc quam paulò ante propinquior: quoniam quidquid temporis viuitur, de spatio viuendi demitur.

S. Aug.

11. *Mors amicorum patienter ferenda. V: Verbum Patientia in quibus exercenda. num. 5.*

* 12. *Mors coniugis sine voluntate Dei non accidit. 1. ad Vxo. cap. 7. à p.*

SVper hæc enim recogites moneo, neminem non ex Dei voluntate de seculo educi, si ne folium quidem ex arbore sine Dei voluntate delabitur. Idem qui nos mundo infert, idem & educat necesse est. Igitur defuncto per Dei voluntatem viro, etiam matrimonium Dei voluntate defungitur.

MORS. 12. SCHOL.

DE SÆCVLO, *de vita præsenti.* SI, NE FOLIVM. *Certè Iob. 13. 25. homo mortalis, folio de arbore generis humani defluenti comparatur;* contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris. *Et Esaiæ 54. 6.* Cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. *70. expressius, mortem peccato imputant, cuius causâ ab arbore scientiæ decidimus, & ab arbore vitæ cecidimus.* Defluximus quasi folia, propter iniquitates nostras: sic ventus auferet nos. *Quodsi nec commune folium labitur, aut passer in terram, sine nutu Dei, quanto minùs homo, & alteruter coniugum? Aug. lib. 5. de Gen. ad lit. cap. 21.* Quod autem ore suo Saluator dicit, vnum passerem non cadere in terram sine Dei voluntate, & quod fœnum agri post paululum mittendum in clibanum, ipse tamen vestiat; nonne confirmat, non solùm totam istam mundi partem rebus mortalibus & corruptibilibus deputatam, verùmetiam vilissimas eius abiectissimasque particulas diuinâ Prouidentiâ regi? MATRIMONIVM DEFVNGITVR. *Finitur, moritur, Deo sic volente. Et hic error Authoris, non licere solutum morte Dei voluntate eueniente, matrimonium, superstitem alterutrum coniugum, cum altero iterare.*

S. Aug.

13. *Mors non timenda, quia malorum est terminus, sed quia eam sequitur æterna pœna. De testim. Ani. cap. 4. à m.*

ETsi dici potest, ideo mortem timeri, non vltra quid minantem, sed vt commodum vitæ amputantem: atquin cum & incommoda longè plura vitæ pariter excedant, lucratione grauioris partis metum diluit. nec jam timenda est amissio bonorum, quæ altero bono, id est, incommodorum pace, pensatur. Non est timendum quod nos liberat ab omni timendo. Si times vitâ decedere, quia optimam nosti: Certè mortem timere non debes, quam malam nescis. At cum times, scis malam. Non scires autem malam, quia

nec timeres, si non scires aliquid esse post mortem, quod eam malam faciat vt timeas. Omittamus nunc naturalem formam timendi mortem. Nemo timeat quod euadere non potest.

MORS. 13. SCHOL.

NON VLTRA, &c. *Non in quantum maiora mala futuræ vita comminatur.* LVCRATIONE. *Iuxta Paulum*, mori luctum. *Quasi diceret cùm longè plura & maiora sint mala quàm commoda vitæ præsentis, lucrum est in morte quæ nos eximit tot malis.* PACE PENSATVR. *Cessatione & fine compensatur.* AB OMNI TIMENDO. *Aug. lib. 1. de Ciuit. cap. 11.* Cùm vnicuique mortalium sub quotidianis vitæ huius casibus, innumerabiles mortes quodammodo comminentur; quamdiu incertum est, quænam earum ventura sit; A quæro, vtrum satius sit vnam perpeti moriendo, an omnes timere viuendo? Nec ignoro quàm inertius eligatur diu viuere sub timore tot mortium, quàm semel moriendo nullam deinceps formidare. POST MORTEM, &c. *Augustinus ibidem:* Mala mors putanda non est quam bona vita præcesserit. Neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem. Non itaque multum curandum est eis qui necessariò morituri sunt, quid accidat vt moriantur, sed moriendo quò ire cogantur.

S. Aug.

S. Aug.

14. *Mors animam separans à carne, simul & animum diuidit; proindeque intellectum pœnæ vel gloriæ addicit. De ani. cap. 18. à m.*

CEterùm, animæ principaliter casus est. Hoc inde firmatur, quod animâ digressâ, nec animus in homine inueniatur. ita illam vbique sequitur, à qua nec in fine subremanet. quum vero sequitur, & addicitur; perinde intellectus animæ addicitur; quàm sequitur animus, cui addicitur intellectus.

MORS. 14. SCHOL.

ANIMÆ PRINCIPALITER CASVS. *Per casum, non intelligit mortalem animam, quam suo loco multis argumentis probauit immortalem, sed tantum exitum animæ de corpore, quo ex Augustino fit mors corporis, &* cadauer dicitur, à cadendo. *Quia porro alibi formaliter tantum distinguens sensum, intellectum, animum, siue mentem, ab anima, ei principalitatem attribuit; & eam vocauit domicilium originale & principale, in qua residet sensus, animus, intellectus, ideo ait, animam principaliter exire de corpore, qua exeunte, omnis quoque vis animi, intellectus, & sensus discedit à corpore.* A QVA, *post quam, post cuius exitum, nulla animi vis, sensus & functio spiritalis remanet in corpore.* CVM VERO SEQVITVR, *supple animus animam vt radicem & fontem intelligendi, & sentiendi de rebus.* ADDICITVR, *vox iuris significans idem quod damnare aliquem pœnæ & supplicio. L. 29. C. de Appell. Item addicere metallo l. 2. C. de Sepulchr. violat.* INTELLECTVS ADDICITVR, *adiudicatur, attribuitur animæ vt origini suæ, & seruit illi, vt facultas eius. Lege duodecim tab. addicti vocabantur, qui creditoribus ob æs alienum contractum in temporariam seruitutem addicebantur, quos licebat creditori ducere domum, & in eos, cum soluendo non essent, vitæ & necis haberè potestatem, sic Prætore edicente*; Do, dico, addico. *Duriorem hanc legem mos publicus extinxit, & postea Diocletianus sancito sustulit. L. ob æs alienum C. Iustinian. sub tit. de actio. & oblig. Intellectus ergo addictus est animæ principatui, quasi facultas & seruus: sed cùm æs diuinum contraxit, vt & anima, coram iudice, vterque addicitur pœnæ, ab eo, qui habet ius vitæ & necis, & secundùm Euangelium*, postquam occiderit corpus, potestatem habet animam mittere in gehennam, & tenebras exteriores. *Vbi & ignis* B *animam torquet, & ex Aug. cum spiritibus nequam,* cruciatur miris, sed veris modis: *Intellectus verò & animus, cuius vita est lux, pœna damni, & priuatione luminis gloriæ, & visionis beatificæ plectitur: de quâ, præ sensus pœna, damnati queruntur dicentes, Sap. 5. 6:* Ergo errauimus à via veritatis & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. *Aug. in Psal. 57.* Supercecidit ignis & non viderunt Solem. Videtis quomodo dicit quandam pœnam obscurationis. Ignis supercecidit, ignis superbiæ, ignis fumosus, ignis concupiscentiæ, ignis iracundiæ, &c. Ergo fratres ignem malæ concupiscentiæ timete, si non vultis liquefieri, sicut cera, & perire à facie Dei *vnde & minatur Deut. 32. abscondam faciem meam ab eis* supercecidit enim ignis iste, *cui & respondebit ignis pœnæ*; & Solem non videbitis. *Et hæc pœna damni* quem Solem? non istum quem tecum C vident & pecora & muscæ, & boni & mali, quia facit Solem suum oriri super bonos & malos. Est & alius Sol de quo dicturi sunt illi *Sap. 5. talia dixerunt in inferno qui peccauerunt* iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol non ortus est nobis. Quare? nisi quia supercecidit ignis, &c. vicit illos concupiscentia carnis, & ista concupiscentia carnis vnde venit? attendite: de traduce natus es cum eo quod vincas. Noli tibi hostes addere, vince cum quo natus es, &c. qui autem illam concupiscentiam cum qua de peccati propagine natus est contemnit vincere; & multas adhuc excitat exeritque libidines, difficulter eas superat, & aduersus seipsum diuisus, igne proprio concrematur. Ne itaque speres quasi illas solas pœnas futuras, præsentes vide. *Hic vermem conscientiæ, qui nec in futuro moritur vt nec ignis extinguitur.*

S. Aug.

S. Aug.

15. *Mortis metum excutit arrha data nobis immortalitatis, in Spiritu viuificante. 5. cont. Marc. cap. 12. circa m.*

NOn temerè dixit,[a] *Nolentes exui corpore, sed superindui*; id est, nolentes mortem experiri, sed vita præueniri; *vti deuoretur mortale hoc à vita*, dum eripitur morti per superindumentum demutationis. Ideo quia ostendit hoc melius esse, ne contristemur mortis si fortè præuentu, *& arrabonem nos spiritus* dicit *à Deo habere*, quasi pignoratos in eandem spem superindumenti; & *abesse à Domino, quamdiu in carne sumus*, ac propterea debere boni ducere *abesse potius à corpore, & esse cum Domino*, vt & mortem libenter excipiamus.

a 2. Cor. 5. 4.

MORS. 15. SCHOL.

NON TEMERE, *non sine ratione dixit Paulus, ex natura mortem horrentis instinctu.* NOLENTES EXVI. 2. *Cor.* 5. 4. Nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est à vita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus. Audentes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus & non per speciem. Audemus autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum. *Translatio Syr. paulo clarior* Dum enim nunc sumus in hoc domicilio, ingemimus ob eius onus, & nolumus illud exuere, sed superindui, vt absorbeatur mortalitas per vitam. Porro qui parauit nos ad hoc ipsum: Deus est, qui dedit nobis arrabonem sui Spiritus. Quoniam igitur scimus & persuasum habemus, quod quandiu in corpore habitamus, peregrinamur à Domino nostro. *Id est absentes sumus ab eo & clarè eum non videmus* per fidem enim ambulamus, & non per visum. Propterea confidimus, & peroptamus peregrinari à corpore, & esse apud Dominum Deum nostrum. VITA PRÆVENIRI, *immortali scilicet antequam moriamur.* DEMVTATIONIS, *alludit ad dictum Pauli:* omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. *Et intelligit mutationem vestis mortalis, in immortalem. Vocat autem superindumentum sicut paulò supra dixerat* 2. *Cor.* 5. 2. Habitationem nostram quæ de cœlo est, superindui cupientes. *Vt non exuto corpore, anima, præter hoc indumentum quod expoliare non cuperet, cœleste, hoc est incorruptibile & gloriosum superuestiret.* SI FORTE, &c. *Ideo, inquit, Paulus hæc dicit vt consoletur nos, si fortè morte præueniamur, antequam hanc cœlestem vestem induamus.* ARRABONEM. *Pignus habemus à Deo Spiritum eius, qui per Apostolum sic loquitur; quem prædixit Christus docturum nos omnem veritatem; quo vivificante pignorati sumus, & arras tenemus spei nostræ, & superindumenti huius accipiendi. Quo fit vt æqui bonique ducamus, per mortem, ad tempus hic relinquere corpus, & Deo frui in gloria, nec mortem timeamus, aliquando tandem absorbendam à vita immortali. Aug. in Psal.* 30. *in versum* saluasti de necessitatibus animam meam, *tractas hunc locum Pauli:* quid dicam de necessitatibus ipsius mortalitatis? mori necesse est, & nemo vult, nemo vult quod necesse est. Nemo vult quod erit, velis, nolis. Dura necessitas, nolle quod non potest euitari. Nam si fieri posset, nollemus vtique mori. Et effici quidem Angeli vellemus, sed commutatione quadam, non morte. Sicut dicit Apostolus: ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam æternam in cœlis. Etenim in hoc ingemiscimus, habitaculum nostrum quod de cœlo est, superindui cupientes, si tamen induti *adhuc viuentes in hoc corpore* & non nudi *id est mortui & exuti corpore* inueniamur. *In die judicij.* Etenim qui sumus in hac habitatione, ingemiscimus grauati, in quo nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur mortale à vita. Volumus peruenire ad regnum Dei, sed per mortem nolumus. Et tamen dicit tibi necessitas, hàc venies. Hàc venire dubitas homo, cùm hac ad te venerit Deus? *Vide Aug. in Psal.* 68. *in p.* S. Aug.

16. *Mors in deposito seruat carnem restituendam homini. De Resur. cap.* 63 *in p.*

RESurget igitur caro, & quidem omnis, & quidem ipsa, & quidem integra. In deposito est vbicumque apud Deum, per fidelissimum [a] *sequestrem Dei & hominum, Iesum Christum*, qui & homini Deum, & hominem Deo reddet, carni spiritum, & spiritui carnem. Vtrumque jam in semetipso fœderarit, sponsam sponso, & sponsum sponsæ comparauit. Nam & si animam quis contenderit sponsam, vel dotis nomine sequetur animam caro. Non erit anima prostituta, vt nuda suscipiatur à sponso. Habet instrumentum, habet cultum, habet mancipium suum carnem; vt collactanea comitabitur. Sed caro est sponsa quæ & in Christo Iesu spiritum sponsum per sanguinem pacta est. Huius interitum quem putas, secessum scias esse. Non sola anima seponitur Habet & caro secessus suos interim, in aquis, in ignibus, in alitibus, in bestiis. quum in hæc dissolui videtur, velut in vasa transfunditur. Si etiam ipsa vasa defecerint, quum de illis quoque effluxerit, in suam matricem terram quasi per ambages resorbetur, vt rursus ex illa repræsentetur Adam; auditurus à Domino, [b] *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est*: verè tunc compos mali quod euasit, & boni quod inuasit.

a 1. Tim. 2. 5.

b Gen. 3. 22.

MORS. 16. SCHOL.

IPSA, *non alia, sicut Eutichius à D. Gregorio Magno conuictus, prius sentiebat.* SEQVESTREM. *Sic Deut.* 5. 5. *Moyses figuram Christi agens:* Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos. HOMINI DEVM, *id est Dei similitudinem, quam diabolo suadente, in paradiso inuadere volueras.* CARNI SPIRITVM, *æterno & indissolubili vinculo colligandum.* SPIRITVI CARNEM, *omnino subiectam* FOEDERAVIT *De hoc, jam alibi, fœdere inito, in coniugio Verbi cum carne* PER SANGVINEM PACTA. *Quia pactum & testamentum hoc, sancitum est in Christi sanguine, cuius merito, ignis Spiritus sancti, veri animæ sponsi, de rubo, hoc est spinis Christi, processit: vt & apud Prophetam, de medio rotarum, hoc est tormentorum, implenit manum prunis ardentibus, sparsis in Apostolos Hierosolymis congregatos.* HVIVS INTERITVM, *carnis omnimodam deletionem.* SECESSVM, *separationem ab anima, ad tempus.* IN VASA, *sicut olim superstites è rogo cineres in vrnam seorsim missi seruabantur.* MATRICEM, *originem.* ADAM, *omnis homo, sumpto capite generis humani, pro omnibus membris.* ECCE ADAM. *Gen.* 3. 22. Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est sciens bonum & malum. 70: in cognoscendo bonum & malum. *Aug. lib.* 11. *de Gen. ad litt. cap.* 39. S. Aug. Non aliter intelligendum est quod, ait, vnus ex nobis, nisi propter Trinitatem numerus pluralis accipiatur: *addam ego vnum hic intelligi filium, cui in judicio, non insultando, sed gratulando similem Adam, omnemque Beatum, conformatum corpori claritatis eius faciens, dicet, ecce Adam, &c.* sicut dictum erat faciamus hominem; sicut etiam Dominus de se, & de Patre: veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Replicatum est igitur in caput superbi, quo exitu concupiuerit, quod à serpente suggestum est: eritis sicut dij. Ecce, inquit, Adam factus est tanquam vnus ex nobis. Verba enim sunt hæc Dei, non tam huic insultantis, quam cæteros, ne ita superbiant,

biant. deterrentis, propter quos ista conscripta sunt, factus est tanquam vnus, &c. quid aliud intelligendum, nisi exemplum timoris incutiendi esse propositum, quod non solum non fuerit factus, qualis fieri voluit, sed nec illud quod factus fuerat, conseruauit. *Et lib. 2. de Gen. cont. Manich. cap. 21. & 22.* S. Aug. Cùm contra præceptum, non imitatione legitima, sed illicitâ superbiâ Deus esse appetit homo, vsque ad belluarum mortalitatem deiectus est, &c. Ecce Adam, &c. dupliciter intelligi potest, vel vnus ex nobis, quasi & ipse Deus, quod pertinet ad insultationem, sicut dicitur, vnus ex Senatoribus, vtique Senator: aut certè, quia & ipse Deus esset, quamuis Creatoris sui beneficio, non naturâ, si sub eius A potestate manere voluisset, &c. sed ad quam rem factus est tanquam vnus ex nobis? ad scientiam scilicet dignoscendi boni & mali; vt iste per experimentum disceret, dum sentit malum, quod Deus per sapientiam nouit: & potestatem illam omnipotentis, quam pati noluit beatus atque consentiens, pœnâ suâ discat esse ineuitabilem. VERE TVNC, *cùm & serpens falsè promitteret, fore Deo omniscio & immortali similem, si fructum vetitum ederet: & irônicè Deus diceret, ecce Adam, &c.* COMPOS BONI. *Bonum bono quod præripere voluerat, scientiæ scilicet, de qua Ioannes:* scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. ET MALI, *mortis scilicet victor, absorptæ à vita immortali.*

17. *Mors in Resurrectione vincetur, juxta Prophetam Creatoris. 5. cont. Marc. cap. 10. in f.*

SI [a] *tunc fiet verbum, quod scriptum est* apud Creatorem, *Vbi est, mors, victoria tua, vel contentio tua? Vbi est, mors, aculeus tuus?* Verbum autem hoc Creatoris est, per Prophetam. [a] 1. Cor. 15. 55. Oseæ. 13. 14.
Eius erit & res, id est regnum, cuius & verbum fiet in regno. Nec alij [b] *Deo gratias* dicit, *quod nobis victoriam*, vtique de morte, referre præstiterit; quàm illi à quo verbum insultatorium de morte & triumphatorium accepit. [b] 1. Cor. 15. 57.

18. *Mortalitas hominum necessaria exonerandæ terræ. De Ani. cap. 30. in m. V. Verbum. Metempsychosis. 1.*

MORS. 17. SCHOL.

TVNC FIET. *1. Cor. 15. 55.* Cùm autem mortale A hoc induerit immortalitatem; tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? *Syr. vbi est aculeus tuus, ô mors? & vbi est victoria tua inferne?* stimulus autem mortis peccatum est: virtus verò *Syr. & vis peccati* peccati lex. Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. APVD CREATOREM, *Authorem veteris Testamenti Osea. 13. 14. vulgata:* de manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero inferne. *70. verò,* de manu inferni liberabo, & de morte redimam illos. Vbi est causa tua mors? vbi est aculeus tuus inferne? *Aug. in Psal. 64. in versum primum. Te decet,* B S. Aug. *&c.* Ibi erimus toti, id est integri, in resurrectione justorum; ibi reddetur votum totum nostrum, TERTVLL. *vocat resurrectionem, sæculi votum* Non sola anima, sed etiam ipsa caro jam non corruptibilis, quia jam in Babylonia, sed etiam in corpus cœleste immutatum. Qualis mutatio promittitur? omnes enim resurgemus, ait Apostolus. 1. Cor. 15. sed non omnes immutabimur, &c. & mortui resurgent incorrupti, id est integri, & nos immutabimur. Qualis autem erit illa immutatio? sequitur, & dicit: oportet enim corruptibile hoc, &c. tunc fiet sermo qui scriptus est: absorpta est mors, &c. vbi est mors aculeus tuus? modo enim inchoatis in nobis primitiis mentis, vnde desideramus Ierusalem, multa ex C carne corruptibili contendunt aduersùm nos, *viden vt respondet Tertulliano legenti, vbi est contentio tua?* quæ non contendent, cum fuerit mors absorpta à victoriâ. Vincet pax, & finietur bellum. Quando autem vincet pax, vincet & illa ciuitas quæ dicitur visio pacis. Nulla ergo erit à morte contentio. Modò cum morte quanta contendimus? inde enim sunt delectationes carnales, quæ nobis etiam illicitè multa suggerunt, quibus non consentimus, sed tamen non consentiendo, contendimus. Primò ergo concupiscentia carnis, sequentes duxit nos: postea renitentes traxit nos; deinde, acceptâ gratiâ cœpit nos nec ducere, nec trahere, sed adhuc contendere nobiscum; post contentionem, erit & victoria. Modò te etsi oppugnat, non expugnet: postea cum absorpta fuerit mors in victoria, & pugnare cessabit. Quid dictũ est? nouissima inimica destruetur mors. Reddam votum meum. Quod votum? quasi holocaustum. Holocaustum enim tunc dicitur quando totum ignis absumit, &c. arripiat ergo nos ignis, ignis diuinus in Ierusalem. Incipiamus ardere charitate, donec totum mortale consumatur, & quod contra nos fuerit eat in sacrificium Domino. ACVLEVS. *Aug. lib. 83. qq. q. 70. vbi hunc locum Pauli tractat, sic habet sub finem:* S. Aug. aculeus mortis peccatum est, quia peccato facta est delectatio quæ jam possit resistere bonæ voluntati, & cum dolore cohiberi. Quam delectationem, quia in defectu est animæ deterioris effectæ, jure mortem vocamus. *Alibi ad literam refert ad mortem corporis, cuius stimulus peccatum fuit, sine quo mors hominem non læsisset, imò nec omnino fuisset; sicut & ex Paulo, sine lege peccatum non erat; lignum scientiæ edere malum non erat, nisi quia vetitum.)* Virtus autem peccati lex est; quia multò sceleratius & flagitiosius, quæ lex prohibet, committuntur, quàm si nulla lege prohiberentur. (*Hic agit de rebus, & peccatis, ex natura & genere suo malis, quæ per prohibitionem aggrauantur*) tunc itaque absorpta erit mors in victoriam, cùm per sanctificationẽ in omni parte hominis perfectam, delectatione spiritalium, delectatio carnalis obruetur. EIVS ERIT REGNVM, *de quo paulò ante dixerat Tertull. Iuxta Paulum. 1. Cor. 15.* Caro & sanguis (*corruptibiles scilicet*) regnum Dei non consequentur. CVIVS ET VERBVM. *Per Oseam supra relatum.* NEC ALII DEO. *Nec, inquit, æquum est alteri Deo quàm Creatori, vtriusque testamenti Anthori, cum Paulo referre gratias de victoria per Christum, quàm ei, qui verbo insultauit in mortem triumphatam, dicens, ubi est mors victoria &c? Cum ergo Paulus in noua lege referat testimonia veteris, contra Marcionem rectè concludit, Deum Creatorem vnum eundemque, esse Deum vtriusque legis Anthorem.*

MOTVS.

Motus, contra Hermogenem non est quid substantiale, sed accidens & actus substantiæ animatæ vel inanimæ. cont. Hermog. cap. 36. à p.

COrporale materiæ vult esse, de quo corpora edantur: incorporale verò, inconditum motum eius. Si enim, ait, corpus tantummodo esset, nihil ei incorporale appareret, id est motus. Si verò in totum incorporalis fuisset, nullum corpus ex ea fieret. Quantò hæc rectior ratio: nisi quòd, si tam rectas lineas ducis Hermogenes, quàm ratio ista, pictor te bardior non est. Quis enim tibi concedit motum in secundam partem substantiæ deputare? cùm substantiua res non sit, quia nec corporalis; sed accidens, si fortè, substantiæ & corpori, vt actus, & pulsus, vt lapsus, vt casus, ita & motus. Nam siue à semetipso quid mouetur, actus eius est motus, certè pars substantiæ non est, sicut tu motum substantiam facis materiæ incorporalem. Omnia denique mouentur, aut à semetipsis, vt animalia; aut ab aliis, vt inanimalia: tamen nec hominem, nec lapidem & corporalem & incorporalem dicemus, quia & corpus habeat, & motum; sed vnam omnibus formam solius corporalitatis, quæ substantiæ res est: si qua incorporalia eis adsunt, aut actus, aut passiones, aut officia, aut libidines eorum, non portiones deputamus. Quò ergo facit, portionem materiæ in motum disponere, qui non ad substantiam pertinet, sed ad substantiæ habitum? Quid enim si immobilem placuisset tibi inducere materiam, numquid immobilitas secunda pars formæ videretur? Sic itaque nec motus.

MOTVS. SCHOL.

A COrporale materiæ: *Agit hic contra Hermogenem fingentem in materia aliquid esse corporale, vnde educuntur res corporeæ; aliud incorporale, qualis est motus eius inconcinnus & confusus de quo supra V. Materia.14* Nihil ei, *in ea.* In totvm, *tota.* Qvanto rectior. *Quasi diceret, ô Hermogenes pictor egregie, non multò rectior est hac obliqua tua ratio, earum tuis lineis & indirectis.* Qvis enim, &c. *Suppono, quod nemo tibi concedit, motum esse substantiam incorpoream, & gratis audes motum recensere inter substantias incorporeas. Hoc est enim quod ait Tertullianus, Hermogenem,* motum in secundam partem substantiæ deputare; *quæ diuiditur in duas partes siue species, corpoream scilicet & incorpoream; cum tamen motus non sit quid substantiale, nec proinde substantia corporalis, nec spiritalis, sed merum accidens, adueniens substantiæ & rei corporeæ, qualia sunt accidentia, lapsus, casus, &c.* Sive a semetipso, *quamuis res à semetipsa moueretur.* Solivs corporalitatis. *Intelligit formam corporis, quæ in esse corporeo substantiali res constituitur.* Svbstantiæ res, *res est substantialis.* Incorporalia, *minus sensibilia & apparentia, & proinde Hermogenis sensu spiritalia vocitentur.* Non portiones, *non sunt partes substantiales, in quas res corporeæ, vt in membra diuidantur, sed accidentia sunt.* Libidines, *inclinationes*
S. Aug. *& pondera. August. in Psal.29. Enarratione prima sub finem:* Pondera gemina sunt. Pondus enim est impetus quidam cuiusque rei velut conantis ad locum suum. Hoc est pondus, fers lapidem manu, pateris pondus, premit manū tuam quia locum suum quærit. Et vis videre quid quærat? subtrahe manum, & venit ad terram, quiescit in terra, peruenit quò tendebat, inuenit locum suum. Pondus ergo illud, motus erat quasi spontaneus, sine anima, sine sensu. Sunt aliqua quæ sursum versus petunt locum &c. quomodo aqua super oleum missa, pondere suo ad ima locum suum quærit; sic oleum subter aquam fusum, (*vase dirupto*) pondere suo ad summa locum suum quærit. Si ergo ita est, fratres, quò tendit ignis & aqua? ignis sursum fertur, locum suum quærit, & aqua locum suum quærit pondere suo. Lapis ima petit, & lignum, & columnæ, & terra, vnde ædificantur istæ domus, &c. & nisi sit quod sustineat, totum cadit, quia totum ad terram vergit. rebus ergo ad ima tendentibus, in imo ponitur fundamentum. Ecclesia verò Dei in imo posita tendit in Cœlum: fundamentum ergo nostrum ibi positum est, Dominus noster Iesus Christus sedens ad dexteram Patris. Qvo ergo facit. *vt quid ergo Hermogenes fingit motum partem esse materiæ?* Habitvm, *facultatem, proprietatem, accidens.*
B *August. to. 1. de decem cathegoriis cap. 21.* motus tres species habet, id est incrementum, imminutionem, commutationem qualitatis siue loci. *Vide plura ibid. & concludit:* Ipsa quoque commutatio, siue qualitatis, siue loci, licet non ex eodem specierum numero, tamen habet quod sibi contrarium videatur. Nam commutatio qualitatis est, cum ex albo fit aliquid nigrum, vel album de nigro, quæ sibi manifestè contraria sunt. Loci quoque commutatio (*siue motus localis*) quam transgressionem diximus, superiorum, & inferiorum contrarietatem patitur. S. Aug. Secvnda pars *aliud membrum finxisses, in quam ipsa diuideretur.* Sic neqve &c *Si igitur immobilitas tunc non esset pars & species substantiæ, sic nec motus, erit eius species.*

MVLIER.

1. *Mulier nomen generale, virginem etiam complectens in Eua & B. Virgine. De Vel. Virg. cap. 5. & 6. per totum.*

QVoniam ita mulieris nomen vsurpant, vt non putent competere illud nisi ei soli quæ virum passa sit; probari à nobis oportet, proprietatem eius vocabuli, ad sexum ipsum, non ad gradum sexus pertinere, quo communiter etiam virgines censeantur. Cum hoc
a Gen. 2. genus secundi hominis à Deo factum est, in adiutorium hominis, femina illa, statim mu-
23. lier est cognominata, adhuc felix, adhuc digna paradiso, adhuc virgo.[a] *Vocabitur*, inquit,

mulier. Habes itaque nomen, non dico jam virgini commune, sed proprium. quod à principio virgo sortita est. Sed ingeniosè quidam de futuro volunt dictum, *Vocabitur mulier:* quasi quæ hoc futura esset, cum virginitatem resignasset: quoniam & adiecit, [b] *Propterea relinquet homo patrem & matrem, & conglutinabitur mulieri suæ, & erunt duo in carne vna.* Ostendant igitur primò vbi sit subtilitas ista, si de futuro mulier cognominata est, quod interea vocabulum acceperit? Non potest enim sine vocabulo præsentis qualitatis suæ fuisse. Ceterùm quale est, vt quæ in futurum vocaretur nomine designato, in præsenti nihil cognominaretur? Omnibus animalibus Adam nomina imposuit, & nemini ex futura conditione, sed ex præsenti institutione, cui conditio quæcunque seruiret, hoc appellata, quod à primordio voluit. quid ergo tunc vocabatur? Atquin quotienscunque in scriptura nominatur, mulier appellatur, antequam nupta, & nunquã virgo cum virgo. Hoc nomen tum vnum illi fuit; & quando nihil prophetico modo dictum est. Nam cum scriptura refert fuisse nudos, Adam & mulierem eius, nec hoc de futuro sapit, quasi mulierem dixerit eius in præsagio vxoris, sed quoniam & innupta illius mulier, vt de substantia ipsius; [c] *Hoc*, inquit, *os ex ossibus meis, & caro ex carne mea vocabitur mulier.* Hinc ergo tacitâ conscientiâ naturæ ipsa diuinitas animæ in vsum sermonis eduxit nescientibus hominibus (sicut & alia multa, quæ ex scriptura fieri & dici solere alibi poterimus ostendere) vti mulieres, nostras dicamus vxores. Quanquam & impropriè quædam loquamur. nam & Græci qui magis vocabulo mulieris, in vxore vtuntur, alia habent propria vocabula vxoris. Sed malo hunc vsum ad scripturæ testimonium deputare. Vbi enim duo in vnam carnem efficiuntur per matrimonij nexum, caro ex carne, & os ex ossibus, vocatur secundum originem mulier eius, ex cuius substantia incipit censeri facta vxor. Ita mulier non naturâ nomen est vxoris, sed vxor, conditione, nomen est mulieris. Denique mulier, & non vxor, dici potest, non mulier autem vxor dici non potest, quia nec esse. Constituto igitur nomine nouæ fœminæ, quod est mulier, & explicito quod prius fuit, id est nomine assignato, conuertit jam ad propheticam rationem, vti diceret, [d] *Propter hanc relinquet homo patrem & matrem.* Adeo separatum est nomen à prophetia, quantum & ab ipsa persona, vt non vtique de ipsa Eua dixerit, sed in illas fœminas futuras, quas in matrice generis fœminini nominarit. Alioqui non Adam relicturus erat patrem & matrem quos non habebat, propter Euam. Ergo non ad Euam pertinet, quia nec ad Adam, quod propheticè dictum est. De maritorum enim conditione prædictum, qui ob mulierem parentes suos erant relicturi, quod in Euam cadere non potuit, quia nec in Adam. Si ita res est, apparet non propter futurum, mulierem cognominatam, ad quam futurum non pertinebat. Eò accedit, quod ipse rationem eius nominis edidit. Cum enim dixisset, [e] *Vocabitur mulier*, addidit, *Quoniam ex viro suo sumpta est*, & ipso adhuc virgine. Sed dicemus & de viri nomine suo loco. Nemo itaque nomen ad prophetiam interpretetur, quod ex alia significatione deductum est: præsertim cum appareat, vbi de futuro nomen acceperit, illic scilicet, vbi Eua cognominatur, personali jam vocabulo, quia naturale præcesserat. Si enim Eua mater viuentium est, ecce ex futuro cognominatur, ecce vxor & non virgo prænunciatur. hoc erit vocabulum nupturæ. Ex nupta enim mater. Ita hic quoque ostenditur non de futuro mulierem tunc nominatam, quæ postmodum acceptura erat futuræ conditionis suæ nomen. Responsum satis est ad hanc partem. Videamus nunc si & Apostolus formam vocabuli istius secundum Genesim obseruet, sexui deputans illud, sic mulierem vocans virginem Mariam, quemadmodum & Genesis Euam. Scribens enim ad Galatas, [f] *Misit*, inquit, *Deus filium suum factum ex muliere.* quam vtique virginem constat fuisse, licet Hebion resistat. agnosco & Angelum Gabrielem ad virginem missum. Sed cum [g] *benedicit illam, inter mulieres*, non inter virgines deputat: Benedicta tu inter mulieres. sciebat & angelus mulierem, etiam virginem, dici. Sed & ad hæc duo ingeniosè quidam respondisse sibi visus est, Quoniam quidem desponsata est Maria, idcirco & ab angelo & ab Apostolo mulierem pronuntiatam. desponsata enim, quodammodo nupta. Tamen inter quodammodo, & verum, satis interest dumtaxat hoc in loco. Nam alibi ita sanè habendum est. Nunc verò non quasi jam nuptam mulierem Mariam pronuntiauerunt, sed quasi nihilominus feminam, etiamsi non sponsam, quasi hoc à primordio dictam. Illud enim præiudicet necesse est, à quo forma descendit. Ceterùm quod pertineat ad hoc capitulum, si hîc desponsatæ adæquatur, vt ideo mulier dicta sit Maria, non qua femina, sed qua marita, jam ergo Christus non ex virgine natus est, quia ex desponsata, quæ virgo esse desierit hoc nomine. Quod si ex virgine natus est, licet ex desponsata, tamen integra, agnosce mulierem etiam virginem, etiam integram dici. Hîc certè nihil propheticè dictum videri potest, vt futuram mulierem, id est, nuptam Apostolus nominarit, dicendo, [h] *factum ex muliere.* Non enim poterat posteriorem mulierem nominare, de qua Christus nasci non habebat, id est, virum passam: sed illa quæ erat præsens, quæ erat virgo, & mulier vocabatur per vocabuli huius proprietatem, secundùm primordij formam, virgini, & ita vniuerso mulierum generi defensam.

b Gen. 2. 24.
Gen. 2. 20
Gen. 2. 25.
c Gen. 23.
Ibid.
d Gen. 2. 24.
e Ibid. 23.
Cap. VI.
f Gal. 4. 4.
g Luc. 1. 28
h Gal. 4. 4.

MVLIER. 1. SCHOL.

NOMEN VSVRPANT. Communiter authores, soli nuptæ, non autem Virgini, nomen mulieris applicant. GRADVM SEXVS, nuptam vel viduam. CENSEANTVR, computentur, includantur. SECVNDI HOMINIS, quia Eua post Adamum, ex Adami costa à Deo facta. ADHVC FOELIX, quia in statu innocentiæ. VOCABITVR. Gen. 2. 23. dixitque Adam; hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Sanct. Pagn. ex Hebr. vocabitur Virissa. 70. & Chald. Hæc vocabitur mulier. INGENIOSE. Ironicè dictum. RESIGNASSET, à viro cognita soluisset sigillum virgineum. QVOD INTEREA, donec eiecta paradiso virum cognosceret, quomodo vocata est, dum qualitatem gereret virginis? qua B causa, ut futura tantum uxor, jam tamen nomen haberet mulieris, & in præsenti dum virgo esset nullum haberet nomen, cum Adam statim nomen dederit animalibus? CVI CONDITIO, nomini scilicet, qualitas, & proprietas cuiusque animalis responderet. ATQVIN, atqui QVOTIENSCVMQVE, quotiescumque scilicet ut subiicit; antequam nupta esset, & Virgo cum esset, numquam virgo appellata est, sed semper mulier. ET QVANDO, & maximè, cum nil propheticè scriptura dixit, simpliciter mulier est appellata: ut cum Gen. 2. 25. Erat autem vterque nudus, Adam scilicet & vxor eius: ita & Hebr. & Chald. 70. verò: & erant ambo nudi Adam & mulier eius, & non confundebantur. SAPIT, sapienter non intelligitur de futuro. QVASI MVLIEREM, C quasi verò propheticè tum scriptura diceret futuram uxorem. SED QVONIAM, ideo dicta est mulier eius, quanquam adhuc virgo, quia de eius costa educta, in bonis & substantia eius & possessione eius, & mulier eius censenda erat. Ideo dixit; hoc nunc os, &c. HINC ERGO, &c. id est deinceps factum est, natura duce, ut anima ad imaginem Dei facta dignitas, & placitum, in usum hominum induxerit, ut nomen mulieris propriè tantum de nupta diceretur, quæ tamen vox naturalis non est, sed impropria; cùm Adam omnibus sapientior, ei connaturale nomen magis imposuerit, & Euam adhuc virginem, mulierem nominauerit. NAM ET GRÆCI, id est ipsi etiam Græci, quamuis habeant propria vocabula, quæ significent uxores; qualia sunt, γαμετὴ, σύνευνος, D ἄλοχος, &c. Nec mirum ergo, si Latini impropriè utantur hoc nomine, cum etiam Græci cum hac improprietate usurpent, uxores suas vocando mulieres. SED MALO, &c. Nunc, inquit, & hunc usum, quo nuptas, dicimus mulieres, non tam ex libito hominum fluxisse dico, quàm ex ipso modo loquendi scripturæ. VBI ENIM, &c. nam cum in Genesi sit sermo de primo matrimonio, & dicitur: & erunt duo in carne vna, hoc nunc os ex ossibus meis, SECVNDVM ORIGINEM. Iuxta primum nomen quod accepit ab Adam virgo Eua, cum dicta est mulier, accepit idem nomen juxta 70. cum uxor dicitur, & de substantia costæ facta est ei uxor. ITA MVLIER, sic fit ut hoc nomen mulier non sit primum, naturale, originale, nomen uxoris; sed dum condita, & facta E est uxor, vel ob conditionem nuptialem, retinuerit in scriptura nomen generale mulieris. DENIQVE MVLIER. Tandem quia hoc nomen genericum est, etiam virgo innupta, dici potest mulier. NON MVLIER, &c. id est quæ non est sexus muliebris, non potest vocari uxor. Sicut enim potest esse animal, licet non sit homo; sic potest esse mulier licet non sit uxor & nupta. Et sicut dici non potest homo, nisi sit animal; sic nec appellari potest uxor nisi sit fœminini generis, & mulier. CONSTITVTO IGITVR. Sequentia vide jam exposita V. matrimonium. 1. SI ITA RES EST, &c. Sic quod dictum est de relinquendo patre & matre propter uxorem, intelligi non potest de primis parentibus, qui patrem & matrem non habebant; Ma-

A nifestum est, neque nomen mulieris, primò datum Euæ ob futurum matrimonium, quod volebant aduersarij. EO ACCEDIT. Confirmatur inde amplius, nomen mulieris non impositum ob futuras nuptias, quia statim Adam & ipse tum virgo rationem reddidit, quòd hæc mulier de viro sumpta esset. VBI DE FVTVRO, patet quando prima fœmina nomen sumpserit à futuro negotio matrimonij; tum enim hæc persona proprio nomine & non generali vocata est Eua, (cùm jam naturale, hoc est originis nomen accepisset, dicta mulier quod esset sumpta de viro.) Eua igitur de futuro dicta, quia à viro cognoscenda, futura erat mater viuentium, & prolem nupta jam mater susceptura. DE FVTVRO MVLIEREM, tunc quoque, & non prius mulier de futuro potuit nominari qua conditionis nuptæ scilicet, nomen acceptura erat. C. vi.

VIDEAMVS NVNC. Non sufficit probasse ex veteri Testamento, mulieris nomen commune esse, tam virgini quam nuptæ; sed & confirmat authoritate Pauli & Lucæ. SEXVI DEPVTANS, applicans in genere toti sexui fœminino. Aug. & Genesim & Paulum jungit, eodem S. Aug. sensu quo Tertull. ser. 63. de Ver. Domini sec. Ioannem: ostendat nobis S. Apostolus, quomodo natiuitatem filij pater operatus sit. Gal. 4. Cùm autem venit, inquit, plenitudo temporis, misit Deus filium suum, in terris natum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret. Audistis, & quia plenum & apertum est, intellexistis. Ecce pater fecit filium nasci de virgine. Cùm enim venisset plenitudo temporis, misit Deus filium suum, vtique pater Christum. Quomodo eum misit? factum ex muliere, factum sub lege. Fecit eum ergo pater ex virgine, sub lege. An fortè hoc mouet, quia de virgine dixi, & Paulus dicit ex muliere? non moueat, non immoremur. Neque enim rudibus loquor. Vtrumq; scriptura dicit, & ex virgine, & ex muliere. Ex virgine quomodo? Esa. 7. Ecce Virgo in vtero accipiet, & pariet filium. Ex muliere autem, sicut audistis. non est contrarium. proprietas enim locutionis hebrææ, mulieres, non corruptas virginitate, sed & fœminas appellat. Habes euidentem scripturam Geneseos, quando ipsa primò facta est Eua, formauit eam in mulierem. Dicit enim alio loco scriptura num. 31. jubere Deum, separare mulieres, quæ non cognouerunt cubile viri. LICET HEBION. Aug. lib. de Hæresibus, hæresi 10. Hebionei Christum tantummodo hominem dicunt. Mariam item non virginem asserunt. Tertull. de Præscr. cap. 48. ubi de Corintho, cuius successorem dicit Hebionem, & prædecessorem Harpocratem; cuius fuit hæc sententia: Christum non ex Virgine Maria natum, sed ex semine Ioseph, hominem tantummodo genitum. NON INTER VIRGINES, non vocat eam virginem, sed mulierem; quia multò adhuc doctior homine Angelus, sciebat usu scripturæ, etiam virginem mulierem appellari. DVMTAXAT HOC LOCO, ubi scilicet sermo est de B. Maria, in qua multum differt nomen desponsatæ, à nomine nuptæ. Nupta enim apud aliquos patres, strictè illa dicitur, quæ matrimonium consummauit; sponsa verò, licet ratum sit matrimonium, si non est consummatum, nupta non dicitur. Paulus verò & Lucas, mulierem dicunt Mariam, non quasi nuptam consummato matrimonio, sed tanquam fœminam. licet enim nunquam fuisset desponsata, non minus appellassent mulierem, sicut initio mundi Eua creata Virgo, vocata est mulier. PRÆIVDICET. Debet, inquit, nomen mulieris quasi præiudicata authoritate præcedere alia nomina, illud quod prima mulieri impositum est, & à qua velut forma & exemplari cætera dicuntur mulieres. ADÆQVATVR, comparatur Virgo Maria nuptæ, ut ideo mulier appelletur, non in quantum nomen est gene-

uale fœmina, sed in quantum nupta fuit. Sequela est hæretica; sequeretur enim, Christum non ex virgine natum esse, quia natus est de nupta, nomine enim mulieris sumptæ vt volunt, pro corrupta, virgo desierat esse, cum facta A *est mulier.* Desponsam. *assertam, adiudicatam, vt Eua adhuc virgini: sic secundum eius exemplum intellige omni mulierum generi nomen mulieris propriè attributum. Vide dicta nomen. 2.*

2. Mulier, & virgo, quomodo apud Apostolum distinguantur; & dicatur mulier diuisa. De Vel. virg. cap. 4. in m.

ª Diuisa est, inquit, *mulier* & virgo quare? *quoniam innupta*, id est virgo, *cogitat ea quæ sunt Domini, vt sit sancta, & corpore & spiritu. Nupta autem*, id est, non virgo, *cogitat quomodo placeat viro.* Hæc erit interpretatio diuisionis illius, nullum habens locum in isto capitulo, in quo neque de nuptiis, neque de animo & cogitatu mulieris & virginis, pronunciatum, sed de capite velando. Cuius nullam volens esse discrepationem, Spiritus sanctus vno nomine mulieris, etiam virginem intelligi voluit, quàm propriè non nominando, à muliere non separauit, & non separando, conjunxit ei, à qua non separauit. ª 1. Cor. 7. 34.

MVLIER. 2. SCHOL.

Divisa est. *Illud prima Cor. 7. 34. vbi Paulus apertè distinguit inter mulierem nuptam, & virginem frustra adfertur ab aduersario Tertulliani; quia in hoc capite nullo modo agit de velandis mulieribus, de quo est quæstio in hoc Tertulliani capitulo. Vnde consulendus est Apostolus; quem pro se citat Tertullianus, dum indifferenter sub nomine mulieris omnem sexum fœmineum comprehendit, siue sint virgines, siue nuptæ. Sic enim 1. Cor. 11. 3.* Volo vos scire quod omnis viri caput Christus est: caput autem mulieris, vir: caput verò Christi Deus. Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum. omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite deturpat caput suum, &c. *Vbi vides de omni penitus sexu mulierum loqui. At 1. Cor. 7. non diuidit appellationem tantum, hinc virginem & innuptam, inde vxorem vocans, sed & officia vtriusque diuidit. Imo verò integram Deo vacare virginem ait, vxorem verò diuisam solicitudine, partim mundi, partim Dei. Sic enim 1. Cor. 7. 32.* Volo vos sine solicitudine esse. qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & Spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo pla- B ceat viro. *Aug. to. 4. lib. de bono viduitatis cap. 19. (quem librum stulta censura perstrinxit Erasmus, cum Venerabilis Beda sæpius, scribens in Epistolas Pauli, legitimum Augustini fœtum agnoscat, & in hunc maximè locum.)* Aurem, inquit, inclinemus Apostolo; quæ innupta est, inquit, solicita est ea quæ sunt Domini, vt sit sancta & corpore & spiritu: quæ autem nupta est, solicita est quæ sunt mundi, quomodo placeat viro: non ait, solicita est ea quæ sunt mundi, vt sancta non sit; sed certè minor est eâ coniugalis sanctitas ex ea parte curarum, qua mundana cogitatur voluptas. quidquid itaque intentionis animi etiam his rebus impenderetur, quibus placendum esset viro, colligere quodam modo & redigere debet C innupta Christiana, in eam intentionem, qua placendum est Domino: & videat cui placeat, quæ Domino placet: & vtique tantò est beatior, quantò plus placet ei; quantò autem magis cogitat ea quæ sunt mundi, tantò minus placet. Animo et cogitatv, *in quo de velo tantum mulierum agit, non verò de proposito virginitatis, & cogitatione mundi, vel Dei.* Cvivs nvllam, &c. *supple capitis velandi, nullum discrimen posuit Spiritus sanctus loquens per Paulum, sub mulieris nomine generali, tam de virgine quam de nupta.* Qvam proprie, &c. *quam virginem, suo hoc proprio nomine, non distinxit à muliere.* S. Aug.

3. Mulier quandoque grauida sibi videtur, & non est. 3. cont. Marc. cap. 11. in m.

Mvlierculæ nonnunquam prægnantes sibi videntur, aut sanguinis tributo, aut aliqua valetudine inflatæ.

MVLIER. 3. SCHOL.

Prægnantes, *grauidæ, & iam occupatæ in generando quod conceperunt.* Sangvinis tribvto, *ordinario sanguinis menstrui fluxu retento, quo alitur fœtus in vere prægnantibus. Aug. lib. 16. de Ciuit. cap. 28. vbi de Sara:* Illa etiam sterilis, & cruore menstruo iam destituta, propter quod iam parere non posset, etiam si sterilis non fuisset. *Aristoteles vult hanc esse materiam generationis fœtus. Videndus lib. 7. de hist. Anim. c. 2. & Plin. lib. 7. cap. 15. Hinc conceptio Isaac de Sara miraculosa, quia teste Moyse,* Saræ desierant fieri muliebria: *id est fluxus menstrui.* Valetvdine, D *infirmitate aliqua. Cæterùm, vt aliquid hinc morale eliciam: sicut ex Patribus Græcis quædam aues oua de vento concipiunt, dicta Hypenemia, id est subuentanea: sic multæ animæ sibi videntur aliquando prægnantes, de Spiritu sancto quasi grauidæ, si fortè fluxum sanguinis menstrui, id est ordinarios lapsus peccati cohibeant; siue aliter amore proprio & vento superbiæ inflata. Sed nihil solidæ virtutis excludunt. De quibus Propheta dixit;* Venerunt vsque ad partum, & non erat virtus pariendi. S. Aug.

4. Mulieris grauidæ onera sub judicij tempus. De Monog. cap. 16. in f.

Non recogitantes ª *væ illud prægnantibus & lactantibus* multò grauius & amarius euenturum in concussione totius mundi, quàm euenit in vastatione vnius particulæ Iudææ. Satis opportunos nouissimis temporibus fructus iteratis matrimoniis colligant, vbera fluitantia, & vteros nauseantes, & infantes pipiantes. Parent Antichristo in quæ libidinosius sæuiat. Adducet illis carnifices obstetrices. ª Luc. 21. 23.

MVLIER. 4. SCHOL.

SATIS OPORTVNOS, &c. *Ironicè.* NOVISSIMIS *sub tempus iudicii.* ITERATIS, *repetitis secundò vel tertiò nuptiis.* VBERA, &c. *Hi sunt fructus & onera nuptiarum valdè importuna Antichristi tempore, cùm hic Herode longè crudelior in pueros. seipsos suo gemitu & clamore prodentes, sit saeiturus:* PIPIANTES. *Iuxta Festum pipiatio clamor est plorantis. Tertull. contra Valent. c. 15. ubi de lachrymis Achamoth,* Cœlestes imbres pipiauit Achamoth. CARNIFICES OBSTETRICES. *Crudeliores obstetricibus Ægypti, quæ saltem mendacio officioso masculos Hebræorum contra Edictum Pharaonis conseruarunt, dicentes,* Hebræas mulieres habere obstetricandi facultatem: *de quibus Augustinus libro contra mendacium cap. 15. ubi & de Rahab mentita pro Exploratoribus:* Non est in eis remunerata fallacia, sed beneuolentia: benignitas mentis, non iniquitas mentientis. *Quod attinet ad tempus illud extremum, quo Christus ipse grauidis imprecatus est, sic Aug. in Psal. 95.* Quoniam venit iudicare terram, &c. væ tunc prægnantibus & mammantibus: audistis modò in Euangelio, Cauete quia nescitis qua hora veniat: in figura dicta sunt. *Tertullianus ad litteram sumit, nec importunè ob onera grauia tam calamitoso tempore & persecutione tam crudeli.* Quæ sunt prægnantes, & quæ sunt lactantes? prægnantes animæ dicuntur, quæ habent spem in sæculo. Quæ autem adeptæ sunt jam quod sperabant, pro lactantibus sunt positæ. verbi gratiâ, emere vult villam, prægnans est: nondum enim factum est, tumet vterus in spe. Emit, peperit. Adeò lactat quod emit. Væ prægnantibus & mammantibus, væ qui spem habent in sæculo: væ qui hærent his rebus quas de sæculo pepererunt. Quid ergo debet facere Christianus? Vti mundo, non seruire mundo. Quid est hoc? habentes, tanquam non habentes. Sic dicit his, sic hortatur, quos non vult inueniri à die illa tanquam prægnantes & mammantes, Sic eos hortatur 1. Cor. 7. de cætero, fratres, tempus breue est: reliquum est vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint, &c. & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtentes; præterit enim figura huius mundi: volo vos sine solicitudine esse. Qui enim sine solicitudine est, securus expectat quando veniat Dominus ipsius. Nam qualis amor est Christi, timere ne veniat? Fratres, non erubescimus? Amamus, & timemus ne veniat? Certè amamus, an peccata nostra (*& res quibus hæremus sæculo, & relinquere timemus*; plus amamus? Ergo ipsa oderimus peccata, & amemus eum qui venturus est ad puniendâ peccata. *Vide eundem in Psal. 39. circa finem, vbi habet multa pulcherrima.*

(Margin: A, B; S. Aug., S. Aug.)

5. *Mulieri multum debet homo, pro oneribus grauedinis, &c. De car. Chri. cap. 4. in p. V. Christi caro. 18.*

6. *Mulier prægnans, sæpe plures filios vtero continet, vna multorum parens. De Ani. cap. 6. in f.*

TAle aliquid opinor ei accidit, quum duo vnum corpora negauit, alienatus à prospectu & recogitatu prægnantum, quæ non singula quotidie corpora, sed & bina & terna in vnius vteri ambitu perferunt. Inuenitur etiam in jure ciuili Græca quædam, quinionem enixa filiorum, semel omnium mater, vnici fœtus parens multiplex, vnici vteri puerpera numerosa, quæ tot stipata corporibus, pænè dixerim populo, sextum ipsa corpus fuit. Vniuersa conditio testabitur, corpora de corporibus processura, jam illic esse vnde procedunt. secundum sit necesse est, quod ex alio est. nihil porro ex alio est, nisi dum gignitur, duo sunt.

MVLIER. 6. SCHOL.

TALE ALIQVID. *Loquitur hîc de Chrysippo, de quo immediatè dixeras:* Sic Chrysippus ad Elleborum. *Qui cùm suasmet ipse sententias non satis intelligeret, infirmitatem cerebri in causam adducebat. Vnde vt acriori sensu vigeret Ellebore se purgabat: hîc ergo eum carpit, quod nec intelligeret quod dicebat,* duo simul corpora esse non posse, *non recogitans quid in prægnantibus quotidie accidat, quæ non vnum tantùm fœtum, sed & interdum plures in vno vtero contineant,* IN IVRE CIVILI. *l. 3. ff. si pars hæred. petat. Sic Paulus Iurisconsultus:* Traditum est & quatuor pariter puellas à matrefamilias natas esse. Aliqui tradidere non leues Authores quinquies quaternos enixam Peloponesi, multas Ægypti vno vtero septenos. *Casus item lib. 1. fideicommiss. l. 7. ff. de rebus dubiis.* Et nostra quidem ætate Serapias Alexandrina mulier ad D. Hadrianum perducta est cum quinque liberis, quos vno fœtu nixa est. *Et hoc intelligit Tertullianus per Quinionem filiorum. Albertus Magnus narrat, mulierem Germanam singulis annis vno partu similem quinionem peperisse vsque ad sexaginta. Tatianus contra Græcos:* Quid ad me Periclymeni opus muliercula, quæ vno partu infantes triginta peperit, quod plerique miraculum putant? Cùm potiùs magnæ intemperantiæ fructus hîc existimari deberet, & illa abominabilis videri, vtpote similis Strophæ Romanæ, quæ itidem propter euentum similem, sacrum quemdam cultum consecuta fertur, *Guicciardinus in Belgia sua, & Fulgosius lib. 1. cap. 6. narrat sub Henrico Imperatore, Margaritam Hollandiæ Comitissam 360. liberos viuos vno partu effudisse, Baptismo regeneratos. Nobilior certè anima fœcunda spiritualibus partubus, quàm tot mulier grauida fœtubus. Cui vtinam potenti Spiritus sancti semine in terra, numerosa virtutum proles adgeneretur, supra stellas cœli in gloria multiplici coronanda. Vt sicut ex Trogo, ob fœcundum Nili potum, septemplici gurgite in mare defluentis, Ægyptiæ mulieres interdùm septem concipiunt, & producunt: sic ex septemplici Spiritus dono, vniuersitatem bonorum operum anima parturiat. Aug. de spirituali sobole pulchrè in Ps. 102.* Et iustitia eius super filios filiorum, Retributionem dicit super filios filiorum. Quàm multi sunt serui Dei non habentes filios; quantò minùs filios filiorum? Sed filios nostros, dicit opera nostra, filios filiorum, mercedem operum nostrorum. Iustitia eius super filios filiorum. *Gratia autem super filios; sic & Paulus misericordiam consecutus vt esset fidelis, & coronam iustitiæ assecutus, quia Deus verax & fidelis, & iustus iudex.* Custodientibus testamentum eius, & memoria retinentibus mandata eius, vt faciant ea: *sic enim legit cum 70.* iustus, ad verbum, legem non tenet. Sed vide vt præcepta teneas. Sed quomodo teneas? non memoriâ, sed vitâ. Quis tenet

(Margin: C, D; S. Aug.)

omnia mandata Dei? &c. noli timere, non te onerat: in duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ, &c. Quancumque paginam interrogaueris, hoc tibi respondebit, quod tenes, tene: charitatem tene, finis præcepti est charitas. Noli cogitare de multitudine ramorum, radicem tene, & tota arbor in te est. *& fructus omnis. Sic & in Can. oues ascendentes de lauacro Baptismi, & sanguinis Christi poculo, omni Nilo fœcundiore*, omnes gemellis fœtibus, *hoc est dilectione Dei & proximi*, & sterilis non est inter eas. *Vide rursùm de filiis filiorum Aug. in Psal. 127. circa finem, vbi habet pulcherrima.* STIPATA CORPORIBVS, *confertis coangustata fœtibus.* VNIVERSA CONDITIO, *omnia totius vniuersi animalia, quorum è corporibus, sicut ex mulieribus fœtus conclusi procedunt*, vel conditio, *id est omnis creatura*, S. Aug.

A *in iudicio, absorpta hominum corpora, quæ in se continebat, eusmet.* SECVNDVM SIT, *aliud ab eo, vnde exit.* NISI DVM GIGNITVR, *censetur enim infans in vtero idem esse cum matre, ob connexum neruis vmbilicaris.* DVO SVNT, *dum genitum corpus à genetrice procedit. Aduerte mentem Authoris esse, vt probet, iuxta errorem suum, animam esse corpoream, & contra Chrysippum agere, negantem duo corpora simul esse posse; & ipse Tertullianus animam corpoream fingat, per totum corpus intimè effusam. Contrà Chalcidius in Timæum Platonis:* Quia duplex essentia est, altera corporea, altera carens corpore, consequenter docebimus, quòd sit anima essentia carens corpore, quòd penetret atque viuificet, vt dulcedo, quæ peruadit melleum corpus, vt lux, quæ corpus aëreum penetrat.

7. *Mulier luxuriosa crudelis in suos fœtus, Dei judicio reuelabitur. De vel. Virg. cap. 14. in m.*

SI intectum caput virginitati ascribitur, si qua virgo exciderit de gratia virginitatis, ne prodatur, intecto permanet capite: & tunc jam alieno ambulat habitu, id est quem sibi vindicat virginitas: permanet nihilominùs in habitu, vel tunc saltem alieno, ne scilicet mutatione prodatur. Consciæ mulieritatis jam indubitatæ, audent nudo capite ad Deum adire. Sed æmulator Deus & Dominus, qui dixit, [a] *Nihil occultum quod non reuelabitur*, plerasque etiam in conspectum deducit. Non enim confitebuntur, nisi ipsorum infantium suorum vagitibus proditæ. Quantum autem plures, non etiam de pluribus sceleribus suspectas habebis? Dicam, licet nolim, difficile mulier semel fit, quæ non timet fieri, quæque jam facta potest virginem mentiri sub Deo. Quanta item circa vterum suum audebit, ne etiam mater detegatur? Scit Deus quot jam infantes & perfici & perduci ad partum integros duxerit, debellatos aliquandiu à matribus. Facillimè semper concipiunt, & felicissimè pariunt huiusmodi virgines: & quidem simillimos patribus. Hæc admittit flagitia coacta & inuita virginitas.

a Matth. 10. 26.

MVLIER. 7. SCHOL.

INTECTVM CAPVT, *non velatum, si nota est virginalis.* NE PRODATVR; *assumpto velo jam non virginem, sed corruptam se probet; quod ex Paulo mulier debeat esse velata.* PERMANET NIHILOMINVS. *Repetitio est prioris partis, nec sapit Tertullianum, ex glossa fortè aliqua irrepsit in textum.* MVLIERITATIS. *alij, muliebritatis. Certæ, se rem muliebrem admisisse, & corruptas esse.* INDVBITATÆ, *alij legunt* indubitatè, *audent*, &c. *Temerè templum ingrediuntur, orant sine velo.* ÆMVLATOR, *zelator castitatis & veritatis.* IN CONSPECTVM. *manifestas & reuelas* MVLIER SEMEL, *vix vnâ tantummodo vice corrumpitur.* QVÆ NON TIMET. *pudore enim sublato, & gustatâ semel libidine ad relapsum reuoluitur. Alij legunt*, quæ timet fieri. *Et intelligunt de his quæ hoc tantùm timent & cauent, ne corrumpantur, frustrantes, & effundentes semen extra vas, de cætero omni spurcitie vacant.* QVÆQVE IAM FACTA, *supple mulier, per consensum & actum*

B *integræ corruptelæ* SVB DEO, *in Dei præsentia, in eius templo, orans sine velo in habitu virginis, mentiens se virginem.* AVDEBIT, *attentabit, vt fœtum in vtero enecet, vel formari impediat.* DEBELLATOS. *Sic bellum contra innocentes gerunt. Sed, vt ait, id scit Deus, qui & in præsenti nunc, reuelat crimina, & in iudicio reuelabit. Aug. de Castitate coniugali ser. 3. qui est 244. de temp.* Nulla mulier potationes ad abortum accipiat, nec filios aut conceptos, aut jam natos occidat. quia quæcunque fecerit hoc, ante Christi tribunal sciat se illic eorum causam, quos occiderit C esse daturam. FACILLIME, *quia vt ait Salomon*, aquæ furtiuæ dulciores sunt, *& virgines, ex mera libidine, non ex assueto thoro faciliùs fœliciùsque concipiunt.* SIMILLIMOS PATRIBVS. *ob affectum imprimitur fœtui similitudo patris.* COACTA, *plerumque à parentibus, qui filias nubere nolunt. Vide dicta fusiùs tom. 1. parte 2. de coniugali debito, & actu.* S. Aug.

8. *Mulier Salomonem traxit ad idololatriam. 5. cont. Marc. cap. 9. circa f.*

[a] B*Enedictum nomen gloria eius, & replebitur vniuersa terra gloria eius.* Contrà, Salomon (audeo dicere) etiam quam habuit in Deo gloriam, amisit per mulierem in idololatriam vsque pertractus.

a Psal. 71. 19.
3. Reg. 11. 4.

MVLIER. 8. SCHOL.

BENEDICTVM NOMEN, *Psalm. 71. 19.* Et benedictum nomen maiestatis eius in æternum, & replebitur maiestate eius omnis terra, fiat, fiat. *Tertull. secutus 70. Et quidem titulus Psalmi habet:* In Salomonem. *vel apud 70.* Ipsi Salomoni. *Sed Tertull. non tam figuranti, quàm figurato conuenire probat. Plusquàm inquam Salomoni Christo, quia Salomon per mulieres ad idololatriam impulsus est, vt jam alibi diximus. Aug. lib. 17. de Ciuit. c. 8.* hanc tam grandem

D promissionem qui putat in Salomone fuisse completam, multùm errat. Attendit enim quod dictum est. hic ædificabit mihi domum; quoniam Salomon templum illud nobile struxit, & non attendit, *scriptum scilicet 1. Paral. 17.* fidelis erit domus eius & regnum eius vsq; in æternum coram me. Attendat ergo & aspiciat Salomonis domum plenam mulieribus alienigenis colentibus Deos, falsos & ipsum ab eis Regem aliquado sapientem in eandem

S. Aug.

idololatriam seductum atque deiectum, &c. Psal-A etiam 71. titulo nominis eius inscriptus est, in tam multa dicuntur, quæ omninò ei conuenire non possunt, Domino autem Christo aptissima perspicuitate conueniunt, vt euidenter appareat, quòd in illo figura qualiscunque adumbrata sit, in isto autem ipsa veritas præsentata. *De Salomone per mulieres seducto, vide Augustinum in titulum Psal. 126.* S. Aug.

MVLIERVM ORNATVS.

I. Mulier causa ruinæ hominis non ornatum, sed Euæ luctum, & habitum pœnitentiæ sumere debet. 1. De cultu fæm. cap. 1. in p. ad m.

SI tanta in terris moraretur fides, quanta merces eius expectatur in cœlis, nulla omnino vestrûm, Sorores dilectissimæ, ex quo Deum viuum cognouisset, & de sua, id est, feminæ conditione didicisset, lætiorem habitum, ne dicam gloriosiorem appetisset, vt non magis in sordibus ageret, & squalorem potius affectaret, ipsam se circumferens Euam lugentem & pœnitentem, quò plenius id quód de Eua trahit (ignominiam dico primi delicti, & inuidiam perditionis humanæ) omnis satisfactionis habitu expiaret. [a] *In doloribus & anxietatibus paries mulier, & ad virum tuum conuersio tua, & ille dominabitur tui.* & Euam te esse nescis? Viuit sententia Dei super sexum istum in hoc seculo; viuat & reatus necesse est. Tu es diaboli janua, tu es arboris illius resignatrix, tu es diuinæ legis prima desertrix, tu es quæ eum persuasisti quem diabolus aggredi non valuit. Tu imaginem Dei, hominem, tam facilè elisisti. Propter tuum meritum, id est mortem, etiam filius Dei mori habuit: & adornari tibi in mente est, super pelliceas tuas tunicas?

a Gen. 3. 16.

MVLIERVM ORNATVS. I. SCHOL.

MORARETVR. *Si qualis fuit in feruore nascentis Ecclesiæ fides: & castitas perseueraret.* DE SVA *suam.* IN SORDIBVS, *in habitu pœnitentis & squalide vitam duceret.* IPSAM SE *seipsam alteram Euam* LVGENTEM. *cuius & innocens partus Abel Cain, Hebraicè luctum sonat.* QVO PLENIVS, &c. *Vt non tantùm corde contrita & pœnitens, illud dolore scinderet: sed & vestimenta externa dissuta & sordida gestans, toto habitu Euæ luctuosæ & pœnitenti responderet.* IGNOMINIAM, &c. *Siue quòd delictum notum ignominiæ imprimat, siue quòd pudenda primò foliis tecta, tunicis pelliceis Deus obtexerit: siue tandem quòd hoc indumento vestita, pecudis mores, peccando, se ex habitu induisse cognosceret.* Homo enim cùm in honore esset, non intellexit, *ille scientiæ diuinæ appetitor,* comparatus est iumentis insipientibus, &c. *& ad immortalitatem nata, pellem mortalem induit. Hinc illud Authoris sub finem,* & adornari tibi in mente est, super pelliceas tuas tunicas. *Non te pudet, vel cogitare de ornatu corporis, memor primam parentem pro omni veste, post ficulnea folia, indutam pelle mortui animalis? vel super propria tua pelle mortali, bombycinas & sericas superinduere?* Tunicas *porro in plurali ponit, de more vtens Author, pro singulari, vel quòd & causa fuerit similis tunicæ Adamo vestiendæ. Quamquam Aug. ad literam has tunicas explicet lib. 11. de Gen. ad lit. c. 39.* Et fecit Dominus Deus Adæ & mulieri eius tunicas pelliceas, & induit eos. Et hoc significationis gratiâ factum est: sed tamen factum est: sicut illa quæ significationis gratiâ dicta sunt, sed tamen dicta sunt: *tamen l. 2. de Gen. contra Manich. c. 21. moraliter exponit.* Mors illa, quam omnes qui ex Adam nati sumus, cœpimus debere naturæ, quam minatus est Deus, cùm præceptum daret, ne arboris fructus ille ederetur: illa ergo mors in tunicis pelliceis figurata est. Ipsi enim sibi fecerunt præcinctoria de foliis fici, & Deus fecit illis tunicas pelliceas: id est, ipsi appetiuerunt mentiendi libidinem, relictâ facie veritatis; & Deus corpora eorum in istam mortalitatem corporis mutauit, vbi latent corda mendacia, &c. tandiu autem in paradiso fuerunt isti, quamuis jam sub sententia damnantis Dei, donec ventum esset ad pelliceas tunicas, id est, ad huius vitæ mortalitatem. Quo enim maiore indicio potuit significari mors, quam sentimus in corpore, quàm pellibus quæ mortuis pecoribus detrahi solent? INVIDIAM PERDITIONIS; *siue quod* inuidiâ diaboli mors intrauit in orbem terrarum; mors per fenestras intrauit, *Euæ, inquam, oculos; vnde & subdit,* Tu es diaboli ianua; *siue quòd in se odium concitauerit, ob ruinam generis humani, ad quam Adamum impulit; quem etsi diabolus primum aggredi non est ausus, ob virilem constantiam, per mulierem à se deceptam, affectu propriæ carnis, per vxorem cepit.* IN DOLORIBVS, *Gen. 3. 16.* Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos: In dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. 70. *verò,* Multiplicans multiplicabo tristitias tuas, & gemitum tuum: In tristitiis paries & filios, & ad virum tuum conuersio tua. & ipse tui dominabitur. *Aug. lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 37. secutus quoque 70.* Refertur hæc pœna ad proprietatem literæ: Nisi quia, id quod dictum est, & ad virum conuersio tua, &c. videndum est quemadmodum propriè possit accipi. Neq; enim & ante peccatum, aliter factam fuisse decet credere mulierem, nisi vt vir ei dominaretur, & ad eum ipsa seruiendo conuerteretur, sed rectè accipi potest hanc seruitutem significatam, quæ cuiusdam conditionis est *seruilis* potiùs, quàm dilectionis: vt etiam ipsa talis seruitus, quâ homines hominibus posteà esse serui cœperunt, de pœna peccati reperiatur exorta: dixit quidem Apostolus Gal. 5. per charitatem seruite inuicem: sed nequaquam diceret, inuicem dominamini; possunt itaque coniuges per charitatem seruire inuicem, sed mulierem non permittit Apostolus dominari in virum, 1. Tim. 2. hoc enim viro potiùs Dei sententia detulit: & maritum habere dominum meruit mulieris non natura, *æqualis* sed culpa. *A muliere enim initium peccati, quæ prima summi Domini iugum excussit,* quod tamen nisi seruetur, deprauabitur ampliùs natura, & augebitur culpa. *Vide morale huius loci apud Aug. to. 1. lib. 2. de Gen. contra Manich. cap. 19. per totum.* EVAM TE. *mulierem esse similem, hominis tentatricem, Euæ sententiæ subiectam.* VIVIT, *viget adhuc.* REATVS, *obligatio ad pœnam & pœnitentiam restat, & perstat, quia sententia Dei inuiolata non est, vt nec irrita.* ARBORIS RESIGNATRIX, *violatrix & solutrix signaculi præcepti, quo velut clausa erat arbor.* FILIVS DEI, &c. *Licèt*

S. Aug. (margin, beside "significationis gratiâ factum est")
S. Aug. (margin, beside "tus est Deus")
S. Aug. (margin, beside "Refertur hæc pœna")
S. Aug. (margin, beside "REATVS")

Eua prior peccauerit, non tamen ex ea peccatum originale & mors, sed ex Aug. à morsu Adami in omnes mors A *vtraque fluxit, cuius debitum Christus... morte soluere debuit, supposito decreto diuino.*

2. *Mulier sine stola, prostituta censetur. de Pall. cap. 4. à m.*

CONuerte & ad feminas, habes spectare quod Cæcina Seuerus grauiter Senatui in pressit, *matronas sine stola, in publico.* Denique Lentuli Auguris consultis, quæ ita sese exauctorasset, pro stupro erat pœna: quoniam quidem indices custodesque dignitatis habitus, vt lenocinij factitandi impedimenta, sedulò quædam desuefecerant. At nunc in semetipsas lenocinando, quò planius adeantur, & stolam, & supparum, & crepidulam, & caliendrum, ipsas quoque jam lecticas, & sellas, queis in publico quoque domesticè ac secretè habebantur, eierauere. Sed alius extinguit sua lumina, alius non sua accendit. Aspice lupas popularium libidinum nundinas, ipsas quoque fictrices, & si præstat oculos abducere ab eiusmodi propudiis occisæ in publico castitatis, aspice tamen vel sublimis, jam matronas videbis.

MVLIERVM ORNATVS, 1. SCHOL.

CONVERTE. *Oculos scilicet, & aduerte, quanta sit facta mutatio modesti cultus muliebris, in lubricum.* HABES SPECTARE, *potes cernere idipsum, quod Cæcinna Seuerus graui oratione coram Senatu inculcauit, Matronam scilicet absque stola corpus modestè contegente,* IN PVBLICO, *pro publica, & prostituta habendam esse.* CONSVLTIS *responsis, oraculis.* EXAVCTORASSET, *deiecisset, deposuisset de gradu. Miles exauctoratus dicebatur cum iniuria dimissus ab exercitu. Vox iuris significans insignia militaria detrahere, l.4. §. non omnis. ff. de re militari. l. 29. ff. de liber. caus. Vlp. l. 2. §. 2. ff. de his qui not. infam.* Sed & si eum exauctorauerit, id est, insignia militaria extraxerit, inter infames efficit. PRO STVPRO æquali pœna digna sancita est, huius auguris sententià, mulier sine stola, ac si stuprum commisisset. DIGNITATIS, *castitatis matronalis.* IMPEDIMENTA. *Quia stola est habitus oblongus & modestus lenocinio factitando & libidinis commercio repugnans.* SEDVLÒ QVÆDAM; &c. *aliquæ Matronæ libidinis exercendæ studio huiusmodi vestem tempore Lentuli Auguris abiecerant; & ab hoc vsu desierant.* AT NVNC, *tempore scilicet Tertull. mulieres seipsas prostituendo, vt faciliùs ex veste lubrica cognitæ ab hominibus adeantur, non solùm stolam, vestem externam oblongam, sed &* supparum, *id est; interiorem tunicam lineam (vestimentum puellare lineum est Festo.)* CREPIDVLVM ET CALIENDRVM. *Vtrumque est capitis ornamentum. Crepidulæ autem siue crepidulum dictum quòd in motu capitis crepitum edat. Dicam ego crepidulam, quòd sicut plantarum calces extremæ, crepidulâ tegebantur, cætero pede, penè nudo; sic leuiter crepidinem capitis crepidula obtegeret.* Caliendrum *Gallicè* perruque, *ornatus muliebris capitis. Et quidem Matronalis. &* SELLAS, *gestatorias* DOMESTICE. *quasi domi conclusæ, in publicum prodibant, inuisæ & inaccessæ,* EIERAVERE *penitùs abiecerunt, & quasi præstito iuramento se his ampliùs non vsuras proposuerunt.* SED ALIVS, *Quid faciam ad hæc? aut quid dicam? nisi quòd Matrona splendorem vestis modesta, quâ velut indice lumine proprio dignoscebatur, mutata in contrarium veste, pudoris sui lampadem extinguit.* ALIVS *id est meretrix.* NON SVA ACCENDIT, *dum etiam mutat vestem & apparatum meretricium in Matronæ habitum, vt sibi famam honestatis pariat.* ASPICE LVPAS, *publicas meretrices, quæ commercium agunt, & veluti nundinas exercent publica libidinis.* FICTRICES, b *quæ pingendis meretricum vultibus incumbunt. Alij legunt,* frictrices, *id est, oleo & vnguentis perfricantes, vel affricando libidinem irritantes.* Fictrices, *Salmasius intellexit sagas, & sagaces excitatrices libidinum, quæ fingebant ex cera simulachra ad vsus magicos artis amatoriæ seruientes.* vel sub limis, *limis oculis & quasi per transennam, videbis eas iam in matronali habitu incedere.* PROPVDIIS, *propudiosis fœminis, siue, publicis meretricibus, quæ pudorem omnem & castitatem velut in publico immolarunt.* VEL SVBLIMIS, *id est, eminens & dedignabundus, & quasi de sublimi honestatis gradu despiciens.* IAM MATRONAS, *propter habitum matronæ assumptum, ut personas noueris, honestas putabis. De lupa, vt breuiter aliquid dicam, vnde & dicta lupanaria, meretricum cellæ. A nutrice Romuli & Remi nomen accepere. Cùm enim iuxta Tyberim, statim vt nati sunt, expositi sunt, à Faustulo armentorum Re-* C *giorum pastore ad vxorem suam Accam Laurentiam nutriendi allati sunt; quæ propter vulgatum corpus suum pastoribus, ideò vocata Lupa propter libidinem. Vide Plutarchum in Romulo. Lactantium lib. 1. c. 20. de hac sic Aug. lib. 22. de Ciuit. cap. 6.* Lupa illa fratrum duorum nutrix, &c. etsi non meretrix Lupa fuit illa, sed bestia; cùm fratribus portentum commune fuerit ambobus; frater tamen eius non habetur Deus. S. Aug.
De veste matronali sic idem Augustinus epist. 199. ad Ediciam. Est quidam pro modulo personæ habitus matronalis, à viduali veste distinctus, qui potest fidelibus coniugatis, saluâ Religionis obseruantiâ cõuenire. Hunc te maritus si deponere noluit, ne te velut viduam, illo viuente, iactares, puto quia non fuerat in hac re, vsque ad dissensionis scanda- D lum perducendus, magis inobedientiæ malo, quàm vllius abstinentiæ bono. Quid enim est absurdius quàm mulierem de humili veste viro superbire. cui te potiùs expediret obtemperare candidis moribus, quam in nigellis vestibus repugnare? Quia etsi te indumentum Monachæ delectabat, etiam hoc gratiùs posset marito obseruato exoratóque sumi, quàm illo inconsulto contemptóque præsumi. Quòd si omninò non sineret, quid tuo proposito deperiret? absit vt hinc displiceres Deo, quòd coniuge tuo nondum defuncto, non induereris sicut Anna, *viduà scilicet,* sed sicut Susanna. S. Aug.

* 3. *Mulier præ cæteris ornamentis, coronam, etiam ex crinibus, vt summam lasciuiæ notam deuitet. De Cor. cap. 14. à p.*

POrro, & quod obnoxium est velamento, caput feminæ, hoc ipso jam occupatum, non vacat etiam obligamento. habet humilitatis suæ sarcinam. Si [a] *nudo capite videri non debet propter angelos,* multò magis coronato; fortasse tunc illos coronato scandalizauerit. a 1. Cor. 11. 10.

Quid enim est in capite feminæ corona, quam formæ lena, quam summa lasciuiæ nota, extrema negatio verecundiæ, conflatio illecebræ? Propterea nec ornabitur operosius mulier ex Apostoli prospectu, vt nec crinium artificio coronetur. 1. Tim. 2. 9.

MVLIERVM ORNATVS. 3. SCHOL.

S. Aug. OBNOXIVM. *doctè, ob noxam enim, vt ex Aug. vidimus V. Mulierum ornatus 1. Mulier sub potestate posita quasi ancilla. Vnde, & subiicit, velum esse mulieri*, humilitatis sarcinam. *Vnde & Paulus 1. Cor. 11. 10.* debet mulier potestatem habere supra caput propter Angelos. *Syr. autem*, tenetur mulier vt potestas sit, *id est velum nota potestatis viri in eam, cui subiicitur, vt caput velo*, super caput ipsius propter Angelos. NON VACAT, *iam occupatum caput mulieris velo suo, non est liberum, locum non habet, vbi insuper ponat corona obligamentum.* SCANDALIZAVERIT. *Et hic errorem insinuat, de quo diximus in Alphabeto Errorum; quo credidit Angelos lapsos appetitu mulierum, quæ tunc fortè ad formam augendam, & libidinem acriùs concitandam, capita coronata habebant. Nihil minùs cogitauit Paulus; sed iuxta D. Thomam hoc loco* dupliciter intelligi potest; vno modo de ipsis Angelis cœlestibus, qui conuentus fidelium visitare creduntur, præcipuè quando sacra mysteria celebrantur, &c. alio modo potest intelligi, secundum quod Sacerdotes Angeli dicuntur, in quantum diuina populo annuntiant. Ideò debet mulier velamen semper habere in Ecclesia propter eorum reuerentiam, vt coram eis honestè se habeant, & propter eorum cau- A telam, & ex conspectu mulierum non velatarum, ad concupiscentiam prouocentur. *Augustinus tamen lib. 19. de Ciuit. vt notat etiam hic D. Thomas, monet dæmones allici quibusdam sensibilibus rebus, non sicut animalia cibis, sed sicut spiritus signis. Sicut ergo signo modestiæ & humilitatis inuitantur Angeli, ita signis superbiæ & libidinis auertuntur: quibus attrahuntur ad tentandum dæmones.* MVLTO MAGIS, *supple videri non debeat.* FORMÆ LENA. *Quia corona lenocinium addit formæ, eam augendo.* SVMMA NOTA. *In summo capite quasi venalis pudicitiæ signum.* OPEROSIVS, *impensiori operâ & studio superstructa corona capiti.* NEC CRINIVM. *in modum coronæ intextorum arte 1. Tim. 2. 9.* Similiter & mulieres in habitu ornato. *Syr. casto vestimento*, cum verecundia & sobrietate, *Syr. & pu-* B *dicitiâ* ornantes se, & non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosâ. *Syr. autem*: aut vestibus elegantibus. *Aug. epist. 199. ad Ediciam.* S. Aug. Scriptum est quidem mulieres esse debere in habitu ornato: aurique circumpositio, & intortio crinium, & cætera huiusmodi, quæ vel ad inanem pompam, vel ad illecebram fermè, *alij legunt formæ*, adhiberi solent, meritò reprehensa sunt.

4. *Mulieres auro onustæ. Apol. cap. 6. circa m.*

NVnc in fœminis præ auro nullum leue est membrum; præ vino, nullum liberum est osculum. *Habes jam expositum. V. Abstinentia.*

5. *Mulieres vilibus addictæ, jam armillas & annulos latrinis inferunt. De Pall. cap. 4. circa f.*

LAtrinarum antistes sericum ventilat, & immundiorem loco ceruicem, monilibus consolatur, & armillis, quas ex virorum fortium donis, ipsæ quoque matronæ temerè vsurpassent, omnium pudendorum conscias manus inserit, impuro cruri purum, aut mulleolum inducit calceum.

MVLIERVM ORNATVS. 5. SCHOL.

LATRINARVM ANTISTES. *Præfecta cloacæ. Non mirum si dignitatem ironicè tribuat mulierculæ excrementorum præsidi cum & Romani Deam finxerint Cluacinam. Aug. lib. 4. de Ciuit. cap. 8.* Quæramus si placet ex tanta Deorum turba quam Romani colebant, quem potissimum, vel quos Deos credant illud imperium dilatasse, atque seruasse. Neque enim in hoc tam præclaro opere, & tantæ plenissimo dignitatis, audent aliquas partes Deæ Cluacinæ tribuere, aut Volupiæ quæ à voluptate appellata est, aut Libentinæ, cui nomen est à libidine. *Plin. lib. 15. cap. 29. mentionem facit Veneris Cluacinæ; & Turneb. lib. 23. aduers. c. 21. Venerem vult dictam Cluacinam, quasi Colluacinam, quod cluere, colluere & purgare significet. Cluacinæ simulachrum, in quadam cloaca Romæ inuentum à Tito Tatio, Romulo conregnante, inde ei nomen dedit. Vnde Aug. lib. 6. de Ciuit. cap. 16.* S. Aug. Cluacinam T. Tatius dedicauit Deam. SERICVM VENTILAT. *Vestes sericas aura leui mobiles & inflatas circum-* C *fert.* LOCO, *ipsis latrinis spurcius collum.* CONSOLATVR, *vt tædium colli tot sordium bajuli, solamen sit monile.* DONIS, *donariis heroum, quorum lacertis masculis, pro fortibus factis, armillæ inserebantur ab Imperatore; quas nec honestæ matronæ, sine temeritatis nota, audebant vsurpare.* IMPVRO CRVRI, *cothurnum intelligit, partim cruris, partim pedis calceamentum.* PVRVM, *album.* MVLLEOLVM *purpurei vel rubri coloris. Mullei autem calcei erant primò Regum Albanorum, postea Patriciorum, à mullando, id est suendo dicti teste Festo. Vopiscus in Aureliano* calceos mulleos & cereos & albos viris omnibus abstulit, mulieribus reliquit. *Plinius ex Fenestella mullos pisces marinos sic dictos vult à colore mulleorum calceamentorum. Et Plin. lib. 9. cap. 17. tanti pretij fuisse hunc piscem refert, vt Azinius Celer vir Consularis, sub Claudio Cæsare, vnum mullum octo millibus nummorum emerit, cum tamen hic piscis duarum librarum pondus non excedat.*

6. *Mulier Christiana, Gentili dissimilis, non tantum appetere, sed & appeti horrere debet; & proinde ornatum appetitus illicem, & scandali, fugere. 2. de cultu fœm. cap. 2. in p.*

VOs ab illis, vt in cæteris, incessu quoque diuertere necessarium est: quoniam perfectæ, id est Christianæ pudicitiæ, appetitionem sui non tantum non appetendam

sed etiam execrandam vobis sciatis. primò quod non de integra conscientia venit studium placendi per decorem, quem naturaliter inuitatorem libidinis scimus. quid igitur excitas in te malum istud? quid inuitas, cuius te profiteris extraneam? tum quod tentationibus viam aperire non debemus, quæ nonnunquam (quod Deus à suis abigat) instando perficiunt, certè vel spiritum scandalo permouent. Debemus quidem ita sanctè, & tota fidei substantia incedere, vt confisæ & securæ simus de conscientia nostra; optantes perseuerare id in nobis; non tamen præsumentes.

MVLIERVM ORNATVS 6. SCHOL.

A B ILLIS. *Gentilibus fœminis.* INCESSV QVOQVE, *in habitu externo, omnino ex aduerso, & contra mores earum corruptos procedere.* DE INTEGRA, *qua totaliter vni Deo placere debent Christianæ. vel de integrâ castitate.* INSTANDO *vrgendo.* SPIRITVM *animum concutiunt. Vel, per spiritum, juxta suum errorem, intelligit Angelos mulierum amatores.* PERFICIVNT. *Ad opus lubricum implendum inducunt.* TOTA SVBSTANTIA. *Quasi media tantum sit, quæ intus tantum viget, & foris in externo habitu fideli digna non appareat.* Fides enim sine operibus mortua est. *Et quomodo tota est, si mortua?* SECVRÆ, *vt tum demum certior sit mulieris conscientia, cum nil habet foris, quod internæ castitati & fidei repugnet: Sic enim & Apostolus:* magis satagite vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando. *& Paulus 1. Tim. 2. 10. cum ornatum immodestum coercuisset, vt supra retulimus,* sed quod decet mulieres, promittentes pietatem, per opera bona. *Syr. autem* sed in operibus bonis sicut decet mulieres, quæ profitentur timorem Domini.

A *omnibus fœminis Christianis veluti Tertullianus dictum in incessu & habitu modesto, quod Augustinus monialibus præscripsit ep. 109. vbi sic hortatur:* perseuerate in bono proposito, &c. Non sit notabilis habitus vester; nec affectetis vestibus placere, sed moribus. Nec sint vobis tam tenera capitum tegmina, ne reticula subter appareant. Capillos ex nulla parte nudos habeatis, nec foris vel spargat negligentia, vel componat industria, &c. In incessu, in statu, in habitu, in omnibus motibus vestris nihil fiat quod illiciat cuiusquam libidinem, sed quod vestram deceat sanctitatem: oculi vestri, & si jaciuntur in aliquem, figantur in neminem. B Neque enim quando proceditis viros videre prohibemini, sed appetere, aut ab ipsis appeti velle criminosum est. Nec solo tactu, sed affectu quoque & aspectu appetitur & appetit fœmina, &c. *Tum de Deo omnia videat.* Illi ergo timeat sancta fœmina displicere, ne velit viro malè placere. Illum cogitet omnia videre, ne velit viro malè videri. S. Aug.

7. *Mulieres Angelos judicaturæ, pompam diaboli jam judicent & condemnent. 1. De cultu fœm. cap. 2. à m.*

CErti erant omnem & gloriam & ambitionem & affectionem per carnem placendi, Deo displicere. Hi sunt nempe angeli, quos judicaturi sumus: hi sunt angeli, quibus in lauacro renuntiamus. Hæc sunt vtique, per quæ ab homine judicari meruerunt. Quid ergo faciunt apud judices suos res eorum? Quod est commercium damnaturis cum damnandis? opinor quod Christo & Beliæ. Quâ constantiâ tribunal illud ascendimus, decreturi aduersus eos quorum munera appetimus? Nam & vobis eadem tunc substantia Angelica repromissa, idem sexus qui & viris, eandem judicandi dignationem pollicetur. Nisi ergo hic jam præjudicauerimus res eorum prædamnando, quas in illis tunc damnaturi sumus, illi potiùs nos judicabunt atque damnabunt. *V. Verbum, Ornatus per totum.* 1. Cor. 6. 3. 2. Cor. 6. 15. Matth. 22. 30.

MVLIERVM ORNATVS. 7. SCHOL.

CERTI ERANT, *Angeli scilicet mali, mulierum appetitores, de quibus hic agebat, secundum errorem suum.* DEO DISPLICERE. *Rom. 8. 8.* qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. *Quod agnouerat & Esther, de qua sic Aug. ep. 199.* Si aliqua dura conditione cogereris; posses habere in superbo cultu cor humile. Nempe apud patres Esther illa Regina Deum timens, Deum colens, Deo subdita, marito Regi alienigenæ non eundem secum colenti Deum, tamen subiecta seruiebat. Quæ cum extremo periculo, non suo tantùm sed etiam gentis suæ, qui tunc erat populus Dei, Domino prosterneretur orando, in ipsa oratione sua dixit, ita sibi esse ornatum regium, sicut pannum menstrualem, & ita brantem confestim exaudiuit, qui cordis inspector, eam verum dicere sciuit, &c. Tu autem, &c. maritum habebas non solum fidelem, & verum Deum tecum colentem, sed etiam continentem; qui proculdubio propositi vestri non immemor, & si ad coniugalia te cogeret indumenta, ad superba tamen ornamenta non cogeret. IVDICATVRI SVMVS. *1. Cor. 6. 3.* Nescitis quoniam Angelos judi- S. Aug.

C cabimus? PER QVÆ AB HOMINE, &c. *& hic idem authoris error quod dicat judicandos dæmones, ob ostensa & data mulieribus ornamenta. Aug. in Psal. 110. in versum* opera manuum eius veritas & judicium. Teneatur veritas ab iis qui judicantur hîc. Iudicantur hîc Martyres, & ad judicium perducuntur; qui non solum eos à quibus judicati sunt, sed etiam Angelos dijudicent, aduersus quos eis erat colluctatio, etiam cum ab hominibus judicari viderentur, quos non separaret à Christo, tribulatio, angustia, fames, nuditas, gladius. RES EORVM. *Ornamenta mundana quæ suadent Principes mundi.* SVBSTANTIA ANGELICA. *Corpus incorruptibile.* IDEM SEXVS. *Alter hic error, ex Paulo crudè intellecto:* D donec occurramus omnes in virum perfectum. *Et ex Matth. 22.* In resurrectione neque nubent, neque nubentur: Sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. *Vnde colligit, qui & Angelos corporeos credidit, & virorum forma; fœminas in Angelos transformandas, & futuras eiusdem sexus cum viris.* DIGNATIONEM, *dignitatem, qua dignabitur Deus, eas honorare. Vide alphabetum, Errorum Tom. 1. p. 3.* S. Aug.

MVLIERVM VIRTVS.

1. *Mulieres Romanæ olim quàm sobriæ. V. verbum annulus.*

2. *Mulieri silentium & subiectio, indicta, absque præiudicio prophetiæ, in vtraque lege. 5. cont. Marc. cap. 8. circa f.*

1. Cor. 14. 34. 1. Cor. 11. 5. Gen. 3. 16. ÆQuè præscribens silentium mulieribus in Ecclesia, ne quid discendi duntaxat gratia, loquantur, (ceterùm prophetandi jus & illas habere jam ostendit, quum mulieri etiam prophetanti velamen imponit) ex lege accipit subjiciendæ feminæ auctoritatem; quam (vt semel dixerim) nosse non debuit, nisi in destructionem.

MVLIERVM VIRTVS. 2. SCHOL.

IN ECCLESIA. 1. *Cor.* 14. 34. mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit *scilicet Gen.* 3. 16. *sub viri potestate eris*; si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. DISCENDI DVMTAXAT. *Id est etiamsi tantum loquantur, discendi gratiâ, & non docendi. Nec sic in Ecclesia, sed domi viros interrogare debent.* PROPHETANDI IVS, 1. *Cor.* 11. 5. omnis autem mulier orans, aut prophetans *id est juxta D. Thomam; oratione ac lectione, quas mulieres in suis Collegiis proferunt, legentes prophetias; aliàs enim* 1. *Tim.* 2. *docere in Ecclesia mulieri non permitto* non velato capite, deturpat caput suum. EX LEGE *Paulus ex veteri lege, quam confirmat contra Marcionem, sumpsit hanc authoritatem, vt velamen imponeret fœminæ, in signum primæ suæ subiectionis, qua mulctata est, quòd tētasset & subegisset hominem.* QVAM NOSSE. *Scilicet authoritatem loquendi in Ecclesia, ad ædificationem non debuit accipere, cuius sermo in Adamo totum genus humanum destruxit. Cum tamen Paulus* 1. *Cor.* 14. 26. Cùm conuenitis, vnusquisque vestrum Psalmum habet, doctrinam habet, Apocalypsin habet, linguam habet, interpretationem: omnia ad ædificationem fiant. *Vel respicit authoritatem sumptam à Paulo ex veteri Testamento, quod Paulus nec nosse quidem debuerat, nisi ad illud destruendum, contra eius præcepta omnino faciendo, si lex vetus mala fuisset, & nisi ipse fuisset Apostolus Dei Creatoris, cuius legem frequenter citabat, & confirmabat. Aduerte porro justè Apostolum silentium indixisse loquaci mulieri, quæ seducta serpentis sibilo, Adam in peccatum induxit: Cum enim Paulus.* 1. *Tim.* 2. 11. *dixisset:* mulier in silentio discat A *illa scientiam Dei ambiens, ad ignorantiam redacta* cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio. *Statim subiicit:* Adam enim primus formatus est, deinde Eua. Et Adam non est seductus: mulier autem seducta in præuaricatione fuit. *Hinc Augustinus lib.* 14. *de Ciuit. cap.* 11. *vbi de diaboli suggestu:* S. Aug. Animal lubricum & tortuosis anfractibus mobile, operi suo congruum, per quod loqueretur elegit: eoque per Angelicam præsentiam, præstantioremque naturam spiritali nequitia sibi subiecto, & tanquam instrumento abutens fallaciæ, sermocinatus est fœminæ: à parte scilicet inferiore illius humanæ copulæ incipiens, vt gradatim perueniret ad totum: B non existimans virum facilè credulum, nec errando posse decipi, sed dum alieno cedit errori. Sicut enim Aaron erranti populo, ad idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstrictus: nec Salomonem credibile est errore putasse idolis esse seruiendum, sed blanditiis fœmineis ad illa sacrilegia fuisse compulsum: ita credendum est illum virum suæ fœminæ, vni vnum, hominem homini, coniugem coniugi, ad Dei legem transgrediendam, non tanquam verum loquēti credidisse seductum, sed sociali necessitudine paruisse, non enim frustra dixit Apostolus: Adam non est seductus, mulier autem seducta est: nisi quia illa, quod ei serpens locutus est, tanquam verum esset, accepit; ille autem ab vnico noluit consortio dirimi nec in communione peccati: nec ideo minus reus, sed sciens, prudensque peccauit. Vnde & Apostolus non ait, non peccauit: sed, non est seductus.

3. *Mulieri omne officium, tam Sacerdotale, quàm virile, prohibitum. V. verbum, Virgo num.* 1.

4. *Et vide verbum baptismi minister, num.* 2.

5. *Mulieres, piæ Christi discipulæ & ministræ.* 4. *cont. Marc. cap.* 19. *in p.*

a Luc. 8. 2. QVod diuites Christo mulieres adhærebant, [a] *quæ & de facultatibus suis ministrabant ei, inter quas & vxor regis procuratoris*; de prophetia est. Has enim vocabat per Esaiam:
b Esa. 32. 9. [b] *Mulieres diuites exsurgite, & audite vocem meam*; vt discipulas primò, dehinc vt operarias & ministras ostenderet, [c] *Filiæ in spe audite sermones meos. Dies anni mementote cum labore in*
c Ibid. 10. *spe.* Cum labore enim quo sequebantur, & ob spem, ministrabant.

MVLIERVM VIRTVS. 5. SCHOL.

DIVITES MVLIERES. *Luc.* 8. 2. Mulieres aliquæ quæ erant curatæ à spiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria quæ vocatur Magdalenæ, de qua septem dæmonia exierant, & Ioanna vxor Chusæ Procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis. *Syr. autem pro,* Procuratoris, *habet,* Præfecti domui Herodis. DE PROPHETIA EST, *id est, ideo scriptum est, quia impleta est prophetia Esa.* 32. 9. Mulieres opulentæ, sur- C gite, & audite vocem meam: filiæ confidentes percipite auribus eloquium meum. Post dies enim, & annum vos conturbabimini confidentes. *Tertull. secutus* 70. *nisi cum parua differentia in fine:* diei anni memoriam facite in dolore cum spe. *Quod torquet in Marcionem vetus Testamentum reprobantem. Aug. & mulierum istarum meminit lib. de opere Monach. c.* 5. Quisquis putat non potuisse ab Apostolis fieri, vt cum S. Aug. eis sanctæ conuersationis mulieres circuirent qua-

tanque Euangelium prædicabant, vt eis de sua substantia ministrarent necessaria, Euangelium audiant, & cognoscant quemadmodum hoc ipsius Domini exemplo faciebant. Dominus enim noster more misericordiæ suæ inferioribus compatiens, cùm ei possent Angeli ministrare, & loculos habebat, quò mitteretur pecunia, quæ conferebatur vtique à bonis fidelibus eorum victui necessaria: quos loculos Iudæ commendauit, vt etiam fures si euitare non A possemus, tolerare in Ecclesia disceremus, &c. & mulieres voluit, vt se ad præparanda & ministranda necessaria sequerentur, ostendens quid Euangelistis & Ministris Dei, tanquam militibus, à plebibus Dei tanquam prouincialibus deberetur, &c. in Euangelio enim scriptum est: Deinceps & ipse iter faciebat per ciuitates & castella prædicans, & euangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ, &c.

6. Mulieres Christum vngentes, & resurrectionis nuntiæ. 4. cont. Marc. cap. 43. in p.

NEc mulierum illarum officium præterit prophetia, quæ ante lucem conuenerunt ad sepulcrum cum odorum paratura De hoc enim per Osee, [a] *Vt quærant*, inquit, *faciem meam, ante lucem vigilabunt ad me, dicentes, Eamus, & conuertamur ad Dominum, quia ipse eripuit, & curabit nos; percussit, & miserebitur nostri; sanabit nos post biduum, in die tertia resurgemus.* Quis enim hæc non credat in recogitatu mulierum illarum volutata, inter dolorem præsentis destitutionis qua percussæ sibi videbantur à Domino, & spem resurrectionis ipsius qua restitui ritè arbitrabantur? Corpore autem non inuento, [b] *sublata erat sepultura eius de medio*, secundùm Esaïam, &c.

a Oseæ 5. 15. & 6. 1. 2. 3.
Luc. 24. 3.
b Esa. 57. 2.

MVLIERVM VIRTVS. 6. SCHOL.

PEr Osee, 5. 15. *Extrema verba sumpsit; ita enim versus integer*: Vadens reuertar ad locum meum, donec deficiatis, & quæratis faciem meam. 70. *verò*, Ibo, & reuertar in locum meum; donec dispereant, & quærent faciem meam. *Quod aptè conuenit resurrectioni & sepulturæ Christi. Iuit enim libens in mortem & sepulchrum, & propriâ virtute reuersa est anima eius in corpus suum, donec interim disperirent, diabolus quidem rabie, peccatum, & incredulitas, &c. Et piæ mulieres quæsierunt splendidam faciem Christi. Iungit autem Tertull. statim initium capitis sexti. vbi sic vulgata:* In tribulatione sua manè consurgent ad me. 70. *vigilabunt.* Venite, & reuertamur ad Dominum; 70. *dicentes, Eamus, & reuertamur ad Dominum Deum nostrum*, quia ipse cepit, 70. *rapuit*, & sanabit nos: percutiet, & curabit nos: viuificabit nos: 70. *sanos nos faciet*, post duos dies: In die tertia suscitabit nos, 70. *resurgemus*, & viuemus in conspectu eius. Sciemus, sequemurque vt cognoscamus Dominum: quasi diluculum præparatus est egressus eius, 70. *quasi manè paratum inueniemus eum:* & veniet quasi imber nobis temporaneus, & seroti- B nus terræ. IN RECOGITATV, &c. *Quis dubitet hæc Propheta verba pias illas mulieres non voluisse animo, & apud se recogitasse.* DESTITVTIONIS, *desolationis ex absentia eius, & morte, quâ cum Christo percussæ & commortuæ videbantur.* RESTITVI RITE, &c. *resurgere cum Christo vita sua.* SECVNDVM ESAIAM 57. 2. *vulgata.* Veniat pax, requiescat in cubili suo qui ambulauit in dilectione sua. 70. *sic.* Erit in pace sepultura eius: ablatus est de medio. *Aug. in vna Magdalena, aliarum piarum mulierum in Christum affectum expressit tractatu 121. in Ioan.* Sublatum esse Dominum de monumento, discipulis eius Petro & Ioanni nuntiauerat Maria Magdalene, &c. viris recedentibus, infirmiorem sexum in eodem loco fortior figebat affectus, & oculi, qui Dominum quæsierant, & non inuenerant, lacrymis iam vacabant, ampliùs dolentes quod fuerat de monumento C sublatus, quàm quòd fuerat in ligno occisus; quoniam magistri tanti, cuius eis vita substracta fuerat, nec memoria remanebat. *Per memoriam intelligit corpus de monumento subtractum, in quo memoria erat charissimi Magistri conclusa.* S. Aug.

7. Et 4. cont. Marc. cap. 43. à p.

REuertentes quoque à sepulcro mulieres, & ab illa angelorum visione prospiciebat Esaïas; [a] *Mulieres*, inquit, *venientes à visione, venite.* ad renuntiandam scilicet Domini resurrectionem.

Luc. 24. 9.
a Esa. 27. 11.

MVLIERVM VIRTVS. 7. SCHOL.

AB ILLA ANGELORVM, &c. *Luc.* 24. 4. Dum mente consternatæ essent de isto, *supple corpore non inuento*, Ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti, &c. PROSPICIEBAT ESAIAS. 27. 11. *vulgata*, in siccitate messes illius conterentur, mulieres venientes, & docentes eam: non est enim populus sapiens. 70. *autem*, Et post tempus non erit in ea omne viride; quia exsiccatum est. Mulieres venientes à spectaculo venite: non est enim populus habens intelligentiam. *Benè, quia spes resurrectionis aruerat in cordibus discipulorum, de grano frumenti mortuo, in plurimam messem gloriæ resurrectionis multiplicando. Populo virili non habente intelligentiam, electæ & vocatæ mulieres ad annuntiandam resurrectionem. Luc. 24. 9.* Et recordatæ sunt verborum eius. Et regressæ à monumento, *ad quod diluculo venerant portantes aromata quæ præparauerant, vt habetur initio capitis* - D nunciauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus. Erat autem Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc. Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non crediderunt illis. *Quia porrò Matth. 28. 1* Vespere Sabbathi quæ lucessit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum. *Ideò Chrysol. ser. 74. in p.* Serò mulier currit ad veniam, quæ maturè cucurrit ad culpam. Vespere quærit Christum, quæ in matutinis Adam se nouerat perdidisse. *Sed hanc reparat iniuriam ser: 77. inf.* Reuertere ad virum mulier jam sanata, & suade fidem, quæ perfidiam suasisti: refer homini Dominicæ Resurrectionis indicium, cui ante tentationis & ruinæ consilium detulisti. *Aug. ser. 144. de temp.* Resurrexisse Dominum, ab Angelis fœminæ audierunt, viris nuntiauerunt; S. Aug.

& quid scriptum est; quid audistis? visa sunt ista ante oculos eorum quasi deliramenta. Magna infidelitas conditionis humanæ! quando locuta est Eua quod dixerat serpens, audita est, citò mulieri creditum est: fœminis vera dicētibus, vt viueret Christus, minùs creditum est. Nam hoc est quod egit Dominus Iesus Christus, vt prior illud sexus fœmineus nuntiaret. Quia ergo per sexum fœmineum credidit homo, per sexum fœmineum, reparatus est homo: quia virgo Christum peperit, fœmina resurrexisse nuntiabat: per fœminam mors, per fœminam vita. Sed non crediderunt discipuli quod dixe- A rant fœminæ; delirare putauerunt quando veritatem nuntiabant. *Vide eundem serm. 17. de temp. à medio, vbi sic:* Quare Deus noster per virginem nos sic voluit reformare ad vitam? vt quia per mulierem in hunc mundum mors intrauit, salus per virginem redderetur. *Subdit & de mulieribus nunciantibus resurrectionem.* Vt homini ostenderetur: Ecce per quam cecidistis in mortem, per ipsam vobis resurrectio mortuorum nuntiatur, &c. ne perpetui reatus apud viros opprobrium sustineret, quia quæ culpam nobis transfuderat, transfudit & gratiam. S. Aug.

MVNDVS.

1. *Mundus dignum opus Deo, cuius etiam partes, Philosophi gentiles Marcionitis meliores, Deos censuerunt: ex quo veri Dei potentia agnoscitur.* 1. *cont. Marc. cap. 13. in p. ad circa f.*

QVum Deum hoc gradu expellimus, cui nulla conditio tam propria & Deo digna, quàm Creatoris, testimonium præsignarit, narem contrahentes impudentissimi Marcionitæ, conuertuntur ad destructionem operum Creatoris. Nimirum, inquiunt, grande opus, & dignum Deo, mundus. Nunquid ergo Creator minimè Deus? Planè Deus. Ergo nec mundus Deo indignus. nihil etenim Deus indignum se fecit: etsi mundum homini, non sibi fecit: etsi omne opus inferius est suo artifice. Et tamen si quale quid fecisse indignum est Deo, quantò indignius Deo est, nihil eum omnino fecisse vel indignum, quo posset etiam digniorum auctor sperari? Vt ergo aliquid & de isto huius mundi indigno loquar, cui & apud Græcos ornamenti & cultus, non sordium nomen est, indignas videlicet substantias ipsi illi sapientiæ professores, de quorum ingeniis omnis hæresis animatur deos pronuntiauerunt, vt Thales aquam, vt Heraclitus ignem, vt Anaximenes aërem, vt Anaximander vniuersa cœlestia, vt Strato cœlum & terram, vt Zeno aërem & ætherem, vt Plato sidera; quæ genus deorum igneum appellat, quum de mundo. Considerando scilicet & magnitudinem, & vim, & potestatem, & honorem, & decorem, opem, fidem, legem singulorum elementorum, quæ omnibus gignendis, alendis, conficiendis, reficiendisque conspirant, vt plerique Physicorum, formidauerunt, initium ac finem mundo dare, ne substantiæ eius, tantæ scilicet, minùs Dei haberentur; quas colunt & Persarum Magi, & Ægyptiorum Hierophantæ, Indorum Gymnosophistæ. Ipsa quoque vulgaris superstitio communis idololatriæ, cùm in simulachris de nominibus & fabulis veterum mortuorum pudet, ad interpretationem naturalium refugit, & dedecus suum ingenio obumbrat, figurans Iouem in substantiam feruidam, & Iunonem eius in aëriam, secundùm sonum Græcorum vocabulorum; item Vestam in ignem, & Camenas in aquam, & magnam matrem in terram, seminalia demessam, lacertis aratam, lauacris rigatam. Sic & Osiris, quod semper sepelitur, & in viuido quæritur, & cum gaudio inuenitur, reciprocarum frugum & viuidorum elementorum, & recidiui anni fidem, argumentantur: Sicut aridæ & ardentis naturæ sacramenta Leones Mithræ Philosophantur. Et superiores quidem situ aut statu substantias sufficit facilius Deos habitas, quàm Deo indignas. *Et lib. 2. ad Nationes cap. 4.*

MVNDVS. 1. SCHOL.

CVM DEVM. *Marcionis scilicet.* HOC GRADV, *dignitate diuinitatis, quâ vnus solus Deus cunctis eminet.* CVI NVLLA CONDITIO. *A quo nulla creatura condita est, quæ ipsi ante testimonium præstet & subscribat; vt inde fidem sibi apud homines pareret suæ diuinitatis, ex attributo Creatoris; quod maximè dignum est Deo.* NAREM CONTRAHENTES, *irridentes.* CONVERTVNTVR, *statim vt euertant hoc testimonium diuinitatis, sumptum à rerū creatione, in creaturarum vilitatem inuehuntur, & mundum impudenter affirmant, opus esse indignum Deo.* NVNQVID ERGO, &c. *Hic Tertull. interrogat, an Creator, Deus non est? fateris quidem Deum, sed Deo tuo inferiorem, Esto. Sed hoc ipso quòd eum fateris Deum, & ipsum hoc nomine dignaris, fatere nil fecisse indignum se; licèt mundum non sui, qui nullius indiget, sed hominis vsui fecerit.* QVALE QVID, *qualecumque.* INDIGNIVS DEO, *Marcionis scilicet.* DIGNIORVM AVTHOR, *ex iam factis, licèt vilioribus, præsumi debet;* ISTO INDIGNO, *pro,* mundo indigno, *vel re qualibet indigna, quæ continetur in mundo.* APVD GRÆCOS. *Idem contra Hermog. c. 40.* Vnde & B Græci nomen mundo *κόσμος* accommodauerunt. INDIGNAS SVBSTANTIAS; *mundi partes, quas Marcionitæ vilificant; & Deo indignas censent.* INGENIIS, *inuentis, dogmatibus.* ANIMATVR, *oritur & formatur. Alibi vocat Philosophos*, hæreticorum Patriarchas. THALES AQVAM. *Aug. lib. 8. de Ciuit. cap. 2.* Iste autem Thales, &c. Aquam putauit rerum esse principium, & hinc omnia elementa mundi, ipsumque mundum, & quæ in eo gignuntur existere. S. Aug. HERACLITVS IGNEM. *Aug. lib. 6. de Ciuit. cap. 5. iuxta Varronem.* Dij qui sint, vbi, quod genus, quale, ex quonam tempore, an à sempiterno fuerint, an ex igne sint, vt credit Heraclitus: an ex numeris, vt Pythagoras, an ex atomis, vt Epicurus, &c. S. Aug. ANAXIMENES. *Aug. lib. 8. de Ciuit. cap. 2. post Anaximandrum, subdit:* Iste Anaximenem discipulum & successorem reliquit: qui omnes rerum causas infinito aëri dedit: nec Deos negauit, aut tacuit: non tamen ab ipsis aërem factum, sed ipsos ex aere ortos credidit. S. Aug. ANAXIMANDER. *Augúst. ibidem.* Huic *Thaleti* successit Anaximander eius auditor: mutauítque de rerum S. Aug.

naturâ opinionem. Non enim ex vna re, ſicut Thales ex humore, ſed ex ſuis proprijs principiis quaſque res naſci putauit. Quæ rerum principia ſingularum, eſſe credidit infinita, & innumerabiles mundos gignere, & quæcunque in eis oriuntur: eoſque mundos, modo diſſolui, modò iterùm gigni exiſtimauit: quanta quiſque ætate ſuâ durare potuerit; nec ipſe aliquid diuinæ menti, in his rerum operibus tribuens. STRATO. *Aug. lib. 6. de Ciuit. cap. 10. ex Varrone.*
S. Aug. Hoc loco dicet aliquis: Credam ego cœlum & terram deos eſſe. Et ſuprà Lunam alios, infra alios? Ego feram aut Platonem, aut Peripateticum Stratonem, quorum alterum fecit Deum ſine corpore, alter ſine animo? CVM DE MVNDO, *ſupple, tractar.* GENVS IGNEVM, *Tertull. Apol. cap. 1.* Plato in ignea eſſentia ſummum Deum eſſe dicit. *Idem*
S. Aug. *Aug. l. 8. de Ciuit. cap. 5,* Thales in humore, Anaximenes in aëre, Stoici in igne. Epicurus in atomis, &c. cauſam, principiúmque rerum eſſe dixerunt, &c. ET HONOREM, *loci eminentiam.* FIDEM. *Conſtantiam curſus & tenorem rerum.* INITIVM AC FINEM.
S. Aug. *Aug. lib. 12. de Ciuit. cap. 17. per totum. vbi multa præclara habet, & concludit.* Has argumentationes, quibus impij noſtram ſimplicem pietatem, vt cum illis in circuitu ambulemus, *id eſt, circumuolutione & gyro rerum omnium ab æterno, reuolubili,* ambulemus, de via recta conantur auertere, ſi ratio refutare non poſſet, fides irridere deberet, &c. Nobis autem fas non eſt credere, aliter Deum affici cum vacat, aliter cùm operatur, &c. Non itaque in eius vacatione cogitetur ignauia, deſidia, inertia: ſicut nec in eius C opere labor, conatus, induſtria. Nouit quieſcens agere, & agens quieſcere, &c. Vnâ eadémque ſempiternâ & immutabili voluntate, res quas condidit, & vt priùs non eſſent, egit, quandiu non fuerunt; & vt poſteriùs eſſent, quando eſſe cœperunt. Hinc eis qui talia videre poſſunt, mirabiliter fortaſſis oſtendens, quam non eis indiguerit, ſed eas gratuitâ bonitate condiderit, cùm ſine illis ex æternitate initio carente, in non minore beatitudine permanſit. MINVS DEI, *Dij minores & inferiores duratione cenſerentur quàm ſummus Deus.* HIEROPHANTÆ, *Sacerdotes, ſic dicti quòd ſacra oſtenderent, vel peragerent.* COMMVNIS, *quâ communiter homines mortui, in Deos ſunt relati:* GYMNOSOPHISTÆ, *ſic dicti quòd nudi philoſopharentur.* AD INTERPRETATIONEM, &c. D *cùm eos pudeat tam ſupini erroris, ſub vmbris fabularum ſecreta naturæ abſconſa dicunt.*

S. Aug. *Videndus Auguſtinus lib, 6. de Ciuit. cap. 8.* At enim habent iſta Phyſiologicas quaſdam, ſicut aiunt, id eſt, naturalium rationum interpretationes, &c. GRÆCORVM VOCABVLORVM. Ζεὺς. *Iuppiter à ζέω. id eſt, ferueo. & Iuno Ἥρα, hoc eſt, ἀὴρ. Aug. lib. 4. de*
S. Aug. *Ciuit. cap. 10. vbi de Ioue.* Cur illi etiam Iuno vxor adiungitur, quæ dicitur ſoror & coniunx? quia Iouem, inquiunt, in æthere, *igne*, accipimus, in aëre Iunonem. Et hæc duo elementa coniuncta ſunt, alterum ſuperius, alterum inferius. Non eſt ergo ille de quo dictum eſt, Iouis omnia plena: ſi aliquam E partem implet & Iuno. An vterq; vtrumque implet, & ambo iſti coniuges & in duobus iſtis elementis, & in ſingulis ſimul ſunt? Cur ergo æther datur Ioui,
S. Aug. aër Iunoni? VESTAM: &c. *Aug. ibidem:* Terram matrem Deorum vocant: vt jam Poëtæ tolerabiliora confingant, ſi ſecundum iſtorum non Poëticos, ſed Sacrorum libros, non ſolùm Iuno ſoror & conjunx, ſed etiam mater eſt Iouis. Eandem terram Cererem, eandem etiam Veſtam volunt, cùm tamen ſæpiùs Veſtam non niſi ignem eſſe perhibeant. SEMINALIA DEMESSAM. *Quæ meſſuit ſegetes; (terra ſcilicet & Ceres) ſeminatas in terra, vi laterrorum exculta & arata, & irriguis pluuiis perfuſa.* CAMENAS *Muſas, vel Nymphas, ſiue Lymphas: Nec abs* A *re, cùm Syrenes in aquis amœno cantu aëra demulcentes, Camœnæ dici poſſint.* OSIRIS. *Id ſignificat quòd ſeminatur & reuiuiſcit.* IN VIVIDO. *Cùm ex corruptione multiplicìter reproduci, & maturè colligi deſideratur.*
Aug. lib. 6. de Ciuit. cap. 10. Cùm Sacris Ægyptiis Oſirim lugeri perditum, mox autem de inuento magnum fuiſſe gaudium deriſiſſet, *Varro ſcilicet*, cùm perditio eius inuentióque fingatur; dolor tamen ille, atque lætitia ab eis qui nihil perdiderunt, nihilque inuenerunt, veraciter exprimitur? *Sic ſemina condentes terrâ lugent, gaudéntque metentes.* RECIDIVI ANNI FIDEM. *Stabilem & perennem anni recurſum.* ARGVMENTANTVR, *interpretantur.* SACRAMENTA, *myſteria.* LEONES MYTHRÆ, *vel currus Solis iunctos Leones naturæ feruidæ intellige vel, vt ſæpè vtitur* B *plurali pro ſingulari, ſignum Leonis, in quo Sol maximos æſtus iaculatur in terram.* ET SVPERIORES, &c. *Concludit contra Marcionem corpora Elementorum aut Cœlorum, vel naturâ, vel loco, vel ſtabilitate præſtantiora, Gentiles faciliùs pro Diis honoraſſe, quàm Deo Creatore indigna cenſuiſſe.* SVFFICIT. *Emphaticè dictum, quaſi diceret, non inficior deluſos Gentiles, qui hæc corpora, & mundi membra, Deos crediderunt, ſed ſufficit mihi hoc teſtimonium eorum contra Marcionem, quod tantum abeſt, vt creaturæ mundi ſint indigna Deo, cum eas Gentiles pro Diis ipſis habuerint.*

Et lib. 2. ad Nat. cap. 4. DEOS APPELLATOS. *à motu, curſu, velocitate. Sed Deus vnus primus omnium motor, omnia mouet immotus. Et vt diximus alibi:* Omnibus mobilior eſt ſapientia, & velociter currit ſer- C mo eius. *Aug. lib. 8. de Gen. ad litt. c. 20.* Spiritus, inquit, creatus mouet ſeipſum per tempus ac per tem- S. Aug. pus & per locum corpus: ſpiritus autem Creator mouet ſeipſum ſine tempore ac loco; mouet conditum ſpiritum per tempus ſine loco: mouet corpus per tempus & locum. Quo circa quiſquis intelligere conatur, quemadmodum verè æternus & verè immortalis atq; incommutabilis Deus, ipſe nec per tempus, nec per locum motus, moueat temporaliter & localiter creaturam ſuam, non eum puto poſſe aſſequi: niſi priùs intellexerit, quemadmodum anima, hoc eſt ſpiritus creatus, non per locum, ſed tantùm per tempus motus, moueat corpus per tempus & locum. Si enim quod in ſeipſo agitur capere nondū poteſt, quantò minùs illud quod ſuprà D eſt. ASTVTIA. *Occultâ interpretatione.* COLLEGIVM NOMINIS, *rectè indices ex eadem naturâ & ſubſtantia idem nomen conuenire.* SENSVI SATIS. *Satis eſt interno ſenſus ſine intellectus, vt diſcernat quantùm differat occultus Deus verus ab elementis corporeis obuiis ſenſibus.* CONGREDI, *diſputando concludere.* ZENO QVOQVE, *ex quo Hermogenes ſumpſit, materiam eſſe Deo neceſſariam, ſine qua nihil creare potuiſſet,* MATERIA NON EST. *Supple Deus, multò minùs Dij erunt elementa ex materia facta.* SINE CAPITE. *abſque initio.* THALES, *de eo Aug. lib. 8. de Ciuit. cap. 2.* Iſte Thales, vt ſucceſſores etiam S. Aug. propagaret, rerum naturam ſcrutatus, ſuaſque diſputationes litteris mandans, eminuit: maximéque E admirabilis extitit, quòd Aſtrologiæ numeris comprehenſis, defectu Solis & Lunæ etiam prædicere potuit. Aquam tamen putauit rerum eſſe principium, & hinc omnia elementa mundi, ipſúmque mundum, & quæ in eo gignuntur exiſtere. *Et lib. 4.* S, Aug. *de Ciuit. c. 31. agens contra Varronem: Deum non animum mundi, ſed gubernatorem cuncta mouentem aſſeruit.* Dicit, inquit, idem Author acutiſſimus, atque doctiſſimus, quòd hi ſoli, *Græci Philoſophi,* ei videantur animaduertiſſe, quid eſſet Deus, qui crediderunt eum eſſe animā, motu ac ratione mundum gubernantem: ac per hoc etſi nondum tenebat quod veritas habet; Deus enim verus, non anima, ſed animæ quoque eſt effector & conditor: tamen ſi contra præiudicia conſuetudinis liber eſſe poſſet, vnum Deum colendū fate-

retur, atque suaderet, motu ac ratione mundum gubernantem: vt ea cum illo de hac re quæstio remaneret quòd eum diceret esse animam, non potius animæ Creatorem: *De Sole autem astrisque mobilibus animatis juxta Platonem idem Augustinus de Ciuit. lib.*
S. Aug. 10. *cap.* 29 Platone, inquit, authore, animal esse dicitis mundum, & animal beatissimum, quod vultis etiam esse sempiternum. Quomodo ergo nec vnquam soluetur à corpore, nec vnquam carebit beatitudine, si vt anima beata sit, corpus est omne fugiendum? Solem quoque istum, & cætera sydera, non solùm in libris vestris corpora esse fatemini, quod vobiscum omnes homines & conspicere non cunctantur & dicere: verùm etiam altiore vt putatis, peritia, hæc esse animalia beatissima perhibetis, & cum his corporibus, sempiterna. Quid ergo est, quòd cùm vobis fides Christiana suadetur, tunc obliuiscimini, aut ignorare vos fingitis, quid disputare, aut docere soleatis? quid causæ est cur propter opiniones vestras, quas vos ipsi oppugnatis, Christiani esse nolitis, nisi quia Christus humiliter venit, & vos superbi estis? *Tandem de veri Dei nomine*
S. Aug. *breuiter Augustinus lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 6.* Diximusne aliquid & sonuimus aliquid dignum Deo? immò verò me nihil aliud quàm dicere voluisse sentio. Si autem dixi, non est hoc quod dicere volui. Hoc vnde scio, nisi quia Deus ineffabilis est: quod autem à me dictum est, si ineffabile esset, dictum non esset; ac per hoc ne ineffabilis quidem dicendus est Deus: quia & hoc cùm dicitur, aliquid dicitur: & fit nescio quæ pugna verborum: quoniam si illud est ineffabile quod dici non potest, non est ineffabile, quod vel ineffabile dici potest. Quæ pugna verborum silentio cauenda potius, quàm voce pacanda est. Et tamen Deus, cùm de illo nihil dignè dici possit, admisit humanæ vocis obsequium, & verbis nostris in laude sua gaudere nos voluit. Nam inde est quod & dicitur Deus. Non enim reuerà in strepitu istarum duarum syllabarum ipse cognoscitur, sed tamen omnes Latinæ linguæ socios, cùm aures eorum sonus iste tetigerit mouet ad cogitandam excellentissimam quandam immortalemque naturam. Nam cùm ille vnus cogitatur Deorum Deus, siue in cœlo siue in terra, ita cogitatur, vt aliquid, quo nihil melius sit, atque sublimius, illa cogitatio conetur attingere. Sanè quoniam diuersis mouentur bonis, partim eis quæ ad animi intelligentiam pertinent, illi qui dediti sunt corporis sensibus, aut ipsum cœlum, aut quod in cœlo fulgentissimum videtur, aut ipsum mundum Deum Deorum esse arbitrantur, &c. Illi autem qui per intelligentiam pergunt videre quod Deus est, omnibus eum naturis visibilibus & corporalibus, intelligibilibus etiam, & spiritalibus omnibus mutabilibus præferunt. Omnes tamen pro excellentia Dei certatim dimicant. Nec quisquam inueniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est.

2. *Mundus pro Deo habendus non est, vt nec diabolus mundi rector, id est peccatorum, qui ab initio Deum se finxit, & Deos innexit in mundum. 5. cont. Marc. cap. 17. circa m.*

a Ephes. 2. 1. 2. PLanè puto inuenimus, quum dicit, [a] *Illos delictis mortuos, in quibus ingressi erant, secundùm æuum mundi huius, secundùm principem potestatis aëris huius, qui operatur in filiis incredulitatis.* Sed mundum non potest & hìc pro Deo mundi Marcion interpretari. Non enim simile est creatum Creatori, factum factori, mundus Deo. Sed nec princeps potestatis aëris dicetur, qui est princeps potestatis seculorum. Nunquam enim præses superiorum de inferioribus notatur, licet & inferiora ipsi deputentur. Sed nec incredulitatis operator videri potest, quam ipse potiùs à Iudæis & à Nationibus patitur. Sufficit igitur, si hæc non cadunt in Creatorem. Si autem & est in quem magis competant, vtique magis hoc Apostolus sciit. Quis iste? sine dubio ille, qui ipsi Creatori filios incredulitatis obstruit, aëre
b Esa. 14. 14. isto potitus, sicut dicere eum profert & refert: [b] *Ponam in nubibus thronum meum, ero similis altissimo.* Hic erit diabolus, quem & alibi (si tamen ita & Apostolum legi volunt) [c] *Deum*
c 2. Cor. 4. 4. *æui huius* agnoscemus. Ita enim totum sæculum mendacio diuinitatis impleuit.

MVNDVS. 2. SCHOL.

PLANE. *Ironicè dictum. Immediatè enim ante dixerat:* quæramus jam Creatorem. *Ridet itaque Marcionem, qui cum Deum Creatorem malum crederet, ei dicit: fortè, ô Marcion, tibi suffragatus est Paulus cum ait Ephes.* 2. 1. Et vos cum essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundùm sæculum mundi huius. *Syr. mundanam vanitatem mundi huius* secundùm principem potestatis aëris huius, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ. *Syr. paulo aliter:* & juxta voluntatem principis potestatis aëris, qui est spiritus ille, qui efficaciter agit in filios immorigeros. ET HIC, *sicut* 5. *cont. Marc. cap.* 7. *interpretatus est Marcion illud.* 1. *Cor.* 4. 9. spectaculum facti sumus mundo, &c. SED NEC, &c. *Sed Deus Rex & Princeps omnis potestatis sæculi,* Rex regum & Dominus dominantium, *longè eminentior est Principe tenebrosi aëris. Neque enim solet quilibet maioris & præcipuæ dignitatis, à viliore appellationem sumere, licet sit & Dominus loci alicuius inferioris.* PATITVR. *Non agit Deus, nec efficit incredulitatem, infusor fidei, sed eam à Iudæis & Gentilibus patitur. Sic Marc.* 9. 18. O generatio incredula, quandiu apud vos ero? quandiu vos patiar? *ita & Luc.* 9. 41. O generatio infidelis & peruersa, vsquequo ero apud vos, & patiar vos? IN QVEM, *torqueri possint. Cui competant.* OBSTRVIT, *qui oculos cæcat, & aures occludit fidei. Aug.* S. Aug. *in Psal.* 148. *in versum* dracones & omnes abyssi. Abyssi profunditates aquarum sunt, Maria omnia, & nubilosus iste aër ad abyssum pertinet, vbi nubes, vbi venti, vbi tempestates, vbi pluuiæ, coruscationes, tonitrua, grandines, nix, & quidquid vult Deus fieri super terras, de isto humido & caliginoso aëre, &c. propterea ad istum caliginosum, id est, ad hunc aërem, tanquam ad carcerem damnatus est diabolus, de apparatu superiorum Angelorum lapsus cum Angelis suis: Nam Apostolus hoc de illo dicit: secundùm Principem potestatis aëris huius, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ: & alius Apostolus dicit: 1. *Petri* 2. Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferni retrudens, tradidit in judicio puniendos seruari; infernum hoc appellans, quod inferior pars mudi sit. Noli ergo cogitare quid accepit diabolus sed quid perdidit. *Et ep.* 107. *ad Vitalem:* Hæc potestas tenebrarum, id est S. Aug.

est diabolus, qui dicitur etiam princeps potestatis aëris, operatur in filiis diffidentiæ, &c. Rector tenebrarum, id est, diffidentiæ filiorum, regens eos ad arbitrium suum, quod neque ipse habet liberum ad benefaciendum, sed ad maximam maleuolentiam, pœnâ sui sceleris obduratum. Vnde nemo sanæ fidei credit, aut dicit, hos apostatas Angelos ad pristinam pietatem, correctâ aliquando voluntate conuerti. Quid ergo operatur hæc potestas in filiis diffidentiæ, nisi opera sua mala, & in primis, maximéque ipsam diffidentiam & infidelitatem, quâ sunt inimici fidei, per quam scit eos posse mundari, posse sanari, posse perfectissimè liberos, quod eis vehementer inuidet, in æternitate regenerari: *alij legunt, regnare. Sed iuxta Euangelium, regeneratio, resurre-* A *ctionem ad gloriam significat.* In regeneratione cùm sederit filius hominis, &c. sedebitis & vos, &c. PROFERT. *Supple, Esaias, personam referens Luciferi principis nubium & tenebrarum, de quibus suprà Esa. 14. 14.* Ascendam super altitudinem nubium; similis ero altissimo. 70. *simpliciter:* Ascendam super nubes. LEGI VOLVNT. *Carpit Marcionitas Scripturæ de more corruptores.* DEVM ÆVI. 2. *Cor.* 4. 4. In quibus *pereuntibus, quibus opertum Euangelium suum dicebat Apostolus.* Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij, gloriæ Christi, qui est imago Dei. *quod & diabolo Idololatriæ authori, qui & se Deum dixit, & Deo vero, iusto iudicio peccatores obcæcanti aptari potest.*

3. *Mundus non pro Creatore mundi, sed creaturis mundi, Angelis & hominibus sumendus est.* 5. *cont. Marc. cap.* 7. *à p.*

CErtè, inquis, mundum Deum mundi interpretatur, dicendo,[a] *Spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus.* Quia si mundum, homines mundi significasset, non etiam homines postmodum nominasset. Immò ne ita argumentareris, prouidentia Spiritus sancti demonstrauit quidnam dixisset, *Spectaculum facti sumus mundo;* dum angelis qui mundum ministrant, & hominibus quibus ministrant. Verebatur nimirum tantæ constantiæ vir, ne dicam Spiritus sanctus, præsertim ad filios scribens,[b] *quos in Euangelio generauerat;* liberè Deum mundi nominare, aduersus quem, nisi exertè, non posset videri prædicare.

a 1. Cor. 4. 9.
b 1. Cor. 4. 15.

MVNDVS. 3. SCHOL.

INTERPRETATVR, *Paulus intelligit nomine mundi, Deum mundi.* SPECTACVLVM. *Alibi jam hunc locum exposuimus. Aug. in Psal. 38. in versum,* Opprobrium insipienti dedisti me. Inter eos me viuere voluisti, inter eos prædicare veritatem, qui amant vanitatem, & non possum nisi irrideri ab eis; quia spectaculum facti sumus huic mundo, & Angelis, & hominibus: 1. *Cor.* 4. 9. Angelis laudantibus, hominibus opprobrantibus: imò & Angelis laudantibus & vituperantibus, & hominibus laudantibus & vituperantibus. A dextris & sinistris habemus arma in quibus militamus, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, vt seductores & veraces. Hæc apud Angelos, hæc apud homines: quia & apud Angelos sunt sancti Angeli, quibus benè viuendo placemus; & sunt præuaricatores Angeli, quibus benè viuendo displicemus. Et inter homines sunt Sancti viri, quibus placeat vita nostra; & sunt nequissimi homines qui irrident bo- B nam vitam nostram. Et hæc, & hæc, arma sunt, illa dextra, illa sinistra, vtraque tamen arma sunt. Vtrisque armis, & dextris & sinistris vtor: & laudantibus, & vituperantibus; & honorem deferentibus, & ignominiam irrogantibus. In his vtrisque armis confligo cum diabolo, vtrisque eum ferio: prosperis, si non corrumpor; aduersis, si non frangor. NON ETIAM, *ne batologia & repetitione vteretur.* IMMO, *sic resumit contrà, Tertullianus.* DVM ANGELIS, *supple, dixit Apostolus. Nos esse factos spectaculum.* MVNDVM MINISTRANT. *Administrant. Nam ex eodem Paulo,* omnes sunt administratorij spiritus, &c. VEREBA- C TVR. *Ironicè dictum. Quasi verò, timidè & occultè Paulus de Deo Creatore mundi male, sub mundi nomine loqueretur, & non exertè, planè & apertè contra eum prædicasset & scripsisset, si cum Christo, vetus Testamentum Creatoris, & mundum opus eius malum conuincere voluisset; vt eos ad hoc missos à Deo suo bono Marcion fabulatur.*

S. Aug.

4. *Mundus, & omnia quæ in eo sunt, à Deo Creatore homini data sunt, maximè electo.* 5. *cont. Marc. cap.* 7 *in m.*

[a] EX *quo omnia,* nobis, nisi cuius omnia? Quænam ista? Habes in præteritis,[b] *Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas; siue mundus, siue vita, siue mors; siue præsentia, siue futura.* Adeo omnium Deum Creatorem facit, à quo & mundus, & vita, & mors; quæ alterius Dei esse non possunt. Ab eo igitur inter omnia & Christus.

a 1. Cor. 8. 6.
b 1. Cor. 3. 22.

MVNDVS. 4. SCHOL.

NOBIS *sunt data,* PRÆTERITIS, *præcedentibus dictis Pauli* 1. *Cor.* 3. 22. Omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura: omnia enim vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei. ALTERIVS DEI *scilicet Marcionis. Aug. to.* 9. *lib. de diligendo Deo cap.* 3. *Pulchrè hunc locum Pauli exponit.* Ita voluit Deus sibi ab homine seruiri, vt ea seruitute non Deus, sed homo juuaretur: & voluit vt mundus seruiret homini, vt exinde similiter juuaretur homo. Totum igitur bonū homi- D nis erat; & quod factum est propter ipsum, & propter quod factus est ipse. Omnia enim ait Apostolus vestra sunt: superiora scilicet, æqualia, & inferiora. Superiora quidem nostra sunt ad perficiendum, vt Deus Trinitas, æqualia nostra sunt ad conueniendum, scilicet Angeli, qui etsi modo sunt superiores nobis, in futuro erunt æquales. *Matth.* 22. *neque nubent, &c.* & inferiora nostra sunt, quæ ad vsum nobis sunt, sicut res dominorum dicuntur esse famulorum, non priuatione à dominio, sed quia sunt ad vsum eorum. Ipsique Angeli in quibusdam scriptu-

S. Aug.

ræ locis nobis seruire dicuntur, dum propter nos in ministerium mittuntur. Vnde Apostolus ait, *Hebr.6.* quoniam omnes administratorij spiritus sunt, missi in ministerium, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Neque id incredibile cuiquam videatur: quando quidem & ipse Creator & Rex Angelorum venit non ministrari, sed ministrare, & dare animam suam pro multis.

5. *Mundi sapientiam Deus confudit. 5. cont Marc. cap. 6. in f.*

a 1. Cor.3. [a] STulti estote, vt sitis sapientes. Quare? *Sapientia enim huius mundi, stultitia est penes Deum*
18.19. Penes quem Deum? Si nihil nobis & adhuc sensuum pristina præiudicauerunt, benè
b Iob. 5. quod & hîc adstruit; Scriptum est enim, [b] *Deprehendens sapientes in nequitia illorum.* Et rur-
13. sus, [c] *Dominus scit cogitationes sapientium, quod sint superuacuæ.* In totum enim præscriptum
c Psal. 93. à nobis erit, nulla illum sententia vti potuisse eius Dei, quem destruere deberet, si non illi
11. doceret. [d] *Ergo*, inquit, *nemo glorietur in homine.* Et hoc secundùm Creatoris disciplinam,
d 1.Cor.3. [e] *Miserum hominem, qui spem habet in hominem;* &, [f] *Bonum est fidere in Deo, quàm fidere in ho-*
21. *mine:* ita & gloriari.
e Hier.17.
5.
f Psal.117.
8.

MVNDVS. 5. SCHOL.

STVLTI ESTOTE. *Totum contextum interruptum, sic repone.* Nemo sese ducat: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens, sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum. Scriptum est enim *Iob.* 5. 13. comprehendam sapientes in astutia eorum. *Syr. autem.* qui comprehendit sapientes in calliditate eorum. *Vulgata apud Iob:* qui apprehendit sapientes: 70. qui capit sapientes in prudentia eorum *& iterùm*; Dominus nouit cogitationes sapientum, quoniam vanæ sunt. Psal. 93. 11. nemo itaque glorietur in hominibus. *Sic Paulus.* 1. *Cor.* 3. 18. *& seq. Aug. in Psal.* 93. *locum hîc à Paulo*
S. Aug. *citatum sic explicat:* tu nescis cogitationes Dei, quoniam iustæ sunt, &c. relinquite ergo cogitationes hominum quæ vanæ sunt, vt comprehendatis cogitationes Dei quæ sapientes sunt. *Et tract.* 60. *in Io.*
S. Aug. Pereant argumenta Philosophorum, qui negant in sapientem cadere perturbationes animorum. Stultam fecit Deus sapientiam huius mundi. 1. Cor. 1. & Dominus nouit cogitationes hominum, &c. PENES QVEM? *An Deum Creatorem, an Marcionis Deum?* NOBIS. *Vetus Testamentum recipientibus.* PRISTINA, &c. *quanquam antiquæ prophetiæ nihil hactenus nobis satisfecissent, nihil prædixissent quod sensibiliter legis veteris & nouæ consonantiam, eundemque Deum vtriusque authorem indicaret, & sua litera sensus nostros mysticos prophetasset:* BENE, *benè est, quod hîc adjicit Paulus se sic locutum juxta quod scriptum erat in veteri lege.* IN TOTVM, *prorsus, absolutè hinc contra Marcionem concludimus, Paulum nullam sententiam ad suum sensum confirmandum, ex authoritate veteris Testamenti proferre debuisse, cuius doctrinam potius euertere, quàm illi docere, authori eius Deo Creatori subscribere, & eius gloriæ suffragari debuerat, nisi & ipse, & Dei Creatoris, & Christi eius filij, Apostolus fuisset missus ad legem veterem non destruendam, sed in multis confirmandam.* DISCIPLINAM. *Legem veterem Ierem.* 17. 5. Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. 70. qui spem habet in homine, & firmabit carnem brachij sui super se. FIDERE IN DEO. *Psal.* 117.8. Confidere. ET GLORIARI. *Aug. lib.*17. *de Ciuit. cap.* 4. *Ex Cantico Annæ:* Nolite gloriari, & nolite loqui excelsa, &c. quoniam Deus scientiarum Dominus est, &c. Hæc dicuntur aduersariis Ciuitatis Dei, ad Babyloniam pertinentibus, de sua virtute præsumentibus, in se non in Domino gloriantibus, ex quibus sunt etiam carnales Israëlitæ terrenæ Ierusalem ciues terrigenæ, qui, vt dicit Apostolus, ignorantes Dei justitiam, id est, quam dat hominibus Deus, qui solus est justus & justificans; & suam volentes constituere, id est velut à se sibi paratam, non ab illo impertitam, Iustitiæ Dei non sunt subiecti. Vtique superbi, de suo putantes, non de Dei, posse placere se Deo; qui est Deus scientiarum, atque ideo & arbiter conscientiarum; ibi videns cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt, si hominum sunt, & ab illo non sunt. Et præparans, inquit, adinuentiones suas *vulgata, & illi præparantur cogitationes* quas adinuentiones putamus, nisi vt superbi cadant & humiles surgant? S. Aug.

6. *Mundi gaudium, plausus, & fiducia, à Deo maledicta. 4. cont. Marc. cap. 15. circa f.*

Luc.6.25. INgerit, Væ etiam saturatis, quia esurient; etiam ridentibus nunc, quia lugebunt. His re-
a Esa. 65. spondebunt illa, quæ suprà benedictionibus opposita sunt apud Creatorem, [a] *Ecce qui mi-*
14. *hi seruiunt, saturabuntur, vos autem esurietis*; vtique quia saturati estis. *Et ecce qui mihi seruiunt*
oblectabuntur; vos autem confundemini. Vtique ploraturi qui nunc ridetis. Sicut enim in Psal-
b Psa. 125. mo, [b] *Qui seminant in lachrymis, in lætitia metent*: Ita in Euangelio, qui in risu seminant,
5. scilicet ex lætitia, in lacrymis metent. Hæc olim Creator simul posuit, Christus solum-
c Luc. 6. modo distinguendo, non mutando renouauit. [c] *Væ, quum vobis benedixerint homines, secun-*
26. *dum hæc faciebant, & Pseudoprophetis patres illorum.* Æquè Creator benedictionis & laudis
d Esa.3. 12 humanæ sectatores incusat per Esaïam, [d] *Populus meus, qui vos beatos dicunt, seducunt vos, &*
vias pedum vestrorum disturbant. Prohibet & aliàs fidere omninò in hominem, sic & in laudem
e Hier.17. hominis, vt per Hieremiam, [e] *Maledictus homo, qui spem habet in homine.* Nam in Psalmo
5. centesimo decimo septimo, [f] *Bonum est fidere in Dominum, quàm fidere in hominem. Et bonum*
f Psal.117. *est sperare in Dominum, quàm sperare in principes.* Ita, totum quod ab homine captatur,
8. & 9. abdixit Creator, nedum benedictionem.

MVNDVS. 6. SCHOL.

INGERIT VÆ. *Congerit, sæpius iterat illud væ. Alibi jam hanc partem exposui.* QVI SEMINANT. *Psal. 125.* 5. qui seminant in lachrymis in exultatione metent. 70. *nil differunt. Aug. in hunc locum fusè extenditur in laudando semine boni operis maximè eleemosyna.* Et legit in gaudio metet. In ista, ait, vita quæ plena est lachrymis, seminemus. quid seminabimus? opera bona. Opera misericordiæ semina nostra sunt, de quibus seminibus ait Apostolus Gal. 6. Bonum autem facientes, non deficiamus; tempore enim proprio metemus infatigabiles, &c. quare desideratis latos fundos, vbi multa semina seminetis? Latior vobis non est, vbi seminetis, quàm Christus, qui in se voluit seminari. terra vestra Ecclesia est, seminate quantum potestis, &c. *Et ibidem paulò suprà.* Nolite seduci gaudio rerum humanarum, flenda in rebus humanis aduertite. Poterat ridere prius puer qui nascitur; quare à fletu incipit viuere? ridere nondum nouit, quare plorare jam nouit? quia cœpit ire in istam vitam, &c. *Et ser. 9. de ver. Apost.* Periculosius ægrotant, qui mentem febribus perdiderunt. Illi rident, & sani plorant. Ridet enim phreneticus, sed non est sanus. Porrò autem qui mentis est sanæ, plorat phreneticum ridentem; Primum, si duo ista proponas, quid est melius, ridere, an plorare; quis non sibi eligat ridere? denique propter dolorem salubrem pœnitentiæ, in fletu Dominus posuit officium, *quia proprium officium & opus peccatoris, est, vt dicat cum Psalte; Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, &c. rugiebam à gemitu cordis mei* in risu beneficium. *Siue quod in exultatione metent, & mercedem manipulorum accipient, siue quod ipsa merces sit beneficium in causa, & merito, per gratiam; siue tandem quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis* quomodo? quando ait in Euangelio, beati qui plorant, quia ridebunt. Ergo in ploratu officium est, in risu præmium sapientiæ. Risum enim pro gaudio posuit, non cachinnationem, sed exultationem. Ergo si duo ista proponas, & quæras, quid horum sit melius, ridere, an plorare; omnis homo plorare non vult, & ridere vult. Porrò si addas personas ad istos affectus, & ita proponas cum personis, quid est melius ridere phreneticum, an plorare sanum? eligit sibi homo fletum cum sanitate, quam risum cum amentia. Tantum valet mentis sanitas, vt etiam cum planctu eligatur. *Inde Eccle. 7. 5.* Cor sapientum vbi tristitia est, & cor stultorum vbi lætitia. 70. *Et Sanct. Pagn. conueniunt, nam pro* vbi, *legunt* in domo luctus, in domo lætitiæ. *Idem Aug. ser. 45. de Sanctis, qui prope totus est de hac materia, vbi & de pueris plorantibus; & inter cætera:* justus plorat veraciter, non plorat steriliter. Plorat plorantes, plorat ridentes: quia & qui plorant de rebus vanis, inaniter plorant, & qui rident de rebus vanis, malo suo rident, &c. quid colligunt qui nihil seminauerunt? imò colligunt, sed quod seminauerunt; quia spinas seminauerunt, ignem colligunt, &c. à fletu ad fletum, à fletu cum risu, ad fletum sine risu. Quid enim illis fiet? quò eunt, quando resurrexerint? quid? nisi quod Dominus dixit, Matth. 22. ligate illi manus & pedes, & proiicite illum in tenebras exteriores. Age, quid postea? tenebræ erunt & dolor non erit? forte palpabunt, & non dolebunt? non videbunt, non cruciabuntur? absit. Non solum tenebræ erunt, non eis sola tollitur species qua gaudebant, sed datur etiam quod in æternum gemant. Ne contemneres enim tenebras, ô quisquis es flagitiosus, qui soles propter tua facta mala, & propter lasciua adulteria, non solum tenebras non horrere, sed quærere; qui soles plus gaudere, quando lucerna extinguitur, non tales tenebras habebis vbi gaudeas, vbi læteris, vbi te voluptatibus carnis oblectes, non sic erunt ipsæ tenebræ. Quomodo erunt? ibi erit fletus & stridor dentium. Tortor sine defectu, tortus sine defectu. Nec qui torquet, fatigatur; nec qui torquetur, moritur. Erunt ergo æternæ lachrymæ illis qui sic vixerunt, æterna gaudia Sanctorum, quando venientes venient in exultatione portantes manipulos suos. *Et ibid. in p.* Euntes ibant, &c. euntes in mortem, venientes à morte. Euntes nascendo, venientes resurgendo. Seminantes opera bona, metentes mercedem æternam. Semina ergo nostra sunt, quidquid boni fecerimus; manipuli nostri quod in fine recipiemus. *Et in fine:* dicent enim tempore messis Domino suo, Domine adjuuante te fecimus quod jussisti, redde quod promisisti. INCVSAT, *accusat, arguit.* POPVLVS MEVS. *Vulgata.* Popule meus qui te beatum dicunt ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. 70: qui beatos vos dicunt, decipiunt vos, &c. turbant. FIDERE IN DOMINVM, *Psal.* 117 8. Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine: bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus. CAPTATVR, *auidè quæritur & ambitur.* ABDIXIT, *non benedixit, sed potius maledixit. Non solum benedictionem mundi, siue rerum, quarum abundantes, mundus beatos dicit, sed quidquid ab homine mortali terrenum concupiscitur.*

7. *Mundus, id est conuersatio mundi, horrori fuit Paulo, non autem opus Creatoris.* 5. *cont. Marc. cap. 4. circa f.*

SEd & mihi famulo Creatoris [a] *mundus crucifixus est*; non tamen Deus mundi; *& ego mundo*; non tamen Deo mundi. Mundum enim, quantum ad conuersationem eius, posuit; cui renunciando, mutuò transfigimur, & inuicem morimur; Persecutores vocat Christi.

a Gal. 6. 14.

MVNDVS. 7. SCHOL.

FAMVLO CREATORIS, *qui mundum non sperno, in quantum pulchrum est opus eius, sed nec mundum pro eius opifice Deo sumo, sed mundi hoc est mundani peccatoris* conuersationem *pestiferam fugio, mundum qui Deum non cognouit*, qui totus in maligno positus est, *qui Christum persecutus est, detestor,* MVTVÒ TRANSFIGIMVR. *Inuicem odimus, quasi in eodem patibulo confixi auersi sumus, & mutuis nos clauis & sagittis, verbis factisque impetimus.* INVICEM MORIMVR, *vt à cadauere auertimur, vt mortui & insensibiles nil eius lætamur, nil contristamur.* MVNDVS CRVCIFIXVS. *Gal. 6. 14.* Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. *August. in Psal. 121. in vers.* Fiat pax in virtute tua, ô Ierusalem, quæ ædificaris vt ciuitas, &c. Fiat pax, &c. in dilectione tua; quia virtus tua, dilectio tua. Audi Cantica Canticorum, *Cant. 8.* Valida est sicut mors dilectio. Magnum verbum, fratres, valida est, &c. Magnificentiùs exprimi non potuit fortitudo charitatis,

quàm vt diceret, valida est, &c. Quis enim resistit morti? Fratres, intendat charitas vestra. Resistitur ignibus, vndis, ferro, resistitur potestatibus, resistitur Regibus: venit vna mors, quis ei resistit? nihil est illâ fortius. Propterea viribus eius charitas comparata est, & dictum est, valida est, &c. & quia & ipsa charitas occidit quod fuimus, vt simus quod non eramus; facit in nobis quandam mortem dilectio. Ipsa morte mortuus erat, qui dicebat: Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo, *id est, mundus mihi Crux, & ego Crux mundo:* Ipsâ morte mortui erant, quibus dicebat *Coloss.* 3. mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. *Et lib.*
S. Aug. 2. *de Trin. cap.* 17. Nunc in quantum Dei sapientiam, per quam facta sunt omnia, spiritaliter intelligimus, in tantum carnalibus affectibus morimur: vt mortuũ nobis hunc mundum deputantes, nos quoq; ipsi huic mundo moriamur, & dicamus quod ait Apostolus: Mundus mihi crucifixus est, &c. De hac enim mor- A te iterùm dixit *Coloss.* 2. Si autem mortui estis cùm Christo, quid adhuc velut viuentes de hoc mundo decernitis? Non ergo immeritò nemo potest faciem, id est, ipsam manifestationem sapientiæ Dei videre, & viuere, &c. *Subiicit exemplum Moysi amore Dei videndi capti, & populi etiam charitate ardentis vt eodem bono potiretur, ex quibus duobus præceptis charitatis, tota lex pendet & Prophetæ. Et concludit de amore forti vt mors:* Illa est ergo species, *vultus & facies Dei speciosissima*, quæ rapit omnem animam rationalem desiderio sui, tantò ardentiorem, quantò mundiorem: & tantò mundiorem, quantò ad spiritalia resurgentem, ,tantò autem ad spiritalia resurgentem, quantò à carnalibus morientem. *Hinc mors lucrum Paulo, & viuere Christus, per quem illi mundus crucifixus est, & ille mundo, sic amore fortiori morte separatus à vita mundana, nulli mundi rei partis generosâ & inexorabili amoris morte Christo confixus Cruci.*

8. *Mundus carcere peior. V. Verbum. Martyr. num.* 8.

MVTATIO.

I. *Mutabilis est natura omnium rerum natarum; solius Dei natura innata, immutabilis est. de Ani. cap.* 21. *in f.*

QVid nunc, si & naturæ conditio sic erit definienda; vt duplex determinetur, natorum & innatorum, factorum & infectorum? atque ita quod natum factúmque constiterit, eius natura capiet demutationem; & renasci enim poterit & refici. Innatum autem & infectum immobile stabit. quod cùm soli Deo competat, vt soli innato & infecto, & idcircò immortali & inconuertibili, absolutum est, ceterorum omnium natorum atque factorum conuertibilem & demutabilem esse naturam; vt & si trinitas animæ adscribenda esset, ex mutatione accidentiæ, non ex institutione naturæ deputaretur.

MVTATIO. 1. SCHOL.

NATVRÆ CONDITIO, *rerum omnium ordo & qualitas.* DEFINIENDA. *Diuidenda, quasi diceret, fines rerum omnium diuiduntur, in ea quæ nata & facta, & ea quæ innata, & non facta sunt. Quam diuisionem sumit ex ipso Hermogene agente de materia sua innata & infecta.* RENASCI, &c. *quod aliàs mutatum fuerat à non esse, ad esse factum & natum; & in defectum, mutabile fuerat, rursum renasci & refici poterit.* SOLI DEO.
S. Aug. *Aug. lib.* 11. *de Ciuit. c.*10. Est bonum solum simplex, & ob hoc solum incommutabile, quod est Deus. Ab hoc bono creata sunt omnia bona, sed non simplicia, & ob hoc mutabilia. *Quia simplex essentia Dei per seipsam, & non ex accidenti, aut per compositionem, est ipsa sua bonitas, sapientia, potestas, &c. & semper in actu, vnde non mutatur à potentia ad actum, & sic incommutabilis est* creata sanè, inquam, id est, facta, non genita. Quod enim de simplici bono genitum est, pariter simplex est: & hoc est, quod illud, de quo genitum est; quæ duo Patrem & Filium dicimus, & vtrumque hoc cum Spiritu suo, vnus est Deus: qui Spiritus Patris & Filij, Spiritus sanctus propria quadam notione huius nominis, in Sacris Litteris nuncupatur. Alius est autem quàm Pater & Filius, quia nec Pater est, nec Filius: sed alius, dixi, non aliud: quia & hoc pariter simplex, pariterque bonum est incommutabile & coæternum. Et hæc Trinitas vnus est Deus: nec ideo non simplex, quia Trinitas, &c. sed ideo simplex dicitur, quoniam quod habet, hoc est, excepto quod relatiuè quæque persona ad alteram dicitur, &c. propter hoc itaque naturâ dicitur simplex, cui non sit aliquid habere, quod vel possit amittere: vel aliud sit habens, aliud quod habet: sicut vas aliquem liquorem, aut corpus colorem, aut aër lucem, siue feruorem, aut anima sapientiam: nihil enim horum, est id, quod B habet. Nam neque vas liquor est, nec corpus color, nec aër, lux, siue feruor, neque anima sapientia est. Hinc est quod etiam priuari possunt rebus quas habent, & in alios habitus vel qualitates verti atque mutari, vt & vas euacuetur, humore quo plenum est, & corpus decoloretur, & aër tenebrescat, siue frigescat, & anima desipiat. *Imò & deficiat, & annihiletur, cùm existentia eius ipsa non sit, nec necessaria nec æterna. Vnde vt ex nihilo Deo volente, ad esse mutata est, sic ad non esse mutari potest.* Secundum hoc ergo dicuntur illa simplicia, quæ principaliter, veréque diuina sunt, quòd non aliud est in eis qualitas, aliud substantia; nec aliorum participatione, vel diuina, C vel sapientia, vel beata sunt. *Quales sunt solæ tres personæ Trinitatis, quæ sunt vna & simplex, æterna, & incommutabilis diuinitas.* ABSOLVTVM EST, *omninò consequens est.* SI TRINITAS. *Patet hic Tertullianum hoc caput claudere, sicut incepit, his verbis:* Quòd si vniformis natura animæ ab initio in Adam ante tot ingenia; *inuentiones fabulosas*, ergo non multiformis, quia vniformis, per tot ingenia, *licèt inter tot fabulas, manet tamen vniformis anima:* iam nec triformis, vt adhuc Trinitas Valentiniana cædatur: *castigetur, reprehendatur. Valentiniani ergo dicebant animam Adami fuisse spiritalem, animalem & materialem, siue carnalem, quod explicabant in tribus eius filiis, Seth spiritali.* D *Abel animali, Cain carnali & materiali, siue Choico. Hinc patet sensus Authoris: si tribuenda esset aliqua Trinitas huiusmodi animæ, imputanda non esset primæ eius & naturali institutioni, & creationi, siue essentiæ naturali, sed mutabilitati prouenienti ex aliquo accidenti: siue quòd anima libera, quia essentialiter, vt suprà diximus, iusta & sapiens non est, sed ex accidenti, & participata qualitate; hinc mutari potuit de bono in malum. Sublimiori sensu sic exponi potest illud:* Si Trini-

tas, &c. *Adeò verum est, omnia præter Deum trinum & vnum, esse mutabilia, vt & si anima adscribenda esset numero rerum immutabilium, si animæ rationali diuinitas aliqua tribuenda esset, qualis est in ea immortalitas & imago Trinitatis, hæc ei imputari & adscribi non deberet, quasi eius essentia esset sua incommutabilitas & immortalitas. De Deo enim solo dictum est;* Ego A Deus, & non mutor, &c. *Et rursum:* Qui solus habet immortalitatem. *Licèt enim animæ substantia sit immortalis, non tamen ab æterno, nec à se, sed dependenter à Deo, à quo in nihilum redigi potest. Si fixa est in bono, non ex arbitrio mutabili, ex institutione naturæ, sed ex gratiæ aduentu fit stabilis, non ex debito.*

2. Mutationem in melius omnia appetunt; & Deus potest omne malum, in bonum conuertere: cont. Hermog. cap. 37. in f.

SI bona fuisset materia semper, quare non desiderasset in melius reformari? Quod bonum, non desiderat; aut non optat, aut non capit profectum? vt fiat de bono melius.
Æquè, si mala natura fuisset, quare non potuerit à Deo conuerti, vt à potentiore, vt ab Matth. 3.
eo, qui lapidum quoque naturam conuertere valeat in filios Abrahæ? Nempe ergo non 9.
tantùm comparas Deum materiæ, sed & subiicis, à quo natura materiæ deuinci & edomari in melius non potuisset. Sed & quam hîc non vis naturâ malam, alibi te confessum negabis.

MVTATIO. 2. SCHOL.

SEMPER. *Loquitur ex sensu Hermogenis dicentis materiam Deo coæternam. Nihil hîc difficile. Hîc solùm subiicio breuiter animam nostram, quamuis lapidea esset, & indurata, peruersa sua voluntate in malo, per Deum posse & eius gratiam mutari in bonum, vt de lapidibus* B *faciat filios Abrahæ. Sic Aug. lib. 20. de Ciuit. cap. 26. ex* S. Aug.
Malach. 3. Quoniam ego Dominus Deus vester, & non mutor. tanquam diceret: cùm vos mutauerit, & in deterius culpa vestra, & in melius gratia mea, ego non mutor. *Vide seq. Schol.*

3 Conuertibilis est anima de malo in bonum, vi gratiæ præualentis naturæ. De Ani. cap. 21. in m.

DE hoc planè relinquitur quæri, an demutabile debeat credi, quòd naturale dicatur.
Iidem enim conuertibilem negant naturam, vt trinitatem suam in singulis proprieta-
tibus figant: quia [a] *Arbor bona malos non ferat fructus, nec mala bonos; & nemo de spinis metat* a Matth.
ficus, & de tribulis vuas. Ergo si ita est, neque [b] *de lapidibus filios Abrahæ suscitare poteris Deus,* 7. 18.
nec genimina viperarum facere pœnitentiæ fructus; Et errauit Apostolus scribens; [c] *Eratis &* Ibid. 16.
vos aliquando tenebræ, & fuimus & nos aliquando natura filij iræ, [d] *& in his vos quoque fuistis,* b Matth.
sed abluti estis. Sed nunquam discordabunt sententiæ sanctæ. Non dabit enim arbor mala 3. 9.
bonos fructus, si non inseratur; & bona malos dabit, si non colatur; & lapides filij Abrahæ c Ephes. 2.
fient, si in fidem Abrahæ formentur; & genimina viperarum fructum pœnitentiæ facient; 3.
si venena malignitatis expuerint. Hæc erit vis diuinæ gratiæ, potentior vtique natura; ha- d 1. Cor.
bens in nobis subjacentem sibi liberam arbitrij potestatem, quod αὐτεξούσιον dicitur. quæ 6. 11.
cùm sit & ipsa naturalis atque mutabilis, quoquo vertitur, natura conuertitur. Inesse au- Matth. 7. 18.
tem nobis τὸ αὐτεξούσιον naturaliter, iam & Marcioni ostendimus, & Hermogeni. *V. su-* Matth. 3. 9.
prà verbo Gratia. num. 3.

MVTATIO. 3. SCHOL.

RELINQVITVR QVÆRI, *superest vt quæramus.* DEMVTABILE. *An id quod dicitur naturale & insitum rei, sit commutabile.* IIDEM, *Valentiniani.* CONVERTIBILEM, *mutabilem.* TRINITATEM, *De qua Scholio 1. supra.* IN SINGVLIS, *spiritali scilicet, animali, carnali, anima.* FIGANT, *confirment, dicendo naturales has tres proprietates & inditas animæ, & non ex accidenti tentatione vel aliter, mutata voluntate euenisse.* QVIA ARBOR, &c. *Confirmans ex Scriptura, quod sicut arbor ex natura bona mutari non potest, vt malos fructus faciat, &c. Matth. 7. 16.* Nunquid colligunt de spinis vuas & de tribulis ficus? sic omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit, &c. ERGO, &c. *sic concludit Tertullianus, sequetur etiam contra Euangelij verba, Deum non posse lapides conuertere in filios Abrahæ, & contra Paulum Ephes. 2. 3.* Eramus natura filij iræ sicut & cæteri & *1. Cor. 6. 11.* Et hæc quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis & *Ephes. 5. 8.* Eratis enim aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino. NVNQVAM DISCORDABVNT. *Vno eodemque spiritu dictata; Licet hi loci aduersari videantur. Sed intelligi debet, arborem palustrem, suauem fructum, non daturam, nisi inseratur. &c. quæ clara sunt.* VIS DIVINÆ GRATIÆ. *Aug. lib.* C *de Prædest. Sanctorum cap. 8.* Hæc gratia quæ occultè S. Aug.
humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur vt cordis duritia primitùs auferatur. Quando ergo Pater intus auditur, & docet vt veniatur ad filium, aufert cor lapideum, & dat cor carnem Ezech. 11. &c. cur ergo non omnes docet vt veniant ad Christum? nisi quia omnes quos docet, misericorditer docet; quos autem non docet, judicio non docet; quoniam Rom. 9. cuius vult miseretur, & quem vult indurat. sed miseretur bona tribuens, obdurat, digna retribuens, &c. SVBIACENTEM SIBI. *Aug. ibid. cap. 20.* S. Aug.
Agit Deus, quod vult in cordibus hominum, vel adiuuando, vel judicando; vt etiam per eos impleatur, quod manus eius & consilium prædestinauit fieri, &c. Cùm Deus vult fieri, quod non nisi volentibus hominibus oportet fieri, inclinari eorum corda vt hoc velint; eo scilicet inclinante qui in nobis operatur & velle. NATVRALIS ATQVE MVTABILIS. *Aug. de vera Religione cap 17.* Vt ars Medicinæ, cùm S. Aug.
eadem maneat, neque vllo pacto ipsa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis est nostra valetudo: ita Diuina prouidentia, cùm sit ipsa omnino incommutabilis, mutabili tamen crea-

turæ variè subuenit, & pro diuersitate morborum aliis alia iubet, aut vetat, vt à vitio vnde mors incipit, & ab ipsa morte ad naturam suam & essentiam, ea quæ deficiunt, id est ad nihilum tendunt, reducat & firmet. *Prosequitur cap. sequenti, statim obiicientem inducit:* sed dicis mihi, quare deficiunt? quia mutabilia sunt. quare mutabilia sunt? quia non summè sunt. Quare non summè sunt? quia inferiora sunt eo à quo facta sunt. Quis ea fecit? qui summè est. Quis hic est? Deus incommutabilis Trinitas, quoniam & per summam sapientiam ea fecit, & summa benignitate conseruat: cur ea fecit? vt essent: ipsum enim quantulumcumque esse, bonum est: quia summum bonum est, summè esse. Vnde fecit? ex nihilo. Quoniam quidquid est quantulacumque specie sit, necesse est. (*Id est infallibiliter, solus enim Deus, necessariò est*) ita etsi minimum bonum, tamen bonum erit, & ex Deo erit. Nam quoniam summa species, summum bonum est, minima species minimum bonum est. Omne autem bonum, aut Deus, aut ex Deo est. Ergo ex Deo etiam minima species. *αὐτεξούσιον. Sic Græci Patres vocant liberum arbitrium. Ita S. Nemesius c. 29. Maximus Tyrius differt. 3. S. Isid. Pelusiota ep. 129. & homo, à D. Greg. Naz. dicitur: τῷ αὐτεξουσίῳ τιμηθεὶς, honoratus libero arbitrio, id est sui iuris.*

Clemens Alex. 4. Strom. cap. 8. vim Græcæ vocis expreßit, quæ significat sui iuris esse, & pro libito agere, potestatem, & dominium penes semetipsum habere suorum actuum. Id, inquit, est in nostra potestate, cuius ex æquo sumus domini, & eius quod ei aduersatur; vt philosophari, vel non; & credere, aut non credere. Per hoc ergo quod sumus æquè participes vtriusque eorum quæ inter se aduersantur, inuenitur fieri posse id quod est in nostra potestate. Quin etiam præcepta sunt huiusmodi, vt a nobis possint fieri vel non fieri, quæ consentaneum est vt consequatur laus & vituperatio. *Et lib. 5. Strom. cap. 1. notat liberum arbitrium, licèt capax sit boni & perfectionis, illud tamen sine gratia consequi non posse.* Neque fieri potest, vt sine libero animi nostri arbitrio & instituto id consequamur: neque vniuersum est positum in nostra voluntate, quale sit quod est euenturum, *gloria scilicet & salus æterna:* gratiâ enim seruamur, sed non absque bonis operibus, &c. ad quod quidem maximè diuinâ habemus opus gratiâ, rectâque doctrinâ, castâque & mundâ animi affectione, & Patris ad ipsum attractione. *Nus enim quantumuis natura liber venit ad Filium, nisi Pater traxerit illum. Et rursum ibidem.* Non absque diuina gratia erigitur & exurgit anima, & extollitur supra ea quæ supereminent, quicquid graue est deponens, & reddens ei quod est cognatum: dicit autem Plato in

A Menone, virtutem esse datam diuinitùs. *Et 3. Strom. cap. 4.* Quemadmodum est is laudandus qui libertate vsus est ad viuendum ex virtute: ita multò magis qui nobis dedit liberam, & nostri iuris potestatem, & concessit nobis viuere vt vellemus, est venerandus, & adorandus, vt qui non permiserit vt nostra electio, & vitatio seruiret necessariò, &c. qui impingit in voluptates, gratificatur corpori: têperans autem, animam corporis dominam liberat a vitiis. *Vbi clarè docet veram esse ex virtute diuinitùs, & ex gratia data, animi libertatem. Greg. item Nazianzenus orat. 38. vbi de primo homine:* Hunc arbitrij libertate donatum, vt bonum non minùs illius esset, qui elegisset, quam eius qui semina præbuisset, in paradiso collocauit, plantarum immortalium cultorem, hoc

B est fortasse diuinarum cogitationum, &c. nudum quantum ad simplicitatem, & vitam arte & fuco carentem. *Scholiastes autem eius Elias Cretensis, in Orationem eius 24.* Liberum, inquit, arbitrium dicitur de Deo superessentiali modo; De Angelis autem sine vllo impedimento, vt qui nullam a corporibus vel aliis rebus repugnantiam habent; at in hominibus ob diaboli impetum & corporis grauitatem, habitu posterior est aggreßio. *Nazianzenus tandem gratiæ tribuit ipsam etiam bonam arbitrij voluntatem, Oratione 31.* Quoniam, inquit, nonnulli sunt, qui ob rectè facta, ita animis efferuntur, vt id totum sibiipsis ascribant, nec quicquam Creatori & sapientiæ eo-

C rum authori, ac bonorum omnium suppeditatori acceptum ferant, his verbis eos docet Paulus, quod ipsum etiam rectè velle, diuino auxilio indigeat: immò vt rectius loquar, voluntas quoque ipsa, & electio eorum quæ recta, & cum officio cōiuncta sunt, diuinum quoddam beneficium est, atque à Dei benignitate manans. Idcirco ait Rom. 9. non volentis, id est non solùm volentis, nec currentis solùm, sed etiam miserentis Dei. Ita quoniam velle quoque ipsum à Deo est, optimo jure totum Deo assignauit. Quantumlibet curras, quantumlibet certes, opus habes eo qui det coronam. *Et ipsa corona, juxta Augustinum alibi citatum à nobis, secundùm Paulum victoriæ merces est, quam homo non obtinet solius ar-*

D *bitrij viribus, sed per Christi gratiam, pro qua Paulus dicit:* gratias ei qui nobis dedit victoriam, per Iesum Christum, *& juxta Psaltem:* qui coronat te in misericordia & miserationibus, gratiam, & gloriam dabit Dominus. *Hinc prosequitur Nazianzenus Dauidem explicans Psalmo 126.* Nisi Dominus ædificauerit domum, &c. Scio, inquit, quòd nec leuium cursus est, nec bellum potentum, nec pugnantium victoria, nec prosperè nauigantium portus: sed Dei est, victoriam afferre, & incolumem scapham in portum perducere.

4. *Mutatio toti mundo frequens est, in die, nocte, Sole, Luna, astris, aëre, terra, mari, diluuio. De Pall. cap. 2. in p.*

Certè habitum vertere, naturæ totius solenne munus est. Fungitur & ipso mundus interim iste quem incumbimus. Viderit Anaximander, si plures putat: viderit si quis vspiam alius ad Meropas, vt Silenus, penes aures Midæ blattit, aptas sanè grandioribus fabulis. Sed & si quem Plato æstimat, cuius imago hîc sit, etiam ille habeat, necesse est, proinde mutare. Quippe si mundus, ex diuersis substantiis officiisque constabit, ad formam eius, quod mundus hic est: neque enim mundus, si non vt mundus. Proinde diuersa in vnum, ex demutatione diuersa sunt. Denique diuersitatis discordiam vices fœderant. Ita mutando erit mundus omnis, qui & diuersitatibus corporatus, & vicibus temperatus. Nostra certè metatio, quod clausis vel in totum Homericis oculis liquet, totum versiforme est. Dies & nox inuicem vertunt. Sol stationibus annuis, Luna modulationibus menstruis variat. Siderum distincta confusio interdum deicit quid, interdum resuscitat. Cœli ambitus, nunc subdiuo splendidus, nunc nubilo sordidus: aut imbres ruunt. aut si qua missilia cum imbribus, dehinc substillum, & denuò sudum. Sic & mari fides infamis, dum & flabris

æquè mutantibus, de tranquillo probum; de flustris temperatum, & extemplò de decumanis inquietat. Sic & terram si recenseas temporatim vestiri amantem, propè sis eandem negare, memor viridem cùm conspicis flauam, mox visurus & canam. Ceteri quoque eius ornatus si quid, non aliud ex alio mutant? & montium scapulæ decurrendo, & fontium venæ cauillando, & fluminum viæ obhumando. Mutauit & totus orbis aliquando, aquis omnibus obsitus. Adhuc maris conchæ, & buccinæ peregrinantur in montibus, cupientes Platoni probare etiam ardua fluitasse. Sed & enatando rursus in forma: mutauit rursus orbis, alius idem.

Gen. 7. 10. 24. Gen. 8. 1. & seq. maximè 1. 3. Gen. 9. 1. & seq.

MVTATIO. 4. SCHOL.

VERTERE, *mutare, toti naturæ commune est*; ET IPSO. *Supple munere mutationis.* ISTE, *realis & verus.* INCVMBIMVS, *habitamus & colimus.* ANAXIMANDER, *de quo suprà, verbo Mundus num.* 1. *Iuxta Augustinum lib.* 8. *de Ciuit. cap.* 2. Rerum principia singularum, esse credidit infinita, & innumerabiles mundos gignere. *Viderit ille si mundi sui sint mutabiles: Nostri certè iuxta Paulum*, Præterit figura huius mundi. VSPIAM ALIVS, *sit mundus apud Meropas. Meropis Insula est Cariæ adiacens. Meropia vna Cycladum, vt finxit* SILENVS, *& insulsè* BLATTIT, *id est, garriit* MIDÆ *auribus asininis, latioribus, & aptioribus tantis fabulis excipiendis.* PLATO. *Mundus etiam ille occultus, si quis est quem tanti facit, cuius hic noster tantùm imago est, debet etiam esse mutationi obnoxius, cùm imago sit ab imitando dicta.* SI MVNDVS. *Supple, sit ille Platonis*; SVBSTANTIIS, *cælo, elementis, &c.* OFFICIIS, *conuersionibus & motibus, generationibus, corruptionibúsque constabit.* AD FORMAM EIVS. *Sicut hic noster mundus, in quo quidquid est, totum est mutabile.* NEQVE ENIM, &c. *Non enim verè erit mundus, nisi sicut hic noster sit mutationi subiectus. Inde dictus* mundus quasi mouendus. DIVERSA IN VNVM. *Cælum enim & elementa ex varia mutatione & contrarietate, in vnum tamen mundum constandum discordi concordiâ conueniunt, & rerum vicissitudine discordiam componunt, dum dies nocti, calor frigori; æstas hyemi succedit.* ITA MVTANDO, &c. *Sic fit, vt totus mundus mutatione constet.* CORPORATVS, *compactus est corporibus cælorum & elementorum. temporúmque vicibus.* NOSTRA METATIO. *Quidquid sit de mundis aliis fabulosis, noster hic quem colimus & partimur omnes terrigenæ, & oculis, animo, incessu circumlustramus, totus versatur in mutatione formarum & rerum: quod adeò clarum est, vt & cæci, qualis Homerus, id videant.* VERTVNT, *mutant vices.* SOL STATIONIBVS. *Alij* solstitionibus, *solstitiis annuis. vel intellige domos Zodiaci, quas obit gradatim, in singulis signis vno mense commorando: vel quia Sol stat, & vltrà non progreditur; sed retrograditur in solstitiis.* MODVLATIONIBVS MENSTRVIS. *Cursibus moderatis mensium: vel multoties singulo quoque mense modulum & formam variando.* DEIICIT QVID, *tum quòd pars oritur in astris, pars occidit, vt caput, vel cauda draconis: tum quia ortus & occasus syderum, alia corruptioni subiicit, alia generando suscitat.* COELI AMBITVS, *aërem intellige superiorem qui nos ambit.* SVBDIVO, *sub dio, extra tectum cùm serenum est.* MISSILIA. *Grandines quæ mittuntur vt tela de media regione aëris.* DEHINC SVBSTILLVM. *Post abundantem pluuiam stillans adhuc tempus subobscurum & nubilum.* SVDVM. *quasi sine vdo, id est humido, tempus fit siccum & serenum.* FEDES INFAMIS, *quia inconstans.* FLABRIS, *ventorum flatibus* DE TRANQVILLO, *apto nauigationi.* PROBVM, *alij* procitum, *id est procitatum & commotum, & sic prohibens à nauigatione. Quod ait per antiphrasim, sicut bellum dicitur quòd minimè bellum*, probum, *quòd minimè probum.* FLVSTRIS, *id est, mollitie, & planitie, quam malaciam vocant, per antiphrasim, Gallicè enim dicimus*, bonasse. TEMPERATVM. *id est mediocriter agitatum.* ET EXTEMPLO, *subitò mutatum.* DE DECVMANIS. *Propter fluctus decuplo* A *supra solitum assurgentes, & nauim quatit, & nauigantes timore inquietat. Alij legunt:* inquietos: *supple fluctus pacatos mutatur ex decumanis.* SI RECENSEAS, *si examines, vel numeres, quoties mutet.* TEMPORATIM, *per quatuor anni tempora.* VESTIRI AMANTEM. *Diceres terram, induere formam alicuius amantis pro affectus diuersitate mutantis habitum & colorem; & parum abest, quin dicas aliam omnino esse terram, quam verno tempore viridem, æstiua messe flauescentem, Autumno canam deciduis frondibus, & hyeme niue & pruina candidam.* ORNATVS EIVS, *terræ scilicet apparatus.* SI QVID, *supple habet vsitatum; nihil aliud solemnius habet quàm ipsam mutationem.* MONTIVM SCAPVLÆ, *alij*, scopulæ, *eminentia & vertices, ventis, alluuionibus, pondere proprio laxati & proruentes.* CAVILLANDO; *hinc inde obliquè decurrendo; alij* bullando, *quasi in bullas è terra emergendo, & bulliendo, alij* ebullando, *quod ebullire desinant. Melius cauillando, latendo subito, & subterfugiendo.* FLVMINVM VIÆ, *aluei* OBHVMANDO, *exundando scilicet, portiones terræ diripiunt, & sepeliunt in aquis. Alij legunt*; obumbrando, *quia interdum in mediis alueis fluminum paruæ insulæ syluosæ nascuntur, rursum*, obhumando *significat, alueos fluminum humo & limo oppleri, vnde mutantur fluminum cursus, & viæ. Hinc alij legunt*, obambulando, *id est viam aluei commutando.* AQVIS OMNIBVS, *superioribus & inferioribus mundatus.* BVCCINÆ PEREGRINANTVR. *Ostrea* C *in tubam conformata, in loco non suo procul à mari resident.* PLATONI, *qui campos solos & valles credidit mersos diluuio.* ETIAM ARDVA, *summa montium fastigia sub fluctibus fuisse. Aug. iuxta Gen. arguit non credentes tantam inundationem.* 15. *de Ciuit. cap.* 27. Opinantur tam magnum fieri non potuisse diluuium, vt altissimos montes quindecim cubitis aqua crescendo transcenderet; propter Olympi verticem montis, supra quem perhibentur nubes non posse conscendere, quod tam sublimis quàm cœlum sit, vt non ibi sit aër iste crassior, vbi venti, nebulæ, imbresque gignuntur; nec attendunt omnium elementorum crassissimam terram ibi esse potuisse. An fortè negant esse terram verticem montis? cur igitur vs- D que ad illa cœli spatia terris exaltari licuisse, & aquis exaltari non licuisse contendunt? cùm isti mensores & pensores elementorũ, aquas terris perhibeant superiores atque leuiores. quid itaque rationis afferunt, quare terra grauior & inferior locum cœli tranquillioris inuaserit per volumina tot annorum, & aqua leuior ac superior permissa non sit hoc facere, saltem ad tempus exiguum? *De exaltatione aquarum supra montes sic Gen.* 7. 19. Et aquæ præualuerunt nimis super terram: opertique sunt omnes montes excelsi sub vniuerso cœlo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super omnes montes quos operuerat. *Sic habet & Sanct. Pagn. ex Hebr. translatio* 70. *& Paraph. Chaldaïca.* ENATANDO. *Dum aquæ cessarunt, emersit orbis ex vndis.* RVRSVS IN FORMA, *quam mersus amiserat. Alij sic distinguunt:* rursus in forma mutauit. *Id est aquis omnino exhaustis, facies eius altera apparuit.* ALIVS IDEM. *Alius forma externa, habitu: idem substantia. Vel qui alius fuerat forma mutata, idem in eandem reuertitur.*

S. Aug. (ad lib. 8. de Ciuit.) — S. Aug. (ad 15. de Ciuit.)

5. Mutatio mundi in Insulis, vel absorptis, vel emergentibus de nouo; in ignibus Sodomæ; Vulcanis Campaniæ, & terra voraginibus. De Pall. cap. 2. circa m.

MVtat & nunc localiter habitus, cùm situs læditur: cùm ante insulas, nulla iam Delos, Arenæ Samos: & Sybilla non mendax: cùm in Atlantico, Libyam aut Asiam adæquans quæritur: cùm Italiæ quondam latus, Hadria Tyrrhenóque quassantibus mediotenus interceptum, reliquias Siciliam facit: cùm tota illa plaga discidij, contentiosos æquorum coitus angustiis retorquens, nouum vitij mari imbuit, non expuentis naufragia, sed deuorantis. Patitur & continens de cœlo; aut de suo. Aspice ad Palæstinam, quâ Iordanes amnis finium arbiter, vastitas ingens, & orba regio, & frustrà ager: at vrbes retrò, & populi frequentes, & solus audiebat: dehinc vt Deus censor est, impietas ignium meruit imbres. Hactenus Sodoma, & nulla Gomorrha, & cinis omnia, & propinquitas maris iuxta cum solo mortem viuit. (Gen. 19. 24.) Ex huiusmodi nubilo & Tuscia Vulsinios pristinos deusta, quò magis de montibus suis Campania speret, erepta Pompeios. Sed absit. Vtinam & Asia secura iam sit de soli ingluuie. Vtinam & Africa semel voraginem paruerit; vnicis castris fraudatis expiata.

MVTATIO. 5. SCHOL.

MVTAT ET NVNC, &c. *Orbis scilicet habitum, & formam, per diuersa loca mutat, cùm aliqua Ciuitas vel regio aliquo in loco sita, terrâ dehiscente sorbetur, vel in eo loco aquoso, vbi priùs nulla terra videbatur, Insula repente emergunt.* NVLLA IAM DELOS. *Mercerium hîc non sequor, suspectum habentem hunc locum, dicentémque falsum esse æuo Tertulliani Delon, aliásque memoratas hîc Insulas non fuisse; cùm earum fiat mentio apud contemporaneos Tertulliani. Credibilior est enim Sibylla lib.* 4. Delos non iam paret. ARENÆ SAMOS. *Eadem Sibylla lib.* 3.

Fiet arena Samos, Delos deleta latebit.

Hinc subiicit Tertull. Et Sibylla non mendax. *Quod sic intelligendum est, vt id Tertull. referas iuxta vaticinium Sibyllæ iam inde certum: non quod iam tum Samos omninò sublata esset, solis eius loco relictis arenis, aut Delos iam non appareret: sed quod obruendæ essent, & tandem aliquando futuræ nullæ. Cùm hæc scriberet Tertullianus, nihil ex ædificiis vtriusque insulæ stabat; præter solum vtraque vastata erat, & desolata., Quod non solùm in Sybillino oraculo futurum legerat, sed & apud Historicos iam factum. Lucem recipiet hic locus ab eo quod habet Apol.* 40. Legimus Hierapolim, & Delon, & Rhodon, & Coon insulas, multis cum millibus hominum pessum abiisse. Memorat & Plato maiorem Asiæ terram Atlantico mari ereptam. Sed & mare Corinthium terræ motus ebibit. Et vis vndarum, Lucaniam Italiæ abscissam in Siciliæ nomen relegauit. *Pamelius ex Turnebo legit*, Nulla iam Delos, arenæ Samos, & si ille non mendax, Æon in Atlantico Libyam aut Asiam adæquans quæritur nunc: Italiæ quondam latus, &c. *Platonem intelligit, cuius ex schola Valentiniani insulam Feliculam sumpserunt ex commento Æon.* ÆON *mundus, de quo Plato in Crit. quem non disiunctiuè, sed coniunctiuè, Libyæ & Asiæ, in magnitudine comparat,* ATLANTICO, *mari scilicet, quod eius loco successit. Iam quæritur, & non inuenitur, quia absorptus est. Fit & mentio apud Platonem insulæ quam comparat Libyæ & Asiæ, quam vocat Atlantem. Diodorus etiam & Thucydides Atalantam, vnde & nomen mari Atlantico.* ITALIÆ QVONDAM LATVS. *Magna pars Italiæ, à mari Hadriatico & Tyrrheno concussa, mediis interiecta vndis absorpta, partem tantùm excisam reliquit, quam nunc inde Siciliam dicimus. Dicitur enim Sicilia quasi separata & exsecta.* PLAGA DISSIDII, *id est, illa regio angusta & anceps, quæ media interiacet inter Siciliam & Italiam, in qua fit vtriusque maris præfati conflictus. vel,* Plaga discidij, *est, pars illa Italiæ, quæ à prædicto latere discissa est: vbi nunc aqua ma-*

A *ris hinc inde scinduntur.* NOVVM VITII, *nouum vitium, nouum periculum ante hanc voraginem inauditum, dedit huic mari; quod non vt alia maria, euomendo fluctus, naues naufragas eructat, sed absorbet, & Charibdis appellatur iuxta Thucydidem lib. 4. Alij legunt:* Nomen vitij mari induit: *quod nec respuo, facta allusione ad habitum quem suprà dixit orbem localiter mutare. Sic totum hunc Tertulliani locum Pomponius Mela refert lib.* 2. *cap.* 7. Sicilia aliquando continens, & agro Brutio annexa, pòst freto maris Siculi abscissa est. Id angustum & anceps, modò in Tuscum, modò in Ionium pelagus perfluit, *Tertull. dixit Hadriaticum & Thyrrhenum*, atrox, sæuum, & Scyllæ Charibdisque sæuis nominibus inclitum.

Aug. lib. 4. de Ciuit. cap. 2. vbi probat contra Gentiles, non Christianæ fidei, cultum Deorum impugnanti, ruinas & clades orbis imputandas; cùm & antè, multa
B *grauiora acciderint.* Quid si commemorare voluissem, & exaggerare illa mala, quæ non sibi inuicem homines faciunt, sicut sunt vastationes, euersionésque bellantium: sed ex ipsius mundi elementis, terrenis accidant rebus, quæ vno loco Appuleius breuiter stringit, in eo libro quem de mundo scripsit: terrena omnia dicens mutationes, conuersiones, atque interitus habere? Namque immodicis tremoribus terrarum, vt verbis eius vtar, dissiluisse humum, & interceptas vrbes cum populis dicit: abruptis etiam imbribus prolutas totas esse regiones: illas etiam quæ priùs fuerant continentes, hospitibus atque aduenis fluctibus insulatas, aliásque desidia maris pedestri accessu peruias factas: ventis ac procellis euersas esse ciuitates: incendia de nubibus emicuisse, quibus Orientis regiones conflagratæ perierunt: & in Occidentis plagis scaturigines
C quasdam ac proluuiones, easdem strages dedisse. Sic ex Ætnæ verticibus quondam effusis crateribus, per decliuia, incendio diuino, torrentis vices flammarũ flumina cucurrisse. Si hæc atque huiusmodi, quæ habet historia, vnde possem, colligere voluissem, quando finissem, quæ illis temporibus euenerunt, antequam Christi nomen illa istorum vana, & verè saluti perniciosa comprimerent? (S. Aug.) PATITVR ET CONTINENS. *Id est, mundus hic vel terrâ continens & vnius contextus ruinas excipit, igne vel inundatione cælesti, vel proprio tremore, igne sulphureo in visceribus latente, &c. Dat exemplum cæli in Palæstina, de suo solo, vt in fine agit de Asia,* PALÆSTINAM. *Sic dicta ex Zonara à Philistiim filio Mesraim. Iudæa est, & terra sancta.* FINIVM ARBITER. *Arbitri sunt finium, qui ortas controuersias*

trouersias circa fines & terminos locorum diriment. Et iure alluuionis, per incrementum latens, & sensim factum, ager alterius, alteri accrescit. §. praeterea. Instit. de rerum diuisione. Et Pompon. Iureconf. in l. ergo. 30. §. alluuio. ff. de acq. rerum dom. Flumina Censitorum vice funguntur, vt ex priuato in publicum addicant; & ex publico in priuatum. *Meliùs ad literam Iordanis Arbiter, quia medius diuidit inter Arabiam Petraeam, & Samariam, inter Moabitidem & Iudaeam.* ORBA REGIO. *ex ea parte quâ desolata est Palaestina.* FRVSTRA AGER. *quia non colitur ob terram ciner eam & sterilem.* ET VRBES RETRÒ, *ante incendium & ruinam.* SOLVS AVDIEBAT, *Loth iustus, solus famae bonae. Alij legunt,* solùm exaudiebat, vel audiebat: *Vota scilicet agricolae, sicut Osee 2.* Exaudiam caelos, & illi exaudient terram: & terra exaudiet triticũ, & vinum, & oleum. VT DEVS CENSOR, *vindex criminis Sodomitici.* HACTENVS SODOMA, *vsque ad sulphureum imbrem, post quem nulla fuit.* PROPINQVITAS MARIS, *id est, similitudo maris, quod mortuum dicitur, nil viuidum producens, adeò vt aqua eius vt & terra mortem viuere, id est nil nisi mortuum spirare videatur. Alij legunt,* mortem bibit, vel mortuum ibit, vel mortuum iuit. *tam mare, quàm solum.*

S. Aug. *Aug. lib. 16. de Ciuit. cap. 30.* Liberato de Sodomis Loth, & veniente igneo imbre de caelo, tota illa regio impiae ciuitatis (*Pentapolis, siue Quina ciuitas fuit euersa*, in cinerem versa est, vbi stupra in masculos, in tantam consuetudinem conualuerant, quantam leges solent aliorum factorum praebere licentiam. Verùm & hoc eorum supplicium specimen futuri Iudicij diuini fuit. *Et lib. 21. c. 8.* Terra Sodomorum non fuit vtique vt nunc est: sed iacebat simili caeteris facie, eadémque vel etiam vberiore foecunditate pollebat. Nam Dei Paradiso in diuinis Eloquijs comparata est. *Gen. 13. 10.* haec posteaquàm tacta de caelo est, sicut illorum quoque testatur historia, & nunc ab eis qui veniunt ad loca illa, conspicitur prodigiosa fuligine horrori est, & poma eius interiorem fauillam mendaci superficie maturitatis includunt. Ecce non erat talis, & talis est, Ecce à Conditore naturarum, natura eius in hanc foedissimam diuersitatem mirabili mutatione conuersa est. Et quod post tam longum accidit tempus, tam longo tempore perseuerat.

S. Aug.

NVBILO. *fulmine & igne caelesti.* TVSCIA VVLSINIOS DEVSTA, *Graeca phrasis, ditissimi priùs Vulsinij Hetruscorum populi, fulmine concremati. Videndus Plinius, Florus, Valerius Maximus.* QVO MAGIS SPERET. *Vt inde plus timeat, expectet, Campania de suis montibus sulphureis ignem eructantibus. Alij legunt:* de motibus, *quibus frequenter agitatur. Nam ex Cornelio Tacito & Seneca, oppidum dictum Pompeij, terrae motu subductum est. Hinc Plinius II. lib. 6. epistolarum:* Praecesserat per multos dies tremor terrae nimis formidolosus, qui Campaniae non solùm castella, sed & oppida vexare solitus. SED ABSIT. *Tam malum omen auertat Deus.* ASIA IAM, &c. *rectè, quia frequentibus terrae motibus agitata est. Videndus Ammianus Marcellinus lib. 17.* SOLI INGLVVIE, *hiatu terrae, quem Iureconsulti Casma vocant l. cum res. 47. §. finali. ff. de leg. 1. l. forma 4. §. 2. ff. de censibus.* VORAGINEM PAVERIT. *Semel vno loco absorpta fuerit.* VNICIS CASTRIS, *Cambysis scilicet obrutis arenarum turbine in Africa sub tempus prandij, quo sunt fraudati milites.* EXPIATA; *à Deo vindice per poenam hanc subitae ruinae purgata. Vnde alij putant legendum* Punicis castris, *id est, Carthaginiensibus.*

6. *Mutatio orbis in regnis, & bellis. De Pall. cap. 2. à m.*

MVlta & alia huiusmodi detrimenta habitum orbis mutauere, sitúsque mouere. Bellis quoque plurimùm licuisse & tristitia perget, non minùs quàm regnorum vices recensere. Quoties & ista mutauerunt, iam inde à Nino Beli progenie? si tamen Ninus regnare primus, vt autumat superiorum profanitas. Fermè apud vos vlterà stilus non solet. Ab Assyriis, si fortè, aeui historiae patescunt, Qui verò diuinas lectitamus, ab ipsius mundi natalibus compotes sumus. Gen. 1. 2.

MVTATIO. 6. SCHOL.

HABITVM ORBIS. *Sapè hoc libro vtitur hac voce, vt mutatum suum habitum Togae in pallium nullus exprobret, aut leuitatis insimulet, cum totus orbis & partes eius mutationi sint obnoxiae.* MOVERE. *mutauere locum.* LICVISSE. *Alij legunt,* plurimum licuit. *Ad mutandum scilicet orbem.* TRISTITIA PERGET. *Supple stili mei maestitia narrare prosequetur. Alij legunt,* sed piget tristia, non minus quam regnorum vices recensere. A NINO. *à tempore Nini. Aug. lib. 4. de*

S. Aug. *Ciuit. cap. 6. iuxta Iustinum.* Primus omnium Ninus Rex Assyriorum veterem & quasi auitum gentibus morem noua Imperij cupiditate mutauit, &c. sicut scribunt qui Chronicam historiam persecuti sunt, mille ducentos & quadraginta annos ab anno primo quo Ninus regnare coepit, permansit hoc regnum, donec transiret ad Medos. BELI PROGENIE. *filio Beli. Aug. lib. 16. de Ciuit. cap. 3. vbi de regno Assyriorum.* Quod, inquit, mirabiliter dilatauit Ninus Beli filius, conditor Niniue ciuitatis magnae: cuius ciuitatis nomen ex illius nomine deriuatum est, vt à Nino Niniue vocaretur. S. Aug. SI TAMEN, &c. *Supple coepit, quia prior regnauit Pater eius Belus in Babylone, qui est Nembroth fundator Babylonis. Aug. l. 16. de Ciuit. c. 3.* Chus pater gygantis Nembroth, primus nominatus est in filiis Cham, &c. regnum eius commemoratum est, cuius initium erat illa nobilissima Babylon ciuitas. AVTVMAT, *censet,* SVPERIORVM, *veterum authorum,* PROPHANITAS *Scriptura prophana.* APVD VOS STILVS, *Gentiles, historia antiquior non est, quam à regno Assyriorum, nos verò fruimur historia Sacra ab origine mundi.*

7. *Mutatio in mundo fit, cùm homines vna plaga deserta, aliam incolunt. De Pall. cap. 2. à m. ad f.*

SEd laeta iam malo: quippe & laeta mutant. Denique si quid mare diluit, caelum deussit, terra subduxit, gladius detotondit, aliàs versura compensati redit. Nam & primitùs maiorem ambitum, terra cassa, & vacans hominum, & sicubi aliqua gens occuparat, sibimet soli erat. Itaque colere omnia (si demùm intelligis alibi stipantem copiam, alibi deseren-

Gen. 46. 1. & seq. Gen. 50. 23. Psal. 113. 8.

tem) runcare atque rustare instituit, vt inde velut ex surculis & propaginibus, populi de populis, vrbes de vrbibus, per vbique orbis pangerentur. Transuolauere redundantium gentium examina. Scythæ exuberant Persas: Phœnices in Africam eructant: Romanos Phryges pariunt: Chaldæum semen in Ægyptum educatur, dehinc cùm inde transducitur, Iudæa gens est. Sic & Herculea posteritas, Temeno pariter Peloponesum occupando producunt. Sic & Iones Nelei comites Asiam nouis vrbibus instruunt. Sic & Corinthij cum Archia mœniunt Syracusas. Sed vanum iam antiquitas, quando curricula nostra coram. Quantum reformauit orbis sæculùm istud? quantum vrbium aut produxit, aut auxit, aut reddidit præsentis imperij triplex virtus? Deo tot Augustis in vnum fauente, quot census transcripti? quot populi repurgati? quot ordines illustrati? quot barbari exclusi? Reuerà orbis, cultissimum huius imperij rus est, eradicato omni aconito hostilitatis, & cacto, & rubo subdolæ familiaritatis, concultus, & amœnus super Alcinoi pometum, & Midæ rosetum. Laudans igitur orbem mutantem, quid denotas hominem?

MVTATIO. 7. SCHOL.

MALO. *Post tot tristes mutationes, lubentius jam lætos mutationum euentus prosequar.* DENIQVE, SI QVID. *Non est quod de prouidentia Diuina queramur si quid mare abstulit, vel fulmine cœlum succendit; seu vt alij legunt*, texit, vel ixit, *vel operuit grandine; terra hiatu intercepit, bellum abrasit; alibi, vel aliter redditum, & reparatum est & compensatum. Sicut cùm numerus qui summæ deerat, in summam redditus est, versura vocatur.* NAM EST PRIMITVS. *Alij legunt* jam & primitus, vel primitiis: *id est in primordiis. Quasi diceret: Cùm in exordio mundi, maior pars orbis vacaret, & omnia paterent primò occupantibus; Quod quaque gens occupabat, illud sibi acquirebat.* ITAQVE COLERE. *Alij legunt*: itaque cogitans omnia sibi domum, intelligens alibi stipantem alibi deserentem. *Stipantem copiam, abundantiam nimiam in altero loco, fecit alterius loci desertio: vt fit in alluuionibus, vel accessu vel recessu fluminis, aut maris. Plin. lib. 2. c. 17.* Nascuntur & alio modo terræ, & repentè in aliquo mari emergunt. Velut paria secum faciente natura; quæque hauserit hiatus, alio loco reddente. RVNCARE ATQVE RVSTARE. *Primum significat, malis herbis expurgare, secundum rubos & sentes euellere. Alij legunt* ruspare, *quod est exquirere, scrutari, & ad instar Gallinæ vnguibus excutere.* PER VBIQVE. *Per omnia orbis loca propagarentur & effunderentur.* EXAMINA. *Velut apes nimia plenitudine, in alia aluearia exundant. Aug. lib. 10. de Ciuit. cap. 1.* Ciuitates à maioribus ciuitatibus, velut populorum examinibus conditæ, coloniæ nuncupantur. (S. Aug.) EXVBERANT PERSAS, *id est in Persas redundant, quia Persis additi Scythæ eos exuberare fecerunt, sicut flumina riuis crescunt exceptis.* SCYTHÆ. *Contermini Persis, primo ex Orosio irruerunt in Pontum Cappadociæ, & ex redundantia, Persidem occuparunt; sicut Phœnices Africanos, Græci per Æneam Romanos, Chaldæi Arphaxad Principe generis, cuius è progenie Abraham, & proinde Iacob cum posteris in Ægyptum pullularunt.* EDVCATVR, *educitur. Frequenter author vtitur prima coniugatione pro alia, vt dicit* bullare & deglubare, *pro ebullire & deglubere. Nisi alludat ad frumenta, quorum causa filij Iacob primo profecti sunt in Ægyptum, educandi prouidentiâ Ioseph.* POSTERITAS HERCVLEA, *posteri Herculis, cum Temeno profecti.* PRODVCVNT, *propagantur, ad Peloponesum occupandum, vt & Iones ad Asiam cum Neleo, vel Nileo Codri filio.* MOENIVNT. *Muris cingunt.* SED VANVM, *res vana, ista transmigrationum antiquitas; quid immoror in veterum propagatione, cum nunc coram oculis nostris imperij fœlicitas in melius hoc sæculum immutarit?* TRIPLEX VIRTVS, *explicat seipsum addens*, TOT AVGVSTIS IN VNVM. *Sic conuenientibus Deo propitio tribus Imperatoribus in consensum vnanimem. Seuero scilicet, & duobus eius filiis, Antonino & Geta, Herodiano teste, item Eutropio, & Aurelio Victore, Xiphilino breuiatore Dionis: & licet nulla in actis, aut Constitutionibus Seueri, facta sit Getæ mentio; notandum, Getam post obitum Seueri, pro hoste publico fuisse habitum, cuius ideo nomen de fastis erasum de Imperatorum censu. Quo de more consule Dionem lib. 60. histor.* CENSVS TRANSCRIPTI. *Baro. in Apparatu Annal. Intelligit de censûs descriptione facta sub Augusto, ob quem Virgo cum sponso perrexit in Bethlehem, cuius & meminit Tertul. lib. 4. cont. Marc. cap. 7. transcriptos dicit, vel remissos & mitigatos, vel in alterius generis census transmutatos.* POPVLI REPVRGATI, *culti & à Barbarie per ciuilitatem Romanam edomiti & cicurati. Alij legunt*: propaginati *nouis scilicet deductis coloniis, sicut ipse Seuerus, Authore Vlpiano l. 1. ff. de Cens. vnam in vicum Patanissensem, alteram in Sebastam deduxit.* ORDINES ILLVSTRATI, *primo splendori redditi Magistratus.* BARBARI EXCLVSI, *finibus Romanorum pulsi & domiti vt Arabes Adiabeni, Parthi, Britanni quos subegit Seuerus.* CVLTISSIMVM, &c. *Quidquid orbis vniuersus excultum habet, quasi rus est Romani Imperij; vel, exaggerando magis, adeò Romani Imperij fines propagati sunt, vt totus orbis videatur esse rus & cultura eius.*

Aug. lib. 18. de Ciuit. cap. 2. Inter plurima Regna terrarum, in quæ terrenæ vtilitatis, vel cupiditatis est diuisa societas, quam ciuitatem mundi huius vniuersali vocabulo nuncupamus, duo regna cernimus, longè cæteris prouenisse clariora. Assyriorum primum, deinde Romanorum, vt temporibus, ita locis inter se ordinata atque distincta. Nã quomodo illud prius, hoc posterius, eo modò illud in Oriente, hoc in Occidente surrexit. Deniq; in illius fine, huius initium confestim fuit. Regna cætera, cæterosque Reges velut appendices istorum dixerim. (S. Aug.) ACONITO. *Herba venenata, quæ ex Nicandro Pantheras strangulat. Et intelligit victum Pescennium & Albinum, quos & comparat.* CACTO ET RVBO, *Cactos autem, herba est ex Plinio lib. 21. cap. 16. in sola Sicilia nascens, Caules habens à radice emissos, & in terra serpentes. Athenæus idem vult esse cum carduo. Alij legunt* carecto. *Herba acuta est & durissima similis sparto, vliginosis & palustribus locis oritur. Nota ex Herodiano Seuerum Albino scripsisse quasi amico literas, & mandasse perlatoribus, vt eum occultè occiderent. Subdola autem familiaritas patet, ex Spartiano in vita Albini, in qua exemplar Epistolæ transcribit; Cuius hæc inscriptio*: Imp. Seuerus, A. Claudio Albino Cæsari fratri amantiss. & desideratiss. *Epilogus verò*: tu velim exercitus Reipublicæ ac mihi retentes, mi vnanime, mi charissime, mi amantissime. CONCVLTVS, *excultus, supple orbis. Alij legunt*, consitum vel consultum, & amœnum super Alcinoi pometum & Midæ rosetum. *Vulgatum pomarium, hortusque Alcinoi. Hic hortorum cultor, Virgilio, Ouidio, &c. Midæ rosetum, vide apud Herodotum lib. 8. & Tertull. lib. de Corona militis.* QVID DE-

ROTAS. *Cum de orbe in melius mutato, gratulando* A *pallium, modestiorem habitum mutatum offenderis, & potius, quàm arguendo loquaris, quid de me de toga in vniuerso transformato, quasi insolitum admiraris?*

8. Mutatio pauonis, serpentis, hyenæ, cerui, chamæleonis. De Pall. cap. 3. in p. ad m.

MVtant & bestiæ pro veste formam: quamquam & pauo pluma vestis, & quidem de cataclistis: immò omni conchylio pressior, qua colla florent: & omni patagio inauratior, qua terga fulgent: & omni syrmate solutior, qua caudæ jacent: multicolor, & discolor, & versicolor: nunquam ipsa, semper alia, etsi semper ipsa, quando alia; toties denique mutanda, quoties mouenda. Nominandus est & serpens licet pone pauum: nam & iste quod sortitus est conuertit, corium, & æuum. Si quidem vt senium persensit, in angustias stipat, pariterque specum ingrediens, & cute egrediens, ab ipso statim limine erasus, exuuiis ibidem relictis nouus explicat: cum squamis & anni recusantur. Hyæna, si obserues, sexus annalis est; marem & feminam alternat. Taceo ceruum, quod & ipse ætatis suæ arbiter, serpente pastus, veneno languescit in juuentutem. Est & quadrupes, tardigrada, agrestis, humilis, aspera. testudinem Pacuuianam putas? non est: capit & * alia * alis
bestiola versiculum, de mediocribus oppidò, sed nomen grande. Chamæleontem qui audieris, haud ante gnarus, jam timebis aliquid amplius cum leone. at cùm offenderis apud vineam fermè sub pampino totum, ridebis illico audaciam, & Græciam nominis: quippe nec succus est corpori, * qui minutioribus multò liquet. Chamæleon pellicula viuit. ca- * quo
pitulum statim à dorso, nam deficit ceruix, itaque durum reflecti, sed circumspectu emissicij ocelli, immò luminis, puncta vertiginant. hebes, fessus vix à terra suspendit, molitur incessum stupens & promouet, gradum magis demonstrat, quàm explicat, jejunus scilicet semper & indefectus, oscitans vescitur, follicans ruminat, de vento cibus. Tamen & chamæleon mutare totus, nec alius, valet. Nam quum illi coloris proprietas vna sit, vt quid accessit inde suffunditur. Hoc soli chamæleonti datum, quod vulgò dictum est, de corio suo ludere.

MVTATIO. 8. SCHOL.

PRO VESTE, *quasi vestem;* FORMAM, *figuram & speciem externam corporis.* PAVO, *in datiuo, seu Pauoni, est pro veste, pluma.* DE CATACLISTIS. *Alij* Cataclitis, *quasi ex omni parte clausis. Vestes, sunt splendidæ, siue stragulæ, quæ in lectulis accubitoriis ponuntur, quæque pondere superposito premebantur, vt splendescerent. Vide Ammianum lib. 28. & Apuleium lib. 11. Græci Catacliста vocant, ita pretiosa, vt clausa diligenter seruari debeant. Vnde Callimachus, puellas virgines vnis tenellis cautius asseruatas, cataclistas vocat.* CONCHYLIO PRESSIOR, *alij* depressior, *vnde & splendidior ex pressura; quam similitudinem trahit vel à colore purpureo Conchilij, vel ab ipsa concha seipsam stringente & premente, cui simile est collum paui purpurâ floridius, & plumis hac parte iunctis & strictis pressius.* OMNI PATAGIO: *Gallicè* bouton d'or. *Apud Nonium aureus clauus pretiosis vestibus intextus, seu plagula in ora vestis muliebris his clauis contexta. Apud Festum patagium est quod ad summam tunicam solet assui. Ex Apuleio lib. 12. de Asino. Sinuati ambitus, instar crinium, è collo pendentium.* QVA TERGA, &c. *in parte dorsi.* SYRMATE SOLVTIOR. *Syrma vestis est tragœdorum, vestis soluta & laxa apud Vopiscum & Apuleium. Productior itaque cauda paui, dum eam non explicat in rotam, omni Syrmate.* DISCOLOR, *varietate.* VERSICOLOR, *mutatione colorum.* NVNQVAM IPSA, *vestis & pluma, licèt sit eadem quoad plumas, quia tamen & ipsa varia natiuo colore, & minimo motu variata, ideò non eadem vestis, sed mutata apparet.* NOMINANDVS, *inter exempla mutationis.* PONE, *post.* QVOD SORTITVS. *Quidquid habet externum à natura, scilicet pellem & senium, illud mutat.* IN ANGVSTIAS, *alij* in angusta se stipat, *&c. se coarctat.* PARITERQVE *simul.* EXVVIIS, *pelle veteri, quam* leberidem *vocant.* EXPLICAT, *se scilicet: alij legunt,* nouum se explicat. CVM SQVAMIS, *Plin. lib. 8. c. 23. squammas tribuit serpentibus. Ego pictam pellem squammarum instar accipiam,* ANNI RECVSANTVR; *id est, sic, se annosum renuit fateri, renouatus. Alij legunt:* recuran- B tur. *restituuntur in iuuentutem.*

Aug. lib. 8. de Ciuit. cap. 15. Quis hominum videndo æquabitur aquilis, & vulturibus? quis odo- S.Aug.
tando canibus? quis velocitate leporibus, ceruis, auibus omnibus? quis multum valendo leonibus & elephantis? quis diu viuendo serpentibus? qui etiam depositâ tunicâ, senectutem deponere, atque in iuuentam redire perhibentur? *Et in Psal. 57. vbi* S. Aug.
multa de aspide. Grauat quasi pondus tunica cuiusdam, & quasi senecta veteris hominis. Audi Apostolum dicentem Coloss. 3. Exuentes vos veterem hominem, & induentes nouum. Et quomodo exuo, inquis, veterem hominem? Imitare astutiam serpentis. C Quid enim facit serpens vt exuat se veterem tunicam? coarctat se per foramen angustum. Et vbi, inquis, inueniо hoc foramen angustum? Audi: arcta & angusta est via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui ingrediuntur per eam. Reformidas eam, & non vis ambulare, quia pauci sunt? Ibi ponenda est vetus tunica, & alibi poni non potest. Aut si vis vetustate impediri, grauari, premi; noli ire per angustam. Si autem grauaris vetustate quadam peccati tui, & præteritæ viæ vel vitæ, transire non potes. Quia ergo corpus quod corrumpitur aggrauat animam; vel cupiditates corporales non premant, vel concupiscentiæ carnis exuantur. Vnde exuuntur, nisi ieris D per angustum, nisi fueris astutus vt serpens? HYÆNA *si diligenter aduertas, agnosces huic animali sexum mutari quotannis, vt quod primo fuerat mas, altero fit femella. Rem vt veram refert Ælian. lib. 1. de anim. cap. 25. sed Clem. Alex. lib. 2. Pædag. cap. 10. vt fabellam explodit.* ARBITER, *vt judicet, & sentiat se grauatum annis, & renouetur in iuuentutem: & mirum, quòd licèt veneno serpentis languescat primò quasi moriturus: hinc tamen edomito excoctoque veneno, renouato robore iuuenescit. Sic Epiph. in Physiol. cap. 1.* Accurrit autem ad aquarum fontes: quod si trium horarum spatio aquâ sese explere non potest, moritur: sin autem aquæ potus obtingat, ad annos denuò quinquaginta vitam protrahit. *Alij le-*

guns: longeſcit in iuuentutem. *Huc collimabat Pſaltes* 41. Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, &c. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum. *vt videas, animam veneno peccati comeſto, vrgente conſcientiæ morſu, ſuſpirare cerui inſtar ad Deum fortem viuum apud quem eſt fons vitæ, vt primam fortitudinem repares, mortem euadas æternam, &* fiat in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.

S. Aug.

Aug. ibid. Curre ad fontem, deſidera fontem, ſed noli vtcumque, noli vt qualecumque animal currere, vt ceruus curre, &c. Inuenimus inſigne velocitatis in ceruo, ſed fortè non hoc Scriptura ſolùm nos in ceruo conſiderare voluit, ſed & aliud audi: Quid aliud eſt in ceruo? ſerpentes necat, & poſt ſerpentium interemptionem maiore ſiti inardeſcit: peremptis ſerpentibus ad fontes acriùs currit. Serpentes vitia tua ſunt, conſume ſerpentes iniquitatis, tunc ampliùs deſiderabis fontem veritatis. *Vide multa præclara ibid.* HVMILIS, *parùm eleuata à terra.* ASPERA, *tergo ſcabroſo.* PACVVIANAM, *à Pacuuio verſu depictam, ſed non eſt ipſa.* CAPIT ET ALIA. *id eſt exigit & verſiculum ſuum, quo exprimatur beſtiola de qua tracto* OPPIDO, *certè valdè paruis.* HAVD ANTE, *ignorans priùs qualis ſit beſtia, præter leonem, & Chamæleũ ſimul, monſtrum ex duabus ingens formidabis.* OFFENDERIS. *Inueneris ſub vitis folio latentem beſtiolam, ſtatim videbis audaciam Græciæ, tantum ad nomen, tantulum animalculum promouentis. Alij legunt:* Audaciam egregiam nominis, gratiam nominis, & Græci iam nominis. QVI LIQVET, *qui ſuccus pates ineſſe multò minoribus animalibus. Alij legunt,* qui minutioribus multò licet; *id eſt qui ſuccus per naturam datur haberi à minoribus; vel qui ineſt aliis licet multò minoribus.* PELLICVLA VIVIT, *ſubſiſtit, licèt totum animal vnica pellicula conſtare videatur.* CAPITVLVM, *paruulum caput nullo collo medio, immediatè dorſo iunctum eminet. Vnde vix reflecti poteſt, ſed oculos paruulos, quid dico, duo veluti puncta luminis circumrotat.* SVSPENDIT; *ſupple greſſum.* STVPENS, *ſtupidus, difficilè mobilis, magno conatu moueri incipit, & tardè promouet ſe.* INDEFECTVS. *alij legunt,* inrefectus: *melius vt nos, ne ſit repetitio eiuſdem; ſignificat ergo non deficientem, ſed viuentem, licèt oſcitando, & follis ad inſtar ventum hauriendo, nullo, præter aurum, cibo veſcatur.* TAMEN ET CHAMÆLEON, &c. *Nec minus interim virium habet, & naturalis induſtriæ, quàm præfacta animalia, quæ etiam ſuperat in mutatione, cum totum eius eſſe videatur in mutatione colorum; cuicumque enim corpori ſe applicet, & accedat; eius colorem imbuit; vt de pelle ſua ludere, & quidquid libuerit coloris in ea pingere ſit dictus Chamæleon. Color autem vnus illi naturalis eſt ex viridi palleſcens. Vide Caßiodorum lib.* 5. *ep.* 34. *Plin. lib.* 8. *cap.* 33. *Ariſt. lib.* 2. *hiſt. Animal. cap.* 11 *Nec prætereo Auguſtinum ſic breuiter naturam animalis perſtringentem, l.* 11. *de Trin. cap.* 2. *vbi de imaginatione & phantaſia.* Si tam violenta eſt, vt poſſit vocari amor, aut cupiditas, aut libido, etiam cæterum corpus animantis vehementer afficit. Et vbi non reſiſtit pigrior duriórque materies, in ſimilem ſpeciem colorémque commutat: licet videre corpuſculum Chamæleontis ad colores quos videt, facillimâ conuerſione variari. Aliorum autem animalium, quia non eſt ad conuerſionem facilis corpulentia, fœtus plerumque produnt libidines Matrum, quid cum magna delectatione conſpexerint. Quàm enim teneriora; atque, vt ita dixerim, formabiliora ſunt primordia ſeminum, tam efficaciter, & capaciter ſequuntur intentionem maternæ animæ, & quæ in ea facta eſt, phantaſiam, per corpus quod cupidè aſpexit. Sunt exempla quæ copioſè commemorari poſſint; ſed vnum ſufficit de fideliſſimis libris, quod fecit Iacob, vt oues & capræ varios coloribus parerent, ſupponendo eis variata virgulta in canalibus aquarum, quæ potantes intuerentur, eo tempore quo conceperant.

S. Aug.

9. *Mutatio veſtis, ſæpe facta in homine, primò pelle, poſtea lana, dehinc ſerico; veſtito prius ad neceßitatem, deinde ad pompam. De Pall. cap.* 3. *in m. ad circa f.*

MVlta dicendum fuit, vt ad hominem præſtructim perueniretur. Hunc quoque primordio accipitis, nudus certè & inueſtis figulo ſuo conſtitit: poſt demum ſapientiam, haud dum licitam, præreptam potitur. ibidem quod in nouo corpore indebitum adhuc pudori erat, protegere feſtinans, ficulneis foliis interim circumdat: dehinc cùm de originis loco exterminat, (quippe deliquerat) pellitus orbi vt metallo datur. Sed arcana iſta nec omnium noſſe. Credo jam de veſtro, quod Ægyptij narrant, & Alexander digerit, & mater legit ea tempeſtate Oſiridis, qua ad illum ex Libya Ammon* vaſit, ouium diues. Denique cum ipſis Mercurium autumant fortè palpati arietis mollitie delectatum, diglubaſſe ouiculam: dumque pertentat quod facilitas materiæ ſuadebat, tractu proſequente filum* eliquaſſe, & in* veſtis priſtinæ modum, quem philyra tenui vinxerat, texuiſſe. Sed vos omnem lanicij diſpenſationem, ſtructuramque telarum Mineruæ maluiſtis, cùm penes Arachnen diligentior officina. Exinde materia: nec de ouibus dico Mileſiis, & Selgicis, & Altinis, aut quis Tarentum, vel Bætica cluit, natura colorante, ſed quoniam & arbuſta veſtiunt, & lini herbida poſt virorem lauacro niueſcunt: nec fuit ſatis tunicam pangere & ſerere, ni etiam piſcari veſtitum contigiſſet: Nam & de mari vellera, quo muſcoſæ lanoſitatis* lautiores conchæ comant. Prorſus haud latet bombycem, vermiculi genus eſt, quæ per aërem liquando, araneorum horoſcopis idonius, ſedes tendit, dehinc deuorat, mox aluo reddere; proinde ſi necaueris, animata jam ſtamina volues. Tantam igitur paraturam materiarum ingenia quoque veſtificinæ proſecuta, primùm tegendo homini, quà neceſſitas præceſſit, dehinc & ornando, immò & inflando, quà ambitio ſucceſſit, varias indumentorum formas promulgauere: quarum pars gentilitàs inhabitantur, ceteris incommunes: pars verò paſſiuitus omnibus vtiles, vt hoc pallium, etſi Græcum magis, ſed lingua jam penes Latium eſt: cùm voce veſtis intrauit.

Gen. 3. 7.

Gen. 3. 21.

* facit

* eliquat

* In reſtis priſtini

* plautiores

MVTATIO. 9. SCHOL.

MVLTA DICENDVM, *pro, dicenda fuerunt, vel dicendum fuit multum, de mutatu orbis & bestiarum habitibus, vt his præstructis, & prænotatis, gradatim ad mutationem hominis circa habitum, veniremus.* QVOQVO PRIMORDIO. *Id est vel natura integræ, vel lapsæ;* INVESTIS, *sine veste nudus stetit coram Deo figulo, factore suo, & fictore de luto. Innocens enim nudus creatus est, nec suam aduertebat nuditatem, carne tum subiecta, nec spiritui rebellante; Sed breui post tempore sapientiâ prœreptâ frui voluit, & similis esse Deo omniscio,* rapinam arbitratus æqualem se esse Deo. NOVO CORPORE. *Recenter è terra virgine, facto virgineo.* INDEBITVM PVDORI, *quia in statu innocentiæ non debuerat erubescere de sua nuditate, quam subitò*

S. Aug. *foliis ficulneis obtexit. Aug. lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 31.* Nec in isto loco narratio figurata est, quamuis translato verbo scriptura vsa videatur, vt apertos diceret oculos, qui & antea patebant. Apertos vtique ad aliquid intuendum & cogitandum, quod antea nunquam aduerterant. Vbi enim ad transgrediendum præceptum audax curiositas mota est, auida experiri latentia, quidnam tacto vetito sequeretur, & noxia libertate habenas prohibitionis rumpere delectata, probabilius existimans non esse mortem quam timuerant secuturam: tale quippe pomum credendum est fuisse in illa arbore, cuius generis poma jam in aliis arboribus innoxia senserant, &c. Mox vt ergo præceptum transgressi sunt, intrinsecùs gratia deserente omnino nudati, quam typho quodam & superbo amore suæ potestatis offenderant, in sua membra oculos injecerunt, eáque motu quem non nouerant concupiuerunt. Ad hoc ergo aperti sunt oculi, ad quod antea non patebant,

S. Aug. quamuis ad alia paterent. *Et ibid. cap. 34.* Nunquam permisit aduertere nuditatem suam, eorum intentionem in superna sustollens, nisi cùm post peccatum, pudendum in membris motum, pœnali membrorum lege sensissent. Sic ergo affecti sunt, *pudore scilicet coram Deo vt suprà dicebat in humana forma apparere solito,* vt solent affici homines sub oculis hominum, & talis affectio de peccati pœna erat, cum latere vellet, quem latere nihil potest, & ab eo carnem occultare, qui cordis inspector est, &c. Quod enim jam ipsos pudebat erga seipsos, vnde sibi & succinctoria fecerant, multò vehementius ab illo etiam sic succincti videri verebantur, qui tanquam familiari temperamento ad eos videndos per creaturam visibilem, velut humanos oculos afferebat, &c. Illa ipsa propè amicitia pudorem onerabat post peccatum, quæ fiduciam dabat ante peccatum: nec jam illam nuditatem audebant ostendere talibus oculis, quæ displicebat & suis.

Vide in hanc rem eundem Aug. libro 13. de Ciuit. cap. 13. pertotum, vbi & de succinctoriis ficulneis, & justa pœna inobedientiæ carnis disertissimè loquitur. ORIGINIS LOCO *Paradiso. Non quod ipse Adam ibi conditus sit, sed Eua de eius dormientis costâ ibi producta; vnde vterque sexus, vno intelligitur, vel quod ab exordio creatus sit homo extra Paradisum vt statim translatus in eum,* vt operaretur, & custodiret illum: *locum.* EXTERMINAT, *pro exterminatur. Frequenter enim actiuis pro passiuis vtitur; exulat. Terminus Paradisi concessis ejicitur.* PELLITVS, *tunicis pelliceis indutus, damnatur orbi & terræ cum sudore vultus spinas producturæ excolendæ, sicut postea rei ad metalla fodienda condemnati sunt, quibus effodiendis, vt & marmoribus secandis; sic agriculturæ, vestes pelliceæ, vt fortiores aptatæ sunt.* NEC OMNIVM NOSSE, *supple est. Non est omnium, sed fidelium tantùm scripturæ credentium, eius mysteria intelligere.*

A *Gentiles enim soli, conuersioni Tertulliani, & mutato togæ in pallium habitui insultabant.* CEDO IAM, &c. *do nunc exempla ex historia vestra prophana.* ALEXANDER DIGERIT. *Alij legunt sic, & intelligunt:* Alexander, id est Alexandrini sic digerunt, id est scribunt in Annalibus suis; & Afer legit, vos Carthaginienses, & alij Africani legunt. EA TEMPESTATE, *alij non benè,* de tempestate; *eo tempore, quo Hammon pastor ditissimus ouium numero, ex Lybia, siue Africa, profectus est, vt inuiseret Osiridem. Alij legunt pro* valit; facit; *supple iter carpit.* DENIQVE CVM IPSIS, *nempe Alexandro magno, & matre eius Olympiade, putant & narrant Ægyptij, Mercurium, casu arietem palpando, lanæ mollitie delectatum,* DIGLVBASSE, *alij* diglabras-

B se, dilabasse, delibrasse, deglubisse oueculam; *id est vulsisse, & ex parte spoliasse. Arietem dixit oueculam, sub vniuersali specie, omnem ouium sexum intelligendo.* FACILITAS *sequentis materiæ quanta esset experientia tentans,* ELIQVASSE, *velut aquam, aut materiam liquidam in filamenta traxisse, & in modum pristinæ suæ vestis, quam prius induebatur, & colligabat* PHILYRA TENVI, *id est vinculo facto de interiori tunica tiliæ arboris, pro veste priori de pellibus ferarum facta, laneum sibi vestimentum texuisse. Berosus meminit cuiusdam Alexandri historici qui libris digessit res Ægyptiacas. Vt sit sensus: mater Osiridis Isis collegit & notauit id quod Ægyptij narrant & Alexander historicus scribit: cum Ammon ouium diues ad Osirim venit, lanam à Mercurio vul-*

C *sam ab ouicula, & tractam manibus in filum tenuem eliquatam; quales funiculos prius Phylira contexi solitum erat. Vnde & materiam contexendi vestes Isis inuenit. Alij malunt referre ad Epistolam quam ea de re siue fabula scripsit Alexander magnus Olympiadi matri.*

Ad quam alludit Augustinus libro 8. cap. 5. de Ciuit. Cùm de fabellis Deorum, ex Varrone ageret: quos, inquit, Varro conatur ad mundi partes, siue elementa transferre, homines fuisse produntur. Timens enim, & ille, quasi reuelata mysteria, petens admonet Alexandrum, vt cum ea matri conscripta insinuauerit, flammis jubeat concremari. *Et ibidem paulo supra:* Et ea quæ Numa Pompilius reuerâ ad sa- S. Aug.

D cra eiusmodi pertinentia secum sepeliendo curauit abscondi, & aratro eruta Senatus jussit incendi. In eo genere sunt etiam illa, vt aliquid de Numa mitius suspicemur quæ Alexander Macedo scribit ad matrem, sibi a magno Antistite sacrorum Ægyptiorum, quodam Leone patefacta. *Et rursum lib. 12. cap. 10.* Illa Epistola Alexandri magni ad Olympiadem matrem suam, qua scripsit narrationem cuiusdam Ægyptij Sacerdotis insinuans, quam protulit ex literis quæ sacræ apud illos haberentur; continet etiam regna, quæ Græca quoque nouit historia. *Aug. lib. 8. de Ciuit. cap. 27. iterum meminit literæ Alexandri; & Osirim Regem Ægypti, & Isidem vxorem eius quam Cererem dicunt in Deos ab eis translatos.* S. Aug.

E SED VOS, *Carthaginienses,* LANITII, *lanificij.* MINERVÆ *tribuere maluistis, cùm tamen, & Mercurius primus inuentor, & Arachne peritior Minerua fuerit in texendo. Trita est Mineruæ & Arachnes de textrina concertatio fabulosa, quam idcirco prætereo.* EXINDE MATERIA, *id est post originem vestium, de materia earum nobis agendum est. Alij:* exhinc de materia. *quod idem est.* NEC DE OVIBVS, *taceo nunc de materia vestium sumpta ex lana ouium Milesiarum, ex agro Milesi Cariæ vrbis. De quibus Plin. lib. 8. c. 48.* SELGICIS, *Strabo, lib. 12. Selgam ait Pisidiæ oppidum. alij* Gallicis, *de quibus Columella lib. 7. cap. 7.* ALTINIS, *ex agro Veneto eas præfert Columella suprà.* AVT QVIS, *pro* queis TARENTVM *vel magna Græcia, vel Bætica Pro-*

uincia Hispaniæ. CLVIT, *à cluo, id est æstimor, nominor, quasi præcellens, splendeo, apud bonos Authores alia lectio habet,* cluet. *vel in futuro; vel à* |clueo, *in præsenti.* NATVRA COLORANTE, *quod videlicet lanæ ipsa sine artificio, splendida sint. Neque enim colorem viridem, aut purpureum, aut alium hic intellexit quam natiuum, sed splendidum præ cæteris; cùm alibi dicat Deum noluisse purpureas, aut virides oues nasci.* SED QVONIAM. *Sed his præteritis, transeo ad maiores delicias inuentas circa vestitum.* ARBVSTA VESTIVNT, *Lanâ Xylina. Arbusta autem vestire dicuntur; quia vestium materiam præbent, quales arbores sunt ex quibus Seres sericum colligunt: siue lanugo ex his traheretur, siue ex vermiculis, tanquam bombycibus in foliis arborum inuolutis. Alludit item author ad fruticem nascentem in superiore Ægypti parte, de qua* Plin. *lib.* 19. *c.* 1. *Ex cuius fructu quædam lanugo excutitur. Iam in Creta, & Cypro, & Sicilia communis arbor; videndus Theophrastus lib.* 4. *c.* 9. *Strabus item lib.* 3. *ait apud Carthaginem nouam, videri arborem, cuius è spina cortex emittitur, ex quo telæ optimæ texuntur.* ET LINI HERBIDA, *&c. Lini herba primò viridis, in aqua diu mersa, vt nix tandem dealbescit; maximè cum tela ex lino educta frequenti aqua & rore aspersa fuerit.* TVNICAM PANGERE: *pango, idem quod figo, & planto; & sensus est: Non fuit satis hominum voluntati mutabili, de terra, ex plantatis in ea fruticibus & arboribus, vestem & tunicam carpere, & ex lino sato, colligere, nisi etiam & ex mari vestimentum piscaretur.* VELLERA *quasi ex ouibus marinis extrahuntur. Loquitur de bysso marina quæ ex pinnis trahitur, quas ait Conchas lautiores, alij* plautiores, plotiores, *id. patentiores, id est aptiores vestium deliciis, molliores, quæ instar Musci, gallicè* mousse, *& lana, quasi coma quadam operit Conchas, quæ ideo comare dicuntur, id est quasi comam exporrigere.* BOMBYCEM. *Iam habes hunc locum expositum verbo*, bombyx. LIQVANDO, *id est per filamenta serica diffluendo. alij minus scitè legunt*, aliquando. ARANEORVM HOROSCOPIS. *Vide quid sit prædicto verbo, loco citato. Nunc videtur, mihi dicere: idoneus, id. conformatus, imitatus aranearum artem in texendis telis, quas in modum horologij Solaris contexunt. alij, legunt:* araneorum more, scopis se distendit. *Id est ramis Mori albi. aliisque tam ad extensionem texturæ sericæ, quàm ad pastum, quo inflatur, distenditur & crescit,* MOX ALVO REDDERE, *id est, de ventre incipit effundere sua serica, Alij legunt:* Mox se quieti reddere, proinde si necaueris: *id est, quasi emortua esset bestiola, labore cessat, immota, & serico se componit tumulo.* ANIMATA IAM STAMINA, &c. *tunc poteris quasi ex globo serico euoluere stamina quoque modo viuens, quia animal viuens ea texuit, nec in hoc sepulchro mortuum iacet, sed quietum; vnde si necaueris, inde erumpet quasi anicula subuolitans. Alij legunt*, iam animata stamine aluo, *id est, quanquam occideris, fuit aluus eius priùs animata stamine; quasi tota eius anima & vita ad hoc ordinata esset, vt texturæ sericeæ vacaret; nihil itaque dispendij erit, cùm tota tibi viscera & animam sericeam aluus eius effuderit. Salmasius legit, mox vacuo reddere (scilicet aëri, effundendo fila, quæ instar araneæ deuorauerat, id est intra se resumpserat) proinde si necaueris, nematam iam, stamen euolues.* Nematam dixit, nematâ coopertam, *Alij rursum pro* aluo reddere, *legunt*, acui reddere, *scilicet aptum ad consuendum, vel texendum.* PARATVRAM, *Apparatum tot materiarum, tantam diuersitatem.* INGENIA, *artificium, adinuentio artis sutoriæ quæ vestes confecit, diuersimodè etiam secuta est & imitata.* QVA NECESSITAS. *In quantum primò nuditas tegenda fuit.* ORNANDO. *Successit decor, & honestas habitus, posteà vanitas & superbia.* PROMVLGAVERE *quasi legem, sic consuetudinem.* QVARVM, *scilicet formarum diuersarum, pars hominum, secundùm morem gentis & patriæ, sibi proprias induit.* INHABITANTVR, *vox composita ex habitu, id est veste, quasi diceret,* inhabituantur, *id est, in illa gente, veste non communi aliis nationibus, habitum proprium induuntur.* PASSIVITVS *passim, vulgò, omnibus nationibus vtibiles, quale est, inquit, hoc pallium quod mihi exprobratis, quo promiscuè Græci & Latini vtuntur,* ET SI GRÆCORVM MAGIS. *Non verbo, sed vsu.* SED LINGVA IAM. *id est, cùm iam nomen pallij Latinum esset, & non Græcum, iustè, cum nomine præhabito, vsus quoque eius ad Latinos peruenit à Græcis.*

10. *Mutare habitum sine causa non licet; vt contra naturam habitum sexus mutauit Achilles & Hercules. De Pall. cap. 4. à p. ad circa m.*

HAbitum transferre ita demum culpæ propè est, si non consuetudo, sed natura mutetur. Sat refert inter honorem temporis, & religionem. Det consuetudo fidem tempori, natura Deo. Naturam itaque concussit Larissæus heros, in virginem mutando: ille ferarum medullis educatus; vnde & nominis concilium, quandoquidem labiis vacuerat ab vberum gustu; ille apud rupicem; & syluicolam, & monstrum eruditorem scrupeâ scholâ eruditus. Feras, si in puero matris sollicitudinem patiens, certè iam * hirticulus, certè iam virum alicui clanculus functus, adhuc sustinet stolam fundere, comam struere, cutem fingere, speculum consulere, collum demulcere, aurem quoque foratu effeminatus, quod illi apud Sigæum strongyla seruat. Planè posteà miles est: necessitas enim reddidit sexum. De prœlio sonuerat, nec arma longè. Ipsum, inquit, ferrum virum attrahit. Ceterùm si post incentiuum quoque puellam perseuerasset, potuit & nubere. Ecce itaque mutatio, monstrum equidem geminum, de viro femina; mox de femina vir, quando neque veritas negari debuisset, neque fallacia confiteri. Vterque habitus mutandi malus: alter aduersus naturam, alter contra salutem. Turpiùs adhuc libido virum cultu transfigurauit, quàm aliqua materna formido, tametsi adoratur à vobis qui potiùs erubescendus est, scyphalosagittipelliger ille, qui totam epitheti sui sortem cum muliebri cultu compensauit. Tantùm Lydiæ clanculariæ licuit, vt Hercules in Omphale, & Omphale in Hercule prostitueretur. Vbi Diomedes, & cruenta præsepia? vbi Busiris & bustuaria altaria? vbi Geryon ter vnus? Cerebris adhuc eorum claua fœtere malebat, cùm vnguentis offunderetur. Vetus iam Hydræ, Centaurorúmque sanguis in sagittis pumice speculi excludebatur, insultante luxuriâ, vt post monstra transfixa, coronam forsitan suerent. Ne sobriæ mulieris quidem, aut viraginis alicuius scapulæ, sub exuuias bestiæ tantæ introire potuissent; nisi diu mollitas, & euigoratas, & exeduratas, quod apud Omphalem balsamo aut

* histriculus.

telino spero factum. Credo & iubas pectinem passas. Ne ceruicem eneruem inureret stiria leonina, hiatus crinibus infarsus, genuini inter antias adumbrati. Tota oris contumelia mugiret si posset: Nemea certè, si quis loci genius, ingemebat: tunc enim se circumspexit leonem perdidisse, Qualis ille Hercules in serico Omphales fuerit, iam Omphale in Herculis scorto designata descripsit.

MVTATIO. 10. SCHOL.

HABITVM TRANSFERRE, *mutare & transfigurare.* CVLPÆ PROPE EST, *ad culpam proximè accedit, culpabile est. Alij legunt:* cultus probrum est, *reprehensibilis cultus, si natura, id est sexus mutetur, nam mutare consuetudinem & usum vestis, aliàs culpa non est.* SAT REFERT, *multùm interest, inter honorem qui tempori debetur ex usu loci, & cultum & honorem Deo debitum.* FIDEM TEMPORI, *scilicet seruare debet quisque constanter usum quem tempus exigit, sed natura sit fidelis & constans seruando Deo usum habitus proprium cuique sexui. Alij legunt:* Religionem Dei: debet consuetudo fidem tempori, &c. *quasi diceret: tempus exigit à consuetudine ut nihil ab ea mutetur, nec pallium sumatur, cùm toga gestari solet: Deus autem exigit à natura. ut nihil mutet, de his quæ ipse instituit: nec viri propria mulierum, mulieres virorum assumant.* CONCVSSIT, *violauit, peruertit habitum viro à Deo & natura præscriptum.* LARISSÆVS. *Achillem intelligit, cui licèt patria Phthia sit, in Phthiade regione Macedoniæ: educatus tamen est Larissæ Thessaliæ, quæ ab Acrisio condita est.* IN VIRGINEM MVTANDO, *in puellæ habitum transuectum.* ILLE FERARVM, &c. *emphaticè dictum, quanquam fabulam censeat Naz. orat.* 20. Fabulosis ceruorum ac leonum medullis enutritus: μυελοῖς ἐλάφων τε καὶ λεόντων τοῖς μυθικοῖς ἀνατρεφόμενος. *Alij Achillem dictum* διὰ τὸ μὴ θίγειν χείλεσι μαζοῦ τὸ τῆς τροφῆς- ob id quod labiis nutrimentum non attigerit. *Et hoc est quod ait Tertull.* vnde & nominis concilium, *Inde sibi nomen hoc conciliauit, hinc etymon nominis. Achilles enim quasi* ἄνευ χειλῶν, *quod ab uberum gustu vacauerat. Cassiodorus notat Chilones dictos, à magnis labiis, Achillem à paruis, aut nullis, quòd iis non uteretur ad ubera.* APVD RVPICEM. *primâ breui, non rupicolam, sed incultum & sordidum signat* ῥύπος. *Alij legunt,* monstrorum eruditorem. *intelligentes monstra heroum, Nestorem, Amphiaraum, Peleum, Hippolytum, &c. apud Xenophontem. Cæterùm Chiron Centaurus, filius Saturni & Nymphæ Phillyræ, vel ut alij volunt, filius fuit Ixionis & nubis conceptus, & natus in montibus, superiori parte homo, inferiore equus; magnus Medicus, & Chirurgus, Musicus, Astrologus, quem Peleus dedit Achilli filio eruditorem. Transcriptus est in sydus Sagittarij, casu vulneratus Herculis sagittâ sanguine hydræ tinctâ.* RVPICEM, *rupis incolam.* MONSTRVM ERVDITOREM. *Centaurum dictum Chironem.* SCRVPEA SCHOLA. *in antro saxeo. Alij legunt* monstrorum eruditorem. *quia erat veluti magister aliorum Centaurorum.* FERAS IN PVERO, *ferre possis in Achille adhuc puero Thetydis matris eius anxietatem, quæ puerum occultabat sub habitu puellæ.* HIRTICVLVS, *sed ferendum non est adhuc effeminari dum iam adolescens & hirtus, siue hirsutus, & pilosus primâ lanugine esse incipit, & occultè Deidamia Regis Lycomedis filia viciata, inter eius filias muliebri in habitu occultatur à matre (de qua Deidamia Pyrrhum genuit.) Alij legunt:* Striculus, histriculus, *ex Turnebo puer grandior: & alij* vstriculus, patiens vstriculas; *vel ferrum vrens ad torquendos crines, vel lanuginem comprimendam, ad tegendum sexum virilem, vel igniculos & pruritum carnis sentiens.* CLANCVLVS, *alij* clanculò, *Clandestinè congressus.* STOLAM FVNDERE. *id est, effusam vestem puellæ gestare, comam item calamistrare, fuco faciem pingere, murenulis aures ornare, & collum monilibus, sicut repræsentatur in statua, apud Sigæum Troiæ Promontorium hodie videtur,* STRONGYLA, *ex Salmasio, statua est pectore tenus, scuto rotundo contenta.* MILES EST. *Fateor quidem Achillem postea strenuum militem, infamem notam muliebritatis expiasse factis bellicis.* NECESSITAS, *belli scilicet ad quod vocatus est ab Vlysse, qui eum detexit, & virum se fateri coegit. Vix enim Vlysses jussit suum tubicinem carmen incentiuum belli canere, & coram Achille fieri cum armorum crepitu clamorem militarem. Nec procul ab illo posita arma statim arripuit: ut enim occulta vi magnes ferrum, sic, ex Homero, tuba bellica, armorum fragor, arma ipsa ferrea generosum abripiunt animum.* SI POST INCENTIVVM, *tot bellicosi animi irritamenta, Achilles perseuerasset ut puellam se gerere, nulla post dubietas de sexu fuisset, cum vir nobilis potuisset in sponsam quærere.* MONSTRVM GEMINVM, *in uno Achille bis transfigurato.* QVANDO, *quandoquidem, nec veritas sexus masculini negari debuisset, nec fallax habitus mutatio, detegi. Vterque enim habitus malus fuit, vir enim mutatus est in fœminam contra naturalem habitum viri: & rursum habitum mulieris mutauit in virilem contra salutem propriam, id est vitam, quia in bello periit. Aduerte breuiter, Achillem Pelei, & Thetidis filium, quem cùm mater ex oraculo accepisset in expeditione Troiana periturum si cum aliis ducibus Græciæ in bellum pergeret, jam adultum sub habitu muliebri inter filias Regis Lycomedis occultatum à matre, arte præfata ab Vlysse detectum, & ductum ad bellum, & tandem à Paride occisum, & in Sigæo sepultum.*

Augustinus egregiè explodit, mutationem istam habitus, ser. 247. de temp. qui inscribitur, de adulterino habitu virorum, ac mulierum. *Vbi hæc inter cætera;* tunc iste adulterator habitus nuptialis, jussu Patrisfamilias, & manifestè excludetur, & in carcerem retrudetur. Interim tamen amici sponsi talem simulatorem non ignorant, quia habitus impudicus corporis, nuntius est adulterini cordis. Impudicus autem habitus corporis sui in viris, superflua & inordinata capillatura, vestimentorumque muliebrium affectata similitudo, calciamentorum quoque metas necessitatis excedens simulata longitudo. In mulieribus facies fucata, virilium vestimentorum imitatio, capillorum natiui coloris adulteratio. Hic habitus in vtroque sexu adulterinus est, & Sanctarum nuptiarum societate indignus. Et à conspectu tanti sponsi, & tantæ sponsæ protsus amouendus. S. Aug. TVRPIVS ADHVC, &c. *Aliud mutationis habitus exemplum enormius profero Herculis, quem ut Deum colitis, de quo tamen potius pudore suffundi deberetis; nam Thetys mater Achyllis, oraculo deterrita, filium adhuc adolescentem transuestiuit in fœminam, & vir Hercules pudenda Omphalis libidine, transfiguratus est in mulierem.* SCYTALOSAGITTIPELLIGER. *Clauam, sagittas, pellem Leoninam gestans, habitu muliebri totam fortem huius nominis compositi compensauit. Adeo prævaluit clandestina amica Omphales Regina Lydiæ in animum Herculis, ut vterque inuicem mutato habitu, & concubitu frueretur:* VBI DIOMEDES? *ubi tunc animus ille Herculis? ubi certamen quo occidit Regem Thracum Diomedem; ubi cruenta equorum eius præsepia, hominum sanguine ab his discerptorum purpurata? Vbi Busyris Rex Ægypti cum suis altaribus ardentibus, in quibus sacrificatos homines, quasi busto tradebat? ubi Geryon tricorporis vir? ubi tandem claua ipsa,*

& Scytala Herculis præfatorum terebris respersis gloriosa? his fœtore malens, quàm Omphalis unguentis non offundi solùm & leniri, sed & offendi? VETVS IAM, *jam desiccatus in acumine sagittarum sanguis fusus hydræ & Centaurorum interfectorum ab Hercule.* EXCLVDEBATVR, *extergebatur pumiceo lapide, quo speculum suum polire & lenigare consueuerat Omphale. Alij legunt* pumico spiculi *id est acus crinalis, quia pumice vt cote acuebatur. Sic insultabat sagittis à se victis, vt fortè speraret earum acumine sibi coronam consuere, vel de emollitis, vnguentoque delibutis, & circumflexis Diadema capiti circumponere. Alij pro* suerent, luerent, *quasi debitum scilicet pensum victrici.* NE SOBRIÆ, &c. *Mirum, Omphalem hanc leonis pellem suo corpori circumposuisse mollißimam fœminam, cùm nec humeri quidem mulierum fortis, pelles tam rigidas & mali odoris, induere voluissent nisi prius emollitas vigore & asperitate mitigatas, & odore fœtido purgatas, quod credo fecisse Omphalem balsamo & malabatrino vnguento, vt & jubas leoninas pectine suo leniuisse, ne molle eius collum læderent stiria, id est pili contorti leonis, instar guttæ gelidæ, & concretæ pendentes.* HIATVS, *rictus, oppletus crinibus, & mixtus comis Omphalis.* GENVINI, *dentes leonis.* INTER ANTIAS, *id est juxta Festum, muliebres capillos ante faciem in fronte demissos, inter quos adumbrati veluti erant & operti dentes leonini. Isidorus per antias intelligit capillos ab vtraque aure pendentes.* MVGIRET. *Rugiret leo, si viueret, præ contumelia, quam fœminea mollities generoso animali inurit, tanti capitis sui exuuio infami mollißima pellicis capiti imposito. Alij legunt,* hiatus crinibus infarsos, genuinos inter antias adumbratos. NEMEA. *Si quis huius loci genius, Syluæ inquam Nemeæ, in qua Hercules leonem occidit, de tanta iniuria regi animalium inflicta, ingemebat. Tunc enim verè leonem suum se perdidisse cognouit, dum eum corpus mulieris vestire vidit.* QVALIS ILLE HERCVLES. *Quasi diceret: vis scire qualis fuerit Hercules in Omphalis veste, talis vtique fuit, qualis à me descripta Omphale scortum ipsius Herculis, hoc est quàm indignum fuit Omphali leoninum spolium induere, tam probrosum fuit Herculi muliebrem Omphalis habitum sumere.* IN SERICO, *veste serica. Alij legunt,* in theristro *id est molli & astiua tunica.* SCORTO. *Non tantum significat meretricem, sed & pellem, vnde & dicta scortea zona, id est pellicea.* In scorto igitur Herculis designata Omphales, *est notata probro hæc mulier in pelle leonis, quam prius gestabat Hercules victor leonis.*

II. *Mutatio Cleomachi fortißimi pugilis, Herculi Tirinthio similis arguitur, vt & Phisconis, Sardanapali, Neronis, effœminatus cultus, & pomposus Alexandri taxatur. De Pall. cap. 4. in m.*

SEd & qui ante Tirynthium accesserat pugil Cleomachus, post Olympia cùm incredibili mutatu de masculo fluxisset, intra cutem cæsus, & vltrà inter fullones iam Nouianos coronandus, meritóque mimographo Lentulo in Catinensibus commemoratus, vtique sicut vestigia cestuum viriis occupauit, ita & endromidis solocem aliqua multicia synthesi extrusit. Physconem & Sardanapalum tacendum est, qui nisi insignes libidinum, aliàs reges nemo nosset. Tacendum autem, ne quid & illi de Cæsaribus quibusdam vestris obmussitent, pariter propudiosis: nec caninæ fortè constantiæ mandatum sit, impuriorem Physcone, & molliorem Sardanapalo Cæsarem designare, & quidem Subneronem. Nec tepidior vis vanæ quoque gloriæ mutandis induuiis, & iam viro saluo. Calor est omnis affectus: verùm cum in affectationem flabellatur, iam de incendio gloriæ ardor est. Habes igitur ex isto fomite æstuantem magnum regem, solâ gloriâ minorem. Vicerat Medicam gentem, & victus est medicâ veste. Triumphalem cataphracten amolitus, in captiua sarabara decessit: pectus squamarum signaculis disculptum, textu pellucido tegendo nudauit, & anhelum adhuc ab opere belli, vt molliùs, ventilante serico extinxit. Non erat satis animi tumens Macedo, ni illum etiam vestis inflatior deiectasset.

MVTATIO. II. SCHOL.

SED ET, &c. *Aliud quoque exemplum proferam, Cleomachi Magnesij, qui prius egregius pugil, fortitudine & victoriis proximè erat accedens ad Herculem*
S.Aug. *Tyrinthium. De quo sic Aug. lib. 18. de Ciuit. c. 12.* His temporibus Hercules in Tyria clarus habebatur, sed nimirum alius non ille de quo supra locuti sumus. Secretiore quippe historia plures fuisse dicuntur & Liberi Patres & Hercules. Hunc sanè Herculem, cuius ingentia duodecim facta numerant, inter quæ Antæi Afri necem non commemorant, quòd ea res ad alterum Herculem pertinet, in Oeta monte à seipso incensum produnt suis literis, cum ea virtute qua monstra subegerat, morbum tamen quo languebat sustinere non posset. Illo tempore, vel Rex, vel potius Tyrannus Busiris suis diis suos hospites immolabat. *De quo præcedenti Scholio. Cæterùm hic erit Tyrinthius ex Tyrinthia vrbe in Peloponeso, in qua educatus est Hercules, quem in Italiam venisse, & monstra domuisse scriptores tradunt.* ANTE, *alij*, arte accesserat. *Pugilis scilicet & cæstus. Vnde cum Hercules Antæi victor in lucta peritissimus esset, hunc Tyrinthium fuisse Tertullianus satis insinuat.* POST OLYMPIA, *sine Olympica certamina.* MVTATV, *mutatione.* DE MASCVLO FLVXISSET, *defluxisset in fœminam, succubum agens, & intercutitus, libidini præpostera succumbens.* ET VLTRA INTER FVLLONES. *Et præterea coronandus quasi insignis succubus inter corruptos numerandus, & similis pannis à fullonibus compreßis. Ita enim apud Plautum,* fructus fullonius, *de hac re turpißima intelligitur. Nouianos autem dicit, quia Poeta Nouius scripsit fabulam nomine,* fullonis. MIMOGRAPHO LENTVLO, *supple à scriptore rerum Mimicarum citatus in fabula dicta,* Catinenses. VTIQVE SICVT. *Id est, velut viria, id est armilla, occuparunt vestigia cæstuum & vibicum quibus olim pugil affectus fuerat, sic* ENDROMIDIS SOLOCEM *pinguem & crassam lanam excussit vestis cursoriæ & villosæ, sumpta eius loco* synthesi multicia, *id est veste molli, subtilissimis, & variegatis filis contexta. Aduerte porro* Endromidem, *sic à cursu dictam; quamuis athletæ & pugili pugnanti incongrua esset, vt & luctanti nudo vt plurimum; post cursum tamen & luctam, aptissima erat; quia villosa & hirsuta instar spongiæ, sudorem ebibebat, & refocillabat corpus lassum. Solox autem apud Festum, significat & pecus, quod non*

tectum

cectum aliqua pelle vel panno ad seruandam lanæ puritatem, pascitur: sicut Tarentinæ oues & Altinæ purissimæ. Significat etiam lanam crassam quæ ex ouibus hirti velleris tondebatur. Viria præterea, siue Viriola, fœminini generis, est ornamentum colli ex gemmis viridibus, veluti smaragdis. PHYSCONEM Ptolemæum Regem Ægypti septimum à Lago. Qui sic dictus est à crasso Intestino, quasi Gastricola & ventrosus. ET SARDANAPALVM, Assyrium Regem, qui habitu muliebri colum tenuit. Augustinus lib. 2. de Ciuit. cap. 20. sic de Sardanapalo: (S.Aug.) Qui quondam Rex ita fuit voluptatibus deditus, vt in sepulchro suo scribi fecerit, ea sola se habere mortuum, quæ libido eius, etiam cùm viueret hauriendo consumpserat. TACENDVM EST. Græca phrasis assueta Tertulliano. INSIGNES LIBIDINVM, viri libidinosissimi; hoc solo notabiles, nulla regia virtute commendabiles. NE QVID ET ILLI. Ne si eos carpamus, ius habeant querelæ in aliquos Imperatores vestros æquè impudicos. NEC CANINA, &c. Nec fortè vni Diogeni Cynico liceat id torquere in aliquem Cæsarem, cum fuisse dicto Physcone impudorem. SVBNERONEM. Subtiliùs opinor quàm veriùs hæc aliqui de ipso Nerone intelligunt, qui post quinquennium Imperij sui quo verè Cæsar fuit, posteà effœminatissimus; vnde & Subnero sit dictus: malim Domitianum accipere, qui zelatus est nomen Neronis, & Nero ambiit appellari. Alij legunt: Nec magnæ fortè constantiæ mandatum sit, &c. id est, nec magno animo & constanti labore opus est, inuenire aliquem inter Cæsares mollem. NEC TEPIDIOR, nec minùs potest vana gloria quàm voluptas ad mouendos homines ad mutationem vestium. ET IAM VIRO SALVO, id est sexu virili non mutato. CALOR EST, omnis quidem affectus inordinatus speciem gerit febris alicuius, sed cùm in ostentationem excitatur appetitu vanæ gloriæ quasi flabello, tunc calor leuis transit in incendium. ISTO FOMITE, gloriæ scilicet. MAGNVM REGEM, Alexandrum Magnum, MINOREM. Aliis in rebus maior erat sua fama & gloria, in hac mutatione habitus, & gloria ex hoc captata minor. Ille itaque Persarum & Medorum victor, eorum veste superatus est. Siquidem tota arma bellica quibus terrori erat hostibus, quibus & triumphauerat, deposuit, & captiuatorum à se Medorum vestem induit, in qua & mortuus est.

SARABARA. Isidorus lib. 19, Sarabara, fluxa & sinuosa vestimenta. Suidas ait esse vestem Persicam. Hieron. in Dan. Saraballa eadem sunt cum Sarabaris; lingua autem Chaldæorum, Saraballa crura hominum vocatur tibiæ, braxæ eorum quibus crura teguntur, & tibiæ crurales, tibiales appellatæ sunt. Vnicum inuenio in Scriptura locum, vbi fit mentio huius vocis de tribus pueris in Babylone captiuis, idque antequam à Dario rege Medorum Balthazar rex Chaldæorum occideretur, vt habetur Dan. 5. versu vltimo. Sic enim de Sarabaris siue Sarabalis Dan. 3. 94. Et congregati Satrapæ & Magistratus & Iudices & potentes Regis contemplabantur viros illos, quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum, & capillus capitis eorum non esset adustus, & Sarabala eorum non fuissent immutata, & odor ignis non transisset per eos. Sanct. Pagn. Ex Hebr. & vestes eorum non erant mutatæ. 70. verò, Et Sarabara eorum non fuissent immutata.

SQVAMMARVM signaculis pectus sumit pro lorica variè sculpta squammarum similitudinibus. TEXTV PELLVCIDO, tela serica tenuissima & transparenti, vt magis nudus esset quàm tectus hac molli veste. ANHELVM. Ex feruore bellico. VT MOLLIVS, iam deliciis emollitum, vel vt molliùs dicam, serica veste vento inflata, extinxit omnem vim & ardorem masculi & bellici pectoris, TVMENS, inflatus & superbus Alexander, nisi vestis illa tumore Persico & Medo inflata, vt jucundior multo natiuâ Macedonicâ DEIECTASSET, non significat deiecisset, sed ad maiorem jactantiam & gloriam à prima amplius extulisset: alij legunt simpliciùs, delectasset. Salmasius præmissa sic exponit; Cleomachum in ipso loco agonis, incidisse in amorem Cynædi, & puellæ quæ cum ipso erat, & inde cœpisse scribere gesta Cynædorum. Et qui vt pugil olim & Athleta, profundis, & vltra cutem patentibus vulneribus cæsus fuerat, postea vt mulier, muliebria passus est, & intra cutem cædi. Sic stuprum passi flagitati dicebantur. Viriæ autem, siue viriolæ, armillæ erant viris fortibus in præmium datæ, licet & gestamen essent mulierum, & Cynædorum. Alij legunt: vestigia cæstuum virus occupauit. Vel birus, vel berus, qui est lacerna cucullata, siue cum capitio. Vnde & birretum; mollium quippe erat capita tegere; teste Suetonio in Clodio. Cleomachus item virilem vestem, & athleticam, molli & pictâ mutauit. Endromidis solocem, Endromis, calceamenti genus cursoribus, & venatoribus aptum. De Subnerone, notat dixisse in Apologet. Domitianus, portio Neronis, de crudelitate. Vnde magnæ constantiæ foret tam crudelem arguere. De calore affectus, scitè adnotat varios affectus, homines ad mutationem habitus excitasse; libidinem & amorem Omphalis, Herculem in mulierem; matris affectum, & timorem, Achillem in puellam; Cleomachi pugilis, Endromidis solocem, cursoris, & athletæ habitum crassiorem, in mollem Cynædum: sed affectum ambitionis ardentiorem cæteris, vicisse Alexandrum; qui à lorica ferrea, & habitu triumphante, defecit ad captiua Sarabara: & multum in hoc seipsum deiicit, victus mollitie Medicæ siue Persicæ vestis.

NOMEN.

1. Nomina sectis imposita ab institutoribus suis, vel locis, damnanda non sunt, nisi secta sit mala; nec proinde nomen Christiani damnandum.

Apol. cap. 3. in f.

Oditur itaque in hominibus innocuis, etiam nomen innocuum. Atenim secta oditur in nomine vtique sui auctoris. Quid noui, si aliqua disciplina de magistro cognomentum sectatoribus suis inducit? nonne philosophi de auctoribus suis nuncupantur, Platonici, Epicurei, Pythagorici? etiam à locis conuenticulorum & stationum suarum, Stoïci, Academici? æquè medici ab Erasistrato, & grammatici ab Aristarcho, coqui etiam ab Apicio? nec tamen quemquam offendit professio nominis cum institutione transmissi ab institutore. Planè si qui probauit malam sectam,

& ita malum, & auctorem, is probabit & nomen malum dignum odio de reatu sectæ & auctoris. ideóque ante odium nominis competebat priùs de auctore sectam recognoscere, vel auctorem de secta. At nunc vtriusque inquisitione & agnitione neglectâ, nomen detinetur, nomen expugnatur. & ignotam sectam, ignotum & auctorem vox sola prædamnat, quia nominantur, non quia reuincuntur. *Et 1. ad nationes, cap. 5. per totum. & hic Scholia.*

NOMEN. 1. SCHOL.

INNOCVIS, *innocentibus Christianis.* ATENIM SECTA, A *vtitur sæpè hac voce in bonam partem, pro Christiana professione & disciplina.* AVTHORIS, *Christi,* CONVENTICVLORVM ET STATIONVM, *Scholarum & locorum in qua conueniunt discipuli ad Magistros & Professores audiendos. Christiani autem à Christo & Christiana disciplina & Ecclesia in quam multi Gentiles de suis conuenticulis, & nominibus prophanis transierunt. Sic Psal. 15.* Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus, &c. *Quem sic breuiter explicat in rem nostram Augustinus, vbi insinuat, per humiliationem crucis exaltatum nomen Christi.* Mirificaui omnes vo- S. Aug. luntates meas in illis. His sanctis miras feci omnes voluntates meas in profectu eorum, quo senserunt quid eis profuerit, & humanitas meæ diuinitatis vt morerer, & diuinitas humanitatis vt resurgerem. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum. Non ad perniciem, sed vt Medicum desiderarent. *Non Erasistratum de quo statim Tertullianus, nec Platonem, aut Pythagoram, sed ipsam diuinam æternamque Patris sapientiam, nec Stoïcos, homines paßionibus carere volentes, sed eas frenare docentem; nec Academicos de omnibus dubitantes, sed vel minimam dubietatem in Moyse ferientе petram, & Petro fluctuante non ferentem: prosequi-* S. Aug. *tur expositionem Psaltis Augustinus;* Postea accelerauerunt. Itaque post multiplicatas infirmitates accelerauerunt, vt sanarentur. Non congregabo conuenticula, &c. erunt enim conuenticula eorum non carnalia, nec de sanguinibus pecorum, *immolatorum à Iudæis vel Gentilibus ad placandum verum Deum, vel falsos Deos* propitiatus congregabo eos, nec memor ero nominum illorum per labia mea. Sed spirituali mutatione obliuiscentur quid fuerint: nec à me jam vel peccatores, vel inimici, vel homines, sed justi, & fratres mei, & filij Dei vocabuntur per pacem meam. *Sic oleum effusum nomen tuum ô Princeps pacis, cui statuit Pater testamentum pacis, quo Christianis assumpto nomine tuo, hæreditas cœli pro-* S. Aug. *missa est.* Dominus pars hæreditatis meæ. Possidebunt enim mecum hæreditatem ipsum Deum. Eligant sibi alij partes quibus fruantur terrenas & temporales, portio Sanctorum Dominus æternus est. Et Calicis mei. Bibant alij mortiferas voluptates, portio Calicis mei Dominus est. Quod dico mei, adjungo Ecclesiam, quia vbi caput, ibi & corpus. Nam in hæreditatem congregabo conuenticula eorum, & per Calicis ebrietatem obliuiscar nomina vetera eorum. Tu es qui restitues mihi hæreditatem meam. Vt nota sit & his quos libero, claritas qua eram apud te priusquam mundus fieret. Non enim restitues mihi quod non amisi: sed restitues his qui amiserunt eius claritatis notitiam, in quibus quia ego sum *per vnitatem capitis & corporis* mihi restitues. STOICI. *Sic appellati ἀ στοᾶ, id est porticu in quam Stoïci Zenonis Discipuli conueniebant.* ACADEMICI. *Ex Suida & Stephano locus nemorosus distans mille passus ab Athenis, consitus ab Academo heroe, vt Eupolides sentit, vbi Plato Philosophiam professus est. Aug. lib. 8. de Ciuit. c. 12.* Cum Aristoteles Platonis S. Aug. A Discipulus, vir excellentis ingenij, & eloquio Platoni quidem impar, sed multos facilè superans, Sectam Peripateticam condidisset, quod deambulans disputare consueuerat, plurimosque discipulos, præclara fama excellens, viuo adhuc præceptore, in suam hæresim congregasset; post mortem verò Platonis, Speusippus sororis eius filius, & Xenocrates dilectus eius discipulus, in Scholam eius, quæ Academia vocabatur, eidem successissent, atque ob hoc, & ipsi, & eorum successores Academici appellarentur: recentiores tamen Philosophi nobilissimi quibus Plato sectandus placuit, noluerunt se dici Peripateticos, aut Academicos, sed Platonicos.

ERASISTRATO. *Huius meminit Plinius, in quem non rarò inuehitur Galenus, ex Aristotelis fami-* B *lia natus est, eximius Medicus.* ARISTARCHVS, *insignis Grammaticus, qui tantum sibi arroganit, vt ex operibus Homeri quos vellet versus abiiceret, quasi eius suppositios fœtus; cui non impar Erasmus in censuris librorum Patrum, maximè Augustini: Cuius vt Censura dignißimas Censuras, suo loco recensui.* APICIO. *De hoc insigni epularum gurgite, suo contemporaneo meminit Seneca lib. de Consolat. ad Albinam, hic & libros de gula irritamentis scripsit, Coquorum magister, & alter Nabuzardan: & Capitolij vectigal, gula voraci decoxit.* PROFESSIO HOMINIS. *Cur, inquit, nobis solis indignamini, si à Christo Christianum nomen sumpsimus, cum neminem lædat, si quis profiteatur nomen Magistri & institutoris sui.* DE REATV, *ob reatum & culpam.* C ANTE ODIVM. *Oportebat prius inquirere, an bona vel mala disciplina, & qualis esset author eius, antequam nudum nomen, ex se innocens, malum ac reprobum odio haberetur,* DETINETVR, *quasi carcere & pœna dignus sit, quicumque hoc nomen habet.* VOX SOLA, *appellatio & nomen:* REVINCVNTVR, *probantur, conuincuntur mali Christiani.*

Et ad Nat. 1. cap. 5. &c. DICITIS, *exprobratis etiam inter eos, qui fidem Christianam profitentur esse sceleratos.* LENTIGO. *id est macula subrufa, vel nigra, in similitudinem lenticulæ.* COLATA *detersa, & pura & expressa ab omni sorde.* RESIGNETVR. *violetur.* QVO VNIVERSITAS. *Tota facies de cætero formosa est, & veluti hoc etiam næuulo formosior, ipsa tenui defor-* D *mitate opposita relucet.* SECTA, *professio Christiana, cui potissimè crimini vacet, quam malitiam profitetur.* IPSI, *vosmetipsi eam propria vestra confessione & communi sermone purgatis.* FINES SVOS. *Quasi medium stat nomen, inter nudam & meram appellationem ac vacuam & rei per nomen significata, solidam substantiam.* SEDVCANT, *abutantur planè nomine, qui solo eius sono contenti sunt: velut ille cui in Apoc. dicitur:* nomen habes quod viuis, & mortuus es. *Au-* S. Aug. *gustinus in Enchirid. ad Laur. capite quinto;* Si, inquit, diligenter quæ ad Christum pertinent, cogitentur, nomine tenus inuenitur Christus apud quoslibet hæreticos, qui se Christianos vocari volunt, re verò ipsa non est apud eos. *Quòd verò supra dixit author 1.* quot denique Philosophi, S. Aug. &c. *Pulchrè Augustinus libro tertio contra Academic. cap. 17.* Nunc Philosophos non ferè videmus,

nisi aut Cynicos, aut Peripateticos, aut Platonicos. Et Cynicos quidem quia eos vitæ quædam delectat libertas, atque licentia: quod autem ad eruditionem doctrinámque attinet, & mores quibus consulitur animæ, quia non defuerunt acutissimi & solertissimi viri, qui docerent disputationibus suis Aristotelem ac Platonem, ita sibi concinere, vt imperitis, minúsq; attentis dissentire videantur; multis quidem sæculis, multisq; contentionibus, sed tamen eliquata est, vt opinor, vnâ verissimæ Philosophiæ disciplinâ, *scilicet Christianâ*, non enim est ista huius mundi Philosophia quam nostra Sacra meritissimè detestantur: sed alterius intelligibilis. cui animas multiformibus erroris tenebris cæcatas, & altissimis à corpore sordibus oblitas; numquam ista ratio subtilissima reuocaret, nisi summus Deus, *Verbum incarnatum*, populari quadam clementiâ, diuini intellectus authoritatem, vsque ad ipsum corpus humanum declinaret atque submitteret. Cuius non solùm præceptis, sed etiam factis excitatæ animæ, redire in semetipsas, & resipiscere patriam, etiam sine disputationum cōcertatione potuissent: *Verùm, vt multi nomine tenus Philosophi, ita & Christiani, Christum factis negantes.* DE RE STATVS. *Aug. lib. de Gen. ad lit. imperfect. c. 6.* Omne, inquit, vocabulum ad distinctionem valet. Vnde etiam nomen quod rem notet, appellatum est, quasi notamen. Notat autem, id est distinguit, & ad discernendum adiuuat. *Et lib. de quantitate animæ cap. 32.* Aug. age iam, dic mihi cùm ore ipsum nomen erumpit tuo, atque id ego audiens Solem cogito, quem tu ante vocem & cum ipsa voce cogitasti, & nunc fortasse ambo cogitamus, nónne tibi videtur nomen ipsum veluti accepisse abs te significationem, quam ad me per aures deportares. Ad. videtur. Aug. Cùm ergo nomen ipsum sono, & significatione constet, sonus autem ad aures, significatio ad mentem pertineat; nónne arbitraris in nomine, velut in aliquo animante sonũ esse corpus, significationem autem quasi animam soni? *Audito Christiano Solis filio, quis Æthiopem putet?* Vt filij lucis ambulate. S. Aug. S. Aug.

2. *Nomen generale continet specialia.* *De vel. Virg. cap. 4. in f.*

GEneralibus vocabulis contenti sumus comprehendentibus in se specialium intellectum. Ergo iam de vocabulo ipso. Naturale vocabulum est femina. Naturalis vocabuli generale mulier. Generalis etiam speciale, virgo, vel nupta, vel vidua, vel quot etiam ætatis nomina accedunt. Subiectum igitur est generali speciale, quia generale priùs est: & subcessiuum antecessiuo, & portionale vniuersali: & in ipso intelligitur cui subiicitur, & in ipso significatur, quia in ipso continetur. Sic nec manus, nec pes, nec vllum membrorum desiderat significari corpore nominato. Et si mundum dixeris, illic erit & cœlum, & quæ in eo, sol & luna, & sidera, & astra, & terra, & freta, omnis census elementorum. Omnia dixeris, cùm id dixeris, quod ex omnibus constat. Sic & mulierem nominando; quidquid est mulieris, nominauit.

NOMEN. 2. SCHOL.

INTELLECTVM, *sensum.* ERGO IAM, &c, *supple, dicamus.* NATVRALE, *sexum naturalem significans, & primò à Deo cum natura inditum Eua, cùm dixit Moyses:* Masculum & fœminam creauit eos. *Vide suprà dicta. V. Mulier. 1.* NATVRALIS VOCABVLI, &c. *sexus debilior in omni genere animantium, dicitur fœmina, in humano verò genere, vocabulum imbecillioris sexus, est mulier, cui generali nomini, subiectæ sunt species, siue conditiones & status mulierum distincti, vt pote virgo, nupta, vidua; vel alia nomina quæ singulis ætatibus quadrant, vt puella, adolescentula, matura viro, vetula.* SVBIECTVM IGITVR, &c. *Concludit nomen speciale, subiici generali, vt pote priori, in quo & intelligitur, quia in ipso vt latiori continetur.* SVBCESSIVVM, *id est, quod succedit, & subsequitur. Et dat exemplum corporis, quod est aliquid generale, & priùs quam membra, quæ in ipso pronunciato intelliguntur. Sicut mundus, nomen est vniuersale, sub quo eius portiones, vt cœlum; Sol, astra, elementa, nominata subintelliguntur. Sic concludit, quòd quando Apostolus nomine generali voluit absque restrictione, velari mulieres, intellexerit & virgines, quæ generis fœminini portiones sunt.* OMNIS CENSVS, *series elementorum.* QVIDQVID EST MVLIERIS, *quidquid sub hoc genere, muliebris sexus comprehenditur. Augustinus to. 3. lib. 1. locutionis de Genesi numero 79.* Quod scriptum est de Rebecca: virgo autem erat speciosa valdè, virgo erat, vir non cognouerat eam, ista repetitio commendationem virginitatis insinuat. Sed cur additum sit, vir non cognouerat eam, nisi locutionis sit, mirum si possit accipi, ita vt virgo nomen sit ætatis, non integritatis, &c. *paučis interiectis subiicit verba Eliefer:* Et erit, virgo cui ego dixero, da mihi bibere pusillum aquæ de hydria tua: & dicet mihi, Et tu bibe, & camelis tuis hauriam: hæc mulier est quam parauit Dominus famulo suo Isaac. Quibus verbis satis euidenter expressum est, etiam mulieres appellatas locutione Hebraïcâ quæ virgines essent. *Idem habet eod. tom. libro 3. locutionis in Deut. num. 88. de muliere venente. Et lib. 2. de Trin. cap. 3. vbi ex Gal. 4. de Filio Dei facto ex muliere:* Quo nominė quis Catholicus nesciat, non eum priuationem virginitatis, sed differentiam sexus, Hebræo loquendi more, significare voluisse. *Vide suprà dicta verbo Mulier 1.* S. Aug. S. Aug. S. Aug.

3. *Nomina rerum confundenda non sunt; ne res ipsa confundantur.*
De Cat. Chri. cap. 13. à p.

OMnia periclitabuntur aliter accipi quàm sunt, & amittere quod sunt, dum aliter accipiuntur, si aliter quàm sunt, cognominantur. Fides nominum, salus est proprietatum. Etiam cùm demutantur qualitates, accipiunt vocabulorum possessiones. Verbi gratiâ, Argilla excocta, testæ vocabulum suscipit; nec communicat vocabulo pristini generis, quia nec cum ipso genere.

NOMEN. 3. SCHOL.

PERICLITABVNTVR, *euanescent ex animo rerum omnium cognitiones, si alio, quam suo nomine appellentur.* FIDES NOMINVM, *perseuerantia & constantia nominum rebus imposita ab exordio, fideliter obseruata, saluam & sartam seruat rerum proprietatem, à qua nomina deprompta sunt. Ipsæ etiam qualitates cùm mutantur, mutant etiam nomen, & accipiunt easdem appellationes quas possident illæ qualitates, in quas transmutantur. Aug. lib. de Gen. ad lit, imperfect. cap. 6. vbi de vocabulis diei & noctis.* Hoc ita accipiendum est, quia enuntiari aliter non posset res quæ nomen accepit nisi aliquo nomine. An potiùs ista vocatio accipienda est ipsa distinctio? non enim omnis lux dies, aut omnes tenebræ nox. Sed lux & tenebræ certis inter se vicibus ordinatæ atque distinctæ, diei & noctis nominibus appellantur. Omne quippe vocabulum ad distinctionem valet. Vnde (S. Aug.) A etiam nomen quod rem notet, appellatum est quasi notamen. Notet autem, id est, distinguat, & dubitanter ad discernendum adiuuet. Fortasse ergo ipsum diuisisse inter lucem & tenebras, hoc est vocasse lucem diem, & tenebras noctem; vt hoc sit ordinasse ista, quod vocasse. TESTA VOCABVLVM. *De hac voce alibi iam iuxta August. in Psalm. 21.* Aruit tanquam testa virtus mea, *quod Tertull. de Car. Christi propriè intelligit. Augustinus autem sic breuiter de Christi gloria aucta per passionem.* Quomodo enim testa ante ignem mollis est, post ignem fortis: sic Domini nomen ante passionem contemnebatur, post passionem honorificatur. NEC COMMVNICAT. *id est non ampliùs argilla vocatur.* CVM IPSO GENERE, *supple communicat, quia ampliùs non est lutum siue vda & humida terra, sed excocta.* (S. Aug.)

NOMEN DEI.

I. *Nomen Dei, Angelis, hominibus, & Idolis commune; substantia autem deitatis soli Deo propria, dispares Deos non patitur. 1. cont. Marc. cap. 7. in p. ad vltra me.*

TEntabis adhæc de nomine Dei concutere retractatum, vt passiuo, & in alios quoque permisso, quia scriptum sit, [a] *Deus deorum stetit in ecclesia deorum: in medio autem deos diiudicabit. &, Ego dixi, vos dij estis;* nec tamen idcircò eis competat possessio summi magni, quia Dei cognominentur; ita nec Creatori. Respondebo & stulto, qui nec hoc recogitauerit, ne tantundem & in Deum Marcionis possit retorqueri, vt & illum Deum dictum, nec ideò tamen summum magnum probatum, sicut nec Angeli aut homines Creatoris. Si communio nominum conditionibus præiudicat, quanti nequam serui regum nominibus insultant, Alexandri & Darij, & Holofernis? nec tamen ideò regibus, id quod sunt, detrahetur. Nam & ipsa idola gentium, dei vulgo; sed Deus nemo eâ re quâ Deus dicitur. Ita ego non nomini Dei, nec sono, nec notæ nominis huius, summum magnum in Creatore defendo; sed ipsi substantiæ, cui nomen hoc contigit. Hanc inueniens solam innatam, infectam; solam æternam, & vniuersitatis conditricem; non nomini, sed statui; nec appellationi, sed conditioni eius summum magnum & adscribo & vindico. Et ideò, quia Deus iam vocari obtinuit substantia, cui adscribo, nomini me adscribere putas; quia necesse per nomen ostendam, cui adscribam substantiæ; scilicet quâ constat qui Deus dicitur, & summum magnum ex substantia, non ex nomine deputatur. Denique hoc & Marcion suo Deo vindicans, secundùm statum, non secundùm vocabulum vindicat. Id ergo summum magnum quod Deo adscribimus ex substantiæ lege, non ex nominis sorte; contendimus ex pari esse debere in duobus, qui eâ substantiâ constant, quâ Deus dicitur: quia in quantum dij vocantur, id est summa magna, substantiæ scilicet meritò innatæ & æternæ, ac per hoc, magnæ & summæ; in tantum non possit summum magnum minùs & deteriùs alio summo magno haberi. Si summi magni felicitas & sublimitas & integritas stabit in Deo Marcionis, stabit æquè & in nostro. Si non & in nostro; æquè nec in Marcionis. Ergo nec paria erunt duo summa magna. quia prohibet dispositâ iam regula summi magni, comparationem non sustinentis: nec disparia; quia & alia summi magni regula occurrit, diminutionem non admittens. Hæsisti, Marcion, in medio Ponti tui æstu. vtrinque te fluctus veritatis inuoluunt. nec pares, nec dispares deos sistere potes. duo enim non sunt: quod pertineat propriè ad numeri retractatum.

[a] Psal. 81. 1. & 6.

NOMEN DEI. 1. SCHOL.

TENTABIS AD HÆC. *Superiori capite contra Marcionem agebat, dicens.* Nega Deum quem dicis deteriorem (*scilicet Creatorem*) nega summum magnum, quem credis minorem. Deum verò confessus vtrumque, (*& Creatorem nostrum & tuum*, duo summa magna confessus es. *Iam ergo Marcioni loquitur & dicit eum prætereà iam aliam controuersiam aggressurum, circa nomen ipsum Dei.* CONCVTERE RETRACTATVM, *alij legunt*, conuertere, *retractatum sæpiùs diximus accipi pro tractatu. Audebis, inquit Marcion nobis obiicere pro defensione Dei tui summè magni &* B *boni, frustrà nos Creatori nostro nomen Dei tribuere, cum hoc nomen passim & promiscuè commune sit in scriptura hominibus & Angelis, qui tamen ob nudam istam appellationem, non possident ius summæ & maximæ deitatis, & proinde nec illam summam dignitatem creatori competere, quanquam illum Deum vocemus. Psal. 81.* Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat. *Et rursum versu 6.* Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes. *Aug. ibid. titulus Psalmi:* Psalmus ipsi Asaph. *ex eodem in Psal. 80.* Asaph Latinè dicitur congregatio. *Et in Psal. 81.* Vt ad Synagogam, quod est

S. Aug. Asaph, eius intelligẽtia referatur, præsertim quia hoc A & primus eius versus assignat. Sic enim incipit: Deus stetit in Synagoga Deorum. Quos Deos? absit vt intelligamus Deos gentiũ, siue idola, siue aliquam præter homines, cœlestem terrestremq; Creaturam, cum paulò post hunc versum, idem iste Psalmus asserat, & quos Deos intelligi velit, in quorum Synagoga stetit Deus, apertius exprimat, vbi ait; Ego dixi dij estis, & filij Altissimi omnes: vos autem sicut homines moriemini, &c. *Postea agit de præsentia Dei vnius & trini omnia implentis, & concludit propriè Dei Filio Incarnato hunc versum applicari.* Vt staret Deus in Synagoga Deorum, ad hoc ex ipsis secundùm carnem. Sed quis Deus? neque enim quales illi, in quorum S. Aug. Deorum Synagoga stetit, sed sicut illic Apostolus sequitur; *Rom. 9.* quorum Patres & ex quibus Christus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. B Agnosco, inquam, stetisse, agnosco & in medio Deum sponsum: de quo amicus eius quidam dicit; *Ioannes Baptista apud Ioannem Euang. c. 1.* In medio autem vestrum stat, quem vos nescitis: Quippe de quibus paulò post in hoc Psalmo dicitur, nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Testificatur, & Apostolus Rom. 11. quoniam cæcitas ex parte in Israël facta est, &c. Stantem quippe in medio sui videbant eum, sed non eum videbant Deum, qualem se volebat videri dicens, Io. 14. qui me videt, videt & Patrem. Discernit autem Deos, non eorum meritis, sed gratia sua: in eadem conspersione faciens alia vasa in honorem, alia in contumeliam. Rom. 9. quis enim te discernit? quid enim C habes quod non accepisti &c? 1. Cor. 4. RESPONDEBO. *Iuxta Salomonem*; responde stulto, juxta stultitiam suam. *retorquebo eadem in Deum Marcionis.* SI COMMVNIO, &c. *Si nomina passim & communiter data vilissimis mancipiis, quæ primitus propria fuere Regum & Ducum, non eis regiam auferunt dignitatem, nec eam tribuant seruis qui his nominibus gloriantur, nec Deus verus iniuriam patitur, si etiam homines vel Dei vulgo Gentilium, sic passim vocentur. Dij enim nudum nomen habent, rem autem id est substantiam Diuinitatis non habet nisi solus verus Deus.* DEI VVLGÒ. *Qui dij populo Gentili sunt.*

Aug. in Psal. 94. Quoniam Deus magnus est Do- S. Aug. minus, & rex magnus super omnes Deos. Sunt ergo dij, super quos magnus est Deus noster, cui ju- D bilamus, cui exultamus, &c. Sunt, sed non sunt nobis: Apostolus enim ait, 1. Cor. 8. Nam & si sunt, qui dicuntur dij, siue in cœlo, siue in terra, quemadmodum sunt dij multi, & Domini multi, nobis tamen vnus Deus ex quo omnia, & nos per ipsum, & vnus Dominus noster Iesus Christus per quem omnia, & nos in ipso. Si ergo non nobis, quibus? audi ex alio Psalmo 95. Quoniam dij gentium dæmonia, &c. Dominus autem cœlos fecit, &c. Sacerdotem si requiras, super cœlos est, interpellat pro te, qui in terra mortuus est pro te. Ergo magnus est Dominus, & rex magnus super omnes Deos. Hic accipe homines Deos, &c. Deos dixit partici- E patione non natura, sed gratia, qua voluit facere Deos, &c. *Et in Psal. 49.* Deus Deorum Dominus S. Aug. locutus est; Dominus noster Iesus Christus Deus Deorum est, quia per ipsum facta sunt omnia, &c. Et si omnia per ipsum facta sunt, sicut consequenter dicit, & dij si qui facti sunt, per ipsum facti sunt. Vnus enim Deus non factus, & verus Deus ipse solus. Ipse autem solus Deus, Pater & Filius, & Spiritus sanctus. Dij ergo quorum Deus verus est, qui sunt, aut vbi sunt? dicit alius Psalmus; Deus stetit, &c. in medio autem Deos discernit. Adhuc nescimus ne dij fortè aliqui in cœlo congregati sint, &c. Videte in eodem Psal. quibus dicat, ego dixi dij estis &c. vos autem vt homines moriemini, &c. manifestum est ergo quia homines dixit Deos ex gratia sua deificatos, non de substantia sua natos. Ille enim justificat, qui per semetipsum, non ex alio justus est, & ille deificat, qui per seipsum, non alterius participatione Deus est. Qui autem justificat ipse deificat, quia justificando filios Dei facit. Dedit enim eis potestatem filios Dei fieri. Si filij Dei facti sumus, & dij facti sumus; sed hoc gratiæ est adoptantis, non naturæ generantis. *Vide hac de re multa eodem loco.* SVMMVM MAGNVM. *Summè magnum sustineo Creatorẽ Deum esse, non nomine tenus, sed re & substantia summè magnæ diuinitatis.* STATVI, *existentiæ, substantiæ.* CVI ADSCRIBO, *tribuo propriè nomen Dei.* DEPVTATVR, *censetur, summè magnus Deus Creator, non propter nomen, sed propter substantiam innatam, infectam, æternam, summè magnam.* OBTINVIT SVBSTANTIA, *jam meruit tum ex natura sua infinita, tum ex operibus eius cognitis, Deus Deorum, & summus appellari.* NECESSE EST. *Non possum aliter substantiam infinitam exprimere, quàm per Dei appellationem; summam ostendens esse in eo, quem dico magnum super omnes Deos.* EX PARI. *Similiter, æqualiter debet esse in Deo Marcionis, & nostro. De hoc contendimus & disputamus. Vt enim ille, suum dicit summè magnum, nos pariter Deum nostrum Creatorem talem tuemur.* IN TANTVM, *proinde non potest Deus noster minor esse Deo Marcionis.* ERGO NEC PARIA. *Benè concludit, duo summè magna esse non posse; quia id quod summè magnum est excedit omnia, & æquale non habet.* NEQVE DISPARIA, *quia quod summum est, vt par non habet, multò minus, aliquo altero inferius esse potest. Alibi probatum est Deum Marcionis nullum esse, multò minus summum, & proinde solum Creatorem esse summè magnum. Aug. in Psal. 88.* Quoniam quis in S. Aug. nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei? Ergo nemo in filiis Dei similis erit filio Dei. Et ipse dictus est filius Dei, & nos dicti sumus filij Dei. Sed quis erit similis Domino in filiis Dei? Ille vnicus, nos multi. Ille vnus, nos in illo vnum. Ille natus, nos adoptati: ille ab æterno Filius vnigenitus per naturam, nos à tempore facti per gratiam: ille sine vllo peccato, nos per illum liberati à peccato. *Subiicit Christum interrogasse Apostolos, quid de se sentirent homines, & respondentibus, alij. Ieremiam, &c. id est nubes & Prophetas; dixisse Petrum,* tu es Christus Filius Dei viui; non quomodo filij Dei, qui tibi non æquantur. Venisti in carne, sed non quomodo nubes quæ tibi non æquantur, &c. Caro nostra aliter venit, caro illius aliter. Dicimur & filij Dei, sed ille aliter Filius Dei. Illius nubes ex virgine, ille Filius ex æternitate æqualis Patri, &c. Quis ergo in nubibus æquabitur Domino? &c. quando ille Deus est glorificandus in consilio justorum? quoniam non possunt æquales illi esse; *sine rapina similis Luciferi, qui super nubes exaltare voluit solium suum, sedere à dextris Aquilonis, similis esse Altissimo, contra quem humilitate pugnauit, qui non est rapinam arbitratus esse se æqualem Deo, facti similes nubibus, id est hominibus* quoniam S. Aug. non possunt æquales esse, consilium ipsorum sit, credere in illum; quoniam non possunt æquales illi esse nubes & filij Dei, restat consilium fragilitatis animæ humanæ, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. 1. Cor. 1. PONTI TVI. *Alludit ad patriam Marcionis de qua jam supra.* ÆSTV *fluxu & refluxu Ponti Euxini, vtrobique captus Marcion non habet quod respondeat.* SISTERE, *probare, producere non potes.* NVMERI, *pluralitatis Deorum.*

2. Nomen Dei quomodo sanctificetur, illudque laudans fit Angelis similis. De orat. cap. 3. à p. per totum.

Io. 17. 6. Matth. 6. 9. NOmen *tuum manifestaui hominibus* id vt sanctificetur, postulamus. Non quod deceat homines benè Deo optare, quasi sit & alius de quo ei possit optari, aut laboret nisi optemus. Planè benedici Deum omni loco ac tempore condecet ob debitam semper
Psal. 33. 1. & 103. 22. memoriam beneficiorum eius ab omni homine. Sed & hoc benedictionis vice fungitur. Ceterùm quando non sanctum & sanctificatum est per semetipsum nomen Dei, cum ceteros sanctificet ex semetipso? Cui illa angelorum circunstantia non cessant dicere, [a] *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*
a Esa. 6. 3. Apoc. 4. 8. Proinde igitur & nos angelorum, si meminerimus, candidati jam hinc cœlestem illam in Deum vocem, & officium futuræ claritatis ediscimus. Hoc quantum ad gloriam Dei. alioquin quantum ad nostram petitionem, cum dicimus, [b] *Sanctificetur nomen tuum*,
b Matth. 6. 9. id petimus vt sanctificetur in nobis, qui in illo sumus: simul & in ceteris quos adhuc gratia Dei expectat, vt & huic præcepto pareamus, orando pro omnibus,
Matth. 5. 44. etiam pro inimicis nostris. Ideoque suspensa enuntiatione non dicentes Sanctificetur in nobis, in omnibus dicimus.

NOMEN DEI. 2. SCHOL.

NOMEN TVVM, *sic inducit Christum loquentem Ioannis* 17. 6. Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo. *Aug. tract.* 106. *in Io.* (S. Aug.) Quanta est, vel qualis gloria, duodecim, vel vndecim potius innotuisse mortalibus? Si autem quod ait, manifestaui nomen tuum, &c. omnes hic intelligi voluit etiam qui in eum fuerant credituri, ad eius magnam, quæ futura erat ex omnibus gentibus, Ecclesiam pertinentibus, de qua in Psal. 21. canitur, in Ecclesia magna confitebor tibi: est planè ista clarificatio, qua Filius clarificat Patrem, cum eius nomen notum facit omnibus gentibus. QVASI SIT ALIVS, *Deus scilicet, fons superior boni, à quo possit optari & peti, vt Deo nostro det aliquid.* LABORET, *penuria scilicet, egeat aliquo.* SED ET HOC, *scilicet jugis memoria beneficiorum Dei, vel id quod dicimus*; Sanctificetur nomen tuum, *species est benedictionis.* QVANDO NON SANCTVM? *Aug. to.* 4. *lib.* 2. *de ser. Domini in Monte cap.* 10. (S. Aug.) Primum omnium quæ petuntur hoc est, Sanctificetur nomen tuum. Quod non sic petitur, quasi non sit sanctum nomen Dei, sed vt Sanctum habeatur ab hominibus: id est, ita illis innotescat Deus, vt non existiment aliquid sanctius, quod magis offendere timeant. Neque enim quia dictum est Psal. 75. Notus in Iudæa Deus, in Israël magnum nomen eius: sic intelligendum est, quasi alibi minor sit Deus, alibi maior: sed ibi magnum est nomen eius, vbi pro suæ maiestatis magnitudine nominatur. Ita ibi dicitur Sanctum nomen eius, vbi cum veneratione, & offensionis timore nominatur. Et hoc est quod nunc agitur, dum Euangelium adhuc vsquequaque per diuersas gentes innotescendo, commendat vnius Dei nomen per administrationem filij eius. *Lib. de Spiritu & litera cap.* 26. *circa finem. Et lib.* 3. *locutionis de Leuitico. num.* 21. *Et lib.* 4. *locutionis de Numeris num.* 61. *videndus hac de re Augustinus.* (S. Aug.) EX SEMETIPSO. *Hebr.* 2. 11. Qui sanctificat & qui sanctificantur ex vno omnes. ANGELORVM CIRCVMSTANTIA, *qui stant circa illum, sicut Seraph. Esa.* 6. 3. SI MEMINERIMVS. *Vt scilicet eos imitemur, cum magno timore & honore Sanctum nomen benedicentes.* CANDIDATI EDISCIMVS, *vel quod, vt ambientes Senatum Angelicum, vel vt eorum Discipuli, stolis albis puritatis, (vt frequenter apparuerunt) induti, in sanguine agni dealbati, hanc vocem & Canticum in Dei laudem in cælo cantaturi sine fine addiscimus, quod totum erit, compendia-* A *tum, in claritate gloriæ, officium quod pro Breuiario persoluemus.* QVI IN ILLO SVMVS, *id est qui iam in eum credimus. Cum filio vt capiti hæremus.* QVOS ADHVC GRATIA, *vocationis scilicet ad fidem. Petimus pro infidelibus, vel peccatoribus, qui solo peccato, vel infidelitate, vel charitatis defectu, inimici nostri sunt.* SVSPENSA, &c. *Id est non absoluta, sed indifferenti petitione, tam nobis, quàm omnibus, in Christo, præsentibus vel futuris, vt bonum postulamus, sicut Christus Io.* 17. Non pro his rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum, in me. *Aug. tract.* 109. (S. Aug.) Vbi omnes suos intelligi voluit, non solum qui tunc erant in carne, sed etiam qui futuri erant. Quotquot enim postea crediderunt in eum per verbum Apostolorum, sine dubio credituri sunt. *Et in fine tract. eiusdem.* (S. Aug.) B Meritò dictum est, verbum eorum, quod est verbum fidei, per quod omnes *etiam ante Christi aduentum vt prius ibidem probauerat* in Christum vndecumque id audierint, crediderunt, vel audituri & credituri sunt. Ergo illa Oratione, pro omnibus quos redemit, siue tunc in carne viuentes, siue postea futuros, redemptor noster orauit. *Et tract.* 108: (S. Aug.) Et pro eis ego sanctifico meipsum. Quid est, & pro eis ego sanctifico meipsum, nisi, eos in meipso sanctifico, cum & ipsi sint ego? quoniam de quibus hoc ait, mẽbra sunt eius, & vnus est Christus caput & corpus, &c. vt intelligeremus hoc eum dixisse quod eos sanctificaret in se, ipse mox addidit: vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Quod quid est aliud, quam in me? C secundum id quod veritas est verbum illud in principio Deus, in quo & ipse filius hominis sanctificatus est ab initio Creationis suæ, quando Verbum factum est caro; quia vna persona facta est Verbum & homo. Tunc ergo sanctificauit se in se, hoc est se hominem, in se Verbo: sed quia vnus est Christus Verbum & homo sanctificans hominem in Verbo; propter sua verò membra, pro eis, inquit, ego, id est, quòd prosit etiam ipsis, quia & ipsi sunt ego: sicut mihi profuit in me, quia homo sum sicut ipsi, & ego sanctifico meipsum, hoc est ipsos in me, tanquam meipsum sanctifico ego, quoniam in me etiam ipsi sunt ego, vt sint & ipsi sanctificati in veritate, &c. quod ipse sum ego. *Ita ergo & nos exemplo Christi capitis nostri oremus, vt inimici Gentiles & mali Christiani in Christo sanctificati nomen Dei sanctificent.*

NOVISSIMA HOMINIS.

Nouissima hominis in scriptura prædicta, dæmon fabulis obscurando, fabulosa suasit. Apol. cap. 47. in f.

RIdemur, Deum prædicantes judicaturum: sic enim & Poëtæ & Philosophi tribunal Matth.
apud inferos ponunt. & gehennam si comminemur, quæ est ignis arcani subterra- 25.31
nea ad pœnam thesaurus, proinde decachinnamur: sic enim & Pyriphlegeton apud mor- Matth. 5
tuos amnis est. & si paradisum nominemus locum diuinæ amœnitatis recipiendis sancto- 22.
rum spiritibus destinatum, maceria quadam igneæ illius zonæ à notitia orbis communis se- Gen. 2. 8.
gregatum, Elysij campi fidem occupauerunt. Vnde hæc, oro vos, Philosophis aut Poëtis tam Gen. 3. 24
consimilia? non nisi de nostris sacramentis. Si de nostris sacramentis, vt de prioribus. ergo fideliora sunt nostra magisque credenda, quorum imagines quoque fidem inueniunt. Si de suis sensibus, jam ergo sacramenta nostra imagines posteriorum habebuntur, quod rerum forma non sustinet. nunquam enim corpus vmbra, aut veritatem imago præcedit. *Et lib. 1. ad Nat. cap. 19.*

NOVISSIMA HOMINIS. SCHOL.

SIC ENIM POETÆ, &c. *Id est, quia Poëtæ & Philosophi Gentiles, inter suas fabulas ridiculas, ponunt judicium, infernum, & quendam paradisum; dum nos seriò de scriptura, hominis nouißima prædicamus, risu & cachinnis illudimur.* TRIBVNAL. *Aug. lib. de vtilitate* S. Aug. *credendi contra Manich. c. 4.* Tria genera sunt erroris, quibus homines errant cum aliquid legunt. Primum genus est in quo id quod falsum est, verum putatur, cum aliud qui scripsit putauerit, &c. Primi generis exemplum est, vt si quisquam verbi gratia dicat, & credat Rhadamanthum apud inferos audire ac diiudicare causas mortuorum, eo quod Maronis in carmine id legerit Æneid. 6. hic enim errat duobus modis: quod & rem non credendam credit, neque id putandus est credidisse ille, quem legit, &c. PYRIPHLEGETON. *Fluuius igneus apud inferos. Qui & apud Dan. fluuius igneus à facie judicis egreditur, & in Apoc. stagnum ignis & sulphuris ap-* S. Aug. *pellatur.* PARADISVM. *Aug. ep. 57. ad Dardanum vbi de latrone, Diuite, & Lazaro.* Generale paradisi nomen est, vbi fœliciter viuitur. Neque enim quia paradisus est appellatus, vbi Adam fuit ante peccatum, propterea scriptura prohibita est etiam Ecclesiam vocare paradisum cum fructu pomorum, &c. vbicumque ergo sit paradisus, quisquis Beatorum ibi est, cum illo ibi est, qui vbique est. *Vbi dicit Christum vt Deum, in paradiso posuisse latronem.* Rectè dici potuit hodie mecum eris in paradiso, cum juxta humanam humilitatem, per carnem in sepulchro, per animam in inferno, illo die futurus esset, juxta diuinam verò immutabilitatem, numquam de paradiso, quia vbique est semper, recessisset. SANCTORVM SPIRITIBVS. *Hic error Tertull. insinuatur, quo dixit, animas Sanctorum omnium, exceptis Martyrum, in loco amœno seruari vsque ad diem judicij.* MACERIA QVADAM, &c. *velut vinea vel hortus, cingitur & munitur aliquo muro; aliqui hic zonam torridam, melius alij gladium flammeum Cherubin intelligunt, de quo Gen. 3. 24.* Collocauit ante paradisum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium atque versatilem, ad cu- S. Aug. stodiendam viam ligni vitæ. *Aug lib. 11. de Gen. ad litt. c. 40. secutus 70.* Et ordinauit Cherubin, & flammeam romphæam quæ vertitur, custodire viam ligni vitæ. Hoc per cœlestes vtique potestates etiam in Paradiso visibili factum esse credendum est, vt per Angelicum ministerium esset illic ignea quædam

A custodia: non tamen frustra factum esse, nisi quid significat aliquid etiam de paradiso spiritali, non est vtique dubitandum. *Mysterium subodoratur Augustinus, quod Cherubin scientiæ plenitudinem significat, quam suasu serpentis voluit inuadere homo, qui ideo per gladium Cherubim exclusus est paradiso, & perdidit lignum vitæ concessum, dum vsurpauit scientiæ prohibitum.* Non ignoro, inquit, quibusdam esse visum festinatione præuertisse illos homines appetitū scientiæ boni & mali, & immaturo tempore percipere voluisse, quod eis dilatum opportunius seruabatur: idque egisse tentatorem, vt præoccupando quod nondum talibus congruebat, offenderent Deum, & ab eius rei vtilitate alienarentur exclusi atque dam- S. Aug.
B nati, ad quam, si suo tempore, sicut Deus volebat, accederent, possent ea salubriter perfrui. ELYSII CAMPI *credibiliores Gentilibus, quàm paradisus verus. Aug. lib. 10. de Ciuit. c. 30. vbi de Porphyrio.* Falsum esse ostendit, quod Platonicè videtur dixisse Virgilius, in campos Elysios purgatas animas missas; quo nomine tanquam per fabulam videntur significari gaudia Beatorum, ad fluuium Lethæum euocari, hoc est ad obliuionem præteritorum. *Elysius autem campus, quasi ἀλύσιος, ἀπὸ λύσεως τῶν νεκύων. Quod à parna solutus. Rursum meminit camporum huiusmodi idem Aug. lib. 21. de Ciuit. cap. 27. post medium.* CONSIMILIA, *nostris scilicet scripturis.* SACRAMENTIS, *mysteriis.* MAGIS CREDENDA. *Aug. lib. 10. de Ciuit. cap. 30.* S. Aug.
C Quantò creditur honestius, quod sancti & veraces S. Aug.
Angeli docuerunt: quod Prophetæ Dei Spiritu acti locuti sunt: quod ipse, quem venturum Saluatorem præmissi Nuntij prædixerunt: quod missi Apostoli, qui orbem terrarum Euangelio repleuerunt? SVIS SENSIBVS. *Propria adinuentione.* RERVM FORMA, *ordo rerum non patitur. Et libro 1. ad Nat. cap. 19.* DERIDENDA PERSONARVM. *Hactenus diximus de horrendis obstinatione, nunc de ridicula fide Christianorum, resurrectionem sperantium. Sed ideo mortem contemnimus, quia resurrectionem expectamus. Sed & Ethnici de Metempsychosi ridiculiora scripserunt.* ARISTIDE RECVSATO. *Exclusus à numero judicum inferni.* PYRIPHLEGETONTIS, *ignei fluuij. Talem verè vidit Daniel à facie antiqui dierum prodeuntem, Dan. 7. 10.* Fluuius igneus rapidusque egrediebatur à facie eius. NON ALIA. *Pariter æterna.* MYTHICI, *fabulosi, & fabulas mysticè exponentes.*

NOVITAS.

Nouitatis amatores Romani, & bonorum morum veterum desertores. Apol. cap. 6. circa f.

VBi Religio? vbi veneratio maioribus debita à vobis? habitu, victu, instructu, sensu, ipso denique sermone proauis renuntiastis. Laudatis semper antiquos, sed nouè de die viuitis. Per quod ostenditur, dum à bonis maiorum institutis deceditis, ea vos retinere & custodire quæ non debuistis, cum quæ debuistis, non custoditis.

NOVITAS. SCHOLIA.

VBI RELIGIO, *cultus veterum Deorum, quibus abiectis, nouos introduxistis.* MAIORIBVS, *prædecessoribus.* INSTRVCTV, *domorum ornatu & supellectile, prudentia, vsu ipsius linguæ jam corruptæ.* DE DIE. *Quotidie mutatis mores antiquos in nouos. Aug. lib. 2. de Ciuit. c. 19.* Ecce Romana Respublica, quod non ego primus dico, sed authores eorum, vnde hæc mercede didicimus, tanto antè dixerunt ante Christi Aduentum; paulatim mutata, & ex pulcherrima atque optima, pessima atque flagitiosissima facta est. Ecce ante Christi aduentum, post deletam Carthaginem, maiorum mores, non paulatim vt antea, A sed torrentis modo præcipitati; adeò iuuentus luxu atque auaritia corrupta est. *Hæc ex Salustio deprompsit* legant nobis contra luxum & auaritiam præcepta Deorum suorum populo Romano data, &c. legant nostra, & per Prophetas, & per sanctum Euangelium, & per Apostolicos actus, & per Epistolas, tam multa contra auaritiam atque luxuriam, vbique populis ad hoc congregatis, quam excellenter, quam diuinè, non tanquam ex Philosophorum concertationibus strepere, sed tanquam ex oraculis & Dei nubibus intonare.

S. Aug. S. Aug.

NOVITIVS ET CATECHVMENVS.

* 1. *Nouitij & noui Baptizati, vel Cathecumeni præ cæteris pœnitentiam amplectantur. De Pœnit. cap. 6. in p.*

QVicquid mediocritas nostra ad pœnitentiam semel capessendam & perpetuò continendam suggerere conata est, omnes quidem deditos Domino spectat, vt omnis salutis in promerendo Deo petitores; sed præcipuè nouitiolis istis imminet; qui, cum maximè incipiunt diuinis sermonibus aures rigare, quique catuli infantiæ adhuc recentis, nec perfectis luminibus incerta reptant: & dicunt quidem pristinis renuntiare, & pœnitentiam assumunt, sed includere eam negligunt. Interpellat enim illos ad desiderandum ex pristinis aliquid, ipse finis desiderandi: velut poma, cum jam in acorem vel amaritudinem senescere incipiunt, ex parte aliqua tamen adhuc ipsi gratiæ suæ adulantur.

NOVITIVS. 1. SCHOL.

MEDIOCRITAS, *tenuitas nostra.* SEMEL, *vt non relabaris.* DEDITOS, *seruos Dei cultui mancipatos.* OMNIS SALVTIS, *perfectæ & perseuerantis in finem.* NOVITIOLIS, *Catechumenis. Nouè baptizatis. Aug. ser. 157. de tempore in p.* Ad omnes quidem pertinet sermo, quos cura nostra complectitur: veruntamen hodie terminata Sacramentorum solemnitate, vos alloquimur, nouella germina sanctitatis, generata ex aqua & Spiritu sancto, germen pium, examen nouellum, flos nostri honoris & fructus laboris, gaudium & corona mea, omnes qui statis in Domino. IMMINET, *imponitur, iniungitur.* CATVLI INFANTIÆ. *Id est paruuli, necdum plenè oculati, & rectè ambulantes, sed* INCERTA REPTANTES. *Græca Phrasis, incerto gradu necdum firmo procedentes.* RENVNTIARE, *supple se, abiurando mundum & pompas eius.* INCLVDERE, *perficere.* INTERPELLAT, *sollicitat, & allicit.* EX PRISTINIS, *moribus malis.* FINIS, *impositus malorum desideriorum.* ADVLANTVR. *Quia retinent adhuc, poma in corruptionem proxima, aliquid primi decoris allicientis ad carpendum; sic desideria mala, & eorum* B *obiecta, licet minus pulchra & suauia appareant recenter conuerso, ex primo tamen affectu adhuc tentant. Bellè id describit expertus in se Aug. lib. 8. Confess. c. 11.* Sic ægrotabam, & excruciabar accusans memetipsum solito acerbius nimis, ac voluens & versans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum, quo jam exiguo tenebar, sed tenebar tamen, &c. dicebam enim apud me intus, ecce modo fiat, modo fiat; & cum verbo jam ibam in placitum, jam penè faciebam, & non faciebam, &c. hæsitans mori morti, & vitæ viuere: plusque in me valebat deterius insolitum, quam melius insolitum, &c. retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum antiquæ amicæ meæ & succutiebant vestem meam carneam, C & submurmurabant, dimittisne nos? & à momento isto non erimus tecum vltra in æternum? &c. & audiebam eas jam longè minus, quam dimidius, non tanquam liberè in contradicentes eundo in obuiam, sed veluti à dorso mussitantes & discedentes quasi furtim vellicantes, vt respicerem, &c.

S. Aug. S. Aug.

* 2. *Nouitij & Cathecumeni facilius tententur ex recens relictis. Ibid.*

* 3. *Nouitius & Catechumenus humiliter postulet professionem facere quasi baptisma suscepturus. De Pœnit. cap. 6. in f.*

AVdientes, optare intinctionem, non præsumere oportet. Qui enim optat, honorat: qui præsumit, superbit. In illo verecundia, in isto petulantia apparet. Ille satagit, hic negligit. Ille mereri cupit, at hic vt debitum sibi repromittit. Ille sumit, hic inuadit. Quem

Quem censeas digniorem, nisi emendatiorem? quem emendatiorem, nisi timidiorem, & idcirco vera pœnitentia functum? Timuit enim adhuc delinquere, ne non mereretur accipere. At ille præsumptor, cum sibi repromitteret, securus scilicet, timere non potuit: sic nec pœnitentiam impleuit, quia instrumento pœnitentiæ, id est metu caruit. Præsumptio, inuerecundiæ portio est: inflat petitorem, despicit datorem. Itaq; decipit nonnunquam. Antè enim quam debeatur repromittit, quo semper is qui est præstaturus offenditur.

NOVITIVS. 3. SCHOL.

AVDIENTES, *id est Cathecumeni fidem ex auditu percipientes.* INTINCTIONEM, *Baptismi lauachrum, quo peccati sordes abluuntur, & candidi & rubicundi Christi dilecti synthesis, innocentiæ candida byssus, purpura charitatis, & cum amicta varietate polymita Ioseph tunica tingitur.* INFLAT PETITOREM. *agit contra præsumentem se meritum habere baptismi, & ante sine timore peccantem cum præsumptione veniæ, nec se pœnitentiâ cum assueta in Ecclesia, baptismi præuia, tum vitæ emendatione, & omni humilitate etiam externa disponentem; qui irreuerentiâ suâ Deum authorem & datorem gratiæ despiceret & læderet. Sic contrà, ad huiusmodi audientes Augustinus lib. 2. de symbolo ad Cathecumenos, cap. 1. eos ad fidem & baptismum cum humilitate disponit.* Accipite, vos qui fide desideratis verbum Dei, tanquam competentem cibum, ex quo vobis Dominus operetur incrementum: nondum quidem adhuc per sacrum Baptismum renati estis, sed per Crucis signum in vtero sanctæ matris Ecclesiæ iam concepti estis. Agat S. Aug.

A itaque hæc mater congruis alimentis, priùs pascere quos portat, vt post partum lætetur se tales suscepisse, quos spiritaliter nutriat. Quid est, dilectissimi, quod in vobis celebratum est? quid est quod hac nocte circa vos actum est? quid præteritis noctibus actum non est, vt ex locis secretis singuli produceremini in conspectu totius Ecclesiæ, ibique ceruice humiliatâ, quæ malè fuerat antea exaltata, in humilitate pedum, *vel quòd nudi pedes essent, vel pedes fratrum oscularentur*, cilicio substrato in vobis celebraretur examen, atque ex vobis extirparetur Diabolus superbus, dum super vos inuocatus est humilis altissimus Christus? omnes itaque humiles eratis, humiliterque petebatis orando, psallendo, atque dicendo; proba me Deus, & scito cor meum: probauit, examinauit, corda seruorum suorum, suo timore tetigit, Diabolum sua virtute fugauit, atque ab eius dominio suam familiam liberauit. S. Aug.

4. *Nouitius & Catechumenus æqualiter Deo tenentur seruire cum jam prouectis. De Pœn. c. 6. à m.*

NEmo ergo sibi aduletur, quia inter Auditorum tirocinia deputatur, quasi eo etiam nunc sibi delinquere liceat. Dominum simul cognoueris, timeas: simul inspexeris, reuerearis. Ceterùm quid te cognouisse interest, cum iisdem incubas, quibus retro ignarus? Quid autem te à perfecto Dei seruo separat? an alius est intinctis Christus, alius audientibus? num spes alia? vel merces? alia formido judicij, alia necessitas pœnitentiæ? lauacrum illud obsignatio est fidei, quæ fides à pœnitentiæ fide incipitur & commendatur. Non ideo abluimur, vt delinquere desinamus, sed quia desiimus: quoniam jam corde loti sumus. Hæc enim prima Audientis intinctio est, metus integer.

NOVITIVS. 4. SCHOL.

AVDITORVM TYROCINIA. *Aug. lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos cap. 1.* Hoc audistis, hoc & vos professi estis, renunciare vos diabolo, pompis, S. Aug. & angelis eius. Videte, dilectissimi, quia hanc professionem vestram in curiam profertis Angelicam: nomina profitentium excipiuntur in libro vitæ, non à quolibet homine, sed à superiore cœlitùs potestate. Optimi iam Tyrones Dei, fortes milites Christi, dum arma Sacramentorum suscipitis, pugnam aduersus diabolum indicitis. Dum eius operibus renuntiatis, vehementiùs in vos eius furias prouocatis. Sed non metuat miles Christi; induemini enim ipsum Christum, vt per eum velociter superetis aduersarium vestrum diabolum. QVASI EO, *id est, quia iam Catechumenus, & præsumens Baptismo omnia peccata delenda, licentiam sibi arrogat, impunè peccandi.* SIMVL, *simul ac statim atque, ex auditu fides cognoueris & oculo mentis inspexeris.* INTEREST, *proficit; quid prodest?* INCVBAS, *incumbis prauis operibus, quibus addictus eras prius in tua ignorantia, dum eras infidelis.* A PERFECTO SERVO, *verè pœnitente & conuerso, vel iam baptizato, distinguit? Perfectum seruum vocat charactere baptismi signatum & discretum ab infideli.* AN ALIVS, *an alium credit Christum?* INTINCTIS, *baptizatis.* AVDIENTIBVS, *Catechismum, Catechumenis.* OBSIGNATIO EST FIDEI, *quia in Baptismo suscipitur character & signum fidei. Sic à Dionysio Areop. de Eccl. Hierarch. cap. 2. Baptismus dicitur signum Christi. Theodoritus lib. 4. cap. 16. ait, baptismum imponere dominicum sigillum. Basil. item lib. 3. contra Eunomium, &c. vel obsignationem vocat id est obligationem ad tuendam fidem.* A PœNITENTIÆ

B FIDE, *qui credit ad remissionem peccatorum, necessariam sibi esse pœnitentiam. Vnde incipit emendare vitam ante baptismum.* ABLVIMVR, *Baptizamur,* DESIIMVS, *quasi is tantum adultus, mereatur baptizari, qui vitam emendauit, & peccare iam destitit.* IAM CORDE. *Baptismo scilicet flaminis, per compunctionem cordis, & firmum vitæ melioris propositum.* PRIMA INTINCTIO, *præparatio ad baptismum,* METVS INTEGER, *castus & perseuerans in sæculum sæculi, & inuiolabile propositum vni domino seruiendi. Vox iuris significans saluum, inlæsum, inoffensum, nulla infamiâ notatum. Sic integer homo accipitur pro firmo, non sancto. §.* his autem verbis, *Instit. de leg. Aquil. pro non maculato nota infamiæ. Integra fama l. 1. de Excusat.*

C *veter. C. lib. 10. & apud Vlpianum integer riuus, qui nullà refectione indiget. Talis erit metus integer, qui redintegrari opus non habeat post relapsum. Et riuus perennis gratiæ baptismalis, quem nec ante nec post susceptum illa tentatio dissipet, &c. Accipe Augustinum contra diabolum, sic metu integro armantem. lib. 2. de Symbolo ad Cathech. cap. 1. sub finem.* Quibus armis pugnat ille? Illecebrosis & subdolis. Duo sunt genera armorum eius valdè fortia, contra quæ vigilanter ac fortiter stare debet omnis miles Christi, qui triumphare cupit, & superare virtutem diaboli, quæ sunt ista duo genera armorum? voluptas & timor. Alios enim voluptate capit, alios timore frangit. Confirmetur & nostra acies, proferantur arma spiritalia. Contra timorem diaboli adsit timor Domini castus, *en metus integer*, permanens in sæculum sæculi. Contra voluptatem turpissimæ delectationis, non desit fides orationis. Et S. Aug.

quid metuit Christianus, quando admonetur sic orare, sic præsumere, sic fidere, vt dicat, Dominus mihi adiutor est, & ego despiciam inimicos meos?

NVMERVS.

1. *Numerus septimus, Natiuitati hominis fortunatus ad requiem. De an. cap. 37. in m.*

CVm septimo mense natiuitas plena est, faciliùs quàm octauo, honorem sabbati agnoscam; vt quo die dedicata est Dei conditio, eo mense interdum producatur Dei imago. concessum est producere natiuitati. & tam idoneè occurrere in hebdomadem, in Math. 22. 30. auspicia resurrectionis, & requietis, & regni. Ideò ogdoas nos non creat; tunc enim nuptiæ non erunt.

NVMERVS. 1. SCHOL.

CVM SEPTIMO MENSE. *Præter alibi dicta de hoc numero natiuitatis, aliqua subiiciam; ait ergo iuxta Medicos faciliùs eniti mulierem, & pleniorem pueri natiuitatem fieri septimo mense quàm octauo. Sed tamen non ita plena & perfecta est, sicut nono completo.* HONOREM SABBATI. *Sic innuit à diuina prouidentia ordinatum, & sicut completâ conditione, id est opere totius mundi, Deus sanctificauit septimum diem, post hominem factum ad imaginem suam sexto die, sic interdum nasci hominem voluisse 7. mense, qui cōditus est & creatus ad requiem æternam.* CONCESSVM EST, *Tribuit aliquando hoc naturæ Author, humanæ natiuitati, vt præcurrat tempus, & citò nascatur, vt congruat eius natiuitas, & concurrat cum numero perfectæ hebdomadis dierū creationis, in numero septenario mensiū, de quo Iob;* Numerus mensiū eius apud te est. IN AVSPICIA RESVRRECTIONIS. *Quia sicut in Genesi dies septima vesperum non habet, sic in resurrectione sexta & vltima mundi dies, & ætas, ad Sabbatum æternum, perpetuum mane, lucem æternam sine termino terminabitur, quia regni eius non erit finis. Cuius fœlicitatis augurium sumit Tertull. ex numero septimo natiuitatis.* S. Aug. *Aug. lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 18.* Apud illum quidem quieti eius, nec manè nec vespera est, quia nec aperitur initio, nec clauditur fine: perfectis autem operibus eius mane habet, & vesperam non habet; perfecta quippe creatura habet quoddam initium suæ conuersionis ad quietem Creatoris sui. Sed illa, *quies scilicet Creatoris*, non habet finem quasi terminū perfectionis suæ, sicut ea quæ facta sunt: ac per hoc requies Dei non ipsi Deo, sed rerū ab eo conditarum perfectione inchoatur, vt in illo incipiat requiescere quod ab illo perficitur, & in eo habere manè: in suo enim genere tanquam vesperâ terminatum est. Sed in Deo vesperam habere iam non potest, quia non erit aliquid illâ perfectione perfectius, &c.

Nec prætereibo quod aduertit Augustinus, puerum suscitatum ab Helisæo in signum resurrectionis septies oscitasse, sic ergo sermone 20 . de temp. sub fin. S. Aug. Videte, fratres, quantum se vir ille perfectæ ætatis contraxit, vt paruulo mortuo & iacenti congrueret. Quod enim Helisæus in puero præfigurauit, hoc in toto genere humano Christus impleuit. Audi Apostolum dicentem Philip. 2. Humiliauit semetipsum, &c. quia paruuli eramus, paruulum se fecit, quia mortui iacebamus, pius se Medicus inclinauit: quia & reuera, fratres, nemo potest iacentem erigere, si se noluerit inclinare. Quod autem puer oscitauit septies, septiformis gratia S. Spiritus ostenditur, quæ humano generi, vt resuscitetur in Aduentu Christi tribuitur. De ipso Spiritu dicit Apost. Rom. 8. Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Ipsum etiam Spiritum Dominus dedit discipulis, quando insufflauit, & dixit, Accipite Spiritū sanctum Io. 20. os enim quodam modo super os posuit, quādo insufflando Spiritū dedit. Gratias ergo agamus piissimo Redemptori, qui nos nullis præcedentib. meritis suscitauit, & nō solùm de morte perpetua eripuit, sed etiā adiuuante gratiâ ipsius, si benè egerimus, æterna præmia repromisit. OGDOAS NON CREAT, *mensis 8. raro producit infantem in natiuitatem. Quanquā Varro & Aristot. aliquando id accidere notent. Hippocrates;* Est, inquit, & non est Octimestris partus. *id est, est in apparentia & specie, vt patet in abortiuis, non est autem in potentia & vigore. Tertull. refert hunc numerū ad resurrectionem, in qua sicut Angeli erimus, Neq; nubentes, &c. quasi hoc sit auguriū terminis natiuitatū & productionum. Aug. ser. 140. de tem. in Oct. Paschæ.* S. Aug. Hodie Octauæ dicuntur infantium, reuelanda sunt capita corū, *mitrâ quadam siue linteo albo baptizatorum capita tum etiā tegebantur*, quod est indiciū libertatis. Habet enim libertatē ista spiritalis natiuitas: propriè autē carnis natiuitas seruitutē. Duæ sunt vtiq; hominis natiuitates, nasci & renasci; nascimur ad laborē, renascimur ad quietē: nascimur ad miserias, renascimur ad æternā fœlicitatem. *Idem Aug. in Ps. 6. cuius tit. est*, in finem in hymnis de octauo Psalmus Dauid. *vbi primò reiicit supputantes post 7. annorū millia tanquā post 7. dies, octauum resurrectionis & iuditij futurum, ipso filio hominis hunc diē nesciente, id est, vt scire faciat; & concludit:* S. Aug. Potest nulla annorū temeraria supputatione, dies iudicij 8. intelligi, quod iam post finē huius sæculi acceptâ æternâ vitâ, tunc non erunt animæ iustorum obnoxiæ temporib. Et quoniā omnia tempora 7. dierum iustorū repetitione voluuntur, octauus fortè ille dictus est, qui varietatē istam non habebit. Est aliud quod hîc non absurdè accipi potest, cur octauū dicatur iudicium, quod post duas generationes futurum est; vnam quæ ad corpus, alterā quæ ad animam pertinet. *Generationem autem carnalē intelligit quæ secundum veterem & exteriorem hominē in carnalib. etiā sub lege Moysi Sacramentis viuebatur; spiritalē verò & secundum animam generationem intelligit à lege gratiæ vsque ad iudiciū. Numerus porro quaternarius ad corpus pertinet ob 4. elementa, 4. primas qualitates, 4. anni tempora, Ternarius ad animam, ob dilectionem Dei ex toto corde, anima, & mēte, sic perficit.* Peractis igitur numeris corporis ad veterem hominē, & ad vetus Testamentum pertinētibus, peractis etiam numeris animi ad nouū hominem, & ad nouum Testamentum relatis, sicut septenario numero transacto, quia vnumquodq; temporaliter agitur, quaternario in corpus, ternario in animū distributo, veniet octauus Iudicij dies, qui meritis tribuens quod debetur, iam non ad opera temporalia, sed ad vitam æternam sanctos transferet, impios verò damnabit in æternum.

2. *Numerus denarius perfectus est, quo homo perfectè nascitur, & decalogi obseruatione renascitur. De Anim. cap. 37. à p.*

DIcam aliquid & de tēporibus animæ nascentis, vt ordinē decurrā, Legitima natiuitas fermè decimi mensis ingressus est. Qui numeros ratiocinantur, & decurialē numerum, vt exinde reliquorū parentem colunt, deniq; perfectorē natiuitatis humanæ. Ego ad Deum Exod. 20. 2. potiùs argumentabor hunc modū temporis, vt 10. menses decalogo magis inaugurent hominem, vt tanto temporis numero nascamur, quanto disciplinæ numero renascimur.

NVMERVS, 1. SCHOL.

ANIMÆ NASCENTIS. *Hominis ex vtero orientis.* LEGITIMA NATIVITAS. *Iuxta leges naturæ. Legitima natiuitas decēmestris l.29.inp. ff.de liber. & posthumis, & Nouella 39. Turneb. lib. 4. cap. 15. olim decimus mensis addictus partui, nunc autem nonus, quia menses veterum lunares, breuiores erant nostris solaribus.* INGRESSVS, *inchoatio, ita vt nono mense completo, & decimo inchoato, sub eius scilicet initium partus edatur.* QVI NVMEROS RATIOCINANTVR, *subducunt curiosè. Tangit Pythagoram, & alios numerorum supputatores,* DECVRIALEM, *denarium* RELIQVORVM PARENTEM. *quia ex eius replicatione omnes alij numeri nascuntur* 20.30. &c 100.1000. &c. *Vnde decas à Græcis dicta, quasi δέχας, quod omnem in se habeat & recipiat numerum. Quod & natura nobis indidit, vt per decem digitos numeremus.* COLVNT, *obseruant velut sacrum.* PERFECTOREM, *quia eius initio perfectior hominis natiuitas.* AD DEVM *institutorem decalogi referam argumentationem huius numeri mensium.* DECALOGO INAVGVRENT, *consecrent hominem, & destinent obseruationi decalogi.* DISCIPLINÆ NVMERO, *decem enim verba legis siue decem præcepta sunt, ad quorum obseruationem in Christo renascimur per Baptismum, vt per hanc viam mandatorum in-* A *cedentes in vitam ingrediamur æternam. Aug. ser. 15. de ver. Do.* Lex in decem præceptis commendatur; ideò ille debebat decem millia talentorũ. Ipse est ille memorabilis decalogus scriptus digito Dei, &c. *& ser. 19. de diuer.* In ipsa lege decē præcepta sunt salutaria, quibus decem præceptis cætera seruiant. Præfiguratur ergo lex & quinario, & denario numero, & ideò Dauid pugnauit quinario: cecinit denario dicens, in Psalterio decem chordarum psallam tibi. Neque enim omnes quinque lapides misit, *quinque lapides, ait suprà, lex erat; continetur enim lex quinque libris Moysi, & in ipsa lege decem præcepta;* sed vnum tulit. Namq; in numero lapidum, numerum librorum ostendit, in vno lapide, vnitatem implentium legem. Vnitas enim ipsa implet legem, id est, charitas. *Et vt pateat* B *quam iusta retributio sit Iudicis; pro denario decalogi seruato, redditur pro mercede, seruis vineæcolis, imò resurrectionis filiis denarius. Aug. ser. 59. de ver. Do.* Erimus in illa mercede omnes æquales, tāquàm primi nouissimi, & nouissimi primi, quia denarius ille vita æterna est, & in vita æterna omnes æqualiter erunt. Quamuis enim meritorũ diuersitate fulgebunt, &c. non erit alteri longius, alteri breuius quod pariter sempiternum est.

S. Aug.

S. Aug.

NVPTIÆ, ET QVID DE HIS HÆRETICI SENTIANT.

1. *Nuptiis operam dare omnes Valentiniani volunt, quas & in cœlo regnaturas credunt. cont. Valent. cap. 30. in fin. & 31. in p.*

HOnorandorum coniugiorum supernorum gratia dicitur apud illos, meditandum atque celebrandum semper sacramentum, comiti, id est feminæ adherendo; alioquin degenerem, nec legitimum veritatis, qui diuersatus in mundo non amauerit fœminam, nec se ei iunxerit. Et quid facient spadones, quos videmus apud illos? Superest de consummatione, & dispensatione mercedis. Vbi totam messem Achamoth seminis sui presserit, dein colligere in horreum cœperit, vel cùm ad molas delatum, & defarinatum, in conspersionis aluearia absconderit, donec totum confermentetur, tunc consummatio vrgebit. Igitur in primis ipsa Achamoth de regione medietatis, de tabulato secundo in summum transfertur, restituta Pleromati: & statim excipit compactitius ille Soter, & sponsus scilicet: ambo coniugium nouum. Et hic erit in Scripturis sponsus & sponsa, & sponsale Pleroma. Credas enim, vbi de loco in locum transmigratur, leges quoque Iulias interuenire, sicut & cœnam. Et Demiurgus tunc de Hebdomade subcœlesti in superiora mutabit, in vacuum iam cœnaculum Matris, sciens iam nec videns illam. Nam si ita erat semper, ignorare maluisset.

Ephes. 5. 31.

Cap. xxxi.

NVPTIÆ, QVOAD HÆRETICOS 1. SCHOL.

CONIVGIORVM SVPERNORVM. *Quæ Valentini etiam apud suos Æonas in cœlo regnare volunt, quæ coniugia vocant* Syzigia, *&* Tertull. *nuncupat* coniugationes, copulationes. APVD ILLOS, *Valentinianos.* SACRAMENTVM, *Matrimonij. In quo dissimiliter similes sunt Caluinianis, qui quidem abutentes Paulo ad Heb. 13.* Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus, fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus: *Volunt omnes omninò nubere, etiam Sacerdotes & Monachos, absque sacrilegio, quanquam voto sacratissimo violato, sed nec cum Paulo, Sacramentum hoc magnum, nec saltem cum Valentinianis, simplex Sacramētum appellant.* COMITI, *collaterali, sicut prima de latere viri sumpta est fœmina* ADHÆRENDO. *Sicut Eph. 5. 31.* Adhærebit vxori suæ: LEGITIMVM VERITATIS, *supple filium, vel possessorem.* SPADONES. *Licèt omnes Valentiniani nuberent, non tamen hac secta omninò carebat spadonibus.* SVPEREST, *vt scilicet dicamus quid sentiant de fine sæculi, & iusta pro meritis mercede dispensanda.* ACHAMOTH, *hæc & Sophia apud illos, mater seminis generationis suæ spiritalis. Hæc, inquit, dum etiam iuxta Euangelium (quo abutuntur in comparationibus seminis, conspersionis & fermenti) in resurrectione totam messem Valentiniano-* C *rum, falce sua messuerit, in fasciculos presserit, in horreum cœli collegerit, in farinam sub mola contusum, & in cellas conspersionis ad totam fermentationem abdiderit, tunc proximarit & imminens mundi consummatio.* REGIONE MEDIETATIS. *Tabulatum etiam secundum vocat, tres enim velut in arca Noë contignationes fabulantur, in quibus singuli Æones collocantur, Cosmon, id est mundum diaboli & hominis locum fingunt, tabulatum medium siue secundum Achamoth, supremum Pleromati, siue plenitudini. Vbi est thalamus nuptialis qui & Nymphon siue nuptiarum domus dictitatur.* RESTITVTA PLEROMATI, *de quo videlicet in regionem medietatis fuerat ad tempus excussa.* EXCIPIT, *amplexatur dictam Achamoth.* COMPACTITIVS SOTER, *id est iuxta Irenæum ex omnibus Æonum donis compactus.* CONIVGIVM NOVVM, *præter alia scilicet Æonum coniugia, nouum accedit Saluatoris & Achamoth connubium.* IN SCRIPTVRIS, *quibus nimirùm abutuntur in suis fabulis Valentiniani, magna diaboli astutia, vt iāctissimo Verbi cum carne, Christi cum Ecclesia militante primò, dehinc triumphante connubio, omnibus in vno Christo instauratis, recapitulatis, & collectis, pleno donorum Spiritus sancti, & nuptiis Agni cœlestibus, nebulas offundat.* SPONSVS ET SPONSA. *Aug. tract. 1. in ep. Io.*

S. Aug. Ille ante Solem, qui fecit Solem; ille ante Luciferum, ante omnia sydera, ante omnes Angelos verus Creator, quia omnia per ipsum facta sunt, &c. vt videretur oculis carneis, qui Solem vident, ipsum tabernaculum suum in Sole posuit, id est carnem suam in manifestatione huius lucis ostendit; & ipsius spõsi thalamus fuit vterus virginis. *Verùm: multo Nymphon; fauus in qua apis Regia, ex omnibus floribus & virtutum aromatibus compacta, Nazaræus, id est floridus, in Nazareth, florum vtique ciuitate conceptus est, Dicente virgine cum sponsa*, en lectulus noster floridus est, quia in

S. Aug. illo vtero virginali cõiuncti sunt duo, spõsus & sponsa, sponsus Verbum, & sponsa caro, quia sic scriptum est *Gen.* 2. Et erunt duo in carne vna: Et Dominus in Euang. *Matth.* 19. Igitur iam non duo; sed vna caro; Et Isaias optimè meminit vnum esse ipsos duos: loquitur enim ex persona Christi & dicit *Esa.* 61. sicut sponso imposuit mihi Mithram, & sicut sponsam ornauit me ornamento: vnus videtur loqui, & sponsum se fecit, & sponsam se fecit, quia non duo, sed vna caro. Quia Verbum caro factum est, &c. illi carni adiũgitur Ecclesia, & fit Christus totus caput & corpus. *De nuptiis agni cum Ecclesia triumphante sic idem*

S. Aug. *Aug. ep.* 120. *ad Honorat.* Quid est quod in Euangelij lectione scriptum est *Matth.* 25. Omnes sponso tardante dormisse, &c? Si aduertas, multa inuenies in sæcularibus litteris, vbi mors somno comparatur. Significauit ergo Dominus futurum esse tempus, quo inter tribulationes & tentationes sæculi huius, iamiamque eius expectaretur aduentus, tanquam propinquus atque imminens, ad quem se præparent qui in eius familia videntur. Hoc est enim quod ait, exisse viam sponso & sponsæ. Sponso quidem filio Dei, sponsæ autem; siue quia in eo corpore venturus est, quod sumpsit ex Virgine; siue quia ipsa Ecclesia tunc clarior apparebit, vt ad vniuersi corporis *quod est Ecclesia secundum Paulum, & mater nostra sursum Ierusalem libera à seruitute corruptionis*, congregationem, membra concurrant, quibus concurrentibus, eius magnitudo monstrabitur.

SPONSALE. *Thalamus nuptialis.* CREDAS, *ironicè.* DE LOCO IN LOCVM, *de tabulato medio, ad supremum, periculũ raptus, incestus, stupri, vt frequenter, Ioui & Diis accidit Gentilium.* LEGES IVLIAS, *Leges Iuliæ de adulteriis coercendis, alieini thalami violatores morte plectunt & Sodomitas; virginis item & viduæ stupratores. Vide*

A *de l. Iul. C. lib.* 9. *tit. ad legem Iuliam de adult. & stupro. & tit. ad l. Iulian. de vi publica siue priuata.* SICVT ET GOENAM. *alij legunt:* Caïnam, vel Caniam. *alij* Caiam. *Et sic alludit ad id quod habet Plutarchus in problem. Rom. vbi quærit, cur sponsam ad sponsum deducentes, iuberent illam hæc verba præfari;* vbi tu Caius, ego Caia. *ob eandem scilicet domum, thalamum, bona, nomen, omnia inter coniuges communia. Quid si per legem Caniam, promiscuum, vt canibus concubitum illudat in Valentinianis, omnis castitatis osoribus? vnde & contrà in cœnaculum nuptiarum agnĩ, soli casti & virgines admissi: & ex Paulo Ephes.* 5. 5. Hoc enim scitote intelligentes quod omnis fornicator aut immundus, &c. non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. *Et Apoc.* 22. 15, Beati qui lauant stolas suas in sanguine agni, vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas in-

B trent in ciuitatem. Foris canes & venefici & impudici, *Alio sensu nec incongruo Tertulliani menti aduersatrici nuptiarum.* Credas, inquit, & apud Valentinianos interuenire leges Iulias cœlibatum prohibentes, & omnes matrimonium subire iubentes. Ita vt ex hoc inferiori mundo ad cœlum migrantibus tam citò proferatur sponsa, quàm hospitibus è longinquo venientibus cœna. *Sic legendum potiùs suspicor ex sequentibus vbi de cœnaculo matris.* ET DEMIVRGVS, *id est opifex rerum inferiorum, quem aliqui Diabolum interpretantur.* DE HEBDOMADE SVBCOELESTI, *id est septenaria scena & theatro inferiori sublunarium temporum.* IN SVPERIORA, *tabulatum scilicet medium quod mater tunc Achamoth ipsi vacuum reliquit.* SCIENS IAM, *quia antequam à Sotere, id est Saluatore illuminatus esset, in superiore tabulato iam positus: ignorabat eam esse matrem suam, sed post hunc ascensum nouit se habere matrem.* NEC VI-

C DENS ILLAM, *quia scilicet iam superiùs ascenderat in Pleroma, id est plenitudinem supremi tabulati.* NAM SI ITA, &c. *Si sic futurum erat, vt post ascensum, matrem se habere cognoscere deberet, nec tamen eius aspectu frui, melius illi fuerat, id penitus ignorasse. Alij sic exponunt, Cùm Demiurgus in inferiori loco, putaret se Deum esse, & à seipso creaturarum corporearum opificem, maximè sibi congaudebat; cùm autem in cœnaculum vacuum matris Achamoth est euectus, & de omnibus à Sotere edoctus, maluisset ità semper esse, id est in inferiori tabulato manere, & ignorare se habere matrem, cui acceptum esse & posse deberet, quod priùs in sua ignorantia à semetipso habere gloriabatur.*

2. *Nubent Angelis animæ, iuxta Valentinianos. Cont. Valent. cap. 32. à p. per totum.*

NIhil animale in Pleromatis palatium admittitur, nisi spiritale examen Valentini. Illic itaque primò despoliantur homines ipsi, id est interiores. Despoliari autem est, deponere animas, quibus induti videbantur, easque Demiurgo suo reddent, quas ab eo auerterant. Ipsi autem spiritus in totum fient intellectuales, neque detentui, neque conspectui obnoxij: atque ita inuisibiliter in Pleroma recipientur. Furtim, si ita est. quid deinde? Angelis distribuentur satellitibus Soteris. In filios putas? Non. Sed in apparitores? Ne istud quidem. Sed in imagines? Vtinã vel hoc. In quid ergo, si non pudet dicere? In sponsas. Tunc illi Sabinas raptas inter se de matrimoniis plaudent. Hæc erit Spiritalium merces, hoc præmium credendi. Fabulæ tales vtiles, vt Marcus, aut Caius in hanc carnem barbatus, & hæc omnia; seuerus maritus, pater, auus, proauus, certè quod sufficit masculus, in Nymphone Pleromatis ab angelo, tacendo iam dixi, & forsitan parias aliquem Onesimũ Æonem. His nuptiis rectè deducendis, pro face & flammeo, tunc credo ille ignis arcanus erumpet, & vniuersam substantiam depopulatus, ipse quoque decineratis omnibus in nihilum finietur; & nulla iam fabula. Sed næ ego temerarius, qui tantum sacramentum etiam inludendo prodiderim, Verendum mihi est, ne Achamoth, quæ se nec filio agnitam voluit, insaniat; ne Philetus irascatur, ne Fortuna acerbetur. Et tamen homo sum Demiurgi, illuc habeo deuertere, vbi post excessum omninò non obnubitur: vbi superindui potiùs quàm despoliari: vbi etsi despolior, sexu meo deputor, angelis, non angelus, non angela. nemo mihi quicquam faciet, quem & tunc masculum inuenient.

NVBENT ANGELIS. 2. SCHOL.

NIHIL ANIMALE, *nullus alterius sectæ, quod omnis reputatur à Valentinianis animalis, lutea, terrestris, cælo indigna, præter semen spiritale Valentinianorum, & numerosam eorum prolem, in tabulatum plenitudinis gloria admittetur.* PRIMO DESPOLIANTVR, *vt primum in illud sublime palatium ipsi homines spiritales promoti fuerint, non jam carneam corporis vestem, quam omnes mortales in morte exuunt, sed & animas ipsas, deponunt, quam interiores illi homines, à spiritibus distinguebant. Quas Creatori suo & opifici, prius ab eo auersas, conuersi reddent.* SPIRITVS IN TOTVM, &c. *id est mentes supremæ, neutenere aliquo corpore, nec oculis subiici poterunt.* FVRTIM. *Pulchrè ridet furtinè in illud palatium irrepentes spiritus, quòd inuisibiliter illuc transmeent: quod furunculorum est, latebras & tenebras quærentium.* DISTRIBVENTVR, *prostituti concubitoribus Angelis, satellitibus Saluatoris.* IN FILIOS, *vt pro filiis habeantur, tanquam imagines Angelorum repræsentatrices, quia intellectuales erunt.* APPARITORES. *Vox juris, significans Magistratuum ministros, qui eorum jussa exequuntur l. 1. ad inscriptionem & l. 12. sic dicitur Apparitor Vrbanæ* Præfectura *l. 1. C. de Appar. Præf. Annon. Apparitor magisteriæ potestatis l. 35. C. de Appel.* SABINAS RAPTAS. *Aug. lib. 2. de Ciuit. c. 17. torquet in Sallustium, quod hic Tertull. in fidem Valentinianorum*

S. Aug. *spurcam & fœdam.* Sallustius ait: jus bonumque, apud eos *Romanos* non legibus magis quàm naturâ valebat. Ex hoc jure ac bono credo raptas esse Sabinas. Quid enim justius & melius, quam filias alienas fraude spectaculi inductas *Romulo, idcirco ludos equestres, Neptuno parante, & finitimos ad spectaculum inuitante, & iuuentutem signo dato ad raptum puellarum excitante* non à parentibus accipi, sed vi, vt quisque poterat auferri? Nam si iniquè Sabini facerent negare postulatas, quantò fuit iniquius rapere non datas? justius autem bellum cum ea gente geri potuit, quæ filias suas ad matrimonium corregionalibus & confinalibus suis negasset petitas, quam cum ea quæ repetebat ablatas. SPIRITALIVM MERCES, *præmium seminis spiritalis Valentini, vt pæderastiæ seruiat Angelorum.* FABVLÆ TALES, &c. *hac vtilitas credendi, Valentinianis fabulis, vt qui jam vires authoritatis, & Marcus aut Caius diceris, & dum anima tua in hanc carnem missa sub virili sexu vixisti, testante barba virum; licet exactor ca-*

A *stitatis vxoris, seuerus pater in filios, &c. & quod sufficit ad horrendam Sodomiæ contumeliam, quamquam masculus fueris; certò credas, quod in thalamo supremi tabulati, ab Angelo comprimeris succubus, eius impuræ libidini seruiens, cuius ex amplexu nouellum aliquem Æonem puellum parias vtilem ministrum. Onesimum autem vocat, quia Græcis ὀνήσιμος, idem est quod vtilis. Notandum autem quod Æones in pleromate tantum generantur, alludit etiam ad Discipulum Pauli charissimum, de quo ad Coloss. 4. 9. & ad Philem. num.* 10. Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo; qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi & tibi vtilis, quem remisi tibi. Tu autem illum vt mea viscera suscipe. Quem ego volueram

B mecum detinere, vt pro te mihi ministraret in vinculis meis. HIS NVPTIIS, &c. *Illudit Valentinianis, & ridet nuptias Angelicas, alludendo ad morem deducenda in domum viri nouæ nuptæ, cui fax nuptialis accensa præferebatur, in honorem Cereris; & illa flammeo, id est velo rubro, Flaminicæ Flaminis vxoris proprio, boni ominis causa; quia ipsi illicitum erat diuortium.* IGNIS ARCANVS, *quem Valentiniani in mundo latere credebant, omnem materiam consumpturum, consumptaque materia ad nihilum etiam redigendum.* NÆ EGO, &c. *Certè temerè illudo mysteriis tacendis. Ironicè dicta.* PHILETVS *idem Æon est qui & Teletus dicitur, quod interpretantur voluntatem, siue voluntarium. Philetus autem, idem est quod amabilis. Vnde & ludit in nomine;* ne irascatur ille amabilis, cui risus & gaudium, irâ

C conuenientior. FORTVNA ACERBETVR, *eadem est qua,* Macaria, siue Macariotes secundi Monogenis conjux. ET TAMEN, &c. *Iam quasi seriò locutus esset, seipsum corrigit de vano timore fabulosorum Æonum, cùm homo sit creatus à Demiurgo, id est opifice & Creatore Deo, ad quem reuerti debet anima post mortem, quando amplius non nubitur, vbi juxta Paulum. 2. Cor. 5. idque contra despoliationem Valentinianam, magis superuestiri anima petit vestimento corporis gloriosi, quam spoliari, vbi quanquam anima sexum corpori soli proprium exuat cum ipsa carne, angelis fit similis, non transformatur in Angelum, aut angelam, spiritus enim sexu carent. Alij sic legunt:* sexui meo deputor. *id est animam virilem gero, nec muto sexum.* NEMO, &c. *Nemo Angelorum illorum ex me quidquam generabit, nam femella non ero.*

3. *Nuptiæ non sunt malæ, vt vult Marcion; sed bonæ & benedictæ à Deo; licet excessus libidinis sit coercendus. 1. cont. Marc. cap. 29. in p. ad m.*

NOn tinguitur apud illum caro, nisi virgo, nisi vidua, nisi celebs, nisi diuortio baptisma mercata, quasi non etiam spadonibus ex nuptiis nata. Sine dubio ex damnatione coniugij institutio ista constabit. Videamus an justa: non quasi destructuri felicitatem sanctitatis, vt aliqui Nicolaïtæ, assertores libidinis atque luxuriæ; sed qui sanctitatem sine nuptiarum damnatione nouerimus, & sectemur, & præferamus; non vt malo bonum, sed vt bono melius. Non enim projicimus, sed deponimus nuptias: nec præscribimus, sed suademus sanctitatem; seruantes & bonum, & melius pro viribus cuiusque sectando. tunc denique coniugium exertè defendentes cùm inimicè accusatur spurcitiæ nomine in destructionem Creatoris, qui proinde coniugium pro rei honestate benedixit, in crementum generis humani, quemadmodum & vniuersum conditionis in integros & bonos vsus. Non ideo autem & cibi damnabuntur, quia operosius exquisiti in gulam committunt: vt nec vestitus ideo accusabuntur, quia pretiosius comparati in ambitionem tumescunt. Sic nec matrimonij res ideo despuentur, quia intemperantius diffusæ in luxuriam inardescunt. Multum differt inter causam & culpam; inter statum & excessum. Ita huiusmodi non institutio, sed exorbitatio reprobanda est, secundùm censuram institutoris ipsius; cuius est tam, [a] *Crescite & multiplicamini*, quàm &, [b] *Non adulterabis &, Vxorem proximi tui non concupisces*; morte punientis & incestam, sacrilegam, atque monstrosam in masculos & in pecudes libidinum insaniam.

[a] Gen. 1. 28.
[b] Exo. 20. 14. Deut. 5. 21. Leuit. 20. 15.

NVPTIÆ. 3. SCHOL.

NON TINGVITVR, *baptizatur.* APVD ILLVM, *Marcionem.* CARO, *persona nisi virgo & casta.* MERCATA, *si fuerit coniugata, debet diuortium facere, vt castitatis præpostera pretio emat & promereatur baptisma.* QVASI NON, &c. *quasi verò caro illa virgo & casta, de nuptiarum fructu non processerit.* INSTITVTIO ISTA, *doctrina ista peruersa orta est ex omnimoda condemnatione nuptiarum, quas censet malas.* AN IVSTA, *condemnatio scilicet.* NON QVASI, &c. *non quod velimus castitatis meritum euertere secundum doctrinam Nicolaïtarum Apoc. 2.7. Angelo Ephesi dicitur:* hoc habes, quia odisti facta Nicolaïtarum, quæ & ego odi. *Angelo autem Pergami. Ibidem 14.* Habeo aduersus te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israël, edere & fornicari: ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. *Aug. lib. de hæ-*
S. Aug. *resibus ad QuodvultDeum hæresi 5.* Nicolaitæ à Nicolao nominati sunt, vno vt perhibetur *Act. 6.* ex illis septem, quos Apostoli Diaconos ordinauerant. Iste cùm de zelo pulcherrimæ coniugis culparetur, velut purgandi se causa permisisse fertur, vt ea qui vellet vteretur. Quod eius factum in sectam turpissimam versum est, qua placet vsus indifferens fœ-
S. Aug. minarum. SANCTITATEM, *Sanctimoniam, castitatem laudabilem agnoscimus, sed nuptias non condemnamus. Aug. de bono viduitatis cap. 4. & 5.* Ab hac sanitate A doctrinæ *Apostoli scilicet, nuptias permittentis* null... indocti, nullius docti disputatione mouearis: nec ita extollas bonum tuum, vt quod malum non est, tanquam malum criminaris alienum: sed tantò magis gaude tuo bono, quantò magis vides, non tantum illo deuitari mala, sed quædam etiam bona superari. Mala sunt enim adulterium, vel fornicatio: ab his autem illicitis valde longè est, quæ voti libertate se obstrinxit, & sibi etiam licita ne licerent, non imperio legis, sed consilio charitatis effecit. PROIICIMVS *v t rem abominabilem.* DEPONIMVS, *vt onerosas, vel vt expeditiores simus in oratione, aliisque spiritualibus.* NEC PRÆSCRIBIMVS, *cum dicat Apostolus:* de virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, &c. EXERTE DEFENDIMVS, *apertè tuemur bonas esse nuptias.* IN DESTRVCTIONEM, *contra honorem Creatoris, qui eas instituit in paradiso.* VNIVERSVM CONDITIONIS, *omnia condita & creata.* INTEGROS, *iustos,* OPEROSIVS, *cum nimia cura exquiruntur rara, & condiuntur delicati.* COMMITTVNT, *procant peccata gulæ.* VESTITVS, *vestimenta.* CAVSAM, *ob quam res à Deo institutæ sunt.* ET CVLPAM, *abusum hominis peccatoris.* STATVM, *naturam rei* EXORBITATIO, *ab orbita & regula temperantiæ deuiatio.* SECVNDVM CENSVRAM, *iuxta iudicium ipsius Dei, qui vt bonam copulam legitimam indixit, & benedixit, sic omnem nefariam mortis pœna mulctauit.*

** 4. Nuptias Marcion auferens, tollit ipsius castitatis meritum, & crudelior est Pharaone. 1. contra Marc. c. 29. à m. ad f.*

IAm dicam Deum Marcionis, cùm matrimonium vt malum & impudicitiæ negotium reprobat, aduersus ipsam facere sanctitatem, cui videtur studere: Materiam enim eius eradit. Quia si nuptiæ non erunt, sanctitas nulla est. Vacat enim abstinentiæ testimonium,
a 2. Cor. cùm licentia eripitur. Quoniam ita quædam in diuersis probantur. Sicut & [a] *virtus in in-*
12. 9. *firmitate perficitur*, sic & abstinentia nubendi in facultate dinoscitur. Quis denique abstinens dicetur, sublato eo à quo abstinendum est? Quæ temperantia gulæ in fame? quæ ambitionis repudiatio in egestate? quæ libidinis infrenatio in castratione? Iam verò sementem generis humani compescere in totum, nescio an hoc quoque optimo Deo congruat. Quomodo enim saluum hominem volet, quem vetat nasci, de quo nascitur auferendo? quomodo habebit in quo bonitatem suam signet, quem esse non patitur? quomodo diligit, cuius originem non amat? Timet forsitan redundantiam sobolis, ne laboret plures liberando, ne multos faciat hæreticos, ne generosiores habeat Marcionitas ex Marcionitis. Non erit immanior duritia Pharaonis, nascentium enecatrix. nam ille animas adimit, hic
Exo. 1. 16. non dat. Ille aufert de vita, hic non admittit in vitam. Nihil apud ambos de homicidio differt. sub vtroque homo interficitur; sub altero, jam editus; sub altero, edendus. Gratus esses, ô Dee hæretice, si isses in dispositionem Creatoris, quòd marem & feminam miscuit. vtique enim & Marcion tuus ex nuptiis natus est.

NVPTIÆ. 4. SCHOL.

SANCTITATEM, *castitatem. Ita enim 1. Io. 3.* Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est. *Syr. autem:* purificat seipsum, sicut & ille purus est. *Aug.* Castificat seipsum, sicut & ille castus est. ERADIT, *tollit.* VACAT, *nulla est probatio castitatis, nullus experientiæ locus, vbi licentia non est, & potestas data fruendæ voluptatis.* VIR-
S. Aug. TVS IN INFIRMITATE. *Aug. lib. 3. de Gen. ad lit. cap. 15.* Cùm adhuc exercendæ atque in infirmitate perficiendæ virtuti necessariæ sint tentationes & molestiæ corporales, eodem rursus Apostolo manifestante qui ait, &c. rogatum à se Dominum tertiò vt discederet ab eo: *stimulus carnis* respondisse sibi: sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur, &c. & Sanctus Daniel inter leones saluus, atque intrepidus vixit, &c. & in in ipsius Apostoli C manu mortifera vipera adhæsit, nec læsit. Potuerunt ergo ista etiam creata nihil nocere, si causa non extitisset, vel terrendorum puniendorumque vitiorum, vel probandæ perficiendæque virtutis: quia & exempla sunt demonstranda patientiæ ad profectum cæterorum, & ipse sibi homo, in tentationibus certius innotescit, & justè salus illa perpetua, quæ turpiter amissa est per voluntatem, *addo & voluptatem* fortiter recipitur per dolorem. *Addo rursum per voluptatis abstinentiam.* DINOSCITVR *sæpè pro*, dignoscitur. SEMENTEM, *multiplicationem generis prorsus interdicere.* OPTIMO. *Qualem vult Deum suum Marcion, quem tanto affectu ait salutem hominis procurare.* AVFERENDO ID, *per quod nascitur homo, scilicet nuptiarum vsum.* SIGNET *probet effectibus.* MVLTOS HÆRETICOS *qui sanctam Marcionis disciplinam*

recipere nolint. GENEROSIORES, *zelo æstuans posteritatis melioris suis patribus; cum tamen Marcion, Deum nostrum Creatorem ob zelum arguat.* ANIMAS ADIMIT, *eripit de corpore recenter natorum.* GRATVS ESSES, *beneficio Deo Creatori, qui tibi de nuptiarum fructu Prophe-* A *tam tuum Marcionem protulit.* DEI HÆRETICE. *ô Deus ab hæretico Marcione confícte, si secutus fuisses ordines Creatoris nostri, qui matrimonium in paradiso iunxit, &c.*

5. Et 4. cont. Marc. cap. 23. in m.

IAm nunc Deus Marcionis, qui connubium aduersatur, quomodo videri potest paruulorum dilector, quorum tota caussa connubium est? Qui semen odit, fructum quoque execretur necesse est. Næ ille sæuior habendus Ægyptio rege. nam Pharao educari non sinebat infantes: iste nec nasci, auferens vitam illis etiam decem mensium in vtero. Exo.1.16. Atenim quantò credibilius, vt eius deputetur affectio in paruulos, qui benedicendo connubium in propagationem generis humani, ipsum quoque fructum connubij benedicendo promisit, qui de infantia primus est. Gen.1.28.

NVPTIÆ. 5. SCHOL.

PARVVLORVM DILECTOR, *quorum & salutem optat, & per Christum suum dixit:* sinite paruulos venire ad me, &c. Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. TOTA CAVSA, *præcipua; nam & Paulus in remedium incontinentiæ permittit nubere:* si non se continent nubant, melius est enim nubere quam vri. NÆ *certè crudelior, &c.* ETIAM DECEM MENSIVM. *Vide dicta supra V. num. 2. Marcion, inquit, præripit infantibus vitam nouem mensium completorum, & decem inceptorum, in vtero matrum, prohibendo nuptias.* EIVS DEPVTETVR, *huic Deo nostro Creatori tribuatur amor erga paruulos.* DE INFANTIA, *propter infantes, ratione prolis, benedictum est connubium.* S. Aug. *Aug. lib. 3. de Gen. ad lit. cap. 13.* Quæritur quid tantum aquatum animalia de Creatore meruerint, vt sola benedicerentur sicut homines? nam & ipsa benedixit Deus dicens, cresci- B te & multiplicamini, & implete aquas maris, & volatilia multiplicentur super terram. an in vno creaturæ genere dicendum fuit, vt in cæteris consequenter intelligeretur, quæ generationibus crescunt? prius ergo diceretur in eo quod primum tale creatum est, in herba scilicet atque ligno. an fortè, quæ nullum haberent propagandæ prolis affectum, ac sine vllo sensu generarent, indigna iudicauit illis benedictionis verbis, crescite & multiplicamini: vbi autem talis inesset affectus, ibi primum hoc dixit, vt in terrenis animalibus etiam non dictum, intelligeretur? necessarium autem fuit hoc in homine repetere, ne quisquam diceret in officio gignendi filios, vllum esse peccatum; sicut est in libidine, siue fornicandi, siue ipso coniugio immoderatius abutendi.

6. Nuptias, quas Deus Creator iungit, Marcionis Deus reprobat, & tamen Christum suum sponsum facit. 4. cont. Marc. cap. 11. à m.

NEga te nunc dementissimum, Marcion. Ecce legem tui quoque Dei impugnas: Nuptias non coniungit, coniunctas non admittit, neminem tinguit nisi cœlibem aut spadonem, morti aut repudio baptisma seruat. Quid itaque Christum eius sponsum facis? Illius hoc nomen est, qui masculum & feminam coniunxit, non qui separauit. Gen. 2. 24. Matth. 19. 6.

NVPTIÆ. 6. SCHOL.

DEMENTISSIMVM. *Qui turbata mente tibi ipsi contrarius es.* TVI DEI *qui nuptias reprobat.* NON ADMITTIT, *ad baptismum coniugatos.* TINGVIT, *baptizat,* SPADONEM, *virginem.* MORTI AVT REPVDIO. *Id est coniugatis non dat baptismum nisi in extremo periculo mortis, vel nisi prius soluant matrimonium diuortio.* CHRISTVM EIVS, *filium Dei tui optimi, nuptias vt malas reprobantis, cur vocas sponsum? cum nomen hoc, ad nuptias pertineat, & ad Creatorem, de quo Christus testimonium sumpsit ex Genesi, vt repudium & diuortium tolleret, cum ait, Matth. 19. 6.* Quod ergo Deus coniunxit homo non separet. *Sponsum autem facit Marcion Christum suum: non tantum ex Matth. 9. 15. Marc. 2. 19. quos reprobat; sed & Luc. 5. 34. quem vnicum ex Euangelistis recipit; vbi ipse Christus de se sub sponsi nomine loquitur.* Nunquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere jeiunare? venient autem dies; cum ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc jeiunabunt in illis diebus. *Aug. tract. 8. de cap. 2.* S. Aug. *Ioannis* habet hic sponsam quam redemit sanguine suo, & cui pignus dedit Spiritum sanctum; eruit eam de mancipatu diaboli, mortuus est propter delicta eius, resurrexit propter justificationem eius. Quis offerret tanta sponsæ suæ? offerant homines C quælibet ornamenta terrarum, aurum, argentum lapides pretiosos, equos, mancipia, fundos, prædia; Nunquid aliquis offerret sanguinem suum? si enim sanguinem suum sponsæ dederit, non erit qui ducat vxorem. Dominus autem securus moriens, dedit sanguinem suum pro ea quam resurgens haberet, quàm sibi jam conjunx erat in vtero virginis. Verbum enim sponsus, & sponsa caro humana, & vtrumque vnus filius Dei, & idem Filius hominis, vbi factus est caput Ecclesiæ. Ille vterus Virginis Mariæ, thalamus eius; inde processit tanquam sponsus de thalamo suo. *Et tract. 13. de cap. 3. Ioannis.* Qui habet sponsam sponsus est, amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem D sponsi. *Vbi quod contra Donatistas, hoc ego contra Marcionitas, non Christo, sed sibi, virgines & castos tantum baptizantes torqueo:* S. Aug. Multos adulteros video, qui sponsam tanto pretio emptam, amatam fœdam vt pulchra fieret, illo emptore, illo liberatore, illo decoratore, possidere volunt; & id agunt verbis suis, vt pro sponso amentur. De illo dictum est, hic est qui baptizat. Quis huc exit & dicit, ego baptizo? quis huc exit & dicit, ego quod dedero, hoc est Sanctum? quis huc procedit, qui dicit; bonum est tibi vt na-

ſcatis ex me? Amicum ſponſi audiamus, non adulteros ſponſi, audiamus zelantem, ſed non ſibi. *Ipſe ibidem Aug. zelum Ioannis, vt & ipſe amicus ſponſi, imitatus, poſt multa contra hæreticos, iactantes non verè*
S. Aug. *baptizatos, niſi qui à ſe fuerint baptizati.* Non dico ſi loquar tota die, ſi plangam tota die, non ſufficio. Non dico, ſi habeam, ſicut dicit Propheta, fontem lachrymarum, ſed ſi conuertar in lachrymas, & lachrymæ fiam, in linguas, & linguæ fiam, &c. *Deinde in rem noſtram aptè contra Marcionitas ſolos cœlibes & virgines ad ſuum baptiſma admittentes, totam Eccleſiam virginem, & ſingula membra integra fide virginea, lota baptiſma, in aqua & ſanguine Chriſti, pulchrè dicit:* ſic & Apoſtolus amicus ſponſi zelat &
S. Aug. ipſe, non ſibi ſed ſponſo: audi vocem zelantis 2. Cor.11. zelo Dei vos zelo, dixit, non meo; non mihi, ſed zelo Dei. Vide quomodo, quam zelat, cui zelat: deſponſaui enim vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto, omnis Eccleſia Virgo ap- A pellata eſt: diuerſa eſſe membra Eccleſiæ, diuerſis donis pollere videtis atque gaudere. Alij coniugati, &c. alij viduati vxoribus, vltra non quærunt, &c. alij integritatem ab ineunte ætate conſeruant, &c. diuiſa ſunt munera, ſed omnes iſti vna Virgo eſt. Vbi eſt iſta virginitas? &c. Non enim in corpore, &c. ſed omnia in mente ſeruant virginitatem; *Membra ſcilicet* quæ eſt virginitas mentis. Integra fides, ſolida ſpes, ſincera charitas. Hanc virginitatem timebat ille, qui zelabat ſponſam, à ſerpente corrumpi, &c. in mente non corrumpatur, qui non vult ſine cauſa tenere corporis virginitatem, &c. & hæretici habent virgines, & multæ ſunt virgines hæreticorum; videamus ſi ſponſum amant, vt virginitas iſta cuſtodiatur: cui cuſtoditur? Chriſto, inquit, videamus, ſi Chriſto, & non Donato. *Dico ego, & non Marcioni, Deum ſuum, baptiſma ſuum, ſolis virginibus, & innuptis, tanquam verum ſolum, ſponſi inimicum, ſua gloria cupidus conferebat.*

NVPTIÆ QVATENVS BONÆ.

* 1. *Nuptiæ bonæ abſolutè non ſunt, ſed comparatione mali luxuriæ, & ob neceſſitatem propagationis humanæ. De exhort. Caſt. cap. 3. in m. & 4. in p.*

a 1. Cor. 7. 8. & 9. QVum de viduis & innuptis definiit vti [a] *nubant, ſi continere non poſſunt, quia melius ſit nubere quàm vri*, conuerſus ad alteram ſpeciem, [b] *Nuptis autem denuntio*, inquit, *non quidem ego, ſed Dominus.* Ita oſtendit, ex tralatione perſonæ ſuæ in Dominum, id quod ſuprà dixerat, non ex Domini perſona, ſed ex ſua pronuntiaſſe. *Melius eſt nubere quàm vri.*
b Ibid. 10.
Quæ vox licet ad eos pertineat, qui innupti, vel vidui à fide deprehenduntur; quia tamen omnes eam ad nubendi licentiam amplectuntur, velim pertractare, quale bonum oſtendat, quod melius eſt pœna; quod non poteſt videri bonum, niſi peſſimo comparatum; vt ideo bonum ſit nubere, quia deterius eſt ardere. Bonum ita eſt, ſi perſeueret, nomen obtinens ſine comparatione, non dico mali, ſed etiam boni alterius; vt & ſi bono alij comparatur, & alio adumbratur, nihilominùs remaneat in boni nomine. Ceterùm, ſi per mali conditionem cogitur bonum dici, non tam bonum eſt quàm genus mali inferioris, quod à ſuperiore malo obſcuratum ad nomen boni impellitur. Aufer denique conditionem comparationis, vt non dicas, *Melius eſt nubere quàm vri*; & quæro, an dicere audeas, *Melius eſt nubere*; non adijciens quid ſit id quod melius eſt. Ergo quod non melius, vtique nec bonum; quia abſtuliſti & remouiſti conditionem comparationis, quæ dum melius illud facit, ita bonum haberi cogit. *Melius eſt nubere quàm vri*; ſic accipiendum eſt, quomodo melius eſt vno oculo quàm duobus carere: ſi tamen à comparatione diſcedas, non erit melius vnum oculum habere, quia nec bonum. Nemo igitur captet ex hoc capitulo defenſionem, quod propriè ad innuptos & viduos ſpectat, quibus nulla adhuc conjunctio numeratur. quamquam oſtenderim etiam illis intelligendam eſſe permiſſi conditionem. Ceterùm, de ſecundo matrimonio ſcimus planè Apoſtolum pronuntiaſſe, [c] *Solutus es ab vxore, ne quæſieris vxorem: ſed ſi duxeris, non delinquis.* Perinde tamen & huius ſermonis ordinem, *de conſilio ſuo*, non de diuino præcepto introducit.
CAP. IV. c Ibid. 27.

* 2. *Et de Monogamia. cap. 3. circa m.*

1. Cor. 7. 9. AVfer conditionem, vt non dicas, *Melius eſt nubere quàm vri*; & quæro an dicere audeas, *Melius nubere*; non adiſciens quo melius ſit. Fit ergo jam non melius; & dum non melius, nec bonum, ſublata conditione, quæ dum melius illud facit alio, ita bonum haberi cogit. Melius eſt vnum oculum amittere, quàm duos: ſi tamen diſcedas à comparatione mali vtriuſque, non erit melius vnum oculum habere; quia nec bonum.

NVPTIÆ QVATENVS BONÆ. 1. & 2. SCHOL.

QVIA *eadem verba in diuerſis libris repetit: hos duos numeros ſub eodem Scholio exponam; præmonens primò, ex duobus libris ex parte erroneis depromptos hos textus: 2°. ſubtiliter quidem juxta verba Apoſtoli, ſed crudè nimis, poſt defectum authoris ab Eccleſia, dixiſſe nuptias non eſſe bonas niſi in comparatione fornicationis, ad quam ſolam euitandam, non diuino, ſed humano conſilio ait eſſe à Paulo conceſſas. reliqui tamen cum nota corrupti loci, & Antidoto; vt probetur, quantò nobilior* B *ſit virginitas, caſtitate coniugali, quam tamen vt bonam, & Deo abſolutè gratam, ſancta recipit & laudat Eccleſia:* DEFINIIT. *Apoſtolus ſcilicet 1. Cor. 7. 8.* Dico autem non nuptis & viduis: bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego. Quod ſi non ſe continent, nubant. Melius eſt enim nubere quam vri. SPECIEM *conditionem coniugatorum.* NVPTIS AVTEM. *1. Cor. 7. 10.* Iis autem qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non.

non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, &c. TRALATIONE, *translatione, transitu personæ suæ, ad Christi ipsius mandatum, ostendit consilium nubendi potius quàm vri, ex se potius dedisse, quàm ex Christo locutum. Quasi verò aliud Paulus quàm Dominus scripserit aut præscripserit, quem alibi Tertullianus sanior, non tantum organum Spiritus sancti, sed Spiritum sanctum se in Paulo audire dicebat.* A FIDE DEPREHENDVNTVR, *id est quos fides & baptisma de nouo suscepta inuenit innuptos aut viduos.* EAM AD NVBENDI, &c. *vocem scilicet Pauli permittentem nubere potius quàm vri.* VELIM, *volo.* QVOD BONVM *scilicet nuptiarum,* POENA, *vstionis & ardoris concupiscentiæ.* PERSEVERET NOMEN, *hoc est, si nubere, ex se simpliciter & absolutè bonum sit.* ALIO, *maiore,* ADVMBRATVR, *obscuratur, & minus bonum apparet in comparatione maioris.* MALI CONDITIONEM, *ardoris concupiscentiæ, in cuius remedium nubitur.* IMPELLITVR, *in comparatione maioris mali, quasi bonivi quadam boni nomen sortitur, & in appellationem redigitur.* NON ADIICIENS, *non potes dicere absolutè bonum esse nubere, nec meliùs, nisi adiicias in comparatione eius; quod profectò cùm malum sit, ex concupiscentia natum, pudebit dicere bonum esse, quod non nisi in comparatione mali, melius appellatur.* CAPTET DEFENSIONEM, *vt toties quoties, defuncto coniuge, nuptias iteret, si vstio illum compellat, cùm id propriè Apostolus, vel ad innuptos hactenus, vel semel viduos referat, vt textus habet.* NVMERATVR, *id est, qui non pluries, sed semel nupserunt, vel qui adhuc virgines sunt.* PERMISSI CONDITIONEM. *His quibus Paulus non permittit, nisi sub conditione vstionis, & periculi fornicationis. Vel aliter: sciant id non simpliciter esse bonum, quod tantùm permissum est, & catenus permissum, quatenus per id maius malum euitatur.* PLANE, *absolutè, sine ambiguitate & conditione.* SOLVTVS ES, 1. *Cor.* 7. 27. Alligatus es vxori? noli quærere solutionem. solutus es ab vxore? noli quærere vxorem, Si autem acceperis vxorem, non peccasti, & si nupserit virgo, non peccauit. PERINDE TAMEN, *id est, sicut suprà de suo consilio Paulus innuptis & viduis concesserat nubere ob periculum fornicationis, sic & hîc, non alio, siue diuino, siue suo consilio, eodem contextu & ordine quo suprà id permittit. Subiicit enim:* Ego autem vobis parco: *id est, vobis hoc indulgeo & concedo, propter infirmitatem carnis. Cæterùm bonas esse nuptias absolutè, & sine comparatione mali fornicationis, constat ex Deo institutore Matrimonij, & benedictione multiplicationis prolis, quæ fuisset, etiam si homo non peccasset, cùm & in statu innocentiæ masculum & fœminam creauerit eos, & dixerit Gen.* 1. 28. *etiam ante peccatum,* Creauit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam creauit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, &c. *Quin & Gen.* 2. 18. Dixit quoque Dominus Deus, non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.

Non inficior tamen eum qui nunc, non in finem prolis, sed solùm ad fornicationem euitandam nuberet, tum

A *eius nuptias tantùm hoc respectu contractas, respectu maioris mali, fore bonas, quia concupiscentia ex se mala est, nec à Deo condita, sed est effectus peccati originalis, & causa actualis. Aug. de bono viduitatis cap.* 45. Quemadmodum cùm ait, dico autem innuptis & viduis bonum esse illis si sic permanserint: vtique bonum posuit, pro meliore; quoniam omne quod bono comparatum, melius dicitur, etiam hoc proculdubio bonum est: nam quid est aliud, quod ita dicitur melius, nisi quod magis bonum est? nec ideò consequenter eum sensisse arbitramur malum esse si nupserint, quoniam dixit, bonum est illis si sic permanserint. Ita etiam cùm ait, sed ad id quod honestum est; non matrimonium turpe esse monstrauit, sed quod honestum erat, honestius generalis honesti nomine, commendauit. Quia honestius quid B est nisi quod magis honestum est? magis autem honestum, vtique honestum est. Apertè quippè declarauit, hoc, esse bono illo melius: Vbi ait, qui dat nuptum, benefacit; & qui non dat nuptum, melius facit; & hoc, illo beato, beatius, vbi ait, beatior autem erit si sic permanserit. Sicut ergo bono melius, & beato beatius, sic honesto honestius est, quod honestum voluit appellare. Absit enim & turpe sit vnde loquens Apostolus Petrus 1. 3. ait, Viri vxoribus vestris tanquam vasi infirmiori & subiecto tribuite honorem, quasi cohæredibus gratiæ, &c. Vnde & illud quod de innupta Paulus Apostolus dixit: vt sit sancta corpore & spiritu; non sic accipiendum est, quasi nupta fidelis & casta, & secundum Scripturas subdita viro, non sit sancta corpore, sed tantummodo spiritu, &c. *Et cap.* 6. Quod de nupta loquens ait, vt sit sancta & corpore & spiritu, amplio- S. Aug.
C rem innuptarū & corpore & spiritu sanctificationem intelligi voluit, non corpus nuptarum omni sanctificatione priuauit. Disce itaque bonum tuum, immò memento, quòd didicisti bonum tuum ampliùs laudari, quia est aliud bonum, quo sit hoc melius, quàm si aliter hoc bonum esse non posset, nisi illud malum esset, aut omnino non esset. Habent oculi in corpore magnum honorem, sed minorem haberent, si soli essent, & alia minoris honoris membra non essent. In cœlo ipso suâ luce Sol Lunam superat, non vituperat. Stella ab stella differt in gloria, non dissidet in superbia. Ideò fecit Deus omnia, & ecce bona valdè: non tantùm bona, sed etiam valdè: non ob aliud, nisi quia omnia. Nam & per singula opera dicebatur, vidit Deus, quia bonum est. Vbi autem omnia nominata sunt, additum est valdè, &c. me-
D liora enim quædam singula, quam alia singula: sed meliora simul omnia, quàm quælibet singula. Christi itaque te doctrina sana in eius corpore sanam faciat per eius gratiam. vt id quod aliis melius habes in corpore & spiritu, idem ipse spiritus tuus, qui corpori dominatur, nec extollat insolenter, nec discernat inscienter; nec quia dixi Ruth beatam, Annam beatiorem, cùm illa bis nupserit, hæc vno viro citò viduata diu vixerit, continuò etiam te meliorem putes esse quàm Ruth.

(S. Aug. beside "Quemadmodum" line)

3. *Nuptiæ quidem bonæ, sed melior est continentia.* 1. *ad vxo. cap.* 3. *à p. ad m.*

PRohiberi nuptias nusquam omninò legimus, vt bonum scilicet. Quid tamen bono isto melius sit, accipimus ab Apostolo, permittente quidem nubere, sed abstinentiam præferente: illud propter insidias tentationum, hoc propter angustias temporum. Qua ratione vtriusque pronunciationis inspectâ, facilè dinoscitur necessitate nobis concessam esse nubendi potestatem. quod autem necessitas præstat, depreciat ipsa. Quod denique scriptum est, [a] *Melius est nubere quàm vri:* quale hoc bonum est, oro te, quod mali compa- [a] 1. Cor. ratio commendat? vt ideò melius sit nubere, quia deterius est vri. Atenim quantò melius 7. 9. est: neq; nubere, neque vri? Etiam in persecutionibus melius est ex permissu fugere de op-

ſcaris ex me? Amicum ſponſi audiamus, non adulteros ſponſi, audiamus zelantem, ſed non ſibi. *Ipſe ibidem Aug. zelum Ioannis, vt & ipſe amicus ſponſi, imitatus, poſt multa contra hæreticos, iactantes non verè*
S. Aug. *baptizatos, niſi qui à ſe fuerint baptizati.* Non dico ſi loquar tota die, ſi plangam tota die, non ſufficio. Non dico, ſi habeam, ſicut dicit Propheta, fontem lachrymarum, ſed ſi conuertar in lachrymas, & lachrymæ fiam, in linguas, & linguæ fiam, &c. *Deinde in rem noſtram aptè contra Marcionitas ſolos cœlibes & virgines ad ſuum baptiſma admittentes, totam Eccleſiam virginem, & ſingula membra integra fide virginea, lota baptiſmo, in aqua & ſanguine Chriſti, pulchrè dicit:* ſic & Apoſtolus amicus ſponſi zelat &
S. Aug. ipſe, non ſibi ſed ſponſo: audi vocem zelantis 2. Cor. 11. zelo Dei vos zelo, dixit, non meo; non mihi, ſed zelo Dei. Vide quomodo, quam zelat, cui zelat: deſponſaui enim vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto, omnis Eccleſia Virgo ap- A pellata eſt: diuerſa eſſe membra Eccleſiæ, diuerſis donis pollere videtis atque gaudere. Alij coniugati, &c. alij viduati vxoribus, vltra non quærunt, &c. alij integritatem ab ineunte ætate conſectuant, &c. diuiſa ſunt munera, ſed omnes iſti vna Virgo eſt. Vbi eſt iſta virginitas? &c. Non enim in corpore, &c. ſed omnia in mente ſeruant virginitatem: *Membra ſcilicet* quæ eſt virginitas mentis. Integra fides, ſolida ſpes, ſincera charitas. Hanc virginitatem timebat ille, qui zelabat ſponſam, à ſerpente corrumpi, &c. in mente non corrumpatur, qui non vult ſine cauſa tenere corporis virginitatem, &c. & hæretici habent virgines, & multæ ſunt virgines hæreticorum; videamus ſi ſponſum amant, vt virginitas iſta cuſtodiatur: cui cuſtoditur? Chriſto, inquit, videamus, ſi Chriſto, & non Donato. *Dicis ego, & non Marcioni; Deum ſuum, baptiſma ſuum, ſolis virginibus, & innuptis, tanquam verum ſolum, ſponſi inimicus, ſua gloria cupidus conſerebas.*

NVPTIÆ QVATENVS BONÆ.

* 1. *Nuptiæ bonæ abſolutè non ſunt, ſed comparatione mali luxuriæ, & ob neceſſitatem propagationis humanæ. De exhort. Caſt. cap. 3. in m. & 4. in p.*

a 1. Cor. 7. 8. & 9. b Ibid. 10. QVum de viduis & innuptis definiit vti [a] *nubant, ſi continere non poſſant, quia melius ſit nubere quàm vri*, conuerſus ad alteram ſpeciem, [b] *Nuptis autem denuntio*, inquit, *non quidem ego, ſed Dominus.* Ita oſtendit, ex tralatione perſonæ ſuæ in Dominum, id quod ſuprà dixerat, non ex Domini perſona, ſed ex ſua pronuntiaſſe. *Melius eſt nubere quàm vri.* Quæ vox licet ad eos pertineat, qui innupti, vel vidui à fide deprehenduntur; quia tamen omnes eam ad nubendi licentiam amplectuntur, velim pertractare, quale bonum oſtendat, quod melius eſt pœna; quod non poteſt videri bonum, niſi peſſimo comparatum; vt ideo bonum ſit nubere, quia deterius eſt ardere. Bonum ita eſt, ſi perſeueret, nomen obtinens ſine comparatione, non dico mali, ſed etiam boni alterius; vt & ſi bono alij comparatur, & alio adumbratur, nihilominùs remaneat in boni nomine. Ceterùm, ſi per mali conditionem cogitur bonum dici, non tam bonum eſt quàm genus mali inferioris, quod à ſuperiore malo obſcuratum ad nomen boni impellitur. Aufer denique conditionem comparationis, vt non dicas, *Melius eſt nubere quàm vri*; & quæro, an dicere audeas, *Melius eſt nubere*; non adjiciens quid ſit id quod melius eſt. Ergo quod non melius, vtique nec bonum; quia abſtuliſti & remouiſti conditionem comparationis, quæ dum melius illud facit, ita bonum haberi cogit. *Melius eſt nubere quàm vri*; ſic accipiendum eſt, quomodo melius eſt vno oculo quàm duobus carere: ſi tamen à comparatione diſcedas, non erit melius vnum oculum habere, quia nec bonum. Nemo igitur captet ex hoc capitulo defenſionem, quod propriè ad innuptos & viduos ſpectat, quibus nulla adhuc conjunctio numeratur. quamquam oſtenderim etiam illis intelligendam eſſe permiſſi conditionem. Ceterùm, de ſecundo matrimonio ſcimus planè Apoſtolum pronuntiaſſe, [c] *Solutus es ab vxore, ne quæſieris vxorem: ſed ſi duxeris, non delinquis.* Perinde tamen & huius ſermonis ordinem, *de conſilio ſuo*, non de diuino præcepto introducit.
Cap. IV. c Ibid. 27.

* 2. *Et de Monogamia. cap. 3. circa m.*

1. Cor. 7. 9. AVfer conditionem, vt non dicas, *Melius eſt nubere quàm vri*; & quæro an dicere audeas, *Melius nubere*; non adiiciens quo melius ſit. Fit ergo jam non melius; & dum non melius, nec bonum, ſublata conditione, quæ dum melius illud facit alio, ita bonum haberi cogit. Melius eſt vnum oculum amittere, quàm duos: ſi tamen diſcedas à comparatione mali vtriuſque, non erit melius vnum oculum habere; quia nec bonum.

NVPTIÆ QVATENVS BONÆ. 1. & 2. SCHOL.

QVIA *eadem verba in diuerſis libris reperis: hos duos numeros ſub eodem Scholio exponam; præmonens primò, ex duobus libris ex parte erroneis depromptos hos textus: 2°. ſubtiliter quidem juxta verba Apoſtoli, ſed crudè nimis, poſt defectum authoris ab Eccleſia, dixiſſe nuptias non eſſe bonas niſi in comparatione fornicationis, ad quam ſolam euitandam, non diuino, ſed humano conſilio ait eſſe à Paulo conceſſas. reliqui tamen cum nota corrupti loci, & Antidoto; vt probetur, quantò nobilior* B *ſit virginitas, caſtitate coniugali, quam tamen vt bonam, & Deo abſolutè gratam, ſancta recipit & laudat Eccleſia:* DEFINIIT *Apoſtolus ſcilicet* 1. *Cor.* 7. 8. Dico autem non nuptis & viduis: bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego. Quod ſi non ſe continent, nubant. Melius eſt enim nubere quam vri. SPECIEM *conditionem coniugatorum.* NVPTIS AVTEM. 1. *Cor.* 7. 10. Iis autem qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non.

non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, &c. TRALATIONE, *translatione, transitu personæ suæ, ad Christi ipsius mandatum, ostendit consilium nubendi potius quàm vri, ex se potius dedisse, quàm ex Christo locutum. Quasi verò aliud Paulus quàm Dominus scripserit aut præscripserit, quem alibi Tertullianus fatetur, non tantum organum Spiritus sancti, sed Spiritum sanctum se in Paulo audire dicebat.* A FIDE DEPREHENDVNTVR, *id est quos fides & baptisma de nouo suscepta inuenit innuptos aut viduos.* EAM AD NVBENDI, &c. *vocem scilicet Pauli permittentem nubere potius quàm vri.* VELIM, *volo.* QVOD BONVM *scilicet nuptiarum,* POENA, *vstionis & ardoris concupiscentiæ.* PERSEVERET NOMEN, *hóc est, si nubere, ex se simpliciter & absolutè bonum sit.* ALIO, *maiore,* ADVMBRATVR, *obscuratur, & minus bonum apparet in comparatione maioris.* MALI CONDITIONEM, *ardoris concupiscentiæ, in cuius remedium nubitur.* IMPELLITVR, *in comparatione maioris mali, quasi boni vi quadam boni nomen sortitur, & in appellationem redigitur.* NON ADIICIENS, *non potes dicere absolutè bonum esse nubere, nec meliùs, nisi adiicias in comparatione cuius; quod profectò cùm malum sit, ex concupiscentia natum, pudebit dicere bonum esse, quod non nisi in comparatione mali, melius appellatur.* CAPTET DEFENSIONEM, *vt toties quoties, defuncto coniuge, nuptias iteret, si vstio illa compellat, cùm id propriè Apostolus, vel ad innuptos hactenus, vel semel viduos referat, vt textus habet.* NVMERATVR, *id est, qui non pluries, sed semel nupserunt, vel qui adhuc virgines sunt.* PERMISSI CONDITIONEM. *His quibus Paulus non permittit, nisi sub conditione vstionis, & periculi fornicationis. Vel aliter: sciant id non simpliciter esse bonum, quod tantùm permissum est, & catenus permissum, quatenus per id maius malum euitatur.* PLANE, *absolutè, sine ambiguitate & conditione.* SOLVTVS ES, *1. Cor. 7. 27.* Alligatus es vxori? noli quærere solutionem. solutus es ab vxore? noli quærere vxorem, Si autem acceperis vxorem, non peccasti, & si nupserit virgo, non peccauit. PERINDE TAMEN, *id est, sicut suprà de suo consilio Paulus innuptis & viduis concesserat nubere ob periculum fornicationis, sic & hîc, non alio, siue diuino, siue suo consilio, eodem contextu & ordine quo suprà id permittit. Subiicit enim:* Ego autem vobis parco: *id est, vobis hoc indulgeo & concedo, propter infirmitatem carnis. Cæterùm bonas esse nuptias absolutè, & sine comparatione mali fornicationis, constat ex Deo institutore Matrimonij, & benedictione multiplicationis prolis, quæ fuisset, etiam si homo non peccasset, cùm & in statu innocentiæ masculum & fœminam creauerit eos, & dixerit Gen. 1. 28. etiam ante peccatum,* Creauit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam creauit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, &c. *Quin & Gen. 2. 18.* Dixit quoque Dominus Deus, non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.

Non inficior tamen eum qui nunc, non in finem prolis, sed solùm ad fornicationem euitandam nuberet, tum A *eius nuptias tantùm hoc respectu contractas, respectu maioris mali, fore bonas, quia concupiscentia ex se mala est, nec à Deo condita, sed est effectus peccati originalis, & causa actualis. Aug. de bono viduitatis cap. 45.* Quemadmodum cùm ait, dico autem innuptis & viduis bonum esse illis si sic permanserint: vtique bonum posuit, pro meliore; quoniam omne quod bono comparatum, melius dicitur, etiam hoc proculdubiò bonum est: nam quid est aliud, quod ita dicitur melius, nisi quod magis bonum est? nec ideò consequenter eum sensisse arbitramur malum esse si nupserint, quoniam dixit, bonum est illis si sic permanserint. Ita etiam cùm ait, sed ad id quod honestum est; non matrimonium turpe esse monstrauit, sed quod honestum erat, honestius generalis honesti nomine, commendauit. B Quia honestius quid est nisi quod magis honestum est? magis autem honestum, vtique honestum est. Apertè quippè declarauit, hoc, esse bono illo melius: Vbi ait, qui dat nuptum, benefacit; & qui non dat nuptum, melius facit; & hoc, illo beato, beatius, vbi ait, beatior autem erit si sic permanserit. Sicut ergo bono melius, & beato beatius, sic honesto honestius est, quod honestum voluit appellare. Absit enim & turpe sit vnde loquens Apostolus Petrus 1. 3. ait, Viri vxoribus vestris tanquam vasi infirmiori & subiecto tribuite honorem, quasi cohæredibus gratiæ, &c. Vnde & illud quod de innupta Paulus Apostolus dixit: vt sit sancta corpore & spiritu; non sic accipiendum est, quasi nupta fidelis & casta, & secundum Scripturas subdita viro, non sit sancta corpore, sed tantummodo spiritu, &c. *Et cap. 6.* Quod de nupta loquens ait, vt sit sancta & corpore & spiritu, ampliorem innuptarũ & corpore & spiritu sanctificationem C intelligi voluit, non corpus nuptarum omni sanctificatione priuauit. Disce itaque bonum tuum, immò memento, quòd didicisti bonum tuum ampliùs laudari, quia est aliud bonum, quo sit hoc melius, quàm si aliter hoc bonum esse non posset, nisi illud malum esset, aut omnino non esset. Habent oculi in corpore magnum honorem, sed minorem haberent, si soli essent, & alia minoris honoris membra non essent. In cœlo ipso suâ luce Sol Lunam superat, non vituperat. Stella ab stella differt in gloria, non dissidet in superbia. Ideò fecit Deus omnia, & ecce bona valdè: non tantùm bona, sed etiam valdè: non ob aliud, nisi quia omnia. Nam & per singula opera dicebatur, vidit Deus, quia bonum est. Vbi autem omnia nominata sunt, additum est valdè, &c. meliora enim quædam singula, quàm alia singula: sed D meliora simul omnia, quàm quælibet singula. Christi itaque te doctrina sana in eius corpore sanam faciat per eius gratiam, vt id quod aliis melius habes in corpore & spiritu, idem ipse spiritus tuus, qui corpori dominatur, nec extollat insolenter, nec discernat inscienter; nec quia dixi Ruth beatam, Annam beatiorem, cùm illa bis nupserit, hæc vno viro citò viduata diu vixerit, continuò etiam te meliorem putes esse quàm Ruth.

S. Aug.

S. Aug.

3. *Nuptiæ quidem bonæ, sed melior est continentia. 1. ad vxo. cap. 3. à p. ad m.*

PRohiberi nuptias nusquam omninò legimus, vt bonum scilicet. Quid tamen bono isto melius sit, accipimus ab Apostolo, permittente quidem nubere, sed abstinentiam præferente: illud propter insidias tentationum, hoc propter angustias temporum. Quâ ratione vtriusque pronunciationis inspectâ, facilè dinoscitur necessitate nobis concessam esse nubendi potestatem. quod autem necessitas præstat, depreciat ipsa. Quod denique scriptum est, [a] *Melius est nubere quàm vri:* quale hoc bonum est, oro te, quod mali comparatio commendat? vt ideò melius sit nubere, quia deterius est vri. Atenim quantò melius est: neq; nubere, neque vri? Etiam in persecutionibus melius est ex permissu fugere de op-

[a] 1. Cor. 7. 9.

pido, quàm comprehensum & distortum negare: atque isto beatiores, qui valent beatæ testimonij confessione non excidere.

NVPTIÆ QVATENVS BONÆ. 3. SCHOL.

ABSTINENTIAM, *à matrimonio, siue continentiam.* INSIDIAS TENTATIONVM, *irritamentum concupiscentiæ prouocantis ad luxuriam, & vt ait Paulus:* Ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram. ANGVSTIAS TEMPORVM. 1. *Cor.* 7. 29. Hoc itaque dico, fratres, tempus breue est: reliquum est, vt & qui habent vxores, tanquam non habentes sint. VTRIVSQVE PRONVNTIATIONIS, *sententiæ Pauli & continentiam suadentis, & nuptias permittentis.* NECESSITATE, *salutis, ob quam fugienda fornicatio.* DEPRETIAT, *vilificat ipsa necessitas id omne quod præcisè sola eius causa fit.* PERMISSV, *ob permissionem à Christo datam fugiendi de ciuitate in ciuitatem.* ISTO, *fugiente scilicet.* QVI VALENT, *præualent fide & animi robore.* TESTIMONII, *Martyrij. Hic sanius Tertull. bonas fatetur nuptias. Cui dum hæc diceret nondum* A *peruersus in hac saltem parte, expressè & nominatim suffragatur Augustinus lib. de Bono viduitatis cap. 5.* Bonum est pudicitia coniugalis, sed melius bonum est continentia vidualis. Hoc ergo melius, illius boni submissione honoratur: non illud bonum melioris huius laude damnatur. Quod autem Apostolus, cùm cœlibûm & innuptarum commendaret fructum, quia cogitāt quæ sunt Dei, quomodo placeant Deo, subiecit, & ait, hoc autem ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueū vobis iniiciam: id est, non vt vos cogam, sed ad id quod honestum est, horter: non quia innuptarum bonum honestum dixit, ideò putare debemus turpe esse vinculum coniugale. Alioquin etiam primas nuptias condemnabimus, quas nec Cathaphryges, nec Nouatiani, nec disertissimus eorum astipulator Tertull. turpes ausus est dicere. S. Aug.

4. *Nubere permittit Paulus humano consilio, continendum autem dicit ex diuino. De Monog. cap. 3. in m.*

QVid nunc, si omnem indulgentiam nubendi, de suo, id est, de humano sensu accommodat ex necessitate quâ diximus, Quia *melius sit nubere quàm vri*? Denique, conuersus ad alteram speciem dicendo, [a] *Nuptis autem denuntio, non ego, sed Dominus*; ostendit illa quæ suprà dixerat, non Dominicæ auctoritatis fuisse, sed humanæ æstimationis. At vbi ad continentiam reflectit animos, [b] *Volo autem vos sic esse omnes. Puto autem*, inquit, *& ego spiritum Dei habeo*: vt si quid indulserat ex necessitate, id Spiritus sancti auctoritate reuocaret. *V. Verbum Permissio num.* 1. *&* 2.

a 1. Cor. 7. 10.
b Ibid. 40.

NVBERE PERMITTIT, &c. 4. SCHOL.

QVID NVNC. *Rursum & hic inculcat quod superiùs adnotauimus Scholio primo.* EX NECESSITATE *scilicet vitandæ fornicationis.* REFLECTIT ANIMOS, *fideles vocat ad perfectiorem vitam continentium.* VOLO AVTEM, 1. *Cor.* 7. 7. Volo enim omnes vos esse sicut meipsum. *Syr. Ego velim omnes homines esse, sicuti sum puritate,* sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo. Alius quidem sic, alius verò sic. Dico autem non nuptis & viduis: Bonum est illis si sic permaneant sicut & ego. *Et vltimo versu sic concludit*; Si sic permanserit, secundum meum consilium: *Syr. meâ quidem sententiâ*; puto autem quòd & ego spiritum Dei habeam. *Notatu dignissimum, doctissimos homines ex quo defecerunt à fide, in spiritum vertiginis & erroris contradictionisque Deo deserente immitti. Viden, Lector, vt & humanum consilium & sensum tribuat Paulo indulgenti connubium, diuinum autem Spiritum continentiam consulenti, cùm tamen ipsomet loco Pauli quo vtitur, constet beatiorem continentem coniugato, secundum consilium, sententiam, æstimationem, sensum Pauli, quem stultè humanum dixit Tertull. cùm statim inferat esse diuinum, dum ait:* Puto autem quòd & ego spiritum Dei habeam. *Sapientiùs Aug. quanquam secundum veritatem, continentiam vidualem & virginalem præferat coniugali, hanc tamen etiam postremam donum Dei exertè cognoscens. Ita lib. de gratia & libero arbitrio. lib. de dono perseuerantiæ, & epist. ad Iulianam, & lib. de sancta viduitate toties à Beda citato, quasi legitimo, vt est, Augustini partu; vbi hunc locum Pauli pertractat. Sic* B *inter cætera in dicta ad Iulianam epistola, vbi de diuersis continentiæ gradibus verba Pauli explicat, quando dicit alius sic, alius autem sic.* Audiat illum qui dicit, habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt eminentia virtutis sit Dei, & non ex vobis. De ipsa quoque sacra continentia virginali, quòd non sit sibi ex seipsa: sed sit Dei donum, quamuis credenti, volentique collatum. Eundem audiat veracem piúmque Doctorem, qui cùm hinc ageret, ait, vellem omnes esse sicut meipsum, sed vnusquisque proprium donum habet à Deo, alius quidem sic, alius autem sic, &c. *quod & repetit lib. de dono perseuerantiæ*: vbi satis ostendit non tantùm continentiam donum esse Dei, sed coniugatorum etiam castitatem, C *Et lib. de sancta viduitate cap. 4. post citatum locum Pauli præfatum.* Vides etiam coniugalem pudicitiam, & tori Christiani matrimonialem fidem donum esse, & hoc à Deo, vt illud, quod vltra liberorum procreandorum necessitatem modum concumbendi aliquatenus concupiscentia carnalis excedit, non nuptiarum sit hoc malum, sed veniale sit propter nuptiarum bonum. Non enim de coniugio quod copulatur liberorum procreandorum causâ, & fide pudicitiæ coniugalis, & indissolubili, quandiu ambo viuunt, matrimonij Sacramento quæ omnia bona sunt, sed de illo immodico carnis vsu, qui in infirmitate coniugum agnoscitur, & interuentu boni nuptialis ignoscitur, ait Apostolus, secundum veniam dico, non secundum imperium.

S. Aug.
S. Aug.
S. Aug.

5. Nuptiæ sunt hîc bonæ & necessariæ, vbi Filius hominis homo moritur, vt restauretur in progenie: at in resurrectione, vbi homo erit filius Dei Patri similis, Angelisque immortalibus, non erunt nuptiæ, eodem Deo vtriusque legis, & sæculi præsentis & futuri, sic volente. 4. cont. Marc. cap. 38. àp. ad circa f.

SAdducæi resurrectionis negatores, de ea habentes interrogationem, proposuerant Domino ex lege materiam mulieris, quæ septem fratribus ex ordine defunctis, secundùm præceptum legale nupsisset, cuius viri deputanda esset in resurrectione. Hæc fuit materia quæstionis, hæc substantia consultationis. (Luc. 20. 29.) Ad hoc respondisse Christum necesse est. Neminem timuit, vt quæstiones aut declinasse videatur, aut per occasionem earum, quod aliàs palàm non docebat subostendisse. Respondit igitur: [a] *Huius quidem æui filios nubere.* (a Luc. 20. 34.) Vides quàm pertinenter ad causam. Quia de æuo venturo quærebatur, in quo neminem nubere definiturus, præstruxit, hîc quidem nubi, vbi sit & mori. [b] *Quos verò dignatus sit Deus, illius æui possessione & resurrectione à mortuis, neque nubere, neque nubi; quia nec morituri iam sint, quum similes angelorum sint, Dei & resurrectionis filij facti.* (b Ibid. 35. 36.) Quum igitur sensus responsionis non ad aliud sit dirigendus, quàm ad propositum interrogationis, si hoc sensu responsionis, propositum absoluitur interrogationis, non aliud responsio Domini sapit, quàm quo quæstio absoluitur. Habes & tempora permissarum & negatarum nuptiarum, non ex sua propria, sed ex resurrectionis quæstione. (Luc. 20. 27.) Habes & ipsius resurrectionis confirmationem, & totum quod Sadducæi sciscitabantur, non de alio Deo interrogantes, nec de proprio nuptiarum iure quærẽtes. Quòd si ad ea facis respondere Christũ, de quibus non est consultus, negas eum de quibus interrogatus est respondere potuisse, Sadducæorum scilicet sapientiâ captum. Ex abundanti nunc, & post præscriptionem, retractabo aduersus argumentationes cohærẽtes. Nacti enim Scripturæ textum, ita in legendo decucurrerunt. [c] *Quos autem dignatus est Deus illius æui*, illius æui Deo adiungunt, quo alium Deum faciant illius æui. (c Luc. 20. 34.) Quum sic legi oporteat, *Quos autem dignatus est Deus*; vt factâ hîc distinctione post Deum, ad sequentia pertineat; *Illius æui*; id est, quos dignatus sit Deus, illius æui possessione & resurrectione. Non enim de Deo; sed de statu illius æui consulebatur, cuius vxor futura esset post resurrectionem in illo æuo. Sic & de ipsis nuptiis responsum subuertunt; Vt filij huius æui nubunt & nubuntur, de hominibus dictum sit Creatoris, nuptias permittentis: se autem quos Deus illius æui, alter scilicet dignatus sit resurrectione, iam & hîc non nubere, quia non sint filij huius æui: quando de nuptiis illius æui consultus, non de huius, eas negauerat de quibus consulebatur: itaque qui ipsam vim & vocis & pronuntiationis & distinctionis exceperant, nihil aliud senserunt, quàm quod ad materiam consultationis pertinebat. Atque adeò Scribæ, [d] *Magister*, inquiunt, *benè dixisti.* (d Ibid. 39.) Confirmauerat enim resurrectionem, formam eius edendo aduersus Sadducæorum opinionem. Denique testimonium eorum qui ita eum respondisse præsumpserant, non recusauit.

NVPTIÆ QVATENVS BONÆ. 5. SCHOL.

EX LEGE, *Deut.* 25. 5. Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui. EX ORDINE. *Vno post alium mortuo, & sibi inuicem succedente.* MATERIAM MVLIERIS. *Subiectũ controuersiæ. Luc.* 20. 29. Septem fratres erant, & primus accepit vxorem, & mortuus est sine filiis. Et sequens accepit illã, &c. In resurrectione ergo, cuius eorum erit vxor, siquidem septem habuerunt eam vxorem? DEPVTANDA, *cui adiudicãda. Ad hoc, non ad aliud: quia necesse est credere Patris Sapientiam & Veritatem non extra rem aut æquiuocè respondisse.* SVBOSTENDISSE, *innuisse, subintelligendum aliud, quàm quod apertè docebat.* HVIVS ÆVI. *Luc.* 20. 34. Et ait illis Iesus? Filij huius sæculi nubunt, & traduntur ad nuptias: illi verò qui digni habebuntur sæculo illo & resurrectione ex mortuis, neq. nubent, neque ducent vxores: neque enim vltrà mori poterunt: æquales enim Angelis sunt, & filij sunt Dei, cùm sint filij resurrectionis. PERTINENTER, præcisè ad quæstionem propositam respondit. ÆVO VENTVRO, *futuro sæculo.* PRÆSTRVXIT, *priùs dixit.* HIC NVBI, *in hoc sæculo, ad reparandum defectum mortalis generis, nuptias necessarias. Pulchrè Aug. to. 4. lib. 2. qq. super Euang. q. 49. in hunc locum Luc.* 20. (S. Aug.) Ad illud quod dixit, non enim vltrà incipiunt mori: dicendum, quia connubia propter filios, filij propter successionem, successio propter mortem. Vbi ergo mors non est, neque connubia. Sicut enim nunc sermo noster decedentibus & succedentibus syllabis peragitur atq; perficitur: ita & ipsi homines quorum sermo est, decedendo ac succedendo peragunt atq; perficiunt ordinem huius sæculi, qui temporaliũ rerum pulchritudine contexitur. In illa autem vita quoniam Verbum Dei est quo fruemur, nulla decessione & successione syllabarum completur, sed omnia quæ habet semper manendo simul habet: ita participes eius, quibus ipsum solum erit vita, neque moriendo sibi decedent, neque nascendo succedent. *De 7. porrò fratribus eiusdem mulieris viris sic breuiter & moraliter in steriles vniuersa mundi ætate in bonorum operum fructibus. lib. 1. qq. super Euang. q.* 32. Quod Sadducæi dicunt Domino *Matth.* 22. fuerunt apud nos septem fratres, & vnus acceptâ vxore obiit, & secundus, & cæteri: intelliguntur homines impij, qui fructum iustitiæ non potuerunt afferre in terra per omnes septem mundi ætates; quibus ista terra consistit: posteà enim & ipsa terra transiet, per quam omnes illi quasi septem mariti steriliter transierunt. QVAM IGITVR, &c. *Vides quàm directè respondeat, nec ad aliud referri debeat quam ad interrogationẽ Sadducæorum, sensus responsionis Christi; quandoquidem plenè satisfacit eorum quæstioni.* HABES TEM-

PORA. Assignat tibi Christus duo sæcula, præsens quo licet nubere, & futurum, quo non erunt nuptiæ, idque respondet, non tam ex proprio loquendi instituto, quàm occasione quæstionis propositæ. DE ALIO DEO. *quem alium Sadducæi quàm Creatorem non credebant.* NEC DE PROPRIO. *Quia propriè non agebatur de nuptiis, sed de resurrectione, quam Sadducæi non credebant.* POST PRÆSCRIPTIONEM, *quâ conuicimus sufficienter aduersarios, agam etiam contra argumenta Marcionitarum, qui ex prauo contextu loci, quo Christus conuicit Sadducæos, probare se putant duos esse Deos; Creatorem huius æui, id est, sæculi, authorem malarum nuptiarum; & suum Deum bonum Dominum futuri sæculi, in quo non erunt nuptiæ,* VT FILII, *sic peruertunt textum, vt per filios huius æui qui nubunt, intelligant miseros homines à Deo Creatore factos; Marcionitas autem per filios alterius sæculi, filios Dei sui boni qui nec in hoc sæculo nubere volunt.* QVANDO, &c. *Quandoquidē Christus non de hoc sæculo, sed de resurrectionis æuo interrogabatur, non præsentes abdicauit nuptias, sed futuras in resurrectione negauit. Quod probat consensus ipsorum Scribarum assistentium quæstioni Luc. 21.39.* Respondentes autem quidam Scribarum dixerunt ei; Magister benè dixisti: *quia nimirùm Scribæ credentes resurrectionem applauserunt conuincenti incredulos eius Sadducæos, quod nec Christus eorum testimonium reprobauit.*

Addam Augustini locum eximium: quo & innuit turbatos quæstione Sadducæorum Iudæos, & longè aliam quàm terrenis & carnales solam sapiebant, bonorū operum remunerationem in resurrectione futuram. Sic igitur in Psal. 43. Ea vis habere in futuro sæculo, quæ hic necesse est relinquas, mutare vis voluptatem carnalem, non amputare, non laudatur in illo ieiunium, qui ad luxuriosam cœnam seruat ventrem suum, &c Noli ergo talia sperare tibi danda à Deo, qualia hic te iubet contemnere. Hæc enim sperabant Iudæi, ideò turbabantur in illa quæstione. Nam & ipsi resurrectionem sperant, sed ad tales voluptates corporis se sperant resurrecturos, quales hîc amant viuentes. Ideo cùm eis proponeretur quæstio illa à Sadducæis, qui non credebant resurrectionem, de illa muliere quæ nupsit septem fratribus sibimet succedentibus, cuius eorum in resurrectione futura erat, vox deficiebat: & respondere non poterant. At verò Domi-

S. Aug.

A no quando est proposita, quia nobis talis resurrectio promittitur, non quâ repetantur huiusmodi voluptates, sed quâ æterna de ipso Deo gaudia comparentur, respondit Dominus, & ait: *Matth. 22.* Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei; in resurrectione enim neque nubent, neque vxores ducent. Non enim incipient mori: id est, non ibi quæritur successor, vbi non erit decessor. Et quid erit? Sed erunt, inquit, æquales Angelis Dei. Nisi fortè putas quòd Angeli epulis quotidianis, & vino quo te inebrias, gaudeant: aut hoc fortè arbitraris, quòd Angeli vxores habeant: nihil eorum est apud Angelos. Vnde gaudēt Angeli, nisi vnde Dominus ait *Matth. 18.* Nescitis quia Angeli eorū semper vidēt faciem Patris? si ergo ad faciem Patris gaudent Angeli,

B ad tale gaudiū te præpara: aut si inuenis melius quàm videre faciem Dei, illuc te præpara. Væ tali amori tuo, si vel suspicaris aliquid pulchrius quàm est ille à quo est omne pulchrum, quod te teneat, ne illum cogitare merearis. Dominus in carne erat, & apparebat homo hominibus. Qualis apparebat? &c. Quid magnum apparebat? caro carni. Quid magnum apparebat? de quo dictum est *Esai. 53.* Vidimus eum, & non habebat speciem, neque decorem? Quis non habebat speciem, &c? de quo item dicitur, speciosus forma, &c. Vt homo non habebat speciem, &c. sed speciosus forma, ex eo quod est præ filiis hominum. Ideò formam illam, de forma

C carnis ostendens oculis intuentium, quid ait? *Ioan. 14.* Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & ostendam illi meipsum. Quem videbant, ostensurum se illis promittebat. Sed quid est hoc? quasi diceret, Videtis formam serui, occulta est forma Dei. Per hanc vobis blandior, illam vobis seruo. Hac vos paruulos nutrio, illâ grandes pasco. Ergo vt hæc fides nostra, quâ purgamur, ad inuisibilia præparetur, hoc est quod in intellectu filiis Chore, *talis est titulus inscriptus Psalmi filiis Calui, id est, Christi in Caluaria Crucifixi,* facta sunt ista omnia, vt detraherentur Sanctis ea quæ habebant. Detraheretur & ipsa vita temporalis, vt non propter hæc ipsa temporalia, colerent ipsum æternum, sed amore illius castè tolerarent hæc omnia, quæ pro tempore paterentur. *Hactenus Augustinus.*

6. *Nuptiæ iam instante fine mundi, non necessariæ multiplicationi: & continentia melior coniugio. De Pudic. cap. 16. circa fin.*

a 1. Cor. 7. 29. [a] *CÆterùm tempus in collecto.* constituit, *vt & qui habent vxores, sic sint tanquam non habentes. Præterit enim habitus huius mundi;* iam scilicet non desiderantis, [b] *Crescite, & multiplicamini.* Sic vult nos præter solicitudinē degere, [c] *quia innupti de Domino curent, quomodo placeant Deo; nupti verò de mundo recogitent, quomodo placeant coniugio.* Sic melius facere pronuntiat virginis conseruatorem, quàm erogatorem. Sic & illam beatiorem decernit, quæ amisso viro, fidem ingressa, amauerit occasionem viduitatis. Sic hæc omnia continentiæ consilia vt diuina commendat. [d] *Puto,* inquit, *& ego spiritum Dei habeo.*

b Gen. 1. 25.
c 1. Cor. 7. 34.
d Ibid. 40.

NVPTIÆ QVATENVS BONÆ. 6. SCHOL.

CÆTERVM TEMPVS. 1. *Cor.* 7. 29. Hæc itaque dico, fratres, tempus breue est, *Syr. omnino contractum esse;* reliquū est, vt & qui habent vxores, tanquā non habentes sint. HABITVS. *figura. Syr.* species huius mundi. NON DESIDERANTIS, *non exigentis ampliùs, ob sufficientem non modo, sed & superabundantem segetem generis humani.* PRÆTER SOLICITVDINEM, 1. *Cor.* 7. 32. Volo autem vos sine solicitudine esse, qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo, &c. & mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu. quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. *Hunc locum tractat Aug. to. 6. l. de sanct. virginit. c. 22.* Non vtique ait, cogitet ea quæ securitatis sunt in hoc sæculo, vt sine grauioribus

S. Aug.

D molestiis tempus transigat: neque ad hoc diuisam dicit innuptam, & virginem ab ea quæ nupta est, id est distinctam atque discretam, vt innupta in hac vita secura sit propter temporales molestias euitandas, quibus nupta non caret: sed cogitat, inquit, quæ sunt Domini, &c vt sit sancta, &c. nisi fortè vsque adeò quis insipienter contentiosus est, vt conetur asserere non propter regnum cœlorum, &c. *Et cap. 24. vbi beatiores virgines & continentes dicit esse.* Itane tantâ dementiâ quisquam est contrarius veritati, vt carne factos Eunuchos, meliorem quàm coniugatos locum in domo Dei habere credat, & pio proposito continentes, corpus vsque ad contemptas nuptias castigantes, seipsos non in corpore, sed in ipsa concupiscentiæ radice castrantes, cœlestem & Angelicam

vitam in terrena mortalitate meditantes, coniugatorum meritis pares esse contendat? *Et paulò suprà ex Isa. 56. vbi ait se daturum Eunuchis in domo sua locum nominatum præ reliquis.* Cùm dicit, dabo eis locum multò meliorem, ostendit & coniugatis dari, sed multò inferiorem. EROGATOREM. *Patrem dantem nuptui filiam suam.* 1. *Cor.* 7. Qui matrimonio jungit virginem suam, benè facit, & qui non jungit, melius facit. FIDEM INGRESSA, *conuersa ad fidem, vel fidelitatem seruare volens vnico viro defuncto.* 1 *Cor.* 7. 40. Beatior autem erit, si sic permanserit secundùm meum consilium: puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam. *Vide suprà dicta numero* 1.

7. *Nuptias licet continentia superet, non tamen eas excludit Deus. 5. cont. Marc. cap. 15. à p.*

QVam [a] *sanctitatem nostram, voluntatem Dei* dicat, ex contrariis quæ prohibet, agnosceres. [b] *Abstinere*, inquit, *à stupro*, non à matrimonio. *Scire vnumquemque suum vas in honore tractare.* Quomodo? dum non in libidine quâ gentes. Libido autem nec apud gentes matrimonio adscribitur, sed extraordinariis, & non naturalibus & portentosis. Sanctitas, luxuriæ est turpitudini quoque, & immunditiæ contraria; quæ non matrimonium excludat, sed libidinem; quæ vas nostrum in honore matrimonij tractet. Hunc autem locum, salua alterius, id est, plenioris sanctitatis prælatione, tractauerim; continentiam & virginitatem nuptiis anteponens, sed non prohibitis. destructores enim Dei nuptiarum, non sectatores castitatis retundo.

a 1. Thess. 4. 3.
b ibid. 4.

NVPTIÆ QVATENVS BONÆ. 7. SCHOL.

SANCTITATEM NOSTRAM. 1. *Thess.* 4. 3. Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore; non in passione desiderij *Syr. concupiscentiæ* sicut gentes quæ ignorant Deum. *Aug. lib.* 1. *de Nuptiis & concupiscentia ad Valerium cap.* 8. *ex hoc loco plenè citato, sic concludit*, Non solum igitur coniugatus fidelis vase non vtatur alieno, quod faciunt, à quibus vxores alienæ appetuntur; sed nec ipsum proprium, in concupiscentiæ carnalis morbo possidendum sciat. Quod non sic accipiendum est, tanquam prohibuerit Apostolus coniugalem, hoc est, licitum honestumque concubitum: sed vt iste concubitus, qui nihil morbidæ libidinis haberet adiunctum, si non præcedente peccato, in eo perisset libertatis arbitrium: quod nunc habet adiunctum, non sit voluntatis, sed necessitatis; sine qua tamen in procreandis filiis ad fructum peruenire non potest ipsius voluntatis: quæ voluntas in connubiis fidelium non eo fine determinatur, vt transituri filij nascantur in sæculo isto, sed vt permansuri renascantur in Christo. Quod si prouenerit, merces erit de coniugio plenæ fœlicitatis: si autem non prouenerit, pax erit coniugibus bonæ voluntatis. Hac intentione cordis, qui suum vas possidet, id est coniugem suam, procul dubio non possidet in morbo desiderii, sicut gentes quæ ignorant Deum, sed in sanctificatione & honore, sicut fideles qui sperant in Deum. Illo quippe concupiscentiæ malo vtitur homo, non vincitur, quando eam inordinatis atque indecoris motibus æstuantem frænat & cohibet; neque nisi propagini consulens, relaxat atque adhibet, vt spiritaliter regenerandos, carnaliter gignat, non vt spiritum carni sordida seruitute subiiciat. Sic Patres Sanctos ex Abraham. & ante Abrahã, quibus Deus cum ei placuerint perhibet testimonium, vsos fuisse coniugibus, neminem oportet dubitare Christianum: quando quibusdam, etiam singulis, plures habere concessum est, vbi ratio fuit prolis multiplicandæ, non variandæ appetitio voluptatis. *Vide eundem Aug. in hunc locum Pauli lib. 4. cont. Iul. Pelag. c.* 10. *& ser. in Conuersione D. Pauli.* LIBIDO AVTEM, *nec ipsi Gentiles vsum matrimonij libidini imputant.* NON A MATRIMONIO, *quod horret Marcion.* PORTENTOSIS, *monstruosis, & contra naturam, carnis concubitibus.* HVNC LOCVM, *Pauli præfatum, absque præiudicio virginitatis, cœlibatus, & vidualis continentiæ, coniugali præferendæ me tractasse noueritis.* DESTRVCTORES, *Marcionitas.* DEI NVPTIARVM, *Dei Creatoris qui in paradiso nuptias instituit.* RETVNDO, *reprehendo, redarguo.*

S. Aug.

NVPTIÆ QVOMODO, QVANDO, CVM QVIBVS, ET VBI CONTRAHENDÆ.

1. *Nuptiæ solo oculo & consensu contrahuntur, vt patet in Rebecca. De vel. Virg. cap. 11. circa m.*

ET desponsatæ quidem habent exemplum Rebeccæ, quæ cum ad sponsum ignotum adhuc ignota perduceretur, simul ipsum cognouit esse, quem de longinquo prospexerat, non sustinuit dexteræ colluctationem, nec osculi congressionem, nec salutationis communicationem, sed confessa quod senserat, id est spiritu nuptam, negauit virginem velata ibidem. O mulierem jam, de Christi disciplina! Ostendit enim etiam nuptias de aspectu & animo fieri; quemadmodum stuprum. Nisi quod etiam Rebeccam quidam adhuc velant.

Gen. 24. 64.
Matth. 5. 28.

NVPTIÆ QVOMODO, QVANDO, &c. 1. SCHOL.

EXEMPLVM REBECCÆ. *Gen.* 24. 64. Rebecca quoque conspecto Isaac descendit de Camelo, & ait ad puerum *Eliezer* quis est ille homo qui venit per agrum in occursum nobis? dixitque ei: ipse est Dominus meus. At illa tollens cito pallium operuit se. 70. sumens theristrum. *velamen est vel vestis tenuis qua vtebantur mulieres Palæstinæ, sic dictum, vel quod ea οἱ θερισταί, id. messores vtebantur; vel quod ἐν θέρει, id. æstate portarent. Eadem voce apud 70. vtitur illa Virgo sponsa plusquam Salomonis Christi, Cantic. 5. vbi vulgata:* tulerunt pallium meum mihi custodes murorum. *Sic ipsi:* tulerunt theristrum meum a me. *Iam contra Episcopi vigiles Ecclesiæ virgines velant.* SIMVL IPSVM, *simul ac cognouit Rebecca suum esse sponsum.* NON SVSTINVIT, *non expectauit propiorem aduentum, vt per mutuam dexteræ expansionem ad amplexum, osculum, salutem, se eius sponsam esse declararet: sed jam apud parentes dato Eliezer procuratori consensu, vt primùm*

vidit Isaac, ad cuius domum noua nupta sine velo deducenda non erat, prius depositum fortè ad captandam auram, vt nupta sumpsit: QVOD SENSERAT, *id est ex motu & affectu coniugali, aliquo etiam in facie pudore suffusa, de veli testimonio se nuptam probauit, & negauit virginem, non copula adhuc carnali, sed affectu maritali, & sumpto mulieris insigni, scilicet velo. Hic porro sensus non sine aliqua libidine fuisse modestè notatur ab Authore, de quo Aug. lib. 14. de Ciuit. cap.* 19. Hoc

S. Aug. est quod pudet, hoc est quod intuentium oculos erubescendo deuitat. *Et to.* 10. *ser.* 8. *de ver. Apost. Frontem dicit sedem esse pudoris, vnde & statim operuit vultum pallio Rebecca. Quod si Augustinus lib.* 16. *de Ciuit. cap.* 36. *Isaac comparat patri Abrahæ, Rebeccam vocantem sororem suam, sicut Abraham dixerat Saram;*

S. Aug. Timuit sanè etiam ipse periculum de pulchritudine coniugis, cum habitaret inter alienos, fecitque quod pater, vt eam sororem diceret, taceret vxorem. Erat enim ei propinqua, & paterno, & materno sanguine: sed etiam ipsa ab alienigenis cognito quod vxor eius esset, mansit intacta. *Sic & ego dico Rebeccam velatam, modestiam Saræ præuenisse, cui Abimelech Rex Ægypti dixit Gen.* 19.16. Ecce mille argenteos dedi fratri tuo; hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, & quocumque perrexeris: mementoque te deprehensam. 70. Ecce dedi mille didrachmos fratri tuo. Hæc tibi erunt in pretium faciei tuæ, & omnibus qui tecum sunt: & omnia verè dicito. *Chald. autem*, dedi mille siclos argenti fratri tuo. Ecce illud est tibi velamen honoris, pro eo quod miserim tollere te, & viderim te, &c. SPIRITV NVPTAM; *id est consensu jam dato apud parentes Eliezer Paranympho. Neque enim juxta Iurisperitos*, nuptias concubitus, sed consensus facit. *Sensisse verò dixit, ex lege in membris, repugnante legi mentis; quam & Paulus Virgo sensit, non inde imminuta, sed potius in infirmitate perfecta virtute.* O MVLIEREM. *Ironicè magis crediderim hactenus locutum Tertullianum quàm serio,*

A *non quod velim factum risisse Rebeccæ prorsus excusabile in pudore, laudabile in veli sumptione. Sed mentem inspiciens authoris, qui toto hoc libro vult velari virgines, quas Paulus, vt probat, sub generali mulieris nomine omnem conditionem fœminei sexus concludente, velari præcepit, vult omnes virgines adhuc innuptas, statim atque annos pubertatis attigerint, & se ex motibus concupiscentiæ senserint nubiles, omninò velari.* DE CHRISTI DISCIPLINA, *jam in veteri Testamento Christi discipulam, eiusque doctrinam callentem. Vel ex doctrina Christi patet jam mulierem, quæ virum concupiscit, quod referendum ad id quod subiicit de stupro & adulterio; quod, sicut & nuptiæ intuitu & consensu, contrahitur, juxta verba Christi Matth.* 5. 28. qui viderit mulierem, &c.

B NISI QVOD ETIAM, &c. *Aduerte, dixisse Rebeccam jam mulierem, tum quod senserit motum & affectum nuptæ, tum quod Apostoli Christi Pauli præceptum præuertente, facta mulier ex consensu coniugij, intuitu & motu coniugali sponsi, maximè assumptione veli; jam autem subiicit,* nisi quod, &c. *id est certè, secundum eos qui non velant virgines, nec exemplum Rebeccæ in hoc admittunt, sed velant silentio, & dissimulant quod illa adhuc fecit dum occurrens Isaac se velauit. Vel dicunt eam tum juxta Christi & Apostoli sensum non reputandam virginem, quanquam adhuc intactam à viro, sed mulierem, id est nuptam fuisse, quæ proinde velata ad domum sponsi per Eliezer Paranymphum ducebatur. Quibus sic respondet Tertullianus, etiamnum suo tempore multos Doctores saniorus judicij sentire, tum verè adhuc incorruptam & vir-*

C *ginem Rebeccam hactenus velatam fuisse apud parentes, & eo in habitu aduectam ad virum: & eius exemplo, omnem Rebeccam (appellatiuè, & non propriè sumendo hoc nomen) id est virginem velandam esse. Quam nostram expositionem prorsus literalem, tam scopus authoris in hoc libro scribendo, quàm quæ sequuntur apertè conuincunt. Vbi probat, saltem sub tempus pubertatis jam muliebria omnia, virgines experiri, proindeque tanquam mulieres velari debere.*

2. *Nuptiarum & pubertatis Annus apud Ethnicos, fœminis quidem* 12. *masculis* 14. *censetur. De vel. Virg. cap.* 11. *in f.*

TEmpus etiam ethnici obseruant, vt ex lege naturæ jura sua ætatibus reddant. Nam feminas quidem à duodecim annis, masculum verò à duobus amplius ad negotia mittunt, pubertatem in annis, non sponsalibus aut nuptiis decernentes. Materfamiliæ vocatur licet virgo, & paterfamiliæ licet inuestis. A nobis nec naturalia obseruantur, quasi alius sit Deus naturæ quam noster.

NVPTIÆ, QVOMODO, QVANDO, &c. 2. SCHOL.

TEMPVS *scilicet pubertatis ex lege naturæ qua tum plenè rationales, & negotij capaces, maximè matrimonialis, indicantur,* IVRA ÆTATIBVS, *masculo & fœminæ vti iure suo permittunt. Ethnici ergo & Gentiles sola etiam lege naturæ ducti, id obseruant.* MITTVNT, *dant libertatem & quasi habenas libertatis dimittunt. Vel admittunt ad negotia, quia habiles iudicant. Negotia sunt, celebrare nuptias. l.* 3. *C.* quando tutores. *Testamentum facere l.* 4. *ff.* qui testamentum. *Testimonium dicere l.*19. *in f. de testibus. Torqueri l.*10. *de Quæst. obligari. l.* 3. *de Autor.* A DVODECIM ANNIS. *Aduerte primò pubertatem sumi pro emissione ipsa pubis siue lanuginis in pudendis.* 2°. *Ex Accursij sententia in l.* 1. *ff. de Nouat. §. in summa. instit. de obligat. quæ ex del. ff. pupillus & instit. de inutil. stip. Marem tum proximum pubertati dici, cùm dimidiatum annum supra decimum excessit, fœminam verò, qua nouem annos cum dimidio egressa est. Panorm. cap. continebatur. de despons. impub. quod in ea præsertim ætate soleat plerumque malitia tempus supplere. Cap.* 1. *de delictis puerorum. Quid quod & historia Salomonis, refert eum nondum de-*

D *cem annos natum, ex complexu nutricis Roboam genuisse. Vide Greg.* 4. *Dial. cap.* 19. *gloss. in summa* 20. *q.* 1. *Iustinianus autem titulo quibus modis jus patr. in. p. l. vltima. C. quando tut. esse desin. l.* 5. *ff. de Testam. &c.* Veteres quidem non solum ex annis, sed etiam ex habitu corporis in masculis æstimari volebant. Nostra autem constitutione promulgata pubertatem in masculis, decimumquartum annum completum illico initium accipere disposuimus: antiquitatis normam in fœminis benè positam in suo ordine relinquentes, vt post duodecim annos completos, viri potentes esse credantur. NON IN SPONSALIBVS, *id est Gentiles non attendunt, ad indicandam pubertatem, an filiæ sponsatæ sint, aut nuptæ; sed si dictos annos attigerint.* LICET VIRGO, *id est, quanquam adhuc innupta sit.* A NOBIS, *Christianis naturæ præcepta non seruantur.; quasi alius sit Deus noster, quam eiusdem naturæ author, cuius ductum & legem sequuntur Gentiles. Pudeat, eos filias suas hac ætate tractare vt puberes, licet adhuc innuptas; Nos verò, eadem ætate non velare eas, nisi fuerint nuptæ. Sic contra Deum agimus,*

qui contra natura sensum etiam Gentibus cognitum faci-mus. Hic, circa annum duodecimum, quo fœmina nubilis pubertatis iure fruitur, non præteribo insinuatum mihi ex Pauli & Augustini principiis, magnum in Christo & Ecclesia Sacramentum. Paulus se pro Christo legatione fungi testatus est, dum ait, de omnibus Ecclesiæ membris, in vno Ecclesiæ corpore, fidei integritate, virginibus; despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. *Duodennis erat Ecclesia, cum per duodecim Apostolos, ex quatuor mundi partibus, in fide Trinitatis cum Christo est maritata. Huius numeri perfectionem sæpius notauit Augustinus, maximè in titulum Psal. 59. in quo hæc verba inseruntur vbi de Dauid:* percussit Edom in valle Salinarum duodecim millia. *Sic ergo Aug.* Duodecim millia perfectus est numerus; cui perfecto numero etiam duodenarius Apostolorum numerus deputatur; non enim frustra, nisi quia per totum mundum mittendum erat Verbum; Verbum autem Dei quod est Christus, &c. duodenarium numerum ter quaterni faciunt: ad omnes istas quatuor partes missum est verbum, vt in Trinitate omnes vocarentur. Meritò ergo duodecim millia terrena *Edom enim significat terrenum percussum, vt viueret cœlestis, & qui portauerat imaginem terreni, portaret & cœlestis.* Totus mundus percussus est; de toto enim S. Aug.

A mundo electa est Ecclesia, mortificata à terrena vita. Quare in valle Salinarum? vallis humilitas est, salinæ saporem significant. *Sic commortua Christo Ecclesia, consepulta in baptismo, consuscitata in vitam cœlestem, quæ sursum sunt sapit; & de latere dormientis, id est mortui in cruce egressa, rupto Synagogæ repudiatæ ob duritiam cordis, velo; virgini suæ, & sponsa Ecclesia capiti velum sua potestatis, & dominationis vir Christus imposuit. Idem Aug. in Psal. 103. vbi de Petro Act. 10. cui vas plenum animalibus immundis, quatuor lineis submissum de cælo, tribus vicibus; quod quatuor partes orbis in fide Trinitatis per duodecim Apostolos baptizandas figurabat ad congregandam vnam Ecclesiam sponsam.* Quid est, inquit, mactare & manducare? *quod dictum est tunc Petro* occidere in eis quod erant, & in B sua viscera *sinum Ecclesiæ* assumere. Dissuasisti pagano Sacrilegia, occidisti quod erat: dato Sacramento Christi, *baptismo primùm; & per hoc, membrum Ecclesiæ,* incorporasti Ecclesiæ, manducasti. *Hoc posito, Ecclesia tota sponsa est, tota ergo velari debet; & si quæ pars eius, maximè virgines; quæ sunt optima portio Ecclesiæ, perfectius eius virginitatem exprimunt; & consequenter saltem ab anno duodecimo, in pubertate velari debent.* S. Aug.

3. *Nuptiis maturum tempus in occulto, cuique sexui dictat concupiscentia & lucta carnis. De Vel. Virg. cap. 11. in m.*

DE ceteris verò, id est, quæ desponsatæ non sunt, viderit parentum procrastinatio ex angustiis vel scrupulositate descendens, viderit & ipsum continentiæ votum. Nihil pertinet ad ætatem sua spatia currentem, suaque debita maturitati luentem. Alia in occulto mater, natura: & alius in latenti pater, tempus, filiam suam legibus suis maritarunt. Aspice nuptam jam illam tuam virginem, & animam expectatione, & carnem transfiguratione, cui tu secundum paras maritum. Iam & vox obsolefacta est, & membra completa sunt, & pudor vbique vestitur, & menses tributa dependunt: ac tu mulierem negas quam muliebria pati dicis.

NVPTIÆ QVOMODO, QVANDO. 3. SCHOL.

DE CÆTERIS, *adhuc virginibus needum desponsatis: viderint parentes cur eas velare differant. Siue sit res familiaris angustia, siue animus nimis anxius, in exquirendis à sponso, omnibus filiarum commodis nimia cura & præcautio; siue se excusent ab eis velandis, ob votum virginitatis, quod eas perpetuo à velo portando excusset. Hæ omnes excusationes & prætextus, nihil faciunt ad rem. Si enim velum solis nuptis dare volunt, & non virginibus; sciant eas in pubertate, jam natura, & concupiscentiæ legibus, nuptas. Neque enim dicti prætextus & moræ parentum, tempus pubertatis & annos nubiles remorantur. Iam maturæ sunt viris, iam debitam pœnam concupiscentiæ luunt. Nec te dicas patrem aut matrem: tempus enim & natura vice patris & matris funguntur, qui filiam suam suis legibus ex concupiscentia collocarunt.* TVAM VIRGINEM. *Ironicè, quam putas virginem, & quæ fortè jam desiderio nupta, fingit se velle virginem perseuerare.* ANIMAM EXPECTATIONE, *appetitu viri, quem ardenter expectat.* CARNEM TRANSFIGVRATIONE, *id est, mutatione, ob menstrua, lanuginosa pudenda, tumentiora vbera.* SECVNDVM. *Quia in te præuenit, alterius viri concupiscentia.* OBSOLEFACTA. *Id est non iam gracili & leni, vt antea, sed quasi seniori & grandiori. Plin. lib. 11. c. 51.* Vox roboratur in decimo quarto anno. MEMBRA COMPLETA, *vulua, & vbera.* PVDOR, *pudenda, vndique lanugine teguntur.* MENSES. *Menstrua.* DEPENDVNT *alij defendunt. Id est sibi debita afferunt, vel persoluunt.* AT TV, &c. *Et tamen tu post tanta testimonia muliebritatis, audes asserere filiam virginem, & te ab ea velanda excusare? hic aduerto contra hæreticos & votorum aduersarios, anti-*

C *quissimum eorum vsum, cuius hic meminit Tertullianus dum ait:* ipsum continentiæ votum. *Audiui & meis auribus viros cæteroqui doctos, & vota sub Augustino needum in vsu habita, contestantes, cum tamen multis in locis expressam eorum fecerit mentionem. Vnicum hic profero ex Psalmo 75. in versum:* vouete & reddite Domino Deo nostro. Quis, quod potest voueat, & reddat. Non voueatis & non reddatis. Sed quisque quod potest voueat & reddat. Non sitis pigri ad vouendum, non enim viribus vestris implebitis, deficietis si de vobis præsumitis: si autem de illo, cui vouetis, vouete, securi reddetis, &c. Alius vouet castitatem coniugalem, vt præter vxorem suam non nouerit aliam; sic & fœmina, &c. alij etiam vouent, & si experti tale coniugium, vltra nihil tale pati, &c. D & ipsi vouerunt aliquid maius quàm illi. Alij virginitatem ipsam ab ineunte ætate vouent, &c. & illi vouerunt plurimum, &c. alius vouet relinquere omnia sua, distribuenda pauperibus, & ire in communem vitam, in societatem Sanctorum, magnum votum vouit, &c. Nescio quæ castimonialis nubere voluit, quid voluit? quod & virgo quælibet. quid voluit? quod & mater ipsius. Aliquid mali voluit? mali planè. Quare? quia jam vouerat Domino Deo suo, &c. quid ait Paulus de quibusdam quæ vouerunt & non reddiderunt? habentes, inquit 1. *Tim.* 5. damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quid est, primam fidem irritam fecerunt. Vouerunt & non reddiderunt. Nemo ergo positus in Monasterio frater dicat, recedo de Monasterio, neque enim soli qui sunt in Monasterio peruenturi sunt in S. Aug

regnum cœlorum, &c. sed illi non vouerunt, tu vouisti, tu retro respexisti, &c. modo dicimus illud A quibusdam fratribus nostris quos fortè viderimus velut infirmari in bono proposito, &c.

4. *Et ibid. cap. 12. per totum.*

AGnosce & mulierem, agnosce & nuptam, de testimoniis & corporis & spiritus, quæ patitur & in conscientia & in carne. Hæ sunt tabellæ priores naturalium sponsalium & nuptiarum. Impone velamen extrinsecus, habenti tegumen intrinsecus. tegantur etiam superiora, cuius inferiora nuda non sunt. Vis scire quæ sit ætatis auctoritas? Propone vtramque, immaturè compressam in habitu mulieris, & quæ maturitate progressa in virginitate duret cum suo habitu, facilius illa mulier negabitur, quàm ista virgo credetur. Tanta est adeo fides ætatis, vt nec habitu obstrui possit. Quid quod etiam hæ nostræ etiam habitu mutationem ætatis confitentur, simulque se mulieres intellexerunt, de virginibus educantur, à capite quidem ipso deponentes quod fuerunt: vertunt capillum, & acu lasciuiore comam sibi inserunt, crinibus à fronte diuisis apertam professæ mulieritatem. Iam & consilium formæ à speculo petunt, & faciem morosiorem lauacro macerant, forsitan & aliquo eam medicamine interpolant, pallium extrinsecus jactant, calceum stipant multiformem, plus instrumenti ad balneas deferunt. Quid singula persequar? Sola autem manifesta paratura totam circumferunt mulieritatem. Sed virginari volunt sola capitis nuditate, vno habitu negantes quod toto suggestu profitentur.

NVPTIÆ QVOMODO QVANDO, &c. 4. SCHOL.

AGNOSCE MVLIEREM, *filiam tuam quam virginem putas.* DE TESTIMONIIS. *Ex duobus testibus, spiritu scilicet sine conscientia eius & carne, quæ jam recipit nuptarum affectus & passiones.* TABELLÆ PRIORES, *in quibus natura digito conuentiones & pacta sponsalitia & nuptialia conscribuntur. Hæc vox iuris. Tabulæ enim nuptiales à Tertulliano libro de pudicitia & Apol. & ab Augustino lib. 2. de moribus Manichæorum tabulę Matrimoniales vocantur. Et lib. 9. Confess. cap. 9. vbi de moribus sanctis matris Monicæ prudenter admonentis, viris iracundis cedendum esse:* S. Aug. hæc earum linguam veluti per jocum grauiter admonens, ex quo illas tabulas quæ matrimoniales vocantur, recitari audissent, tanquam instrumenta quibus ancillæ factæ essent, deputare debuissent: proinde memores conditionis, superbire aduersus Dominos non oportere. *Quam vocem Patres ex jure sumpserunt. l. 31. ff. de donat. & l. 9. c. de nuptiis.* HABENTI TEGVMEN. *Cum enim velamen sit signum exterius subiectionis dominationi viri, & interius in animo nuptias cogitent, & optent, jam in animo sunt velatæ.* NVDA NON SVNT *lanugine vestita.* AVTHORITAS, *ad probandum, in pubertate, etiam deposito velo, jam non esse virginem.* VTRAMQVE, *suppone duas, quarum vna sit ante pubertatem compressa, & cum velo mulieris & nupta; alteram retento virginis habitu, hoc est sine velo, in plena pubertate etiam compressam.* FACILIVS ILLA, *immaturè scilicet compressa, licet in habitu & velo nuptæ, facilius æstimabitur virgo, quam altera plenis annis nubilis compressa in habitu virginali & sine velo.* FIDES ÆTATIS. *Tantum ætati maturæ hac in causa creditur, vt ei credulitatem, habitus virginalis non detrahat.* HÆ NOSTRÆ. *Adolescentulæ Africanæ.* HABITV, *corporis mutato, maturitatem pubertatis testantur.* SIMVLQVE, *simul atque.* INTELLEXERVNT, *testimonium perhibente conscientia, quæ se muliebres affectus pati norunt.* EDVCANTVR, *primæ coniugationis pro* educuntur. *Egrediuntur iam ab ætate innocente & virginali, se subtrahunt, moribus virginum, & incipiunt à capite fasciolas virgineas cultumque simplicitatis deponere.* VERTVNT, *vel calamistro torquendo, &* acu lasciuiore *vt infra dicit, vel pigmentis mutant ex nigris in flauos & croceos.* LASCIVIORE. *Non jam ad scalpendum caput, sed ad capillos discriminandos, vnde dictum* discerniculum. *Quo & inseruntur, sine*

B *inseruntur alieni etiam capilli propriis comptiores.* PROFESSÆ MVLIERITATEM. *Lipsius lib. 3. Annal. Taciti, discernit innuptas cirrato capillo, ab nuptis, quorum erat coma diuisa. Lasciuiunt ergo acu discriminando crines, & quasi naturalis pudoris velamine excusso, jam apertè reuelant frontem, vt videantur ab hominibus.* MOROSIOREM, *minus tersam, quod satis citò oculos viri non alliciat. Vel plus moræ & temporis quàm antea ad cultum exigentem, aqua eam fucata diluunt & leuigant, & transfigurant.* PALLIVM, *prius modestè corpus tegens, retro flectunt.* STIPANT, *arctius stringunt, vel duplicant, vnum alteri inserendo.* MVLTIFORMEM. *Ob lunulas, margaritas, varios colores.* INSTRVMENTI, *apparatus & supellectilis vnguentorum, vasorum, mundi muliebris, &c.*

C SOLA AVTEM. *Alij legunt* solemnem manifestæ paraturæ, totam circumferunt mulieritatem. *Hi omnes apparatus jam nuptam buccinant & prædicant.* VIRGINARI VOLVNT. *Haberi tanquam virgines, virginum gaudere priuilegio, libero capite & sine velo procedere, & hac nota se à nuptis & corruptis discernere.* VNO HABITV. *Scilicet capite reuelato, negant se esse mulieres, quod tamen reliquo toto apparatu muliebri testantur. Huic porro verbo*, virginari, *contrarium est*, deuirginari, *quo vsus est Paulus Iurisconsultus l. vlt. de officio Præsidis:* Præses cùm cognoscat de seruo corrupto, vel ancilla deuirginata. *Id est deflorata & constuprata:* cui, vitio oblato, virginitas erepta fuit: *vt ait Beroaldus 3. Coment. ad fin. Petronius item Arbiter:* cur, inquit, non deuirginatur Panichidis nostra? *Hiero. in lib. de Monog. cp. 25.* In Ægypto primùm deuirginata est, & ibi

D fractæ sunt mammæ eius. *Aduertat Lector, Patrum pudicitiam in scribendis istis. Sic Aug. lib. 14. de Ciuit. cap. 23.* Quisquis ad has literas impudicus, accedit, culpam refugiat, non naturam: facta denotet suæ turpitudinis, non verba nostræ necessitatis, &c. in quibus mihi facillimè pudicus & religiosus lector vel auditor ignoscit, &c. legit enim hæc sine offensione, qui non exhorret Apostolum horrenda fœminarum flagitia reprehendentem, &c. Præcipuè quia nos non damnabilem obscœnitatem nunc, sicut ille, commemoramus atque reprehendimus; sed in explicandis, quantum possumus humanæ generationis affectibus, verba tamen, sicut ille, obscœna deuitamus. S. Aug.

NVPTIÆ

NVPTIÆ CVM INFIDELI PROHIBITÆ.

1. *Non nubere omninò, consilij est; in Domino autem nubere, præcepti.*
2. ad vxor. cap. 3. à med. ad fi.

ITaque mihi confusus est animus, ne qui nuper te ad vniuiratus, & viduitatis perseuerantiam hortatus sum: nunc mentione nuptiarum, procliuium tibi cadendi, ablationem faciam. Quòd si integrè sapis, certè istud seruandum ibi esse, quod sit vtilius. Quod verò difficile est, & non sine necessitatibus, hoc maximum propositum vitæ, subresedi. Nec mihi de isto quoque referendi ad te causæ fuissent, nisi grauiorem in ea solicitudinem comprehendissem. Nam quantò grandis est continentia carnis quæ viduitati ministrat, tantò si non sustineatur, ignoscibile videri potest. Difficilium enim facilis est venia. Quantò autem [a] *nubere in Domino* perpetrabile est, vti nostræ potestatis, tantò culpabilius est non obseruare quod possis. Eò accedit, quod Apostolus de viduis quidem & innuptis, vt ita permaneant suadet, cùm dicit [b] *Cupio autem omnes meo exemplo perseuerare*: de nubendo verò in Domino, cùm dicit, [c] *tantùm in Domino*, iam non suadet, sed exertè iubet. Igitur in ista maximè specie, nisi obsequimur, periclitamur. Quia suasum impunè quis negligat, quàm iussum: quòd illud de consilio veniat, & voluntati proponatur: hoc autem de potestate descendat, & necessitati obligetur: illic libertas, hîc contumacia delinquere videatur.

a 1. Cor. 7. 39.
b Ibid. 7.
c Ibid. 39.

NVPTIÆ CVM INFIDELI PROHIBITÆ. 1. SCHOL.

CONFVSVS. *Dubius hæreo, ne dum nuper præcedenti libro hortatus sum ad viduitatem perpetuò seruandam, auferens te & abstrahens prorsus à secundis nuptiis, eo ipso quod in vetitum nitimur, viam tibi parem ad nuptias secundas post obitum meum, dum mentionem hic facio licentiæ datæ à Paulo, modò contrahas cum fideli.* IBI ESSE. *id est, in tali casu, si prior excessero. Alij legunt* tibi esse. SVBRESEDI, *supersedi, distuli dicere tibi, continentiæ vidualis propositum præ cæteris arduum, & multis necessitatibus obnoxium.* PROCLIVIVM. *Pamelius legit:* Procliuum tibi labendi ab altioribus faciam. HOC MAXIMVM. *Aliter Pamelius:* Et hoc maximum propositum vitæ supremi præsidij, id est, summo præsidio, & custodia opus habet tantum propositum continentiæ vidualis. GRANDIS, *excellentis meritis, castitas quam vidua seruat, quæ viduarum statum honorat.* NON SVSTINEATVR, *an quasi difficile & graue pondus, quòd sit onerosior continentia vidua assueta coniugij deliciis? an quia Salomon ait,* Non est digna ponderatio continentis animæ? NVBERE IN DOMINO. *Intellige nuptias contrahere cum fideli, in facie Ecclesiæ, ad prolem suscipiendam.* PERPETRABILE. *Fieri potest, licitum est.* CVPIO OMNES. *Vide dicta V. Nuptiæ quatenus bonæ. Num. 4.* TANTVM IN DOMINO. 1. *Cor.* 7. 39. Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit; quòd si dormierit vir eius, liberata est: cui vult nubat, tantùm in Domino. EXERTE *apertè præcipit.* SPECIE, *conditione nuptiarum, vt scilicet cum fideli contrahantur. D. Thomas in 1. Cor. 7. hunc locum exponens iuxta D. Augustinum:* Si dormierit, somno mortis, &c. non dicit, primus, secundus, vel tertius, vel quartus, vel quousque licet, nec nobis definiendum est, quod non definit Apostolus. Vnde nec vllas nuptias debeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis afferre. Si, inquam, dormierit, liberata est à lege viri, vnde permittitur ei nubere. Hinc patet, quòd resurgenti non tenetur copulari, sed cui vult nubat. Inuitæ enim nuptiæ solent habere malos prouentus. Ideò dicitur Gen. 24. Vocemus puellam *Rebeccam*, & quæramus voluntatem eius. Nubat, inquit, tantùm in Domino, id est, viro suæ Religionis. Nam in dispari cultu prohibitum est in lege matrimonium. Deut. 7. *Hactenus D. Thomas.* SVASVM, &c. *reliquum habes iam expositum V. Mandatum. num. 4.*

2. *Nubere non licet nisi cum fideli, siue in Domino, iuxta vtramque legem.*
De Monog. cap. 7 à m.

NVptura, [a] *in Domino*: habet nubere, id est, non ethnico, sed fratri; quia & vetus lex adimit coniugium allophylorum. Cùm autem & in Leuitico cautum sit. [b] *Quicumque sumpserit fratris vxorem, immunditia est; turpitudo, sine liberis morientur*; sine dubio dum ille prohibetur denuo nubere, & illa prohibetur, non habens nubere nisi fratri.

a 1. Cor. 7. 39. Exod. 34. 16.
b Leuit. 20. 21.

3. *Et 5. cont. Marc. cap. 7. circa med.*

CErtè præscribens, [a] *Tantùm in Domino esse nubendum*, ne qui fidelis Ethnicum matrimonium contrahat, legem tuetur Creatoris, allophylorum nuptias vbique prohibentis.

a 1. Cor. 7. 39. Deut. 7. 3.

NVPTIÆ CVM INFIDELI PROHIBITÆ, 2. & 3. SCHOL.

LEX VETVS, *Exod.* 34. 16. Nec vxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis: ne posteaquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in Deos suos. *quid sit fornicari explicat translatio Chald.* Errabunt filiæ suæ post idola sua, & errare faciant filios tuos post idola sua. *Aug. l.* 1. *de adulter. coniug. cap.* 18. Si, inquit, propter fornicationem carnis. permittitur homo à coniuge separari: quantò magis in coniuge mentis fornicatio detestanda est, id est, infidelitas, de qua scriptum est Psal. 72. quoniam ecce qui longè se faciunt à te peribunt, perdidisti omnem qui fornicatur abs te, &c. Sic recedere ab infidelibus vxoribus vel maritis fideles viri vel fœminæ non prohibentur à Domino, vt neque iubeantur. Nam si dimittere tales coniuges iuberentur, nullus esset locus consilio monentis Apostoli, ne hoc fieret. Nullo modo enim quod Dominus iubet, seruus bonus fieri prohiberet. Namque hoc Dominus aliquando per Esdram Prophetam fieri iussit, 1. *Esdræ* 10. Et factum est, dimiserunt Israelitæ vxores alienigenas, quicumque tunc habere potuerunt, per quas fiebat, vt & ipsi ad alienos seducerentur Deos, non vt illæ per maritos vero acquirerẽtur Deo. Nondum enim tanta gratia Saluatoris illuxerat, & promissis temporalibus veteris Testamenti adhuc inhiabat illius populi multitudo. Et propterea cùm bona terrena, quæ pro magno expectabant à Domino, viderent etiam his abundare qui multos falsos colebant Deos, blanditiis vxorum primus eos reuerebantur offendere, deinde inducebantur & colere. Vnde iusserat Dominus per sanctum Moysem, *Deut.* 7. 3. Ne quis vxorem alienigenam duceret. Meritò ergo quas duxerant Domino prohibente, Domimino iubente dimiserunt. Cùm verò cœpisset gentibus Euangelium prædicari, iam cõiunctos gentiles gentilibus comperit coniuges. Ex quibus si non ambo crederent, sed vnus, aut vna infidelis cum fideli A consentiret habitare, nec prohiberi à Domino debuit fidelis infidelem dimittere, nec iuberi. Ideò scilicet non prohiberi, quia iustitia permittit à fornicante discedere, & infidelis hominis fornicatio est maior in corde: nec vera eius pudicitia cum coniuge dici potest, *id est, integra & perfecta, tam animæ quàm carnis, & secundum Deum meritoria*: quia omne quod non est ex fide peccatum est: *non quòd fidem seruare coniugi peccatum sit, ex officio & genere suo, sed quòd multis imperfectionibus, vanitate, & amore proprio permixta sint, vt alibi fusiùs diximus, virtutes infidelium:* quamuis veram fidelis habeat pudicitiam etiam cum infideli coniuge, quæ non habet veram. Ideò nec iuberi debuerunt, fideles ab infidelibus separari, B quia non contra iussionem Domini gentiles fuerunt ambo coniuncti. ALLOPHYLORVM, *alienigenarum.* CAVTVM SIT, *vetitum. Leuit.* 20. 21. Qui duxerit vxorem fratris sui, rem facit illicitam, turpitudinem fratris sui reuelauit: absque liberis erunt, 70. Quicumque acceperit vxorem fratris sui: immunditia est, &c. sine filiis morientur. *Quod intelligendum est, dum frater viuit adhuc, vel dum liberos reliquit mortuus: Nam alias ex lege Deut.* 25. *sine liberis functo, ex ducta vidua eius, debebat semen suscitare fratri.* NON HABENS, *non debens.*

3. *Huic ob breuitatem Scholio secundo iungo istud tertium.* ETHNICVM MATRIMONIVM, *cum gentili initum.* LEGEM TVETVR. *Paulus contra Marcionem probat bonam esse legem veterem, & se Apostolum esse* C *Christi filij Dei Creatoris, qui vbique in lege veteri huiusmodi connubia prohibet. Sicut loco præcitato ab Augustino Deut.* 7. 3. Neque sociabis cum eis coniugia: 70. *neque contrahetis affinitatem cum eis.* filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo: quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & vt magis seruiat Diis alienis, irascetúrque furor Domini, & delebit te citò.

4. *Nubere non licet cum infideli ob coronas nuptorum ab idolis sumptas.*
De coro. cap. 13. *à princ.*

Gen. 24. 3 a 1. Cor, 7. 39. COronant & nuptiæ sponsos. Ideo non nubamus ethnicis: ne nos ad idololatriam vsque deducant, à qua apud illos nuptiæ incipiunt. habes legem à Patriarchis quidem, habes Apostolum [a] *in Domino nubere*, iubentem.

NVPTIÆ CVM INFIDELI. 4. SCHOL.

CORONANT ET NVPTIÆ. *Alexander ab Alexandro lib.* 2. *genial. dier. cap.* 5, *sponsus expectans nouam nuptam domi, magno apparatu ianuam coronare, & lauro exornare solebat. Nupta verò ad virum procedens, priùs ex Verbena Veneri sacra, aliisque herbis & floribus à se collectis coronam contextam deferebat.* NVPTIÆ INCIPIVNT. *Augustinus libro* 6. *de Ciuit. cap.* 9. *non solùm stultam, sed & obscœnam gentilium nuptiarum ceremoniam multiplicem carpit.* S. Aug. Cùm mas & fœmina coniunguntur, adhibetur Deus Iugatinus. Sit hoc ferendum, sed domum est ducenda quæ nubit, adhibetur Deus Domiducus, vt in domo sit, adhibetur Deus Domitius; vt maneat cum viro, additur Dea Manturna. Quid vltrà quæritur? parcatur humanæ verecundiæ: peragat cætera concupiscen- D tia carnis & sanguinis, procurato secreto pudoris. Quid impletur cubiculum turba numinum, quando & paranymphi inde discedunt? & ad hoc impletur, non vt eorum præsentia cogitata maior sit cura pudicitiæ, sed vt fœminæ sexu infirmæ nouitate pauidæ, illis cooperantibus sine vlla difficultate virginitas auferatur. A PATRIARCHIS, *Abraham scilicet Genes.* 24. *prohibente, ne Eliezer accipiat vxorem filio suo de filiabus Chanaam. Quod & Genesis* 28. *Isaac Patriarcha inculcauit filio suo Iacob. Sic enim versu* 1. Vocauit Isaac Iacob & benedixit eum, præcepitque ei dicens. Noli accipere coniugem de genere Chanaan, sed vade & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, ad domum Bathuel patris matris tuæ, & accipe tibi inde vxorem de filiabus Laban auunculi tui.

5. *Nupta infideli, prophanis eius cærimoniis læditur 2. ad vxo. cap. 6. per totum.*

MOratur Dei ancilla cum* Laribus alienis, & inter illos omnibus nominibus dæmonum, omnibus solemnibus regũ, incipiente anno, incipiẽte mense, nidore thuris agitabitur; & procedit de ianua laureata & lucernata, vt de nouo consistorio libidinũ publicarũ. discumbet cum marito in sodalitiis, sæpe in popinis: & ministrabit nonnunquam iniquis, solita quondam sanctis ministrare. & non hinc præiudicium damnationis suæ agnoscet, eos obseruans, [a] *quos erat iudicatura?* Cuius manum desiderabit? de cuius poculo participabit? Quid maritus suus illi, vel marito quid illa cantabit? Audiat sanè, audiat aliquid de scena, de taberna, de ganea. Quæ Dei mentio? quæ Christi inuocatio? vbi fomenta fidei de Scripturarum interiectione? vbi spiritus? vbi refrigerium? vbi diuina benedictio? Omnia extranea, omnia inimica, omnia damnata, adterendæ saluti à Malo immissa.

* laboribus

a 1. Cor. 6. 3.

NVPTIÆ CVM INFIDELI. 5. SCHOL.

S. Aug. CVM LARIBVS. *Gentilibus Diis domesticis August. lib. 9. de Ciuit. cap. 11. Sic de Plotini Platonici opinionibus:* Dicit & animas hominum dæmones esse, *post mortem*, & ex hominibus fieri Lares, si meriti boni sunt: Lemures seu Laruas, si mali. *Ex Aristocrate interprete Aristophanis, Diis Laribus primitias fructuum & vuarum sacrificabant. Lemuria autem festa Lemuribus sacra, dum mense Maio celebrabantur, templa omnia claudebantur, vnde hoc mense nuptiæ omnes infaustæ credebantur.* OMNIBVS NOMINIBVS DÆMONVM. *Alij legunt* honoribus, *id est, sacris & festis dæmonum.*

S. Aug. *Aug. lib. 6. de Ciuit. cap. 7.* Cur Forculus, qui foribus præest, & Limentinus qui limini, Dij sunt masculi, atque inter hos Cardea fœmina est, quæ cardines seruat, &c. *Et cap. 9.* Adest Dea Virginensis, &

S. Aug. Deus pater Subigus, & Dea mater Prema, & Dea Partunda, & Venus*, & Priapus. Quid est hoc? si omninò laborantem in illo opere ab Diis adiuuari oportebat, non sufficiebat aliquis vnus, aut aliqua vna? Nunquid Venus sola parum esset, quæ ob hoc etiam dicitur nuncupata, quòd sine eius vi fœmina virgo esse non desinat? si vlla est frons in hominibus, quæ non est in numinibus, &c. *Et post multa sic concludit de arte dæmonum, hanc religionem impuram diligentium.*

S. Aug. Quam ipsi Dij tanquam in eodem speculo se intuentes diligunt, &c. Vnde etiam cultores suos terribilibus imperiis compulerunt, vt immunditiam Theologiæ fabulosæ sibi dicarent, in suis solemnitatibus ponerent, in rebus diuinis haberent: atq; ita & seipsos, immundissimos spiritus manifestiùs esse docuerunt. SOLEMNIBVS REGVM. *Natalibus, inaugurationis anniuersariis, victoriis.* INCIPIENTE ANNO, *Calendis Ianuariis, & aliorum mensium.* AGITABITVR. *Odore enim thuris plerumque turbantur & læduntur fœminæ, vel offenditur scandalo Idololatriæ,* ET PROCEDIT, *Et de domo sua priuata, laureis & lucernis præ foribus his diebus paratis, egreditur quasi de templo, vbi publica Idololatriæ fornicatio frequentatur. Sic enim vsu Scripturæ Idololatria fornicatio vocitatur. Vel, quod lucernis & laureis etiam ianuæ prostibulorũ ornarentur à meretricibus, ad polliciendos iuuenes. Et Tertull. de spectac. cap. 7. dixit,* Priuatum consistorium impudicitiæ. *Isidorus autem vocat* Prostibula, quod ante stabulum stant quæstus diurni ac nocturni gratiâ, SODALITIIS, *Colliga diceret Cyprianus & sodales. Quintilianus, conuiuantes, in cœtibus solemnium, Deorum vel Cæsarum* MINISTRABIT, *frequenter parabit mensam infidelibus, quæ Christianis antè solebat ministrare, sicut Christo & Apostolis mulieres deuotæ.* EOS OBSERVANS, *Dæmones Deos Gentilium colens, & ipsos Gentiles,* IVDICATVRA, *iuxta Paulum:* Nescitis quia Angelos iudicabimus, quantò magis sæcularia? *per sæculum autem sæpius Tertullianus populum Gentilem intellexit.* DESIDERABIT? *Cùm prius illa de mensa Domini panem Eucharisticum de manu Sacerdotis, & calicem Domini de manu Diaconi receperit, quomodo poterit manum viri gentilis sibi cibum porrigentem ex Idolothyto, & de poculo sacrificij prophani, ore sacrilego prægustatum sumere, contra Paulum particeps mensæ Christi & dæmoniorum? Ita enim de corona militis cap. 3.* Sacramentum Eucharistiæ non nisi de manu præsidentis sumimus. *Alij legunt:* de cuius manu desiderabit? DE SCENA: *Vbi turpia facta Deorum cantitantur pro Psalmodia Ecclesiæ. Alij legunt,* Dei cœna de taberna, de gehenna. *id est, quæ Dominicæ cœnæ interfuit, & audiuit in Ecclesia cantica spiritalia (quibus Augustinus affectum se vehementer dixit in suauesonantis Ecclesiæ vocibus) cantilenas ebriesorum, & blasphemias damnatorum, audire poterit?* INVOCATIO, *in introitu mensæ.* FOMENTA FIDEI. *Nil enim sic fouet fidem quam lectio Scripturæ. Si enim fides ex auditu per verbum Dei producitur, eodem verbo fouetur & nutritur. Talis mensa Augustini quam ex Possidio, semper sacrarum Scripturarum lectione condiebat.* SPIRITVS REFRIGERIVM. *In oratione. de qua Psaltes,* Os meum aperui, & attraxi spiritum. BENEDICTIO. *Gratiarum actio post cœnam. Sunt & graues authores qui hic ad literam opponant solemnia & sacrificia Gentilium, solemni cœtui & sacrificio Christianorum, vt hæc benedictio diuina, sit Eucharistiæ; quam de manu Sacerdotis, in templo prophano, frustra desiderabit, coacta illud frequentare à marito gentili, vbi pro Scriptura, oratione, hymnis, Psalmis, omnia contraria audiat euertenda saluti propria, & à Malo id est Diabolo introducta.*

S. Aug.

S. Aug.

6. *Nuptiæ cum infideli, carnem sanctam maculant, & fidei, eiusque actibus, Christianæque conuersationi repugnant; mysteria sacra ludibrio Gentilis, & bona ac vitam exponunt periculo. 2. ad Vxo. cap. 3. 4. & 5. per tota.*

HÆc cùm ita sint, fideles Gentiliũ matrimonia subeuntes, stupri reos esse constat, & arcendos ab omni communicatione fraternitatis, ex literis Apostoli dicentis, [a] *Cùm eiusmodi nec cibum quidem sumendum.* Aut, nunquid tabulas nuptiales die illo apud tribunal Domini proferemus? & allegabimus quod vetuit ipse? Non adulteriũ est quod prohibitum est? non stuprum est? Extranei hominis admissio minus templum Dei violat? minus membra Christi cum membris adulteræ commiscet? Quod sciam, non sumus nostri, sed

a 1. Cor. 5. 11.

1. Cor. 3. 16. 17.

a 1. Cor. 6. 15. 19. pretio empti: & quali pretio? sanguine Dei. Lædentes igitur carnem istam, eum lædimus de proximo. Quid sibi voluit ille qui dixit, delictum quidem esse extraneo nubere, sed minimum, cùm aliàs sepositâ carnis iniuriâ ad Dominum pertinentis, omne delictum voluntarium in Domino grande sit? Quantò enim potestas vitandi fuit, tantò contumaciæ crimine oneratur. Recenseamus nunc cetera pericula aut vulnera, vt dixi, fidei ab Apostolo prouisa, non carni tantùm, verùm etiam ipsi spiritui molestissima. Quis enim dubitet obliterari quotidie fidem commercio infideli? [b] *Bonos corrumpunt mores confabulationes malæ*: quantò magis & conuictus, & indiuiduus vsus? Quæuis mulier fidelis Deum obseruet necesse est. Et quomodo, [c] *potest duobus dominis deseruire*, Domino, & marito, adde Gentili? Gentilem enim obseruando gentilia exhibebit, formam, extructionem, munditias seculares, blanditias turpiores, ipsa etiam matrimonij secreta maculosa; non vt penes sanctos officia sexus, cum honore ipsius necessitatis, tanquam sub oculis Dei modestè & moderatè transigantur. Sed viderit qualiter viro officia pendat. Domino certè non potest pro disciplina satisfacere, habens in latere diaboli seruum, procuratorem domini sui, ad impedienda fidelium studia & officia; vt si statio facienda est, maritus de die condicat ad balneas: si ieiunia obseruanda sunt, maritus eadem die conuiuium exerceat: si procedendum erit, nunquam magis familiæ occupatio obueniat. Quis autem sinat coniugem suam visitandorum fratrum gratiâ, vicatim aliena & quidem pauperiora quæque tuguria circuire? Quis nocturnis conuocationibus, si ita oportuerit, à latere suo adimi libenter feret? Quis denique solemnibus Paschæ abnoctantem securus sustinebit? Quis ad conuiuium illud Dominicum, quod infamant, sine sua suspicione dimittet? Quis in carcerem ad osculanda vincula martyris reptare patietur? Iam verò alicui fratrum ad osculum conuenire? aquam sanctorum pedibus offerre? de cibo, de poculo inuadere; desiderare, in mente habere? Si pereger frater adueniat, quod in aliena domo hospitium? Si cui largiendum erit, horreum, proma, præclusa sunt. Sed aliquis sustinet nostra, nec obstrepit. Hoc est igitur delictum, quod Gentiles nostra nouerunt, quod sub conscientia iniustorum sumus, quod beneficium eorum est, si quid operamur. Non potest nescire, qui sustinet: aut si celatur quia non sustinet, timetur. Cùm autem Scriptura vtrumque mandet, & sine alterius conscientia, & sine nostra pressura operari Domino: nihil interest in qua parte delinquas; aut in conscientiam mariti, si sit patiens: aut in conflictationem tui, dum vitatur impatiens. [d] *Nolite*, inquit, *margaritas vestras porcis iactare, ne conculcent eas, & conuersi vos quoque euertant*. Margaritæ vestræ sunt, etiam quotidianæ conuersationis insignia. Quantò curaueris ea occultare, tantò suspectiora feceris, & magis captanda Gentili curiositati. Latebisne tu, cùm lectulum, cum corpusculum tuum signas; cùm aliquid immundum flantis explodis, cùm etiam per noctem exurgis oratum? & non magiæ aliquid videberis operari? non sciet maritus quid secretò ante omnem cibum gustes? & si scierit panem, non illum credit esse qui dicitur? Et hæc, ignorans quisque rationem, simpliciter sustinebit? sine gemitu? sine suspicione panis an veneni? Sustinent quidam, sed vt inculcent, vt inludant huiusmodi feminis quarum arcana in periculum quod credunt, reseruent, si fortè lædantur. Sustinent, quarum dotes, subiectione nominis, mercedem silentij faciant. scilicet apud arbitrum speculatorem litigaturi. Quod pleræque non prouidentes, aut re excruciata, aut fide perdita recognoscere consuerunt.

Margin notes: b 1. Cor. 15. 33. — c Matth. 6. 24. — Cap. IV. (at "deratè transigantur") — Cap. V. (at "horreum, proma") — 2. Cor. 6. 3. 14. & seq. — d Matth. 7.

NVPTIÆ CVM INFIDELI. 6. SCHOL.

STVPRI REOS. *Hic stuprum sumit generaliter pro actu libidinoso. vel si propriè sumat, quod fit cum virgine aut vidua; cùm caro fidelis, & vidua sit defuncto viro Christo pro se mortuo, & virgo, in quantum membrum est Ecclesiæ virginis, stuprum committit, qui cum infideli iungitur. Hinc Hieronym. lib. 1. contra Iouinianũ.* Nunc pleræq; contemnentes Apostoli iussionem iunguntur gentilibus, & templa Christi Idolis prostituunt, nec intelligunt se corporis eius esse partem, cuius & costæ sunt. COMMVNICATIONE, *Ecclesiæ communione.* APOSTOLI DICENTIS, 1. *Cor.* 5. 11. Scripsi vobis non commisceri: si is qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut Idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cùm eiusmodi nec cibum sumere. *Syr.* Ne panis quidem comedendus est. TABVLAS NVPTIALES. *Vide dicta V. Nuptiæ quomodo. numero* 4. DIE ILLO, *Iudicij.* QVOD PROHIBITVM EST? *Imò grauius ob strictiorem cum Christo incarnato carnis nostræ coniunctionem.* EXTRANEI, *viri gentilis.* NON SVMVS NOSTRI. 1. *Cor.* 6. 15. Nescitisquoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno Glorificate & portate Deum in corpore vestro. *Syr.* Non estis vestri iuris? Empti enim estis pretio. Glorificate itaque Deum corpore vestro, & spiritu vestro, quæ quidem sunt Dei. *Aug. ser. 18. de ver. Apost. in p. vbi hunc locum Pauli tractat, ex professo.* S. Aug. Corpora ergo nostra membra Christi esse dixit, quoniam Christus caput nostrum est, eo quòd homo factus est propter nos, caput de quo dictum est, ipse Saluator corporis nostri, corpus autem eius Ecclesia est. Si ergo Dominus noster Iesus Christus tantummodo animam humanam susciperet, membra eius, non essent, nisi animæ nostræ: quia verò & corpus

suscepit, per quod etiam caput est nobis, qui ex anima & corpore constamus, profectò illius membra sunt & corpora nostra. Si ergo vnusquisque cupiens fornicari vilescat sibi, & in seipso contemnat seipsum; saltem non in se contemnat Christum. Non dicat, faciam; nihil sum: omnis caro fœnum: sed corpus tuum membrum est Christi. Quò ibas? redi. Quò te præcipitare cupiebas? parce in te Christo, agnosce in te Christum. Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? meretrix est enim quæ tibi in adulterium consentit, &c. Inuicem in vobis contemnitis Christum, nec agnoscitis Dominum vestrum, nec cogitatis pretium vestrum. Qualis autem ille Dominus qui saluos suos fecit fratres suos? sed parum erat fratres suos, nisi faceret membra sua. Itane tanta dignitas viluit, quia tam benignè præstita est, non honor ei retribuitur? si non præstaretur, desideraretur; quia præstita est, contemnitur, &c. propter corpus Christi, corpora nostra membra sunt Christi; propter inhabitantem Spiritum Christi corpora nostra sunt templum Spiritus sancti. Quid horum in te contemnis? Christum cuius membrum es, an Spiritum sanctum cuius templum es? &c. defers honorem cubiculo vxoris tuæ, & non defers templo Dei tui? non introducis impudicam vbi dormis cum coniuge tua; & tu ipse is ad impudicam cum sis templum Dei? puto quia melius est templum Dei, quam cubiculum vxoris tuæ. Quocumque enim ieris Iesus videt te; qui fecit te, & perditum redemit te, & pro mortuo mortuus est pro te. Tu te non cognoscis, sed ille à te oculos non auertit, non ad adiuuandum, sed ad puniendum.

Sed expressius ad mentem Tertulliani, to. 4. lib. de S. Aug. *Fide & operibus cap. 19. ex epistola Cypriani de Lapsis,* cùm, inquit, illud non taceat & ad eosdem mores malos pertinere confirmet, iungere cum infidelibus vincula matrimonij, nihil aliud esse asserens, quàm prostituere gentibus membra Christi; quæ nostris temporibus jam non putantur esse peccata; quoniam reverà in nouo Testamento nihil inde præceptum est, & ideo aut licere creditum est, aut velut dubium derelictum est. DE PROXIMO, *ut caput nostrum.* QVID VOLVIT ILLE. *Nescio quis tempore Tertulliani fatebatur quidem peccatum esse, cum infideli nubere; sed veniale & minimum.* IN DOMINO, *secundum Deum.* PROVISA, *quæ Apostolus prævidit, dum prohibuit nubere nisi in Domino.* BONOS CORRVMPVNT. *1. Cor. 15. 33.* Nolite seduci: corrumpunt mores bonos colloquia mala. *Syr.* Mores benignos colloquia praua. DEVM OBSERVET, *colat, Deo seruiat.* ADDE GENTILI. *Quod nisi adderet, frustrà Christi sententiam proferret. Aliàs enim tanquam Domino legitimo vxor à Deo subiecta est viro.* FORMAM, *corporis cultum politiorem.* MVNDITIAS SÆCVLARES. *Mundum muliebrem & apparatum gentilibus proprium.* SECRETA MACVLOSA *peccata carnis contra naturam, in præpostera Venere.* PENES SANCTOS, *apud Christianos coniuges.* OFFICIA SEXVS, *debitum coniugale naturali & honesto modo.* NECESSITATIS. *Cum respectu & reuerentia ad vitandam fornicationem, prolem generandam, iustitiam coniugalem seruandam.* OFFICIA PENDAT, *debitam vel exactam in omnibus obedientiam præstet.* PRO DISCIPLINA, *vsu Christiano & secundum doctrinam & morem fidelium.* DOMINI SVI, *diaboli, cui seruit idololatra.* SI STATIO, *diurna vigilia tempore solemnis ieiunij. Vigilia autem solùm de nocte fiebat, Statio de die, ieiunium aliquando & nocte & die.* CONDICAT *det assignationem vxori vt secum veniat ad balneas, quarum deliciæ contrariæ sunt austeritati Stationum, & orationum.* SI PROCEDENDVM, *si processiones solemnes fiant quæ ex Baronio to. 1. Annal. postea dictæ sunt Litaniæ.* VISITANDORVM FRATRVM, *Christianorum infirmorum.*

A NOCTVRNIS CONVOCATIONIBVS. *Ex eodem Baronio sic dictæ quod in Ecclesiam conuocarentur oratum.* ADIMI, *alij eximi id est exire è lecto viri.* ABNOCTANTEM, *nocte vigiliæ Paschæ alibi quàm domi pernoctantem.* CONVIVIVM DOMINICVM, *id est Missam & Eucharistiam sumendam. Aug. ep. 86. ad Casulanum:* hora Dominici. *Id est Dominici conuiuij. Et in Breuic. collat. 3.* Sicut ipsis gestis Martyrum monstrabatur, qui confitebantur in passionibus suis, se collectam, & Dominicum egisse. S. Aug. QVOD INFAMANT *vt alibi diximus Gentiles publicabant Christianos vesci pane intincto in sanguine infantis immolati.* SINE SVA SVSPICIONE, *talis infanticidij.* REPTARE, *tam per angustam portam carceris, quam ad iacentem sub pondere cathenarum.* FRATRVM AD OSCVLVM, *Christianorum scilicet. de quo* B *Paulus 1. Cor. 16. & alibi. Ambr. in cap. 2. ad Cor.* Sunt quædam oscula spiritalia, non carnalia, in quibus testimonium sinceræ & puræ charitatis apparet, non autem affectus libidinosi indicium est. DE CIBO, &c. *aliqui ad hospites vltrò compellendos & quasi sancta æmulatione rapiendos; alij de Eucharistia auida fame sub vtraque specie vel actu sumpta, vel communione spirituali.* SI PEREGRE, *id est peregrinus, alij legunt* peregre. ALIENA DOMO, *viri Gentilis.* PROMA, *promptuaria claudentur pauperibus Christianis.* SED ALIQVIS, *Obijcit mulierem Christianam sic fantem: sunt aliqui mariti Gentiles patienter ferentes nostros Christianorum vsus.* HOC DELICTVM, *& hæc, inquit, Tertullianus non leuis culpa quod Arcana nostra, sciant Gentiles, & eis simus debitores quod per eos nobis Deo seruire liceat,* SCRI-C PTVRA VTRVMQVE. *2. Cor. 6. 3.* Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum. *& versu. 14.* Nolite iugum ducere cum infidelibus. quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate; aut quæ societas luci ad tenebras? &c. IN CONSCIENTIAM, *id est vt sciat maritus secretum cuius incapax est.* PORCIS IACTARE. *Matth. 7. 6.* Nolite dare sanctum canibus: neque mittatis *Syr. proiecerttis* margaritas ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos. SIGNAS, *signo Crucis.* FLANTIS EXPLODIS, *alij flatu expuis. Vel dæmonem immundum spiritum, vel audiens verbum impurum aut blasphemiam Author libr. de Eccl. dogmat. apud Aug. to. 3. cap. 31. meminit exsufflatorum dæmo-*D *num in baptismo:* non prius fontem vitæ adeant, quàm exorcismis & exsufflationibus Clericorum, spiritus ab eis immundus abigatur.

ANTE OMNEM CIBVM. *Nota hic sermonem esse de Sanctissima Eucharistia quam à Sacerdote acceptam domum ferebant persecutionis tempore, & secretò ieiuni sumebant. Vide Ambr. de obitu fratris Satyri. Basil. in epist. ad Cæsaream Patritiam. Cypr. de Spectaculis, & de Lapsis, vbi ait:* cum quædam arcam suam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. *Quin & Tertull. lib. de Orat. cap. vlt.* Accepto corpore Domini & reseruato, vtrumque saluum est, & participatio sacrificij, & executio offi-E cij. *Id est Stationis. Et lib. de Monog. vbi exprobrat Sacerdotibus sapius ad nuptias admittentibus, quas ipse iam peruersus condemnabat iteratas:* sic dabunt viros & vxores, quomodo buccellas. *De quibus Prophetice Psaltes, vt de filio, speculo Patris christallino, in quo sibi complacet, vt in casta generatione sua cum claritate; Psal. 147.* Mittit chrystallum suam sicut buccellas. *Et Aug. tract. 26. in Io. expressè:* nonne buccella Dominica venenum fuit Iudæ? non quia malum accepit, sed quia bonum malè malus accepit. S. Aug. ANTE OMNEM CIBVM. *Nota tum tam à ieiunis acceptam esse Eucharistiam. Augustinus de suo tempore sic in ep. 118. ad* S. Aug. *Iannarium cap. 6.* Faciat quisque quod in ea Ecclesia in quam venit, inuenerit. Non enim quidquam eo-

rum contra fidem, aut contra mores hinc vel inde meliores, &c. Liquido apparet, quando primùm acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse jeiunos. Numquid tamen propterea calumniandum est vniuersæ Ecclesiæ, quod à jeiunis semper accipitur? & hoc enim placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi aut cœnati fratres ad illud Sacramentum accipiendum conuenire debent; aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit & emendat, mensis suis *communibus & laicis* ista *Augusta mysteria cibumque sacratum* miscere. Namque Saluator, quò vehementius commendaret mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit arctius infigere cordibus & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat. Et ideo non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, vt post cibos alios semper acciperetur, credo quod eum morem nemo variasset. Cùm verò ait Apostolus, de hoc Sacramento loquens, 1. *Cor.* 11. 20. propter quod fratres cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate: si quis esurit, domi manducet, vt non ad judicium conueniatis: statim subtexit, cætera autem cum venero, ordinabo. Vnde intelligi datur, quia multum erat, vt in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem vniuersa per orbem seruat Ecclesia ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diuersitate variatur. Sed nonnullos probabilis quædam ratio delectauit, vt vno certo die per annum, quo ipsam Cœnam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem, post cibos offerri & accipi liceat corpus & sanguinem Domini. Honestius autem arbitror ea hora fieri, vt qui etiam jeiunauerit, post refectionem quæ horâ nonâ fit, ad oblationem possit occurrere, &c. QVI DICITVR? *apud Gentiles*

S. Aug.

A *scilicet, intinctus in sanguine pueri immolati nefando sacrificio. Alij legunt sine interrogatione, vt sit sensus, maritum non credere vxori dicenti hunc cibum esse corpus Christi.* SINE GEMITV, &c. *Suspirans & sibi metuens quasi à maga & sortilega, quales ethnici omnes Christianos æstimabant.* SVSTINENT QVIDAM, *alij* quidem. *Aliqui mariti ferunt & patiuntur vxores rem Christianam peragere, sed vt conculcent & identidem illudant.* QVARVM ARCANA, &c. *id est si mariti his actionibus lædantur, omne quod credunt fideles fœminæ mysterium reseruant viri infideles in occasionem rixæ vltiscendæ vt deferant vxores ad Præfectum.* SVBIECTIONE NOMINIS *Christiani scilicet, quod vt crimen, tormento subiicerent, vel dotes vxorum inuaderent, in mercedem silentij, contrahebant enim cum vxoribus diuitibus, vt facultates* B *earum dilapidarent, minitantes se ipsas delaturos ad iudicem nisi quidquid exigebant, citò darent; & debiliores pro mercede silentij bona sua statim tradebant viris, ne contra se testimonium ferrent.* APVD ARBITRVM SPECVLATOREM. *Apud iudicem auidè speculantem & præstolantem occasionem direptionis & prædationis Christianæ. Alij legunt,* spiculatorem. 1. *Petri.* 4. 15. Nemo vestrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorũ appetitor, *pro quo Tertull. Scorp.* 12. alieni speculator. *Speculatores propriè dicti milites à spiculis; quorum munus erat de rebus hostium ad suos referre quid percepissent. Alij sumunt pro militibus præter gladium, lanceas ferentibus. Ita Suet. in Clodio, & Galba. Speculatores igitur, & non spiculatores, legendum est, in l. diues. ff. de bon. Damn. sicut & in libris* C *Flor. scribitur & l. 7. C. de Cohor. prin. Cor. & à Cornel. Tacito lib. 17. Sumuntur, & ex eo ordine militum, qui in capitis reos lege agant, vt patet ex dicta lege Diues, &c. Vide Cujacium 6. obseruat. 33. & Gothfr. ad legem Diues 6. ff. de bonis Damnatorum.* RE EXCRVCIATA. *Id est facultatibus dilapidatis, vel vi tormentorum extorta veritate mysterij;* RECOGNOSCERE. *Serius agnoscunt. Alij legunt,* recensuerunt, *id est judicarunt, stultum esse, nuptias cum infideli contrahere.*

7. *Nuptiæ cum infideli à diabolo suadentur: & quò Gentiles pejores sunt, eò nuptarum fidelium amantiores, ad earum subuersionem, Christianæque libertatis ruinam. vt & mulieres ambitiosæ, viros Gentiles quærebant.* 2. *ad vxo. cap.* 7. *à m. &* 8. *per totum.*

CEterùm aliud est, vltro & spontè in prohibita descendere. Quæ Domino non placent, vtique Dominum offendunt, vtique à Malo inferuntur. Hoc signi erit quod solis pejoribus placet nomen Christianum. ideo inueniuntur qui tales non exhorreant, vt exterminent, vt abripiant, vt à fide excludant. Habes causam, qua non dubites, nullum huiusmodi matrimonium prosperè decurri, dum à Malo conciliatur, à Domino verò damnatur. A hoc quæramus an jure, quasi reuerà dispectores diuinarum sententiarum. Nonne

CAP. VIII

etiam penes Nationes seuerissimi quique Domini & disciplinæ tenacissimi seruis suis foras nubere interdicunt? scilicet ne in lasciuiam excedant, officia deserant, dominica extraneis promant. Nonne insuper censuerunt seruituti vindicandas, quæ cum alienis seruis post dominorum denunciationem in consuetudine perseuerauerunt? Seueriores habebuntur terrenæ disciplinæ cœlestibus præscriptis? vt Gentiles quidem extraneis junctæ, libertatem suam amittant: nostræ verò diaboli seruos sibi conjungant & in statu suo perseuerent. Scilicet negabunt sibi à Domino per Apostolum eiusdem denunciatum. Quam huius amentiæ causam detineam, nisi fidei imbecillitatem pronam semper in concupiscentiam secularium gaudiorum? quod quidem plurimum in lautioribus deprehensum est. Nam quantò diues aliqua est matronæ nomine inflata, tantò capaciorem domum oneribus suis requirit, vt campum in quo ambitio decurrat. Sordent talibus Ecclesiæ. Difficile in domo Dei diues, ac, si quis est, difficile cœlebs. Quid ergo faciant? Vnde nisi à diabolo maritum petant idoneum exhibendæ sellæ, & mulabus, & cinerariis peregrinæ proceritatis? Christianus ista etiam diues forrasse non præstet. Quæso te, Gentilium exempla proponas tibi. Pleræque & genere nobiles, & re beatæ, passim ignobilibus & mediocribus ibi conjunguntur, ad luxuriam inuentis, aut ad licentiam sectis. Nonnullæ se libertis & seruis suis conferunt omnium hominum existimatione despecta, dummodo habeant, à quibus nullum impedimentum suæ libertatis timeant. Christianam fidelem fideli re minori

2. Cor. 6. 14. & seq.

Matth. 19 23. Luc. 18. 24.

nubere piget, locupletatiorem futuram in viro paupere? Nam si [a] *pauperum sunt regna cœlorum*, quia diuitum non sunt, plus diues in paupere inueniet, maiore dote. Sit illa ex æquo in terris, quæ in cœlis forsitan non erit. Dubitandum, & inquirendum, & identidem deliberandum est, an idoneus sit inuectis dotalibus cui Deus censum suum credidit? a Math. 5. 3.

NVPTIÆ CVM INFIDELI. 7. SCHOL.

CÆTERVM ALIVD EST, *prius agebat de his qui juncti matrimonio ante susceptum baptisma, sic permanebant consulente Paulo. Vnde jam dicit longè disparem esse causam mulieris, quæ vltro contra Pauli prohibitionem infideli nubebat, cum innupta esset & libera.* NON PLACENT, *prohibita sunt ab Apostolo huiusmodi matrimonia.* A MALO *diabolo suggeruntur. Alij referunt ad mulieres se vltro multis malis & periculis illaqueantes, & sic legunt* quæ Domino non placent, vtique Dominum offendunt, vtique malo se inferunt. HOC SIGNI, &c. *Hoc signum erit, quo agnoscant, & Deum offendi, & à diabolo suaderi, & multis malis se exponere, quod solis depranatioribus Gentilibus, præ cæteris fœminis, placeant mulieres Christianæ, vt eas peruertant à fide ad idololatriam. Alij legunt* hoc signi erit vt solis, *signum sensibile erit solis eximiis & diuitibus Christianis, vt sibi caueant* quod solis petitoribus *procis & quærentibus ad nuptias* placet nomen Christianum. *Quasi diceret; cum omnes de more gentiles oderint nomen Christianum, soli proci & petitores vxorum præeligunt fœminis Gentilibus, Christianas; sed quo fine? vt diuites expolient, & idololatriæ zelo exturbent à fide. Et hæc ratio Pauli jubentis,* nubere tantum in Domino. *Et 2. Cor. 6. 14.* Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras? *cum ergo coniugium, sit duarum jugum, hic Paulus coniugia cum infidelibus prohibet. Sic Psal.* 105. Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum. *Hinc Hiero. vocat matrimonia ista imparia. & lib. 1. cont. Iouin. Chrysost. Ambr. Theoph. hunc locum Pauli intelligunt de Matrimonio cauendo cum infidelibus. Et clarè patet esse sensum literalem. Cum enim videret Christianos diuites arctari, quod paria in bonis & nobilitate coniugia cum fidelibus sæpe non inuenirent; sic ait,* dilatamini & vos. Nolite jugum ducere, &c. *Id est ducite Christianas, dilatate & effundite bona vestra in pauperes Christianas; & vos mulieres diuites, viros Christianos probos ducite; quid vobis cum infidelibus maritis, qui vos auertent à fide? vos filiæ lucis, illi filij tenebrarum. Aug. in Psal.* 87. Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & justitia tua in terra oblita? quod est in tenebris, hoc est in terra oblita. Infideles enim significantur nomine tenebrarum. Hinc dicit Apostolus Ephes. 5. fuistis enim aliquando tenebræ. Sic & terra oblita. Homo est qui oblitus est Deum. Potest namque anima infidelis vsque ad tantas tenebras peruenire, vt dicat stultus in corde suo, non est Deus. *Hinc Ecclesia omninò vetuit, ob periculum peruersionis, & irritauit matrimonium Christiani cum pagana. Et ob idem periculum prohibuit cum hæretica, cum qua contrahere, peccatum est mortale. In Gallia tamē, Germania, Polonia, vbi permixti sunt Catholici cū hæreticis, licita sunt passim huiusmodi matrimonia, dummodo vxor absque periculo peruersionis sit, & liberè à viro permittatur munia Christiana exercere, & prolem educare in fide Romana.* AD HOC. *Præterea. Quasi diceret, jam, præter jus diuinum apud Paulum id prohibens, videamus an jure etiam humano id non sit vetitum. Demus hoc nobis, quasi liceat nobis disspicere, & inquirere an jus humanum quadret vel repugnet hac in causa sententiæ Pauli & iuri diuino. Et quis dubitet iuri gentium saltem æquari debere?* PENES NATIONES *apud Gentiles.* EXCEDANT *debiliores fiant ex lascivia, in labore &* S. Aug.

A *pensis diurnis.* DOMINICA, *secreta Domini, res & negotia domestica detegant.* VINDICANDAS, *fœminas liberas in seruitutem redigendas, quæ post trinam denunciationem, in thori commercio vel nimia saltem familiaritate cum extraneo seruo perseuerassent. Videndus Tacitus lib. 12. Annal.* Refertur ad Patres de pœna fœminarum quæ seruis coniunguntur, statuiturque, vt ignaro Domino ad id prolapsa, in seruitutem sui cōsenserit. *Alludit ad Senatusconsultum Claudianum, quod sublatum fuit à Iustin. Imper. C. lib. 7. tit. de Senatusc. Claud. toll. cap. 24. & instit. de success. libert. sublat. § fin. vbi præter dominorum denunciationem exigit iudicum sententiam. Vlp. tamen solam denunciationem notat.* NOSTRÆ *Christianæ.* TERRENÆ DISCIPLINÆ. *Leges humanæ* B *gentilium arctius diuinis, obligabunt?* DIABOLI SERVOS, *viros Gentiles.* IN STATV, *non eiicientur de Ecclesia censuris Ecclesiasticis, communione non priuabuntur?* PER APOSTOLVM DENVNCIATVM. *Toties inculcatum locis præcitatis.* DETINEAM *Teneam; vel, ream, ad tantum reatum impellentem, tribunali sistam?* SÆCVLARIVM, *Gentilium.* LAVTIORIBVS, *ditioribus & splendidioribus fœminis.* ECCLESIÆ, *parœciæ vel Diœceses. Vt Ioannes in Apoc.* Ioannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia. SORDENT, *iniuriam faciunt corpori cuius sunt membra: Ecclesiam maculant ambitiosæ & pompaticæ mulieres.* DIFFICILE. *Sic Christus:* quàm difficile diues intrabit in regnum cœlorum; *quod est Ecclesia, cuius & Christus angusta porta. Et si intrat, vix perseuerat. Et si diues est, cuiuscumque sexus, vix cœlibatum &* C *castitatem seruat, ob diuitias, deliciarum & luxus materiam præstantes.* MARITVM. *Gentilem.* IDONEVM. *Alij legunt,* bonum, vel duenum. *Quæ vox olim significabat bonum.* ONERIBVS SVIS. *Graue onus mundi muliebris, cum & Tertul. 1. de Cultu fœm. c. 9. post annulos & gemmas sic concludat.* Hæ sunt vires ambitionis, tantarum vsurarum substantiam vno & muliebri corpusculo bajulare. SELLÆ, *gestatoria* MVLABVS *ad lecticas.* CINERARIIS, *arte calamistrandi ferro in cinere calefacto, & pulueris odorati crinibus aspergendi peritioribus. Quos alij cinissones dicunt à flandis cineribus calidis.* PEREGRINÆ PROCERITATIS, *vel refert ad mulas, vt alibi dixit,* & Gallicos mulos, *vel ad suggestum & struem capitis enormiorem, vel ad ipsos cinerarios proceriores, ad pompam famulorum prosequen-* D *dam.* CHRISTIANVS, *maritus licet diues hanc pompam fortè vxori non daret, vtpote modestiæ Christianæ repugnantem.*

QVÆSII TE. *Alloquitur fœminam Christianam, quam inuitat exemplo mulierum Gentilium, virum pauperem Christianum ducere, si diues est, sed meliori fine.* RE BEATÆ. *Diuitiis abundantes. Sic juxta Psalmum:* beatum dixerunt populum cui hæc sunt. *Aug. in hunc locum:* Ergo non est ista fœlicitas? habere filios incolumes, filias ornatas, plena cellaria, abundantiam pecorum, nullam ruinam, non dico parietis, sed nec sepis; nullum tumultum & clamorem in plateis, sed quietem, pacem, abundantiam, copiam rerum in domibus, in ciuitatibus? ergo non est ista fœlicitas? aut debent eam justi defugere? &c. non erat domus Abrahæ abundans auro, argento, filiis, familia, pecoribus? &c. Quid dicimus? non est ista fœlicitas? sit licet, sed sinistra. Quid est sinistra? temporalis, mortalis, corporalis. Nolo illā jam diffugias, sed neque dexteram putes, &c. Quid dicit S. Aug.

A ſponſa de ſponſo? ſiniſtra eius ſub capite meo, & dextera eius amplectetur me, &c. Non me deſeret in temporalibus neceſſariis, &c. ſed tamen ipſa ſiniſtra ſub capite erit. Non capiti præponetur, ſed ſub capite erit, vt dextra eius complectatur me pollicens vitam æternam, &c. Impleturque quod ad Timotheum ſcriptum eſt, promiſſionem habens vitæ præſentis & futuræ, &c. *De futuro diſponunt ditiores pauperes, quorum eſt regnum cœlorum, verè ipſi Beati, vt Pſaltes concludit: Beatus populus cuius Dominus Deus eius: Et Aug.* Cenſus & hæreditas, dignatur eſſe ipſa diuinitas. PASSIM IGNOBILIBVS IBI, &c. *Id eſt apud Gentiles, plerumque, &c. alij legunt*: peſſimis de ignobilibus & mediocribus ſimul coniunguntur, aut ad luxuriam iuuentis, aut ad licentiam expertis. *Scilicet in re Venerea ante matrimonij vinculum; quod liberius cum eis quidquid voluerint libidinis exerceant.* SECTIS, *factis Eunuchis ſua authoritate, vt liceat propter nobilitatem & diuitias quidquid voluerint in pauperes viros etiam ſubneruandos, vt aliis ſe adulterè jungant.* LIBERTIS *à ſeruitute ſua manumiſſis: vel etiam adhuc ſeruis.* RE MINORI. *Sola bonorum temporalium abundantia pauperiori, cum in cæteris ſit æqualis vel melior.* PLVS DIVES. *Mulier.* IN FAVERE, *viro Chriſtiano.* MAIORE DOTE. *Bonorum ſcilicet æternorum eam ditabit, qua excedit vxorem diuitem.* EX ÆQVO. *Æqualis ſaltem fiat in hac vita pauperi viro per coniugium.* IN COELIS. *Vbi majus erit meritum pauperis viri. Dictum eſt enim à Chriſto pauperes de regno cœli & manſionibus eius quaſi de ſuis rebus diſponere.* Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. *Luc.16.9. & Matth.5.3.* Quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. IDONEVS INVECTIS DOTALIBVS. *An reſpondeat vir pauper vxori diuiti, an dignus ſit ea qui non poſſit ſicut ipſa in onera matrimonij*
B *portanda conferre æqualem dotem. Alij legunt*: inueſtis dotalibus, *id eſt nudus & pauper, qui non poſſit dare dotem vxori. In jure, dotalis fundus, dotale prædium, dotalia bona, res dotales, ſerui & ancillæ dotales dicuntur, ſiue cùm mulieris nomine quis viro dederit, ſiue cùm à viro ſibi debitum ipſa mulier doti promiſerit l.14. §. ſi fundum. ff. de fund. l. cùm vir & vxor. §. penult. ff. de iur. dot. l. ſciendum. §. ſi fundus. ff. de iur. dot. & ibid. l. dotale. §. dotale. & l.1. §.9. C. de rei vxor. actio.*

1. *Nuptias cùm infideli contractas non ſoluit Paulus, ſed prohibet contrahi. 2. ad vxo. cap. 2. per totum.*

CVm quædam iſtis diebus nuptias ſuas de Eccleſia tolleret, ac Gentili conjungeretur, idque ab aliis retro factum recordarer, miratus aut ipſarum petulantiam, aut conſiliariorum præuaricationem, quod nulla ſcriptura eius facti licentiam profert, Nunquid, inquam, de illo capitulo ſibi blandiuntur, primæ ad Corinthios, vbi ſcriptum eſt: [a] *Si quis*
a 1.Cor.7.12. *fratrum infidelem habet vxorem, & illa matrimonio conſentit, ne dimittat eam. Similiter mulier fidelis, infideli nupta, ſi conſentaneum maritum experitur, ne dimiſerit eum. Sanctificatur enim infidelis vir à fideli vxore, & infidelis vxor à fideli marito. ceterùm immundi eſſent filij veſtri.* Hanc monitionem fors de fidelibus junctis ſimpliciter intelligendo, putent etiam infidelibus nubere licere. Qui ita interpretatur, abſit vt ſciens ſe circumſcribat. Ceterùm manifeſtum eſt ſcripturam iſtam eos fideles deſignare, qui in matrimonio Gentili inuenti à Dei gratia
Ibid. fuerint, ſecundum verba ipſa: *Si quis*, inquit, *fidelis vxorem habet infidelem.* Non dicit, *Vxorem ducit infidelem*; oſtendit jam in matrimonio agentem mulieris infidelis, mox gratia Dei conuerſum perſeuerare cum vxore debere. ſcilicet propterea, ne qui fidem conſecutus, putaret ſibi diuertendum eſſe ab aliena jam & extranea quodammodo femina. Adeò &
b Ibid. 15 rationem ſubjicit, [b] *In pace nos vocari ad Dominum Deum, & poſſe infidelem à fideli per vſum matrimonij lucrifieri.* Ipſâ etiam clauſulâ hoc ita intelligendum eſſe confirmat. [c] *Vt quiſque,*
c 1.Cor.7.20. ait, *vocatur à Domino, ita perſeueret.* vocantur autem Gentiles, opinor, non fideles. Quod ſi de fideli ante matrimonium pronunciaſſet abſolutè, permiſerat ſanctis vulgò nubere. Si verò permiſerat, nunquam tam diuerſam, atque contrariam permiſſui ſuo pronunciatio-
d Ibid. 39 nem ſubdidiſſet, dicens: [d] *Mulier defuncto viro libera eſt, cui vult nubat, tantùm in Domino.* Hic certè nihil retractandum eſt: nam de quo retractari potuiſſet, Spiritus cecinit: Ne quod ait, *Cui velit nubat*, malè vereremur, adjecit, *Tantùm in Domino*, id eſt, in nomine Domini, quod eſt indubitatè, Chriſtiano. Ille igitur Spiritus ſanctus, qui viduas & innuptas integritati perſeuerare mauult, qui nos ad exemplum ſui hortatur, nullam aliam formam repetundarum nuptiarum, niſi in Domino, præſcribit. huic ſoli conditioni conti-
Ibid. nentiæ detrimenta concedit: *Tantùm*, inquit, *in Domino* Adjecit pondus legi ſuæ, *Tantùm.* Quo ſono & modo enunciaueris dictum iſtud, oneroſum eſt: & jubet & ſuadet, & præcipit & hortatur, & rogat & comminatur. diſtricta, expedita ſententia eſt, & ipſa ſui breuitate facunda. Sic ſolet diuina vox: vt ſtatim intelligas, ſtatim obſerues. Quis enim non intelligere poſſit multa pericula & vulnera fidei, in huiuſmodi nuptiis quas prohibet, Apoſtolum prouidiſſe: & primò quidem carnis ſanctæ in carne Gentili inquinamentum præcauiſſe? Hoc loco dicit aliquis, Quid ergo refert inter eum qui in matrimonio Gentilis à Domino allegitur, & olim; id eſt, ante nuptias, fidelem, vt non proinde carni ſuæ caueant? cùm alter à nuptiis infidelis arceatur, alter in eis perſeuerare iubeatur? Cur ſi à Gentili inquinamur, non ille diiungitur, quemadmodum iſte non obligatur? Reſpondebo ſi Spiritus dederit, ante omnia allegans Dominum magis ratum habere matrimonium non contrahi, quàm omnino diſiungi: denique diuortium prohibet, niſi ſtupri causâ, continentiam verò commendat. Habeat igitur ille perſeuerãdi neceſſitatem, hic porro etiam non nubendi poteſtatem. Tunc ſi ſecundum Scripturam qui in matrimonio Gentili à fide deprehenduntur, propterea non inquinantur, quia cum ipſis alij quoque ſanctificantur, ſine dubio

dubio isti, qui ante nuptias sanctificati sunt, si extraneæ carni commisceantur, sanctificare eam non possunt, in qua non sunt deprehensi. Dei autem gratia illud sanctificat, quod inuenit. Ita quod sanctificari non potuit, immundum est: quod immundum est, cum sancto non habet partem, nisi vt de suo inquinet & occidat.

NVPTIÆ CVM INFIDELI NON SOLVENDÆ. I. SCHOL.

CVM QVÆDAM. *Mulier Christiana.* DE ECCLESIA TOLLERET. *Non nuberet in Domino, sed iugum duceret cum infideli, tollens proinde membrum vnum corporis Christi quod est Ecclesia, vt faceret membrum fornicantis cum idolis.* PROFERT, *alij* proferrent: *Scripturâ testante, nullibi id licitum.* SIBI BLANDIVNTVR, *sibi licere persuadent ex loco Pauli malè intellecto 1. Corinth. 7. 12 vbi cùm Paulus de vtroque coniuge fideli iuxta præceptum Christi non dimittendo; sic de aliis cum infidelibus nuptis:* Cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater *Christianus* vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. FORS, *fortè. Referendum ad* putent etiam, &c. *id est, fortè aliqui putent Paulum dedisse licentiam fidelibus, vt possent sine peccato, nubere infidelibus, cùm simpliciter Paulus & absolutè hic loquatur de fidelibus factis, alterutro scilicet coniugum ad fidem conuerso, cum iam priùs ambo infideles iuncti essent matrimonio; quod paulò post explicat Tertullianus, dicens id intelligendum tantùm de his*, qui inuenti à Dei gratia, *fide scilicet & baptismo*, fuerint. QVI FIDEM. *Ne quis ad fidem conuersus.* AB ALIENA. *Tanquam ab aliena & fornicaria propter idololatriam, quam mœchiam frequenter vocat Scriptura. Augustinus locum Pauli sic explicat libro primo de sermone Domini in Monte cap. 27.* Considerandum est itaque quatenus fornicationem intelligere debeamus, & consulendus, vt cœperamus, Apostolus, *dixerat præcedenti capitulo de Christo permittente dimitti vxorem ex causa fornicationis, & tractauerat etiam de fornicatione idololatriæ, & omni transgreßione legis propter illicitam concupiscentiam*, sequitur enim & dicit: cæteris autem ego dico, non Dominus. Hîc primò videndum est, quibus cæteris. Dicebat enim superiùs ex Domini persona, iis qui sunt in cõiugio; nunc verò ex sua persona, cæteris dicit: Ergo fortasse iis qui non sunt in coniugio. Sed hoc non sequitur. Ita enim subiungit, si quis frater habet vxorem infidelem, &c. Ergo etiam nunc iis dicit qui sunt in coniugio: Quid sibi ergo vult quod ait, cæteris; nisi quia superiùs eis loquebatur, qui sic copulati erant, vt pariter in fide Christi essent: cæteris verò nunc dicit, id est, eis qui sic copulati sunt, vt non ambo fideles sint? sed quid eis dicit? si quis frater, &c. Si ergo non præcipit ex Domini persona, sed ex sua persona monet, ita est hoc bonum, vt si quis aliter fecerit, non sit præcepti transgressio: sicut de virginibus paulo post dicit, præceptum Domini se non habere, consilium autem dare: atque ita laudat virginitatem, vt arripiat eam qui voluerit, non tamen vt si non fecerit, contra præceptum fecisse iudicetur. Aliud enim est quod iubetur, aliud quod monetur, aliud quod ignoscitur. Iubetur mulier à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro reconciliari: aliter ergo non licet facere: monetur autem vir fidelis, si habet vxorem infidelem consentientem secum habitare, non eam dimittere. Licet ergo & dimittere, quia non est præceptum Domini ne dimittat, sed consilium Apostoli: sicut monetur virgo non nubere, sed si nupserit, consilium quidem non tenebit, sed contra præceptũ non faciet. Ignoscitur, cùm dicitur, *vbi dicit reuertendum in idipsum, id est copulam propter incontinentiam*, hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium. Quapropter si licet vt dimittatur coniux infidelis, quamuis melius sit non dimittere, & tamen non licet secundum præceptũ Domini vt dimittatur coniux, nisi causâ fornicationis, fornicatio est etiã ipsa infidelitas. quid enim tu dicis, Apostole? certè vt vir fidelis consentientem secum habitare mulierẽ infidelem, non dimittat. Ita, inquit, cur ergo hoc & Dominus præcipiat, ne dimittat vir vxorem nisi causâ fornicationis, quare hîc dicis, Ego dico, non Dominus? quia scilicet idololatria quam sequuntur infideles, & quælibet noxia superstitió, fornicatio est. Dominus autem permisit causâ fornicationis vxorem dimitti: sed quia permisit, non iussit, dedit locum Apostolo monẽdi, vt qui voluerit, non dimittat vxorem infidelem, quo sic fortasse possit fieri fidelis. Sanctificatus est enim, inquit, &c. credo iam prouenerat, vt nonnullæ fœminæ per viros fideles, & viri per vxores fideles in fidem venirent, & quamuis non dicens nomina, exemplis tamen exhortatus est ad confirmandum consilium suum. Deinde sequitur, alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt: iam enim erant paruuli Christiani, qui siue authore vno ex parentibus, siue vtroque consentiente sanctificati erant *per baptismum*, quod non fieret, si vno credente dissociaretur coniugium, & non toleraretur infidelitas coniugis vsque ad opportunitatem credendi. *Idem Aug. hanc sanctificationem tam coniugatorum, quàm filiorum nullo modo vult intelligi ad faciendos Christianos sufficere, nisi baptismum suscipiant.*

S. Aug.

Et lib. 2, de peccat. merit. c. 26. sanctificatos intelligit & infantes & ipsos Catechumenos, sicut Apostolus dixit sanctificari cibos per verbum Dei & orationem. Anselmus ait, sanctificari virum per preces, verba & exempla. Sicut etiam habet Theophylact. & Chrysost. De filiis autem sanctis id intelligit Paulus, quod censentur ex honesto & legitimo matrimonio concepti & nati. Sic Ambr. Ansel. D. Thom. hoc loco dupliciter intelligit: primò de filiis nascituris, secundò de iam natis. quasi diceret Paulus: si discedatis, & vos aliis copulatis, filij vestri qui de hac copula nascerentur, immundi essent, id est spurij, quia non de legitimo matrimonio censerentur: nunc autem si permaneatis sancti sunt, id est mundi, quia de legitimo nati. Vel, si discedatis, filij vestri iam nati, immundi essent, id est in infidelitate remanerent, sequentes scilicet maiorem partem quæ tunc erat infidelium. Nunc autem si permaneatis, sancti sunt, id est Christiani sunt. De sanctificatione viri infidelis per vxorem fidelem, hunc locum ibidem Doctor Angelicus de Valeriano per Ceciliam conuerso fusè explicat, & viam aperit concioni in eius festo faciendæ. Sic Natalia Adrianum non solùm ad fidem, sed & ad martyrium adduxit. Monica Patricium, Theodora Sisinnium, Clotildis Clodoueum conuertit. IN PACE NOS, &c. *1. Cor. 7. 15.* Quòd si infidelis discedit, *deserit vxorem factam fidelem*, discedat. Non enim seruituti, *obligationi huius matrimonij obstrictus est sub peccato, factus Christianus, si aliter velit repudium*, aut soror in huiusmodi. In pace autem vocauit nos Deus, &c. vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat, &c. *Et rursum vers. 20.* Vnusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum. *Aug. lib. ad consulta Hilarij, citatus à Beda in*

S. Aug.

S. Aug. *hunc locum*: Si infidelis noluerit esse cum coniuge fideli, hîc ignoscat fidelis suam libertatem: ne ita se subiectum putet seruituti, vt ipsam dimittat fidem, ne coniugem amittat infidelem. QVOD SI ABSOLVTE. *id est, si Paulus hæc verba pronunciasset de quocumque iam fideli adhuc libero, nec iuncto matrimonio, hoc ipso permisisset Christianis indifferenter nubere, siue Christianis, siue Gentilibus.* NIHIL RETRACTANDVM, *nihil hîc dubitandum vel addendum est. Nam si quid fuit addendum, Spiritus sanctus, vel vt alij legunt* Apostolus, *clarè dixit.* CHRISTIANO, *scilicet viro.* INTEGRITATI, *in integritate & continentia.* HVIC SOLI, *ob hanc solam conditionem, sub hac tantùm lege.* CONTINENTIÆ DETRIMENTA, *vt debito coniugali continentiæ leges soluere possit, indulget.* ONEROSVM EST, *pondus legis habet.* DISTRICTA, *alij legunt* detractata & exerta, fœcunda. *id est* peruulgata & clara, &c. DIVINA VOX. verbum Dei abbreuiatum. *alij legunt*; vxor, statim obserues. QVIS ENIM NON, &c. *Adeo clarè locutus est Apostolus suprà de nuptiis cum infideli periculosissimè contrahendis. Alij legunt*: quis enim alius possit pericula multa, &c. CARNIS SANCTÆ, *Christianæ.* ALLEGITVR, *id est eligitur ex duobus coniugibus Gentilibus ad fidem. Inducit obiicientem: quomodo ergo differt, qui ante matrimonium fidelis, contrahit cum infideli, ab eo qui iam matrimonio iunctus vocatur ad fidem? cùm vtrobique & æqualiter caro sancta & Christiana* A *infideli & prophana misceatur;* PERSEVERARE IVBEATVR. *alij legunt*: perseuerare videatur. *scilicet cum licentia. Non enim iubetur hoc, sub peccato, sed permittitur si vterque consentit manere in vinculo.* NON OBLIGATVR? *Non sinitur obligari vinculo matrimonij.* MAGIS RATVM. *Gratiùs habere, matrimonium non omnino contrahi, quàm dissolui. Cùm & diuortium omnino prohibeat, nisi propter causam adulterij. Tunc autem vult ab vtroque separatò seruari continentiam.* ILLE PERSEVERANDI. *id est ille qui dum esset Gentilis cum Gentili coniunctus, vocatus est ad fidem, debet manere cum coniuge si consentit habitare cum illo.* HIC PORRO, *innuptus scilicet Christianus potest si velit nunquam nubere & manere continens.* SECVNDVM SCRIPTVRAM, *Pauli suprà relatam. Dico igitur, inquit, eos qui iuxta Paulum in Gentili matrimonio iuncti, ad fidem conuertuntur, sanctificare suos* B *coniuges infideles; quod non dico de his qui ante nuptias Christiani facti sunt: non enim si nubant posteà infideli, eam sanctificant carnem Gentilem, cui miscentur.* IN QVA NON SVNT DEPREHENSI, *id est cum qua non iuncti, sunt vocati ad fidem. Cùm ergo caro illa Gentilis immunda sit, tantùm abest vt possit mundari à Christiana cum ipsa nubente, quin potius de suo proprio inquinamento sordidat carnem sanctam, & sæpè animam occidit quam, blanditiis aut violentia auertit à fide. Nam iuxta Augustinum,* Si iustus ex fide viuit, mortuus est qui non habet fidem. S. Aug.

2. *Nuptiæ cum infideli iam contractæ, dissolui non debent: alterutro enim iam fideli, alter sanctificatur exemplo.* 2. *ad Vx. cap.* 7. *in p. ad m.*

HÆc si illis quoque euenire possint quæ in matrimonio Gentili fidem adeptæ morantur, tamen excusantur, vt in ipsis deprehensæ à Deo, & iubentur perseuerare; & sanctificantur, & spem lucrationis accipiunt. Si ergo ratum est apud Deum matrimonium huiusmodi, cur non & prosperè cedat, vt pressuris & angustiis, & impedimentis, & inquinamentis non ita lacessatur, habens iam ex parte diuinæ gratiæ patrocinium? Nam & ad aliquam virtutem cœlestem documentis dignationis alicuius vocata de Gentibus, terrori est Gentili, quo minùs sibi obstrepat, minùs sciat, minùs speculetur. Sensit magnalia, vidit experimenta, scit meliorem factam; sic & ipse Dei candidatus est, timore. Ita facilius huiusmodi lucrifiunt, in quos Dei gratia consuetudinem fecit.

NVPTIÆ CVM INFIDELI NON SOLVENDÆ. 2. SCHOL.

HÆC, *supple pericula fidei, & obstacula disciplinæ Christianæ, de quibus egerat fusè cap. 6. suprà à nobis exposito.* IN MATRIMONIO, *cum Ethnico contracto perseuerant post conuersionem ad fidem.* DEPREHENSÆ, *non quasi in flagrante delicto, sed, vsu Tertulliani, inuentæ à Deo vocante ad fidem, cùm iam essent matrimonio iunctæ.* SPEM LVCRATIONIS, *vt alteruter infidelis, per conuersationem fidelis, Christo acquiratur. Augustinus to. 6. lib. 1. ad Pollent. de adulterin. coniugiis. cap. 21.* Ecce coniuges duo, vnius infidelitatis, ita fuerunt quando coniuncti sunt. Nulla de his quæstio est, quæ pertinet ad illam Domini iussionem, doctrinamque Apostolicam, & præceptum Testamenti veteris & noui, quo prohibetur fidelis cum infideli copulare coniugium. Iam sunt coniuges, & adhuc sunt ambo infideles, adhuc tales sunt, quales fuerunt antequam iungerentur, qualesque coniuncti sunt. Venit Euangelij prædicator, credidit eorum vnus aut vna, sed ita vt infidelis cum fideli habitare consentiat, iubet fideli Dominus ne infidelem dimittat, an non iubet? si dixeris, iubet, reclamat Apostolus. Ego dico, non Dominus. Si dixeris, non iubet, causam requiro, &c quod autem volentis potestati permittit, vt nec agatur, nec permittatur illicitè, ibi seruorum suorum consilio locum dare videtur, vt id potiùs suadeant, quod viderint expedire. *Et cap. 18.* Tunc

S. Aug.

C non expedit id quod licitum est, quando permittitur quidem, sed vsus ipsius potestatis aliis affert impedimentum salutis: sicut est, vnde diu iam loquimur, discessio fidelis coniugis ab infideli, quam non prohibet Dominus, præcepto legis, quia coram illo iniusta non est: sed prohibet Apostolus consilio charitatis, quia infidelibus affert impedimentum salutis: non solùm quia perniciosissimè scandalizantur offensi, verùm etiam quia inutilia coniugia cùm ceciderint, viuentibus eis à quibus dimittuntur, adulterinis nexibus colligati, difficillimè resoluuntur. RATVM, *gratum Deo.* PRESSVRIS *seueritate mariti Gentilis.* IMPEDIMENTIS, *exercendorum operum fidei.* INQVINAMENTIS, *sordibus idololatriæ & libidinis.* EX PARTE, *sua scilicet,* D *quia Christiana est.* NAM ET AD ALIQVAM, &c. *Hæc mulier de Gentilitate vocata ad fidem, conuersa prædicatione alicuius viri in dignitate constituti, (quod significat vox dignationis) simul accepit cum fide virtutem aliquam cœlestem, quæ possit esse viro Gentili timori & reuerentiæ; adeo vt non audeat, sicut ante vxoris conuersionem, tam curiosè scrutari & speculari facta eius, quam post fidem susceptam expertus est longè meliorem; apertè sentiens in ea dona Dei:* DEI CANDIDATVS, *iam incipiet desiderare & ambire Dei cultum & baptismum, factus vxoris exemplo, disciplinæ Christianæ tyrunculus. Alij legunt*

candidatus est timoris, *id est, Religionis Christianæ, & cælestis sapientiæ, cuius* initium est timor Domini. LVCRIFIVNT, *Deo acquiruntur.* IN QVOS, &c. *qui manentes in coniugio, per Dei gratiam, & conuersationem sanctam, faciliùs conuertuntur. Sit omnibus mulieribus infideli coniunctis, exemplum Beatæ Monicæ, de qua sic Augustinus lib. 9. Confess. cap. 9.* (S. Aug.) Educata pudicè ac sobriè, potiúsque a te subdita parentibus, quàm a parentibus, tibi: vbi plenis annis nubilis facta est, trâdita viro, seruiuit veluti Domino, & satagit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus suis, quibus eam pulchram faciebas, & reuerenter amabilem atque mirabilem viro, ita autem tolerauit cubilis iniurias, vt nullam de hac re cum marito haberet vnquàm simultatem. Expectabat enim misericordiam tuam super eum, vt in te credens castificaretur. Erat verò ille præterea sicut beneuolentia præcipuus, ita ira feruidus. Sed nouerat hæc non resistere irato viro, non tantùm facto, sed nec verbo quidem. Iam verò A refracto & quieto, cùm opportunum videret, rationem facti sui reddebat, si forte ille inconsideratiùs commotus fuerat. &c. *Subiicit de aliis mulieribus vicinis & amicis Monicæ:* Cumque mirarentur illæ, scientes quàm ferocem coniugem sustineret, nunquam fuisse auditum, aut aliquo indicio claruisse, quod Patricius ceciderit vxorem, aut quod a se inuicem vel vnum diem domestica lite dissenserint, & cùm causam familiariter quærerent, docebat illa institutum suum, quod suprà memoraui. Quæ obseruabant expertæ gratulabantur; quæ non obseruabant, subiectæ vexabantur, &c. Denique etiam virum suum iam in extrema vita temporaria eius lucrata est tibi, nec in eo iam fideli planxit; quod in nondum fideli tolerauerat, &c. Quisquis nouerat eam, multùm in ea laudabat & honorabat, & diligebat te, quia sentiebat præsentiam tuam in corde eius, sanctæ conuersationis fructibus testibus. (S. Aug.)

1. *Nuptiæ cum fideli, in Ecclesia, inter Missarum solemnia, de consensu parentum, magis vnum faciunt coniugium, liberum in officiis pietatis, proindeque à Deo benedictum. 1. ad Vxo. cap. 9. per totum.*

VNde sufficiamus ad enarrandam felicitatem eius matrimonij quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignat benedictio; angeli renuntiant, pater ratò habet? nam nec in terris filij sine consensu patrum rectè & iure nubunt. Quale iugum fidelium duorum vnius spei, vnius voti, vnius disciplinæ, eiusdem seruitutis? Ambo fratres, ambo conserui, nulla spiritus carnisve discretio. atquin verè *duo in carne vna.* Vbi caro vna, vnus & spiritus. Simul orant, simul voluntantur, & simul ieiunia transigunt, alterutro docentes, alterutro hortantes, alterutro sustinentes. in Ecclesia Dei pariter vtrique, pariter in conuiuio Dei, pariter in angustiis, in persecutionibus, in refrigeriis. neuter alterum celat, neuter alterum vitat, neuter alteri grauis est. Liberè æger visitatur, indigens sustentatur, eleemosynæ sine tormento, sacrificia sine scrupulo, quotidiana diligentia sine impedimento. non furtiua signatio, non trepida gratulatio, non muta benedictio. sonant inter duos psalmi & hymni, & mutuò prouocant quis melius Deo suo cantet. (a Matth. 18. 20.) Talia Christus videns & audiens gaudet. his pacem suam mittit. *a Vbi duo, ibi & ipse:* vbi & ipse, ibi & Malus non est. Hæc sunt quæ Apostoli vox illa sub breuitate intelligenda nobis reliquit. (1. Cor. 7. per tot.) Hæc tibi suggere, si opus fuerit. His te ab exemplis quarumdam reflecte. Non licet aliter fidelibus nubere: non expedit.

NVPTIÆ CVM FIDELI IN ECCLESIA CONTRACTÆ, &c. 1. SCHOL.

QVOD ECCLESIA CONCILIAT, *coniugitur in facie Ecclesiæ. Nota iam tum matrimonia clandestina vetita, quæ Concilio Trid. irritata sunt sess. 24. de refor. matrim. c. 1.* Qui aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit; & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat. CONFIRMAT OBLATIO. *Missæ sacrificium nuptias iam tum confirmabat. Hic videtur alludere Tertull. ad epist. Euaristi Papæ ad Episcopos Africæ, in qua sic Pontifex:* Aliter legitimum non fit coniugium, nisi ab his qui super eam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, vxor petatur, & à parentibus, & à propinquioribus spondeatur, & legibus dotetur, & sub tempore sacerdotaliter, vt mos est, cum precibus & oblationibus à Sacerdote benedicatur. Aliter enim, vt à Patribus accepimus, & à SS. Apostolis, eorumque successoribus traditum inuenimus, non fit matrimonium. *Gratianus quoque hoc decretum transtulit 30. qu. 5. c. aliter. & Conc. Carth. 4. c. sponsus.* OBSIGNAT BENEDICTIO, *benedicitur signo Crucis facto super sponsos. Alij legunt.* & obsignatum Angeli renuntiant, *vel per Angelos intellige Sacerdotes, vel ipsos Angelos custodes, qui vt Raphaël, in cælum* B *orationes & nostras necessitates Deo perferunt.* PATER RATO HABET. *Pater cælestis pro rato habet.* NEC IN TERRIS. *Vide Iustinian. inst. de nupt. in pr. Paulum Iurisc. in l. 2. ff. de rit. nup. ff. l. 23. tit. 2. de rit. nupt. si nepos, &c. l. ibid. qui liberis. C. 5. tit. 4. de nupt. l. 1.* QVALE IVGVM, *coniugium.* VNIVS VOTI, *Aug. in Psal. 55.* In me sunt Deus, vota tua, quid voueatis, quid reddatis? an fortè animalia illa quæ offerebàtur ad aras aliquando? nihil tale offeras. In te est quod voueas & reddas. De cordis arca profer laudis incensum, de cellario bonæ conscientiæ profer sacrificium fidei. Quidquid profers, incende charitate. (S. Aug.) *Et in Psal. 75.* Vouete, & reddite, &c. omnes communiter quid debemus vouere? credere in illum, sperare ab illo vitam æternam, benè viuere secundum communem modum, &c. (S. Aug.) C VERE DVO *in carne vna iuxta Apostolum & Gen. quia vt vna illis caro, vno etiam spiritu fidei vterque coniux animatur.* VOLVTANTVR, *in cinere, humiliatione ad pedes Martyrum, Chameunia, id est, humicubatione.* ALTERVTRO DOCENTES. *alij* ducentes. *quod idem sonat, vt sibi inuicem sint duces, & præuij exemplo, in bonis operibus.* SVSTINENTES, *patientes huius vitæ miserias, & onera matrimonij, quod proprium est iugum matrimonij: coniugibus enim propriè conuenit illud Pauli.* Alter alterius onera portate, &c. CONVIVIO DEI, *mensa Eucharistica. Malè alij legunt:* in connubio: *cùm sit repetitio indigna Tertulliano. Satis*

enim dixerat de iugo. REFRIGERIIS, *consolatione rerum temporalium re domestica florente, multò magis in spiritalibus, vt Scripturis, lectionibus, &c. Hospitalitate exhibenda. Esa. 28.12.* Hæc est requies mea, reficite lassum, & hoc est refrigerium meum. ALTERVM CELAT, *vt faciunt cum infideli coniuncti ob incapacitatem mysteriorum.* SINE TORMENTO. *quia iam non torquetur vxor à viro infideli, cùm facit eleemosynam, maximè erga domesticos fidei.* SACRIFICIA *Missarum solemnia. Aug. in Psal. 50.* Holocaustis non delectaberis. Nihil ergo offeremus? sic veniemus ad Deum? & vnde illum placabimus? offer sanè, in te habes quod offeras. Noli extrinsecus thura comparare, sed dic; in me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudes tibi. Noli extrinsecus pecus quod mactes inquirere, habes in te quod occidas. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Prorsus spernit, taurum, hircum, arietem; iam non est tempus vt hæc offerantur, oblata sunt cùm aliquid indicarent. cùm aliquid promitterent; venientibus repromissis, promissiones ablatæ sunt, &c. *Et paulo suprà:* Erant illa sacrificia figurata, renuntiantia vnum salutare sacrificium, nec nos dimissi sine sacrificio sumus,

S. Aug.

S. Aug.

A quod Deo offeramus. SINE SCRVPVLO. *Quia gentilis vir putaret mactari infantem, & post sacrilegum sacrificium suspicatur incestus. Vel quia vxor iam ex mutuo consensu abstinet à thoro, vt vacet orationi & communioni; nec angitur scrupulo inhonestè communicandi, post redditum debitum.* QVOTIDIANA DILIGENTIA. *ad vigilias, cœtus nocturnos, & alia opera Christianorum feruentium.* FVRTIVA SIGNATIO, *crucis signum, iam non occultè super se, pueros, cibos, &c.* GRATVLATIO, *erga fratres Christianos.* MVTA BENEDICTIO, *ante & post cibum, vel simpliciter, laus Dei.* INTER DVOS, *necdum enim in Ecclesia alternis choris cantabatur, vt sub Ambrosio Mediolani factum est.* VBI DVO. *Matth. 18. 20.* Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. MALVS, *Diabolus.* SVB BREVITATE, *alij* sub benignitate; *quando scilicet ait,* Nubat qui volet, *nam benignè æquè ac breuiter indulget nubendi potestatem solutæ; adstringit tantùm, cùm ait,* tantùm in Domino. HIS, *monitis te, ô vxor mea.* AB EXEMPLIS *viduarum Christianarum discede, quæ nupsere gentilibus.* NON LICET, *iuxta suprà dictis. Libera & soluta aliter nubere quàm fideli.* NON EXPEDIT. *Alij legunt:* Et si liceret, non expediret.

2. *Nuptiæ non contracta in facie Ecclesia, suspicione fornicationis non carens. De pudic. cap. 4. circa fin.*

PEnes nos occultæ quoque coniunctiones, id est, non prius apud Ecclesiam professæ, iuxta mœchiam & fornicationem iudicari periclitantur. Nec inde consertæ, obtentu matrimonij crimen eludant.

NVPTIÆ IN ECCLESIA. 2. SCHOL.

PENES NOS, *apud nos Christianos.* OCCVLTÆ CONIVNCTIONES. *matrimonia clandestina.* APVD ECCLESIAM. *quæ in facie Ecclesiæ non contrahuntur publicè, incurrunt periculum subeundæ sententiæ, qualis fertur contra fornicatores & adulteros, & pro adulterinis coniugiis reputantur.* NEC INDE CONSERTÆ, *id est, nec alibi quam in Ecclesia contracta matrimonia, crimen adulterij aut fornicationis euadere possunt, quidquid obtendant nomen & speciem honorabilem matrimonij. Non igitur absolutè hic Tertull. quanquam iam peruersus, nuptias damnat absolutè, sed occultas tantùm, & extra Ecclesiam clandestinè contractas. Aug. to. 1. lib. 1. de moribus Manich. cap. 35. sic contra eos damnantes vsum coniugij:* Sunt in Ec- C clesia Catholica innumerabiles fideles, qui hoc mundo non vtuntur, sunt qui vtantur, tanquam non vtentes, &c. quid calumniamini, quod fideles, ac iam baptismate renouati, procreare filios & agros, ac domos, pecuniámque vllam possidere non debeant? permittit hoc Paulus, &c. Bonum est homini mulierem non tangere: propter incontinentiam autem vnusquisque vxorem suam habeat, & vnaquæque virum suum habeat. Vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro, &c. Numquid propterea istos dixit adhuc fideles non esse, quia coniugibus vtuntur? &c. Quid obstrepitis pertinacia tantæ veritati? quid lucem Scripturarum vanis vmbris ob nubilare conamini?

S. Aug.

NVPTIÆ SECVNDÆ IN QVO PROBROSÆ.

1. *Nuptiæ secundæ non ex mera Dei voluntate, sed indulgentia veniunt, data infirmitati humanæ. De exhort. cast. cap. 3. in m.*

SEcundum matrimonium, si est ex illa Dei voluntate, quæ indulgentia vocatur, negabimus meram voluntatem, cui indulgentia est causa, si ex ea, cui potior alia præponitur, continentiæ magis appetendæ, didicerimus non potiorem à potiore rescindi. Hæc præstrinxerim, vt iam Apostoli voces decurram. In primis autem non videbor irreligiosus, si quod ipse profitetur, animaduertam; omnem illum indulgentiam nuptiarum, de suo, id est, de humano sensu, non de diuino præscripto induxisse. 1. Cor. 7. 6.

NVPTIÆ SECVNDÆ. 1. SCHOL.

INDVLGENTIA VOCATVR. *1. Corinth. 7.* Hoc autem dico secundum indulgentiam. *Syr. tanquam infirmis:* non secundum imperium. *Et versu 28.:* Ego autem vobis parco. EST CAVSA. *cum sola indulgentia mouet voluntatem, signum est hanc non esse meram & puram Dei voluntatem. cui longè* D *melior præponenda est, quâ Paulus continentiam præfert matrimonio: vnde patet voluntatem, quâ simpliciter indulget iterùm nubendi facultatem, postponendam esse voluntati cupienti quod est melius & perfectius:* PRÆSTRINXERIM. *Breuiter perstrinxerim, ante alia.* DE SVO HVMANO SENSV. *Crudè nimis*

vt alibi jam præmonui; Quin & erroneè de secundis nuptiis loquitur. Maximè in libris de Monogamia, exhortatione castitatis, & pudicitia. Iam enim defecerat à fide, vnde & hos locos asterismo notaui; Excerpsi tamen aliqua quæ hic attexui, quæ concionatoribus & scriptoribus vsui esse poßint, ad suadendas honestè vnicas nuptias, vidualemque continentiam seruandam, non autem ad condemnandas secundas nuptias. Antidotum itaque singulis vocibus, aut crudis, aut erroneis lectori propinabo, quo absque periculo vtatur his locis. HVMANO SENSV. *Sic malè Paulum intelligit quoties in hoc capite ait,* hoc autem dico; cæteris autem dico non Dominus, consilium autem do; ego autem vobis parco, &c. secundum consilium meum. *Quem sic corrigit*
S. Aug. *Augustinus lib. 1. de Adulterinis coniug. c. 18.* Apostolus dicit, non Dominus: habens vtique Spiritum
A sanctum, in quo dare posset vtile & fidele consilium. Vnde cum dixisset de muliere cuius vir mortuus fuerat, beatior autem erit, si sic permanserit, secundùm consilium meum: ne quis hoc consilium tanquam humanum non diuinum, contemnendum putaret adiecit, puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam. Proinde intelligendum est, etiam ipsa quæ non à Domino jubentur, sed à Sancto eius famulo vtiliter suadentur, eodem Domino inspirante suaderi, &c. *Et paulò post vbi de virginitatis consilio.* Non S. Aug.
vt hoc consilium alienum existimemus à Domino, cum continuò sequatur & dicat, tanquam misericordiam consequutus à Domino vt fidelis essem Secundum Deum ergo dat fidele consilium in eo spiritu de quo ait: putò autem quod & ego Spiritum Dei habeam.

2. Et de Exhort. cast. cap. 8. in m.

PRopter incontinentiæ periculum permittitur nubere secundò: quia nisi licentia alicuius non bonæ rei subjaceret, non esset in quo probaretur qui diuinæ voluntati, & qui suæ potestati, obsequeretur: quis nostrûm vtilitatis præsentiam sectetur, & quis occasionem licentiæ amplexetur. Licentia plerunque tentatio est disciplinæ, quoniam disciplina per tentationem probatur, tentatio per licentiam operatur. Ita fit, vt [a] *omnia liceant, sed non omnia expediant*; dum tentatur cui permittitur, & judicatur dum in permissione tentatur. Licebat & Apostolis nubere, & vxores circumducere. licebat & de Euangelio ali. sed qui jure hoc vsus non est in occasionem, ad exemplum nos suum prouocat, docens in eo esse probationem, in quo licentia experimentum abstinentiæ præstruxit.

a 1. Cor. 6. 12.
1. Cor. 9. 5.

NVPTIÆ SECVNDÆ. 2. SCHOL.

PERMITTIT NVBERE SECVNDÒ. 1. *Cor.* 7. 39. Si dormierit vir eius *si mortuus fuerit* liberata est: cui vult nubat. *Syr. autem* libera est, vt sit cuius voluerit; *scilicet vxor in secundo Matrimonio.* LICENTIA NON BONÆ REI. *Et hic errat. Mala enim res non est, secundò nubere, nec in hoc licentia data, mala rei subjacet. Licet enim incontinentia fornicationis sit mala, eam vitare bonum est.* IN QVO PROBARETVR. *Licentia, inquit, data alicuius rei, probat & discernit, quisnam vel voluntati suæ propriè & licentiæ data pareat, vel quis diuina voluntati obediat.* VTILITATIS PRÆSENTIAM. *Præsentem vtilitatem oblatam. Alludit ad dictum Pauli 1. Cor. 7. 35.* Porrò hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi. TENTATIO DISCIPLINÆ. *Probatio per licentiā oblatam datur, vt videatur quisnam sit qui perfectiorem viam sequatur.* VT OMNIA LICEANT. 1. *Cor.* 6. 12. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. *Aug. lib. 1. de Adulterinis coning.*
S. Aug. *c. 15.* Ea quæ in his talia sunt, vt quamuis sint licita, non expediant, non in eis dici potest, bonum est hoc, sed illud melius, sicut dictum est, qui dat nuptum, benè facit: & qui non dat nuptum, melius facit. Ibi enim vtrumque licet, & hoc aliquando, aliquando illud expedit. Nam illis qui se non continent, vtique expedit nubere, & quod licet, expedit. Quæ autem vouerunt continentiam, nec licet, nec expedit. Porrò discedere ab infideli coniuge licet, sed non expedit: manere autem cum illo, si cohabitare consentit, & licet, & expedit: quia si non liceret, expedire non posset. Potest ergo aliquid licere, & non expedire: expedire autem quod non licet, non potest. Ac per hoc non omnia licita expediunt, omnia verò illicita non expediunt. Sicut enim omnis qui Christi sanguine redemptus est, homo est; non tamen omnis qui homo est, etiam san-
B guine Christi redemptus est: Ita omne quod non licet, non expedit, nec tamen omne quod non expedit, etiam non licet. Sunt quippe licita quæ non expediunt, sicut Apostolo teste didicimus. *De eodem* S. Aug.
vide sequenti cap. 10. & 18. fusè. IVDICATVR, *infirmus scilicet, non reus, qui secundò nubit, & vtitur licentia data. Aly legunt:* vincatur. *Supple a concupiscentia; vt fornicationis vitandæ causa nubat, non victus à peccato, sed ne vincatur.* LICEBAT ET APOSTOLIS. 1. *Cor.* 9. 5. *nec vulgata nec Syriaca, nec alia quod sciam, vxorum meminit; & licet verum sit, potuisse nubere Apostolos antequam omnia reliquissent, tamen & Petrus solus (vt ipse Tertul. alibi,) per socrum maritus agnoscitur; & alij cælibes fuerunt. Et Canon Apostolicus 26.* ex non coniugatis ad clerum euectus coniuges accipere volentibus,
C solis id permittitur, Lectoribus & Cantoribus. *Paulus ergo sit, non de vxoribus, sed piis mulieribus necessaria parantibus ad vitam.* Nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi? *vt digni operarij mercede nostra, & boues triturantes* nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi sicut & cæteri Apostoli & fratres Domini & Cephas? IN OCCASIONEM. *Ibidem num. 12.* Sed non vsi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi. LICENTIA PRÆSTRVXIT, *dedit fundamentum & locum tentandæ & experiendæ abstinentiæ a rebus sibi licitis. Aug. de opere Monach. c. 6. vbi hunc locum Pauli refert:* S. Aug.
hic apparet non esse illa jussa sed permissa; vt quisquis vti vellet, eo vteretur quod sibi liceret ex Domini
D constitutione: Si quis autem vti nollet, non contra jussum faceret, sed de suo jure cederet, misericordius & laboriosius conuersatus in Euangelio, in quo & debitam mercedem nollet accipere. Alioquin contra jussum Domini fecit Apostolus, qui posteaquam ostendit sibi licere, statim adjecit, sed tamen ego non vsus sum hac potestate.

enim dixerat de iugo. REFRIGERIIS, *consolatione rerum temporalium re domestica florente, multò magis in spiritalibus, vt Scripturis, lectionibus, &c. Hospitalitate exhibenda. Esa.* 28.12. Hæc est requies mea, reficite lassum, & hoc est refrigerium meum. ALTERVM CELAT, *vt faciunt cum infideli coniuncti ob incapacitatem mysteriorum.* SINE TORMENTO. *quia iam non torquetur vxor à viro infideli, cùm facit eleemosynam, maximè erga domesticos fidei.* SACRIFICIA *Missarum solemnia. Aug. in Psal.* 50. Holocaustis non delectaberis. Nihil ergo offeremus? sic veniemus ad Deum? & vnde illum placabimus? offer sanè, in te habes quod offeras. Noli extrinsecus thura comparare, sed dic; in me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudes tibi. Noli extrinsecus pecus quod mactes inquirere, habes in te quod occidas. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Prorsus spernit, taurum, hircum, arietem; iam non est tempus vt hæc offerantur, oblata sunt cùm aliquid indicarent. cùm aliquid promitterent: venientibus repromissis, promissiones ablatæ sunt, &c. *Et paulo suprà*: Erant illa sacrificia figurata, renuntiantia vnum salutare sacrificium, nec nos dimissi sine sacrificio sumus, quod Deo offeramus. SINE SCRVPVLO. *Quia gentilis vir putaret mactari infantem, & post sacrilegum sacrificium suspicatur incestus. Vel quia vxor iam ex mutuo consensu abstinet à thoro, vt vacet orationi & communioni; nec angitur scrupulo inhonestè communicandi, post redditum debitum.* QVOTIDIANA DILIGENTIA. *ad vigilias, cœtus nocturnos, & alia opera Christianorum feruentium.* FVRTIVA SIGNATIO, *crucis signum, iam non occultè super se, pueros, cibos, &c.* GRATVLATIO, *erga fratres Christianos.* MVTA BENEDICTIO, *ante & post cibum, vel simpliciter laus Dei.* INTER DVOS, *necdum enim in Ecclesia alternis choris cantabatur, vt sub Ambrosio Mediolani factum est.* VBI DVO? *Matth.* 18.20. Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. MALVS, *Diabolus.* SVB BREVITATE, *alij* sub benignitate; *quando scilicet ait*, Nubat qui volet, *nam benignè æquè ac breuiter indulget nubendi potestatem solutæ; adstringit tantùm, cùm ait*, tantùm in Domino. HIS, *monitis te, ô vxor mea.* AB EXEMPLIS *viduarum Christianarum discede, quæ nupsere gentilibus.* NON LICET, *iuxta suprà dicta. Libera & soluta aliter nubere quàm fideli.* NON EXPEDIT. *Alij legunt*: Et si liceret, non expediret.

S. Aug.

2. *Nuptiæ non contracta in facie Ecclesiæ, suspicione fornicationis non carent. De pudic. cap. 4. circà fin.*

PEnes nos occultæ quoque coniunctiones, id est, non prius apud Ecclesiam professæ, iuxta mœchiam & fornicationem iudicari periclitantur. Nec inde consertæ, obtentu matrimonij crimen eludant.

NVPTIÆ IN ECCLESIA. 2. SCHOL.

PENES NOS, *apud nos Christianos.* OCCVLTÆ CONIVNCTIONES. *matrimonia clandestina.* APVD ECCLESIAM. *quæ in facie Ecclesiæ non contrahuntur publicè, incurrunt periculum subeundæ sententiæ, qualis fertur contra fornicatores & adulteros, & pro adulterinis coniugijs reputantur.* NEC INDE CONSERTÆ, *id est, nec alibi quam in Ecclesia contracta matrimonia, crimen adulterij aut fornicationis euadere possunt, quidquid obtendant nomen & speciem honorabilem matrimonij. Non itaque absolutè hic Tertull. quanquam iam peruersus, nuptias damnat absolutè, sed occultas tantùm, & extra Ecclesiam clandestinè contractas: Aug. to. 1. lib. 2. de moribus Manich. cap. 35. sic contra eos damnantes vsum coniugij*: Sunt in Ecclesia Catholica innumerabiles fideles, qui hoc mundo non vtantur, sunt qui vtantur, tanquam non vtentes, &c. quid calumniamini, quod fideles, ac iam baptismate renouati, procreare filios & agros, ac domos, pecuniámque vllam possidere non debeant? permittit hoc Paulus, &c. Bonum est homini mulierem non tangere: propter incontinentiam autem vnusquisque vxorem suam habeat, & vnaquæque virum suum habeat. Vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro, &c. Numquid propterea istos dixit adhuc fideles non esse, quia coniugibus vtuntur? &c. Quid obstrepitis pertinacia tantæ veritati? quid lucem Scripturarum vanis vmbris ob nubilare conamini?

S. Aug.

NVPTIÆ SECVNDÆ IN QVO PROBROSÆ.

1. *Nuptiæ secundæ non ex mera Dei voluntate, sed indulgentia veniunt, data infirmitati humanæ. De exhort. cast. cap. 3. in m.*

SEcundum matrimonium, si est ex illa Dei voluntate, quæ indulgentia vocatur, negabimus meram voluntatem, cui indulgentia est causa, si ex ea, cui potior alia præponitur, continentiæ magis appetendæ, didicerimus non potiorem à potiore rescindi. Hæc præstrinxerim, vt iam Apostoli voces decurram. In primis autem non videbor irreligiosus, si quod ipse profitetur, animaduertam; omnem illum indulgentiam nuptiarum, de suo, id est, de humano sensu, non de diuino præscripto induxisse. 1. Cor. 7. 6.

NVPTIÆ SECVNDÆ. 1. SCHOL.

INDVLGENTIA VOCATVR. 1. *Corinth.* 7. 6. Hoc autem dico secundum indulgentiam. *Syr. tanquam infirmis*: non secundum imperium. *Et versu* 28. Ego autem vobis parco. EST CAVSA. *cum sola indulgentia mouet voluntatem, signum est hanc non esse meram & puram Dei voluntatem. cui longè melior præponenda est, quâ Paulus continentiam præfert matrimonio: vnde patet voluntatem, quâ simpliciter indulget iterùm nubendi facultatem, postponendam esse voluntati cupienti quod est melius & perfectius:* PRÆSTRINXERIM. *Breuiter perstrinxerim. ante alia.* DE SVO HVMANO SENSV. *Crudè nimis*

vt alibi jam præmonui; Quin & erroneè de secundis nuptiis loquitur. Maximè in libris de Monogamia, exhortatione castitatis, & pudicitia. Iam enim defecerat à fide, vnde & hos locos asterismo notaui; Excerpsi tamen aliqua quæ hîc attexui, quæ concionatoribus & scriptoribus vsui esse possint, ad suadendas honeste vnicas nuptias, vidualemque continentiam seruandam, non autem ad condemnandas secundas nuptias. Antidotum itaque singulis vocibus, aut crudis, aut erroneis lectori propinabo, quo absque periculo vtatur his locis. HVMANO SENSV. *Sic malè Paulum intelligit quoties in hoc capite ait,* hoc autem dico; cæteris autem dico non Dominus, consilium autem do; ego autem vobis parco, &c. secundum consilium meum. *Quem sic corrigit Augustinus lib. 1. de Adulterinis coniug. c. 18.* Apostolus dicit, non Dominus: habens vtique Spiritum sanctum, in quo dare posset vtile & fidele consilium. Vnde cum dixisset de muliere cuius vir mortuus fuerat, beatior autem erit, si sic permanserit, secundùm consilium meum: ne quis hoc consilium tanquam humanum non diuinum, contemnendum putaret adiecit, puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam. Proinde intelligendum est, etiam ipsa quæ non à Domino jubentur, sed à Sancto eius famulo vtiliter suadentur, eodem Domino inspirante suaderi, &c. *Et paulò post vbi de virginitatis consilio.* Non vt hoc consilium alienum existimemus à Domino, cum continuò sequatur & dicat, tanquam misericordiam consequutus à Domino vt fidelis essem Secundum Deum ergo dat fidele consilium in eo spiritu de quo ait: putò autem quod & ego Spiritum Dei habeam.

S. Aug. | S. Aug.

2. Et de Exhort. cast. cap. 8. in m.

PRopter incontinentiæ periculum permittitur nubere secundò: quia nisi licentia alicuius non bonæ rei subjaceret, non esset in quo probaretur qui diuinæ voluntati, & qui suæ potestati, obsequeretur: quis nostrûm vtilitatis præsentiam sectetur, & quis occasionem licentiæ amplexetur. Licentia plerunque tentatio est disciplinæ, quoniam disciplina per tentationem probatur, tentatio per licentiam operatur. Ita fit, vt [a] *omnia liceant, sed non omnia expediant*; dum tentatur cui permittitur, & judicatur dum in permissione tentatur. Licebat & Apostolis nubere; & vxores circumducere. licebat & de Euangelio ali. sed qui jure hoc vsus non est in occasionem, ad exemplum nos suum prouocat, docens in eo esse probationem, in quo licentia experimentum abstinentiæ præstruxit.

a 1. Cor. 6. 12.
1. Cor. 9. 5.

NVPTIÆ SECVNDÆ. 2. SCHOL.

PERMITTIT NVBERE SECVNDÒ. 1. *Cor. 7. 39.* Si dormierit vir eius *si mortuus fuerit* liberata est: cui vult nubat. *Syr. autem* libera est, vt sit cuius voluerit; *scilicet vxor in secundo Matrimonio.* LICENTIA NON BONÆ REI. *Et hic errat. Mala enim res non est, secundò nubere, nec in hoc licentia data, malæ rei subjacet. Licet enim incontinentia fornicationis sit mala, eam vitare bonum est.* IN QVO PROBARETVR. *Licentia, inquit, data alicuius rei, probat & discernit, quisnam vel voluntati suæ propriæ & licentiæ datæ pareat, vel quis diuinæ voluntati obediat.* VTILITATIS PRÆSENTIAM. *Præsentem vtilitatem oblatam. Alludit ad dictum Pauli 1. Cor. 7. 35.* Porrò hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi. TENTATIO DISCIPLINÆ. *Probatio per licentiā oblatam datur, vt videatur quisnam sit qui perfectiorem viam sequatur.* VT OMNIA LICEANT. 1. *Cor. 6. 12.* Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. *Aug. lib. 1. de Adulterinis coniug. c. 15.* Ea quæ in his talia sunt, vt quamuis sint licita, non expediant, non in eis dici potest, bonum est hoc, sed illud melius, sicut dictum est, qui dat nuptum, benè facit: & qui non dat nuptum, melius facit. Ibi enim vtrumque licet, & hoc aliquando, aliquando illud expedit. Nam illis qui se non continent, vtique expedit nubere, & quod licet, expedit. Quæ autem vouerunt continentiam, nec licet, nec expedit. Porrò discedere ab infideli coniuge licet, sed non expedit: manere autem cum illo, si cohabitare consentit, & licet, & expedit: quia si non liceret, expedire non posset. Potest ergo aliquid licere, & non expedire: expedire autem quod non licet, non potest. Ac per hoc non omnia licita expediunt, omnia verò illicita non expediunt. Sicut enim omnis qui Christi sanguine redemptus est, homo est; non tamen omnis qui homo est, etiam sanguine Christi redemptus est: Ita omne quod non licet, non expedit, nec tamen omne quod non expedit, etiam non licet. Sunt quippe licita quæ non expediunt, sicut Apostolo teste didicimus. *De eodem vide sequenti cap. 16. & 18. fusè.* IVDICATVR, *infirmus scilicet, non reus, qui secundò nubit, & vtitur licentia data. Alij legunt:* vincatur. *Supple a concupiscentia; vt fornicationis vitandæ causa nubat, non victus à peccato, sed ne vincatur.* LICEBAT ET APOSTOLIS. 1. *Cor. 9. 5. nec vulgata nec Syriaca, nec alia quod sciam, vxorum meminit; & licet verum sit, potuisse nubere Apostolos antequam omnia reliquissent, tamen & Petrus solus (vt ipse Tertul. alibi,) per socrum maritus agnoscitur; & alij cælibes fuerunt. Et Canon Apostolicus 26.* ex non coniugatis ad clerum euectis coniuges accipere volentibus, solis id permittitur, Lectoribus & Cantoribus. *Paulus ergo sic, non de vxoribus, sed piis mulieribus necessaria parantibus ad vitam.* Nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi? *vt digni operarij mercede nostra, & bina tricenarii* nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi sicut & cæteri Apostoli & fratres Domini & Cephas? IN OCCASIONEM. *Ibidem num. 12.* Sed non vsi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi. LICENTIA PRÆSTRVXIT, *dedit fundamentum & locum tentandæ & experiendæ abstinentiæ à rebus sibi licitis. Aug. de opere Monach. c. 6. vbi hunc locum Pauli refert:* hic apparet non esse illa jussa sed permissa; vt quisquis vti vellet, eo vteretur quod sibi liceret ex Domini constitutione: Si quis autem vti nollet, non contra jussum faceret, sed de suo jure cederet, misericordius & laboriosius conuersatus in Euangelio, in quo & debitam mercedem nollet accipere. Alioquin contra jussum Domini fecit Apostolus, qui postea quam ostendit sibi licere, statim adjecit, sed tamen ego non vsus sum hac potestate.

S. Aug. | S. Aug. | S. Aug.

3. Nuptias post mortem coniugis repetens, Dei voluntati videtur repugnare, & suammet respuere libertatem. 1. ad vxo. cap. 7. à p. ad m.

SVper hæc enim recogites moneo; neminem non ex Dei voluntate de seculo educi, si ne folium quidem ex arbore sine Dei voluntate delabitur. Idem qui nos mundo infert, idem & educat necesse est. Igitur defuncto per Dei voluntatem viro, etiam matrimonium Dei voluntate defungitur. Quid tu restaures, cui finem Deus posuit? Quid libertatem
a 1. Cor. 7.27. oblatam tibi, iterata matrimonij seruitute fastidis? [a] *Obligatus es, inquit, matrimonio, ne quæsieris solutionem. solutus es matrimonio, ne quæsieris obligationem. Nam etsi non delinquas renubendo, carnis tamen pressuram subsequi dicit.* Quare facultatem continentiæ, quantum possumus, diligamus: quamprimum obuenerit, imbibamus: vt quod in matrimonio non valuimus, in viduitate sectemur. Amplectenda occasio est, quæ adimit quod necessitas imperabat.

NVPTIÆ SECVNDÆ. 3. SCHOL.

DEFVNGITVR. *Si velit Tertullianus non reiterandum matrimonium, nisi cum peccato contra Dei voluntatem admisso, errat. Licet enim verum sit, sine Dei voluntate, primum morte viri solui non posse matrimonium, dici tamen debet juxta Paulum, Dei eiusdem voluntatem, liberam fecisse viduam ad coniugium secundum.* OBLIGATVS ES. 1. Cor. 7. 27. Alligatus es vxori? noli quærere solutionem; solutus es ab vxore? noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem non peccasti. Et si nupserit virgo non peccauit: tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego
S. Aug. autem vobis parco. *Aug. lib. de Sancta virginitate cap. 15.* Alligatus es vxori, &c. horum duorum quod prius posuit, ad præceptum pertinet, contra quod non licet facere, non enim licet dimittere vxorem nisi ex causa fornicationis, sicut in Euangelio Dominus dixit. Illud autem quod addidit, solutus es, &c. Consilij sententia est, non præcepti: licet itaque facere, sed melius est non facere, &c. *Et cap. 16.*
S. Aug. Addidit tamen: tribulationem carnis habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc modo exhortans ad virginitatem continentiamque perpetuam, vt aliquantulum a nuptiis etiam deterreret, modestè sanè, non tanquam à re mala & illicita, sed tanquam ab onerosa ac molesta. Aliud est enim admittere carnis turpitudinem, aliud habere carnis tribulationem. Illud est criminis, facere, hoc, laboA ris est, pati; quem plerumque homines etiam pro officiis honestissimis non recusant. Sed pro habendo coniugio jam hoc tempore, quo non per carnis propaginem venturo Christo, ipsius prolis propagatione seruitur, istam tribulationem carnis, quam nupturis prædicit Apostolus, suscipere tolerandam, perstultum esset, nisi metueretur incôtinentibus, ne tentante Satana in peccata damnabilia laberentur. Quod autem se dicit eis parcere, quos ait tribulationem carnis habituros, nihil mihi interim sanius occurrit, quam eum noluisse aperire & explicare verbis, eandem ipsam carnis tribulationem quam prænuntiauit eis qui eligunt nuptias, in suspicionibus zeli coniugalis, in procreandis filiis atque nutriendis, in timoribus, mœroribus orbitatis. Quo-B tus enim quisque cum se connubij vinculis alligauerit, non istis trahatur atque agitetur affectibus? quos neque nos exaggerare debemus, ne ipsis non parcamus, quibus parcendum existimauit Apostolus. DILIGAMVS. *Alij interrogatiuè sic legunt.* Non diligamus. IMBIBAMVS *quasi poculum delicatum auidè hauriamus.* NON VALVIMVS *alij* valemus. NECESSITAS IMPERABAT *reddendi ex justitia debiti coniugalis, de quo Paulus 1. Cor. 7. 3.* Vxori vir debitum reddat: similiter autem & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir? Similiter autem, &c.

4. Nuptias secundas petere à Sacerdotibus Monogamis, in Ecclesia vniuira, & simul pro duobus viris orare, verecundum. De Monog. cap. 11. in p.

a 1. Cor. 7. 39. VT igitur [a] *in Domino nubas* secundùm Legem & Apostolum, (si tamen vel hoc curas)
qualis es id matrimonium postulans, quod eis à quibus postulas, non licet habere,
1. Tim. 3. 3. ab Episcopo monogamo, à Presbyteris & Diaconis eiusdem Sacramenti, à Viduis, qua-
rum sectam in te recusasti? Et illi plane sic dabunt viros & vxores, quomodo buccellas.
Tit. 1. 6. b Matth. 5. 42. Hoc enim est apud illos, [b] *Omni petenti te dabis.* Et conjungent vos in Ecclesia virgine, vnius Christi vnica sponsa. Et orabis pro maritis tuis, nouo & vetere. Elige cui te adulteram præstes. Puto, ambobus. Quod si sapias, taceas defuncto. Repudium sit illi, silentium tuum, alienis jam dotalibus scriptum. Hoc modo nouum promereberis maritum, si veteris obliuiscaris. Debes magis illi placere, propter quem Deo placere non maluisti.

NVPTIÆ SECVNDÆ. 4. SCHOL.

SECVNDVM LEGEM. *Veterem scilicet. Deut. 7. 3. supra notatum est ex Augustino.* ET APOSTOLVM 1. Cor. 7. 39. Nubat cui vult, tantùm in Domino. SI TAMEN. *Hic inuehitur contra Catholicos quasi nec legem veterem aut nouam curantes.* QVALIS ES, &c. *non te pudet matrimonij secundi nexum petere à Presbyteris & Episcopis Monogamis?* EIVSDEM SACRAMENTI, *id est qui vt ordinis Monogami esse debent, maxime Episcopi, vt repræsentent vnicam Christi cum vna Ecclesia Sacramentum.* Hic *nota interim quod aduertimus supra, V.* C *nuptiæ in Ecclesia 3. Matrimonium olim in Ecclesia coram Episcopo & Presbyteris celebratum.* QVARVM SECTAM *imitationem & professionem.* QVOMODO BVCCELLAS. *Id est sicut communio corporis Christi sub vna panis specie iteratur & frequentatur, data ab Episcopo, vel Presbytero viris & fœminis domum portanda; sic & viros vxoribus, & vxores viris quoties voluerint post mortem coniugis dabunt. Vide dicta supra.* OMNI PETENTI Matth. 5. 42. Qui petit à te, da ei: & volenti mutuari à te, ne auertaris. ET VETERE, *defuncto* ADVLTE-

S. Aug. RAM. *Et hic error apertus cum adulteras censeat secundas nuptias. Aug. lib. 16. de Ciuit. cap.* 34. Quid sibi vult, quod Abraham post mortem Saræ Ceturam duxit vxorem? vbi absit vt incontinentiam suspicemur, præsertim in illa jam ætate, & in illa fidei sanctitate. *Adjicit in tanta sicut stellarum cœli filiorum multiplicatione, &c.* Quid si enim & hoc prouisum est contra hæreticos futuros secundarum aduersarios nuptiarum, vt in ipso Patre multarum Gentium, post obitum coniugis, iterum coniugari, demonstraretur non esse peccatum? *Nec incontinentiam in Polygamia Abrahæ, probat idem Aug. lib. de Bono coniug. cap.* 20. *vbi de coniugatis sanctis veteris Testamenti, quos præfert* A *nostris continentibus, ob necessitatem, obedientiam, fidem excellentiorem:* Non inuenio, quomodo continentes illis coniugatis conferendi sint, &c. Nisi fortè Abraham continere se non posset à nuptiis propter regnum cœlorum, qui vnicum prolis pignus, propter quod nuptiæ charæ sunt, potuit intrepidus immolare propter regnum cœlorum. TACEAS, *non ores pro defuncto.* ALIENIS IAM DOTALIBVS SCRIPTVM. *Repudium scilicet ei scribes, nouo contractu, Et dote mutua secundi coniugij.* SI TACVERIS. *Nec Deo, nec hominibus de primo viro defuncto loquaris.* ILLI PLACERE. *Nouo marito.* DEO PLACERE, *cui continentia magis est placita quàm secundum coniugium.* S. Aug.

** 5. Nuptiæ secundæ infirmitatem carnis arguunt. De Monog. cap. 14. à m.*

FAcilius duritia cordis Christo cessit, quàm infirmitas carnis. Plus hæc sibi Paulum defendit, quam illa Moysen; si tamen defendit quum indulgentem eum captat, præscribentem recusat; quæ potiores sententias & perpetuas voluntates eius eludit; quæ non sinit nos hoc Apostolo præstare, quod mauult. Et quousque infirmitas ista impudentissima in expugnando meliora perseuerabit?

6. Et iterum ibid. circa f.

QVamdiu causabimur carnem? quia dixit Dominus, [a] *Caro infirma.* Sed præmisit &, *Spiritus promptus*; vt vincat spiritus carnem, vt cedat quod infirmum est fortiori. [a] Matth. 26. 41.

NVPTIÆ SECVNDÆ. 5. & 6. SCHOL.

DVRITIA CORDIS, *ob quam Moyses repudium permiserat, sublatam à Christo.* INFIRMITAS CARNIS. *Quam prætendunt nuptias repetentes, abutentes dicto Christi excusantis Apostolorum somnolentiam, Matth.* 26. 41. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. HÆC DEFENDIT. *Paulum sibi aduocatum tuetur, permittentem pluries nubere.* QVAM ILLA. *Scilicet duritia cordis, alleget Moysem repudium concedentem.* SI TAMEN DEFENDIT, *Paulum non plenè tuetur, tantum enim eum recipit, dum indulget carni secundas nuptias. Nam dum præscribit & suadet meliora, & voluntatem eius perpetuò continere cupientem reiicit.* IMPVDENTISSIMA. *Viden vt excedit. Huic pro Antidoto oppono Augustinum. Lib. de sancta Virginitate cap.* 17. Cautum S.Aug. fieri lectorem oportuit aduersus eos qui in hoc quod scriptum est, ego autem vobis parco. *1. Cor.* 7. 28. Nuptiis calumniantur, quod eas ex obliquo sententia ista damnauerit; velut ipsam damnationem noluerit dicere, cum ait, ego autem vobis parco: vt B videlicet cum istis parcit, animæ suæ non pepercerit, si mentiendo dixit: & si acceperis vxorem non peccasti, & si nupserit virgo, non peccat. *&c. Et cap.* 18. *Confirmans Paulum non mentitum excusando à peccato secundò nubentes:* melior est in scriptura Dei, veritas Dei, quam in cuiusquam mente & carne virginitas hominis. Quod castum est sic ametur, vt quod verum est, non negetur. Nam quid mali non possunt etiam de sua carne cogitare, qui credunt Apostolicam linguam in eo ipso loco vbi virginitatem corporis commendat, a corruptione mendacij virginem non fuisse? primitus ergo ac maximè, qui bonum virginitatis eligunt, Scripturas sanctas firmissimè teneant nihil esse mentitas: ac per hoc etiam illud verum esse quod dictum est: & si acceperis vxorem, non peccasti, &c. nec putent minui tam magnum integritatis bonum si nuptiæ non erunt malum. S. Aug.

** 7. Nuptiæ secundæ magis robur, quàm infirmitatem carnis arguunt. De Monog. cap. 16. in p.*

RIdeo autem cùm infirmitas carnis opponitur, quæ summa fortitudo dicenda est. Iterum nubere, est res virium; resurgere in opera carnis de continentiæ otio, substantia est laterum. Talis infirmitas, & tertio, & quarto, & vsque septimo forsitan matrimonio sufficit; vt quæ totiens fortior, quotiens fuerit infirmior, habitura jam non Apostolum auctorem, sed Hermogenem aliquem, plures solitum mulieres ducere quàm pingere. Materia enim in illo abundat, vnde & animam esse præsumens, multò magis spiritum à Deo non habet, jam nec Psychicus, quia non de afflatu Dei, Psychicus.

NVPTIÆ SECVNDÆ. 7. SCHOL.

SVBSTANTIA EST LATERVM, *honestiùs dixit, quam lumborum; & pulchrè,* continentiæ otium; *dum vacat orationi, & exercitiis spiritalibus animum, tantò liberior, quanto minus carnis operibus intendit.* INFIRMITAS SVFFICIT. *Perbellè & scitè. Fortis infirmitas, quæ præualet animo, sed contrà Paulus;* cum infirmor, *carne, infirmitatibus debilitatâ,* tunc potens sum. *animo superante. Sic ergo Paulus indulget infirmitati carnis, vt non insultet, sicut hic facit Tertullianus. Contra quem* C *sic torqueo. Aug. lib. de Sancta virginitate cap.* 10. Alij appetendo virginitatem, nuptias tanquam adulterium detestandas esse putauerunt. Alij verò defendendo connubium, excellentiam perpetuæ continentiæ nihil mereri amplius quàm coniugalem pudicitiam voluerunt; quasi vel Susannæ bonum, Mariæ sit humiliatio; vel Mariæ majus bonum, Susannæ debeat esse damnatio. Absit ergo, vt ita dixerit Apostolus, nuptis siue nupturis: *vbi expreßè loquitur* S. Aug.

de secundis nuptiis ego autem vobis parco; tanquam noluerit dicere, quæ pœna coniugatis in futuro sæculo debeatur. Absit vt à Daniele de temporali iudicio liberatam, Paulus mittat in gehennam. Absit vt maritalis thorus ei pœna sit ante Tribunal Christi, cui fidem seruando, elegit sub falsa accusatione adulterij, vel periclitari, vel mori. Quid egit vox illa, melius est mihi incidere in manus vestras quàm peccare in conspectu Dei, si Deus eam fuerat, non quia pudicitiam nuptialem seruabat, liberaturus; sed quia nupserat, damnaturus? & nunc quoties castitas coniugalis aduersus calumniatores criminatoresque nuptiarum, Scripturæ sanctæ veritate munitur toties à Spiritu sancto contra falsos testes Susanna defenditur. *Nec sola Susanna, pro vnico matrimonio castè transacto, sed & quælibet vidua ad secundas & tertias nuptias accedens hac Pauli voce defenditur, qua parcit & indulget ita infirmitati carnis, vt sine peccato fieri posse dicat; parcit autem, non quasi peccanti, sed parcit tacendo multimodam tribulationem carnis, ne ea recensita, à secundis nuptiis bonis repetendis deterreat.* NON APOSTOLVM AVTHOREM. *Immò verò vt toties inculcauimus cum Augustino.* HERMOGENEM, *contra* A *quem ex professo scripsit.* PLVRES MVLIERES. *Hunc carpit & quod sit incontinens, & quod malus pictor, pauciores pingeret mulieres, quam duceret vxores.* MATERIA ABVNDAT, *duplex acumen: pungit enim & eius lubricitatem in materia coniugij, & librum quem scripsit de materia Deo coæterna, ex qua eductam etiam putauit animam rationalem.* SPIRITVM NON HABET. *Stupidus est, vel non agnoscit animam à Deo insufflatam, quam carnalem potius extrahit à materia.* NEC PSYCHICVS, *id est Catholicus animalis, quales Tertullianus vocat Catholicos, ex quo defecit à fide. Brutum ergo animal, & omni humanitate spoliatum hic dicit Hermogenem.* QVIA NON DE AFFLATV. *Id est Catholicus non credit animam de afflatu Dei creatam. Et hæc contra veros Christianos* B *Romanos Tertulliani peruersi calumnia, cum omnes id credant. Hermogenem autem dicit jam nec Psychicum, licet Psychicus credat animam non esse de afflatu Dei, quia Hermogenes vt hæreticus ab Ecclesia recesserat, & quia Psychici non credebant cum Hermogene, animam ex materia æterna ortam. Quasi diceret; nec jam putes Hermogenem eo ipso Psychicum, Quia non hac in parte consentit Psychicis animam de afflatu Dei ortam fatentibus.*

8. *Nuptias secundas, vel luxuria, vel ambitio requirit. 1. ad vxo. cap. 4. à p.*

1. Io. 2. 16 DIsjunctis à matrimonio, duæ species humanæ imbecillitatis necessarias nuptias faciunt. Prima quidem potentissima, quæ venit de concupiscentia carnis: Sequens de concupiscentia seculi. Sed vtraque repudianda est à seruis Dei, qui & luxuriæ & ambitioni renunciamus. Carnis concupiscentia ætatis officia defendit, decoris messem requirit, gaudet de contumelia sua: dicit virum necessarium sexui, vt auctoritatis & solatij caussam, vel vt à malis rumoribus tuta sit.

NVPTIÆ SECVNDÆ. 8. SCHOL.

DISIVNCTIS, *soluto per mortem primo connubio.* REPVDIANDA. *Sanè, Ioanne teste. 1. Io. 2. 16.* Quoniam omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. ÆTATIS OFFICIA, *tuetur ætate nubili & pubertate, officio coniugali fungendum.* DECORIS MESSEM, *fructum pulchritudinis exigit carpere, voluptatem.* DE CONTVMELIA SVA. *Et hoc crudè nimis. Aug. libro de S. virginitate cap. 20.*
S. Aug. Nunc omnes mariti & vxores ex eo quod Apostolus dicere noluit, accusantur. Damnationem quippe vestram, inquiunt, tacuit cum ait; ego autem vobis parco. Quis hoc? nempe ille qui C superius dixerat: si acceperis vxorem, non peccasti, &c. Cur igitur in eo quod modestè tacuit, coniugiorum suspicamini crimen, & in eo quod apertè dixit, coniugiorum non agnoscitis defensionem? an eos damnat tacitus, quos locutus absoluit? nonne jam minus accusatur Susanna, non de coniugio, sed de ipso adulterio, quam doctrina Apostolica de mendacio? quid in tanto periculo faceremus, nisi tam certum apertumque esset, pudicas nuptias non debere damnari, quam certum apertumque est, sanctam Scripturam non posse mentiri. VT AVTHORITATIS, *respectu viri potentis.* MALIS RVMORIBVS, *spargi solitis de vidua pulchra juuene, innupta, exposita periculo.*

9. *Et iterum ibid. à m. ad f.*

CÆterùm, hæc secularis concupiscentia causas habet, gloriam, cupiditatem, ambitionem, insufficientiam per quas necessitatem nubendi subornat: videlicet cœlestia repromittens, dominari in aliena familia, in alienis opibus incubare, cultum de alieno
Matth. 6. extorquere, sumptum, quem non sentias, edere. Hæc procul à Fidelibus, quibus nulla
26. & 30. cura tolerandæ vitæ, nisi si diffidimus de promissis Dei, qui lilia agri tanta gratia vestit, qui volatilia cœli nullo ipsorum labore pascit, qui prohibet de crastino victu vestituque curare, spondens scire se quid cuique seruorum suorum opus sit. Non quidem monilium pondera, non vestium tædia, non Gallicos mulos nec Germanicos bajulos, quæ nuptiarum gloriam accendunt, sed sufficientiam, quæ modestiæ & pudicitiæ apta est. Præsume, oro te, nihil tibi opus esse, si Domino appareas: imò omnia habere, si habeas Dominum, cuius omnia. Cœlestia recogita, & terrena despicies. Nihil viduitati apud Deum subsignatæ necessarium est, quam perseuerare.

NVPTIÆ SECVNDÆ. 9. SCHOL.

SÆCVLARIS, *mundana digna concupiscentia viri secundi, post mortem primi.* INSVFFICIENTIAM. *Quasi ad tuendam generis nobilitatem, facultates sufficientes non habeas.* SVBORNAT, *subtexit, speciosam & appa-* D *rentem causam præ se fert. Hæc vox iuris teste Catanæo semper in malum sumitur. Cuius habes exemplum apud Paulum Iurisconsultum in l. alij propter. De Accusat. Sumitur autem pro summittere, delatorem, & accusatorem.*

torem. l. diuus. ff. de iure patronatus. Subordinatio item A *latens est seductio. vt in Clem. testibus. de test.* VIDELICET, *ironicè dictum. Quasi verò hæc carnis concupiscentia coram oculis habeat cœlestem mercedem toties à Deo promissam continentibus, vel per* cœlestia *intelligit magna quædam & augusta bona. Sed iniusta carpit, cum vir secundus filios & familiam habeat prioris vxoris defunctæ, vel parentes indigos, & iure naturali successores, quos ipsa fraudabit.* QVEM NON SENTIAS. *Cui comparando, non collaborasti.* EDERE, *consumere, vel in pompis impendere. Alij legunt:* de alieno extorquere sumptu, quem non sentias cedere in te. *id est in vsus tuos non verti iustè & debitè.* NISI SI DIFFIDIMVS. *nisi fortè diffidamus. Ephes.* 5. 6. Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. *Syr. autem:* filios immorigeros. *id est moribus paternis & iussis non respondentes.* QVI LILIA AGRI. *Locus communis Matth.* 6. B 26. *&* 30. *quem iam alibi retulimus, & verbo* Prouidentia, *infrà referemus.* DE CRASTINO VICTV. *Augustinus libro contra Adimantum Manichæi discipulum*
S. Aug. *cap.* 24. De eo quod scriptum est apud Salomonem Prouerb. 6. 6. Imitare formicam, & intuere diligentiam eius, quia ab æstatis tempore vsque ad hyemem colligit sibi alimonias. Neque hoc intelligunt Manichæi spiritaliter esse accipiendum, & putant præceptum esse vt thesaurisemus in terra, vt etiam curemus hæc hortea, quæ sine vllo præcepto multùm homines implere festinant. Et ideò illud Adimantus ex Euangelio dicit aduersum esse huic sententiæ, vbi Dominus ait; Nolite cogitare de crastino. Sed neque hoc intelligunt ad id pertinere, vt temporalia non amemus, neque timeamus, ne nobis desint necessaria, & propter ipsa conquirenda. vel Deo, vel hominibus seruiamus. Nam si hoc ideò dictum est, vt non seruetur panis in crastinum. magis hoc implent vagi Romanorum, quos passiuos appellant, qui annona quotidiana satiato ventre, aut donant statim quod restat, aut proiiciunt: quam vel Domini discipuli, qui etiam cum ipso Domino cœli & terræ in terra ambulantes loculos habebant; vel Paulus Apostolus qui omnium terrenorum contemptor, sic tamen gubernauit ea quæ præsenti vitæ erant necessaria, vt etiam de viduis præceperit dicens: Si quis fidelis habet viduas, sufficienter tribuat illis, vt non grauetur Ecclesia, quo veris viduis sufficere possit. 1. *Tim.* 5. 16. *quod intelligit Paulus de viduis, filiabus aut ancillis,* sed tamen illud de formica ita positum est, vt quemadmodum illa æstate colligit, vnde in hyeme pascatur, sic vnusquisque Christianus in rerum tranquillitate, quam significat, æstas, colligat verbum Dei, vt in aduersitate & tribulationibus quæ hyemis nomine significantur, habeat vnde spiritaliter viuat: non enim in solo pane viuit homo, &c. Si autem eos hoc mouet, quod in terra condit formica quod colligit; irascantur etiam illi thesauro, quem Dominus in agro dicit inuentum, TÆDIA, *id est nimium & solicitum cultum circa mutandas secundum nouitatem vestes, vel fastidia veterum,* NON GALLICOS MVLTOS. *alij* mulos, *scilicet ad sellas gestatorias. alij* Gallicos vultus, *id est Gallis candidis similes, Galli enim dicti* ἀπὸ τοῦ γάλακτος, *à lacte, ad comitatum scilicet venustiorem, quod prohibet Hieronymus scribens ad Furiam:* Nec candidulus, & rubicundus assecla adhæreat lateri tuo. *Et lib.* 1. *contra Iouinianum, notat circa fœminas molles.* Formosum asseclam, procuratorem calamistratum. PRÆSVME *spera à Dei prouidentia tibi necessaria danda.* DOMI MO APPAREAS, *vox iuris. Vnde & dictus apparitor, id est Magistratus minister qui apparet & præsto est ad obsequium l. 1. ad inscriptionem, & Budæo, in forensibus apparere idem est quod officij & obsequij exhibendi gratia præsto esse.* SVBSIGNATÆ. *subscripta, obligata; consecrata Deo.*

* 10. *Nuptias secundas, vel ob inopiam, vel solitudinem, vel posteritatem petere, pudendum & vanum est. De Monog. cap. 16. a p.*

QVid si inopiam quis causetur, vt carnem suam apertè prostitutam profiteatur, exhibitionis causâ nubentem, oblitus de victu & vestitu non esse cogitandum? habet Deum etiam coruorum educatorem, etiam florum excultorem. Quid si solitudinem domus obtendat? quasi vna mulier frequentiam præstet, homini ad fugam proximo. habet Matth. 6. 26. & 30.
viduam vtique, quam adsumat licebit. Non vnam generis humani vxorem, sed etiam plures habere concessum est. Quid si de posteritate quis cogitet iisdem animis, quibus oculis vxor Loth, vt ideò quis repetat matrimonium, quia de priore liberos non habuit; Gen 19. 26.
heredes scilicet Christianus quæret, seculi totius exheres? habet fratres, habet Ecclesiam matrem. Aliud est, & si apud Christum legibus Iuliis agi credunt, & existimant cœlibes & orbos ex testamento Dei solidum non posse capere,

NVPTIÆ SECVNDÆ. 10. SCHOL.

APERTE PROSTITVTAM. *Quia sicut meretrix corpus suum venale prostituit ad victum.* Et pro panibus se lotat, & immolat filias suas Dæmoniis, & Beelphegot initiat: *Ita suo modo vidua (quam etiam & multò magis quàm viduum hominem, sub sexu meliori comprehendit) quæ ideò tantùm nubit, vt necessaria, vel superflua sibi à secundo coniugio exhibeantur. Sed dura vox prostitutionis, & ex libro corrupti iam Tertulliani sumpta, correctiunem hic accipiat*
S. Aug. *ab Augustino, libro de hæresibus hæresi* 86. Tertullianus factus hæreticus, quia transiens ad Cataphryges quos antè destruxerat, cœpit etiam secundas nuptias contra Apostolicam doctrinam tanquam stupra damnare, & postmodum etiam ab ipsis diuisus, sua conuenticula propagauit. FREQVENTIAM; C *multitudinem personarum ad societatis numerosæ consolationem.* AD FVGAM PROXIMO, *imminente persecutione; quam tamen ipse alio errore non esse fugiendam toto libro declamat. Nisi etiam secundò nubentem, ob mollitiem carpat: quod vt statim conuolat ad secundi matrimonij delicias, sic tormenta refugit. Vel adhuc literalius, opponit fugæ solitudinem frequentiæ & multitudini. Vel denique, quod instante iam mundi fine, ob quem frequentiùs idem Author iuxta Paulum velit ipsos etiam coniuges, ita se habere, quasi non habeant vxores, vt Christus dixit:* Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes. *Vel quòd homo ipse de vita fugaci omni hora exire sit proximus.* HABET VIDVAM. *Sunt enim multæ viduæ deuotæ sexagenariæ, fratribus Christianis ministrantes, castè viuentes: & pleræque pau-*

peres; vnam assumat, non in coniugem, sed ministram: plures etiam huius generis, id est ordinis viduarum, potest sumere, & apud sectarum collegium instituere & nutrire, si bonis abundat, & solam societatem quærit. QVIBVS OCVLIS VXOR LOTH. *Difficilis locus, & intactus à Commentatoribus. Cùm enim comparet affectus secundò nubentium cum oculis vxoris Loth, post tergum respicientis: & agat de heredibus ex priore coniugio non susceptis, propter quam orbitatem nuptiæ repetantur, non video vllam conuenientiam; nisi simpliciter Author conferat cum retrospiciente fœmina, retrospicientes post se, se non suscepisse liberos ex priori coniugio; quod quidem dici potest, monente etiam Christo, vbi loquitur de Iudicio proximo, Luc. 17. 32.* Memores estote vxoris Loth. *de qua sic Augustinus lib.*

S. Aug. *6. de Ciuit. cap. 30.* Quò pertinet quod prohibiti sunt qui liberabantur ab Angelis, retrò respicere, nisi quia non est animo redeundum ad veterem vitam, qua per gratiam regenerati exuimur, si vltimum iudicium euadere cogitamus? Denique vxor Loth vbi respexit, remansit; & in salem conuersa, hominibus fidelibus quoddam præstitit condimentum, quo sapiant aliquid, vnde illud caueatur exemplum. *Ego quidem suspicor, cum agat de liberis & posteris relinquendis, per vxorem Loth, non hanc in statuam salis conuersam, sed vtramque ipsius Loth filiam subinnuisse, quæ in locum matris alterno concubitu cum patre inebriato, tanquam vxor se supposuit, maximè cum adulterinas, constupratas & incestas habuerit secundas nuptias Tertullianus. Ita enim Genes. 19. 31. & sequent.* Mansit in spelunca ipse & duæ filiæ cum eo. Dixitque maior ad minorem, pater noster senex est, & nullus virorum remansit in terra, qui possit ingredi ad nos, &c. veni, ebriemus eum vino, dormiamusque cum eo, vt seruare possimus ex patre nostro semen, &c. *de quibus sic Augustinus lib. 22. contra Faustum Ma-*

S.Aug. *nich. cap. 42.* In ipso Loth, quando cum eo filiæ concubuerunt, non illud quod cùm a Sodomis liberatus est, sed aliud aliquid figuratum est: nam tunc ille ipse Loth futuræ legis *Mosaicæ* videtur gestasse personam, quam quidam ex illa procreati, & sub lege positi, malè intelligendo quodammodo inebriant; eaque non legitimè vtendo, infidelitatis opera pariunt. Bona est enim lex, ait Apostolus, 1. *Timoth.* 1. 8. si quis eâ legitimè vtatur, &c.

S. Aug. *Et cap. 43.* Nec tantâ reprehensione atque accusatione res digna est, quantam in eam Faustus inimicus & cæcus euomuit. Consulitur enim æterna lex illa ordinem naturalem conseruari iubens, perturbari vetans, & non ita de hoc facto iudicat, ac si ille in filias nefariâ libidine exarserit, vt earum incæstato corpore frueretur, aut eas haberet vxores. Sed nec de illis fœminis, ac si in sui patris carnem execrabili amore flagrassent, ratio quippe iustitiæ non tantùm quid factum sit, verùm etiam quare factum sit intuetur, vt ex causis suis facta perpendentia, libramento æquitatis examinet. Cùm igitur illæ ad conseruationem generis prolem quærerent, quia vtique in eis humanus erat & naturalis affectus, nec se crederent inuenire posse alios viros, velut exusto illa conflagratione orbe terrarum, neque enim discernere poterant, quousque ignis ille sæuierit, miscere se patri voluerunt. Potiùs quidem nunquam esse matres, quàm sic vti patre debuerunt. Verumtamen multùm interest, quòd ea causa vsæ sunt, quam si concupiscentia tam funestæ voluptatis vterentur. Ab illo autem opere ita patrem abhorrere sentiebant, vt id se impleturas esse non crederent, nisi eius ignorantiam procrearent.

Sic autem concludit caput 45. Deus ergo qui nouit & de hominum opere malo facere bona opera, gentes quas voluit, *Moabitas & Ammonitas*, ex illo semine propagauit, non Scripturas suas, propter hominum peccata damnauit. Prodidit quippe ista, non fecit: & cauenda admonuit, non imitanda proposuit. EXHERES, *qui toti mundo renuntiauit.* FRATRES. *Pauperes Christianos, de quibus Christus;* Quod vni ex his fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis. APVD CHRISTVM, *in lege noua.* LEGIBVS IVLIIS. *Exponit quid sit, non posse scilicet cælibes & orbos, hoc est viduos & orbatos coniuge, ex asse in solidum heredes institui, cùm totum cæli regnum & omne bonum à Deo, ipsumque Deum pro hæreditate expectet Christianus, lege autem Iulia, & Papia Poppæa iuxta Cuiacium, qui neque liberos susceperint, neque matrimonium contraxerint, heredes ex asse institui non poterant. Quæ lex sublata primò a Seuero, posteà aliis Imperatorum statutis, posteà à Constantino, deinde ab Honorio: tandem à Iustiniano l. 1. C. de caduc. toll. Aduertit autem Baro. Ann. Christ. 320. Constantinum leges aduersus cælibatum statutas: quibus cælibes à suorum successione submouebantur, indéque thesaurus ingens ærario inferebatur, nouâ sanctione abrogasse, quod habetur l. 1. C. Theod. de infirm. pœn. cœlib. ægrè quippe ferebat tam mulctatos sterilitate, pecunia mulctari, & hæreditate primari eos qui virginitati aut continentiæ se deuouissent. Eusebius porrò. 4. de vitâ Const. 26. Sozomen. libro 1. cap. 19, referunt Constantinum maiora priuilegia concessisse iis qui se virginitati consecrassent, nimirum vt tam masculi quàm fœminæ, etiamsi adhuc impuberes essent, testamenta condere possent: Cùm & ideò veteres quoque Romani per leges id concessissent Vestalibus, vt etiam sexto ætatis anno testari possent. Euseb. præterea 4. de vit. 28. refert Constantinum plurimas sanctas Dei virgines coluisse, & Theodoretus lib. 1. cap. 11. eas ex publico aluisse. Reprobat rursum Tertull. leges Iulianas & Papias libro de exhort. castitatis cap. 12.* Sufficiat ad consilium viduitatis, vel præcipua causa, importunitas liberorum, ad quos suscipiendos legibus compelluntur homines, quia sapiens quisque nunquam liberos desiderasset. *Et lib. 1. ad Vxorem cap. 5.* Quærenda nobis onera sunt, quæ etiam a Gentilium plerisque vitantur, quæ legibus coguntur. *Et in Apolog. cap. 4.* Nonne vanissimas Papias leges, quæ ante liberos suscipi cogunt quam Iuliæ matrimonium contrahi. Post tantæ authoritatis senectutem, heri, Seuerus constantissimus principum exclusit. *Vide Cod. tit. de infirmandis pœnis cælibum & orbitatum. Videndus Dio. lib. 55. Isid. cap. 5. Etym. lib. 25. vbi de Papio & Poppæo suffectis Consulibus, qui ex Augusti tunc imperantis iussu tulerunt legem continentem præmia danda patribus qui liberos susciperent.*

II. *Nuptiæ secundæ frustrà quæruntur causâ liberorum, sub finem mundi proximum indecentes, & persecutionis vltimæ tempore, onerosæ.* 1. *ad vxo. cap.* 5. *per totum, &* 6. *in p.*

ADiiciunt quidem sibi homines causas nuptiarum de solicitudine posteritatis, & liberorum amarissima voluptate. Nobis otiosum est. Nam quid gestiamus liberos gerere, quos cum habemus, præmittere optamus, respectu scilicet imminentium angustiarum, cupidi, & ipsi iniquissimo isto seculo eximi, & recipi ad Dominum? quod etiam Apostolo votum fuit. Phil. 1. 23. Nimirùm necessaria soboles seruo Dei. Satis enim de salute securi sumus, vt liberis vacemus: quærenda nobis onera sunt, quæ etiam à Gentilium plerisque vitantur, quæ legibus coluntur, quæ parricidiis expugnantur: nobis demum plurimùm importuna, quantum fidei periculosa. Cur enim Dominus: [a] *Væ prægnantibus & nutricantibus*, cecinit, nisi quia filiorum impedimenta testatur in illa die expeditionis incommodum futura? a Matth. 24. 19. ea vtiquè nuptiis imputantur. Istud autem ad viduas non pertinebit: ad primam angeli tubam expeditæ prosilient: quamcunque pressuram persecutionémque liberè perferent, nulla in vtero, nulla in vberibus æstuante sarcina nuptiarum. Igitur siue carnis, siue seculi, siue posteritatis gratia nubitur, nihil ex istis necessitatibus competit Dei seruis, vt non satis habeam semel alicui earum succubuisse, & vno matrimonio omnem concupiscentiam huiusmodi expiasse. Nubamus quotidie, & nubentes à die illo timoris deprehendamur, vt Sodoma & Gomorrha. Gen. 19. 24. Nam illic non vtique nuptias & mercimonia solummodo agebant: sed cùm dicit, [b] *Nubebant & emebant*, insigniora ipsa carnis & seculi vitia denotat, quæ à diuinis disciplinis plurimùm auocent: alterum per lasciuiendi voluptatem, alterum per acquirendi cupiditatem. b Matth. 24. 38. Luc. 17. 28 Et tamen illa tunc cæcitas longè à finibus seculi habebatur. Quid ergo fiet, si quæ olim detestabilia sunt penes Dominum, ab iis nunc nos arceat? [c] *Tempus*, inquit, *in collecto est. superest, vt qui matrimonia habent, tanquam non habentes, agant.* c 1. Co. 7. 29. Quod si habentes obliterare debent quod habent, quantò magis non habentes prohibentur repetere quod non habent, vt cuius maritus de rebus abiit, exinde requiem sexui suo nubendi abstinentia iniungat? Cap. VI. quam pleræque Gentilium fœminarum memoriæ carissimorum meritorum parentant.

NVPTIÆ SECVNDÆ. II. SCHOL.

ADICIVNT. *Inter alias causas quibus homines dicunt se impelli ad secundas nuptias, addunt curam nominis & familiæ per posteros propagandæ.* AMARISSIMA VOLVPTATE, *disertissimè dictum, vnâ rosa mille spinis inuoluta carpitur in voluptate procreandorum liberorum, tam in dolore partus mulieris, & condolentia viri, quàm vtriusque educandæ & promouendæ prolis amarissima cura.* NOBIS, *Christianis, quotidie* expectantibus Dominum donec reuertatur à nuptiis, *& extremam antichristi persecutionem.* OTIOSVM, *vanum est hoc desiderium, quod Ethnicis, id non credentibus, est rationabile, in posteris renascendi, vel viuendi desiderium. Alij legunt,* odiosum. *quod intellige sensu Christi dicentis, quoties de amore Dei super omnia, & fide sustinenda agitur.* Qui non odit patrem suum & matrem suam, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. GESTIAMVS GERERE, *vnde tantus pruritus procreandi liberos, vt mulier sibi ventris & vberum onus, & pater humeris tantum pondus imponat? Alij legunt,* serere, *ad multiplicationem posteritatis.* PRÆMITTERE OPTAMVS. *Aug. epist.* 6. *ad Italicam in p.* S. Aug. Non te desolatam putare debes, cùm in interiore homine habeas præsentem Christum per fidem in corde tuo: aut sic te contristari oportet quemadmodum gentes: quæ spem non habent, cùm veracissima promissione speremus nos in hac vita, vnde migraturi, quosdam nostros migrantes non amisimus, sed præmisimus, ad eam vitam esse venturos, vbi nobis erunt quantò notiores, tantò vtique chariores, & sine timore vllius dissensionis, *alia lectio, discessionis*, amabiles. Hic autem & coniux tuus, cuius abscessu vidua diceris, tibi notissimus erit: qui quamuis & hic tibi notus esset, sibi tamen notior erat quàm tibi. Et vnde hoc, cùm tu eius corporalem faciem videres,

A quàm ipse vtique non videbat, nisi quia notitia nostri certior intus est, vbi nemo scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est 1. *Corinth.* 2. *&* 4. sed cùm venerit Dominus, & illuminauerit abscondita tenebrarum, & manifestauerit cogitationes cordis; tunc nihil latebit proximum in proximo: nec erit quod suis quisque aperiat, abscondat alienis, vbi nullus erit alienus. IMMINENTIVM ANGVSTIARVM; *extrema jam persecutione instante.* EXIMI, *quasi magna gratia sit, priuilegium, exemptio à lege seuerissima; etiam per mortem, eripi angustiis huius persecutionis; quam sic exaggerat Christus, vt dicat:* Erit tunc tribulatio magna, qua-
B lis non fuit ab initio, nec posteà futura est. APOSTOLO VOTVM, *summum desiderium. ad Philipp.* 1. 22. Quid eligam, ignoro. Coarctor autem è duobus; desiderium habens dissolui & esse cum Christo, multò magis melius: permanere autem in carne necessarium propter vos. *Aug. in Psalm.* 145. S. Aug. Dominus soluit compeditos, &c. Vnde sumus compediti? vnde elisi? corpus nostrum ornamentum nobis fuit, peccauimus, & compedes indè accepimus: quæ sunt compedes nostræ? mortalitas ipsa. Audi Apostolum Paulum, quia & ipse adhuc in hac peregri-
C natione compeditus erat. Quanta peragrauit compeditus iste? non illi fuerunt graues compedes, cum ipsis compedibus toto orbi Euangelium prædicauit; spiritus charitatis rapuit compedes, & circumiuit quantum potuit. Sed tamen quid dicit? concupiscentiam habens dissolui & esse cum Christo. Quid est, dissolui? à compedibus mortalitatis. Et tamen misericordiâ adhuc volebat esse in compedibus propter alios compeditos, quibus ministraret. Manere, inquit, in carne, necessarium propter vos. Dominus ergo sol-

vit compeditos, id est ex mortalibus immortales fecit. Dominus erigit elisos. Quare elisi sunt? quia erecti erant. Quare eriguntur? quia humiliati sunt. Cecidit atque elisus est Adam. Ille cecidit, Christus descendit. Quare descendit qui non cecidit, nisi vt leuaretur qui cecidit.

NIMIRVM NECESSARIA, *ironicè dicta.* LEGIBVS COLVNTVR. *Ad quæ onera subeunda lege Iulia, Papia, Poppæa, priore Scholio memoratis, compelluntur, sine quibus plurimi non nuberent. Alij legunt:* locantur; *quasi mercede conducti ad opus laboriosum. Alij* coguntur. *Sic L. XII. tabularum:* Censores Cœlibes esse prohibunto. *Plato libro 6. de leg. post trigesimum quintum annum non nubentes pecuniis, & honorum priuatione mulctauit.* DE SALVTE NOSTRA *Alij legunt,* de sorte nostra. *quod vel ad salutem æternam, vel temporalem vitam referri potest; quasi diceret, cùm vix sufficiat sors rei domesticæ alendis iam genitis, quid alios procreemus, quorum cura magis implicet animum, & à salutis negotio auocet?* PARRICIDIIS EXPVGNANTVR. *Onera scilicet liberorum, vel à matre in vtero, vel ab vtroque parente præ tedio & inopia posteà trucidantur.* QVANTVM FIDEI, *quasi diceret, tantò magis importuna nobis Christianis, quod naturali in liberos teneritudine suadente, aut eorum cura & fidei, à persecutoribus renuntiare cogimur.* NVTRICANTIBVS, *alij,* nutrientibus. *locum habes alibi expositum.* DIE EXPEDITIONIS, *persecutionis vltima, qua omnibus expediti, nec tunicam aut aliquid de domo tollere monemur ab ipso iudice.* ISTVD AVTEM, *væ scilicet non dirigitur in viduas.* PRIMAM ANGELI TVBAM. *vel respicit tubam Archangeli, de qua Paulus, excitante mortuos à sepulchris; vt in munus continentiæ vidualis, agilitate præcipua exurgant viduæ, & rapiantur obuiam Christo in aëra, præ nuptis, onerosioris corporis, ob nuptias iteratas: vel magis ad litteram, respicit persecutionem vltimam, ad quam subeundam alacres in arenam cum persecutore congressuræ prosilient. Per Angelum igitur tubicinantem, vel prælatum hortantem ad pugnam intellige. Vel alludit ad Apoc. 8. 6.* Septem Angeli qui habebant septem tubas, præparauerunt se vt tuba canerent. Et primus Angelus tubâ cecinit, & facta est grando & ignis mista in sanguine, & missum est in terram, & tertia pars terræ combusta est, & tertia pars arborum concremata est, & omne fœnum viride combustum est. *Quæ omnia præcedent antichristi aduentum.* ÆSTVANTE, *grauante, vel fœtu in vtero, vel pueris lactentibus in mammis.* EXPIASSE, *aliàs diceret, expunxisse, implesse, nisi verbis, honestate Sacramenti, expiari sordes voluptatis.* NVBAMVS, *ironicè, & impatienter dicta.* VT SODOMA. *Augustinus libro tertio de doctrina Christiana cap. 36.* In Euangelio dicit Dominus, *Luc. 17.* die quo exiit Loth à Sodomis, pluit ignem de cœlo, & perdidit omnes: secundum hæc, erit dies filij hominis, quo reuelabitur. Illa hora qui erit in tecto, & vasa eius in domo, non descendat tollere illa: & qui sit in agro similiter non reuertatur retrò. Meminerit vxoris Loth. Nunquid cùm dominus fuerit reuelatus, tunc sunt ista seruanda, ne

S. Aug.

A quisque retrò respiciat, id est vitam præteritam. *adderet hic Tertullianus nuptias,* cui renuntiauit, inquirat: Et non potiùs isto tempore, vt cùm Dominus fuerit reuelatus, retributionem pro eis quæ quisque seruauit, vel contempsit, inueniat? Et quia dictum est, in illa hora, tunc putantur ista seruanda: cùm fuerit Dominus reuelatus: nisi ad intelligendam recapitulationem, sensus legentis inuigilet, adiuuante alia Scriptura, quæ ipsorum Apostolorum adhuc tempore clamauit. *1. Ioan. 2.* Filij, nouissima horâ est. Tempus ergo ipsum quo Euangelium prædicatur, quousque Dominus reueletur, hora est in qua oportet ista seruari; quia & ipsa reuelatio Domini ad eandem horam pertinet, quæ die Iudicij terminabitur. NVBEBANT ET EMEBANT. *Non audiendus Pamelius, nec Lacerda, qui lapsum hic memoriæ notant in Tertulliano; non aduertentes Authorem Scripturâ redundantem, ex duobus Euangelistis Matthæo & Luca dies Noë & Loth, nuptias,*

B *que & mercaturam contexuisse. Sic enim Matth. 24. 38.* Sicut erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, & nuptui tradentes vsque ad eum diem quo intrauit Noë in arcam: & non cognouerunt donec venit Diluuium, & tulit omnes, ita erit & Aduentus filij hominis. *Luc. autem 17. 28. cùm retulisset de die Noë, nuptias de Loth subiicit;* Similiter sicut factum est in diebus Loth: Edebant, & bibebant, emebant & vendebant, plantabant, & edificabant: quâ die autem exiit Loth à Sodomis, pluit ignem & sulphur de cœlo, & omnes perdidit. Secundum hæc erit, quâ die filius hominis reuelabitur. DENOTAT. *arguit, notâ pudoris aspergit.* SÆCVLI VITIA. *Carnis quidem vitium concupiscentia, sæculi autem, id*

C *est mundi, auaritia: propter iniustitiam frequentem in venditionibus, emptionibus, commerciis.* DISCIPLINIS, *Christi documentis.* CÆCITAS, *dierum Noë & Loth, longè remotior à fine mundi, nostrâ tolerabilior.* CVPIDITATEM, *alij* voluntatem, NVNC ARCEAT, *quasi diceret, quanto nos sumus damnabiliores apud Deum; primorum temporum hominibus sæculi voluptati & auaritiæ deditis, quibus & nunc iudicio proximis dat eadem monita ab iisdem abstinendi quibus & illi licet, remoti ab vltima persecutione ante Christi Aduentum iam abstinere debebant?* OBLITERARE, *obliuisci delere de memoria & affectu.* DE REBVS ABIIT, *excessit à viuis.* SEXVI SVO, *suæ coniugi. Benè* suo, *ob relationem:* & ad virum tuum conuersio tua. *Et quia* mulier potestatem sui corporis

D non habet. *scilicet dum viuit vir eius. Nam per eius mortem liberatur, vt ait idem 1. Cor 7. 39.* Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit: quod si dormierit vir eius, liberata est; cui vult nubat, tantùm in Domino. REQVIEM, *vacationem ab opere coniugali, cessationem, & finem nubendi sibi imponat.* QVAM PARENTANT, *iusta persoluendo mariti functi Manibus, immolant veluti victimam funeris, castitatem vidualem, in honorem memoriæ maritorum aliquæ Heroinæ Gentiles, qualis Dido vidua Asdrubalis, Calpurnia, &c.*

OBEDIENTIA OMNI OPERI PRÆLATA.

V. verbum. humilitas num. 3. Et Verbo. seruus Dei num. 12. 4.

OBLIVIO.

1. *Obliuio & reminiscentia Platonica refutatur. De Ani. cap. 24. in p.*

PRimò quidem obliuionis capacem animam non cedam, quia tantam illi concessit diuinitatem, vt Deo adæquetur. innatam eam facit, quod & solùm armare potuissem ad testimonium plenæ diuinitatis: adjicit immortalem, incorruptibilem, incorporalem, quia hoc & Deum credidit, inuisibilem, ineffigiabilem, vniformem, principalem, rationalem, intellectualem. Quid amplius proscriberet animam, si eam Deum nuncuparet? Nos autem qui nihil Deo appendimus, hoc ipso animam longè infra Deum expendimus, quod natam eam agnoscimus, ac per hoc dilutioris diuinitatis, & exilioris felicitatis; vt flatum, non vt spiritum; & si immortalem, vt hoc sit diuinitatis, tamen passibilem, vt hoc sit natiuitatis. ideoque & à primordio exorbitationis capacem, & inde etiam obliuionis affinem. Satis de isto cum Hermogene. *V. Reliqua verbo, anima potentia. num. 11. circa medium.*

OBLIVIO. 1. SCHOL.

A NON CEDAM, *concedam, alij legunt*; non credam.) CONCESSIT, *Plato scilicet contra cuius obliuionem hic agit Tertullianus.* ADÆQVETVR. *Comparetur; & diuina dicatur: sic Plato in Phædone:* non videtur tibi diuinum quidem tale naturâ esse vt imperet, & principatum gerat *homo scilicet ex parte rationali* mortale verò, *ex corpore*, vt seruiat, & subiectum sit? mihi sanè. Vtri igitur anima similis est? nimirum ô Socrates, anima diuino, corpus mortali. Considera itaque, ô Cebes, an ex omnibus relatis hæc nobis efficiantur, diuino quidem & immortali & vniformi, & semper similiter, & secundùm eadem se habenti, esse animam, &c. *Sic & Philolaus dixit animam relicto corpore*, fieri Deum immortalem. ARMARE, *quasi forte argumentum proferre ad probandum animam esse plenè diuinam.* PROSCRIBERET. *Non hîc significat in exilium pellere, vel per scripturam venalem* B *publicaret, sicut Codice de fide instrum. & de jur. hast. fisc. lib. 10. l. vlt. sed palam ac publicè proposito libello significare. l. 11. §. 1. ff. de Instit. Vlpianus in dicta leg. 11. §. 1. Palam, proscriptum intelligit, quod ita positum est vt de plano legi possit. Quasi diceret Tertull. quomodo planius animam excellentissimam scriberet, quid de ea sublimius diceret, si eam Deam appellare vellet?* NIHIL DEO APPENDIMVS. *Qui animam non facimus, vt Plato, quandam appendicem diuinitatis, & particulam ab eo fluentem. Vel qui nihil cum Deo appendendum, ponderandum, ex æquo comparandum putamus* DILVTIORIS. *Minutioris.* VT FLATVM, *quam insufflauit Deus in Adam.* NON VT SPIRITVM, *Sanctum scilicet, qui à Deo procedit. Aug.* C S. Aug. *lib. 10. de Gen. ad lit. cap. 5. vbi ex Ezech. 37. refert ventum flantem ex quatuor partibus mundi, & agit de Christo insufflante in Apostolos:* Neque enim flatus ille ex corpore Domini substantia erat Spiritus sancti, quando sufflauit & ait; accipite Spiritum sanctum: sed vtique significatum est, sic etiam ab ipso procedere Spiritum sanctum, quomodo ab eius corpore flatus ille processit. Sed quia mundus non ita Deo coaptatur ad vnitatem personæ, sicut caro illa Verbo eius vnigenito filio, non possumus dicere ita esse animam de substantia Dei, quemadmodum flatus ille à quatuor ventis de natura mundi factus est: sed tamen aliud eum fuisse, aliud significasse puto, quod exemplo flatus ex corpore Domini procedentis rectè intelligi potest, &c. Illud ergo jam videamus cuinam potius sententiæ diuina testimonia suffragentur, eine qua dicitur animam vnam Deum fecisse, & dedisse primo homini, vnde cæteras faceret, sicut ex eius corpore cætera hominum corpora, *quod erroneè sensit Tertullianus, animas*

A *omnes ex Adæ anima traductas sentiens, sicut ex eius corporis semine omnia corpora*, an ei qua dicitur singulas singulis facere, sicut ille vnam, non ex illa cæteras. SIT DIVINITATIS, *vt hoc probetur eam participatiuè diuinam.* PASSIBILEM, *mutabilem & passionibus subditam, quo probatur non esse innatam.* EXORBITATIONIS, *erroris & culpæ.* OBLIVIONIS AFFINEM. *Quæ possit obliuisci. Sicut de facto oblitus est Adam, nec memor fuit præcepti Dominici, & errauit à via veritatis & justitiæ originalis; vnde &* Enos, *id est obliuiosus, significat hominem. Nam in Psalmo 8. vbi vulgata, versu. 5.* Quid est homo quod memor es eius? *Hebraicè habetur*, quid est Enos? *& aptè in rem nostram sequitur;* Minuisti eum paulò minus ab Angelis. *Hebraicè habetur, ab* Elohim. *Id est juxta Hiero-* B *nymum, paulo minus à Deo. Hinc igitur benè Tertullianus armat argumentum Platonis contra ipsum, vt hoc ipso probet animam obliuionis incapacem, quod eam fatiat innatam, & Deo in cæteris similem. In Deum enim obliuio non cadit. Aug. in Psal. 9.* Requirens sanguinem eorum memoratus est; id est veniet vltimum judicium, vbi & interfectorum gloria, & interficientium pœna manifesta fiet. Memoratus est autem, nemo ita positum putet, quasi obliuio cadat in Deum: sed quia post longum tempus futurum est judicium, secundùm affectum infirmorum hominum positum est, qui quasi oblitum Deum putant, quia non tam citò facit, quàm ipsi volunt. His dicitur etiam quod sequitur, non est oblitus clamo- C rem pauperum. Id est, vt putatis, oblitus est: quasi diceretur posteaquam audierunt, memoratus est; ergo oblitus erat. Non est oblitus, inquit, clamorem pauperum. *Videndus Augustinus lib. 10. Confess. c. 11. 13. 14. 15. & 16. & seq. vbi mira narrat de memoria & obliuione humanæ animæ. Vnicum hunc locum attexam pietatis Augustini indicem; eodem libro. cap. 24.* Ecce quantum spatiatus sum in memoria mea, quærens te Domine, & non te inueni extra eam. Neque enim aliquid de te inueni quod non meminissem, ex quo didici te. Nam ex quo didici te, non sum oblitus tui. Vbi enim inueni veritatem, ibi inueni Deum meum ipsam veritatem, quam ex quo didici, non sum oblitus. Itaque ex quo didici te, manes in memoria mea, & illic te inuenio, cum reminiscor tui, & delector in te. *Memor fui Dei, & delectatus sum.* Hæ sunt sanctæ delitiæ meæ, quas donasti mihi misericordiâ tuâ, respiciens paupertatem meam. CVM HERMOGENE, *in libro quem ipsemet citat à se compositum*, de censu animæ.

S. Aug. (margin, beside "nem eorum memoratus est")

S. Aug. (margin, beside "Ecce quantum spatiatus sum")

2. Oblivio Platonica frustrà tempori imputatur, nec procedit à corpore. De Ani. cap. 24. à m. ad f.

VNde nunc ipsa vis obliuionis antecedentis recordationem? Ex multitudine, ait, temporis. Satis improspectè. Quantitas enim temporis non pertinebit ad eam rem quæ innata dicatur, ac per hoc potissimum æterna credatur. Quod enim æternum est, eo quia & innatum est, neque initium, neque finem temporis admittendo, nullum modum temporis patitur; cui temporis modus nullus est, nec vlla demutatione tempori subest, nec ea de multitudine tempori vis est. Si tempus in causa est obliuionis, cur ex quo anima corpori inducitur, memoria delabitur, quasi exinde tempus anima sustineat, quæ sine dubio prior corpore, non fuit vtique sine tempore? Ingressa verò corpus, statimne obliuiscitur, an aliquanto pòst? Si statim, & quæ erit temporis nondum supputandi multitudo? infantia scilicet. Si aliquanto pòst, ergo illo in spatio ante tempora obliuionis, memor adhuc aget anima. Et quale est, vt postea obliuiscatur, & rursus postea recordetur? Quoquo autem tempore illam obliuio irruerit, quantus hic etiam habebitur modus temporis? tota opinor vitæ decursio satis non erit ad euertendam memoriam tanti ante corpus æui. Sed rursus Plato, causam demutat in corpus. quasi & hoc fide dignum, vt nata substantia innatæ vim extinguat. Magnæ autem & multæ differentiæ corporum, pro gentilitate, pro magnitudine, pro habitudine, pro ætate, pro valetudine. Num ergo & obliuionum differentiæ æstimabuntur? Sed vniformis obliuio est; ergo non erit corporalitas multiformis in causa exitus vniformis. Multa item documenta, teste ipso Platone, diuinationem animæ probauerunt, quę proposuimus jam Hermogeni. Sed nec quisquam hominum, non & ipse aliquando pręsagam animam suam sentit, aut ominis, aut periculi, aut gaudij augurem. Si diuinationi non obstrepit corpus, nec memoriæ opinor officiet. In eodem certè corpore & obliuiscuntur animæ & recordantur. Si qua corporis ratio incutit obliuionem, quomodo contrariam eius admittet recordationem? quia & ipsa post obliuionem recordatio, memoria recidiua est. quod primæ memoriæ aduersatur, cur non & secundæ refragatur? Postremò, qui magis reminiscerentur quàm pueruli, vt recentiores animæ, vt nondum immersæ domesticis ac publicis curis, vt ipsis solis deditæ studiis, quorum discentiæ reminiscentię fiunt? Immo cur non ex æquo omnes recordamur, cum ex æquo omnes obliuiscamur? Sed tantummodo Philosophi. ne hi quidem omnes. Plato scilicet solus in tanta gentium silua, in tanto sapientium prato, idearum & oblitus & recordatus est. Igitur si nullo modo consistit argumentatio ista præcipua, totum illud pariter euersum est, cui accommodata est, vt animæ & innatæ, & in cœlestibus conuersatæ, & consciæ diuinorum illic, & inde delatæ, & hîc recordatæ crederentur, ad occasiones planè hæreticis subministrandas.

OBLIVIO PLATONICA. 2. SCHOL.

VIs OBLIVIONIS, *videndus Plato in Phædone, & Timæo, vbi sic Cebes cum Socrate:* secundum illud, ô Socrates, inquit Cebes, quod frequenter vsurpare soles, si modo verum est, disciplinam videlicet nostram, nihil esse aliud quam reminiscentiam, & secundum hoc, inquam, necesse est nos in superiori quodam tempore, ea, quorum nunc reminiscimur, didicisse. Id verò fieri non posset, nisi prius anima nostra fuisset alicubi, quam in hanc humanam speciem deueniret. Quamobrem & hac ratione immortale quiddam anima videtur esse. *Ingressu ergo corporis quasi carceris obscuri, vel lapsu temporis, obliuionem induci animæ, censuit Plato.* IMPROSPECTE, *imprudenter; innata enim si est anima, temporis legibus non subiacebit, nec obliuioni, si diuina.* TEMPVS SVSTINEAT, *à tempore, memoria detrimentum patiatur.* MEMOR AGET, *memoria adhuc fruetur.* ILLAM IRRVERIT. *In illam.* EVERTENDAM, *alij* vertendam. ANTE CORPVS, *ante ingressum animæ in corpus, cum anima tanto æuo id est æternitate, memoria potita fuerit, non sufficiet certè quantumlibet diuturna vita ista temporalis, ad vincendam obruendamque tam longæuam memoriam.* CAVSAM DEMVTAT, *transfundit, in corpus.* PRO GENTILITATE, *genere, & ortu ex parentibus crassioris aut delicatioris temperamenti.* ÆSTIMABVNTVR, *diuersæ iudicabuntur pro diuersitate temperamenti.* EXITVS, *successus, euentus, effectus eiusdem speciei.* DIVINATIONEM ANIMÆ. *Sic Plato in Phædro.* Anima vaticinandi quandam vim habet. PRÆSAGAM ANIMAM. *Legendus Picus Mirandulanus toto lib. 3. de Prænotione rerum. Vbi refert quinque modos diuinationis naturalis.* NON OBSTREPIT, *non obstat; & murmure, & tumultu motuum, & sensuum, quietem animæ placidè diuinantis non impedit.* CORPVS RATIO. *Ex impedimento corporis sumpta, inducit obliuionem. Benè* incutit, *quasi ictu impresso vim eius obtundit.* MEMORIA RECIDIVA, *reditus est memoriæ fugatis, alludit & ad recidiuatum animarum in corpora.* QVOD PRIMÆ MEMORIÆ, &c. *Cum idipsum corpus includat captiuam animam, cur non quamdiu eam incarcerat, vt primùm, sic continuò non causat obliuionis damnum.* SED TANTVMMODO PHILOSOPHI. *Ironicè quasi dicat, hæc scilicet non experiuntur nisi Philosophi soli.* IDEARVM, &c. *duplex ironia, & Platonicarum idearum, & reminiscentiarum. Scitè in hanc rem Arnobius.* Si ea quæ discimus reminiscentias esse constaret, vt antiquis opinionibus scitum est; conueniebat, nos omnes ab vna veritate venientes, vnum nosse, vnumque reminisci, non habere diuersas, non plurimas, dissidentesque sententias. Nos verò cùm singuli aliud, atque aliud asseramus, manifestum & promptum est, nihil nos attulisse de cœlo, sed hîc natos addiscere, & suspensionibus coalita vindicare. *Augustinus certè, cum Paulo, omnia retro posita obliuiscens, solum Deum ante se, & ante Deum omne desiderium habens exclamat:* Quis det te mihi vt venias in cor meum, & inebries illud, & obliuiscar omnia mala mea, & vnicum bonum meum amplectar te? *De obliuione autem Platonica sic lib. 1. retracta.* S. Aug.

cap. 4. Quod in diſciplinis liberalibus eruditi ſine S. Aug. dubio in ſe illas obliuione obrutas eruunt diſcendo, & quodammodo refodiunt. Sed hoc quoque improbo. Credibilius eſt enim propterea vera reſpondere de quibuſdam diſciplinis etiam imperitos earum quando benè interrogantur, quia præſens eſt eis, quantum id capere poſſunt *alij legunt, quando*, lumen rationis æternæ, vbi hæc immutabilia vera conſpiciunt; non quia ea nouerant aliquando, & obliti ſunt; quod Platoni, vel talibus viſum eſt. Contra quorum opinionem, quanta pro ſuſcepta opera dabatur occaſio, in libro 12. de Trinit. *cap.* 15. diſſerui. *His aduertet Lector ſupinam Eraſmi ignorantiam, qui præſumpſit cenſuras imponere libris Auguſtini quos non legerat, vt ſæpè alias, & etiam proprio opuſculo contra eum adnotaui. Cenſuram appoſuit peſtulcam duobus Soliloquiorũ libris, & videt authorem eorum, inducentem animam colloquentem cum Auguſtino, miramque exigit patientiam in lectore iſtorum Soliloquiorum, quos ex profeſſo Auguſtinus toto hoc capite 4. lib. 1. retract. ſuos eſſe fatetur, & quædam vt hic retractat, & rationem ſecum loquentem inducit, & addit in fine capitis:* hoc opus ſic incipit: voluenti mihi multa ac varia mecum, &c. *Hinc miror eorum patientiam, qui hæc de Eraſmo tolerant, & eius ingenium ſuſpiciunt, hominis profectò ſenſu carentis &, præter Grammaticam, vix ſolidè aliquid ſcientis.* OCCASIONES. *Alibi dixit* Philoſophos Patriarchas hæreticorum. *Et hic pungit, Origeniſtas cum Platonicis ſentientes animas, creatas ante corpora, in quæ velut ergaſtula ſunt damnatæ.*

OCCASIO.

Occaſio peccati, vel remota, fugienda eſt. De Cor. cap. 10. à m.

APoſtolus inclamat [a] *fugite idololatriam:* omnem vtique & totam. Recogita ſyluam, [a] 1. Cor.
& quantæ latitant ſpinæ. Nihil dandum Idolo, ſic nec ſumendum ab idolo. Si in 10. 14.
Idolio recumbere alienum eſt à fide, quid in Idoli habitu videri? [b] *Quæ conuentio Chriſto &* [b] 2. Cor.
Belia! & ideo, *fugite.* Longum enim diuortium mandat ab idololatria; in nullo proximè 6. 15.
agendum: draco etiam terrenus de longinquo homines ſpiritu abſorbet. Altius Ioannes,
[c] *filioli, inquit, cuſtodite vos ab Idolis:* non jam ab Idololatria quaſi ab officio, ſed ab Ido- [c] 1. Ioh. 5.
lis, id eſt ab ipſa effigie eorum. Indignum enim, vt Imago Dei viui, Imago Idoli & mor- 21.
tui fias.

OCCASIO. SCHOL.

FVGITE. 1. *Cor.* 10. 14. Chariſſimi mihi, fugite ab idolorum cultura. RECOGITA SYLVAM, *puta ſerio, æſtima apud te idololatriam magnam eſſe ſyluam. Vnde & in lucis & locis opacis Idola culta. Hinc Deus exprobrat Iſraëli. Eſa.* 57. 5. Qui conſolamini in diis ſubter omne lignum frondoſum. *Ierem.* 2. 20: ſub omni ligno frondoſo tu proſternebaris meretrix. *Ierem.* 3. 13. Diſperſiſti vias tuas alienis ſub omni ligno frondoſo. *Per ſyluam Auguſtinus ſæpè Gentiles intelligit idololatriæ addictiſſimos. Sic Pſal.* 79. Deuaſtabit eam aper
S. Aug. de ſylua. aprũ de ſylua quid intelligimus? Iudæis porcus aduerſus eſt, & in porco ponunt tanquam immunditiam gentium. A gentibus autem euerſa eſt gens Iudæa, ſed Rex ille qui euertit, non tantum porcus immundus, ſed etiam aper fuit. Quid enim aper, niſi porcus ſæuus, porcus ſuperbus? aper de ſylua vaſtauit eam: de ſylua, de gentibus. Etenim illa vinea erat, gentes autem ſyluæ erant. *Vaſtata autem fuit, tum propter idololatriam ſignificatam per abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto; tum maximè propter Chriſticidium, à Veſpaſiano velut Apro, quin & aliqui narrant & porcum in ſignis, ad inſultationem Iudæorum, fixum. Cæterùm ligna ſyluarum, Gentiles idololatras repræſentant. De quibus Auguſtinus in Pſal.* 95. Tunc exultabunt omnia ligna ſyluarum. Ligna ſyluarum pagani ſunt. Quare jam gaudent? quia
S. Aug. præciſi ſunt de Oleaſtro *Syluestri vtiq; quod Minerua prius in corde eorum plantauerat, & Chriſtus vera Patris Sapientia inde præciſum, in ſe oliuam fructiferam, in domo Dei, id eſt Eccleſia inſeruit*, & inſerti in oliuam. Tunc exultabunt omnia ligna Syluarum, quia præciſæ ſunt ingentes arbores Cedrinæ, & Cypariſſinæ, & imputribilia ligna tranſlata ſunt ad ædificationem domus. Ligna Syluarum erant, ſed antequam irent in ædificium. *Porro ad literam velut ſylua ſpinis abundat, ſic idololatria ſentibus vulnus vndequaque infligentibus; niſi occaſio fugiatur, & tanquam à facie colubri peccatum hoc fugiatur.* SVMENDVM, *ad imitationem. Hinc Pſaltes:* ſimiles illis fiant qui faciunt ea. *Et coronam, exemplo idoli coronati, non ſumendam, inſinuat.* IN IDOLIO RECVMBERE. *Id eſt menſæ ex Idolothytis extructæ accumbere. De qua Paulus.* 1. *Cor.* 10. Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe & menſæ dæmoniorum. *Aug. contra aduerſarium legis & Prophetarum cap.* 10. *in hunc Pauli locum:* Eos ab S. Aug.
idololatria prohibebat, propter quod eis oſtendere voluit, ita illos fieri ſocios dæmoniorum, ſi Idolothyta ſacrificij manducauerint, quomodo Iſraël carnalis ſocius erat altaris in templo, qui de ſacrificiis manducabat. Hinc enim cœpit, vt hoc diceret, propter quod dilectiſſimi mihi fugite ab idolorum cultura, deinde ſecutus oſtendit ad quod ſacrificium debeant jam pertinere; dicens, quaſi prudentibus dico, judicate vos quod dico; Calix benedictionis quem benedicimus, &c. Nonne qui de ſacrificiis manducant ſocij ſunt altaris? vt intelligerent, ita ſe jam ſocios eſſe corporis Chriſti, quemadmodum illi ſocij ſunt altaris; & quia vt hoc diceret, ab idololatria prohibebat, &c. *Cum, vt & omnis peccati vmbram, & occaſionem fugere debemus, qui ſic proximi, vt commenſales, & concorporei Chriſti eſſe volumus.* ETIAM TERRENVS, *quid ergo diabolus?* IOANNES. 1. *Io.* 5. 21. filioli, cuſtodite vos a ſimulachris. ET MORTVI. *Siue quod idola vt mortua ſenſu careant, ſiue quod homines mortui coronati, hac effigie pro Diis colerentur. De quo vide V. corona.* 7.

OCVLVS.

1. *Oculi ſunt in amore duces, & pruriginem libidinis irritant. De Ani. cap. 38. à p.*

V. Verbum. anima plena pubertas.

AB his autem annis, & ſuffuſior & veſtitior ſexus eſt, & concupiſcentia oculis arbitris vtitur, & communicat placitum, & intelligit quæ ſint, & fines ſuos ad inſtar ficulneæ

Gen.3.7. contagionis prurigine accingit, & hominem de paradiso integritatis educit, exinde scabida etiam in ceteras culpas, & delinquendi non naturales, cum jam non ex instituto naturæ, sed ex vitio.

OCVLVS. 1. SCHOL.

AB HIS. *Pubertatis.* SVFFVSIOR, *verecundia & pudore ex pudenda libidine & rebellione carnis orta, quæ & genas rubore pingit, & importuna prurigine verenda pungit.* VESTITIOR, *pilis, ibidem adnascentibus opertior.* OCVLIS ARBITRIS. *Indicantibus de specie & forma corporum.* COMMVNICAT PLACITVM. *Mediis oculis internuntiis. Diceret Augustinus in regula:* S.Aug. conspectu mutuo corda nuntiant impudica, & secundùm concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore. INTELLIGIT QVÆ SINT, *nubiles scilicet, vel formosiores.* ET FINES SVOS. *Membra pudenda.* CONTAGIONIS PRVRIGINE, *velut pestilenti & contagiosa, à primo parente deriuata.* FICVLNEÆ. *Qua tunc perizomata fecerunt: sic dum incipit rebellio carnis in pubertate, lanugo succrescit ad operienda pudenda.* PARADISO INTEGRITATIS *quia sicut Adam eiectus est de paradiso, in quo prius virgo erat, sic de delitiis virginitatis, & tranquillitate ac pace proscribitur, rebellione deinceps* S. Aug. *regnante in membris. Aug. lib. 2. de Peccat. meritis c.22.* Hæc carnis inobedientia, quæ in ipso motu est, etiamsi habere non permittatur effectum, non erat in illis tunc primis hominibus, quando nudi erant & non confundebantur. Nondum quippe anima rationalis domina carnis, inobediens extiterat Domino suo, vt pœnâ reciprocâ, inobedientem experiretur carnem famulam suam, cum sensu quodam confusionis & molestiæ suæ, quem sensum certè A ipsa per inobedientiam suam non intulit Deo. Neque enim Deo pudendum est aut molestum, si nos ei non obedimus, cuius in nos summam potestatem nullo modo minuere valemus; sed nobis pudendum est, quod imperio nostro caro non seruit; quia hoc fit per infirmitatem, quam peccando meruimus, vocaturque, peccatum habitans in membris nostris. Sic est autem hoc peccatum, vt sit pœna peccati. Denique posteaquam est illa facta transgressio, & anima inobediens, à lege sui Domini auersa est, habère cœpit contra eam seruus eius hoc est corpus eius, legem inobedientiæ, & puduit illos homines nuditatis suæ, animaduerso in se motu, quem ante non senserant, quæ animaduersio apertio dicta est oculorum, neque enim oculis clausis inter illas arbo- B res oberrabant. Sic & de Agar scriptum est Gen. 16. aperti sunt oculi eius, & vidit puteum. Tunc illi homines pudenda texerunt, quæ Deus illis membra, ipsi vero pudenda fecerunt. De hac lege peccati nascitur caro peccati expianda per illius Sacramentum, qui venit in similitudine carnis peccati, vt euacuetur corpus peccati, quod & corpus mortis huius appellat *Paulus Rom. 8. & 7.* Vnde miserum hominem non liberat nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. CÆTERAS CVLPAS *præter vsum à natura præscriptum generandæ prolis.*

2. *Oculi qui videre volunt & videri, non sunt casti. De vel. Virg. cap. 2. à m. ad f.*

ILlam consuetudinem, quæ virgines negat dum ostendit, nemo probasset, nisi aliqui tales quales virgines ipsæ. Tales enim oculi volent virginem visam, quales habet virgo quæ videri volet. Inuicem se eadem oculorum genera desiderant. Eiusdem libidinis est videri, & videre. Tam sancti viri est subfundi, si virginem viderit, quàm sanctæ virginis, si à viro visa sit.

OCVLVS. 2. SCHOL.

VIRGINES NEGAT. *Consuetudo, qua solent virgines esse sine velo, ipso facto quod vult ostendere eas virgines esse hac nota, negat esse virgines.* NEMO PROBASSET, *nullus hanc consuetudinem approbare potuit nisi similis his virginibus, id est ore tenus & apparentia, & non rei veritate castus & Virgo.* TALES OCVLI, *scilicet impudici, & formæ virginalis ex intuitu libero, nec velo impedito concupiscendæ auidi.* INVICEM SE, &c.

S. Aug. *Aug. lib. 13. de Ciuit. cap. 18. circa f. juxta Platonem oculum facit naturæ ignea, cui lux quidem ignis indita sit semoto calore:* Illud dico, si dij minores, quibus inter animalia terrestria cætera, etiam hominem faciendum commisit Plato, potuerunt, sicut dicit, ab igne remouere vrendi qualitatem, lucendi relinquere, quæ per oculos emicaret: itane Deo summo D concedere dubitabimus, cuius ille voluntati potestatique ne moriantur concessit, quæ orta sint, & tam diuersa, tam dissimilia, id est corporea & incorporea sibimet connexa, nulla possint dissolutione sejungi? &c. *Plato porro in Timæo:* oculos, inquit, participes factos illius ignis qui non vrit, sed gratam lucem, diemque mundo affert, *solarem denseat.* Nam intimum corporis nostri ignem, huius cœlestis germanum, per hanc partem, sed præcipuè per pupillam emanare dij jusserunt, non tamen crassiorem illum & turbulentum, sed defæcatiorem & puriorem. Idcirco cum diei lumen se huic nostro conjungit, in complexu & cohærentia duarum rerum tam cognatarum eiusdemque naturæ, fit visio. *Colores si-* C *militer Plato eodem opere; (ne per aliud fiat visio quam per ignem;) definiuit, esse fulgores è corporibus manantes. Idem Plato exire vult radium ab oculo. Itemque & emittere aliquid oculum & recipere. Hali Arabs, credidit species egredi & regredi ad oculum incredibili celeritate. Alexander Aphrodiseus censuit ab oculis prodire spiritus. Plinius ad oculos species tendere. Nec mirum tanta celeritate moueri qui vel solaris, vel ignea sint naturæ, proindeque velocißimæ. Vnde & Aug. lib. 4. de Gen. ad literam cap. 34.* Certè iste corporeæ lucis est S. Aug. radius emicans ex oculis nostris, & tam longè posita, tanta celeritate constringens, vt existimari compararique non possit. Nempe hic & illa omnia tam ampla immensaque spatia simul vno ictu transiri manifestum est, & quid prius posteriusque transeatur nihilominus certum est. Meritò resurrectionis nostræ celeritatem cum exprimere vellet Apostolus 1. Cor. 15. in ictu oculi dixit fieri. Neque enim aliquid in rerum corporearum motibus vel ictibus potest celerius inueniri. Quod si oculorum carnalium acies celeritate tantum potest, quid mentis acies vel humanæ? quantò magis Angelicæ? Quid jam de ipsius summæ Dei sapientiæ celeritate dicatur, quæ Sap. 7. attingit vbique propter suam munditiam, & nihil inquinatum in eam incurrit? *Non sic oculi carnales; plus ignei quàm solares, jacula vibrant ignea, & fœdam mortem animæ insigunt alterutro ardore delectatæ. Vide sequens Schol.* SVFFVNDI, *rubore suffundi.*

3. *Oculo*

3. Oculo consentiens cor, ream facit animam cuiusuis peccati. De Idol. cap. 2. à princ. ad fin.

PLerique idololatriam simpliciter existimant his solis modis interpretandam, Si quis aut incendat, aut immolet, aut polluceat, aut sacris aliquibus, aut sacerdotiis obligetur: quemadmodum si quis existimet adulterium in osculis, & in amplexibus, & in ipsa carnis congressione censendum: aut homicidium in sola sanguinis profusione, & in animæ ereptione reputandum. At enim Dominus quàm extensiùs ista disponat certi sumus, cùm adulterium etiam in concupiscentia designat, si oculum quis impegerit libidinosè, & animam commouerit impudicè: cùm homicidium etiam in verbo maledicti vel conuicij judicat, & in omni impetu iræ, & in negligentia caritatis in fratrem; sicut Ioannes docet, [a] *homicidam esse qui oderit fratrem.* Alioquin in modico consisteret & diaboli ingenium de malitia, & Dei Domini de disciplina, quâ nos aduersus diaboli latitudines munit, si in his tantùm delictis iudicaremur, quæ etiam nationes decreuerunt vindicanda. Quomodo [b] *abundabit iustitia nostra super Scribas & Pharisæos*, vt Dominus præscripsit, nisi abundantiam aduersariæ eius, id est, iniustitiæ perspexerimus? Quòd si caput iniustitiæ idololatria est, priùs est vti aduersus abundantiam idololatriæ præmuniamur, dum illam non solum in manifestis recognoscimus.

Matth. 5. 28. *Ibid.* 22. [a] 1. Ioan. 3. 15. [b] Matth. 5. 20.

OCVLVS. 3. SCHOL.

A SIMPLICITER, *tantummodo.* INTERPRETANDAM, *censendam, intelligendam esse commissa.* INCENDAT, *vel thus, vel holocaustum.* POLLVCEAT, *dedicet, voueat, sacra vel libamenta offerat. Propriè* pollucitum sacrificium dicebatur, quod decimæ Herculi offerebantur. *Sic Plautus in Stich.* vt decimam partem Herculi polluceam. *id est, splendidè dedicem. Hinc opiparæ dapes, dictæ pollucibiles; & à Macrobio, Catillones dicti, qui venientes saltimi ad pollunctum Herculis, Catillos liguriebant.* EXTENSIVS, *ad plura extendi.* SI OCVLVM. *Matth.* 5. 28. Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo. *Aug. lib.* 1. *de ser. Dom. in monte cap* 23. *cum præcedentibus capitibus fusè dixisset de superabundante iustitia, de qua hoc cap. Tertullian.*

B *ait*; Iustitia minor est non mœchari corporum coniunctione; iustitia verò maior est regni Dei non mœchari in corde. Multò faciliùs custodit ne mœchetur in corpore, quisquis non mœchatur in corde, &c. Sanè considerandum est quod non dixit, omnis qui concupiuerit mulierem: sed, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, id est, hoc fine, & hoc animo attendere, vt eam concupiscat: quod iam non est titillari delectatione carnis, sed plenè consentire libidini, ita vt non refrænetur illicitus appetitus; sed si facultas data fuerit, satietur. HOMICIDIVM IN VERBO. *Matt.* 5. 22. Omnis qui irascitur fratri suo, *sine causa, vel temerè, vt habet Syr.* reus erit iudicio; Qui autem dixerit fratri suo Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. *De his gradibus culpæ vide Aug. lib.* 1. *de ser. Do. in monte c.* 19. *circa fin.* Audiendum itaque quantum intersit inter iustitiam Pharisæorum & iustitiam maiorem quæ in Regnum cœlorum introducit: quod cùm sit grauiùs occidere, quàm verbo irrogare conuitium, ibi occisio reum facit iudicio, hic autem ira facit reum iudicio, quòd trium illorum peccatorum leuissimum est; quia illic quæstioné homicidij inter homines agitabant; hîc autẽ omnia diuino iudicio dimittuntur, *id. relinquuntur*; vbi finis damnatorum est gehenna ignis. Quisquis autem dixerit, quòd grauiore supplicio in maiore iustitia ponitur homicidium; si gehenna ignis

S. Aug.

S. Aug.

A punitur conuitiũ, cogit intelligi esse differentias gehennarum. NEGLIGENTIA CHARITATIS. 1. *Io.* 3. 17. Qui habuerit substantiam huius mundi, *Syr. possessionem mundi*, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo. HOMICIDAM. 1 *Io.* 3. 15. Omnis qui odit fratrem suum homicida est. IN MODICO, *paruum esset.* DE MALITIA, *in malitia; quantum attinet ad malitiam.* DE DISCIPLINA, *quod attinet ad præcepta diuina.* LATITVDINES, *quibus extenditur regnum eius & deceptio quâ vbique circumuenit homines. Ita & Psaltes*: Latum mandatum tuum nimis. *Et rursum*: Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisiui. *Et iterum*: Nec conclusisti me in manibus inimici, statuisti in loco spatioso pedes meos.

B NATIONES, *Gentiles etiam legibus & pœnis coercent.* ABVNDABIT, *Matth.* 5. 20. Nisi abũdauerit iustitia vestra plusquàm Scribarum, &c. non intrabitis in regnum cœlorum. CAPVT INIVSTITIÆ, *quia in capite Decalogi idololatria prohibetur, quæ iustitiam primam legis in vnius Dei veri cultu mandatam transgreditur. Hæc autem iniustitia oculo præuaricante committitur. Ita enim sanctus Iob* 31. 26. Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clarè, *oculo scilicet idololatra*, & lætatum est in abscondito cor meum & osculatus sum manum meam ore meo; *quod ex Hieron. proprium est adorantis*; quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimũ. *Sancti Pagn. ex Heb.* Etiam hoc est iniquitas iudicata, si negaui Deum desuper. *Aug. aliter vertit in Iob to.* 4.

C Si deceptum est clam cor meum, si consensi tali cogitationi vt in me præsumerem: quod si & osculatus sum manum meam: ponens ad os meum, gauisus sum tanquam de operibus meis, &c. *Cæterùm vt oculo idololatria, sic mœchia committitur, & homicidium item oculo inuido & odioso. Vt enim sponsus se fatetur amore casto vnica columbæ simplici vulneratum sagitta vitali, quâ viuit anima magis vbi amat, quàm vbi animat, dum ait; Cant.* 4. In vno oculorũ tuorum vulnerasti cor meũ: *sic lethali vulnere oculi*, mors intrat per fenestras. NON SOLVM, *in actibus externis & apertis sacrificiis; sed & in ipso oculo idolis delectato vel creaturæ prælatis Creatori, consistit idololatria.*

S. Aug.

OFFICIVM.

1. Officia & dignitates honestas obire potest, idolis autem directè sacras, fugere debet Christianus. De idol. cap. 16. in fin. & 17. per totum.

SIm vocatus; nec ad sacrificij sit titulus officij & opera meæ expũctio, quid tum? si libet. Vtinã quidem nec videre possemus quæ facere nobis nefas est. sed quoniã ita Malus circumdedit seculum idol [illegible] esse in quibusdã, quæ nos homini non idolo officiosos habent. Planè a [illegible] im ve [illegible] non ibo, propriũ enim idoli officium est; sed neq; con [illegible] modi fungar, Si propter sacrificium

vocatus adsistã, ero particeps idololatriæ. si me alia causa coniungit sacrificanti, ero tantum spectator sacrificij. Cæterùm quid facient serui vel liberti fideles? item officiales sacrificantibus dominis, vel patronis, vel præsidibus adhærentes? Sed si merum quis sacrificanti tradiderit, imò si verbo quoq; aliquo sacrificio necessario adiuuerit, minister habebitur idololatriæ. Huius regulæ memores etiã magistratibus & potestatibus officiũ possumus reddere secundum Patriarchas & cæteros maiores, qui Regibus idololatris vsq; ad finem idololatriæ apparuerũt. Hinc proximè disputatio oborta est; An seruus Dei alicuius dignitatis aut potestatis administrationẽ capiat, si ab omni specie idololatriæ intactũ se aut gratiâ aliquâ, aut astutiâ etiã, præstare possit, secundum quod & Ioseph & Daniel mundi ab idololatria, & dignitatẽ & potestatẽ administrauerũt in ornamento præfecturæ totius Ægypti siue Babyloniæ. Cedamus itaq; succedere alicui posse, vt in quoquo honore in solo honoris nomine incedat, neque sacrificet, neq; sacrificiis auctoritatem suam accommodet; non hostias locet, non curas templorũ deleget, non vectigalia eorũ procuret, non spectacula edat de suo aut de publico, aut edendis præsit; nihil solenne pronuntiet, vel edicat, nec iuret quidẽ: iam verò quæ sunt potestatis, neq; iudicet de capite alicuius, vel pudore; feras enim de pecunia, neque damnet, neq; prædamnet, neminem vinciat, neminem recludat, aut torqueat; si hæc credibile est fieri posse.

Cap. XVII.

Gen. 41. Dan. 2. & 7.

OFFICIVM. 1. SCHOL.

Sim vocatvs, *si sim: Suppone vocatum me ad celebritatem togæ puræ, candidæ siue virilis, quam induebat iuuenes die quo deponebant prætextam purpuratã. Sim vocatus ad sponsalia, vel ad solemnitatem impositionis nominis; in quibus celebritatibus interdum prophana sacrificia interueniunt.* Nec ad sacrificii, *supple opus. alij legunt:* nec in sacrificiis. Sit titvlvs, *id est, si non vocer vt aliquod officium & opus exerceam, quod præcise ad idololatriam pertineat.* Qvid tvm? *quid tunc agam?* Si libet, *si lubet tunc quisque, vt visum fuerit, prædictis, amicitiæ causa, non idololatriæ, sine peccato adesse poterit.* Vtinam, &c. *Melius tamen esset si omnino possemus abesse ne intuitu quidem rei prophanæ polluamur.* Malvs, *diabolus. alij minus eleganter legunt:* malis. Habent, *tenent occupatos. adero quidem, sed vt officiosus & complacens homini sponsanti, togam induenti, non vt sacrificio participem. Aug. in Psal. 118. in vers.* Auerte oculos meos, ne videant vanitatem. Proinde, inquit, magni interest cùm aliquid boni facimus, cuius rei contemplatione faciamus: Officium quippe nostrum non initio, sed fine pensandum est, vt scilicet non tantùm si bonum est quod facimus, sed præcipuè, si bonum est propter quod facimus, cogitemus. Hos oculos quibus contemplamur quare faciamus quod facimus, auerti poscit, ne videant vanitatem, id est, ne hanc attendat, propter quã faciat cùm boni aliquid facit. *Sed & literalius in rem nostram auertendi sunt oculi ne videant idola & sacrificia vana & vacua diuinitate, ne participent idolis, in implendo officio, quod nullo modo his operibus mancipandum.* Cæterum qvid facient servi, &c. *Quid, inquit, dicendum de seruis comitantibus dominos, libertate donatis, patronos; officialibus, id est, ex Brissonio l. 13. de verbis, iudici alicui, vel Magistratui ministerium aliquod vel officium exhibentibus, dum hi vel sacrificant, vel sacrificio adsistunt?* Hvivs regvlæ, *iuxta regulam supra à nobis datam, imitari possunt veteres fideles, qui* apparuerunt, *id est adstiterunt ministrantes, non quidem in rebus sacrificij, sed simpliciter comitati sunt, & famulatum exhibuerunt Regibus idololatris, sicut domi facerent supportando gradientes, vel inclinatos; non adorando eum ipsis, sed corpus inclinando cum ipsis solo fine & intentione seruiendi.* Ad finem idololatriæ, *id est adesse poterunt vsque ad finem sacrificij idolo exhibiti, non tanquam officiosi idolo, sed ministrantes suo Domino. Sic Helias lib. 3. Reg. c. 18 adfuit Regi Achab, dum coram eo Gentilia sacrificia fierent. Sic Dan. 2. & coram ipso, imò & ipsi Nabuchodonosor præcepit incensum & sacrificium offerri. Sed expressius in rem nostram 4. Reg. 5. 18. Naaman conuersus sic Helisæo loquitur,* Obsecro, concede mihi seruo tuo, vt tollam onus duorum burdonum, *vo. & Heb, onus paris mulorum,* de terra: non enim faciet vltrà seruus tuus holocaustum aut victimam Diis alienis, nisi Domino. Hoc autem solùm est, de quo depreceris Dominum pro seruo tuo; quando ingredietur Dominus meus *Rex Syriæ* templum Remmon, vt adoret: & illo innitente super manum meam, si adorauero, *id est, non cor, sed genu flexero,* in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, vt ignoscat mihi Dominus seruo tuo pro hac re: qui dixit ei, Vade in pace. *Rex ille erat Benadad. Remmon interpretatur idolum excelsum. Hoc à Damascenis colebatur, & erat præcipuum idolum Syriæ, Dagon siue Veneris. Quod autem respondit Elisæus,* Vade in pace, *scrupulum eius abstulit, & mentem pacauit, non simulationem idololatriæ, non legis Mosaicæ dispensationem, cui non erat adstrictus vt nec circumcisio, concedendo; sed terram sanctam quasi reliquiam (vti nunc inde transfertur veneranda) ad altare Deo vero apud se erigendum cum lapidibus, permisit, & Regi ad simplex obsequium coinclinari. Iuxta Abulensem, Caiet. Estium, & alios. August. ser. 62. de diuersis, & 207. de temp.* Mox Naaman diuinam sibi disciplinam indicit, superstitiosa abscidit. Continuè se Deum venerari testatur, & detestari idolũm profitetur. Nunc, inquit, cognoui quia Deus colendus est solus, &c. Dij Gentium nec saluare poterunt, nec nocere, &c. qui se non possunt de non colentibus vindicare. Alicvivs dignitatis, *sicut Ioseph in Ægypto, & Daniel in Babylone.* Gratia, *dispensatione diuina aut humana.* Astvtia, *arte & simulatione, quam prorsus excludit Augustinus.* Totivs Ægypti, *referendum ad potestatem administratam.* Pvrpvræ, *quam Nabuchodonosor contulit Danieli.* Ornamento, *torquis aurei & stolæ byssinæ, & annuli collato Iosepho à Pharaone.* In ornamento præfectvræ. *August. lib. 10. de Ciuit. cap. 18. vbi contra exhibentes sacrificia Diis Gentium, pro spe purpuræ & præfecturæ; & vni Deo etiam pro temporalibus, vt & æternis bonis sacrificandum dicit.* Non eos suscepimus refellendos, qui vel vllam esse vim diuinam negant: Vel humana non curare contendunt, sed eos qui nostro Deo Conditori sanctæ & gloriosissimæ Ciuitatis Deos suos præferũt, nescientes eum ipsum esse etiã mundi huius visibilis & mutabilis inuisibilẽ & incommutabilem conditorem, & vitæ beatæ, non de his quæ condidit, sed de seipso verissimum largitorem. Eius enim Propheta veracissimus ait *Psalmo 72.* mihi autem adhærere Deo bonum est. De fine namque boni inter Philosophos quæritur, ad quod adipiscendum omnia officia referenda sunt. Nec dixit iste: mihi autem diuitiis abundare, bonum est, aut insigniri purpura & sceptro, vel diademate excellere: aut; quod nonnulli etiam Philo-

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

A B C

sophorum dicere non erubuerunt, mihi voluptas corporis bonum est; aut quid melius, velut meliores, dicere visi sunt: mihi virtus animi mei bonum est: sed, mihi, inquit, Deo adhærere bonum est. hoc cum docuerat, cui vni tantummodo sacrificandum, sancti quoque Angeli legalium sacrificiorum etiam contestatione monuerunt. Vnde etiam ipse sacrificium eius factus fuerat, cuius igne intelligibili correptus ardebat, Et in eius ineffabilem incorporeumque complexum sancto desiderio ferebatur. CEDAMVS, *alij* credamus. NE IVRET, *per fal-* A *sos Deos.* AVTHORITATEM ACCOMMODET, *sicut Pontifex.* HOSTIAS LOCET, &c. *vt aditus,* SPECTACVLA EDAT, *vt ædilis Curulis, aut Prætor.* PRONVNTIET, *vt augur..* POTESTATIS, *dignitatis, vel Præfecturæ munia.* NEQVE IVDICET, *supple Christianum pro causa fidei sola, in aliis enim potest Christianum reum vt & Gentilem condemnare.* FERAS, &c. *an vel mulctari pecunia in hac tam sancta causa fidelem à iudice fideli æquo animo patereris? vel si absolutè loquitur, dedecet Christianum. Agni innocentis filium, omnino durum quid in quempiam decernere.*

2. *Et de Coro. cap.11. circa fin.*

ET voluntas poterit necessitas contendi, habens scilicet vnde cogatur. Vel ipsam præstruxerim & ad cæteras officialium coronarum causas, quibus familiarissima est aduocatio necessitatis: cùm idcircò aut officia fugienda sint, ne in delictis incidamus, aut & Martyria toleranda sint, vt officia rumpamus.

3. *Officium alterius vsurpare modestia prohibet. De Bapt. c.17. à pr. Vide V. Baptismi minister.*

OFFICIVM. 2. SCHOL.

ET VOLVNTAS, *cùm quis noluerit vitæ Christianæ mandata exequi; dicere poterit, excusationem prætendens ex necessitate, se ea implere non posse ratione incompatibilitatis officij sui.* HABENS SCILICET, *id est dicet se habere legitimam excusationem, quod ex officij debito cogatur aliquid facere contra legem Christianam, seque cogi ad id metu tormentorum.* VEL IPSE. &c. *Esto hæc de meo præmiserim, & præoccupauerim, non tantùm vt dissuaderem fideles, ne coronas laureas gestent, sed etiam vt ostenderem vanas esse alias causas quas prætexunt homines vt sibi licere putent habere coronas proprias officiorum & Magistratuum suorum.* ADVOCATIO, *alij legunt* ducatio, *quæ vox frequens Tertulliano satis est. quasi diceret, his causis vtuntur quasi ducibus & aduocatis, ad tuendum ornamentum coronarum, quod scilicet vi officij teneantur incedere coronati.* IN DELICTIS, *pro* in delicta, VT OFFICIA RVMPAMVS, *quasi retia præpedientia, in via mandatorum. Mallem legere sic,* vt martyria toleranda sint, officia rumpamus. *Certè cùm officia coniunctam habent inseparabiliter idololatriam, aut aliquam proximam occasionem peccati, sine dubio sub pœna peccati mortalis relinquenda sunt, sicut Matthæus telonium reliquit. Sic enim publicanorum vitia breuiter carpit. Aug. ser. 35. de diuersis.* Publicani sunt qui sectantur lucra, & exigunt S.Aug. B vectigalia per negotiationes & fraudes, & furta, scelera que & periuria. *Vide iam dicta ex Augustino ser. 19. de ver. Domini verbo Militia 5. circa fin. Quibus hæc addo ex eod. ser. post p.* Cunctis officiis, sacris litteris, præscribitur norma viuendi; omnis ad benè viuendum prouocatus sexus, ætas, & dignitas. Igitur nemo se excuset publicis actibus, &c. Nam vt id quod dicimus auctoritate Euangelica comprobemus, videamus lectionem quæ paulò antè decursa est: ait enim Euangelium Luc. 3, Venerunt autem & Publicani ad Ioannem vt baptizarentur ab eo, & dixerunt ad eum: Magister, quid faciemus? at ille dixit: nihil ampliùs exigatis, quam quod constitutum est vobis: honesta planè publicanorum interrogatio, ac sancti Prophetæ iusta responsio. Illi enim sollicitè interrogant, ne aut ignorantes, plus exigendo, C in peccatum incidant, aut cessantes, publicam decipiant functionem. Hic autem moderatè præcepit, vt & iniquitas locum non habeat, & constitutum habeat vectigal effectum. Non enim dixit, nihil exigatis: sed, nihil ampliùs exigatis. Vnde intelligimus quòd apud Deum non tam exactio, quàm exactio iniqua damnetur: Dicit enim Dominus; Reddite quæ Dei sunt Deo, & quæ Cæsaris Cæsari. S. Aug.

OPERA BONA.

1. *Opera fidei indicia sunt. De præscr. cap. 43. à p.*

DE genere conuersationis qualitas fidei æstimari potest: doctrinæ index, disciplina est.

OPERA BONA. 1. SCHOL.

DE GENERE CONVERSATIONIS. *Qualis sit fides, & quid doceat, ex operibus, conuersatione, & disciplina, id est moribus fidelium, satis indicari potest. Sic 1. Petri 2. 12.* Conuersationem vestram inter Gentes habentes bonam: vt in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus; ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum, in die visitationis. *Et Iacob. 3. 13.* Quis sapiens & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. *Et cap. 2. 17.* Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Sed dicet quis, Tu fidem habes, & ego opera habeo: ostende mihi fidem tuam sine operibus: & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam, *Augustinus libro 83. qq. q. 75. & 76. hunc* D *locum Iacobi cum Paulo conciliat, vbi inter cætera,* Quoniam Paulus Apostolus prædicans iustificari hominem per fidem sine operibus, non benè intellectus est ab eis qui sic acceperunt dictum, vt putarent, cùm semel in Christum credidissent, etiamsi malè operarentur, & facinorosè flagitiosèque viuerent, saluos se esse posse per fidem, locus iste huius Epistolæ, *Iacobi scilicet*. eundem sensum Apostoli Pauli, quomodo sit intelligendus exponit. Ideòque magis Abrahæ vtitur exemplo vacuam esse fidem, si non benè operetur, quoniam Abrahæ exemplo etiam Paulus Apostolus vsus est, vt probaret iustificari hominem, sine operibus legis. Cùm enim opera commemorat Abrahæ, quæ eius fidem comitata sunt, satis ostendit S. Aug.

Paulum Apostolum non ita per Abraham docere iustificari hominem per fidem sine operibus, vt si quis crediderit, non ad eum pertineat benè operari: sed ad hoc potiùs, vt nemo meritis A priorum bonorum operum arbitretur se peruenisse ad donum iustificationis, quæ est in fide. *Vide dicenda infrà verbo Opera bona.*

2. *Opera bona, acceptiora sunt, ex libertate, quàm ex necessitate facta. De pœn. c. 6. circa fi.*

HÆc prima Audientis intinctio est; metus integer. Exinde quoad Dominum senseris, fides sana, conscientia semel pœnitentiam amplexata. Cæterùm si ab aquis peccare desistimus, necessitate, non sponte innocentiam induimus. Quis ergo in bonitate præcellens? Cui non licet, an cui displicet malo esse? cui iubetur, an qui delectatur à crimine vacare? Ergo nec à furto manus auertamus nisi claustrorum duritia repugnet. nec oculos à stupri concupiscentiis refrenemus nisi à custodibus corporum obstructi, si nemo Domino deditus delinquere desinet nisi intinctione alligatus. Quòd si qui ita senserit, nescio an intinctus magis contristetur, quod peccare desierit, quàm lætetur quod euaserit.

OPERA BONA. 2. SCHOL.

AVDIENTIS INTINCTIO. *Alij sic legunt:* intinctio, est metus integer. *per audientem intelligit Catechumenum. Hi audientes erant extra Ecclesiam, Sic Pœnitentiale Romanum. tit. 7. cap. 2.* Extra Ecclesiam, id est, inter audientes. *Et Isid.* de foris audiant mysteria & gratiam. *Beda lib. 2. in Esdram;* nouæ vitæ auditores. PRIMA INTINCTIO. *Primus quodammodo Baptismus, quo præparatoriè purgantur à delictis. Sicut in Actis,* fide purificans corda hominum. METVS INTEGER. *Vox iuris, de qua tam alibi. Et hic significat timorem permanentem in sæculum sæculi, quo Catechumenus qui credidit, in peccatum non vult labi, nec spe Baptismi omnia peccata expiaturi, liberè peccat.* QVOAD *vsque ad Baptismum, quo suscepto plenè vt decet de Deo sentiat, & se sub tanto Domino seruum tam arctiùs obligatum.* SEMEL PŒNITENTIAM, &c. *vt anima, sciat se rursum non posse iuxta Paulum* renouari ad pœnitentiam. *Illam scilicet solemnem quæ in adultis Baptismum præcedebat.* SI AB AQVIS, *si non ab ipso momento conuersionis ad Deum & fidei Catechumenorum, sed tantùm à Baptismo suscepto, & post lauacrum, peccato omnino renunciamus, & secundum Esaiam;* quiescimus agere peruersè. NECESSITATE, *tanquam coacti, & legibus Christianis obligati.* INDVIMVS, *sicut ex Paulo Christum induuntur baptizati. Augustinus in Enchirid. cap. 51. Ex Rom. 6.* Sacri Baptismatis in Cruce Christi grande mysterium commendauit: eo modo, vt intelligamus nihil aliud esse
S. Aug. in Christo Baptismum, nisi mortis Christi similitudinem: Nihil autem aliud mortem Christi crucifixi, nisi remissionis peccati similitudinem: vt quemadmodum in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum: & quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera iustificatio, &c. Consepulti enim sumus illi per baptismum in mortem, vt quemadmodum surrexit Christus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. *In bonis operibus vitæ, fide per dilectionem operante, induti Iesum & eum per opera repræsentantes, vestiti sanctitatis amictum in consummatione virtutis, talari tunica*
S. Aug. *veste poderis & perseuerantiæ.* Hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt euacuetur B corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato: qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam viuemus cum illo; scientes quia Christus resurgens à mortuis jam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo. Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuere autem Deo in Christo Iesu, &c. Quidquid igitur gestum est in Cruce Christi, in sepultura, in resurrectione tertio die, in Ascensione in cœlum, & in sede ad dexteram Patris, ita gestum est, vt his rebus non mysticè tantum dictis, sed etiam gestis configuraretur vita Christiana quæ hic geritur. Nam propter eius crucem, dictum est; qui au- C tem Iesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Propter sepulturam, consepulti enim sumus cum Christo per baptismum in mortem. Propter resurrectionem; vt quemadmodum Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Propter Ascensionem verò in cœlum, &c. Si autem resurrexistis cum Christo quæ sursum sunt quærite, &c. CVI NON LICET, *sicut baptizato, jam fide oppignerata, & obstricta præstito juramento.* CVI DISPLICET, *vt Catechumeno, qui adhuc liber se sponte obligat sanctitati & innocentiæ.* MALO ESSE. *Græca Phrasis, pro,* malum esse. *Quasi diceret diabolo vel peccato addictum.* CLAVSTRORVM. *Portarum ferrearum thesauri.* REFRÆNEMVS. *Hoc verbo vtitur pluries Augu-* S. Aug.
D *stinus. Vt ep. 54.* Libidinum incitamenta frænauero. *Et lib. 6. cont. Pelag. cap. 14.* Concupiscentia, quam spadonum quoque castitas frænet. CVSTODIBVS CORPORVM OBSTRVCTI, *ab Eunuchis impediti. Rectè præfecti sunt custodiendis fœminis. Primò ex Heliodoro lib. 7. historia Æthiopum:* quia natura Eunuchorum Zelotypia laborat. *Et lib. 9.* Habet quiddam Zelotypum Eunuchorum genus: quibus est enim ipsum priuatum, ad hæc aliis prohibenda objicitur. *Secundò ex Clem. Alex.* Ministratio eorum est citra suspicionem. INTINCTIONEM, *baptismum.* SI QVI, *si quis.* QVOD EVASERIT, *scilicet pœnitentiam illam duram & solemnem baptismo præuiam, vel euaserit peccandi potestatem, imposita jam necessitate innocentia plus contristabitur, quàm lætabitur.*

3. *Operum bonorum necessitatem excludunt ab electis, cum Valentinianis, Caluiniani, De progenie Seth. cont. Valent. cap. 29. in f. & 30. in p.*

CHoïcum genus, id est malas animas, nunquam capere salutaria; Immutabilem enim & irreformabilem naturam pronuntiauerunt. Id ergo granum seminis spiritalis modicum & paruulum jactu, sed eruditu huius fides augetur atque prouehitur, ceu suprà diximus: animæque hoc ipso ita ceteris præuertunt, vt Demiurgus tunc ignorans magni

eas fecerit. Ex earum ergo laterculo, & in reges, & in sacerdotes allegere consueuerat: quæ nunc quoque si plenam atque perfectam notitiam apprehenderint istarum næniarum, naturificatæ jam spiritalis conditionis germanitate, certam obtinebunt salutem, immò omnimodo debitam. Ideoque nec operationes necessarias sibi existimant, nec vlla disciplinæ munia obseruant: martyrij quoque eludentes necessitatem qua volunt interpretatione. Hanc enim regulam Animali semini præstitutam, vt salutem quam non de priuilegio status possidemus, de suffragio actus elaboremus. Cap. xxx.

OPERA BONA. 3, SCHOL.

CHOICVM GENVS. *Prius dixerat Tertullianus, Valentinianos, homines, & animas eorum diuisisse in tres species, juxta tres filios Adæ; in Choicos, animales, & spiritales: & Choicos quidem Cain, animales Abel, spiritales Seth imputasse. Choica igitur anima id est è limo conflata, quas malas omnino faciunt Valentiniani, incapaces dicunt salutis, & in meliorem naturam immutabiles.* SEMINIS SPIRITALIS, *quod videlicet quamuis minimum seminetur in anima, per eruditionem tamen eius, fides mirè proficit, & animæ quæ hoc suscipiunt semen subtilitate præcellunt cæteris. Adeo vt Demiurgus, id est opifex rerum corporearum antequam scientiam maiorem acciperet, magno eas in pretio haberet.* LATERCVLO, *vox juris. Laterculus enim est camera deputata ad thesaurum Principis accipiendum. Vide glossam in l. 1. C. de offic. quæstor. Laterculum autem est codex in quo ciuilium & militarium dignitatum administrationumque ratio, necnon mandatorum principalium & promotionum & consuetudinum notitia perscripta est, sic dictum vt quidam volunt, quod in eo laterent arcana. Sic colligunt ex l. 5. C. qui mil. poss. & l. vltima C. de off. mag. Alij, quasi quadrum; quod sacri laterculi fuerint scrinia quatuor, vt patet ex nouella octaua. Duplex autem erat laterculum; majus, quod apud Principem seruabatur sub cura primicerij Notariorum l. 1. C. de offic. Præf. Prat. Afric. minus, quod sub cura & solicitudine quæstoris erat l. 1. & 2. C. de offic. quæst. Cujacius testatur se habere librum Victurij de ratione Paschali; in cuius extremo, per Indicem Consulum dies Paschalis subnotatur; isque Index, laterculus Paschalis inscribitur, quem Sigebertus Theophilo Alexandrino tribuit. Ergo ad sensum Tertulliani; ex laterculo animarum spiritalium, id est ex albo & scriniis illis, Reges & Sacerdotes eligi consueuerant juxta Valentinianos. Quæ animæ si ad plenam fabularum Valentinianarum notitiam peruenerint, jam quasi germanè & verè spiritales effectæ, debitam sibi jure naturæ spiritalis salutem consequentur. Sic sibi Caluiniani, spiritales scilicet, solo fidei jure sine operibus salutem certam adpromittunt. Et loco 10. 4. abutentes, sine altari, Sacerdote, sacrificio, bonorum operum necessitate, sibi blandiuntur de salute securi; nimirum ex Paulo;* nihil damnationis esse, his, qui sunt in Christo Iesu. *Sic Christum sibi fauentem audiunt:* Deus spiritus, est, veri adoratores, Patrem in spiritu & veritate oportet adorare. *Et cum Psalte,* Dixerunt, hæreditate possideamus Sanctuarium Dei. MARTYRII QVOQVE, *scripsit Tertullianus & contra Gnosticos à Martyrio dehortantes. Sed & ipse errauit, absolutam imponens necessitatem subeundi Martyrij, librum scribens contra fugam in persecutione, quam Christus etiam Apostolis persuasit.* DE PRIVILEGIO STATVS, *spiritalis scilicet, vt naturæ solius salui; cum animales, quales Valentiniani nos Christianos dicebant, salutem per actus & opera bona promereri debeamus. Sed omnibus indiscriminatim opera bona ad salutem necessaria S. Iacobus docuit 2. 19. & seq.* Tu credis quoniam vnus est Deus: benè facis: & dæmones credunt, & contremiscunt. Vis autem scire ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? vides quoniam fides cooperabatur operibus illius: & ex operibus fides consummata est? & suppleta est scriptura dicens; credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam, & amicus Dei appellatus est: Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum? Similiter & Rahab meretrix nonne ex operibus justificata est suscipiens nuntios & alia via eiiciens? *Aug. lib 83. qq. quæst. 76.* Manifestum est quod Paulus Apostolus dicit, arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus. Non tamen ita intelligendum est, vt accepta fide, si vixerit, dicamus eum justum si malè vixerit. Ideo exemplo Abrahæ & Apostolus Paulus vtitur, quia sine operibus legis, quam non acceperat, per fidem justificatus est; & Iacobus, quia fidem ipsius Abrahæ bona opera consecuta esse demonstrat, ostendens quemadmodum intelligendum sit quod ait Paulus Apostolus. Nam qui putant istam Iacobi Apostoli sententiam contrariam esse illi Pauli Apostoli sententiæ, possunt arbitrari etiam ipsum Paulum sibi esse contrarium, quia dicit alio loco *Rom. 2.* Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Et alio loco *Gal. 5.* Sed fides quæ per dilectionem operatur. Et iterum: *Rom. 8.* Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Et 1. Cor. 6. Nolite errare, neque fornicatores, neque idolis seruientes, &c. regnum Dei possidebunt, &c. quibus sententiis manifestissimè docet, non eos prætereito bono opere, ad fidei justificationem peruenisse: Nec meritis eorum istam gratiam datam, quando dicit, hæc & quidem fuistis, sed abluti estis, &c. Sed cum dicit, qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt: Satis ostendit, jam ex quo crediderunt, benè operari debere quod & Iacobus dicit, & multis omnino locis idem Apostolus Paulus satis apertèque prædicat rectè viuendum omnibus qui in Christo crediderunt, ne ad pœnas perueniant. Quod & ipse Dominus commemorat dicens Matth. 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, &c. Et Luc. 6. Vt quid dicitis mihi Domine, & non facitis quæ dico vobis? &c. Quapropter non sunt sibi contrariæ duorum Apostolorum sententiæ Pauli & Iacobi, cum dicit vnus justificari hominem per fidem sine operibus: & alius dicit, inanem esse fidem sine operibus: quia ille dicit de operibus quæ fidem præcedunt, iste de iis quæ fidem sequuntur. S. Aug.

4. *Et cont. Valent. cap. 30. in m.*

SEd nobis quidem væ, si excesserimus in aliquo disciplinæ jugum: si obtorpuerimus in operibus sanctitatis atque justitiæ: si confitendum alibi, nescio vbi, & non sub potestatibus istius sæculi, apud tribunalia præsidum, optauerimus. Illi verò & de passiuitate

vitæ, & diligentia delictorum, generositatem suam vindicent, blandiente suis Achamoth quoniam & ipsa delinquendo profecit.

OPERA BONA. 4. SCHOL.

A NOBIS, *Orthodoxis ex sententia Valentinianorum, animalibus reputatur.* SI EXCESSERIMVS, *excusserimus in Iota minimo legem Dei:* SI CONFITENDVM ALIBI. *Id torquet contra Gnosticos, Martyrium prohibentes, & confeßionem Christiani nominis faciendam in cœlo & in alia vita interpretantes, non sub Præsidibus Gentilium in hac vita.* ILLI VERO, *Valentiniani scilicet de spiritali semine Seth progeniti ex Achamoth, quam Irenæus variè ab ipsis notat vocatam Sophiam, terram, Ierusalem, Ogdoadam. Quique etiam nobilitatem suæ originis, ex vsu promiscuo omnium criminum & dilectione affectuque peccatorum adaugeri putant. Quod intelligit per* passiuitatem vitæ & diligentiam delictorum. DELINQVENDO PROFECIT. *Cum scilicet rem tentauit illicitam, & lumen Christi superiorisq. Sic spuria hæresis non imputari sibi delicta censuit, quinimo merito fidei, absque operibus pœnitentiæ & satisfactionis, & Dei gloriam & suam salutem perfici Caluinistæ gloriantur. Non sic docet Ecclesia, quæ inter Pelagianos, natura operibus gratiam addicentes; & Caluinistas, soli fidei absque operibus salutem tribuentes; gratia & fide & operibus bonis cum bono libertatis vsu, auxilio Dei præueniente, comitante, subsequente, inniti salutem docet. Aug. in Psal. 31.* S. Aug. Hoc dixit Apostolus cum commendaret justitiam quæ ex fide est, aduersus eos qui gloriantur de justitia quæ est ex operibus, hoc ait Rom. 4. quid ergo dicimus inuenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non ad Deum. Auertat ipse Deus à nobis talem gloriam, & illud potius audiamus primæ Cor. 1. qui gloriatur, in Domino glorietur, &c. Iam qui audit, non ex operibus sed ex fide; obseruet illam voraginem, &c. Vides ergo *sic inducit aliam partem obiicientem* quia ex fide, non ex operibus iustificatus est Abraham; faciam ergo quidquid volo; quia etsi bona opera non habuero, & tantum credidero in Deum, deputabitur mihi ad justitiam. Si dixit, & decreuit; lapsus, demersus est: si adhuc cogitat, & fluctuat, periclitatur. Scriptura B autem Dei, verusque intellectus, non solum periclitantem à periculo liberat, sed & demersum à profundo eleuat. *Subdit vt suprà Schol. præcedenti, & conciliat locos Iacobi & Pauli: & post multa pulchra, concludit:* qui vult habere bonam spem, habeat bonam conscientiam; vt autem habeat bonam conscientiam, credat & operetur, &c. Quod credit fidei est, quod operatur, charitatis est, &c. Nemo jactet bona opera sua ante fidem, nemo sit piger in operibus, accepta fide. *Vide dicta fusiùs tomo 1. in Erroribus imputatis. V. gratia. & V. necessitatem, &c.* S. Aug.

5. *Operum bonorum merces. V. verbum, Dei iustitia & bonitas. num. 11.*

*6. *Opera bona & vtilia Deo similes homines faciunt, 1. cont. Marc. cap. 11. à p. V. Dei essentia ex operibus nota gentilibus. num. 5.*

OPINIO VVLGI.

Opinio vulgi sequenda, dum consentit veræ fidei, non contrà de Resur. cap. 3. à princ. V. Anima immortalitas 1. à m.

ORATIO.

ORATIO DOMINICA QVAM EXCELLENS.

1. *Christus Dominus, Dei Spiritus, ratio, & sermo, orationem Dominicam, his tribus constituit. De orat. cap. 1. in p.*

Matth. 6. 9. Luc. 11. 1. Matt. 9. 16. DEi spiritus, & Dei sermo, & Dei ratio, sermo rationis, & ratio sermonis, & spiritus, vtrumque Iesus Christus Dominus noster, nouis discipulis noui Testamenti, nouam orationis formam determinauit. Oportebat enim in hac quoque specie nouum vinum nouis vtribus recondi, & nouam plagulam nouo adsui vestimento.

2. *Et ibid. circa med.*

DEi spiritus, & Dei sermo, & Dei ratio approbatus est Dominus noster Iesus Christus: spiritus quo valuit, sermo quo docuit, ratio qua venit. Sic igitur oratio à Christo constituta, ex tribus constituta est: ex sermone, quo enuntiatur: ex spiritu, quo tantùm potest: ex ratione, qua suscipitur.

3. *Oratio à Christo ordinata, exaudiri meretur. De orat. cap. 9. in med.*

DEus solus docere potuit, vt se vellet orari. Ab ipso igitur ordinata religio orationis, & de spiritu ipsius iam tunc cùm ex ore diuino ferretur, animata suo priuilegio ascendit in cœlum commendans patri quæ filius docuit.

ORATIO.

ORATIO DOMINICA QVAM EXCELLENS. 1. 2. 3. SCHOL.

DEI SPIRITVS, *id est Deus de Deo. Nam Ioannis* 4. Deus spiritus est. *Et iuxta Paulum*, Dei virtus. *Christus.* DEI SERMO. *Verbum Dei.* DEI RA- C TIO, *diuina intellectio. Vel ratio & sapientia per quam omnia condidit Pater.* SERMO RATIONIS, *terminus intellectionis Patris. Vel sumendo sermonem pro Christi*

humanitate, quæ regebatur à Verbo. RATIO SERMONIS ET SPIRITVS. Ipsa est persona Verbi producti per intellectum Patris, & Spiritus, id est Deus. VTRVMQVE IESVS, &c. quia non duo, sed vnus est Christus. Licet enim Spiritus, id est diuinitas eius, idem sit essentialiter, quod persona eius, id est Verbum: Virtualiter tamen differt: & latius secundum intellectum nostrum extenditur hoc nomen, Verbum; quia præter diuinam essentiam, personam propriam secundam Trinitatis includit. Spiritus autem hic non personam tertiam, sed vel essentiam diuinam, vel Dei virtutem significat. Præterea, vtrumque Iesus Christus; quia in illo, Deus & homo, propter vnam eandemque personam, non duo, sed vnus est Christus, Deus homo. APPROBATVS EST, tam Patris voce tonante de nube, quam Spiritu sancto illapso in caput eius specie columbæ. Vel, probauit se vtrumque, spiritum quo valuit, id est Deum & Dei virtutem qua tanta portenta fecit; & in digito Dei, non impar Patris Spiritus, spiritus malignos eiecit vt Deus; & vt homo, in Dei spiritu, quo plenus erat. SERMO QVO DOCVIT. Sic enim probauit se Verbum Patris, dum ait: mea doctrina non est mea, id est iuxta Augustinum, mea persona non est mea. Sic tractatu 29. in Io. 7. Si intueamur
S. Aug. diligenter quod ipse in exordio dicit S. Euangelista: In principio erat Verbum, &c. Indè pendet huius solutio quæstionis, quæ est doctrina Patris nisi Verbum Patris? &c. Sed quia Verbum non potest esse nullius, sed alicuius, & suam doctrinam dixit seipsum: & non suam, quia Patris est Verbum. Quid enim tam tuum quam tu? & quid tam non tuum quam tu, si alicuius es, quod es? Verbum ergo & Deus est, & doctrinæ stabilis Verbum est, non sonabilis per syllabas & volatilis, sed manentis cum Patre, ad quam conuertamur manentem sonis transeuntibus admoniti, &c. Non tamen illud quod vos admonuit transire debet, quia ille quem vos diligere admonui non transit; & cum transeuntibus syllabis admoniti, conuersi ad eum fueritis, nec vos transibitis, sed cum manente manebitis. Ille ergo est qui rogatus ab Apostolis, doce nos orare, sic nos docuit cum illis. Sermo porro, quia est oratio composita, aptissimè significat Verbum Incarnatum, Christum ex Deo & homine compositum; qui cum esset doctrina Patris, & nouus homo, nouus discipulos nouus magister, nouam orationem docuit. Hic subiicio quædam ablata ex primo numero. IN HAC SPECIE. Quia Christus vbique veteri Testamento implendo, noua mysteria introducebat, sic & nouam hic Orationis speciem & formam induxit. NOVAM PLAGVLAM, id est paruam panni partem. Alludit ad locum Matth. 9. 16. & seq. Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem eius à vestimento, & pejor scissura fit. Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres; alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt. Translat. Syr. priorem partem clarius exprimit: nemo immittit frustum panni nouum in vestimentum attritum vetustate: ne quid detrahat supplementum, ex illo vestimento, fiatque scissura maior. RATIO QVA VENIT. Idem ipse Dominus noster, ratio & sapientia æterna Patris est, quæ ab æterno ordinata est in decreto diuino hominis salus, vt de cælo veniens, operaretur salutem in medio terræ, nostras
dum ex Augustino secundum Psaltem, veritas de terra orta est, id est Christi caro de Virginis carne: suscepit, inquit, de terra terram. Sic ex Paulo hæc ratio latens, Verbum apud Deum, apparuit erudiens nos: & quia his tribus constabat, vt & ex Ioanne in terra noua Trinitas, Spiritus, aqua, & sanguis: & ex Tertulliano, Dei spiritus, sermo, & ratio; ex tribus item orationem quam docuit, constare voluit, & tribus his vigere orantes, sermone, vt non solum corde & spiritu: & ratione, siue attentione & sapientia, qua Christus eam suscepit & concepit, siue vt alij legunt, qua docetur; sed & sermone externo pronuntietur, sicut ore Dominico prolata est, vnde & Dominica dicta est. Aug. lib. 21. de S. Aug. (margin: S. Aug.)
Ciuit. cap. 27. Oratio quotidiana, quam docuit ipse Dominus; vnde & Dominica nuncupatur. Et rursum paulo post ibidem: quotidianam orationem docebat, & iustificans vtique discipulis loquebatur. RELIGIO ORATIONIS. Sanctitas, vel cultus latriæ quo Deus adoratur & colitur. ORE DIVINO. Quia nunquam sic homo locutus est. Et quia os & lingua Christi instrumentum erat diuinitati coniunctissimum, & vnitum Verbo. COMMENDANS PATRI. Aug. lib. 2. de ser. Dñ. in Monte c. 8. Considerandum est, quæ nos orare ille præcepit, per quem & discimus quid oremus, & consequimur quod oramus. Sic itaque orate vos, inquit: Pater noster qui es in cœlis: & reliqua. Cum in omni deprecatione beneuolentia concilianda sit eius quem deprecamur, deinde dicendum, quid deprecemur; Laude illius ad quem oratio dirigitur, solet beneuolentia conciliari, & hoc in orationis principio poni solet: in quo Dominus noster nihil aliud nos dicere iussit, nisi, Pater noster, &c. Multa enim dicta sunt in laudem Dei per omnes sanctas Scripturas, &c. Nusquam tamen inuenitur præceptum populo Israel, vt diceret Pater noster, &c. Sed Dominus eis insinuatus est, tanquam seruientibus.

4. *Orando Christus suspexit in cælum Creatoris. 4. cont. Marc. cap. 26. in p.*

QVum in quodam loco orasset ad patrem illum superiorem, satis impudentibus & temerariis oculis suspiciens ad cœlum Creatoris, à quo tam aspero & sæuo, & grandine & fulmine potuisset elidi, sicut & Hierusalem suffigi ab eo potuit. Luc. 11. 1.

5. *Orare Christus docuit Apostolos, aliter quam Ioannes, sed non alium Deum. 4. cont. Marc. cap. 26. à p. ad vltim.*

AGgressus eum ex discipulis quidam, [a] *Domine*, inquit, *doce nos orare, sicut & Ioannes discipulos suos docuit*; scilicet quia alium Deum aliter existimaret orandum. Hoc qui præsumpserat, prius est probet alium Deum editum à Christo. nemo enim antè voluisset orare nosse, quàm didicisset quem oraret. Igitur si didicerat proba. Si nusquam vsque adhuc probas, scito illum, in Creatorem, formam orationis postulasse, in quem etiam discipuli Ioannis orabant. Sed quia & Ioannes nouum aliquem ordinem orationis induxerat, ideo hoc & à Christo discipulus eius postulandum non immeritò præsumpserat, vt & illi de proprio magistri sui instituto, non alium, sed aliter Deum orarent. Proinde nec Christus antè orationis notitiam discipulo contulisset, quàm Dei ipsius. Ita & ipse in eum docuit orationem, quem discipulus vsque adhuc nouerat. Denique sensus orationis quem

[a] Luc. 11. 1.

Gen.3.7. contagionis prurigine accingit, & hominem de paradiso integritatis educit, exinde scabida etiam in ceteras culpas, & delinquendi non naturales, cum jam non ex instituto naturæ, sed ex vitio.

OCVLVS. 1. SCHOL.

A
AB HIS. *Pubertatis.* SVFFVSIOR, *verecundia & pudore ex pudenda libidine & rebellione carnis orta, quæ & genas rubore pingit, & importuna prurigine verenda pungit.* VESTITIOR, *pilis, ibidem adnascentibus opertior.* OCVLIS ARBITRIS. *Indicantibus de specie & forma corporum.* COMMVNICAT PLACITVM. *Mediis oculis internuntiis. Diceret Augustinus in regula:* S.Aug. conspectu mutuo corda nuntiant impudica, & secundùm concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore. INTELLIGIT QVÆ SINT, *nubiles scilicet, vel formosiores.* ET FINES SVOS. *Membra pudenda.* CONTAGIONIS PRVRIGINE, *velut pestilenti & contagiosa, à primo parente derivata.* FICVLNEÆ. *Qua tunc perizomata fecerunt: sic dum incipit rebellio carnis in pubertate, lanugo succrescit ad operienda pudenda.* PARADISO INTEGRITATIS *quia sicut Adam eiectus est de paradiso, in quo prius virgo erat, sic de delitiis virginitatis, & tranquillitate ac pace proscribitur, rebellione deinceps* S. Aug. *regnante in membris. Aug. lib. 2. de Peccat. meritis c. 22.* Hæc carnis inobedientia, quæ in ipso motu est, etiamsi habere non permittatur effectum, non erat in illis tunc primis hominibus, quando nudi erant & non confundebantur. Nondum quippe anima rationalis domina carnis, inobediens extiterat Domino suo, vt pœnâ reciprocâ, inobedientem experiretur carnem famulam suam, cum sensu quodam confusionis & molestiæ suæ, quem sensum certè ipsa per inobedientiam suam non intulit Deo. Neque enim Deo pudendum est aut molestum, si nos ei non obedimus, cuius in nos summam potestatem nullo modo minuere valemus; sed nobis pudendum est, quod imperio nostro caro non seruit; quia hoc fit per infirmitatem, quam peccando meruimus, vocaturque, peccatum habitans in membris nostris. Sic est autem hoc peccatum, vt sit pœna peccati. Denique posteaquam est illa facta transgressio, & anima inobediens, à lege sui Domini auersa est, habere cœpit contra eam seruus eius hoc est corpus eius, legem inobedientiæ, & puduit illos homines nuditatis suæ, animaduerso in se motu, quem ante non senserant, quæ animaduersio apertio dicta est oculorum, neque enim oculis clausis inter illas arbo-
B res oberrabant. Sic & de Agar scriptum est Gen. 15. aperti sunt oculi eius, & vidit puteum. Tunc illi homines pudenda texerunt, quæ Deus illis membra, ipsi verò pudenda fecerunt. De hac lege peccati nascitur caro peccati expianda per illius Sacramentum, qui venit in similitudine carnis peccati, vt euacuetur corpus peccati, quod & corpus mortis huius appellat *Paulus Rom. 8. & 7.* Vnde miserum hominem non liberat nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. CÆTERAS CVLPAS *præter visum à natura præscriptum generandæ prolis.*

2. *Oculi qui videre volunt & videri, non sunt casti. De vel. Virg. cap. 2. à m. ad f.*

ILlam consuetudinem, quæ virgines negat dum ostendit, nemo probasset, nisi aliqui tales quales virgines ipsæ. Tales enim oculi volent virginem visam, quales habet virgo quæ videri volet. Inuicem se eadem oculorum genera desiderant. Eiusdem libidinis est videri, & videre. Tam sancti viri est subfundi, si virginem viderit, quàm sanctæ virginis, si à viro visa sit.

OCVLVS. 2. SCHOL.

VIRGINES NEGAT. *Consuetudo, qua solent virgines esse sine velo, ipso facto quod vult ostendere eas virgines esse hac nota, negat esse virgines.* NEMO PROBASSET, *nullus hanc consuetudinem approbare potuit nisi similis his virginibus, id est ore tenus & apparentia, & non rei veritate castus & Virgo.* TALES OCVLI, *scilicet impudici, & formæ virginalis ex intuitu libero, nec velo impedito concupiscendæ auidi.* INVICEM SE, &c.

S. Aug. *Aug. lib. 13. de Ciuit. cap. 18. circa f. juxta Platonem oculum facit naturæ igneæ, cui lux quidem ignis indita sit semoto calore:* illud dico, si dij minores, quibus inter animalia terrestria cætera, etiam hominem faciendum commisit Plato, potuerunt, sicut dicit, ab igne remouere vrendi qualitatem, lucendi relinquere, quæ per oculos emicaret: itane Deo summo concedere dubitabimus, cuius ille voluntati potestatique ne moriantur concessit, quæ orta sint, & tam diuersa, tam dissimilia, id est corporea & incorporea sibimet connexa, nulla possint dissolutione sejungi? &c. *Plato porro in Timæo:* oculos, inquit, participes factos illius ignis qui non vrit, sed gratam lucem, diemque mundo affert, *solarem denotat.* Nam intimum corporis nostri ignem, huius cœlestis germanum, per hanc partem, sed præcipuè per pupillam emanare dij jusserunt, non tamen crassiorem illum & turbulentum, sed defæcatiorem & puriorem. Idcirco cum diei lumen se huic nostro conjungit, in complexu & cohærentia duarum rerum tam cognatarum eiusdemque naturæ, fit visio. *Colores si-*
C *militer Plato eodem opere; (ne per aliud fiat visio quam pyrigaem;) definiuit, esse fulgures è corporibus manantes. Idem Plato exire vult radium ab oculo. Itemq; & emittere aliquid oculum & recipere. Hali Arabs, credidit species egredi & regredi ad oculum incredibili celeritate. Alexander Aphrodisæus censuit ab oculis prodire spiritus. Plinius ad oculos species tendere. Nec mirum tanta celeritate moueri qui vel solaris, vel igneæ sint naturæ, proindeque velocißimæ. Vnde & Aug. lib. 4. de Gen. ad literam cap. 34.* Certè iste corporeæ lucis est S. Aug. radius emicans ex oculis nostris, & tam longè posita, tanta celeritate constringens, vt existimari compararique non possit. Nempe hic & illa omnia tam ampla immensaque spatia simul vno ictu transiri
D manifestum est, & quid prius posteriusque transeatur nihilominus certum est. Meritò resurrectionis nostræ celeritatem cum exprimere vellet Apostolus 1. Cor. 15. in ictu oculi dixit fieri. Neque enim aliquid in rerum corporearum motibus vel ictibus potest celerius inueniri. Quod si oculorum carnalium acies celeritate tantum potest, quid mentis acies vel humanæ? quantò magis Angelicæ? Quid jam de ipsius summæ Dei sapientiæ celeritate dicatur, quæ Sap. 7. attingit vbique propter suam munditiam, & nihil inquinatum in eam incurrit? *Non sic oculi carnales; plus ignei quàm solares, jacula vibrant ignea, & fœdam mortem animæ infigunt alterutro ardore delectatæ. Vide sequens Schol.* SVFFVNDI, *rubore suffundi.*

3. Oculo consentiens cor, ream facit animam cuiusuis peccati. De Idol. cap. 2. à princ. ad fin.

PLerique idololatriam simpliciter existimant his solis modis interpretandam, Si quis aut incendat, aut immolet, aut polluceat, aut sacris aliquibus, aut sacerdotiis obligetur: quemadmodum si quis existimet adulterium in osculis, & in amplexibus, & in ipsa carnis congressione censendum: aut homicidium in sola sanguinis profusione, & in animæ ereptione reputandum. Atenim Dominus quàm extensiùs ista disponat certi sumus, cùm adulterium etiam in concupiscentia designat, si oculum quis impegerit libidinosè, & animam commouerit impudicè: cùm homicidium etiam in verbo maledicti vel conuicij iudicat, & in omni impetu iræ, & in negligentia caritatis in fratrem; sicut Ioannes docet, [a] *homicidam esse qui oderit fratrem.* Alioquin in modico consisteret & diaboli ingenium de malitia, & Dei Domini de disciplina, quâ nos aduersus diaboli latitudines munit, si in his tantùm delictis iudicaremur, quæ etiam nationes decreuerunt vindicanda. Quomodo [b] *abundabit iustitia nostra super Scribas & Pharisæos*, vt Dominus præscripsit, nisi abundantiam aduersariæ eius, id est, iniustitiæ perspexerimus? Quòd si caput iniustitiæ idololatria est, prius est vti aduersus abundantiam idololatriæ præmuniamur, dum illam non solùm in manifestis recognoscimus.

Matth. 5. 28. Ibid. 22. a 1. Ioan. 3. 15. b Matth. 5. 20.

OCVLVS. 3. SCHOL.

A SIMPLICITER, *tantummodo.* INTERPRETANDAM, *censendam, intelligendam esse committi.* INCENDAT, *vel thus, vel holocaustum.* POLLVCEAT, *deducet, voueat, sacra vel libamenta offerat. Proprie* pollucium sacrificium dicebatur, quo decimæ Herculi offerebantur. *Sic Plautus in Stich.* vt decimam partem Herculi polluceam. *id est, splendidè dicem. Hinc opiparæ dapes, dictæ pollucibiles; & à Macrobio, Catillones dicti, qui venientes oleum ad pollu*ctum Herculis, Catillos ligurriebant. EXTENSIVS, *ad plura extendi.* SI OCVLVM. *Matth. 5. 28.* Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo. *Aug. lib. 1. de ser. Dom. in monte cap. 23. cum præcedentibus capitibus fusè dixisset de superabundante iustitia, de qua hoc cap. Tertullian.*

B S. Aug. *sic;* Iustitia minor est non mœchari corporum coniunctione, iustitia verò maior est regni Dei non mœchari in corde. Multò faciliùs custodit ne mœchetur in corpore, quisquis non mœchatur in corde, &c. Sanè considerandum est quod non dixit, omnis qui concupiuerit mulierem: sed, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, id est, hoc fine, & hoc animo attendere, vt eam concupiscat: quod iam non est titillari delectatione carnis, sed plenè consentire libidini, ita vt non refrænetur illicitus appetitus; sed si facultas data fuerit, satietur. HOMICIDIVM IN VERBO. *Matt. 5. 22.* Omnis qui irascitur fratri suo, *sine causa, vel temerè, vt habet Syr.* reus erit iudicio; Qui autem dixerit fratri suo Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. *De his*

S. Aug. *gradibus culpæ vide Aug. lib. 1. de ser. Do. in monte c. 19. circa fin.* Audiendum itaque quantum intersit inter iustitiam Pharisæorum & iustitiam maiorem quæ in Regnum cœlorum introducit: quod cùm sit grauiùs occidere, quàm verbo irrogare conuitium, ibi occisio reum facit iudicio, hîc autem ira facit reum iudicio, quòd trium illorum peccatorum leuissimum est; quia illic quæstionẽ homicidij inter homines agitabant; hîc autẽ omnia diuino iudicio dimittuntur, *id. relinquuntur;* vbi finis damnatorum est gehenna ignis. Quisquis autem dixerit, quòd grauiore supplicio in maiore iustitia punitur homicidium; si gehenna ignis

A punitur conuitiũ, cogit intelligi esse differentias gehennarum. NEGLIGENTIA CHARITATIS. *1. Io. 3. 17.* Qui habuerit substantiam huius mundi, *Syr. possessionem mundi,* & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo. HOMICIDAM. *1 Io. 3. 15.* Omnis qui odit fratrem suum homicida est. IN MODICO. *paruum esset.* DE MALITIA, *in malitia; quantum attinet ad malitiam.* DE DISCIPLINA, *quod attinet ad præcepta diuina.* LATITVDINES, *quibus extenditur regnum eius & deceptio quâ vbique circumuenit homines. Ita & Psal*tes: Latum mandatum tuum nimis. *Et rursum:* Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisiui. *Et iterum:* Nec conclusisti me in manibus inimici,

B statuisti in loco spatioso pedes meos. NATIONES, *Gentiles etiam legibus & pœnis coercent.* ABVNDABIT, *Matth. 5. 20.* Nisi abũdauerit iustitia vestra plusquàm Scribarum, &c. non intrabitis in regnum cœlorum. CAPVT INIVSTITIÆ, *quia in capite Decalogi idololatria prohibetur, quæ iustitiam primam legis in vnius Dei veri cultu mandatam transgreditur. Hæc autem iniustitia oculo præuaricante committitur. Ita enim sanctus Iob 31. 26.* Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clarè, *oculo scilicet idololatra,* & lætatum est in abscondito cor meum. & osculatus sum manum meam ore meo; *quod ex Hieron. proprium est adorantis;* quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimũ. *Sanct. Pagn. ex Heb.* Etiam hoc est iniquitas iudicata, si negaui Deum desuper. *Aug. aliter vertit in Iob to.*

C 4. Si deceptum est clam cor meum, si consensi tali cogitationi vt in me præsumerem: quòd si & osculatus sum manum meam: ponens ad os meum, gauisus sum tanquam de operibus meis, &c. *Cæterùm vt oculo idololatria, sic mœchia committitur, & homicidium item oculo inuido & odioso. Vt enim sponsus se fatetur amore casto vnicæ columbæ simplici vulneratum sagitta vitali, quâ viuit anima magis vbi amat, quàm vbi animat, dum ait;* Cant. 4. In vno oculorũ tuorum vulnerasti cor meũ: *sic lethali vulnere oculi,* mors intrat per fenestras. NON SOLVM: *in actibus externis & apertis sacrificiis; sed & in ipso oculo idolis delectato vel creaturæ prælatis Creatori, consistit idololatria.* S Aug.

OFFICIVM.

1. Officia & dignitates honestas obire potest, idolis autem directè sacras, fugere debet Christianus. De idol. cap. 16. in fin. & 17. per totum.

SIm vocatus; nec ad sacrificij sit titulus officij & opera meæ expunctio, quid tum? si libet. Vtinã quidem nec videre possemus quæ facere nobis nefas est. sed quoniã ita Malus circumdedit seculum idololatriã, licebit adesse in quibusdã, quæ nos homini non idolo officiosos habent. Planè ad sacerdotiũ & sacrificium vocatus non ibo, propriũ enim idoli officium est; sed neq; consilio, neque sumptu, aliaue opera in eiusmodi fungar. Si propter sacrificium

vocatus adsistã, ero particeps idololatriæ. si me alia causa coniungit sacrificanti, ero tantum spectator sacrificij. Cæterùm quid facient serui vel liberti fideles? item officiales sacrificantibus dominis, vel patronis, vel præsidibus adhærentes? Sed si merum quis sacrificanti tradiderit, imò si verbo quoq; aliquo sacrificio necessario adiuuerit, minister habebitur idololatriæ. Huius regulæ memores etiã magistratibus & potestatibus officiũ possumus reddere secundum Patriarchas & cæteros maiores, qui Regibus idololatris vsq; ad finem idololatriæ apparuerũt. Hinc proximè disputatio oborta est; An seruus Dei alicuius dignitatis aut potestatis administrationẽ capiat, si ab omni specie idololatriæ intactũ se aut gratiâ aliquâ, aut astutiâ etiã, præstare possit, secundum quod & Ioseph & Daniel mundi ab idololatria, & dignitatẽ & potestatẽ administrauerũt in ornamento præfecturæ totius Ægypti siue Babyloniæ. Cedamus itaq; succedere alicui posse, vt in quoquo honore in solo honoris nomine incedat, neque sacrificet, neq; sacrificiis auctoritatem suam accommodet; non hostias locet, non curas templorũ deleget, non vectigalia eorũ procuret, non spectacula edat de suo aut de publico, aut edendis præsit; nihil solenne pronuntiet, vel edicat, nec iuret quidẽ: iam verò quæ sunt potestatis, neq; iudicet de capite alicuius vel pudore; feras enim de pecunia, neque damnet, neq; prædamnet, neminem vinciat, neminem recludat, aut torqueat; si hæc credibile est fieri posse.

Cap. XVII. · Gen. 41. · Dan. 2. & 7.

OFFICIVM. 1. SCHOL.

Sim vocatvs, *si sim: suppone vocatum me ad celebritatem togæ puræ, candidæ siue virilis, quam induebat iuuenes die quo deponebant prætextam purpuratã. Sim vocatus ad sponsalia, vel ad solemnitatem impositionis nominis; in quibus celebritatibus interdum prophana sacrificia interueniunt.* Nec ad sacrificii, *supple opus. alij legunt:* nec in sacrificiis. Sit titvlvs, *id est, si non vocer vt aliquod officium & opus exerceam, quod præcise ad idololatriam pertineat.* Qvid tvm? *quid tunc agam?* Si libet, *si lubet tunc quisque, vt visum fuerit, prædictis, amicitiæ causa, non idololatriæ, sine peccato adesse poterit.* Vtinam &c. *Melius tamen esset si omnino possemus abesse, ne intuitu quidem rei prophanæ polluamur.* Malvs, *diabolus. alij minus eleganter legunt:* malis. Habent, *tenent occupatos. adero quidem, sed vt officiosus & complacens homini sponsanti, togam induenti, non vt sacrificio participem.* S. Aug. *Aug. in Psal. 118. in vers.* Auerte oculos meos, ne videant vanitatem: Proinde, inquit, magni interest cùm aliquid boni facimus, cuius rei contemplatione faciamus. Officium quippe nostrum non initio, sed fine pensandum est, vt scilicet non tantùm si bonum est quod facimus, sed præcipuè, si bonum est propter quod facimus, cogitemus. Hos oculos quibus contemplamur quare faciamus quod facimus, auerti poscit, ne videant vanitatem, id est, ne hanc attendat, propter quid faciat cùm boni aliquid facit. *Sed & literalius in rem nostram auertendi sunt oculi ne videant idola & sacrificia vana & vacua diuinitate, ne participent idolis, in implendo officio, quod nullo modo his operibus mancipandum.* Cæterum qvid facient servi, &c. *Quid, inquit, dicendum de seruis comitantibus dominos, libertate donatis patronos; officialibus, id est, ex Brissonio l. 13 de verb. sig. iudici alicui, vel Magistratui ministeriũ aliquod vel officium exhibentibus, dum hi vel sacrificant, vel sacrificio adsistunt?* Hvivs regvlæ, *iuxta regulam suprà à nobis datam, imitari possunt veteres fideles, qui ap*paruerunt, *id est adstiterunt ministrantes, non quidem in rebus sacrificij, sed simpliciter comitati sunt, & famulatum exhibuerunt Regibus idololatris, sicut domi facerent supportando gradientes, vel inclinatos; non adorando cum ipsis, sed corpus inclinando cum ipsis solo fine & intentione seruiendi.* Ad finem idololatriæ, *id est adesse potuerunt vsque ad finem sacrificij idolo exhibiti, non tanquam officiosi idolo, sed ministrantes suo Domino. Sic Helias lib. 3. Reg. c. 18. adfuit Regi Achab, dum coram eo Gentilia sacrificia fierent. Sic Daniel & coram ipso imò & ipsi Nabuchodonosor præcepit incensum & sacrificium offerri. Sed expressius in rem nostram 4. Reg. 5. 18. Naaman conuersus sic Helisæo loquitur.* Obsecro, concede mihi seruo tuo, vt tollam onus duorum burdonum, *70. & Heb. onus paris mulorum,* de terra: non enim faciet vltra seruus tuus holocaustum aut victimam Diis alienis, nisi Domino. Hoc autem solùm est, de quo depreceris Dominum pro seruo tuo; quando ingredietur Dominus meus *Rex Syriæ* templum Remmon, vt adoret: & illo innitente super manum meam, si adorauero, *id est, non cor, sed genu flexero,* in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, vt ignoscat mihi Dominus seruo tuo pro hac re: qui dixit ei, Vade in pace. *Rex ille erat Benadad. Remmon interpretatur idolum excelsum. Hoc à Damascenis colebatur, & erat præcipuum idolum Syriæ, Dagon siue Veneris. Quod autem respondit Elisæus,* Vade in pace, *scrupulum eius abstulit, & mentem pacauit, non simulationem idololatriæ, non legis Mosaicæ dispensationem, cui non erat adstrictus vt nec circumcisione, concedendo; sed terram sanctam quasi reliquiam (vti nunc inde transfertur veneranda) ad altare Deo vero apud se erigendum cum lapidibus, permisit, & Regi ad simplex obsequium coinclinari. Iuxta Abulensem, Caiet. Estium, & alios. August. ser. 62. de diuersis, & 207. de temp.* Mox Naaman diuinam sibi disciplinam indicit, superstitiosa abscidit. Continuè se Deum venerari testatur; & detestari idolum profitetur. Nunc, inquit, cognoui quia Deus colendus est solus, &c. Dij Gentium nec saluare poterunt, nec nocere, &c. qui se non possunt de non colentibus vindicare. Alicvivs dignitatis, *sicut Ioseph in Ægypto, & Daniel in Babylone.* Gratia, *dispensatione diuina aut humana.* Astvtia, *arte & simulatione, quam prorsus excludit Augustinus.* Totivs Ægypti, *referendum ad potestatem administratam.* Pvrpvra, *quam Nabuchodonosor contulit Danieli.* Ornamento, *torquis aurei & stolæ byssinæ, & annuli collati Ioseph à Pharaone.* In ornamento præfectvræ. *August. lib. 10. de Ciuit. cap. 18. vbi contra exhibentes sacrificia Diis Gentium, pro spe purpura & præfecturæ; & cum Deo etiam pro temporalibus, vt & æternis bonis sacrificandum dicit.* S. Aug. Non eos suscepimus refellendos, qui vel vllam esse vim diuinam negant: Vel humana non curare contendunt, sed eos qui nostro Deo Conditori sanctæ & gloriosissimæ Ciuitatis Deos suos præferũt, nescientes eum ipsum esse etiã mundi huius visibilis & mutabilis inuisibilẽ & incommutabilem conditorem, & vitæ beatæ, non de his quæ condidit, sed de seipso verissimum largitorem. Eius enim Propheta veracissimus ait *Psalmo 72.* mihi autem adhærere Deo bonum est. De fine namque boni inter Philosophos quæritur, ad quod adipiscendum omnia officia referenda sunt. Nec dixit iste: mihi autem diuitiis abundare, bonum est, aut insigniri purpura & sceptro, vel diademate excellere: aut, quod nonnulli etiam Philo-

ſophorum dicere non erubuerunt, mihi voluptas corporis bonum eſt; aut quid melius, velut meliores, dicere viſi ſunt: mihi virtus animi mei bonum eſt: ſed, mihi, inquit, Deo adhærere bonum eſt. hoc cum docuerat, cui vni tantummodo ſacrificandum, ſancti quoque Angeli legalium ſacrificiorum etiam conteſtatione monuerunt. Vnde etiam ipſe ſacrificium eius factus fuerat, cuius igne intelligibili correptus ardebat, Et in eius ineffabilem incorporeumque complexum ſancto deſiderio ferebatur. CEDAMVS, *alij* credamus. NE IVRET, *per falſos Deos.* AVTHORITATEM ACCOMMODET, *ſicut Pontifex.* HOSTIAS LOCET, &c. *vt adituus,* SPECTACVLA EDAT, *vt ædilis Curulis, aut Prætor.* PRONVNTIET, *vt augur..* POTESTATIS, *dignitatis, vel Præfecturæ munia.* NEQVE IVDICET, *ſupple Chriſtianum pro cauſa fidei ſola, in aliis enim poteſt Chriſtianum reum vt & Gentilem condemnare.* FERAS, &c. *an vel mulctari pecunia in hac tam ſancta cauſa fidelem à iudice fideli æquo animo patereris? vel ſi abſolutè loquitur, dedecet Chriſtianum. Agni innocentis filium, omnino durum quid in quempiam decernere.*

2. *Et de Coro. cap.11. circa fin.*

ET voluntas poterit neceſſitas contendi, habens ſcilicet vnde cogatur. Vel ipſam præſtruxerim & ad cæteras officialium coronarum cauſas, quibus familiariſſima eſt aduocatio neceſſitatis: cùm idcircò aut officia fugienda ſint, ne in delictis incidamus, aut & Martyria toleranda ſint, vt officia rumpamus.

3. *Officium alterius vſurpare modeſtia prohibet. De Bapt. c.17. à pr. Vide V. Baptiſmi miniſter.*

OFFICIVM. 2. SCHOL.

ET VOLVNTAS, *cùm quis noluerit vitæ Chriſtianæ mandata exequi; dicere poterit, excuſationem prætendens ex neceſſitate, ſe ea implere non poſſe ratione incompatibilitatis officij ſui.* HABENS SCILICET, *id eſt dicet ſe habere legitimam excuſationem, quod ex officij debito cogatur aliquid facere contra legem Chriſtianam, ſeque cogi ad id metu tormentorum.* VEL IPSE. &c. *Eſto hæc de meo præmiſerim, & præoccupauerim, non tantùm vt diſſuaderem fideles, ne coronas laureas geſtent, ſed etiam vt oſtenderem tamas eſſe alias cauſas quas prætexunt homines vt ſibi licere putent habere coronas proprias officiorum & Magiſtratuum ſuorum.* ADVOCATIO, *alij legunt* ducatio, *quæ vox frequens Tertulliano ſatis eſt. quaſi diceret, his cauſis vtuntur quaſi ducibus & aduocatis, ad tuendum ornamentum coronarum, quòd ſcilicet vi officij teneantur incedere coronati.* IN DELICTIS, *pro* in delicta, VT OFFICIA RVMPAMVS, *quaſi retia prœpedientia, in via mandatorum. Mallem legere ſic,* vt martyria toleranda ſint, officia rumpamus. *Certè cùm officia coniunctam habent inſeparabiliter idololatriam, aut aliquam proximam occaſionem peccati, ſine dubio ſub pœna peccati mortalis relinquenda ſunt, ſicut Matthæus telonium reliquit. Sic enim publicanorum vitia breuiter carpit. Aug. ſer. 35. de diuerſis.* Publicani ſunt qui ſectantur lucra, & exigunt vectigalia per negotiationes & fraudes, & furta, ſceleraque & periuria. *Vide iam dicta ex Auguſtino ſer. 19. de ver. Domini verbo Militia 5. circa fin. Quibus hæc addo ex eod. ſer. poſt p.* Cunctis officiis, ſacris litteris, præſcribitur norma viuendi; omnis ad benè viuendum prouocatus ſexus, ætas, & dignitas. Igitur nemo ſe excuſet publicis actibus, &c. Nam vt id quod dicimus auctoritate Euangelica comprobemus, videamus lectionem quæ paulò antè decurſa eſt: ait enim Euangelium Luc. 3, Venerunt autem & Publicani ad Ioannem vt baptizarentur ab eo, & dixerunt ad eum: Magiſter, quid faciemus? at ille dixit: nihil ampliùs exigatis, quam quod conſtitutum eſt vobis: honeſta planè publicanorum interrogatio, ac ſancti Prophetæ iuſta reſponſio. Illi enim ſollicitè interrogant, ne aut ignorantes, plus exigendo, in peccatum incidant, aut ceſſantes, publicam decipiant functionem. Hic autem moderatè præcepit. vt & iniquitas locum non habeat, & conſtitutum habeat vectigal effectum. Non enim dixit, nihil exigatis: ſed, nihil ampliùs exigatis. Vnde intelligimus quòd apud Deum non tam exactio, quàm exactio iniqua damnetur: Dicit enim Dominus; Reddite quæ Dei ſunt Deo, & quæ Cæſaris Cæſari.

OPERA BONA.

1. *Opera fidei indicia ſunt. De præſcr. cap. 43. à p.*

DE genere conuerſationis qualitas fidei æſtimari poteſt: doctrinæ index, diſciplina eſt.

OPERA BONA. 1. SCHOL.

DE GENERE CONVERSATIONIS. *Qualis ſit fides, & quid doceat, ex operibus, conuerſatione, & diſciplina, id eſt moribus fidelium, ſatis indicari poteſt. Sic 1. Petri 2. 12.* Conuerſationem veſtram inter Gentes habentes bonam: vt in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus; ex bonis operibus vos conſiderantes glorificent Deum, in die viſitationis. *Et Iacob. 3. 13.* Quis ſapiens & diſciplinatus inter vos? oſtendat ex bona conuerſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ. *Et cap. 2. 17.* Fides ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa. Sed dicet quis, Tu fidem habes, & ego opera habeo: oſtende mihi fidem tuam ſine operibus: & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam, *Auguſtinus libro 83. qq. q. 75. & 76. hunc locum Iacobi cum Paulo conciliat, vbi inter cætera,* Quoniam Paulus Apoſtolus prædicans iuſtificari hominem per fidem ſine operibus, non benè intellectus eſt ab eis qui ſic acceperunt dictum, vt putarent, cùm ſemel in Chriſtum credidiſſent, etiamſi malè operarentur, & facinorosè flagitioſéque viuerent, ſaluos ſe eſſe poſſe per fidem, locus iſte huius Epiſtolæ, *Iacobi ſcilicet.* eundem ſenſum Apoſtoli Pauli, quomodo ſit intelligendus exponit. Ideòque magis Abrahæ vtitur exemplo vacuam eſſe fidem, ſi non benè operetur, quoniam Abrahæ exemplo etiam Paulus Apoſtolus vſus eſt, vt probaret iuſtificari hominem, ſine operibus legis. Cùm enim opera commemorat Abrahæ, quæ eius fidem comitata ſunt, ſatis oſtendit

Paulum Apostolum non ita per Abraham docere iustificari hominem per fidem sine operibus, vt si quis crediderit, non ad eum pertineat benè operari: sed ad hoc potiùs, vt nemo meritis A priorum bonorum operum arbitretur se peruenisse ad donum iustificationis, quæ est in fide. *Vide dicenda infrà verbo Opera bona.*

2. *Opera bona, acceptiora sunt, ex libertate, quàm ex necessitate facta. De pœn. c. 6. circa fi.*

HÆc prima Audientis intinctio est; metus integer. Exinde quoad Dominum senseris, fides sana, conscientia semel pœnitentiam amplexata. Cæterùm si ab aquis peccare desistimus, necessitate, non sponte innocentiam induimus. Quis ergo in bonitate præcellens? Cui non licet, an cui displicet malo esse? cui iubetur, an qui delectatur à crimine vacare? Ergo nec à furto manus auertamus nisi claustrorum duritia repugnet. nec oculos à stupri concupiscentiis refrenemus nisi à custodibus corporum obstructi, si nemo Domino deditus delinquere desinet nisi intinctione alligatus. Quòd si qui ita senserit, nescio an intinctus magis contristetur, quod peccare desierit, quàm lætetur quod euaserit.

OPERA BONA. 2. SCHOL.

AVDIENTIS INTINCTIO. *Alij sic legunt:* intinctio, est metus integer. *per audientem intelligit Catechumenum. Hi audientes erant extra Ecclesiam, Sic Pœnitentiale Romanum. tit. 7. cap.* 2. Extra Ecclesiam, id est, inter audientes. *Et Isid.* de foris audiant mysteria & gratiam. *Beda lib. 2. in Esdram*; nouæ vitæ auditores. PRIMA INTINCTIO. *Primus quodammodo Baptismus, quo preparatoriè purgantur à delictis. Sicut in Actis,* fide purificans corda hominum. METVS INTEGER, *Vox iuris, de qua iam alibi. Et hic significat timorem permanentem in sæculum sæculi, quo Catechumenus qui credidit, in peccatum non vult labi, nec spe Baptismi omnia peccata expiaturi, liberè peccat.* QVOAD *vsque ad Baptismum, quo suscepto plenè vt decet de Deo sentiat, & se sub tanto Domino seruum iam arctiùs obligatum.* SEMEL PœNITENTIAM, &c. *vt anima, sciat se rursum non posse iuxta Paulum* renouari ad pœnitentiam. *Illam scilicet solemnem quæ in adultis Baptismum præcedebat.* SI AB AQVIS, *si non ab ipso momento conuersionis ad Deum & fidei Catechumenorum, sed tantùm à Baptismo suscepto, & post lauacrum, peccato omnimino renunciamus, & secundum Esaiam;* quiescimus agere peruersè NECESSITATE, *tanquam coacti, & legibus Christianis obligati.* INDVIMVS, *sicut ex Paulo Christum induuntur baptizati. Augustinus in Enchirid. cap. 51. Ex Rom. 6.* Sacri Baptismatis in Cruce Christi grande mysterium commendauit: eo modo, vt intelligamus nihil aliud esse S.Aug. in Christo Baptismum, nisi mortis Christi similitudinem: Nihil autem aliud mortem Christi crucifixi, nisi remissionis peccati similitudinem: vt quemadmodum in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum: & quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera iustificatio, &c. Consepulti enim sumus illi per baptismum in mortem, vt quemadmodum surrexit Christus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. *In bonis operibus vitæ, fide per dilectionem operante, induti Iesum & eum per opera repræsentantes, vestiti sanctitatis amictum in consummatione virtutis, talari tunica* S. Aug. *veste poderis & perseuerantia.* Hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt euacuetur B corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato: qui enim mortuus est, justificatus est à peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam viuemus cum illo; scientes quia Christus resurgens à mortuis jam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo. Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuere autem Deo in Christo Iesu, &c. Quidquid igitur gestum est in Cruce Christi, in sepultura, in resurrectione tertio die, in Ascensione in cœlum, & in sede ad dexteram Patris, ita gestum est, vt his rebus non mysticè tantum dictis, sed etiam gestis configuraretur vita Christiana quæ hic geritur. Nam propter eius crucem, dictum est; qui au- C tem Iesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Propter sepulturam, consepulti enim sumus cum Christo per baptismum in mortem. Propter resurrectionem; vt quemadmodum Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Propter Ascensionem verò in cœlum, &c. Si autem resurrexistis cum Christo quæ sursum sunt quærite, &c. CVI NON LICET, *sicut baptizato, jam fide oppignerata, & obstricta præstito juramento.* CVI DISPLICET, *vt Catechumeno, qui adhuc liber se sponte obligat sanctitati & innocentiæ.* MALO ESSE. *Græca Phrasis, pro,* malum esse. *Quasi diceret diabolo vel peccato addictum.* CLAVSTRORVM. *Portarum ferrearum thesauri.* REFRÆNEMVS. *Hoc verbo vtitur pluries Augu-* S. Aug. D *stinus. Vt ep. 54.* Libidinum incitamenta frænauero. *Et lib. 6. cont. Pelag. cap. 14.* Concupiscentia, quam spadonum quoque castitas frænet. CVSTODIBVS CORPORVM OBSTRVCTI, *ab Eunuchis impediti. Rectè præfecti sunt custodiendis fœminis. Primò ex Heliodoro lib. 7. historia Æthiopum:* quia natura Eunuchorum Zelotypia laborat. *Et lib. 9.* Habet quiddam Zelotypum Eunuchorum genus: quibus est enim ipsum priuatum, ad hæc aliis prohibenda objicitur. *Secundò ex Clem. Alex.* Ministratio eorum est citra suspicionem. INTINCTIONEM, *baptismum.* SI QVI, *si quis.* QVOD EVASERIT, *scilicet pœnitentiam illam duram & solemnem baptismo præuiam, vel euaserit peccandi potestatem, imposita jam necessitate innocentiæ plus tristabitur, quàm lætabitur.*

3. *Operum bonorum necessitatem excludunt ab electis, cum Valentinianis, Caluiniani, De progenie Seth. cont. Valent. cap. 29. in f. & 30. in p.*

CHoïcum genus, id est malas animas, nunquam capere salutaria; Immutabilem enim & irreformabilem naturam pronuntiauerunt. Id ergo granum seminis spiritalis modicum & paruulum jactu, sed eruditu huius fides augetur atque prouehitur, ceu suprà diximus: animæque hoc ipso ita ceteris præuertunt, vt Demiurgus tunc ignorans magni

eas fecerit. Ex earum ergo laterculo, & in reges, & in sacerdotes allegere consueuerat: quæ nunc quoque si plenam atque perfectam notitiam apprehenderint istarum næniarum, naturificatæ jam spiritalis conditionis germanitate, certam obtinebunt salutem, immò omnimodo debitam. Ideoque nec operationes necessarias sibi existimant, nec vlla disciplinæ munia obseruant: martyrij quoque eludentes necessitatem qua volunt interpretatione. Hanc enim regulam Animali semini præstitutam, vt salutem quam non de priuilegio status possidemus, de suffragio actus elaboremus. CAP. XXX.

OPERA BONA. 3. SCHOL.

CHOICVM GENVS. *Primo dixerat Tertullianus, Valentinianos, homines, & animas eorum diuisisse in tres species, juxta tres filios Adæ; in Choicos, animales, & spiritales; & Choicos quidem Cain, animales Abel, spiritales Seth imputasse. Choica igitur anima id est è limo constata, quas malas omnino faciunt Valentiniani, incapaces dicunt salutis, & in meliorem naturam immutabiles.* SEMINIS SPIRITALIS, *quod videlicet quamuis minimum seminetur in anima, per eruditionem tamen eius, fides mirè proficit, & animæ quæ hoc suscipiunt semen subtilitate praecellunt cæteris. Adeo vt Demiurgus, id est opifex rerum corporearum antequam scientiam maiorem acciperet, magni eas in pretio haberet.* LATERCVLO, *vox juris. Laterculus enim est camera deputata ad thesaurum Principis accipiendum. Vide glossam in l. 1. C. de offic. quæstor. Laterculum autem est codex in quo ciuilium & militarium dignitatum administrationumque ratio, necnon mandatorum principalium & promotionum & consuetudinum notitia perscripta est, sic dictum vt quidam volunt, quod in eo laterent arcana. Sic colligunt ex l. 5. C. qui mil. poss. & l. vltima C. de off. mag. Alij, quasi quadrum; quod sacri laterculi fuerint scrinia quatuor, vt patet ex nouella octaua. Duplex autem erat laterculum; majus, quod apud Principem seruabatur sub cura primicerij Notariorum l. 1. C. de offic. Præf. Prat. Afric. minus, quod sub cura & solicitudine quæstoris erat l. 1. & 2. C. de offic. quæst. Cujacius testatur se habere librum Victurij de ratione Paschali; in cuius extremo, per Indicem Consulum dies Paschalis subnotatur; isque Index, laterculus Paschalis inscribitur, quem Sigebertus Theophilo Alexandrino tribuit. Ergo ad sensum Tertulliani; ex laterculo animarum spiritalium, id est ex albo & scrinio illo, Reges & Sacerdotes eligi consueuerant juxta Valentinianos. Quæ animæ si ad plenam fabularum Valentinianarum notitiam peruenerint, jam quasi germanè & verè spiritales effectæ, debitam sibi jure naturæ spiritalis salutem consequentur. Sic sibi Caluiniani, spiritales scilicet, solo fidei iure sine operibus salutem certam adpromittunt. Et loco Io. 4. abutentes, sine altari, Sacerdote, sacrificio, bonorum operum necessitate, sibi blandiuntur de salute securi; nimirum ex Paulo;* nihil damnationis esse, his, qui sunt in Christo Iesu. *Sic Christum sibi fauentem audiunt.* Deus spiritus, est, veri adoratores, Patrem in spiritu & veritate oportet adorare. *Et cum Psalte,* Dixerunt, hæreditate possideamus Sanctuarium Dei. MARTYRII QVOQVE, *scripsit Tertullianus & contra Gnosticos à Martyrio dehortantes. Sed & ipse errauit, absolutam imponens necessitatem subeundi Martyrij, librum scribens contra fugam in persecutione, quam Christus etiam Apostolis persuasit.* DE PRIVILEGIO STATVS, *spiritalis scilicet, vi naturæ solius salui; cùm animales, quales Valentiniani nos Christianos dicebant, salutem per actus & opera bona promereri debeamus. Sed omnibus indiscriminatim opera bona ad salutem necessaria S. Iacobus docuit 2. 19. & seq.* Tu credis quoniam vnus est Deus: benè facis: & dæmones credunt, & contremiscunt. Vis autem scire ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? vides quoniam fides cooperabatur operibus illius: & ex operibus fides consummata est? & suppleta est scriptura dicens; credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam, & amicus Dei appellatus est: Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum? Similiter & Rahab meretrix nonne ex operibus justificata est suscipiens nuntios & alia via eiiciens? *Aug. lib. 83. qq. quæst. 76.* Manifestum est quod Paulus Apostolus dicit, arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus. Non tamen ita intelligendum est, vt accepta fide, si vixerit, dicamus eum justum si malè vixerit. Ideo exemplo Abrahæ & Apostolus Paulus vtitur, quia sine operibus legis, quam non acceperat, per fidem justificatus est; & Iacobus, quia fidem ipsius Abrahæ bona opera consecuta esse demonstrat, ostendens quemadmodum intelligendum sit quod ait Paulus Apostolus. Nam qui putant istam Iacobi Apostoli sententiam contrariam esse illi Pauli Apostoli sententiæ, possunt arbitrari etiam ipsum Paulum sibi esse contrarium, quia dicit alio loco *Rom. 2.* Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Et alio loco *Gal. 5.* Sed fides quæ per dilectionem operatur. Et iterum: *Rom. 8.* Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Et 1. Cor. 6. Nolite errare, neque fornicatores, neque idolis seruientes, &c. regnum Dei possidebunt, &c. quibus sententiis manifestissimè docet, non eos præterito bono opere, ad fidei justificationem peruenisse: Nec meritis eorum istam gratiam datam, quando dicit, hæc & quidem fuistis, sed abluti estis, &c. Sed cum dicit, qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt: Satis ostendit, jam ex quo crediderunt, benè operari debere quod & Iacobus dicit, & multis omnino locis idem Apostolus Paulus satis apertéque prædicat rectè viuendum omnibus qui in Christo crediderunt, ne ad pœnas perueniant. Quod & ipse Dominus commemorat dicens Matth. 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, &c. Et Luc. 6. Vt quid dicitis mihi Domine, & non facitis quæ dico vobis? &c. Quapropter non sunt sibi contrariæ duorum Apostolorum sententiæ Pauli & Iacobi, cum dicit vnus justificari hominem per fidem sine operibus: & alius dicit, inanem esse fidem sine operibus: quia ille dicit de operibus quæ fidem præcedunt, iste de iis quæ fidem sequuntur. S. Aug.

4. *Et cont. Valent. cap. 30. in m.*

SEd nobis quidem væ, si excesserimus in aliquo disciplinæ jugum: si obtorpuerimus in operibus sanctitatis atque justitiæ: si confitendum alibi, nescio vbi, & non sub potestatibus istius sæculi, apud tribunalia præsidum, optauerimus. Illi verò & de passiuitate

vitæ, & diligentia delictorum, generositatem suam vindicent, blandiente suis Achamoth quoniam & ipsa delinquendo profecit.

OPERA BONA. 4. SCHOL.

NOBIS, *Orthodoxis ex sententia Valentinianorum, animalibus reputatis.* SI EXCESSERIMVS, *excusserimus in lota minime legem Dei.* SI CONFITENDVM ALIBI. *Id torquet contra Gnosticos, Martyrium prohibentes, & confeßionem Christiani nominis faciendam in cœlo & in alia vita interpretantes, non sub Præsidibus Gentilium in hac vita.* ILLI VERÒ, *Valentiniani scilicet de spiritali semine Seth progeniti ex Achamoth, quam Irenæus variè ab ipsis notat vocatam, Sophiam, terram, Ierusalem, Ogdoadam. Quique etiam nobilitatem suæ originis, ex vsu promiscuo omnium criminum & dilectione affectuque peccatorum adaugeri putant. Quod intelligit per* passiuitatem vitæ & diligentiam delictorum. DELINQVENDO PROFECIT. *Cum scilicet rem tentauit illicitam, & lumen Christi superioris. Sic spuria hæresis non imputari sibi delicta censuit, quinimo merito fidei, absque operibus pœnitentiæ & satisfactionis, & Dei gloriam & suam salutem perfici Caluinistæ gloriantur. Non sic docet Ecclesia, quæ inter Pelagianos, natura operibus gratiam addicentes; & Caluinistas, soli fidei absque operibus salutem tribuentes; gratia & fide & operibus bonis cum bono libertatis vsu, auxilio Dei præueniente, comitante, subsequente, inniti salutem docet. Aug. in Psal. 31.* (S. Aug.) Hoc dixit Apostolus cùm commendaret justitiam quæ ex fide est, aduersus eos qui gloriantur de justitia quæ est ex operibus, hoc ait Rom. 4. quid ergo dicimus inuenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non ad Deum. Auertat ipse Deus à nobis talem gloriam, & illud potius audiamus primæ Cor. 1. qui gloriatur, in Domino glorietur, &c. Iam qui audit, non ex operibus sed ex fide; obseruet illam voraginem, &c. Vides ergo *sic inducit aliam partem obiicientem* quia ex fide, non ex operibus iustificatus est Abraham; faciam ergo quidquid volo; quia etsi bona opera non habuero, & tantum credidero in Deum, deputabitur mihi ad justitiam. Si dixit, & decreuit; lapsus, demersus est: si adhuc cogitat, & fluctuat, periclitatur. Scriptura autem Dei, verusque intellectus, non solum periclitantem à periculo liberat, sed & demersum à profundo eleuat. *Subdit vt suprà Schol. præcedenti, & conciliat locos Iacobi & Pauli: & post multa pulchra, concludit:* (S. Aug.) qui vult habere bonam spem, habeat bonam conscientiam; vt autem habeat bonam conscientiam, credat & operetur, &c. Quod credit fidei est, quod operatur, charitatis est, &c. Nemo jactet bona opera sua ante fidem, nemo sit piger in operibus, accepta fide. *Vide dicta fusiùs tomo 1. in Erroribus imputatis. V. gratia. & V. necessitatem, &c.*

5. *Operum bonorum merces. V. verbum, Dei iustitia & bonitas. num. 11.*

6. *Opera bona & vtilia Deo similes homines faciunt, 1. cont. Marc. cap. 11. à p. V. Dei essentia ex operibus nota gentilibus. num. 5.*

OPINIO VVLGI.

Opinio vulgi sequenda, dum consentit veræ fidei, non contrà de Resur. cap. 3. à princ. V. Anima immortalitas 1. à m.

ORATIO.

ORATIO DOMINICA QVAM EXCELLENS.

1. *Christus Dominus, Dei Spiritus, ratio, & sermo, orationem Dominicam, his tribus constituit. De orat. cap. 1. in p.*

(Matth. 6. 9. Luc. 11. 1. Matt. 9. 16.) DEi spiritus, & Dei sermo, & Dei ratio, sermo rationis, & ratio sermonis, & spiritus, vtrumque Iesus Christus Dominus noster, nouis discipulis noui Testamenti, nouam orationis formam determinauit. Oportebat enim in hac quoque specie nouum vinum nouis vtribus recondi, & nouam plagulam nouo adsui vestimento.

2. *Et ibid. circa med.*

DEi spiritus, & Dei sermo, & Dei ratio approbatus est Dominus noster Iesus Christus: spiritus quo valuit, sermo quo docuit, ratio qua venit. Sic igitur oratio à Christo constituta, ex tribus constituta est: ex sermone, quo enuntiatur: ex spiritu, quo tantùm potest: ex ratione, qua suscipitur.

3. *Oratio à Christo ordinata, exaudiri meretur. De orat. cap. 9. in med.*

DEus solus docere potuit, vt se vellet orari. Ab ipso igitur ordinata religio orationis, & de spiritu ipsius iam tunc cùm ex ore diuino ferretur, animata suo priuilegio ascendit in cœlum commendans patri quæ filius docuit.

ORATIO.

ORATIO DOMINICA QVAM EXCELLENS. 1. 2. 3. SCHOL.

DEI SPIRITVS, *id est Deus de Deo. Nam Ioannis* 4. Deus spiritus est. *Et iuxta Paulum*, Dei virtus. *Christus.* DEI SERMO, *Verbum Dei.* DEI RATIO, *diuina intellectio. Vel ratio & sapientia per quam omnia condidit Pater.* SERMO RATIONIS, *terminus intellectionis Patris. Vel sumendo sermonem pro Christi*

humanitate, quæ regebatur à Verbo. RATIO SERMONIS ET SPIRITVS. *Ipsa est persona Verbi producti per intellectum, Patris, & Spiritus, id est Deus.* VTRVMQVE IESVS, &c. *quia non duo, sed unus est Christus. Licet enim Spiritus, id est diuinitas eius, idem sit essentialiter, quod persona eius, id est Verbum: Virtualiter tamen differt: & latius secundum intellectum nostrum extenditur hoc nomen*, Verbum; *quia præter diuinam essentiam, personam propriam secundum Trinitatis includit. Spiritus autem hic non personam tertiam, sed vel essentiam diuinam, vel Dei virtutem significat. Præterea*, vtrumque Iesus Christus; *quia in illo, Deus & homo, propter vnam eandemque personam, non duo, sed vnus est Christus, Deus homo.* APPROBATVS EST, *tàm Patris voce tonante de nube, quàm Spiritu sancto illapso in caput eius specie columbæ. Vel, probauit se vtrumque*, spiritum quo valuit, *id est Deum & Dei virtutem qua tanta portenta fecit; & in digito Dei, non impar Patri Spiritus, spiritus malignos eiecit vt Deus; & vt homo, in Dei spiritu, quo plenus erat.* SERMO QVO DOCVIT. *Sic enim probauit se Verbum Patris, dum ait*: mea doctrina non est mea; *id est juxta Augustinum, mea persona non est mea. Sic tractatu 29. in Io. 7.* Si intueamur diligenter quod ipse in exordio dicit S. Euangelista: In principio erat Verbum, &c. Inde pendet huius solutio quæstionis, quæ est doctrina Patris nisi Verbum Patris? &c. Sed quia Verbum non potest esse nullius, sed alicujus, & suam doctrinam dixit seipsum, & non suam, quia Patris est Verbum. Quid enim tam tuum quam tu? & quid tam non tuum quam tu, si alicuius es, quod es? Verbum ergo & Deus est, & doctrinæ stabilis Verbum est, non sonabilis per syllabas & volatilis, sed manentis cum Patre, ad quam conuertamur manentem sonis transeuntibus admoniti, &c. Non tamen illud quod vos admonuit transire debet, quia ille quem vos diligere admonuit non transit; & cum transeuntibus syllabis admoniti, conuersi ad eum fueritis, nec vos transibitis, sed cum manente manebitis. *Ille ergo est qui rogatus ab Apostolis*, doce nos orare, *sic nos docuit ex illis. Sermo porro, quia est oratio composita, aptissimè significat Verbum Incarnatum, Christum ex Deo & homine compositum; qui cum esset doctrina Patris, & nouus homo, noues discipulos nouus magister, nouam orationem docuit. Hic subiicio quædam absuta exprimo numero.* IN HAC SPECIE. *Quia Christus vbique veteri Testamento implendo, noua mysteria introducebat, sic & nouam hic Orationis speciem & formam induxit.* NOVAM PLAGVLAM, *id est paruam panni partem. Alludit ad locum Matth. 9. 16. & seq.* Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem eius à vestimento, & pejor scissura fit. Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres; alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt. *Translat. Syr. priorem partem clarius exprimit*: nemo immittit frustum panni nouum in vestimentum attritum vetustate; ne quid detrahat supplementum, ex illo vestimento, fiatque scissura maior. RATIO QVA VENIT. *Idem ipse Dominus noster, ratio & sapientia æterna Patris est, quæ ab æterno ordinata est in decreto diuino hominis salus, vt de cœlo veniens*, operaretur salutem in medio terræ, *nostræ dum ex Augustino secundum Psaltem*, veritas de terra orta est, *id est Christi caro de Virginis carne*: suscepit, inquit, de terra terram. *Sic ex Paulo hæc ratio latens, Verbum apud Deum*, apparuit erudiens nos: *& quia his tribus constabat, vt & ex Ioanne in terra noua Trinitas*, Spiritus, aqua, & sanguis: *& ex Tertulliano*, Dei spiritus, sermo, & ratio; *ex tribus item orationem quam docuit, constare voluit, & tribus his vigere orantes, sermone, vt non solum corde & spiritu: & ratione, siue attentione & sapientia, qua Christus eam suscepit & concepit, siue vt alij legunt*, qua docetur; *sed & sermone externo pronuntiatur, sicut ore Dominico prolata est, vnde & Dominica dicta est. Aug. lib. 21. de Ciuit. cap. 27*: Oratio quotidiana, quam docuit ipse Dominus; vnde & Dominica nuncupatur. *Et rursum paulo post ibidem*: quotidianam orationem docebat, & justificans vtique discipulis loquebatur. RELIGIO ORATIONIS. *Sanctitas, vel cultus latriæ quo Deus adoratur & colitur.* ORE DIVINO. *Quia nunquam sic homo locutus est. Et quia os & lingua Christi instrumentum erat diuinitati conjunctissimum, & vnitum Verbo.* COMMENDANS PATRI. *Aug. lib. 2. de ser. Dñi in Monte c. 8.* Considerandum est, quæ nos orare ille præcepit, per quem & discimus quid oremus, & consequimur quod oramus. Sic itaque orate vos, inquit, Pater noster qui es in cœlis: & reliqua. Cum in omni deprecatione beneuolentia conciliand a sit eius quem deprecamur, deinde dicendum, quid deprecemur; Laude illius ad quem oratio dirigitur, solet beneuolentia conciliari, & hoc in orationis principio poni solet: in quo Dominus noster nihil aliud nos dicere jussit, nisi, Pater noster, &c. Multa enim dicta sunt in laudem Dei per omnes sanctas Scripturas, &c. Nusquam tamen inuenitur præceptum populo Israel, vt diceret Pater noster, &c. Sed Dominus eis insinuatus est, tanquam seruientibus.

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

4. Orando Christus suspexit in cœlum Creatoris. 4. cont. Marc. cap. 26. in p.

QVum in quodam loco orasset ad patrem illum superiorem, satis impudentibus & temerariis oculis suspiciens ad cœlum Creatoris, à quo tam aspero & sæuo, & grandine & fulmine potuisset elidi, sicut & Hierusalem suffigi ab eo potuit. Luc. 11. 1.

5. Orare Christus docuit Apostolos, aliter quàm Ioannes, sed non alium Deum. 4. cont. Marc. cap. 26. à p. ad vlt. m.

AGgressus eum ex discipulis quidam, [a] *Domine*, inquit, *doce nos orare, sicut & Ioannes discipulos suos docuit*; scilicet quia alium Deum aliter existimaret orandum. Hoc qui præsumpserat, prius est probet alium Deum editum à Christo. nemo enim antè voluisset orare nosse, quàm didicisset quem oraret. Igitur si didicerat proba. Si nusquam vsque adhuc probas, scito illum, in Creatorem, formam orationis postulasse, in quem etiam discipuli Ioannis orabant. Sed quia & Ioannes nouum aliquem ordinem orationis induxerat, ideo hoc & à Christo discipulus eius postulandum non immeritò præsumpserat, vt & illi de proprio magistri sui instituto, non alium, sed aliter Deum orarent. Proinde nec Christus antè orationis notitiam discipulo contulisset, quàm Dei ipsius. Ita & ipse in eum docuit orationem, quem discipulus vsque adhuc nouerat. Denique sensus orationis quem

[a] Luc. 11. 1.

b Luc.11. Deum sapiant recognosce. Cui dicam, [b] *Pater?* ei qui me omnino non fecit? à quo origi-
2. nem non traho? an ei qui me faciundo & instruendo generauit? A quo [c] *Spiritum sanctum*
c Ibid. 13. *postulem?* à quo nec mundialis spiritus præstatur? [d] *an à quo sunt etiam angeli spiritus?* cuius & in
d Psa.103. primordio [e] *spiritus super aquas ferebatur?* Eius regnum optabo venire, quem nunquam
5. regem gloriæ audiui? an [f] *in cuius manu etiam corda sunt regum?* Quis dabit mihi [g] *panem quo-*
e Gen. 1. *tidianum?* qui nec milium mihi condit, an qui etiam de cœlo [h] *panem Angelorum* quotidia-
Luc.11.2. num populo suo præstitit? Quis mihi [i] *delicta dimittet*, qui ea iudicando non retinet? An qui
f Prou.21. si non dimiserit, retinebit vt judicet? Quis non sinet [k] *nos deduci in tentationem?* quem po-
1. terit tentator non timere, an qui à primordio tentatorem angelum prædamnauit? Hoc
g Luc.11. ordine, qui alij Deo supplicat & non Creatori, non orat illum, sed infamat. Proinde à quo
3. [l] *petam, vt accipiam?* apud quem *quæram, vt inueniam?* ad quem *pulsabo, vt aperiatur mihi?*
h Psal.77. Quis habet petenti dare, nisi cuius omnia? cuius sum etiam ipse qui peto. Quid autem per-
i Luc. 11. didi apud Deum illum, vt apud eum quæram & inueniam? Si sapientiam atque pruden-
4. tiam, has Creator abscondit: apud eum ergo quæram. Si salutem & vitam, & has apud
k Luc. 11. Creatorem. Nihil alibi quæretur vt inueniatur, quàm vbi latuit vt appareat. Sic nec alior-
4. sum pulsabo, quàm vnde sum functus. Denique, si accipere & inuenire & admitti, laboris
l Ibid. 9. & instantiæ fructus est illi qui petiit, & quæsiuit, & pulsauit, intellige hæc à Creatore man-
Matth.11. dari & repromitti. Ille enim Deus optimus, vltro veniens ad præstandum non suo homini,
25. nullum illi laborem, nec instantiam indixisset. Iam enim non optimus, si non vltro daret
non petenti, & inuenire præstaret non quærenti, & aperiret non pulsanti. Creator autem
potuit indicere ista per Christum, vt quia delinquendo homo offenderat Deum suum, la-
boraret, & instantiâ petendi acciperet, & quærendi inueniret, & pulsandi introiret. Sic &
Luc.11.5. præmissa similitudo, nocturnum panis petitorem amicum facit, non alienum, & ad ami-
cum pulsantem, non ad ignotum. Amicus autem, etiamsi offendit, magis Creatoris est ho-
mo, quàm Dei Marcionis. Itaque ad eum pulsat, ad quem jus illi erat, cuius januam norat,
quem habere panes sciebat, cubantem jam cum infantibus quos nasci voluerat. Etiam
quod sero pulsatur, Creatoris est tempus. illius & serum, cuius seculum & seculi occasus.
ad Deum autem nouum, nemo sero pulsasset, tantum quod lucescentem. Creator est, qui
& januam olim Nationibus clauserit, quæ olim pulsabatur Iudæis; is & exurgit & dat, &
m Ibid. 7. si jam non quasi amico, non tamen quasi extraneo homini, [m] *sed quasi molesto*, inquit. Mo-
lestum autem tam cito Deus recens neminem pati potuit. Agnosce igitur & Patrem, quem
Exod. 16. etiam appellas Creatorem. Ipse est qui scit quid filij postulent. Nam & panem petenti-
13. & 15. bus, de cœlo dedit manna; & carnem desiderantibus, emisit ortygometram; [n] *non ser-*
n Luc. 11. *pentem pro pisce, nec scorpium pro ouo.* Illius autem erit non dare malum pro bono, cuius vtrum-
11. que sit. Ceterùm, Deus Marcionis non habens scorpium, non poterat id se dicere non
o Luc. 11. daturum, quod non habebat; sed ille qui habens & scorpium, non dat. Itaque & [o] *Spiri-*
13. & 14. *tum sanctum is dabit*, apud quem est & non sanctus.

ORATIO DOMINICA. 4 & 5. SCHOL.

QVODAM LOCO *Luc.11.1.* Cum esset in quodam loco orans, vt cessauit, dixit vnus ex discipulis eius ad eum: Domine doce nos orare, sicut docuit & Ioannes discipulos suos. PATREM SVPERIOREM, *Deum Marcionis quem superiorem dicebat Deo Creatore*, SATIS IMPVDENTIBVS, &c. *Ironice.* CŒLVM CREATORIS, *à Creatore conditum.* TAM ASPERO, *qualem fingebat Marcion.* SVFFIGI, *vt ait Marcion in odium Dei sui, Christum à Deo Creatore suffixum cruci. Sed Christus verè à Patre traditus morti, secundùm Paulum:* qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. SCILICET QVIA ALIVM. *Ironice.* QVI PRÆSVMPSERAT, *secundum stultam opinionem Marcionis.* ALIVM DEVM. *Quàm Creatorem.* EDITVM, *ostensum & monstratum.* ORARE NOSSE, *clarius; nosse prius qualiter orandus esset Deus, nemo sana mente voluisset, quin prius didicisset quis esset ille Deus quem oraret.* SCITO ILLVM. *Discipulum scilicet.* IN CREATOREM, *id est petisse à Christo modum quo orationem suam ad eundem Deum dirigeret, quem & orabant Ioannis Discipuli.* QVAM DEI IPSIVS, *cognitionem scilicet.* CVI DICAM, PATER. *Aug. lib. 2. de sermone Do. in*
S. Aug. *Monte cap. 8. vbi de Israelitis seruis sub lege, cuius & author est Deus Creator:* Prophetæ sæpè ostendunt eundem Dominum Deum etiam Patrem eorundem esse potuisse, si ab eius mandatis non aberrarent: sicut est illud: filios genui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me: Esa. 1. Et illud Psal. Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes; & illud Malach. 1. Si Dominus sum, vbi est timor meus? & si Pater sum, vbi est honor meus? & alia permulta, vbi arguuntur Iudæi, quia filij esse peccando noluerunt: Exceptis eis quæ in Prophetia dicuntur de futuro populo Christiano, quia Patrem Deum esset habiturus, secundùm illud Euangelicum; dedit eis potestatem filios Dei fieri. Apostolus autem, &c. Spiritum adoptionis nos accepisse commemorat, in quo clamamus Abba Pater, &c. quo nomine & charitas excitatur; quid enim charius filiis debet esse quam Pater? & supplex affectus, cum homines dicunt Deo, Pater noster: & quædam impetrandi præsumptio, quæ petituri sumus; cùm, priusquam aliquid peteremus, tam magnum donum accepimus, vt sinamur dicere, Pater noster, Deo. Quid enim jam non det filiis petentibus cùm hoc ipsum ante dederit, vt filij essent? postremo quanta cura animum tangit, vt qui dicit, Pater noster, tanto Patre non sit indignus? OMNINO NON FECIT, *Deus scilicet Marcionis.* FACIVNDO, *creando, faciendo.* ET INSTRVENDO, *quasi noua sit creatio & formatio, informatio morum & instructio.* NEC MVNDIALIS SPIRITVS, *id est, vel anima, vel ventus & respiratio, quam nec creat Deus Marcionis.* EIVS REGNVM. *cum dicimus;* Adueniat regnum tuum. *Aug. lib. 2. de ser. Domini in Monte cap. 10.* S. Aug.

Quasi

S. Aug. Quasi nunc Deus non regnet in terrâ, semperque in ea regnauerit à constitutione mundi. Adueniat ergo, accipiendum est: manifestetur hominibus. Quemadmodum enim etiam præsens lux, absens est cæcis; & eis qui oculos claudunt; ita Dei regnum, quamuis nunquam discedat de terris, tamen absens est ignorantibus. IN CVIVS MANV. *Prou. 21. 1.* Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud. PANEM QVOTIDIANVM. *Aug. lib. 2. de serm. Dom. in*

S. Aug. *Monte cap. 12.* Panis quotidianus, aut pro iis omnibus dictus est, quæ huius vitæ necessitatem substentant, de quo cùm præcipit, ait: Nolite cogitare de crastino: vt ideò sit additum, da nobis hodie; aut pro Sacramento Corporis Christi, quod quotidie accipimus: aut pro spiritali cibo, de quo idem Dominus dicit Ioan. 6. Operamini escam quæ non corrumpitur. Et illud: Ego sum panis vitæ qui de cœlo descendi, &c. Quotidianus autem iste cibus nunc dicitur, quandiu ista vita temporalis per dies decedentes succedentesque peragitur, &c. POPVLO SVO, *manna intelligit, de quo immediatè antè Psaltes dixerat;* Pluit illis manna ad manducandum. *Vnde Aug.* Quotidiano cœli pascebantur alimento. IVDICANDO NON RETINET. *Hic, vt in præcedentibus, carpit Deum Marcionis, quem vult tantum esse bonum & non iudicem; cùm idem sit, qui æqua lance misericordiâ dimittit, misericorditer dimittenti, qui retinet retinentis, eodem iudicio iudicans. Hinc docuit sic orare.* Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus. *Augustinus lib. 21. de Ciuit. cap. 27. vbi ait &*

S. Aug. *parua & magna dimitti, dimittentibus; nulla autem retinentibus. & concludit:* Verumtamen nec ipsa magna, à quibus omninò mutatis in melius moribus, recedendum est, dimittuntur orantibus, nisi fiat quod ibi dicitur: Sicut & nos dimittimus, &c. Si enim minima peccata, sine quibus non est etiam vita iustorum, aliter non remittuntur: quantò magis multis & magnis criminibus inuoluti, etiamsi ea perpetrare iam desinant: nullam indulgentiam consequuntur, si ad remittendum aliis, quod in eos quisque peccauerit, inexorabiles fuerint: cùm dicat Dominus: Si non dimiseritis hominibus peccata vestra, neque Pater vester dimittet vobis. Ad hoc enim valet, quod etiam Iacobus Apostolus ait cap. 2. Iudicium futurum sine misericordia, illi qui non fecit misericordiam.

S. Aug. IN TENTATIONEM. *Aug. lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 14.* Multi precando ita dicunt, ne nos patiaris induci in tentationem, exponentes videlicet quomodo dictum sit, inducas. Non enim per seipsum inducit Deus, sed induci patitur eum quem suo auxilio deseruerit ordine occultissimo ac meritis: causis etiam sæpè manifestis dignum iudicat ille quem deserat, & in tentationem induci sinat. Aliud est autem induci in tentationem, aliud est tentari. Nam sine tentatione probatus esse nullus potest. siue sibi ipsi, sicut scriptum est Eccli. 34. qui non est tentatus, qualia scit? siue alij; sicut Apostolus ait Galat. 4. tentationem vestram in carne mea non spreuistis: hinc enim eos firmos cognouit, quia eius tribulationibus, quæ Apostolo in carne acciderant, non sunt à charitate deflexi: Nam Deo noti sumus & ante omnes tentationes, qui scit omnia antequam fiant. Quod itaque scriptum est Deuteron. 13. Tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat si diligatis eum: illa locutione positum est, vt sciat, pro eo quod est, vt scire vos faciat: sicut diem lætum dicimus: quòd lætos faciat; & frigus pigrum, quòd pigros faciat, &c. Sic Ioannis 6. Hoc autem dicebat tentans eum, nam ipse sciebat quid esset facturus. Si

A enim nouerat cor eius quem tentabat, quid est quòd voluit videri tentando? sed profectò illud factum est, vt ipse sibi notus fieret qui tentabatur, suamque desperationem condemnaret, saturatis turbis de pane Domini, qui eas non habere quod ederent, existimauerat. Non ergo hîc oratur, vt non tentemur, sed vt non inferamur in tentationem: tanquam si quispiam, cui necesse sit igne examinari, non oret, vt igne non contingatur, sed non exuratur. Vasa enim figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis Eccli. 27. Ioseph ergo tentatus est illecebra stupri, sed non est illatus in tentationem. Susanna tentata est, nec ipsa inducta vel illata in tentationem, &c. TENTATOR, *diabolus.* NON TI-B MERE, *Deum Marcionis, quem diabolus nullum esse expertus est hactenus. Sed timet omnino quem experientia credit suæ præuaricationis vltorem.* PRÆDAMNAVIT, *quia prius homine peccante, & priusquam ab eo tentatus homo, & victus paradiso terrestri pelleretur, ipse à seipso tentatus, paradiso cœlesti eiectus est.* HOC ORDINE, *id est serie septem petitionum in Dominica oratione præscripta, quicumque orat Deum Marcionis, suâ illum oratione diffamat, & inhonorat. Videat proinde* Marcion *qui Lucæ Euangelium admittit, qua fronte Deum suum Patrem oret, qui nullum genuit, aut creauit. In cœlo Creatoris habitantem iure precario, qui cœlum & thronum miser & pauper Deus non habet proprium. Cui nullum est regnum, nullus panis, nullum triticum, nullum quidem ab eo productum mili granum.* A QVO PETAM?

C *Tangit hîc locum Lucæ cap. 11. 9.* Petite & accipietis, quærite, & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. DEVM ILLVM, *Marcionis inopem & nullius rei Creatorem.* ABSCONDIT, *Matth. 11. 25.* Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ: quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. ALIORSVM, *alibi.* VNDE PVNCTVS, *quam ad portam domus eius, ex cuius abundantia iam sum potitus, testante Psalmista:* Replebimur in bonis domus tuæ, &c. Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt. OPTIMVS VLTRO, *Deus Marcionis, quem non opus est ob vltroneam bonitatem quærere, pulsare, compellare, nempe sponte su-D perefluentem, non enim aliter optimi nomen mereretur.* NON SVO, *non à se condito.* ET QVÆRENDI, *supple instantia.* INDICERE, *quasi in pœnam violati primi mandati, quia iustè mulctatus est, vt teneretur orando & pulsando quærere necessaria, cui vltrò prius innocenti superabundabant voluptuosa.*

PRÆMISSA SIMILITVDO, *Luc. 11. 4.* Quis vestrûm habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum: & ille de intus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi. Et si E ille perseuerauerit pulsans: dico vobis, & si non dabit illi surgens eo quòd amicus eius sit, propter improbitatem tamen, *Syr. importunitatem:* eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis: Petite & dabitur vobis, &c. *August.* S. Aug. *serm. 171. de temp.* Quare trepidat pulsando manus vestra, & dormitat in mendicitate conscientia vestra? Ego sum ianua vitæ, non horresco sordidum pulsatorem, non pauperem repudio petitorem, tantùm nemo suam negligat paupertatem. Pulsate & aperietur. Stant Angeli ad ianuam vt introducant, non vt repellant: vt suggerant, non vt terreant. Nulla est pompa in ianua mea. Ego sum ianua, qui sustinui Crucis ignominiam, &c.

Habet ianuam pietatis, nec repellit inde pulsantes, sed culpat potiùs negligentes: Neque enim aliquid petitur quod non habeat, vt cùm non dederit, erubescat, &c. *Subiicit parabolam præmissam, vbi inter*
S.Aug. *cætera*: Non sine Sacramento petit tres panes: quia vnus hospes erat gratiâ pietatis, sed substantia Trinitatis. Nónne vnus hospes erat in tribus, qui venit ad patrem Abraham? Hospes & amicus, pransor & mansor: & omnia illi in Trinitate sunt exhibita humanitatis obsequia, quia Trinitatis gloria effulget. Trimum attulit vitulum Pater, tres mensuras similaginis conspersit futura mater, paritura filium pro quo Pater mactaret agnum; & ipsa Corpus Christi, in Trinitate, iam fecerat Sacramentum. *Vide eandem parabolam pulchrè expositam ab Augustino serm. 29. de verb. Dom. vbi inter multa*: Quod
S. Aug. dare vult differt, vt ampliùs desideres dilatum, ne vilescat citò datum. Cùm autem perueneris ad tres panes, hoc est ad cibum & intelligentiam Trinitatis, habes & vnde viuas, & vnde pascas. Ne peregrinum venientem de via reformides, sed excipiendo ciuem domesticum facies, ne timeas, ne finias. Non panis ille finietur, sed indigentiam tuam finiet. Panis est, & panis est, & panis est Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Æternus Pater, &c. Incommutabilis Pater, &c. Creator & Pater, &c. Pastor & vitæ dator Pater & Filius, &c. disce, & doce; viue, & pasce: Deus qui tibi dat, nihil melius quàm se tibi dat. Auare, quid aliud quærebas? aut si aliud petas, quid tibi sufficit, cui Deus non sufficit? AMICVM FACIT. *Pulchrè. Si enim (vt vult Marcion) Deus ille suus optimus, hominem non fecit, certè homo est ipsi extraneus, non amicus; vnde hæc parabola Deo Marcionis non conuenit, sed nostro Creatori; quem licèt homo per peccatum offenderit, tamen illi per pœnitentiam reconciliatus, magis amicus dici potest, vt ab eo petat panem noctu, quàm à Deo Marcionis prorsus ignoto.* IVS ILLI ERAT, *accessus, vel ius petendi veniam, eàque obtenta ex pacto & inuitatione ipsa, ius petendi & impetrandi.* QVOS NASCI, &c. *Pungit Marcionem, cuius Deus filios non genuerit; & Deum Creatorem, patrem hominum, ipsi opponit.* SERO PVLSATVR. *Eleganter notat etiam factam hîc temporis mentionem, cuius Deus auctor est, de quo Psaltes*: Fecit Lunam in tempora, &c. Solem in potestatem diei, lunam & stellas in potestatem noctis. SAECVLI OCCASVS. *finis sæculi. Item Psaltes, & ex eo, Paulus*: Thronus tuus Deus in sæcula, &c. Regi sæculorum, &c. *Et ipse Christus de occasu mundi, & die iudicij rogantibus Apostolis*: Non est vestrûm nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, NEMO SERVS. *Quàm concinnè. Quis enim serò venire possit ad Deum omnino nouum, & primò nunc illucescentem, in aurora adhuc & primo ortu se manifestantem,* NATIONIBVS CLVSERIT, *Gentibus occluserit. de quibus Psaltes*: Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. *cùm dicat alibi*: Notus in Iudæa Deus, &c. *De Iudæis rursum idem*: Portas cœli aperuit, & pluit eis manna ad manducandum, panem cœli dedit eis. QVASI EXTRANEO, *ab alio quàm a se condito.* MOLESTVM, *improbum, importunum, perseuerantem pulsando ianuam.* ORTYGOMETRAM. *Num. 11. 4.* Quis dabit nobis ad vescendum carnes. *Et ibidem 31.* Ventus egrediens à Domino, arreptans trans mare coturnices detulit, *Sic habent versiones omnes, sed Tertullianus respexit illud Sap. 16. 2.* Dedisti concupiscentiam delectamenti sui nouum saporem, escam parans eis Ortygometram. *Et cap. 19. 12.* Nouissimè viderunt nouam creaturam auium, cùm adducti concupiscentia postulauerunt escas epulationis. In allocutione enim desiderij, ascendit illis de mari Ortygometra. *Augustinus quæst. 62. in Exod.* Congruentiùs creditur non eos carnes desiderasse quas de pecoribus habere poterant; sed eas quæ deerant, ex aquis videlicet. Ipsas quippe in eremo illa non inueniebant; vnde & illis Ortygometra data est, id est aues, quas coturnices multi Latini interpretati sunt, cùm sit aliud genus auium Ortygometra, quamuis coturnicibus non vsquequaq; dissimile: nouerat enim Deus quid desiderarent, & desideriũ eorum quo carnis genere satiaret. *Dicta autẽ est hæc anus quasi mater coturnicum. Ortyx enim est coturnyx, & hæc maior paulò & nigrior est cæteris.* NON SERPENTEM. *Vide infrà Aug. citatum V. Orationis conditiones. n. 15.* CVIVS VTRVMQVE, *& bonum naturæ & gratiæ, ex misericordia, & malum pœnæ, ex iustitia. Idem ipse qui scorpium & ouum produxit.* ET NON SANCTVS, *sed malignus: de quo 1. Regum, arripiente Saülem dicitur*: Spiritus nequam à Domino, *de quo Psaltes*: De gladio maligno eripe me: *dum Saül agitatus à Spiritu maligno vellet eum percutere. Sic ex eodem Psalte,* Immissiones per Angelos malos. *Sic Paulus*: Datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Sathanæ, &c. *Hic autem immundum Spiritum intelligit: de quo Luc. 11. 13. immediatè post hanc parabolam & mentionem Scorpij.* Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se? & erat eiiciens dæmonium, & illud erat mutum, &c. *Et num. 24.* Cùm immundus spiritus exierit de homine, &c.

6. Oratio Dominica, breuis, & docta summa Euangelij. De orat. cap. 1. à med. ad fin.

ETsi proinde pertin eat ad fidem & modestiam fidei, si non agmine verborum adeundum putemus ad Dominum, quem vltrò suis prospicere certi sumus; attamen breuitas ista, quod ad tertium sophiæ gradum faciat, magnæ ac beatæ interpretationis substantiâ fulta est: quantumque substringitur verbis, tantùm diffunditur sensibus. Neque enim propria tantùm ora tionis officia complexa est, venerationem Dei, aut hominis petitionem, sed omnem penè sermonem Domini, omnem commemorationem disciplinæ, vt re vera in oratione breuiarium totius Euangelij comprehendatur.

7. Orationis Dominicæ breuis & magna, expositio succincta. De orat. cap 9. in p.

COmpendiis paucorum verborum, quot attinguntur edicta Prophetarum, Euangeliorum, Apostolorum, sermones Domini, parabolæ, exempla, præcepta? quot simul expunguntur officia? Dei honor in patre, fidei testimonium in nomine, oblatio obsequij in voluntate, commemoratio spei in regno, petitio vitæ in pane, exomologesis debitorum in deprecatione, sollicitudo tentationum in postulatione tutelæ.

ORATIO DOMINICA. 6. & 7. SCHOL.

AD FIDEM, Quomodo enim inuocabunt in quem non crediderunt? &c. accedentem ad Deum, *orandum*, oportet primùm credere, &c. MODESTIAM FIDEI, *vt paucis verbis* Rex regum, & Dominus dominantium *oretur; cùm immodestißimum sit immoderato & prolixo sermone Principes adorari*. BREVITAS, *orationis Dominicæ*. TERTIVM SOPHIÆ GRADVM. *Suprà dixerat primum esse, secretò adorando Deū, secundum, non orando in multiloquio; tertium iam ponit in breuitate verborum, magnum sensum concludente, quod proprium est magnæ sapientiæ*. BEATÆ, *plena, & bonis omnibus refertæ*. SVBSTRINGITVR, *coarctatur*. SERMONEM DEI. *Totam Scripturam, maximè noui Testamenti compendiosè complectitur*. IN ORATIONE, *hac Dominica*.

A

EXPVGNVNTVR, *implentur*. HONOR IN PATRE, *dum magnâ reuerentiâ dicimus*, Pater noster, *& omnium genitorem fatemur*, à quo omnis paternitas, &c. *De quo Tertullianus*: tam pater nemo, tam pius nemo. IN NOMINE, *cùm dicimus in fide Trinitatis sanctißimæ*, Sanctificetur nomen tuum. IN VOLVNTATE, Fiat voluntas tua. IN REGNO, Adueniat regnum tuum. IN PANE, panem nostrum quotidianum, &c. EXOMOLOGESIS. *Confeßio delictorum*. IN DEPRECATIONE, *dicendo*, Dimitte nobis, &c. SOLICITVDO, Et ne nos inducas. IN POSTVLATIONE TVTELÆ, *dum oramus*. Sed libera nos à malo. *præter alibi dicta sub diuersis titulis nostri Alphabeti, quibus locos Tertulliani circa Orationem Dominicam exposuimus; Videndus Augustinus in epist. ad Probam, quæ est* 121. *quæ tota est de Oratione. Vbi circa medium breuiter exponit orationem Dominicam. Item in Enchiridio ad Laurent. cap.* 115. *Et ser.* 28. *de verbis Domini; ex quo præsertim sequentia transcripsimus*: Vides quàm breuis oratio, & omnium plena virtutum. Primus sermo, quantæ sermo gratiæ, ô homo, faciem tuā non audebas ad cœlum attollere, oculos tuos in terram dirigebas, & subitò accepisti gratiam Christi? omnia tibi peccata dimissa sunt. Ex malo seruo, factus es bonus filius. Ideò præsume, non de operatione tua, sed de Christi gratia. Gratiâ enim saluati estis, Apostolus ait, Ephes. 2. Non ergo hîc arrogantia est, sed fides: prædicare quod acceperis, non est superbia, sed deuotio. Ergo attolle oculos ad patrem, qui te per lauacrum genuit; ad patrem, qui per filium te redemit, & dic, Pater noster. Bona præsumptio, sed moderata, Patrem dicis quasi filius; sed noli tibi aliquid specialiter vendicare. Solius Christi specialis est Pater, nobis omnibus in commune est pater, quia illum solum genuit, nos creauit. Dic ergo & tu per gratiam, Pater noster, vt filius esse merearis Ecclesiæ, &c. Quid est in cœlis? Audi Scripturam dicentem Psalm. 56. Excelsus super omnes cœlos Dominus, &c. quasi non in cœlis, & Angeli, &c. sed in cœlis illis, de quibus dictum est Psalm. 18, Cœli enarrant gloriam Dei. Cœlum est vbi culpa cessauit. Cœlum est vbi flagitia non sunt: Cœlum est, vbi nullum mortis vulnus est, &c. Quid est, Sanctificetur? quasi optemus, vt sanctificetur ille qui ait Luc. 19. Estote sancti, quia & ego sanctus sum; quasi aliquid ei ex nostra prædicatione sanctitatis accedat? Non. sed sanctificetur in nobis, vt ad nos possit eius sanctificatio peruenire, &c. Adueniat regnum tuum, quasi non sempiternum sit Dei regnum. Ipse Dominus dicit Ioannis 18. Ego in hoc natus sum; & tu dicis, Pater, veniat regnum tuum, quasi non venerit? sed tunc venit regnum Dei, quando estis gratiam eius consecuti. Ipse enim ait, Luc. 17. regnum Dei intra vos est, &c. Fiat voluntas, &c. hoc est, sit pax in terra, quemadmodum in cœlo, *In epistola autem centesima vigesima prima ad Probam*: Cùm dicimus, Fiat voluntas tua, &c. Nobis ab illo precamur ipsam obedientiam, vt sic in nobis fiat voluntas eius, quemadmodum fit in cœlestibus, ab Angelis eius. *Prosequitur dicto sermone vigesimo octauo de verb. Domini*: Panem nostrum, &c. panem quidem dixit, sed ὀμιόσιον, dixit, hoc est supersubstantialem: *Sic enim habet Matth.* 6. 11. *quamquam translat. Syr. solùm legat tam hic quàm Luc.* 11. 3. *Da nobis panem indigentiæ nostræ hodie*: non iste panis qui vadit in corpus, sed ille panis qui vitæ æternæ substantiam fulcit, &c. Latinus quotidianum dixit Luc. 11. Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumas, quemadmodum Græci in Oriente facere consueuerunt? accipe quotidie quod quotidie tibi prosit. Sic viue vt quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Quomodo sanctus Iob quotidie pro filiis offerebat sacrificium, ne fortè aliquid vel in corde, vel in sermone peccassent, &c. Et panem istum vitæ nostræ quotidianum non assumis? qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus, medicina est cœleste & venerabile Sacramentum, &c. tibi hodie est Christus, tibi quotidie resurgit. Quomodo? Filius meus es tu, ego hodie genui te: Psalm. 2. &c. heri & hodie ipse est, Paulus Apostolus ait Hebræorum 13 Dimitte nobis, &c. debitum quid est nisi peccatum? &c. Et ideò qui eras liber in Christo, debitor factus es diabolo, Cautionem tuam tenebat inimicus; sed eam Dominus crucifixit, & suo cruore diluit. Abstulit debitum tuum, reddidit libertatem. Benè ergo ait, dimitte nobis, &c. Vide quid dicas, Quomodo ergo dimitto, sic & tu dimitte mihi. Si dimiseris, benè conuenis, vt dimittatur tibi. Si non dimittis, quomodo eum conuenis? *Vide præclara in hanc rem ex eodem Augustino in Psalmum* 103. *concione primâ circa finem. De Oratione autem Dominica sermone* 126. *sermone* 135. *serm.* 127. *serm.* 186. *de tempore. Et tom.* 4. *lib.* 2. *de Sermone Domini in Monte cap.* 9. *& sequentibus fusè tom.* 10. *homilia* 14. *& homilia* 42. *in quibus locis, quidquid doctè & piè in Orationem Dominicam dici potuit, sanctus Pater noster disseruit.*

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

B C D

8. *Et* 4. *contra Marc. cap.* 26. *V. sup. num.* 5.

ORATIONIS DIGNITAS ET EFFICACIA.

1. *Oratio pura, sacrificium mundum.* 4. *cont. Marc. cap.* 1. *à med.*

A *Solis ortu vsque ad occasum glorificatum est in nationibus nomen meum, & in omni loco sacrificium nomini meo offertur, & sacrificium mundum*, scilicet simplex oratio de conscientia pura. Malach. 1. 11.

ORATIONIS DIGNITAS. 1. SCHOL.

A Solis ortv. *Malach.* 1. 11. Ab ortu Solis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum. 70. Clarificatum eſt nomen meum in Gentibus, *quia gloria, clara eſt cum laude notitia,* & in omni loco incenſum offertur nomini meo, A & ſacrificium mundum. *Benè vtique Tertullianus orationi applicat ſimplicem oblationem de puro & ſimplici corde, & oculo dextro & lucido ad Dei gloriam directam. Et aptè 70. incenſum ponunt, cùm & Pſaltes* 140. 2. Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo. *in quem locum Auguſtinus*, Oratio ergo purè directa, de corde fideli, tanquam de Ara ſancta ſurgit incenſum. S. Aug.

2. Oratio, opima & maior hoſtia omnibus Gentilium victimis. Apol. cap. 30, à med.

IPſe eſt qui ſolus præſtat, & ego ſum cui impetrare debetur; famulus eius, qui eum ſolus obſeruo, qui propter diſciplinam eius occidor, qui ei offero opimam & maiorem hoſtiam, quam ipſe mandauit; orationem de carne pudicâ, de anima innocenti, de Spiritu ſancto profectam: non grana thuris vnius aſſis, non Arabicæ arboris lacrymas, nec duas meri guttas, nec ſanguinem reprobi bouis, mori optantis, & poſt omnia inquinamenta, etiam conſcientiã ſpurcam: vt miſer, cùm hoſtiæ probantur penes vos à vitioſiſſimis ſacerdotibus, cur præcordia potiùs victimarum, quàm ipſorum ſacrificantium examinantur.

ORATIONIS DIGNITAS. 1. SCHOL.

IPse est, *Deus noſter vnus & verus.* Cvi impetrare debetvr, *cui merito fidei, & pacti cum Deo dicente*, Petite & accipietis, *promiſſa eſt impetratio. Nam vt ait Aug.* debitorem ſe fecit, non accipiendo, ſed promittendo. *Et fides enim ipſa, ſine qua orari & inuocari non poteſt, Dei donum eſt; & ipſa oratio, & ſpiritus precum apud Zach. ex Dei dono accipitur; & teſte Paulo neſcimus quid oremus, ſed ſpiritus poſtulat pro nobis, id eſt ex Auguſtino, poſtulare facit:* Et mittit Spiritum filij ſui Deus in corda noſtra, in quo clamamus, Abba Pater. *Et Pſaltes* 65. *ex eodem Auguſtino petit, quaſi donum amouibile ſibi conſeruari orationem, & non amotam gratulatur, dicens:* Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me. *Vide in hanc rem multa apud Auguſtinum tom. 7. lib. 4. ad Bonifacium contra duas litteras Pelag. cap. 11. longè à princ. & lib. de dono perſeuerantiæ cap. 23. à princ. & epiſt. 105. ad Sixtum. Vbi ſic:* Ne ſe, vel ipſius orationis meritum extollat, etiamſi ad vincendas temporalium rerum cupiditates, & diligenda bona æterna, atque ipſum fontem omnium bonorum Deum, adiutorium datur oranti, fides orat quæ data eſt non oranti, quæ vtique niſi data eſſet, orare non poſſet. Quomodo enim inuocabunt in quem non crediderunt? &c. *Subiicit rurſum, fidem præcedere meritum, & orationem eſſe Dei donum.* Ne ſaltem orationis putarentur præcedere merita, quibus non gratuita daretur gratia, ſed iam nec gratia eſſet, quia debita redderetur. etiam ipſa oratio inter gratiæ munera reperitur. Quid enim oremus, ait Doctor Gentium Roman. 8. ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe ſpiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quid eſt autem interpellat? niſi interpellare nos facit? indigentis enim certiſſimum indicium eſt interpellare gemitibus. Nullius autem rei eſſe indigentem fas eſt credere ſpiritum: ſed ita dictum eſt, interpellat, quia interpellare nos facit, nobiſque interpellandi & gemendi inſpirat affectum, ſicut illud in Euangelio: Matth. 10. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis. Neque enim & hoc ita fit de nobis, tanquam nihil facientibus nobis. Adiutorium igitur Spiritus ſancti ſic expreſſum eſt, vt ipſe facere diceretur, quod vt faciamus, facit. Nam non eſſe intelligendum ſpiritum noſtrum, de quo dictum eſt, interpellat, &c. Sed Spiritum ſanctum quo noſtra infirmitas adiuuatur, ſatis ipſe demonſtrat Apoſtolus. Inde enim cœpit: Spiritus, inquit, adiuuat infirmitatẽ noſtram: deinde ita ſubiunxit: quid enim oremus, &c. De hoc ipſo Spiritu apertiùs alibi dicit; non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterùm in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater, &c. Et Gal. 4. Miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem Abba pater, &c. Solvs observo. *Solus colo, vero cultu latriæ.* Disciplinam, *ob fidem & doctrinam Chriſtianam, Martyrium ſubeo.* Ipse mandavit, Orate, petite, pulſate. Opimam, *pinguem, & optimam.* Vitulum labiorum noſtrorum. De carne pvdica, &c. *hîc breuiter probat orationem*, opimam hoſtiam: *quia holocauſtum eſt; dum iuxta Paulum orando*, corpora noſtra exhibemus hoſtiam viuam, ſanctam, Deo benè placentem, rationabile obſequium. *Dum genuflexi & proſtrati adorantes oramus, ſicut docuit Chriſtus, vt ſupra dixit Tertullianus.* Dei Spiritus, & Dei ſermo, & Dei ratio. *Et animâ innocenti & ſpiritu, hoc eſt mente ſuperiore, Deo nos totos in oratione conſecramus. Sed benè conſonat Auguſtino quod ait:* de Spiritu ſancto profectam. *Sic enim ſubiicit Auguſtinus:* ſicut ergo nemo rectè ſapit, rectè intelligit, rectè conſilio ac fortitudine præualet, nemo ſcienter pius eſt, vel piè ſciens, nemo timore caſto Deum timet, niſi acceperit Spiritum ſapientiæ & intellectus, conſilij & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis, & timoris Dei; nec habet quiſquam virtutem veram, charitatem ſinceram, continentiam religioſam, niſi per Spiritum virtutis, & charitatis, & continentiæ. Ita ſine ſpiritu fidei non eſt rectè quiſpiam crediturus, nec ſine ſpiritu orationis ſalubriter oraturus. Vnivs assis, *non intelligit aſſem pretioſum & magnò ponderis, ſed aereum & vilem de quo Horat. lib. 1. Satyra.* 1. Quod ſi comminuas, vilem redigatur ad aſſem. Arabicæ arboris. *Arnobius*, ne fortè ignoretis quid aut vnde ſit thus iſtud, viſcum eſt è corticibus profluens, ita vt ex Amygdalo, Ceraſo, lacrymabili diſtillatione coaleſcens. *Vna Arabia thus ex arbuſculo dicta, Libano, producit, maximè in regione Sabæorum, quæ eſt pars Fœlicis Arabiæ.* Reprobi bovis. *Id eſt, marcidi, peſſimi, morti proximi. Sic idem Tertull.*

B
C
D
S. Aug.
S. Aug.
S. Aug.

Apol. 13. Non dico quales sitis in sacrificando, cum A uisset, adeo læta exta immolanti fuisse scribit Liuius, vt custodiri se Posthumius Aruspex voluerit, capitis supplicium subiturus, nisi ea quæ in animo Sylla haberet, diis iuuantibus impleuisset, &c. *Et paulò infra* cui corona aurea ipsius victoriæ illustrissimum signum in vitulino jecore apparuit. *Nos si exta nostra rimamur, si Dei hostia sumus orantes, si in summo jecore & corde amor Dei super omnia, ignea lex, lex Regalis eminet, certam de vitiis, mundo, dæmone, oratio auguratur victoriam.*

enecta, & tabidosa, & scabiosa quæque mactatis. ET POST OMNIA INQVINAMENTA, *post commissa omnia scelera. Vel aptius, post sordidas & pollutas victimas, illotam & conspurcatam animam, mille criminum consciam.* HOSTIÆ PROBANTVR. *Apud vos Gentiles, exta, cor, jecur, scrutantur Aruspices, vt inde sumant auguria. Sicut Aug. notat lib. 2. de Ciuit. cap. 25. vbi de* S. Aug. *Sylla, cui fauerunt dæmones ad augenda eius scelera:* Cum primùm ad vrbem contra Marium castra mo-

3. *Oratio Christianorum in siti publica aquam impetrauit. Apol. cap. 5. à m.*

SI literæ Marci Aurelij grauissimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum fortè militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur. *V. Christianus. num.* 21.

ORATIONIS DIGNITAS. 3. SCHOL.

SI LITTERÆ. *Vide jam dicta alibi, vbi hunc locum exposuimus. V. Christianæ Religioni Tiberius fauit. Vnum hic aduerto quod Lacerda in textu Tertull. quædam omisit, quæ hic repono, sic enim ille:* Christianorum fortè militum precibus pœnam dimouit, ita alio modo palam dispersit, adiecta etiam accusatoribus damnatione, & quidem tetriore. *Pamelius sic legit:* Christianorum fortè militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur. Qui sicut palam ab huiusmodi hominibus pœnam dimouit, ita alio modo palam dispersit. *Rigaltius autem:* Sicut non palam, &c. Ita alio modo, &c. *Equidem quoad vim orationis, certum est juxta Augustinum, plurimum posse* S.Aug. *& clauem esse thesauri pluuiarum. Sic enim 2. Paral. cap.* 7. 13. si clausero cœlum, & pluuia non fluxerit, & mandauero, & præcepero locustæ, vt deuoret terram, & misero pestilentiam in populum meum: conuersus autem: 70. *& si confusus fuerit, &c.* po- B pulus meus, super quos inuocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquisierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à viis suis pessimis: & ego exaudiam de cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum. *Sic Orationis suæ rorem & pluuiam Elias tribuit.* 3. *Reg.* 17. 1. Viuit Dominus Deus Israel, in conspectu cuius sto, si erit annis his, ros & pluuia, nisi juxta oris mei verba. 70. *sic:* nisi per os verbi mei. *Quasi per aquaductum; sic Eliseus in extrema siccitate deserti pluuiam abundantem obtinuit. 4. Reg.* 3. 9. *&* 17. *Adeo instè Augustinus ser.* S. Aug. 226. *de temp.* Oratio justi, clauis est cœli. Ascendit precatio, & descendit Dei miseratio: licet alta sit terra, altum cœlum, audit tamen Deus hominis linguam, si mundam habeat conscientiam. Cum sensibus loquitur, si sit solus noster gemitus. Sufficit auribus imber oculorum, fletus citius audit quam voces.

ORATIONIS CONDITIONES; SIVE QVOMODO, QVID, ET QVANDO ORANDVM.

1. *Oratio sociam habeat obseruantiam mandatorum. De Orat. cap. 9. in f.*

DOminus prospector humanarum necessitatum, seorsum post traditam orandi disciplinam, [a] *Petite*, inquit, *& accipietis.* & sunt quæ petantur pro circunstantia cuiusque, præmissa legitima & ordinaria oratione, quasi fundamento, accidentium jus est desideriorum, jus est superstruendi extrinsecus petitiones, cum memoria tamen præceptorum, ne quantum à præceptis, tantum ab auribus Dei longè simus. a Luc. 11. 8.

ORATIONIS CONDITIONES. 1. SCHOL.

ORANDI DISCIPLINAM, *modum quo instruxit Matth. 6. & Luc. 11. quid & quomodo orandus esset Pater in Oratione Dominica. Statim subiecit Luc.* 11. 8. Et ego dico vobis: Petite & dabitur vobis. CIRCVNSTANTIA CVIVSQVE, *pro cuiusque necessitate, conditione, &c.* LEGITIMA, *oratione Dominica præscripta à Christo priùs recitatâ.* ACCIDENTIVM DESIDERIORVM. *Pulchrè. aliæ enim omnes petitiones temporalium & corporalium, mera accidentia sunt respectu substantialium contentorum in Oratione Dominica. Inde Aug. in verba,* S. Aug. Si quid petieritis Patrem in nomine meo. *Tract.* 102. *in Ioan.* 16. Si diuinam intelligimus gratiam, si verè beatam poscimus vitam; quidquid autem aliud petitur, nihil petitur; non quia nulla omninò res est, sed quia in tantæ rei comparatione, quidquid aliud concupiscitur nihil est. Neque enim prorsus nulla res est homo de quo ait Apostolus Gal. 6. Qui se putat aliquid esse cùm nihil sit, &c. In comparatione quippe spiritalis hominis, qui scit gratiâ Dei se esse quod est, quisquis vana præsumit, nihil est. IVS EST. *Vide dicta præcedenti Scholio. Non hic intelligit more forensi ius reale,* C *id est ratione rei competens, vel ius in re quale est dominium, quasi dominium, vel in re specificum, vel ius in rem. Sed simpliciter intelligit liberum esse cuique desideria sua in oratione offerre Deo:* qui replet in bonis desiderium nostrum. *Modo indifferentia bona cum magna animi indifferentia petamus. Extrinseca enim sunt & verè accidentia omnia bona. Sine quibus salua subsistit Dei gratia, qua verè sumus & subsistimus,* diuinæ consortes naturæ, *dicente Petro: & subscribente Paulo:* gratia Dei sum id quod sum. MEMORIA PRÆCEPTORVM. *Sic Psaltes* 102. 18. Memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea. *Quem locum alibi exposui.* AB AVRIBVS LONGE, &c. Psal. 118. Longè à pec- D catoribus salus, &c. *Aug. in Psal.* 137. *in versum.* 1. S. Aug. Confitebor tibi Domine in toto corde meo quoniam audisti verba oris mei. Cuius oris mei? nisi cordis mei. Ibi enim habemus vocem quam Deus exaudit, quam prorsus auris humana non nouit. Clamabant certè qui Susannam accusabant, & ad cœlum oculos non leuabant: Illa tacebat, & corde clamabat. Vnde illa meruit exaudiri, inde isti puniri. Est ergo os intus, ibi rogamus, inde rogamus:

& si hospitium vel domum Deo præparauimus, ibi loquimur, ibi exaudimur. Non enim est ille longè ab vnoquoque nostrûm positus, in quo viuimus mouemur & sumus Act.17. Longè te à Deo non facit nisi iniquitas sola. Deiice medium parietem peccati, & cum illo es, quem rogas. Audisti, inquit, verba oris mei. *Hinc Psaltes. Psal.* 65. 18. Iniquitatem si aspexi in corde meo non exaudiet Dominus.
S. Aug. *In quem locum Aug.* Redi ad te intus, esto tibi iudex, ecce in cubiculo tuo abscondito, in ipsa vena intima cordis tui vbi tu solus es & ille qui videt, illic tibi displiceat iniquitas, vt placeas Deo. Noli illam A respicere, id est, noli eam diligere, sed potius despice, id est, contemne & auertere ab ea. Quidquid lætum promiserit vt illiciat ad peccandum, quicquid triste minatum fuerit, vt impellat ad malefaciendum, totum nihil est, totum transit, despici dignum est vt calcetur, non conspici vt acceptetur, &c. Ergo non ideo dixit, iniquitatem si aspexi in corde meo, quia omnino nulla iniquitas suggeritur cordi humano. Ibi suggerit, non cessat suggestio, sed non fiat respectio, &c. Propterea exaudiuit me Deus. Quia iniquitatem non conspexi in corde meo.

2. *Oratio non iram tantùm, sed & omnem passionem excludit ab orante. De Orat. cap.* 10. *per totum.*

MEmoria præceptorum viam orationibus sternit ad cœlum, quorum præcipuum est:
Matth. 5. 23. & 24. Ne prius ascendamus ad Dei altare, quàm si quid discordiæ vel offensæ cum fratribus contraxerimus, resoluamus. Quid est enim ad pacem Dei accedere sine pace? ad remissionem debitorum cum retentione? Quomodo placabit patrem iratus in fratrem, cum
Gen. 4. 7. omnis ira ab initio interdicta sit nobis? Nam & Ioseph dimittens fratres suos ad perducendum patrem: [a] *Et ne*, inquit, *irascimini in via.* nos scilicet monuit. Aliàs enim via cognominatur disciplina nostra. Tum ne in via orationis constituti ad patrem cum ira incedamus.
a Gen. 45. 24. Exinde apertè Dominus amplians legem, iram in fratrem homicidio superponit; ne verbo quidem malo permittit expungi; etiam si irascendum est, non vltra solis receptum, vt
Psal. 118. 2. & seq. Apostolus admonet. Quàm autem temerarium est aut diem sine oratione transigere, dum
Matth. 5. 22. cessas fratri satisfacere, aut orationem perseuerante iracundia perdere. Nec ab ira solum-
Ephes. 4. 26. modo, sed omni omnino confusione animi libera debet esse orationis intentio, de tali spi-
Sap. 1. 4. ritu emissa, qualis est spiritus ad quem mittitur. Neque enim agnosci poterit à Spiritu sancto spiritus inquinatus, aut tristis à læto, aut impeditus à libero. Nemo aduersarium recipit, nemo nisi comparem suum admittit.

ORATIONIS CONDITIONES. 2. SCHOL.

MEMORIA PRÆCEPTORVM, *maximè vt dimittamus debitoribus.* ASCENDAMVS AD ALTARE. *Matth.* 5. 23. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus, &c. AD PACEM DEI. *Gratiam & misericordiam in oratione petendam. Vel ad ipsam orationem quæ quoddam osculum est, colloquium familiare, & vnio cum Deo.* SINE PACE. *Cum proximo prius conciliata. Hîc subiicio locum acutißimum Augustini tract.* 7. *in caput* 1. *Io. vbi cum Ioannes ostendisset agnum* quem lupi timent, qui leonem occisus
S. Aug. occidit, &c. *Notat horam quasi decimam fuisse cum discipuli dixerunt Rabbi, quod dicitur interpretatum Magister.* Decima erat hora. Numerus iste legem significat, quia in decem præceptis data est lex. Venerat autem tempus vt impleretur lex per dilectionem, quia à Iudæis non poterat impleri per timorem. Vnde Dominus dicit Matth. 5. Non veni soluere legem &c. si decimâ horâ, Rabbi, Dominus audiuit, & decimus numerus ad legem pertinet, Magister legis non est, nisi dator legis, &c. Ipse illam docet, qui illam dedit, &c. misericorditer docet legem, sicut dictum est de Sapientia: legem autem & misericordiam in lingua portat, &c. Si multum est ad te, legem implere, vtere pacto illo & Chirographo, vtere precibus quas tibi constituit & composuit Iurisperitus cœlestis. Qui enim habent causam, & volunt supplicare Imperatori, quærunt aliquem Scholasticum Iurisperitum, à quo sibi preces componantur, ne fortè si aliter petierint quàm oportet, non solum non impetrent quod petunt, sed & pœnam pro beneficio consequantur. Cum ergo quærerent supplicare Apostoli & non inuenirent quomodo adirent Imperatorem Deum; dixerunt Christo, Domine doce nos orare: hoc est Iurisperite noster, assessor Dei, imò concessor, compone nobis preces. Et docuit Dominus de libro iuris cœlestis, docuit B quomodo orarent, & in ipso quod docuit, posuit quandam conditionem: dimitte nobis, &c. Si non secundùm legem petieris, reus eris, &c. Non quomodo dicitur in foro, carebis beneficio rescripti, sed nec rescriptum impetrabis. Iuris enim forensis est, vt qui in precibus mentitus fuerit, non illi prosit quod impetrauit, &c. *Et eodem tractatu:* videte ne S. Aug. ab agno recedatis, *ab eius orationis modo & exemplo*, & à leone, *imitantes iram diaboli & odium eius in dæmones conuersi*, deuoremini. AB INITIO. *Gen* 4. 5. Iratus est Cain vehementer, & concidit vultus eius. Dixitque Dominus ad eum. Quare iratus es? & cur concidit facies tua? &c. sub te erit appetitus eius *peccati, & appetitus irascibilis*, & tu dominaberis illius. NE IRASCAMINI. *Gen.* 45. 24. Dimisit fratres C suos, & proficiscentibus ait: ne irascamini in via. VIA COGNOMINATVR. *Matth.* 5. 25. *Statim post præceptum dimittendi muneris ad altare, subiunxit:* Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in via cum eo. AMPLIANS LEGEM, *quia cum lex vetus solum actum externum homicidij videretur damnare, Christus amplius dixit, dum & verbum iræ, & motum cordis, reum iudicio, concilio, gehennæ, dixerit.* SVPERPONIT. *Non quod grauius sit, sed quod superadiecerit prohibitionem verbi, signi, motus iræ.* EXPVNGI. *Hîc vtitur composito, & simpliciter significat, pungi, vel lædi.* SOLIS RECEPTVM. *Occasum; Ephesiorum* 4. 26. Irascimini & nolite peccare: Sol non occidat super iracundiam vestram. TEMERARIVM. *Quia cum oratio necessarium sit propugnaculum ab omni malo & tentatione, temerarium est inter tot pericula inermem incedere, aut orationis efficaciam perdere retinendo iram. De qua sapiens:* ira in sinu stulti requiescit. CONFVSIONE. *Perturbatione animi & passione. Si enim oratio speculum est in quo se, anima, Deumque tuetur;* in lege eius meditans die ac nocte; *si quis iuxta Iacobum orans* perspexerit in legem perfectæ

libertatis, *excusso passionum iugo*, tunc *dicet cum Psalte*, non confundar cum perspexero in omnibus mandatis tuis. *Aliàs confunditur, indignè videns se ad Deum accedere.* INTENTIO. *Primò enim orationis attentio turbatur. Secundò intentio eius remittitur. Tertiò. Intentio, finis & scopus, obtinendi petita frustratur.* DE TALI SPIRITV. *Cum Deus sit spiritus, qui* cum tranquillitate iudicat, *& à spiritu columbino oleam ore ferente & sine felle suggeratur oratio, quomodo excipietur nisi prolata ab animâ simili*, perfecta sicut Pater misericors est? *Nec* A *enim alia inuitatur ad foramina petrâ, ad cauernam maceria, nisi cui dicitur, in Cant.* Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea & veni, &c. Surge amica mea, speciosa mea, & veni: columba mea, in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ; ostende mihi faciem tuam, *similem mea, mitem, ouinam, non auersam à proximo, non irâ turbatam*, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora, 2. *Cant.* 10. 13. 14.

3. *Oratio, lotis magis operibus, quàm superstitione Iudaicâ, manibus, fieri debet. De Orat. cap.* 11. *in p. ad f.*

CEterùm quæ ratio est manibus quidem ablutis, spiritu verò sordente orationem obire? quando & ipsis manibus spiritales munditiæ sint necessariæ, vt à falso, à cæde, à sæuitia, à veneficiis, ab idololatria, ceterisque maculis quæ spiritu conceptæ manuum operâ transiguntur, puræ alleuentur. Hæ sunt veræ munditiæ, non quas plerique superstitiosè curant, ad omnem orationem etiam cum lauacro totius corporis aquam sumentes. Id cum scrupulosè percontarer & rationem requirerem, comperi commemorationem esse in Domini deditionem. Nos Dominum adoramus, non dedimus, immò & aduersari debemus deditoris exemplo, nec propterea manus abluere, nisi quòd conuersationis humanæ inquinamentum conscientiæ causa lauemus. Ceterùm satis mundæ sunt manus, quas cum toto corpore in Christo semel lauimus. Omnibus licet membris lauet quotidie Israël, nunquam tamen mundus est. Certè manus eius semper immundæ sanguine Prophetarum & ipsius Domini cruentatæ in æternum. Et ideo conscientia patrum hereditarij rei nec attollere eas ad Dominum audent, nè exclamet aliquis Esaias, nè exhorreat Christus. Esa. 1. 15.

ORATIONIS CONDITIONES. 3. SCHOL.

MANIBVS ABLVTIS. *Tangit morem non tantùm Gentilium & Iudæorum, sed & Christianorum qui sacrificaturi vel oraturi lauari solebant. Sic Marius apud Plutarchum diis se vouet, manibus lotis, & in cælum sublatis. Sic de Septuaginta interpretibus Aristeas:* Rege consalutato, ad diuersa loca diuertunt, atque vt mos est Iudæis omnibus, manibus prius in mari lotis, Deo preces effundunt: *Sic & olim apud fideles in aditu templi fontes erant, in quibus oraturi manus lauabant, vt habet Eusebius lib.* 10. *hist. cap.* 4. *Chrysost. homil.* 72. *in Io.* Manus lauamus Ecclesiam ineuntes. *Clem. lib.* 8. *Constit. cap.* 32. Omnis fidelis, vir, aut mulier, manè vt è somno vigilauerint & surrexerint, priusquam operi manus admoueant, manibus lotis Deum orent. *Sic Psaltes* 25. 6. Lauabo inter innocentes manus meas & circundabo altare tuum, &c. *Aug. ibidem sic vertit:* lauabo in innocentibus *vt qui* S. Aug. *iustus est iustificetur adhuc* manus meas. Non aqua ista visibili lauas manus, sed quando piè cogitas de operibus tuis, & innocens es coram oculis Dei, quia est altare coram oculis Dei, quo ingressus est Sacerdos qui pro nobis se primus obtulit, &c. Vbi offers vota Domino, vbi preces fundis, vbi conscientia tua pura est, vbi dicis Deo qui sis, & si aliquid est in te fortè quod displiceat Deo, curat ille, cui confiteris. Laua ergo in innocentibus manus tuas. SPIRITALES MVNDITIÆ, *vt opera sint munda, montem orationis ascendenti, dicente Psalte:* quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? in- S. Aug. nocens manibus & mundo corde. *Id est ex Aug. ibidem:* nisi innocens in operibus, & mundus in cogitationibus? AB IDOLOLATRIA. *Quæ item manibus perficitur, faciendo idola, thus & victimam offerendo.* FALSO, *manus coram iudice leuando in falso testimonio, & iuramento*, vel falsam scripturam vel monetam faciendo. SPIRITV CONCEPTÆ. De corde enim exeunt cogitationes malæ, &c. *Et Psaltes. Psalmo* 57. Etenim in corde iniquitates operamini in terra. *In quem locum Aug.* Iniquitatem fortè in corde solo? audi B quid sequitur, & cor suum sequuntur manus, & S. Aug. cordi suo famulantur manus. Cogitatur & fit: aut ideo non fit, non quia nolumus, sed quia non possumus. Quidquid vis, & non potes, factum Deus computat, etenim in corde iniquitates operamini in terra. Iniquitates manus vestræ connectunt. *Vide reliqua præclara de connexu peccatorum V. peccati diuisio* 4. ALLEVENTVR. *Eleuentur, iuxta Paulum.* 1. *Tim.* 2. 8. Volo ergo viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira & disceptatione. *Quem locum sic exponit Aug. in Psal.* 62. *in versum*, sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo leuabo manus meas. *Vt bona vita Deum laudet, & vt ipse alibi, cantet vox,* S. Aug. *cantet vita, cantent facta, toti laudate.* Quid est sic? vt misericordiæ tuæ tribuam vitam meam, in qua te C laudo, non meritis meis, &c. Leua ergo manus in oratione. Leuauit pro nobis Dominus Deus noster manus in cruce, & extensæ sunt manus eius in cruce, vt manus nostræ extendantur in bona opera, quia crux ipsius misericordiam nobis præbuit. Ecce leuauit ille manus & obtulit pro nobis sacrificium Deo seipsum, & per illud sacrificium deleta sunt omnia peccata nostra. Leuemus & nos manus nostras ad Deum in prece, & non confundentur manus nostræ leuatæ ad Deum, si exerceantur in bonis operibus. Quid enim facit qui leuat manus? vnde præceptum est vt leuatis manibus oremus ad Deum? Apostolus enim dicit 1. Tim. 2. Leuantes puras manus sine ira & disceptatione; vt cum leuas manus tuas ad Deum, veniant tibi in mentem opera tua. Quia enim manus istæ leuantur vt impetres quod vis, ipsas manus, cogitans, in bonis operibus exerce, ne erubescant leuari ad Deum. TOTIVS CORPORIS. *Sicut Pagani; de quibus Ennius Cresphontes, cum* ad fontem, nitidant corpora. *Et Euripides, de quodam sacrificaturo:* aquis fluuialibus candidum corpus abluit. SCRVPVLOSE, *curiosè.* DEDITIONEM. *Traditionem Christi à Pilato, qui lotis prius manibus:* tradidit Iesum voluntati eorum. *Et Tertullianus de baptismo:*

cum deditus in mortem aqua interuenit. Norunt Pilati manus. CONSCIENTIÆ CAVSA. *Id est scrupuli; ne proximi pusilli conscientiam lædamus, si morem lauandi non seruemus, & aliquas inde sordes mali exempli in humana conuersatione contrahamus. Vel, quasi conscij, quod cum hominibus conuersando, & humana negotia tractando, sordes peccati in operibus collegerimus, & lauacro manuum externo, discamus lacrymis, operum sordidorum maculas abluere.* SEMEL LAVIMVS, *dum toto corpore immersi in aquam, in Christo baptizati sumus.* ISRAEL, *populus Iudæus, vt maximè Scribæ & Pharisæi exprobrantes Christo illotas manus discipulorum, ad omnem actum se lauantes.* HÆREDITARII REI. *Quia Patres eorum exauditi, dum Pilato lauante manus quasi innocente à sanguine Iusti, exauditi pro filiis, clamauerunt:* sanguis eius super nos, & super filios nostros. *Quibus & Christus:* vt veniat super vos sanguis omnis iustus qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti, &c. ALIQVIS ESAIAS. *Emphaticè. Non quod multi sint huius nominis Prophetæ. Esaiæ.* 1. 15. Cum extende- A ritis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam: Manus enim vestræ, sanguine plenæ sunt. NVNQVAM TAMEN MVNDVS. *Pulchrè subiicit Esaias versu* 16. Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruersè, discite benè facere. *Quod sic explicat breuiter Augustinus ser. 66. de temp. qui est de confessione peccatorum.* Fructus dignus est pœnitentiæ, transacta flere peccata, & eadem iterum non agere: sicut scriptum est Eccli. 5. ne adiicias peccatum super peccatum. Lauamini, dicit Dominus per Esaiam Prophetam, & mundi estote. Lauatur itaque & mundus est, qui & præterita plangit, & iterùm non admittit. Lauatur, & non est mundus, qui plangit quod gessit, nec deserit, sed post lacrymas flenda hæc quæ fleuerat repetit. De his B. Petrus 2. 2. terribiliter ait, canis reuersus ad vomitum suum. Fili, peccasti, dicit Scriptura sancta Eccli. 21. ne adiicias iterum. Sed de pristinis deprecare vt dimittantur tibi. S. Aug.

4. *Orando manus leuans, ab omni opere malo eas custodiat. V. verbum ad Eucharistiam dispositio num.* 1.

* 5. *Oratio sic casta sit, vt orans erubescat etiam de licita copula vnius matrimonij, multò magis iterati & secundi. De Exhort. cast. cap. 10. in m. & 11. in p.*

ORatio de conscientia procedit. si conscientia erubescat, erubescit oratio. Spiritus deducit orationem ad Deum. si spiritus reus apud se sit conscientiæ erubescentis, quomodo audebit orationem ducere ab illa, de qua erubescente & ipse suffunditur san-
a Leuit. 11. 44. ctus minister? Etenim est prophetica vox veteris Testamenti, [a] *Sancti eritis, quia Deus san-
b Psal. 17. 26. ctus.* & rursus, [b] *Cum sancto sanctificaberis, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus.* Debemus enim ita ingredi in disciplina Domini, vt dignum est, non secundùm car-
c Rom. 8. 6. nis calentes concupiscentias. Ita enim & Apostolus dicit, quod [c] *sapere secundùm carnem, mors sit, secundùm spiritum verò sapere, vita æterna sit in Christo Iesu Domino nostro.* Si hæc obfusio, etiam quum in vnis nuptiis res carnis exercetur, Spiritum sanctum auertit, quantò
CAP. XI. magis quum in secundo matrimonio agitur? Duplex enim rubor est; quia in secundo matrimonio duæ vxores eundem circunstant maritum; vna spiritu, alia in carne, &c. & ascendet sacrificium tuum libera fronte? & inter ceteras voluntates bonæ mentis postulabis tibi & vxori castitatem?

ORATIONIS CONDITIONES. 5. SCHOL.

DE CONSCIENTIA, *de intimo animo, quia,* oratio est eleuatio mentis in Deum. *Vnde si conscius est sibi animus admissæ rei pudendæ, oratio coram Deo apparere erubescit.* SPIRITVS *non hic Spiritum sanctum intelligit, sed mentem orantis, iuxta Paulum:* orabo spiritu, orabo & mente. AB ILLA, *conscientia scilicet.* SVFFVNDITVR, *interius erubescit.* SANCTVS MINISTER, *animus rei sanctæ hoc est orationis sacrificio vacans.* SANCTI ERITIS. *Leuit.* 11. 44. Sancti estote, quia ego sanctus sum. 70. Sanctificabimini, & sancti eritis, quoniam sanctus ego Dominus Deus vester.
S. Aug. CVM SANCTO. *Psal.* 17. 26. Cum sancto, sanctus eris, &c. *Aug. in hunc locum:* est etiam occulta profunditas, qua intelligeris cum Sancto, Sanctus, quia tu sanctificas, &c. & ab eo quem eligis, elegeris, & cum peruerso, videris peruersus; quoniam dicunt non est recta via Domini Ezech. 18. Et ipsorum via non est recta. *Cæterùm in rem Tertulliani pressius Paulus 1. Cor. 7. 5.* Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi. *Translat. Syr.* Nisi cum ambo consenseritis ad tempus, vt af-
S. Aug. fligatis vos ad ieiunium & orationem. *Qui locus tractatur apud Aug. lib. qq. ex vtroque mixtim q. 127. circa f.* Est quod omnino generaliter omnibus non liceat; est item quod aliis licet, & aliis non licet: & est quod aliquando licet, & aliquando non licet. Fornicari omnibus semper non licet: negotiari verò, B aliquando licet, aliquando non licet. Antequam enim Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari, facto iam, non licet. Et Christiano cum vxore sua conuenire aliquando licet, aliquando verò non licet. Propter dies enim processionis *orationis publicæ* aliquando non licet conuenire: quia etiam à licitis abstinendum est vt facilius impetrari possit quod postulatur. Vnde Apostolus, ex consensu ait abstinendum ad tempus, vt vacetur orationi, &c. quia maior reuerentia debetur Dei causis, &c. ac per hoc Antistitem eius puriorem cæteris esse oportet, &c. quia necesse habet quotidie Christi vicem agere, aut orare pro populo, aut offerre aut tingere. SAPERE SECVNDVM CARNEM. *Rom.* 8. 6. Prudentia carnis mors C est, *Syr. electio carnis,* prudentia autem spiritus, vita & pax. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo: Legi enim Dei, non est subiecta, nec enim potest. *D. Thomas ibid. Qui sequuntur prudentiam carnis ducuntur ad mortem. Prudentia enim est recta ratio agibilium ex Aristotele 2. Ethic. recta autem ratio agendorum vnum præsupponit, scilicet finem, qui est principium in agendis: facit autem tria. Primò enim rectè consulit; secundò rectè iudicat de consultis. Tertiò rectè & constanter præcipit quod iudicatum est. Prudentia ergo carnis pro fine supponit delectabile carnis, consulit, iudicat, præcipit conuenientia ad hunc finem. Vnde hæc prudentia mors est, quia est causa mortis æternæ. Gal. vltimo.* Qui seminat

in

in carne, de carne metet corruptionem. Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. *Augustinus sermone 6. de verbis Apostoli ponderat quod ait Paulus:* Neque enim potest. Non homo non potest, non anima non potest, non denique ipsa caro, quia Dei creatura non potest: sed prudentia carnis non potest, vitium non potest, non natura. Quomodo si diceres, claudicatio rectè ambulationi non est subiecta, neque enim potest: pes potest, sed claudicatio non potest. Tolle claudicationem, & videbis rectam ambulationem. Sed quandiu claudicatio, non potest: sic quandiu prudentia carnis est, non potest, &c. quandiu enim inest per vitium claudicatio, nullo modo potest esse recta ambulatio. *Nec quandiu animæ per voluptatem dominatur caro, non potest esse* S. Aug.

A *recta oratio. Si claudicat homo, breuior fit pes carnis, suspendatur à terra & sorde carnali, dum pes animi prolixior graditur in oratione, & post luctam Iacob cum Angelo, tacto neruo femoris, marcescente voluptate, cælestis obtinebitur benedictio. Aliàs animus pondere carnis impeditur.* OBFVSIO, *suffusio, confusio, pudor.* VNIS NVPTIIS, *Vnico matrimonio, monogamiâ.* RES CARNIS, *legitimus actus copulæ carnalis.* AVERTIT, *vt columbam sordes. Nam ex Sapiente,* Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu. *Et Psaltes monet,* Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. VNA SPIRITV, *defuncta enim vxor adhuc spiritu fidei & charitatis, in qua decessit, vnita est viro superstiti.* VOLVNTATES BONÆ MENTIS, *desideria piæ mentis.*

6. *Oratio recens baptizati, vel iusti, exauditur. De Bapt. cap. 20. in fin.*

BEnedicti, quos gratia Dei expectat, cùm de illo sanctissimo lauacro noui natalis ascenditis, & primas manus apud matrem cum fratribus aperitis, petite de Patre, petite de Domino, peculia, gratias, distributiones charismatum subiiciente. [a] *Petite & accipietis*, inquit. *Quæsistis enim, & inuenistis: pulsastis, & apertum est vobis.* Tantùm oro, vt cùm petitis, etiam Tertulliani peccatoris memineritis. a Matth. 7.7.

ORATIONIS CONDITIONES. 6. SCHOL.

BENEDICTI. *Frequenter hac voce compellat fideles vtriusque sexus, quibus Psaltes ait,* Benedicti vos à Domino qui fecit cœlum & terram. *Psal. 113. 15.* GRATIA EXPECTAT. *Quasi parata sit Dei gratia.* Expectat enim Dei gratia, vt misereatur nostri. *Hic autem Tertull. non agit de sanctificante, data iam in Baptismo, sed augmento eius, vel donis & beneficiis omnibus. Hinc Paulus hortatur Heb. 4. 16.* Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ: vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. NATALIS, *regenerationis, in qua veterem exuti, nouum hominem induimur. De quo Christus:* Quod natum est ex spiritu, spiritus est. PRIMAS MANVS, *reparatâ primam innocentiâ*, quasi modo geniti infantes, *manus innocentes in cælum erigitis petituri in sinu matris Ecclesiæ, cum fratribus fidelibus.* DE PATRE, *à patre.* PECVLIA, *vox iuris. Peculium dictum quasi pusillum patrimonium, teste Vlp. in lege depositi § 5. vlt. ff. de peculio. Aliud autē dicitur Castrense, aliud quasi Castrense, &c. Peculium etiam pro vniuersis bonis & toto patrimonio sumitur. l. 16. in princ. ff. ad Senatusconsultum Treb.* SVBIICIENTE, *supple patre & domino, illud Matth. 7. 7.* Petite, & dabitur vobis: *& Ioan. 16.* Petite & ac-

B cipietis. QVÆSISTIS, *Baptismum.* *Pulsastis ad ianuam Ecclesiæ priùs Catechumenis clausam. Aug. 12. Confess. cap. 1.* Tenemus promissum, quis corumpet illud? &c. Petite & accipietis, quærite, &c. Promissa tua sunt: Et quis falli timeat cùm promittit Veritas? *Et in epistola 121. ad Probam cap. 8. vbi de parabola amici tres panes petentis.* Si dare cogitur, qui cùm dormiat, à petente excitatur inuitus, quantò det benignius, qui nec dormire nouit, & dormientes nos excitat vt petamus. Hinc est illud, Petite, & accipietis, &c. *Et lib. de spiritu & litt. cap. 32.* Huc transeant qui sub lege sunt, vt ex seruis filij fiant, nec sic tamen vt serui esse desinant, sed vt tanquam filij Domino & patri liberaliter seruiant, quia & hoc acceperunt; dedit enim potestatem ille vnicus, filios Dei fieri, credentibus in nomine eius: eosque admonuit petere, quærere, pulsare vt accipiant, & inueniant, & aperiatur eis, addens increpationem, & dicens: Si vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se? S. Aug. S. Aug. S. Aug.

7. *Oranti, maximè mulieri vestium pompa, & capillorum tortura inhibita. De orat. cap. 14. in fine.*

DE habitu verò duntaxat feminarum, varietas obseruationis efficit post sanctissimum Apostolum, nos vel maximè nullius loci homines impudenter retractare, nisi quod non impudenter, si secundum Apostolum retractemus. De modestia quidem cultus & ornatus, aperta præscriptio est etiam Petri cohibentis eodem ore, quia eodem & spiritu & vestium gloriam, & auri superbiam, & crinium lenonem operositatem. 1. Tim. 2. 9. 10.

ORATIONIS CONDITIONES. 7. SCHOL.

DE HABITV, *aduerte hæc addita fuisse in edit. Rigaltij ex veteribus Manuscriptis, cùm apud alios non inueniantur: Varius, inquit, habitus & diuersus, quem orantes mulieres obseruant me licèt hominem nihili, post tantum Apostolum, Paulum scilicet, impulit, vt de eo tractarem. Et quidem quod attinet ad Diuum Petrum ipse eodem ore, vt eodem Spiritu sancto ductus quo Paulus, vestium pompam prohibuit.* LENONEM OPEROSITATEM,

D alibi dixit suggestum. *Lenonem autem vocat, quòd pelliciat instar lenonis ad concupiscentiam carnalem studiosa opera & accurata structura crinium, in quam sic Paulus 1. Tim. 2. 9. & 10. cùm enim de habitu viri orantis, dixisset, subiecit:* Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa: sed quod decet mulieres promittentes pie-

tatem per opera bona. *Translat Syr.* In habitu casto A vestimenti cum verecundia & pudicia exornent seipsas. *Petrus autem* 1. 3. 3. Quarum non sit extrinsecus capillatura aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus. *Translat Syr.* Neque ornemini ornatu externo, vt cincinnis capillorum vestrorum, aut additamentis auri, aut excellentibus vestimentis. *Aug. epist.* 109. *ad Moniales, non plus exigit ab ipsis, quàm Apostoli circa modestiam habitus, à mulieribus nuptis.* Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus. Nec sint vobis tam tenera capitum tegmina, ne retiola subter appareant. Capillos ex nulla parte nudos habeatis, nec foris spargat negligentia, vel componat industria. *Et epist.* 73. *ad Possidium.* Nolo de ornamentis auri, vel vestis praeproperam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eos, qui neque coniugati, neque coniugari cupientes, cogitare debeant quomodo placeant Deo. Illi autem cogitant quae sunt mundi, quomodo placeant vel viri vxoribus, vel mulieres maritis, nisi quòd capillos nudare foeminas, quas etiam caput velare Apostolus iubet, nec maritatas decet. *Maximè in Ecclesia dum orant, tum enim attendere debent quomodo placeant Deo, in* interiori cordis homine, qui est in conspectu Dei locuples.

S. Aug. S.Aug.

8. *Orans, habitum malum potiùs exuat, vel vanitatem animi, quàm vestem pompaticam. De orat. cap. 12. in princ. ad med.*

QVoniam vnum aliquod attigimus vacuae obseruationis, non pigebit cetera quoque denotare, quibus meritò vanitas exprobranda est, siquidem sine vllius aut Dominici aut Apostolici praecepti auctoritate fiunt. huiusmodi enim non religioni, sed superstitioni deputantur, affectata & coacta, & curiosi potiùs quàm rationalis officij, certè vel eo coërcenda, quod gentilibus adaequent. Vt est quorumdam, expositis penulis orationem facere: sic enim adeunt ad idola Nationes. Quod vtique si fieri oporteret, Apostoli, qui de habitu orandi docent, comprehendissent, nisi si qui putant Paulum penulam suam in oratione penes Carpum reliquisse. Deus scilicet non audiat penulatos, qui tres sanctos in fornace Babylonij Regis orantes cum sarabaris & tyariis suis exaudiuit?

1. Cor. 11. 4. 2. Tim. 4. 13. Dan. 3. 21. 24.

ORATIONIS CONDITIONES. 8. SCHOL.

VNVM ALIQVOD, *aliquid iam attigi praecedenti capite de superstitione lauationis ante orationem.* DENOTARE, *arguere, Sic ipse de Pallio dixit:* Habitus denotare pacis. AFFECTATA, *huiusmodi superstitiones, non referunt sinceram, sed mentiuntur Religionem; & qui his vtuntur, Scripturas cogunt, ad suum sensum & abusum confirmandum, vt sequantur potiùs quod curiosum est in huiusmodi officiis & obsequiis Dei, quàm quod rationabile est. Inter haec autem officia superstitiosa, depositis penulis, id est vestibus crassis & hyemalibus orandum putabant. Quod & Pagani factitabant. Sic Interpres Aesthyli.* Quando in terram coniiciemus coronam au peplos, *Pallij species est, seu veli tegentis caput & humeros,* nisi tunc, C cùm ad preces conuertimur, & pro nobis, & pro vrbe? illicò vestes deposuerunt, & illis induerunt simulacra. NATIONES. *Sic Gentiles faciunt, cùm idola colunt.* APOSTOLI. *Suprà scilicet* 1. *Tim.* 2. 9. 1. *Petri* 3. *Augustinus epistola* 118. Si quid vniuersa celebrat Ecclesia, ab Apostolis ortum habuisse credendum est. *Sed nec iste mos vbique seruatur, sed tantum à quibusdam superstitiosis, nec ab vllo Apostolo, aut Scriptura loco commendatur.* NISI SI QVI, &c. *ironicè dictum. Nisi fortè, inquit, aliquis dicat Paulum ad hoc exemplum reliquisse penulam suam, vestem peregrinam ab iniuriis coeli protegentem, de qua* 2. *Tim.* 4. 13. Penulam quam reliqui Trode apud Carpum veniens affer tecum. D *quam vtique non orationis causa, sed sereni temporis causa, aut aestiui expeditius iter acturus, deposuerat.* DEVS SCILICET, *quasi verò Deus non exaudiat indutos penulis. Augustinus vtitur voce* penulati, 1. *Confessionum cap.* 16. Quis autem penulatorum Magistrorum audiat aure sobriâ, &c. CVM SARABARIS. *Vestibus Persicis, de quibus tam alibi iuxta Augustinum & Hieronymum Dan.* 3. 21. Confestim viri illi vincti cum braccis suis, *femoralibus*, & tiaris, B & calceamentis, & vestibus, missi sunt in medium fornacis ignis ardentis, &c. *Et versu* 24. Et ambulabant in medio flammae laudantes Deum, & benedicentes Domino. *Septuaginta in hoc versu* 24. *non differunt. Versu autem* 21. Tunc viri illi vincti sunt cum sarabaris suis, & tiaris, & tibialibus, &c. *Nec tamen sic ornati & vestiti minùs orauerunt, imò vero nunquam sic deuotè precati sunt. Quorum preconia multis in locis Augustinus, sed elegantissimè ser.* 240. *de temp. exaggerat.* Licèt Sanctis cum igne iocari; quibus cum hominibus non licuit commorari; licuit in fornace Deum venerari, quem apud homines non licuit honorari. Licet flammarum mereri obsequia, qui non meruerant Chaldaeorum supplicia. Licet ignibus conseruari illaesos, quos Tyrannus dederat exurendos, &c. Vt vbi interitus, ibi salus: vbi supplicia, ibi inuenirentur refrigeria. Accipe hostis à suppliciis exemplum, qui humanitatis perdidisti consilium. Fugiunt ignes iustos, quos iniustè damnasti: expauescunt flammae, & innocentes pronuntiant, quos dignos supplicio deputas: & quae saeuire consueuerant, dignos sanctos in fornace cernebant. Damnant hostes, & absoluunt ignes; Chaldaei adiiciunt, & poenae defendunt. Homines saeuiunt & supplicia venerantur, &c. Offeruntur ignibus iusti, vestibus tecti, & vinculis colligati, &c. Cùm ad fornacem Tyrannus festinanter accederet, stupet laudem, miratur factum, veneratur Deum cum tribus pueris in fornace. Aspicit iusto diuinoque ambitu protegi, quos nuper iusserat violentus extingui. In illis, *id est inter illos, vel cum illis, sub Angeli forma,* in fornace videt, quem in illis antè non esse putaret. Quo visu territus, furori addit lenitatem: fit repentè Confessor, qui nuper fuerat persecutor. Praedicat, quem paulò antè negabat. Venerari praecipit, qui venerantes damnauit.

S. Aug. S. Aug. S. Aug.

9. Orando sedens, irreuerentiam Gentilem non imitetur; sed humilitatem exteriùs seruet, etiam voce submissa, Deo mutos audiente. De orat. cap. 12. in med. ad fi. & 13. per totum.

ITem quòd adsignata oratione assidendi mos est quibusdam, non perspicio rationem, nisi si Hermas ille, cuius scriptura ferè Pastor inscribitur, transactâ oratione non super lectum assedisset, verùm aliud quid fecisset, id quoque ad obseruationem vindicaremus. Vtique non. Simpliciter enim & nunc positum est, *Cùm adorassem, & assedissem super lectum*, ad ordinem narrationis, non ad instar disciplinæ. Alioquin nusquam erit adorandum, nisi vbi fuerit lectus. Immò contra Scripturam fecerit, si quis in cathedra aut subsellio sederit. Porrò cùm perinde faciant nationes, adoratis sigillaribus suis residendo, vel propterea in nobis reprehendi meretur quod apud idola celebratur. Eo apponitur & irreuerentiæ crimen, etiam ipsis nationibus, si quid saperent, intelligendum. Si quidem irreuerens est assidere sub conspectu contraque conspectum eius, quem quam maximè reuerearis, ac venereris: quantò magis sub conspectu Dei viui, Angelo adhuc orationis astante factum istud irreligiosissimum est, nisi exprobramus Deo quòd nos oratio fatigauerit? Atqui cum modestia & humilitate adorantes magis commendabimus Deo preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimiùs elatis, sed temperatè ac probè elatis. ne vultu quidem in audaciam erecto. Nam ille Publicanus, qui non tantùm prece, sed & vultu humiliatus atque deiectus orabat, iustificatior Pharisæo procacissimo discessit. Sonos etiam vocis subiectos esse oportet. aut quantis arteriis opus est, si pro sono audiamur? Deus autem non vocis, sed cordis auditor est, sicut conspector. Dæmonium oraculi Pythij: *Et mutum*, inquit, *intelligo, & non loquentem exaudio.* Dei aures sonum expectant? Quomodo ergo oratio Ionæ de ventre ceti per tantæ bestiæ viscera ab ipsis abyssis per tantam æquoris molem ad cœlum potuit euadere? Quid ampliùs referent isti qui clariùs adorant, nisi quod proximis obstrepunt? Immò prodendo petitiones suas, quid minùs faciunt quàm si in publico orent?

Luc. 1. 11. Cap. XIII. Luc. 18. 10. & 11. Io. 2. 2.

ORATIONIS CONDITIONES. 9. SCHOL.

ADSIGNATA ORATIONE, *id est absoluta, & finita. Vox iuris. Iuristæ enim dicunt:* adsignare instrumento, *pro subsignare, & signa in tabulis instrumentisque apponere. Ita Paulus in l.* Si ita stipulatus. 126. §. Chrysogonus. *Item Goth. de verb. oblig. l. inter,* 20. ff. de authorit. tut. *Vnde & res adsignatæ, dicuntur annulo signatæ. Vlp. in leg.* 1. §. *finali. ff.* de naut. caup. stabul. *Oratio igitur adsignata, id est finita. quia vt sigillum litteræ extremo loco adiicitur, sic oratio quæ quasi epistola ad Deum mittitur, adsignatur.* ASSIDENDI MOS. *Hic notat ignauos, quasi ex oratione lassos sedentes.* HERMAS. *Librum inscripsit cui titulus erat:* Pastor, *de quo Theod. l.* 1. *hist. c.* 8. *Eusebius Pamph. lib.* 3. *c.* 3. *Et alij post Cassianum coll.* 13. *cap.* 12. *Sed à Gelasio inter Apocryphos numeratur. Si, inquit Tertull. Hermas, post orationem suam non sedisset super lectum, sed aliquid aliud egisset, eius fortè exemplum obseruandum censeremus?* CVM ADORASSEM. *Refert verba ex lib. præfato, quæ verba non scripsit Hermas, quasi præscribens quid obseruandum esset inter orandum, sed ad simpliciter texendum ordinem narrationis suæ.* CONTRA SCRIPTVRAM. *Non intelligit sacrã, sed illam Hermæ, qui enim in cathedra aut subsellio sedet, non sedet in lecto, sicut Hermas.* NATIONES, *Gentiles.* SIGILLARIBVS, *id est, paruis Deorum imaginibus. Arnob. lib.* 6. Quinimmò, Deos, sigillaria ipsa censetis. ANGELO ORATIONIS. *præsunt enim Angeli orantibus. Sic Luc.* 1. 11. *de Gabriele Zachariæ apparente dicitur:* Apparuit illi Angelus Domini stans à dextris Altaris incensi, AVT QVANTIS, *alioquin. Sic* 3. *Reg.* 18. *Elias illudebat prophetis Baal, Diis remotis, inclamantibus,* Clamate voce maiore. *cùm Psaltes Deo dicat:* Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, &c. Confitebor tibi Domine in toto corde meo. ORACVLI PYTHII. *Sic enim Crœsi legatis respondit, vt habet Herodotus in Clione.* CLARIVS ADORANT, *id est voce sonant.* IN PVBLICO. *Quod Christus prohibet: increpans in hoc, Pharisæos. De occulta autem oratione sequenti Scholio dicturi, iam solùm accipe, & de secreto, & de oratis sessione, quæ habet Augustinus tom.* 4. *lib.* 2. *quæstionum ad Simplicianum, quæst.* 4. Quod quæris, quid sit, quod scriptum sit, 2. Regum 7, 18. Intrauit rex Dauid, & sedit ante Dominum: *quod habent etiam Septuaginta, Hebr. & Vulgata.* Quid aliud intelligendum est, nisi quia sedit in conspectu Domini: siue vbi erat Arca Testamenti, per quam sacratior & commendatior quædam præsentia Domini accipi potest; siue oraturus sedit, quod non fit rectè nisi in conspectu Dei, hoc est in intimo cordis? *Deus enim intuetur cor:* potest enim sic accipi, quod dictum est, ante Dominum, vt nullus esset hominum qui audiret orantem. Siue ergo propter Arcam Testamenti: siue propter secretum remotius ab arbitris, siue propter intimum cordis, vbi erat orantis affectus, conuenienter dictum est, sedit ante Dominum. Nisi fortè quòd sedens orauit, hoc mouet: cùm & sanctus Helias hoc fecerit, quando pluuiam orando impetrauit. *Hic aduerto locum hunc sumptum ex* 3. *Regum* 18. 42. *vbi sic Vulgata:* Elias ascendit in verticem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* prostrauit se in terram. *Septuaginta,* inclinauit se in terram. *Vnde nescio quomodo saluare possim dictum Augustini, de Helia sedente orando: nisi quod in aliquo Codice sui temporis sic legerit. Vel quòd sedens Helias in vertice Carmeli incuruauerit caput super genua circa decliuium montis, vt in tali habitu corporis, & simul sedens & inclinatus orauerit. Sic itaque prosequitur Augustinus:* Quibus admonemur exemplis non esse præscriptum, quomodo corpus constituatur ad orandum, dummodo animus Deo præsens peragat intentionem suam. Nam & stantes oramus, sicut scriptum est Luc. 18. Publicanus autem de longinquo stabat: & fixis genibus, *Act.* 7. 60. *&* 20. 36. sicut in Actibus Apostolorum legimus. Et sedentes sicut ecce Dauid & Elias, nisi au-

S. Aug.

tem etiam iacentes oraremus, non scriptum esset in Psalmis 6.7. Lauabo per singulas noctes lectum meum, & lacrymis meis stratum meum rigabo, *Addam & Psalm.* 118. *Adhæsit pauimento anima mea, &c.* cùm enim quisque orationem quærit, collocat membra sicut ei occurrerit, accommodata pro tempore positi corporis ad mouendum animum. Cùm autem non quæritur, sed infertur *à Spiritu sancto*, appetitus orandi; hoc est, cùm A aliquid repentè venit in mentem, quo supplicandi moueatur affectus gemitibus inenarrabilibus, quocumque modo inuenerit hominem, non est vtique differenda oratio, vt quæramus quo sedeamus, *alij secedamus*, aut vbi stemus, aut vbi prosternamur: gignit enim sibi mentis intentio solicitudinem, & sæpè etiam obliuiscitur se, vel quam ad cœli partem, vel in qua positione corporis membra illud tempus inuenerit.

10. *Oratio secreta sit, non multiloqua. De orat. cap. 1. in med.*

a Io. 3. 31. ᵃQVi *de terra*, inquit, *terrena fatur*; *& qui de cœlis adest, quæ vidit, ea loquitur.* Et quid non cœleste, quod Domini Christi est; vt hæc quoque orandi disciplina? Consideremus itaque, benedicti, cœlestem eius sophiam, in primis de præcepto secretè adorandi: quo & fidem hominis exigebat, vt Dei omnipotentis & conspectum & auditum sub tectis & in abditis etiam adesse confideret: & modestiam fidei desiderabat, vt quem vbique audire & videre fideret, ei soli religionem suam offerret, sequente sophia in sequenti præcepto. Quòd etsi proinde pertineat ad fidem & modestiam fidei, si non agmine verborum adeundum putemus ad Dominum, quem vltrò suis prospicere certi simus. (Matth. 6. 6.)

ORATIONIS CONDITIONES. 10. SCHOL.

QVI DE TERRA. *Ioan. 3. 31. verba sunt Ioannis Baptistæ:* Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur. Qui de cœlo venit super omnes est. Et quod vidit, & audiuit, hoc testatur. *Augustinus tract. 14. in Ioan.* Qui de sursum venit, super omnes est. Vide quid dicat de Christo, quid de se. Qui de sursum venit, super omnes est. Christus est: qui autem est de terra, terra est, & de terra loquitur, Ioannes est. Et hoc est totum, Ioannes de terra est, & de terra loquitur. Totum testimonium quod perhibet de Christo, de terra loquitur. Non voces Domini audiuntur à Ioanne, *Patre de nube loquente: Hic est filius meus, &c. hic est qui baptizat, &c. super quem videris Spiritum specie columbæ:* vbi testimonium perhibet Christo: quomodo ergo de terra loquitur? sed de homine dicebat; quantum ad ipsum Ioannem pertinet: de terra est, & de terra loquitur. Si autem aliqua loquitur diuina, illuminatus est à Deo: Nam si non esset illuminatus, terra terram loqueretur. ergo seorsum est gratia Dei, seorsum est natura hominis, &c. Veniat gratia Dei, illuminet tenebras illius, sicut dicit Psalmo 17. Tu illuminas lucernam meam, Domine Deus meus illumina tenebras meas, &c. Si quid diuinum audisti à Ioanne, illuminantis est, non recipientis. *Ad rem porro Tertulliani, nota immediatè prius dixisse, Ioannem quidem docuisse discipulos suos adorare, id est orare. Sed subiicit:* Nec extat in quæ verba, *quibus verbis*, docuerit Ioannes adorare, quod terrena, *quæ vetus lex orando petebat, sicut ea Deus oraturis promittebat*, cœlestibus cesserint. *Quæ Christus docuit petere; iubens, primò inuocari Patrem qui in cœlis est: vnde ritè adiecit de Ioanne*, qui de terra est, &c. *quasi adhuc terrena iuxta legem veterem prius orare docuisset. Quod tamen vix mihi suadeo, cùm diceret:* Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cœlorum, &c. ORANDI DISCIPLINA. *Instructio data orandi, in oratione Dominica.* SECRETE ADORANDI. *Matth. 6. 5.* Cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in Synagogis & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus, Amen dico vobis receperunt mercedem suam. Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito: & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. FIDEM EXIGEBAT. *Quæ credis, Deum* non longè esse ab vnoquoque nostrûm. SVB TECTIS, *quorum opacitas & densitas non impediat quo minùs in cœ*- (S. Aug.)

B *lo vt throno sedens, vbique in terra scabello pedum suorum sit præsens, etiam in orantis corde videns & audiens.* MODESTIAM FIDEI, *vt orans nulli alteri quàm Patri in abscondito videnti placere gestiat.* RELIGIONEM SVAM, *orationem Religiosam, quæ est actus Religionis, & cultus Latriæ, sæpiùs à Tertulliano dicta, adoratio.* SEQVENTE SOPHIA. *Sapientiâ æternâ Patris summam suam probante sapientiam in subsequente orationis conditione, quâ præcipit & mandat, ne sit multiloqua & verbosa, quod significat* AGMINE VERBORVM ADEVNDVM. *vt paucis verbis conceptâ oratione Dominica ad Deum accedamus.* VLTRO, &c. *Matth. 6. 7.* Orantes autem nolite multùm loqui sicut Ethnici, *Syr. ne sitis mussitantes vt hypocritæ:* putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis: C scit enim Pater vester quid opus sit vobis antequam petatis eum. Sic ergo vos orabitis: Pater noster, &c. *Augustinus lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 6.* S. Aug.
Neque hic videri ab hominibus nefas est, sed ideò hoc agere, vt videaris ab hominibus, &c. Vos autem cùm oratis, inquit, introite in cubicula vestra: quæ sunt ista cubicula, nisi ipsa corda quæ in Psalmo etiam significantur cùm dicitur; quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini? &c. parum est intrare cubicula si ostium pateat importunis, per quod ostium ea quæ foris sunt improbè se immergunt, & interiora nostra appetunt. Foris autem diximus esse omnia temporalia & visibilia, quæ per ostium, id est per carnalem sensum in cogitationes nostras penetrant, & turba vanorum phantasmatum orantibus obstrepunt. *Et serm. 60. de* D *tempore, à med.* Si quando oras Deum, & hoc ab illo petis, quod videtur, publicè, & aperto ostio oras, quia hoc à Deo vis accipere quod videtur. Si verò pro indulgentia peccatorum, & pro vita æterna volueris supplicare, etiamsi publicè oraueris, clauso ostio oras; quia non petis quod videtur, sed quod non videtur. Quæ enim videntur temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt. 2. Corinthiorum 4. *Et in Psalmum 35. à princ.* Quid est claudere ostium tuum? vt hoc petas à Deo quod Deus solus nouit, quomodo tibi det. Quid est hoc propter quod claudis ostium & petis? Quod oculus non vidit, &c. *De multiloquio autem inter orandum sic lib. 2. de ser. Do. in Monte cap. 7.* Sicut hypocritarum (S. Aug.) (S. Aug.)

est præbere se spectandum in oratione, quorum fructus est placere hominibus; Ita Ethnicorum id est Gentilium in multiloquio suo se putare exaudiri. Et reuerà multiloquium à Gentilibus venit, qui exercendæ linguæ potius, quàm mundando animo dant operam, vt hoc nugatorij studij genus etiam ad precem fundendam transferre conentur, arbitrantes Deum, sicut hominem iudicem, verbis adduci in sententiam. Nolite itaque similes illis esse dicit vnus & verus magister: scit enim Pater vester quid vobis necessarium sit antequam petatis ab eo. Si enim verba multa ad id proferuntur vt instruatur & doceatur ignarus, quid eis opus est ad rerum omnium conditorem, cui omnia quæ sunt, eo ipso quo sunt loquuntur, seseque indicant facta: & ea quæ futura sunt, eiusdem artem sapientiamque non latent, in qua sunt, & quæ transierunt, & quæ transitura sunt, omnia præsentia, & non transeuntia? *Subiicit nec paucis verbis opus habere Deum scientem ne-* A *cessaria, sed res ipsas petendas nos verbis docuisse, quibus excitaretur memoria & animus ad petendum, & respondet vrgenti, quid ergo oramus scientem & volentem dare maximè spiritalia?* fit ergo in oratione conuersio cordis ad eum qui semper dare paratus est, si non capiamus *capaces simus accipiendi, vacuati terrenis desideriis* quod dederit; & in ipsa purgatione conuersio interioris oculi, cum excluduntur ea quæ temporaliter cupiebantur; vt acies cordis simplicis ferre possit simplicem lucem diuinitùs sine vllo occasu, aut immutatione fulgentem: nec solum ferre, sed etiam manere in illa, non tantùm sine molestia, sed etiam cum ineffabili gaudio, quo verè & sinceriter beata vita perficitur. *Vide in hanc rem multa præclara apud Aug. ep. 121. ad Probam c. 8. in f. & 9. vbi plures dat causas cur Deus omniscius & bonus velit tamen orari. Et to. 4. qq. Euang. lib. 2. c. 45. to. 6. cont. Adimantum cap. 17. Et serm. 36. de verb. Domini.*

11. *Orandus Deus Creator solus optimus, cum perseuerantia & humilitate Publicana, non superbia Pharisaica. 4. cont. Marc. cap. 36. in p.*

ORandi perseuerantiam & instantiam mandans, parabolam iudicis ponit, coacti audire viduam, instantiâ & perseuerantiâ interpellationum eius. Ergo iudicem Deum ostendit orandum, non se, si non ipse est iudex. Sed subiunxit, [a] *facturum Deum vindictam electorum suorum.* Si ergo ipse erit iudex, qui & vindex, Creatorem ergo meliorem Deum probauit, quem electorum suorum clamantium ad eum die ac nocte vindicem ostendit. Et tamen, cùm templum Creatoris inducit, & duos adorantes diuersa mente describit, Pharisæum in superbia, Publicanum in humilitate; ideoque alterum reprobatum, alterum iustificatum descendisse; vtique docendo qua disciplina sit orandum, eum & hìc orandum constituit, à quo relaturi essent eam orandi disciplinam, siue reprobatricem superbiæ, siue iustificatricem humilitatis. Alterius Dei nec templum, nec oratores, nec iudicium inuenio penes Christum, nisi Creatoris. Illum iubet adorare in humilitate, vt alleuatorem humilium; non in superbia, vt destructorem superborum. Quem alium adorandum mihi ostendit? qua disciplina? qua spe? Neminem opinor. Nam & quam docuit orationem, Creatori probauimus conuenire. Aliud est si etiam adorari quà Deus optimus & vltro bonus non vult. Sed [b] *quis optimus, nisi vnus, inquit, Deus?* Non quasi ex duob. diis vnum optimum ostenderit; sed vnum esse optimum Deum solum, qui sic vnus sit optimus, quà solus Deus. Et vtique optimus, [c] *qui pluit super iustos & iniustos, & solem suum oriri facit super bonos & malos*, sustinens & alens & iuuans etiam Marcionitas.

Luc. 18. 3.
a Ibid. 7.
Luc. 18. 10.
Ibid. 14.
b Luc. 18. 19.
c Matth. 5 45.

ORATIONIS CONDITIONES. 11. SCHOL.

PARABOLAM IVDICIS *Luc. 18. & seq.* Dicebat autem & Parabolam ad illos quoniam oportet semper orare & non deficere, dicens: iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur. Vidua autem quædam erat in ciuitate illa, & veniebat ad eum dicens: vindica me de aduersario meo, & nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se: etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor: tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens sugillet me. *Syr. ne omni tempore veniens, negotium mihi facessat*, ait autem Dominus: Audite quid iudex iniquitatis dicit: Deus autem non faciet *Syr. non magis faciet* vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, patientiam habebit in illis? *Syr. protrahet spiritum suum in eos?* dico vobis quia citò faciet vindictam illorum. INTERPELLATIONVM. *Vox iuris significans ad tribunal tre. l. non solum. §. si quis per iniuriam. ff. de iniur. Significat etiam postulare iustitiam, & inuocare officium iudicis l. diffamari C. de ingen. manum. simpliciter, interpellare significat rogare quadam instantia.* IVDICEM DEVM *hic pungit Marcionem, qui Lucæ Euangelium admittit, & tamen Deum iudicem, & vltorem non recipit, sed cogitur tamen fateri Deum Creatorem, suo Deo meliorem;* B *qui electos suos à vexatoribus vindicet & protegat. Aug. ep. 121. ad Probam. cap. 8. à p.* Cum eum oremus qui nouit, sicut ipse Dominus ait, quid nobis necessarium sit priusquam petamus ab eo, &c. mirum videri potest quamuis multiloquium prohibuerit, cur nos sic orare adhortatus sit, &c. vt diceret, oportet semper orare & non deficere, viduæ cuiusdam proposito exemplo, quæ de suo aduersario cupiens vindicari, iudicem iniquùm sæpè interpellando flexit ad audiendum. Non iustitia, nec misericordia permotum, sed tædio superatum: vt hinc admoneremur quantò certius nos exaudiat, misericors & iustus Dominus Deus sine intermissione orantes, quando illa nec ab iniquo & impio iudice potuit assidua interpellatione contemni; & quàm libens atque C placatus bona desideria impleat eorum à quibus aliena peccata nouit ignosci, si quò cupiebat illa peruenit quæ voluit vindicari. *Et rursum ibidem de perseuerantia Orationis eadem epistola cap. 9.* Dignior sequitur effectus, quem feruentior præcedit affectus. Ac per hoc quod ait Apostolus. 1. Thess. 5. sine intermissione orate, quid est aliud quàm beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab eo qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderare? &c. Neque vt nonnulli putant, hoc est, orare in multilo-

S. Aug.
S. Aug.

quio, si diutius oretur. Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam & de ipso Domino scriptum est, quod pernoctauerit in orando, & quod prolixius orauerit Luc. 6. Vbi quid aliud quàm nobis præbebat exemplum in tempore precator opportunus, cum Patre exauditor æternus? Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen breuissimas, & raptim quodam modo jaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras euanescat atque hebetetur intẽtio. Ac per hoc etiam ipsi satis ostendunt hanc intentionem sicut non est obtundenda si perdurare non potest, ita si perdurauerit, non citò esse rumpendam. Absit enim ab oratione multa locutio? sed non desit multa precatio, si feruens perseuerat intentio. Nam multum loqui, est in orando rem necessariam, superfluis agere verbis. Multum autem precari, est ad eum quem precamur diuturna & pia cordis excitatione pulsare. *Sicut viduæ veræ præcipit Paulus, vt instet orationibus & obsecrationibus die ac nocte.* Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quam sermonibus agitur; plus fletu, quàm affatu. Ponit autem lacrymas nostras in conspectu suo, & gemitus noster non est

A absconditus ab eo, qui omnia per Verbum condidit, & humana verba non quærit. TEMPLVM CREATORIS. *Id torquet contra Marcionem. Sub lege enim Mosaica quam reprobas, à Salomone extructum est templum in honorem Dei Creatoris.* HIC ORANDVM. *In templo scilicet illo.* DISCIPLINAM. *Instructionem & modum orandi cum humilitate; testante Psalmista:* respexit in orationem humilium. ALTERIVS DEI, *Marcionis scilicet.* PENES CHRISTVM, *in nouo Testamento à Christo condito.* ALLEVATOREM HVMILIVM. *Sic enim concludit Parabolam.* Qui se humiliat exaltabitur, &c. *De superbia Pharisæi pleni, & esurie Publicani, vide Aug. to. 7. lib. 2. de peccat. merit. c. 5. sermone 36. de ver Domini, vbi vtramque tractat Parabolam & viduæ & Publicani. Et homilia 44. circa finem vbi pulchrè disserit* S. Aug.

B *de superbia vnius & humilitate alterius.* QVA DEVS OPTIMVS. *Ironicè. Marcionis Deus in quantum optimus est, nec orationem, nec adorationem exigit à cultoribus suis, quibus vltro etiam non oratus prouidet.* QVIS OPTIMVS. *Luc.* 18 19. Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus. *Syr. autem*, nisi vnus Deus. QVA SOLVS. *Quia bonitatem cum alio Deo non partitur, sed solus eam possidet*, qui dat omnibus affluenter, diues in omnes qui inuocant eum.

12. *Orationes factæ in communi, fortiores. Apol. cap. 39. in p.*

COïmus ad Deum, quasi manu facta precationibus ambiamus, hæc vis Deo grata est.

ORATIONIS CONDITIONES. 12. SCHOL.

COIMVS, *conuenimus. Alij legunt* coïmus in cœtum & congregationem, vt ad Deum, &c. *De cœtu fidelium ad preces in communes fundendas videndus Arnob. lib. 1. contra Gentiles, Iustinus Martyr, & alij iuxta dictum Christi.* Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. *Matth. 18. 20. & versu 19.* Dico vobis quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est. *Quantò magis vbi tota Ecclesia ambiens & obsidens Deum* manu facta *& collectiis iustorum copiis.* VIS GRATA. *Si pensites quid dixerit per Prophetam:* quæsiui ex eis virum qui interponeret murum inter me & ciuitatem: *De oratione publica sic Augustinus sermone 60.*
S. Aug. *de temp. vbi de non orando in plateis, sed clauso ostio:* Ecce, inquit, ipsi benè agnoscitis, quia non hoc semper secundum literam poterit impleri. Nam & nos-

C ipsi, & totus populus non solum in cubiculis nostris oramus, sed etiam publicè ad Ecclesiam conuenimus, & simul cum omni populo genua flectimus. Et nunquid hæc facientes, præceptis Christi contrarij sumus, qui dixit, vt in cubiculis clauso ostio orare debeamus? non ita est, &c. *Chrysol. ser. 132. à p. in verba Matthæi prædicta:* qui nil negauit paucis, quid in conciliis & congregationibus Sanctorum poscentibus denegabit? Psal. 110. Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in concilio iustorum & congregatione. *Confitebor tibi in Ecclesia magna, &c. In Ecclesiis benedicam te Domine.* Psal. 132. Ecce quam bonum, &c. quia non Deo singularitas est accepta, sed vnitas, &c. *Ambr. lib. de Pœnit.* Multi minimi dum congregantur vnanimes, sunt magni, & multorum preces impossibile est contemni.

13. *Orantes Christiani expansis manibus, crucifixum referunt Dominum. De orat cap. 11. in f. V. supra num. 3. in f.*

NOs verò non attolimus tantum, sed etiam expandimus è Dominica passione modulatum, & orantes confitemur Christo.

ORATIONIS CONDITIONES. 13. SCHOL.

NOS VERÒ, *Christiani. Prius dicebat manus Iudæorum plenas sanguine horrendas Deo. De quibus vide supra numero 3.* NON ATTOLLIMVS, *&c. manus ad Patrem petituri, dum non Christo violentas inferimus vt Iudæi, sed ei benedicimus, & eum* aduocatum apud Patrem, *interponimus.* MODVLATVM EXPANDIMVS. *Alij legunt*, & Dominica Passione modulantes. *Sed idem sensus; quasi diceret manibus orando expansis, ex Christi crucifixi passione modulum & formam sumimus Christo conformamur pro nostro modulo. Sic Tertull. Apol. 30. describit habitum fidelis orantis, hac forma, ad ferendam crucem dispositi.* Sic nos ad Deum expansos, *vt Paulum retro posita mundana oblitum mundo crucifixum, in anteriora extensum*, vngulæ fodiant, cruces suspen-

D dant, ignes lambant, gladij guttura detruncent, bestiæ insiliant: paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani. *Sic & manus Moysi orantis erectæ, & Christum iam inde figurantes, crucifixum, triumphantem in semetipso Amalecitas dæmones, qui vnus in Moyse orans, & verus Iesus in Iosue pugnans. Sic Exodi 17. 11. In quem locum Aug. ser. 93. de temp.* Moyses ascendit in verticem collis. Et factum est cum eleuaret manus Moyses, vincebat Israël. Aduertite fratres: Moyses manus quidem leuat, non tamen extendit. Cui ergo seruabatur, vt manus extenderet, nisi Domino nostro Iesu Christo, qui extentus in cruce vniuersum orbem complexurus, brachia pietatis expandit? tamen ipsa eleuatione myste- S. Aug.

rium crucis ostendit. Videte fratres, iam tunc per Sacramentum crucis superatas esse aduersarias gentes. Et nos fratres dilectissimi si adiuuante Domino, *sicut Exodi 17.12. manus Moysi erant graues, sumentes igitur lapidem posuerunt subter eum, in quo sedit; Aaron autem & Hur sustentabant manus eius ex vtraque parte, & factum est vt manus illius non lassarentur vsque ad occasum Solis. Sic in Petra Christo sedemus & eius gratia & misericordia sustinentes, perseueramus sine intermissione orantes benè operando.* Manus erigimus, diabolum superamus. In manibus, opera debemus accipere. Si ergo talia sunt opera tua, vt illa possis in altum in conspectu Domini leuare, potes etiam & tu in teipso aduersarios tuos extinguere. Quis benè manus leuat, nisi qui per eleemosynam in cœlo iugiter thesaurisat? Quis ergo benè manus leuat, nisi qui assiduè victum ac vestitum pauperibus subministrat? quis benè manus leuat? ille vtique qui implet illud Apostoli 1. Tim. 2. Eleuantes, inquit, puras manus sine ira & disceptatione, &c. *Adde & illud Psaltis. & leuaui manus meas ad mandata tua quæ dilexi, &c.* Quia sicut vitulus ablingit in campis herbam viridem, ita populus Israël ablinget populum Amalech super terram. *Vt habent 70. Num. 22. 4.* per quod indicari videtur, quia populus Dei non tam manu & armis, quàm voce pugnabat & lingua, id est orationem ad Deum fundebat. Ergo & tu si vis vincere, audi Apostolum dicentem Coloss. 4. Orationi insistentes & vigilantes in ea. Hæc est Christiani pugna gloriosissima, non in suis viribus præsumere, sed semper Dei auxilium implorare. *Aduerte, Amalech significare populum lambentem, & proinde diabolum, carnem, & peccatum, prima specie blandientem, oratione superari. Præterea dictum. Exo. 17. 13.* Fugauit Iosue Amalech, & populum eius in ore gladij. *Vt scias linguam orantis Moysi, gladium exacuisse Iosue, & contra lambentem populum, orantem esse bouem ablingentem. Cæterùm eleuatione manuum, Christum crucifixum, orantem*, exauditum pro sua reuerentia, *Expressit Dauid Psal. 140. 2.* Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. *Vbi sic Aug.* Declinante iam die in Vesperum, Dominus in cruce animam deposuit recepturus, non amisit inuitus: sed tamen & ibi nos figurati sumus, quid enim illius pependit in ligno, nisi quod de nobis accepit? &c. Illud ergo est sacrificium vespertinum passio Christi, crux Christi, oblatio victimæ salutaris, holocaustum acceptum Deo. Illud sacrificium vespertinum, fecit in resurrectione munus matutinum.

S. Aug. (margin, beside "termissione orantes")

S. Aug. (margin, beside "manuum mearum sacrificium")

14. *Orationis, tres horæ diei præcipuæ. De Ieiun. cap. 10. à p.*

CVm in eodem commentario Lucæ, & tertia hora orationis demonstretur, sub qua Spiritu sancto initiati, pro ebriis habebantur; & sexta, qua Petrus ascendit in superiora; & nona, qua templum sunt introgressi, cur non intelligamus saluâ planè indifferentiâ semper & vbique & omni tempore orandi, tamen tres istas horas, vt insigniores in rebus humanis, quæ diem distribuunt, quæ negotia distingunt, quæ publicè resonant, ita & solemniores fuisse in orationibus diuinis? Quod etiam suadet Danielis quoque argumentum ter die orantis; vtique per aliquarum horarum exceptionem; non aliarum autem quàm insigniorum exinde Apostolicarum, tertiæ, sextæ, nonæ. Hinc itaque & Petrum dicam ex vetere potius vsu nonam obseruasse, tertiò orantem, supremæ orationis munere.

Act. 2. 15. Act. 10. 9. & 10. Act. 3. 1. Dan. 6. 10. Act. 3. 1.

ORATIONIS CONDITIONES. 14. SCHOL.

COMMENTARIO. *Vox iuris significans librum in quo res quodam verborum compendio & quasi per capita explicantur. Et commentarienses dicti quorum manu acta subnotabantur. Hic significat Acta Apostolorum.* TERTIA HORA. *Act. 2. 15.* Non sicut vos æstimatis hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia. *Translat. Syr.* Cum ecce adhuc sit hora tertia. INITIATI. *Vnctione Spiritus qui tunc descendit* sicut ros Hermon in montem Sion. *Et iuxta promissum Christi, baptizati:* baptizabimini Spiritu sancto & igni. SEXTA. *Act. 10. 9.* Ascendit Petrus in superiora vt oraret circa horam sextam; *Syr. autem;* conscendit tectum vt precaretur hora sexta. ET NONA. *Act. 3. 1.* Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. SEMPER ET VBIQVE. *Sine differentia temporis & loci.* Oportet semper orare, &c. sine intermissione orate. DIEM DISTRIBVVNT, *in mane, meridie, & vespere. Hinc Psaltes:* vespere & mane & meridie narrabo & annuntiabo Psal. 54. 18. *In quem locum Aug.* Vespere Dominus in Cruce, mane in resurrectione, meridie in Ascensione. Et enarrabo vespere patientiam morientis, annuntiabo mane vitam resurrectionis, orabo vt exaudias meridie sedens ad dexteram Patris: Exaudiet vocem meam, qui interpellat pro nobis. Quanta huius securitas? quanta consolatio, quanta refectio? à pusillanimitate, & tempestate, contra malos, contra iniquos & foris & intus, & in his quæ foris sunt, cum fuissent intus. NON OTIA, *non notantur Apostoli his horis otiosi, sed orantes, aut mira operantes. Tale Magdalenæ, Augustini, & fratrum suorum Eremitarum*, otium sanctum; *de quo ep. 70. ad Bonifacium Comitem:* recole qualis fueris, &c. quomodo tibi vanitas sæculi huius horruerit, & quomodo concupieris seruitutem Dei, &c. soli tecum eramus ego & frater Alipius, &c. omnes actus publicos quibus occupatus eras, relinquere cupiebas, & te in otium sanctum conferre, atque in ea vita viuere in qua serui Dei, Monachi viuunt. *De Prælatis autem iuxta Paulum 1. Tim. 3.* bonum opus *aggressis, sic lib. 19. de Ciuit. cap. 19.* Otium sanctum quærit charitas veritatis, negotium iustum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem. Sed nec sic omnimoda veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suauitas, & opprimat ista necessitas. *Hic Tertullianus qui nil frustra dixit, nec de otio verbum otiosum, allusit ad tres horas de quibus Matth. 20. 3. vbi de patrefamilias quærente operarios ad vineam, qui circa horam tertiam, sextam, & nonam, quin & vndecimam otiosos increpauit.* PVBLICE RESONANT, *prædicantur quasi diuinis mysteriis & rebus sanctis impensæ.* DANIELIS ARGVMENTVM. *Coniectura probabilis est, ex Danielis exemplo sumpta. Verisimile est enim fuisse tres illas horas quarum fecit* exceptionem *id est electionem; quibus orationi vacaret. Sic Daniel. 6. 10.* Ingressus est domum suam, & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalem, *id est versus partem respicientem templum Ierosolymitanum*, tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturque coram Deo suo. EXINDE APOSTOLICARVM. *Quæ*

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

post Danielem, elegerunt Apostoli. Ex VETERE VSV. *Ex praxi veteris Testamenti sumpto exemplo.* NONAM OBSERVASSE. *Dum in templum cum Ioanne ascendit ad horam orationis nonam.* TERTIÒ ORANTEM. *Bis iam enim orauerat, tertiâ videlicet & sextâ horâ.* SVPREMÆ ORATIONIS MVNERE, *id est dum munus & oblationem orationis offerret Deo, vltimo tempore, id est hora nona. Munus item iuxta supradicta, & donum Dei eximium & supremum, est oratio, cuius merito dato, alia omnia munera à Deo accipimus, & accepta, per humilem agnitionem, & gratiarum actionem, tanto largitori reddimus;* A *dicentes*, quæ de manu tua accepimus reddimus tibi. *Et rursum:* Benedictus Dominus qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me. *Connexam enim vides misericordiam cum oratione; vt & Zach.* 12. 10. Effundam super domum Dauid & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ & precum, & aspicient ad me quem confixerunt, & plangent eum planctu quasi super Vnigenitum. *Vt scilicet orantem me in cruce expansis manibus imitentur in sacrificio vespertino, & contriti gratiam & misericordiam precibus obtineant. Vide dicenda fusius V. Spiritus S. 11.*

15. *Oratio necessaria tantùm petat, de crastino nil sollicita. De orat. cap. 6. in m. ad f.*

Matth. 6. 11. SEd & quia carnaliter admittitur ista vox, non sine religione potest fieri & spiritalis disciplinæ. Panem enim peti mandat, quod solùm fidelibus necessarium est: cetera enim
a Matth. 15. 26. nationes requirunt. Ita & exemplis inculcat, & parabolis retractat, cum dicit:[a] *Nunquid panem filiis pater aufert, & canibus tradit?* Item,[b] *Nunquid filio panem poscenti lapidem tradit?*
b Matth. 7. 9. Ostendit enim quid à patre filij expectent. Sed & nocturnus ille pulsator panem poscebat.
Luc. 11. 5. Meritò autem adiecit:[c] *Da nobis hodie*, vt qui præmiserat;[d] *Nolite de crastino cogitare quid edatis.*
Matth. 6. 11. & 34. Cui rei parabolam quoque accommodauit illius hominis, qui prouenientibus fructibus ampliationem horreorum, & longæ securitatis spatia cogitauit, is ipsa
c Luc. 11. 3 nocte moritur.
d Matth. 6. 34.
Luc. 12. 16

ORATIONIS CONDITIONES. 15. SCHOL.

CARNALITER. *Literaliter, de pane materiali carnem vescente potest accipi hæc petitio orationis Dominicæ, qua dicimus:* Panem nostrum, &c. RELIGIONE, *non cum scrupulo, sed cum exacta, modesta, præcisa petitione victus necessarij.* CÆTERA ENIM. *Etiam superflua Gentiles appetunt.* RETRACTAT. *Hic sumit, pro sæpius tractat.* NVMQVID PANEM. *Matth. 15. 26.* Non est bonum sumere panem filiorum, *Syr. non est decorum*, & mittere canibus. LAPIDEM TRADIT. *Matth. 7. 9.* Quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei? aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei? *Addit Lucas. 11. 11.* Aut si petierit ouum, numquid porri-
S. Aug. get ei scorpionem? *Aug. ep. 121. ad Probam c. 8.* Cum secundùm tria illa quæ commendat Apostolus, fides significetur in pisce, vel propter aquam baptismi, vel quod in huius sæculi fluctibus integra est, cui contrarius est ille serpens, qui vt non crederetur Deo, venenosa fraude persuasit: spes in ouo, quia vita pulli nondum est, sed futura est, nec iam videtur, sed adhuc speratur; spes enim quæ videtur non est spes Rom. 8, cui contrarius est scorpius, quoniam qui sperat æternam vitam, quæ retro sunt obliuiscitur, & in anteriora se extendit: cui noxium est retro respicere: scorpius autem ex ea parte cauendus est, quâ venenatam & aculeatam caudam retrorsum habet. Charitas in pane. Maior enim horum charitas, & in cibis vtique vincit cætera panis vtilitas: cui contrarius est lapis, quoniam dura corda respuunt charitatem. *Idem habet tom. 4. lib. 2. qq. Euang. q. 22. nisi quod addit de pisce:* Piscis, intelligitur fides
S. Aug. inuisibilium, quia de inuisibilibus locis capitur. *De scorpio autem:* cuius aculeus venenatus retro timendus est, sicut spei contrarium est retro respicere, cùm spes futurorum, in ea quæ ante sunt se extendat. *Tertullianus ad literam sumit, panem, pro victu necessario, quem numquam Pater subtrahit.* NOCTVRNVS PVLSATOR, *præter dicta V. Oratio Dominica Schol. 4. & 5. Accipe hæc breuiter ab Aug. ep. 121. ad Probam*
S. Aug. *c. 8.* Ille quoque cui amicus de via venerat, nec quod ei apponeret habebat, ab amico sibi tres panes cupiens commodari, quibus fortasse ipsa Trinitas vnius substantiæ figurata est: iam cum suis seruis dormientem petitor instantissimus & molestissimus excitauit, vt daret ei quantos volebat, magis B & ipse vitando tædium, quam beneuolentiam cogitando: vt hinc intelligeremus, si dare cogitur qui cum dormiat, à petente excitatur inuitus, quantò det benignius qui nec dormire nouit, *non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israël*, & dormientes nos excitat vt petamus. PRÆMISERAT, *aduerte hic inaduertentiam Tertulliani; neque enim præmisit Christus, sed longè post subiecit mentionem de crastino, de quo apud vnicum Matthæum locutus est. Quamuis enim æquiualentibus terminis Luc. 12. 22. dixerit:* Nolite soliciti esse animæ vestræ quid manducetis, &c. *Longè prius præmiserat de pane quotidiano Luc. 11. 3. Matthæi autem 6. 11. Longè item prius posuit:* panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie *non quotidianum dixit sicut Lucas. Ibidem autem versu 34. & vltimo:* C nolite ergo soliciti esse in crastinum, crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei malitia sua. *De hoc loco iam alibi.* PARABOLAM QVOQVE. *Luc. 12. 16.* Dixit similitudinem ad illos, dicens: hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit: & cogitabat intra se, dicens: quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit: hoc faciam: destruam horrea mea, & maiora faciam: & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea. Et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita, *Syr. reposita.* In annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: stulte hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti cuius erunt? sic est qui sibi thesaurisat, & non est in Deum diues. *Syr. in Deo.* D Dixitque ad discipulos suos: ideo dico vobis nolite soliciti esse animæ vestræ quid manducetis, &c. Anima plus est quam esca, &c. *Subiicit de auibus non habentibus horrea, &c. In quam parabolam Aug. homil. 48.* S. Aug.
O cæcitas auari, fratres dilectissimi, vna nox ei superabat, & de multorum annorum vita satagebat, &c. Nox ei vitam fugabat, & de crastino cogitabat: quod in aliis spectabat, in se non sperabat: vtique viderat & ille morientes, viderat possidentes, viderat neminem secum tollere terram. Quanti sunt & modo qui dicunt tantum habeo, tantum valeo, tantum facio! Quibus respondendum est, stulte hac nocte, &c. Lætatur diues stultus, nocte moriturus. Quantumcumque cupiditas radices suas vbique distentet, quantumcumque rapias, necesse est in vna

hora

hora totum dimittat. Sed dicturus es, habeo filios, pro quibus laborem, &c. Pro quibus curam maximam geram. Quam curam geris filiorum, vt eos obruas lacrymis miserorum? Non est hoc filios amare, sed potius necare, &c. Nolo sic prouideas, vt magis inuideas, &c. Cur rapis? qui post te ne fortè maneant nescis, & tibi perpetuam pœnam nutris: & filiis tuis dolorem dimittis? dicit enim sapientissimus Salomon: qui congregat aliena, relinquit filiis dolorem, &c. Quid imaginem Regis sculptam seruas in solidis, & imaginem Conditoris in hominibus detestaris? reddite, dictum est, Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ sunt Dei. Maiores nostri ideò copiis omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant. Modo autem quia discessit deuotio Dei, accessit indictio fisci. Noluimus partiri cum Deo decimas, modò autem totum tollitur. Hoc tollit fiscus quod non accipit Christus. Hoc magis datur, *fisco, crapulæ, ludo, canibus, equis, meretricibus, pompis*, quod pauperibus non derogatur.

16. *Oratio primò petat cœlestia, quàm terrena. De orat. cap. 6. in pr.*

QVàm eleganter diuina sapientia ordinem orationis instruxit? vt post cœlestia, id est, post Dei nomen, Dei voluntatem, & Dei regnum, terrenis quoque necessitatibus petitioni locum faceret? nam & edixerat Dominus: [a] *Quærite priùs regnum, & tunc vobis etiam hæc adiicientur.* Matth. 6. 9.10. [a] Matth. 6.33.

17. *De orat. cap. 9 à med. ad fin. Vide sup. Orat. conditiones, num. 1. & 6.*

ORATIONIS CONDITIONES. 16. SCHOL.

DEI NOMEN, *sanctificandum.* DEI VOLVNTATEM, *sicut in cœlo, sic in terra faciendam.* DEI REGNVM, *quod petimus aduenire.* EDIXERAT DOMINVS. *Matth. 6.33.* Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis. *Aug. ser. 60. de temp. post hæc verba recitata, sic concludit in fin.* Nec hoc sic diximus, vt pro rebus temporalibus Deum non oremus; *Deus enim non tantum montium, sed & vallium est*; id est pro sanitate corporum, aut pro pace temporum, aut pro abundantia fructuum debemus & ista à Deo petere, sed secundo & tertio loco, vt primas partes in omni intentione nostræ orationis, amor animæ, & desiderium vitæ æternæ obtineat. Oremus ergo pro corpore, sed sine vlla comparatione ampliùs pro anima supplicemus. *Nota differentiam benedictionis electorum in Iacob, & reproborum in Esaü. Nam Gen. 27. 28. Isaac dixit Iacob cœlestia præferens:* Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini. *Esau autem ibid. 39. terram præponens:* In pinguedine terræ, & in rore cœli desuper erit benedictio tua, *vel vt 70.* Habitatio tua. *Aug. lib. 2. de ser. Dom. in monte cap. 17.* Harum septem petitionum considerанda & commendanda distinctio est: nam cùm vita nostra temporaliter nunc agatur atq; speretur æterna; & cùm æterna priora sint dignitate, quamuis temporalibus priùs actis ad illa transeatur, trium primarum petitionum impetrationes in hac vita quæ in isto sæculo agitur, exordium capiunt. Nam & sanctificatio nominis Dei ab ipso humilitatis Domini aduentu agi cœpit, & Aduentus regni eius, quo in claritate venturus est, non iam finito sæculo, sed in fine sæculi manifestabitur: & perfectio voluntatis eius sicut in cœlo & in terra, siue iustos & peccatores cœlum & terram intelligas, siue spiritum & carnem, siue Dominum & Ecclesiam, siue omnia simul: ipsa perfectio est nostræ beatitudinis, & ideò sæculi terminatione complebitur: tamen omnia tria in æternum manebunt, &c. Reliqua verò quatuor quæ petimus, ad temporalem istam vitam pertinere mihi videntur: quorum primum est, Panem nostrum, &c. Hoc ipso enim quod dictus est quotidianus panis, siue spiritalis significetur, siue in Sacramento, aut in victu iste visibilis, ad hoc tempus pertinet, quod appellatur hodie: Non quia spiritalis cibus non est sempiternus, sed quia iste qui quotidianus dictus est, in Scripturis, siue in strepitu sermonis, siue quibusque temporalibus signis exhibetur animæ: quæ omnia tunc vtique non erunt, cùm omnes erunt docibiles Deo, & ipsam ineffabilem lucem veritatis; non motu corporum, *linguæ, vel manus; loquendo, vel scribendo, per verba & per litteras successiuas*, sed puritate mentis haurientes. Nam & fortasse & propterea panis dictus est, non potus: quia panis frangendo atque mandendo in alimentum conuertitur: sicut Scripturæ aperiendo & disserendo animam pascunt: potus verò paratus sicuti est, transit in corpus. Vt isto tempore panis sit veritas, cùm quotidianus panis dicitur: tunc autem potus, cum nullo labore disputandi & sermocinandi, quasi frangendi atque mandendi opus erit, sed solo haustu sinceræ & perspicuæ veritatis. Et peccata nunc nobis dimittuntur, & nunc dimittimus, quæ harum quatuor reliquarum secunda petitio est. Tunc autem nulla erit venia peccatorum, quia peccata & tentationes temporalem istam vitam infestant. Non autem erunt, cùm perfectum fuerit quod dictum est Psal. 30. Abscondes eos in abdito vultus tui, & malum à quo liberari optamus; & ipsa liberatio à malo ad hanc vtique vitam pertinet, quam & iustitiâ Dei mortalem meruimus, & vnde ipsius misericordiâ liberabimur. *Vide eundem Aug. in Psal. 62. in vers.* In nomine tuo leuabo manus meas. *vbi fusè probat Dei quidem esse terrena dona, sed cœlestia ab omnipotente petenda. De facto manus leuatæ indecenter terrena petunt.*

S. Aug.

ORDO SACER.

1. *Ordinis Sacramentum, manuum impositione confertur. Lib. de Resur. cap. 8. à princ.*

CAro vngitur vt anima consecretur. Caro signatur, vt & anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, vt & anima spiritu illuminetur.

ORDO SACER. 1. SCHOL.

CARO VNGITVR. *Aliqui applicant vnctioni quæ fit in Baptismo, vel Confirmationi cum signo Crucis, vnde subiicit:* Caro signatur: *vel Extremæ Vnctioni, quâ anima munitur, velut Athleta sub vexillo Crucis in extremo agone contra potestates tenebrarum.* MANVS IMPOSITIONE, &c. *Ego totam sententiam Ordinis Sacramento aptandum censui. In eo enim & caro vngitur, & anima Sacerdotis consecratur, & signatur caro, cui manus Episcopi imponitur, vt anima ad munia ordinis sub Spiritus sancti vmbra, illuminata, & consecrata, potestatem accipiat & characterem spiritalem indelebilem; vt illuminata illuminet, & ad ministranda Sacramenta idonea deputetur. In Sacramento quippe Ordinis, Episcopus vngit manus Presbyteri, & imponens manus super caput ordinandi, dicit:* Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata. *De impositione manuum sic Paulus 1. Tim. 4. 14.* Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij. *Syr.* cum impositione manus dignitatis Presbyterij. *D. Thomas hic:* Per hoc intellige, vel dignitatem Episcopalem, vel donum scientiæ, vel prophetiæ, vel miraculorum: quorum nihil debet negligi, &c. Per prophetiam, id est, diuinam inspirationem. Nam in primitiua Ecclesia, vbi purè & propter Deum electiones fiebant, nullus assumebatur ad Episcopatum nisi per electionem diuinam: sicut electus est Ambrosius & Nicolaus, &c. Item Apostolus præuidebat hunc, *Timotheum,* profuturum esse populo, &c. cum impositione manus Presbyteri. Alia litera habet, manuum Presbyterij. Et sicut dictum est nomina Presbyteri & Episcopi sunt promiscua; quia Sacerdotes, & Presbyteri, id est Episcopi erant qui recipiebantur cum manus impositione. *Subiicit Apostolos imposuisse manus septem Diaconis Actorum 6. Deinde notat secundum vnam lectionem, Timotheum ordinatum Episcopum ab vno singulariter Presbytero, id est Episcopo, cùm tres debeant esse ordinantes; & respondet aliam lectionem supplere, dicentem manus Presbyterij; id est, multitudinis Episcoporum; vel quod tunc pauci erant Episcopi qui facile non poterant congregari; vel hanc constitutionem nondum factam, vel quamuis multi conueniant, vnum esse principalem ordinantem, alios autem Consistentes: tandem impositione manuum significari gratiam datam à Christo, ordinato, per ordinantem.* A *Sic & 2. Tim. 1. 6.* Admoneo te vt resuscites gratiam Dei. *Syr. vt excites donum illud Dei, id est ex D. Thoma ibi, quia Timotheus effectus pusillanimis torpuerat circa prædicationem, &c. & addit,* quæ est in te per impositionem manuum mearum: *à quo scilicet ordinatus erat Episcopus; in qua manus impositione data est ei gratia Spiritus sancti. De ipso autem Paulo sic loquitur Aug. lib. 2. qq. super Euangelia. q. 40.* Ad Ananiam missus est, vt illo sacerdotio quod in Ecclesia constitutum est, Sacramentum doctrinæ fidei perciperet. S. Aug. *Et idem Aug. tom. 7. lib. 2. contra epistolam Parmeniani, vbi de non reiterando Baptismo, & Ordine ab hæretico collato.* Vtrumque enim, inquit, Sacramentum est, & quadam consecratione vtrumque homini datur, illud cùm baptizatur, istud cùm ordinatur: ideóque in Catholica vtrumque non licet iterari. S. Aug. B *Subiicit de hæreticis redeuntibus ad Ecclesiam:* Non eis in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi Sacramento fiat iniuria. *Et lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 1.* Sicut redeuntes, qui priusquam recederent ordinati sunt, non vtique rursus ordinantur, sed aut administrant, quod administrabant, si hoc Ecclesiæ vtilitas postulat, aut si non administrant, Sacramentum Ordinationis suæ tamen gerunt, & ideò eis manus inter laïcos non imponitur: nam, neque Sacramentum Baptismi, neque Sacramentum dandi Baptismi, quando ab eis cum Maximiano discessit, Felicianus amisit. S. Aug. *Et tom. 6. lib. de bono coniugali cap. 24. vbi, nec repudio solui matrimonium etiam causâ filios procreandi probat:* S. Aug. C Quæ cùm sola sit, quâ nuptiæ fiunt, nec ea re non subsequente propter quam fiunt, soluitur vinculum nuptiale, nisi coniugis morte. Quemadmodum si fiat Ordinatio Cleri, ad plebem congregandam, *ad verbum Dei, celebrandam Missam, administranda Sacramenta,* etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis Sacramentum Ordinationis: & si aliqua culpa quisquam ab officio remoueatur, Sacramento Domini semel imposito, *per manuum impositionem,* non carebit, quamuis ad iudicium permanente.

* 2. *Ordo sacer, discernit Sacerdotes à laïcis: licèt hi lato modo sint Sacerdotes.*
De exhort. cast. cap. 7. circa med.

SEd dices: Ergo cæteris licet quos excipit. Vani erimus, si putauerimus quod sacerdotibus non liceat, laïcis licere. Nonne & laïci sacerdotes sumus? Scriptum est, [a] *Regnum quoque nos & sacerdotes Deo & Patri suo fecit.* Differentiam inter Ordinem & Plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per Ordinis consessum sanctificatus. adeò vbi Ecclesiastici Ordinis non est consessus, & offers & tinguis & sacerdos es tibi solus. Sed vbi tres, Ecclesia est, licet laïci.

a Apoc. 1. 6.

ORDO SACER. 2. SCHOL.

SED DICES. *Hic loquebatur de Monogamia Sacerdotibus indicta, ad quam cùm vellet & laicos obligare, iuxta errorem suum, qui secundas nuptias damnat, inducit obiicientem sibi, licere laicis secundò nubere, cùm soli excipiantur sacerdotes & excludantur à priuilegio renubendi. Alij legunt:* Ergo cæteris licet, cùm, quibus non liceat, excipit. VANI ERIMVS. *Stultè sentiemus si plus putemus licere laicis, quàm Presbyteris; cum & Ioannes Apoc. 1. 6. dicat:* Fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes. *Sic & de Monog. c. 12.* cùm extollimur, & inflamur aduersus Clerum, tunc vnum omnes sumus, tunc omnes Sacerdotes, quia Sacerdotes nos Deo & Patri fecit. Cùm ad peræquationem disci- D plinæ Sacerdotalis prouocamur, *cùm ad strictam vitam, & obligationem continentiæ clericali similem compellimur,* deponimus infulas, & pares sumus. *id est, renuntiamus huic dignitati. Sed non ad literam, nec secundum characterem Ioannes laicos omnes & fideles promiscuè Sacerdotes intellexit, sed mysticè, sicut Reges: vti nec Petrus cùm ait:* Vos autem gens sancta, genus electum, Regale Sacerdotium. 1. *Petri 2. 9. In quem locum Augustinus libro secundo. quæstionum super Euangelia quæst. 40.* Sacerdotium Iudæorum nemo ferè fidelium dubitat figuram fuisse futuri Sacerdotij Regalis, quod est in Ecclesia, quo consecrantur omnes pertinentes ad corpus Christi summi & S. Aug.

veri Principis Sacerdotum. Nam nunc & omnes vnguntur, quod tunc Regibus tantùm & Sacerdotibus fiebat. Et quod ait Petrus ad Christianum populum scribens, Regale Sacerdotium: vtrumque nomen illi populo, *Christiano scilicet*, conuenire declarauit quo illa vnctio pertinebat. *I e lib. 17. de Ciu. c. 5. in* S. Aug. *verba 1. Reg. 2.* Iacta me in vnam partem Sacerdotij tui, manducare panem, &c. Nolo in Patrũ meorum, *Leuitarum & Sacerdotum & Regum veteris Testamenti*, collocari honore, quia nullus est; iacta me in partem sacerdotij tui. Elegi enim abiectus esse in domo Domini, qualecumque, & quantulumcumque membrum esse cupio sacerdotij tui. Sacerdotium quippe hîc ipsam plebem dicit; cuius plebis ille Sacerdos est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Cui plebi dicit Apostolus Petrus: Plebs sancta Regale Sacerdotium. Quamuis nonnulli, sacrificij tui, sint interpretati, non sacerdotij, quod nihilominùs eundem significat populum Christianum. Vnde dicit Apostolus Paulus 1. Cor. 10. Vnus panis, vnum corpus multi sumus in Christo. Et iterùm. Rom. 12. Exhibeatis, inquit, corpora vestra hostiam viuam. Quod ergo addidit, manducare panem, etiam ipsum sacrificij genus eleganter expressit, de quo dicit Sacerdos ipse Io. 6. Panis quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita: Ipsum est sacrificium, non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech, &c. Ipse est obolus argenti, *quo redimimur*; quia & breuis est, & eloquium Domini est habitantis in corde credentis, &c. Ideò hîc dicit manducare panem, quod est in nouo Testamento sacrificium Christianorum. *Idem* S. Aug. *Aug. lib. 2. qq. in Euang. q. 40.* Nondum accepto Baptismatis Sacramento nondum spiritaliter ad Sacerdotes, *id est ad dignitatem spiritalis sacerdotij*, peruenerant. DIFFERENTIAM INTER ORDINEM, &c. *Locus notatu dignus, quo agnoscit tantus Author, licèt iam peruersus, omnes quidem fideles mysticè Sacerdotes, sed absque praiudicio Ordinis Sacerdotalis, in quo & potestatem, & honorem sanctificatum, & concessum specialem, id est gradum & locum in Ecclesia à plebe distinctum agnoscit. de quo Aug. lib. qq. ex veteri Testamento, q. 11.* Quanta sit dignitas Ordinis sacer- S. Aug. dotalis hinc aduertamus. Dictum est enim de nequissimo Caipha interfectore Saluatoris inter cætera; Ioan. 11. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset Princeps Sacerdotum anni illius, prophetauit. Per quod ostenditur Spiritum gratiarum non personam sequi aut digni, aut indigni, sed Ordinationem traditionis: vt quamuis aliquis boni meriti sit, nõ tamen possit benedicere, nisi fuerit ordinatus, vt officium ministerij exhibeat; Dei autem est effectum tribuere benedictionis. *Quod probat paulò antè, ex Nu. 6. vbi Deus dicit ad Moysem & Aaron sacerdotes: (Moyses enim & Aaron in sacerdotibus eius.* Vos ponite nomen meum super filios Israël, Ego Dominus benedicam eos: vt gratiam traditio per ministerium ordinantis transfundat hominibus; nec voluntas Sacerdotis obesse aut prodesse possit, sed meritum benedictionem poscentis. *Et apud Aug. tom. 4. Auctor libri* S. Aug. *qq. mixt. q. 110. vbi contra quemdam Falcidium, Leuitas Sacerdotibus, & Diaconos Presbyteris adæquantem, quòd Romanæ Ecclesiæ ministri essent, inter cætera:* Quâ lege, quáve consuetudine, quonam exemplo hoc aggredi audeat, nullum scire arbitror, vt istos quibus consessus in Ecclesia datus est, minimè iis coæquet, qui propter quod Antistites Dei sunt, in domo Dei, & in honore Christi cum dignitate consistunt. Quæ audacia est Presbyteris ministros ipsorum pares facere? quæ temeritatis præsumptio, Sacerdotibus baiulos tabernaculi, & omnium vasorum eius, & lignorum concisores, & portitores aquæ conferre?

A Hoc enim officium fuit Leuitarum. Tale est, si Præfectis Officiales, domnis serui æquentur. Hoc enim scriptum est dicente Domino ad Moysem Num. 8. Accipe tribum Leui de medio filiorum Israël, & statue illos ante Aaron Sacerdotem, & deseruient ei. Quid hoc exemplo apertius quod etiam nunc in Ecclesia custoditur. NON EST CONSESSVS. *Alij legunt: Vbi est consessus, & offert, & tinguit Sacerdos, qui est ibi solus. Sed nihil mutat in sensu diuersa lectio. Hæc enim vult sacerdotem verè ordinatum ex officio offerre sacrificium, & tinguere, id est conferre Baptismum. Istos autem, quemlibet laicum extra Ecclesiam, vel in ipsa Ecclesia, & sibi ipsi sacerdotem esse, qui & thus orationis, & sacrificium contriti cordis, & lauacrum lacrymarum offerre possit,* B *Nam ex Chrysologo 5.* Lacrymæ peccata baptizant S. Aug. *Et Augustinus epist. 199. ad Ediciam.* Sacrifica lacrymas tanquam vulnerati sanguinem cordis. SED VBI TRES. *Vel respicit illud Matth.* Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, &c. *vel hæresim suam, de Ecclesia in tribus: sicut & de pudicitia cap. 21.* Illam Ecclesiam congregat, quam Dominus in tribus posuit, &c. Et ideò Ecclesia quidem delicta donabit, sed Ecclesia Spiritus, per spiritalem hominem, non Ecclesia, numerus Episcoporum. *Et contra Praxeam cap. 1. meminit & indicat Montanum, Priscam & Maximillam hanc esse Ecclesiam spiritalem, quam arguit Augustinus libro de hæresibus, hæresi 26.* Cataphryges sunt, quorum authores fuerunt, S. Aug. Montanus tanquam Paracletus, & duæ Propheteusæ ipsius, Prisca & Maximilla.

C *Quorum sit Ordines Ecclesiæ ministrare fidelibus; docuit Dionysius Areopagita. Ecclesiasticæ Hierarchiæ capite quinto, solis Episcopis, penes quos est summa Ecclesiæ dignitas, tribuit Ordinibus sacris initiandi facultatem, per manus impositionem. Sed inter cætera.* Diuinus, inquit, ac primus Pontifex noster, hoc enim etiam causâ nostrâ humanissimus Iesus factus est, cùm discipulos ad sacerdotij honorem efferret, quanquam erat vt Deus author sacrorum, tamen sanctissimo Patri suo, diuinoque Spiritui munus consecrationis attribuit; præcipiens discipulis, vt scripta diuina loquuntur, ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, D quam audistis à me, quia baptizabimini Spiritu sancto. *Vbi satis innuit Apostolos quidem in nouissima Cœna ordinatos fuisse Sacerdotes, cùm dixit;* Hoc facite in meam commemorationem *& post Resurrectionem Episcopos destinatos, cùm dixit:* Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, insufflauit, & dixit: Accipite Spiritum sanctum, &c. *Sed in die Pentecostes à Spiritu sancto visibili signo linguarum super capita consecratos esse Episcopos; vt & notauit Hieronymus in dialogo contra Luciferianos. Quibus linguis super capita descendentibus, successit manus impositio tanquam visibile signum inuisibilis gratiæ. vt scripsit Ammianus Alexandrinus in Acta Apostolorum.*

In Chalcedonensi Concilio sub Leone primo præsentibus sexcentis triginta Patribus, contra Euthychem E *& Dioscorum vnam in Christo naturam diuinam asserentes. Can. 2.* Si quis Episcopus per pecuniam Ordinationem fecerit, & pretio redegerit, Spiritus sancti gratiam, quæ vendi non potest, ordinaueritque per pecuniam Presbyterum aut Diaconum, vel quemlibet de his qui cognominantur in Clero promouerit, & cæt. Qui hoc attentare probatus fuerit, proprij gradus periculo subiacebit, & qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione, vel promotione, quæ est pro negotiatione facta, proficiat, sed sit alienus à dignitate vel sollicitudine quam pecuniis acquisiuit. Si quis verò mediator tam turpibus & nefandis datis vel

acceptis extiterit, siquidem Clericus fuerit, à proprio gradu excidat: si verò laicus, anathematizetur. *Concil. 4. Carthag. 214. Episcoporum can. 1. agit de examine ordinandi Episcopi can. 2. qualiter consecretur.* Episcopus cùm ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Euangeliorum Codicem super caput & ceruicem eius, & vno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi qui adsunt, manibus suis caput eius tangant. *Canone 3.* Presbyter cùm ordinatur, Episcopo eum benedicente, manum super caput eius tenente, etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt, manus suas iuxta manus Episcopi super caput eius teneant. *Canone 4.* Diaconus cùm ordinatur, solus Episcopus qui eum benedicit, manum super caput illius ponat, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur. *Canone 5.* Subdiaconus cùm ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam, & calicem vacuum. De manu verò Archidiaconi vrceolum cum aqua, & mantile, & manutergium. *Canone sexto.* Acolytus cùm ordinatur, ab Episcopo quidem doceatur qualiter in officio suo agere debeat: sed ab Archidiacono accipiat Ceroferarium cum Cereo, vt sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari. Accipiat & Vrceolum vacuum, ad suggerendum vinum in Eucharistiam sanguinis Christi. *Canone 7.* Exorcista cùm ordinatur, accipiat de manu Episcopi libellum in quo scripti sunt Exorcismi, dicente sibi Episcopo: Accipe, & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super energumenum, siue baptizatum siue catechumenum. *Canone 8.* Lector cùm ordinatur, faciat de illo verbum Episcopus ad plebem, indicans eius fidem ac vitam, atque ingenium. Post hæc spectante plebe tradat ei codicem, de quo lecturus est, dicens ad eum: Accipe, & esto Lector verbi Dei habiturus, si fideliter & vtiliter impleueris officium, partem cum eis qui verbum Dei ministrauerunt. *Canone 9.* Ostiarius cùm ordinatur, postquam ab Archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conuersari, ad suggestionem Archidiaconi tradat ei Episcopus claues Ecclesiæ de Altario, dicens: Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus quæ his clauibus recluduntur. *Consule Concilium Florentinum in Decreto Armenorum de septem Sacramentis, vbi de Sacramento Ordinis, cuius minister est Episcopus; materia, traditio instrumentorum & vasorum; forma, accipe potestatem, & cæt. Effectus cum charactere augmentum gratiæ, & vt quis sit idoneus Minister. Concilium item Tridentinum sessione septima, per omnes Canones, quorum in secundo:* Si quis dixerit præter sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines & maiores & minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur, anathema sit. *Et Canone sexto.* Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam diuina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit.

Et de Episcopis quidem apertè Paulus, & summo Pontifice Hebræorum 5. 1. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis, & cæt. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. *1. Tim. 3. 2.* Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, &c. *Ad Tit. 1. 7.* Oportet Episcopum sine crimine esse. *De Presbyteris Act. 14. 22. vbi de Paulo & Barnaba:* Cùm constituissent illis, *Lystris, Iconius, & Antiochenis,* per singulas Ecclesias Presbyteros, & orassent cum ieiunationibus commendauerunt eos Domino. *1. Timoth. 4. 14.* Noli negligere gratiam quæ in te, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij. *Transl. Syr.* Dignitatis Presbyterij. *De Diaconis, Act. 6. 5.* Elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum aduenam Antiochenum. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus. *Epist. 1. ad Tim. 3. 8.* Diaconos similiter pudicos. *& versu 12.* Diaconi sint vnius vxoris viri, &c.

Vultis & veterum Patrum de Ordine testimonia? accipite Ignatium in epistola ad Smyrnenses. Omnes, inquit, Episcopum sequimini, sicut Christus Iesus Patrem, Presbyteros sicut Apostolos, Diaconos autem veneramini sicut Dei mandato ministrantes, & cæt. Omnia benè in vobis ordinate, quæ mandata sunt in Christo: laïci Diaconis subditi sint; Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, sicut ipse Patri. *Origenes homilia septima in Ieremiam.* Plus à me exigitur, quàm à Diacono, plus à Diacono quàm à laïco. Qui verò totius Ecclesiæ arcem obtinet, pro omni Ecclesia reddet rationem. *Gregorius Nissenus oratione de sancto Baptismate:* Eadem verbi vis etiam sacerdotium augustum & honorandum facit, nouitate benedictionis à communitate vulgi segregatum. Cùm etiam heri ac superiori tempore vnus ex multitudine ac plebe esset, repente redditur Præses, Doctor pietatis, mysteriorum latentium Præsul, eaque contingunt ei, cùm nihil vel corpore, vel forma mutatus, sed quòd ad speciem externam attinet, ille sit qui erat, inuisibili quadam vi ac gratia inuisibilem animam in melius transformatam gerens. *Cyprianus de operibus Cardinalibus Christi cap. de ablutione pedum.* Semel, inquit, sanctificatis, nulla deinceps manus iterùm consecrans præsumit accedere: nemo sacros Ordines semel datos renouat; nemo sacro oleo lita iterùm linit, aut consecrat: nemo impositioni manuum, vel ministerio derogat Sacerdotum. *Præmiserat de tribus Sacramentis characterem imprimentibus locuturus.* Docemur quæ sit Baptismi & aliorum Sacramentorum stabilitas: Nam Baptismum repeti Ecclesiasticæ prohibent Regulæ, & semel sanctificatis, & cæt. *Ambrosius item de dignitate Sacerdotij cap. 5.* Quis dat, frater, Episcopalem gratiam, Deus, an homo? Respondes sine dubio, Deus. Sed tamen per hominem Deus dat. Homo imponit manus, Deus largitur gratiam. Sacerdos imponit supplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dexterâ. Episcopus initiat ordinem, & Deus tribuit dignitatem.

S. Leo epist. 87. ad Episcopos Africanos cap. 1. Quid est citò manus imponere, *quod Paulus prohibet. 1. Tim. 5. 22. manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis:* nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis est ille qui non meruit ordinari? *Gregorius magnus in cap. 16. lib. 1. Regum.* Ordinem religionis homo homini præbet: sed in eum cui ordo datur, Spiritus dirigitur; vt foris sublimitatem suscipiat ordinis, & intus robur Spiritus sancti. Foris ordo committitur, vt quæ Dei sunt agere debeat; intus dirigitur spiritus, vt quod iniungitur potenter agat. Magnum quippe onus ordinis, magna fragilitas carnis. *Augustinus ser. 1. de Verbis Apostoli in f.* Nullæ sunt maiores diuitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi S. Aug.

huius maior substantia, quam fides Catholica, quæ peccatores homines saluat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles iustificat, pœnitentes reparat, iustos augmentat, Martyres coronat, virgines, viduas & coniugales casto pudore conseruat: Clericos ordinat, Sacerdotes consecrat, regnis cœlestibus præparat, in æterna hæreditate cum Angelis sanctis communicat. *Et tract.* 41. *in Io.* 8. *à m.* Quomodo odit medicus ægritudinem ægroti, & id agit curando, vt ægritudo pellatur, æger leuetur: sic Deus gratiâ suâ hoc in nobis agit, vt peccatum consumatur, homo leuetur. Sed quando consumitur inquies? Si minuitur, quare non consumitur? minuitur autem in vita proficientium, quod in vita consumitur perfectorum. Prima est ergo libertas, carere criminibus. Ideo & Apostolus Paulus, quando elegit ordinandos vel Presbyteros, vel Diaconos, & quicumque ordinandus est ad præposituram Ecclesiæ; non ait, si quis sine peccato est; hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur; sed ait, si quis sine crimine est, sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium, & cætera huiusmodi. Cum cœperit ea non habere homo, debet autem non habere omnis Christianus, homo incipit caput erigere ad libertatem: sed ista inchoata est, non perfecta libertas. Quare, inquit aliquis, non est perfecta libertas, quia video aliam legem in membris meis, &c. Caro concupiscit, &c. Vt non ea quæ vultis, illa faciatis. Ex parte libertas, ex parte seruitus: nondum tota, nondum pura, nondum plena libertas, quia nondum plena æternitas. Habemus enim ex parte infirmitatem, ex parte accepimus libertatem. Quidquid peccatum est à nobis antea, deletum est in baptismo. Numquid quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? Donec itaq; viuimus, quantumlibet ordinati, quantumlibet a crimine liberi, peccatis adhuc venialibus ex infirmitate seruimus, veniet illud regnum à Ioanne in Apocalypsi repromissum, vbi dicemus in perfecta libertate filiorum Dei constituti summo Pontifici Christo: Fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes. *Interea ab eo in Ordine accipimus ritè exercendæ potestatis gratiam.*

S. Aug.

De qua D. Thomas fusè lib. 4. cont. Gentiles cap. 74. In omnibus, inquit, Sacramentis spiritalis confertur gratia sub Sacramento visibilium rerum. Omnis autem actio debet esse proportionata agenti. Oportet igitur quod prædictorum dispensatio Sacramentorum fiat per homines visibiles spiritualem virtutem habentes: non enim Angelis competit, Sacramentorum dispensatio, sed hominibus visibili carne indutis: vnde & Apostolus dicit Hebr. 5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, &c. *Subiicit Christum debuisse discedendo, idoneos ministros ordinare.* Quia, inquit, Christus corporalem sui præsentiam erat Ecclesiæ subtracturus, necessarium fuit vt alios sibi institueret ministros qui Sacramenta fidelibus dispensarent, secundum illud Apostoli 1. Cor. 4. Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Manifestum est etiam quod Christus Sacramentum sui corporis & sanguinis in cœna dedit, & frequentandum instituit, &c. Vnde discipulis consecrationem sui corporis & sanguinis commisit dicens, Hoc facite, &c. Eisdem tribuit potestatem peccata remittendi secundùm illud Io. 20. Quorum remiseritis, &c. Eisdem etiam docendi & baptizandi iniunxit officiũ dicens Matth. vltimo: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. Minister autem comparatur ad Dominum, sicut instrumentum ad principale agens. Sicut enim instrumentum mouetur ab agente ad aliquid efficiendum: sic minister mouetur imperio Domini ad aliquid exequendum. Oportet autem instrumentum esse proportionatum agenti; vnde & ministros Christi oportet ei esse conformes: Christus autem vt Dominus authoritate & virtute propria, nostram salutem operatus est, in quantum fuit Deus & homo. Vt secundùm id quod homo est, ad nostram redemptionem pateretur, secundùm autem quod Deus est, passio eius nobis fieret salutaris. Oportet igitur administros Christi homines esse, & aliquid diuinitatis eius participare, secundùm aliquam spiritualem potestatem: nam & instrumentum aliquid participat de virtute principalis agentis. De hac autem potestate dicit Apostolus 2. Cor. vltimo, Quod potestatem ei dedit Dominus in ædificationem, & non in destructionem.

Proinde ne Ecclesia cœpta destrueretur, sed ad finem vsque mundi ad cumulum vsque, decedentibus Apostolis ædificaretur, tandiu oportet hanc potestatem perpetuari, quandiu necesse est Ecclesiam ædificari: hoc autem necesse est post mortem discipulorum Christi vsque ad sæculi finem. Sic igitur data fuit discipulis Christi spiritualis potestas, vt per eos deueniret ad alios. Vnde & Dominus discipulos in persona aliorum fidelium alloquebatur, vt patet ex eo quod habetur Marc. 13. Quod vobis dico, omnibus dico. Et Matth. vltimo: Ecce ego vobiscum sum, &c. Oportuit etiam quod hæc spiritualis potestas, sub quibusdam sensibilibus signis hominibus traderetur. Huius autem sunt certæ formæ verborum, & determinati actus, puta impositio manuum, inunctio & porrectio libri vel Calicis, aut alicuius huiusmodi quod ad executionem spiritualis pertinet potestatis, &c. Ad diuinam autem liberalitatem pertinet; vt cui confertur potestas ad aliquid operandum, conferantur etiam ea sine quibus huiusmodi operatio conuenienter exerceri non potest. Administratio autem Sacramentorum, ad quæ ordinatur spiritualis potestas, conuenienter non fit, nisi aliquis ad hoc à gratia diuina adiuuetur; ideo in hoc Sacramento confertur gratia sicut & in aliis Sacramẽtis. Quia verò potestas ordinis ad dispensationem Sacramentorum ordinatur, quorum nobilissimum & aliorum consummatiuum, est Eucharistiæ Sacramentum; eiusdem virtutis est sicut ignis vt formam suam transfundat in alterum, & vt materiam disponat ad formæ susceptionem. Cùm igitur potestas ordinis ad hoc se extendat, vt Sacramentum corporis Christi conficiat, & fidelibus tradat: oportet quod eadem potestas ad hoc se extendat, quòd fideles aptos reddat & congruos ad huius Sacramenti susceptionem. Redditur autem aptus & congruus fidelis ad huius Sacramenti perceptionem, per hoc quod est à peccato immunis: non enim potest aliter Christo spiritaliter vniri, *cùm peccata diuidant inter nos & Deum* cui Sacramentaliter coniungitur, hoc Sacramentum percipiendo. Oportet igitur quòd potestas ordinis se extendat ad remissionem peccatorum, per dispensationem illorum Sacramentorum, quæ ordinantur ad peccatorum remissionem cuiusmodi sunt baptisma & pœnitentia. *Hactenus Doctor Angelicus.*

ORIGO.

Origo rei maximè curanda est; qua Deus solus caret. 5. cont. Marc. cap. 1. in p.

NIhil sine origine, nisi Deus solus. quæ quantum præcedit in statu omnium rerum, tantum præcedat necesse est etiam in retractatu earum, vt constare de statu possit. Quia nec habeas dispicere quid quale sit, nisi certus an sit, cum cognoueris vnde sit.

ORIGO. SCHOL.

NIHIL SINE ORIGINE. *Quia nihil à seipso. Omnia autem à Deo creata sunt, vt alibi diximus.* QVANTVM PRÆCEDIT. *Origo cuiusque rei, prima omnium consideranda est & tractanda, quia hæc prima est, vnde omnia esse accipiunt. Ordo quippe tractatuum & quæstionum exigit, vt primò quæratur de re, an sit, vnde sit, & à quo trahat originem, sine qua sunt eius principia, antequam disputetur, quid ipsa sit, quænam eius essentia, proprietates, & qualitates.* NISI SOLVS DEVS. *Qui caret origine, vt æternus solus, qui est sine principio, quia vnicum est, & primum omnium rerum principium. Filius quidem cum Patre & Spiritu sancto, vnum idemque rerum omnium principium. Pater solus filij; filius cum Patre vnum idemque principium Spiritus sancti. Vnde Psaltes* 109. Tecum principium in die virtutis tuæ, &c. *Qui & de se Ioannis* 8. Principium qui & loquor vobis. *Aug. in hunc locum*: Si & Pater principium, & filius Principium, duo sunt principia? S. Aug. A Absit. Sicut enim Pater Deus, & filius Deus, non duo dij, sed vnus Deus: sic Pater principium, & filius principium, Pater autem & filius non duo, sed vnum principium. Tecum principium, &c. nec hîc, non tecum principium, &c. quia Pater mecum est, & hîc ergo tecum principium; dixisti enim & alibi, Pater autem in me manens, facit opera. *Et lib.* 11. *de Ciuit. cap.* 32. Gen. 1. In principio fecit Deus, &c. illud quod dictum est in principio, non ita dictum, tanquam primum hoc factum sit cum antè fecerit Angelos, sed quia omnia in sapientia fecit, quod est verbum eius, & ipsum scriptura principium nominauit: sicut ipse in Euangelio Iudæis quærentibus quis esset, respondit se esse principium. *Et ser.* 7. *de temp.* In principio erat Verbum, &c. qui in principio erat, intra se concludit omne principium; ex matre vero initium sumpsit, sicut legimus per Esaiam ecce Virgo in vtero accipiet, &c. S. Aug. S. Aug.

ORNAMENTA CORPORIS QVAM VANA IN GEMMIS, coloribus, vestibus.

ORNAMENTA CORPORIS, QVAM VANA IN GEMMIS.

I. Ornamenta gemmarum vana, sunt obiectum stuporis mulierum. 1°. de Cultu fœm. cap. 5. in p. ad m.

LApillos istos qui cum auro superbiam iungunt, quid aliud interpreter, nisi lapillos & calculos, & eiusdem terræ minutalia: nec tamen aut fundamentis demandandis, aut parietibus moliendis, aut fastigiis sustinendis, aut tectis densandis necessaria? Olim hunc mulierum stuporem ædificare nouerunt: quia tardè teruntur vt niteant, & subdolè substruuntur vt floreant, & anxiè forantur vt pendeant, & auro lenocinium mutuum præstant.

ORNAMENTA GEMMARVM VANA. I. SCHOL.

LAPILLOS, *pretiosos, gemmas.* CVM AVRO, *cui inserti sunt artificum operâ.* SVPERBIAM IVNGVNT, *vt fastus & pompa sit duplex ex duplici materia pretiosâ, & sic duplicent & cumulent mulierum superbiam.* S. Aug. MINVTALIA. *Sic diceret Aug. ep.* 3. in minutias deteri. *Aurum enim, & gemmæ, sunt minutiæ, & fragmenta terræ.* DEMANDANDIS, *mandandis & iaciendis deorsum in terra fossa.* MOLIENDIS. *In magnam molem sursum erigendis: sic diceret Augustinus ibidem eadem epistola* 3. Grandescere in molem. S. Aug. TECTIS DENSANDIS. *Sic enim in Africa, tecta exaggeratis & densatis supra inuicem laterculis domos operiebant.* OLIM *iam dudum. Alij legunt non ineptè*: solum hunc mulierum stuporem, &c. *vt opponat ædificio. Ad nihil construendum valent, nisi ad stupidam mulierum admirationem. Hæc sola structura sine fundamento, muris, tecto, chymæra in vacuo mulieris cerebro, quæ in delubro vanitatis vt in Palatio splendidè habitat. Longè dispar ab Agni sponsa, Ierusalem illa noua, ornata viro suo, induta Iesu, amicta Sole, ædificata vt ciuitas, Angelorum & Dei ipsius stupor, exclamantis in Cant.* Cant. 1. 9. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, collum tuum sicut monilia. Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. *Quæ & sponso accinit, versu* 16. Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cy- B pressina. *Et cap.* 8. 9. Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. *Et cap.* 6. 3. Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem. *Cuius quidem in Apoc. duodecim fundamenta lapides pretiosi, duodecim articuli fidei; cuius portæ margaritæ. Et Aug. quidem*: fides fundamentum ædificij, spes murus æneus, charitas tectum atque fastigium. S. Aug. TARDE TERVNTVR. *Longo tempore atteruntur & poliuntur.* SVBDOLE SVBSTRVVNTVR. *Auro picto varijs coloribus, sub lapillis strato, vt floridius splendeant.* ANXIE FORANTVR, *timent enim artifices ne perforando perfringant, vt circulo aureo vel serico auribus pendeant.* LE- C NOCINIVM, *quia conspectum attrahunt, & oculos capiunt inuicem sibi splendorem præstantibus auro & gemma: Cæterùm Clem. Alex. lib.* 2. *Pædag. cap.* 12. *in p.* Gemmas autem fuscas, aut virides, & quæ ab extremi maris æstu expelluntur, & quæ ex terræ tamentis *minutiis* deteruntur, admirari & stupere est puerile. In pellucidos enim lapillos, propriosque ac peculiares colores, atque vitra varia magno ferri studio, nihil est aliud quàm stultorum hominum, qui trahuntur ab his quibus inest pulsans visio. Ita enim pueri cum ignem aspexerint, splendore adducti ad eum feruntur, &c. *Subiicit de ædificio cœlestis*

Ierusalem. Ex sanctis autem lapidibus supernam Ierusalem fuisse constructam accepimus; & duodecim portas cœlestis ciuitatis, lapidibus pretiosis assimilatas, &c. In pretiosis enim lapidibus collocati sunt colores, &c. meritò ergo Symbolicè Sanctorum ex his ædificatur ciuitas. Ex immutabili flore lapidum, florem spiritus, ab interitu scilicet alienam & sanctam substantiam intellexere.

2. *Ornamenta monilium, inaurium & annulorum, fortem in debili muliere ambitionem probant. 1. de Cultu fœm. cap. 9. in f.*

De breuissimis loculis patrimonium grande profertur. Vno lino decies sestertiûm inseritur. Saltus & insulas tenera ceruix circumfert. Graciles aurium cutes calendarium expendunt, & sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit. Hæ sunt vires ambitionis, tantarum vsurarum substantiam vno & muliebri corpusculo bajulare.

ORNAMENTA GEMMARVM. 2. SCHOL.

Locvlis, *arculis, paruis scriniis.* Patrimonivm, *valor & pretium Patrimonij.* Profertvr, *educitur ad pompam.* Vno lino, *id est filo lineo. Hiero. in vita Pauli Eremitæ:* vno filo villarum insuunt pretia. Saltvs, &c. *id est pretium Syluarum & insularum in monili circumferunt.* Decies sestercivm *quinquaginta millia florenorum: id est vicies quinquies millia aureorum coronatorum.* Graciles cvtes, *extremæ auriculæ. Dum scilicet in extremis auribus, murenulas ingentis pretij appendunt.* Calendarivm expendvnt. *Id est in registro diurno totius anni expensas continente, tota summa annua expenditur; vel Calendarium liber est in quo scribitur pecunia exposita in fœnus, quæ singulis Calendis repetebatur. Sic Seneca primo de Benef. cap. 2.* Nemo beneficia in Calendario scribit, nec auarus exactor ad horam & diem debitorem appellat. *Cypr. de bono pudicitiæ circa finem.* Quid inter fila staminum delicata, rigida faciunt metalla, nisi vt fluentes humeros præmant, & luxuriam infœliciter animi jactantis ostendant? quid cùm ceruices peregrinis lapidibus vrgentur & absconduntur? quorum pretia, etiam sine artibus, Calendarium cuiusuis excedunt: non ornatur mulier, sed vitia mulieris ostenduntur. *Clem. Alex. lib. 3. Pædag. cap. 11.* Prohibet Verbum ne vim naturæ afferentes auriculas perforemus. Cur enim non itidem narem? vt illud etiam impleatur quod dictum est Prou. 12. quemadmodum inauris in nare suis, ita malæ mulieri pulchritudo. *Et lib. 2. cap. 12. vbi de idololatria in vitulo aureo ex inauribus facto:* quæ cupiditas in aurum fornicatur, fit idolum quod igne examinatur: cui quidem soli reseruantur deliciæ, vt quæ sint simulachrum non veritas, &c. Ne sint huius meretricij ornatus participes, nec per speciosum pretextum, idololatriæ crimen admittant. *Augustinus quoque aliud crimen aduertit in his ornamentis epist. 73. ad Possidium:* Execranda superstitio ligaturarum, in quibus etiam inaures virorum in summis ex vna parte auriculis suspensæ deputentur, non ad placendum hominibus, sed ad seruiendum dæmonibus adhibetur. Quis autem possit speciales nefariarum superstitionum prohibitiones in scripturis inuenire, cum generaliter Apostolus dicat 2. Cor. 6. Nolo vos socios fieri dæmoniorum? & iterum: quæ enim consonantia Christi ad Belial? Nisi fortè quia Belial nominauit, & generalem societatem dæmoniorum prohibuit, licet Christianis sacrificare Neptuno, quia nihil propriè de Neptuno vetitum legimus. *Insinuat inaures Neptuno sacras, fortè ob murenas pisces auris acutissimæ, vnde & murenulæ dicuntur inaures in formam murenæ caudam ore mordentis confictæ.* Quid autem cum eis agendum sit, si soluere inaures timent, & corpus Christi cum signo diaboli accipere non timent? Sinistra lvdit, &c. *Non operatur, sed otiosa est, & annulis onerata pretiosis; quorum singuli æquiualent pretio contento in sacculo, nam ex Aug. ser. 42. de Sanctis* quid est sacculus? pecunia clausa. *Ludit, gestu vano; vel nihili pendit tanto labore parentum vel mariti partum aurum, quo annuli & gemmæ in palis eorum defossæ coempta sunt. Ex Clem. Alex. lib. 3 Pædag. cap. 11.* Sed neque est viris annulus in articulo ferendus: hoc enim est muliebre: sed in paruo digito, atque adeo in extremum eius est mittendus: ita enim erit manus maximè expedita ad operandum in iis in quibus ea egemus: neque facilè excidet sigillum, quod maiore articuli ligamento custoditur. Sint autem nobis signacula, columba, vel piscis, vel nauis quæ cursu celeri à vento fertur, vel lyra musica, qua vsus est Polycrates, vel anchora nautica quam insculpebat Seleucus: Et si sit piscans aliquis, meminerit Apostoli, & puerorum qui ex aqua extrahuntur. Neque enim idolorum sunt imprimendæ facies, quibus vel solum attendere est prohibitum: sed nec ensis, vel arcus, iis qui pacem sectantur: nec pocula iis qui sunt moderati ac temperantes. Multi autem libidinosi nudatos eos habent quos amant, vel amicas, vt ne si velint quidem, possint affectionis amoris obliuisci, quod libido & intemperantia eis perpetuò in mentem reuocetur. Hæ svnt vires. *Cypr. de bono pudicitiæ circa finem:* Quid cum digiti tali auro onerati nec intrare possunt, nec egredi? *inhabiles operi*, vtrum vsus exposcitur, an patrimoniorum inanis pompa monstratur? mirum negotium, mulieres ad omnia delicatæ, ad vitiorum sarcinas fortiores sunt viris.

S. Aug. S. Aug.

3. *Ornamenta margaritarum contemptibilia. 1. de Cultu fœm. cap. 6. in m.*

Sed & si quid de mari Britannico aut Indico ambitio piscatur, conchæ genus est, non dico conchylio, aut ostreo, sed nec peloride gratius de sapore. ad hoc enim conchas nouerim maris poma. Quod si concha illa aliquid intrinsecus pustulat, vitium eius magis debet esse quàm gloria. Et licet margaritum vocetur, non aliud tamen intelligendum quàm conchæ illius aliqua dura & rotunda verruca.

ORNAMENTA GEMMARVM. 3. SCHOL.

Britannico. *Plin. lib. 9. cap. 35. Notat ibi paruas & decolores margaritas nasci, ex quibus, Iulius Imperator, thoracem contextum, templo Veneris genitrici consecrauit. Ibidem ait in Oceano Indico nasci; præcipua autem circa Arabiam in sinu Persico maris rubri. Quidquid porro eximium de margaritis dici potest, refero*

Bideto plenius Plinium, quem consules lector. Clemens Alex. lib. 2. Pædag. c. 12. in p. Maximi pretij margarita, mulierum conclaue, mirandum in modum per summam inuasit lasciuiam: ea autem nascitur in quodam ostreo, pinnis non absimili: magnitudo autem eius est quantus & permagnus piscis oculus: nec pudet miseras totum suum studium in hoc ostreo ponere, cum eis liceat sanctâ ornari gemmâ, nempe Verbo Dei, quod vtique scriptura appellauit margaritam, qui est pellucidus & purus Iesus, qui est in carne contemplator oculus, qui est ratio *sic Christum vocat Tertullianus noster* qui perspicuus, per quem caro est pretiosa, quæ aqua regeneratur. Illud enim ostreum in aqua natum carnem contegit: ex ea autem margarita concipitur. *Aug. to. 4. lib. 2. de ser.*
S. Aug. *Do. in Monte c. 31. ex Matth. 7.* nolite sanctum dare canibus, neq; miseritis margaritas vestras ante porcos. Sanctum est, quod violare atque corrumpere nefas est, cuius vtique sceleris conatus & voluntas tenetur rea; quamuis illud sáctum naturâ inuiolabile atq; incorruptibile maneat. Margaritæ autem, quæcumque spiritalia magni æstimanda sunt: & quia in abdito latent, tanquam de profundo eruuntur, & allegoriarum integumentis, quasi apertis conchis inueniuntur. Licet itaque intelligi quod vna eademque res, & sanctum, & margarita dici possit; sed sanctum ex eo quod non debet corrumpi, margarita ex eo quod non debet contemni. *Quid porrò tam sanctum, quàm Christus de quo Angelus, seu de margarita in sinu maris rubri sanguinis regalis & virginei nata dixit;* quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei *Quid tam incorruptibile, quàm ipsa eius caro, de qua Psaltes,* non dabis sanctum tuum vidére corruptionem? *Quid proinde tam incontemptibile, & minus proiiciendum est porcis, & spurcis hominibus, quàm ille, de quo scriptum est, vt pretiosiore omnibus Arabiæ & Æthyopiæ margaritis;* coram illo procident Æthyopes, &c. Reges Arabum, &c. *De hac ipsa mar-*
S. Aug. *garita idem Aug. lib. qq. ex Matthæo. q. 13.* Aut negotiator iste bonos homines quærens cum quibus vtiliter viuat, inuenit vnum præ omnibus sine peccato mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum: aut præcepta iustitiæ quærens, quibus seruatis, cum hominibus rectè conuersetur, inuenit dilectionem proximi, in quo vno dicit Apostolus omnia contineri, &c. singulæ enim margaritæ sunt, quæ in hoc sermone recapitulantur, diliges proximum, &c. Aut bonos intellectus homo quærit, & inuenit illum vnum quo cuncti continentur, In principio erat Verbum, &c. Est enim Verbum Domini lucidum candore veritatis, & solidum firmitate æternitatis, & vndique sui simile pulchritudine diuinitatis, qui Deus penetratâ carnis testudine intelligendus est. Ille enim ad margaritam ipsam jam peruenerat, quæ in tegumentis mortalitatis, quasi concharum obstaculo, inter profunda huius sæculi, atque inter duritias saxeas Iudæorum aliquando latuerat: Ille ergò ad ipsam margaritam jam peruenerat qui ait, 2. Cor. 5. Et si noueramus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus, &c. Pretium eius est nosipsi, qui ad eam possidendam non sumus liberi, nisi omnibus pro nostra liberatione contemptis, quæ temporaliter possidentur: venditis enim rebus nostris, nullum eatum maius accipimus pretium, quàm nosipsos, quia talibus implicati, nostri non eramus: vt rursus nos ipsos pro illa margarita demus, non quia tanti valeamus, sed quia plus dare non possumus. *Reliquas hic margaritas, ad extremam vilitatem redigit author noster, quanquam ambitio humana eius piscationi vacet etiam cum periculo.* NEC PELORIDE. *Plin. lib. 31. cap. 11. inter cancrorum genera recenset, vilissimam pisciculum.* DE SAPORE, *quantum ad saporem. Contrà Plinius supra margaritas Clodio Æsopi Poetæ filio & Cleopatræ miri saporis fuisse testatur.* AD HOC, *non maioris pretij facio margaritas. Quam* MARIS POMA. *Vilissimum maris fructum.* PVSTVLAT. *Pustulam aliquam germinat, & quasi tumorem callosum, non tam pretium conchæ & gloria censenda est quam quidam morbus.*

4. *Ornamenta gemmarum & colorum, apud nos pretiosa, Parthi & Medi vilibus impendunt.* 1°. *de Cultu fœm. cap. 6. & 7. V. verbum Raritas num. 1.*

5. *Ornari pudeat mulierem, gemma de capite draconis conterendi eruta. 1. De cultu fœm. cap. 6. in fi.*

Aiunt & de frontibus draconum gemmas erui, sicut & in piscium cerebris lapidositas quædam est. Hoc quoque deerat Christianæ, vt de serpente cultior fiat. Sic calcabit diaboli caput, dum de capite eius, ceruicib. suis aut & ipsi capiti ornamentum struit.

ORNATVS GEMMARVM. 5. SCHOL.

DE FRONTIBVS DRACONVM. *Plin. lib. 37. cap. 10.* Draconites siue dracontias è cerebris fit draconum; sed nisi viuentibus abscisso capite numquam gemmescit, inuidiâ animalis mori se sentientis. Igitur dormientibus amputant. *Hæc gemma similem vim habet annulo Gygis, de quo Ambrosius, nam ex Philostrato in vita Apollonij Thyanæi lib. 3. c. 2. mirabilis est potentiæ, & homines reddit inuisibiles.* DEERAT CHRISTIANÆ. *Alij legunt:* deerit. *Pulchrè dictum. Alludit ad illud Gen. 3. 15.* Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius: Ipsa conteret caput tuum. *Hebr. ipsum conteret tibi caput. 70. ipse seruabit caput tuum. Chald. obseruabit tibi quod fecisti ei in principio:* & tu insidiaberis calcaneo eius. *Hebr. autem:* & tu conteres ei calcaneum. 70. & tu seruabis eius calcaneum. Chald. & tu obseruabis ei
S. Aug. in finem. *Aug. in Psal. 103. in versum* draco iste quem finxisti ad illudendum ei. Nostis inimicum Ecclesiæ quendam draconem, non vidistis oculis carnis, sed videtis oculis fidei. Ipse est qui & Leo dicitur, de illo scriptura dicit, conculcabis leonem & draconem Psal. 90. Subditus est ille capiti tuo, subdentur & corpori eius; hæreant tantum membra capiti suo, vt membra eius sint. Dictum est de prima fœmina, quam seduxit hic draco, Euâ scilicet illâ, cui consilium mortis dedit, & persuasione astuta in cor fœmineum more serpentis irrepsit, &c. Nostis & quid dictum est mulieri, vel potius serpenti cum audiret Deus peccatum primi hominis; ipsa tuum obseruabit caput, & tu eius obseruabis calcaneum. In magno mysterio dictum, in figura dictum Ecclesiæ futuræ, factæ de latere viri sui, & hoc dormientis, &c. Quid ergo dictum est Ecclesiæ? iam modo audite, intelligite, cauete, ipsa tuum obseruabit caput, & tu eius calcaneum. O Ecclesia, caput serpentis obserua. Quod est caput serpentis? prima peccati suggestio, &c. Caput calca, & euades cæteros motus, &c. sed lucrum suggessit, magnum ibi lucrum est, magnum aurum ibi est: si hanc fraudem feceris, diues eris. Caput serpentis est, calca. Quid est calca? contemne

temne quod suggessit. Sed magnum aurum suggessit. Et quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Pereat mundi lucrum, ne fiat animæ damnum. Hæc dicens obseruasti caput serpentis, & calcasti. Ille autem Diabolus calcaneum tuum obseruat. Quid est, &c. quando labaris a via Dei: tu obserua primam suggestionem, ille obseruat lapsum tuum. Si enim lapsus fueris cades; si cecideris, possidebit: vt au-

A tem non cadas, noli exire de via: angustam tibi semitam strauit Deus, quidquid extra illam est, lubricum est; propterea lumen est Christus, & via Christus. *Nota ergo illudendum; & caput inuido gloria nostra, quam perdidit, calcandum & scindendum. Vnde longè absunt qui Christum veram margaritam, & adamantem in manu Dei, vt porci conculcant, & caput Draconis quod calcare debuerant, Christo præponunt, & suo capiti imponunt.*

ORNAMENTA MVLIERVM SVMPTA EX VARIETATE colorum vestium & gemmarum, sunt inuenta Diaboli.

1. *Ornamenta mulierum, in statu innocentiæ non fuerunt; & inuenta sunt Diaboli ad pompam funeris. 1. de cultu fœm. cap. 1. à med. ad fin. & 2. in princ.*

AGe nunc si ab initio rerum, & Milesij oues tonderent, & Seres arbores nerent, & Tyrij tinguerent, & Phryges insuerent, & Babylonij intexerent, & margaritæ canderent, & Ceraunia coruscarent, si ipsum quoque aurum iam de terra cum cupiditate prodisset; si iam & speculo tantùm mentiri liceret: hæc Eua concupisset, de paradiso expulsa, iam mortua, opinor. Ergo nec nunc appetere debet, aut nosse, si cùpit reuiuiscere quæ nec habuerat, nec nouerat, quando viuebat. Ideò omnia ista damnatæ & mortuæ mulieris impedimenta sunt, quasi ad pompam funeris constituta. Nam & illi qui ea constituerunt, damnati in pœnam mortis deputantur. CAP. 2.

ORNAMENTA EX COLORIBVS ET ALIIS VANITATIBVS. r. SCHOL

AB INITIO RERVM. *A principio mundi.* MILESII. *Oues Mileti æstimatæ propter vellera, apud Aristophanem. De quibus Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. cap. 10.* Pudet me, vt verè dicam, cùm videam tantum opum effundi ad tegenda pudenda. Vetus enim homo qui erat in Paradiso, ramis & foliis circumedimetabatur tegumentum pudoris: nunc autem cùm nobis fabricatæ sint oues, ne similiter atque oues simus insipientes. A verbo autem eruditi sumptuosas vestes redarguamus, tanquam elogium addentes, estis pili ouium. Etiamsi iactet Miletus, etiamsi laudetur Italia, &c. Beatus autem Ioannes despectis quoque ouium pilis, qui delicias redolent, pilos camelorum elegit & eis se vestiit, simplicem vitam & à dolo alienam repræsentās. SERES. *Scythiæ sunt populi, apud quos in arboribus lanugo reperitur, quam aqua perfusam pectunt ad texturam vestium. Hinc Plin. lib 6. cap. 17. dicit:* Seras lanitio syluarum nobiles TYRII TINGVERENT. *Phœnices colore purpureo tingerent.* PHRYGES INSVERENT, *acu pingerent & consuerent vestes.* ET BABYLONII INTEXERENT, *Hinc à Plinio dictæ sunt vestes Babylonicæ & stragulæ.* MAGARITÆ CANDERENT, *Hinc Plin. lib. 9. cap. 35. de Margaritis loquens:* Dos omnis in candore. CERAVNIA CORVSCARENT, *Gemmæ fulmineæ coruscationem fulminis referentes. Tertull. lib. de anima 9.* Ceraunis gemmis non ideò substantia ignita est, quod coruscent rutilante rubore. IAM DE TERRA, *Si iam ab exordio, aurum è terra erutum cupiditatem humanam excitasset: si vt nunc, tum etiam in speculo faciem suam inspicere, & variis fucis mendacem vultum assumere licuisset, tantum mutatum à natiuo; vt aliter omnino videretur.* IAM MORTVA, *ab esu ligni vitæ eiecta, & morti damnata.* OPINOR. *Ironicè dictum quasi diceret, puto quod etsi tum fuissent varij colores, & aurum & gemmæ, & speculum, longè abfuisset Eua ab appetitu talium rerum vt pote de recenti mortis sententia,*

B *exilioque paradisi tristis & gemens. Vnde concludit, nec nunc quamlibet mulierem Euæ filiam huiusmodi mundum muliebrem debere concupiscere, si per pœnitentiam, eiusque lugubrem habitum velit de morte surgere, quibus Eua caruit dum viueret in Dei gratia.* MORTVÆ *per peccatum.* IMPEDIMENTA, *sarcinæ.* AD POMPAM FVNERIS, *Sicut in pompa funebri triumphali virorum, aut mulierum illustrium, vestes & supellex speciosior deferebatur. Vnde Hiero. in ep. ad Paulinum:* Quanti hodie diu viuendo portant funera sua? ILLI *dæmones inuentores mundi muliebris, pœnæ mortis æternæ deputati, hæc omnia mulieri, mortuæ in deliciis iuxta Paulum, & damnatæ, in pompam funeris constituit. Vsus termino iuris, & insinuans errorem suum de Angelis amatoribus fœminarum vt in iure dicitur,* constituere sponsalia, vel nuptias: *l.*
C *13. §. 1. ff. de publ. in rem. Act. Et* constitutus vsusfructus tunc dicitur, cùm iam quis vtifrui potest. *l. vnic. §. dies. ff. quando dies legati cedit. Et* constitutæ seruitutes, *dicuntur*, quæ pactionibus, stipulationibus, legatisve iam impositæ sunt. *l. 20. ff. si seruitutes vind. Aduerte seruituti Diaboli mancipatas mulieres, ex pacto vanitatis hæc ornamenta à principe mundi accipere; & oues, his omnibus in morte spoliandas, pompam funeris similem diuiti purpurato relaturas; quibus damnatis & mortuis conuenit illud Ps. 48. in quo sæpius Aug. de malo diuite purpura & bysso vestito.* Sicut oues in inferno positæ, mors pastor est eis. Quid est mortem habent pastorem? &c. mors equidem, quam timent homines, separatio est animæ à corpore: mors autem verè quam non timent homines, separatio est animæ à Deo, &c. S. Aug.
D Quomodo autem mors pastor est illis? Si vita Christus est, mors Diabolus, &c. Non quia ipse mors est, sed quia per illum mors, &c. ad eum pertinentes pastorem mortem habent, &c. *Has oues spoliat in morte, & in inferno* operit sicut diploide confusione suâ. *Et pascit pœnis æternis: oues suas Christus circumamictu vario vestit, & in pascua æterna inducit.*

2. *Ornamenta ex varietate colorum, inuenta sunt Diaboli, contra voluntatem Dei. 1. de cultu fœm. cap. 8. à princ. ad fin.*

QVis est vestium honor iustus, de adulterio colorum iniustorum? Non placet Deo quod non ipse produxit. nisi si non potuit purpureas & aërinas oues nasci iubere. sipotuit, ergo iam noluit. quod Deus noluit, vtiq; non licet fingi. Non ergo natura optima sunt ista, quæ à Deo nõ sunt auctore naturæ. Sic à diabolo esse intelliguntur, ab interpolatore na-

turæ. Alterius enim esse non possunt, si Dei non sunt: quia æmuli sint necesse est, quæ Dei non sunt. alius autem præter diabolum & angelos eius, æmulus Dei non est. Ceterùm si materiæ ex Deo sunt, non statim & huiusmodi fructus illarum. Nam & omnes istæ profanæ spectaculorum secularium voluptates, sicut de illis suum volumen edidimus, ipsa etiam idololatria ex rebus Dei constat. non tamen ideò circi furoribus, aut arenæ atrocitatibus, aut scenæ turpitudinibus Christianum affici oportet, quia Deus & equum, & pantheram, & vocem homini dedit: nec ideò idololatriam impunè faciet Christianus, quia Dei conditio est & thus, & merum, & ignis qui vescitur, & animalia quæ victimæ fiant, cùm & ipsa materia quæ adoratur, Dei sit. Sic ergo & circa actum, materiarum census à Deo descendens, accusat Deo extraneum, vt reum scilicet gloriæ sæcularis.

ORNAMENTA EX COLORIBVS. 2. SCHOL.

A HONOR IVSTVS, *rationalis vsus vestium esse non potest quibus color adulterinus & non naturalis iniustè inducitur.* NISI SI NON, *nisi fortè Deus non potuit,* AERINAS, *hyacinthinas:* carinas *legunt alij, id est vernas, seu verni & viridis coloris.* FINGI, *adulterari ficto & picto colore.* INTERPOLATORE, *corruptore & transfiguratore naturæ, qui & ex Paulo, cùm rector sit tenebrarum,* transfigurat se in Angelum lucis: *quique mendax est, & pater eius, rerumque fucu & mendaciis delectatur, vt & pellem coloribus variegatam versipellis & callidi serpentis induit, vt sub colore & prætextu scientiæ Euam deciperet, & eam alba innocentiæ veste spoliaret, subdole mentitus inuidiæ mortem, per mendacij virus inhalauit: dicens,* nequaquam moriemini: ÆMVLVS DEI, *aduersarius Dei naturæ simplicis & candidæ, & veritatis authoris, cùm sit Diabolus multiformis & multicolorus pater mendacij.* S. Aug. *Aug. tract. 42. in Ioan. 8.* Diabolus cum inuideret homini, serpente indutus, locutus est mulieri, & de muliere venenauit & virum, Mortui sunt Diabolum audiendo, quem non audissent, si Dominum audire voluissent: positus enim homo inter eum qui creauit, & eum qui lapsus est, obtemperare debuit Creatori, non deceptori, &c. B cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est & pater eius, &c. Diabolus à seipso mendax fuit, mendacium suum ipse genuit, quod à nemine audiuit: quomodo Deus Pater genuit Filium veritatem: sic Diabolus lapsus genuit quasi filium mendacium, &c. quo mendacio tanquam veneno serpens hominem occideret, pater est mendacij, sicut Deus Pater est veritatis: recedite à patre mendacij, currite ad Patrem veritatis, amplectimini veritatem, vt accipiatis libertatem. *Serui enim vanitatis & mendacij sunt, qui diligunt vanitatem & quærunt mendacium in pictis & coloratis vestibus, quibus circumornatæ mulieres illaqueant homines & facto mendacij, pelle serpentis vestitæ, virus libidinis aspirant, & oculo basilisci trucidant. Clem. Alex. lib. 3. Pædag. cap. 11. in pr.* Nobis concedit Pædagogus vti veste simplici ac tenui, albo colore vti diximus, vt non arti varieganti, sed naturæ generanti, nos accommodantes. quidquid est fallax, & veritatem ementitur, repellentes, quod est simplex & vnius modi veritatis amplectamur, &c. Vnde etiam quæ in lege per Moysem de lepra est lata lex Leuit. 13. reiicit quod est varium & multis maculis notatum, perinde atque nefarium, vt quod sit serpentis variis squammis simile. Eum ergo qui varietate colorum minimè efflorescit, totus autem à vertice capitis vsque ad extremos pedes est candidus, mundum esse statuit: vt quemadmodum in corpore varia quoque ac versipelli relicta mentis affectione, qui non est varius, nec anceps, simplicem veritatis colorem diligamus. MATERIÆ EX DEO, *Deus creauit materias ex quibus colores miscentur.* NON STATIM FRVCTVS, *non proinde artificium illarum, & vsus sumendus est.* NAM ET OMNES, *alij legunt.* Non statim & huiusmodi fructus; latet in omnibus, quæritur, & vnde sunt conchæ & quâ dispositione decurtant, & vbi collocentur. *Quæ omnia apud Rigaltium non legimus. Sic autem exponimus: licèt materiæ, quibus arte colores fiunt à Deo creatæ sint, non inde sequitur à Deo datam licentiam abutendi coloribus. Nam vsus iste occultus est in ipsis materiis, & à Deo absconditus, quem humana curiositas latentem quærit, sicut inquisiuit, vnde & quomodo eruendæ sint conchæ, & ex eis margaritæ, & quo ordine sint disponendæ in monilibus & armillis, & quo in corporis membro collocandæ, auribus, collo, brachiis.* NAM ET OMNES. *Idem dicendum de coloribus, gemmis, &c. quod in libro de spectaculis & de idololatria aduertimus, scilicet vt hæc, sic & illa constant ex materiis à Deo conditis, quarum tamen vsus vt in spectaculis & idololatria, sic pariter in pompa & vana gloria interdictus est Christiano.* CIRCI FVRORIBVS. *Pulchrè, singula elogia appingit singulis. Ita & Hieron. in epist. ad Marcellam.* Arena sæuiat, *en atrocitas arenæ, vbi gladiator cum Panthera pugnat,* Circus insaniat, *en Circi furor in equis, & curribus circa metas furentibus,* Theatra luxurient. C *en scenæ turpitudo, in vocibus, cantibus, & gestibus impudicis.* DEI CONDITIO, *res à Deo condita.* QVI VESCITVR, *pascitur thure aliisque iniectis.* MATERIA, *idolum.* CIRCA ACTVM. *Circa vsum huiusmodi rerum.* MATERIARVM CENSVS, *Origo rerum, earumque abundantia.* A DEO DESCENDENS, *ipso facto, quòd à Deo creata est, condemnat actum earum & vsum siue applicationem à Deo alienam, & hominem sic abutentem rebus bonis à Deo conditis, reum accusat vanæ gloriæ mundi, ob quam coloribus, margaritis, & gemmis vtitur. Alij legunt,* Census à Deo descendens, propterea excusatus, *quia ex se innocens & bonus in quantum à Deo factus:* Deo extraneum, & reum, scilicet gloriæ sæculum, *accusat mundum.*

3. Ornamenta colorum, gemmarum, inaurium, Diabolus artifex, detector & tentator inuenit. 2. de cultu fœm. cap. 10. in pr. ad med.

NImirum enim Deus demonstrauit succis herbarũ & concharũ saliuis incoquere lanas: exciderat illi, cũ vniuersa nasci iuberet, purpureas & coccineas oues mandare: Deus & ipsarum vestium officinas commentus, quæ leues & exiles, solo pretio graues essent; Deus & auri tanta opera produxit complectendis & distinguendis lapillis: scrupulosa Deus auribus vulnera intulit: & tanti habuit vexationem operis sui, & cruciatus infantiæ innocentis tunc primùm dolentis, vt ex illis ad ferrum nati corporis cicatricibus, grana nescio quæ penderent, quæ planè Parthi peronibus quoque suis bullarum vice inserunt. Quamquam & aurum ipsum, cuius vos gloria occupat, cuidam genti ad vincula seruire ferunt

Gentilium litteræ. Adeò non veritate bona sunt, sed raritate. artibus autem per angelos peccatores, qui & ipsas materias prodiderunt, inductis, operositas cum raritate commissa, pretiositatem, & ex ea libidinem possidendæ pretiositatis feminarum excitauit. Quòd si iidem angeli, qui & materias eiusmodi & illecebras detexerunt, auri dico & lapidum illustrium, & operas eorum tradiderunt, & iam ipsum callibleph arum, vellerumque tincturas inter cetera docuerunt, damnati à Deo sunt, vt Enoch refert, quomodo placebimus Deo gaudentes rebus illorum, qui iram & animaduersionem Dei propterea prouocauerunt?

ORNAMENTA COLORVM. 3. SCHOL.

NIMIRVM, &c. *ironicè dicta sequentia, quasi verò Deus docuerit hominem in succis herbarum & concharum, id est, caldariarum alueis & capacitate lanas intinquere & tingere. (sic enim alij legunt) nos* concharum saliuis, *id est, excrementis, humore, sanguine, & purpura.* EXCIDERAT, *oblitus erat fortè* MANDARE, *imperare, vt fierent.* COMMENTVS, *excogitauit, artifex fuit.* LEVES, *byßinæ & carbasinæ.* TANTA OPERA, *arte facta.* SCRVPVLOSA VVLNERA, *alij* crobylosa, scrobulosa, *id est foramina. Hieron. de vita & obitu Marcellæ*, auribus perforatis rubri maris pretiosissima grana suspendere. *Cypr. de discipl. & habitu virg.* An vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia, & mali sæcularis ignara crucietur, vt posteà de aurium cicatricibus & cauernis pretiosa grana dependeant? AD FERRVM NATI. *Ad laborem & agriculturam, aut bellum, non ad mollitiem inaurium per infantilia vulnera, &c.* PARTHI, *quàm paruipendit margaritas, vt calceamento rudi Parthico, pro fibulis, seu globulis, Gallicè*, boutons, *imponi dicat. Aug. ser. 75. de temp. longè pretiosiores inaures & armillas inserit auribus & brachiis Ecclesia.* Rebecca Abrahæ puerum inuenit ad puteum, & Ecclesia inuenit Christum ad Baptismi Sacramentum; quid tamen post hæc factum est? Protulit puer inaures aureas, & dextralia aurea, & dedit ea Rebeccæ. In illis inauribus aureis significabantur verba diuina, in illis armillis aureis, opera sancta; quia in manibus opera A designantur. Videamus quomodo hæc dederit Christus Ecclesiæ. Puer ergo obtulit inaures aureas ad ornandam faciem Rebeccæ, & Christus verba diuina margaritis omnibus pretiosiora dedit Ecclesiæ, & armillas posuit in manibus Rebeccæ, & Christus dedit opera sancta in manus Ecclesiæ, &c. GLORIA OCCVPAT, *vana tenet gloria.* CVIDAM GENTI. *Clem. Alex. 2. Pædag c. 12.* dicũt apud Barbaros vinciri auro maleficos: *quos Dion Chrysost. orat. 79. Herodotus lib. 3. Heliodorus lib. 9. Solinus cap. 43. dicunt esse Æthyopes.* BONA SVNT, *pretiosa. Nam ipso quod & aurum & gemmæ opera Dei sunt, bona sunt.* ARTIBVS PER ANGELOS, *alij non habent*, artibus. *Hic rursum insinuat errorem suum de Angelis, qui artibus, id est, artificiis armillarum & inaurium aurearum innectis, fœminas* B *deceperunt, & occultas ipsas materias detexerunt.* OPEROSITAS, *id est, artificium.* CVM RARITATE COMMISSA, *id est, certante cum pretio materiæ, operâ artificis.* PRETIOSITATEM, *æstimationem vel pretium ipsum.* EXCITAVIT, *adauxit, & concupiscentiam fœminarum inflammauit.* CALLIBLEPHARVM. *Genus est medicamenti oculis pulchrificandis, fucandisque palpebris aptum. De quo fuco vide sequens Scholium.* VT ENOCH REFERT, *De hoc lib. 1. de cultu cap. 3.* Scio Scripturam Enoch, quæ hunc ordinem Angelis dedit, *id est reos huius criminis, & ideò damnandos dixit*, non recipi à quibusdam, quia nec in armarium Iudaïcum admittitur. *In Canone Hebræorum non reperitur.*

S. Aug.

* 4. *Ornamenta data mulieri à Diabolo pro pretio libidinis, decora non sunt. 1. de cultu fœm. cap. 2. à princ. ad med.*

PRopriè & quasi peculiariter feminis instrumentum istud muliebris gloriæ contulerunt; lumina lapillorum, quibus monilia variantur: & circulos ex auro, quibus brachia artantur: & medicamenta ex fuco, quibus lanæ colorantur: & illum ipsum nigrum puluerem, quo oculorum exordia producuntur. Hæc qualia sint, interim iam ex Doctorum suorum qualitate & conditione pronuntiari potest, quod nihil ad integritatem peccatores, nihil ad castitatem adamatores, nihil ad timorem Dei desertores spiritus aut monstrare potuerunt, aut præstare. Si doctrinæ dicendæ sunt; mali magistri malè docuerint necesse est. Si mercedes pro libidine; nullius rei turpis, merces decora est. Quid autem tanti fuit ista monstrare siue conferre? vtrumne mulieres sine materiis splendoris, & sine ingeniis decoris placere non possent hominibus, quæ adhuc incultæ, & incompositæ, & (vt ita dixerim) crudæ ac rudes, angelos mouerant? Anne sordidi, & per gratuitum vsum contumeliosi amatores viderentur, si nihil feminis in connubium allectis contulissent?

ORNAMENTA COLORVM. 4. SCHOL.

CONTVLERVNT. *Angeli scilicet apostatæ capti forma mulierum.* LVMINA LAPILLORVM, *id est fulgorem gemmarum.* VARIANTVR, *diuerso colore.* CIRCVLOS, *armillas ex contextis circulis aureis, quibus brachia stringuntur.* MEDICAMENTA, *tincturæ ex diuersis herbis confectæ.* NIGRVM PVLVEREM, *callibleph arum, de quo suprà. Clem. Alex. lib. 3. Pædag. c. 2. vbi confert mulieres pictas & ornatas Diis Ægypti, felibus, crocodilis, serpentibus, pretiosè ornatis. Et concludit:* Apparet Deus Ægyptiorum, bellua, quæ super vestem stragulam purpuream volutatur: ita etiam mihi videntur fœminæ quæ aurum gestant. & in crispandis crinibus C exercentur, & in genis vngendis, oculisque pingendis, & pilis tingendis versantur, & aliam mollitiem arte improba persequuntur, carnalem ambitum ornantes, & verè Ægyptios imitantes, infœlices amatores attrahere, &c. ter, non semel, dignæ sunt quæ pereant, quæ crocodilorum excrementis vtuntur, & spuma lacertorum vnguntur, & supercilia fuligine illinunt, & cerussa genas terunt. *Aug. ep. 77. ad Possidium.* Fucari pigmentis, quo vel rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia est, qua non dubito etiam ipsos maritos nolle decipi, quibus solis permittendæ sunt fœminæ ornari secundum S. Aug.

veniam, non secundum imperium. Nam verus ornatus, maximè Christianorum, & Christianarũ, non tantùm nullus fucus mendax, verùm ne auri quidem vestisque pompa, sed mores boni sunt. OCVLORVM EXORDIA, *id est fines & ambitus oculorum, quæ sunt cilia & supercilia, quæ paulò productiora & longiora protendunt hoc fuco. Cypr. & arti dæmonum id tribuit libro de disciplina & habitu virginum.* Quæ omnia peccatores & apostatæ Angeli suis artibus prodiderunt, quando ad terrena contagia deuoluti, à cœlesti vigore recesserunt; illi & oculos circumducto nigro- A re fucare, & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem, & expugnare omnem oris & capitis veritatem corruptelæ suæ impugnatione docuerunt. ADAMATORES. *mulierum scilicet.* MERCEDES, *quasi compensatio data fuerit concubitus.* MATERIIS SPLENDORIS, *splendidis.* INGENIIS, *artificiis.* ANNE SORDIDI. *An fortè timebant ne auari amatores censerentur, si nihil dotis huiusmodi suis coniugibus contulissent. De hoc errore fusiùs in Alphabeto errorum.*

ORNAMENTA VANA DEPONENDA SVNT.

1. *Virum ornari non decet. 2. de cultu fœm. cap. 8. in princ. ad med.*

VIdelicet nunc & vir, & sexu æmulus fœminas à suis depello. An & nobis quædam, respectu obeundæ gratuitatis, propter metum debitum Domino detrahuntur? Siquidem & viris propter feminas, vt feminis propter viros vitio naturæ ingenita est placendi voluntas; propriasque præstigias formæ, & hic sexus sibi agnoscit, barbam acriùs cædere, interuellere, circumradere capillum, disponere, & decolorare caniciem, primamquamque subducere totius corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri distringere, cætera pulueris cuiusdam aspritudine leuigare, tum speculum omni occasione consulere, anxiè inspicere.

ORNAMENTA VANA VIRIS DEPONENDA, VT INDIGNA. 1. SCHOL.

VIDELICET NVNC. *Sed fortè dicens mulieres me virum & vxoratum hæc per æmulationem contra fœmineum sexum disputare, quem velim à proprio suo mundo muliebri, quasi à legitimis finibus & possessione pellere:* AN ET NOBIS, &c. *Sed quid? quasi vero, inquit (inducens fœminas sic loquentes) detrahi & tolli debeat, (propter timorem & reuerentiam quam Apostolus à nobis exigit erga viros tanquam dominos) aliquid debitum complacentiæ, in decore, quem idem Apostolus concessit nobis inuicem, ornatus etiam sollicitè, quomodo placeat vir vxori & vxor viro? quod Author noster intelligit, dicens:* respectu obeundæ gratuitatis, *id est gratos non inuicem & placentes per cultum corporis exhibendo. Quod & Tertullianus de viris dicere potuit: vt scilicet detrahant aliquid nimio timori mulierum erga se, propter gratuitatem & complacentiam erga vxorem obeundam. Alij legunt:* obediendæ grauitatis: *id est timendæ & honorandæ virilis & herilis grauitatis. Sed minùs concinnè.* INGENITA PLACENDI VOLVNTAS.
S. Aug. *Aug. ep. 73.* Nolo de ornamentis auri vel vestis præproperam habeas in prohibendo sententiam: nisi in eos qui neque coniugati, neque coniugari cupientes, cogitare debeant quomodo placeant Deo. Illi autem cogitant quæ sunt mundi, quomodo placeant vel viri vxoribus, vel mulieres maritis. VITIO NATVRÆ. *Non quod vitiosa condita sit, sed per vitium corrupta, quod quidem primus vir admisit ex nimia erga vxorem complacentia. Sic Aug. lib. de Gen. ad lit. cap. 13.*
S. Aug. Salomon vir tantæ sapientiæ, numquid nam credendum est quòd in simulachrorum cultu credidit esse aliquid vtilitatis? sed mulierum amori, ad hoc malum trahenti resistere non valuit, faciens quod sciebat non esse faciendum, ne suas, quibus deperibat, atque diffluebat, mortiferas delicias contristaret. Ita & Adam, posteaquàm de ligno prohibito seducta mulier manducauit, eiq; dedit vt simul ederent, noluit eam cõtristare quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab eius alienaretur animo, & omninò illa interire discordia. Non quidem carnis victus concupiscentia quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suæ, sed amicali quadam beneuolentia, qua plerumque fit vt offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus, B quod eum facere non debuisse diuinæ sententiæ iustus exitus indicauit. PROPRIAS PRÆSTIGIAS, *fucos & lenocinia quibus amor fœminæ incitatur.* ACRIVS CÆDERE, *pressiùs radere.* CIRCVMDARE, *in rotam agere, crispare in circulos.* DECOLORARE, *id est albam comam denigrare.* PIGMENTO, *fuco mulierum proprio.* ASPRITVDINE, *asperitudine & mordacitate polire.* SPECVLVM ANXIE, *nimis sollicitè, se ad speculum componere. Clem. Alex. lib. 3. Pædag. cap. 2.* Quo nihil dici aut fingi potest absurdius, fictæ istius suæ formæ, perinde ac si res ab eis benè gesta, vel correcta sit, specula excogitarunt, cùm huic fraudi esset potiùs admouendum operculum. Neque verò vt est in C Græcorum fabulis, formoso Narcisso rectè successit, quòd suæ fuerit contemplator imaginis. Quòd si Moyses præcipit hominibus, nullam facere imaginem quæ Deum arte repræsentet, quomodo hæc rectè fecerint mulieres, *quantò minùs viri, cùm vir gloria Dei sit, & eius imago,* quæ fallaci personæ fictione, suas per reuerberationem *in speculo,* imitantur imagines. *Idem Clemens Alexandrinus libro tertio Pædag. cap. 11.* Virorum sit rasum caput, nisi fortè pilos habeat crispos: mentum autem hirsutum. Intorti autem capilli, ne à capite nimiùm demittantur in comam muliebrem dilabentes: viris enim barba sufficit, quòd si quis etiam barbæ nonnihil tondeat, ea tamen non est omD ninò denudanda: Est enim turpe spectaculum: barbâque ad cutem vsque tonsus, non videtur multùm abesse à vulsione & læuore; iam enim Psalmographus barbæ coma delectatur; sicut vnguentum, inquit Psalmo centesimo trigesimo secundo, quod descendit in barbam, barbam Aaron, is cum barbæ conduplicatione decorem laudasset, vultum exhilarauit vnguento Domini. Quoniam autem non decoris gratia tonsus, sed propter circumstantiam accipitur, pili quidem capitis, ne si crescant descendentes visum impediant, & fortè qui in superiore parte labri inter comedendum polluuntur, sunt tondendi, non nouacula, est enim illiberale, sed tonsorum forcipibus. Barbæ autem pili qui nihil molestiæ afferunt, non sunt vexandi, vt qui vul-

tui grauitatem afferant, & Paternum quendam terrorem incutiant. *Et hic quidem nota Clementem agere de Græcis, iisque sæcularibus viris & mulieribus.* A *Nam de Clericis & Monachis vt in Oriente comati & barbati, sic in Occidente rasi fuerunt.*

2. Ornamenta vana mulieres deponere debent, cùm multi etiam mulieribus & cibis abstineant voto castitatis & abstinentiæ. 2. De Cultu fœm. cap 9. à m. ad f.

NOn enim vtemur nostris? Quis autem prohibet vti? secundùm Apostolum tamen, qui nos vti monet mundo isto, quasi non abutamur. [a] *Præterit enim habitus mundi huius. Et qui emunt, sic agant quasi non possidentes.* Cur ita? quoniam præmiserat dicens: *Tempus in collecto est.* Si ergo vxores quoque ipsas sic habendas demonstrat tanquam non habeantur, propter angustias temporum, quid sentiat de vanis instrumentis earum? Non enim & multi ita faciunt, & se spadonatui obsignant, propter regnum Dei tam fortem & vtique permissam voluptatem sponte ponentes? Numquid non aliqui ipsam Dei creaturam sibi interdicunt, abstinentes vino, & animalibus esculentis, quorum fructus nulli periculo aut sollicitudini adjacent, sed humilitatem animæ suæ in victus quoque castigatione Deo immolant? Satis igitur & vos vsæ estis diuitiis atque deliciis, satis dotum vestrarum fructus decidistis ante notitiam salutarium disciplinarum. [b] *Nos sumus in quos decurrerunt fines seculorum.* Nos destinati à Deo ante mundum in extimatione temporali. Itaque castigando & castrando (vt ita dixerim) seculo erudimur à Domino. [c] *Nos sumus circuncisio* omnium, spiritalis & carnalis. nam & in spiritu & in carne seculo circuncidimur.

a 1. Cor. 7. 31.
Matth. 19. 12.
b 1. Cor. 10. 11.
c Philipp. 3. 3.

ORNAMENTA MVLIERIBVS DEPONENDA 2. SCHOL.

NOn enim, &c. *sic inducit mulieres loquentes non ergo licebit nobis vti mundo nostro muliebri?* Qvis avtem. *Respondet Tertull. per me non stat modo juxta Paulum non abutamur.* 1. *Cor.* 7. Qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur, præterit enim figura huius mundi. *Syr. autem:* præter æquum vsum non vtantur: præterit enim species mundi huius. Tempvs. *Ibidem versu* 29. Tempus breue est: reliquum est, vt & qui habent vxores, tanquam non habentes sint, &c. Spadonatvi obsignant, *virginitati, vel continentiæ se obligant. Sic lib. 1. ad vxorem* qui statim à lauacro, *baptismo* carnem suam obsignant. *Sic sponsa Virgo Cant.* 4. Hortus conclusus, fons signatus. *Et apud Ezech.* Porta clausa principi. *Aug. de sancta virginitate cap. 23. cum dixisset ex Matth. 19. de spadonibus qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum:* quid veracius, quid lucidius dici potuit? Christus dicit, veritas dicit, virtus & sapientia Dei dicit, eos qui pio proposito ab vxore ducenda se continuerint, castrare seipsos propter regnum cœlorum: & contra humana vanitas impia temeritate contendit, eos qui hoc faciunt, præsentem tantummodo necessitatem molestiarum coniugalium deuitare, in regno cœlorum amplius quidquam cæteris non habere. *Et capite 25. ex Esa. 56. 5. vbi & de iisdem spadonibus, quibus præ cæteris in domo Dei nomen & locus* S. Aug. *promittitur, subiicit:* nomen æternum dabo eis. Quid temporalem tantummodo vtilitatem promittis continentibus Sanctis? nomen æternum dabo eis. Quid ab omni concubitu immunes, & eo quoque ipso quo hinc se abstinent, ea quæ sunt Domini cogitantes, quomodo placeant Domino, ad terrenam commoditatem referre conaris? Nomen æternum dabo eis, &c. Et si forte hoc ipsum æternum pro diuturno conaris accipere, addo, accumulo, inculco, nec vnquam deerit. Quid quæris amplius? &c. Æternum hoc nomen, quidquid illud est, spadonibus Dei, quod vtique gloriam quandam propriam excellentemque significat, non erit commune cum multis, quamuis in eodem regno, & in eadem domo constitutis. Nam ideo fortassis & nomen dictum est, quod eos quibus datur distinguit à cæteris. *Distinguentur & ornatu; quæ enim colores spreuerint & vestes pictas & varias exuerint,* stabunt à dextris cum Regina in vestitu deaurato circumdata varietate. Fortem volvptatem ponentes, *deponentes, præ* B *cæteris imperantem carnis voluptatem. Aug. ser. de castitate coniugali, tribuit magnum libidini dominatum.* Dei Creatvram. *Cibum creatum à Deo; iuxta Paulum enim;* omnis creatura Dei bona est quæ cum gratiarum actione suscipitur. Escvlentis, *escatilibus, ad escam idoneis. Alij legunt,* exsolentes *id est vsum solitum abdicantes. Alij* exulantes. *Sicut libro de pœnit. dixit* exules à libertate. *Et de Resur.* Exules carnis. Qvorvm frvctvs. *Vsus, in plurali.* Adiacent, *subiacent.* Hvmilitatem. *Vilem æstimationem vitæ suæ. Psaltes,* humiliabam in ieiunio animam meam. Satis dotvm. *Satis percepistis fructus vestrarum diuitiarum, & plusquam satis impendistis & profudistis in vanis ornamentis in Paganismo, ante susceptam fidem.* Decidistis *alij* cecidistis *quod idem est, decerpsistis.* C Nos svmvs. 1. *Cor.* 10. 11. Scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum deuenerunt. *Syr. autem* propter eruditionem nostram, ad quos finis sæculorum deuenit. *Aug. to. 4. lib. 83. qq. q. 58. post relatum hunc ipsum locum iuxta Græc. & Syr. translationem:* finis autem sæculorum, tanquam senectus veteris hominis, cum totum genus humanum tanquam vnum hominem constituerit, sexta ætate signatur, qua Dominus venit. Sunt enim ætates sex etiam in vno homine: infantia, pueritia, iuuentus, grauitas, *virilis ætas* & senectus. Prima itaque humani generis ætas est ab Adam vsque ad Noë. Secunda à Noë vsque ad Abraham, &c. Tertia ab Abraham vsque ad Dauid: sic enim Matthæus Euangelista partitur. Quarta à Dauid vsque ad transmigrationem in Babyloniã. Quinta à transmigratione D in Babyl. vsque ad Aduentum Domini. Sexta ab Aduentu Domini vsque ad finem sæculi speranda est, qua exterior homo tanquam senectute corrumpitur, qui etiam vetus dicitur, & interior renouatur de die in diem. Inde requies sempiterna est, quæ significatur Sabbatho. Huic rei congruit, quod homo sexto die factus est ad imaginem & similitudinem Dei. *Tertull: ergo tempus breue & collectum, & continentiæ & modestiæ Christianæ totum vult impendi, vt spoliato veteri homine lubrico & versipelli, mutuata serpentis imagine exuta, nouum induti hominem, nos ad agni nuptias veste nuptiali induendi disponamus.* Ante mvndvm. *Alludit ad 2. Tim. 1. 9.* Qui nos liberauit, & vocauit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundùm propositum suum & gratiam,

S. Aug.

quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora sæcularia. *Et ad Tit.* 1. 2. In spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur, Deus, ante tempora sæcularia. IN ÆSTIMATIONE TEMPORALI, *vt extimo suæ extremo tempore nasceremur & renasceremur in Christo. Alij minus rectè*, in æstimationem temporum; *nisi velint hic damnari otium, & magni fieri tempus, quod non ornatui corporis, sed animæ excolendæ, vt Deo placeat, impendi debet; vt agebat Dauid:* Anima mea in manibus meis semper. *Et quieti æternæ, & Sabbato loci sancti, deputans eum, qui* innocens manibus & mundo corde, non accepit in vanum animam suam. *Et quid tam vanum quàm pompa vestium? de qua si vnquam, hodie dicendum:* veruntamen vniuersa vanitas omnis homo viuens. NOS SVMVS CIRCVMCISIO *Philipp.* 3. 3. Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu seruimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu, & non in carne fiduciam habentes. *Aug. ser.* 15. *de verbis Apostoli hunc locum fusè tractat:* Cum ipsa caro ad bona opera spiritui subditur, spiritui
S. Aug. seruimus Deo, quia carnem domamus vt spiritus

A obtemperet Deo. Spiritus enim regit, caro regitur; nec spiritus benè regit, nisi regatur, &c. Cur autem non dixerit, nos habemus circumcisionem, sed nos sumus circumcisio? sic accipite, hoc voluisse Apostolum dicere, nos sumus iustitia, circumcisio enim iustitia est, &c. Ita tamen vt cum iustitiam dicit, esse iustos intelligamus, &c. Eodem dicente Apostolo vt nos, inquit, simus iustitia Dei in ipso. Nos simus iustitia, non nostra, sed Dei, ab illo accepta, non à nobis assumpta; impartita, non vsurpata; donata, non rapta. Cuidam enim rapina erat esse æqualis Dei; & quoniam quæsiuit rapinam, inuenit ruinam, &c. *Subijcit circumcisionem octauo die, significasse Resurrectionem Christi eodem die. Vnde colligo in rem Tertul-*
B *liani; vt Christus moriens & vestibus & propria carne expoliatus, resurgens de morte, diabolo, mundo, & pompis eius triumphauit*, Dominus regnauit, decorem indutus est, &c. Amictus lumine sicut vestimento: *sic & nos octauo die, post circumcisionem carnis & spiritus à superfluis omnibus, suscitandos, & à nostro Ioseph, cum fratres eius, stola bina gloriæ, carnis & spiritus, induendos.*

3. *Ornamenta capitis, pedum, & vestium, Propheta arguit: & licet Deus produxerit eorum materiam, vt nos probaret id fecit: vt licitis abstineamus ad meritum, illicita caueamus ob periculum.* 2. *De Cultu fœm. cap.* 10. *à m. ad f.*

Esa. 3. 16. & seq. NVnc Deus ista prospexerit, Deus permiserit, nullam de conchylio vestem Esaias increpet, nullas lunulas reprobet, nullum botronatum retundat: tamen non vt Gentiles, ita nos quoque nobis adulemur, institutorem solummodo Deum existimantes, non etiam despectorem institutorum suorum. Quantò enim vtilius & cautius egerimus, si præsumamus omnia quidem à Deo prouisa tunc, & in seculo posita, vti nunc esset in quibus disciplina seruorum eius probaretur: vt per licentiam vtendi, continentiæ experimenta procederent? Nonne sapientes patresfamiliæ de industria quædam seruis suis offerunt atque permittunt, vt experiantur an & qualiter permissis vtantur, si probè, si moderatè? Quantò autem laudabilior qui abstinuerit in totum, qui timuerit etiam indulgentiam Domini? Sic igitur & Apostolus: [a] *Omnia, inquit, licent, sed non omnia expediunt.* Quantò facilius illicita timebit, qui licita verebitur?

1. Cor. 6. 12.
a 1. Cor. 10. 23.

ORNAMENTA CAPITIS, &c. 3. SCHOL.

NVNC DEVS. *Esto; Deus hæc ornamenta prouiderit; non arguerit Esaias: ne tamen putemus nos, non aliter quàm Gentiles, sentire debere de Deo. Nec enim eum tantum rerum omnium Creatorem censere debemus, sed etiam iudicem & vindicem erga eos qui creaturis eius abutuntur.* DE CONCHYLIO, *de tincta veste in purpura & sanguine conchæ. Esa.* 3. 16. *& seq.* Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant: Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas; & torques & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas *iartieres Gallicè* & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, *Hebr. & crumenas* & specula, & scindones, *crespes* & vittas & theristra. *Vestes tenues æstiuas mulierum Palestinæ* & erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium. 70. *verò:* Et in incessu pedum simul trahentes tunicas, & pedibus simul ludentes; & humiliabit Deus principales filias Sion, & Dominus denudabit habitum earum in die illa: & auferet Dominus gloriam vestimenti earum, & reticulos, & cincinnos, & lunulas, & monile demissum, & ornatum faciei earum, & compositionem ornatus gloriæ, & brachialia, & armillas, & reti-

C culum, & annulos, & dextralia, & inaures, & prætextas purpureas, & purpuras eleuatas, & indumenta quæ per domum, & perspicua laconica, *specula* & byssina, & hyacinthina, & coccinea, & byssum cum auro & hyacintho contexta, & theristra, & cubitoria. Et erit pro odore suaui, puluis; & pro zona, funiculo cingeris: & pro ornamento capitis aureo, caluitium habebis, propter opera tua: & pro tunica clauatæ purpuræ *clauis aureis insignita* circumcingeris sacco. NVLLVM BOTRONATVM RETVNDAT. *Suggestum capitis, & struem capillorum instar botri compactam, sæpius eodem capite percutiat & reprimat; sub nomine compositionis ornatus gloriæ, crispantis crinis, ornamenti capitis aurei, mitræ. Cypr. de disciplina & habitu virg. Præfatum locum Esa. referens, inter cætera:*
D Auferet Dominus gloriam vestis illarum, & ornamenta earum & crines & cincinnos & lunulas, & discriminalia, & armillas, & botronatum. TVNC, *ab initio mundi.* VTI, *vt.* ESSET, *aliquid scilicet,* DISCIPLINA, *mores compositi, & modesti.* TIMVERIT INDVLGENTIAM *ne fortè abutatur, & abusus, experientia probatus, foras mittatur. Accipe Augustinum pulchrè quadrantem initio, medio & fini huius loci Tertulliani; qui vult nos sapere supra Gentiles, & iudicem Deum sentire, seruorum abutentium indulgentia Domini: sic ergo ser.* 247. *de temp.* Qui per infidelitatem manifestè à Deo S. Aug. recedit ad has nuptias non accedit, &c. tunc iste adulterator habitus, iussu patrisfamilias, & manifestè excludetur, & in carcerem retrudetur, &c. *& concludit:* Estote tales, quales Deus vos artifex fecit:

S. Aug. estote tales quales, vos manus Patris instituit. Maneat in vobis facies incorrupta, ceruix pura, forma sincera, à calciamentis superfluis pedes liberi, crines nullo colore fucati, oculi conspiciendo Deo digni. OMNIA LICENT. 1. *Cor.6.12.* Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. *Et 1. Cor.10. 23.* omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. *Sicut hæc* A *ornamenta scandalosa, quæ inducunt ad peccatum. Aug. lib. 1. ad Pollentium cap. 14. sic tractat hunc locum.* Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius, &c. ita ostendit ea quæ licita sunt, id est nullo præcepto Domini prohibentur, sicut expedit, potius esse tractanda, non præscripto legis, sed consilio charitatis. S. Aug.

4. *Ornatus oris & vestis, Christianæ humilitati repugnat. 1. De Cultu fœm. cap. 4. per totum.*

NVlla nunc muliebri pompa nota inusta sit prædamnationis de exitu, auctorum. nihil angelis illis imputetur propter repudium cœli, & matrimonium carnis: rerum ipsarum qualitates examinemus, consilia quoque concupiscentiæ earum deprehendamus. Habitus feminæ duplicem speciem circumfert, cultum & ornatum. Cultum dicimus, quem [a] *mundum muliebrem* vocant: Ornatum, quem immundum muliebrem conuenit dici. Ille in auro, & argento, & gemmis, & vestibus deputatur: Iste in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri prostitutionis: vt iam hinc prospicias, Dei ancilla, quid ex his disciplinæ tuæ conueniat, quæ de diuersis institutis censearis, scilicet humilitatis & castitatis.

a Esther. 2. 3.

ORNATVS ORIS. 4. SCHOL.

PRÆDAMNATIONIS, &c. *Esto, nulla sit ignominia nota & character probrosus impressus fronti mulierum pompaticarum, quod vtantur ornamentis à diabolis inuentis, ob concupiscentiam fœminarum paradiso excussis.* DE EXITV, *exitio. Vel quod huiusmodi artes exierint & prodierint ex ingenio diaboli.* REPVDIVM CŒLI. *arguté dictum: cœli voluptati, quasi sponsæ repudium dederunt præuaricatores Angeli, vt carneis mulieribus corruptibili matrimonio jungerentur. Sic nuptiis agni renunciauerunt, vt iam inde suibus jungerentur, qui in porcos postea mitti à Christo peterent.* CONSILIA CONCVPISCENTIÆ. *Rationes & motiua, quibus concupiscentia fœminea impellitur ad ornatum.* DVPLICEM SPECIEM. *Distinguit habitum fœminæ, seu vestis muliebris apparatum, in cultum & ornatum. Cultum autem in materiis natura mundissimis ponit, quem mundum muliebrem dicit, iuxta Esther. 2. 9.* Præcepit Eunucho vt accelleraret mundum muliebrem. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Accelerari iussit purificatoria eius. 70. Et festinauit dare ei vnguentum. *Et supra versu 3. vulgata:* Accipiant mundum muliebrem. *Vt & versu 12. vbi pariter Hebr. Et 70. sicut supra ponunt. Tertull. cultum collocat in auro, argento, gemmis, vestibus, ornatum autem in rebus immundis ponit qualia sunt, cura capilli, cutis, &c. Et cultum quidem ambitione notat, ornatum prostitutione.* DE DIVERSIS CENSEARIS, *cùm mulier sis Christiana, & in albo famularum Dei, non ancillarum diaboli, & professionem facias humilitatis & castitatis, nil tibi cum ambitione sæculi, nil cum prostitutione carnis. Aug. tract. 38. in Io. 8.* Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo: omnes de mundo post mundum, quia prius mundus, & sic homo de mundo; priùs autem Christus, deinde mundus. Quomodo ante mundum Christus? ante Christum nihil; quia in principio erat Verbum, &c. Nemo ergo dicat de hoc mundo non sum: quisquis es homo, de hoc mundo es: sed venit ad te qui fecit B mundum, & liberauit te de hoc mundo: si delectat te mundus, semper vis esse immundus: si autem iam non te delectat hic mundus, iam tu es mundus: verumtamen si per aliquam infirmitatem adhuc te delectat mundus, habitet in te qui mundat, & eris mundus: si autem fueris mundus, non manebis in mundo. *Procul ergo sit mundus ille muliebris immundus, in quo tria illa à Ioanne notata mala, in vnum mundum muliebrem congesta sunt:* quidquid enim est in mundo, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. *De cura capilli quam hic pungit Tertullianus Clem. Alex. 3. Pædag. cap. 11.* Meretricij pilorum plexus, & cathenarum nexus, cùm eas deformes reddunt, tum etiam C pilos decerpunt, &c. quo fit vt ne sua quidem tangant capita, ne capillos confundant, pertimescentes, &c. Externas comas capiti adhibere est maximè impium, quæ mortuis pilis cranium induunt. Cui enim manum imponit Presbyter? Cui autem benedicet? non mulieri quæ est ornata, sed alienis capillis; & per ipsos alij capiti. Si autem mulieris quidem caput est vir, viri autem caput est Christus, quomodo non est impium eas in duplex peccatum incidere? nam per exuperantem comam viros decipiunt: Dominum autem quantum in ipsis situm est, dedecore afficiunt, dùm meretriciè ornantur in fraudem veritatis, & caput quod verè pulchrum est, maledictis incessunt. Non sunt ergo pili tingendi, D nec cani colorandi. Neque enim vestem variare concessum est: & maximè ætatis senium, & id cui magna fides habetur, non est tegendum: Dei autem decus in lucem est proferendum, ad hoc vt id honorent adolescentes: cum enim impudenter se gerentibus apparuerit aliquando Pædagogi instar canicies, eos traduxit ad modestiam, & visus fulgore, iuuenilem terret & reprimit cupiditatem.

5. *Et 1. de Cultu fœm. cap. 9. in m.*

ERgo benedictæ, primò quidem, vt lenones & prostitutores vestitus & cultus ne in vos admiseritis, tum si quas diuitiarum vel natalium, vel retro dignitatum ratio compellit, ita pompaticas progredi, vt sapientiam non videantur consecutæ, temperare malum huiusmodi curate, ne totis habenis licentiam vsurpetis prætextu necessitatis. Quomodo enim humilitatem quam nostri profitentur, implere poteritis? non perpastinantes diuitiarum vestrarum vel elegantiarum vsum, quæ ad gloriam faciunt. Gloria autem exaltare, non humiliare consueuit.

ORNAMENTA DEPONENDA. 5. SCHOL.

LENONES. *Lenocinia vestium, ad lasciuiam homines impellentium.* SI QVAS, &c *Si aliquas vestrum ad pompam vestiũ mouet consideratio dignitatis virorum vestrorũ, vel originis illustris, &c. saltem post baptismum, quo doctrinam & sapientiam cœlestem, hoc est Christianam professæ estis, quantum fieri poterit, excessum ornatus cõhibete.* PRÆTEXTV. *Alij in neutro ponunt* prætexto: NECESSITATIS, *placendi marito, vel tuendæ dignitatis.* NOSTRIS *alij*, Christianis. PERPASTINANTES *alij* repastinantes *vox vsitata Tertull. 2. cont. Marc. cap. 18.* Commissio iniuriæ, metu viris, statim recursuræ, repastinaretur. *Et lib. de Pœnit. arguit* vngues repastinatos. *Vox sumpta ab agricolis qui aut vitem refodiunt, aut terram futuro nouali, inutilibus euulsis, præparant. Sic dicit fœminas, Christianam humilitatem professuras, si pompam & luxum vestium in baptismo sepultum, non renouent.* GLORIA, *vana scilicet; alij legunt simpliciter,* gloria autem reconsueuit, *id est, fastus hic vestium etiam abdicatus, reuiuiscit, & obsoletus facilè in vsum inueteratum redit. Aug. de humilitate Christiana, cui maximè gloria vestium aduersatur, pulchrè disserit, agens de viduis curiosis in veste & ornatu, libro de Sancta virginitate cap. 34.* Hæ quæ nubere volunt,
S. Aug. & ideo nonnubunt, quia impunè non possunt, *ob pœnam dedecoris* quæ melius nuberent quam vrerentur, id est quam occultâ flammâ concupiscentiæ, in ipsa concupiscentia vastarentur, quas pœnitet professionis, & piget confessionis, nisi correctum cor dirigant, & Dei timore rursus libidinem A vincant, in mortuis deputandæ sunt; siue in delitiis agant; vnde dicit Apostolus, 1. Tim. 5. 6. quæ autem in delitiis agit viuens mortua est; siue in laboribus atque ieiuniis, nulla cordis correctione superfluis, & magis ostentationi quam emendationi seruientibus. Non ego talibus magnam curam humilitatis ingero, in quibus superbia ipsa confunditur, & conscientiæ vulnere cruentatur, &c. nec de his ago, in quibus est quidam placendi appetitus, aut de elegantiore vestitu, quàm tantæ professionis *castimonia Christianæ* necessitas postulat; aut capitis ligamento notabili, siue pro tumidis vmbonibus capillorum, *Tertull. dixit supra botronatum* siue tegminibus ita teneris vtuntur, vt retiola subtus posita appareant. His nondum de humilitate, sed de B ipsa castitate, vel integritate pudicitiæ, danda præcepta sunt. *Atque vt pateat hic egisse contra matronas Christianas in vestitu pomposo gloriantes, immediatè subiicit de virginibus, aut continentiam professis, non in veste quidem, sed in castitatis habitu & virtute gloriantes;* da mihi profitentem perpetuam continentiam, atque his & eiusmodi carentem omnibus & maculis, S. Aug. & vitiis morum, huic superbiam timeo, huic tam magno bono ex elationis tumore formido. Quo magis inest vnde sibi placeat *non vt nupta exterius habet mundanas vestes quibus placeat viro* eo magis vereor, ne sibi placendo illi displiceat qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, Iacobi. 4. 6.

6. Ornatus non distinguit à meretrice mulierem castam, quæ virtutis cultu debet esse contenta. 2. De Cultu fœm. cap. 11. in f. & 12. per totum.

a Rom. 2. 24. SEd enim à quibusdam dicitur: a *ne blasphemetur nomen in nobis*, si quid de pristino habitu & cultu detrahamus. Non auferamus ergo vitia pristina, simus & moribus iisdem, si & superficie eadem: & tunc verè non blasphemabunt Nationes. Grandis blasphemia est, ex qua dicatur, Ex quo facta est Christiana, pauperius incedit. Timebis pauperior videri, ex quo locupletior facta es? & sordidior, ex quo mundior? secundum Gentilium, an se-
Cap. XII. cundùm Dei placitum incedere Christianos oportet? Optemus tantummodo, ne iustæ blasphemationis causa simus. Quantò autem magis blasphemabile est, si quæ Sacerdotes pudicitiæ dicimini, impudicarum ritu procedatis cultæ, & expictæ? Aut quid minus habent infelicissimæ illæ publicarum libidinum victimæ? quas si quæ leges à maritalibus & matronalibus decoramentis coërcebant, jam certè seculi improbitas quotidie insurgens honestissimis quibusque feminis, vsque ad errorem dinoscendi, coæquauit. Quanquam lenocinia formæ nunquam non prostituto corpori coniuncta & debita, etiam scripturæ
Apoc. 17. 4. suggerunt. Illa ciuitas valida, quæ super montes septem & plurimas aquas præsidet, prostitutæ appellationem à Domino meruit. Sed quali habitu appellationi suæ comparata est? Sedet certè in purpura & coccino, & auro, & lapide pretioso. Quàm maledicta sunt, sine quibus non potuit maledicta & prostituta describi! Thamar illa, quia se expinxerat
Gen. 38. 14. & ornauerat, idcirco Iudæ suspicione visa est quæstui sedere; adeoque sub velamento latebat, habitus qualitate quæstuariam mentiente, vt quæstuariam & voluerit, & compellauerit, & pactus sit. Vnde addiscimus aduersus congressus & suspiciones impudicas prouidendum omni modo esse. Quid enim castæ mentis integritas alterius suspicione maculatur? quid speratur in me quod auersor? quid non mores meos habitus pronunciat, ne spiritus per aures ab impudentia vulneretur? Liceat videri pudicam, certè impudicam si licet.

ORNAMENTA DEPONENDA. 6. SCHOL.

NE BLASPHEMETVR. *Sic inducit loquentes mulieres abutentes loco Pauli Rom. 2. 24.* Nomen Dei per vos *Syr. propter vos* blasphematur inter gentes, sicut scriptum est. *Scilicet Esa. 52. 5. & Ezech. 36. 20. sic ergo dicunt: ideo ornamur, ne à consuetudine aliarum siue Gentilium, siue conuersarum abeuntes, scandalo illis simus, quæ ideo nomen Dei blasphemabunt.* NON AVFE- C RAMVS. *Respondet: si ita est viuamus sicut prius, vt Ethnicæ, non solum in habitus superficie, sed & in moribus idololatricæ.* LOCVPLETIOR, *verâ substantiâ fidei & gratiæ.* MVNDIOR, *lauacro baptismi ab omnibus sordibus purgata.* IVSTÆ BLASPHEMATIONIS *in scandalo dato. Vt enim datum grande crimen est, sic sine causa acceptum à proximo, illi imputatum, nobis nullum est.*

SACERDOTES.

SACERDOTES. *Castimoniæ consecratæ per professionem Christianam.* VICTIMÆ, *coronatæ & ornatæ, sic notæ ex ornatu meretrices & prostitutæ.* Prou. 7. 10. Ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio præparata ad capiendas animas, garrula & vaga. 70. *verò*: Speciem habens meretriciam quæ facit iuuenum volare corda: vaga autem est, & luxuriosa. *Subiicit versu* 22. Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorans quod ad vincula stultus trahatur. LEGES COERCEBANT. *Suetonius in Tiberio cap.* 35. Fœminæ famosæ, vt ad euitandas legum pœnas iure ac dignitate matronali exsoluerentur, lenocinium profiteri cœperant: quas, ne quod refugium in tali fraude cuiquam esset, exilio affecit. MATRONALIBVS, *qualis erat habitus stola. Vnde Tertull. lib. de Pallio.* matronæ sine stola, in publico. *id est pro publicâ habenda. Et Clem. Alex. lib.* 2. *Pædag. cap.* 10. Laudo ego & admiror veterem Lacedæmoniorum ciuitatem, quæ solis meretricibus floridas vestes & aurum mundum gestare permisit, à probis mulieribus, mundi studium auferens, quòd solis meretricibus se ornare concederet. ERRORIBM DINOSCENDI. *vt iam dignosci & discerni non possint matronæ castæ à meretricibus, eo quòd æqualiter sint vestitæ.* LENOCINIA FORMÆ, *quæ formam venalem & prostitutam ostendunt, & ad amorem impudicum alliciunt.* COMPARATA EST; *parata & ornata, comparatur illa ciuitas Babylon meretrici, Apoc.* 17. 4. Mulier erat circumdata purpura & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis; habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione & immunditia fornicationis eius, & in fronte eius nomen scriptum mysterium: Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ: NON POTVIT, *quasi sint inseparabilia maledictū ornamentum, à maledictione prostitutionis.* THAMAR ILLA, *Gen.* 38. 14. Depositis viduitatis vestibus, assumpsit theristrum, *Heb. operuit se velamine, Chald. pallio,* & mutato habitu, 70. *& Chald. adornauit se,* sedit in biuio itineris quod ducit Thamnam, &c. 70. *verò*: Et sedit ad portas Ænan, quæ est in transitu Thamna, &c. *prosequitur vulgata*: Quam cùm vidisset Iudas, suspicatus est esse meretricem: operuerat enim vultum suum ne agnosceretur, &c. QVÆSTVI SEDERE. *Ad quæstum ex corpore prostituto faciendum.* VT QVÆSTVARIAM, *meretricem lucri gratia. Alij legunt.* Et fecit vt quæstuariam, *supple decet. Nos verò: ita vt tanquam quæstuariam tractauerit.* ADVERSVS CONGRESSVS, *ne similiter vos aggrediantur homines impudici, cum vobis, ex habitu meretricio prouocati, quasi cum meretricibus congressuri, ex quo vos suspicantur impudicas.* MACVLATVR, *ex scandalo dato vestra conscientia oneratur, & in hominum iudicio, vt impudicæ notamini, quamquam sitis castæ animo.* SPERATVR. *Si horret impudicitiam, quid do occasionem lubrico quâ speret voluptate sua mecum frui?* PER AVRES, *Sic enim do licentiam impudentiæ hominum impudicè loquendi mihi, quo sermone pudicus animus vulneratur.* LICEAT VIDERI, &c. *Audacter toto habitu & gestu profitemini pudicitiam. quam in vobis totam primo inspectu videre liceat.* SI LICET, *Si impudicæ mulieri profiteri licet in habitu impudicitiam, liceat pudicæ modesto cultu videri pudicam. Alij legunt*: certè impudicam non licet: *Aug. lib.* 4. *de doct. Christiana cap.* 21. *vbi fusè citat Ambrosium & Cyprianum; & inter cætera sic*: Vt impudica circa homines & incesta, *sicut Thamar,* fucis lenocinantibus non sis, *id est licèt non sis talis apud homines,* corruptis violatisque quæ Dei sunt, peior adultera detineris: quod ornari te putas, quod putas comi, impugnatio est ista diuini operis, præuaricatio est veritatis, &c. Num sinceritas perseuerat & veritas, *dixerat ex Paulo de azymis sinceritatis & veritatis*: quãdo quæ sincera sunt, & colorum adulterinis medicaminum fucis, in mendacium vera mutantur? Dominus tuus dicit, non potes facere capillum vnum album aut nigrum: & tu ad vincendam Domini tui vocem, vis te esse potiorem audaci conatu, & sacrilego contemptu? crines tuos inficis, malo præsagio futurorum capillos iam tibi flammeos auspicaris. *Hæc Augustinus ex libr. Cypr. de habitu & disciplina virg. tum subiicit ex Ambr. lib.* 1. *de virginibus.* Hinc illa nascuntur incentiua vitiorum, vt quæsitis coloribus ora depingunt, dum viris displicere formidant, & de adulterio vultus, meditantur adulterium castitatis. Quanta amentia hîc effigiem mutare naturæ, picturam quærere? & dum verentur maritale iudicium, perdiderunt suum. Prior enim de se pronuntiat quæ cupit mutare quod nata est. Ita dum aliis studet placere, priùs ipsa sibi displicet. Quem iudicem mulier veriorem requirimus deformitatis tuæ, quam teipsam, quæ videri times? Si pulchra es, cur absconderis? si deformis, cur te formosam esse mentiris: nec tuæ conscientiæ, nec alieni gratiam erroris habitura? Ille enim alteram diligit, tu alteri vis placere: & irascaris si amet alteram, qui adulterare in te docetur. Mala magistra es iniuriæ tuæ. Lenocinari enim refugit, etiam quæ passa est lenonem. Ac licèt vilis mulier, non alteri tamen, sed sibi peccat. Tolerabiliora propemodum in adulterio crimina sunt: ibi enim pudicitia, hîc natura adulteratur. *Hactenus Augustinus ex Ambrosio. Tum sic proprijs conclusit verbis*: Satis vt existimo, apparet fœminas, ne suam fucis adulterent formam, & ad pudorem, & ad timorem, hac facundia vehementer impelli. Proinde neque submissum, neque temperatum, sed grande omninò genus hoc elocutionis agnoscimus.

ORNATVS QVALIS MVLIERI FIDELI PERMITTITVR.

1. *Ornatus mediocris & iustus, mulieri Christianæ permittitur.* 2. *de cultu fœm. cap.* 5. *in princ.*

HÆc vtique non in crudam in totum & ferinam habitudinem insinuanda vobis suggeruntur, nec de bono squaloris & pædoris suademus, sed de modo, & cardine, & iustitia corporis excolendi. Non supergrediendum vltra quàm simplices & sufficientes munditiæ concupiscunt, vltra quàm Deo placet.

ORNATVS QVALIS, &c. 1. SCHOL.

CRVDAM ET FERINAM. *Non hæc dixi vt omnimodum squalorem & syluestrem habitum velim suadere mulieribus.* DE BONO SQVALOREM, *quasi corpori Christiana bonum sit fordens habitus, & non potiùs pudicè incedere,* CARDINE ET IVSTITIA. *Tantùm exigo vt in cultu corporis iusti limites modestiæ seruentur. Pulchrè Possidonius in vita Augustini cap.* 22. *Moderatum Augustini habitum describit*: Vestis eius & calceamenta & lectualia ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abiecta pluri-

S. Aug.
S. Aug.
S. Aug.

mûm: quia his plerumque vel iactare se insolenter homines solent, vel abiicere, ex vtroque non quæ Iesu Christi, sed quæ sua sunt iidem quærentes: at iste Beatus, vt dixi, medium tenebat, neque in dextram, neque in sinistram declinans. S. Aug. NON SVPERGREDIENDVM. *Sic breuiter ipse Aug. tom. 4. lib. 83. qq. q. 31. definit modestiam.* Modestia, per quam pudor honestus claram & stabilem comparat authoritatem. *Et tom. 1. lib. de beata vita circa finem:* Modestia vtiq; dicta est à modo, & à temperie temperan- S. Aug. tia: vbi autem modus est atque temperies, nec plus est quicquam, nec minùs. Ipsa est igitur plenitudo quam egestati contrariam posueramus, multò meliùs quàm si abundantiam poneremus. In abundantia enim intelligitur affluentia, & quasi rei nimium exuberantis effusio. Quod cùm euenit vltrà quam satis est, etiam ibi desideratur modus, & res quæ nimia est, modo eget. Ergo nec ab ipsa redundantia egestas aliena est, à modo autem & plus & minùs aliena sunt, *scilicet egestas & redundantia.* Ipsam etiam opulentiam si discutias, inuenies eam nihil aliud tenere quàm modum. Nam non nisi ab ope dicta est opulentia. Quomodo autem opitulatur quod nimium est, cùm incommodiùs sit sæpè, quam parum? Quicquid igitur, vel parum, vel nimium est,

A quia modo eget, obnoxium est egestati. Modus ergo animi, sapientia est: *in qua Paulus exigit, sapere non plusquam oportet, sed sapere ad sobrietatem.* Etenim sapientia contraria stultitiæ non negatur, & stultitia egestas, *vnde Prouerb. 9. vbi Vulgata, insipientibus locuta est: venite, & comedite panem. Septuag. Qui est insipiens declinet ad me: & egentibus sensu dixit, &c.* Egestati autem contraria plenitudo. Sapientia igitur plenitudo. In plenitudine autem modus. Modus igitur animi in sapientia est. Vnde illud præclarum est, & non immeritò diffamatur, hoc primum in vita esse vtile, vt ne quid nimis. Dixeramus autem in exordio hodiernæ disputationis nostræ, quod si inueniremus nihil aliud esse miseriam quam egestatem, B cum beatum esse fateremur, qui non egeret. Est autem inuentum: ergo beatum esse, nihil est aliud, quàm non egere; hoc est, esse sapientem. *Ergo Augustinus ipse, & sapiens, & Beatus iure à Possidio dictus qui medium & modum seruabat in omnibus. Idem ipse serm. 248. de continentia.* Continentia & sobrietas non in sola integritate carnis consistit, sed etiam in cultu & ornatu, vità pariter & moribus consistit. Debet enim vnusquisque continens esse ab omnibus illicitis. His autem quæ licita sunt, debet cum modestia & sobrietate vti. S. Aug.

2. *Ornatus modestus, mulierem Christianam, ad seria tantùm prodeuntem, discernat à Gentili: ornatus enim vanus, luxuriæ tantùm, vel gloriæ causa palam sumitur.*

2. de cultu fœm. cap. 11. in pr. ad vltra med.

QVæ autem vobis causæ exstructiùs prodeundi, quum remotæ sitis ab his quæ talium indigent? Nam nec templa circumitis, nec spectacula postulatis, nec festos dies Gentilium nostis. Propter istos enim conuentus, & mutuum videre ac videri, omnes pompæ in publicum proferuntur, aut vt luxuria negotietur, aut gloria insolescat. Vobis autem nulla procedendi causa non tetrica. Aut imbecillus aliqui ex fratribus visitatur, aut sacrificium offertur, aut Dei sermo administratur. Quiduis horum, grauitatis & sanctitatis negotium est, cui opus non sit habitu extraordinario, & composito, & soluto, Ac si necessitas amicitiarum officiorúmque Gentilium vos vocat, cur non vestris armis indutæ procedatis, tantò magis, quantò ad extraneas fidei? vt sit inter Dei an- Phil. 1. 20. cillas, & Diaboli, discrimen: vt exemplo sitis illis vt ædificentur in vobis: vt (quomodo ait Apostolus) *Magnificetur Deus in corpore vestro*, Magnificatur autem in corpore, per pudicitiam, vtique & per habitum pudicitiæ competentem.

ORNATVS MODESTVS. 2. SCHOL.

EXTRVCTIVS, *ornatiùs, comptiùs incedendi.* AB HIS, *Ethnicis mulieribus, quæ hoc ornatu indigent. Alij legunt:* ad aliud indigent. *scilicet ad varia templa idolorum, festa & spectacula frequentanda, quæ omnia vestes pompaticas exigunt à Gentilibus, quæ vos nec nomine quidem, multominùs actione & frequentatione nostis.* CONVENTVS, *congregationes & cœtus, qui fiunt, vel ad negotium luxuriæ, mutuis virorum ac mulierum aspectibus impudicis, vel ad vanam gloriam captandam.* NON TETRICA, *tristis aut seria.* OFFICIORVM, *v. g. vt alibi diximus, ad imponenda nomina, &c.* VESTRIS ARMIS, *de quibus Paulus,* Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. AD EXTRANEAS FIDEI, *alienas à fide, Gentiles mulieres.* VT ÆDIFICENTVR. *Nam ex Paulo.* Charitas non est ambitiosa, non inflatur, *vana veste,* sed ædificat. MAGNIFICETVR. *Phil. 1. 20.* In omni fiducia sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo. *& 1. Cor. 6. 20.* Glorificate & portate Deum in corpore vestro. *Hunc etiam locum Augustinus applicat modestiæ vestium, quam vult esse vestem nuptialem, vt pote castam,* S. Aug. *& dignam nuptiarum Agni. De qua sic sermone 247. de tempore in fine: Vbi primùm exaggerat cum Cypriano sacrilegium mulierum se vestibus, & fucis*

C *transfigurantium.* Manus eum offendunt, quando id quod ille formauit, reformare & transfigurare contendunt: scientes quòd opus Dei est omne quod nascitur, Diaboli quodcumque mutatur: si quis pingendi artifex vultum alicuius & speciem, & corporis qualitatem æmulo colore signasset: & signato iam consummatoque simulacro, manus alius afferret & iam formata, iam picta quasi peritior reformaret, grauis prioris artificis iniuria, & iusta indignatio videretur, & cæt. Non metuis, ne cùm Resurrectionis dies venerit, artifex tuus non te recognoscat, & ad sua præmia & promissa venientem remoueat & excludat, increpans vigore censoris & iudicis dicat: opus hoc meum non est, nec imago hæc nostra est? & cæt. Cùm formam quam dederat tibi mendacio deformasti, facies corrupta est, membra aliena sunt: Deum videre non poteris, quoniam oculi tibi non sunt quos Deus fecit, sed quos Diabolus infecit, & cæt. Apostoli vox est, &c. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Sicut portauimus imaginem terreni, sic portemus imaginem cœlestis. Hanc imaginem

portat virginitas, portat integritas, portat sanctitas & veritas, portant disciplinæ Dei memores iustitiam cum religione retinentes, stabiles in fide, humiles in timore, &c. *Tum concludit aptè in rem nostram.* Quæ omnia obseruare, diligere & implere debemus, vt Apostoli præceptum adimpleamus: empti estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro. Deum enim in corpore nostro portamus, A cùm imaginem eius per immundas & prophanas adinuentiones, *vestium pompaticarum & fucorum*, non deformamus. Cùm per omnia seruitutis obsequia Redemptoris imperio parere studemus. Ita enim imaginem suam in nobis recognoscet, & nuptiali veste ornatos à suo, sanctorumque consortio non excludet.

3. *Ornamenta virtutum Sanctarum mulierum, Deum habent amatorem.*
2. *de cultu fœm. cap. 13. in fin.*

PRodite vos, medicamentis & ornamentis exstructæ. Prophetarum, & Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia, & os taciturnitate, inserentes in aures sermones Dei, adnectentes ceruicibus iugum Christi, caput maritis subiicite, & satis ornatæ eritis. manus lanis occupare, pedes domi figite, & plusquàm in auro placebitis. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatæ, Deum habebitis amatorem. *Vide Verbum, Mulierum Ornatus.*

ORNAMENTA VIRTVTVM. 3. SCHOL.

PRODITE VOS, *ostendite vos, & probate in externo cultu verè sanctas & castas.* MEDICAMENTIS, *pigmentis & fucis spiritalibus ex apotheca Scripturæ veteris & noui Testamenti depromptis.* EXSTRVCTÆ, *ornatæ. Sit vobis pro niueo candore simplicitas, pro cerussa pudor, pro stibio & calliblepharo verecundia, pro labiorum rubore, ex corallio taciturnitas; vt sint labia sponsæ pudica: Cant.* 4. Sicut vitta coccinea labia tua: *vel stricta silentio, vel funiculo pudoris & mensurâ verborum constricta. alij legunt,* & spiritus taciturnitate: *quasi oculi modesti sicut sponsæ: Cant.* 4. Oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus latet: *vbi Septuaginta:* Oculi tui columbæ, extra, *id est, præter*, taciturnitatem tuam. *Vt enim ex Aug. epist.* 109. *oculi loquuntur & enuntiant cordis improbi cogitatus:* Impudicus oculus, impudici cordis est nuntius: *Sic oculus simplex, modestus & verecundus, linguâ huiusmodi impurâ caret, & taciturnus est: Cùm aliunde Thren.* 2. 18. *pupilla loquatur.* Clamauit cor meum ad Dominum super muros filiæ Sion: deduc quasi torrentem lacrymas per diem & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui: *Septuaginta:* Non taceat filia oculorum tuorum: *ita & Psaltes:* Exaudiuit Dominus vocem fletus mei: *Sint prætereà verba Dei pro murenulis, iugum legis Christi pro monili, obedientia viris debita, pro corona; pro armillis & annulis, lanificia, & bona opera; pro sandalis elegantibus & cothurnis deauratis, statio & cura domestica; probitas & honestas morum, pro veste serica: Sanctitas, pro stola byssina: pudicitia, pro purpura.* TALITER PIGMENTATÆ, *variegatæ cum sponsa Regina circumamicta varietatibus; non iam Diabolum, sed Deum habebitis amatorem. Vide Clementem Alexandrinum lib.* 2. *Pædag. c.* 12. *per totum, maximè circa finem. Vbi & bona opera & eleemosynas manibus, pedibus alacritatem in progressu virtutis, auditum verbi auribus tribuit, &c. Sed pulchrius omnibus Augustinus tom.* 4. *lib. de bono viduitatis cap.* 19. *quem consulet Lector: & sermone* 18. *de verbis Apostoli.* S. Aug. Illæ amantes, quibus terrenæ nuptiæ viluerunt, quæ terrenos amplexus non desiderauerunt, vsque adeò acceptauerunt præceptum, vt non recusarent consilium: vt plus placerent, plus se ornauerunt. Corporis enim huius, id est, exterioris hominis ornamenta, quanto magis appetuntur, tantò sunt interioris maiora detrimen- B ta. Quantò autem minùs appetuntur ornamenta exterioris hominis, tantò magis moribus pulchris homo interior adornatur. Vnde dicit & Petrus 1. 3. ornantes se non intortis crinibus. Cùm enim dixit, ornantes se; quid aliud à carnalibus quàm visibilia ista ornamenta putarentur? Continuò tulit, *abstulit*, cogitationi, quod cupiditas inquirebat. Non inquit, intortis crinibus, neque auro, vel margaritis, vel veste pretiosa, sed ille absconditus cordis homo, qui est ante Deum diues. Neque enim Deus diuitias daret exteriori homini, & inopem relinqueret interiorem: dedit inuisibili diuitias inuisibiles, & inuisibilem ornauit inuisibiliter, &c. Illæ non cogitant quemadmodum non puniantur à Deo, sed quomodo placeant Deo pulchritudine interiori, decore occulti ho- C minis, decore cordis, vbi illius oculis nudæ sunt; nudæ intus, non foris; integræ & intus & foris. *De ornatu vano vide plura suprà: Vide mulierum Ornatus per septem titulos. Et infrà vide. V. Vestis per decem titulos. Idem Augustinus tom.* 4. *libro de bono viduitatis, &c. cap.* 19. *vbi de sponso animæ Christo, cui placere debent virgines & viduæ.* Non amat, *inquit,* S. Aug. ille fallaciarum fucos, veris veritas delectatur: & ille, si quod legisti agnoscis, veritas vocatur. Ego sum, inquit, via, veritas & vita. Currite ad illum, per illum. Placete illi ex illo, viuite cum illo, in illo, de illo affectibus veris, & sanctissima castitate, à viro tali amate amari. Audiat hæc virginis etiam sanctæ prolis tuæ auris interior, &c. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, &c.* D *& concupiscet rex decorem tuum,* Certè si mariti essent quibus placendum esset, iam te fortasse cum filia puderet ornari. Nunc non pudeat agere quibus simul ornemini, quia non est criminosum, *vt foret si mater & filia eidem amasio placere studerent*, sed potiùs gloriosum, vt ab vno illo simul amemini. Simulatum autem candorem, ac ruborem, & pigmentis illitum non adhiberetis; etiam si viros haberetis: non putantes dignos quos falleretis, nec vos quæ fallere deberetis. Nunc ergo illi Regi, qui vnicæ sponsæ *Ecclesiæ*, cuius membra estis, speciem concupiuit, veraciter simul placete, simul inhærete: Illa integritate virginali, tu continentia viduali, ambæ pulchritudine spiritali.

OSCVLVM.

1. *Osculum pacis, orationis est signaculum, quo Deo grata notatur, vel concluditur. V. verbum, pacis & charitatis signa. num. 3.*

2. *Osculum die Paschæ non dabatur. De orat. cap. 14. à med.*

DIe Paschæ, quo communis & quasi publica ieiunij religio est, meritò deponimus osculum, nihil curantes de occultando quod cum omnibus faciamus.

OSCVLVM. 2. SCHOL.

DIE PASCHÆ, *id est die Passionis, quem Parasceuen, siue diem Veneris sancti alij vocant. Neque enim Dominica Resurrectionis ieiunare fas est. Ipse Tertullianus non hic tantùm, sed & 4. contra Marc. cap. 40. hunc diem Passionis, Pascha vocat.* E tot festis Iudæorum Paschæ diem elegit. In hoc enim Sacramentum pronuntiarat Moyses, Pascha est Domini, &c. *Et paulò suprà:* Scit & quando pati oportet eum, cuius Passionem lex figurat. *quin & contra Iudæos cap.* 10. Pascha, inquit, Passio. Domini est. *Inde Paulus*: Pascha nostrum immolatus est Christus. *Vnde Augustinus sermone 6. de verb. Apost. cap. 5.* Videte concordiam, videte distantiam. Concordiam legis, distantiam plebis, Celebratur Pascha in veteri populo sicut nostis occisione Agni cum Azymis: vbi occisio ouis Christum significat, Azyma autem nouam vitam, hoc est, sine vetustate fermenti. Vnde nobis Apostolus dicit, Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis Azymi: Pascha enim nostrum immolatus est Christus. *Et tract. 115. in Ioan. 18. in fin.* Mirabili dispensatione diuinæ sapientiæ, per homines fallaces, eiusdem vmbræ veritas implebatur, quia vt verum Pascha fieret, Christus velut ouis immolabatur. *Et notandum quod habet Ioannes cap. 18. 28.* Ipsi non introierunt in Prætorium vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha. *Syr. autem:* Ne polluerentur priusquam comedissent Pezcho. *Vbi nota hunc diem non fuisse præcisè Agni Paschalis, quem Christus comedit*, Pridie quàm pateretur: *Sed diem proprium Passionis, qui tamen Pascha dicitur, quia panes Azymi, non tantùm vespere cum Agno Paschali comedi debebant, sed & sequenti die quo Christus occisus est, & per totam octauam. Pascha igitur tripliciter sumitur, vel pro die Agni Paschalis, vel pro die Passionis, quo anima Christi transiuit. ipso commendante, in manus Patris: vel pro Dominica Resurrectionis, qua trãsiuit de hoc mundo, ad Patrem, hoc est de morte ad Resurrectionem immortalem. Sic Aug. ep. 119. ad Ianuar. in pr.* Transitus quidam de morte ad vitam in illa Passione Domini & Resurrectione sacratus est, &c. quod voluit & ipse Dominus tangere cùm dicit, qui credit in me, transiet de morte ad vitam, Ioan. 5. 24. & maximè idem Euangelista exprimere hoc voluisse intelligitur, cum celebraturo Domino Pascha cum discipulis suis, vbi Cœnam eius mysticam dedit, Cùm vidisset, inquit, Iesus quia venit eius hora vt transiret de mundo ad Patrem. Transitus ergo de hac vita mortali, in aliam vitam immortalem, hoc est enim de morte ad vitam, in Passione & Resurrectione Domini commendatur. *Ecce habes triplicem transitum in Paschæ nomine etiam hoc loco apud Augustinum: Cœnæ legalis in mysticam & Dominicam; transitus Christi de vita in mortem; & transitus mortis temporalis eiusdem in vitam immortalem. Iam ergo in rem Tertull. Patet eum non de Paschate Resurrectionis, sed Passionis agere; quo die* RELIGIO, *id est, sacra & solemnis obseruatio est ieiunij, quo die osculum non dabatur: cuius dat rationem, quia* cum omnibus, *hoc die commune seruabatur ieiunium. Proinde nil erat cauendum ab hypocrisi, vt in priuatis ieiuniis, in quibus cum osculum in fine Orationis Dominicæ ante communionem in Missa daretur, ieiunantes, ex oris & halitus grauolentia dignoscebantur. Hinc dicit, die Paschæ, hoc est Veneris sancto, fideles, quibus Christus abscondenda bona opera suasit, vt Pater in occulto videns retribuat, non curare de occultando ieiunio. Sed & alia abstinentiæ osculi hoc die datur ratio, à Bernone cap. 7. de rebus ad Missam spectantibus.* In Parasceue ab osculo abstinemus propter Iudæ traditoris exemplum, qui per simulatæ pacis osculum tradidit Dominum Iesum Christum. *Augustinus sermone 121. de tempore.* Quem osculatus fuero, ipse est, tenete eum. O signum sacrilegum, ô placitum fugiendum! vbi ab osculo incipitur bellum, & per pacis iudicium, pacis rumpitur Sacramentum. *De osculo sponsorum & propinquorum vide sequens Scholium. Et accipe de osculo S. Chrysostomi documentum. Chrysostomus homilia de proditione Iudæ sic commendat osculum.* Sanctum osculum teneamus, quod animas sociat, reconciliat mentes, & vnum corpus ostendit, quia vnum corpus videmur esse sortiti. Et ideò misceamus nos in corpore vno, *qui de eodem pane participamus*, non in corporum mixtione, sed animorum charitate deuincti, vt sic diuinæ mensæ possimus fructibus satiari.

3. *Osculum, & tactus manus, pudorem resignat. De vel. Virg. cap. 11. à med.*

SI congressio viri mulierem facit, non tegantur, nisi post ipsam nuptiarum passionem. Atquin etiam apud ethnicos velatæ ad virum ducuntur. Si autem ad desponsationem velantur, quia & corpore & spiritu masculo mixtæ sunt per osculum & dexteras, per quæ primùm resignarunt pudorem spiritus, per commune conscientiæ pignus, quo totam condixerunt confusionem, quantò magis tempus illas velabit, sine quo sponsari non possunt, & quo vrgente sine sponsalibus virgines desinunt esse?

OSCVLVM. 3. SCHOL.

A SI CONGRESSIO. *Copula carnalis, tantum, mulierem propriè facit,* NON TEGANTVR, *non velentur fæminæ nisi à viris compressæ.* ATQVIN *atqui & ipsi Ethnici suas adhuc virgines, nec dum à viro cognitas ducunt velatas ad virum.* AD DESPONSATIONEM, *dum sponsatæ sunt, velantur.* SPIRITV MASCVLO, *quia iam animo virum conceperunt, & corpus iam ex parte miscuerunt dato osculo & mutuis dextris.* RESIGNARVNT, *ex parte soluerunt pudorem tradito inuicem mutuæ conscientiæ pignore externo.* TOTAM CONDIXERE CONFVSIONEM, *tanquam pacto & condicto promiserunt sibi plenam copulam. Vnde & confunduntur, non sola corporum commixtione, sed & pudore. Vnde & latebras quærunt, vt primi parentes confusi ficulneam.* TEMPVS VELABIT; *scilicet quo se puberes sentiunt, vt eodem capite dixerat,* membris completis, pudore vestito, mensibus tributa defendentibus, & muliebria omnia patientibus; *tum ergo etiam antequam desponsentur, velari debent, si mulieres velentur.* SINE QVO, *scilicet tempore pubertatis, non traduntur in desponsationem.* QVO VRGENTE. *Tempore enim pubertatis, licet non desponsentur,* virgines desinunt esse: *non quod meritum & florem virginitatis amittant, nisi actu carnali voluntario, sed non carent pudore, ex immundis corporis accidentibus, & le*ge membrorum repugnante legi mentis, *quàm antea non sentiebant in ætate innocentiori. Confusionem suprà dixit, iuxta Paulum ad Philipp. 3.* Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum: *quod non tantum de ventre, sed & libidine, exponit Augustinus; qui sic vertit:* & gloria in pudendis ipsorum. *Osculum porrò dixit Angelus Iurisconsultus:* libidinis

S. Aug. quoddam antescenium. *Quod tamen innocens inter sponsos & propinquos censuit Augustinus. to. 4. lib. qq. in Gen. q. 87. ex Gen. 29.* Quod scriptum est, osculatus est Iacob Rachel, & exclamans voce sua fleuit, & indicauit ei quia frater est eius, & quia filius Rebeccæ est. Consuetudinis quidem fuit, maximè in illa simplicitate antiquorum, vt propinqui propinquos oscularentur, & hoc hodie fit in multis locis. Sed quæri potest, quomodo ab incognito illa osculum acceperit, si postea indicauit Iacob propinquitatem suam. Ergo intelligendum est, aut illum, qui iam audierat quæ illa esset, fidenter in eius osculum irruisse; aut postea scripturam narrasse per recapitulationem, quod primò factum erat, id est quod indicauerit Iacob quis esset. *Et libello de Anima cap. 6.* S. Aug.

B Corporale osculum impressione labiorum certis & honestis horis conceditur; vt in reconciliatione, in pacis contestatione, communione Cœnæ, amoris professione, vt inter sponsum & sponsam; cum aduena & hospes suscipitur, & in Catholicæ vnionis signum, *Et ser. 80. de temp. à p. vbi de Isaac Rebeccam, Iacob Rachel, Moyse Sephoram vxores ducturis, apud puteum inuentas:* quia toti tres isti Patriarchæ typum Domini Saluatoris præferebant, ideo ad fontes, vel ad puteos inueniunt matrimonia, quia Christus ad aquam baptismi inuenturus erat Ecclesiam. Denique veniens Iacob ad puteum, prius gregem adaquauit, & postea osculatus est eam. Verùm est fratres charissimi, nisi prius per aquam baptismi Christianus populus à malis omnibus abluatur, pacem Christi habere non meretur, *Vide V. pax. 3.*

OTIOSVS.

Otiosum, & stupentem Deum Bython cum Epicuro finxere Valentiniani. cont. Valent. cap. 7. à p.

INnatum, immensum, infinitum, inuisibilem, æternumque definiunt: quasi statim probent esse, si talem definiant qualem scimus esse debere, vt sic & ante omnia fuisse dicatur. Sed, vt sit, expostulo: nec aliud magis in huiusmodi denoto, quàm quod post omnia inueniuntur, qui ante omnia fuisse dicuntur, & quidem non sua. Sit itaque Bythos iste infinitis retro æuis, in maxima & altissima quiete, in otio plurimo, placidæ & (vt ita dixerim) stupentis diuinitatis, qualem iussit Epicurus. Et tamen quem solum volunt, dant ei secundam in ipso & cum ipso personam, Ennœan, quam & Charin & Sigen insuper nominant. Et fortè accedunt in illa commendatissima quiete monere eum de proferendo tandem initio rerum à semetipso.

OTIOSVS. SCHOL.

C DEFINIVNT, *Valentiniani scilicet dicunt Deum suum Bython esse sine natiuitate, mensura, fine, &c.* QVASI STATIM. *Quasi verò eo ipso quod talem definiunt, qualem nos scimus Deum verum esse debere, statim ipso facto, suum probent æternum, & ante omnia facta & genita, ingenitum.* SED VT SIT. *Sed hoc à Valentinianis quæro immò & conqueror, quod velint nos credere Bython Deum esse quem ex operibus probare non possunt. Peto ergo, vt probent mihi,* vt sit *id est quomodo sit, quibus effectis constet eum esse.* IN HVIVSMODI, *fabulis Æonum,* DENOTO, *argue.* INVENIVNTVR, *Æones, de quibus ante Valentinianos inuentores, nil inueniebatur.* NON SVA, *opera & creaturas mundi non à se factas.* BYTHOS ISTE, *ille Deus & Æon qui ex Græco interpretatur ab Irenæo & Epiphanio,* profundus. MAXIMA ET ALTISSIMA. *Pulchrè, profundum maximo opponit: quanquam & profundum, altum quoque significat.* IN OTIO PLVRIMO. *Sic placuit Epicuro Deum stu*S. Aug. *pidum, otiosum, & hebetem fingere; quem doctius & verius Augustinus* semper agentem, & semper quietum dixit. SOLVM VOLVNT, *vnicum Deum Bython maximum, proindéque sine æquali; aliàs non esset maximus omnium.* ENNŒAN, *id est cogitationem, siue mentem. Quam &* CHARIN, *id est gratiam.* ET SIGEN, *id est silentium, vocant.* ET FORTE, *ironicè.* ACCEDVNT, *vel tria nomina, vel ipsi Valentiniani.* COMMENDATISSIMA QVIETE, *otio plurimo de quo supra.* MONERE EVM, *Deum Bython ipsum profundum, vt qui infinitis retro, id est antè sæculis priusquam mundus fieret, siluit, demersus, in vocem & verbum, tandem erumpat, quo omnia ex se, tanquam rerum omnium principio producat. Quantæ ambages! cum recta fides & scriptura nos doceat, Patrem æternum, semper ab æterno loquentem & dicentem Verbum, tota æternitate quoad mundi creationem siluisse; & in tempore, cum vera sua Ennœa, cogitatione personali, & subsistente Verbo; & sua Charite, & amore notionali, Spiritu sancto, omnia ex nihilo produxisse, vnicum, in tribus personis altißimum, & profundißimum Bython, etiam operando, & gubernando, manentem in otio plurimo. Accipite Augustinum lib. 12.* S. Aug.

de Ciuit. cap. 17. *vbi contra dicentes mundum ab æterno fuisse.* Fit illis quod ait Apostolus. 2. Cor. 10. comparantes enim semetipsos semetipsis, semetipsos non intelligunt. Nam quia illis quidquid noui faciendum venit in mentem, nouo consilio faciunt, mutabiles quippe mentes gerunt, profectò non Deum quem cogitare non possunt, sed semetipsos pro illo cogitantes; non illum, sed seipsos, nec illi, sed sibi comparant. *Consilium enim Domini in æternum manet, cogitationes eius in generationem & generationem.* Nobis autem fas non est credere, aliter Deum affici cum vacat, aliter cum operatur: quia nec affici dicendus est, tanquam in eius naturam fiat aliquid, quod non ante fuerit. Patitur quippe qui afficitur, & mutabile est omne quod aliquid patitur. Non itaque in eius vacatione cogitetur ignauia, desidia, inertia, sicut nec in eius opere labor, conatus, industria. Nouit quiescens agere & agens qui- A escere. Potest ad opus nouum, non nouum, sed sempiternum adhibere consilium, nec pœnitendo quia prius cessauerat, cœpit facere quod non fecerat. *Et lib.* 12. *de Ciuit. c.* 25. *in f.* Si in illa specie *forma extrinseca* quàm forinsecus corporalibus rebus opifices imponunt, Vrbem Romam & Vrbem Alexandriam, non fabros & Architectos, sed reges, quorum voluntate, consilio, & imperio fabricatæ sunt; illam Romulum, illam Alexandrum habuisse dicimus conditores: quantò potius non nisi Deum debemus conditorum dicere naturarum: qui neque ex materia facit aliquid, quam ipse non fecerit: nec operarios habet, nisi quos ipse creauerit: & si potentiam suam, vt ita dicam, fabricatoriam rebus subtrahat, ita non erunt, sicut antequam fierent, non fuerunt. Sed ante dico, æternitate, non tempore. Quis enim alius Creator est temporum, nisi qui fecit ea, quorum motibus currerent tempora? S. Aug.

1. *Otium, natura boni operosa, non patitur.* 1. *cont. Marc. cap.* 22. *in m. V. verbo. Marcionis Deus.* 11. *in f.*

2. *Otium in detractionem procliue. De Pallio cap.* 1. *à p.*

GAudeo vos tam prosperos temporum, cum ita vacat ac iuuat habitus denotare. Pacis hæc & annonæ otia: ab Imperio & à cœlo benè est.

OTIVM. 2. SCHOL.

GAVDEO, *ironicè dictum contra Carthaginienses.* PROSPEROS TEMPORVM *tam prospero tempore fruentes, vt per otium vobis liceat*, habitus denotare, *vestem Christianam & modestia habitum, scilicet* Pallium *quod indui abiecta toga, sugillare, mihique quasi de nouo habitu sumpto detrahere.* PACIS HÆC ET ANNONÆ, *id est hæc otia vobis ab abundantia & fertilitate, & pace data sunt.* AB IMPERIO ET CŒLO. *Hæc abundantia & pax, quæ simul & Psaltes iunxit:* Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis: *item:* orietur iustitia, & abundantia pacis: *à cœlo primum, id est à Dei munere, &* Deo & principe pacis; *& ab Augustis, Seuero, Bassiano, & Geta. Alij sic distinguunt:* habitus denotare pacis. Hæc & Annona & Otia ab Imperio, & à cœlo. Benè est tamen, &c. *Quod verò otium sit in detractionem procliue, pulchrè innuit Psaltes: supposito enim quod à Philosopho dicitur:* Otium viui hominis sepultura; *Sic Psaltes Psalmo* 5. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant. *Et rursum Psalmo* 13. *idem repetit. Quos locos Augustinus ibidem veracitati & adulationi applicat. Quod facilè est detractioni applicare; patet enim detractori guttur exhalans verba maledica, de quibus id cum Augustino dicam in Psalmum* 5. Sepulchra patentia dicti sunt, quia & ipsi quodammodo exanimes sunt, vitam non habendo veritatis; & mortuos in se recipiunt, quos verbis mendacibus & vano corde interemptos, in se conuertunt. *Et in Psal.* 49. *ex otio detractionem nasci eximiè notat, in versum,* sedens aduersus fratrem tuum detrahebas, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum: *sic itaque;* Et ipsum, inquit, sedens ad hoc pertinet quod superius dixit amplexa est. *Sic enim versum præcedentem vertit: os tuum abundauit malitia, & lingua tua* S. Aug. B *amplexa est dolositatem.* Qui enim stans aut transiens facit, non cum voluptate facit: qui verò ad hoc sedet, quantum otium quærit vt faciat? sedens aduersus fratrem tuum detrahebas; ipsam detractionem malam diligenter faciebas, sedendo faciebas, volebas ibi occupari, amplexabaris malum tuum, osculabaris dolum tuum. *Idem Aug. homil.* 2. *inter* 50. *& ser.* 13. *de diuersis in eundem versum:* frequenter charissimi cum Psalmista cantamus versiculum illum, per quem detractores spiritali gladio feriuntur. Sic enim ait: sedens aduersus fratrem tuum detrahebas, &c. Quod autem dixit sedens: ostendere voluit, quod non transitoriè detraxerit, nec ei surreptum sit, vt malè de proximo loqueretur. Sedens, idest ex otio: quasi ad hoc vacans vt derogaret pro- S. Aug. C ximo suo. *Tempus autem pacis & vacationis benè impendendum, & gratulandum principibus, à quibus post Deum pax, & eius effectus abundantia venit; docuit Aug. ep.* 113. *ad Romanianum:* Si ad melius cogitandum quies aliqua data est, vtere diuino beneficio. Nec enim debemus nobis, cum ista proueniunt, sed illis, per quos ista proueniunt, gratulari: quoniam iusta & officiosa, & pro suo genere pacatior atque tranquillior rerum temporalium administratio, recipiendorum æternorum meritum gignit, si non teneat captiuos & irretitos bonis temporalibus cum tenetur, nec implicet cum multiplicatur; si non, cum pacatur, inuoluat. Ipsius enim veritatis ore dictum est Luc. 16. 12 si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis? laxatis ergo curis mutabilium rerum, bona stabilia & certa quæramus; superuolemus terrenis opibus nostris: nam in melle copia, non frustra pennas habet apicula, necti- lis in hærentem. S. Aug.

PALLIVM.

1. *Pallium super omnia vestium genera extollitur, caretque tædio Togæ quotidie reformandæ. De Pall. cap.* 4. *in f. &* 5. *in p.*

CVm hanc primùm sapientiam vestit, quæ vanissimis superstitionibus renuit, tunc certissimè pallium super omnes exuuias, & peplos, augusta vestis: superque omnes apices, & tutulos, sacerdos suggestus. Deduc oculos, suadeo; reuerere habitum vnius in-

terim erroris tui renuntiatorem. Tamen, inquis, ita à toga ad pallium? quid enim si à diademate & à sceptro? an aliter mutauit Anacharsis, cùm regno Scythiæ philosophiam præuertit? Nulla in melius transgressi sint signa; est habitus iste quod faciat. Prius etiam ad simplicem captatelam eius, nullo tædio constat: adeo nec artificem necesse est, qui pridie rugas ab exordio formet, & inde deducat in talias, totumque contracti vmbonis figmentum custodibus forcipibus assignet, dehinc diluculo tunica prius cingulo correpta, quàm præstabat moderatiorem texuisse, recognito rursus vmbone, & si quid exorbitauit reformato, partem quidem de læuo promittat, ambitum verò eius ex quo sinus nascitur iam deficientibus tabulis, retrahat à scapulis, & exclusa dextera in læuam adhuc congerat cum alio pari tabulato in terga deuoto, atque ita hominem sarcina vestiat. Conscientiam denique tuam perrogabo, quid te prius in toga sentias, indutum, anne onustum habere vestem, an baiulare? Si negabis, dòmum consequar videbo quid statim à limine properes. Nullius profecto alterius indumenti expositio quam togæ gratulatur. Cap. v.

PALLIVM. 1. SCHOL.

HANC SAPIENTIAM *Philosophiam Christianam. Me factum Christianum ex Senatore vel Iurisconsulto Gentili, pallium operit.* PRIMVM. *Statim atque operuit. Alij legunt,* hanc primam, *supple sapientiam summam.* RENVIT, *renuntiat superstitionibus idololatriæ.* EXVVIAS, *spolia & vestes etiam deorum & dearum.* PEPLOS, *vestes tenues, Mineruæ sacras.* APICES, *virgulæ erant laneæ in summo pileo eminentes.* TVTVLOS, *alij* titulos. *Id est pileos lunatos, figurâ metæ efformatos qui erant Flaminum & Flaminicarum insignia.* SACERDOS SVGGESTVS, *id est, pallium, omni veste Sacerdotali & textura qualibet sacri vestimenti augustius & sanctius. Alij legunt,* Sacer suggestus. DEDVC OCVLOS, *Alij legunt,* deducit oculos. *Id est, pallium dignum reuerentia, abducit oculos à superstitiosis vestibus & pomparicis, vt in eo spectandam Christianam modestiam contemplentur.* RENVNTIATOREM. *Vel quod pallium Christiani, errori & superstitioni Gentili renuntiet; vel quod nuntiet & arguat habitus Ethnici superstitionem, aut pompam. Aug. baptismo* indutus Iesum, & Regale S. Aug. Sacerdotium, *super omnem apicem & titulum & galerum (qui quidem pileus erat ex pelle hostiæ cæsæ confectus) & Sacerdotalem suggestum, Christiani titulum, consuit & præter eum Sancta Mater Monica indutum habitum Monachalem, gratulata est. Audiuit enim, Aug. vt ipse refert libro 9. Confess. cap. 12.* Vocem de vicina S. Aug. domo cum cantu dicentis tolle lege, tolle lege, &c. non in comessationibus, &c. non in contentione & æmulatione; *propria Oratorum & Sophistarum, plerumque etiam palliatorum,* sed induite Dominum Iesum Christum, &c. Inde ad Matrem ingredimur, indicamus, gaudet: narramus quemadmodum gestum sit, exultat & triumphat, & benedicit tibi, qui potens es vltra quàm petimus, aut intelligimus facere: quia tantò amplius sibi à te concessum de me videbat, quam petere solebat miserabilibus eius flebilibusque gemitibus. *Hanc autem superabundantiam ponit in conuersione non tantum ad fidem & baptismum, quod vnum poscebat Monica, sed & ad statum Monachalem, vt expressè subiicit.* Conuertisti enim ita me ad te, vt nec vxorem quærerem, *quod licitum erat etiam post baptismum,* nec aliquam spem sæculi huius, &c. Et conuertisti luctum eius in gaudium multò vberius quàm voluerat, & multò charius atque castius, quàm de nepotibus carnis meæ requirebat. *Quod apertè intelligit de filiis spiritalibus, & Monachis, quorum Pater fuit Augustinus; in Africa quidem institutor primus; in Italia autem, Mediolanensium & Romanorum imitator. Vnde & hoc ipso capite iuxta Phrasim passim in scriptis suis communem, sic de fratre Alipio; (quem lib. 9. cap. 6. paulo ante baptismum dixit iam indutum humilitate Sacramentis congrua)* Tali admonitione firmatus est, placitoque ac proposito bono, & congruentissimo suis moribus, *hoc est, vt pluribus locis, Monachali,* quibus à me in melius iam olim valde, longéque distabat, sine vlla turbulenta cunctatione coniunctus est. TAMEN, *inducit sic obiicientem Ethnicum, & exprobrantem leuitatem & inconstantiam Tertulliano, qui deposita toga, induerit pallium, habitumque mutauerit.* PRÆVERTIT, *anteposuit. Quid si, inquit, Anacharsim imitatus essem, qui, à sceptro, & regno, ad vanæ Philosophiæ professionem transiit? De eo vide Lactantium lib. 3. cap. 24.* NVLLA IN MELIVS, *&c. Esto inquit, transitus à toga ad pallium, non significet* B *hominem mutatum in melius.* EST HABITVS, *hoc tamen vestimenti genus aliquid habet in se vtilitatis.* PRIVS ETIAM, *primùm enim,* AD SIMPLICEM CAPTATELAM *sine fastidio & anxia cura captatur, & simpliciter induitur pallium. Alij legunt;* ad simplicem spectatelam eius; *Aspice simplicitatem materiæ, nulla impensa, sed nuda & simplex est textura eius.* NEC ARTIFICEM. *Helenismus. Alij,* artifice. PRIDIE, *ante diem togæ sumendæ* RVGAS, *plicas,* AB EXORDIO. *De nouo, rursum, sicut cum primò formata est toga. Vel à summo collo ad extremam oram.* ET INDE DEDVCAT IN TILIAS. *Et postea rugas istas & plicaturas sursum strictiores, paulatim deorsum formet ampliores,* TOTVMQVE CONTRACTI VMBONIS FIGMENTVM, *id est, contabulationem formatam togæ, qua parte deductis tiliis surget* C *& eminet instar vmbonis; vmbo autem est media pars Clypei eminentior, Gallicè* la bosse & milieu, le nombril du bouclier. CVSTODIBVS FORCIPIBVS ASSIGNET. *Tradat custodiendam togam eiusque tilias & plicas, instrumento ligneo inter eas inserto.* CORREPTA, *succincta.* PRÆSTABAT, *commodius fuerat, breuiorem fecisse, ne cingulo egeret.* RECOGNITO. *Iterum visitato & composito tabulato togæ.* EXORBITAVIT *à norma plicaturæ.* PARTEM QVIDEM, *dicti vmbonis ex humero sinistro deorsum mittat.* EX QVO SINVS, *pars amplior quæ est sine plicis.* IN TERGA DEVOTO, *id est in humeros destinato. Alij legunt,* dimoto. SARCINA, *non vestis commoda, sed onus operiat.* CONSCIENTIAM TVAM, *O vir togate, impedite potius quàm indute, qui pallium rides.* CONSEQVAR, *te foro redeuntem.* VIDEBO, *obseruabo quid statim ab ingressu primum festines agere.* EXPOSITIO. *Depositio, expoliatio.* GRATVLATVR, *nil gratius est, nil magis iuuat, quàm statim hoc onus deponere.*

2. *Pallij vsus expeditus & facilis, nihilque habet negotij cum rebus sæculi. De pall. cap. 5. circa m.*

PAllio nihil expeditius, etiam si duplex, quod Cratetis. mora nusquam vestiendo cum ponitur: quippe tota molitio eius operire est solutim. Id ex vno circumiectu licet, equidem nusquam inhumano, ita omnia hominis simul contegit. Humerum velans, ex-

ponit, vel includit, ceteroquin humerũ adhæret, nihil circumfulsit, nihil circumstringit, nihil de tabularũ fide laborat, facilè sese regit, facilè reficit: etiã cùm exponitur, nulli cruci in crastinũ demandatur. Si quid interulæ subter est, vacat zonæ tormentum: si quid calceatus inducitur, mundissimum opus est: aut pedes nudi magis, certè viriles magis quàm in calceis. Hæc pro pallio interim quantum nomine comitiasti. Iam verò & de negotio prouocat. Ego, inquit, nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo: nulli officio aduigilo, nulla rostra præoccupo, nulla prætoria obseruo: canales non odoro, cancellos non adoro, subsellia non contundo, iura non conturbo, causas non elatro, non iudico, non milito, secessi de populo. in me vnicum negotium mihi est. nisi aliud non curo quàm ne curem.

PALLIVM. 2. SCHOL.

NIHIL EXPEDITIVS. *Facilius & promptius ad induendum, & vsum.* ETIAM SI DVPLEX, *ex duplici panno consutum sit.* QVOD CRATETIS, *quale fuit pallium Philosophi Cinici. Paulinus epist. 1. ad Seuerum de duplici Pallio magis impediente & grauante sic loquitur:* Ambulabis & non deficies, non te virga, non pera, non sacculus prægrauabit; non calceamenta, neque duplex vestis impediet. *Augustinus lib. 2. de consensu cap. 30. vbi de calceamentis & tunicis duplicibus,* Hoc & de duabus tunicis intelligendum est, ne quisquam eorum præter eam quam esset indutus aliam portandam putaret, solicitus ne opus esset, cùm ex illa potestate posset accipere. *quam scilicet Christus dederat ministris suis, vt ab auditoribus suis necessaria possent accipere. Vnde paulò suprà idem Aug.* Ostendens à fidelibus suis omnia deberi ministris suis, nulla superflua requirentibus. *Sed hîc non agit Tertullianus de duobus palliis, sed de vnico duplicato quod ait, expeditius esse qualibet toga, etiam simplici. Alij sic distinguunt:* quod Cratetis more, nusquam vestiendo componitur. *Nos aliter legimus,* mora nusquam vestiendo cùm ponitur. *id est nullâ circumspectione, aut cura anxia turbandi plicaturas induitur: nec à pallio, eiusque expedito vsu distat vestis Monachi, cui conuenit totus hic Tertulliani contextus, & pallium duplex Cratetis. Quanquam enim baptizatus Augustinus per totam octauam de more albam tulerit, indutæ Christianæ innocentiæ indicem; nihil vetat tamen, post hanc ceremoniam, eum habitum sumpsisse Monachalem, cum pluribus sociis. De quibus, Monica fortis illius mulieris domesticis dici potest, illud Prou. 31.* Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus. *quin & Augustino, eiusque sodalitio, ob negotiationem Euangelicæ Margaritæ.* Cingulum tradidit Chananæo: *quod ipsa, beata Virgine Maria sibi apparente super vestem nigram zona scortea præcincta, similiter induta præcinxerat; iuxta Paulum Bergomensem, aliosque probatos Authores. De hoc cingulo, vt iam alibi diximus, sic lib. 9. cap. 8. Confess. statim post Baptismum:* Qui habitare facis vnanimes in domo, consociasti nobis & Euodium iuuenem ex nostro municipio, qui cùm agens in rebus militaret, prior nobis ad te conuersus est, & baptizatus; & relicta militia sæculari, accinctus est in tua, simul eramus, simul habitabamus placito sancto. *De veste duplici idem Augustinus ser. 217. de temp.* Vestiti sunt quotquot in Christo baptizati sunt. *Bysso quidem innocentia, & purpura charitatis: sed non omnes capiunt verbum hoc:* Vade, vende omnia, &c. *Quod se fecisse dicit Aug. ep. 89. sub finem. In hoc autem sermone sub finem, vbi ait iuxta Septuag.* Duplicia pallia fecit viro suo: *id est*, de bysso candidam confessionem, de purpura gloriosam passionem. *Concludit se non eiiciendum conuiuio, vt pote vestitum, & non nudum inuentum. Vita siquidem Religiosa & byssum, & purpuram mysticam, etiam sub nigro tegit indumento, cùm ex Bernardo, in ea homo viuat pu*rius, & Religio sit longum & diuturnũ martyrium. *Hinc frustrà Secundinus Manichæus in epist. ad Augustinum inserta tom. 6. ante libr. Augustini ad eundem, ob habitum Monachalem nigrum à conuiuio nuptiali foras esse mittendum, dixit:* A Domino pelletur ex Conuiuio nuptiarum, nigrarum causà vestium, &c. muta quæso sententiam, depone Punicæ Gentis perfidiam. *Adeo & hunc colorem habitumque Monachalem dilexit, vt eum seruarit factus Episcopus: nam pretiosum & purpureum byrrhum gestare renuebat, vt ait serm. 2. de communi vita Clericorum, qui est 50. de diuersis & partus legitimus Augustini, ab omnibus cognitus. vbi cùm de communi, vt Religiosus, vestiri vellet:* Offeratur mihi verbi gratià byrrhum pretiosum, fortè decet Episcopum, quamuis non deceat Augustinum, &c. fateor vobis, de pretiosa veste erubesco: quia non decet hanc professionem. NVSQVAM INHVMANO, *ob grauitatem aut pondus, vt toga, vel similem animi sollicití tyrannidem. Vel magis ad litteram, vt subiicit. Sic humanum est pallium, vt totum hominem simul & omnia eius membra tegat* EXPONIT, *ponit in conspicuo, non sicut toga, quæ ob plicas, impedit quo minus humeri & corpus videantur.* INCLVDIT, *tegit. vel aliter explico, siue prodeundum sit foras, siue manendum domi, pallium commodum est vtrobique.* CÆTEROQVIN HVMERVM ADHÆRET. *alij legunt:* cætero quà in humerum adhæret: *Græca phrasis, sensus idem: Cæterùm, inquit, qua parte incumbit humeris, nullo modo collum impedit & grauat.* DE TABVLARVM FIDE, *de plicarum numero & ordine fideliter seruato vel confuso, nulla cura est pallio.* CVM EXPONITVR, *deponitur, alij*, reponitur: NVLLI CRVCI. *Suprà dixerat*, forcipibus. *Alij hîc legunt:* cippo, *pressorio, vt splendorem & ordinem plicaturæ seruet.* INTERVLÆ, *tunicæ interioris.* VACAT ZONÆ TORMENTO, *non cingitur, etsi longiuscula sit, quia pallium extensius, totum interius vestimentum operit vsque ad imos pedes.* CALCEATVS INDVCITVR, *Si quid calceamenti, pedibus induitur, oportet vt mundissimum sit, ne longum pallium sordibus inquinet. Vel, per mundissimum intelligit simplicissimum, quale est sandaliũ.* AVT PEDES NVDI, *vel magis pallio conuenit pedum nuditas, quam tegit longitudo pallij.* CERTE VIRILES, &c. *& quidem, inquit, virum magis redolent nudi pedes, quàm calceati, quod mollitiem sapit muliebrem. Munditiem autem insinuat in pedibus nudis, nihil de pelle mortua & immunda circumferentibus; etiam Augustini sensu, serm. 42. de Sanctis. & 1. de Apostolis: quamquam se verè & propriè calceatum ibidem asserat, vbi exponit illud Luc. 10.* Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta. Calceamenta, inquit, quid sunt? Calceamenta quibus vtimur, coria mortuorum sunt, nobis tegmina pedum. Per hoc ergo iubemur renuntiare mortuis operibus. Hoc in figura Moyses admonebatur, quando Dominus loquens, ait; Solue calceamenta de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est. Quid tam terra sancta quam Dei Ecclesia? si in illa ergo stemus, calceamenta soluamus, id est operibus mortuis renuntiemus. Nam de his calceamentis quibus calceati ambulamus, consolatur

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

consolatur me idem ipse Dominus meus, si enim ipse calceatus non esset, non de illo Ioannes diceret, non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius. COMITIASTI, *ex causa & nomine Pallij, me in ius vocasti. alij simplicius:* concitasti: *habeto interim, ô togate, irrisor pallij hæc interim à me dicta & responsa pro defensione pallij.* DE NEGOTIO PROVOCAT. *Iam pallium pro se loquitur, & otium suum, & quietem inducit loquentem contra negotium togæ, virorumque togatorum.* NIHIL FORO, &c. *Non teneor interesse causis, commerciis, operi militiæ, camporum decursibus; non surgo noctu ad præparandam causam, ad salutationem antelucanam; non locum fori præoccupo, vt primus pro rostris, ex causidicis perorem; nulla palatia Optimatum, vt cliens obseruo.* CANALES NON ODORO. *Festus inde canaliculas vocat, pauperes homines forenses, quòd circa Canales fori consi-* A *sterent, vbi mercimonia exposita erant. Salmasius notat hærentem aquam in canalibus istis mali odoris. Palliati autem nihil ibi mercaturæ aut causæ agendæ gratiâ, odoris grauis patiebantur, abdicata omni negotiatione.* CANCELLOS NON ADORO, *id est, os, vel aures non admoueo, causis, vel spectaculis, cancellis proximus. Hæc enim omnia contemnunt palliati.* SVBSELLIA NON CONTVNDO, *gestu immoderato non ferio subsellia.* IVRA NON CONTVRBO, *vt causidici qui sæpè veritatem euertunt, & iura omnia confundunt. Vnde Seneca epist. 28.* Numquid tam turbidum fieri potest quàm forum? ELATRO, *vel quod mordeant partem aduersam Aduocati, vel à clamore canino, vnde & Hieron. ad Rusticum,* Caninam facundiam dixit. IN ME. *alij:* immò: *tota mihi cura est, vt vacem à curis sæculi, & negotier animæ pacem.*

3. Pallij habitus vitia sæculi arguit, vt & vita probi hominis; omnesque liberalium artium professores, Christianique insuper hoc vsi sunt, cum etiam Scenici togati fuerint.
De pall. cap. 5. in m. & 6. per totum.

VIta meliore magis in secessu fruare quàm in promptu, sed ignauam infamabis. Scilicet patriæ & imperio, reique publ. viuendum est. Erat olim ista sententia. Nemo alij nascitur moriturus sibi. Certè cùm ad Epicuros & Zenonas ventum est, sapientes vocas, totum quietis magisteriũ, qui eam summæ atq; vnicæ voluptatis nomine cõsecrauere. Tamen propemodum mihi quoque licebit in publicũ prodesse. Soleo de qualibet margine vel area medicinas moribus dicere, quæ felicius publicis rebus & ciuitatibus & imperiis bonas valetudines conferent, quàm tuæ operæ. Quippe si pergam ad acuta tecum, plus togæ læsere remp. quàm loricæ. Atquin nullis vitiis adulor, nullis veternis parco, nulli impetigini. Adigo cauterem ambitioni qua M. Tullius quingentis millibus nummûm orbem citri emit: qua bis tantùm Asinius Gallus pro mensa eiusdem Mauritaniæ numerat. Hem quantis facultatibus æstimauere ligneas maculas! item qua lances centenarij ponderis Sulla molitur! Vereor sanè ne parua sit ista trutina, cùm Drusillanus, equidem seruus Claudij quingenariam promulsidem ædificat, suprascriptis fortasse mensis necessariam, cui si officina extructa est, debuit & tricliniũ. Immergo æquè scalpellum acerbitati ei qua Vedius Pollio seruos muranis inuadendos obiectabat. Nouâ scilicet sæuitiâ delectato terrenæ bestiæ, & edentulæ, & exunguis, & excornis, de piscibus placuit feras cogere, vtiq; statim coquendis, vt in visceribus earum, aliquid de seruorũ suorum corporibus & ipse gustaret. Præcidã gulam, qua Hortensius orator primus pauum cibi causâ potuit occidere: qua Aufidius Lurco primus sagina corpora vitiauit, & coactis elementis in adulterinum prouexit saporem: quâ Asinius Celer mulli vnius obsonium sex sestertiis detulit: quâ Æsopus histrio ex auibus eiusdem pretiositatis, vt canoris & loquacibus quibusque, centum millium patinam confiscauit. Filius eius post tale pulpamentum potuit sumptuosiùs esurire: margarita namq; vel ipso nomine pretiosa dehausit; credo ne mendiciùs patre cœnasset. Taceo Nerones & Apicios & Rufos. Dabo catharticum impuritati Scauri, & aleæ Curij, & vinolentiæ Antonij. & memento, istos interim ex multis, togatos fuisse. Quales apud pallium? Haud facilè has purulentias ciuitatis quis eliciet, & exsuppurabit, ni sermo palliatus? Sermone, inquit, me suasisti, medicamine sapientissimo. Verum etsi eloquium quiescat, aut infantiâ subductum, aut verecundiâ retentũ, nam & elinguis philosophia vitâ contenta est, ipse habitus sonat. Sic deniq; auditur Philosophus dum videtur. De occursu meo vitia suffundo. Quis non æmulũ suum cùm videt, patitur? Quis oculis in eum potest, in quem mentibus non potest? Grande pallij beneficium est, sub cuius recogitatu improbi mores vel erubescunt. Cap. VI. Viderit nunc, philosophia quid prosit: nec enim sola mecũ est. Habeo & alias artes in publico vtiles. De meo vestiuntur, & primus informator literarum, & primus enodator vocis, & primus numerorum arenarius, & grammaticus, & rhetor, & sophista, & medicus, & poëta, & qui musicam pulsat, & qui stellarem coniectat, & qui volaticã spectat. Omnis liberalitas studiorum quatuor meis angulis tegitur. Planè post Romanos equites, verùm & accedones, & omnis gladiatorum ignominia togata producitur. Hæc nimirum indignitas erit, à toga ad pallium. Sed ista pallium loquitur. At ego iam illi etiam diuinæ sectæ ac disciplinæ commercium confero. Gaude pallium & exulta, melior iam te philosophia dignata est, ex quo Christianum vestire cœpisti.

PALLIVM. 3. SCHOL.

IN SECESSV, *remotus à turbis, in solitudine, & vita priuata.* IN PROMPTV, *in publico, & negotiis geren-* B *dis.* SED IGNAVAM. *Alij legunt;* sed ignaui, infamique, *sic inducit loquentem togatum.* VIVENDVM, *vitâ*

impendenda est. ERAT OLIM, *alij*: errat: *iamdudum erronea hic sententia est prolata, ait pallium contra togam. Si enim Epicureos & Stoicos, in principibus eorum consulas, agnosces eos magistros sapientiæ in quiete viuentes, quique nihil magis in suo magisterio & disciplina docuerunt, quàm quietem: eam enim vnicam voluptatem censuere.* CONSECRAVERE, *alij* conseruauere. *Habitum Monachalem in multis cum pallio conferendum liquet. Veram enim philosophiam, & totius mundi contemptum sonat hic habitus, & secessum à turbis; & vitæ sæcularis vitia arguit melius & efficaciùs quàm pallium? Quem habitum statim atque induit Augustinus, fugam à sæculo meditatus est. Ita enim ipse 10. Confessionum cap. vltimo: Solitudinem & secessum cogitans, vocatus est à Deo in vitam Religiosam & communem, vt primò cum suis fratribus & consortibus vitam communem & Cœnobiticam duceret; deinde factus Episcopus toti prodesset Ecclesiæ. Sic itaque de hac vita communi ab initio conuersionis in Eremo instituta; libro 9. Confes-* S. Aug. *sionum cap. 8.* Qui habitare facis vnanimes in domo, consociasti nobis & Euodium iuuenem ex nostro municipio: qui cùm agens in rebus militaret, prior nobis ad te conuersus est, & baptizatus, & relicta militia sæculari, accinctus est in tua, *aduerte militiam sæcularem, & à fidelibus iam baptizatis exerceri posse, & hic militiam sæcularem opponi vitæ Religiosæ*, simul eramus, simul habitabamus placito sancto; *alibi vocat sæpè otium sanctum, propositum sanctum*: quærebamus quisnam locus nos vtiliùs haberet seruientes tibi, *sic frequenter, maximè in Epistolis, vitam Monachalem, Dei seruientem, & Monachos Dei seruos, vt & libro de opere Monachorum, vocat*, pariter remeabamus in Africam. *Sic etiam de seipso iam Episcopo, nec minus* S. Aug. *tamen Monasticam perfectionem profitente, epistola 89. cuius initium & titulus:* Augustinus Episcopus seruus Christi & eius Ecclesiæ, dilectissimo filio Hilario in Domino salutem. *Et circa finem epistolæ, cùm de perfectione Religiosa & Euangelica dixisset, se vehementer adamasse eam, & non suis viribus, sed Dei gratiâ id fecisse, sic concludit:* Quantùm in S. Aug. hac perfectionis via profecerim, magis quidem noui ego, quam quisquam alius homo: sed magis Deus, quam ego. Et ad hoc propositum quantis possum viribus exhortor, & in nomine Domini habeo consortes, quibus hoc per meum ministerium persuasum est. *Vt enim ipse ex professo testatur sermone quadragesimo nono de diuersis, qui est de communi vita Clericorum; antequam inuitus Presbyter fieret, apud Tagastem iam habebat Monasterium, in quod pertracturus amicum Hypponensem, venerat in Ciuitatem, in qua factus Presbyter, à Valerio Episcopo hortum accepit, in quo secundum extruxit Monasterium: ex quo tandem factus Episcopus, ne sine consortibus esset: eduxit capaciores Ecclesiastico ministerio fratres Eremitas, quos hic consortes vocat: quæ omnia lucidè patent legenti totum contextum dicti sermonis, absque animo, zelo, & passione præuento. Posidius item in eius vita capite secundo, de omni spe sæculi derelictâ.* Soli, inquit, Deo cum suis seruire statuit, &c. & illud quod dicit Dominus idem vir Sanctus facere cupiens, Si vis esse perfectus, &c. Et erat tunc annis maior triginta, sola superstite matre nomine Monica, sibiq; adhærente, & de suscepto eius proposito seruiendi Deo, ampliùs quàm de carnis nepotibus exultante, *quos habiturus erat: nisi sæculo & matrimonio renuntiasset*, renuntiauit etiam Scholasticis, quos Rhetoricen docebat, vt sibi Magistrum alium prouiderent, eo quòd seruire Deo ipse decreuisset. *Quod Baptismus solus non impedisset eum facere.*

Ac placuit ei perceptâ Baptismi gratiâ, cum aliis ciuibus & amicis suis Deo pariter seruientibus, ad Africam, & propriam domum agrosque remeare. Ad quos veniens, & in quibus constitutus fermè triennio, & à se iam alienatis curis sæcularibus, cum iis qui eidem adhærebant, Deo viuebat, &c. *Capite autem vndecimo.* Proficiente verò doctrina sub sancto & cum sancto Augustino, in Monasterio Deo seruientes, Ecclesiæ Hypponensi Clerici ordinari cœperunt, &c. Sanctorum seruorum Dei proposito, continentia & paupertate profunda, ex Monasterio, quod per illum venerabilem virum, *loquitur de Monasterio in Horto Valerij, quod intra Ecclesiam dicit, id est, intra fines & spatia pertinentia ad Ecclesiam Hypponensem*, & esse, & crescere cœperat, magno desiderio poscere, atque accipere Episcopos & Clericos, pax Ecclesiæ atque vnitas, & cœpit primò, & posteà consecuta est. *Hæc Posidius. Tandem sic se reuocatum à vita purè solitaria fatetur libro decimo Confessionum capite vltimo.* Conterritus peccatis meis, & mole peccatorum, & miseriæ meæ, agitaueram in corde, meditatúsque fueram fugam in solitudinem, S.Aug. sed prohibuisti me, & confirmasti me, dicens: Ideò pro omnibus Christus mortuus est, vt qui viuunt, iam non sibi viuant; sed ei qui pro ipsis mortuus est. *Et in Psalmum quinquagesimum quartum: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam.* Aut mortem optabat, aut S. Aug. solitudinem desiderabat, &c. Fit hoc, fratres, & surgit plerumque in animo serui Dei desiderium solitudinis, non ob aliud nisi propter turbam tribulationum, & scandalorum, & dicit: Quis dabit mihi pennas, &c. Verbis meis & collocutione mea prodesse non possum, orando pro eis forsitan prodero. Dicunt ista homines, sed plerumque ita ligantur, vt volare non possint. Fortè enim non ligantur visco, sed ligantur officio, &c. Vnde putatis, fratres, seruis Dei impleta esse deserta? Si benè illis esset inter homines, recederent ab hominibus? & tamen quid faciunt & ipsi? Ecce elongant fugientes, manent in deserto; sed numquid singillatim tenet eos charitas, vt cum multis maneant, & de ipsis multis existant, qui exerceant? quia in omni congregatione multitudinis, necesse est vt inueniantur mali, &c. In quo deserto: vbicumque fugeris, congregabant se cæteri, desertum tecum petent, affectabunt vitam tuam, tu repellere non potes societatem fratrum. Miscentur tibi etiam mali, &c. in quo deserto? si fortè in conscientia, quò nullus hominum intrat, vbi nemo tecum est, vbi tu & Deus est, &c. Solus erat in conscientia, sed non solus in charitate: intus consolabatur conscientia, sed forinsecùs tribulationes non relinquebant. PROPEMODVM, *aliquatenus mihi palliato fas erit publico prodesse.* MARGINE, *loco superiore, vt pulpito & cathedra.* AREA, *loco inferiori & plano.* DICERE, *præscribere.* TVÆ OPERÆ, *labor tuus, ô Togate.* AD ACVTA, *si tecum acutè certem.* TOGÆ, *togati.* LORICÆ, *loricati.* VETERNIS, *ignauiis.* IMPETIGINI, *prurigini laudis.* ADIGO, *admoneo verba caustica & seuera.* NVMMVM, *nummorum.* ORBEM CITRI, *mensam rotundam citream.* AZINIVS GALLVS, *Orator & Poëta.* EIVSDEM MAVRITANIÆ, *ex eadem Mauritania, vnde venit empta mensa Ciceronis.* NVMERAT, *persoluit, decem millibus nummorum.* LIGNEAS MACVLAS, *quibus erant variegatæ hæ mensæ.* QVA LANCES, *scilicet ambitione Sylla extruxit catinos & patinas, tanti ponderis, de quibus & Tertull. lib. de anima*, quod lancibus splendidissimis Syllanis effertur: DRVSILLANVS. *Vide Plin. lib. 33. cap. 11.* CLAVDII, *Imperatoris.* PROMVLSIDEM,

condimentum dulce, intellige continens pro contento, in quo esca proseritur: erat enim genus vasis & lancis, quingentarum librarum pondere, recipiendo mulso destinatum. NECESSARIAM, congruam sumptui respondenti. OFFICINA EXTRVCTA, Plin. supra cui fabricandæ prius officina ex ædificata fuerat. DEBVIT ET TRICLINIVM, exerui scilicet dignum magnificentia tam pretiosa lancis. SCALPELLVM, cultellum siue lanceulam, vt sanguinem eliciam ex homine sitibundo humani sanguinis. VEDIVS POLLIO, Plin. lib. 9. cap. 23. Inuenit in hoc animali documenta, Vedius Pollio, Seneca libro tertio de ira eum vocat Antedium; Dio & Xiphilinus. Ouidium vocat, Eques Romanus ex amicis Augusti, viuariis earum immergens damnata mancipia. TERRENÆ, mirum, cum non inueniam apud authores nisi marinam & fluuialem, nisi fortè amphibia sit, cum serpente enim coire dicitur, & vocata sibilo accedere ad anguem, vt & notauit Ambrosius. Ex Plinio tamen lib. 9. cap. 57. terreni pisces dicuntur; qui decedentibus fluuiis in cauernis terræ remanent. Vel Tertullianus terrenos pisces dicit, qui marini licèt & fluuiales, in piscinis terra aluntur. alij legunt teneræ, quia delicatus est piscis. EDENTVLÆ, alij, tamen ei dentes acutos tribuunt; ob duplicem fortè speciem. Plin. libri noni capite vigesimo tertio. Polliones Murenas edentulas facit. PLACVIT FERAS COGERE, delectato scilicet Vedio crudeli, piscem mitissimum (quique adeo mansuescit, vt de manu cibum capiat, cui & Antonia Drusi, inaures applicauit, & Crassus murenam mortuam fleuit vt filiam) visum est præ crudelitate feram crudelem, contra naturam facere. PAVVM CIBI CAVSA, ad edendum. Ita & Plin. lib. 10. cap. 20. arguitur quod primus Pauonem in escam apposuerit. Inde factus communis cibus: de quo Augustinus libri vigesimi primi de Ciuitate capite quarto, in

S. Aug. princip. Quis nisi Deus Creator omnium, dedit carni Pauonis mortui ne putrefieret? Quod cùm auditum incredibile videretur, euenit vt apud Carthaginem nobis cocta apponeretur hæc auis. De cuius pectore pulpatum quantum visum est, decerptum seruari iussimus. Quod post dierum tantum spatium, quanto alia caro quæcumque cocta putresceret, prolatum atque oblatum, nihil nostrum offendit olfactum. Itemque repositũ post dies ampliùs quàm triginta idem quod erat inuentum. Idemque post annum, nisi quod aliquantum corpulentiæ siccioris & contractioris fuit. AVFIDIVS LVRCO. De hoc vide Varronem. COACTIS ELEMENTIS. id est, rerum principiis, per adsitia obsonia adulterauit saporem: alij legunt: coactis alimentis: id est per vim ingestis corporibus animalium, quæ sic vitiabat & corrumpebat. MVLLI piscis; dicti aliter, trigla. Pulmentum ducentis septuaginta quinque aureis emptum domum tulit. CANORIS, quales lusciniæ. LOQVACIBVS, humanam vocem imitantibus. CONFISCAVIT, DETVLIT, emit & obstulit sex sestertiis emptum. CENTVM MILLIVM PATINAM CONFISCAVIT, non aues intelligit, sed ingentem patinam quam reposuit in officina magna, vt quoties vellet ex ea aues magni pretij depromeret: alij conflauit: quasi fisco suo addixit. Hieronymus ad Saluinam: Procul sint à conuiuiis tuis aues, quibus amplissima patrimonia auolant. FILIVS EIVS. Clodius scilicet Æsopi Tragœdi filius, de quo Plinius libro nono capite trigesimo quinto. MARGARITA: in neutro genere; Plinius lib. 9. cap. 35. Vt experiretur in gloria palati quid saperent Margaritæ, vt mirè placuere, ne solus hoc sciret, singulis vniones conuiuis absorbendos dedit. de hoc Horat. us lib. 2. Sat. 3.

> Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ,
> Scilicet vt decies solidùm exsorberet, aceto
> Diluit insignem baccam.

id est, vnionem ingentem, in formam baccæ insertam auro circulo inaurem. TACEO NERONES, insignes ventricolas. RVFOS, Sempronium Rufum intellige, qui primus Ciconias in cibum occidit. Ex Scholiaste veteri Horatij, vnde & repulsam passus à Senatu. CATHARTICVM. Est Hypocrati medicamentum, onusto ventri laxando idoneum. SCAVRI, non est hic M. Æmilius Scaurus, sed Mammercus Sergius, de quo Tacitus sexto Annalium. CVRII, Quintus Curius aleator celebris. ANTONIVS. Marcus Antonius Triumuir, potator egregius, de quo Plin. Sidonius, Cicero in Philippicis. QVALES, &c. Inducit obiicientem togam. alii sic distinguunt: quales apud Pallium haud facilè. PVRVLENTIAS. Immunditias tales apud Palliatos non inuenies, quorum solum est, eas in Togatis carpere, & pungendo ad suppurationem & correctionem adducere. SERMONE, &c. ait Toga Pallio, vel togatus palliato; sumpta tamen sententia a quodam sic loquente apud Euripidem. ELOQVIVM QVIESCAT, si pallium taceat. INFANTIA, fandi impotentia, aut pudore. SONAT, loquitur. ÆMVLVM, aduersarium. PATITVR, quia ex opposito confunditur, vel zelo æstuat. MENTIBVS, quem cogitatione sola sine horrore vel timore ferre non potest, quomodo in eum oculos audebit figere? VIDERIT NVNC, Toga, quid pallij philosophia possit. NEC SOLA MECVM, Loquitur pallium; non solam philosophiam aperio, sed & præcipuos quoque artium liberalium Professores, qui pallio vtuntur. IN PVBLICO, publicè & apertè, reip. euidenter vtiles. INFORMATOR, abecedarius, siue elemẽtarius. EDOMATOR VOCIS, alij, Enodator, qui pronunciare docet vel canere. ARENARIVS, Calculator, Arithmeticus qui vel in arena describit numeros, vel ab arena calculos, trahit ad calculandum, Sophista, Dialecticus. MVSICAM PVLSAT, Cytharista. STELLAREM, Astrologus, qui coniicit ventura ex stellis inspectis. VOLATICAM, Augur ab auium volatu inspecto sumens auguria. LIBERALITAS, artes liberales. QVATVOR ANGVLIS, quadrato pallio, sine arte, ex simplici panno consuto. PLANE, ait Toga contra Pallium; fateor te multos Professores artium liberalium tegere sed & tu fatebere, ipsos esse longè inferioris dignitatu infra equites Romanos. VERVM, &c. Respondet Pallium, non tantùm infima sortis homines, sed & Prætoris edicto infames multi togati incedũt quales gladiatores. ACCEDONES, alij Accendones, id est lanistæ, accendentes, & exhortantes ad pugnam; alij cerdones. HÆC NIMIRVM, & post hæc, indignum iudicabitis, viri Carthaginienses, quod transierim a toga ad pallium. Ego verò debeo plurimum susceptæ fidei & disciplinæ Christianæ, eique acceptum referam lucrum captum ex commertio & mutatione togæ in pallium, cum professus diuinam sectam & modestiam Christianam, habitum quoque simplicem & modestum indui. MELIOR TE PHILOSOPHIA, quàm Græca; Christiana scilicet honorauit, dum te etiam, ô pallium, dignata est pro habitu sumere; sicut ego te cum cæteris factus Christianus, indui, vel Presbyter.

4. *Pallio fauit Cato Censorinus, dum à Græcis senex Græcas litteras didicit. De Pall. c. 3. in f.*

IPse qui Græcos præter vrbem censebat, litteras eorum vocemque senex iam eruditus, idem Cato iuridicinæ suæ in tempore humerum exertus, haud minùs palliato habitu Græcis fauit.

PALLIVM. 4. SCHOL.

PALLIVM GRÆCVM, *non voce, sed vsu. Vsus* A *pallij à Græcis trãsiit ad Latinos. Licèt pallii nomen Latinum sit, vsus tamen magis Græcus est. sed* cum voce vestis intrauit, *quia Latini qui iam vocem pallij habebant, vsum quoque eius à Græcis acceperunt.* IPSE, *Prætor Romanus Cato.* QVI GRÆCOS, &c. *id est, ex censu & albo ciuium Romanorum pellebat. alii legunt* pellendos vrbe censebat: *tanquam exules enim vt aqua & igni, sic toga priuabantur. Ita de Valerio Liciniano Plin. lib. 4. epist. 11.* Cùm Græco pallio amictus intrasset; carent enim togæ iure, quibus aqua & igne interdictum est; postquam se composuit, circumspexitque habitum suum; Latinè, inquit, declamaturus sum, dicens tristia, & miseranda. IVRIDICINÆ, *dum ius diceret.* HVMERVM EXERTVS, *humero ex parte nudato. Hic pungit Catonem; quòd cùm Græcorum hostis esset, Græcis tamen fauit in hac parte; tum quòd senex didicerit linguam Græcam, tum quod aliquando togam suam humero ex parte nudato, quasi ad pallium deforme deposuerit, confuso eius tabulato, & tiliis ac plicis perturbatis:* HVMERVM EXERTVS, *sic intincti erant Consules, vel Prætores cùm in actu solemnulessent, Iani portas aperirent, rem diuinam facerent, in Circo mappam mitterent, ius dicerent. Cinctum Gabinum dixit Isidorus lib. 19. cap. 24. Et sic Cato toga ritu Gabino cincta, quasi palliatus videbatur. Vbi nota Oratores humero extra togam declamasse, Iudices verò intra togam iudicia exercuisse. Inde Cicero pro Cælio.* Nobis quidem olim armus erat vnus ad cohibendum brachium toga constitutus, & vt exercitatione ludoque campestri tunicati vteremur. *Vnde Cato hic Prætor in iudicio exertus humerum immodestiæ arguitur. Multò magis autem pungitur ab Augustino Marcus Cato, qui victoriam Cæsaris non ferens seipsum interemit: licèt Cicero Paradox. 1. eum perfectum Stoicum vocet, vt & Senec. Lactant. autem lib. 3. c. 18. Romanæ Sapientiæ Principem. Sic enim Aug. lib. 1. de Ciu. c. 23.* S. Aug. Quia vird doctus & probus habebatur, meritò putetur rectè etiam fieri potuisse, vel posse, quod fecit. De cuius facto quid potissimùm dicam, nisi quòd amici eius, etiam docti quidam viri, qui hoc fieri prudentiùs dissuadebant, imbecillioris quàm fortioris animi facinus esse censuerunt? quo demonstraretur, non honestas, turpia præcauens, *vt sup. dixerat de Lucretia,* sed infirmitas aduersa non sustinens.

PAPA.

* *Papa est Episcopus Episcoporum. De pudic. cap. 1. à princ.*

AVdio etiam edictum esse propositum, & quidem peremptorium, Pontifex scilicet Maximus, quod est, Episcopus Episcoporum, edicit.

PAPA. SCHOL.

EPISCOPVS EPISCOPORVM. *Benè est, quod ab Hæretico iam Tertulliano, tam augustum pro Romano Pontifice testimonium accipimus. Quidquod & hoc libro de Pudicitia cap. 13.* Bonum Pastorem, & benedictum Papam, *& c. 21.* Apostolicum *nuncupet. Omnes certè Patres & Græci & Latini Romanum Pontificem Maximum, vt Episcoporum omnium Episcopum vt Petri legitimum successorem agnouerunt, & consuluerunt, quod superfluum est probare. Augustinus ep. 165. ad Generosum, in principio, texit serigni etiam per nomina singulorum Pontificum Romanorum à Petro vsque ad Anastasium.* Si Ordo Episcoporum sibi succedentium S. Aug. considerandus est, quantò certius & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait, Matth. 16. 18. super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim successit Linus, &c. In illum autem Ordinem Episcoporum qui ducitur ab ipso Petro vsque ad Anastasium qui nunc eandem Cathedram sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præiudicâret Ecclesiæ & innocentibus Christianis: quibus Dominus prouidens ait de Præpositis malis Matth. 23. 3. quæ dicunt facite: quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt. Vt certa sit spes fidelibus, quæ non in homine, sed in Domino collocata, numquam tempestate sacrilegi schismatis dissipetur: sicut isti dissipati sunt, qui legunt in codicibus Sanctis, Ecclesias, quibus Apostoli scripserunt, & nullum in eis habent Episcopum. *Et paulò infra sic de Episcopis & ipso Imperatore scribentibus ad Romanum Pontificem; vbi de Constantino:* S. Aug. vt propter ipsam causam inter Afros Episcopos dirimendam, iudices ex Gallia Episcopos mitteret. *Scilicet Constantinus rogatus est à Donatistis* literas etiam eiusdem Imperatoris, vbi Episcopos misit ad Vrbem Romam. *Idem Aug. to. 6. libro contra Epistolam fundamenti Manichæi cap. 4. in p. vbi de Ecclesia Romana:* S. Aug. multa sunt quæ in eius gremio me iustissimè teneant. Tenet consensio populorum atque Gentium; tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post Resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum: tenet postremo ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia soli obtinuit, vt cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum, vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot & tanta Christiani nominis charissima vincula, rectè hominem tenent credentem in Ecclesia Catholica. *In rem autem præcisè Tertulliani, to. 7. lib. 2. de baptismo contra Donatistas cap. 2. cum circa finem dixisset cæteros Episcopos inuicem sibi æquales; capite tamen primo circa finem nullum Episcopum Petro omnibus superiore, æqualem dixit. Sic ergo cap. 2.* S. Aug. Superest vt de hac ipsa re *agebatur de hæreticis non rebaptizandis* quid singuli sentiamus, proferamus; Neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, si diuersum senserit, amouentes. Neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habet omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis suæ arbitrium proprium, tanquam iudicari ab alio non possit, quomodo nec ipse potest alterum iudicare, sed expectemus vniuersi iudicium Domini nostri Iesu Christi, qui vnus est solus habens potestatem, & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro iudicandi. *Quod ait de Episcopis, seorsim ab inuicem independentibus, & quia potestas originalis iurisdictionis à Christo manat, qui Spiri-*

tum sanctum dedit Apostolis, cuius vnctione consecrati, primi omnium Episcopi independenter ab inuicem regerent Ecclesiam. Act. 20. 28. Sic Paulus Episcopis: Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. *Ceterum vt Cephas caput Apostolorum, cui non tantum agnos id est filios fideles, sed & oues, id est Apostolos fidelium agnorum matres pascere & regere iussit Christus; sic & Pontificem maximum super omnes Episcopos Episcopum constituit. Præterea quod Episcopi ad Romanum Pontificem recurrant, & singillatim, & communi in concilio collecti, multis locis probat Augustinus libro 2. retract. cap. 48.* Posteaquam Pelagiana hæresis cum suis authoribus ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ prius Innocentio, deinde Zozimo, cooperantibus Conciliorum Africanorum literis conuicta, atque damnata est. *Et cap. 51.* Sequuntur libri quatuor, quos contra duas epistolas Pelagianorum, ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ Bonifacium scripsi. S. Aug.

APPENDIX EX SS. PATRIBVS, DE SVPREMA PONTIFICIS Romani dignitate.

Hærendam primum, excutio & explodo hæreticorum calumniam, qui Romani Pontificis maiestatem ignorantes blasphemant, eumque non Vicarium Christi, sed Antichristum appellare non verentur. Atque vt luceat quam turpiter errent, Paulus 2. Thess. 2. 3. monet sub extremis temporibus venturum Antichristum. Neque terreamini quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat vllo modo: quoniam nisi venerit discessio primum, *Syr. prius rebellio*, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, itaut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus, &c. Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui, eum cuius est aduentus secundum operationem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, iis qui pereunt. *Atqui hæc omnia repugnant Romanis Pontificibus qui post Christum & Petrum, à primis nascentis Ecclesiæ temporibus vsque modo, sine interruptione sedi Apostolicæ successerunt. Plerique ex eis sanctissimi, & non homines peccati, & filij perditionis, nec contra Dei cultum rebelles, sed eius adorationem toto orbe procurantes. Nec pro Deo haberi volentes, sed se seruos seruorum Dei appellari gaudentes. Ad hæc Antichristi regnum tribus tantum annis cum medio durabit, iuxta scripturam & Patres Dan. 7. 25.* Per tempus & tempora, & dimidium temporis. *De quo Irenæus lib. 5. cap. 25.* Sanctos altissimi Dei conteret, & cogitabit mutaturus tempora, & legem: & dabitur in manu eius vsque ad tempus temporum, & dimidium tempus, hoc est triennium, & sex menses, in quibus veniens regnabit super terram. *Sic Hyppolitus Martyr orat. de consummatione mundi, & Antichristo, idem supputat per dies iuxta Dan. 12. 11.* Et à tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationes, dies mille ducenti nonaginta. Duo, inquit, Prophetæ *Elias & Enoch* per vniuersum mundum denuntiantes aduentum Antichristi mille ducentos sexaginta dies amicti saccis. *Et noster Augustinus lib. 20. de Ciuit. cap. 23.* Tempus quippe, & tempora, annum vnum esse, & duos, & dimidium: ac per hoc tres annos, & semissem, etiam numero dierum posterius posito dilucescere aliquando in scripturis, & mensium numero declaratur. Videntur enim tempora indefinitè hic dicta lingua Latina, sed per dualem numerum dicta sunt, quem Latini non habent. Sicut autem Græci, ita hunc dicuntur habere & Hebræi. Sic ergo dicta sunt tempora, tanquam dicerentur, duo tempora. *Et eodem lib. cap. 30. circa s. qui iudicem præcurrant aduersus.* In illo itaque iudicio, vel circa illud iudicium, has res dicimus esse venturas: Heliam Thesbitem, fidem Iudæorum, Antichristum persecuturum, Christum iudicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum malorumque diremptionem, mundi conflagrationem, eiusdemque renouationem. *Cùm itaque Antichristus sub finem tantùm mundi venturus sit, & Pontifices iam à sexdecim sæculis regnent, stultè Papa vocatur Antichristus. Præterea cum Pontifices plures fuerint, & diuersi nomine, vnus esse debet singularis Antichristus, & nomen eius iuxta Ioannem in Apoc. Debet continere apud Græcos numerum. 666. quem numerum nullus hactenus suo nomine Papa compleuit. Nomen item Antichristi debet esse proprium & in ore omnium versari, qui tunc vendere vel emere quidpiam volent. Errant ergo hæretici qui nomen λατεῖνος ei applicant ratione numeri. Quia non per ε, sed per ι. scribitur, si Latinum sonat, nec proinde in eo sic scripto numerus 666. inuenitur.* Nec Romeith. *Hebræum: quia Romani nomen masculinum est; terminatio verò huiusmodi apud Hebræos, est fœminini generis. Vnde, Aretha teste, deficit hic numerus, ex quo sic, detrahuntur quadringenti. Quòd si ex litterarum numero nomen Antichristi augurari liceret, non vnum, sed plurimos Antichristos fore contra scripturæ veritatem adstrueremus. Vnde & sapienter Irenæus libro 5. contra hæreses cap. 30.* Quoniam autem inquit, non propter inopiam nominum habentium numerum nominis eius, dicimus hæc; sed propter timorem erga Deum, & zelum veritatis: εὐανθας enim nomen habet numerum de quo quæritur, sed nihil de eo affirmamus. Sed & λατεῖνος nomen habet 666. numerum: & valde verisimile est, quoniam nouissimum regnum hoc habet vocabulum. Latini enim sunt, qui nunc regnant: sed non in hoc nos gloriabimur. Sed & τειταν, prima syllaba per duas Græcas vocales, ε. & ι. scripta, omnium nominum quæ apud nos inueniuntur, magis fide dignum, &c. Nos tamen non periclitamur in eo, nec asseuerantes pronuntiabimus hoc eum nomen habiturum: scientes quoniam si oporteret manifestè præsenti tempore præconari nomen eius, per ipsum vtique editum fuisset, qui & Apocalypsin viderat. *Attendat igitur Lector & videat, si quid Papæ conueniat ex propriis Antichristi conditionibus: primò an sit homo singularis, se Christum & Messiam dicens; secundò si nomen eius præfatum contineat numerum. Tertiò si ei veteres Prophetiæ possint aptari. Quartò, si natione Iudæus sit, & de tribu Dan: Et à Iudæis agnitus & cultus. Si in templo Salomonis sedeat. Si ignem de cœlo decerpat, statuas loqui faciat, fingat mori & suscitari. Si tres Reges Ægypti, Lybiæ & Æthyopiæ debellet, & septem alios subiuget, seque totius orbis præstet Monarcham, & omnium thesaurorum possessorem. Si Christum neget, se Christum faciat vocari, & Christianos persequatur, singulos cogens suum portare characterem, & occultè Deum falsum adorare; si Enoch & Eliam occidat, si ipse spiritu oris Christi sit occisus. Quod si obiiciat hæreticus Ioannem 1. 2. 18. dixisse:* filioli nouissima hora est: & sicut audistis quia Antichristus venit: & nunc Antichristi multi facti sunt: vnde scimus, quia nouissima hora est: *Dico Syriacè legi, non in præsenti sed futuro:* audistis venturum Pseudochristum. *Deinde Antichristi præcursores in officio, iuxta Irenæum lib. 5. cap. 25. Cyrill. Catech. 15 Chrysost in 2. Thess. 2. Hiero. in Dan. 7. & quæst. 11. ad Algasiam, Greg lib. 32. Mor. cap. 12. Damasc. lib. 4 fid. cap. 28. omnes hæreticos fuisse*

(margin: S. Aug.)

Vnde Ambr. in Luc. 21. Est certius Antichristus, aut Arrius, aut Sabellius: imò omnes sunt Antichristi, qui praua nos interpretatione seducunt. *Augustinus*
S. Aug. *in Psal. 9. in versum* insidiatur in occulto, velut leo in cubili suo. Leonem, inquit, dicit eum, in quo & vis, & dolus operatur. Prima enim persecutio Ecclesiæ violenta fuit, cùm proscriptionibus, tormentis, cædibus, Christiani ad sacrificandum cogerentur. Altera persecutio *præcurrens Antichristum* fraudulenta est, quæ nunc per huiuscemodi hæreticos & falsos fratres agitur. Tertiá superest per Antichristum ventura, qua nihil periculosius, quoniam & violenta, & fraudulenta erit. Vim habebit in Imperio, dolum in miraculis; Ad vim relatum est, quod dictum est, leo: ad dolos, quod dictum est, in cubili suo.

Ad Papæ nomen quod attinet, fuit & apud Ethnicos, cùm ex Arriano Bithynij summũ Iouem Papam vocarent: & ex Herodoto, Schythæ Iouem Pappeum nominarent. Cæterùm non tantùm Episcopum Romanum, sed & alios quoque dictos Papas constat ex epistolis, Ambrosij, Hieronymi, & Augustini. Apud Cyprianum quoque idipsum testantur epistolæ Cleri Romani, & Confessorum ad Cyprianum. Vnam referam, quæ tertia numero est Cleri Romani ad Clerum Carthaginensem, de successu D. Cypriani, vbi ijsdem, quibus Tertullianus de Zephyrino Pontifice Maximo his verbis incipit: Didicimus secessisse benedictum Papam Cyprianum à Clementio Subdiacono, qui à vobis ad nos venit certa ex causa; quod vtique rectè fecerit, propterea quòd cùm
C sit persona insignis, & imminente agone quem permisit Deus in sæculo colluctandi causa cum aduersario, simul cum seruis, volens etiam Angelis & hominibus certamen hoc manifestare, vt qui vicerit coronetur, &c. *Et posteà à temporibus Iustiniani Imperatoris proprium factum est Romani Pontificis, qui eum vocauit* sanctissimum Romani Senatus Papam: *id est patrem. Vt & Constantinus Imperator Constantis filius, in diualibus Synodi sextæ, actione prima. Sed & ab exordio nascentis Ecclesiæ S. Ignatius Apostolorum discipulus in epistola ad Virginem Dei genitricem, sic ei scribit de S. Anacleto:* Verus, inquit, est sermo quem audiui Romæ de te, apud beatum Papam Anacletum, cui successit beatitudine dignus Clemens Petri & Pauli auditor. *Initio Concilij Chalcedo-*
D *nensis D. Leo sic vocatus.* Domino beatissimo & Deo amabili Patri Leoni Flauianus in Deo æternam salutem, *Et rursum:* Sanctissimo & beatissimo Patri & consacerdoti Leoni. *Et iterum ibidem:* Valentinianus & Marcianus semper Augusti Imperatores, Leoni Reuerendissimo Archiepiscopo gloriosæ ciuitatis Romæ. *Et ibidem act. 16. circa fin.* Relatio sanctæ Synodi Chalcedonensis ad beatum Papam Leonem. Sancta & magna Vniuersalis Synodus, &c. Sanctissimo & beatissimo Romanorum Episcopo Leoni.

Concilium item Lateranense, consultatione secunda. Domino sancto, & meritis beatissimo, totoque orbe Apostolico & vniuersali Pontifici Martino Pa-
E pæ; Maurus seruus seruorum Dei Episcopus: *Pariter & Græci in eodem Concilio, consultatione secunda:* Per iussionem sanctam, siue præceptionem diuinitùs præsidentis vobis, atque omnibus his præeminentis Sacerdotis Sacerdotum, & Patris Patrum Domini nostri Martini, ter beatissimi Papæ, generaliter habitantium in hac prædicta ciuitate Græcorum Abbatum seruorum Vestræ Sanctitatis docemus, &c.

Sic Athanasius in epist. ad Marcum Papam. Domino sancto Apostolici culminis, Venerando Marco, S. R. & Apostolicæ Sedis, atque Vniuersalis Ecclesiæ Papæ, Athanasius, & vniuersi Ægyptiorum
A Episcopi, salutem. *Et circa finem:* Optamus vt à vestræ sanctæ Sedis authoritate, quæ est mater & caput omnium Ecclesiarum, ea ad correctionem, & recreationem fidelium Orthodoxorum percipere per præsentes Legatos mereamur, &c. Verè nouimus Apostolatus vestri cor, gratiâ S. Spiritus in tantum esse accensum, vt omnibus oppressis succurratis; quantò magis nobis, qui licèt exigui ordinis, tamen vestri sumus, vobisque obedientes cum omnibus nobis commissis, & sumus, & semper esse volumus? &c. Orantem pro nobis sanctum Apostolatum Vestrum suis Dominus conseruet temporibus.

Ad hæc, quicunque cum Episcopo Romano communicabat, cum Ecclesia Catholica communicare censebatur, Ita
B *Cyprian. ep. 52. sub init.* Significasti cum Nouatiano te non communicare, sed sequi consilium nostrum & cum Cornelio Papa Coepiscopo nostro, vnum tenere consensum. Scripsisti etiam, vt exemplum earumdem, litterarum ad Cornelium collegam nostrum transmitterem, vt deposita omni sollicitudine iam sciret, te secum, hoc est cum Catholica Ecclesia communicare.

Hieronymus item in Epist. ad Damasum Papam, de nomine hypostaseos: Ego cum successore piscatoris, & discipulo crucis, loquor; ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudinis tuæ, id est Cathedræ Petri communione consocior; super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in arca non fuerit, peribit regnante diluuio. Non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum: quicumque tecum non colligit, spargit: hoc est: qui Christi non est, Antichristi est. *Idem aduersus Luciferianos disputans:* Ecclesiæ, inquit, salus à summi Sacerdotis dignitate pendet: cui si non eximia quædam, & ab hominibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot Sacerdotes.

Quantæ authoritatis fuerit Papæ dignitas, testantur Patres & Concilia, ad Pontificem Romanum in grauissimis causis recurrentia. Sic enim Origenes accusatus hæresis, Fabio Pontifici literas misit sua Pœnitentiæ testes. Fortunatus, & Felix, à Cypriano depositi, ad Cornelium Papam appellarunt. Marcion excommunicatus à suo Episcopo, ad tribunal Pij primi appellauit. Chrysostomus ab Innocentio primo petiit, sede sua Constantinopolitana pulsus, Theophili Episcopi Alexandrini, aliorumque aduersum se acta rescindi. Iulius primus restituit sedibus suis extorres, Arrianorum factione, Athanasium Alexandrinæ, Paulum Constantinopolitanæ, Marcellum Ancyranum Galatiæ, Lucium Hadrianopoli, Asclepam Gazæ Palestinæ. Notauit etiam Sozomenus lib. 3. historiæ cap. 7. Arrianorum criminationes ad se delatas patienter audisse, & calumniatos in communionem recepisse. Quorum, inquit, criminationes cum Episcopus Romanus intellexisset, & omnes fidei Concilij Nicæni consentientes reperisset, in communionem recepit. At cùm propter sedis dignitatem, cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit, scripsitque ad Episcopos Orientis, eosque incusauit, quod se inconsulto, de hisce viris iudicassent; deditque mandatum, vt quidam illorum, omnium nomine ad diem constitutum accederent, perspicuè declaraturi, sententiam quam de his tulerat, æquam iustamque esse. Quin etiam minatus est, se de reliquo non passurum, eos inultos esse, nisi nouis rebus studere desinerent. *Conciliis tandem præsidere Papam, eumque consulere solitos Patres in Concilio collectos, testis est Cyprianus cum collegis in Concilio scribens Stephano Papæ ep. 72.* Ad quædam disponenda, & consilij communis examinatione limanda, necesse habui-

mus, frater charissime, conuenientibus in vnum pluribus Sacerdotibus, cogere & celebrare Concilium. In quo multa quidem prolata atque transacta sunt, sed de eo vel maximè tibi scribendum, & cum tua grauitate ac sapientia conferendum fuit, quod magis pertineat & ad Sacerdotalem authoritatem, & ad Ecclesiæ Catholicæ vnitatem pariter ac dignitatem, de diuinæ dispositionis ordinatione venientem. *Vincentius Lirinensis, lib. de hæresibus. cap. 9. Primatum Romanæ Ecclesiæ in eius Pontifice S. Stephano sic commendat:* Quondam, inquit, Venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginiensis Episcopus, primus omnium mortalium, contra diuinum canonem, contra vniuersalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem ac instituta Maiorum, rebaptizandum esse censebat. Quæ præsumptio tantum mali inuexit, vt non solùm hæreticis formam sacrilegij, sed etiam quibusdam Catholicis occasionem præbuerit erroris. Cùm ergo vndique ad nouitatem rei cuncti conclamarent, atque omnes quaquauersum Sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur; tunc beatæ memoriæ Papæ Stephanus, Apostolicæ sedis Antistes, cum cæteris quidem collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit: dignum, vt opinor, existimans, si reliquos omnes, tantum fidei deuotione vinceret, quantum loci authoritate superabat. *Basilius ep. 52. ad Athanasium:* Visum est mihi consentaneum, vt scribatur Episcopo Romæ, vt quæ hîc geruntur consideret, detque consilium: & quoniam difficile est, vt communi ac Synodico Decreto aliqui illuc mittantur, ipse sua authoritate in ista causa vsus, viros eligat ad ferendas quidem itineris molestias idoneos, & accommodos, vt mansuetudine & affabilitate ingenij, eos qui discordiis obliti apud nos sunt, corrigant.

S. Aug. *Augustinus epistola 90. cum Patribus Concilij Carthaginiensis Innocentio primo scribit de Actis contra Pelagium & Cælestium.* Domino beatissimo, & honorandissimo fratri S. Innocentio Papæ, &c. hoc itaque gestum Domine frater sancte, Charitati tuæ intimandum duximus, vt statutis nostræ mediocritatis, etiam Apostolicæ sedis adhibeatur authoritas, pro tuenda salute multorum, & quorumdam peruersitate etiam corrigenda. Id enim agunt isti damnabilibus disputationibus suis, vt non defendendo, sed potius in superbiam sacrilegam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquant locum gratiæ Dei qua Christiani sumus: qua & ipsum nostræ voluntatis arbitrium fit liberum, dum a carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur, dicente Domino: si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis: quod auxilium fides impetrat quæ est in Christo Iesu Domino nostro. *Sic in ep. 92. eiusdem Augustini & Episcoporum Concilij Mileuitani ad eundem Innocentium de cohibendis Pelagianis.*

S. Aug. Domino beatissimo, meritoque Venerabili & in Christo honorando Papæ Innocentio, &c. Ex Concilio Mileuitano in Domino salutem. Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuæ munere in sede Apostolica collocauit, talemque nostris temporibus præstitit, vt nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam Venerationem, quæ pro Ecclesia suggerenda sunt, tacuerimus, quàm ea tu possis vel fastidiosè, vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Christi, Pastoralem diligentiam quæsumus adhibere digneris. Noua quippe hæresis, & nimium perniciosa tempestas surgere inimicorum gratiæ Christi cœpit, qui nobis etiam Dominicam orationem impiis disputationibus conantur auferre. Cùm enim Dominus docuerit vt dicamus, &c. Ne nos inferas in tentationem; non ita intelligendum tanquam diuinum adiutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati

A decidamus, sed hoc ita in nostra esse positum potestate, & ad hoc implendum, solam sufficere voluntatem hominis; tanquam frustra Apostolus dixerit, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Et, fidelis Deus qui non permittet vos tentari super id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, vt possitis sustinere. Frustra etiam Dominus dixerit Apostolo Petro, rogaui pro te, ne deficiat fides tua. Et omnibus suis; vigilate & orate, ne intretis in tentationem, si hoc totum est potestatis humanæ, &c. Sed arbitramur adiuuante misericordia Domini nostri Iesu Christi qui te & regere consulentem & orantem exaudire dignatur, authoritati Sanctitatis tuæ de sanctarum Scripturarum authoritate depromptæ, facilius eos qui tam peruersa

B & perniciosa sentiunt esse cessuros; vt de correctione potius eorum congratulemur, quam contristemur interitu, &c. Hæc ad sanctitatem tuam de Concilio Numidiæ scripta direximus, imitantes Carthaginiensis Ecclesiæ, Carthaginiẽsis Prouinciæ Coepiscopos nostros, quos ad sedem Apostolicam, quam beatus illustras, de hac causa scripsisse comperimus. *Nec aliter epist. 106. ad Bonifacium (alij Paulino) inscribunt.* Scripsimus, inquit, ad beatæ memoriæ Innocentium, præter Conciliorum relationes, S. Aug. litteras familiares, vbi de ipsa causa aliquanto diutius egimus. Ad omnia nobis ille rescripsit, eodem modo quo fas erat, atque oportebat Apostolicæ sedis Antistitem.

Quod summi Pontifices successores Petri per legatos suos

C *& Vicarios Conciliis præsint, constat primo ex Act. 1. 15. vbi Petrus præsidens Concilio primo discipulorum fermè 120. de Matthiæ in locum Iudæ subrogatione tractauit. Vt & Actorum 15. 7. in altero Concilio in quo actum est de circumcisione & cerimoniis legalibus; surrexit Petrus, velut caput Concilij pronuntiauit.* Visum est Spiritui sancto & nobis, &c.

In Catalogo item Episcoporum subscribentium Concilio Niceno: Hosius Episcopus ciuitatis Cordubensis, Prouinciæ Hispaniæ, Victor, & Vincentius, vel Vitus, Presbyteri vrbis Romæ, pro Venerabili viro Papa & Episcopo nostro S. Siluestro subscripsimus, ita credentes, sicut supra scriptum est. *Liquet item ex signaturis eiusdem Concilij Niceni secundum Concilium generale Constantinopoli celebratum vi litterarum Da-*

D *masi Papæ. Vbi excusant se Patres, quòd non conuenerint Romam, quo conuocati fuerant, sic S. Cyrillus, Celestini Papæ Legatus tertio Concilio generali Ephesi præfuit, vt patet parte 1. Concilij Ephesini actione prima.* Considentibus in sanctissima Ecclesia quæ appellatur Maria, religiosissimis, & sanctissimis Episcopis Cyrillo Alexandriæ, qui & Celestini quoque sanctissimi sacratissimique Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopi locum obtinebat, & Iuuenali Ierosolymorum, &c. *Tandem & Concilio Chalcedonensi, pro S. Leone præfuerunt Paschasinus, & Lucentius, cum Bonifacio Presbytero. Verba sunt Concilij Chalcedonensis, Act. 1.* Conueniente sancto & vniuersali Concilio, secundùm sacram præceptionem in Chalcedonensi vrbe congregato, id est Paschasino & Lucentio, Reuerendissi-

E mis Episcopis, & Bonifacio religiosissimo Presbytero, tenentibus locum sanctissimi & Reuerendissimi Archiepiscopi almæ Vrbis, Leonis. *Et actione 2.* Post lectionem epistolæ Leonis Papæ, Reuerendissimi Episcopi clamauerunt, hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides, omnes ita credimus orthodoxi. Anathema qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus est. Apostoli ita docuerunt. Piè & verè Leo docuit. *Et actione 3. in libello directo ad Leonem, & Chalcedonense Concilium:* Sanctissimo, & beatissimo, vniuersali Archiepiscopo & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & sanctæ, & vniuersali Chalce-

donensi Synodo, voluntate Dei, & diuina præceptione congregatæ libellus ab Ischyrione magnæ Alexandriæ ciuitatis Diacono.

Sozomenus lib. 3. cap. 9. scribit irrita esse Concilia, sine authoritate summi Pontificis, ad illos, inquit, qui Antiochiæ conuenerant in vnum scripsit, atque adeo incusauit, quòd clam contra fidem Concilij Nicæni nouas res moliti fuerant, quodve contra leges Ecclesiæ ipsum ad Concilium non vocarant. Nam legem esse ad Sacerdotij dignitatem spectantem, quæ pronuntiat, acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Episcopi Romani constituuntur.

Superest vt præclaris veterum Patrum elogiis appendicem concludamus. Summus itaque Pontifex in Concilio Ephesino totius fidei caput: *in Constantinopolitano, Leo* vt membris caput præsidens. *à Nazianzeno orat. 7.* Ecclesiæ firmamentum: *à S. Leone ser. 2. de sua Assumptione*, omnium Episcoporum Primas appellatur. *Theodorus Studita in epistola*; vniuersæ quæ sub cœlo est Ecclesiæ principem Pastorem vocat: *Sophronius Ierosol. Episcopus in ep. Synod. ad Honor.* Papam, primum, caput, Dominum aliorum Pastorum: *Theodosius Imperator Nouella* 24. Principem Episcopalis coronæ: *Iustinianus Nouella* 131. Primum omnium Sacerdotum, secundùm definitiones Conciliorum. *Concilium Nicenum can.* 39. Principem omnium Patriarcharum: *Nicolaus Papa primus epist. 32. ad Episcopos Galliæ*. Apicem Episcopatus. *In summa Canonum Concilij Nicæni collecta partim ex epistolis Iulij I. Rom. Pont. partim ex codice Arabico can. 39.* Patriarcha potest disponere vt sibi videtur in prouinciis quæ sibi subsunt: Nam is potest omnibus Episcopis suæ ditionis, sicut ille qui tenet sedem Romæ, caput est, & princeps omnium Patriarcharum, quandoquidem ipse est primus: sicut Petrus cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, vt qui sit Vicarius Christi super cunctos populos, & cunctam Ecclesiam Christianam, & quicumque contradixerit, a Synodo excommunicetur. *Augustinus lib. 2. de baptismo contra Donatistas cap. 1.* Puto, S. Aug.

A inquit, quòd sine vlla sui contumelia Cyprianus Episcopus Petro Apostolo comparatur, quantum attinet ad Martyrij coronam: cæterùm magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam: quis enim nescit illum Apostolatus principatum, cuilibet Episcopatui præferendum? Sed & si distat Cathedrarum gratia, vna est tamen Martyrum gloria. Et si fortè se in aliquo inuicem præcedunt corda confitentium, ac pro vera fide in vnitate charitatis morientium, Dominus nouerit, cuius occulta & mirabili dispensatione gratiarum, latro in cruce pendens semel eum confitetur, & die ipso in paradisum mittitur: Petrus Dominum sequens ter negat eum, & corona differtur, nobis hinc iudicare temerarium est. *Tamen ibidem supra*: magnum quidem meritum nouimus Cypriani Episcopi & Martyris, sed numquid maius quam Petri Apostoli & Martyris, &c. S. Aug.
B Nos in Scripturis sanctis didicimus, Apostolum Petrum, in quo Primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet, &c.

Valentinianus Imperator Nouella 3. Rectorem Vniuersitatis. *Chrysostomus homil. 1. de pœnitentia*, cui Ecclesiæ toto orbe diffusæ præfectura commissa est: *Damascenus orat. de Transfiguratione*: Vniuersæ Ecclesiæ Ducem & moderatorem: *Sanctus Dionysius de Eccl. Hierarchia cap. 3. iuxta Lacedæmonas, & Athenienses Præfectos & directores vrbium*, Harmostam. *Constitutiones Apostolicæ*, terrestrem Deum, *Vocauerunt, cuius tam latè patet iurisdictio, quantum se totus porrigit orbis. Vnde Bernardus lib. 2. de consideratione cap. 2.* Orbe exeundum ei, qui fortè volet explorare quæ non
C ad tuam pertineant curam, &c. *Et iterum sic Eugenium Papam alloquitur*: Tu es Sacerdos magnus, tu summus Pontifex, tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, authoritate Moses, iudicatu Samuël, potestate Petrus, vnctione Christus. Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt.

PARADISVS.

Paradisus est locus æternus, sinus autem Abrahæ temporaneus. 4. *cont. Marc. cap.* 34. *circa f.*

a Amos. 9. 6. [a] ASCENSUM *suum Christus ædificat in cælum*, secundùm Amos; vtique suis, vbi est & lo-
b Esa. 33. 14. cus æternus, de quo Esaïas, [b] *Quis annuntiabit vobis locum æternum*, nisi scilicet Christus *incedens in iustitia, loquens viam rectam, odio habens iniustitiam & iniquitatem?* Quod si æternus locus repromittitur, & ascensus in cœlum ædificatur à Creatore, promittente
Gen. 15. 5. etiam semen Abrahæ velut stellas cœli futurum, vtique ob cœlestem promissionem, salua ea promissione, cur non capiat sinum Abrahæ dici temporale aliquod animarum fidelium
Luc. 16. 22. receptaculum, in quo iam delinietur futuri imago, ac candida quædam vtriusque iudicij prospiciatur?

PARADISVS. SCHOL.

ÆDIFICAT. *Amos* 9. 6. Qui ædificat in cœlo ascensionem suam, & fasciculum suum super terram fundauit. 70. Promissionem suam. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Peculium suum. LOCVM ÆTERNVM. *Esa.* 33. 14. *Vulgata non retulit ad gloriam cæli, nisi partita sententia hinc de igne inferni, hinc de ardore æterni amoris cæli Empyrei intelligatur.* Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Qui ambulat in iustitiis & loquitur veritatem, qui proiicit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere. 70. *vero*: quis annuntiabit vobis quia ignis ardet? quis annuntiabit vobis locum æternum? qui ambulat in iustitia, qui loquitur rectam viam, odit impietatem & iniquitatem. A CREATORE *cæli scilicet &*

D *terræ; qui & posteros Abrahæ, iuxta Aug. Electos, vt stellas firmamento prædestinationis, cæli gloria donandos promisit, & absque huius æternæ mercedis iactura, saluo æternitatis promisso, ad tempus idem Creator sub terra in sinu Abrahæ, temporali paradiso, refrigerium dedit, figuram & imaginem iudicij vtriusque; id est tam bonorum, quibus vt stellis gloriæ firmamentum æternum dabit iuxta Paulum*, sicut stella a stella differt in claritate, &c. *Pro differentia meritorum secundum Augustinum: itemque inter lapides ignitos, sensu ipsius Tertull. inter astra, immò super astra, inter ardentes æternos globos, Seraphicos dico Spiritus locum: vt æternum è contra, altera iudicij pars, dabit locum æternum in igne deuorante reprobis & hypocritis. Vtramque autem mercedem æternam, temporale refrigerium Lazari in sinu Abrahæ, &*

cruciatus

cruciatus diuitis in inferno, repræsentauit. CAPIAT DICI, *possit dici.* CANDIDA QVÆDAM, *quoddam tyrocinium, delibatio, præambulum, proscenium. Aug. de vtroque loco, paradisum & infernum repræsentante videndus est epist. 57. ad Dardanum à principio, vbi fusè tractat de sinu Abrahæ. Item epist. 99. ad Euodium circa medium. lib. 8. de Gen. ad litt. cap. 5.* Illum diuitem in ardore pœnarum, & illum pauperem in refrigerio gaudiorum, intelligendos esse non dubito, &c. Si corporalibus locis animæ continentur etiam exutæ corporibus, potuit ille latro in eum introduci paradisum, vbi fuerat corpus primi hominis, vt aptiore Scripturarum loco, si vlla necessitas flagitauerit, etiam de hac re quid vel quæramus, vel arbitremur, vtcumque promamus. *Et lib. 12. de Gen. ad literam cap. 33. vbi de Christo soluente dolores inferni Act. 2.* Illis doloribus quos soluit: non potuit teneri. Neque enim Abraham, vel ille pauper in sinu eius, hoc est in secreto quietis eius, in doloribus erat, inter quorum requiem, & alia inferni tormenta, legimus magnum chaos firmatum, &c. Videmus inferorum mentionem non esse factam in requie pauperis, sed in supplicio diuitis, &c. *Et cap. 34. cùm de Paradiso dixisset, in quem raptus est Paulus.* Si propriè quidem paradisus est nemorosus locus, translato autem verbo, omnis etiam spiritalis quasi regio, vbi animæ benè est; meritò paradisus dici potest, non solùm tertium cœlum, quidquid illud est; quod profectò magnum sublimiterque præclarum est, verùm etiam in ipso homine lætitia quædam bonæ conscientiæ, Paradisus est. Vnde & Ecclesia, in Sanctis temperanter & iustè & piè viuentibus, Paradisus rectè dicitur, pollens affluentia gratiarum, castisque delitiis: quandoquidem & in tribulationibus gloriatur de ipsa patientia plurimùm gaudens; quia secundum multitudinem dolorum, in corde consolationes Dei iocundant animam eius. Quantò magis ergo post hanc vitam etiam sinus ille Abrahæ Paradisus dici potest, vbi iam nulla tentatio, vbi tanta requies, post omnes dolores vitæ huius? *Quod si vel vna stilla roris, extremo digito Lazari, de sinu Abrahæ sumpta, totum potuit ardentis linguæ diuitis extinguere incendium: dum in eo pauper per transennam quiescebat; quanta voluptas in Paradiso cœlesti, loco æterno, torrente voluptatis, de quo Psaltes:* Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsque in finem?

[Left margin: S. Aug. | S. Aug. — Right margin: S. Aug.]

PARENTES.

Parentes exemplo Christi relinquendi, cùm nos distrahunt à diuinis. De car. Christ. cap. 7. in fin.

CVm indignatio parentes negat, non negat, sed obiurgat. Denique, potiores fecit alios, & meritum prælationis ostendens, audientiam scilicet verbi, demonstrat quâ conditione negauerit matrem & fratres. Quâ enim alios sibi adoptauit, qui ei adhærebant, ea abnegauit illos, qui ab eo absistebant. Solet etiam id implere Christus, quod alios docet. Quale ergo erat, si docens non tanti facere matrem aut fratres, quanti Dei verbum, ipse Dei verbum nuntiata matre & fraternitate desereret? Negauit itaque parentes, quomodo docuit negandos pro Dei opere. Sed aliàs figura est synagogæ in matre abiuncta, & Iudæorum in fratribus incredulis. Foris erat in illis Israël; discipuli autem noui intus audientes, & credentes, & cohærentes Christo, Ecclesiam deliniabant, quam potiorem matrem & digniorem fraternitatem, recusato carnali genere nuncupauit. Eodem sensu denique & illi exclamationi respondit; non matris vterum, & vbera negans, sed feliciores designans, qui verbum Dei audiunt.

[Right margin: Matth. 10. 37. | Matth. 12. 48. | Luc. 11. 27. & 28.]

PARENTES. SCHOL.

CVM INDIGNATIO. *alij legunt*, cùm indignatio parentes non neget, sed obiurget. *Sensus est, cùm Christus videtur cum quadam indignatione matrem & cognatos foris stantes abnegare, non negauit se hominem, de virgine natum, quod Marcionitæ aliique veritatem carnis Christi hinc impugnantes, intelligi volunt: sed interrumpentes verbum Dei, quod tunc prædicabat, arguebat.* POTIORES, *chariores sibi parentes ostendit, & prætulit verbum Dei audientes.* QVA ENIM, *supple conditione alios parentes, scilicet audientes & discipulos adoptauit. De hoc loco Matthæi Aug. tom. 6. de fide cont. Manich. cap. 25. vbi sic ex Matth. 12. 48.* Quæ est mater mea? &c. hos potiùs in hunc affectum computauit, qui facerent voluntatem Patris eius: quia exêplo suo iam docebat negandos esse terrenos parêtes propter Deum. Opera enim diuina facienti, terrenus affectus obstrepere non debebat. Nam si propterea non habebat matrem, quia negauit matrem; nec Petrus, nec cæteri Apostoli habebant Patres quia monuit eos dicens: Matth. 23. 9. Patrem ne vocaueritis vobis super terram: vnus est enim Pater vester qui in cœlis est. Quod ergo eos monuit de patre terreno, hoc de matre prior fecit. *Et lib. de sancta Virginitate eadem tractat.* Quæ est mater mea? &c. Quid aliud nos docens nisi carnali cognationi genus nostrum spiritale præponere; nec inde beatos esse homines si iustis & sanctis carnis propinquitate iunguntur, sed si eorum doctrinæ ac moribus obediendo atque imitando cohærescunt? beatior ergo Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. Nam & cuidam dicenti. Beatus venter, &c. Ipse respondit, immò, Beati qui audiunt, &c. Denique fratribus eius, id est, secundum carnem cognatis, qui non in eum crediderant, quid profuit illa cognatio? sic & materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi fœliciùs Christum corde quàm carne gestasset. *Et ibidem cap. 5. ex Matth. 12. 50.* Quicumque facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse mihi frater, & soror, & mater est. Has sibi omnes propinquitates in populo quem redimit, spiritaliter exhibet: fratres & sorores habet sanctos viros & sanctas fœminas, quoniam sunt illi in cœlesti hæreditate cohæredes. Mater eius est tota Ecclesia: quia membra eius, id est fideles eius per Dei gratiam ipsa vtique parit. Item mater eius omnis anima pia, faciens voluntates Patris eius, fœcundissima charitate, in iis quos parturit donec in eis

[Left margin: S. Aug. — Right margin: S. Aug.]

ipse formetur. Gal. 4. 19. Maria ergo faciens voluntatem Dei corporaliter Christi tantummodò, *id est, ipsa sola*, mater est; spiritaliter autem, & soror & mater. Ac per hoc illa vna fœmina, non solum spiritu, verùm etiam corpore, & mater est & virgo: & mater quidem spiritu, non capitis nostri quod est ipse Saluator, ex quo illa magis spiritaliter nata est, quia omnes qui in eum crediderint, in quibus & ipsa est, rectè filij sponsi appellantur. Sed planè mater membrorum eius quod nos sumus, quia cooperata est charitate, vt fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius capitis membra sunt; corpore verò mater ipsius capitis. Oportebat enim caput nostrum propter insigne miraculum, secundum carnem nasci de virgine; quo significaret, membra sua de Virgine Ecclesia, secundum spiritum nascitura. *Vide Aug. in hanc rem, & in affectum carnalem præ Dei cultu deserendum epist. 38. ad Latum, vbi fusè de vocatione Religiosa, quam quidem Posidius in Indiculo & Beda in* S.Aug. *1. Tim. 5. verè Augustini agnoscunt, & tamen reprobat Erasmus Censor bellulus.* FIGVRA SYNAGOGÆ. Mater abiuncta, *id est, Virgo Maria à Christo mater figuratiuè abiecta est, & quasi seiuncta à sua cognatione cum fratribus foris stantibus, in quibus populus Israel à Christo alienandus repræsentabatur. De Synagoga sic Aug. in Psal. 44. vbi de gladio super femur diuidente filiam aduersus matrem, & nurum aduersus socrum.* Plebs illa quæ de Iudæis credidit, diuisa est aduersus A Synagogam. Diuisa est & nurus aduersus socrum suam. Plebs de Gentibus veniens nurus dicitur, S. Aug. quia sponsus Christus, filius Synagogæ. Vnde enim natus est filius Dei secundum carnem? ex illa Synagoga. Ille qui dimisit patrem & matrem, & adhæsit vxori suæ, vt essent duo in carne vna, &c. dimisit enim patrem quodámmodo, non omninò dimisit veluti ad separationem, sed ad susceptionem humanæ carnis, *quam ipse solus separatim, & non Pater assumpsit,* quomodo dimisit? qui cùm in forma Dei esset, &c. formam serui accipiens. Quomodo dimisit & matrem? Gentem Iudæorum, Synagogam illam hærentem veteribus Sacramentis. Ad ipsam figuram pertinet quod ait, quæ est mihi mater, aut qui fratres? ille enim intus docebat, illi foris stabant. Videte si modò non ita sunt Iudæi. Docet Christus in Ecclesia, illi foris stant. Socrus ergo quid est? mater sponsi. Mater sponsi Domini nostri Iesu Christi, Synagoga est. Proinde nurus eius Ecclesia, quæ veniens de Gentibus non consensit in circumcisionem carnalem, diuisa est aduersus socrum suam. EXCLAMATIONI RESPONDIT. *Marcella traditur sic exclamasse, B. Marthæ pedissequa. Luc. 11. 27.* Extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti, at ille dixit: quinimmò: Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

PASSIONES.

Passiones, & virtutes contrariæ, de Deo & homine dicuntur, sub communione nominis, non verò imperfectionis. 2. contra Marc. cap. 16. à princ. ad fin.

Phil. 2. 7. DEum nos à Prophetis & à Christo, non à Philosophis, nec ab Epicuro, erudimur. Qui credimus Deum etiam iu terris egisse, & humani habitus humilitatem suscepisse ex causa humanæ salutis, longè sumus à sententia eorum qui nolunt Deum curare quidquam. Inde venit ad hæreticos quoque definitio eiusmodi: Si Deus irascitur, & æmulatur, & extollitur, & exacerbatur, ergo & corrumpetur, ergo & morietur. Benè autem quòd Christianorum est, etiam mortuum Deum credere, & tamen viuentem in æuo æuorum. Stultissimi, qui de humanis diuina præiudicant, vt quoniam in homine corruptoriæ conditionis habentur huiusmodi passiones, idcircò & in Deo eiusdem status existimentur. Discerne substantias, & suos eis distribue sensus, tam diuersos, quàm substantiæ exigunt, licèt vocabulis communicare videantur. Nam & dexteram, & oculos, & pedes Dei legimus, nec ideò tamen humanis comparabuntur, quia de appellatione sociantur. Quanta erit diuersitas diuini corporis & humani, sub eisdem nominib us membrorũ, tanta erit & animi diuini & humani differentia, sub eisdem licèt vocabulis sensuum, quos tam corruptorios efficit in homine corruptibilitas substantiæ humanæ, quàm incorruptorios in Deo efficit incorruptibilitas substantiæ diuinæ. Certè Deum confiteris creatorem? Certè; inquis, Quomodo ergo in Deo humanum aliquid existimas, & non diuinum omne? Quem Deum non negas, confiteris non humanum. Siquidem Deum con-
Gen. 2. 3. fitendo, præiudicasti vtique illum ab omni humanarum conditionum qualitate diuersum. Porrò, quum pariter agnoscas hominem à Deo inflatum in animam viuam, non Deum ab homine, satis peruersum est, vt in Deo potiùs humana constituas, quàm in homine diui-
Gen. 1. 26 na; & hominis imagine Deum imbuas potiùs, quàm Dei hominem. Et hæc ergo imago censenda est Dei in homine, quòd eosdem motus & sensus habeat humanus animus, quos & Deus, licet non tales quales Deus. Pro substantia enim, & status eorum & exitus distant. Denique, contrarios eorum sensus, lenitatem dico, patientiam, misericordiam, ipsamque matricem earum bonitatem, cur diuina præsumitis? Nec tamen perfectè ea obtinemus, quia solus Deus perfectus. Ita & illas species, iræ dico & exasperationis, non tam feliciter patimur: quia solus Deus de incorruptibilitatis proprietate felix. Irascetur enim, sed non exacerbabitur, sed non periclitabitur: mouebitur, sed non euertetur. Omnia necesse est adhibeat propter omnia, tot sensus, quot & causas. & iram propter scelestos, & bilem propter ingratos, & æmulationem propter superbos, & quicquid non expedit malis. Sic & misericordiam propter errantes, & patientiam propter non resipiscentes, & præstantiam propter merentes, & quidquid bonis opus est. Quæ omnia patitur suo more, quo eum pati condecet, propter quem homo eadem patitur, æque suo more.

PASSIONES. SCHOL.

DEUM ERUDIMUR. *Nos Christiani Deum eiusque attributa non à Stoicis aut Epicureis discimus.* HABITUS HUMILITATEM, *Philipp.* 2. Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum. *Aug. lib. 83. qq. q. 73.* Multis modis habitum dicimus, vel habitum animi, sicut est cuiuscumque disciplinæ perceptio, vsu roborata atque firmata. Vel habitum corporis, secundum quem dicimus alium alij esse succulentiorem & validiorem: quæ magis propriè habitudo dici solet. Vel habitum eorum quæ membris nostris accommodantur extrinsecus: secundum quem dicimus vestitum, calciatum, armatum, &c. In quibus omnibus generibus, siquidem nomen hoc dictum est ab illo verbo quod est habere; manifestum est in ea re dici habitum, quæ accidit alicui, vt ita eam possit etiam non habere, &c. Verumtamen hoc interest, quod quædã eorum quæ accidunt nobis, vt habitum faciant non mutantur à nobis, sed ipsa nos mutant, in seipsa integra & inconcussa manentia: sicut ipsa sapientia, cùm accidit homini, non ipsa mutatur, sed hominem mutat, quem de stulto sapientem facit. Quædam verò sic accidunt, vt & mutent & mutentur: sicuti cibus ipse amittens speciem suam, in corpus nostrum vertitur: & nos refecti cibo, ab exilitate atque languore, in robur atque valentiam commutamur. Tertium verò genus est, cùm ipsa quæ accidunt, mutantur vt habitum faciant, &c. sicuti est vestis, &c. Induta accipit formam quam non habebat exuta, cum ipsa membra, & cùm exuuntur, & cùm induuntur in suo statu maneant. Potest esse & quartum genus, cùm ea quæ accidunt ad faciendum habitum, nec ea mutant quibus accidunt, nec ab eis ipsa mutantur, sicut annulus in digito, si non nimis subtiliter attendatur. *Tum ex loco Philip.* 2. Habitu inuentus est vt homo, id est, habendo hominem, inuentus est vt homo. Non enim poterat inueniri Deus ab iis qui cor immundum habebant, & Verbum apud Patrem videre non poterant, nisi hoc suscipiendo, quod possent videre, & per quod ad illud lumen interius ducerentur. Iste autem habitus non est ex primo genere; non enim manens in se natura hominis, naturam Dei commutauit. Neque ex secundo: non enim immutauit homo Deum, & mutatus est ab illo. Neque ex quarto: non enim sic assumptus est homo, vt neque ille mutaret Deum, nec ab ipso mutaretur: Sed potiùs ex tertio: sic enim assumptus est, vt commutaretur in meliùs, & ab eo formaretur ineffabiliter excellentiùs atque coniunctiùs quam vestis, cùm ab homine induitur, &c. Quo nomine oportet intelligi non mutatum esse Verbum susceptione hominis, sicut nec membra veste induta mutantur: quamquam illa susceptio ineffabiliter susceptum suscipienti copulauerit: sed quantum verba humana rebus ineffabilibus coaptari possunt, ne mutatus intelligatur Deus humanæ fragilitatis assumptor, electum est, vt Græcè σχῆμα, & Latinè diceretur habitus, illa susceptio. SENTENTIA EORUM, *Epicureorum.* INDE, *à Philosophis illis sumpserunt hæretici tales argumentationes & conclusiones.* SI DEUS, &c. *Si Deus passionibus, & turbationibus hominis mortalis subiectus est, ergo & ipse passibilis, & corruptibilis, & mortalis est. August. lib. 1. Conf. cap. 4.* Summe, optime, potentissime, omnipotentissime, misericordissime, & iustissime, secretissime, & perfectissime, pulcherrime & fortissime, stabilis & incomprehensibilis; immutabilis, mutans omnia, nunquam nouus, nunquam vetus, innouans omnia, & in vetustatem perducens superbos, & nesciunt: semper agens, semper quietus: colligens & non egens; portans & implens & protegens, creans & nutriens, & perficiens. Quæris, cùm nihil desit tibi, amas, nec æstuas; zelas, & securus es; pœnitet te, & non doles; irasceris, & tranquillus es; opera mutas, nec mutas consilium; recipis quod inuenis, & nunquam amittis. Numquam inops, & gaudes lucris; nunquam auarus, & vsuras exigis. Supererogatur tibi, vt debeas, & quis habet quidquam non tuum? reddis debita, nulli debens; donas debita, nihil perdens. *Vide eundem lib. 2. Confess. cap. 6. per totum, vbi fusè probat, omnia quæ sub specie boni nos ad vitia prolectant, in solo Deo esse vera & perfecta.* DE APPELLATIONE, *quantum ad nomen similia sunt.* DIUINI CORPORIS, *quod Scriptura mysticè tribuit Deo:* A DEO INFLATUM, *alludit ad Gen. 2. 7.* Insufflauit in faciem eius spiraculũ vitæ, & factus est homo in animã viuentem. STATUS ET EXITUS, *proprietas & effectus.* NON TAM FOELICITER, *quietè & sine perturbatione.* OMNIA ADHIBEAT, *scilicet attributa diuersa, propter diuersa hominum peccata.* TOT SENSUS, *motus, sine perturbatione tamen.* PRÆSTANTIAM, *id est remunerationem, vel beneficiorum largitionem.* PROPTER QUEM HOMO, *siue Christus factus homo, de quo sup. in principio dixit:* Christianorum est etiam mortuum Deum credere: *qui omnes humanas infirmitates, & ipsam mortem, propter Dei Patris gloriam, & salutem hominis passus est.* SUO MORE. *non perturbatus à passionibus, sed eas turbans, & præueniens imperturbatâ ratione, sicut scriptum est apud Ioh.* Turbauit semetipsum, *vel homo quilibet etiam propter Deum patitur tristitias aliasque passiones, suo more imperfecto, vel eas domans cum gratia, vel sustinens pro peccati merito, & Dei iustitia.*

PASTOR.

1. *Pastor bonus fugere non debet, sed ferre persecutionem, ad conseruationem & exemplum ouium. De fuga in persec. cap. 11. à princ. ad fin.*

QVum duces fugiunt, quis de gregario numero sustinebit ad gradum in acie figendum suadentes? Certè quidem [a] *Bonus pastor animam pro pecoribus ponit*; vt Moyses non Domino adhuc Christo reuelato, etiam in se figurato ait, [b] *Si perdis hunc populum*, inquit, *& me pariter cum eo disperde*. Cæterùm, Christo confirmante figuras suas, [c] *Malus pastor est, qui viso lupo fugit, & pecora diripienda derelinquit*: proiicietur de villa pastor huiusmodi: detinebuntur illi missionis suæ mercedes in compensationem; immò & de priore peculio eius exigetur detrimenti dominici restitutio. Etenim [d] *qui habet, dabitur ei: ab eo autem qui non habet, etiam quod videtur habere, auferetur*. Sic Zacharias comminatur, [e] *Exurge romphæa in pastores, & euellite oues, & superducam manum meam in pastores.* In quos & Ezechiel & Hieremias iisdem minis perorant, quod non tantùm de pecoribus improbè vescantur pascentes potiùs semetipsos, verùm quod dispersum gregem faciant in prædam esse

a Ioan. 10. 11.
b Exod. 32. 32.
c Io. 10. 12.
d Luc. 8. 18.
e Zach. 13. 7. Ezec. 34. 1. & seq. Hier. 23. 1. & seq.

Margin: S. Aug.S. Aug.
S. Aug.
S. Aug.

omnibus bestiis agri, dum non est pastor illis. Quod nunquam magis fit, quàm cùm in persecutione destituitur Ecclesia à Clero. Si & Spiritum quis agnouerit, audiet & fugitiuos denotantem. Porrò, si eos qui gregi præsunt, fugere cùm lupi irruunt, nec decet, immò nec licet, (qui enim talem pastorem malum pronuntiauit, vtique damnauit : omne autem quod damnatur, illicitum factum est sine dubio) ideò præpositos Ecclesiæ in persecutione fugere non oportebit. Cæterùm si grex fugere deberet, non deberet præpositus gregis stare sine caussa staturus ad tutelam gregis, quam grex non desideraret, ex licentia fugæ scilicet.

PASTOR. I. SCHOL.

CVM DVCES FVGIVNT, *id est, primi quique de Clero, quos paulo antè dixerat, Diacones, Presbyteros & Episcopos. Per duces ergo, Pastores intelligit.* GREGARIO NVMERO. *De inferioribus militibus quis feret, libenter audiet, credet fugacibus ducibus, firmiter in acie stare suadentibus,* PRO PECORIBVS. *Ioan.* 10. 11. Bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis. NON DOMINO. *Interpositio obscurat sensum, sic clariùs accipe: Christo non adhuc reuelato, sed figurato in Moyse mediatore populi, vero duce & pastore, animam id est vitam ponente pro ouibus, de quo & Psaltes,* Deduxisti sicut oues populum tuum, in manu Moysi & Aaron. *Hic petiit pro saluando populo, deleri se de libro vitæ. Ita enim Exod.* 32. 32. Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. *Sanct. Pagn. ex Heb.* Et nunc si remittis peccatum eorum, & si non, dele me nunc. *Septuag.* Et nunc siquidem remittis eis peccatum eorum, remitte: siu autem, dele me, &c. CHRISTO CONFIRMANTE, *implente in seipso, vt ait Paulus,* melioris Testamenti mediatore, *verè pro ouibus mortuo, & dicente,* Ego sum Pastor bonus, &c. & animam meam pono pro ouibus meis. *Confirmat autem figuras suas, id est Prophetias gregis sui, & Pastorum malorum, dum ait Ioan.* 10. 12. Mercenarius autem, qui non est Pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oues. *Aug. tract.* 46. *in Ioan.* 10. Non hic bonam personam mercenarius gerit, & tamen in aliquo vtilis est: nec mercenarius diceretur, nisi acciperet à conducente mercedem: quis est ergo iste mercenarius, & culpabilis, & necessarius? hîc verò, fratres, luceat nobis ipse Dominus, vt & mercenarios intelligamus, & mercenarij non simus. Quis est ergo iste mercenarius? sunt quidam Ecclesiæ Præpositi, de quibus Paulus Apostolus dicit Philip. 2. sua quærentes, non quæ Iesu Christi. Quid est, sua quærentes? non Christum gratis diligentes, non Deum propter Deum quærentes, temporalia commoda sectantes, lucris inhiantes, honores ab hominibus appetentes: hæc quando amantur à Præposito, & propter hæc seruitur Deo, quisquis est talis, mercenarius est, inter filios se non computet; de talibus enim & Dominus dicit Matth. 6. Amen dico vobis receperunt mercedem suam, &c. Audite autem quia & mercenarij sunt: multi quippe in Ecclesia commoda terrena sectantes, Christum tamen prædicant, & per eos vox Christi auditur, & sequuntur oues non mercenarium; sed vocem Pastoris per mercenarium. Audite mercenarios ab ipso Domino demonstratos Matth. 23. Scribe, inquit, & Pharisæi Cathedram Moysi sedent, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite: quid aliud dixit, nisi, per mercenarios vocem Pastoris audite. Sedendo enim Cathedram Moysi, legem Dei docent. Ergo per illos Deus docet, &c. *Tum de fugitiuo Pastore:* Vidimus qui sit mercenarius, quis est lupus nisi Diabolus? *vel persecutor ab eo excitatus,* & quid dictum est de mercenario? Cùm viderit lupum venientem fugit, &c. Numquid talis erat Apostolus Paulus? Absit. Numquid talis Petrus? Absit. Numquid tales cæteri Apostoli? excepto Iuda filio perditionis? Absit. Pastores ergo illi? planè Pastores. Et vnde vnus Pastor? Iam dixi Pastores, quia membra Pastoris illo capite gaudebant, sub illo capite concordabant, vno spiritu in vnius corporis compage viuebant, ac per hoc ad vnum Pastorem pertinebant. *Hoc sensu dixit Christus de Gentibus & Iudæis, sua Ecclesia cui vnica ab errore reducta, vt in se & suo corpore vnitis; sicut & de Pastoribus omnibus veris, in vno Pastore collectis, cùm ait:* Et erit vnum ouile, & vnus Pastor. *Sic enim suprà hoc ipso tractatu* 46. *habet* Præpositi autem qui filij sunt, *Sic eos nomine filiorum distinguit à mercenariis*, Pastores sunt: si Pastores sunt, quomodo vnus Pastor, nisi quia sunt isti omnes vnius membra Pastoris cuius sunt oues propriæ? nam & ipsi, *dicam & ipsæ oues:* membra sunt ipsius vnius ouis, quia sicut ouis ad immolandum ductus est, Esa. 53. *Quæ tamen quoties luporum manus euasit? dum adhuc agnus Herodem & Archelaum; & Pastor factus lapidare se volentes fugit, donec veniret horâ à Patre decreta, qua tandem pastor bonus obuiam iret lupis dicens,* Quem quæritis? Ego sum. Et bonus Pastor animam daret pro ouibus suis: *Sic ergo de fuga prosequitur Augustinus ibid.* Si ergo Pastores, non mercenarij, quare fugiebant quando persecutionem patiebantur? expone nobis, ô Domine, vidi in epistola 2. *Cor.* 11. 32. fugientem Paulum, per murum in sporta submissus est vt manus persequentis euaderet: Non ergo illi cura fuit de ouibus, quas lupo veniente deserebat? fugit planè, sed eas Pastori in cœlo sedenti orationibus commendabat: se autem vtilitati earum fugiendo seruabat, sicut quodam loco ait, *Phil.* 1. manere in carne necessariũ duxi propter vos. Ab ipso namq; Pastore omnes audierãt Matth. 10. Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam, &c. Quid habeat altitudo quæstionis, pulsemus, aderit qui aperiet se Ostiarius ostij, quod est ipse. Quis est mercenarius? qui vidit lupum & fugit; qui sua quærit, non quæ Iesu Christi, peccantem non liberè audet redarguere. Ecce nescio quis peccauit, grauiter peccauit, increpandus est, excommunicandus est: sed excommunicatus inimicus erit, insidiabitur, nocebit cum poterit: iam ille qui sua quærit, &c. ne perdat quod sectatur, humanæ amicitiæ commoditatem, & inimicitiarum humanarum incurrat molestiam, tacet, non corripit, Ecce lupus ouis guttur apprehẽdit, Diabolus fideli adulteriũ persuasit, tu taces, non increpas, ô mercenarie, lupum venientem vidisti, & fugisti: respondet fortè & dicit, Ecce hîc sum, non fugi, fugisti, quia tacuisti: tacuisti, quia timuisti. Fuga animi, timor est: corpore stetisti, spiritu fugisti: quod ille non faciebat, qui dicebat Coloss. 2. Etsi corpore absens sum, spiritu vobiscũ sum: quomodo enim spiritu fugiebat, qui etiam corpore absens, fornicatores literis arguebat? Affectiones nostræ, motus animorum sunt: lætitia, animi diffusio: tristitia, animi contractio: cupiditas, animi progressio: timor animi fuga est: diffunderis enim animo, cùm delectaris: contraheris animo, cùm molestaris: progrederis animo, cùm appetis: fugis animo, cũ metuis. Ecce vnde ille mercenarius viso lupo dicitur fugere. Quare? quia

nō ei cura de ouibus. Quare nō est ei cura de ouibus? quia mercenarius est. Quid est, mercenarius est? temporalem mercedem quærit, & in domo in æternum non manebit. MISSIONIS, *commissionis. Curæ Pastoralis.* COMPENSATIONEM, *damni facti.* PRIORE PECVLIO, *negligentia pecoris commissi, & detrimentum à Domino villæ repetetur.* QVI HABET. *Curam condignam, verbi gratia centum ouium, dabitur ei cura ducentarum, & duplicabitur merces. Luc. 8. 18. ubi de cura fructuose audiendi verbum, & lucerna exempli, sic concludit Christus:* videte ergo quomodo audiatis: qui enim habet, dabitur illi: & quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab eo. *Matth. autem 13. 12.* Qui habet dabitur ei & abundabit; qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo. *Matth. autem 25. 29. ubi de talento abscondito, tradito habenti decem:* & quod videtur habere, auferetur ab eo. SIC ZACHARIAS. *Zach. 13. 7.* Framea *Sanct. Pagn. ex Hebr. ò gladie* suscitare super Pastorem meum, & super virum cohærentem mihi dicit Dominus exercituum: percute Pastorem, & dispergentur oues: & conuertam manum meam ad paruulos. *70. autem:* Framea consurge super Pastores meos, & super virum ciuem meum, dicit Dominus omnipotens: percutite Pastores, & auellite oues. Et inducam manum meam super paruulos. EZECHIEL. *cap. 34. 1. & sequentibus.* Fili hominis, propheta de pastoribus Israel: Propheta, & dices Pastoribus: hæc dicit Dominus Deus: væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nonne greges à Pastoribus pascuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis, &c. & dispersæ sunt oues meæ, eo quod non esset Pastor: & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri: & dispersæ sunt. *70. parum differunt:* Eo quod non essent Pastores. *In hunc locum Ezech. immo in totum caput scripsit Aug. to. 9. librum de Pastoribus, quem sæpè citat Beda in epistolas ad Cor. Philipp. & Hebr. inter cætera sic cap. 1.* Quisquis ita præpositus est, vt in eo, quod præpositus sit, gaudeat, & honorem suum quærat, & commoda sua sola respiciat, se pascit, non oues, &c. Deus non deserit oues suas, & mali Pastores pœnas debitas luent, & oues promissa percipient. *Et cap. 2. sub finem, vbi fatetur Pastorem posse licitè lac inde sumere & lanam, sic concludit:* Si tibi lucerna accenderetur in domo, nonne adiiceres oleum, ne extingueretur? porro si lucerna accepto oleo, non luceret, non erat planè digna quæ in candelabro poneretur, sed quæ continuò frangeretur. Vnde ergo viuitur, necessitatis est accipere, charitatis est præbere; non tanquam venale sit Euangelium, vt istud sit pretium eius, quod sumunt qui annuntiant, vnde viuant. Si enim sic vendunt, magnam rem vili pretio vendunt; accipiant sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à Domino, &c. non expectent illi mercedem, nisi vnde & isti salutem. Non enim est idoneus populus reddere mercedem illis, qui sibi in charitate Euangelij seruiunt, &c. *Capite porro 3. lanam sic exponit:* qui præbet lac, victum præbet; qui præbet lanam, honorem præbet. Ista sunt duo, quæ à populis quærunt qui semetipsos pascunt, non oues: commodum supplendæ necessitatis, & fauorem honoris & laudis. Etenim vestimentum propterea benè intelligitur in honore, quia nuditatem tegit. Est enim vnusquisque homo infirmus. Et quid est quisquis vobis præest, nisi quod vos estis? &c. homo est, tu tamen honorando eum velut Angelum, contegis quod infirmum est. Huiusmodi indumentum acceperat à bona Dei plebe idem Paulus cum diceret Gal. 4. 14. sicut Angelum Dei suscepistis me, testimonium vobis perhibeo: quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. Sed cum tantus honor exhibitus esset, numquid propter ipsum honorem sibi exhibitum, ne fortè cum argueret, negaretur, & minus ipse Apostolus laudaretur, pepercit errantibus? nam si hæc fecisset, esset inter illos qui seipsos pascunt, non oues, &c. Accedit ad ouem languidam, ad ouem putridam, secare vulnus, non parcere putredini. Ego, inquit, Gal. 4. 16. Inimicus factus sum vobis, verum prædicans. Ecce & accepit de lacte ouium, &c. & indumentum ex lanis ouium, sed tamen oues non neglexit. Non enim sua quærebat, sed quæ Iesu Christi. *Tandem cap. 8. exponens extremam partem perstrictam hic à Tertulliano, sic exponit:* Furantur lupi insidiantes, rapiunt leones frementes, cùm oues non hærent Pastori. Nam præsens est Pastor, sed malè agentibus non est Pastor: & inhærent pastoribus, seipsos, non oues pascentibus, & lethalis error consequitur. Eunt in bestias deprædantes se, & de illarum morte, se satiari cupientes. Tales enim sunt omnes qui gaudent de erroribus alienis, bestiæ sunt pastæ morsibus dispersarum. SI ET SPIRITVM, &c. *Montanum scilicet eiusque doctrinam, omnem fugam in persecutione illicitam sentientem, contra veritatem expressam Euangelij.* DENOTANTEM, *inurentem notâ infamiæ, vt seruum, aut militem fugitiuum.* EX LICENTIA FVGÆ. *Si, inquit, fuga licita esset ouibus, id est plebi Christi, non teneretur firmus stare Pastor; frustra mansurus ad tuendum gregem absentem. Tenetur autem non fugere viso lupo, alias malus, mercenarius, fur erit, & vt talis damnabitur. Ergo nec plebs, nec Prælatus fugere debet persecutionem.*

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

* 2. *Pastores fugientes & timidi. De Cor. cap. 1. à m.*

Noui & Pastores eorum, in pace leones, in prælio ceruos.

PASTOR. 2. SCHOL.

PASTORES EORVM. *Id est Christianorum. Aduerte iam hæreticum Tertullianum & Montanistam cùm hunc librum de corona scriberet. Nam paulo supra hoc primo capite:* Nec dubito, inquit, quasdam scripturas emigrare, sarcinas expedire, fugæ accingi de ciuitate in ciuitatem; nullam enim aliam Euangelij memoriam curant. Noui & Pastores eorum, &c. *De hoc errore, suo loco, plura diximus tom. 1. nunc sufficit hæc scribere in hunc versiculum.* IN PACE LEONES, *id est Prælati Christianorum satis generosi apparent verbo tenus, dum est tranquillitas Ecclesiæ.* IN PRŒLIO CERVOS. *Timidos instante persecutione.* Qualis Barach, Gen. 49. 21. Nephtali *de cuius tribu erat Barach,* ceruus emissus, & dans eloquia pulchritudinis. *Hic, sine Debora duce, prælium contra Sizaram aggredi noluit; quo superato Debora cecinit canticum plenum pulchris eloquijs. Ceruos dixit Tertullianus, quia veloces, vt notat Augustinus in Psal. 40.* Noli vt qualecumque animal currere, vt ceruus curre. Quid est vt ceruus curre? non sit tarditas in currendo; impigrè curre, impigrè desidera fontem, &c. consume serpentes iniquitatis, tunc amplius desiderabis fontem veritatis. *Nec imperfecti sunt pedes Prælatorum dum in persecutione fugiunt, vt plebi sicut instruendæ, se seruent, vt fecit Athanasius, & alij plures: Qui cum Psalte dicere poterant illud Psalmi 17. sic vertente, & exponente Augustino:* posuit

immaculatam viam meam; viam charitatis, qua ad illum veniam: sicut immaculata est via fidei, qua venit ad me. qui perficit pedes meos tanquam cerui: qui perficit amorem meum ad transcendenda spinosa, & vmbrosa implicamenta huius sæculi. Et super excelsa statuet me. Et super cœlestem habitationem figet intentionem meam; vt implear in omnem plenitudinem Dei. *Viden, non vacuam fide, gratia, charitate, fugam ceruorum, id est Prælatorum & Pastorum Ecclesiæ; vt censet Tertullianus; nec fortitudine cassam; nam subiungit cum Psalte Augustinus:* qui docet manus meas ad prælium; *&* *verbo & exemplo suo, Princeps Pastorum fugam docuit pedes, & hoc ipso manus instruxit ad prælium, dum hac intentione fugiunt, vt etiam dispendio coronæ Martyrij, ad tempus sine Anathemata cum Paulo à Christo, pro ouibus & fratribus instruendis.* Qui docet me operari ad superandos inimicos, qui nobis intercludere cœlestia regna conantur. Et posuisti vt arcum æreum brachia mea. Et posuisti infatigabilem intentionem bonorum operum meorum. *Sic Christi dicentis, cum* A vos persequentur in vna ciuitate, fugite in aliam; vox Domini perficientis ceruos: *vt vertit Augustinus Psal. 28.* Vox, inquit, Domini primo perfecit superatores & repulsores venenosarum linguarum; *serpentes enim, vt alibi notat, necant & deuorant cerui. Idem & in Psal. 103.* Montes altissimi ceruis. Cerui magni, spiritales, transcendentes in cursu omnia spinosa veprium atque syluarum. *Sit & rursum Christus,* qui in Iudæa sunt, *id est in vera confessione fidei,* fugiant ad montes. *Nec ergo solum lepori vel hericio, minutis animalibus, sed & ceruis petra refugium est. Vnde Aug. ibid.* Petra refugium hericiis & leporibus, &c. vbique ergo petra refugium nostrum, siue in montibus excelsa sit, siue in mari tundatur fluctibus, non frangatur; siue in terra solidetur; ad illam cerui, ad illam fulica, *ex eodem est auis marina, nidificans in rupibus maris,* ad illam lepus & hericius. *Omnibus enim & paruis & magnis, & pastoribus & ouibus Christus vera Petra, de qua dicitur,* egressus est lapis & Pastor Israel, *refugium factus est & fugæ exemplum.*

S. Aug. — S. Aug. — S. Aug. — S. Aug.

3. Pastorum, & prædicatorum contemptus, in Deum redundat ex vtraque lege. 4. cont. Marc. cap. 24. à m.

a Luc. 10. 16. b 1. Reg. 8. 7.

[a] QVi vos spernit, me spernit. Hoc & Moysi Creator, [b] *Non te contempserunt, sed me.* Tam enim Apostolus Moyses, quàm & Apostoli Prophetæ. Æquanda erit auctoritas vtriusque officij, ab vno eodemque Domino Apostolorum & Prophetarum.

PASTOR. 3. SCHOL.

QVI VOS SPERNIT. *Luc. 10. 16.* Qui vos audit me audit: & qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. HOC ET MOYSI. *Nusquam adhuc reperi hæc verba dicta Moysi, sed expressè Samueli 1. Reg. 8. 7.* Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. 70. Non te spreuerunt, sed me spreuerunt, vt non regnem super eos. *Sed per Moysem intelligit legem & totum vetus Testamentum, sicut per Apostolum, nouum, vt patet ex sequentibus, idem enim Deus & Spiritus vtriusque author est.* TAM APOSTOLVS MOYSES. *Apostolum dixit ratione officij, quoniam missus est à Deo tanquam Apostolus veteris Testamenti. Vnde Exodi 3. 10.* Veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum, filios Israël de Ægypto, &c. Ego ero tecum & hoc habebis signum quod miserim te, &c. *Et cap. 4. 12.* Perge igitur, & ego ero in ore tuo, docebo te quid loquaris. *Lego quidem Exodi 16. 7. æquiualentiam.* Audiui murmur vestrum contra Dominum: nos verò quid sumus, quia mussitastis contra nos? &c. Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. APOSTOLI PROPHETÆ. *Quia & ipsis multa futura reuelauit. Quo loco Tertullianus probat Deum vnum vtriusque Testamenti authorem, inspiratorem Apostolorum & Prophetarum; quorum æqualis authoritas est, ex parte Dei mittentis, & officij Missionis; quamquam ad longè maiora, & cum maiori gratia, missi sint Apostoli quàm Prophetæ. Quo-* B *ad contemptum autem, æqualis vtrobique est, cùm legati contemptus redundet in legantem. Hinc Christus;* qui vos spernit, me spernit. *Aug. ser. 26. de Sanctis qui est 78. de diuersis. Vbi hortatur ad honorem Sanctorum Martyrum, sub finem.* Prætermissis omnibus sæculi actibus, sine vlla dilatione concurrere debemus ad domum Dei; reddere illis honorificentiam, qui nobis salutem, *de congruo, & impetratoriè,* effusione sui sanguinis pepererunt; qui tam sacram hostiam pro nostra propitiatione, Domino se obtulerunt: præsertim cum dicat ad sanctos suos omnipotens Deus; qui vos honorat, me honorat; & qui vos spernit, me spernit. Quisquis ergo honorat Martyres, honorat & Christum: & qui spernit Sanctos, spernit Christum Dominum. *Quin & malos voluit audiri, in quibus & ipse loquitur. Sic Aug. ep. 146. ad Donatistas sub finem;* C Quod vsque adeo cœlestis magister cauendum præmonuit, vt etiam de præpositis malis plebem securam faceret; ne propter illos, doctrinæ salutaris cathedra desereretur, in qua coguntur etiam mali, bona dicere. Neque enim sua sunt quæ dicunt, sed Dei, qui in Cathedra vnitatis, doctrinam posuit veritatis. Proinde ille verax, & ipsa veritas, de præpositis sua mala facientibus, & Dei bona dicentibus, ait: quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim & non faciunt. Non vtique diceret, quæ faciunt, nolite facere; nisi manifesta essent mala quæ faciunt.

S. Aug. — S. Aug.

PATIENTIA.

1. Patientia magnum Dei donum, plus docenda exemplo, quàm Verbo. Quod tamen vel solum, dulce est, atque vtile loqui. De Pati. cap. 1. in p. ad m.

COnfiteor ad Dominum Deum, satis temerè me, si non etiam impudenter, de patientia componere ausum, cui præstandæ idoneus omnino non sim, vt homo nullius boni: quando oporteat demonstrationem & commendationem alicuius rei adortos, ipsos prius in administratione eius rei deprehendi, & constantiam commonendi propriæ conuersationis auctoritate dirigere, ne dicta factis deficientibus erubescant. Atque vtinam erubescere istud remedium ferat, vti pudor non exhibendi quod aliis suggestum imus, exhibendi fiat magisterium: nisi quod bonorum quorumdam, sicuti & malorum, intole-

rabilis magnitudo est: vt ad capienda & præstanda ea, sola gratia diuinæ inspirationis operetur. Nam quod maximè bonum, id maximè penes Deum, nec alius id, quam qui possidet, dispensat, vt cuique dignatur. Itaque velut solatium erit disputare super eo quod frui non datur, vice languentium, qui cum vacent à sanitate, de bonis eius tacere non norunt. Ita miserrimus ego, semper æger caloribus impatientiæ, quam non obtineo patientiæ sanitatem, & suspirem, & inuocem, & perorem necesse est, cum recordor, & in meæ imbecillitatis contemplatione digero, bonam fidei valetudinem, & Dominicæ disciplinæ sanitatem, non facilè cuiquam, nisi patientia adsideat, prouenire.

PATIENTIA. 1. SCHOL.

CVI PRÆSTANDÆ, *exhibendæ in opere.* QVANDO OPORTEAT. *Sensus: coram Deo fateor temerè me aggressum hunc librum de Patientia, cùm oporteat eos, qui adoriuntur virtutis alicuius commendationem, eam potius manu quam lingua docere, & administrare cæteris; quos melius dirigunt, & constanter & audacter monent & arguunt, eloquentia facti, quam verbi; sicque plena authoritate, quam illis tribuit eiusdem rei praxis ex conuersatione cognita, funguntur officio Doctorum; aliàs præclarè dicta, & in praxim non redacta, rubore suffundunt oratorem. Christus siquidem monet*, ille, qui cœpit facere & docere; qui fecerit & docuerit, hic magnus vo-

S. Aug. cabitur in regno cœlorum. *Aug. ser. 1. de diuersis qui tertius est de verbis Domini*; Cum nobis pro officio competat dicere, vobis autem conueniat pro deuotione audire, quid tam necessarium tamque pertinens poterit vtrisque contingere, quam vt quod religiosè dicitur & deuotè auditur, obsequiis competentibus teneatur, &c. Par etenim causa & docentem, & audientem constringit, vt vtriusque professio factorum testificatione signetur. Et quamuis dissimile sit Doctoris discentisq; officium, tamen vtrisque debet esse sanctarum legum obsequium: vt jungantur factis qui separantur officiis; copulentur opere, qui diuersi sunt nomine, &c. vt factorum in ambobus conspiret assensus, quibus diuersus est in vocabulis sonus, &c. Cæterùm qui facit quod docet. & qui quidquid imperat, complet, maximus in cœlestibus, sententià Domini declaratur, &c. Doctor grauius affligitur, & obsequentis discipuli exemplo plectitur, qui facienda aliis tradidit, quæ ipse non fecit; vt nec à discipulis quos docuit potuisset ediscere; vt quibus doctrinæ tradidit Magisterium, ab iisdem factorum imitaretur exemplum. ERVBESCERE ISTVD. *Illa erubescentia, siue pudor.* VTI PVDOR *vt dum erubesco ipse non facere quod aliis suggero, ipse pudor sit mihi Magister & schola, in qua discam exhibere, & præstare factis, quod suadeo verbis.* NISI QVOD, &c. *vnum tamen agnosco, præter pudoris incitamentum mihi necessariam prorsus magnam Dei gratiam, quæ sola ad tantum bonum patientiæ capiendum, & aliis verbo & opere docendum, me dignum faciat. Ardua enim est & naturæ viribus inaccessa patientiæ virtus. Aug. Dei donum patientiam agnoscit sermone 8. ex additis à Pari-*

S. Aug. *siensibus. qui est in natali B. Vincentij Martyris.* Ab ipso verè est patientia vera, patientia sancta, patientia religiosa, patientia recta, patientia Christiana. Patientia donum Dei est. Nam & multi latrones patientissimè torquentur, & non cedentes, & tortores vincentes, postea æterno igne puniuntur. Causa discernit Martyrem a patientia, imo à duritia sceleratorum. Par est pœna, sed dispar est causa. Martyris voce cantauimus: dixerat enim ista Vincentius in orationibus, Iudica me Deus, & discerne causam meam à gente non sancta. Discreta est causa eius: quia pro veritate, pro iustitia, pro Deo, pro Christo, pro fide, pro Ecclesiæ vnitate, pro indiuidua charitate certauit. Quis ei donauit istam patientiam. Quis? indicet nobis Psalmus 61. Ibi enim legitur, ibi cantatur. Nonne Deo subiecta erit anima mea? ab illo enim patientia mea; quisquis putat sanctum Vincentium viribus suis ista potuisse, nimis errat. Quisquis enim viribus suis hoc se posse præsumpserit, & si videtur vincere patientia, vincitur à superbia. Benè vincere hoc est vniuersas diaboli machinas vincere. Illecebras dum ministrat, vincitur per continentiam. Pœnas & tormenta infligit, vincitur per patientiam. Errores suggerit, vincitur per sapientiam. Ad extremum cùm hæc omnia victa fuerint, & suggesserit animæ, euge euge, quantum potuisti? quantum certasti? quis tibi comparatur? quàm benè vicisti? respondeat illi anima sancta; confundantur & reuereantur, qui dicunt mihi, euge euge. Quando ergo vincit, nisi cum dicit, in Domino laudabitur anima mea, audiant mites & jocundentur? mites enim sciunt quod dico: quia in illis habitat Verbum, in illis habitat exemplum. Nam qui non est mitis, nescit quid sapiat quod dictum est, in Domino laudabitur anima. Omnis enim non mitis, superbus, asper, elatus, in se vult laudari, non in Domino. QVOD FRVI, *quo potiri non licet* VICE LANGVENTIVM, *velut ægri.* VACENT, *vacui sint nec habentes sanitatem.* PERORENT, *vel sæpius petam & orem à Deo: vel scribendo & dicendo inculcem animo meo.* ADSIDEAT, *adsit adiutrix, id est, nemo fide præualet, nemo quantum recolo & sentio potest perfectè Christi Domini doctrinam & exempla consequi, nisi media & adiutrice patientia. Sed cum ægritudinis propriæ meminerit, benè vtitur adsidendi verbo, Medicos enim ægris diutius adsidere conuenit. Vnde ab Hippocrate assistentes vocantur, & Chrysol.* Medicum jacentibus coniacentem; *Et ser. 38. vult* Medicum patientia armari.

2. *Patientiam Philosophi Gentiles laudant & affectant. De Pat. cap. 1. à m.*

BOnum eius, etiam qui cæci viuunt, summæ virtutis appellatione honorant. Philosophi quidem, qui alicuius sapientiæ animalia deputantur, tantum illi subsignant, vt cum inter sese variis sectarum libidinib. & sententiarum æmulationib. discordent, solius tamen patientiæ in commune memores, huic vni studiorum suorum commiserint pacem. in eam conspirant, in eam fœderantur, illam adfectatione virtutis vnanimiter student, omnem sapientiæ ostentationem de patientia præferunt.

PATIENTIA. 2. SCHOL.

BONVM EIVS. *Patientiæ scilicet.* CÆCI VIVVNT. *Gentiles absque vera luce fidei.* DEPVTANTVR, *reputantur, nominantur.* ANIMALIA. *Si homo animal rationale, & apud Ezech. ipsa Cherub. id est plenitudo scientiæ, vocantur animalia, quid mirum si Philosophi animalia sapientia vocitentur? Quos & Tertull. alibi, libro scilicet de Anima, Et Hiero. ad Pammachium:* gloriæ animalia *dixerunt.* ILLI SVBSIGNANT. *Suffragantur, tam præclarum illi testimonium dant, vt licet hinc inde diuersis placitis, vt inconstantiæ illorum arriserint, diuidantur, vnius patientiæ laudem vnanimiter & constanter affectent, in hac 3. studiis aliis diuisi, concordent, nec maiorem ex sapientum nomine gloriam quam ex ostentatione patientiæ captent.* STVDIORVM PACEM. *Non tantùm quod omnes in ea conciliëntur: sed etiam quia sine patientia animus tranquillus & pacatus non est, hæc enim perturbationes eius sedat, quibus placatis aptior est Philosophia animus.* SAPIENTIÆ OSTENTATIONEM.
S. Aug. *Aug. ep. 99. ad Euodium vbi de Philosophis excepto errore circa veri Dei cultum, virtuti addictis:* didicimus secundum quendam modum laudabiles vitas, vt excepto Dei cultu, in quo errauerunt, colentes vana quæ publicè colenda fuerant instituta, & creaturæ potius quam Creatori seruientes, in cæteris moribus, parsimoniæ, continentiæ, castitatis, sobrietatis, mortis pro patriæ salute contemptu, seruatæque fidei, non solum ciuibus, verum & hostibus, imitandi meritò proponantur. Quæ quidem omnia quando non A referuntur ad finem rectæ veræque pietatis, sed ad fastum inanem humanæ laudis & gloriæ, etiam ipsa inanescunt quodammodo, steriliaque redduntur. Veruntamen quadam indole animi ita delectant, vt eos in quibus hæc fuerunt, vellemus, vel præcipuè vel cum cæteris ab inferni cruciatibus liberari; *agit de Christi descensu ad inferos, dolores soluentis:* nisi aliter se haberet sensus humanus, aliter iustitia Creatoris. *Et lib. 22. de Ciuit. cap. 22. vbi de omnibus speciebus miseriarum in hac vita tolerandarum fusissimè tractat:* Ad hoc meliores quosque in his malis adiuuat gratia, vt quantò fideliore, tantò fortiore corde tolerentur; ad quam rem etiam Philosophiam prodesse dicunt docti huius sæculi, quàm dij quibusdam paucis, vt ait Tullius, veram dederunt. Nec hominibus, inquit, B ab his aut datum est donum maius, aut potuit vllum dari: vsqueadeo & ipsi, contra quos agimus, quoquo modo compulsi sunt, in habenda, non quacumque, sed vera Philosophia, diuinam gratiam confiteri. Porro si paucis diuinitus datum est, veræ Philosophiæ contra miserias huius vitæ vnicum auxilium, satis & hinc apparet, humanum genus ad luendas miseriarum pœnas esse damnatum. Sicut autem hoc, vt fatentur, nullum diuinum maius est donum, sic à nullo Deo dari credendum est, nisi ab illo, quo & ipsi qui multos Deos colunt, nullum dicunt esse maiorem. S. Aug.

3. *Patientes soli à Christo prædicati beati. De Pat. cap. 11. à m. ad f.*

VSus eius officij, magna merces, felicitas scilicet. Quos enim felices Dominus nisi
a Matth. 5. 3. patientes nuncupauit? dicendo, [a] *Beati pauperes spiritu, illorum est enim regnum cælorum.* Nullus profectò spiritu pauper, nisi humilis. Quis enim humilis nisi patiens? quia ne-
b Ibid. 5. mo subiicere sese potest, sine prima patientia subiectionis ipsius. [b] *Beati*, inquit, *flentes atque lugentes:* Quis talia sine patientia tolerat? itaque talibus & aduocatio & risus promit-
c Ibid. 4. titur. [c] *Beati mites:* hoc quidem vocabulo impatientes non licet omnino censeri. Item
Matth. 5. 9. quum pacificos eodem titulo felicitatis notat, & filios Dei nuncupat, nunquid impatientes pacis affines? Stultus hoc senserit. Quum verò, [d] *Gaudete & exultate*, dicit, *quotiens*
d Matth. 5. 12. *vos maledicent & persequentur: merces enim vestra plurima in cœlo.* id vtique non exultationis impatientiæ pollicetur: quia nemo in aduersis exultabit, nisi antè ea contempserit: nemo contemnet, nisi patientiam gesserit.

PATIENTIA. 3. SCHOL.

VSVS, *praxis virtutis patientiæ magnum præmium est, æterna beatitudo.* QVIS ENIM HVMILIS, *quis autem.* PRIMA PATIENTIA *id est nisi qui primò & prius patienter ferat aliis subiici. Hoc ipso sensu Aug. paupertatem spiritus in humilitate posuit, pauperes spiritu dicens* qui non habent inflantem spiritum. ADVOCATIO. *Consolatio Paracleti, & aduocati promittitur, qui quidem si ex Paulo:* postulat pro nobis, *vtique aduocatus,* gemitibus inenarrabilibus, *etiam consolator est, quo & in corde diffuso dicebat Paulus,* superabundo gaudio in omni tribulatione: *& Psaltes;* secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. *Aug. in Psal. 85.* Quoniam tu Domine adiuuisti me, & consolatus es me. Adiuuisti me in certamine, &
S. Aug. consolatus es me in tristitia. Nemo enim consolationem quærit, nisi qui est in miseria, &c. Vtique regio ista scandalorum est & tentationum, & omnium malorum, vt gemamus hîc, & mereamur gaudere ibi: hîc tribulari, & consolari ibi, & dicere, quoniam exemisti oculos meos a lachrymis, pedes meos à ruina, quoniam placebo Domino in regione viuorum. Ista regio mortuorum est. Transit regio mortuorum, venit regio viuorum. In regione C mortuorum, labor, dolor, timor, tribulatio, tentatio, gemitus, suspirium. Hîc falsi fœlices, veri infœlices. *Quibus suprà cum Iacobo dixeras miseri estote & lugete, risus vester in luctum conuertatur.* Quia falsa fœlicitas, vera miseria est. Qui verò se agnoscit in vera esse miseria, erit etiam in vera fœlicitate. Et tamen nunc quia miser es, audi Dominum dicentem, beati lugentes. O beati lugentes! Nihil tam coniunctum miseriæ quàm luctus: nihil tam remotum & contrarium miseriæ quàm beatitudo. Tu dicis lugentes, & tu dicis beatos? intelligite, inquam, quod dico, beatos dico lugentes. Quare beati? in spe. Quare lugentes? in re. Etenim lugent in morte ista, in tribulationibus istis, in peregrinatione sua. D Et quia agnoscunt se esse in ista miseria & gemunt, beati sunt, &c. Cum transierit gemitus noster, omnes vna voce in vno populo, in vna patria consolabimur, millia millium coniuncta psallentibus Angelis, choris cœlestium potestatum in vna ciuitate viuentium. Quis ibi gemit? quis ibi suspirat? quis ibi laborat? quis ibi eget? quis ibi moritur? quis ibi misericordiam præbet? quis ibi frangit panem esurienti, vbi omnes, pane iustitiæ saginantur? &c. vbi necessitas non erit nec miseria, opera necessitatis

& misericordiæ non erunt. Quid ibi erit? quod negotium nostrum? quæ actio nostra? nulla actio, quia quies. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. O beati qui persecutionem patiuntur, &c. Beati eritis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, &c. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis.* Sedebimus ergo & torpebimus, & nihil agemus? Si refrigescit amor noster, refrigescit & actio nostra. Amor ergo quietus in vultu Dei quem modò desideramus, cui suspiramus, cùm ad eum venerimus, quomodo nos accendet, in quem nondum visum sic suspiramus? cùm ad eum venerimus, quomodo nos illuminabit? quomodo nos mutabit? quid de nobis faciet? quid ergo agemus, fratres. Psalmus nobis indicat: Beati qui habitant in domo tua, Vnde? in sæcula sæculorum laudabunt te. Hęc erit actio nostra, laus Dei. Amas & laudas; desinis laudare, si desinis amare. Non autem desines amare, quia talis est quem vides, qui nullo te offendat fastidio, & satiat te, & non satiat te, Mirum est quod dico. Si dicam, quia satiat te, timeo ne quasi satiatus velis abscedere, quomodo de pran- A dio, quomodo de cœna. Ergo quod dico, non te satiat; timeo rursus ne si dixero non te satiat; indigens videaris, & quasi inanior existas, & minus in te sit aliquid, quod debeat impleri. Quid ergo dicam nisi quod dici potest, cogitari vix potest? & satiat te, & non te satiat: quia vtrumque inuenio in Scriptura? Nam cùm diceret, Beati esurientes, quia ibi saturabuntur: & rursum de sapientia dictum est Eccli. 24. Qui te manducant, iterùm esurient; & qui te bibunt, iterùm sitient. Immò verò non dixit iterùm, sed dixit adhuc. Nam iterùm sitiet, quasi primò saginatus discesserit, & digesserit, & redierit bibere. Tale est, qui te edunt adhuc esurient, si cùm edunt esurient, & qui te bibunt, sic bibendo sitient, Quid est bibendo sitire? Nunquam fastidire. Si ergo ista ineffabilis & sempiterna dulcedo erit, modò quid à nobis petit, fratres, nisi fidem non fictam, spem firmam, charitatem puram, vt ambulet homo in via, *spinosa, luctuosa, humilitatis & patientiæ,* quam Dominus dedit? ferat tentationes & suscipiat consolationes, *Quid concinnius in rem Tertulliani omnem beatitudinem merito patientiæ tribuentis?*

PATIENTIÆ EXEMPLA.

1. Patientia Gentilium & peccatorum, à Diabolo Dei æmulo, suos quoque Martyres habente inspirata, nos ad veram patientiam hortatur. De pat. cap. 16. per totum.

HÆc patientiæ ratio, hæc disciplina, hæc opera cœlestis & veræ, scilicet Christianæ, non vt illa patientia gentium terræ, falsa, probrosa. Nam vt in isto quoque Domino Diabolus æmularetur, quasi planè ex pari (nisi quòd ipsa diuersitas mali & boni æqualiter magnitudinis par est) docuit & suos patientiam propriam: illam dico, quæ maritos dote venales, aut lenociniis negotiantes vxorum potestatibus subiicit; quæ aucupandis orbitatibus omnem coacti obsequij laborem mentitis adfectionibus tolerat: quæ ventris operarios, contumeliosis patronis subiectione libertatis addicit. Talia Nationes patientiæ studia nouerunt, & tanti boni nomen fœdis operationibus occupant: patientes riualium & diuitum & inuitatorum, impatientes solius Dei viuunt. Sed viderit sua & sui Præsidis patientia, quam subter ignis expectat. Cæterùm nos amemus patientiam Dei, patientiam Christi: rependamus illi, quam pro nobis ipse dependit. Offeramus patientiam spiritus, patientiam carnis, qui in resurrectionem carnis & spiritus credimus.

PATIENTIÆ EXEMPLA. 1. SCHOL.

VERÆ SCILICET CHRISTIANÆ. *Hic opponit patientiam Christianã Gentili quam falsam dicit: quia vt sæpè probat Aug. virtutes Gentilium veræ & solidæ non sunt, sed fuco solo virtutis apparentis expilitæ, & vento vanæ gloriæ inflatæ.* ÆQVALITER MAGNITVDINIS. *alij* magnitudine, *id est, quoad actus exteriores. Patientia Gentilium & peccatorum æqualis apparet patientiæ iustorum, sed fine & causa longè dispares.* PATIENTIAM PROPRIAM, *diabolicam, infructuosam, pertinacem in malo. Hic aduerte patientiam propriè apud Authores, etiam rei turpis dici. Plin. l. 6. ep. 32.* Maritum non sine aliqua reprehensione patientiæ, amor vxoris retardabat: quam quidem etiam post delatum adulterium domi habuerat, quasi contentus æmulum remouisse. *Et Cypr. lib. de discipl. & habitu virg.* Verbis turpibus & C temulentis libidinum fomes accenditur, sponsa ad patientiam stupri, ad audaciam sponsus animatur. *Quod clarè docet Tertull. in seqq.* MARITOS DOTE VENALES. *id est, hæc patientia diabolica à Diabolo inspirata, suadet vxoribus emere data & numerata dote maritos, quos pretio obligent conniuere adulteriis suis.* LENOCINIIS NEGOTIANTES. *Vt ipsi sint propriarum vxorum lenones, & concubinarum Mercurij & internuntij.* AVCVPANDIS ORBITATIBVS. *Altera species patientiæ diabolicæ est in his qui cum magno labore & ficto affectu seruiunt his quos vident sine liberis, vt eorum bonis possint succedere.* QVÆ VENTRIS OPERARIOS, *id est,* B *splendidarum mensarum auidos, adulationibus captant, dispendio libertatis, quam miseri parasiti pudendis dominis & patronis vnius prandij pretio vendunt, vel vitiosorum, & contumelia dignorum patrocinia suscipiunt; vel omnem contumeliam pro gula implenda ferunt.* NATIONES. *Gentiles.* TANTI BONI, *patientiæ scilicet.* PATIENTES RIVALIVM, *mariti pro dote, vel pretio.* DIVITVM, *pro spe hæreditatis.* INVITATORVM, *quales gulosi parasiti* SOLIVS DEI, *cuius iugum suaue ferre nolunt.* SED VIDERIT SVA, *alij legunt obscuriùs,* viderint suam, sui præsidis: *supple patientia. Diabolum intellige per præsidem.* SVBTER IGNIS, *infernus scilicet. Alij legunt,* quam patientia subter ignis expectat. *alludit ad Paulum Rom. 2.* C 4. An diuitias bonitatis eius, & patientiæ & longanimitatis contemnis? &c. Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, Qui reddet vnicuique secundum opera eius: iis quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem qui sunt ex contentione, & non acquiescunt veritati, *hi sunt impatientes Dei & eius prouidentiæ, cui subiici nolunt,* credunt autem iniquitati, ira & indignatio. PATIENTIAM DEI, *de qua infrà numero 5.* PATIENTIVM CHRISTI. *De hac quoque numero 6.* PATIENTIAM CARNIS, *quæ in iisdem*

membris paßis gloriosa resurget. RESVRRECTIONEM SPIRITVS. *Non quod anima sit mortalis, sed quia moritur carnis & mundi affectibus, moritur gaudio saeculari, & sic resurget ad gaudium aeternum.* Inebriabuntur enim ab vbertate domus Dei & torrente voluptatis tuæ potabis eos. *vel quia in resurrectione animâ in corpus regreßâ totum dicitur resurgere compositum. De vera & falsa patientia pulchrè scribit Augustinus* S. Aug. *tom. 4. lib. de patientia, quem Louanienses verè Augustini, vt est admittunt; sic cap. 3.* Intueamur, fratres charissimi, quanta in laboribus & doloribus homines dura sustineant· pro rebus quas vitiosè diligunt, & quantum se his fœliciores fieri putant, tanto infœliciùs concupiscunt. Quanta pro falsis diuitiis, quanta pro vanis honoribus, quanta pro ludicris affectionibus periculosissima & molestissima patientissimè tolerant. Pecuniæ & gloriæ cupidos videmus, vt ad desiderata perueniant, adeptisque non careant, soles, imbres, glacies, fluctus, & procellosissimas tempestates, aspera & incerta bellorum, immanium plagarum ictus & vulnera horrenda, non ineuitabili necessitate, sed culpabili voluntate perferre, &c. S. Aug. *Et cap. 4.* Vis desideriorum, facit tolerantiam laborum & dolorum: & nemo nisi pro eo quod delectat, sponte suscipit ferre quod cruciat. *Et cap. 5. vbi de latronibus multa dira patientibus:* In his hominibus miranda est potiùs quàm laudanda patientia; immò nec miranda, nec laudanda quæ nulla est: sed miranda duritia, neganda patientia. Nihil autem illic iure laudandum, nihil vtiliter imitandum: tantóque rectiùs maiore supplicio dignum iudicaueris animum, quantò magis vitiis subdit instrumenta virtutum. Patientia comes est sapientiæ, non famula concupiscentiæ. Patientia amica est bonæ conscientiæ, non inimica innocentiæ. Cùm ergo videris quemquam patienter aliquid pati, noli continuò laudare patientiam, quam non ostendit nisi causa patiendi: quando illa bona est, tunc ista vera est, &c. Cùm verò illa tenetur in crimine, tum multùm huius erratur in nomine. Non enim sicut omnes qui sciunt, sunt participes scientiæ, ita homines qui patiuntur sunt participes patientiæ: sed qui passione rectè vtuntur, hi patientiæ veritate laudantur, hi patientiæ munere coronantur. S. Aug.

2. *Pati pro Deo, iustitiâ, & cœlo nolle, quod pro peccati pœna omnes ferunt, Christianum pudeat. Scorp. cap. 5. in fin.*

QVid grauatur pati nunc homo ex remedio, quod non est tunc grauatus pati ex vitio? Displicet occidi in salutem, cui non displicuit occidi in perditionem? Nauseabit ad antidotum, qui hiauit ad venenum.

Et vide Verbum Martyrum virtus & constantia num. 1.

PATIENTIÆ EXEMPLA. 2. SCHOL.

QVID GRAVATVR. *Aduerte hîc Authorem hortari ad Martyrium patienter ferendum, à quo Gnostici dehortabantur, contra quos scripsit Scorpiacum tanquam Antidotum contra eorum morsum, quos Scorpiis comparat, blanda facie vitæ præsentis demulcentes: dicit igitur nulli homini grauem videri debere mortem, quam Dei bonitas incarnati subiit in mortis remedium, quamque nobis ferendam exemplo suo suasit in peccatorum omnium remedium, quia Martyrium Baptismus est sanguinis,* peccati autem stipendium mors, *quis ergo recuset pati mortem in remedium peccati, & cumulum gratiæ & gloriæ, quam videmus omnes pati ex merito culpæ? quis cum nausea tam salutiferum sumat poculum, qui tam auidè hausit mortis venenum scilicet peccatum? pulchrè in hanc rem Aug. lib. de patientia cap. 7.* Cùm pro libidinibus vel etiam sceleribus, cùm denique pro ista temporali vita ac salute, multa homines horrenda mirabiliter sufferunt, satis nos admonet quanta sufferenda sint pro vita bona, vt etiam posteà possit esse æterna, & sine vllo temporis termino, sine vtilitatis vllius detrimento verâ fœlicitate secura. Dominus ait Luc. 21. In vestra patientia possidebitis animas vestras. Non ait villas vestras, laudes vestras, luxurias vestras, sed animas vestras. Si ergo tanta suffert anima vt possideat vnde pereat, quanta debet ferre ne pereat.

3. *Patientia, Nabuchodonosor rationi & Regno restituit. De pat. cap. 13. in med.*

HÆc patientia corporis precationes commendat, deprecationes affirmat: hæc aures Christi Dei aperit, seueritatem dispergit, clementiam elicit. Sic ille rex Babylo-
Dan. 4. 30. nius offenso Domino cum squalore & pædore septenni ab humana forma exulasset, immolata patientia corporis sui, & regnum recuperauit, & quod optabilius est homini, satis Deo fecit.

PATIENTIÆ EXEMPLA. 3. SCHOL.

PATIENTIA CORPORIS. *quâ morbi & afflictiones corporis, vel voluntariâ pœnitentiâ, vel Deo flagellante, cum patientia tolerantur.* PRECATIONES COMMENDAT, *orationes acceptas Deo reddit.* DEPRECATIONES AFFIRMAT. *Certißimè mala ne eueniant, deprecatur & amouet.* AVRES CHRISTI DEI, *quem* Aduocatum habemus apud Patrem. SEVERITATEM DISPERGIT, *nubem grandineam & fulmineam iam ingruentem super nos, dißipat; & patientiæ & pœnitentiæ merito, pro ira, clementiæ rorem & pluuiam elicit. Sic Psaltes 134.* Suscitans nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit. *Augustinus in hunc locum,* Quas nubes, inquit, prædicatores verbi veritatis suæ. S. Aug. *Qualis & Daniel liberè Regi Nabuchodonosor intonans & inculcans fulmen, paratum supercilio montis superbiæ eius, qui cùm dixisset, Daniel. 4. 27.* Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, &c. Cúmque sermo adhuc esset in ore Regis, vox de cœlo ruit; Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex: Regnum tuum transibit à te, & ab hominibus eiicient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua; fœ-

num quasi bos comedes, & septem tempora, super te mutabuntur, &c. *Et impletum est sicut Daniel ei prædixerat., eodem capite versu 22. & versu 24. eleemosynis peccata sua redimere suaserat. Quid tum postea? post septennium patientiæ, vt habet versu 31.* Post finem dierum, Ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum leuaui, & sensus meus redditus est mihi: & Altissimo benedixi, &c. In ipso tempore sensus meus reuersus est ad me, & ad honorem regni mei decoremque perueni, & figura mea reuersa est ad me. *Quid ergo post tonitru nubis, & patientiam regis secutum est? quod subdit Psaltes & Augustinus:* De ipsis nubibus quid operatur? fulgura in pluuiam fecit: minas ad misericordiam flexit, de terroribus irrigauit. Quomodo de terroribus irrigauit? quando tibi minatur Deus per Prophetam, & per Apostolum, & times, nónne coruscatio terruit te? sed cùm pœnitendo, *addo & patiendo, cùm pœnitentia sit pœna patientia,* corrigeris, in pluuiam vertitur fulguris terror. POEDORE. *putore, sordibus.* AB HVMANA FORMA EXVLASSET. *hoc est quod dixit Daniel:* Eiicient te ab hominibus: *sed num transformatus est in feram? sensum & rationem perdidisse videtur, ait enim:* Sensus meus reuersus est ad me. *Formam item externam, nam subiicit,* & figura mea reuersa est ad me. *Dorotheus in Synopsi, & Epiphanius in vita Danielis, dicunt eum interius seruasse formam hominis, animam rationalem; sed exterius mutatum in figuram bouis anteriùs, & leonis iubas & caudam. Alij per imaginationem ipsum sic transformatum; vel talem etiam apparuisse exterius hominibus. Vngues & capilli non rasi excreuerant in fera*

S. Aug.

A *modum, & imaginatione mutata, vox quoque in mugitum bouis incondita & inhumana erat; Sic Hieronymus, Theodorus, Rupertus, & Gregorius, Augustinus lib. 18. de Ciuitat. cap. 17. & 18. agit de mutationibus hominum in bestias, & concludit cap. 18.* Nec dæmones naturas creant, si aliquid tale faciunt, de qualibus factis, ista vertitur quæstio, sed specie tenus, quæ à Deo vero sunt creata, commutant, vt videantur esse quod non sunt; non itaque solum animum, sed nec corpus quidem vlla ratione crediderim dæmonum arte, vel potestate, in membra vel lineamenta bestialia veraciter posse conuerti: sed phantasticum hominis, quod etiam cogitando siue somniando per rerum innumerabilia genera variatur; & cùm corpus non sit, corporum tamen similes mirâ celeritate formas capit, sopitis aut oppressis corporeis hominis sensibus, ad aliorum sensum nescio-quo ineffabili modo figura corporea possit perduci. QVOD OPTABILIVS, *quia gloriosius est per humilem patientiam Deo irritato per superbiam satisfacere, & ad eius gratiam redire, quam ad humanam naturam, & regni temporalis gloriam, Scriptura dicente;* Magna est potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur. *Sic ipse Nabuch. Dan. 4. 34. post septem annorum patientiam, vel vt Dorotheus in Synopsi, & Epiphanius in vita Danielis, post septem menses, ad quos per preces Danielis contracti sunt septem anni;* Nunc igitur Ego Nabuchodonosor laudo & magnifico, & glorifico Regem cœli: quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare.

S. Aug.

B

4. *Patientia S. Iob triumphus. De pat. cap. 14. à pr. ad fin.*

O Felicissimum illum quoque, qui omnem patientiæ speciem aduersus omnem Diaboli vim expunxit: quem non abacti greges; non illæ in pecore diuitiæ, non filij vno ruinæ impetu adempti; non ipsius denique corporis in vlcere cruciatus, à patientia & fide Domino debita exclusit; quem Diabolus totis viribus frustrà cecidit. Neque enim à respectu Dei tot doloribus auocatus ille est, sed constitit nobis in exemplum & testimonium, tam spiritu quàm carne, tam animo quàm corpore, patientiæ perpetrandæ: vt neque damnis secularium, nec amissionibus carissimorum, nec corporis quidem conflictationibus succidamus. Quale in illo viro feretrum Deus de Diabolo exstruxit? Quale vexillum de inimico gloriæ suæ extulit, cùm ille homo ad omnem acerbum nuntiorum nihil ex ore promeret, nisi Deo gratias, cùm vxorem iam malis delassatam, & praua remedia suadentem execraretur? Quid? ridebat Deus: quid? dissecabatur Malus, quum Iob immundam vlceris sui redundantiam magnâ æquanimitate destringeret, cùm erumpentes bestiolas inde in eosdem specus & pastus * foraminosæ carnis, ludendo reuocaret. Itaque operarius ille victoriæ Dei, retusis omnibus iaculis tentationum lorica clypeóque patientiæ, & integritatem mox corporis à Deo recuperauit, & quæ amiserat conduplicata possedit. Et si filios quoque restitui voluisset, pater iterùm vocaretur. Sed maluit in illo die reddi sibi. Tantum gaudij, securus de Domino, distulit. sustinuit tam voluntariam orbitatem, ne sine aliqua patientia viueret.

Iob. 1. 21.

Iob. 2. 10.

* reformosæ

PATIENTIÆ EXEMPLA. 4. SCHOL.

EXPVNXIT. *Plenè & perfectè adimpleuit.* ABACTI GREGES, *furto abducti, aut per vim. vox iuris; Abactores enim, siue abigei, sunt pecuariorum animalium fures, apud Vlpianum, de quibus titulus est lib. 47. ff. in cuius prima l. Vlp. ait,* qui pecora ex pascuis vel armentis abigunt, hi propriè dicuntur abigei. Quod si quis oues aberrantes, aut alias quadrupedes abduxerit, non erit reus crimine abigeatus, sed potiùs furti. Est enim abigeatus ipsum abigei crimen, quod in Hispania grauiùs quam alibi gentium debere puniri Had Cæsar Consuli rescripsit. FIDE DOMINO DEBITA, *alij,* dedita. FRVSTRA CÆCIDIT. *Tantum enim abest vt ad blasphemandum induxerit, quin potius*

C *cædendo & tundendo, tubam laudum Dei perfecit. Sic Aug. in Psal. 97.* Psallite Domino nostro in cythara, in cythara & voce Psalmi, in tubis ductilibus, &c. Ductiles tubæ æreæ sunt; tundendo producuntur. Si tundendo, ergo vapulando eritis tubæ ductiles, ad laudem Dei productæ. Si cùm tribulamini proficiatis, tribulatio, tunsio, profectus productio est. Tuba ductilis erat Iob, quando repentè percussus tantis damnis & orbitate filiorum, tunsione illa tantæ tribulationis factus tuba ductilis sonuit; Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum. *En quod subdit Tertull. à respectu Dei nusquam auocatum.* Quo-

S. Aug.

modo sonuit, quam suauem sonum dedit ista ductilis tuba? adhuc tunditur, datus est in potestate, vt & caro eius percuteretur. Percussa est, cœpit putrescere, scatere vermibus. Supposita Eua ad seductionem, vxor eius seruata ad ministerium Diaboli, non ad solatium mariti. Suggerit blasphemias, non obtemperat ille. Obtemperauit Adam Euæ in Paradiso, repellit Adam Euam in stercore. In stercore enim sedebat Iob, *vt in patientiæ throno, vel vt ait Tertull. in gloria Dei & spoliorum Diaboli, triumphali feretro. Feretrum enim à ferendo, & Iupiter feretrius dictus. Propriè trophæum erectum à Duce exercitus, victo in duello Duce aduersario*, cùm flueret & putresceret vermibus, Melior Iob putris in stercore, quàm integer ille in Paradiso, &c. Dulcem vocem si placet audiamus. Locuta es, inquit, tanquam vna ex insipientibus mulieribus. Si bona suscepimus de manu Domini, mala non sustinebimus? ô sonum fortem, ô sonum dulcem! Quem non dormientem excitet sonus iste? &c. De illius Diaboli pœna futura Propheta commemorans ait, Hier. 50. contritus est malleus vniuersæ terræ. Malleum vniuersæ terræ Diabolum voluit intelligi. De seipso malleo in manu Dei posito, id est in potestate Dei, tunduntur ductiles tubæ, vt resonent laudes Dei. *Subiicit & Paulum hoc malleo factum tubam in infirmitate perfectam; & ipsum Sathanæ tradidisse malleo tundendos. 1. Tim. 1.* Tradidit malleo tundendos, malè sonabant antequam producerentur, fortè producti, & facti tubæ ductiles, amissâ blasphemiâ, laudes Domini sonuerunt. *Idem Aug. serm. 222. de temp. vbi rursum comparat Iob tubæ ductili suaue sonanti. Sed aliquid superaddit quod hîc non prætereo.* Datus est in potestatem Sathanæ, vt caro perquteretur; percussus est, cœpit putrescere, ita vt eum scatentes globi vermium exararent, &c. Per illam crudelissimam pœnam minuta peccata purgabantur, quam rem etiam ipse intelligens, Deo gratias referebat, & negligentiarum suarum quasi verissimus Iudex, non molli linteo, sed testa radebat saniem fluentem, &c. De isto malleo & iustus tunditur, & peccator: ille vt probetur, iste vt puniatur: aut certe vt iustus augeatur in bonis, & peccator corrigatur à malis. Sub isto enim malleo, in manu, id est in potestate Domini constituto, tunduntur non solùm humiles, sed & superbi. Sed humiles producuntur, superbi comminuuntur, vt vitrum. Vna eademque tunsio bonos producit ad gloriam, malos redigit in fauillam. *Vide eumdem Augustinum lib. de patientia cap. 12. vbi inter multa Adæ præfert S. Iob.* Cautior fuit iste in doloribus, quàm ille in nemoribus. Ille victus est in deliciis, iste vicit in pœnis: consensit ille oblectamentis, non cessit iste tormentis. Aderant & amici, non vt in malis consolarentur, sed vt mala suspicarentur, &c. Nec tacebat eorum lingua, quod illius cõscientia non habebat, vt inter immanes cruciatus corporis etiã falsis animus cæderetur opprobriis. At ille sustinens in carne dolores suos, in corde errores alienos, coniugis corripiebat insipientiam, amicos docebat sapientiam, seruabat vbique patientiam. Hunc intueantur qui sibi ingerunt mortem, quando quæruntur ad vitam; & sibi auferendo præsentem abnegant & futuram. PATIENTIÆ PERPETRANDÆ. *Hæc vox non solùm in sceleribus, sed & egregiis facinoribus & operibus eximiis vsurpatur. Sic rursum noster Author libro hoc cap. 3. vbi de Christi patientia.* patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret. SÆCVLARIVM, *temporalium.* SVCCIDAMVS, *succumbamus.* ACERVVM NVNTIORVM,

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

A *vnus enim malus nuntius statim alteri succedebat. Alij legunt*, acerbum nuntium: *amara quippe singuli nuntiabant.* DELASSATAM, *victam & fractam.* DISSECABATVR MALVS, *Diabolus torquebatur & quasi scindebatur medius.* REDVNDANTIAM. *Labia vlceris exuberantia saniæ.* DESTRINGERET, *alij* distringeret. *testa raderet.* BESTIOLAS, *vermiculos.* SPECVS ET PASTVS. *speluncas & pascua.* FORAMINOSÆ, *alij* refossæ & reforatæ, *foraminibus plenæ.* LVDENDO. *Hiero. epist. ad Iulian. de tribulationibus loquens:* Si ad te respicias, grandescunt: si ad bellatorem fortissimum Iobum, ludus & vmbra. SI FILIOS RESTITVI. *Sicut alia scilicet bona duplicia, sic & filios mortuos suscitasset Deus, & alios insuper quos de facto genuit, habuisset* B *& suscitatorum pater iterùm diceretur: sed vt haberet tota vita in defunctorum orbitate patientiæ meritum, in diem Resurrectionis distulit hoc duplex gaudiũ. Zeno Veron. ser. de Iob.* Iob, inquit, vicarios filios genuit. *hoc est in vicem & locum mortuorum succedentes,* VOLVNTARIAM ORBITATEM. *quia si voluisset sibi restitui mortuos, à Deo recepisset. Errant ergo qui lapsum memoriæ hoc loco in Tertulliano arguunt. Et nimirùm hoc sensisse viros doctos, cùm sit ut 1. cap. Iob. 2.* Nati sunt ei septem filij & tres filiæ: *sic cap. vl. vbi de benedictis eius nouissimis, vers. 13.* Fuerunt ei septem filij & tres filiæ, &c. deditque eis pater suus hæreditatem inter fratres eorum. Vixit autem Iob post hæc 140. annis, & vidit filios suos, & filios filiorum suorum vsque ad quartam generationem. *August. de liberis Iob loquens lib. de patient. c. 11.* Per- C cussus, inquit, etiam omnium subitâ orbitate filiorum, vt quos singillatim susceperat, simul perderet, tanquam eorum numerositas non vnde fœlicitas ornaretur extiterit, sed vnde calamitas augeretur. Vbi autem ista perpessus in Deo suo mansit immobilis, eius affixus est voluntati, quem non posset amittere nisi propriâ voluntate: & pro iis quæ perdidit eum qui abstulit tenuit, in quo inueniret quod nunquam periret. Neque enim ille abstulerat, qui nocendi habuit voluntatẽ, sed ille qui dederat potestatẽ. *Et ep. 120. ad Honorat. c. 10.* Iacobus, inquit, vnus ex Apostolis eius, in epistola sua, cùm hortaretur fideles: qui post Passionem & Resurrectionem Christi D adhuc in ista vita tenebantur, dispensationem veteris Testamenti nonique distinguens. Sustinentiam, inquit, Iob audistis; & finem Domini vidistis, ne ideò patienter sustinerent temporalia mala, vt sibi hoc restitueretur quod recepisse legimus Iob. Nam & ab illo vulnere atq; putredine saluus factus est: & ei cuncta quæ amiserat duplicata sunt restituta, vbi etiam commendata est Resurrectionis fides. Nam filij non dupli, sed totidem redditi, etiam illos quos amiserat resurrecturos significauerunt. Sic ipsi quoque illis prioribus iuncti, à restitutione dupli non inuenirentur alieni. Vt ergo non talem remunerationem speraremus, quando mala temporalia pateremur. Non ait, Sustinentiam & finem Iob audistis, sed ait: E Sustinentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis, tanquam diceret: Mala temporalia sicut Iob sustinete, sed pro hac sustinentia non temporalia bona sperate, quæ illi aucta redierunt, sed æterna potiùs quæ in Domino præcesserunt. *Quæ autem in Christo Domino præcesserunt? nisi resurrectio & gloria corporis eius, & aliorum Sanctorum, quorum corpora cum ipso surrexerunt. Hic finis Domini, de quo Iacobus. Hæc posteriora eius de quibus ex eodem Aug. in Psalmus Moysi dixit:* posteriora mea videbis: *hic finis & hæc posteriora de quibus Apostolus:* Prædicans eas quæ in Christo sunt passiones & posteriores glorias.

S. Aug.

S. Aug.

5. Patientiæ exemplum non à Diogene sumendum, sed à Deo malos tolerante, eisque benefaciente. De pat. cap. 2. per totum.

NObis exercendæ patientiæ auctoritatem, non affectatio humana caninæ æquanimitatis stupore formata, sed viuæ ac cœlestis disciplinæ diuina dispositio delegat, Deum ipsum ostendens patientiæ exemplum iam primum, qui rorem lucis huius super iustos & Matth. 5. 45.
iniustos æqualiter spargit: qui temporum officia, elementorum seruitia, totius genituræ tributa dignis simul & indignis patitur simul occurrere; sustinens ingratissimas Nationes, ludibria artium & opera manuum suarum adorantes, nomen cum familia ipsius persequentes, luxuriam, auaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie inolescentem, vt sua sibi patientia detrahat: plures enim Dominum idcirco non credunt, quia seculo iratum tamdiu nesciunt.

PATIENTIÆ EXEMPLA. 5. SCHOL.

A AVTHORITATEM DELEGAT. *Magna prorsus authoritas, æquanimiter posse pati quasuis huius vitæ miserias: quam quidem non à Diogene Cynico omnia ridente, & ad omnia aduersa magis stupida, quàm forti, plus affectante videri patienter tolerare aduersa, quam verè & solidè ferente; sed à Christiana disciplina, & à Deo ipso veræ patientiæ exemplo, delegatam accepimus, vt eius vices geramus, eum repræsentemus, qui à Psalte coniunctè dicitur,* Deus fortis & patiens, *qui tot ab homine peccata tolerat & iniurias, qui* solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos; ROREM LVCIS. *Esa. 26. 19.* quia ros lucis, ros tuus. *Alij legunt* florem lucis. GENITVRÆ, *natura.* LVDIBRIA ARTIVM. *Idola, ludicros Deos.* CVM FAMILIA. *fidelium.* INOLESCENTEM *præ vetustate fœtentem. Alij;* insolescentem. SIBI DETRAHAT, *honorem & timorem debitum. Multi enim ex tanta Dei patientia, tot iniurias, tamdiu ferente nec vindicante, Deum omnino esse negant, quia si esset, iustus videri vellet, nec tamdiu iram suam dissimularet. Cypr. de patientia:* qualis verò Deo & quanta patientia, &c. in contumeliam suæ maiestatis & honoris, &c. cumque habeat in potestate vindictam, maluit diu tenere patientiam, &c. Adeo vt incuriosus à quibusdam & quasi negligens humanorum actuum Deus diceretur. *Aug. de Patientia cap. 1. pulchrè de patientia Dei sic disserit:* virtus animi quæ patientia dicitur, tam magnum Dei donum est, vt etiam ipsius, qui nobis eam largitur, qua malos, vt corrigantur, expectat, patientia prædicetur. Ita quamuis Deus nihil pati possit, patientia verò a patiendo nomen acceperit, patientem tamen Deum non modo fideliter credimus, verum etiam salubriter confitemur. Sed Dei patientia qualis & quanta sit, quem nihil patientem, nec tamen impatientem, immo etiam patientissimum dicimus, verbis explicare quis possit? ineffabilis est ergo illa patientia, sicut zelus eius, sicut ira eius, & si quid huiusmodi est. Nam si tanquã nostra B illa cogitemus, in illo nulla sunt. Nihil enim horum nos sine molestia sentimus. Absit autem vt impassibilem Dei naturam perpeti vllam molestiam suspicemur. Sicut autem zelat sine aliquo liuore, irascitur sine aliqua perturbatione; miseretur, sine aliquo dolore; pœnitet eum sine alicuius prauitatis correctione, ita est patiens sine vlla passione. S. Aug.

6. Patientiæ exemplum clarius & propinquius nobis, Christus in omnibus vitæ actibus præbuit, plenus spiritu patientiæ incredibilis gentibus; quam fideles imitari debent, spe mercedis, & timore pœnæ. De pat. cap. 3 per totum.

ET hæc quidem diuinæ patientiæ species, quasi de longinquo, fors vt de supernis æstimetur. Quid illa autem quæ inter homines palam in terris quodammodo manu apprehensa est? Nasci se Deus in vtero patitur matris, & expectat, & natus adolescere sustinet, & adultus non gestit agnosci, sed contumeliosus insuper sibi est, & à seruo suo tinguitur, & tentatoris congressus solis verbis repellit. Cum de domino fit magister, docens
hominem euadere ad salutem, scilicet veniam offensæ patientiæ eruditus, [a] *non contendit,* a Esa. 42.
non reclamauit, nec quisquam in plateis vocem eius audiuit, arundinem quassatam non fregit, li- 2.
num fumigans non restinxit. Nec enim mentitus fuerat propheta, imò ipsius Dei conte-
statio, spiritum suum in filio cum tota patientia collocantis. Nullum volentem sibi ad- Io. 13. 4.
hærere non suscepit: nullius mensam tectumve despexit. Aquam ipse lauandis discipulo- Matth. 9.
rum pedibus ministrauit. Non peccatores, non publicanos aspernatus est. Non illi sal- 10.
tem ciuitati quæ eum recipere noluerat iratus est, cum etiam discipuli tam contumelioso Luc. 9. 51.
oppido cœlestes ignes repræsentari voluissent. Ingratos curauit, insidiatoribus cessit. & seq.
Parum hoc, si non etiam proditorem suum secum habuit, nec constanter denotauit. Cum Luc. 17. 18
verò traditur, cum adducitur, vt pecus ad victimam; sic enim non magis aperit os, quàm Matth.
agnus sub tondentis potestate. Ille cui legiones angelorum, si voluisset, vno dicto de cœlis 14. 13.
affuissent, ne vnius quidem discentis gladium vltorem probauit. Patientia Domini in Matth.
Malcho vulnerata est. Itaque & gladij opera maledixit in posterum, & sanitatis restitu- 26. 14.
tione ei quem non ipse vexauerat satisfecit per patientiam misericordiæ matrem. Taceo Esa. 53. 7.
quod figitur. in hoc enim venerat. Nunquid tamen subeundæ morti etiam contumeliis Matth.
opus fuerat? Sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat. Despuitur, verbera- 26. 53.
tur, deridetur, fœdis vestitur, fœdioribus coronatur. Mira æquanimitatis fides. Qui in Io. 18. 11.
hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel Matth.
26. 52.
Matth.
27. 35.

maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis. patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret. Talia tantaque documenta, quorum magnitudo penes Nationes quidem detrectatio fidei est, penes nos verò ratio & structio, satis apertè non sermonibus modo in præcipiendo, sed etiam passionib. in sustinendo probant his quibus credere datum est, patientiam Dei esse naturam, effectum & præstantiam ingenitæ cuiusdam proprietatis.

PATIENTIÆ EXEMPLA. 6. SCHOL.

FOrs, &c. Et quia fortè Dei, quâ Deus est patientia, longè à nobis est remota, & à viribus nostris, inimitabilis putatur à multis; quid dicemus de ea quam apertè palpandam nobis homo factus, & cum hominibus conuersatus tradidit? EXPECTAT. tempus nouem mensium in vtero, nec vir statim perfectus & sapiens videri appetit, sed per ætatem iuuenis, adolescens, vir gradatim progreditur. A Ioanne quasi peccator baptizatur; luctam & tentationem diaboli non minis aut fulminibus vt poterat, vt & de facto de cælo tanquam fulgur ruerat, sed verbis solis pellit à deserto; cùm Dominus seruos punire posset ob peccata, magister maluit esse venia; docens quomodo homo veniam & salutem consequeretur, & euaderet pœnam æternam, exemplo Christi eruditus, temporalem remittens conseruo suo iniuriam. NON CONTENDIT. Hunc iam alibi locum exposui. Hilarius can. 12. in Matth. B per arundinem quassatam Gentiles non confractos à Deo, sed seruatos ad salutem, intelligit; sicut per lignum fumigans, Iudæos quorum fides obscura, similis fumiganti ligno, extincta non est sed accensa à Christo. Christus ergo vt ex Paulo, didicit ex his quæ passus est obedientiam; sic ex Tertull. antequam prodiret ad passionem, longa 33. annorum eruditus est patientia, & assuetus ab initio mundi cum Patre solitis offensis, & iniuriis hominum dare veniam, sic incarnatus, vt impleret Prophetiam Esa. Non contendit, non reclamauit, &c. IPSIVS DEI CONTESTATIO. Siue quod id Deus ipse per Esaiam testatus fuerit, siue quod mittendo Spiritum sanctum in eum specie columbæ, sine felle, vna cum voce de cælo, omni eum patientia repleuit. NVLLIVS MENSAM, C publicani, vel peccatoris. TECTVM, Centurionis CIVITATI, Samaritanorum Luc. 17. 18. REPRÆSENTARI. Præsentes immitti. CESSIT quando sæpius euasit apprehendere volentes. NEC CONSTANTER DENOTAVIT, constans fuit in non denotando Iuda, & publicando Petro aliisque, proditorem ad vltionem cognoscere auidè poscentibus. DISCENTIS GLADIVM, discipuli Petri scilicet. VLTOREM alij in vltorem. IN MALCHO VVLNERATA. Quia pati volebat & ab isto, nec vltionem ab illo peti. Iniuriam quippe Christi patientiæ intulit Petrus, qui indignum patientiâ Christi censuit, satis in Christo patientia non esse putauit, vt pateretur à Malcho iniuriam. OPERA MALEDIXIT. Matth. 26. 52. Conuerte gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. MISERICOR- D DIÆ MATREM, nascitur enim compassio alienæ miseriæ, ex patientia propria iniuriæ. QVOD FIGITVR. Crucifigitur. NVMQVID, &c. An non satis erat mori in cruce ad hominum salutem? an talem mortem tot iniuriæ præcedere debebant? sed quia sacrum pingue, & vitulum saginatum Patri seipsum offerre volebat, inde prius impleri & saturari voluit opprobriis. FŒDIS VESTITVR, purpurâ derisoriâ. Matth. 27. 28. Exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius, & genuflexo ante eum, illudebant ei dicentes, Aue Rex Iudæorum. Io. 19. 2. Milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, & veste purpurea circumdederunt eum. FIDES, constantia fidelis, & perseuerans patientia. QVI PROPOSVERAT LATERE. Sunt qui in assumpta figura non propria, sed aliena, quædam illicita perpetrant; Non sic Christus, qui in forma Dei manens,

A assumptâ formâ serui, nil humanæ & seruilis impatientiæ imitatus est; per omnia similis factus homini, in hominis similitudine absque peccato. Fidem inuiolabiliter seruauit patientiæ diuinæ, nil imitatus est humanæ impatientiæ. PERPETRARET supra explicui, tam portentosam patientiam nemo produceret. PENES NATIONES, apud Gentiles: Sensus est, talis ac tanta est patientia Dei, vt quamuis fidem nostram ædificet; viam tamen obstruat credendi infidelibus; qui Deum tanta pati potuisse credere detrectant. Sed tam clara eius patientiæ documenta quæ nobis Christus non solum verbo & scripto, sed exemplo & passione tot dolorum tradidit, fideles manifestè conuincunt; patientiam virtutem esse diuinam; & Christum per eam, quasi per effectum præstantissimum, probasse ex ingenita proprietate diuinitatis, se verè Dei verum esse filium.

De Christi patientia mille locis Augustinus. Quosdam hic referam in rem Tertulliani. In Psal. 7. Deus iudex iustus, fortis, & patiens, numquid irascetur per singulos dies? quis, inquit, Deus iudex, nisi Deus qui iudicat populos? ipse iustus qui reddet vnicuique iuxta opera sua. Ipse fortis qui etiam persecutores impios, cum sit potentissimus pro nostra salute tolerauit. Ipse longanimis, qui etiam ipsos qui persecuti sunt, non statim post resurrectionem ad supplicium rapuit, sed sustinuit, vt se aliquando ad salutem ab illa impietate conuerterent. Et adhuc sustinet seruans vltimo iudicio vltimam pœnam, & nunc vsque inuitans peccatores ad pœnitentiam. S. Aug.

C Quod autem Christus patientiam ab vtero exercuerit, sic Volusianus apud Augustinum ep. 2. inducit vnum ex amicis stupentem: miror verum mundi Dominus & rector, intemeratæ fœminæ corpus impleuerit, pertulerit decem mensium longa illa fastidia mater, & tamen Virgo enixa sit solemnitate pariendi, & post hæc virginitas putetur intacta. His & alia subnectit: intra corpusculum vagientis infantiæ latet, cui parua putatur vniuersitas: patitur puerilitatis annos, adolescit, iuuentute solidatur; tandiu à sedibus suis abest ille regnator, atque ad vnum corpusculum totius mundi cura transfertur. Deinde in somnos resoluitur, cibo alitur, omnes mortalium sentit affectus, nec vllis competentibus signis tantæ maiestatis signa clarescunt. Quoniam laruālis illa purgatio, D baptismus apparens & sine effectu debilium curæ, reddita vita defunctis; hæc & alia si cogites, Deo parua sunt. Quæ repetit, vt respondeat Augustinus, ep. 3. S. Aug. vbi inter multa: quod in somnos soluitur, & cibo alitur, & omnes humanos sentit affectus, hominem persuadet hominibus, quem non consumpsit vtique, sed assumpsit, &c. Postea respondet, hæc omnia passum, vt veram humanitatem probaret, contra futuros hæreticos: S. Aug. Quid si omnipotens hominem vbicumque formatum, non ex materno vtero crearet, sed repentinum inferret aspectibus? Quid si nullas ex paruulo in iuuentam mutaret ætates, nullos cibos, nullos caperet somnos? Nonne opinionem confirmaret erroris, nec hominem verum suscepisse vllo modo crederetur: & dum omnia mirabiliter facit, auferret quod misericorditer fecit? &c. Idem in Psal. 41. probat Christum omnia tulisse & passum esse omnium tormenta: omnes suspensiones tuæ, vulgata, S. Aug. omnia excelsa tua & fluctus tui super me ingressi sunt:

fluctus, in his quæ sentio, suspensiones in his quæ A minaris. Qui enim minatur, non premit, sed suspendit. *Et in Psal.* 87. Non ait, omnes suspensiones super me transierunt, sed super me induxisti, omnia quæ impendebant euenisse significat; impendebant autem quandiu in Prophetia futura imminebant, omnia quæ de illius passione prædicta sunt. *De Alapa Aug. tract.* 113. *in Io.* 18. Si cogitemus quis acceperit alapam, nonne vellemus eum qui percussit, aut cœlesti igne consumi, aut terra dehiscente sorberi, aut correptum dæmonio volutari? &c. quid enim horum per potētiam iubere non potuisset per quem factus est mundus? nisi patientiam nos docere maluisset qua vincitur mundus. *Et tract.* 37. *vbi de insultantibus crucifixo*: quare cum Iudæi insultarent pendenti & dicerent, si filius Dei est, descendat de Cruce; non descendit vt eis suam potestatem descendendo monstraret? quia patientiam docebat, ideo potentiam differebat. *Cæsarius Dialogo* 3. *dicit Christum alapas tulisse, & serui supplicio, cruce scilicet affectum, quo vt testatur Lactantius lib.* 4. *instit. cap.* 26. *abiectioris sortis homines solebant affici. Sed aduerte ex Cæsario prætitato, Christum in forma serui alapam tulisse patienter, vt nos in libertatem assereret.* Alapa enim manumittunt seruos Domini. *Eleganter porro ait supra Tertullianus, discessurum Christum ad gloriam Patris immortalem & impassibilem, nec amplius reuersurum ad patiendas iniurias, quarum erat auidissimus epulator, ïreuntem talibus se amplius epulis, patientiæ palato gratissimis, non vsurum in mensa gloriæ prius voluisse saginari voluptate patientia. Sagina autem est ex saturitate, sed saturitas opprobriorum ex alapis & irrisione. Vnde Rupertus post Ieremiam* 2. Saturatus est opprobriis, dans percutienti se maxillam: *Et Paschas. lib.* 3. *in Thren.* Ostenditur auiditas desideriorum cùm dicitur, dabit percutienti se maxillam; & saturabitur opprobriis; quoniam omnis saturitas ex auiditate sumentis nascitur.

S. Aug.

S. Aug.

7. Patientiæ sedentis in throno Spiritus sancti, descriptio. De pat. cap. 15. *in m. ad f.*

AGe iam si & effigiem, habitumque eius comprehendamus. Vultus illi tranquillus & placidus, frons pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta: remissa æquè in lætum modum supercilia, oculis humilitate, non infelicitate deiectis. Os taciturnitatis honore signatum. Color qualis securis & innoxiis. Motus frequens capitis in diabolum, & minax risus. Ceterùm amictus circum pectora candidus, & corpori impressus, vt qui nec inflatur, nec inquinatur. Sedet enim in throno Spiritus eius mitissimi & mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, sed est teneræ serenitatis, apertus & simplex, quem tertio vidit Helias. Nam vbi Deus, ibidem & alumna eius, patientia scilicet. Cùm ergo spiritus Dei descendit, indiuidua patientia comitatur eum. Si non eam cum spiritu admiserimus, in nobis morabitur semper? Immo nescio an diutius perseueret. Sine sua comite ac ministra, omni loco ac tempore angatur necesse est. Quodcunque inimicus eius inflixerit, solus sustinere non poterit, carens instrumento sustinendi.

PATIENTIÆ EXEMPLA. 7. SCHOL.

SI EFFIGIEM, &c. *Perge, inquit, ô mi calame; qua in veste, qua forma & vultus specie & decore repræsentabis tantam virtutem, patientiam scilicet, si fortè eius ideam comprehendam? vt nihil difficile expositu, sic nil elegantius dictu.* CORPORI IMPRESSVS, *id est vt subiicit, non superfluus, sed modestus; quia patientia tumida & inflata non est.* INQVINATVR, *respondet præcedentibus,* circum pectora candidus. *Alij minus scitè legunt,* nec inquietatur. *Quod referunt ad vestes fluxas & solutas quæ implicant, & in componendo inquietant.* SEDET ENIM, &c. *Dat rationem candoris, puritatis, modestiæ, tranquillitatis, quam exigit thronus spiritus sancti, cuius patientia alumna est, id est filia.* NON TVRBINE GLOMERATVR, *id est in modum globi non densatur turbulentus, nec obscurus & plumbeus vt nubilum.* TENERÆ SERENITATIS, *simplicis & apertæ; qualem vidit Elias, tertia vice.* 3. *Reg.* 19. 11. Egredere & sta in monte coram Domino: Et ecce Dominus transit, & spiritus grandis & fortis subuertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in Spiritu Dominus: & post spiritum commotio: non in commotione Dominus. Et post commotionem ignis: non in igne Dominus: & post ignem sibilus auræ tenuis. Quod cum audisset Elias operuit vultum suum pallio; 70. *cooperuit faciem suam in melote sua* & egressus stetit in ostio speluncæ, & ecce vox ad eum dicens: quid hic agis Elia? *Non igitur vidit, sed audiit; nec tertiò, vt ait Tertullianus, sed quartò, & post tertiam vicem. Theodoretus in glossa dicit, hoc loco significari Deum non ira aut seueritate, sed clementia & patientia delectari.* SI NON EAM ADMISERIMVS, *si cum Spiritu sancto, simul patientiam donum eius non receperimus, & actus atque opera patientiæ in occasione non exercuerimus; putatis, quòd Spiritus sanctus morari possit* B *& permanere in nobis? Alij sic legunt, nec diuerso sensu:* si nos cum spiritu admiserimus *patientiam scilicet eius comitem & filiam,* in nobis morabitur semper. ANGATVR, *alij;* tangatur, *quod perinde est: vt enim verè & propriè tangi, pulsari, inquietari, sic nec angi aut contristari potest; sed vt ait, Theodoretus & Aug. humano more loquendo de Deo, iuxta Paulum etiam, extingui & contristari potest; gaudio spiritali, luce & feruore eius, extinctis in anima peccatrice, Vt enim ex Augustino postulat pro nobis, id est nos postulare facit gemitibus inenarrabilibus, sic dum peccato mortali pellitur eius præsentia, qua per gratiam & charitatem, gaudium & pacem habitabat in nobis, dicitur extingui, tristari, &c. quia effectus eius extinguuntur, nostro non illius damno.* INIMICVS EIVS, *maligans spiritus, impatiens & tur-* C *bulentus, quemcumque impetum fecerit ad expellendum aduersarium suum Spiritum sanctum, tentando animam si illa impatiens fuerit, nec possit pati priuationem boni vtilis, iucundi, vel honesti, pro quo obtinendo, contra legem Dei peccandum suadet; vel si per creaturas, nos vexet, & patientiam amittamus; vnicum contra ictus eius, clypeum, ad protegendum & conseruandum in nobis, Spiritum sanctum; solus ipse sine hoc instrumento in nobis perseuerare non poterit. Quanta ergo est patientia, quæ & thronus est Spiritus, & clypeus, & comes indiuidua, & proprius eius effectus & filia? Donum inquam, donum est proprium Spiritus sancti. Aug. ser.* 8. *ex* 17. *additis; qui est de B. Vincentio.* Quis istam patientiam militi suo donauit, nisi qui pro illo prior sanguinem fudit? cui dicitur in Psalmo 70. quoniam tu es patientia mea Domine, Domine spes mea a iuuentute mea. *Et lib. de Patientia c.* 26. Nequaquam dubitante pietate, sicut charitas sanctè amantium, ita patientia piè tolerantium Dei donum est. Neque

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

enim diuina scriptura fallit aut fallitur, quæ non solum in veteribus libris habet huius rei testimonia, cum Deo dicitur Psalmo 70.5. patientia mea tu es Deus, & ab ipso est patientia mea Psal. 61. & vbi alius Propheta dicit accipere nos spiritum fortitu-
A dinis: verum etiam in Apostolicis literis legitur Philipp. 1. 29. quia vobis datum est pro Christo, non solum vt credatis in eum, sed vt etiam patiamini pro eo. Non ergo quasi de proprio faciat animum elatum, quod sibi audit esse donatum.

PATIENTIÆ NECESSITAS IN OMNI BONO OPERE LEGIS IMPLENDÆ, VIRTVTIS MORALIS, ET THEOLOGICÆ.

1. *Patientia sic præest rebus diuinis, vt nullum opus bonum fiat sine ipsa. De pat. cap. 1. in m.*

ITa proposita Dei rebus est, vt nullum præceptum obire quis, nullum opus Domino complacitum perpetrare extraneus à patientia possit.

2. *Patientia castitatis omnis est parens. De pat. cap. 13. in m.*

IAm si altiores & feliciores gradus corporalis patientiæ digeramus, eadem sanctitati quoque procurat continentiam carnis: hæc & viduam tenet, & virginem adsignat, & voluntarium spadonem ad regna cœli leuat. quod de virtute animi venit, in carne perficitur, carnis patientia.

PATIENTIÆ NECESSITAS. 1 & 2. SCHOL.

PROPOSITA, *quasi scopus rebus omnibus sanctis, & cultum Dei spectantibus, adeò vt nil agere boni, nullum Dei mandatum exequi, quis possit, alienus à patientia, in omni re bona, necessaria.* IAM SI ALTIORES, &c. *Si explicemus digerendo per singulas species; diuersos ordines castitatis, quas per corpus, in patientia subiectum rationi & Deo, exercemus; quæ quidem longè eminent virtutis gradu, & maiorem expectant in æterna fœlicitate mercedem; agnoscemus patientiam ad cumulum sanctitatis humanæ, quasi procuratricem res eius agere, & tres gradus continentiæ procurare.* VIDVAM TENET. *Continentem seruat, nec patitur in secundi thori delicias fluere.* VIRGINEM ADSIGNAT. *Sigillum virginitatis illæsum custodit, & Spiritus sancti & Christi sponsa cor & brachium, actu & cogitatu omni impuro, signatum expurgat.* VOLVNTARIVM SPADONEM, *castrantem se,*
C *iuxta Euangelium, propter regnum cælorum, cælibatui consecrat.* DE VIRTVTE ANIMI. *Virtus enim omnis originem & sedem habet in animo, licet actus externi per corpus exerceantur; quod, per patientiam, à voluptatibus etiam licitis abstinentem, refrenatur; quod tamen sine sessore & rectore carnis & spiritus, Spiritu sancto patientia largitore, spiritu maligno & concupiscentia ex aduerso contra præcepta Dei & consilia ad voluptuosa trahente, impleri non potest. Accipe Augustinum lib. de Patientia cap. 23. & 24. vbi cum precedenti capite de charitate dixisset; sic incipit.* Hæc propter charitatem dicta sunt, sine qua in nobis non potest esse vera patientia, quia in bonis charitas Dei est, quæ tolerat omnia, sicut in malis mundi cupiditas. Sed hæc charitas per Spiritum sanctum est in nobis, qui datus est nobis. Vnde à quo nobis est charitas, ab illo est patientia. Mundi autem cupiditas, quando patienter sustinet onera cuiuslibet calamitatis, gloriatur de viribus propriæ voluntatis, tanquam de stupore morbi, non de robore sanitatis: insania est, ista gloriatio: non est patientiæ, sed dementiæ. Voluntas ista tantò videtur patientior acerborum malorum, quantò est auidior temporalium bonorum, quia inanior æternorum. Quod si eam exagitat & inflammat fallacibus visis, & suasionibus immundis dia-

S. Aug.

B bolicus spiritus, & maligna conspiratione sociatus, efficit hominis voluntatem, vel appetitu cuiuslibet mundanæ delectationis ardentem; quæcumque videtur intolerabilia mirabiliter sustinere; non tamen ideo etiam voluntas mala *ad transgrediendum quodlibet mandatum & negligendum quodlibet virtutis, aut boni operis consilium* sine instigatione alterius immundi spiritus; sicut voluntas bona sine adiutorio sancti Spiritus esse non potest. Nam esse posse voluntatem malam etiam sine aliquo spiritu, vel seducente, vel incitante, in ipso diabolo satis ostenditur, qui per nullum alium diabolum, sed propria voluntate factus diabolus inuenitur. Voluntas itaque mala, siue cupiditate rapiatur, siue timore reuocetur, siue lætitia diffundatur, siue tristitia contrahatur, atque in his omnibus perturbationibus animi, quæcumque sunt, aliis vel alio tempore, grauiora contemnat & perferat; potest & sine alterius spiritus instinctu seipsum seducere, & defectu à superioribus, in inferiora lapsando, quantò jocundius æstimauerit quod adipisci appetit, vel amittere metuit, vel adeptum gaudet, vel amissum dolet, tantò tolerabilius perferre quod sibi minus est ad patiendum, quàm illud ad fruendum, &c, quodammodo enim familiari contactu atque connexu ad experiendam eius suauitatem, adiacet amanti creaturæ amata creatura. Voluptas autem Creatoris, de qua scriptum est Psal. 35. 9. torrente voluptatis tuæ potabis eos, longè alterius generis est, neque enim sicut nos creatura est. Nisi ergo amor eius detur inde nobis, non est vnde esse possit in nobis;
D ac per hoc voluntas bona qua diligitur Deus, in homine non potest esse, nisi in quo Deus operatur & velle. Hæc igitur voluntas bona, id est voluntas Deo fideliter subdita, voluntas sanctitate superni ardoris succensa, voluntas quæ diligit Deum, & proximum propter Deum: &c. quæcumque amara & aspera sufferat, charitas Dei est, quæ omnia tolerat, quæ non diffunditur in cordibus nostris, nisi per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

3. *Patientia Pastoris & Patris Euangelici, ouem & prodigum ad pœnitentiam redegit, & diuortium absque adulterio tolerari iuuat. De pat. cap. 12. à p. ad m.*

CVm omnem speciem salutaris disciplinæ gubernet, quid mirum quod etiam pœnitentiæ ministrat, solitæ lapsis subuenire? cum disjuncto matrimonio, ex ea tamen causa, qua licet seu viro, seu feminæ ad viduitatis perseuerantiam sustineri; hæc expectat,

hæc

hæc exoptat, hæc exorat, pœnitentiam quandoque inituris, salutem. Quantum boni vtrique confert? alterum non adulterum facit, alterum emendat. Sic & illis Dominicarum similitudinum exemplis de patientia sanctis adest. Erroneam ouem patientia pastoris requirit & inuenit. Nam impatientia vnam facilè contemneret. Sed laborem inquisitionis patientia suscipit, & humeris insuper aduehit baiulus patiens peccatricem derelictam. Illum quoque prodigum filium patientia patris & recipit, & vestit, & pascit, & apud impatientiam irati fratris excusat. Saluus est igitur qui perierat, quia pœnitentiam iniit. Pœnitentia non perit, quia patientiam inuenit. Luc. 15. 4. Ibid. 20. 16.

PATIENTIÆ NECESSITAS. 3. SCHOL.

CVM OMNEM, &c. *Cùm patientia omnem dirigat vitæ Christianæ disciplinam, nil mirum si etiam pœnitentiæ inseruiat, ad quam animum præparat peccatoris. verbi gratiâ, cùm aliqua iniuria inter coniuges interuenit, quæ eos separit à lecto; patientia est, quæ expectat conuersionem & emendationem coniugis, quæ exorat salutem comparis, cuius culpâ factum est diuortium.* DISIVNCTO MATRIMONIO, *per separationem à thoro.* AD VIDVITATIS PERSEVERANTIAM SVSTINERI, *id est, ad instar viduarum, perseueranter sustinere priuationem copulæ carnalis.* ALTERVM NON ADVLTERVM, &c. *id est bonum duplex patientia sic præstat, separatis coniugibus ex causa adulterij. Nam fidelem continere facit, & prohibet ab adulterio: adulterum autem emendat & corrigit, & per pœnitentiam reducit ad salutem.* EXEMPLIS, *à Christo Domino datis Luc. 15. 4. de patientia pastoris, & ibi. 20 patris prodigi. Quæ quidem exempla sancta sunt, & ad sanctitatem inducunt, & imitationem sanctæ patientiæ Christi. Adesse autem dicit, hoc est, fauere pœnitentiam, sed adiutam & expectatam patientiâ pastoris & patris.* PATIENTIAM INVENIT ADIVTRICEM, *Si enim pater patiens non fuisset, ad pœnitentiam filium nec expectasset, nec suscepisset. De oue vna patientiâ pastoris quæsitâ & reductâ. Aug. serm 9. de verb. Apost. in princ.* Venit filius hominis quærere & saluare quod perierat. Totum enim perierat, ex quo peccauit vnus. Vbi erat totum, perierat totum. Sed venit vnus sine peccato qui saluos faceret à peccato. *Et tract. 45. in Ioan. 10. ex Ezech. 3.* Errantem ouem, non reuocastis. Et errantem dicit, & ouem appellat: Si quando, errabat ouis erat, cuius vocem vt erraret, audiebat? proculdubio enim non erraret, si vocem pastoris audiret: sed ideò errauit, quia vocem audiuit alieni, vocem furis, & latronis audiuit, &c. Agnoscunt vocem pastoris, & se venisse lætantur, & errasse erubescũt, &c. si oues erant, quomodo vocem alieni audire potuerunt, cùm Dominus dicat, non audierunt eos oues? &c. Nouit Dominus qui sunt eius, ipsæ sunt oues. Aliquando se ipsæ nesciunt, sed pastor nouit eas secundum istam prædestinationem, secundum istam Dei præscientiam, &c. quàm multæ oues foris, quàm multi lupi intùs, &c. quam multi modò luxuriantur, *sicut oues errantes, & prodigi, quos patientia patris & pastoris expectat*, casti futuri; quàm multi blasphemant Christum, credituri in Christum: quàm multi se inebriant, futuri sobrij, quàm multi rapiunt res alienas, donaturi suas? Veruntamen modò vocem alienam audiunt, alienos sequuntur. Item, quàm multi intùs laudant, blasphematuri, casti sunt, fornicaturi: sobrij sunt, se vino posteà sepulturi: stant, casuri: & non sunt oues: de prædestinatis enim loquimur, de his loquimur quos nouit Dominus qui sunt eius, & tamen ipsi quandiu rectè sapiunt, Christi vocem audiunt, &c. Est aliqua vox, est, inquam, vox aliqua pastoris, in qua oues non audiunt alienos, in qua non oues, *pro tempore præsenti*, audiunt Christum: quæ est ista vox? qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit: Istam qui audierit, ouis est. Sed audiebat illam nescio quis, & desipuit, refriguit, audiuit alienum: si prædestinatus est, ad tempus errauit, in æternum non perist, redit vt audiat quod neglexerit, faciat quod audiuit, &c. Redit vt audiat illam vocem pastoris, & sequatur dicentem, qui perseuerauerit, &c. Bona vox, fratres, vera, pastoralis, ipsa est vox salutis in tabernaculis iustorum. Nam facilè est audire Christum, facilè est laudare Euangelium, facilè acclamare disputatori: perseuerare vsque in finem, hoc est ouium vocem pastoris audientium. Tentatio accidit, perseuera vsque in finem, &c. Vsque in quem finem perseuerabis? quousque finies viam? quandiu enim non audis Christum, aduersarius tuus est in ista via, hoc est in ista mortali vita. *Et quomodo perseuerabit audire pastorem ouis impatiens? quomodo pastor perseuerabit errantem ouem reuocare, nisi patiens? quis tandem saluus erit, & prædestinatus in æterna pascua, nisi cum multa patientia tribulationes ferens, & tentationibus resistens?*

S. Aug. S. Aug. S. Aug.

4. *Patientia obedientiæ parens. De pat. cap. 4. in fin.*

IPsum quoque obsequium de patientia trahitur. Nunquam impatiens obsequitur, aut patiens quis obluctatur. Quam ergo dominus omnium bonorum & demonstrator & acceptator Deus in semetipso circumtulit, quis de bono eius latè retractet? cui item dubium sit omne bonum, quia ad Deum pertineat, pertinentibus ad Deum totâ mente sectandum? Per quæ in expedito & quasi in præscriptionis compendio de patientia constitutum est.

PATIENTIÆ NECESSITAS. 4. SCHOL.

OBSEQVIVM. *Obidientia oritur ex patientia.* IN SEMETIPSO. *Non est opus pluribus commendare virtutem patientiæ quam Deus incarnatus, omnis sanctæ virtutis, & disciplinæ Doctor, & verbo & exemplo monstrauit.* CVI DVBIVM, &c. *quis reuocet in dubium? quis dubitet toto animo amplectendum illud bonum quod prorsus diuinum est, maximè ab his qui ad Deum & Christum pertinent, scilicet Christianis?* PER QVÆ, &c. *& ex his quæ de patientia diximus, sit vobis rata & confirmata, expedita & præscripta compendiosè, commendatio tantæ virtutis. Patientiam certè obedientiæ matrem apertè dixit Paulus Hebr. 5. 7.* Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Et quidem cùm esset Filius Dei, didicit ex iis

quæ passus est, obedientiam: *Syr. quamuis esset filius ex timore, & passionibus, quas sustinuit, didicit obedientiam:* & consummatus. *Syr. Et sic perfectus redditus est,* factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. *Aug. serm. 9. de verb. Apost. ubi de Christo à Iudæis quasi phreneticis omnem dolorem & ignominiam ferente* Ipsâ ægritudine quâ mentes perdiderant, etiam Medicũ cædebant. Parum est, cædebat, dicam totum, non solùm cædebant, sed etiam occidebant. Ille autem etiam cùm occideretur, Medicus erat, vapulabat, & curabat: patiebatur phreneticum, nec deserebat ægrotum. Tenebatur, alligabatur, colaphis percutiebatur, arundine plagas accipiebat, irridebatur, insultabatur ei, postremò odiebatur, damnabatur, ligno suspendebatur, vndique circumfremebatur, & Medicus erat. Agnoscis phreneticos, A agnosce & Medicum. Pater, ignosce illis, &c. Illi perditâ mente sæuiebant, & Medici sanguinem sæuiendo fundebant: ille autem etiam de ipso sanguine suo medicamenta faciebat. Non enim frustrà dixit, Pater, ignosce, &c. Orat Christianus, & exauditur, orat Christus, & non exauditur? nam qui exaudit cum patre, quia Deus est, quomodo non exauditur homo, quod pro nobis factus est? *factus pro nobis obediens vsque ad mortem, &c. & didicit ex iis quæ passus est obedientiam*, prorsus exauditus est, &c. Erant in ipso populo, à quo ipse Medicus occidebatur, & in eius sanguine etiam ipsis antidotum parabatur, &c. patientiâ suâ passus est, vt doceret patientiam nostram: & in resurrectione sua præmium patientiæ demonstrauit.

S. Aug. | S. Aug.

5. Patientia mater eleemosynæ De pat. cap. 7. à med.

Patientia in detrimentis exercitatio est largiendi & communicandi. Non piget donare eum, qui non timet perdere. Alioquin quomodo duas habens tunicas, alteram earum nudo dabit, nisi idem sit, qui auferenti tunicam, etiam pallium offerre possit? Quomodo amicos de mammona fabricabimus nobis, si eum in tantùm amauerimus; vt amissum non sufferamus? Peribimus cum perdito.

Matth, 5. 40. Luc. 16. 9.

PATIENTIÆ NECESSITAS 5. SCHOL.

In detrimentis, *qui patienter fert damnũ illatum, exercitatur, & eruditur ad sponte proximo largiendum.* Alioqvin, *neque enim alius, imò idem esse debet, ille qui iuxta Christi mandatum, ex eo quod superest, id est de suo superfluo dat non habenti & indigenti pauperi eleemosynã: qui suam sibi tollenti tunicam, etiam palliũ tradit.* Peribimvs cvm perdito, *id est, quid diuitias perituras & corruptibiles perituri & morituri, nec eas in sepulcrum ablaturi, congregamus, & amissas impatienter ferimus? duos hîc locos Scripturæ insinuat, primum Matth. 5. 40.* Ei qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. *Alterum Luc. 16. 9.* Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. *Aug. l. 1. de ser. Dom. in monte c. 36. ubi fusè de tolerantia alapæ, ablatione tunicæ, &c.* Ipse Dominus, qui vtique præcepta quæ docuit, primus impleuit; percutienti se in maxillam, ministro Sacerdotis non præbuit alteram; sed insuper dixit, Si malè locutus sum, exprobra de malo, si benè, quid me cædis? non tamen ideò paratus corde non fuit, non solùm in alteram maxillam cædi pro salute omnium, sed etiam toto corpore crucifigi. Ergo & illud quod sequitur, qui voluerit tecum iudicio contendere, &c. ad præparationem cordis, non ad ostensionem operis præceptum rectè intelligitur. Sed de tunica & vestimento quod dictum est, non in eis solis, sed in omnibus faciendum est, quæ aliquo iure temporaliter nostra esse dicimus. Si enim de necessariis hoc imperatum est, quantò magis superflua contemnere conuenit? verumtamen ea quæ nostra dixi, eo genere includenda sunt, quo Dominus ipse præscripsit dicens, Si quis vult iudicio tecum contendere & tunicam tuam tollere, &c. omnia ergo intelliguntur, de quibus iudicio nobiscum contendi potest: ita vt à nostro iure, in ius illius transeant, qui contendit, vel pro quo contendit, sicuti est vestis, domus, fundus, iumentum, & generaliter omnis pecunia, &c. *Subiicit, & tertium patientiæ genus ibid. à Christo præscriptum versu 41.* Quicumque te angariauerit, *Syr. traxerit ad miliare vnum. Ex Suida & Hesychio, verbum Persicum, quod significat cogere, vnde angaria, seruitus exacta imposita baiulis onerum,* mille passus, vade cum illo & alia duo. An tria compleri voluit; quo numero significatur perfectio? vt meminerit quisque, cùm hoc facit, perfectam se implere iustitiam, misericorditer perfe- B rendo infirmitates eorum quos vult saluos fieri. Potest videri propterea etiam tribus exemplis hæc præcepta insinuasse. Quorum primum est, Si quis te percusserit, &c. Secundum, Si quis tunicam, &c. Tertium, Si quis te angariauerit, &c. in quo tertio exemplo, simplo duplum additur, vt triplum compleatur. Qui numerus hoc loco si non, vt dictum est, significat perfectionem: illud accipiatur, quod in præcipiendo tanquam tolerabilius incipiens paulatim creuerit, donec perueniret vsque ad duplum aliud perferendum. Nam primò præberi voluit alteram maxillam, cùm fuerit dextera percussa; vt minus perferre paratus sis, quàm pertulisti. Quidquid enim dextera significat charius est vtique, quàm id quod sinistra significat. & qui in re chariore aliquid pertulit, si & in viliore perferat, minus est deinde, illi qui tu- C nicam vult tollere, iubet vt vestimentum, *siue pallium* dimitti; quod aut tantumdem est, aut non multùm ampliùs, non tamen duplum. Tertiò de mille passibus, quibus addenda dicit duo millia, vsque ad duplum, aliud perferas iubet; ita significans, siue aliquantò minus quàm iam fuit, siue tantumdem, siue ampliùs, quisque improbus in te esse voluerit, æquo animo tolerandum esse. *Pulchrè autem Tertull. in textu, coniunxit eleemosynam patientiæ; vt libenter det gratiam, qui patienter fert iniuriam, cùm Christus statim post hæc tria patientiæ documenta, subiiciat versu 42.* Qui petit à te, da ei: & volenti mutuari à te, ne auertaris. *de quo sic Aug. lib. 1. de ser. Do. in monte cap. 39.* In his omnibus generibus iniuriarum Dominus docet patientissimum, & misericordissimum, & D ad plura perferenda paratissimum animum Christiani esse oportere. Sed quoniam parum est non nocere, nisi etiam præstes beneficium quantum potes; consequenter adiungit, & dicit, omni petenti te da, &c. non omnia petenti, vt id des, quod dare honestè & iustè potes. Quid si enim pecuniam petat, quâ innocentem conetur opprimere? quid si postremò stuprum petat? sed ne multa persequar, quæ sunt innumerabilia, id profectò dandum est, quod nec tibi, nec alteri noceat, quantum sciri aut credi ab homine potest: & cui iustè negaueris quod petit, indicanda est ipsa institia, vt non eum inanem dimittas. Ita omni petenti te dabis, quamuis non semper id quod pe-

S. Aug. | S. Aug. | S. Aug.

tit dabis, sed aliquando melius aliquid dabis, cùm petentem iniustè correxeris. Quod autem ait, qui vult à te mutuari, ne auersatus fueris, ad animum referendum est, hilarem enim datorem diligit Deus. Mutuatur autem omnis qui accipit, etiamsi non ipse soluturus est. Cùm enim misericor-

A dibus Deus plura restituat, omnis qui beneficium præstat, fœneratur. Aut si non placet accipere mutuantem, nisi eum qui accipit redditurus, intelligendum est, Dominum duo ipsa genera præstandi esse complexum: namque aut donamus beneuolè, aut redditturo commodamus.

6. Patientia fidei mater, in Abraham filium immolante. De pat. cap. 6. in pr. ad med.

IPsa adeò est, quæ fidem & subsequitur, & antecedit. Denique [a] *Abraham Deo credidit & iustitiæ deputatus ab illo est*: sed fidem eius patientia probauit, quum filium immola- [a] Gen. 15. 6.
re iussus est, ad fidei non tentationem dixerim, sed typicam contestationem. Cæterùm Deus, quem iustitiæ deputasset, sciebat. Tam graue præceptum quod nec Domino per- Gen. 22. 2.
fici placebat, patienter & audiuit, & si Deus voluisset, implesset. Meritò ergo benedictus, quia & fidelis: meritò fidelis, quia & patiens. Ita fides patientiâ illuminata, quum in nationes seminaretur per semen Abrahæ quod est Christus, & gratiam legi superduce- Gal. 3. 16.
ret, ampliandæ adimplendæque legi adiutricem suam patientiam præfecit, quod ea sola ad iustitiæ doctrinam retrò defuisset.

PATIENTIÆ NECESSITAS. 6. SCHOL.

IPSA ADEO EST, *ipsa est patientia.* FIDEM SVBSEQVITVR, *quia ex eodem alibi*, debitrix est Martyrij fides: *vt patientia Martyrum, ex eorum fide sequatur; dicente etiam Apostolo.* Vobis datum est, vt non solùm in eum credatis, *vides præcedentem fidem*, verum etiam vt pro illo patiamini. *Vide subsequentem patientiam. De facto fides cùm ex Paulo sit*, Substantia rerum sperandarum, &c. *Et ideò quæcumque aduersa patiamur, scilicet propter spem æternorum; & quia credimus pati nos iusto Dei iudicio & de eius nutu*; Nullum malum in ciuitate quod Dominus non fecerit; *Sic fides patientiam præcedit, vt & de facto ex eodem Paulo, ideò patienter Abraham subiit mandatum de immolando filio, quia* contra spem in spem credidit. ET ANTECEDIT. *Quis enim intellectus tam graui se captiuet obsequio quod cor inclinetur implendo tam graui mandato de immolando vnico filio, si Abraham patientiâ magnâ præmunitus à Deo non fuisset?* IVSTITIÆ DEPVTATVS, *Rom. 4. 3.* Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. S. Aug. *Syr.* Imputatum est ei. *Sic omnino ad Gal. 3. 6. Augustinus in Præfatione Psalm. 31.* Abraham filium suum immolandum Deo obtulit. Magnum opus; sed ex fide. Laudo superædificationem operis, sed video fidei fundamentum. Laudo fructum boni operis, sed in fide agnosco radicem. Si enim hoc præter fidem rectam faceret Abraham, nihil illi prodesset, qualecumque illud opus esset, &c. Nemo ergo computet bona opera sua ante fidem, vbi fides non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. *Ita igitur fides præcessit opus perfectum Abrahæ, quòd in patientia eius probata & tentata impletum est. Sic Iacobus cap. 1. 3.* Scientes quod probatio fidei vestræ patientiâ operatur. Patientia autem opus perfectum habet: vt sitis perfecti & integri, in nullo deficientes. *En vt fides patientiæ mater est. Vis videre fidem, spem & charitatem patientiæ à Spiritu sancto data filias? Audi Paulum Rom. 5. 3.* Gloriamur in tribulationibus: scientes quòd tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem *Syr. experientiam.* probatio verò spem, *& antecedenter fidem, quia est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium: spes autem quæ videtur, non est spes.* Spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. *In sana porrò Theologia, fides præcedit omnem aliam virtutem siue Theologicam, siue moralem infusam; quis enim speret, diligat, pro spe, vel dilectione, patiatur, vnigenitum manu propriâ immolari, nisi primò credat?* Accedentem enim ad Deum *progressu virtutis, vel ipso primo*

B *ingressu*, oportet primùm credere. *Suppositâ autem iam fide, potest ipsa patientia in gratia exercita, de condigno mereri augmentũ iustitiæ, fidei, cæterarumque virtutum, Aug. de grat. & lib. arb.* Non per nos, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis, ipsâ charitate fit, quam donum Dei esse manifestat, vt tribulatio non auferat, sed potiùs operetur patientiam. S. Aug. NON TENTATIONEM, *non tam ad tentationem; non quòd neget absolutè, quod apertè Scriptura dicit Gen. 22.* Tentauit Deus Abraham, *sed quòd probatio fidei patientissimæ Abrahæ, non tam fuerit tentatio iustitiæ, fidei & patientiæ eius, quam Deus sciebat, quamque iam in sua præscientia, Abrahæ ad iustitiam imputauerat; quàm quòd typum & figuram Patris æterni filium vnicum Iesum in Caluaria immolantis repræsentare, & contestari volebat.* TAM GRAVE, *onerosum & difficile.* NEC PERFICI, &c. C *Quamquam enim iam puer ligatus, super ligna positus, gladio iam vibrato patris, noluit impleri Deus tantum sacrificium. Augustinus pluribus in locis, sed maximè l. 16. de Ciu. c. 32.* S. Aug. Tentatur Abraham de immolando dilectissimo filio suo Isaac, vt pia eius obedientia probaretur, sæculis in notitiam proferenda, non Deo. Neque enim omnis est culpanda tentatio, quia & gratulanda est, quâ fit probatio. Et plerumque aliter animus humanus sibi ipsi innotescere non potest, nisi vires suas sibi, non verbo, sed experimento, tentatione quodammodo interrogante respondeat: vbi si Dei munus agnouerit, tunc pius est, tunc solidatur firmitate gratiæ, non inflatur inanitate iactantiæ, &c. Hanc ergo promissionem pater pius fideliter tenens, quia per hunc oportebat impleri, quem Deus iubebat occidi: non hæsitauit quod sibi reddi poterat immolatus, qui dari potuit non speratus. D Sic intellectum est in Epist. ad Heb. & sic expositum cap. 11. fide præcessit Abraham, *habetur in textu vers. 17. fide obtulit Abraham, Isaac, cùm tentaretur, & vnigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones; ad quem dictum est Gen. 21. 12. quia in Isaac vocabitur tibi semen, arbitrans, quia & à mortuis suscitare potens est Deus: vnde eum & in parabolam accepit. Syr. Et ideò in similitudinem datus est ei: Christi scilicet quem figurabat*; S. Aug. in Isaac tentatus: & vnicum obtulit qui promissiones susceperit, ad quem dictum est, in Isaac vocabitur tibi semen: cogitans, quia & ex mortuis excitare potest Deus. Proinde addidit; pro hoc etiam eum in similitudinem adduxit, cuius similitudinem? nisi illius, de quo dicit idem Apostolus Rom. 8. qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Propterea & Isaac sicut Dominus crucem suam, ita sibi ligna ad victimæ locum, quibus fuerat imponendus,

ipse portauit. Postremò, quia Isaac occidi non oportebat, posteaquàm est pater ferire prohibitus; quis erat ille Aries, quo immolato impletum est significatiuo sanguine sacrificium? nempe quando eum vidit Abraham, cornibus in frutice tenebatur. Quis ergo illo figurabatur, nisi Iesus Christus, antequam immolaretur spinis Iudaïcis coronatus? &c. Nunc scimi, *ait Angelus repræsentans Deum*, quia times Deum, & non pepercisti filio tuo dilecto propter me. Nunc scimi, dictum est, id est, nunc sciri feci. Neque enim hoc nondum sciebat Deus. ILLVMINATA, *quanta laus patientiæ, vt lumen & splendorem acceperit ab ea fides? Sensus est, cum per Christum ex semine Abrahæ natum in Gentiles fides spargeretur, & legi Mosaicæ, gra-* A *tiam quam non habebat, Christus eam amplians & implens superadiiceret, eo quoque modo quo primæ Abrahæ fidei, patientiam eximiam præposuit. Sic Christus patientiam quasi adiutricem suam implendæ legi veteri præfecit. Quæ quidem antea defuerat legi Mosaicæ, in qua plena & perfecta iustitia id est sanctitas non erat, quia iniurias æquo animo lex perferre & pati non debebat. Quòd hic sit sensus literalis Authoris patet ex immediatè sequentibus verbis, vbi ait,* Nam olim, & oculum pro oculo, & dentem pro dente repetebant, & malum pro malo fœnerabant: nondum enim patientia in terris, *perfecta scilicet*, quia nec fides scilicet: *vbi rursum fidem matrem patientiæ facit.*

7. *Patientia fidei, spei & charitatis parens. De pat. cap. 12. in fin.*

a 1 Cor. 13. 8. E*Xhauriuntur linguæ, scientiæ, prophetiæ: permanent fides, spes, dilectio.* Fides, quam Christi patientia induxit: spes, quam hominis patientia expectat: dilectio, quam Deo magistro patientia comitatur.

PATIENTIÆ NECESSITAS. 7. SCHOL.

EXHAVRIVNTVR. 1. *Cor.* 13. 8. Siue Prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. *Syr. autem.* Prophetiæ enim cessabunt, & linguæ silebunt, & scientia obliterabitur. *D. Thom. in hunc locum, notat deceptos præcedentibus verbis Pauli;* Charitas nunquā excidit: *dicentes hinc, semel habitam charitatem non amitti. cùm exprobretur, Apoc. 2. 2. Episcopo Ephesi:* Patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti, *supple arguendo pseudoapostolos,* sed habeo aduersum te quòd charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto, itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, &c. *Sed hic Paulus non agit de cessatione donorum spiritus per peccatum mortale, sed per lumen gloriæ; charitas autem non cessabit, sed perficietur. Prophetia autem respicit statum futurum. Status autem gloriæ finis est & complementum omnium prophetatorum. Vnde Psaltes:* Sicut audiuimus *per Prophetas*, sic vidimus *præsentialiter*, in ciuitate Domini virtutum, *Secundò, quia Prophetia fit per cognitionem figuratiuam & ænigmaticam, Paulus autem subiicit:* Tunc autem facie ad faciem. *linguæ cessabunt, non amisso instrumento vel vsu vocis, vtroque enim laudabimus Deum, iuxta glossam in versum:* Exaltationes Dei in gutture eorum: *Sed donum linguarum non erit necessarium, quia nulla ibi ignorantia, sed longè melius quàm ante Babel turrim*, terra erit labij vnius, & sermonum eorumdem. *Scientia destruetur. quòd vt intelligas:* Scito duplicem esse vim cognoscitiuam: aliam sensitiuam, quæ est actus organi corporalis, quo in morte corrupto, cessat eius vis: alteram intellectiuam, quæ ex Philosopho 3. de Anima, non est actus organi corporei; quæ proinde manet corpore corrupto, vnde hæc vis & scientia manet in cœlo. Cùm ergo species intelligibiles in intellectu possibili recipiantur, & sint in eo per modum recipientis; consequens est, quòd substantia intellectus possibilis manente immutabili, species quoque maneant in eo immutabiles. Vnde & Philosophus dicit animam intellectiuam esse locum specierum, quia scilicet in eo conseruantur. Destruetur autem secundùm conuersionem ad phantasmata, quibus anima separata non indiget, sicut dum est corporis organis illigata. Vel, destruetur, non extincto habitu, sed clariori scientiâ visionis exhausto, sicut luminare maius offuscat minus. CHRISTI PATIENTIA. *Christi enim passio, quam tantâ patientiâ tulit, eū Dei Filium esse mundo persuasit, vnde & ipsi in Christo pendenti multi acclama-* B *runt percutientes pectora sua.* Verè Filius Dei erat iste. PATIENTIA EXPECTAT, *Rom.* 8. 19. Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. *Et vers.* 23. Adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis nostri. Spe enim salui facti sumus. Spes autem quæ videtur non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus. *Et Rom.* 15. 4. Per patientiam & consolationem Scripturarū spem habeamus. Deus autem patientiæ & solatij, det vobis idipsum sapere. DEO MAGISTRO, *sup. vidimus Deum, & Filium eius esse exemplum perfectum patientiæ, quam & charitas patiens & omnia sufferens, vna cum Spiritu sancto diffusa in cordibus nostris, omnia nos aduersa pati docet, vt sup. retulimus ex Aug. lib. de pat. c.* 25. PERMANENT FIDES, &c. 1. *Cor.* 13. 13. Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem ho- C rum est charitas. *id est nunc in hac vita, cùm, vt suprà diximus de Prophetia, sit spes non erit futurorum, nec fides, saltem quo ad actum, ob claram visionem. Maior charitas quæ perficit voluntatem. Aug. in Enchirid. cap.* 117. Charitas quam duabus istis, id est fide ac spe maiorem dixit Apostolus, quantò in quocumque maior est, tantò melior est, in quo est. Cùm enim quæritur, vtrùm quisque sit homo bonus, non quæritur quid credat, aut speret, sed quid amet. Nam qui rectè amat, proculdubio rectè credit & sperat. Qui verò non amat, inaniter credit, etiamsi sint vera quæ credit: inaniter sperat, etiamsi ad veram fœlicitatem doceantur pertinere, quæ sperat; nisi & hoc credat ac speret, quod sibi petenti donari D possit, vt amet. Quamuis enim sperare, sine amore non possit; fieri tamen potest, vt id non amet, sine quo ad id quod sperat non potest peruenire. Tanquam si speret vitam æternam, quamuis non habeat, & non amet iustitiam, sine qua nemo ad illàm peruenit. Ipsa est autem fides Christi, quam commendat Apostolus, quæ per dilectionem operatur, & quod in dilectione nondum habet, petit vt accipiat, quærit vt inueniat, pulsat vt aperiatur ei. Fides namque impetrat quod lex imperat: nam sine Dei dono, id est sine Spiritu sancto, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, iubere lex poterit, non iuuare, & præuaricatorem insuper facere, qui de ignorantia se excusare non possit. Regnat enim carnalis cupiditas, vbi non est Dei charitas. S. Aug.

8. Patientia per pœnitentiam carnis corpus Deo immolat. De pat. cap. 13. in p.

VSque huc de patientia tandem simplici & vniformi, & tantum in animo constituta: cum eandem etiam in corpore, demerendo Domino, multipliciter adlaboret: vt pote quæ ab ipso Domino in corporis quoque virtute edita est, si quidem rector animus facile communicat Spiritus inuecta cum habitaculo suo. Quæ igitur negotiatio patientiæ in corpore? In primis adflictatio carnis, hostia Domino placatoria per humiliationis sacrificium, quum sordes, cum angustiâ victus Domino libat, contenta simplici pabulo puroque aquæ potu, quum ieiunia coniungit, quum cineri & sacco inolescit.

PATIENTIÆ NECESSITAS. 8. SCHOL.

VSQVE HVC TANDEM. *Hactenus egimus de animi patientia, quæ simplex est & vniformis, quæque consistit in forti animi constantia parati ferre omnia aduersa, & se conformare vniformiter & simpliciter voluntati diuinæ, in quibuscumque aduersitatibus huius vitæ.* CVM EANDEM, &c. *Nec tamen in solo animo patientia exercetur, sed eadem virtus multis modis per corpus, variis morbis, & casibus exercitum, carnis afflictæ collaborat, vt Dominum promereri possit, ei placere, & augmentum gratiæ & gloriæ in mercedem patientiæ procurare. Nec enim Christus Dominus solam animi tristitiam, & derelictionem Patris perpessus est, sed & multa atrocia tormenta in sua carne passus est, & voluit iuxta Apostolum*, Christo in carne passo, nos eadem cogitatione armari. IN CORPORIS VIRTVTE EDITA. *Deus dedit & corpori nostro vires, in quibus apparere posset patientia, & eius meritum exerceri.* RECTOR ANIMVS, &c. *Animus enim qui carnem regit, in qua habitat vt gubernator in naui, cum hoc suo habitaculo commercium exercet, & communicat ei dona sibi à Spiritu sancto inuecta, quorum non minimum donum est patientia.* NEGOTIATIO, *vt mercatura in terris & patria aliena exercetur, non solum in propria; sic præter propriam suam patientiam; animus etiam in terra corporis pro patientia lucris negotiatur. Et primò quidem carnem affligendo per pœnitentiam, eius superbiam humiliando, in veste sordida, in stricto & parco victu, & vt Prophetæ verbis vtar*, in pane arcto, & aqua breui, *veluti extremis labiis delibando victum, hostiam placabilem Deo offert & sacrificium humiliationis, de quo Psaltes*, cor contritum & humiliatum Deus non despicies: *& secundùm Paulum*, Exhibet corpus hostiam viuam, sanctam, Deo placentem. INOLESCIT, *assuescit, & quasi naturalis efficitur hæc carnis afflictio. De patientia in carne, eiusque lucroso commercio & negotiatione quæstuosa, sic Aug. lib. de Patientia cap. 8.* Cum torquent aliqua mala, sed non extorquent opera mala, non solum anima per patientiam possidetur, verum etiam cum per patientiam corpus ipsum ad tempus affligitur, vel amittitur, in æternam stabilitatem salutemque resumitur; & ei per dolorem & mortem inuiolabilis sanitas, & fœlix immortalitas comparatur. Vnde & Dominus Iesus ad patientiam exhortans Martyres suos, etiam ipsius corporis integritatem futuram, sine cuiusquam, non dicam membri, sed & capilli amissione promisit. Amen dico vobis, inquit, capillus capitis vestri non peribit. Vt quoniam nemo vnquam, sicut Apostolus dicit, carnem suam odio habuit, magis homo fidelis per patientiam, quam per impatientiam, pro statu suæ carnis inuigilet, & futuræ incorruptionis inæstimabili lucro, quantalibet eius præsentia damna compenset. Quamuis autem patientia virtus sit animi, partim tamen eâ vtitur animus in seipso, partim verò in corpore suo. In seipso vtitur patientia, quando illæso & intacto corpore, aliquid quod non expediat, vel non deceat facere, aut dicere, quibuslibet aduersitatibus, aut fœditatibus rerum, seu verborum stimulis incitatur, & patienter mala omnia tolerat, ne ipse mali aliquid opere vel ore committat. S. Aug.

9. Patientia carnis, Martyres facit. De pat. cap. 13. in f. & 14. in p.

IN persecutionibus denique prœliatur Si fuga vrgeat, aduersus incommoda fugæ caro militat. Si & carcer premat, caro in vinculis, caro in ligno, caro in solo, & in illa paupertate lucis, & in illa penuria mundi. Quum verò producitur ad experimentum felicitatis, ad occasionem secundæ intinctionis, ad ipsum diuinæ sedis ascensum, nulla plus illic quàm patientia corporis. Si [a] *spiritus promptus, sed caro* sine patientia *infirma* vbi salus spiritus & carnis ipsius. At cum hoc Dominus de carne dicit infirmam pronuntians, quid ei firmandæ opus sit, ostendit, patientia scilicet aduersus omnem subuertendæ fidei vel puniendæ paraturam, vt verbera, vt ignem, vt crucem, bestias, gladium constantissimè toleret, quæ Prophetæ, quæ Apostoli sustinendo vicerunt. His patientiæ viribus secatur Esaias, & de Domino non tacet. lapidatur Stephanus, & veniam hostibus suis postulat. a Math. 26.41. Cap. XIV. Act. 7.58.

PATIENTIÆ NECESSITAS. 9. SCHOL.

PRŒLIATVR. *Impetus omnes hostium fidei, sustinet caro.* IN LIGNO, *equuleo.* SOLO, *terræ accubitu.* PAVPERTATE LVCIS. *Paucitate per exiguum foramen illapsa* PENVRIA MVNDI, *extrema rerum omnium inopia.* PRODVCITVR, *extra carcerem, ad theatrum Martyrij, vt experiatur quanta sit fœlicitas pro Christo pati in carne, de qua dixit:* beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. SECVNDÆ INTINCTIONIS, *secundi baptismi, scilicet sanguinis.* ASCENSVM. *De quo in Cant. proprio sanguine purpurato, dicitur* ferculum sibi fecit Rex Salomon de lignis Libani, &c. ascensum purpureum, media charitate constratum. *Christo dicente*, volo vt vbi ego sum, illic sic & minister meus. VBI SALVS, *in patientia scilicet Martyrij in carne; tam carnis, quàm animæ salus secura; sine qua patientia nec ipse spiritus promptus est ad ferendum, & caro valde infirma.* PARATVRAM, *id est quidquid apparatus tormentorum adhibetur à tyrannis, vt vel negetur fides, vel Christianus ob fidem puniatur.* SECATVR ESAIAS. *Aug. lib. 18. de Ciuit. cap. 24. in f. occisum quidem à Manasse refert, tacito genere mortis:* hoc regnante Romæ scilicet S. Aug.

Numā post Romulum & apud Hebræos initio regni Manasse, à quo impio Rege Propheta Esaias perhibetur occisus, Samiam fuisse Sibyllam ferunt. *Præter Tertullianum, secatum ait Dorotheus in Synopsi, Epiph. & Isid. cap. 37. de vitis Prophet. Hiero. de Esaia:* Esaias in Ierusalem nobili genere ortus est, ibique prophetauit sub Manasse Rege, sectus in duas partes occubuit, sepultusque est sub quercu Rogel, iuxta transitum aquarum, quas olim Ezechias Rex iacto obstruxerat puluere. *Idem Hiero. in cap. 57. Isaiæ, ex certissima traditione Hebræorum, scribit à Manasse secatum serra lignea, & concludit:* vnde & nostrorum plurimi, illud quod de passione Sanctorum A in epistola ad Hebræos ponitur, serrati sunt, *Hebr. 11. 37. lapidati sunt, secti sunt*, ad Esaiæ referunt passionem. *Zeno Veronensis, de Esaia:* Isaias cùm Christum prædiceret, vel cùm futuræ damnationis elogium Israëlitico populo nuntiasset, atroci feritate, blasphemantium commota barbaries, sectum à capite, duabus, cum violento supplicio, quasi assulis bifidauit, iussitque à capite per aures vsque ad scapulam secari ceruicem. *Nyssenus orat. in 40. Martyres.* Nonne religionem docens Esaias, dissectus est? *Et hoc vult Tertullianus, dum subiecit*; & de Domino non tacet. *Quòd etiam in Martyrio Deum laudaret, & Christum prænuntiaret.*

10. *Patientia inclinat ad veniam iniuriæ, & reconciliationem ante solis occasum. De pat. cap. 12 in p.*

a Matth. 18. 22. QVod ad pacis gratissimæ Deo adtinet disciplinam, quis omnino impatientiæ natus, vel semel ignoscet fratri suo? [a] *ne dicam septies, sed & septuagies septies?* Quis iudicium
Matth. 5. 25. cum aduersario suo dirigens, negotium conuenientiâ soluet, nisi prius animi dolorem, duritiam, amaritudinem, venena scilicet impatientiæ amputarit? Quomodo [b] *remittes, &*
b Luc. 6. 37. *remittetur tibi* si tenax iniuriæ, per absentiam patientiæ fueris? Nemo conuulsus animum in fratrem suum, munus apud altare perficiet, nisi prius reconciliando fratri reuersus ad
Matth. 5. 23. 24. patientiam fueris. [c] *Sol super iram nostram si occiderit*, periclitamur. Non licet nobis vna die
c Ephes. 4. 26. sine patientia manere.

PATIENTIÆ NECESSITAS. 10. SCHOL.

DISCIPLINAM, *quantum, inquit, ad præceptum quod omnes Christianos vt discipulos suos docuit Christus, quo nos voluit vsque septuagies septies pacifice iniuriam remittere fratribus, quis impatiens vel semel remittat?* IVDICIVM DIRIGENS, *litem intentans. Alludit ad locum Matth. 5. 25.* Esto consentiens aduersario tuo cito dum es in via cum eo. QVOMODO REMITTES, *Luc. 6. 37.* Dimittite, & dimittemini. CONVVLSVS ANIMVM. *Græcismus frequens authori, pro* conuulso animo; *id est irato, & quasi radicitus ab humanitate diuulso.* APVD ALTARE. *Quia nefas est sic perficere sacrum, Christo iubente Matth. 5. 23.* Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum. C SOL SVPER IRAM, *jam de his locis omnibus alibi. Hic solum addam locum Sancti Paulini in ep. ad Desiderium:* Nec expectem vt Sol occidat super iram meam, ne occidat vita mea, si ante clauserit vesper diem, quàm extinxerit pax furorem. *Patientia mira fuit Dauidis & Christi in condonandis iniuriis, vtramque vno capitulo complexus est Augustinus. Lib. de Patientia c. 9.*
S. Aug. Hac patientia sanctus Dauid conuiciantis opprobria tolerauit, & cum facilè posset vlcisci, *sæpius parcendo Saüli*, non solum non fecit, verum & alium pro B se dolentem cōmotumque compescuit: *2. Reg. 16. 10. contra Semei imprecantem Dauidi, Abisai dicente: quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? vadam & amputabo caput eius. Et ait Rex: quid mihi & vobis est filij Saruiæ? dimittite eum vt maledicat, Dominus enim præcepit ei vt malediceret David* & potestatem regiam magis ac magis adhibuit prohibendo, quam exercendo vindictam. S. Aug. Neque tunc corpus eius aliquo morbo affligebatur ac vulnere, sed humilitatis tempus agnoscebatur, ac referebatur voluntas Dei, propter quam patientissimo animo amaritudo contumeliæ bibebatur. Hanc patientiam Dominus docuit, quando commonitus de zizaniorum permixtione, seruis volentibus ea colligere, dixit respondisse patremfamilias; sinite vtraque crescere vsque ad messem. Oportet enim patienter ferri, quod festinanter non oportet auferri. *Subiicit deinde exemplum Christi, qui non contentus, ante primum sacrificium Eucharistiæ, pedes lauare proditoris, inimicum propria carne cibare, nisi & ante sacrificium crucis ei pacis osculum daret.* Huius & ipse patientiæ præbuit & demonstrauit exemplum; S. Aug. quo modo ante passionem corporis sui, discipulum Iudam, priusquam ostenderet traditorem, pertulit furem; & ante experimentum vinculorum, & crucis, & mortis, labiis eius dolosis non negauit osculum pacis.

11. *Patientia omnibus charitatis actibus præest. De pat. cap. 12. in m.*

DIlectio summum fidei Sacramentum, Christiani nominis thesaurus, quam Apostolus totis viribus sancti Spiritus commendat, cuius nisi patientiæ disciplinis eruditur?
a 1. Cor. 13. 4. & seq. [a] *Dilectio*, inquit, *magnanimis est:* ita patientiam sumit. *Benefica est:* malum patientia non facit. *Non æmulatur:* id quidem patientiæ proprium est. *Nec proteruum sapit:* modestiam de patientia traxit. *Non inflatur, non poterit*: non enim ad patientiam pertinet. *Nec sua requirit*, si offert sua, dum alteri prosit: *Nec incitatur.* ceterùm quid impatientiæ reliquisset? Ideo, inquit, *dilectio omnia sustinet, omnia tolerat.* vtique quia patiens. Meritò ergo *nunquam excidet: nam cetera euacuabuntur*, consummabuntur.

PATIENTIÆ NECESSITAS. 11. SCHOL.

FIDEI SACRAMENTVM. *Quid altius in commendationem patientiæ, quæ charitatis summa omnium virtutis sit magistra, quæ tamen Sacramentum est, & Sym-* D *bolum & tessera fidelium; quam non suis, sed totis à Spiritu sancto acceptis viribus, commendat Paulus & laudat.* MAGNANIMIS EST. 1. Cor. 13. 4. Charitas pa-

tiens est, & benigna est; charitas non æmulatur, A non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet: charitas numquam excidit. *Translat. Syr.* Charitas longanimis est & benigna; charitas non inuidet, charitas non est tumultuosa, neque superbit; neque patrat quod pudendum est; nec quærit quæ sua sunt, &c. *Aug. lib. de Patientia cap. 17. vbi agit contra obiicientes, impios multa durissima perferre patienter:* non intelligunt, & quemque iniquorum tantò esse ad quæcumque mala perferenda duriorem, quantò in eo maior est cupiditas mundi; & quemque iustorum tantò esse ad quæcumque mala fortiorem, quantò in eo est maior charitas Dei. Sed cupiditas mundi initium habet B ex arbitrio voluntatis, progressum ex iocunditate voluptatis, firmamentum ex vinculo consuetudinis. Charitas autem Dei diffusa est in cordibus nostris, non vtique ex nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Proinde ab illo est patientia iustorum, per quem diffunditur charitas eorum. Quam charitatem laudans atque commendans Apostolus, inter cætera eius bona, dixit eam & cuncta sufferre. Charitas, inquit, magnanima est. Paulò post ait: omnia tolerat. Quantò ergo maior est in sanctis charitas Dei, tantò magis pro eo quod diligitur omnia tolerantur; & quantò maior est in peccatoribus cupiditas mundi, tantò magis pro eo quod concupiscitur, omnia tolerantur, &c. Itaque illa C terrena est, ista cœlestis: illa animalis, ista spiritalis: illa diabolica, ista deifica: quoniam concupiscentia quâ fit vt peccantes omnia pertinaciter patiantur, ex mundo est; charitas autem quâ fit vt rectè viuentes omnia fortiter patiantur, ex Deo est. Et ideo illi falsæ patientiæ potest sine adiutorio Dei voluntas humana sufficere: tantò durior, quantò cupidior: & eò tolerabilius mala sustinens, quò ipsa fit peior. Huic autem, quæ vera patientia est, ideo voluntas humana, nisi desuper & adiuta & in-

S. Aug.

flammata, non sufficit; quia Siritus sanctus est ignis eius; quo nisi accensa diligat impassibile bonum, ferre non potest, quod patitur malum. PROTERVVM SAPIT, *charitas proterua non est, petulans, improba, sed modesta, quod haurit ex virtute patientiæ.* NON PROTERIT, *non conculcat & spernit alios. Alij incontinuius, & cum repetitione*, non proteruit. *Neque enim quid tam alienum est à patientia.* DVM ALTERI PROSIT, *quam longè abest vt quæras sua ab alio, cùm alteri prosit sua ipsi largiendo.* NEC INCITATVR, *irâ, odio, aut aliquo malo affectu. Si enim hoc ageret, propria impatientia vsurparet, cui hos prauos motus exercendos reliquit.* EVACVABVNTVR *consummabuntur. Alludit ad scientiam destructam, de qua iam alibi. Quantum ad locum Pauli; sic Aug. ser. de laude charitatis citato à Beda, in 1. Cor 13.* Quid de charitate maius aut vberius possum dicere, quam quas per os Apostoli laudes eius intonat Dominus? quanta est anima linguarum Prophetiæ virtus Sacramentorum salus, scientiæ solidamentum, fidei fructus, diuitiæ pauperum, vita morientium. Quid tam magnanimum quam pro impiis mori? quid tam benignum, quam & inimicos diligere? sola est, quam fœlicitas sua non extollit, quia non inflatur. Sola est quam conscientia mala non pungit, quia non agit perperam. Inter opprobria secura est. Inter odia benefica est. Inter iras placida est. Inter insidias innocens est. Inter iniquitates, gemens: in veritate, respirans. Quid illâ fortius, non ad retribuendas, sed ad non curandas iniurias? quid illa fidelius, non vanitati *quia omnia credit, omnia sperat, non quæ videntur sub Sole visibili vana, sed sub intelligibili vera & æterna*, sed æternitati? Nam ideo tolerat omnia in præsenti vita, quia credit omnia de futura vita. Et suffert omnia quæ hîc immittuntur, quia sperat omnia quæ ibi promittuntur. Meritò numquam cadit. *Et tract. 9. in 1. Io. 4. qui manet in charitate, &c.* Mane in Deo vt maneat in te Deus. Manet in te Deus, vt te contineat, manes in Deo, ne cadas. quia sic de ipsa charitate Apostolus dicit, charitas numquam cadit; quomodo cadet quem continet Deus?

S. Aug.

S. Aug.

S.Aug.

12. *Patientia, legis implendæ & ampliandæ adiutrix; dum iram omnem extinguit, inimicos diligere docet, Deum Patrem acquirit. De pat. cap. 6. in m. ad f.*

OLim & [a] *oculum pro oculo, & dentem pro dente* repetebant, & malum malo fœnerabant. nondum enim patientia in terris, quia nec fides. scilicet interim impatientia occasionibus legis fruebatur. Facilè erat, absente Domino patientiæ & magistro. qui postquam superuenit, & gratiam fidei patientiâ composuit, iam nec verbo quidem lacessere, nec [b] *Fatue* quidem *dicere* sine iudicij periculo licet. Prohibita ira, restricti animi, compressa petulantia manus, exemptum linguæ venenum. plus lex quàm amisit, inuenit: dicente Christo: [c] *Diligite inimicos vestros, & maledicentibus benedicite: & orate pro persecutoribus vestris, vt filij sitis patris vestri cœlestis.* Vides quem nobis patrem patientia acquirat? Hoc principali præcepto vniuersa patientiæ disciplina succincta est, quando ne dignè quidem malefacere concessum est.

a Exo. 21. 24. Deut. 19. 21.
b Matth. 5. 22.
c Ibid. 44.

PATIENTIÆ NECESSITAS. 12. SCHOL.

OLIM, *in veteri testamento lex vigebat talionis, de qua iam alibi.* FŒNERABANT. *Quasi mutuo & reciproco damno.* NONDVM PATIENTIA *Christiana.* NEC FIDES. *Perfecta & Euangelica.* OCCASIONIBVS LEGIS. *Hominum impatientia abutebatur libertate data talionis, ad vlciscendam iniuriam.* FACILE ERAT, &c. *Non mirum si Christo Domino vero patientia magistro, nondum incarnato, nondum præsente per carnem, serui sub lege veteris Testamenti, inuicem rixabantur, & iniurias repetebant.* GRATIAM COMPOSVIT, *coniunxit fidem credentium in Deum cum perfecta patientia, cùm antea fideles Israelitæ non sic patientes essent.* SINE IV- D DICII PERICVLO. *Quia dictum est Matth. 22.* Qui dixerit fratri suo fatue reus erit gehennæ ignis. PROHIBITA IRA. *Cùm ait, ibidem,* qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. EXEMPTVM, *ademptum linguæ venenum, vt nec murmur, detractionem, verbum asperum proferre liceat.* PLVS LEX. *Dum perdidit vltionem, inuenit patientiam longè fortiorem vltione.* PRINCIPALI PRÆCEPTO. *Dilectione scilicet inimici, quæ est gradus eminentior charitatis.* SVCCINCTA, *compendiata.* NE DIGNE QVIDEM, *id est cum causa, læsi videlicet à proximo. Alij minus benè legunt,* ne linguæ quidem. *Principale præceptum, quin etiam sacrificium, agnouit An-*

S. Aug. *gustinus esse dilectionem inimici homilia 6. ex 50.* Nemo vos fallat, aliud maius sacrificium non est, quod debeamus Deo, nisi quidquid boni est, etiam malis hominibus si tamen hominibus, fecerimus. Dicit tibi Deus, ego non ex te cresco, sed tu ex me. Sacrificium volo quod prosit homini; sic ad me peruenit, quod tibi prosit. Potes mihi dicere non ha- A beo quod tribuam indigenti; non possum ieiunare frequenter; & à vino & carnibus abstinere non possum. Numquid potes mihi dicere, charitatem te habere non posse? ipsa est cuius possessio tantò plus augetur, quantò amplius, erogatur. Dimitte ergo quod tenebas, ne aduersus te ille teneat, cui non habes quod dimittas.

13. *Patientia in omni ætate laudabilis, Deum debitorem habet, vtpote omnium mandatorum eius, & virtutum executrix. De pat. cap. 15. in p. ad m.*

ADeo satis idoneus patientiæ sequester Deus. Si iniuriam deposueris penes eum, vltor est: si damnum, restitutor est: si dolorem, medicus est: si mortem, resuscitator est. Quantùm patientiæ licet, vt Deum habeat debitorem? Nec immeritò. Omnia enim placita eius tuetur: omnibus mandatis eius interuenit. Fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adiuuat, humilitatem instruit, pœnitentiam expectat, exomologesin adsignat, carnem regit, spiritum seruat, linguam frenat, manum continet, tentationes inculcat, scandala pellit, martyria consummat: pauperem consolatur, diuitem temperat, infirmum non extendit, valentem non consumit, fidelem delectat, gentilem inuitat, seruum domino, dominum Deo commendat, feminam exornat, virum approbat: amatur in puero, laudatur in iuuene, suspicitur in sene: in omni sexu: in omni ætate formosa est.

PATIENTIÆ NECESSITAS. 13. SCHOL.

IDONEVS SEQVESTER, *interuentor, apud quem plures rem de qua controuersia est deponunt. l. 109. ff. de verb. signif. Isid. lib. 10. Etym.* sequester est, qui certantibus medius interuenit, apud quem pignora deponi solent. A sequendo dictus, quod fidem vtraque pars sequatur. *Communiter mediator dicitur. Hinc subiicit:* si iniuriam deposueris penes eum. *Apud eum si reliqueris vindictam faciendam:* mihi, inquit, vindictam & ego retribuam. QVANTVM LICET, *quantum potest patientia.* DEVM DEBITOREM. *Aug.* Debitorem se fecit non accipiendo, sed pro-
S. Aug. mittendo. *Et ser. 170. de temp.* Interpella hunc iudicem, vbi nullus tabellarius conturbat, nullus officialis remouet; nullus emitur Aduocatus, qui possit pro te preces effundere, aut verba dicere, quæ non didicisti: sed ipse filius Dei vnicus, æqualis Patri, sedens ad dexteram Patris, illius assessor, tuus iudex est: docuit te pauca verba, &c. Docuit te jus cœleste, quomodo preceris, &c. Gaude quia ille erit tunc Iudex tuus, qui modò Aduocatus tuus. Ideo ergo quia oraturus es, acturus es causam tuam, paucis verbis venturus ad illa verba, dimitte nobis debita nostra, &c. dicit enim tibi Deus: quid mihi das, vt ego dimittam tibi debita tua? quale munus offers, quale sacrificium conscientiæ tuæ imponis altaribus meis? continuò docuit te quid petas, & quid offeras. Petis, dimitte nobis, &c. & tu offers. Quid? sicut & B nos dimittimus, &c. *O mutuum charitatis & patientiæ commercium & debitum.* Debitor es ei qui falli non potest: habes & tu debitorem. Dicit tibi Deus, tu debitor meus es, ille debitor tuus: hoc facio ergo tibi debitori meo, quod tu feceris debitori tuo. Inde offers mihi munus, vnde pepercetis debitori tuo, &c. Securus esto de peccato, noli dimittere, si non habes quod tibi dimittam, sed magis exige si nihil debes: si autem debitor es, magis gratulare te habere debitorem in quo facias, quod fiat in te. *Tertull. autem adiicit, non immeritò Deum habere debitorem patientem cuius patientia, ab eo tamen data, sicut datum est promissum mercedis; omnis lex & virtus à Deo precepta impletur.* EXOMOLOGESIN ADSIGNAT. *Confessionem, pœnitentiæ partem attribuit, quæ quidem sine humili patientia, vera & sincera esse non potest.* TENTATIONES INCVLCAT. *Id est repercutit in diabolum, cuius tela retundit.* SCANDALA PELLIT. *Nam cùm scandalum sit pusillorum, dicente Christo;* qui scandalizauerit vnum ex pusillis istis, &c. *Non potest tanta virtus scandalum accipere: multò minus dare, cùm nulli tentationi succumbat, vt malum ex lapsu proximo det exemplum: Cùm enim & Martyri det virtutem consummandi passionem, nulli potest esse scandalo, deficiendo à fide vi tormentorum.* NON EXTENDIT. *Id est non extenuat, sicut extensio corpus infirmius facit. Patientia igitur colligit, non extendit animi vires.*

PATIENTIA IN QVIBVS EXERCENDA, ET A QVIBVS SIT PATIENDVM.

1. *Patientiam in rebus sæculi impendere, aut in Philosophia vana, exercere pudeat. De pat. cap. 1. in f.*

GRande testimonium eius est, cùm etiam vanas seculi disciplinas ad laudem & gloriam promouet. Aut nunquid potius iniuria, cum diuina res in secularib. artibus volutatur? Sed viderint illi, quos mox sapientiæ suæ cum seculo destructæ ac dedecoratæ pudebit.

PATIENTIA IN QVIBVS HABENDA. 1. SCHOL.

GRANDE TESTIMONIVM, &c. *Quid dicam in cumulum laudum patientiæ? an illi magna laus quod vani Philosophi ex ea captent gloriam? an potius iniuria sit patientiæ, cum diuina virtus sic deiicitur, vt ad friuolas artes & scientias applicetur?* VIDERINT ILLI *pro-* D *cul hinc facessant, vani illi aucupes gloriæ, & affectatores patientiæ, quorum in iudicio, & igne iudicij, iuxta Paulum reuelante occulta hominum, omnis sapientia, cum ipso orbe deuorabitur, nullo remanente patientiæ Stoicæ merito, Tunc implebitur illud Psaltis, de vanis Philosophis*

Philosophis alis vana gloria exaltatis vsque ad cœlos, & è valle Iosaphat ad æternas descendentibus inferni Abyssos: Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat, *quæ falsâ & vanâ patientiâ ferebant*, turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius: & omnis sapientia eorum deuorata est. *August. vertit* absorpta est. *Et in Psal. 140. in rem nostram præcisè*: absorpti sunt iuxta petram, *Vulgata, iuncti petræ*, iudices eorum. Quid est absorpti sunt iuxta petram? petra autem erat Christus, &c. Iuxta, id est comparati iudices magni, potentes, docti Ipsi dicuntur iudices eorum tanquam iudicantes de moribus, & sententiam proferentes. Dixit hoc Aristoteles, adiunge illum petræ, & absorptus est. Quis est Aristoteles? Audiant, dixit Christus, *quid dixit? in patientia vestra possidebitis animas vestras. Quid dixit? Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum: non vana æstimatio hominum terrenorum*, & apud inferos contremiscit. Dixit hoc Pythagoras, dixit hoc Plato. Adiunge illos petræ, compara authoritatem illorum authoritati Euangelicæ, compara inflatos Crucifixo: dicamus eis; vos litteras vestras conscripsistis in cordibus superborum, ille crucem suam fixit in cordibus Regum. *vt non solùm crucifixum olim Gentibus stultitiam, vt Iudæis scandalum, Christum Dei virtutem & Dei sapientiam, corde crederent ad iustitiam, ore confiterentur ad salutem; sed toto animo cum Paulo Christo confixi cruci, etiam Martyrium ambirent. Sicut de factis Rex Nornegiæ Olaus, Eduardus Angliæ, Venceslaus Dux Bohemiæ, Sigismundus Rex Burgundiæ, martyrio coronati sunt.* Postremò mortuus est & resurrexit; mortui estis, & nolo quærere quemadmodum resurgatis. Ergo absorpti sunt iuxta illam petram iudices eorum. Tandiu videntur aliqui dicere donec comparentur petræ. Propterea, si inuentus fuerit aliquis eorū hoc dixisse, quod dicit & Christus, gratulamur illi, non sequimur illum. Sed prior fuit ille quàm Christus? Falsò. Si quis vera loquitur, prior est quàm ipse veritas? O homo, attende Christum, non quando ad te venerit, sed quando te fecerit. Potest & ægrotus dicere, sed priùs ego cecidi

S. Aug.

S. Aug.

A in lectum, quàm Medicus ad me venisset. Vtique ideò ille posterior venit, quia tu prior cecidisti. *Subiicit ex Psalte*: Audient verba mea quoniam præualuerunt: *Vulg. potuerunt*. præualuerunt verba mea, verbis eorum. Dicta sunt ab eis quædam disertè, sed à me verè, &c. Vnde autem præualuerunt verba Domini? Ecce ego mitto vos sicut agnos in medio luporum: Nolite timere eos qui occidunt corpus, &c. Sed potiùs eum timete, &c. Dedit timorem, subiecit spem; inflammauit charitatē, &c. mortem timetis, prior morior. Ne vel capillus vester pereat, formidatis? priùs integer in carne resurgo. Meritò audistis verba eius, quoniam præualuerunt. Ducebantur & occidebantur; cadebant, & stabant. Et quid factum est de tot mortibus Martyrum, nisi vt ipsa verba præualerent, & tanquam irrigata terra sanguine testium Christi, pullularet vtique seges Ecclesiæ? B &c. sicut crassitudo terræ erupta est super terrā, &c. Quæ sunt quasi contemptibilia hominibus, fœcundant terram: illæ omnes mortes factæ sunt crassitudo terræ. Quomodo accipit terra quandam pinguedinem de rebus contemptibilibus & abiectis; *vt de se Paulus: tanquam purgamenta huius mundi facti sumus*: sic ex eo quòd contempsit hic mundus, accepit crassitudinem terræ, vt inde seges Ecclesiæ feraciùs pullularet, &c. de terra erexit inopem, & de stercore exaltauit pauperem, vt collocaret eum cum Principibus, &c. prostratus est enim in terra tanquam pinguedo terræ, diruptus est super terram sicut iacuit ille Lazarus vlcerosus, sed tamen ab Angelis sublatus est in sinum Abrahæ. Pretiosa est in conspectu Domini, &c. Nescitis quia cōtemptibilia mundi, *& quæ stulta sunt, &c.* elegit Deus, & ea quæ non sunt, tanquā quæ C sint, vt ea quæ sunt euacuarentur: de stercore erectus Petrus, Paulus, & cùm occiderentur, contemnebantur, modò iam saginata inde terra, exurgente segete Ecclesiæ, ecce quod est nobile & præcipuum in mundo, Imperator venit Romam, quò festinat? Ad templum Imperatoris, *Capitolium vel Pantheon*, an ad memoriam piscatoris? *Vide quàm vana sit Philosophorū affectata patientiæ gloria, & quàm solida apud Deū, & ipsis hominibus ex merito patientiæ veræ Sanctorum corona.*

S. Aug.

2. *Patientia necessaria in malis abundantibus in hac vita. De pat. cap. 11. in pr.*

POst has principales impatientiæ materias, vt potuimus regestas, quid inter cæteras euagemur, quæ domi; quæ foris? Lata atque diffusa est operatio Mali multiplicia spiritus incitamenta iaculantis, & modò paruula, modò maxima. Sed paruula de sua mediocritate contemnas; maximis pro sua exuperantia cedas. Vbi minor iniuria, vbi nulla necessitas impatientiæ. At vbi maior iniuria, ibi necessarior iniuriæ medela, patientia. Certemus igitur quæ à Malo infliguntur sustinere, vt hostis studium æmulatio nostræ æquanimitatis eludat.

PATIENTIA IN QVIBVS. 2. SCHOL.

POST PRINCIPALES. *Dixerat superiùs de vltione iniuriarum quum dixit capite 9.* Summum impatientiæ stimulum. REGESTAS, *digestas, & recensitas.* EVAGEMVR, *quasi in campo vastissimo, & plenissimâ materiâ impatientiæ, quæ domi & foris multimodè patientiam tentat.* MALI, *maligni spiritus.* DE MEDIOCRITATE, *quia parua sunt, spernenda.* DE EXVPERANTIA, *alij* exuberantia: *ob nimiam violentiam, aut abundantiam.* CEDAS, *non succumbendo peccato, sed mala patienter eludendo & ferendo.* ÆMVLATIO ÆQVANIMITATIS, *perseuerantia patientiæ, constantiam malitia diabolica æmuletur. Diffusam vndequaque à Diabolo peccati, proinde malorum omnium pœnæ Authoris, operationem fusè describit Aug. lib. 22. de Ciu. c. 22.* Quod ad primam originem pertinet, omnem mortalium progeniem fuisse damnatam, hæc ipsa vita, si vita dicenda est, tot & tantis malis plena testatur, &c. *Pergit de ignorantia profunda & errore intellectus, & prauis* D *desideriis voluntatis, & mille curis, insidiis, inuidiis, rixis, homicidiis, furtis, rapinis, adulteriis, incestis, &c. Ex duobus istis malis orientibus, &c. Deinde subiicit*: Quæ non ad malitiam nequitiamque iniquorum, sed ad conditionem pertinent miseriamque communem, quis vllo sermone digerit, quis vllâ cogitatione comprehendit? quantus est metus, quanta calamitas ab orbitatibus, atque luctu, à damnis & damnationibus, à deceptionibus & mendaciis hominum? &c. ab eis & deprædatio, & captiuitas, & vincula, & carceres, & exilia, & cruciatus, & amputatio membrorum, & priuatio sensuum, &c. Quid ab innumeris casibus, qui forinsecùs corpori formidantur, æstibus & frigoribus, tempestatibus, imbribus, alluuionibus, coruscatione, tonitru, grandine, fulmine, motibus, hiatibusque terrarum, oppressionibus ruinarum ab offensione & pauore; vel etiam malitiâ iumentorum, à tot venenis fruticum, aquarū, aurarum, bestiarum

S. Aug.

S. Aug.

ac ferarum, vel tantummodo molestis, vel etiam mortiferis morsibus; à rabie quæ contingit ex rabido Cane; vt etiam blanda & amica suo Domino bestia nonnunquam vehementius & amatius, quam leones, draconesque metuatur, faciatque hominem quem fortè attaminauerit, contagione pestifera ita rabiosum, vt à parentibus, coniuge, filiis eius, peius omni bestia formidetur? quæ mala patiuntur nauigantes? quæ terrena itinera gradientes? quis ambulat vbicumque non inopinatis subiacens casibus? de foro quidam rediens domum, sanis pedibus suis cecidit, pedem fregit, & ex illo vulnere finiuit hanc vitam. Quid videtur sedente securius? de Sella, in qua sedebat, cecidit Heli Sacerdos, & mortuus est, &c. contra milleformes dæmonum incursus, quis innocentiâ suâ fidit? quandoquidem ne quis fideret, etiam paruulos baptizatos, quibus certè nihil est innocentius, aliquando sic vexant, vt in eis maximè, Deo sinente, ista monstretur hu- A ius vitæ flenda calamitas, & alterius desideranda fœlicitas. Iam verò de ipso corpore, tot existunt morborum mala, vt nec libris Medicorum cuncta comprehensa sint. In quorum pluribus ac penè omnibus etiam ipsa adiumenta & medicamenta, tormenta sunt; vt homines à pœnarum exitio, pœnali eruantur auxilio, &c. Ipse postremò somnus, qui propriè quietis nomen accepit, quis verbis explicet sæpè somniorum visis quàm sit inquietus? &c. *Et in his omnibus quanta patientia necessaria est? vt etiam post hanc miseram, beatam vitam non sine patientia expectemus, Apostolo dicente Hebr. 10. 32. & seq.* Magnum certamen sustinuistis passionum, &c. rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam. Nolite itaque amittere confidentiam vestram quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.

3. *Patientia tolerat diuitias raptas, & spernit. De pat. cap. 7. in p. ad m.*

IAm verò percurrentibus nobis causas impatientiæ, cetera quoque præcepta suis locis respondebunt. Si detrimento rei familiaris animus concitatur, omni penè in loco
Matth. 5. 3. de contemnendo seculo scripturis Dominicis commonetur: nec maior ad pecuniæ contemptum exhortatiò subiacet, quàm quod ipse Dominus in nullis diuitiis inuenitur. sem-
Luc. 6. 20 per pauperes iustificat, diuites prædamnat. Ita, detrimentum, patientiæ; fastidium opulentiæ, præministrauit; demonstrans, per abiectionem diuitiarum, læsuras quoque earum computandas non esse. Quod ergo nobis appetere minimè opus est, quia nec Dominus appetiuit, detruncatum vel etiam ademptum non ægrè sustinere debemus. Cupidita-
1. Tim. 6. 10. tem omnium malorum radicem spiritus Domini per Apostolum pronuntiauit. Eam non in concupiscentia alieni tantùm constitutam interpretemur: nam & quod nostrum videtur; alienum est: nihil enim nostrum, quoniam Dei omnia, cuius ipsi quoque nos. Itaque si damno affecti impatienter senserimus, de non nostro amissum dolentes, adfines cupiditatis deprehendemur. Alienum quærimus, quum alienum amissum ægrè sustinemus. Qui damni impatientiâ concitatur, terrena cœlestibus anteponendo, de proximo in Deum peccat. Spiritum enim quem à Domino sumpsit, secularis rei gratia concutit. Libentes igitur terrena amittamus, cœlestia tueamur. Totum licet seculum pereat, dum patientiam lucrifaciam.

PATIENTIA IN QVIBVS. 3. SCHOL.

CÆTERA PRÆCEPTA, *Christi scilicet, quæ omnes impatientiæ causas, vel prætextus rescindunt; tibi occasiones impatientiæ prætendenti, propriis scripturæ locis respondebunt & cuiuis impatientia remedia proferent.* IN NVLLIS DIVITIIS. *Immo in summa paupertate. Qui nec habuit vbi caput reclinaret, qui per Psalmum 24. in paupertate humanæ naturæ dicebat Patri:* respice in me & miserere mei, quoniam vnicus & pauper sum ego. *Quis tam vnicus quàm vnigenitus* in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei *secundum diuinitatem? qui ex Paulo*, cum diues esset, propter nos factus est pauper. SEMPER PAVPERES IVSTIFICAT. *Cum dicit:* pauperi tu eris adiutor. *Et rursum* suscitans de terra inopem, & de stercore erigens pauperem. *Et iterum*, ego sum pauper & dolens, salus tua Deus suscepit me. *Et mille aliis locis. In Euangelio quid clarius;* beati pauperes quoniam vestrum est regnum Dei. PRÆDAMNAT *dum, ipso facto quod iustificat pauperes, præiudicatò damnat diuites. Vel cum imprecatur dicens;* væ vobis diuitibus, &c. *Et alibi:* ô quàm difficilè diues intrabit in regnum cœlorum. DETRIMENTVM PATIENTIÆ. Esurientes repleuit bonis, fastidiosos diuites, dimisit inanes. *Fastidiosos intelligo, tam actiuè quam passiuè: tam quod ipsi spernant pauperes; quam quod Deus,* cui derelictus est pauper, *spernit diuites.* Væ qui spernis, nonne & ipse sperneris? *Et iterum:* væ qui opu- B lenti estis in Sion, &c. *sensus Authoris est: eo ipso quod vides Christum fastidire & reprobare diuites & opulentos, præparauit animum fidelis, patientia exercendæ; vt hinc discat saltem patienter ferre detrimenta, læsuras, damna, & furta portionis alicuius bonorum suorum; discat & cum Paulo dicere:* quæ mihi fuerunt lucra, propter Christum arbitratus sum detrimenta, &c. Et omnia arbitratus sum detrimenta, propter eminentiam scientiæ charitatis Dei, quæ omnia suffert, omnia sustinet, quia charitas patiens est, &c. omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, &c. *Vel si magis arridet; cum Christus illi diuiti suaserit abiicere omnem opulentiam, ad negotiandam paupertatis Euangelicæ Margaritam; & per Psalmum iam olim dixerit opulentibus;* diuitiæ si affluant, nolite cor apponere; C *multò magis* præministrauit patientiæ; *id est præparauit & disposuit animam fidelem, vt patienter ferat aliqua saltem damna bonorum nobis illata, quæ omnia contemnere debemus, tanquam aliena. Deus enim solus verè proprietarius est, non tantùm bonorum, sed & personarum nostrarum. Cùm ergo Spiritus sanctus per Apostolum doceat, quod* radix omnium malorum est cupiditas, *proximi sumus cupiditati, si diuitias raptas impatienter feramus, & Spiritum sanctum pauperum Patrem irritamus, si terrena bona, cœlestium commercio & lucro, nos præponere, impatientiâ damni testemur. Pereant omnia temporalia bona, modo hoc damno solam patientiam, ater-*

ni thesauri procuratricem, negotiari possim. Pereant A *ad tempus, periturae diuitiae: & ex diuitibus fastidiosis, pauperes patientes euadamus, certi de veritate prophetiae,* Quoniam non in finem obliuio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem. *August. lib. 14. de Ciuit. cap. 9.* S. Aug. Patientia pauperum non peribit in æternum. Neque enim æterna erit ipsa patientia, quæ necessaria non est, nisi vbi toleranda sunt mala: sed æternum erit quò per patientiam peruenitur. *Et lib. de patientia cap. 29. cùm de filiis concubinarum, id est, hæreticis, schismaticis, reprobis dixisset, donatis muneribus; Isaac autem hæreditate seruatâ, sic concludit:* S. Aug. Si ergo filij sumus liberæ Ierusalem, alia dona exhæredatorum, alia intelligamus hæredum. Hi enim hæredes sunt quibus dicitur Rom. 8. 15. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater: *quid aptius in rem Tertull. Ne contristemus, hoc est contristemus Spiritum sanctum, amatorem pauperum, infusorem charitatis & patientiæ: de quo Psaltes: Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum: vt filium scilicet, cùm aspernetur diuitem reprobum spiritui cupiditatis, & mammonæ seruientem; de quo Paulus. Idolorum, inquit, simulachrorum seruitus,* clamemus ergo spiritui charitatis, sed donec veniamus ad hæreditatẽ in qua semper maneamus; liberali amore simus; *siue dando pauperi, siue Deo nobis data repetenti, furto vel aliter ablata reddentes, vel sponte Ecclesiæ eius largientes, dicamus: quæ de manu tua accepimus reddimus tibi;* non seruili timore, *læsuras & detrimenta patientes: libenter enim suffertis insipientes cùm sitis ipsi sapientes, &c. Si quis deuorat, si quis accipit, &c.* patienter clamemus, quamdiu pauperes sumus, S. Aug. donec illâ hæreditate ditemur. Magna quippe inde pignora accepimus, quòd ad nos ditandos pauper factus est Christus, quo in supernas diuitias exaltato, missus est, qui sancta desideria nostris cordibus inspiraret Spiritus sanctus. Horum pauperum adhuc credentium, nondum contemplantium, adhuc sperantium, nondum tenentium; adhuc desiderio suspirantium, nondum fœlicitate regnantium; adhuc esurientium & sitientium, nondum satiatorum: horum ergo pauperum patientia non peribit in æternum; Non quia & illic patientia erit, vbi quod toleretur non erit; sed non peribit, sicut dictum est, quia infructuosa non erit: fructum autem habebit æternum, ideò non peribit in æternum. Qui enim laborat inaniter, cùm eum spes fefellerit, propter quam laborabat, meritò dicit: perdidi tantum laborem: quisquis vero ad sui laboris promissa peruenerit, gratulans dicit: Non perdidi laborem meum. Dicitur ergo labor non periisse, non quia manet perpetuus, sed quia non est inaniter fusus: sic & patientia pauperum Christi, sed ditandorum hæredum Christi, non peribit in æternum; non quia & illic patienter ferre iubebimur, sed quia pro iis quæ hîc patienter pertulimus, æterna beatitudine perfruemur. Non dabit finem sempiternæ fœlicitati, qui donat temporalem patientiam voluntati, quia vtrumque munus donatæ donatum est charitati. *Vide, Lector, quàm aptè, & eleganter hic locus omnem Tertulliani sensum complectatur.*

4. *Pati alapam, aut quamuis iniuriam melius est, quàm inferre: Deo vindicante patientem.*
De pat. cap. 8. à princ. ad fin.

SI manu quis tentauerit prouocare, præsto est Dominica monela, [a] *Verberanti te,* inquit, *in faciem, etiam alteram genam obuerte.* Fatigetur improbitas patientiâ tuâ. Quiuis ictus ille sit dolore & contumelia constrictus, grauiùs à Domino vapulat. Plus improbum illum cædis sustinendo. Ab eo enim vapulabit, cuius gratiâ sustines. Si linguæ amaritudo, maledicto siue conuicio eruperit, respice dictum: [b] *Quum vos maledixerint, gaudete.* Dominus ipse maledictus in lege est, & tamen solus est benedictus. Igitur dominum serui consequamur, & maledicamur patienter, vt benedicti esse possimus. Si parum æquanimiter audiam dictum aliquod in me proteruum & nequam, reddam & ipse amaritudinis vicem necesse est, aut cruciabor impatientiâ mutâ. Quum ergo percussero maledicto, quomodo secutus inueniar doctrinam Domini quâ traditum est, non vasculorum inquinamentis, sed eorum quæ ex ore promuntur, hominem communicari? Item: Manere nos omnis vani & superuacui dicti reatum? Sequitur ergo, vt à quo nos Dominus arcet, idem ab alio æquanimiter pati admoneat. Hic iam de patientiæ voluptate. Nam omnis iniuria, seu linguâ, seu manu incussa, cùm patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo telum aliquod in petra constantissimæ duritiæ libratum & obtusum. Concidet enim ibidem irrita opera & infructuosa, & nonnunquam repercussum in eum qui emisit, reciproco impetu sæuiet. Nempe idcircò quis te lædit, vt doleas; quia fructus lædentis, in dolore læsi est. Ergo cùm fructum eius euerteris non dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui. tunc tu non modò illæsus abis, quod etiam solùm tibi sufficit, sed insuper aduersarij tui & frustratione oblectatus, & dolore defensus. Hæc est patientiæ vtilitas & voluptas.

[a] Matth. 5. 39.
[b] Ibid. 11. & 12.
Deut. 21. 23 & Gal. 3. 13
Matth. 15. 17. & seq.
Matth 12. 36.

PATIENTIA IN QVIBVS. 4. SCHOL.

SI MANV. *Si quis impatientiam tuam prouocet manu tibi colaphum impingens; Adest tibi Christi Domini monitum, quod iam suprà exposuimus. Matth. 5. 39.* Si quis te percusserit in dexteram maxillã tuam, præbe illi alteram. *Syr.* Obuerte illi & alteram. *Luc. 6. 29.* Qui te percutit in maxillam, præbe & alteram. DOLORE ET CONTVMELIA. *Alapa enim & dolorem infert corpori, & contumeliam honori. Aug. lib. 1. de ser. Do. in monte cap. 19. in hunc locum Matth. 5.* S. Aug. Pharisæorum iustitia minor est, non excedere vindictæ modum, ne plus rependat quisque quàm ac- C cepit. Et magnus hic gradus est. Nemo enim facilè inuenitur, qui pugno accepto, pugnum reddere velit: & vno conuiciante verbo audito, vnum, & quod tantumdem valeat, referre contentus sit. Sed siue irâ perturbatus, immoderatiùs vindicat, siue quia iustum putat, eum qui læserit prior, grauiùs lædi, quàm læsus est qui non læserat: Talem animum magnâ ex parte refrænauit lex, in qua scriptum est, oculum pro oculo, &c. Quibus nominibus significatur modus, vt iniuriam vindicta non transeat, & hæc est pacis inchoatio. Perfecta autem pax est, talem

penitus nolle vindictam, &c. parum videtur Domino si pro malo quod acceperis nihil reddas mali, nisi etiam & amplius sis paratus accipere. Quapropter non ait, Ego autem dico vobis non reddere malum pro malo, quanquam etiam hoc magnū præceptum sit; sed ait, non resistere aduersus malum: vt non solùm non rependas quod tibi fuerit irrogatum, sed etiam non resistas, quo minus aliud irrogetur. Hoc est enim quod etiam consequenter exponit: sed si quis te percusserit in dexteram, &c. *tum subiicit iuxta Tertull. improbitatem phrenetici fatigandam & vincendam patientiâ Medici*: quos Dominus Medicus animarum curandis proximis instruebat, quid eos aliud docere possit, nisi vt eorum quorum saluti consulere vellent, imbecillitates, æquo animo tolerarent? omnis namq; improbitas ex imbecillitate animi venit: quia nihil innocentius est eo qui in virtute perfectus est. *Patientia siquidem, Iacobo teste*, opus perfectum habet. *Porrò quod alapâ impactâ, & facies cæsa, præter dolorem, seruilem contumeliã inferas, subinfert ex 2. Cor. 11. 20.* Sustinetis enim, si quis vos in seruitutem redigit, *Syr. solliciti estis de eo, quasi diceret curam salutis eius habetis*, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit. Secundum ignobilitatem dico, *Syr. ignominiam*, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte. *quasi scilicet Paulus, vt infrà dicet Aug. non alapam tulerit à seruo Pontificis. De ignominia sic Aug.* Continuò subiungit, secundum ignobilitatem dico, vt exponat quid sit in faciem cædi, hoc est contemni atque despici, &c. sed quoniam facies non potest dici dextera & sinistra, & tamen nobilitas, & secundum Deum, & secundum sæculum potest esse; ita tribuitur tanquam in dextera maxillam & sinistram, vt in quocumq; discipulo Christi contemptum fuerit quòd Christianus est, multò magis in se contemni paratus sit, si quos huius sæculi honores habet. *Tandem sic de infirmitate Pauli*: Pontificis iussu palmâ percussus, & quod cõtumeliosè visus est dicere, cùm ait, percutiet te Dominus, paries dealbate, Act. 23. 3. minùs intelligentibus cõuicium sonat: intelligentibus verò prophetia est. Paries quippe dealbatus, hypocrisis est, id est simulatio, sacerdotalem præferens dignitatem, & sub hoc nomine tanquam candido tegmine, interiorem quasi luteam turpitudinem occultans. Nam quod humilitatis fuit, mirabiliter custodiuit, cùm ei diceretur, Principi Sacerdotum maledicis? respondit, Nesciui, fratres, quia Princeps est Sacerdotum. Scriptum est enim: Principi populi tui ne maledicas. Vbi ostendit quantâ tranquillitate illud dixisset, quod iratus dixisse videbatur, quod tam citò; tam mansuetè respondit, quod ab indignantibus & perturbatis fieri non potest. Et in eo ipso intelligẽtibus verùm dixit, nesciui quia Princeps est Sacerdotum: *quomodo nesciebat? cùm dixerit ibidem: Et tu sedens iudicas me secundum legem, & contra legem iubes me percuti.* tanquam diceret: Ego alium sciui Principem Sacerdotum, pro cuius nomine ista sustineo, cui maledicere fas non est, & cui vos maledicitis, cùm in me nihil aliud quàm eius odistis nomen. *Vide Aug. lib. de mendacio cap. 15. vbi de Christo & Apostolo non præbentibus alteram maxillam.* Exemplum patientiæ nullum quàm ipsius Domini potentius & excellentius inuenimus. At ille cùm alapâ percussus esset; non ait: Ecce altera maxilla, &c. Vbi ostendit illam præparationem alterius maxillæ, in corde faciendam; quod etiam Apostolus Paulus vtique nouerat; nam & ipse cùm esset alapâ percussus ante Pontificem, non ait, percute alteram maxillam, sed percutiet te, &c. Altissimè intuens Sacerdotium Iudæorum iam tale factum fuisse, vt nomine forinsecùs niteret, intrinsecùs autem luteis concupiscentiis sorderet, quod transiturum esse vindi-

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

A ctâ Domini, videbat in spiritu, cùm illud diceret: sed tamen cor paratum habebat, non solùm ad alias alapas accipiendas, sed etiam quælibet tormenta pro veritate patienda, cùm eorum dilectione, à quibus illa pateretur. GRAVIVS A DOMINO, *quantacumque sit pœna & ignominia illata nobis, longè grauiorem à Deo vltore recipiet inimicus. Primò quia* Deus vltionum Dominus, vlciscitur vsque ad tertiam & quartam generationem. *Secundò, quia æternam pœnam reddet inimico, si in hac vita non satisfecerit.* CVM VOS MALEDIXERINT, *Matth. 5. 11.* Beati estis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, &c. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

B DOMINVS IPSE. *De hoc iam alibi Deuteronom. 21. 23.* Maledictus à Deo est, qui pendet in ligno. *Septuag. addunt*, Omnis qui pendet. *Gal. 3. 13.* Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est maledictus omnis qui pendet in ligno. SOLVS BENEDICTVS. *Sic Paulus*: qui est super omnia benedictus in sæcula. *Quia solus exemptus à maledicto peccati.* MVTA. *non sufficit tacere linguâ, si cor murmurat impatientiâ. Simus similes Psalti & Christo, & cum eo dicamus*; Obmutui & non aperui os meum, quoniam tu fecisti: *attestante altero Propheta*: non est malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit. *Et rursum*: Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. *De Christo autem Esaias*: coram tondente se obmutuit. NON VASCVLORVM. *Matth. 15. 17.*

C Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur? *Aduerte Tertullianum per vascula, alludere ad baptismata calicum, & lauationes vasorum; vel ad vsum Scripturæ frequentem, quo corpora vasa vocantur, & hic agi de Apostolis non lauantibus manus ante cibum*, quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. COMMVNICARI. *Communem & immundum reddi. Sic Act. 10. Petro dictum, de immundis in vase linteo ad manducandum oblatis*: quod Deus sanctificauit, tu commune ne dixeris. MANERE NOS. *Quomodo rursum Christi doctrina obsequar, si maledicto repercussero proximum? Matth. 12. 36.* Dico

D autem vobis: quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Ex verbis enim tuis iustificaberis, *vt iustificeris in sermonibus tuis & vincas cùm iudicaris; consentiens aduersario tuo citò, dum es in via cum eo.* Et ex verbis tuis condemnaberis. A QVO ARCET. *Ex Christi doctrina sequitur, non tantùm nobis esse prohibitum facto vel verbo, proximum lædere, sed insuper nos moneri & verba & facta iniuriosa æquanimiter à proximo debere pati.* VOLVPTATE. *alij minus scitè*, voluntate *insulsè: cùm infrà agat de oblectatione.* OFFENDERIT, *inciderit in fortem patientiam.* EODEM EXITV DISPVNGETVR, *pro eodem computa-*

E *bitur, eodem euentu repercutietur. acumine & punctura iniuriæ obtusâ, quo telum in rupem illisum obtunditur, vel in vibrantem resilit, quem percutit; sicque vt suprà dixerat*: grauiùs a Domino vapulat. *Dicit enim*: qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. *Et ex Aug.* Rogo quis grauiùs damnum passus est? tu perdidisti vestem, ille innocentiam, tu perdidisti rem perituram, ille factus est periturus. NEMPE IDCIRCO, &c. *Iam probat voluptatem patientis iniuriam, cui opponitur dolor tam animi quàm corporis, quem intendit inferre qui lædit & læditur magis, impleto in illo Psaltis dicto*: Sagittæ paruulorũ factæ sunt plagæ eorum, & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum. *Sensus Authoris est: cùm totus fructus & merces improbi proximum lædentis, sit, vt dolorem ipsi intuitus, si ipse nullum dolorem, tristitiam, Impatientiam inde concipiat, lædentem frustra-*

S. Aug.

fine suo, & dolorem in ipsum repercutit. DOLORE DEFENSVS, *quem clypeus patientiæ excludit, & retorquet in aduersarium.* FRVSTRATIONE OBLECTATVS *cum,* A *videt intentionem & ictum inimici frustratum & elusum. Vt ex vna patientia, vtilitatem capiat, euitans nocumentum; & voluptatem, cernens inimicum delusum.*

5. *Patientia exhibenda in morte amicorum. De pat. cap. 9. per totum.*

NE illa quidem impatientiæ species excusatur in amissione nostrorum, vbi aliqua doloris patrocinatur affectio. Proponendus est enim respectus denuntiationis Apostoli, qui ait: [a] *Ne contristemini dormitione cuiusquam, sicut Nationes quæ spe carent.* Et meritò. a 1.Thess. 4.13.
Credentes enim resurrectionem Christi, in nostram quoque credimus, propter quos ille & obiit & resurrexit. Ergo cum constet de resurrectione mortuorum, vacat dolor mortis, vacat & impatientia doloris. Cur enim doleas, si periisse non credis? Cur impatienter feras subductum interim, quem credis reuersurum? Profectio est quam putas mortem. Non est lugendus qui antecedit, sed planè desiderandus. Id quoque desiderium patientiâ temperandum. Cur enim immoderatè feras abiisse, quem mox subsequeris? Ceterùm impatientia in huiusmodi, & spei nostræ malè ominatur, & fidem præuaricatur. Et Christum lædimus, cùm euocatos quosque ab illo, quasi miserandos, non æquanimiter accipimus. [b] *Cupio,* inquit Apostolus, *recipi iam, & esse cum Christo:* quantò melius ostendit votum Christianorum? ergo votum si alios consequutos impatienter dolemus, ipsi consequi nolumus. b Philipp. 1. 23.

PATIENTIA IN QVIBVS. 5. SCHOL.

NE ILLA QVIDEM, &c. *Nec mors amicorum impatienter ferenda, vbi tamen videtur apud Deum causam agere naturalis & legitima doloris affectio & passio. Alij legunt,* assertio, *quasi dolor sibi vindicet & asserat in hac causa aliquam rationabilem excusationem.* PROPONENDVS, *ponendus ob oculos est locus Apostoli. Alij legunt,* Præponendus respectus denuntiationis, &c. *Plus tribuendum Apostolo sic renuntianti tristitiæ in hac causa, vel denuntianti non esse concipiendam tristitiam. 1. Thess. 4.* Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus *mortuis, vt de Lazaro Christus, Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno excitem eum, &c. tunc Iesus dixit eis manifestè: Lazarus mortuus est* vt non contristemini sicut & cæteri, *Tertull. Nationes dicit, id est Gentiles* qui spem non habent: *resurgendi.* Si enim credimus quod Iesus mortuus est & C resurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. *Aug. ser. 32. de verb. Apostoli:* Admonet nos B. Apostolus vt de dormientibus, hoc est mortuis charissimis nostris non contristemur sicut & cæteri qui spem non habent, spem scilicet resurrectionis & incorruptionis æternæ. Nam ideo & dormientes eos appellat scripturæ veracissima consuetudo, vt cum dormientes audimus, euigilaturos minimè desperemus. Vnde etiam cantatur in Psalmo, numquid qui dormit non adiiciet vt resurgat? &c. *Postea dicit naturaliter & nostram nos & nostrorum auersari mortem:* si animalia quæ ita creata sunt, vt suo quæque tempore moriantur, mortem fugiunt, diligunt vitam, quanto magis homo qui sic fuerat creatus, vt si viuere sine peccato voluisset, sine termino viueret? Hinc itaque necesse est vt tristes simus, quando nos moriendo deserunt quos amamus, quia etsi nouimus, eos non in æternum relinquere nos mansuros, sed aliquantùm præcedere secuturos; tamen mors ipsa quam natura refugit, cùm occupat dilectum, contristat in nobis ipsius dilectionis affectum. Ideò non admonuit Apostolus vt non contristemur; *absolutè prohibens om-* S. Aug.

B *nem tristitiam* sed non sicut cæteri qui spem non habent. Contristamur ergo nos in nostrorum mortibus, necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi. Inde angimur, hinc consolamur: inde infirmitas afficit, hinc fides reficit. Inde dolet humana conditio, hinc sanat diuina promissio, &c. *Et circa finem.* Permittantur itaque pia corda charorum de suorum mortibus contristari dolore sanabili, & consolabiles lachrymas fundant conditione mortali, quas citò reprimat fidei gaudium, quâ creduntur fideles, quando moriuntur, paululum à nobis abire, & ad meliora transire. Consolentur eos etiam fraterna obsequia, siue quæ funeribus exhibentur, siue quæ dolentibus adhibentur, ne sit iusta querela dicentium, Psalmo 68. sustinui *expectaui* qui simul contristaretur, & non fuit, & consolantes, & non inueni. *Idem Aug. ser. 33. in eundem locum Pauli:* potest non dolere cor humanum defuncto charissimo: melius tamen dolet & sanatur cor humanum, quàm non dolendo fit inhumanum. Maria Domino cohærebat, & mortuum fratrem dolebat. Sed quid miraris quia Maria dolebat tunc, cùm ipse Dominus flebat? &c. *Tum allato dicto loco Pauli concludit:* pereat contristatio, vbi tanta est consolatio: detergatur luctus ex animo, fides expellat dolorem: in tanta spe non decet esse triste templum Dei, ibi habitat bonus consolator, ibi qui non fallit promissor. VACAT, *frustra dolemus & impatientes sumus, nulla est causa dolendi.* DESIDERANDVS *vt redeat in resurrectione. Nec tamen optandus impatienter eius reditus.* MALE OMINATVR *signum est spem nostram non esse firmam, nec nos fideles esse. Vel dolore nimio testari nos, nec credere nec sperare post mortem resurrectionem.* CVPIO, &c. *Philipp. 1. 23.* Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo. VOTVM CHRISTIANORVM. *Paulus probat exemplo suo, longè melius optari à Christianis mortem, vt transitum ad Christum, quàm doleri & lugeri mortem amicorum.* S. Aug. S. Aug.

6. *Patientia nobisipsis debita, multomagis Deo nos affligenti, vt & malis vndecumque irruentibus. De pat. cap. 11. à p.*

SI verò quædam ipsi in nos, aut imprudentiâ, aut spontè etiam superducimus, æquè patienter obeamus quæ nobis imputamus. Quod si à Domino nonnulla credimus incuti, cui magis patientiam quàm Domino præbeamus? Quin insuper gratulari & gaudere

a Apoc. 3. 19. nos decet, dignatione diuinæ castigationis. [a] *Ego, inquit, quos diligo, castigo.* O seruum illum beatum, cuius emendationi Dominus instat: cui dignatur irasci: quem admonendi dissimulatione non decipit! Vndique igitur adstricti sumus officio patientiæ administrandæ. Quaquâ ex parte, aut erroribus nostris, aut Mali insidiis, aut admonitionibus Domini interuenit.

PATIENTIA IN QVIBVS. 6. SCHOL.

SVPERDVCIMVS, *si præter illata à proximis damna nobis ipsis alia, vel incautè, vel sponte inducimus.* NOBIS IMPVTAMVS, *culpâ nostrâ vel imprudentiâ euenisse fatemur.* A DOMINO NONNVLLA. *Immo, excepto peccato summo & vnico malo culpæ, omnia mala pœnæ iustâ Dei prouidentia & nutu accidere credendum est. Aug. lib. 2. qq. in Exodum q. 143. ex Exo. 32. 14.* S. Aug. Propitiatus est Dominus de malitia quàm dixit facere populo suo. Malitiam hîc pœnam intelligi voluit, sicuti est Sap. 3. 2 æstimata est malitia *vulgata, afflictio* exitus illorum. Secundùm hanc dicitur, bonum & malum à Deo, non secundùm malitiam quâ homines mali sunt; malus enim Deus non est: sed malis ingerit mala, quia iustus est. *Et to. 6. contra epistolam fundamenti cap. 38.* S. Aug. Quamuis sit malum corruptio, & quamuis non sit a conditore naturarum, sed ex eo sit, quod de nihilo factæ sunt: tamen etiam ipsa, illo regente & gubernante omnia quæ fecit, sic ordinata est, vt non noceat nisi naturis infirmis ad supplicium damnatorum, & exercitationem, admonitionemque redeuntium, vt inhærendo Deo incorruptibili, maneant incorrupti, quod vnum est bonum nostrum: sicut per Prophetam dicitur, mihi autem inhærere Deo bonum est, &c. Ita fecit corruptionem, vt possit corruptioni eum dare, qui corrumpi meruit; id est, qui seipsum cœperit peccando corrumpere, vt cruciantem sentiat corruptionem inuitus, qui blandientem illicita oblectatione concupiscentiam volens commisit. Non enim in veteri Testamento tantum scriptum est Esa. 45. 7. Ego facio bona & condo mala: sed euidentius in nouo vbi Dominus dicit Matth. 10. 28. nolite timere, &c. Sed eum timete qui cùm corpus occiderit, &c. voluntariæ autem corruptioni, addi iudicio diuino pœnalem corruptionem; manifestissimè Paulus Apostolus attestatur cum dicit. 1. Cor. 3. templum Dei sanctum est quod estis vos: quisquis templum Dei S. Aug. corruperit, corrumpet eum Deus. *Et lib. 5. de Ciuit. cap. 10. circa finem*, quidquid præter suam voluntatem patitur homo, non debet tribuere humanis vel angelicis, vel cuiusquam creati spiritus voluntatibus, sed eius potiùs qui dat potestatem volentibus. PRÆBEAMVS, *offeramus quasi sacrificium gratissimum.* GAVDERE. *Sic Iac. 1.* Omne gaudium existimate fratres mei cùm in tentationes varias incideritis. DIGNATIONE, *ob dignationem, quòd dignetur nos castigare; quòd nos castigando honoret dignitate filiorum.* QVOS DILIGO. *Apoc. 3. 19.* Collyrio inunge oculos tuos vt videas. Ego quos amo arguo & castigo. *Vt* A *sit ipsa pœna collyrium culpæ, dicente Gregorio:* oculos quos culpa claudit, pœna aperit. *Vt se videat & agnoscat ex flagellis filium. Hebr. 12. 5.* Obliti estis consolationis, *Syr. doctrinæ illius* quæ vobis tanquam filiis loquitur dicens; *Prou. 3. 12.* Fili mi noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris *Syr. contristeris animo* dum ab eo argueris; quē enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. *Syr. filios illos quibus benè vult* in disciplina perseuerate. Tanquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius quem non corripit pater? quod si extra disciplinam estis, *Syr. si absque vlla castigatione estis* cuius participes facti sunt omnes: ergo adulteri, *Syr. extranei* & non filij estis. NON DECIPIT *quia incautos subita ira occipat, quos in hoc mundo non castigat. Pulchrè Aug. inter dona Dei, flagella recenset. Ep. 87. ad* B *Fœlicitatem, & Rusticum:* Quid non misericorditer S. Aug. præstatur hominibus à Domino Deo? à quo etiam tribulatio beneficium est. Nam res prospera donum est consolantis, res autem aduersa, donum est admonentis Dei. *Et epist. 133. ad Italicam, sic animat ad ferenda patienter à Deo illata:* S. Aug. omnes nos Dominus consolatur, qui & hæc temporalia mala prædixit, & post hæc bona æterna promisit. Nec debet cùm præliatur infringi qui vult post prælium coronari, vires illo subministrante certantibus, qui præparat ineffabilia dona victoribus. ADMINISTRANDÆ, *exercenda*, ERRORIBVS, *ignorantia, vel malitia procuratis.* MALI, *diaboli.* ADMONITIONIBVS, *Dei flagellis quibus monemur. Concludamus hunc de patientia tractatum eximio D. Aug. loco, lib. de Patientia c. 2.* C S. Aug. Patientia hominis quæ recta est, atque laudabilis, & vocabulo digna virtutis, ea perhibetur, quâ æquo animo, mala toleramus, nec iniquo animo bona deseramus, per quæ ad meliora perueniamus. Quapropter impatientes dum mala pati nolunt, non efficiunt vt a malis eruantur, sed vt mala grauiora patiantur: patientes autem, qui mala malunt non committendo ferre, quam non ferendo committere, & leuiora faciunt quæ per patientiam patiuntur, & peiora euadunt, quibus per impatientiam mergerentur; Bona verò æterna & magna non perdunt, dum malis temporalibus, breuibusque non cedunt; quoniam non sunt condignæ passiones huius temporis, sicut Beatus Apostolus dicit, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. 2. Cor. 4. 17. & iterum ait, quod est temporale leue tribulationis nostræ, in incredibilem modum, æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.

PAVLVS GENTIVM APOSTOLVS.

PAVLI CONVERSIO.

1. Paulus Apostolus Creatoris, in Beniamin & Saule prædictus. 5. cont. Marc. cap. 1. in m.

a Gen. 49. 27. MIhi Paulum etiam Genesis olim repromisit. Inter illas enim figuras & propheticas super filios suos benedictiones, Iacob quum ad Benjamin direxisset, [a] *Benjamin,* inquit, *lupus rapax, ad matutinum comedet adhuc, & ad vesperam dabit escam.* Ex tribu enim Benjamin oriturum Paulum prouidebat, lupum rapacem, ad matutinum comedentem, id est, prima ætate vastaturum pecora Domini, vt persecutorem Ecclesiarum; dehinc ad vesperam escam daturum, id est, deuergente iam ætate oues Christi educaturum, vt

doctorem Nationum. Nam & Saülis primò asperitas insectationis erga Dauid, dehinc 1. Reg. 18.
pœnitentia & satisfactio, bona pro malis recipientis; non aliud portendebat quàm Pau- 9. & 11. &
lum in Saüle, secundùm tribus; & Iesum in Dauid, secundùm virginis censum. Hæc fi- 19. 1. & 2.
gurarum sacramenta si tibi displicent, certè Acta Apostolorum hunc mihi ordinem Pauli & 20. 33.
tradiderunt, à te quoque non negandum. Inde Apostolum ostendo persecutorem, [b] *non* & 23. 23.
ab hominibus, neque per hominem; inde & ipsi credere inducor; inde te à defensione eius & 24. 3.
expello, nec timeo dicentem; Tu ergo negas Apostolum Paulum? non blasphemo quem & 17. 18.
tueor: Nego, vt te probare compellam. Nego, vt meum esse conuincam. Aut si ad no- Act. 9. 1.
stram fidem spectas, recipe quæ eam faciunt. Si ad tuam prouocas, ede quæ eam præ- 5. & seq.
struunt. Aut proba esse, quæ credis; aut si non probas, quomodo credis? Aut qualis es, b Gal. 1. 1.
aduersus eum credens, à quo solo probatur esse, quod credis? Habe nunc & Apostolum de meo, sicut & Christum; tam meum Apostolum, quàm & Christum.

PAVLVS APOSTOLVS GENTIVM.

PAVLI CONVERSIO. 1. SCHOL.

MIHI PAVLVS. *Contra Marcionem, sibi, & Deo suo noua, & Christo subitò de cœlo lapso, arrogantem Paulum, probat, cum non alterius quam Dei Creatoris esse Apostolum; quem iam longè ante Iacob prædixerat benedicens Benjamin.* DIREXISSET, *mentem ad Paulum vt scopum figuræ conuertisset.* BENIAMIN. *Gen.* 49. 27. Benjamin lupus rapax manè comedet prædam, & vespere diuidet spolia. 70. *paulo aliter:* manè comedet adhuc, & ad vesperam dat escam. DEVERGENTE, *procedente ætate.* NATIONVM, *Gentium. Præter relata in Breuiario Romano in festo Conuersionis Pauli, accipe in hanc rem, Aug. in Psal.* 67. Ibi Benjamin adolescentior in ecstasi. (S. Aug.) *Vulgata, adolescentulus in mentis excessu* ibi Paulus nouissimus Apostolorum, qui dicit Philipp. 3. nam & ego Israëlita sum, ex semine Abraham, de tribu Benjamin. Sed planè in ecstasi, expauescentibus omnibus tam magnum in eius vocatione miraculum. Ecstasis namque est mentis excessus, quod aliquando pauore contingit, nonnumquam verò per aliquam reuelationem, & alienationem mentis à sensibus corporis, vt spiritui quod demonstrandum est, demonstretur. Vnde intelligi etiam sic potest, quod hic positum est in ecstasi; quia cum ei persecutori dictum esset de cœlo, Saule Saule quid me persequeris? Adempto lumine oculorum carnalium, respondebat Domino, quem spiritu videbat: qui autem cum illo erant, vocem respondentis audiebant, neminem autem videntes cui loqueretur. PŒNITENTIA. *Cum enim David in spelunca oram clamydis Saül præcidisset, & ei ostendisset, tum Saül 1. Reg.* 24. 17. Numquid vox hæc tua est fili mi Dauid? & leuauit Saül vocem suam, & fleuit: dixitque ad Dauid: iustior tu es quam ego: Tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala. Et tu indicasti hodie, quæ feceris mihi bona: quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me. SECVNDVM TRIBVS. *Vterque enim, tam Saül, quam Paulus, siue Saulus, erat de tribu Benjamin.* IESVM IN DAVID. *In figura David Iesum Christum iam tum Paulus in Saule persequebatur.* VIRGINIS CENSVM. *Secundùm originem: quia Virgo erat de stirpe Dauid, de qua Esaias:* Egredietur virga de radice Iesse, *qui fuit Pater David. Aug. ser. 9. de ver. Apostoli cap. 6.* (S. Aug.) Attenditis Paulum, obliti estis Saulum: Attenditis ad Pastorem, obliti estis lupum. Nonne ille est, cui ad lapidandum Stephanum manus vna non sufficiebat, sed & aliorum vestimenta seruabat? Nonne ipse est qui Ecclesiam vbique persequebatur? nonne ipse est qui literas acceperat à Principibus Sacerdotum? quia parum illi erat persequi Christianos qui erant in Ierusalem; sed volebat ad alia loca venire, vbi eos inueniret & ligaret, & puniendos adduceret? Nonne cum iter agens spirat, & anhelat ad cædes, de cœlo percussus est, & vocem Domini audiuit, ad salutem fulminatus? *ex Simone Maiolo, quædam fulmina innoxia, serpentis saluâ substantiâ; solum venenum tollunt. Talis Paulus, quo & à vipera illæso, serpentes inde Mileti veneno caruerunt.* Dum ambulat, prosternitur; vt videat, excæcatur. *Cap. autem 7. eiusdem sermonis sic comparat Sauli.* (S. Aug.) Saulus vnde vocaretur, credo quia recolitis; & propter eos qui non recolunt, commemorem. Saül erat ille persecutor Dauid. In Dauid Christus erat, in Dauid Christus præfigurabatur; in Saüle, Saulus præfigurabatur: tanquam à Dauid, Saüli dictum est de cœlo, Saule Saule, quid me persequeris? *Cui addo expressa verba David ad Saulem. 1. Reg.* 24. 15. Quem persequeris Rex Israël. *Siue vt habent 70,* Et nunc post quem tu egrederis Rex Israël? post quem persequeris tu? SACRAMENTA, *mysteria figurantia, si non recipis, Marcion, quia respuis vetus Testamentum, admittis tamen Acta Apostolorum, in quibus hæc ipsa referuntur.* ORDINEM. *Pauli originem & seriem vitæ eius.* NON AB HOMINIBVS. *Gal.* 1. 1. Paulus Apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitauit eum à mortuis. *Et versu* 11. Notum enim vobis facio, fratres, Euangelium quod Euangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi. *Aug. in Psal. 42. vbi de Psalterio & cithara:* (S. Aug.) quando dicebat Apostolus Euangelizare se, & prædicare Euangelium toto orbe terrarum ex præcepto Dei, quia illud Euangelium se non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum accepisse dicebat, desuper sonabant chordæ: *Psalterium enim ex superiori parte resonat, vt cythara corpus significans sonat ex inferiori* cum verò dicebat Rom. 5. gloriamur in tribulationibus, scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem: cythara sonabat ex inferiore quidem, sed tamen dulciter; omnis enim patientia dulcis est Deo. Si autem in ipsis tribulationibus defeceris, citharam fregisti. *Et tunc iuxta Iob,* conuersa est in luctum cithara tua & organum tuum in vocem flentium. A DEFENSIONE EIVS. *Qua eum tibi defendis, id est tibi arrogas & hæresi tuæ Apostolum Paulum, excludo te.* NEGO, *non simpliciter, Paulum Apostolum Christi, sed tui Christi, tui Dei noui nego Apostolum, vt obligem te probare.* SI AD FIDEM NOSTRAM. *Si fidelis verè & Catholicus es; recipe totam scripturam veterem, & nouam, in qua omnia fidei nostræ mysteria continentur.* PROVOCAS. *Si vis me deserta fide mea ad tuam vocare, si ad fidei tuæ regulam compellis meam examinari.* EDE, &c. *tuum est producere in me-*

dium authenticat scripturas, Prophetias, miracula, quibus vt fundamentis præstrui debet fides. ADVERSVS EVM. *Contra Deum verum, à quo solo, quis meus est, & scriptura vetus & noua, & Christus, & Apostolus & Sacramenta, & omnia sunt producta; quæ & vtique mea sunt, & ad solam meam fidem veram pertinent.*

a 1. Cor. 9. 1. — 2. *Paulus Christum vidit post eius ascensionem, dum iret Damascum. Contra Prax. cap. 15. à m.*

b Rom. 9. 5. HVnc & Paulus conspexit, nec tamen patrem vidit. [a] *Nonne*, inquit, *vidi Iesum?*
Christum autem & ipse Deum cognominauit, [b] *Quorum Patres, & ex quibus Chri-*
c 1. Tim. 6.16. *stus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in æuum.* Ostendit & ipse visibilem
d Ibid. 17. Dei filium, id est Sermonem Dei; quia qui caro factus est, Christus dictus est. De patre
e 1. Tim. 1. 17. autem ad Timotheum, [c] *Quem nemo vidit hominum, sed nec videre potest.* Exaggerans amplius, [d] *Qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem.* De quo & suprà di-
f 1. Cor. 15. 3. xerat, [e] *Regi autem seculorum, immortali, inuisibili, soli Deo*: vt & contraria ipsi filio adscriberemus, mortalitatem, accessibilitatem: [f] *quem mortuum contestatur secundùm scripturas;*
1. Cor. 15. 16. *& à se nouissimè visum*, per accessibilem vtique lucem: quamquam & illam neque ipse sine
Act. 9. 8. periculo luminis expertus est, neque Petrus & Ioannes & Iacobus sine rationis & amen-
Luc. 9. 33. tia: qui si non passuri filij gloriam, sed patrem vidissent, credo morituri ibidem. [g] *Deum*
g Exo. 33. 20. *enim nemo videbit, & viuet.*

PAVLI CONVERSIO. 2. SCHOL.

HVNC, *Christum.* NEC TAMEN PATREM. *Agit contra Praxeam & Patripassianos, qui personas diuinas confundebant; & probat distinctas; quia Paulus Christum filium Dei vidisse se dicit. 1. Cor. 9. 1.* Non sum liber? non sum Apostolus? nonne Christum Iesum Dominum nostrum vidi? *hunc locum citat Aug. libro de opere Monachorum cap. 4.* (S. Aug.) Vide quemadmodum primò ostendat quod sibi liceat, *supple viuere de Euangelio, & vti ministerio Diaconissarum*, & ideo liceat, quoniam Apostolus est. Inde enim cœpit: non sum liber? non sum Apostolus? & probat se Apostolum dicens, nonne Iesum Christum Dominum nostrum vidi? quo probato ostendit sibi licere quod cæteris Apostolis, &c. QVORVM PATRES. *Rom. 9. 5. quem locum Aug. adducit lib. 16. cont. Faustum cap. 15. in m.* (S. Aug.) Dissimilis homini Christus, quia Deus: scriptum est enim de illo, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula: & similis homini Christus, quia homo, quia de illo itidem scriptum est. 1. Tim. Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Dissimilis peccatori Christus, quia semper Sanctus: & similis peccatori Christus, quia Deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne. Homini ex coitu nato dissimilis Christus, in quantum ex virgine natus est: sed homini nato similis Christus, in quantum & ipse ex fœmina natus est; cui dictum est; quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei. Homini propter peccatum suum mortuo dissimilis Christus, in quantum sine peccato, & propria potestate mortuus est: sed rursus homini mortuo similis Christus, in quantum & ipse vera morte corporis mortuus est. *Vnum miror, excidisse Augustino similitudinem ipso loco Pauli contentam, dum ait, vbi de Israëlitis & semine Abrahæ,* quorum Patres & ex quibus Christus secundùm carnem. *Quem sic breuiter exponit libro 2. de Trinit. cap. 13. vbi de Angelo, de rubo loquente Moysi.* Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham & Deus Isaac, & Deus Iacob: & hîc primò Angelus Domini dictus est. *Sic enim Exo. 3. 2. apparuit illi Angelus Domini in flamma ignis de rubo* deinde Deus. (S. Aug.) Numquid ergo Angelus est Deus Abraham & Deus Isaac? &c. Potest ergo rectè intelligi ipse Saluator, de quo dicit Apostolus; quorum Patres, & ex quibus Christus, &c. qui ergo super omnia est benedictus in sæcula, non absurdè etiam hîc ipse intelligitur Deus Abraham, & Isaac, & Deus Iacob. SERMONEM. *Io. 1.* Verbum caro factum est. QVEM NEMO. 1. *Tim.* 6. 16. Rex Regum & Dominus dominantium: qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem. Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest. SVPRA DIXERAT. 1. *Tim.* 1. 17. Regi autem sæculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria. MORTVVM CONTESTATVR. 1. *Cor.* 15. 3. Tradidi enim vobis in primis quod & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas, &c. NOVISSIME VISVM. *Ibidem cum dixisset visum Cephæ, vndecim, plusquam quingentis fratribus simul, deinde Iacobo, deinde Apostolis omnibus, sic de se versu 8.* Nouissimè autem omnium tanquam abortiuo, *vt Beniamin Matrem nascendo extinxit, sic ille Synagogam; vel quia numero Senatus Apostolici super additus est. Et se Apostolum probat, licet nouissimum; tam ex libertate vera, quâ à filio Dei liberatus à seruitute peccati & legis, quam ex apparitione Dominica* visus est & mihi. Ego enim sum minimus Apostolorum, &c. ACCESSIBILEM LVCEM. *Act.* 9. 3. Subitò circumfulsit eum lux de cœlo, &c. *Et ibid. versu 17. sic Ananias:* Saule frater Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via qua veniebas, &c. PERICVLO LVMINIS. *Ibidem versu. 9.* Erat ibi tribus diebus nihil videns. AMENTIA, *ecstasi, vel quia Petrus nesciebat quid diceret.* PASSVRI. *crucifigendi. Vnde in transfiguratione*, dicebant excessum quem completurus erat in Ierusalem. MORITVRI. *Tres Apostoli, cum & Manue, viso Angelo, exclamarit;* moriemur, vidimus Dominum: *& Moysi Deum petenti videre faciem Exodi 33. 20.* Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & viuet,

3. *Paulus solus ex Apostolis baptismo Christi baptizatus. De bapt. cap. 12. in p.*

QVum verò præscribitur, nemini sine baptismo competere salutem, ex illa maximè
a Io. 3. 5. pronuntiatione Domini, qui ait: [a] *Nisi natus ex aqua quis erit, non habet vitam*, suboriuntur scrupulosi, immo temerarij retractatus quorundam, quomodo ex ista præscriptione Apostolis salus competat, quos tinctos non inuenimus in Domino, præter Paulum,

lum. Immò cùm Paulus solus ex illis baptismum Christi induerit, aut præiudicatum esse de cæterorum periculo, qui careant aquâ Christi, vt præscriptio salua sit, aut rescindi præscriptionem, si etiam non tinctis salus statuta est. Act.9.5.

4. Paulus citò baptizatus ob prærogatiuam vocationis. De bapt. cap. 18. in med.

PAulus reuerà citò tinctus est. Citò enim cognouerat Simon hospes vas eum esse electionis constitutum. Dei dignatio, suas præmittit prærogatiuas. Act.9.6. 15.

PAVLI CONVERSIO. 3. & 4. SCHOL.

NISI NATVS. *Habes alibi hunc locum expositum, & textum etiam Tertulliani tractatu de Baptismo. Io. 3. 5* Nisi quis renatus, *Syr. genitus*, fuerit ex aquâ & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. RETRACTATVS. *Frequens vox Authori, tractatus, vel hoc loco significat tractatus dubios; quasi dubia sit salus Apostolorum, qui non leguntur, saltem in Scriptura sacra, baptizati Christi baptismo.* TINCTOS, *baptizatos.* PRÆTER PAVLVM. *de quo expressè legitur Act. 9. 18.* Confestim ceciderunt ab oculis eius tanquam squammæ, & visum recepit, & surgens baptizatus est. INDVERIT. *Pulchrè iuxta Pauli idioma, soliti, vt alibi iam diximus, vocare baptismum indumentum; quo de facto, Christi sanguinis tincturam & synthesim, nobis imponimus.* Induimini Dominum Iesum; Christum induistis. CAREANT AQVA, *baptismo Christi* RESCINDI PRÆSCRIPTIONEM. *Sensus est: si baptismus Christi, absolutè necessarius est ad salutem, & necessitate, vt ait Schola, medij, aut præscriptio & mandatum illud suscipiendi rescindendum est vt nullum, si etiam absque illo Apostoli salui facti sunt, aut si sic saluari non possunt, absoluta necessitas est baptismi, & nec ipsi Apostoli sine illo saluari potuerunt.*

4. CITO TINCTVS, *baptizatus est Paulus sine præuia pœnitentia Catechumenorum, & multa instructione, quod, ait, Paulo concessum ex speciali priuilegio, & prærogatiua vocationis.* SIMON HOSPES. *Hic lapsus est memoriæ Tertulliani, qui hospitem Diui Petri sumpsit pro hospite Diui Pauli, vt apertè patet ex textu. Actorum enim 9. 43. post suscitatam à Petro Tabitham in Ioppe:* Factum est autem vt dies multos moraretur in Ioppê, *idem scilicet Petrus, vt legenti contextum liquet,* apud Simonem quemdam coriarium. *De quo rursum cap. 10. 6. vbi de Cornelij Centurionis conuersione, Angelus dixit ei:* Et nunc mitte viros in Ioppem, & accersi Simonem quemdam qui cognominatur Petrus: qui hospitabatur apud Simonem quemdam coriarium, cuius est domus iuxta mare. *Quod & Petro repetit ipse* A *Cornelius ibidem versu 32. De Pauli autem hospite, sic Actorum 9. 10.* Ecce autem quidam discipulus Damasci, *non Ioppe*, nomine Ananias: & dixit ad illum in visu Dominus: Anania: at ille ait: Ecce ego Domine: Et Dominus ad eum: surge, & vade in vicum qui vocatur rectus: & quære in domo Iudæ, *non Simonis*, Saulum nomine Tarsensem: Ecce enim orat, &c. & abiit Ananias, & introiuit in domum, & imponens ei manus dixit: Saule frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via quâ veniebas, vt videas, & implearis Spiritu sancto. COGNOVERAT VAS. *Et alter hic lapsus, ex primo ortus. Neque enim Simon Coriarius, sed nec verus hospes Sauli Iudas ille, sed solus Ananias in visu, antequam veniret ad eius hospitium, Christo reuelante audierat Actorum 9. 15.* Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, &c. B *De eius baptismo August. ser. 9. de verb. Apostoli cap. 7.* Ananiæ loquebatur ipse Dominus Christus, iam illo prostrato, iam erecto: & dicebat ei, vade ad vicum illum, ibi inuenies Saulum à Tharsis Ciliciæ, loquere ei. Quoniam vidit virum Ananiam intrantem ad se, & baptizantem se. *Quod vas electionis: idem Aug. ser. 11. de ver. Domini, vbi de vasis fortis direptis.* In domo Diaboli, vasa Diaboli quomodo ab illo possent erui, quos præualente iniquitate fortiter obobtinebat, nisi alligaretur iustitiæ meæ vinculis, & vasa eius eriperem quæ fuerant vasa iræ, & ea facerem vasa misericordiæ? hoc est quod etiam B. Apostolus, superbis, & quasi de suis meritis gloriantibus increpans dicit, 1. Cor. 4. quis enim te discernit? hoc est à massa perditionis ex Adam, & à vasis C iræ quis te discernit? & ne quisquam diceret, iustitia mea. Quid enim habes, inquit, quod non accepisti? vnde & de seipso dicit: Ephes. 2. fuimus enim & nos aliquando naturaliter filij iræ, sicut & cæteri. Ergo & ipse vas erat in domo illius malè fortis, cùm esset Ecclesiæ persecutor, blasphemus, iniuriosus, in malitiâ inuidiâ sicut fatetur, agens, Sed ille qui alligauit fortem, ab eo vas perditionis eripuit, & vas electionis effecit.

S. Aug.

S. Aug.

5. Paulus primus persecutor, conuersus ad ferendam persecutionem.
Scorp. cap. 13. per totum.

PAulus verò Apostolus, de persecutore, qui primus Ecclesiæ sanguinem fudit, posteà gladium stilo mutans, & conuertens machæram in aratrum; lupus rapax Beniamin, dehinc ipse adferens escam, secundum Iacob, qualiter martyria, iam & sibi optabilia, commendat: quum Thessalonicensibus gaudens, [a] *Vti*, inquit, *gloriemur in vobis in Ecclesiis Dei pro tolerantia vestra & fide, in omnibus persecutionibus & pressuris, quibus sustinetis ostentamen iusti iudicij Dei, vt digni habeamini regno eius, pro quo & patimini.* Sicut & ad Romanos, [b] *Non solùm autem, verùm etiam exultantes in pressuris; certi quod pressura tolerantiam perficit, tolerantia verò probationem, probatio autem spem, spes verò non confundit.* Et rursus: [c] *Quòd si filij, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes verò Christi: siquidem compatimur, vti & cum illo glorificemur. Reputo enim passiones huius temporis non esse dignas ad gloriam, quæ in nobis reuelabitur.* Et ideò postmodum, [d] *Quis*, inquit, *separabit nos à dilectione Christi? pressura, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an machæra? secundum quod scriptum est. Tui causâ mortificamur totâ die, deputati sumus vt pecora iugulationis: sed in omnibus istis*

Act. 9. 1. 5. & seq
Esa. 2. 4.
Gen. 49. 27.
a 2. Thess. 1. 4.
b Rom. 5. 3.
c Rom. 8. 17.
d Rom. 8. 35.
Ps. 43. 22.

superuincimus pro eo qui nos dilexit. Persuasum enim habemus, quòd neque mors, neque vita, neque virtus, neque sublimitas, neque profundum, neque alia conditio poterit nos à dilectione Dei separare, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Sed & Corinthiis passiones suas enumerans, patiendum vtrique præfiniuit. [e] *In laboribus abundantiùs, in carceribus plurimùm, in mortibus sæpiùs; à Iudæis quinquies quadragenas citra vnam accepi, ter virgis cæsus, semel lapidatus*, & reliqua. Quæ si magis incommoda quàm martyria videbuntur; tamen rursus, [f] *Propter quod*, inquit, *bene duco in infirmitatibus, in iniuriis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* Etiam in superioribus, [g] *Qui in omnibus tribulemur, sed non coangustemur; & indigeamus, sed non perindigeamus; quoniam persecutionibus agitemur, sed non derelinquamur; qui deiiciamur, sed non pereamus: semper mortificationem Christi Iesu in corpore nostro circumferentes. Sed etsi*, inquit, [h] *exterior homo noster vitiatur*, caro scilicet, vi persecutionum; *sed interior renouatur die & die*, anima scilicet, spe promissionum. *Nam quod ad præsens, temporale & leue pressura nostra, per supergressum in supergressum æternum pondus gloriæ perficit nobis, non intuentibus quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia*, de incommodis dicens, *quæ verò non videntur, æterna*, de præmiis spondens. [*] Thessalonicensibus verò de vinculis scribens, vtique [i] *Beatos adfirmauit, quibus donatum esset non tantùm credere in Christum, sed etiam pro ipso pati. Eundem*, inquit, *agonem habentes quem in me vidistis, & nunc audistis.* [k] *Nam & si libor super sacrificium, gaudeo & congaudeo omnibus vobis, perinde & vos gaudete & congaudete mihi.* Vides quàm martyrij definiat felicitatem, cui de gaudio mutuo acquirit solemnitatem. vt proximus denique voti sui factus est, qualiter de prospectu eius exultans Timotheo scribit? [l] *Ego enim iam libor, & tempus diiunctionis instat. agonem bonum decertaui, cursum consummaui, fidem custodiui; superest corona, quam mihi Dominus illa die reddet*, scilicet passionis, Satis & ipse suprà allocutus, [m] *Fidelis sermo. si enim commortui sumus Christo, & conuiuemus; si sufferimus, & conregnabimus, si negauerimus, & ille nos negabit, si non credimus, ille fidelis est, negare se non potest. Ne ergo confundaris martyrio Domini nostri, neque me vinctum eius*; quia prædixerat, [n] *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis & sanæ mentis.* Virtute enim patimur ex dilectione in Deum, & sanâ mente, quum ob innocentiam patimur. Sed & sicubi tolerantiam præcipit, quibus magis eam quàm passionibus prospicit? sicubi ab idololatria diuellit, quid ei magis quàm martyria præuellit?

e 2. Cor. 11.23. f 2. Cor. 12.10. g 2. Cor. 4.8. h Ibid. 16. & seq. i Phil. 1. 29. & 30. k Phil. 2. 17. l 2. Tim. 4.6. m 2. Tim 2.11. 12. n 2. Tim. 1.7.

PAVLI CONVERSIO. 5. SCHOL.

PRIMVS SANGVINEM, &c. *Non prima fuit Ecclesiæ persecutio absolutè loquendo. Nam Actorum 3. 41* Ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. *Verumtamen est primùm fusum esse sanguinem Stephani, lapidantium manibus. Actorum 7: 57.* Testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis qui vocabatur Saulus, & lapidabant Stephanum. *Et cap. 9. 1.* Saulus adhuc spirans minarum & cædis in discipulos, &c. GLADIVM STILO. *vt scriberet, & doceret Ecclesiam, qui eam gladio oppugnabat*, MACHÆRAM IN ARATRVM. *Esa. 2. 4.* Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium. *70. verò*, Contundent gladios suos in aratra, &c. LVPVS RAPAX. *Vide dicta n. 1.* SECVNDVM IACOB, *iuxta prophetiam Iacob de Beniamin. Aug. ser. 9. de verb. Apost.* S. Aug. Ananias, ouis interpretatur; loquebatur oui pastor, & timebat ouis lupum. Tanta huius lupi fama præcesserat, vt non se putaret tutam ouis, nec inter manus pastoris, &c. Ille enim cùm audisset hoc, dixit, Domine, audiui de isto homine, quanta mala fecit sanctis tuis, &c. quò me mittis ouem ad lupũ? sed ille non audiuit hanc excusationem: iam enim dixerat paucis ouiculis suis, Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Si missæ sunt oues in medio luporum, quare trepidas ire, Anania, ad eum qui iam non est lupus? lupum timebas, sed respondet tibi Dominus Deus tuus, De lupo ouem feci, facio de oue pastorem. *Et ser. 14. de Sanctis, qui est in Conuers. Pauli:* S. Aug. Ecce lupus rapax adducitur ad ouem sequendam, non rapiendam, &c. Mira & magna res geritur, lupo sæuitia interdicitur, lupus ad ouem captiuus ducitur, &c. Ab A agno pro ouibus mortuo, fit ouis secura de lupo. Ego, inquit, illi ostendã quanta illum oporteat pati pro nomine meo. Vbi terror, ibi salus, quod faciebat cõtra nomen pastoris, patitur pro nomine pastoris. *Idem Aug. hom. 14. inter 50.* S. Aug. Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras, Occidũt ibi peccata, ortus inde iustitia; in Occidẽte vetus, in Oriente nouus: in Occidente Saulus, in Oriente Paulus. Vnde hoc Saulo? vnde hoc crudeli? vnde hoc persecutori? vnde hoc non pastori? Ipse est enim lupus rapax de tribu Beniamin. sed adhuc manè est. Vanitas sub Sole est. Fit ei vespera quando cæcitate percutitur. Ecce vnus homo, Saulus & Paulus, persecutor in Occidẽte, prædicator in Oriente, oculi eius ad huius mundi vanitatem clauduntur, alij interiores illuminantur. Priùs consumpsit, posteriùs pascit. A quo patiebatur Christus, patitur pro B Christo: qui spargebat colligit, qui oppugnabat, defendit. *Tandem ser. 1. de Petro & Paulo idem S. Doctor ad scopum totius textus huius Tertull.* S. Aug. Patitur Paulus, quod fecerat Saulus. Saulus lapidauit, Paulus lapidatus est. Saulus Christianos virgis affecit, Paulus ter virgis cæsus est. Saulus persecutus est, vinxit, traxit in carcerem. Eadem Paulus pro Christo passus est. *Et ser. 14. de Sanctis.* S. Aug. Sed quo fine? ipsum qui patiebatur, audite. Roman. 8 Non sunt condignæ passiones, &c. Appendo quod patior, contra id quod spero: hoc sentio, illud credo: & tamen plus est quod credo, quàm quod sentio; quidquid est quod sæuit pro nomine Christi, si potest vinci tolerabile est; si non potest vinci, migrare hinc facit. Non extinguit, sed accelerat ipsum præmium, ipsam dulcedinẽ, quæ cùm venerit, sine fine erit: opus

cum fine, merces sine fine. THESSALONICENSIBVS, 2. *Thess.* 1. 4. Abundat charitas vniuscuiusque vestrûm in inuicem: ita vt & nosipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra & fide, & in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus, *Syr. oppreßionibus*, quas sustinetis. In exemplum, *Syr. ad demonstrationem*, iusti iudicij Dei, vt digni habeamini in regno Dei, *Syr. illo regno Dei*, pro quo & patimini. AD ROMANOS. *Rom. c.* 2. Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus: *Syr. oppreßionibus*, scientes quòd tribulatio patientiam operatur; *Syr. in nobis perficiat*, patientia autem probationem, &c. RVRSVS. *Rom.* 8. 17. Si autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes, &c. *Syr. filij autem hæreditatis*, si tamen compatimur, vt & conglorificemur. *Syr.* etiam cum eo glorificabimur. REPVTO ENIM. *ibid. vers.* 18. Existimo enim quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. POSTMODVM, *scilicet vers.* 35 Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? *Syr. à dilectione Meschicho? oppreßio? &c.* MACHÆRA? *Vulg.* An gladius? sicut scriptum est: quia propter te mortificamur totâ die: æstimati sumus sicut oues occisionis: sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. *Syr. in his omnibus victoria, patimur per eum qui dilexit nos.* certus sum enim, *Syr. persuasum enim habeo*, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro. ALIA CONDITIO. *res condita, alia creatura. Aug. hunc locum Pauli bellè explicat lib.* 1. *de morib. Eccl. c.* 11. singula breuiter attendamus. Nemo nos inde separat, minando mortem;

S. Aug. idipsum enim quod diligimus Deum mori non potest, nisi dum non diligit Deum; cùm mors ipsa sit non diligere Deum; quod nihil est aliud, quàm ei quidquam in diligendo atque sequendo præponere. Nemo inde separat pollicendo vitam; nemo enim ab ipso fonte separat pollicendo aquam. Non separat Angelus, non enim est Angelus, cùm inhæremus Deo, nostrâ mente potentior. Non separat virtus; nam si virtus hîc illa nominata est quæ aliquam potestatem in hoc mundo habet, toto mundo est omninò sublimior mens inhærens Deo: sin virtus illa dicta est, quæ ipsius animi nostri rectissima affectio est, si in alio est, fauet vt coniungamur Deo: si in nobis est, ipsa coniungit. Non separant instantes molestiæ: hoc enim leuiores eas sentimus, quò ei vnde nos separare moliuntur, arctiùs inhæremus. Non separat promissio futurorum; nam & quidquid boni futurum est, certiùs promittit Deus; & nihil est ipso Deo melius, qui iam profectò benè sibi inhærentibus præsens est. Non separat altitudo neque profundum; etenim si hæc verba scientiæ fortè altitudinem vel profunditatem significant, non ero curiosus, ne seiungar à Deo; nec cuiusquam doctrina me ab eo separat, vt quasi depellat errorem, à quo nemo prorsus nisi separatus erraret Si verò altitudine & profundo, superna & inferna huius mundi significantur: quis mihi cœlum polliceatur, vt à cœli fabricatore seiungar? aut quis terreat infernus, vt Deum deseram, quem si nunquam deseruissem, inferna nescirem? Postremò quis me locus ab eius charitate diuelleret, qui non vbique totus esset, si vllo contineretur loco? Non, inquit, separat alia creatura. O Altissimorum mysteriorum virum! non fuit contentus dicere, creatura, sed alia, inquit, creatura, admonens, etiam idipsum quo diligimus Deum, & quo inhæremus Deo, id est animum atque mentem,

A creaturam esse, &c. Non igitur separat nos alia creatura, *rationalis vel corporalis*, siquidem & nosipsi creatura sumus, à charitate Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro. PRÆFINIVIT. *id. trahit in sensum suum contra Gnosticos à Martyrio auertentes; quasi Paulus verbo & exemplo suo prædefinierit & præscripserit, martyrium subeundum.* IN LABORIBVS, 1. *Cor.* 11. 23. In laboribus plurimis *Syr. in labore plusquam illi, &c.* In carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, &c. PROPTER QVOD. 2. *Cor.* 12. 10. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo: cùm enim infirmor, tunc potens sum. IN SVPERIORIBVS. 2. *Cor.* 4 8. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur:

B aporiamur, *ad summam angustiam & indigentiam redigimur*, sed non destituimur: *Syr. cæterùm per omnia premimur, at non suffocamur: corripimur, at non condemnamur*, persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deiicimur, sed non perimus, SED ETSI. *Ibid. vers.* 16. Sed licèt is qui foris est noster homo, *corpus*, corrumpatur: tamen is qui intus est, renouatur de die in diem Id enim quod in præsenti est, momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt. THESSALONICENSIBVS. *Alterhîc memoriæ lapsus. Neque enim in vinculis aliquam scripsit è duabus ad Thess. vt subiicit Author* de vinculis scri-

C bens: *verba porrò quæ hîc affert ex Paulo, deprompsit ex epist. ad Philip.* BEATOS, &c. *Philip.* 1. 29. Vobis donatum est pro Christo non solùm, vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini: idem certamen habentes, quale & vidistis in me, & nunc audistis de me. *Cuius sententia primam partem sæpius Aug. agens de gratia Dei protulit.* ETSI LIBOR. *Phil.* 2. 17. Sed & si immolor super sacrificiũ & obsequium fidei vestræ, gaudeo & congratulor omnibus vobis. Idipsũ autem & vos gaudete, *Syr. sic & vos quoque gaudete*, & congratulamini mihi. *quòd hæc epistola scripta sit in vinculis, ipsemet testatur ad Philip. c.* 1. 7. Sicuti est mihi iustum hoc sentire pro omnibus vobis, eo quòd habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defensione, & con-

D firmatione Euangelij, socios gaudij mei omnes vos esse. *Et vers.* 12. Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Euangelij: ita vt vincula mea manifesta fierent in Christo in omni Prætorio. *Syr. toto.* & in cæteris omnibus. Et plures è fratribus in Domino confidentes vinculis meis abundantius, auderent sine timore verbum Dei loqui. SOLEMNITATEM. *Ob multam societatem crescit solemnitas gaudij: maximè dum multi certatim pro Euangelica fide patiuntur, & se immolant. Hinc Psaltes:* Constituite diem solemnem in condensis, *dum turmatim & densatim confluunt ad Martyrium, fœlices si vel extremo altaris cornu apprehenso iugulentur*, vsque ad cornu altaris. *Hinc & sexaginta fortes ad bel-*

E *la Martyrij subeunda gladio verbi præcincti, lectulum veri Salomonis, Crucem scilicet, in qua dormiuit, ambiunt, Martyrij gloriæ candidati.* TIMOTHEO SCRIBIT. 2. *Tim.* 4. 6. Ego iam delibor, *Syr. immolor*, & tempus resolutionis *mortis* meæ instat, Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. PASSIONIS. *Particularis est hæc expositio, & valdè docta & pia. Cùm enim cæteri Doctores de die iudicij & remuneratione intelligant de corona gloriæ, Tertullianus ipsum Martyrium & Passionem, & coronæ meritum, ipsi coronæ anteponit. Verè enim iuxta Christum*, Beatius est magis dare, *sanguinem proprium*, quàm accipere, *sanguinis præ-*

superuincimus pro eo qui nos dilexit. Persuasum enim habemus, quòd neque mors, neque vita, neque virtus, neque sublimitas, neque profundum, neque alia conditio poterit nos à dilectione Dei separare, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Sed & Corinthiis passiones suas enumerans, patiendum vtique præfiniuit. [e] *In laboribus abundantiùs, in carceribus plurimùm,*
e 2. Cor. 11.23. *in mortibus sæpiùs; à Iudæis quinquies quadragenas citra vnam accepi, ter virgis cæsus, semel lapidatus*, & reliqua. Quæ si magis incommoda quàm martyria videbuntur; tamen rursus, [f] *Propter quod*, inquit, *bene duco in infirmitatibus, in iniuriis, in necessitatibus, in perse-*
f 2. Cor. 12.10. *cutionibus, in angustiis pro Christo.* Etiam in superioribus, [g] *Qui in omnibus tribulemur, sed*
g 2. Cor. 4. 8. *non coangustemur; & indigeamus, sed non perindigeamus; quoniam persecutionibus agitemur, sed non derelinquamur; qui deiiciamur, sed non pereamus: semper mortificationem Christi Ie-*
h Ibid. 16. & seq. *su in corpore nostro circumferentes. Sed etsi*, inquit, [h] *exterior homo noster vitiatur*, caro scilicet, vi persecutionum; *sed interior renouatur die & die*, anima scilicet, spe promissionum. *Nam quod ad præsens, temporale & leue pressuræ nostræ, per supergressum in supergressum æter-*
i Phil. 1. 29. & 30. *num pondus gloriæ perficit nobis, non intuentibus quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia*, de incommodis dicens, *quæ verò non videntur, æterna*, de præmiis spondens. * Thessalonicensibus verò de vinculis scribens, vtique [i] *Beatos adfirmauit, quibus donatum esset non tantùm credere in Christum, sed etiam pro ipso pati. Eundem*,
k Phil. 2. 17. inquit, *agonem habentes quem in me vidistis, & nunc audistis.* [k] *Nam & si libor super sacrificium, gaudeo & congaudeo omnibus vobis, perinde & vos gaudete & congaudete mihi.* Vides quàm martyrij definiat felicitatem, cui de gaudio mutuo acquirit solemnitatem. vt proximus denique voti sui factus est, qualiter de prospectu eius exultans Timo-
l 2. Tim. 4. 6. theo scribit? [l] *Ego enim iam libor, & tempus diiunctionis instat. agonem bonum decertaui, cursum consummaui, fidem custodiui; superest corona, quam mihi Dominus illa die reddet*, scili-
m 2. Tim 2.11. 12. cet passionis. Satis & ipse suprà allocutus, [m] *Fidelis sermo. si enim commortui sumus Christo, & conuiuemus; si sufferimus, & conregnabimus, si negauerimus, & ille nos negabit, si non credimus, ille fidelis est, negare se non potest. Ne ergo confundaris martyrio Do-*
n 2. Tim. 1. 7. *mini nostri, neque me vinctum eius*; quia prædixerat, [n] *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis & sanæ mentis.* Virtute enim patimur ex dilectione in Deum, & sanâ mente, quum ob innocentiam patimur. Sed & sicubi tolerantiam præcipit, quibus magis eam quàm passionibus prospicit? sicubi ab idololatria diuellit, quid ei magis quàm martyria præuellit?

PAVLI CONVERSIO. 5. SCHOL.

PRIMVS SANGVINEM, &c. *Non prima fuit Ecclesiæ persecutio absolutè loquendo. Nam Actorum* 3. 41 Ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. *Verumtamen est primùm fusum esse sanguinem Stephani, lapidantium manibus. Actorum* 7. 57. Testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis qui vocabatur Saulus, & lapidabant Stephanum. *Et cap.* 9. 1. Saulus adhuc spirans minarum & cædis in discipulos, &c. GLADIVM STILO. *vt scriberet, & doceret Ecclesiam, qui eam gladio oppugnabat*, MACHÆRAM IN ARATRVM. *Esa.* 2. 4. Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium. 70. *verò*, Contundent gladios suos in aratra, &c. LVPVS RAPAX. *Vide dicta n.* 1. SECVNDVM IACOB, *iuxta*
S. Aug. *prophetiam Iacob de Beniamin. Aug. ser. 9. de verb. Apost.* Ananias, ouis interpretatur; loquebatur oui pastor, & timebat ouis lupum. Tanta huius lupi fama præcesserat, vt non se putaret tutam ouis, nec inter manus pastoris, &c. Ille enim cùm audisset hoc, dixit, Domine, audiui de isto homine, quanta mala fecit sanctis tuis, &c. quò me mittis? ouem ad lupũ? sed ille non audiuit hanc excusationem: iam enim dixerat paucis ouiculis suis, Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Si missæ sunt oues in medio luporum, quare trepidas ire, Anania, ad eum qui iam non est lupus? lupum timebas, sed respondet tibi Dominus Deus tuus, De lupo ouem feci, facio de oue pa-
S. Aug. storem. *Et ser. 14. de Sanctis, qui est in Conuers. Pauli:* Ecce lupus rapax adducitur ad ouem sequendam, non rapiendam, &c. Mira & magna res geritur, lupo sæuitia interdicitur, lupus ad ouem captiuus ducitur, &c. Ab agno pro ouibus mortuo, fit ouis secura de lupo. Ego, inquit, illi ostendã quanta illum oporteat pati pro nomine meo. Vbi terror, ibi salus, quod faciebat cõtra nomen pastoris, patitur pro nomine pastoris.
Idem Aug. hom. 14. inter 50. Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras, Occidũt ibi peccata, oritur inde iustitia; in Occidẽte vetus, in Oriente nouus: in Occidente Saulus, in Oriente Paulus. Vnde hoc Saulo? vnde hoc crudeli? vnde hoc persecutori? vnde hoc non pastori? Ipse est enim lupus rapax de tribu Beniamin. sed adhuc manè est. Vanitas sub Sole est. Fit ei vespera quando cæcitate percutitur. Ecce vnus homo, Saulus & Paulus, persecutor in Occidẽte, prædicator in Oriente, oculi eius ad huius mundi vanitatem clauduntur, alij interiores illuminantur. Priùs consumpsit, posteriùs pascit. A quo patiebatur Christus, patitur pro Christo: qui spargebat colligit, qui oppugnabat, defendit. *Tandem ser. 1. de Petro & Paulo idem S. Doctor ad scopum totius textus huius Tertull.* Patitur Paulus, quod fecerat Saulus. Saulus lapidauit, Paulus lapidatus est. Saulus Christianos virgis affecit, Paulus ter virgis cæsus est. Saulus persecutus est, vinxit, traxit in carcerem. Eadem Paulus pro Christo passus est. *Et ser. 14. de Sanctis.* Sed quo fine? ipsum qui patiebatur, audite. Roman. 8 Non sunt condignæ passiones, &c. Appendo quod patior, contra id quod spero: hoc sentio, illud credo: & tamen plus est quod credo, quàm quod sentio; quidquid est quod sæuit pro nomine Christi, si potest vinci tolerabile est; si non potest vinci, migrare hinc facit. Non extinguit, sed accelerat ipsum præmium, ipsam dulcedinẽ, quæ cùm venerit, sine fine erit: opus

eum fine, merces sine fine. THESSALONICENSIBVS, 2. *Thess.* 1. 4. Abundat charitas vniuscuiusque vestrûm in inuicem: ita vt & nosipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra & fide, & in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus, *Syr. oppreßionibus*, quas sustinetis. In exemplum, *Syr. ad demonstrationem*, iusti iudicij Dei, vt digni habeamini in regno Dei, *Syr. illo regno Dei*, pro quo & patimini. AD ROMANOS. *Rom.* 5. 2. Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus: *Syr. oppreßionibus*, scientes quòd tribulatio patientiam operatur; *Syr. in nobis perficiat*, patientia autem probationem, &c. RVRSVS. *Rom.* 8. 17. Si autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes, &c. *Syr. filij autem hæreditatis*, si tamen compatimur, vt & conglorificemur. *Syr.* etiam cum eo glorificabimur. REPVTO ENIM. *ibid. vers.* 18. Existimo enim quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. POSTMODVM, *scilicet vers.* 35 Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? *Syr. à dilectione Meschitho? oppreßio? &c.* MACHÆRA? *Vulg.* An gladius? sicut scriptum est: quia propter te mortificamur totâ die: æstimati sumus sicut oues occisionis: sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. *Syr. in his omnibus victoria, patimur per eum qui dilexit nos.* certus sum enim, *Syr. persuasum enim habeo*, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro. ALIA CONDITIO. *res condita, alia creatura. Aug. hunc locum Pauli bellè explicat lib. 1. de morib. Eccl. c.* 11. singula breuiter attendamus. Nemo nos inde separat, minando mortem; idipsum enim quod diligimus Deum mori non potest, nisi dum non diligit Deum; cùm mors ipsa sit non diligere Deum; quod nihil est aliud, quàm ei quidquam in diligendo atque sequendo præponere. Nemo inde separat pollicendo vitam; nemo enim ab ipso fonte separat pollicendo aquam. Non separat Angelus, non enim est Angelus, cùm inhæremus Deo, nostrâ mente potentior. Non separat virtus; nam si virtus hic illa nominata est quæ aliquam potestatem in hoc mundo habet, toto mundo est omninò sublimior mens inhærens Deo: sin virtus illa dicta est, quæ ipsius animi nostri rectissima affectio est, si in alio est, fauet vt coniungamur Deo: si in nobis est, ipsa coniungit. Non separant instantes molestiæ: hoc enim leuiores eas sentimus, quò ei vnde nos separare moliuntur, arctiùs inhæremus. Non separat promissio futurorum; nam & quidquid boni futurum est, certiùs promittit Deus; & nihil est ipso Deo melius, qui iam profectò benè sibi inhærentibus præsens est. Non separat altitudo neque profundum; etenim si hæc verba scientiæ fortè altitudinem vel profunditatem significant, non ero curiosus, ne seiungar à Deo; nec cuiusquam doctrina me ab eo separat, vt quasi depellat errorem, à quo nemo prorsus nisi separatus erraret. Si verò altitudine & profundo, superna & inferna huius mundi significantur: quis mihi cœlum polliceatur, vt à cœli fabricatore seiungar? aut quis terreat infernus, vt Deum deseram, quem si nunquam deseruissem, inferna nescirem? Postremò quis me locus ab eius charitate diuellet, qui non vbique totus esset, si vllo contineretur loco? Non, inquit, separat alia creatura. O Altissimorum mysteriorum virum! non fuit contentus dicere, creatura, sed alia, inquit, creatura, admonens, etiam idipsum quo diligimus Deum, & quo inhæremus Deo, id est animum atque mentem,

S. Aug.

A creaturam esse, &c. Non igitur separat nos alia creatura, *rationalis vel corporalis*, siquidem & nosipsi creatura sumus, à charitate Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro. PRÆFINIVIT. *id. trahis in sensum suum contra Gnosticos à Martyrio auertentes; quasi Paulus verbo & exemplo suo prædefinierit & præscripserit, martyrium subeundum.* IN LABORIBVS, 1. *Cor.* 11. 23. In laboribus plurimis *Syr. in labore plusquam illi, &c.* In carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, &c. PROPTER QVOD. 2. *Cor.* 12. 10. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo: cùm enim infirmor, tunc potens sum. IN SVPERIORIBVS. 2. *Cor.* 4. 8. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: B aporiamur, *ad summam angustiam & indigentiam redigimur*, sed non destituimur: *Syr. cæterùm per omnia premimur, at non suffocamur: corripimur, at non condemnamur*, persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deiicimur, sed non perimus. SED ETSI. *Ibid. vers.* 16. Sed licèt is qui foris est noster homo, *corpus*, corrumpatur: tamen is qui intus est, renouatur de die in diem. Id enim quod in præsenti est, momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt. THESSALONICENSIBVS. *Ait et hic memoriæ lapsus. Neque enim in vinculis aliquam scripsit è duabus ad Thess. vt subiicit Author* de vinculis scri-
C bens: *verba porrò quæ hic affert ex Paulo, deprompsit ex epist. ad Philip.* BEATOS, &c. *Philip.* 1. 29. Vobis donatum est pro Christo non solùm, vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini: idem certamen habentes, quale & vidistis in me, & nunc audistis de me. *Cuius sententiæ primam partem sæpiùs Aug. agens de gratia Dei protulit.* ETSI LIBOR. *Phil.* 2. 17. Sed & si immolor super sacrificiũ & obsequium fidei vestræ, gaudeo & congratulor omnibus vobis. Idipsũ autem & vos gaudete, *Syr. sic & vos quoque gaudete*, & congratulamini mihi. *quòd hæc epistola scripta sit in vinculis, ipsemet testatur ad Philip. c.* 1. 7. Sicuti est mihi iustum hoc sentire pro omnibus vobis, eo quòd habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defensione, & con-
D firmatione Euangelij, socios gaudij mei omnes vos esse. *Et vers.* 12. Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Euangelij: ita vt vincula mea manifesta fierent in Christo in omni Prætorio. *Syr. toto.* & in cæteris omnibus. Et plures è fratribus in Domino confidentes vinculis meis abundantius, auderent sine timore verbum Dei loqui. SOLEMNITATEM. *Ob multam societatem crescit solemnitas gaudij: maximè dum multi certatim pro Euangelica fide patiuntur, & se immolant. Hinc Psaltes:* Constituite diem solemnem in condensis, *dum turmatim & densatim confluunt ad Martyrium, fœlices si vel extremo altaris cornu apprehenso iugulentur,* vsque ad cornu altaris. *Hinc & sexaginta fortes ad bel-*
E *la Martyrij subeunda gladio verbi præcincti, lectulum veri Salomonis, Crucem scilicet, in qua dormiuit, ambiunt, Martyrij gloria candidati.* TIMOTHEO SCRIBIT. 2. *Tim.* 4. 6. Ego iam delibor, *Syr. immolor*, & tempus resolutionis *mortis* meæ instat, Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. PASSIONIS. *Particularis est hæc expositio, & valdè docta & pia. Cùm enim cæteri Doctores de die iudicij & remuneratione intelligant de corona gloriæ, Tertullianus ipsum Martyrium & Passionem, & coronæ meritum, ipsi coronæ anteponit. Verè enim iuxta Christum*, Beatius est magis dare, *sanguinem proprium*, quàm accipere, *sanguinis pra-*

nium. SVPRA ALLOCVTVS, 2. *Tim.* 2. 11. *Nihil distat à textu, nisi quod addit* Christo, *&* sufferimus, *pro* sustinebimus. *Subiicit vers.* 13. Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. NE ERGO, &c. 2. *Tim*, 1. 7. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis. *Syr. potentiæ*, & dilectionis & sobrietatis. *Syr. admonitionis.* noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum A eius: sed collabora Euangelio secundum virtutem Dei. *Syr.* Sed perfer mala cum Euangelio, per virtutem Dei. PRÆDIXERAT, *priùs, paulò antè versu præcedenti dixerat.* PASSIONIBVS PROSPICIT, *prouidet & procurat, exhortatur pro martyriis subeundis.* EI PRÆVELLIT. *Inde, ex idololatria scilicet illusa & conculcata, martyrum gloriam & coronam de manu persecutorum extorquet.*

* 6. *Paulus primò persecutionem euasit, cui se posteà exposuit. De fuga in perseq. cap. 6. à med.*

Act. 9. 25. PAulus, qui se per murum concesserat expediri de persecutione, quâ ad hoc, tempus erat præcepti; idem iam in clausula officij, & in consummatione præcepti discipulis magnopere deprecantibus, ne se Hierosolyma committeret, passurus illic quæ
Act. 21. 11. Agabus prophetauerat, sollicitudini eorum non subscripsit; sed econtrario, [a] *Quid*, inquir,
a Ibid. 13. *facitis lacrymantes & conturbantes cor meum? Ego enim non modò vincula pati optauerim, sed etiam mori Hierosolymis pro nomine Domini mei Iesu Christi. Atque ita omnes aierunt, Fiat voluntas Domini.* Quæ erat voluntas Domini? vtique non fugiendi iam persecu-
Ibid. 14. tionem. Ceterùm, poterant & priorem Domini voluntatem proposuisse, quâ fugere mandauerat, qui illum persecutionem vitasse maluerant.

PAVLI CONVERSIO. 6. SCHOL.

CONCESSERAT EXPEDIRI. *Passus fuerat à fratribus se liberari. Act. 9. 25.* Accipientes autem eum discipuli nocte, per murum dimiserunt eum submittentes in sporta. *Aug. tom. 7. lib. 2. contra secundam epistolam Gaudentij Episcopi Donatistarum cap. 8.* (S. Aug.) Ecce quomodo intelligit Euangelium pars Donati: ita ne Apostolus, non pastor, sed mercenarius erat, quando per murum in sporta summissus, fugit manus eius qui eum comprehendere cupiebat, & tu es pastor, qui eos quos Dominicas oues vocas, vt errore in animo pereant, & furore corpus interimant, etiam tecum vis perdere, tecum quæris occidere, nec audis Pastorem pastorum dicentem, Fur non venit, nisi vt occidat & perdat? ad hoc venisti qui abscesseras, ad hoc redisti qui fugeras? hoc opus furis est & latronis, non pastoris atque custodis, &c. Mercenarius autem, quem significat Dominus, viso lupo, non corpore, sed animo fugit, quando deserit timore iustitiam. Sicut fugit Secundus vester Tigisitanus, quando Purpureum Limatensem de homicidio confessum, magisque terribilem, ne primatum perderet, vel Episcopatum, timuit. Corpore autem etiam boni illi Pastores Apostoli in persecutione fugerunt, nec ideò tamen oues Christi, curâ & animo reliquerunt. QVA AD HOC, *id est, Paulus, quando sic effugit Damasci Præpositum, quantum ad hoc, tempus erat, quo iuxta præceptum Domini dicentis; cùm vos persequentur in vna ciuitate, fugite in aliam, Et ipse fugit.* IN CLAVSVLA OFFICII. *Idem tamen Paulus, tempore quo debuit claudere officium prædicationis, per vincula & carceres, & tandem Euangelio subsignare proprio sanguine, non acquieuit inquietudini fratrum impedire volentium iter Ierosolymitanum, ne se vi a & pugnæ committeret, volebat implere* B *prophetiam Agabi Act. 11. 28.* Superuenerunt ab Ierosolymis Prophetæ Antiochiam: & surgens vnus ex eis nomine Agabus significabat per spiritum famem magnam in vniuerso orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio. *Idem Propheta prædixit Pauli vincula Act. 21. 10. & seq.* Superuenit quidam à Iudæa Propheta nomine Agabus, is cùm venisset ad nos, tulit zonam Pauli; & alligans sibi pedes & manus, dixit: hæc dicit Spiritus sanctus: virum cuius est zona hæc, sic alligabunt in Ierusalem Iudæi, & tradent in manus Gentium. Quod cùm audissemus, rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne ascenderet Ierosolymam. Tunc respondit Paulus & dixit, Quid facitis flentes & affligentes cor meum? Ego enim non solùm alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu. Et cùm ei suadere non possemus, quieuimus, dicentes: Domini voluntas C fiat. *De Agabo Propheta, apud Aug. to. 2. epist. 58. Paulini ad Augustinum qu. 4. vbi petit quid per Prophetas Paulus intelligat, Ephes. 4. 11. quosdam autem Prophetas:* Hos autem Prophetas quos post Apostolos posuit, non puto illos esse qui ordine temporum ante (S. Aug.) Apostolos fuerunt: sed illos quibus iam sub Apostolis, per gratiam donabatur, aut interpretatio Scripturarum & inspectio mentium, aut prædictio temporis secuturi, vt Agabus cernebat, qui & famem instantem prædixit, & quæ beatus Paulus in Ierosolymis passurus esset, & verbo denuntiauit, & signo zonæ eius ostendit. *Cui breuiter Augustinus respondet epist. 59. responsoria ad nouem quæstiones Paulini ad quartam.* hoc ita intelligo quod ipse scripsisti, Prophetas eos dictos isto loco, ex quibus Agabus erat, (S. Aug.) non illos qui venturum in carne Dominum prophetauerunt.

PAVLI DOCTRINA.

1. *Paulus tantus vir, vt sancti Spiritus organum dicatur. 5. cont. Marc. cap 7. à princ.*

PRouidentia Spiritus sancti demonstrauit, quidnam dixisset, *Spectaculum facti sumus*
1. Cor. 4. 9. *mundo:* dum Angelis, qui mundum ministrant; *& hominibus*, quibus ministrant. Verebatur nimirùm tantæ constantiæ vir, ne dicam Spiritus sanctus, præsertim ad filios scribens, quos in Euangelio generauerat; liberè Deum mundi nominare, aduersus quem, nisi exertè, non posset videri prædicare.

PAVLI DOCTRINA. 1. SCHOL.

PROVIDENTIA SPIRITVS; *non sine nutu & ductu Spiritus sancti, cuius Paulus dignißimum est organum, factum est, vt ipse demonstraret quid per mundum intelligat cùm ait 1. Cor. 4. 9.* Spectaculum facti sumus, mundo & Angelis, & hominibus. *Cum enim summatim dixisset,* mundo, *subiecit partes eius præcipuas, spectaculi capaces, siue ad admirationem, siue ad ignominiam concitandam, dum distinxit mundum, in Angelos & homines; & per hoc Apostolus exclusit Marcionem, qui nomine mundi, Deum Creatorem mundi malum dogmatizat.* MINISTRANT. *administrant, iuxta eundem Paulum,* omnes sunt administratorij spiritus, &c. QVIBVS MINISTRANT. *Angeli enim propter homines, maximè electos, & vt ait Paulus,* propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, *orbes cælorum, & elementorum, & species omnes perfectas animalium curant & conseruant. Vide plura verbo Angelus per multa Scholia.* VEREBATVR, *ironicè. Quasi verò, inquit, si vt vult Marcion, Paulus Apostolus esset noui Dei sui, missus ad destruendum honorem Creatoris, timuisset de eo apertè loqui & liberè; & obscurè, sub nomine mundi, leuiter eum perstrinxisset, quòd Paulum, vt stultum & ludibrij spectaculum haberet. Equidem non est verosimile, nec clam dixisse, sed aperto marte, vt erat vir constantißimus, & lingua Spiritus sancti; de quo sapiens:* Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum &c. *Et Christus de Apostolis;* non estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. NE DICAM SPIRITVS SANCTVS. *Quanta laus Pauli, vt totus in Spiritum Sanctum transformatus videatur. Parum igitur est cum Augustino dicere eum præconem Christi. Sic enim ser. 16. de verbis Domini cap. 5. Ex 1. Cor. 13.* An vultis experimentum eius accipere,
S. Aug. qui in me loquitur Christus? Christus in Euange-
A lio, Christus in Apostolo *agebat de correctione fraterna à Christo & Paulo cuique indicta* Christus ergo vtrumque dixit: vnum ore suo, alterum ore præconis sui: quia quando præco de tribunali aliquid dicit, non scribitur in gestis, præco dixit; sed ille dixisse scribitur, qui præconi quod diceret imperauit. *Non est igitur mirum. Si per Spiritum sanctum datur donum interpretationis Scripturarum siue Sermonum, si Paulus à Tertulliano vocetur:* interpretator vtriusque Testamenti. *Lib. de Monogamia. cap. 6. à med. Parum item quod idem ait homilia 8. in princ.* Audiamus consilium eius in quo Christus Dominus loquebatur. *Nisi & Tertulliano consentiret. Origenem recolo, Spiritum sanctum columna nubis & ignis, conferentem; de qua Psaltes:* in columna nubis loqueba-
B tur ad eos. *Augustinus serm. 29. de verbis Apostoli cum ex eodem Ephes. 5. dixisset* Christus dilexit Ecclesiam, &c. *sic concludit* audiuimus de nube magna tonitrua. S. Aug.
Nubes enim Dei, Apostolus. Verba ista sonuerunt, & tremere nos fecerunt. *Sed clarius ipse consonat authori nostro ser. 15 de verbis Apostoli cap. 5. vbi de Christo lucri facto præ iustitia legis antiquæ; sic alloquitur Paulum:* obsecro te, expone hoc paululum. Deo S.Aug.
potius dicamus vt illuminet & nos, à quo ipse illuminatus est, qui Epistolam istam *ad Philipp.* scripsit nobis, non attramento, sed Spiritu Dei viui. *Et to. 3. libro de opere Monachorum cap. 16.* Non cessa- S. Aug.
uit Apostolus imò Spiritus Dei possidens, & implens, & agens cor eius, exhortari fideles, qui haberent huius mundi substantiam, vt nihil deesset necessitatibus seruorum Dei, qui celsiorem sanctitatis gradum in Ecclesia Dei tenere voluerunt, vt spei sæcularis vincula cuncta præciderent, & animum liberum diuinæ militiæ dedicarent.

2. Paulus Euangelium suum, licet à Christo acceptum, cum Apostolis contulit.
4. cont. Marc. cap. 2. circa f.

PRopterea Hierosolymam ascendit ad cognoscendos Apostolos & consultandos, ne Gal. 2. 2.
fortè in vacuum cucurrisset, id est, ne non secundùm illos credidisset, & non secun- & seq.
dùm illos euangelizaret. Denique, vt cum auctoribus contulit & conuenit de regula fidei, dexteras miscuere, & exinde officia prædicandi distinxerunt; vt illi in Iudæos, Paulus in Iudæos & in Nationes. Igitur si ipse illuminator Lucæ, auctoritatem antecessorum & fidei & prædicationi suæ optauit, quantò magis eam Euangelio Lucæ expostulem, quæ Euangelio magistri eius fuit necessaria?

3. Et 5. cont. Marc. cap. 3. in p.

DEnique, ad patrocinium Petri ceterorumque Apostolorum ascendisse Hierosolymam post annos quatuordecim, scribit, vt conferret cum illis de Euangelij sui Gal. 2. 1.
regula, ne in vacuum tot annis cucurrisset, aut curreret; si quid scilicet citra formam il- & seq.
lorum euangelizaret. Adeò ab illis probari, & constabiliri desiderarat.

PAVLI DOCTRINA. 2. & 3. SCHOL.

PROPTEREA. *Causam subiicit ascensus sui Ierosolymam, videlicet* ne in vacuum curreret. *Sic Gal. 2. 1.* Post annos quatuordecim, iterum ascendi Ierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem secundùm reuelationem, & contuli cum illis Euangelium quod prædico in gentibus; seorsum autem iis qui videbantur aliquid esse *præ cæteris scilicet* ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem. *Dixit se iterum ascendisse: nam Gal. 1. 18. primò iam ascenderat ad videndum Petrum:* post annos tres *à conuersione sua* veni Ierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim. DEXTERAS MISCVERE. *Concordauere. Gal. 2. 9.* Et cum co-
C gnouissent gratiam quæ data est mihi, Iacobus & Cephas & Ioannes, qui videbantur columnæ esse. *Syr. qui quidem habebantur, vt qui essent columnæ, dextram societatis dederunt mihi & Barnabæ* dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatem, *nota primatum prædicationis significatum hac voce* vt nos in gentes *irimus prædicatum* ipsi autem in circumcisionem. *Id est Iudæos Euangelizandos* PAVLVS IN IVDÆOS, &c. *quamquam præcipuè Apostolus fuerit nationum, id est gentium, tamen & Iudæis prædicauit.* ILLVMINATOR LVCÆ, *aptè; lucem dedit Lucæ, lux omnium Paulus: de quo Aug. libro 3. de Bapt. cont. Donatistas cap. 14.* S.Aug.
Verissimam sententiam dixit Apostolus plenus lu-

mine veritatis, animalis, inquit, homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei. ANTECESSORVM. *Vox iuris l. 2. §. qua omnia de vet. iur. enucl. significans iuris Doctores. Iuris autem diuini antecessores Apostoli, qualis & Paulus. Sic vocat eum Augustinus ser. 73. de verbis*
S. Aug. *Domini cap. 4.* Paulum recito, idoneum Iuris diuini Consultum. Nam & causidici habent hodie Paulum dictantem iura litigatorum *agit contra Patripassianos* non Christianorum. recito inquam Paulum, dictantem pacis iura, non litis. *Et tamen consulit Apostolos, & confert cum eis, ne aberret à via & regula fidei, plus credens communioni Ecclesiæ, quam sua*
S. Aug. *reuelationi. Aug. tract. 109. in Io. 17. circa f.* Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum se dicit factum Apostolum, & de ipso suo Euangelio loquens, ait, neque enim ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi, &c. *Subiicit paulo post, collationem eius cum aliis Apostolis, verbum Chri-*
S. Aug. *sti iam prædicantibus.* Iam ab ipsis prædicabatur in terra, quando per reuelationem Iesu Christi, ipsum verbum eorum Paulus accepit: vnde & contulit cum eis Euangelium, ne fortè in vacuum cucurrisset, aut curreret, *si aberraret ab eorum doctrina* & dexteras ei dederunt, quia & in illo, quamuis non per eos illi datum, tamen verbum suum quod iam prædicabant, & in quo fundati fuerant, inuenerunt; de quo verbo resurrectionis Christi idem dicit Apo-

A stolus 1. Cor. 15. siue ego, siue illi, sic prædicamus, & sic credidistis. Et iterum Rom. 10. hoc est, inquit, verbum fidei quod prædicamus, &c. *Et to. 4. lib. 2. qq. Euangelicarum q. 40. vbi hunc locum exponit.* Vt ipsa societas congregatorum fidelium, approbando inuicem atque communicando, veræ fidei doctrinam in omnibus quæ dicuntur verbis, vel signantur Sacramentis, tanquam vnam speciem veri coloris obducat; ad hoc etiam pertinet quod idem dicit Apostolus Gal. 2. deinde post annos 14 ascendi Ierosolymam, &c. *Vbi totum locum decurrit, & concludit:* ipsa enim collatio, vnam doctrinæ speciem, exclusa omni varietate monstrabat; quod salubriter etiam Corinthios monet dicens. 1. Cor. 1. Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes. Cornelius etiam, B cùm eleemosynæ eius acceptæ, & preces eius auditæ, illi ab Angelo nuntiarentur, propter doctrinæ tamen Sacramentorumque vnitatem, ad Petrum iubetur mittere. *In rem ergo Tertull. licet, inquit, Euangelium Lucæ non reprobem ò Marcion, quod tu vnicum, & adhuc à te truncatum, vt regulam tuæ fidei admistis; iustè quæro, vt probes mihi, Lucam cum Apostolis contulisse suum Euangelium, quod tantò iustius exigo, quòd ipse Paulus Magister Lucæ, licet à Christo nec iam ab Angelo doctus, suum Euangelium cum totius Ecclesiæ Magistris primus contulerit.* S. Aug.

4. *Paulus à Christo iussus, vt alij Apostoli, publicare veritatem, eam non occultauit; multominus contrariam tradidit. De Præscr. cap. 25. & 26. per tota.*

EAdem dementia est; cum confitentur quidem, nihil Apostolos ignorasse, nec diuersa inter se prædicasse; non tamen omnia volunt illos omnibus reuelasse: quædam enim palam, & vniuersis; quædam secretò, & paucis demandasse? quia & hoc verbo vsus
a 1. Tim. 6. 20. est Paulus ad Timotheum: [a] *O Timothee, depositum custodi.* Et rursum: [b] *Bonum depositum serua.* Quod hoc depositum est tacitum, vt alteri doctrinæ deputetur? An illius denuntia-
b 2. Tim. 1. 14. tionis, de qua ait: [c] *Hanc denuntiationem commendo apud te, fili Timothee.* Item illius præ-
c 1. Tim. 1. 18. cepti, de quo ait: [d] *Denuntio tibi ante Deum, qui viuificat omnia, & Iesum Christum, qui testatus est sub Pontio Pilato bonam confessionem, custodias præceptum.* Quod autem præce-
d 1. Tim. 6. 13. ptum, & quæ denuntiatio? Ex supra & infra scriptis intelligetur; non nescio quid subostendi hoc dicto de remotiore doctrina, sed potius inculcari de non admittenda alia præ-
e 1. Tim. 6. 12. ter eam, quam audierat ab ipso: & puto palam: [e] *Coram multis*, inquit, *testibus.* Quos mul-
f 1. Tim. 2. 2. tos testes, si nolunt Ecclesiam intelligi, nihil interest, quando nihil tacitum fuerit, quod sub multis testibus proferebatur. Sed nec quia voluit illum [f] *hæc fidelibus hominibus deman-*
Ibid. *dare, qui idonei sint & alios docere*; id quoque ad argumentum occulti alicuius euangelij interpretandum est. Nam cum dicit. *Hæc*, de eis dicit, de quibus in præsenti scribebat:
CAPVT XXVI. de occultis autem, vt de absentibus apud conscientiam, non *hæc*, sed *illa* dixisset. Porrò consequens erat, vt cui demandabat euangelij administrationem, non passim, nec inconsideratè administrandam, adiiceret secundùm Dominicam vocem, [g] *ne margaritam por-*
g Matth. 7. 6. *cis, & sanctum canibus iactaret.* Dominus palam edixit, sine vlla significatione alicuius te-
Matth. 10 27. cti Sacramenti; Ipse præceperat, si quid in tenebris & in abscondito audissent, in luce & in tectis prædicarent. Ipse per similitudinem præfigurauerat, ne vnam mnam, id est
Luc. 19. 23. vnum verbum eius, sine fructu in abdito reseruarent. Ipse docebat, [h] *lucernam non sub modium abstrudi solere, sed in candelabrum constitui, vt luceat omnibus qui in domo sunt.* Hæc
h Matth. 5. 15. Apostoli, aut neglexerunt, aut minimè intellexerunt, si non adimpleuerunt, abscondentes aliquid de lumine, id est, de Dei verbo, & Christi Sacramento. Neminem quod
Act. 4. 2. scio verebantur, non Iudæorum vim, non ethnicorum: quo magis vtique in Ecclesia liberè prædicabant, qui in Synagogis & in locis publicis non tacebant. immò neque Iudæos conuertere, neque ethnicos inducere potuissent, nisi quod credi ab eis volebant, ordine exponerent. multò magis iam credentibus Ecclesiis nihil subtraxissent, quod aliis paucis seorsum demandarent. Quamquam etsi quædam inter domesticos, vt ita dixerim, disserebant, non tamen ea fuisse credendum est, quæ aliam regulam fidei superducerent, diuersam & contrariam illi, quam catholicè in medium proferebant: vt alium Deum in Ecclesia dicerent, alium in hospitio: aliam Christi substantiam designarent in aperto,
i 1. Cor. 1. 10. aliam in secreto: aliam spem resurrectionis apud omnes annuntiarent, aliam apud paucos: cum ipsi obsecrarent in epistolis suis, [i] *vt idipsum & vnum loquerentur omnes, & non*

essent schismata & dissensiones in Ecclesia, quia siue Paulus, siue alij, eadem prædicarent. Alioquin meminerant, [i] *Sit sermo vester, est, est: non, non: quod amplius, hoc à malo est*; ne scilicet euangelium in diuersitate tractarent. i Matth. 5.37.

PAVLI DOCTRINA. 4. SCHOL.

A EADEM DEMENTIA. *Hæreticorum scilicet*, NIHIL IGNORASSE *vtpote*, omnes docibiles Dei, *quibus Christus promiserat*: Spiritus veritatis qui à Patre procedit, docebit vos omnem veritatem. DEMANDASSE *commisisse secreto*. HOC VERBO, *arcanum & secretum significante*. O TIMOTHEE 1. *Tim*. 1. 12 *& seq*. Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem. Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide, & dilectione in Christo Iesu; bonum depositum custodi per Spiritum sanctum qui habitat in vobis. *Quo loco, stultè hæretici volunt, Paulum occultam doctrinam, nomine* depositi *intelligere. Sed nil aliud voluit, quam sanam fidem, & non aliam doctrinam quam Apostolicam*. DEPVTETVR, *imputetur*. DENVNTIO TIBI. 1. *Tim*. 6. 13. Præcipio tibi coram Deo *Syr. obtestor te* qui viuificat omnia, & Christo Iesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem. Vt serues mandatum sine macula, irreprehensibile, vsque in Aduentum Domini nostri Iesu Christi. NON NESCIO QVID. *Sensus est, intelligitur ex Pauli scriptis, non subintelligi Paulum locutum Timotheo, nescio quid occulta doctrinæ, sed à Paulo admonitum ne aliam doctrinam admitteret, præter eam quam ab ipso acceperat, non occultè, sed palam, siue in Ecclesia, siue coram multis testibus, vt ipse scribit* 2. *Tim*. 2. 2. Et quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. ABSENTIBVS APVD CONSCIENTIAM. *De ignotis, qui ab eius cognitione aberant*. PALAM EDIXIT. *Confirmat prædicta; scilicet nec Paulum nec alios Apostolos secretam aliquam doctrinam in aurem aliquorum, sed ad instar tubæ palam & publicè omnibus prædicasse, cum cautela tamen; ne incapacibus alta mysteria prædicarent, nec* sanctum canibus, aut margaritas porcis proiicerent. *Alias enim voluit & edixit Christus, Matth*. 10. 27. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta. *Et Luc*. 19. 23. *increpat mnam suam, id est vel vnicum verbum occultantem*. Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, &c? *Et Matth*. 5. 15. Neque accendunt lucernam & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, &c. CHRISTI SACRAMENTO, *Incarnationis mysterio*. CATHOLICE *vniuersaliter, publicè*. IDIPSVM. 1. *Cor*. 1. 10. Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in codē sensu & eadem sententia. ALIOQVIN. *Cæterùm meminerant dicti Christi, vt non sibi contradicerent, Matth*. 5. 37. sit sermo vester, &c. AMPLIVS. *Abundantius. Syr*. Id quod supra hæc abundat. DIVERSITATE, *diuersimodè. Quod si quis inter Apostolos tuba & præco cum fiducia verbum sonuit, si quis in lumine prædicauit, est magnus ille Gentium Apostolus Paulus. Si quis mnā verbi Dei multiplicauit, ille ipse.*
S. Aug. *Aug. lib*. 2. *qq. Euang. q*. 46. *vbi de decem mnis*. Mensam, quo danda erat pecunia professionem ipsam religionis *alij, legis*, accipimus, quæ tanquam publicè proponitur ad vsum necessarium saluti. Quod autem vnus eorum qui benè vsi sunt, decem acquisiuit, & alter quinque; significat eos esse acquisitos in gregem Dei, à quibus ipsa lex per gratiam intellecta est: siue quia Decalogo continetur, siue quia ille per quem lata est, libros quinque conscripsit: ad hoc pertinent, & decem & quinque ciuitates, quibus eos præponit. Multiplicatio enim intelligentiæ, in ipsa veritate, quæ de vnoquoque præcepto, vel de vnoquoque libro pullulat, ad vnum redacta, quasi ciuitatem facit viuentium rationum æternarum. Est enim ciuitas, non quorumlibet animantium, sed rationalium multitudo, legis vnius societate deuincta. *Paulus ille, cui decem mnæ datæ, eruditus ad pedes Gamalielis in lege, super omnes coætaneos suos, quem Christus constituit super decem ciuitates, qui prædicator veritatis vniuerso mundo; qui nec pecuniam reposuit in sudario, nec in sacculo & pera abscondit pecuniam Domini sui. Aug. ser*. 1. *de Apostolis* S. Aug. *& 42. de Sanctis*: nolite portare sacculum, quid est sacculus? pecunia clausa, id est occulta sapientia. quid est nolite portare sacculum? nolite fieri sapientes penes vosmetipsos. Accipite Spiritum sanctum.

B *Communem Patri & Filio, communicabilem, & largitorem munerum, vt donum propriè Dei, ipsum imitamini, pluuiam voluntariam, alias, liberalitatum, spargite*: fons in te debet esse, non sacculus, vnde erogatur, non vbi includatur. *Quis fons patentior post Christum? de quo dictum est*, erit fons patens domui Dauid in ablutionem sanguinis menstruatæ. *Aug.* S. Aug. *ser*. 6. *de verbis Domini*: habetis vestimenti fimbriam quam tangatis, vt a profluuio sanguinis, id est à carnalium voluptatum fluxu sanemini. Habetis, inquam, vestimenti fimbriam quam tangatis, vestem putate Apostolos, sub textura vnitatis adhærentes lateribus Christi. In his Apostolis erat tanquam fimbria minimus & nouissimus Paulus, ipso dicente, ego sum minimus Apostolorum. In veste nouissimum & minimum, fimbria est; fimbria cum con-

C temptu aspicitur, sed cum salute tangitur, &c. tange si fluxum sanguinis pateris, exiet virtus de illo cuius vestis est, & sanabit te. *Quis tandem thesaurus apertior? nubes rore & pluuia largior? quæ lucerna in candelabro Ecclesiæ eminentior? quis in tecto tubicen resonantior prædicator? cui magis conueniat supra dictum Christi Matth*. 10. Quod dico vobis in tenebris, &c. *In quem locum Augustinus lib. quæstionum Euang.* S. Aug. *sec. Matthæum*, 2. quod dico vobis in tenebris id est cum adhuc in timore carnali estis, quia in tenebris est timor; dicite in lumine, hoc est in fiducia veritatis, accepto Spiritu sancto. Et quod in aure auditis, prædicate super tecta, id est quod in secreto auditis, calcato carnis domicilio prædicate. *Sed ipsemet Paulus exprimat. Act*. 20. 18. *& seq. sic maioribus natu Ecclesiæ Ephesinæ*. Vos scitis à prima die qua

D ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim. Seruiens Domino cum omni humilitate & lachrymis & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Iudæorum: quomodo nihil subtraxerim vtilium, quo minus annuntiarem vobis, & docerem vos publicè & per domos, testificans Iudæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum, &c. Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi, quo minus annuntiarem *Syr. patefacerem vobis omnem voluntatē Dei* omne consilium Dei vobis. EST ET NON. *Quam pulchrè Paulus Christo respondet* 2. *Cor*. 1. 17. Numquid leuitate vsus sum? *Syr. num tanquam temerarius cogitaui?* aut quæ cogito, secundùm carnem cogito, vt sit apud me est & non? fidelis autem Deus, quia sermo noster qui fuit apud vos non est in illo, est & non. Dei enim filius Iesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est per

me, & Siluanum, & Timotheum, non fuit, est & non, sed, est, in illo fuit. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo, est; ideo & per ipsum Amen Deo, ad gloriam nostram. *Quo loco D. Thomas notat Paulum constantiam veritatis in prædicatione seruasse, nec aliquid leuiter dixisse quod retractatione indigeret. Est enim, sine ens, veritatem habet coniunctam. Verum enim est proprietas entis; omnes autem promissiones Dei in Chri-*

A *sto completæ & verificatæ sunt. Amen autem verum significat. Ad gloriam suam autem dicit, cum relatione semper ad Deum, cui vt primæ veritati refert omnia quæ verè & constanter prædicauerat, vt semper vniformiter & sine diuersitate cum aliis Apostolis, nec clanculum sed apertè, nec ambiguè, dicendo modo, est, modo non est, sed planè & exertè, vt res erat, verbum Dei annuntiauerit: quæ prorsus mens est Tertulliani.*

5. Paulus Apostolus Creatoris esse probatur, qui licet à Iudaïsmo auertat, ad legem nouam, quam Prophetæ prædixerant; nil tamen Euangelizat, nisi secundum Creatorem.
5. cont. Marc. cap. 1. à m.

IIsdem & hîc dimicabimus lineis, in ipso gradu prouocabimus præscriptionis, Oportere scilicet & Apostolum qui Creatoris negetur, immo & aduersus Creatorem proferatur, nihil docere, nihil sapere, nihil velle secundùm Creatorem; & inprimis tanta constantia alium Deum edicere, quanta à lege Creatoris abrupit. Neque enim verisimile est, vt auertens à Iudaïsmo, non pariter ostenderet in cuius Dei fidem auerteret: quia nemo transire posset à Creatore, nesciens ad quem transeundum sibi esset. Siue enim Christus iam alium Deum reuelauerat, sequebatur etiam Apostoli testatio; vel ne non eius Dei Apostolus haberetur, quem Christus reuelauerat; & quia non licebat abscondi ab Apostolo, qui iam reuelatus fuisset à Christo. Siue nihil tale de Deo Christus reuelauerat, tantò magis ab Apostolo debuerat reuelari, qui iam non posset ab alio; non credendus sine dubio si nec ab Apostolo reuelatus. Quod idcirco præstruximus, vt iam hinc profiteamur nos proinde probaturos, nullum alium Deum ab Apostolo circumlatum, sicut probauimus, nec à Christo; ex ipsis vtique Epistolis Pauli quas proinde mutilatas, etiam de numero, forma iam hæretici Euangelij præiudicasse debebit.

PAVLI DOCTRINA. 5. SCHOL.

IIsdem lineis, *intra eosdem terminos, eodem gradu & modo pugnabimus contra Marcionem, vt eius errorem conuincamus. Longè itaque antequam Marcion natus esset, Ecclesia præscripsit, & longo tempore possidet & Lucæ Euangelium, incorruptum, & Paulum integrum: quem cum Marcion velit esse Apostolum missum à Deo suo nouo ad euertendam legem veterem Dei Creatoris, oportet vt probet nil sensisse, voluisse, scripsisse Paulum, quod non sit contra mentem & sensum Creatoris. Vt enim auertat à cultu Creatoris, debuit probare Paulus alium esse Deum, ad quem conuertat abductos; quis enim relicto Deo veteri cognito, transeat ad ignotum? Tandem si Christus in Euangelio alium Deum præter Creatorem, mundo reuelauit, debuit consequenter, & Apostolus eius id testari, alias ab eo missus non crederetur; nec potuisset hic Deus latere Paulum quem Christus iam reuelasset.* Tantò magis. *Si Christus nihil de hoc Deo reuelasset, & Apostoli de eo vt prorsus incognito tacuissent, tantò amplius oportuerat Paulum eorum in hoc supplere defectum, vt illum clarè notum mundo faceret; cum nullus venturus superesset Apostolus. qui id præstaret: aliter nullus talis Deus credendus est, quem nec Christus, nec Apostoli, nec eorum nouissimus Paulus prædicauerit.* Circvmlatvm. *per totum orbem hinc inde prædicatum.* Forma hæretici. *Vt ergo iam ex Euangelio Lucæ à Marcione, mutilato, licet & corrupto, probauimus nullum alium esse Deum præter Creatorem; sic ex Apostoli epistolis ab eodem truncatis, etiam quoad numerum, idem conuincemus. Aduerte iuxta Epiphanium, Marcionem non tantum truncasse D. Pauli sententias, sed & integras Epistolas ad Timotheum, Titum, & ad Hebræos. Fundamentum Marcionis fuit; quod Paulus sæpe, maximè in Epist. ad Gal. quam lib. 5. cont. Marc. cap. 2. Tertullianus vocat,* principalem aduersus Iudaïsmum epistolam; *Ab obseruationibus præceptorum legalium, quoad ceremonias, & Sacramenta, vt iam impletâ & euacuatâ per lucem vmbrâ, auertat; vnde fingit Paulum destructorem legis, & aduersarium Dei Creatoris, qui eius est author. Aug. to. 4. libro exposi-*S. Aug. *tionis epistolæ ad Galatas, in Præfatione, dat causam*

B *ob quam Paulus scripserit ad Galatas.* Causa propter quam scribit Apostolus ad Galatas, hæc est; vt intelligant gratiam Dei id secum agere, vt sub lege iam non sint. Cum enim prædicata eis esset Euangelij gratia, non defuerunt quidam ex circumcisione, quamuis Christiani nomine, nondum tamen tenentes ipsum gratiæ beneficium, & adhuc volentes esse sub oneribus legis, quæ Dominus Deus imposuerat non iustitiæ seruientibus sed peccato, iustam scilicet legem iniustis hominibus dando, ad demonstranda peccata eorum non auferenda. Non enim aufert peccata nisi gratia fidei quæ per dilectionem operatur. Sub hac ergo gratia iam Galatas constitutos, illi volebant constituere sub oneribus legis; asseuerantes nihil eis prodesse Euangelium nisi circumciderentur, & cæteras carnales Iudaici ri-
C tus obseruationes subirent. Et ideo Paulum Apostolum suspectum habere cœperant, a quo illis Euangelium prædicatum erat, tanquam non tenentem disciplinam cæterorum Apostolorum, qui gentes cogebant iudaizare, &c. Et ideo sic cœpit: miror quòd tam citò transferimini ab eo qui vos vocauit in gloriam Christi, in aliud Euangelium. Hoc ergo exordio, causæ quæstionem breuiter insinuauit; quamquam & in ipsa salutatione, cum dicit se Apostolum non ab hominibus, neque per hominem, quod in nulla alia epistola dixisse inuenitur, satis ostendit & illos qui talia persuadebant, non esse a Deo, sed ab hominibus: & cæteris Apostolis, quantum ad authoritatem testimonij Euangelici
D pertinet, imparem se haberi non oportere: quandoquidem non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum & Deum Patrem se Apostolum nouerit. *Longè ergo abest Pauli intentio à destruenda lege tanquam mala, multò minus ab auertendo Galatas à fide & cultu Dei Creatoris, ad cultum Dei Marcionis. De quo ne verbum quidem scripsit. Quin & expressè legem bonam dixit, & religionem Dei Creatoris vt eius verus Apostolus prædicauit, sed solas cæremonias legis per gratiam & legem Christi impletas ablegauit.*

6. Pauli

6. *Pauli vetus gloria in Iudaismo nihili facta præ Christianismo: licet vtrumque sit Creatoris. 5. contra Marc. cap. 20. à med.*

[a] QVæ autem retrò lucri dixerat; quæ & suprà numerat, gloriam carnis, notam Circumcisionis, generis Hebræi ex Hebræo censum, titulum Tribus Beniamin, Pharisææ candidæ dignitatem: *hæc modò detrimento sibi deputat*: non Deum, sed stuporem Iudæorum. [b] Hæc ac si stercora existimat, præ comparatione agnitionis Christi, non præ reiectione Dei Creatoris, [c] *habens iustitiam, non suam iam quæ ex Lege, sed quæ per ipsum*, scilicet Christum, ex Deo. Ergo, inquis, hac distinctione Lex non ex Deo erat Christi. Subtiliter satis. Accipe itaque subtiliùs. Quum enim dicit, *Non quæ ex lege, sed quæ per ipsum*: non dixisset, Per ipsum; de alio, quàm cuius fuit lex. a Phil. 3. 7. ibid. b ibid. 8. c ibid. 9. ibid.

PAVLI DOCTRINA. 6. SCHOL.

QVÆ RETRÒ, *quæ priùs sibi lucra existimauerat.* GLORIAM CARNIS. *Hanc gloriam ponit, siue quòd Iudæus ex genere Abrahã, siue vt subiicit in nota Circumcisionis.* CENSVM, *originem.* CANDIDÆ. *Toga candida, vestis Magistratus & dignitatis, sectam indicat splendidam Pharisæorum, quos Christus sepulchra dealbata dixit.* DEPVTAT, *reputat, imputat.* NON DEVM, *Iudæorum & Creatorem. Non hunc Deum, aut eius cultum detrimentum reputat, sed stupiditatem & amentiam Iudæorum, qui vmbram præferant luci & veritati.* INQVIS, *ô Marcion, ex distinctione veteris legis & noua, alium Deum legis, alium Christi, & legis gratiæ Deum Paulus distinxit.* SVBTILITER, *ironicè. Sed tu, inquit Tertull. accipe à me subtiliorem interpretationem: Paulus enim dixit,* per ipsum, *vt non de alio quàm de ipso Deo legis intelligi doceret quod dicebat. Accipe locum integrum Pauli ad Phil. 3. 3. & seq.* Nos sumus Circumcisio, qui spiritu seruimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu, & non in carne fiduciam habentes, Quamquam ego habeam confidentiam, *id est causam ampliorem confidentiæ quàm cæteri*, & in carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis. Circumcisus octauo die, ex genere Israel, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundùm legem Pharisæus. Secundùm æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundùm iustitiam, quæ in lege est, conuersatus sine querela: sed quæ mihi fuerunt lucra hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciã. Et inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Iesu: quæ ex Deo est iustitia in fide. *Totũ hunc locum D. Pauli. D. Aug. exposuit ser. 15. de verb. Apost. c. 2. & seq.* Respexit quosdam in carne fidentes; ipsi erant qui de carnis circumcisione gloriabantur; de quibus alio loco dicit, quorum Deus venter est, & gloria in pudendis eorum, &c. *Cap. autem 3.* Et gloriamur in Christo Iesu. Qui gloriatur, in Domino glorietur, &c. Et quid est fidere in carne? audite: quamquam ego inquit, habeam fiduciam & in carne, &c. ne arbitremini, me hoc contemnere, quod non habeo. Quid magnum est, si homo abiectus, plebeiùs, ignobilis, contemnat nobilitatem, & tunc exhibeat veram humilitatem? Quamquam ergo, inquit, habeam fiduciam & in carne; ideò vos doceo contemnere, quoniam videtis me habere quod contemnam Si quis alius in carne, *id est rebus carnis & exterioribus*, putat se habere fiduciam, *vnde præsumat*, magis ego. Et audi in carne fiduciam: circumcisione octaui diei, id est non proselytus, non aduena ad populum Dei, non maior circumcisus, sed à parentibus natus Iudæus, &c. primarij quidam erant, & quasi ad nobilitatem Iudaicam segregati, non contemptibili plebi commixti, qui dicebantur Pharisæi. Nam dicitur hoc verbum quasi segregationem interpretari: quomodo in Latina lingua dicitur egregius, quasi a grege separatus, &c. Remansit autem ad templum tribus Iuda, & tribus Beniamin. Tribus Leui in Sacerdotibus, tribus Iuda Regia. & tribus Beniamin: hoc solùm remanserat in Ierusalem, & ad templum Dei, quando facta est separatio illa in seruo Salomonis, *vt habetur 3. Reg. 12.* Non ergo leuiter accipiatis quod ait, tribus Beniamin inhærens Iudæ, non recedens a templo. Secundùm æmulationem persequens Ecclesiam, &c. quidquid erat quod legi meæ aduersarium videbatur, impatienter ferebam, acriter insequebar: hæc apud Iudæos nobilitas, sed apud Christum quæritur humilitas, &c. Addit secundùm iustitiam, &c. nouit charitas vestra dictos esse sine querela, ambulasse in omnibus iustificationibus Domini Zachariam & Elizabeth, &c. Ecce hoc erat & Paulus noster, quando Saulus erat. In lege sine querela ambulabat, & quod in eo fuit sine querela, hoc de illo faciebat magnam querelam, &c. Si malum est secundùm iustitiam quæ in lege est esse sine querela ergo aliquid mali est lex: sed habemus eundem Apostolum dicentem Rom. 7. Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum & iustum & bonum, &c. *Pergit & viget, sanctum proinde & bonum in lege conuersari sine querela, dicere tamen hæc lucra propter Christum facta esse damna.* Attendo, inquit, laudes meas, comparo eminentiæ Domini nostri Iesu Christi: illud sitio, hoc contemno, &c. Ergo iustitia illa à Christo prohibebat? &c. *Quærit deinde an lex sine querela seruata inter detrimenta & stercora, & à Christo remouentia, reputanda sint & petit quomodo suam dixit iustitiã: quæ ex lege erat. Et hanc inter detrimenta ponit: exponit autem Aug. quòd Paulus timore pœnæ sine querela viuebat, iustitia sua: sicut latro timet leges, & lupus latratus canum.* Terrore ingenti armorum atque telorum, &c. Etiam leo reuocatur à præda, & tamen leo venit, leo redit, prædam rapuit, non malitiam posuit. Si talis est adhuc iustitia est, quã iustitiã tibi consule ne torquearis. Quid magnum est pœnam timere? &c. ad ouile venit lupus, *Beniamin lupus rapax*, latratu canum & clamore pastorum ab ouili reuersus est lupus. Ipse tamen semper est lupus. In ouem vertatur, *boni pastoris voce*, facit enim & hoc Dominus; sed ipsa est iustitia eius non tua, &c. nam quamdiu habes tuam, potes timere pœnam. non amare iustitiam. *Et concludit de Paulo:* Quid est ex lege? quia in mandatis legis. quid est de sua? tanquam de viribus suis, &c. prostratus horruit iustitiam suam, in qua erat certè sine querela, laudabilis, magnus. quasi gloriosus apud Iudæos: detrimenta existimauit, damna credidit, stercora deputauit, &c. non habens, inquit, meam iustitiam quamuis ex lege, tamen meam, sed eam quæ est per fidem Christi quæ impetratur à Deo. *Et tandem post multa probat veram iustitiam ex Deo esse.* Qui fecit te sine te, non te iustificat sine te, Ergo fecit nescientem, iustificat volentẽ. tamen ipse iustificat, ne sit iustitia tua, ne redeas ad damna, ad detrimenta & stercora: inuenire in illo, non habens iustitiam tuam, quæ ex lege est, sed iustitiam per fidem Christi quæ est ex Deo. *Hæc postrema sumpta ex cap. 11. eiusdem serm.*

S. Aug. S. Aug. S. Aug.

7. Paulus in epistola ad Galatas Iudaismum impugnat, nouâ iam lege suffectâ iuxta Prophetas; non autem alium Deum inducit. 5. cont. Marc. 2. in pr. ad med.

PRincipalem aduersus Iudaismum epistolam nos quoque confitemur, quæ Galatas do-
Esa. 43. cet. Amplectimur etenim omnem illam legis veteris abolitionem, vt & ipsam de Crea-
18.19. toris venientem dispositione, sicut sæpè iam in isto ordine tractauimus, de prædicata no-
uatione à Prophetis Dei nostri. Quòd si Creator quidem vetera cessura promisit, nouis
a Luc. 16. scilicet orituris; Christus verò tempus distinctionis istius, [a] *Lex & Prophetæ vsque ad*
16. *Ioannem*, terminum in Ioanne statuens inter vtrumque ordinem, desinentium exinde
2. Cor. 5. veterum & incipientium nouorum: necessariè & Apostolus in Christo post Ioannem re-
17. uelato vetera infirmat, noua verò confirmat: atque ita non alterius Dei fidem curat quàm
Creatoris, apud quem & vetera decessura prædicabantur. Igitur & legis destructio, &
Euangelij ædificatio, pro me faciunt in ista quoque epistola, ad eam Galatarum præsum-
ptionem pertinentes, quâ præsumebant Christum vt putà Creatoris, saluâ Creatoris lege
credendum: quod adhuc incredibile videretur legem à suo authore deponi. Porrò, si om-
ninò alium Deum ab Apostolo audissent, vltrò vtique scissent abscedendum sibi esse à lege
eius Dei quem reliquissent, alium secuti. Quis enim expectaret diutiùs discere, quòd no-
uam deberet sectari disciplinam, qui nouum Deum recepisset? Immò quia eadem quidem
diuinitas prædicabatur in Euangelio, quæ semper nota fuerat in Lege, disciplinâ verò non
eadem, hic erat totus quæstionis status, An lex Creatoris ab Euangelio deberet excludi
in Christo Creatoris. Denique, aufer hunc statum, & vacat quæstio. Vacante autem
quæstione, vltrò omnibus agnoscentibus discedendum sibi esse ab ordine Creatoris per
fidem Dei alterius, nulla Apostolo materia competisset id tam pressè docendi, quod vltrò
fides ipsa dictasset. Igitur tota intentio epistolæ istius nihil aliud docet, quàm legis disces-
sionem venientem de Creatoris dispositione, vt adhuc suggeremus. Si item nullius noui
Dei exerit mentionem, quod nusquam magis fecisset, quàm in ista materia, vt rationem
scilicet ablegandæ legis, vnicâ hac & sufficientissimâ definitione proponeret nouæ diuini-
b Gal. 1.6. tatis, apparet quomodo scribat; [b] *Mirôr vos tam citò transferri, ab eo qui vos vocauit in gra-
tiam, ad aliud Euangelium:* Ex conuersatione aliud, non ex religione; ex disciplina, non ex
diuinitate. Quoniam quidem Euangelium Christi à lege euocare deberet ad gratiam, non
à Creatore ad alium Deum. Nemo enim illos mouerat à Creatore, vt videretur sic ad aliud
Euangeliũ transferri, quasi dum ad Creatorem transferuntur. Nam & adiiciens, *quod aliud
Euangelium omninò non esset*, Creatoris confirmat id, quod esse defendit. Si enim & Creator
c Esa. 40. Euangelium repromittit, dicens per Esaiam, [c] *Ascende in montem excelsum, qui euangelizas
9. Sioni: extolle vocem in valentia tua, qui euangelizas Hierusalem.* Item ad Apostolorum per-
d Esa. 52. sonam, [d] *Quàm tempestiui pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona:* vtique & na-
7. tionibus euangelizantium: quoniam &, [e] *in nomine eius*, inquit, *nationes sperabunt*, Christi
e Esa. 42. scilicet; cui ait, [f] *Posui te in lumen nationum.* Est autem Euangelium etiam Dei noui, quod-
4. uis tunc ab Apostolo defensum. Iam ergo duo sunt Euangelia apud duos Deos, & men-
f Ibid. 6. titus erit Apostolus, dicens [g] *quòd aliud omninò non est.* quum sit & aliud; quum sic suum
g Gal. 1,6. Euangelium defendere potuisset, vt potiùs demonstraret, non vt vnum determinaret.

PAVLI DOCTRINA, 7. SCHOL.

PRINCIPALEM. *De hoc præcedenti Scholiis iam diximus, ex Augustino. Hic fatetur epistolam ad Galatas scriptam contra volentes iam abolitas cerimonias legis restituere, in præiudicium nouæ legis gratiæ, & dicit contra Marcionem duos Deos fingentem, vnum malum authorem veteris legis: alterum bonum, institutorem nouæ; abolitionem veteris, iam olim ab ipsius authore Deo Creatore dispositam, quando prædixit per Prophetas innouationem, hoc est mutationem legis veteris in nouam, sicut Esaiæ* 43. 18. Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua; & nunc orientur, &c. *Quæ quia iam alibi exposuimus, de his nunc tacemus.* IN ISTO ORDINE, *in congressu & disputatione fusissimâ contra Marcionem totis quinque libris* VETERA CESSVRA, *decessura, transitura, mutanda in nouam legem.* TEMPVS DISTINCTIONIS. *Separationis legis ab Euangelio, Circumcisionis à præputio, Gentilis Christiani à Iudæo.* LEX ET PROPHETÆ. *id est, quando Christus hoc dixit, vtramque legem distinxit, & veteris terminum in Ioanne posuit, quo Christum agnum, & veram lucem digito monstrãte præsentem, non opus fuit Prophetis, vmbris, sacrificiis futura præsignificantibus.* EXINDE, *id est à Ioanne, quem Cassianus vocat* vtriusque Testamenti sacratissimum limitem, NECESSARIÈ. *Sequitur necessariò Paulum post Christum à Ioanne reuelatum, & veteres cerimonias*, infirma & egena elementa, *ac veluti puerorum rudimenta declarare. sicut de seipsô dicit quamquam* abundantiùs æmulatore paternarum traditionum, erudito ad pedes Gamalielis: quando eram paruulus, cogitabam vt paruulus, sapiebam vt paruulus, loquebar vt paruulus, factus autem vir, euacuaui quæ sunt paruuli. *Et rursum:* Paruuli eramus sub elementis mundi huius seruientes. *Seruiebat enim legi seruili ancillæ filius.* In seruiturem generantis: quando autem factus est vir, quando occurrit in virum perfectum, in agnitionem fidei, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, *tum agnito plenè Christo, omnia legis veteris sacramenta arbitratus est vt stercora, & quæstuoso commercio Christum lucrifecit, & Galatas ab hoc thesauro pleno & solido lucro, ad legis vete-*

eris inopiam & umbras cauas, vacua & egena ele A *menta, ſuaſu quorumdam Iudæorum malè conuerſorum, hoc eſt vtramque legem ſimul ſeruare neceſſe ſentientium, redire volentes auertit, & reuocat,* CONFIRMAT. *Nouam ſcilicet legem gratiæ, vt in ea maneant ſtabiles. Sic Hebr. 13. 8. & ſeq. vbi probat Chriſtum Dei Creatoris filium:* Ieſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſæcula, Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci, Optimum eſt enim gratiâ ſtabilire cor, *lege gratiæ & altaris Sacramento*, non eſcis: quæ non profuerunt *Iudæis ad gratiam, quam eorum Sacramenta & ſacrificia non continebant; inde ea dixit vacua elementa, quia non eam continebant; & egena, quia eam à lege noua adimplente, expectabant*, ambulantibus in eis. Habemus altare, de quo edere non habent B poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt. ATQVE ITA, *id eſt, Paulus ipſe facto quòd ad legem nouam amplectendam & retinendam hortatur, & à veteri ad nouam tranſire ſuadet, tantùm abeſt, vt contra Deum Creatorem agat, & alterum Deum nouum inſinuet, & ad eius cultum ab honore Creatoris impellat: quinimò, confirmat veterem legem: & vt procurator & Apoſtolus Creatoris, implet & exequitur, quod faciendum per Eſaiam aliòſque Prophetas prædixerat; nempe veterem legem abolendam, & nouam ædificandam.* PRO ME FACIVNT, *contra intentum Marcionis; ex abiectione eius ſumpta ex epiſt. ad Galatas, quâ Paulus eis exprobrat, quòd receptâ lege nouâ ab eis, & vetere abrogatâ, ſimul velint vtramque retinere; tantùm abeſt vt inde Deus Creator, vel à Paulo, vel à Galatis reiiciatur, quinimo Galatæ in hoc ſolum errabant, quòd* C *non adhuc crederent, plenioris inſtructionis defectu, Chriſtum Dei Creatoris filium, & cum Patre legis veteris authorem, nouam ſtatuendo, antiquam deponere, id eſt abrogare voluiſſe. Vnde volebant ſaluâ, id eſt ſeruatâ adhuc veteri, nouam ſimul obſeruare.* SI ALIVM DEVM, &c. *Si Paulus nouum aliquem Deum apertè prædicaſſet, certè Galatæ ſtatim ac in eum credidiſſent, ſimul cum fide Dei Creatoris, legem eius abſque vlla repugnantia abieciſſent. Nulla ergo erat quæſtio de duobus diuerſis Diis, cùm idem ipſe vtraque lege credatur, ſed de ceremoniis legis, quæſtio erat an per fidem in Chriſtum & Euangelium lex vetus quoad vmbras, figuras, Sa-* D *cramenta, ciborum delectum deberet abrogari.* AVFER HVNC STATVM, *ſublatâ hac differentiâ, nulla erit quæſtio. Nec aliàs habuiſſet Apoſtolus vllam cauſam ſic ſcribendi Galatis, vt abiicerent præcepta cæremonialia legis Creatoris, quod ipſo facto ſola fides in alium Deum recepta dictaſſet, ſi Paulus alium prædicaſſet.* DISCESSIONEM. *Paulus id tantum intendit, vt ſicut Creator docuerat in veteri Teſtamento, legem veterem tranſituram in nouam ipſe Paulus exequeretur, quod idem Deus diſpoſuerat; & de facto ſuaderet, obedire Deo Creatori, volenti per Chriſtum filium ſuum, non deſtruere ſed implere legem pro vacuis vmbris quas relinqui volebat, ſubrogando veritatem. Quòd ſi Paulus vnquam occaſionem habuit introducendi nouum Deum, tunc cer-* E *tè vel maximè, cùm ageret de abroganda lege, cuius deponendæ nulla maior fuiſſet ratio, quàm ſi definiuiſſet credendum eſſe in nouum Deum, quod apparet ex ſcriptis eius ad Galatas.* MIROR VOS, &c. *Gal. 1. 6.* Miror quòd ſic tam citò transferimini ab eo qui vos vocauit in gratiam Chriſti in aliud Euangelium: quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Chriſti, *Syr. qui terrorem vobis incutiunt, & volunt inuertere, &c.* ſed licèt nos, aut angelus de cœlo Euangelizet vobis præterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema ſit, *Aug. to. 4. lib. expoſitionis ad Gal. cap. 1. ſic exponit:* Miror quòd tam citò transferimini ab eo qui vos vocauit in gloriam Chriſti in aliud Euangelium, quod non eſt aliud. Euangelium enim, ſi aliud, ſiue S. Aug.

A per ſe, ſiue per aliquem Dominus dedit, iam nec Euangelium rectè dici poteſt. Vigilanter autem cùm dixiſſet, transferimini ab eo qui vos vocauit in gloriam Chriſti: quam volebant illi euacuare, quaſi fruſtrà venerit Chriſtus, ſi iam Circumciſio carnis, atque huiuſmodi opera legis tantùm valebant, vt per illa homines ſalui fierent. Niſi aliqui ſunt, &c. non quemadmodum ipſos conturbant, ita etiam conuertunt Euangeliũ Chriſti, quia manet firmiſſimum: ſed tamen conuertere volunt qui à ſpiritalibus, ad carnalia reuocant intentionem credentium: His enim ad iſta conuerſis, manet Euangelium non conuerſum. Et ideo cùm dixiſſet, conturbantes vos: non dixit, & conuertentes, ſed volentes, inquit, conuer- B tere Euangelium Chriſti. ſed licèt, ſi nos, aut Angelus de cœlo, &c. veritas propter ſeipſam diligenda eſt, non propter hominem, aut propter Angelum per quem annuntiatur. Qui enim propter annuntiatores diligit eam, poteſt etiam mendacium diligere, ſi qua fortè ipſi ſua protulerint. EX CONVERSIONE. *Cum Paulus arguit Galatas ad aliud Euangelium tranſiiſſe, non intellexit* aliud, *quoad Religionem, id eſt cultum alterius Dei, ſed* aliud, *quoad diſciplinam, id eſt formam viuendi, & ceremonias obſeruandi; quâ differt lex Euangelica à Moſaica.* MOVERAT, *remouerat, abduxerat, à cultu Creatoris.* CONFIRMAT, *magis ac magis ſuſtinet illud vnicum Dei Creatoris eſſe Euangelium, & non aliud omninò eſſe.* REPROMITTIT, *Deus Creator non ſemel, ſed ſæpè promittit per Prophetas, legem Euangelicam* C *Moſaicæ ſucceſſuram. Scripturæ veteris locos hîc citatos habes iam alibi relatos.* AD PERSONAM, *ſupple, reſpiciens, & ſpiritu Prophetico prauidens Apoſtolos.* EST AVTEM EVANGELIVM. *Vides, Marcion, apud Prophetas Creatoris mentionem Euangelij factam. quod certè neceſſariò debuit eſſe Creatoris, cui eius Prophetæ teſtimonium perhibent: tu autem Euangelium nouum Dei tui noui vis eſſe: Ergo duo erunt Euangelia, ad duos Deos diuerſos pertinentia: Et ſic Paulum mentitum fingis: cùm dicat omnino nullum aliud eſſe. Longè ergo melius ſuum Euangelium defendiſſet, ſuppoſito quòd Marcionis ſententia fuiſſet; demonſtrando, & probando eſſe alium Deum nouum, quem vnicum euangelizaret eſſe colendum, repudiato Deo Crea-* D *tore, quàm determinando vnicum eſſe Euangelium, & nullum aliud, ſicut clarè determinauit, anathematizando & Angelum, multò magis Marcionem, qui vel alium Deum, vel aliud Euangelium eſſe nuntiaret. Bellè Auguſtinus contra nouos iſtos Euangeliſtas torquet hunc locum Pauli, aptiſſimè in rem Tertulliani, tract. 98. in Ioan. 16.* Non ſolùm vaniloquos, & mentis ſeductores, fabuloſa & falſa garrientes, & in eis vanitatibus velut altam ſcientiam promittentes, contra regulam fidei, quam Catholicam ſuſcepiſtis, cauere debetis; S. Aug. verùm etiam ipſos qui de ipſa diuinæ immutabilitate naturæ, vel incorporea creatura, ſiue Creatore, veraciter diſputant, & quod dicunt, omninò documentis atque rationibus certiſſimis probant; & tamen E ab vno Dei & hominum Creatore conantur auertere, tanquam peſtem inſidioſiorem cæteris fugite: tales enim ſunt, de quibus dicit Apoſtolus, quia cognoſcentes Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, Roma. Quid enim poteſt habere intelligentiam veram de immutabili bono, ei qui non tenet, per quem liberetur à malo? propterea admonitio beatiſſimi Apoſtoli de veſtris cordibus non recedat; ſi quis vobis euangelizauerit præterquam quod accepiſtis, anathema ſit. Non ait, pluſquàm accepiſtis; ſed, præterquam quod accepiſtis. Nam ſi illud diceret, ſibi ipſi præiudicaret, qui cupiebat venire ad Theſſalonicenſes, vt ſuppleret quæ illorum fidei defuerunt. Sed qui ſupplet, quod minus erat, addit, non quod inerat, tollit. Qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in via, ſed recedit de via.

Errant ergo Caluinistæ, qui & plagas Apocalypsis apponi volunt, apponenti Scripturæ expositionem, & verbo Dei traditionem, & mores pro diuerso tempore Ecclesiæ meliores, & fidem in multis articulis per Ecclesiam à Deo reuelatis explicitiorem: cùm & ipsa Ecclesia apud Cantica in dies augescat & crescat lumine & robore. Hæc est enim quam stupent Angeli certatim exclamantes: Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? *Reuertor ad vnicum Euangelium, quod vnâ omnes voce cum Paulo prædicant, & anathema aliud euangelizanti pronuntiant, de quo sic rursum doctissime Augustinus in Psalm. 103. concione secundâ.* Inter medium montium pertransibunt aquæ. Audiuimus quid sunt montes, magni Prædicatores verbi, sublimes Angeli Dei, quamuis adhuc in carne mortali. Excelsi, non suâ virtute, sed illius gratiâ. Quantùm autem ad ipsos pertinet, conualles sunt, humiliter emittunt fontes, & inter medium montium, &c. Putemus hoc ita dictum, inter Apostolorum medium, pertransibunt Prædicatores verbi veritatis. Quid est inter medium montium? &c quod medium dicitur, commune est, res communis vnde omnes æqualiter viuunt, media est, nec attinet ad te, nec ad me. Propterea loquimur, & sic de aliquibus hominibus, habent inter se pacem; habent inter se fidem, &c. quid est inter se? in medio sui. quid est in medio sui? commune est illis. Audi aquas inter medium montium: quia communis illis fides erat, nec quisque aquas quasi proprias & suas habebat. Si enim non sunt in medio, quasi priuatæ sunt, non publicè fluunt, &c. audi vocem montis, Rom. 15. Deus, inquit, pacis det vobis idipsum sapere in inuicem: Et iterum 1. Cor. 1. Vt idipsum sapiatis omnes, & non sint in vobis schismata. Quod sentio, sentis, in medio fluit aqua, &c. veritas nec mea sit propria, nec tua, vt & tua sit & mea, inter medium montium, &c. Audi ipsum montem 1. Cor. 15. siue autem ego, siue illi, sic prædicamus, & sic credidistis, &c. nulla enim de aquis discordia montium, *vt erant iurgia inter Pastores circa puteos priuatos in Genesi.* sed pax consensionis, & societas charitatis. Si quis autem vellet aliud prædicare, iam de suo prædicaret, non de medio. Et audi quid de illo dicatur ab ipso qui emisit fontes in conuallibus, qui loquitur mendacium, de suo loquitur Ioan. 8. Itaq; ne acciperetur aliquis mons non de medio, de medio manans, ait Apostolus Galat. 1. Quisquis vobis euangelizauerit præterquàm quod, &c. Et vide quemadmodum noluerit de monte præsumi, ne fortè mons discedat ab aquis per medium currentibus, & aliquid proprium velit influere. Licèt si nos: & quantus mons dixit hoc! quàm vberrimæ aquæ fluebant de conualle eius! tamen hoc volebat, vt medios inter montes curreret, & ibi esset fides recta populorum, quòd inter se medium atque commune Apostoli retinebant; licèt si nos, inquit, & tu Paule potes aliter prædicare; de Paulo quæstio: audi quod sequitur, licèt si nos, aut Angelus de cœlo, &c. *quantò magis si Satanas, aut eius minister Marcion, aut hodiernus Caluinus vel alter nouator de inferno,* si veniat mons alius euangelizans, anathematizetur: si veniat Angelus aliud euangelizans, anathematizetur. Vnde hoc? quia de priuato vult fluere, non de medio, Et hoc fortè carnali nebulâ præpeditus, & à fonte communi, ad propriam suam falsitatem, *sicut Marcion,* redactus, possit hoc facere. Numquid & Angelus? verè numquam & Angelus; si Angelus de proprio fluens in Paradiso non esset auditus, non præcipitaremur in mortem, Media aqua posita erat hominibus præceptum Dei, aqua media, aqua quodammodo publica, sine fraude valebat, &c. sine labe, sine cœno fluebat; si ipsa aqua semper biberetur, semper viueretur. *quia apud te fons vitæ, ad quam omnes inuitabat dicens per Prophetam, Omnes sitientes venite ad aquas, &c. Fons patens domui Dauid, magnus in medio tui, &c. Et ipse fons, si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* venit Angelus lapsus de cœlo, factus serpens, quia insidiosè venena spargere cupiebat: emisit venenum, de proprio locutus est, de suo, quia qui loquitur mendacium, de suo loquitur: & miseri audiendo dimiserunt quod commune erat, vnde beati erant: & ad suum proprium redacti, cùm volunt peruersè esse similes Deo, hoc enim eis dixerat, Gustate, & eritis sicut Dij; appetentes quod non erant, quod acceperant amiserunt. *Pulchrè autem sic concludit:* Ergo, fratres, ad hoc valeat quod diximus charitati vestræ, propter fontes, vt fluant de vobis, conualles estote, & cum omnibus conferte, *sicut contulit Paulus,* quod de Deo habetis. Inter medium fluant aquæ, nulli inuideatis, bibite, saturamini, manate, saturate. Vbique communis aqua Dei habeat gloriam, non hominum priuata mendacia. *qualia sunt impij & stulti Marcionis.*

S. Aug. S. Aug. S. Aug.

8. *Paulus arguit volentes restituere Circumcisionem, non autem Deum eius authorem: reprehendit & Tito non circumciso, Timotheum circumcidit cedens rudi adhuc fidei, donec pleniùs informaretur. 5. cont. Marc. cap. 3. à princ.*

QVòd si quando vultis Iudaismi magis affines subintelligi, quùm nec Titum dicit circumcisum; iam incipit ostendere solam Circumcisionis quæstionem ex defensione adhuc legis, concussam ab eis, quos propterea falsos & superinductitios fratres appellat, non aliud statuere pergentes quàm perseuerantiã legis, ex fide sine dubio integra Creatoris; que ita peruertentes Euangelium, non interpolatione scripturæ, quâ Christum Creatoris effingerent, sed retentione veteris disciplinæ, ne legem Creatoris excluderent, Ergo, [a] *Propter superinductitios, inquit, falsos fratres, qui subintrauerant ad speculandam libertatem nostram, quam habemus in Christo, vt nos subigerent seruituti, nec ad horam cessimus subiectioni.* Intendamus enim & sensui ipsi, & causæ eius, & apparebit vitiatio Scripturæ. Quum præmittit, [b] *Sed nec Titus, qui mecum erat, quum esset Græcus, coactus est circumcidi:* dehinc subiungit: *propter superinductitios falsos fratres,* & reliqua: contrarij vtique facti incipit reddere rationem, ostendens propter quid fecerit, quod nec fecisset, nec ostendisset, si illud propter quod fecit, non accidisset. Denique dicas velim, si non subintroissent falsi illi fratres ad speculandam libertatem eorum, cessissent subiectioni? non opinor.

Gal. 2. 3. Gal. 2. 4. a Gal. 2. 4. b Gal. 2. 3.

Ergo cesserunt; quia fuerunt, propter quos cederetur. hoc enim rudi fidei & adhuc de legis obseruatione suspensæ competebat, ipso quoque Apostolo, ne in vacuum cucurrisset aut curreret, suspecto. Itaque frustrandi erant falsi fratres, speculantes libertatem Christianam, ne antè, eam in seruitutem abducerent Iudaïsmi, quàm Paulus sciret se non in vacuum cucurrisse, quàm dexteras ei darent antecessores, quàm ex censu eorum in nationes prædicandi munus subiret. Necessariò igitur cessit ad tempus. Et sic ei ratio constat, Timotheum circumcidendi, & rasos introducendi in templum, quæ in Actis edicuntur, adeo vera, vt Apostolo consonent profitenti: [c] *Factum se Iudæis Iudæum, vt Iudæos lucrifaceret; & sub lege agentem, propter eos qui sub lege agerent:* sic & propter superinducticios illos, & [d] *omnibus nouissimè omnia factum, vt omnes lucraretur.* Si hæc quoque intelligi ex hoc postulant, id quoque nemo dubitauit, eius Dei & Christi prædicatorem Paulum, cuius legem, quamuis excludens, interim tamen pro temporibus admiserat, statim amoliendam si nouum Deum protulisset.

Gal. 1. 6. & 2. 3. & seq. Act. 16. 3. & 21. 26. c 1. Cor. 9. 20. d & 19. ibid.

PAVLI DOCTRINA. 8. SCHOL.

VVLTIS. *Marcionitæ.* MAGIS AFFINES. *Vel Apostolos, vel potius ipsos Galatas seducentes plus fauisse Iudæis, non tantum quoad ceremonias legis veteris, sed & Sacramentum ipsum circumcisionis, à quibus Paulus auertit Galatas, & insuper Titum quamuis Gentilem noluit circumcidere. Iam inde tamen non colligitur quod stultè concludit Marcion, Paulum legem veterem tanquam malam, aut Deum Creatorem eius authorem respuisse; vel fratres illos superinducticios, Galatarum seductores, Scripturam peruertisse, vt fingerent Christum filium esse Dei Creatoris: sed ex zelo veteris legis, & fidei in Deum Creatorem, eam saluam & integram conseruare voluisse. Quod omnino euertit stultum Marcionis inuentum.* QVÆSTIONEM CONCVSSAM. *Agitatam; quia Iudæi ad Christum conuersi, volebant Galatas legem veterem in suo vigore seruare. Locus Pauli sic habet Gal. 2. 2. & sequentibus.* Contuli cum illis Euangelium quod prædico in Gentibus. seorsum autem iis qui videbantur aliquid esse, ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem. Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset Gentilis compulsus est circumcidi: sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram quam habemus in Christo Iesu, vt nos in seruitutem redigerent. Quibus neque ad horam cessimus subiectione, *Syr. abiecimus nos ad subiectionem eorum.* Vt veritas Euangelij permaneat apud vos. *Quem locum Augustinus to. 4. lib. Exposit. epistolæ ad Gal. cap. 2. sic exponit.* Quamuis Titus Græcus esset, & nulla eum consuetudo, aut cognatio parentum circumcidi cogeret, sicut Timotheum; facilè tamen etiam istum circumcidi permisisset Apostolus. Non enim tali circumcisione salutem docebat auferri, sed si in ea constitueretur spes salutis, hoc esse contra salutem, ostendebat. Poterat ergo vt superfluam æquo animo tolerare, secundùm sententiam quam alibi dixit 1. *Cor.* 7. Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Propter subintroductos autem, &c. id est, non ei potuit extorqueri, vt circumcideretur: quia illi qui subintroierunt quos dicit proscultare *explorare* libertatem eorum, *qua scilicet per gratiam nouæ legis libertate Christi donati, iugum legis veteris excusserant* vehementer obseruabant, & cupiebant circumcidi Titum, vt iam circumcisionem etiam ipsius Pauli attestatione & consensione, tanquam saluti necessariam prædicarent; & sic eos, vt ait, in seruitutem redigerent, id est sub onera legis seruilia reuocarent. Quibus se nec ad horam, id est nec ad tempus cessisse dicit subiectioni, vt veritas Euangelij permaneret ad gentes. *Id est vt sicut docuerat Galatas Gentiles, veritas legis nouæ pura apud illos permaneret excussis vmbris legis antiquæ.* Denotabant autem, suspectumque haberi volebant inuidi Apostolum Paulum, quod aliquando persecutor Ecclesiarum fuerit. RVDI FIDEI, *nondum plenæ, excultæ, & expositæ.* SVSPENSÆ, *dubiæ an adhuc vigeret lex, & obseruanda esset.* NE IN VACVVM. *Aug. ibid.* Ideo absentibus illis qui priores facti erant Apostoli, Paulus à Domino perfectus est: vt quando cum eis contulit, nihil esset quod perfectioni eius adderent, sed potius viderent eundem Dominum Iesum Christum qui sine personarum acceptione saluos fecit, hoc dedisse Paulo, vt ministraret gentibus, quod etiam Petro dederat vt ministraret Iudæis. Non ergo inuenti sunt in aliquo dissentire ab illo, vt cum ille se perfectum Euangelium accepisse diceret, illi negarent, & aliquid vellent tanquam imperfecto addere: sed è contrario pro reprehensoribus imperfectionis, approbatores perfectionis fuerunt. NE ANTE, &c. *Locum obscurum reddit interruptio: sic lege ad facilitatem; falsi illi fratres seducentes Galatas, debuerunt à Paulo frustrari spe sua, ne abducerent à lege gratiæ, ad iugum legis veteris conuersos Gentiles, antequam Paulus collato cum aliis Apostolis Euangelio suo, & consertis mutuò dexteris, in consensus mutui Symbolum, se non aberrasse à recta doctrina cognosceret, & ex aliorum Apostolorum* censu, *id est suffragio, ordinatione, erga Gentiles munus prædicationis obiret.* ET RATIO CONSTAT. *Hinc clarè patet, cur Paulus aliter se habuerit in Timotheo quàm in Tito, & hunc noluerit circumcidi, vt faueret Gentibus, nec eos à fide Christi suscipienda, dolore, & pudore circumcisionis auerteret; & illum circumcidit, ne Iudæos conuersos, adhuc in fide Christi rudes, & circumcisioni & ceremoniis legis hærentes, scandalizaret.* RASOS INTRODVCENDI, *hæc in Actis Apostolorum scripta, vera dicit Tertull. pungens Marcionem, librum Actorum Apostolorum, vt falsum reiicientem, quæ tamen vera sunt, & D. Paulo quadrant, dicenti se omnia factum omnibus. Vtrumque locum Scripturæ, accipe, vbi de Timotheo ex matre quidem Iudæa fideli, patre verò Gentili orto: Act. 16. 3.* Hunc voluit Paulus secum proficisci: & assumens circumcidit eum propter Iudæos qui erant in illis locis. *Lystris scilicet & Iconij* sciebant enim omnes quod pater eius erat Gentilis. *De rasis autem sic habetur Act. 21. 23. vbi sic Apostoli edicunt & præcipiunt Paulo:* fac quod tibi dicimus: sunt nobis viri quatuor votum habentes super se: *Syr. voto obnoxij, vt mundentur.* His assumptis, sanctifica te cum illis, & impende in illis, *Syr. expende pro eis expensas* vt radant capita: & scient omnes *Syr. vt innotescat omnibus* quia quæ de te audierunt *scilicet destructorem legis Moysi esse Paulum* falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem. SI HÆC QVOQVE, &c. *postrema scilicet quæ dixerat de Paulo, ex conuersatione diuersa, pro diuersis causis, & Iudæis & Gentibus seipsum conformasse vt omnes lucraretur.* ID QVOQVE, &c. *consequens etiam est, & extra vllum dubium, & expressè*

S. Aug.

S. Aug.

contra opinionem Marcionis, D. Paulum non alium Deum & Christum, quam Creatorem, eiusque filium prædicasse, cuius & legem, quamuis vt Gentes lucraretur, vt iam abrogatam excluserit, tamen vt Iudæos lucrifaceret, A *& ipse cum illis ad tempus obseruarit; quam statim prorsus expulisset, si alium Deum quàm Creatorem Euangelizasset.*

9. Paulus Petrum non arguit de doctrina fidei, sed de conuersatione: in qua & ipse omnia omnibus factus est. De Præscr. cap. 23. in m. ad f. & 24. ad m.

CRedant sine scripturis, vt credant aduersus scripturas: tamen doceant, ex eo quod
Gal. 2. 11. allegant Petrum à Paulo reprehensum, aliam Euangelij formam à Paulo superductam, citra eam quam præmiserat Petrus & ceteri. Quin demutatus in prædicatorem de
Act. 9. 1. & seq. persecutore, deducitur ad fratres à fratribus, vt vnus ex fratribus, & ad illos ab illis qui
Act. 21. 40. ab Apostolis fidem induerant. Dehinc, sicut ipse enarrat, ascendit Hierosolymam cognoscendi Petri causâ, ex officio & iure scilicet eiusdem fidei & prædicationis. Nam & illi non essent mirati, de persecutore factum prædicatorem, si aliquid contrarium prædicaret: nec Dominum præterea magnificassent, quia aduersarius eius Paulus obuenerat.
Gal. 2. 9. Itaque & dexteram ei dederunt, signum concordiæ & conuenientiæ: & inter se distributionem officij ordinauerunt, non separationem Euangelij: nec vt aliud alter, sed vt aliis alter prædicarent, Petrus in Circuncisionem, Paulus in Nationes. Ceterùm si reprehensus est Petrus, quòd cum conuixisset ethnicis, postea se à conuictu eorum separabat personarum respectu: vtique conuersationis fuit vitium, non prædicationis. non enim ex hoc alius Deus, quàm Creator; & alius Christus, quàm ex Maria; & alia spes quàm resur-
CAPVT XXIV. rectio annuntiabatur. Non mihi tam benè est, immo non mihi tam malè est, vt Apostolos committam. Sed quoniam peruersissimi isti illam reprehensionem ad hoc obtendunt, vt suspectam faciant doctrinam superiorem, respondebo quasi pro Petro: ipsum Paulum
1. Cor. 9. 22. dixisse, *factum se esse omnibus omnia, Iudæis Iudæum, non Iudæis non Iudæum, vt omnes lucrificaret.* Adeo pro temporibus & personis & causis quædam reprehendebant, in quæ & ipsi æquè pro temporibus & personis & causis committebant: quemadmodum si & Pe-
Gal. 6. 12. 13. trus reprehenderet Paulum, quod prohibens circuncisionem, circunciderit ipse Timotheum.

10. Et 5. cont. Marc. cap. 3. circa m.

a Gal. 2. 11. [a] R*Eprehendit Petrum, non recto pede incedentem ad Euangelij veritatem.* Planè reprehendit; non ob aliud tamen, quàm ob inconstantiam victus, quem pro personarum
b ibid. 12. qualitate variabat, [b] *timens eos qui erant ex circumcisione*; non ob aliquam diuinitatis peruersitatem, de qua & aliis in faciem restitisset, qui de minore causa conuersationis ambiguæ Petro ipsi non pepercit. Sed quomodo Marcionitæ volunt credi? De cetero per-
c ibid. 16. gat Apostolus, [c] *negans ex operibus legis iustificari hominem, sed ex fide.* eiusdem tamen Dei, cuius & lex. Nec enim laborasset fidem à lege discernere, quam diuersitas vltro ipsius di-
d Gal. 2. 18. uinitatis discreuisset, si fuisset. Meritò [d] *non readificabat quæ destruxit.*

11. Paulus, Petrum, Iacobum, & Ioannem arguit, de conuersatione sola, non autem de doctrina. 4. cont. Marc. cap. 3. in p.

Gal. 2. 11. MArcion nactus epistolam Pauli ad Galatas, etiam ipsos Apostolos sugillantis, vt non recto pede incedentes ad veritatem Euangelij, simul & accusantis Pseudapostolos quosdam peruertentes Euangelium Christi, connititur ad destruendum statum eorum Euangeliorum, quæ propria, & sub Apostolorum nomine eduntur, vel etiam Apo-
a Gal. 2. 9. stolicorum; vt scilicet fidem, quam illis adimit, suo conferat. Porro, etsi [a] *reprehensus est Petrus & Ioannes & Iacobus, qui existimabantur columnæ*, manifesta causa est. Personarum
b 1. Cor. 9. 22. enim respectu videbantur variare conuictum. Et tamen, cùm ipse Paulus [b] *omnibus omnia fieret, vt omnes lucraretur*, potuit & Petro hoc in consilio fuisse, aliquid aliter agendi quàm docebat. Proinde, si & Pseudapostoli irrepserant, horum quoque qualitas edita est, circumcisionem vindicantium & Iudaïcos fastos. adeo non de prædicatione, sed de conuersatione, à Paulo denotabantur; æquè denotaturo, si quid de Deo Creatore, aut Christo eius errassent. Igitur distinguenda erunt singula. Si Apostolos præuaricationis & simulationis suspectos Marcion haberi queritur vsque ad Euangelij deprauationem, Christum iam accusat, accusando quos Christus elegit. Si verò Apostoli quidem integrum Euangelium contulerunt, de sola conuictus inæqualitate reprehensi, Pseudapostoli autem veritatem eorum interpolauerunt, & inde sunt nostra Digesta; quod erit germanum illud Apostolorum Instrumentum, quod adulteros passum est? quod Paulum illuminauit, & ab eo Lucam? Aut si tam funditus deletum est, vt cataclysmo quodam, ita inundatione falsariorum oblitteratum; iam ergo nec Marcion habet verum.

PAVLI DOCTRINA. 9.10.11. SCHOL.

QVONIAM *tres textus sequentes de eadem prorsus materia tractant eos breuiter sub eodem Scholio enucleabo.* CREDANT SINE SCRIPTVRIS. *Hæreticos alloquitur, quorum carpit impudentiam; præsumunt enim pro libito articulos fidei condere, quos, vt nec hodierni Caluinistæ, (quamquam nihil nisi expressè in scriptura positum admittunt,) in scriptura haberi, probare possunt. Ideo autem illi de quibus Tertull. agit, reiiciebant scripturas quas volebant; vt liberius crederent contra scripturam. Inter cætera autem eorum fundamenta quibus scripturam respuebant, illud erat; quod Paulus Petrum arguens, aliter quam ipse prædicaret; sed ex hoc probare non possunt aliam fuisse doctrinam fidei, quam Paulus prædicabat, aliam Petri aliorumque Apostolorum; quinimò, cùm ipse conuersus fuisset de persecutore in prædicatorem, vt vnus ex fratribus, id est fidelibus, ad fratres, per fratres adductus est.* FIDEM INDVERANT, *doctè; fidei habitum susceperant; baptizati Christum induerant.* EX OFFICIO & IVRE. *Adiit Petrum tanquam caput Ecclesiæ, & fontem iurisdictionis, vt conferret, quomodo fidem prædicaret.* MAGNIFICASSENT. *Sic Act. 21.17. & seq.* Cum venissemus Ierosolymam, libenter exceperunt nos fratres. Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Iacobum; omnesque collecti sunt seniores, quos cum salutasset, narrabat per singula quæ Deus fecisset in Gentibus, per ministerium ipsius. At illi cum audissent, magnificabant Deum; dixeruntque ei: vides frater quot millia sunt in Iudæis qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt legis. Audierunt autem de te, quia discessionem doceas à Moyse, eorum qui per Gentes *Syr. qui sunt inter gentes* Iudæorum: dicens, non debere eos circumcidere filios suos, neq; secundum consuetudinem ingredi. *Syr. neque secundum ritus legis ambulent.* Quid ergo est? vtique oportet conuenire multitudinem: audient enim te superuenisse. Hoc ergo fac quod tibi dicimus, &c. *Subiicit textum, quæ habes sub finem præcedentis Scholij, de rasis capitibus, ad purificationem.* DEXTERAM EI DEDERVNT. *Gal. 2.9.* Dextras dederunt mihi. *Aug. to. 4. lib. Exposit. epist. ad Gal. cap. 2.* Et dederunt dexteras societatis: id est consenserunt in societatem, & paruerunt voluntati Domini, consentientes, vt Paulus & Barnabas irent ad Gentes, ipsi autem in circumcisionem, quæ præputio, id est Gentibus *qui non circumcidebant præputium* contraria videtur. Nam etiam sic potest intelligi, quod ait è contrario, vt ordo iste sit: mihi enim, qui videntur aliquid, nihil apposuerunt, sed è contrario, vt nos quidem in Gentes iremus, quæ sunt contrariæ circumcisioni; ipsi autem in circumcisionem; consenserunt mihi & Barnabæ; hoc est dexteras societatis nobis dederunt. NON SEPARATIONEM, *diuersitatem, contrarietatem quoad fidem.* NATIONES, *Gentiles.* CONVIXISSET, *victu ciborum prohibitorum per legem simili cum Gentibus vsus fuisset.* PERSONARVM *coram Iudæis, & eorum respectu à cibis huiusmodi abstinebat.* VITIVM, *diuersitas, aliquid inconstantiæ vel humani respectus, aut simulationis sapiens.* EX HOC *facto scilicet diuerso Petri, vel reprehensione Pauli, & vtriusque dissimili conuersatione, colligi non potest, ipsos diuersam fidem habuisse, & alium Deum, Christum, spem fidelium prædicasse.* TAM BENE, *id est non sum vir tantæ authoritatis vel potius temeritatis, vt Petrum cum Paulo certasse, & in fide diuersa digladiatos inter se contendam.* DOCTRINAM SVPERIOREM. *Quam Petrus aliique Apostoli ante Pauli conuersionem prædicauerant, quam hæretici ideo in suspicionem adducunt, dubiam, & proinde nullam faciunt, ex eo quod Paulus dicat se in faciem resti-*

A *tisse Petro; si eius partes in hoc facto tueri velim, dicam & Paulum egisse sicut Petrus fecit, & omnia omnibus factum pro diuersitate causarum, & ipsummet circumcidisse Timotheum; quod & Petrus obiicere potuisset Paulo. De hac reprehensione Pauli, circa Petri factum, paulò infra dicam; nunc omnibus omnia factum expendo. 1. Cor. 9.19. & seq.* Cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem. Et factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer. Iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub lege, vt eos qui sub lege erant lucrifacerem. Iis qui sine lege erant, tanquam sine lege essem, cùm sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi, vt lucrifacerem eos qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerē.
B Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. *Quem locum totum adduxit Aug. lib. 2. de ser. Do. in monte c. 30. vbi contra hypocritas, & malè corrigentes:* (S. Aug.) piè cautèque vigilandum est, vt cùm aliquem reprehendere, vel obiurgare nos necessitas coegerit, primùm cogitemus, vtrum tale sit vitium quod numquam habuimus, vel quo iam caruimus. Et si numquam habuimus, cogitemus & nos homines esse, & habere potuisse. Si verò habuimus, & non habemus, tangat memoriam communis fragilitas, vt illam reprehensionem, aut obiurgationem, non odium sed misericordia præcedat: vt siue ad correctionem eius propter quem id facimus, siue ad peruersionem valuerit, nam incertus est exitus, nos tamen de simplicitate oculi nostri securi simus.
C Si autem cogitantes, nosmetipsos inuenerimus in eo esse vitio, in quo est ille quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, neque obiurgemus, sed tamen congemiscamus; & non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter cauendum inuitemus. Nam & illud quod dicit Apostolus; factus sum Iudæis tanquam Iudæus, &c. Non vtique simulatione faciebat, quemadmodum alij intelligi volunt, vt eorum destanda simulatio tanti exempli authoritate muniatur; sed hoc faciebat charitate, quâ eius infirmitatem, cui volebat subuenire, tanquam suam cogitabat. Hoc enim præstruxit dicendo: cùm enim liber sim ex omnibus, me omnium seruum feci, vt plures lucrifacerem. Quod vt intelligas non simulatione, sed charitate fieri, quâ in-
D firmis hominibus tanquam nobis compatimur, ita monet alio loco; *Gal. 5.13.* vos in libertatem vocati estis, fratres; tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem seruite inuicem. Quod fieri non potest nisi alterius infirmitatem quisque habeat quasi suam: vt eam æquanimiter ferat, donec ab ea liberetur ille cuius curat salutem. Rarò ergo, & in magna necessitate obiurgationes adhibendæ sunt: ita tamen vt etiam in his ipsis, non nobis, sed Domino vt seruiatur, intemus. Ipse est enim finis, vt nihil duplici corde faciamus; auferentes trabem de oculo nostro inuidentiæ vel malitiæ, vel simulationis; vt videamus eiicere festucam de oculo fratris. Videbimus enim
E eam oculis columbæ, quales in sponsa Christi prædicantur, quam sibi elegit Deus gloriosam Ecclesiam non habentem maculam neque rugam: *Ephes. 5.* id est mundam & simplicem. *Oculi porro Ecclesiæ simplicißimi, Paulus, pro quo S. Iob dicebat,* oculus fuit cæco *Gentili* & pes claudo, *id est Iudæo in Iacob patre, claudicanti in duas partes, id est nunc idolis, nunc Deo vero seruienti. Vel quia Petrum non rectè ambulantem redarguit & erexit, de quo in sequentibus.*

X. REPREHENDIT PETRVM. *Gal. 2.11.* Cum au-

tem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. *Syr. in faciem ipsius illum coargui, quoniam offendebantur in eo.* Priùs enim quam venirent quidam à Iacobo, cum Gentibus edebat; *cibos in lege Moysi prohibitos* cùm autem venissent, subtrahebat & segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant. Et simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi, ita vt & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cùm vidissem, quod non rectè ambularent ad veritatem Euangelij, *Syr. in veritate:* dixi Cephæ coram omnibus: si tu cum Iudæus sis Gentiliter viuis, & non Iudaicè, quomodo Gentes cogis à Iudaizare? nos natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores. *In quem locum Augu-*

S. Aug. *stinus to. 4. lib. Exposit. ep. ad Gal. cap. 2.* In nullam simulationem Paulus lapsus erat, quia seruabat vbique quod congruere videbat, siue Ecclesiis Gentium, siue Iudæorum, vt nusquam auferret consuetudinem quæ seruata non impediebat ad obtinendum regnum Dei: tantùm admonens, ne quis in superfluis poneret spem salutis, etiamsi consuetudinem in eis propter offensionem infirmorum custodire vellet. Sicut ad Cor. dicit 1. Cor. 7. 18. Circumcisus quis vocatus est? non adducat præputium *id est non inuehat morem Gentilium in vsu ciborum, &c.* in præputio quis vocatus est? *ad fidem conuersus est aliquis Gentilis:* non circumcidatur. Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Hoc enim ad eas consuetudines, vel conditiones vitæ retulit, quæ nihil obsunt fidei bonisque moribus. Non enim si latro erat quisque cùm vocatus est, debet in latrocinio permanere. Petrus autem cùm venisset Antiochiam obiurgatus est à Paulo, non quia seruabat consuetudinem Iudæorum, in qua natus atque educatus erat, quamquam apud Gentes eam non seruaret, sed obiurgatus est, quia Gentibus eam volebat imponere. Cùm vidisset quosdam venisse ab Iacobo, id est à Iudæa. Nam Ecclesiæ Ierosolymitanæ Iacobus præfuit, timens ergo eos qui adhuc putabant in illis obseruationibus salutem constitutam, segregabat se à Gentibus, & simulatè illis *Iudæis scilicet* consentiebat, ad imponenda Gentibus illa onera seruitutis, quod in ipsius obiurgationis verbis satis apparebat. *Tum subiicit de reprehenso Petro coram omnibus:* quod autem hoc ei coram omnibus dixit, necessitas coëgit, vt omnes illius obiurgatione sanarentur. Non enim vtile erat, errorem qui palam noceret, in secreto emendare. Huc accedit, quod firmitas & charitas Petri, cui ter à Domino dictum est, amas me? pasce oues meas; obiurgationem talem posterioris Pastoris, pro salute gregis libentissimè sustinebat. Nam erat obiurgatore suo ipse qui obiurgabat mirabilior, & ad imitandum difficilior. Facilius est enim videre quid in alio corrigas, atque id vituperando vel obiurgando corrigere, quàm videre quid in te corrigendum sit, libenterque corrigi, vel per teipsum, nedum per alium, adde posteriorem, adde coram omnibus. Valet autem hoc ad magnum humilitatis exemplum, quæ maxima est disciplina Christiana. Humilitate enim conseruatur charitas. Nam nihil eam citius violat quàm superbia.

S. Aug. *De hac Petri reprehensione & Pauli cum eo controuersia, extat celebris illa disputatio per literas acta inter Augustinum & Hieronymum quam videre poterit lector, to. 2. Aug. epistola 8. 9. & 19. necnon to. 7. lib. 2. contra Cresconium Grammaticum cap. 32. circa f. vbi de Cypriani errore circa rebaptizandos:* Ita hoc Cypriani non accipio, quamuis inferior incomparabiliter Cypriano, sicut illud Apostoli Petri, quod gentes Iudaizare cogebat, nec accipio, nec facio, quamuis

A inferior incomparabiliter Petro. INCONSTANTIAE VICTVS, *quòd nunc cibos edebat per legem vetitos, nunc ab eis abstinebat.* DIVINITATIS PERVERSITATEM, *non quod Petrus peruersè de Deo sentiret, vel alium Deum crederet, quam Iudæi circumcisi.* AMBIGVAE, *quia Petrus nunc gentiliter, nunc Iudaicè conuersabatur.* QVOMODO MARCIONITAE, &c. *Irridet aduersarium Marcionem, & rogat; an post tam claram definitionem, aliter exigas credi, scilicet Paulum, alium nouum Deum prædicasse.* DE CAETERO, *Cæterùm inquit, prosequatur Paulus, quid sequitur in textu? Gal. 2. 16.* Scientes autem quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi: *Syr. sed per fidem* & nos in Christo Iesu credimus, vt iustificemur ex fi-

B de Christi, & non ex operibus legis: propter quod, ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. *Aug. libro Exposit. ep. ad Gal. cap 2.* Vt impleat opera legis adiuuantem infirmitatem suam, *fidem scilicet Christi de qua loquitur Paulus* non merito suo, sed gratiâ Dei. *Quod si cognouissent illi qui cogebant Gentes Iudaizare,* non exigerent, inquit, de Gentibus carnales legis obseruationes, sed per ipsam gratiam fidei, spiritalia opera legis eos implere posse cognoscerent. Quoniam ex operibus legis, cùm suis viribus ea quisque tribuit, non gratiæ miserantis Dei, non iustificabitur omnis caro, id est omnis homo, siue omnes carnaliter sentientes, &c. Peccatorum autem nomen, Gentibus imposuerant Iudæi, iam vetustâ quadam superbiâ, tanquam ipsi iusti essent, videndo stipulam in oculo alieno, & non trabem in S. Aug.

C suo: secundùm eorum morem locutus Apostolus ait, nos naturâ Iudæi, &c. id est quos appellant Peccatores cum sint & ipsi peccatores. EIVSDEM DEI, *Creatoris, qui legem dedit,* FIDEM, *legem Euangelicam, legem gratiæ.* A LEGE, *Mosaica.* VLTRO, *absque labore & difficultate vtramque legem discreuisset ipsa duorum Deorum diuersitas; ipso enim facto, quod duo fuissent Dij, vnus veteris, alter nouæ legis Author, ex diuersis Authoribus aperta fuisset legum diuersitas.* NON REAEDIFICABAT. *Gal. 2. 18.* Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico; *id est si veterem legem quam abrogatam prædicaui, suo vigori restituo* præuaricatorem me constituo. *Aug. in ep. ad Gal. cap. 2.* Destruxit superbiam gloriantem de operibus legis, quæ de- S. Aug.

D strui & deberet, & posset, ne gratia fidei videretur non necessaria, si opera legis etiam sine illa iustificare crederentur. Et ideo præuaricator est, si rursus illa ædificat, dicens quod opera legis etiam sine gratia iustificant, vt Christus peccati minister inueniatur. *Id est si Christus obliget adhuc ad legem veterem, quam alibi vocat,* virtutem peccati, sine qua peccatum non erat, & ministrationem mortis.

XI. MARCION NACTVS, &c. *Occasionem sumpsit Marcion reiiciendi Euangelia, vel ab Apostolis, Matthæo & Ioanne, vel à Marco viro Apostolico edita; quòd Paulus ad Galatas, arguat tam Petrum, quàm Ioannem & Iacobum non rectè incedentes, ad Euangelij veritatem, vt præcedenti scholio retulimus;* VT FIDEM, &c. *Vt per Pauli reprehensionem, fidem tollens dictis Euangeliis, suo proprio, hoc est ex Luca*

E *truncato conferat.* VARIARE CONVICTVM. *Nunc circumcidendo, modo à circumcisione abstinendo; edendo, vel non edendo cibos, pro diuersa conuersatione cum Gentilibus, aut Iudæis.* POTVIT ET PETRO, *Petrus quoque potest excusari. & eodem animo aliter conuixisse, quàm docebat; vt scilicet omnia omnibus factus, omnes Christo lucrifaceret.* SI PSEVDAPOSTOLI, &c. *Eos supra vocauerat* superinductitios, *siue vt habet textus Gal. 2. 4.* subintroductos falsos fratres, *qui & circumcisionem Gentilibus conuersis necessariam, & per legem Iudaicam indictas cerimonias, abstinentias, festa, sacra, in fastis Iudaicis & Moysi libris præscripta, obseruanda esse asserebant.*

rebant. DE PRÆDICATIONE, *fide vnius Dei Creatoris.* A Fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Christi. DE CONVERSATIONE, *cærimoniis legis à Paulo arguebantur.* SIMVLATIONIS SVSPECTOS. *Augustinus prorsus à mendacio & omni simulatione alienus, quæ hic tractat Tertull. de Apostolorum simulatione, & Paulo. absque ea, omnibus omnia facto, sæpius disputauit. Aliquos ex eo locos huc confero. Libro contra mendacium cap 12. cùm dixisset in veteri Testamento figuras* S. Aug. *benè intellectas non fuisse mendacia; sic de nouo Testamento agit.* Apostoli in epistolis suis aliter locuti sunt, aliterque conscripti Actus Apostolorum, iam videlicet reuelato Testamento nouo, quod illis figuris Propheticis velabatur. Denique in tot epistolis Apostolicis, atque in ipso tam grandi libro, in B quo Actus eorum canonicâ veritate narrantur, non inuenitur talis aliquis mentiens, vt de illo ab istis ad mentiendi licentiam proponatur exemplum. Quandoquidem Petri & Barnabæ simulatio, quâ Gentes Iudaizare cogebant, meritò reprehensa atque correcta est, & ne tunc noceret, & ne posteris ad imitandum valeret. Cùm enim vidisset Apostolus Paulus, quia non rectè ingrediuntur ad veritatem Euangelij, dixit Petro coram omnibus; Si tu cùm sis Iudæus, gentiliter, & non Iudaicè viuis, quomodo Gentes cogis Iudaizare? Id autem quòd ipse fecit vt quasdam obseruationes legitimas, *legis veteris*, Iudaicâ consuetudine retinendo & agendo, non se inimicum legi Prophetisq; monstraret. *Vide Lector, quam consonet Aug. Tertulliano Marcionem conuincenti, Paulum non fuisse aduersarium & destructorem legis & Prophetarum.* C Absit, vt mendaciter eum fecisse credamus. De hac quippe re satis est eius nota sententia, quâ fuerat constitutum, nec Iudæos qui tunc in Christum credebant, prohibendos esse a paternis traditionibus, nec ad eas Gentiles, cùm Christiani fierent, esse cogendos; vt illa Sacramenta, quæ diuinitùs præcepta esse constaret, non tanquam sacrilegia fugerentur, *quod volebat Marcion, legis veteris, & Dei eius inimicus,* nec tamen putarentur sic necessaria, iam nouo Testamento reuelato, tanquam sine eis quicumque conuerterentur ad Deum, salui esse non possent. Erant enim qui hoc putabant D atque prædicabant, quamuis iam recepto Christi Euangelio; & eis simulatè consenserant Petrus & Barnabas, ideóque cogebant Gentes Iudaizare, id enim erat cogere, sic ea necessaria prædicare, tanquam & recepto Euangelio, nulla sine illis salus esset in Christo. Hoc error quorumdam putabat, hoc timor Petri simulabat, hoc libertas Pauli redarguebat. *De Paulo autem absque simulatione omnia omnibus facto sic subiicit:* quod ait, 1. Cor. 9. omnia S. Aug. omnibus, &c. Compatiendo fecit, non mentiendo. Fit enim quisque tanquam ille cui vult subuenire, quando tanta misericordia subuenit, quanta sibi subueniri vellet si esset ipse in eadem miseria constitutus. Itaque fit tanquam ille, non quia fallit illum, E sed quia se cogitat, sicut illum, &c. Nam si propterea quia dixit, factus sum Iudæis tanquam Iudæus, & iis qui sub lege erant, tanquam sub lege. ideò putandus est mendaciter suscepisse legis veteris Sacramenta; debuit & Gentium idololatriam eodem modo mentiendo suscipere, quia dixit etiam iis qui sine lege erant, tanquam sine lege se factum, vt eos lucrifaceret, quod vtique non fecit. Non enim alicubi sacrificauit Idolis, aut adorauit illa figmenta, ac non potiùs liberè tanquam Martyr Christi, detestanda, & vitanda monstrauit. S. Aug. *Sic vbique iustificat Paulum epist. 9. ad Hieron.* Factus sum Iudæis tanquam Iudæus, &c. quæ ibi dicuntur compassione misericordiæ, non simulatione fallaciæ. Fit enim tanquam ægrotus qui ministrat ægroto, non cùm se febres habere mentitur, sed cum animo condolentis cogitat quemadmodum sibi ministrari vellet si ipse ægrotaret, & sic ipse aliis ægrotantibus ministrando compatitur, &c. *Subiicit de cærimoniis legis.* Ideò susceperat ea celebranda, cùm iam Christi esset Apostolus, vt doceret non esse perniciosa iis qui ea vellent, sicut à parentibus per legem acceperant custodire, etiam cùm Christo credidissent, non tamen in eis iam constituerent spem salutis, quoniam per Dominum Iesum salus ipsa, quæ illis Sacramentis significabatur, aduenerat: ideóque Gentibus, quòd insuetos, à fide reuocarent, opere graui & non necessario, nullo modo imponenda esse censebat. *Tum de Petro simulante &* S. Aug. *ex timore Iudæorum cogente Gentiles Iudaizare tractat vt suprà. Et de Paulo concludit:* Illud fecit, vt naturâ Iudæus, & hoc totum dixit, non vt fallaciter se fingeret esse quod non erat, sed vt misericorditer eis ita subueniendum esse sentiret, ac si ipse in eodem errore laboraret; non scilicet mentientis astu, sed compatientis affectu. *Longè fusiùs de hac tota controuersia tractat epist. 19. ad Hiero. vbi inter cætera it obuiam obiectioni quorumdam sic loquentium pro Petro:* At enim satius est credere Apostolum Paulum aliquid non verè scripsisse, quàm Apostolum Petrum non rectè aliquid egisse? S. Aug. hoc si ita est, dicamus, quod absit; satius est credere mentiri Euangelium quam negatum esse à Petro Christum. *Item librum Regum mentitum, quàm tantum Prophetam Dauidem adulterij & homicidij reum. Et concludit:* Imò verò sanctam Scripturam in summo & cœlesti authoritatis culmine collocatam de veritate eius certus & securus legam, & in ea, homines vel approbatos, vel emendatos, vel damnatos, veraciter discam potiùs, quàm facta humana, dum in quibusdam laudabilis excellentiæ personis aliquando credere timeo reprehendenda, ipsa diuina eloquia mihi sint vbique suspecta. S. Aug. *Et ibidem Hieronymo dicenti Paulum in Petri reprehensione simulante:* Si teipsum consideratione vitæ ac morum tuorum non simulatè, non fallaciter dixisse credo; *quod stilicet complexus Augustini suspiraret:* quantò magis æquum est me credere Apostolum Paulum non aliud sensisse quàm scripserit, vbi ait de Petro & Barnaba: cùm viderem quia non rectè ingrediuntur, &c. VSQVE AD EVANGELII, &c. *Hinc Marcion ex prætextu huiusmodi simulationis sic suspectos habuit Apostolos, vt & eos Euangelium corrupisse suspicetur.* PSEVDAPOSTOLI AVTEM, &c. *Si putat Marcion non quidem ab Apostolis, sed ab aliis falsariis corrupta Euangelia, vnde Libri nostri noui Testamenti confecti sint; peto vbi & quale sit primum originale & autographum Euangelicum, quod adulteratum est? An illud cum quo Paulus suum contulit, vel quod à Christo accepit, & quo Lucam discipulum instruxit? quod si omnino periit verum Euangelium inundatione corruptorum, ergo nec Marcion verum ac legitimum habet Euangelium, nec ei proinde credendum est.*

12. ***Paulus architectus Christum dicit fundamentum; in quo superædificata doctrina qualis fuerit, ignis probat. 5. cont. Marc. cap. 6. circa fin.***

a 1.Cor. 3.10. QVid illi etiã cum exemplis Dei nostri? Nam, quòd [a] *architectum se prudentem affirmat.* hoc inuenimus significari depalatorem disciplinæ diuinæ à Creatore, per Esaiam: [b] *Auferam enim*, inquit, *à Iudæa inter cætera & sapientem architectum*, & numquid ipse
b Es. 3.2. tunc Paulus destinabatur, de Iudæa, id est de Iudaismo, auferri habens in ædificationem Christianismi, positurus [c] *vnicum fundamentum quod est Christus?* quia & de hoc
c 1.Cor.3.11. per eundem Prophetam Creator; [d] *Ecce ego*, inquit, *initio in fundamenta Sionis lapidem pretiosum, honorabilem; & qui in eum crediderit, non confundetur* Nisi si structorem se terre-
d Esa. 28.16. ni operis Deus profitebatur, vt non de Christo suo significaret, qui futurus esset fundamentum credentium in eum, super quod prout quisque superstruxerit, dignam scilicet vel indignam doctrinam; [e] *Si opus eius per ignem probabitur, si merces illi per ignem re-*
e 1.Cor.3.13. *pendetur*, Creatoris est; Quia *per ignem iudicatur* vestra superædificatio, vtique sui fundamenti, id est sui Christi: [f] *Nescitis quòd templum Dei sitis, & in vobis inhabitet Spiritus Dei*
f Ibid.16. Si homo, & res, & opus, & imago, & similitudo, & caro per terram, & anima per afflatum Creatoris est; totus ergo in alieno habitat Deus Marcionis. si nos Creatoris sumus templum. Quòd [g] *si templum Dei vitiauerit, vitiabitur*, vtique à Deo templi. Vltorem
g Ibid. 17. intentans, Creatorem intentabit.

PAVLI DOCTRINA. 12. SCHOL.

QVID ILLI, &c. *Si, inquit Tertullianus, Paulus non erat Apostolus missus à Deo Creatore ad prædicandam legem gratiæ implentem figuras & prophetias legis antiquæ, vt quid tam frequenter citat vetus Testamentum, & eius parabolis & exemplis vtitur?* Hoc *id est ipso facto quòd se dicit prudentem architectum, indicat se propalatorem, & explicatorem esse Scripturæ, & doctrinæ per Creatorem traditæ Esaiæ Prophetæ. Ego verò per* depalatorem, *non tantùm intelligo prædicatorem; & palam facientem, hunc locum obscurum Prophetæ quasi de tenebris educentem, sibique ipsi applicantem. quod ipse de cultu legis Iudaicæ eligi deberet ad Christianæ legis ædificationem: sed & iuxta Columellam, cùm* palare *sit palos figere, & palis fulcire & munire, debebat Paulus figere & fulcire legem, non eam destruens tanquam malam, sed magis corroborans & implens eius significantes vmbras, Christũque figendo lapidem electum in fundamentum. Nisi fortè velit Marcion Deum Creatorem, citatis in textu Esaiæ locis, se professum terreni ædificij opificem, & non templi mystici Ecclesiæ, & fidei, & sanæ doctrinæ in Christo fundatæ; super quo fundamento prout quisque superædificauerit benè vel malè, quoad doctrinam & mores, ignis Creatoris probans, cuique pro merito rependet. Hoc porro templum fideles esse, ait Paulus, quos Spiritus sanctus implet.* SI HOMO, &c. *Ex dictis concludit contra Marcionem: Si, quidquid homo est, siue anima, quod est per Dei Creatoris afflatum, facta eius imago & similitudo, siue caro, ex limo terræ facta, res & opus eiusdem Creatoris est, si denique nos sumus templum Dei eiusdem Creatoris, quod Spiritus eius inhabitat; vbi iam habitabit Deus Marcionis, qui nihil horum condidit? certè in alieno domicilio, & templo, qui nihil habet proprium à se factum.* VITIAVERIT, *Vulgata*, violauerit VLTOREM INTENTANS, *inducens Deum vltorem, & ab eo paratam vindictam comminans: non certè de Deo bono & optimo Marcionis, vltionis nescio, sed de Deo Creatore locutus est, cuius & est ignis ligna & stipulam consumens, & singulis reddens pro meritis, locos Scripturæ iam alibi relatos prætereo. vnum aut alterum Pauli nondum expositum per Augustinum, hic refero.* ARCHITECTO. 1. *Cor.* 3. 10. Secundum gratiam Dei quæ data est mihi vt sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat: vnusquisque autẽ videat quomodo superędificet Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Chri-

A stus Iesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & vniuscuiusque opus qualę sit. ignis probabit. *Syr. discernet.* si cuius opus manserit, quod superædificauit: *Syr. is cuius permanebit opus quod ædificauit*, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Nescitis quia templum Dei estis. & Spiritus Dei habitat in vobis? si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. *Postremam hanc partem habes expositam verbo* Templum, *numero tertio, priorem sic accipe ab Augustino in Enchiridio ad Laurentium cap. 68.* Ligna, fœnum, sti- S. Aug.
B pula, non absurdè accipi possunt rerum sæcularium, quamuis licitè concessarum, tales cupiditates, quæ amitti sine dolore non possint. Cùm autem iste dolor vrit, si Christus in corde fundamenti locum habet, id est, vt ei nihil anteponant, & malit homo qui tali dolore vritur, rebus quas ita diligit, magis carere, quàm Christo, per ignem fit saluus: Si autem res huiusmodi temporales ac sæculares tempore tentationis maluerit tenere, quàm Christum, eum in fundamento non habuit: quia hæc priore locò habuit, cùm in ædificio priùs non sit aliquid fundamento. *Subiicit, ignem esse tribulationem, fidem Christi fundamentum, ædificantem aurum, &c. eum qui cogitat quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo; fœnum autem, &c. eum qui cogitat quæ sunt mundi, saluum tamen per ignem.* quia, inquit, vrit eum S. Aug.
C dolor rerum, quas dilexerat amissarum, sed non subuertit, neque consumit fundamenti stabilitate atque incorruptione munitum. *Et libro vigesimo primo de Ciuitate, cap. 26. fusè totum hunc locum tractat: vbi per ignem, vel amissionem bonorum, vel persecutionem, quam diem Domini & ignem vocat, vasa figuli probantem, vel diem persecutionis Antichristi.* Erit, inquit, in fine sæculi tribulatio tẽpore Antichristi, qualis nunquam antea fuit. Quàm multa erunt tunc ædificia siue aurea, siue fœnea, super optimum fundamentum, quod est Christus Iesus; vt ignis ille probet vtraque, & de aliis gaudium, & de aliis inferat damnum: neutros tamen perdat, in quibus hæc inueniet, propter stabile fundamentum. *Paulò suprà autem de figulo probante vasa in igne sic concludit de diuersis* S. Aug.

ædificantibus: Ecce quantum mihi videtur inuentus est ignis qui nullum eorum damnet, sed vnum ditet, alterum damnificet, ambos probet. *hac de re vide plura apud eundem tom. 4. lib. de fide & operibus cap. 1. in Psal. 39. ser. 4. de mortuis. lib. de octo Dulcitij quæstionibus q. 1. Tertullianum hic non sequar, si per* indignam doctrinam, *super fidem Christi susceptam, hæreticam,* A *& erroneam intelliget, & cum Augustino sentio eum ut hæreticum* vsque ad fundamentum suum exinanisse *ædificium. Caret enim fundamento Christo. Nec quis sic ædificans per ignem saluabitur; sed* qui non credit condemnabitur: *indignam ergo intelligere debuit, vanam, & cum aliquo amore proprio, & laude humana prædicatam, igne tribulationis vel Purgatorij expiandam.*

13. *Paulus eximius Apostolus, carnem Christi veram probat. De car. cap. 21 à pr.*

Paulus, vt pote eiusdem Euangelij & discipulus & magister, & testis, quâ eiusdem ipsius Christi Apostolus, confirmat [a] *Christum ex semine Dauid secundum carnem*, vtique ipsius. Ergo ex semine Dauid caro Christi. Sed secundum Mariæ carnem, ex semine Dauid: ergo ex Mariæ carne est, dum ex semine est Dauid. Quocumq; detorseris dictum, aut ex carne est Mariæ, quod ex semine est Dauid: aut ex Dauid semine est, quod ex carne est Mariæ. a Rom. 1. 3.

PAVLI DOCTRINA. 13. SCHOL.

Eiusdem Euangelii. *id est nouæ legis.* Testis, *Martyr, qui & verbo, & scripto. & sanguine testimonium perhibuit veritati carnis Christi.* Ex semine Dauid. *Rom. 1.* Paulus seruus Iesu Christi vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis, de filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, *Syr. paulo aliter:* qui natus est secundum carnem, ex semine domus Dauid. Vtique ipsius, *scilicet Christi propriam carnem Sapiùs hunc locum tractauit Aug. lib. 11. contra Faustum Manich. c. 4 in p. in Psal. 118. ser. 19. de temp. in fine, & tom. 6 lib. contra quinque hæreses c. 5. vbi cùm retulisset totum hunc locum Pauli, sic contra Manichæum:* Audis quia Euangelium per Apostolos non exhiberetur, nisi per Prophetas antea promitteretur? Audis quia Dei Filius secundum diuinitatem, factus est filius hominis ex semine Dauid secundum carnē? Quid est enim in quo Prophetæ contrarij sunt Euangelio? Dixit enim Propheta *Es. 45. 8.* Rorate cœli desuper, &c. Veniat Angelus, & prædicet verbum: aperiatur terra, audiat Maria, germinet Saluatorem; pariat Iesum. Propheta dixit *Esa. 7. 14.* Ecce virgo in vtero concipiet. &c. hoc etiam Euangelista cùm diceret, secutus est, & exposuit dicens: Nobiscum Deus. Frustrà Manichæe, *dicamus & nos frustrà Marcion, frustrà Valentine, &c.* conaris aduersari Prophetis. Ecce Apostolus dicit, de filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secùndum carnem. Quod Prophetæ præuiderunt & prædixerunt, hoc Apostoli viderunt & prædicauerunt; qui erat, factus est, Quid erat? quid factus est? Verbum erat, Caro factus est; Deus erat, homo factus est: suscepit humanitatem, non amisit diuinitatem: factus humilis, mansit sublimis; natus est homo, non destitit esse Deus: natus est paruulus, la- S. Aug. B tens magnus: qui libenter amplectitur Deum natum, non horreat virginis partum. Dicit tibi Deus Creator hominis, filius hominis, quid est quod te permouet in mea natiuitate? non sum libidinis conceptus cupiditate. Ego Matrem, de qua nascerer feci: ego viam meo itineri præparaui atque mundaui. Hæc quam despicis, Manichæe; mater est mea, sed manu fabricata est meâ. Si potui inquinari cùm eam facerem, potui in illa inquinari, cùm ex ea nascerer. Sicut transitu meo illius non est corrupta virginitas, sic & mea non est ibi maculata Maiestas. Si Solis radius cloacarum sordes desiccare nouit, eis inquinari non nouit; quantò magis splendor lucis æternæ, in quo nihil inquinamenti incurrit, quocumq; radiauerit mundare potest, ipse pollui non potest? stulte, vnde sordes in virgine matre, vbi non est concubitus cum homine patre? vnde sordes in ea, quæ nec con- C cipiendo libidinem, nec pariendo est perpessa dolorem? vnde sordes in domo, ad quam nullus habitator accessit? solus ad eam Dominus & fabricator eius venit, vestem quam non habebat, induit; eámque sicut inuenit, clausam reliquit. Sicut ille natus est solus inter mortuos liber; sic istius ex qua natus est, matris pudor solus est integer. Eua inobediens meruit pœnam, *pudoris in conceptu, doloris in partu,* Maria obediendo consecuta est gratiam. Illa gustando prohibitum, maledicta: hæc credens Angelo, est benedicta. Illa nobis mortem contulit, hæc virgo vitam nobis peperit. Quid agis Manichæe? Christianum premis, non Christum defendis. Taceat immunda vanitas, quia munda nata est veritas. *Sed hic taceat cum disertissimis Oratoribus ipse Tertullianus, vbi eloquentius Paulum explicat, & veram Christi carnem factam ex incorrupta virgine, eloquentior contra omnes hæreticos defendit Augustinus.*

*14 *Paulus primam ad Corinthios felle conscripsit acer & vehemens orator. de pudic. c. 14 à p. ad m.*

Animaduertamus autem totam epistolam primam, vt ita dixerim, non attramento, sed felle conscriptam, tumentem, indignantem, dedignantem, comminantem, inuidiosam, & per singulas causas in quosdam quasi mancipes earum figuratam. Sic enim exegerant schismata & æmulationes, & dissensiones, & præsumptiones, & elationes, & contentiones; vt & inuidiâ onerarentur, & correptione retunderentur, & superbiâ elimarentur; & austeritate deterrerentur Et qualis inuidia humilitatis culeus? [a] *Deo gratias ago, quòd neminem vestrûm tinxerim, nisi Crispum & Gaium; ne qui dicat quòd in nomine meo tinxerim,* [b] *Nec enim iudicaui scire aliquid in vobis, quàm Iesum Christum, & hunc crucifixum.* [c] *Et puto nos Deus Apostolos nouißimos elegit velut bestiarios, quoniam spectaculum facti sumus huic mundo, & Angelis, & hominibus, & purgamenta huius mundi facti sumus; omnium peripsema. &,* [d] *Non sum liber, non sum Apostolus, non Christum Iesum Dominum nostrum vidi?* De quali contrà supercilio pronuntiare compulsus est. [e] *Mihi autem in modico est, vt à vobis interroger, aut ab humano die: neque enim conscius mihi sum. &,* [f] *Gloriam meam nemo inaniet.* [g] *Non scitis quòd*

a 1. Cor. 1. 14. & 15. b 1. Cor. 2. 2. c 1. Cor. 4. 9. d 1. Cor. 9. 1. e 1. Cor. 4. 3. f 1. Cor 9. 15. g 1. Cor. 6. 3.

Angelos sumus iudicaturi? Cæterùm, libertas quàm apertæ obiurgationis, quàm exerta àcies machæræ spiritalis! [h] *Iam ditati estis, iam saturati estis, iam regnatis.* &c. [i] *Si quis se putat scire, nondum scit quemadmodum oporteat eum scire.* Nonne & tunc in faciem alicuius impingens? [k] *Quis enim*, inquit, *te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Nonne & illos in os cædit? [l] *Quidam autem in conscientia vsque nunc quasi idolothytum edunt. Sic autem delinquentes, percutiendo conscientias fratrum infirmas, in Christum delinquent.* Iam verò & nominatim. [m] *Aut non habemus potestatem manducandi & bibendi; & mulieres circumducendi; sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? &, Si alij de potestate vestra consequuntur, non magis nos?* Æquè & illos singulari stilo figit? [n] *Propterea qui se putat stare, videat ne cadat.* &, [o] *Si quis contentiosus videtur, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Domini.* Tali clausulâ maledicto detextâ; [p] *Si quis non amat Iesum, sit anathema, maranatha;* aliquem vtique percussit. Sed illic magis stabo, vbi Apostolus magis feruet, vbi ipse fornicator aliis quoque negotium fecit. [q] *Quasi non sim venturus ad vos, inflati sunt quidem; Veniam autem citiùs si permiserit Dominus, & cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem. Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Et quid vultis veniam ad vos, in virga, an in spiritu lenitatis?* Quid enim suberat? [r] *Auditur in vobis in totum fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec in Gentibus, vt vxorem patris sui quis habeat. Et vos inflati estis, & non luxistis potiùs, vt auferatur de medio vestrûm qui tale facinus admisit.* Pro quo lugerent? vtique pro mortuo, Ad quem lugerent? vsque ad Dominum.

h 1. Cor. 4. 8.
i 1. Cor. 8. 2.
k 1. Cor. 4. 7.
l 1. Cor. 8. 10. 12.
m 1. Cor. 9. 4. & 5.
n 1. Cor. 10. 12.
o 1. Cor. 11. 16.
p 1. Cor. 16. 22.
q 1. Cor. 4. 18.
r 1. Cor. 5. 1.

PAVLI DOCTRINA. 14. SCHOL.

EPISTOLAM PRIMAM., *ad Corinthios scilicet, vbi* A *adulterè Tertull. iam corruptum hæreticâ prauitate, toto hoc libro debacchari in recipientes Mœchos relapsos ad pœnitentiam; & ipsum grauiori felle supra Paulum scripsisse in eos; & tueri acerbitatem suam, adductis in medium Apostoli sæuientis in Corinthios locis; quibus vsque ad inuidiam pungit illos.* MANCIPES. *Vox iuris: significans nunc conductores salinarum, nunc obnoxios functioni lignorum, quæ lauacris vrebantur: sicut mancipes thermarum, qui earum exhibitionem Romæ curabant. Apud Caßiodorum erant mancipes, qui curam gerebant equorum ad celeritatem commutari solitorum. Ego hîc puto Tertullianum intelligere Corinthios, propter multa peccata quæ eis Paulus exprobrat, obiurgationibus eius mancipatos, & iure addictos, & censuræ suæ, vt & diuino iudicio subiectos.* INVIDIA ONERARENTVR, *id est propter inuidiam grauem in inuicem, etiam* B *graui epistolâ premerentur.* SVPERBIA ELIMARENTVR, *ob superbiam, mordaci lima Pauli turgidior eorum animus deprimeretur.* ET QVALIS INVIDIA, &c. *quàm acutè pungit Paulus inuidos illos & superbos, suæ humilitatis aculeo, quæ cùm aduersaria sit superbiæ & inuidiæ, ipsam vt aculeus pungit. Quin & Paulus simul & eos humiliat, & inuidiam eorum concitat, dicens se nullum Corinthiũ tinxisse, id est baptizasse præter Crispũ & Gaium: ne fortè quis ei exprobraret quòd in nomine Pauli baptismum contulisset.* DEO GRATIAS. 1. *Cor.* 1. 14. Gratias ago Deo, quòd neminem vestrûm baptizaui, nisi Crispum & Gaium: ne quis dicat quòd in nomine meo baptizati estis. Baptizaui autem & Stephanæ domum: cæterùm nescio si quem alium baptizauerim. IN VOBIS, *inter vos nisi Iesum Christum.* ET PVTO NOS. 1. *Corinth.* 4. 9. Puto enim quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit C tanquam morti destinatos, &c. BESTIARIOS. *Bestiis in theatro deuorandos, addictos.* PVRGAMENTA. *Ibidem versu* 13. Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc, *translat Syr.* tanquam stercus mundi facti sumus, & piaculum omniũ nunc vsque. *id est hircus anathematis, & victima execrabilis.* NON SVM LIBER, *absolute elegit sine interrogatione, quia hic claudit verba Pauli humiliantis se, cùm tamen vbique legatur interrogatiuè; & cum gloriatione.* 1. *Cor.* 9. 1. Non sum liber? non sum Apostolus? nonne Christum Iesum Dominum nostrũ vidi? nonne opus meum vos estis in Domino? *Quin & Syriaca* A *expreßiùs.* An non sum liber? an non sum Apostolus? &c. DE QVALI SVPERCILIO. *Iam post humilem Paulistolum confundentem superbiam Corinthiorum, intumescit, & totum supercilium seueritatis erigit, vt retundat eorum insolentiam,* MIHI AVTEM. 1. *Cor.* 4. 3. Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer aut ab humano die. *Syr. aut à quouis homine,* sed neque meipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum. *Aug. in Psal.* 41. Sancti Prædicatores verbi Dei, & ipsi Abyssus. S. Aug.
Vt noueritis quia Abyssus & ipsi, Apostolus ait. Minimum est vt à vobis diiudicer, aut ab humano die. Quanta autem abyssus sit, audite ampliùs. Neque enim meipsum diiudico: tantamne profunditatem creditis esse in homine quæ lateat ipsum hominem in quo est? quanta profunditas infirmitatis latebat in Petro, quando quid in se ageretur intùs nesciebat, & B se moriturũ cum Domino, vel pro Domino temerè promittebat? quanta abyssus erat? quæ tamẽ abyssus nuda erat oculis Dei? &c. *Tertull. tamẽ sic inducit Paulũ loquentem, humana iudicia generosè temnentem.* NEMO INANIET. 1. *Cor.* 9. 15. Bonum est mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet, *Syr.* quàm vt quis gloriationem meam inanem reddat. NON SCITIS. 1. *Cor.* 6. 3. Nescitis quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis sæcularia? EXERTA ACIES MACHÆRÆ, *quàm apertè, quàm liberè exerit.* Gladium Spiritus quod est verbum Dei, *dum ait:* IAM DITATI. 1. *Cor.* 4. 8. Iam saturati estis, iam diuites facti estis, sine nobis regnatis. SI QVIS. 1. *Cor.* 8. 2. Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum scire. *Aug. lib. de grat. noui Testamenti.* Nescientes vnde habeant quod S. Aug.
sunt, stultæ virgines sunt, meritóque foris erunt, C quia internæ affectum gratiæ non secum ferunt. Quando ergo tales repereris, non tibi persuadeant inanitatem vasorũ suorum, sed tu eis potiùs plenitudinem. Vnde ait Apostolus, quisquis se putat aliquid scire, &c. & mox ostendens quid dixerit: quisquis autem, inquit, diligit Deum, hic cognitus est ab eo. Nec sic dicere voluit, cognouit illũ, sed dicendo, cognitus est ab illo, expressiùs voluit cõmendare etiam hoc ab illo nobis esse, vt eum diligamus. Charitas enim Dei diffunditur in cordibus nostris, non per nos ipsos, sed per Spiritum sanctũ qui datus est nobis. Necesse est autẽ vt parum diligat Deũ, qui non ab illo, sed a seipso bonũ arbitratur se effectũ. IMPINGENS, *quasi cola-*

phæ. QVIS ENIM. *Hunc locum 1. Cor. 4. 7. sæpius tractauit Augustinus, libro de correptione & gratia. Tract. 27. in Io. In epistola ad Valentinum, item in epistola ad Sixtum & alibi: hos duos refero locos. Primum in Psal. 58. circa f.* Misericordia eius præueniet me. Cogitate quod dictum est, præueniet me. Si aliquid tuum attulisti primùm, & ex tuo aliquo bono, Dei misericordiam meruisti, non te præuenit. Quando autem vel intelligis, quia præuentus es nisi intelligas quod ait Apostolus: quid enim habes quod non accepisti? &c. Hoc est misericordia eius præueniet me. Denique attendens omnia bona quæcumque habere possumus, siue in natura, siue in instituto, siue in ipsa conuersatione, in fide, in spe, in charitate, in bonis moribus, in iustitia, in timore Dei, totum non esse nisi ex illius donis, ita conclusit. Deus meus misericordia mea. Non inuenit impletus bonis Dei, quid appellaret Deum suum, nisi misericordiam suam. O nomen sub quo nemini desperandum est! Deus meus, inquit, misericordia mea. Quid est, misericordia mea? si dicas, salus mea, intelligo, quia dat salutem: si dicas, refugium meum, intelligo, quia confugis ad eum: si dicas, fortitudo mea, intelligo, quia dat tibi fortitudinem: Misericordia mea quid est? totum quidquid sum, de misericordia tua est. Sed promerui te, inuocando te. Vt essem, quid feci? vt essem qui te inuocarem, quid egi? Si enim egi aliquid vt essem, iam eram antequam essem. Porro si omnino nihil eram antequam essem, nihil te promerui, vt essem. Fecisti vt essem, & non tu fecisti vt bonus essem? *Pelagiani quidem credebant per Dei gratiam se factos, & per legem à Deo datam, & Christi doctrinam & exempla instructos, sed propria sua libertate seipsos fecisse bonos, & non gratia Dei.* Dedisti mihi vt sim, & potuit mihi alius dare vt bonus sim? si tu mihi dedisti vt sim, & alius mihi dedit vt bonus sim, melior est ille qui mihi dedit vt bonus sim, quàm ille qui mihi dedit vt sim. Porro quia nemo te melior, nemo te potentior, nemo te in misericordia largior; à quo accepi, vt essem, ab illo accepi, vt bonus essem. Deus meus misericordia mea. QVIS ENIM TE DISCERNIT? *Aug. in epistola ad Valentinum:* Illi hæretici seipsos à seipsis iustos fieri putantes, quasi hoc eis Deus non dederit, sed ipsi sibi; non vtique in Domino, sed in seipsis gloriantur. Talibus dicit Apostolus; quis enim te discernit? quod ideo dicit, quia de massa illius perditionis quæ facta est ex Adam, non discernit hominem, vt eum faciat vas in honorem, aut in contumeliam, nisi Deus. Sed quoniam homo carnalis, & inaniter inflatus, cum audisset, quis enim te discernit? posset respondere, vel voce, vel cogitatione, & dicere; discernit me fides mea, discernit me oratio mea, discernit me iustitia mea; mox Apostolus occurrit cogitationibus eius, & dixit; quid enim habes quod non accepisti? &c. Sic enim gloriantur quasi non acceperint, qui à seipsis iustificari putant, ac per hoc in seipsis, non in Domino gloriantur, euntibus omnibus ex vno, in condemnationem. IN OS CÆDIT *Colaphizat; vel, apertè obiurgat; vel, membro peccanti pœnam imponit, vt scriptum est:* per quæ quis peccat, per hæc & torquetur: *vt os ipsum cædat, quod cum scandalo proximi, edit de cibo immolato idolis. Cædit ergo dum ait Paulus. 1. Cor. 8. 7.* Quidam autem cum conscientia vsque nunc idoli, quasi idolothytum manducant; & conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur. *Clarius translat. Syr.* Sunt nonnulli, qui in sua conscientia ad hoc vsque tempus tanquam idolis immolatum edunt, cumque infirma sit eorum conscientia, contaminatur. *D. Thomas in hunc locum sic explicat:* quidam putant idolum aliquid diuinum esse vsque nunc; id est post

(Margin: S. Aug. — S. Aug. — S. Aug.)

A conuersionem sicut ante manducant idolothytum, id est de sanctificatis idolis; & hoc non quasi cibum simpliciter, sed quasi idolothytum, scilicet in reuerentiam idoli: & conscientia illorum cum sit infirma, polluitur; per illos scilicet qui habent rectam scientiam, sed non cum charitate, per quos in hunc errorem infirmi inducuntur. SIC AVTEM DELINQVENTES. *Locum integrum reddo. 1. Cor. 8. 9. & seq.* Videte autem ne fortè hæc licentia vestra, *quâ vos, scientes nil boni vel mali ab idolis in cibos eis oblatos influi; & sine merito vel peccato, ad solum communem vsum vitæ absque scrupulo edi posse,* offendiculum fiat infirmis. *Qui credunt sanctificatas escas, vel è contra ab idolo & eius causa vetitas, & cum erronea conscientia exemplo vestro comedunt.* Si enim quis viderit eum

B qui habet scientiam *qui scit nil boni vel mali, meriti vel peccati in hoc esu esse* in idolio recumbentem, nonne conscientia eius cum sit infirma ædificabitur ad manducandum idolothyta? & peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam ipsorum infirmam, in Christum peccatis. *Translat. Syr. clarius:* si quispiam viderit te, qui scientia præditus es, accumbentem inter idola, nonne conscientia illius cum sit infirma, confirmabitur vt comedat ea quæ sunt immolata? & peribit per scientiam tuam is qui infirmus est? &c. *Vide hunc locum apud Aug. lib. 83. quæstionum & ser. 9. & 16. de verbis Domini. Referendum a nobis Verbo, Scandalum.* 4. NOMINATIM. *Dum nominat vel singulariter dirigit sermonem suum.* NON HABEMVS POTESTA-

C TEM. 1. *Cor.* 9. 4. Numquid non habemus potestatem manducandi & bibendi? *absque labore manuum, ab auditoribus nostris, vel Diaconissis, de quibus alibi, paratas escas?* Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? aut ego solus & Barnabas non habemus potestatem hoc operandi? *hunc locum tractauit Augustinus de opere Monachorum cap. 4.* SE PVTAT STARE. 1. *Cor.* 10. 12. Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. DETRITA, *contextu finito.* MARANATHA. *Aug. in sermone altercationis cum Pascentio Arriano.* Simul Græco & Syro vtitur verbo. Si quis non amat, &c. Anathe-

D ma Græco sermone dixit, condemnatus. Maranatha definiuit, donec Dominus veniat. 1. *Cor.* 16. 22. *translat. Syr.* Moran etho, Dominus noster venit. STABO, *insistam. Vtique hic diutius, quàm par esset, iam corruptus Tertullianus insistit; negans in mœchiam relapsos, recipiendos esse ad pœnitentiam; se sub prætextu Zeli D. Pauli in incestuosum Corinthium toleratum inuehentis, in suo errore defendens.* NEGOTIVM FECIT, *quia eius occasione alij grauiter à Paulo sunt reprehensi.* QVASI NON SIM. 1. *Cor.* 4. 18. Tamquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. Veniam autem ad vos citò, si Dominus voluerit, & cognoscam, non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem. Non enim in sermone, &c. Quid vultis?

E in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? *Aug. in Psal.* 88. Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus, &c. Sic & Apostolus comminatur: Quid vultis? in virga, &c. absit vt dicerent pij filij; si cum virga venturus es, noli venire. Melius est enim erudiri in virga patris, quàm in blandimento perire prædonis. SVBERAT, *causa scilicet excitantis Pauli animum, & stilum eius concitantis.* AVDITVR IN VOBIS. 1. *Cor.* 5. 1. Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes; ita vt vxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrûm qui hoc opus fecit? *Translat. Syr.* Et vos superbitis: ac non potius

(Margin: S. Aug. — S. Aug. — S. Aug.)

ſedetis in luctu, vt tollatur è medio veſtrûm is qui hoc facinus admiſit? PRO MORTVO. *Qui vitam gratia perdiderat peccato inceſtus.* AD QVEM LVGERENT? *Hic error eius. In cauda venenum, inſinuat enim, non ad Presbyteros, non ad Epiſcopos, non ad Papam denique, cum luctu recurrendum, ad obtinendam veniam in tale ſcelus poſt baptiſmum lapſo, ſed ad Deum ſolum, qui vnicus hoc poſſit remittere. Vide Aug. in hunc locum libro 3. contra Parmen. cap. 2. Vbi eum carpit, vti meritò carpendus eſt de nimia ſua in reſcindendis penitus lapſis ſeueritate Tertullianus.* Ibi, inquit, ſignificauit Apo- S.Aug. ſtolus, quanta charitate in quemque debeat Eccleſiaſtica vindicta procedere, &c. Cum dixiſſet Apoſtolus, tradere huiuſmodi Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit, in die Domini Ieſu: etiam atque etiam commendans humilitate lugentium hoc debere fieri, non ſuperbiâ ſæuientium; continuò ſubiecit, non bona gloriatio veſta; vel per exprobrationem pronuntiationis: bona gloriatio veſtra: ſic enim nonnulli, & maximè Latini codices habent; tamen eadem in vtroque ſententia teneatur. Non enim metuendum eſt, ne quis intelligat laudando eum dixiſſe, bona gloriatio veſtra: cum & ſuperius dixerit, inflati eſtis, & non potius luctum habuiſtis. Et hîc continuò ſubiungit, neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit? quid ad ipſam inanis gloriationis corruptionem congruentius referri poteſt? ſuperbia quippe velut ex vetuſtate primi hominis qui ſuperbia lapſus eſt, quaſi fermentata & corrupta mente facit elatos in vnam conſperſionem, qui ſibi net in eam ſimili iactantiæ vnitate conſentiunt. Et gloriari quidem non de peccatis ſuis, ſed ſuper alterius peccata, tanquam ex comparatione innocentiæ ſuæ, modicum videtur eſſe fermentum, quia de ſuis etiam iniquitatibus gloriari, multum fermentum eſt: ſed & illud modicum totam maſſam corrumpit. Cadit enim ſuperbus merito ſuperbiæ ſuæ, & incipit etiam peccata ſua defendendo velle gloriari. Quod præuidens idem Apoſtolus. 1. Cor. 10. ait, quapropter qui ſe putat ſtare, videat ne cadat, &c. & in illo Phariſæo modicum fermentum eſſe videbatur, quia peccatorem non ſolùm non dolebat, ſed ſuper eius peccata, de ſuis ſe meritis extollebat. Sed deſcendit ille confitens peccata ſua iuſtificatus magis, quàm ille Phariſæus iactans merita ſua, &c. *Rurſum ibidem genium hæretici detegit ſcripturâ abutentis in de-* S. Aug. *fenſionem erroris; quod Tertulliano iam corrupto conuenit vt Parmeniano, lapſos penitus reſcindenti.* Auferte malum ex vobiſipſis. Ecce quemadmodum ad hanc ſententiam venit Apoſtolus, cuius vltimam particulam ponendam credidit Parmenianus, dicens eſſe ſcriptum, auferte malum ex vobiſipſis. Quod, inquit, vtique ſi bonis & integris non noceret, non iuberetur auferri, &c. Fortaſsè iſti audebunt negare haberi inter ſe auaros, aut maledicos, aut ebrioſos, aut rapaces, &c. An fortè parua ſunt iſta crimina, & parui æſtimanda? Solent enim iſti etiam hoc dicere penſantes ea non in ſtatera æqua diuinarum Scripturarum, ſed in ſtatera doloſa conſuetudinum ſuarum.

* 15. *Pauli epiſtolam ad Hebræos, Tertullianus Barnabæ imputat. De Pudic. cap. 20. à p.*

VOlo ex redundantia alicuius etiam comitis Apoſtolorum teſtimonium ſuperducere, idoneum, confirmandi, de proximo iure, diſciplinam magiſtrorum. Exſtat enim & Barnabæ titulus ad Hebræos, adeo ſatis auctoritatis viri, vt quem Paulus iuxta ſe conſti- a1. Cor. 9.6. tuerit in abſtinentiæ tenore: a *aut ego ſolus & Barnabas non habemus hoc operandi poteſtatem?* Et vtique receptior apud Eccleſias epiſtola Barnabæ, illo apocrypho Paſtore mœchorum.

PAVLI DOCTRINA. 15. SCHOL.

EX REDVNDANTIA. *Præter Apoſtoli teſtimonia, quibus relapſos arcet à venia, Barnabam ipſius comitem, ex abundantia vtique zeli erroneі, teſtem adducit in epiſtola ad Hebræos. cap. 6. vbi Paulus vel Barnabas verſu 4. dicit;* Impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati, &c. & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes. *Syr.* Et ignominia efficient. *Aug. hæc omnia de baptiſmo intelligit quæ D. Paulus negat eſſe repetenda. Ante baptiſmum autem in adultis requiri pœnitentiam docet to. 4. lib. de fide & operibus cap. 11. & libro Expoſitionis ad Romanos inchoatæ, vbi refert locum ad Hebr. 10. in quo Paulus dicit, voluntariè peccantibus non relinqui pro peccatis ſacrificium.* S. Aug. Illud ad Hebræos qui diligentius pertractant, ſic intelligunt vt non de ſacrificio contribulati per pœnitentiam cordis accipiendum ſit quod dictum eſt, non adhuc pro peccatis relinquitur ſacrificium: ſed de ſacrificio, de quo tunc loquebatur Apoſtolus, id eſt holocauſto Dominicæ Paſſionis; quod eo tempore offert quiſque pro peccatis ſuis, quo eiuſdem paſſionis fide dedicatur, & Chriſtianorum fidelium nomine baptizatus imbuitur: vt hoc ſignificaret Apoſtolus, non poſſe deinceps eum qui peccauerit iterum baptizando purgari; quo intellectu non intercluditur pœnitendi locus, &c. Illud ſacrificium de quo loquebatur, id eſt holocauſtum Domini, pro vnoquoque offertur quodammodo, cum eius nomine in baptizando ſignatur, iterum, ſi peccauerit, offerri non poteſt. Non enim poſſunt denuo baptizari, qui ſemel baptizati ſunt, &c. Eos enim qui iam baptizati fuerint, curari melius dicimus per pœnitentiam, non renouari; quia renouatio in baptiſmo eſt. Vbi quidem operatur pœnitentia, ſed tanquam in fundamento. Manente itaque fundamento recurari ædificium poteſt; ſi autem fundamentum iterare quis voluerit, totum ædificium ſubuertere eſt. *Et, ma-* S. Aug. *gis circa finem libri;* Etiam hominibus qui vſque ad Sacramentorum perceptionem, veritatis ſcientiam perceperunt, & poſt hæc lapſi, Spiritui ſancto reſtiterunt, ad ſanitatem redeuntibus, & pacem Dei pœnitendo quærentibus, auxilium miſericordiæ non negatur. BARNABÆ TITVLVS. *Id eſt Epiſtola ad Hebræos, inſcripta nomine Barnabæ.* IVXTA SE. *Secum.* IN ABSTINENTIÆ TENORE, *quod Barnabas cum Paulo abſtineret à circumducenda Diaconiſſa, victum præparante; & à victu, ab auditoribus, de more, prædicatoribus dato.* EPISTOLA BARNABÆ. *Iam certum eſt & receptum, hanc epiſtolam eſſe D. Pauli & Canonicam. Videndus Bellarminus libro 1. de Verbo Dei cap. 17. Catharinus, Medina & alij. De illa Aug. lib. 16. de Ciuit. cap. 22. vbi de Melchiſedech:* de quo, inquit, in epiſto- S. Aug. la quæ inſcribitur ad Hebræos, quam plures Apoſtoli Pauli eſſe dicunt, quidam verò negant, multa & magna conſcripta ſunt. *Marcion & Baſilides eam negarunt eſſe Apoſtoli Pauli, & teſtatur Hiero. in Prolog. epiſt. ad Tit. & Epiph. hæreſi 42. ait Marcionem eam*

sicut & ad Timotheum & Titum, tanquam indignas Paulo reiecisse. Ex Theod. in argumento ep. ad Hebr. Ariani adulterinam appellabant. Hiero. ep.126. ad Euagr. scribit, eam receptam, & Canonicam, & à Paulo conscriptam ab omnibus Græcis, non tamen communiter ab omnibus Latinis inter scripturas recipi Canonicas, vt notat epistola 129. ad Dardanum. Ibidem etiam sicut & A *libro de viris illustribus, ait quosdam putasse eam esse, vel Barnabæ, vel Lucæ, vel Clementis.* PASTORE. *Liber est Apocryphus inscriptus* Pastor, *de quo iam alibi.* MŒCHORVM *qui mœchus fauet, eos ad pœnitentiam & veniam recipiens, ostensa misericordia Pastoris ouem redicentis in humeros baiulos, cuius & picturam in calicibus Tertullianus exprobrabat iam corruptus.*

PAVLI VIRTVTES PATIENTIA ET DONA.

1. *Paulus in distributione prædicationis Gentiles accepit, & pauperum curam gessit.* 5. *cont. Marc. cap.* 3. *circa m.*

BEnè igitur quod & [a] *dexteras Paulo dederant Petrus & Iacobus & Ioannes, & de officij distributione pepigerunt, vt Paulus in nationes, illi in circumcisionem; tantùm vt meminissent egenorum.* & hoc secundùm legem Creatoris, pauperes & egenos fouentis; sicut in Euangelij vestri retractatu probatum est. adeò constat de lege sola fuisse quæstionem, dum ostenditur quid ex lege custodiri conuenerit. a Gal. 2. 9. & 10.

PAVLI VIRTVTES. 1. SCHOL.

BENE IGITVR, *benè, inquit, nobiscum egit Paulus, & in præiudicium Marcionis facit nobis & probauit se esse Apostolum Creatoris, non tantùm dum ait, quod supra tetigiximus, distributam sibi partem Gentium, aliis autem Apostolis Iudæum populum Creatoris circumcisum; sed maximè quod iuxta veterem legem Creatoris vbique pauperum curam commendantis, Paulus eorum curam gesserit.* EVANGELII VESTRI *Lucæ scilicet, à Marcione corrupti.* RETRACTATV. *Censies dixi, vti solitum compositis, tractatum intelligit, siue librum quartum contra Marcionem, maximè cap.14. vbi profert multos locos veteris Testamenti ad solicitudinem pauperum inuitantis; vel retractatum dicit, quod identidem, dictum Euangelium Marcionis vocet in medium, vt ex eo conuincat aduersarium.* DE LEGE SOLA. *De obseruantiis legis, non autem de fide noui Dei, & alterius quam Creatoris, constat inter Paulum aliosque Apostolos fuisse quæstionem. Locum integrum dabo. Gal.2. 9.* Cum cognouissent gratiam quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis: vt nos in Gentes *scilicet iremus prædicatum* ipsi autem in circumcisionem: *ad populum Iudæum circumcisum* tantum vt pauperum memores essemus; quod etiam solicitus fui hoc ipsum facere. *Transfert. Syr.* Proinde mihi curæ fuit hoc ipsum agere. *Quem locum Augustinus pulchrè suo more exponit to. 4. libro Exposit. ad Gal. cap. 2.* Petrus & Iacobus & Ioannes honoratiores in Apostolis erant, quia ipsis tribus se in monte Dominus ostendit in significatione regni sui, cum ait Matth. 16. 28. sunt hîc quidam de circumstantibus qui non gustabunt mortem donec videant filium hominis in regno Patris sui. Nec ipsi erant columnæ, sed videbantur. *Intellige quod videbantur esse solæ ille tres; vel quod non firmiter stabant, pro lege gratia, sed nutabant adhuc, timentes Iudæos, & nunc pro lege veteri & Iudæis, nunc pro Gentilibus erant noue-* B *rat enim Paulus sapientiam ædificasse sibi domum,* & non tres columnas constituisse, sed septem: *Prouerb. 9.1.* qui numerus vel ad vnitatem Ecclesiæ refertur; solet enim pro vniuerso poni, sicut in Euangelio dictum est Matth. 19. 29. accipiet in hoc sæculo septies tantum; ac si diceret, quasi nihil habentes sed omnia possidentes. 2. Cor. 6. 10. vnde etiam Ioannes Apoc.1. 4. ad septem scribit Ecclesias, quæ vtique vniuersalis Ecclesiæ personam gerunt: vel certè ad septenariam operationem Spiritus sancti magis refertur septenarius numerus columnarum, Sapientiæ, & intellectus, consilij, & fortitudinis, scientiæ, & pietatis, & timoris Dei; quibus operationibus domus filij Dei, hoc est Ecclesia continetur, *fulcitur.* Quod autem ait, tantum vt pauperum memores essemus, &c. communis cura erat omnibus Apostolis de pauperibus Sanctorum *de quibus ipse Paulus ait, necessitatibus Sanctorum communicantes* qui erant in Iudæa, qui rerum suarum venditarum pretia, ad pedes Apostolorum posuerant. Sic ergo ad Gentes missi sunt Paulus & Barnabas, vt Ecclesiæ Gentium, quæ hoc non fecerant, ministrarent oratione ipsorum *commendatione, persuasione* eis qui hoc fecerant. Sicut ad Romanos dicit. 15. 25. Nunc autem pergam Ierusalem ministrare sanctis, placuit enim Macedoniæ & Achaiæ communionem aliquam facere in pauperes Sanctorum qui sunt in Ierusalem. Placuit enim illis, & debitores eorum sunt. Si enim spiritalibus eorum communicauerunt Gentes, debent & in carnalibus ministrare eis. *Et per hæc patet quàm emineat supra communem mendicitatem paupertas Euangelica, cùm sanctos eos scriptura dicat: & quidem qui spiritu & voluntate omnia pro Christo reliquerunt à Christo commendati sunt dum ait:* beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

C

S. Aug.

2. *Paulus Gentilibus fit Gentilis, & quasi elementis seruiens.* 5. *cont. Marc. cap.* 4. *in p.*

ADhuc, inquit, [a] *secundùm hominem dico, dum essemus paruuli, sub elementis mundi eramus positi, ad deseruiendum eis.* Atquin non est hoc humanitùs dictum: Non enim exemplum est, sed veritas. Quis enim paruulus, vtique sensu, quod sunt nationes; non elementis subiectus est mundi, quæ pro Deo suspicit? Illud autem facit, quod quum [b] *secundùm hominem* dixisset, *tamen testamentum hominis nemo spernit aut superordinat.* Exemplo enim humani testamenti permanentis, diuinum tuebatur. a Gal. 4. 3. b Gal. 3. 15.

3. *Et vide supra verbum Pauli doctrina num. 9.*

PAVLI VIRTVTES. 1. SCHOL.

ADHVC SECVNDVM HOMINEM. *In nullis Bibliis, Latinis, Græcis, Syriacis, habetur*, secundùm hominem, *sed ex præcedenti capite Tertullianus hoc deuoluit in istud. Nam Gal.* 3. 15. *ait*, fratres, secundùm hominem dico. *Et quidem cùm versu* 14. *egisset de benedictione Gentium Abrahæ promissa in Christo, & promissione Spiritus sancti, potuit & sequenti capite de iisdem agens, iterum hanc clausulam sumere.* DVM ESSEMVS PARVVLI. *Gal.* 4. 1. 1. *& seq.* Dico autem: quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit Dominus omnium: sed sub tutoribus & actoribus est vsque ad præfinitum tempus à patre: ita & nos cùm essemus paruuli sub elementis mundi eramus seruientes. NON HVMANITVS. *Arguit quod dixerat*, secundùm hominem, *quinimò, inquit, non communi & humano loquendi modo; vel, non vt homo omnis mendax, nec parabolicè, sed verè, & vt supra pluries ex Augustino diximus*, non mentientis astu, sed compatientis affectu, *licet Iudæus & fidelis, & non Gentilis idolis seruiens, & elementa quasi Deos suscipiens aut suspiciens, & stupidè admirans; tamen vt Gentium Apostolus & Medicus verè compatiens ægrotis & cæcis; & considerans potuisse se vel nasci Gentilem, vel à fide in idololatriam labi, nisi gratiâ præuentus esset; hinc de se quasi cum gentium massâ concreto, nisi inde misericordia Dei discretus fuisset, & vt ipse ait Rom.* 1. Vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei; *Et ad Gal.* 1. 15. Cùm autem placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me, vt Euangelizarem illum in Gentibus: *Ideo de se tanquam Gentili loquitur. Accipe in hanc rem Augustinum, libro Exposit. ad Gal. c.* 4. *vbi cùm dixisset iuxta Paulum Gal.* 3. 28. Omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu. Si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis secundùm promissionem hæredes. Superius, inquit, dixerat, non dicit & seminibus tanquam in multis, sed tanquam in vno, & semini tuo, qui est Christus. Hic ergo ostendit vnum semen Christum, non tantùm ipsum mediatorem intelligendum esse, verum etiam Ecclesiam, cuius ille corporis caput est: vt omnes in Christo vnum sint, & capiant secundùm promissionem, hæreditatem per fidem, in quam conclusus erat, id est, in cuius aduentu tanquam sub Pædagogo custodiebatur populus, vsque ad ætatis opportunitatem; quâ in libertatem vocandi erant qui in eodem populo secundùm propositum vocati sunt, id est qui in illa area frumentum inuenti sunt. Ad hoc enim subiungit: dico autem quanto tempore hæres, &c. quæri autem potest quomodo secundùm hanc similitudinem sub elementis huius mundi fuerint Iudæi, cùm illis per legem quam acceperunt, vnus Deus qui fecit cœlum & terram commendaretur. Sed potest esse alius exitus capituli huius, vt cùm superius legem Pædagogum fecerit, sub quo erat ille populus Iudæorum; Nunc procuratores & actores dicat elementa mundi, sub quibus seruierunt Gentes: vt filius ille paruulus, id est populus, propter vnam fidem, ad vnum semen Abrahæ pertinens, quoniam & de Iudæis, & de Gentibus congregatus est; partim fuerit sub Pædagogo legis, tempore pueritiæ suæ, id est ex ea parte quâ de Iudæis cōgregatus est; partim sub elementis huius mundi, quibus tanquam procuratoribus & actoribus seruiuit, *elementa enim diabolo seducente, pro Deorum cultu procurabant, & res agebant idololatriæ, cum his tanquam diis Gentiles seruirent*, ex ea parte quâ de Gentibus congregatus est: vt quod immiscet Apostolus personam suam, non dicens, cùm essetis paruuli, sub elementis huius mundi eratis seruientes; sed dicens, cùm essemus paruuli, &c. non pertineat ad significationem Iudæorum, ex quibus Paulus originem ducit, sed magis ad Gentium, hoc dumtaxat loco: quoniam & eorum personæ decenter se potest annectere, quibus ad Euangelizandum missus est. NON EXEMPLVM. *Non est parabola, aut figura, quòd Gentiles paruulos dixit, verè enim paruuli Gentiles erant, & sensu paruuli, qui carebant intellectu. Quis enim non est paruulus & iudicio carens, qui tanquam diis se subiicit, & seruit mundi huius elementis? Sic Gentiles sub paruulorum nomine vocantur ad fidem, & ad Christi mensam Prouerb.* 9. 3. *Cùm enim dixisset*: sapientia ædificauit sibi domum, *Ecclesiam* excidit columnas septem; *iuxta Aug. Schol. præcedenti septem Ecclesias Asiæ, septem dona Spiritus sancti, ex aliis septem Sacramenta*, immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam: *subiicit*: misit ancillas suas vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis: Si quis est paruulus veniat ad me, & insipientibus locuta est: venite comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis. Relinquite infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ: *postrema sic efferunt* 70. Misit seruos suos, conuocans cum excelsa prædicatione ad craterem; dicens: qui est insipiens declinet ad me, & egentibus sensu dixit: venite, edite de meis panibus, & bibite vinum quod miscui vobis. Derelinquite stultitiam, vt in sæculum regnetis: & quærite prudentiam, & corrigite in scientia intelligentiam. *Sic & Paulus ipse*; paruuli malitiâ estote, & non sensibus. FACIT, *ad propositum nostrum, contra Marcionem respuentem vetus Testamentum, quod Paulus quamuis Apostolus noui Testamenti, & eius mediatoris Christi, multò magis non spernendam dicit; cùm secundùm hominem loquens, etiam hominis testamentum non esse spernendum asserit, & secundùm hominem quidem loquens, de Testamento Dei Creatoris, id cum hominis testamento componit. Sic Gal.* 3. 15. Fratres secundùm hominem dico, tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat. *Id est aliter quàm testator disposuit, vel præter, vel super, aut contra ordinat. translat. Syr. expressiùs*: fratres, tanquam inter homines loquor; testamentum hominis quod confirmatum est *per mortem scilicet testatoris* nemo reprobat, aut inuertit in eo quidquam. *Prosequitur vulgata*: Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius, &c. Hoc autem dico, testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non irritum facit, ad euacuandam promissionem. *Aug. hunc locum breuiter sic exponit ad mentem Tertulliani, libro Exposit. ad Gal. cap.* 3. Testamenti humani mentionem facit, quod vtique multò est infirmius quàm diuinum. Tamen hominis confirmatum, &c. quia cùm testator mutat testamentum, non confirmatum mutat: testatoris enim morte confirmatur. Quod autem mors testatoris valet ad confirmandum testamentum eius, quia consilium mutare iam non potest; hoc immutabilitas promissionis Dei valet ad confirmandam hæreditatem Abrahæ, cuius fides deputata est ad iustitiam. Et ideo semen Abrahæ cui dictæ sunt promissiones, Christum dicit Apostolus, hoc est omnes Christianos fide imitantes Abraham; quod ad singularitatem redigit, commendando, quod non dictum est, & seminibus; sed, semini tuo: quia & vna est fides; & non possunt similiter iustificari qui viuunt ex operibus carnaliter, *id est ex operibus legis quas Paulus vocat iustitias*

stitias carnis, id est exteriores, cum iis qui viuunt ex fide spiritaliter. *Et hac contra Marcionem dicta suffi*ciant, *cùm Paulus laudet & approbet vetus Testamentum, quod expressè dicit à Deo suo confirmatum.*

4. *Paulus exemplo, verbo, & censurâ, omnem castitatem seruare docuit. De pudic. cap. 15. in fin. & 16. in princ.*

IGnorant Apostolum omnes isti, qui aliquid contra naturam atque propositum hominis ipsius, contra formam & regulam doctrinarum eius intelligunt, vt sanctitatis omnis etiam ex semetipso magistrum; impuritatis omnis execratorem & expiatorem, & vbique talem, citiùs incesto, quàm alicui humaniori reo Ecclesiam reddidisse præsumant. Necesse est igitur vsque illis Apostolum ostendi, quem ego & in secunda Corinthiorum talem defendam, qualem in omnibus litteris noui. qui & in prima, primus omnium templum Dei dedicauit? [a] *Non scitis vos templum Dei esse? & in vobis Dominum habitare?* qui & templo sanciendo, purificandóque æditualem legem scripsit, [b] *Si quis templum Dei vitiauerit, vitiabit illum Deus, templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* 1. Cor. 7. 7. 1. Cor. 5. 13 Cap. XVI. a 1. Cor. 3.16. b Ibid. 17.

5. *Et de pudic. cap. 16. à princ.*

AGnosce & in sequentibus Paulum, columnam immobilem disciplinarum, [a] *Cibi ventri, & venter cibis; Deus & hunc & illos conficit; corpus autem non fornicationi, sed Deo. Faciamus enim hominem*, ait Deus, [b] *ad imaginem & similitudinem nostram. & fecit hominem Deus, ad imaginem & similitudinem Dei fecit illum. Dominus corpori, & Sermo enim caro factus est. Deus autem & Dominum suscitauit, & nos suscitabit per virtutem suam*, propter corporis scilicet nexum cum illo. Et ideò, [c] *Scitis corpora vestra membra Christi*; quia & Christus Dei templum; [d] *Euertite templum hoc, & ego illud in triduo resuscitabo.* [e] *Auferens membra Christi, faciam membra fornicariæ? Non scitis quòd qui adglutinatur fornicariæ. vnum corpus efficitur? erunt enim duo in vnam carnem. Qui autem adglutinatur Domino, vnus est spiritus. Fugite fornicationem.* a 1. Cor. 6. 13. b Gen. 1. 26. 1. Cor. 6. 13. Ioan. 2. 14. 1. Cor. 6. 14. c Ibid. 15. d Io. 2. 19. e 1. Cor. 6. 15.

6. *Et ibid. cap. 16. in med.*

SI vis omnem notitiam Apostoli ebibere, vt intelligas quantâ securi censuræ omnem siluam libidinum cædat, & eradicet, & excaudicet, ne quidquam de recidiuo fruticare permittat, adspice illum à iusta fruge naturæ, à matrimonij dico pomo animas ieiunare cupientem. [a] *De quibus autem scripsistis: Bonum est homini mulierem non contingere. sed propter fornicationem vnusquisque vxorem suam habeat, vir vxori, & vxor viro debitum reddat.* Huius boni fibulam quis illum nesciat inuitum relaxasse, vt fornicationi obuiam esset? a 1. Cor. 7. 1.

7. *Et ibid. cap. 16. in fin.*

QVis iste est assertor audacissimus omnis impudicitiæ, mœchorũ & fornicatorum & incestorum planè fidelissimus aduocatus, quibus honorandis, suscepit hanc causam aduersus Spiritum sanctum, vt falsum testimonium recitet de Apostolo eius? Nihil tale Paulus indulsit, qui totam carnis necessitatem de probis etiam titulis obliterare conatur. *Indulget* sanè non adulteria, sed nuptias: *Parcit*, sanè matrimoniis, non stupris. Tentat, ne naturæ quidem ignoscere, ne culpæ blandiatur; studet compescere benedictionis concubitum, ne maledictionis excusetur. Hoc ei supererat, carnem vel à sordibus purgare; à maculis enim non potest. 1. Cor. 7. 6. 1. Cor. 7. 28.

8. *Et de pudic. cap. 17. in princ.*

PRouoca ad Apostolicam aciem; adspice epistolas eius, omnes pro pudicitia, pro castitate, pro sanctitate prætendunt, omnes in luxuriæ & lasciuiæ & libidinis negotia iaculantur. Quid denique & Thessalonicensibus scribit? [a] *Aduocatio enim nostra non ex seductione, nec ex immunditia.* & [b] *Hæc est voluntas Dei, sanctimonia vestra, abstinere vos à fornicatione, scire vnumquemque vas suum possidere in sanctimonia & honore, non in libidine concupiscentiæ, sicut Nationes quæ Deum ignorant.* Quid Galatæ legunt? [c] *Manifesta sunt opera carnis.* Quænam ista? In primis posuit *fornicationem, immunditiam, lasciuiam, quæ prædico vobis sicut prædixi, quod qui talia agunt, regnum Dei non sunt consecuturi hereditate.* a 1. Thess. 2. 3. b 1. Thess. 4. 3. & 4. c Gal. 5. 19

9. *Et ibid. circa fin.*

QVi nec verbo pollui volens, [a] *Omnis*, inquit, *sermo turpis non procedat ex ore vestro.* Item, [b] *Fornicatio autem & immunditia omnis ne nominetur quidem inter vos, sicut decet sanctos*, (tantò abest vt excusetur) *hoc scientes, quòd omnis fornicator & immundus non ha-* a Ephes. 4. 26. b Ephes. 5. 3.

beat Dei regnum. Nemo vos seducat inanibus verbis. Propter hoc venit ira Dei super filios incredulitatis.

PAVLI VIRTVTES. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. SCHOL.

A OMNES ISTI. *Aggreditur Catholicos, Presbyteros, & Episcopos recipientes lapsos ad pœnitentiam, quos à venia & Ecclesiâ excludi volebat.* CONTRA NATVRAM, *quasi naturalem habebat castitatem Paulus.* PROPOSITVM, *seruanda virginitatis. Sapiùs hac voce vtitur Augustinus, pro voto Religionis, quod includit inter alia, votum castitatis.* SANCTITATIS, *castimonia omnis, virginalis scilicet coniugalis & vidualis.* EX SEIPSO, *dum ait 1. Cor. 7. 7.* Volo enim omnes vos esse, sicut meipsum. *Syr. si quidem ego velim omnes homines esse sicuti sum puritate*, sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic. *Et versu 25.* De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. S. Aug. *Quem locum Aug. tractat lib. de S. virginitate cap. 13. & 14. de quo alibi iam diximus.* B EXPIATOREM, *dum scilicet vindicat castitatem, excommunicato & tradito Sathana illo incestuoso Corinthio, de quo 1. Cor. 5. 3. & seq.* Iudicaui vt præsens eum qui sic operatus est in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu, tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat in die Domini nostri Iesu Christi. *Et versu vltimo.* Auferte malum ex vobisipsis. *Translat Syr.* Tollite autem sceleratum è medio vestri. *Hunc locum exposuit Augustinus libro tertio contra Parmenianum cap. 2.* S. Aug. Cùm dixisset Apostolus tradere huiusmodi Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini Iesu: etiam atque etiam commendans humilitate lugentium hoc debere fieri, non superbiâ sæuientium, continuò subiecit, non bona gloriatio vestra, vel per exprobrationem pronuntiationis: bona gloriatio vestra: sic enim nonnulli, & maximè Latini Codices habent: tamen eadem in vtroque sententia teneatur. Non enim metuendum est, ne quis intelligat laudando eum dixisse, bona gloriatio vestra: cùm & superiùs dixerit, Inflati estis, & non potiùs luctum habuistis. Et hîc continuò subiungit: Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? quod ad ipsam inanis gloriationis corruptionem referri potest. Superbia quippe velut ex vetustate primi hominis, qui superbiâ lapsus est, quasi fermẽtatâ & corruptâ mente facit elatos in vnam conspersionem, qui sibimet in eam simili iactantiæ vnitate consentiunt. Et gloriari quidem non de peccatis suis, sed super alterius peccata, tanquam ex comparatione innocentiæ suæ, modicũ videtur fermentum; quia de suis etiam iniquitatibus gloriari, multum fermentum est. Sed & illud modicum totam massam corrumpit. Cadit enim superbus merito superbiæ suæ, & incipit etiam peccata sua defendendo, velle gloriari; quod prouidens idem Apostolus ait, quapropter qui se existimat stare, videat ne cadat. Et iterùm Gal. 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, instruite huiusmodi in spiritu mansuetudinis, attendens teipsum ne & tu tenteris, &c. Nam & in illo Pharisæo modicum fermentum esse videbatur, quia peccatorem non solùm non dolebat, sed super eius peccata de suis se meritis extollebat. Sed descendit ille confitens peccata sua, iustificatus, magis quàm ille Pharisæus iactans merita sua: quoniam qui se exaltat, &c. Sed ne perniciosè relinquantur, & quasi dissimulanter negligantur aliena peccata, quod non est minoris crudelitatis, quàm

A illud superbiæ; sequitur, & dicit: Scripsi vobis in epistola non commisceri fornicariis, &c. Alioquin debueratis de hoc mundo exiisse. Opus enim vestrum in hoc mundo illud est, vt peccatores Christo ad salutem lucremini? quod fieri non poterit, si eorum colloquia conuictúmque fugiatis, &c. *Pergit cum Paulo prohibente cibum cum huiusmodi sumere, & concludente ob perniciem ex vno incestuoso membro in totum corpus imminentem:* Auferte malum ex vobisipsis. *Tum contra Parmenianum torquet; quod ego in Tertullianum plus æquo in lapsos seuerum.* S. Aug. Ecce quemadmodum ad hanc sententiam venit Apostolus, cuius vltimam particulam ponendam credidit Parmenianus, dicens esse scriptum, auferte malum ex vobisipsis. Quod, inquit, vtique si bonis & integris non noceret, non iuberetur auferri, &c. B Itane vos & fornicatores & idolis seruientes, aut non habetis, aut eos ignoratis? nullúmne auarum aut maledicum, aut ebriosum, aut rapacem inter vos videtis & nostis? cur ergo cum talibus contra præceptum Apostoli, non solùm cibum mensæ vestræ sumitis, sed etiam cœnam mensæ Dominicæ communicatis? HVMANIORI REO, *magis veniali & excusabiliori delicto, ex humana fragilitate contracto.* ECCLESIAM REDDIDISSE, *exclusum ab Ecclesiæ Sacramentis & communione fidelium, recepisse ad veniam.* VSQVE ILLIS, *vsquequaque abundanter, plenè.* PRIMVS DEDICAVIT, *primus dixit corpora casta templum esse Spiritus sancti.* SANCIENDO, *sanctificando, consecrando.* ÆDITVALEM LEGEM, *alibi dixit,* C huius templi Ædituam esse pudicitiam. *Et nunc ait Paulum quasi adituum & præfectum templi, legem tulisse sub pœna diuinæ vltionis, templum incorruptum seruari. Nota, Æditnos esse*, qui ædes tuentur, maximè qui ædes sacras curant & custodiunt. *Quam definitionem probat Theophilus §. tutor. instit. de tutel. Vlpianus in l. 3. §. si tabulæ. ff. de tab. exhib.* Tabularum custodiam Æditiuus suscepit. *In æde autem sacra res controuersæ deponi solebant l. 1. §. si pecunia. Et §. sequenti. ff. depos. hodie obsignatio & depositio fit apud Acta & causarum tabularios, quos vocamus Gallicè* Greffiers, *quos Scæuola in lege Annua. ff. de annuis legatis, Hierophylaces, quasi sacrorum custodes vocat.*

V. COLVMNAM IMMOBILEM, *constantem in commendanda restrictione voluptatum carnalium, tam gulæ,* D *quam luxuria.* CIBI, &c. 1. Cor. 6. 13. Esca ventri, & venter escis, *supple seruit*, Deus autem hunc & has destruet: corpus autem non fornicationi *factum est vt seruiret*, sed Domino: & Dominus corpori. Deus verò & Dominum suscitauit, & nos suscitabit per virtutem suam: nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit. an nescitis quoniam qui adhæret meretrici, vnũ corpus efficitur? erunt enim, inquit, duo in carne vna: qui autẽ adhæret Domino, vnus spiritus est. Fugite fornicationem. FACIAMVS ENIM, &c. *Particula illatiua, aptè concludit, ex eo quod homo, & caro eius, Dei opus est, quod sua manu sancta castáque firmauit, idque de terra incorrupta & virgine, opus tantùm non fornicationi seruire debere, sed suo figulo & opifici.* SERMO ENIM. Verbum caro factũ est. *Et sic Dominus & factor carnis: se ad carnem vsque subiecit, & exinaniuit ad formam serui, vt humano corpori, se omnibus seruiturus vniret.* DEVS AVTEM, &c. *Pater Dominũ nostrum eius filiũ excitauit à mortuis, nec dedit sanctum eius*

corpus videre corruptionem ; & propter vnitatem carnis nostra cum suâ à nobis susceptâ, à corruptione corpora quoque nostra in incorruptionem vindicabit. O quanta motiua, & stimuli ad viam incoinquinatam & castam decurrendam! An complexabitur stercora caro induenda croceis, & vestienda lumine sicut vestimento, tenebrosis operibus incubabit, & non induetur potius arma lucis? induta Dominum Iesum, in cubilibus & impudicitiis accubabit? EVERTITE TEMPLVM. *Ioan.* 2. 19. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. *Translat. Syr.* Destruite templum hoc, & tribus diebus ego erigam illud. QVI ADGLVTINATVR FORNICARIÆ. *Translat Syr.* Adiungitur scorto *Totum hunc locum Pauli subtilissimè ab* S. Aug. *Aug. expositum iam alibi retuli, ser.* 18. *de verb. Apostoli. Hic addo in hanc rem locum eiusdem, ex lib.* 21. *de Ciuit. cap.* 25. *in fin.* Non manent in Christo, qui non sunt membra eius. Non sunt autem membra Christi, qui se faciunt membra meretricis, nisi malum illud pœnitendo esse destiterint, & ad hoc bonum reconciliatione redierint. VNVS EST S. Aug. SPIRITVS. *Hunc item explicat lib.* 6. *de Trinitate, cap.* 3. Nescio vtrùm inueniatur in Scripturis dictum, vnum sunt, quorum est diuersa natura. Si autem aliqua plura eiusdem naturæ sint, & diuersa sentiant, non sunt vnum in quantùm diuersa sentiunt, &c. Cùm ergo sic dicitur vnum, vt non addatur quid vnum, & plura vnum dicantur, eadem natura atque essentia non dissidens, nec dissentiens significatur. Cùm verò additur, quid vnum, potest aliquid significari ex pluribus vnum factum, quamuis diuersis naturâ, sicut anima & corpus non sunt vtique vnum; quid enim tam diuersum, nisi addatur, aut subintelligatur quid vnum, id est vnus homo, aut vnum animal? inde Apostolus, qui adhæret meretrici, &c. non dixit, vnum sunt, aut vnum est, sed addidit corpus, tanquam ex duobus diuersis, masculino & fœminino, vnum corpus adiunctione compositum. Et qui adhæret Domino, inquit, vnus spiritus est: non dixit, qui adhæret Domino, vnus est, aut vnum sunt, sed addidit, spiritus. Diuersum enim est naturâ, spiritus hominis, & spiritus Dei: sed inhærendo fit vnus spiritus, ex diuersis duobus: ita vt sine humano spiritu beatus sit Dei spiritus atque perfectus: beatus autem spiritus hominis non nisi cum Deo. ET ILLOS CONFICIT. *Paulus non de præsenti sed de futuro* S. Aug. *bene destruet. de quo sic Aug. lib.* 10. *Confess. cap.* 31. Est alia malitia diei, quæ vtinam sufficiat ei. Reficimus enim quotidianas ruinas corporis, edendo & bibendo, priusquam ventrem & escas destruas, cùm occideris, indigentiam meam satietate mirificâ & corruptibile hoc indueris incorruptione sempiternâ. Nunc autem suauis est mihi necessitas, & aduersus istam suauitatem pugno, ne capiat, & quotidianum bellum gero in ieiuniis, sæpiùs in seruitutem redigens, &c. *Et in Psalm.* 50. *Libera me* S. Aug. *de sanguinibus, &c.* Ostendit quia cùm fuerit salus perfecta in isto corpore, corruptio in eo non erit, quæ intelligitur nomine carnis & sanguinis. Ipsa est enim perfecta sanitas corporis. Nam modò, quomodo sanum est quod labitur, quod indiget, quod habet perpetuam quandam ægritudinem famis & sitis? Hæc & tunc non erunt, quia esca ventri, & venter escis? Deus autem & hunc & has euacuabit. Erit forma corporis perfecta ex Deo, absorptâ morte in victoriam, nullâ remanente corruptione, nullâ surrepente deceptione, nullis mutata ætatibus, nullo labore lassata, vt nullo cibo fulciatur, & aliquâ escâ reficiatur. Sed non erimus sine esca & potu. Ipse erit cibus noster Deus, & potus noster. Solus ille cibus reficit, nec deficit. *En vt Augustinus esca-*

A *rum voluptati, & complexus carnalis deliciis, quasi post Paulum Tertullianus auersatur, Deum pro cibo & potu & amplexu, Deum ipsum substituit, vt absque dolore, vnico suauissimo bono Deo suo inhæreat, dum ait lib.* 10. *Confess. cap.* 28. Cùm inhæsero tibi ex S. Aug. omni me, nusquam erit mihi dolor & labor, & viua erit vita mea tota plena te.

VI. NOTITIAM EBIBERE, *quasi spongiâ aquam, scitè dictum, vsu Scripturæ. Sapientia enim de se dicit:* Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient: *Et rursum:* Cibauit illum pane vitæ & intellectus, & aquâ sapientiæ salutaris potauit illum. *Et Paulus de Christo æterna Patris Sapientia:* Bibebant de consequente eos petra: petra au-B tem erat Christus. *Et Augustinus de ipso Paulo,* S. Aug. *Psalmo centesimo tertio:* Qui emittis fontes in conuallibus, &c. *Et conuallem humilitate, & fontem abundantiâ sapientiæ, & aquam in medio montium, cum cæteris Apostolis communione doctrinæ nuncupauit.* EXCAVDICET. *vsque ad extremum truncum eradicet. Caudex enim est quod in fruticibus, & arboribus à radice super terram assurgit. Est & caudex, sedes meretricia, quæ plerumque ex truncis fieri solebat. Vnde Iuuenalis:*

Horrida quale facit residens in caudice pellex: *alij legunt, codice, eadem significatione.* DE RECIDIVO, *id est ex præcisis iam vitiis carnis reproducere & pullulare permittat.* IVSTA FRVGE, *fructu & vsu legitimo matrimonij.* POMO. *Pulchrè, maturo pomo,* C *comparat fructum voluptatis corruptibilis carnis, qui carpitur iustè & sine peccato, in maturâ & nubili ætate inter legitimè coniunctos, à quo tamen pomo doctè dicit Paulum optasse suos discipulos ieiunare, castitatem præeligens nuptiarum deliciis. Et vir quidem profunda doctrina respexit ad primum Paradisi pomum, quo vetito quia non abstinuit homo, statim fructum innocentiæ perdidit; & appetitu sensitiuo rebellante, mutuo vir & fœmina concupiscentiis ad fructum matrimonij corruptibilem carpendum exarserunt. Tum verò addicti sunt morti, & fructu, vt ait Tertullianus, immaturo* in mortem cruditante, *impletum est in eis. quod ait Iob* 9. 25. Dies mei velociores fuerunt cursore: fugerunt, & non viderunt bonum. Pertransierunt quasi naues poma portan-D tes, sicut aquila volans ad escam. *Septuaginta sic vertunt:* Vita autem mea leuior est cursore: aufugerunt, & non viderunt: *supple dies vitæ; vllum bonum permanens, quia quæ videntur temporalia sunt.* Numquid & est nauibus vestigium viæ, aut aquilæ volantis, quærentis escam? *præceps ad escam vetitam volauit homo, mortis sententiam incurrit, vestigium viæ Paradisi, ab eo proiectus, nusquam inde inuenire potuit, vita mortalis cursore leuior quotidie decurrit ad mortem: nihil corpora humana præter poma & fructus carnis corruptibiles ferunt. Ab his suadet pomis ieiunare Paulus dum ait* 1. *Corinthiorum* 7. 1. *& seq.* De quibus autem scripsistis mihi: bonum est homini mulierem non tangere: *Aduerte Le-*E *ctor, aptè dictum bonum esse homini mulierem non tangere, de cuius manu fructum prohibitum homo tangere non debebat. Dixerat enim Eua Genes.* 3. 3. *Præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Paraph. Chald. Non comedetis ex eo, neque accedetis ad eum.* propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat. Vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro. *De hoc loco sæpiùs Augustinus. Vnum aut alterum subnexam. In Enchi-* S. Aug. *rid. cap.* 121. Quæcumque mandat Deus, ex quibus vnum est, Non mœchaberis: & quæcumque non iubentur, sed speciali consilio monentur:

ex quibus vnum eſt ; bonum eſt homini mulierem non tangere : tunc rectè fiunt , cùm referuntur ad diligendum Deum , & proximum propter Deum, & in hoc ſæculo & in futuro , &c. *In epiſtola autem ad Edictam , vbi fusè totum hunc locum excurrit.*

S. Aug. Quod Deo pari conſenſu voueratis , perſeueranter vſque in finem reddere ambo debuiſtis : à quo propoſito ſi lapſus eſt ille , tu ſaltem conſtantiſſimè perſeuera. Quod te non exhortaret , niſi quia tibi ad hoc ipſe conſenſerat. Nam ſi nunquam tenuiſſes eius aſſenſum , numerus te nullus defendiſſet annorum , ſed poſt quantumlibet tempus me conſuluiſſes , nihil tibi aliud reſponderem niſi quod ait Apoſtolus. Vxor non habet poteſtatem corporis ſui , ſed vir. De qua poteſtate ſic tibi iam permiſerat continentiam, vt eam tecum & ipſe ſuſciperet. Sed illud eſt, quod minùs te obſeruaſſe contriſtor , quia tantò humiliùs & obedientiùs ei obſequi in domeſtica conuerſatione debuiſti , quantò ille religioſiùs tibi rem tam magnam etiam imitándo conceſſerat. Non enim quia pariter temperabatis , à commixtione carnali , ideò tunc maritus eſſe deſtiterat ; imò verò tantò ſanctiùs inter vos coniuges manebatis , quantò ſanctiora concorditer placita ſeruabatis , &c. Denique factum eſt , vt vinculum continentiæ , quo ſe dilectus ille innexuerat, contemptus abrumperet , *per adulterium*, & iratus tibi , non parceret ſibi , &c. *De reddendo autem debito , dat exemplum inſigne Abrahæ , qui & Sara poteſtatem habente corporis ſui , petente , vt Agar ancillæ iungeretur , paruerit libro 16. de Ciuit. cap. 25.*

S. Aug. Vſus eſt eâ quippe ad generandam prolem non ad explendam libidinem ; nec inſultans , ſed potiùs obediens coniugi ; quæ ſuæ ſterilitati credidit eſſe ſolatium , ſi fœcundum ancillæ vterum , quoniam naturâ non poterat , voluntate faceret ſuum ; & eo iure , quo dicit Apoſtolus ; ſimiliter & vir non habet poteſtatem corporis ſui , ſed mulier ; vtetetur mulier ad pariendum ex altera , quod non poterat ex ſeipſa. Nulla eſt hic cupido laſciuiæ , nulla nequitiæ turpitudo. Ab vxore , cauſâ prolis, ancilla marito traditur ; à marito cauſâ prolis accipitur , ab vtroque , non culpæ luxus , ſed naturæ fructus , exquiritur. *Tertullianus in textu noſtro, iuſtam naturæ frugem dixit.* Denique cùm ancilla grauida Dominæ ſterili ſuperbiret , & hoc Sara ſuſpicione muliebri viro potiùs imputaret , etiam ibi demonſtrauit Abraham , non ſe amatorem ſeruum, ſed liberum fuiſſe genitorem ; Et in Agar , Saræ coniugi pudicitiam cuſtodiſſe ; nec voluptatem ſuam , ſed voluntatem illius impleuiſſe : accepiſſe, nec petiiſſe ; acceſſiſſe non hæſiſſe : ſeminaſſe , non amaſſe. Ait enim : Ecce ancilla tua in manibus tuis , vtere ea quomodo tibi placuerit. O virum viriliter vtentem fœminis ; coniuge temperanter ancillâ obtemperanter , nullâ intemperanter. *Vide & eundem in hanc rem libro 22. contra Fauſtum cap. 30. Nec tamen in exemplum iam vocari poteſt , vt liceat iam vxori dare ancillam viro. Nam Geneſi 16.* Sara dedit eam viro ſuo vxorem , *& tunc pluralitas vxorum erat licita.* HVIVS BONI , *caſtitatis ſcilicet.* FIBVLAM , *conſtringentem ab omni copula & voluptate carnali.* INVITVM , *quia voluiſſet omnes eſſe virgines ſicut ſeipſum.* RELAXASSE , *dum ait* , nubat qui volet. *& vt præueniret lapſus carnis in illicitam fornicationem , cùm dixit :* Propter fornicationem vnuſquiſque vxorem ſuam habeat.

VII. QVIS ISTE. *Vel Papam & Pontificem Maximum aggreditur , de quo hoc ipſo libro cap. 13. dixerat cum contemptu ; vel aliquem Epiſcopum admittentem in Eccleſiam fornicarium , poſt baptiſmum relapſum.* ASSERTOR : *Vox iuris , ſignificans vindicem alienæ libertatis. Non enim licebat olim ſeruis de libertate agere niſi per aſſertorem , qui vindex erat libertatis alienæ : primo autem aſſertore victo , vel cauſam deſerente , fas erat alteri cauſam agere liberalem , teſte Paulo libro 5. ſententiarum. Vnde & Iuſtinianus pro ſecunda aſſertione non putauit neceſſarium alienæ libertatis vindicem , ſiue procuratorem. Et quidem libro quarto Inſtitutionum tit. 10. non licebat olim pro alio agere , niſi pro populo , pro tutela , pro libertate. Atque vt pro libertate ageretur, non niſi per aſſertorem agi poterat. Vide Balduinum verbo Aſſertor* , Aſſerere item manum , *apud Iuriſconſultos , apud veteres erat cum* rem quampiam vindicabant , & manu prehendebant. *Hinc Tertullianus* , Audaciſſimos aſſertores impudicitiæ *aptè dixit , quamquam erroneè , ſeruituti pœnitentiæ vel cenſuræ Diui Pauli adſtrictos , in libertatem Eccleſiaſticam & fidelium communionem , & ius ciuium ciuitatis ſanctæ Ieruſalem admittentes.* ADVERSVS SPIRITVM *Paracletum ſcilicet Montanum relapſos non admittens ad veniam.* FALSVM TESTIMONIVM , *quaſi imponat Paulo , & malè exponat , quod de inceſto Corinthio dixit* , cum tradidiſſe Satanæ in interitum carnis , vt ſpiritus ſaluus fieret ? *vel quaſi optaſſet luctu & ſupplicatione Corinthiorum ſe permoueri ad dandam ei indulgentiam ; dum ait 1. Cor. 5. 2.* Non magis luctum habuiſtis, &c. TOTAM NECESSITATEM , *coniugij , ad fornicationem vitandam , & prolem ſuſcipiendam.* DE PROBIS TITVLIS , *propter iuſtas etiam cauſas , peccati vitandi, & relinquenda poſteritatis , & amicitiæ coniugalis.* OBLITERARE. *vellet omnino ſi poſſet tollere matrimoniales tabulas , & contractus delere , quibus conſenſu mutuo animorum fit etiam traditio corporum , adeò vt non ſit ampliùs , abſque alterius conſenſu liberum, corpus caſtum ſeruare , in quod tradidit coniugi poteſtatem , & ius omne tranſtulit.* INDVLGET , *1. Cor. 7. 6.* Nolite fraudare inuicem *copulà carnali*, niſi fortè , ex conſenſu , *Syr. niſi cum ambo conſenſeritis ad tempus, vt affligatis vos ad ieiunium & orationem* , ad tempus , vt vacetis orationi : & iterùm reuertimini in idipſum , ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram. Hoc autem dico ſecundum indulgentiam , non ſecundum imperium, volo enim omnes vos eſſe ſicut meipſum. *Quæ indulgentia refertur etiam ad id quod dixerat in principio capitis :* Vnuſquiſque ſuam vxorem habeat. PARCIT , *1. Corinthiorum 7. 28.* Si acceperis vxorem, non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo , non peccauit : tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi. Ego autem vobis parco. TENTAT. *Conatur , conſilio virginitatis.* NATVRÆ , *prolem cupienti.* CVLPÆ, *fornicationi.* BENEDICTIONIS , *benedictum à Deo.* Benedixit enim , & ait , Creſcite & multiplicamini. A SORDIBVS , *grauioribus peccatis carnis.* A MACVLIS , *id eſt , leuioribus ex infirmitate carnis , quæ vitari non poſſunt , in vſu aliquantò immoderatiori coniugij , de hoc loco Pauli , quo parcit , & indulget coniugatis : Auguſtinus tom. 3. in Enchirid. ad Laurent. cap. 78.* S. Aug. Quæ ſunt autem leuia , & quæ grauia peccata , non humano ; ſed diuino ſunt penſanda iudicio. Videmus enim quædam ab ipſis quoque Apoſtolis , ignoſcendo fuiſſe conceſſa : quale illud eſt , quod venerabilis Paulus coniugibus ait : nolite fraudare inuicem , &c. ne vos tentet Satanas propter incontinentiã veſtram : quod putari poſſet non eſſe peccatum , miſceri ſcilicet coniugi , non filiorum procreandorum causâ , quod bonum eſt nuptiale , ſed carnalis etiam voluptatis : vt fornicationis , ſiue adulterij , ſiue cuiuſquam alterius immunditiæ mortiferum malum , quod turpe eſt etiam dicere,

quo poteſt tentante Satana libido pertrahere, incontinentium deuitet infirmitas, poſſet ergo, vt dixi, hoc putari non eſſe peccatum, niſi addidiſſet; hoc autem dico ſecundùm veniam, non ſecundùm imperium. *Vbi Syriaca: hoc autem dico tanquam infirmis, id eſt ex infirmitate carnis venialiter peccantibus, & non ex præcepto* quis autem iam eſſe peccatum neget cùm dari veniam facientibus, Apoſtolica authoritas fateatur?

VIII. PROVOCA. *Tu qui à caſtris lucis transfugas ad Principes tenebrarum, & proinde opera tenebrarum facientes, & tradentes* membra ſua arma iniquitatis peccato, *iterum contendis recipi apud Eccleſiam, veram illam Sunamitem; de qua in Canticis:* quid videbis in Sunamite niſi choros caſtrorum? AD APOSTOLICAM ACIEM. *Si Apoſtoli Pauli*, caſtrorum aciem ordinatam, *adeas, videbis eam vndequaque contra mœchos inſtructam: ſi ad Paulum prouocas quaſi ad Eccleſiaſticæ militiæ Præfectum, & hanc cauſam ad eius tribunal euocas.* ADSPICE EPISTOLAS, *videbis in eius epiſtolis quaſi in armamento, velut turri munitiſſima, ſimili collo ſponſæ*, omnem armaturam fortium *contra omnem impudicitiam pugnantem.* IACVLANTEM. *Et ipſe armorum Dei exercituum egregius fabricator*; ſagittas ſuas ardentibus *libidine* effecit. *Quin & ipſe ſagitta electa, de quo Auguſtinus*, cadit miles diaboli, & ſurgit ſignifer Chriſti. *Et quod ſignum, niſi omnis caſtitatis extulit? dum in* 1. *Cor.* 7. *per totum caput, omnes ſpecies caſtitatis explicat, & ad eas ſingulos vocat, & clarè has ſpecies exponit & ventilat, quas Ioannes & ipſe virgo obſcurè, licet in tot aſtris depingit, & velat; dum ait Apoc.* 12: ſignum magnum apparuit in cœlo; *in Eccleſia militante in caſtris lucis* mulier amicta Sole, *ſplendore maximo ſtatus virginalis* Luna ſub pedibus eius, *in inferiori gradu caſtitatis pudicitia coniugalis, quæ non ita pura; vt quaſi Luna, ex vmbra terræ, aliquas maculas veniales ex voluptate carnis, non contrahat*: in capite eius corona ſtellarum duodecim: *hæc eſt ſanctarum viduarum gloria, de quibus Paulus quaſi ſtellis in firmamento manentibus, ait. Ibidem, verſu* 40. Si dormierit vir eius liberata eſt: cui vult nubat: tantùm in Domino. Beatior autem erit ſi ſic permanſerit ſecundùm conſilium meum. *Vides vt Lunam ſub pedibus, in infimo gradu ponat coniugalem caſtitatem, præ corona & beatitudine viduitatis permanente cum ſtellis?* ADVOCATIO. 1. *Theſſ.* 2. 3 Exhortatio enim noſtra, non de errore, neque de immunditia, neque in dolo. HÆC EST VOLVNTAS. 1. *Theſſ.* 4. 3. Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra: vt abſtineatis vos à fornicatione. *tranſlat. Syr. ab omni ſcortatione*, vt ſciat vnuſquiſque veſtrûm vas ſuum *corpus ſuum* poſſidere in ſanctificatione, & honore: non in paſſione deſiderij ſicut & Gentes quæ ignorant Deum. *Tranſlat. Syr.* Non autem in paſſionibus concupiſcentiæ. *Et verſu* 7. Non enim vocauit nos Deus, in immunditiam, ſed in ſanctificationem. *Hunc locum vide pulcherrimè expoſitum apud Aug. to.* 7. *lib.* 1. *de Nuptiis & concupiſcentia cap.* 8. *per totum. quod alibi puto retulimus. Item lib.* 4. *contra Iulianum cap.* 10. Quis neſcit coniugatis Apoſtolum præcepiſſe, vt ſciret vnuſquiſque eorum ſuum vas poſſidere, hoc eſt vxorem ſuam, non in morbo deſiderij ſicut Gentes quæ ignorant Deum? Qui ergo de hac re Apoſtolum legit, te negligit. Et non erubeſcis iſtum morbum, vel quod tu, quamuis putibundus, fateris, iſtam libidinem introducere in paradiſum, & tribuere coniugibus ante peccatum? ideone tu non in cœno abſconditus latitas, qui libidine carnis & ſanguinis quaſi paradiſi flore roſeo te coronas? *longè à corona ſtellarum marcidi flores carnis, cuius omnis gloria quaſi flos fœni* & tanquam libenter tali colore perfuſus & erubeſcis, & laudas? MANIFESTA SVNT. *Gal.* 5. 19. Manifeſta ſunt autem opera carnis, quæ ſunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes. *Tranſlat. Syr. laſciua cantio*, & his ſimilia; quæ prædico vobis, ſicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. *D. Tho. in hunc locum, diſtinguit hæc vitia carnis. Vt ſit fornicatio, quâ ſolutus accedit ad ſolutam. Immunditia vſus voluptatis contra naturam Impudicitia, circa tactum, aſpectum, & oſcula. Luxuria, ad cogitationes immundas; & ſic intelligitur* 1. *Tim.* 5. Cùm luxuriatæ fuerint in Chriſto *id eſt. Ex eodem luxuria ſumitur pro ſuperfluitate actus venerei, qui plerumque ex ſuperfluitate rerum corporalium venit: quaſi dicat, cùm adoleſcentes viduæ habuerint ſuperabundantiam, per ſuffragium Chriſti, ex eleemoſynis ſcilicet Eccleſiæ, pro Chriſto datis, tunc nubere volunt; ſicut ſedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. Reliqua autem vitia licet ſpiritalia videantur, ea Paulus redigit ad opera carnis; & citat Auguſtinum de Ciuitate. lib.* 14. *c.* 2. & 3. Secundùm carnem viuit quicumque viuit ſecundùm ſeipſum. Vnde caro hîc accipitur pro toto homine. Quidquid ergo prouenit ex inordinato amore ſui, dicitur opus carnis, vel dicendum eſt, quòd aliquod peccatum poteſt dici carnale dupliciter; ſcilicet, quantum ad conſummationem; & ſic dicuntur carnalia illa tantùm, quæ conſummantur in delectatione carnis, ſcilicet luxuriâ & gulâ. Vel quantùm ad radicem: Et ſic omnia peccata dicuntur carnalia, in quantùm ex corruptione carnis anima aggrauatur, vt dicitur Sap. 9. Ex quo intellectus debilitatus faciliùs decipi poteſt, & impeditur à ſua perfecta operatione; vnde ex hoc ſequuntur vitia, ſcilicet hæreſes, ſectæ, & alia huiuſmodi. Et hoc modo dicitur, quòd fomes eſt principium omnium peccatorum. *Aug. autem. Libro de pœnitentia citato à Beda*: quis præſumere audeat de nomine Chriſtiano, & non cum omni obedientia & timore audiat Apoſtolum dicentem: hoc enim ſcitote cognoſcentes, quoniam omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habet hæreditatem in regno Dei & Chriſti? &c. Latiùs autem ad Corinthios hæc dicit: nolite errare; neque fornicatores, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, &c. regnum Dei poſſidebunt, &c. Implicatus igitur tam mortiferorum vinculis peccatorum detrectat aut differt, aut dubitat confugere, ad ipſas claues Eccleſiæ, quibus ſoluatur in terra, vt ſit ſolutus in cœlo, & audet ſibi poſt hanc vitam, quia tantùm Chriſtianus dicitur, ſalutem aliquam polliceri? Nec veridico illo vocis Dominicæ tonitruo contremiſcit; Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. Quod ad Galatas idem Apoſtolus; nonne talia enumerans, eodem fine concludit? manifeſta, inquit, ſunt opera carnis, &c. quoniam qui talia agunt regnum Dei non conſequentur. Iudicet ergo ſeipſum homo in iſtis, voluntate, dum poteſt; & mores conuertat in melius; ne cùm iam non poterit, etiam præter voluntatem, à Domino iudicetur. Et cum in ſe protulerit ſeueriſſimæ medicinæ, ſed tamen medicinæ ſententiam veniat ad Antiſtites, per quos illi in Eccleſia claues miniſtrantur, & tanquam bonus iam incipiens eſſe filius maternorum membrorum, ordine cuſtodito, à præpoſitis Sacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum. Vt in offerendo ſacrificio contribulati cordis, deuotus & ſupplex, id tamen agat quod non ſolum ſibi profit ad recipiendam ſalutem, ſed etiam cæteris ad exemplum. *Vides*

vt vnâ ex parte acerrimè pro castitate pugnet contra vitia carnis; nec tamen, vt Tertullianus, ab Ecclesia clanibus, ordine tamen seruato praiua publica satisfactionis in criminibus scandalosis, arceat maximos peccatores. De exclusis huiusmodi à regno cæli, si absque pœnitentia decesserint, vide eundem Aug. lib. 21. de Ciuit. cap. 25. & to. 4. libro de fide & operibus cap. 15. & to. 10. lib. 50. homiliarum, homilia vltima. Et ser. de conuersione Apostoli. S. Aug.

IX. FORNICATIO AVTEM. *Aug. de turpiloquio, sic libro 4. cont. Iulianum cap. 11. Cùm, vt Scholio præcedenti vidimus, sic de Iuliano conclusisset:* libenter tali colore perfusus, & erubescis & laudas: *ita orditur vndecimum caput:* quid, quòd te tantùm delectat loqui, vt quod confitemur, & docemus, tanquam negemus, superflua prolixitate sermonis probare coneris? quis enim negat futurum fuisse concubitum, etiam si peccatum non præcessisset? sed futurus fuerat, sicut aliis membris, ita etiam genitalibus voluntate motis, non libidine concitatis, &c. Verùm vos pro susceptâ vestrâ tam fideliter laboratis *libidine scilicet quam tuentur* vt vim patiamini, nisi eam in paradiso collocetis, non ibi de peccato dicentes talem factam, sed talem, nullo peccante, fuisse mansuram; cum quâ in illa pace dimicaretur, aut ne dimicaretur, quotienscumque surgeret, expleretur. O Sanctas paradisi delicias! ô frontem qualiumcumque Episcoporum! ô fidem qualiumcumque castorum. *Capite autem sequenti inducit Iulianum, inducentem Ciceronem, describentem pudenda naturæ, & subiicit:* ponis Balbi verba ex Ciceronis libro *secundo de natura Deorum* per quæ nos doceas quid senserint Stoïci de animalium mutorum masculinis ac fœmininis diuersitatibus, de partibus corporis genitalibus, & miris commiscendorum corporum libidinibus; quæ tamen verba vel Tulliana, vel cuiuslibet alterius, antequam interponeres, cautissimè prælocutus es, quod ideo sub bestiarum occasione sexuum tangat affectum, quia propter honestatem, hoc in hominis descriptione præteriit. Quid est, propter honestatem? an in sexu hominis honestas confunditur, vbi Deus tanquam in excellentiore natura dignius operatur? sed docuerunt te Stoïci disputare de occultis, nec docuerunt erubescere de pudendis. *Tum verba ponit eiusdem describentis humanum corpus:* cùm in descriptione humani corporis, vsque ad illa extrema venisset, quâ cibi reliquiæ depelluntur: quemadmodum inquit, fiat haud sanè difficile dictu est: sed tamen prætereundum ne quid habeat iniucunditatis oratio. Non dixit, confusionis; vel, ne quid pudendum habeat oratio; sed ne quid iniucunditatis. Alia sunt enim quæ horrorem ingerunt sensibus, quòd deformia sint: alia quæ pudorem mentibus, etiam si formosa sint: quia illa offendunt delectationem, commouent autem ista libidinem, vel libidine commouentur. *Paulus autem, nec verbo, nec scripto, vult turpem proferri sermonem, qui nec immunditiam vult nominari inter sanctos.* SVPER FILIOS INCREDVLITATIS. *Vulgata:* diffidentiæ. *Translat. Syr.* filios immorigeros. S. Aug.

10. ***Paulus laborem omni creaturæ indictum vltro subiit, quasi bos in Euangelio.* 5. cont. Marc. cap. 7. à m.**

1. Cor. 9. 8. & 9. a Deut. 25. 4. b 1. Cor. 9. 10.

EX labore suo vnumquemque docens viuere oportere; satis exempla præmiserat militum, pastorum, rusticorum; sed diuina illi auctoritas deerat. Legem igitur opponit Creatoris, ingratis, quam destruebat: sui enim Dei nullam talem habebat. [a] *Boui,* inquit, *terenti os non obligabis.* & adiicit, *Nunquid de bubus pertinet ad Dominum?* etiam & bubus propter homines benignum? [b] *Propter nos enim scriptum est*, inquit. Ergo & legem allegoricam secundùm nos probauit, & de Euangelio viuentibus patrocinantem; ac propter hoc, non alterius esse Euangelizatores, quàm cuius lex, quæ prospexit illis, cùm dicit, *Propter nos enim scriptum est.* Sed noluit vti legis potestate, quia maluit gratis laborare. Hoc ad gloriam suam retulit, quam negauit quenquam euacuaturum, non ad Legis destructionem, quâ alium probauit vsurum.

PAVLI VIRTVTES. 10. SCHOL.

AVTHORITAS DEERAT. *Quâ probaret laborem & opus manuum, quod sæpius in epistolis inculcat. Cùm aliàs non indigeret exemplis, quibus suaderet operandum esse. Inde recurrit ad authoritatem veteris Testamenti. Deut. 25. 4.* Non ligabis os bouis terentis in area fruges tuas. 70. *autem* non obturabis bouem triturantem. INGRATIS. *Gratis & frustra, vel parum gratè, insulsè legem allegaret Dei Creatoris, si vt vult Marcion, Dei sui noui Apostolus, ad eam destruendam missus esset.* DE BVBVS. *1. Cor. 9. 7. & seq. Exempla ponit, dehinc citat legem Creatoris.* Quis militat suis stipendiis vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis pascit gregem & de lacte gregis non manducat? numquid secundùm hominem hæc dico? an & lex hæc non dicit? scriptum est enim in lege Moysi: non alligabis os boui trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? an propter nos vtique hoc dicit? nam propter nos scripta sunt: quoniam debet in spe qui arat arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? &c. Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt. *translat. Syr. qui in æde sancta cultum exercent, ex æde sancta cibum capiunt* & qui altari deseruiunt, cum altari participant. *Quod sumpsit Paulus & ex lege veteri Deut. 18. 1. per vultus versus sacrificia Domini & oblationes eius comedent. Tum concludit.* Ita & Dominus ordinauit iis qui Euangelium annuntient, de Euangelio viuere. Ego autem nullo horum vsus sum. Non autem scripsi hæc vt fiant in me: bonum est enim mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. ALLEGORICAM, *scriptam, vt legem Euangelicam figurares, & faueret prædicatoribus, & Apostolis qui, vt ipsa lex, ad Deum Creatorem pertinebant.* GRATIS, *quia non tenebatur ad laborem. Quod igitur Paulus non est vsus potestate sibi data per legem, non id egit, vt legem tanquam malam destrueret, quam ab aliis Apostolis & eorum Principe Petro in hoc seruatam approbat, sed ne quid gloriæ suæ & mercedis amplioris coram Deo euacuaret, & perderet. De labore manuum Pauli frequenter Aug. to. 3. lib. de opere Monachorum cap. 3. in fine ex 2. Thess. 3. 8. post relatum præfatum locum:* quid est quod ait, neque panem gratis ab aliquo man- S. Aug.

ducauimus, sed in labore & fatigatione die ac nocte operantes, ne quem vestrûm grauaremus: non quia non habuerimus potestatem, sed vt nos formam daremus vobis, quâ nos imitaremini? audiant ergo quibus hoc præcepit, id est qui non habent hanc potestatem quam ille habebat, vt tantummodò spiritaliter operantes, manducent panem à corporali labore gratuitum; & quemadmodum dicit præcipimus & obsecramus in Christo, vt cum silentio operantes panem suum manducent, non disputent contra manifestissima verba Apostoli, quia & hoc pertinet ad silentium, cum quo debent manducare panem suum. *Sequentibus capitibus id prosequitur fusè, & totum locum Pauli explicat. Capite au-* S. Aug.

A *tem* 13. *quærenti, quem laborem exerceret, aliquod vitle in genere respondet; & laudat Patriarchas pecora pascentes, Græcos Philosophos sutrinam exercentes; sponsum B. Mariæ Iosephum Fabrum, absque præiudicio honestatis. Capite tandem* 19. *ex Act.* 18. 1. *vbi de aduentu Pauli ab Athenis Corinthum, qui apud Aquilam & Priscillam vxorem eius mansit:* accessit ad illos, & propter artis similitudinem mansit apud illos opus faciens, erant enim tabernaculorum artifices. *Textus sic habet Act.* 18. 3. Quia eiusdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur; erant autem Scenofactoriæ artis. *translat. Syr.* Operabatur cum eis; cæterùm in artificio ipsorum, opifices conopæorum erant.

11. *Paulus raptus in cœlum, & gloriæ particeps ante Martyrium, scripturæ veteris interpres eximius. Scorp. cap.* 12. *à p.*

CVi potiùs figuram vocis suæ declarasset, quàm cui effigiem gloriæ suæ reuelauit, Petro, Iacobo, Ioanni, & postea Paulo? quem paradisi quoque compotem fecit Matth. 17. 2.
ante martyrium? An & illi aliter quàm sentiunt, scribunt, fallaciæ magistri, non veritatis? 2. Cor. 12. 2. & 4.

12. *Paulus iuxta Eliam raptus ad paradisum Creatoris, & non Marcionis;* 5. *cont. Marc. cap.* 12. *circa f.*

DE paradiso suus stilus est ad omnem quam patitur quæstionem. Hîc illud fortè mirabor, si proprium potuit habere paradisum Deus, nullius terrenæ dispositionis, nisi si etiam paradiso Creatoris precariò vsus est, sicut & mundo. Et tamen hominem tollere ad cœlum Creatoris, exemplum est in Helia. 4. Reg. 2. 11.

PAVLI VIRTVTES. 11. & 12. SCHOL.

FIGVRAM VOCIS. *Quid vox Christi Euangelica, quid verba Christi & sermones eius pleni parabolis, similitudinibus, exemplis, figurarent, charioribus Apostolis declarauit: quibus & dixit,* vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, &c. *Videntes scilicet & audientes de rebus sensibilibus verba, & non videntes, id est non intelligentes sensum quem figurabant & significabant. Agebat Author contra fugientes persecutionem, & martyrium, & ab eo auertentes Gnosticos; & probat ferendum esse constanter conuictis, tam Christi monitis, quàm æquis & doctis aptisque verborum Christi expositoribus Apostolis.* EFFIGIEM GLORIÆ. *In transfiguratione scilicet. Matth.* 17. 2. *de qua alibi fusè proprio loco. Concinnè autem à figura vocis, id est expositione figuratarum vocum Christi in Euangelio; respicit effigiem gloriæ quam illis manifestauit; & à maiori ad minus argumentatur; multò magis debuisse manifestare quid vox* C *& verbum eius significaret, iis, quibus & occultam gloriam declarauerat in monte Thabor.* ANTE MARTYRIVM. *Multum hoc verbo confert Paulo gloriæ cumulum. Cùm enim errans senserit, solas Martyrum animas paradiso, statim à morte, donari, alias quorumcumque Sanctorum animas, expectare diem iudicij, ad introitum paradisi, in loco quidem aliquo refrigerij subterraneo; Paulum tamen etiam ante Martyrium paradiso potitum credit.* AN ET ILLI. *An Apostoli Doctores fallaciæ, aliter in animo senserunt de Martyrio fugiendo, quàm scripserunt ad illud inuitando? quod ideo dicit, quia Gnostici* D *verba Christi aliud significare volebant, quàm sentiret Christus in animo. De raptu Pauli in paradisum, ipse audiendus est.* 2. *Cor.* 12. 1. *& seq.* Si gloriari oportet, non expedit quidem, veniam autem ad visiones & reuelationes Domini. Scio hominem in Christo, ante annos quatuordecim, siue in corpore nescio, siue extra corpus nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum. Et scio huiusmodi hominem, siue in corpore, siue extra corpus, ne-

B scio, Deus scit: quoniam raptus est in paradisum: & audiuit arcana verba, *Syr. verba non dicenda* quæ non licet homini loqui. *Aug. sæpè de raptu Pauli. Inter cætera libro* 12. *de Gen. ad lit. cap.* 2. *&* 3. *& quarto* 5°. *autem:* Quoniam mentiri non posset Apostolus, qui tantâ curâ egit vt discerneret quid sciret, & quid nesciret; hoc ipsum eum ignorasse intelligamus, vtrùm, quando in tertium cœlum raptus est, in corpore fuerit, quomodo est anima in corpore, cùm corpus viuere dicitur, siue vigilantis, siue dormientis, siue in ecstasi à sensibus corporis alienatâ: an omnino de corpore exierit, vt mortuum corpus iaceret, donec peractâ illâ demonstratione, membris mortuis anima redderetur; & non quasi dormiens euigilaret, aut ecstasi alienatus denuò rediret ad sensus, sed mortuus omnino reuiuisceret. Proinde quod vidit raptus vsque in tertium cœlum, quod etiam se scire confirmat, propriè vidit, non imaginaliter. Sed quia ipsa à corpore alienatio, vtrùm omnino mortuum corpus reliquerit, an secundùm modum quendam viuentis corporis, ibi anima fuerit, sed mens eius ad videnda vel audienda ineffabilia illius visionis arrepta sit, hoc incertum erat. Ideo forsitan dixit, siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit. Quod autem non imaginaliter sed propriè videtur, & non per corpus videtur, hoc eâ visione videtur, quæ omnes cæteras superat. *Et ibi quidem iuxta Psal.* 67. Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu. *Vel vt vertit & exponit in hunc Psalmum Augustinus:* ibi Benjamin adolescentior in ecstasi. Ibi Paulus nouissimus Apostolorum de tribu Benjamin. *De qua ecstasi sic paulò infra:* potest hîc ecstasis etiam illa eius intelligi, de qua ipse loquens ait scire se hominem raptum vsque ad tertium cœlum, &c. Ibi est Benjamin adolescentior in ecstasi, quibus verbis Paulum significari nemo ambigit. S. Aug.

XII. SVVS STILVS. *Librum intelligit quem scripsit*

de paradiso, in quo respondet omnibus quæstionibus quæ fieri possunt de eo; sed hic liber iam non inuenitur. HIC FORTE. *Iam quoad præsens contra Marcionem agens, non sine stupore quæram vtrùm Deus Marcionis, qui nihil vel in terra creauit & disposuit, proprium sibi possit habere cælum, & paradisum, in quem Apostolum suum Paulum rapuerit; nisi fortè putem & dicam, eum à Creatore mendicasse, sicut & eius mundo precariò vtitur quem ipse non condidit. Nos verò fundamentum habemus, fidei, quâ credimus Paulum raptum ad tertium cælum, & paradisum Creatoris; quem legimus in Genesi plantasse paradisum, & 4. Reg. 2. 11. in paradisum, suum Prophetam Eliam rapuisse; cùm Marcion nullum tale proferre possit exemplum. Rursum de hoc raptu Pauli in paradisum, & visione Dei per Moysen Aug. lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 27. & 28.* Nisi ab hac vita quisque quodammodo moriatur, siue omnino exiens de corpore, siue ita auersus & alienatus à carnalibus sensibus, vt meritò nesciat sicut Apostolus ait, vtrùm in corpore, &c. cùm in illam rapitur & subuehitur visionem. *Capite autem 28. vbi de tertia specie visionis omnium purissima:* Si hoc tertium visionis genus, quod superius est non solùm omni corporali, quo per corporis sensus corpora sentiuntur, verumetiam omni illo spiritali, quo similitudines corporum spiritu, & non mente cernuntur, tertium cœlum appellauit Apostolus: in hoc videtur claritas Dei, cui videndæ corda mundantur; vnde dictum est, beati mundo corde, &c. non per aliquam corporaliter, vel spiritaliter figuratam significationem tanquam per speculum in Ænigmate, sed facie ad faciem; quod de Moyse dictum est, os ad os, per speciem scilicet, quâ est Deus quidquid est; quantulumcumque eum mens, quæ non est quod ipse, etiam ab omni corpore & ab omni terrena labe mundata, & ab omni corpore, & similitudine corporis alienata & abrepta capere potest, à quo peregrinamur mortali & corruptibili onere grauati, quamdiu per fidem ambulamus, non per speciem, & cùm hîc iustè viuimus. Cur autem non credamus quod tanto Apostolo Doctori gentium, rapto vsque ad istam excellentissimam visionem voluerit Deus demonstrare vitam, in qua post hanc vitam viuendum est in æternum? & cur non dicatur iste paradisus, excepto illo in quo corporaliter vixit Adam inter ligna nemorosa atque fructuosa; quandoquidem Ecclesia quæ nos congregat in charitatis sinu, paradisus dicta est cum fructu pomorum? sed hoc figuratè dictum est, tanquam in illo paradiso, vbi propriè fuit Adam, Ecclesia figurata sit per formam futuri. *Volucrem cœli Tertulliani stilo etiam ante Martyrium, hoc est Angelum videntem faciem Patris, & in scala Iacob ascendentem & descendentem super filium hominis, cum Augustino dicam, tractatu 7. in Io.* Vide Paulum ascendentem: scio hominem in Christo, &c. ascendentem audistis, descendentem audite. 1. Cor. 3. non potui loqui vobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: quasi paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Ecce descendit qui ascenderat. Quære quò ascenderat? vsque ad tertium cœlum. Quære quò descenderit? vsque ad lac paruulis dandum. Audi quia descendit. 1. Thess. 2. factus sum paruulus, inquit, in medio fratrum, tanquam si nutrix foueat filios suos, &c. *Tum comparat eum nutrici balbutienti & blandienti paruulo, & famoso Oratori pueriliter cum puero loquenti, & concludit:* Audi vno loco ipsum Apostolum ascendentem & descendentem in vna sententia 2. Cor. 5. siue enim mente excessimus, Deo; siue temperantes sumus, vobis. Quid est mente excessimus Deo? vt illa videamus, quæ non licet homini loqui. Quid est temperantes sumus vobis. 1. Cor. 2. Numquid iudicaui me aliquid scire inter vos, nisi Iesum Christum & hunc crucifixum?

(Margin: S. Aug. — S. Aug. — S. Aug. — S. Aug.)

* 13. *Pauli stimulus carnis, vel dolor aurium, aut capitis, ad humilitatis exercitium datus est, non vt aliis in interitum. De Pudic. cap. 13. in m.*

1. Tim. 1. 20. PLanè idem Apostolus Hymenæum & Alexandrum Satanæ tradidit, vt emendarentur non blasphemare, sicut Timotheo suo scribit: Sed & ipse [a] *datum sibi ait sudem, angelum Satanæ, à quo colaphizaretur ne se extolleret.* Si & hoc tangunt vt traditos Satanæ ab illo, in emendationem, non in perditionem intelligamus; quid simile blasphemia, & incestum, & anima ab his integra, immo non aliunde quàm ex summa sanctitate, & ex omni innocentia elata, quæ in Apostolo colaphis si fortè cohibebatur, per dolorem, vt aiunt, auriculæ vel capitis? Incestum verò atque blasphemia totos homines in possessionem ipsi Satanæ, non angelo eius tradidisse meruerunt. Et de hoc enim interest, immo & ad hoc plurimum refert, quod illos traditos ab Apostolo legimus Satanæ; Apostolo verò angelum datum Satanæ. Postremò, cùm deprecatur Dominum Paulus, quid audit? [b] *Satis habe gratiam meam; virtus enim in infirmitate perficitur.* Hoc qui Satanæ deduntur, audire non possunt.

(Margin: a 2. Cor. 12. 7. — 1. Cor. 5. 3. 4. — b 2. Cor. 12. 9.)

PAVLI VIRTVTES. 13. SCHOL.

PLANE IDEM APOSTOLVS. *Sic inducit iam corruptus Tertullianus, sanos Catholicos pro recipiendis lapsis obiicientes; Paulum tradidisse Satanæ blasphemos, Hymenæum, & Alexandrum, non in totalem ruinam & reprobationem, sed in correctionem; vt deinceps abstinerent à blasphemia; quin etiam ipsum Paulum accepisse à Deo Angelum Satanæ, ad cohibendam elationem.* SI ET HOC TANGVNT. *Iam respondet Tertullianus, si recipientes ad pœnitentiam lapsos, proferant exempla traditorum Satanæ, vt inde nobis suadeant non reprobatos & exclusos à venia, sed emendatos; cogitent quanta sit distantia sanctitatis Pauli, immunis ab incesto (in neutro ponit) & blasphemia aliorum; qui si motus elationis sentiebat, hi non nisi ab excellenti virtute nascebantur, & colaphis reprimebantur.* APOSTOLO VERO. *Duas rursum ponit differentias, præter primam sumptam ex sanctitate Pauli. Vnam, quia illi, Satanæ dæmoniorum Principi traditi sunt, Paulus verò Angelo & ministro Satanæ, id est morbo acuto instar stimuli, quem aliquis dæmon exacuebat. Alteram, quod illi traditi sunt Satanæ, id est in eius potestatem; Paulus autem nec Angelo quidem eius traditus est, sed ipse potius Angelus datus est Paulo, vt gloria eius cederet victus, & virtutem eius & feruorem velut ignem suo flatu excitaret; & velut plantam Aquiloni flanti expositam radicaret magis & fœcundaret. Addit & tertiam: quæ duas præcedentes explicat: quaque traditis Satanæ, conuenire non possunt; scilicet, quòd non exauditus pro liberatione, siue doloris*

& morbi siue stimuli concupiscentiæ; audierit tamen à A *Deo*, Sufficit tibi gratia mea, &c. IN SVDEM, *sudes huius sudis, paxillus est igni torridus, Gallicè,* tison. *duos hic locos perstrictos à Tertulliano, integros refero, & per Augustinum expono.* 1. *Tim.* 1. Habes fidem & bonam conscientiam, quam quidem repellentes circa fidem naufragauerunt: *Syr. à fide euanuerunt.* ex quibus est Hymenæus, & Alexander, quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare. *Translat. Syr.* ne sint maledici. *Aug. tom.* 4. *in exposit. ad Galatas, vtitur hoc loco ad Timoth. & altero* 1. *Cor.* 5. *vt probet Deum vti vexatione Diaboli, ad salutem hominum.* Nulla creatura est; siue quæ in veritate manet, dans gloriam Deo; siue quæ in veritate non stetit, quærens gloriam suam: nulla, inquam, creatura est, quæ non, velit, nolit, diuinæ prouidentiæ seruiat. Sed volens facit B cum ea quod bonum est; de illa verò quæ hoc non vult, quod iustum est. Nam si etiam ipsi præuaricatores Angeli, cum Principe suo Diabolo, non rectè dicerentur procuratores, vel actores diuinæ Prouidentiæ, non Dominus Magistratum huius mundi Diabolum diceret, *ait enim Christus, venit Princeps mundi huius, &c. Et nunc potestas est tenebrarum. Et Paulus vocat rectores & principes, potestates tenebrarum harum.* Nec vteretur illo ad correptionem hominum ipsa potestas Apostolica, eodem Paulo alibi dicente, quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare: Et alio loco, ad salutem. ait enim, Ego quidem, licèt absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui præsens, eum qui sic operatus est, *Corinthium incæstuosum in vxore Patris*, in nomine Domini nostri Iesu C Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum potentia Domini Iesu, tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini Iesu. Sed & Magistratus sub tanto Imperatore non facit nisi quantum illi permittitur; & procuratores, actorésque huius mundi nihil faciunt nisi quantùm Dominus sinit. Non enim latet eum aliquid, sicut hominem; aut in aliquo est minùs potens, vt procuratores atque actores, qui sunt in eius potestate, aliquid ipso, siue non permittente, siue nesciente, in subiectis sibi pro suo gradu rebus efficiant. Non eis tamen rependitur, quod de ipsis iustè fit, sed quo animo ipsi faciunt. Quia neque liberam voluntatem rationali creaturæ suæ Deus negauit; & tamen potestatem, quâ etiam iniustos iustè ordinat, sibi retinuit. *Datum autem sibiipsi Angelum Satanæ sic narrat* 2. *Cor.* 12. 7. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. *D. Thomas in hunc locum, notat in bonis excellentioribus magnam esse materiam superbiæ, quæ est appetitus inordinatus excellentiæ: ad quam vitandam permittit Deus electos suos, vel per infirmitatem aliquam, vel defectum, aliquando etiam per peccatum mortale humiliari, vt agnoscant se, nihil ex se posse. Vnde cùm Paulus magnam haberet superbiendi materiam, tum ob specialem electionem in vas honoris ab ipso Christo descendente, tum ob raptum in Paradisum, tum ob labores abundantiores, plagas & carceres, tum ob statum virginalem, tum ob maximam scientiam quæ specialiter inflat; ad eius humiliationem, datum sibi stimulum ait cruciantem corpus suum per infirmitatem corporis, vt anima sanaretur. Deinde hæc verba subiicit:* Ad literam dicitur quòd fuit vehementer afflictus dolore iliaco; vel stimulus carnis meæ, id est concupiscentiæ, surgens ex carne mea, à qua multùm infestabatur. Rom. 7. non quod volo bonum hoc ago, &c. Vnde Augustinus dicit quòd inerant ei motus concupiscentiæ, quos tamen diuina gratia refrænabat,

S. Aug.

A &c. Est autem Angelus à Deo missus, seu permissus, sed Satanæ; quia Satanæ intentio est, vt subuertat, Dei verò vt humiliet, & probatum reddat. Timeat peccator, si Apostolus, & vas electionis, securus non erat. *Augustinus autem sæpius hac de re, in Psalmo* 58. Omnia vitia in malefactis timenda sunt, superbia in benefactis plus timenda est. Non itaque mirum, quia sic est humilis Apostolus, vt dicat 2. Cor. 12. Cùm infirmor, tunc fortis sum: nam hoc vitio ne & ipse tentaretur, quale sibi medicamentum dicit appositum contra tumorem à Medico qui sciret quid curaret? ne magnitudine, inquit, reuelationum extollar, &c. *In Psal. autem* 147. *vbi Paulum comparat crystallo:* Quia crystallum erat, nitidus videbatur & candi- B dus; sed durus, & nimiùm gelidus. Quomodo nitidus & candidus? Hebræus ex Hebræis secundùm legem Pharisæus, vide nitorem crystalli. *Addo, virgo, vas electionis, speculum diuinorum; adeò vt diceret se transformatum in Christum, qui est* speculum sine macula, Dei maiestatis, *in quem vt exemplar se corrigere deberent cæteri, vt diceret*, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. *De quo ibidem Augustinus:* Quid imus per multos? notissimum illum Paulum Apostolum intueamur, nihil nobis isto viro notius, nihil suauius, nihil in Scripturis familiarius est. *Et quid tantus vir de seipso refert: Augustinus in Psalm.* 98. *in versum*, Domine Deus noster, tu exaudisti eos, Deus tu propitius fuisti illis, & vindicans in omnes affectiones eorum. Etiam vin- C dicans propitius fuisti, non solùm donans peccata, sed etiam vindicans propitius fuisti, &c. nam cui verè propitius est non solùm donat peccata ne noceant ad futurum sæculum, sed etiam castigat ne semper peccare delectet. &c. *Post multa in hanc rem venit ad Paulum:* Acceperat quidem ille & stimulum carnis Angelum Satanæ, &c. Ecce quomodo propitius erat Deus vindicans in omnes affectiones eius. Quæ sunt affectiones in quas sic vindicat? ipse exposuit, ipse dixit: *priùs ex* 2. *Corinth.* 11. *narrauerat quanta pro affectu fratrum & Ecclesiæ pertulisset*, in magnitudine, inquit, reuelationum ne extollar, datus est mihi stimulus, &c. tam perfectus erat, vt tamen timendum esset ne extollere- D tur; nam non poneret Deus medicamentum, vbi vulnus non esset. Et rogauit vt tolleretur, æger ille rogauit vt auferretur medicamen; propter quod ter Dominum rogaui, inquit, vt auferret eum à me, id est stimulum carnis, &c. aliquem fortè dolorem corporis. Rogaui, inquit, vt auferret eum à me, & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Ego noui quem curo, non mihi det qui ægrotat consilium: tanquam emplastrum mordax vrit te, sed sanat te. Rogat Medicum vt tollat emplastrum, & non tollit, nisi cùm fuerit sanatum quo posuerat. Virtus in infirmitate perficitur. *Et rursum in Psal.* 130. *in vers. Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me:* Paulus Apo- E stolus quamuis ex persecutore factus sit Prædicator, abundantiorem gratiam consecutus est in omni labore Apostolico, quàm cæteri Apostoli, vt Deus magis ostenderet suum esse quod dat, non hominis. Quomodo solent Medici potentiam suæ artis in desperatis ostendere, &c. Excellentissimæ ergo gratiæ fuit. Et videtis, fratres, quia modò in Ecclesia Pauli Apostoli epistolæ vigent magis, quàm coapostolorum eius. Alij enim non scripserunt, sed tantùm locuti sunt in Ecclesia. Nam quæ proferuntur, *Apocrypha* ab errantibus sub nomine ipsorum *Apostolorum*, quia non sunt ipsorum, improbantur, nec acceptantur ab Ecclesia. Alij autem qui scripserunt, nec tantùm, nec tantâ gratiâ scripserunt. Cùm ergo esset,

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

magnæ gratiæ, & magna dona meruiſſet à Deo, quid dicit quodam loco? Propter magnitudinem autem reuelationum ne extollar. Intendite rem tremendam vobis dico, propter magnitudinem &c,. quid eſt hoc, fratres? ne extolleretur tanquam iuuenis, colaphizabatur tanquam puer, & à quo? ab Angelo Satanæ. quid eſt hoc? dolore quodam corporis traditur exagitatus vehementer. Dolores autem corporum plerumque immittuntur ab Angelis Satanæ, ſed hoc non poſſunt niſi permiſſi. *Sic & per Pſaltem dicit:* immiſſiones per Angelos malos. *Proſequitur autem ſic Aug. cùm dixiſſet de Iob per vulnus Satanæ probato:* Sic ille

S. Aug. Angelus Satanæ quaſi libenter permiſſus eſt colaphizare Apoſtolum, ſed tamen Apoſtolus curabatur. Et quia illud quod Medicus appoſuerat, moleſtum erat infirmo, rogauit Medicum vt auferret. Quomodo cùm Medicus apponit viſceribus, *hinc fortè D. Thomas ſuprà, ſtimulum dixit dolorem iliorum,* aliquod fortè epithema moleſtum & ardens, inde tamen curandus eſt ille cuius viſcera tumebant, *aptè ad elationem Pauli cauendam,* cùm illè ardere cœperit, & cruciari medicamento, rogat Medicum vt auferat medicamentum: Medicus autem conſolatur, monet eum patientiam, quia nouit quàm vtile ſit quod appoſuit: ita & Apoſtolus, &c. Si ergo, chariſſimi, Paulus potuit Apoſtolus extolli magnitudine reuelationum, niſi acciperet Angelum Satanæ qui ſe colaphizaret, quis de ſe poſſet eſſe ſecurus? tutiùs videtur ambulare qui minùs accepit, ſed ſi non peruersè quærat, quod rectè, *Deo iuſtè negante*, non accepit. Quærat, ſine quo non poteſt eſſe in corpore Chriſti, *in quo omnia membra eundem actum non habent*, aut ſine quo malè eſt illic. Tutior eſt enim in corpore digitus ſanus, quàm lippiens oculus. Digitus exigua quædam res eſt, oculus magnificè multùm poteſt: & tamen melius eſt digitũ eſſe, & ſanum eſſe, *ſanam fidem habere & humilem*, quàm oculum eſſe & perturbari, lippire & excæcari. Non ergo quærat quiſque in corpore Chriſti, niſi ſanitatem. Secundum ſanitatem, *pro ſanitate*, habeat fidem, & ex fide mundatur cor eius, ex mundatione cordis videbit illã faciem, de qua dictũ eſt, Beati mundo corde, &c. *Miratur porrò Aug. Paulum ter rogantem non exauditum. Satanam petentem vexare Iob exauditum. In Pſal. 144.* Oculi omnium in

S. Aug. te ſperant, & tu das eſcam illis in opportunitate. prorſus tanquam reficiens ægrotum in opportunitate, quando debet accipere, tunc das, & quod debet, hoc das. Itaque aliquando deſideratur ab illo, & non dat, nouit horam dandi, qui curat. Quare iſta dico, fratres? ne quis quando fortè non fuerit exauditus, aliquid iuſtum petens à Deo: nam quando aliquid iniuſtum petit, in pœnam ſuam exauditur; ſed aliquid non iniuſtum petens, ſi fortè non fuerit exauditus, non minuatur animo, non deficiat, expectent oculi eius ad eſcam, quam ille dat in opportunitate. Quãdo non dat, ideò non dat, ne obſit quod dat. Neque enim aliquid iniuſtum petebat Apoſtolus, quando rogabat vt auferretur ab eo ſtimulus carnis, Angelus, &c. & tamen rogauit, & non accepit: quia tempus adhuc erat exercendæ infirmitatis, & non eſcæ opportunitatis. Sufficit, inquit, tibi gratia mea, &c. petiit Iob tentandum Diabolus & accepit. Attendite, fratres mei, magnum myſterium diſcendum, repetendum, tenendum animo, nunquam obliuiſcendum, propter abundantiam tentationum in iſto ſæculo. Quid dicam? reuerà comparandus Apoſtolus Diabolo? Apoſtolus rogat, & non accipit; Diabolus petit & accipit: ſed non accipit Apoſtolus propter perfectionem ſuam, *quia ſcilicet virtus in infirmitate perficitur, & facit cum tentatione prouentum.* Accepit Diabolus ad damnationem. Denique ipſe Iob accepit ſanitatem in opportunitate. Dilatus eſt enim vt probaretur, & diu ſedit in puluere, & multa dixit, & rogabat Deum, vt auferrentur ab eo iſta, & Deus non auferebat. Citiùs Diabolum exaudiuit ad eum tentandum, quàm ipſum Iob ad ſanandum. *Vt concludam, & dicam ipſe quod ſentio, quid ſuprà per* ſudem *ſiue ſtimulum carnis, Angelum Satanæ, pro quo non eſt exauditus Paulus, quia magis expediebat humiliari, aduerte* ſudem *etiam ſignificare perticam longam, cuius in extremo, bubulci aratores ſtimulum figunt, ad pungendos boues. Nota ſecundò, Paulum boui ſe comparare, dum ait, non alligabis os boui trituranti: Et rurſum, abundantiùs omnibus laboraui. Supra cæteros boues, id eſt Apoſtolos agricolas. Prætereà & Lucam comitem agriculturæ: de miſſis ad colendum agrum, & colligendam meſſem loquentem, quaſi de coniugatis bobus, dixiſſe. Dominum agri.* miſiſſe illos binos ante faciem ſuam. *His iunge, mare æneum Euangelij docendi, & Baptiſmi dandi Gentibus per quatuor orbis partes, ſuper duodecim boues, id eſt Apoſtolos impoſitum. Tandem Paulum non tantùm Apoſtolum, ſed Euangeliſtam, vt ſæpè de Euangelio ſuo loquitur, quod multi de Luca intelligunt; cui facies bouis apud Ezech. appingitur. Deerat huic boui ſtimulus & ſudes? quaſi verò, cùm à Gregorio dicatur pennatum animal, raptum in Paradiſum, inter cæli volucres, id eſt Angelos conuerſatum. Volucri quid ſtimulus? ſed ſtimulus carnis boui volanti neceſſarius; vt ex colaphis rediret ab eſtaſi, & memor, Cherubin eleuatũ, ipſum Satanã abſque carne, pondere ſuperbiæ de cælo ſicut fulgur ruiſſe; moneretur ipſe de carnis ſtimulo, humilitatis pondere, in via timoris ſuam & proximi ſalutem operari. Noſſet etiam Cherub apud Ezech. animalia dicta, vt ſe multò magis verè animal eſſe ex carnis ſtimulo ſentiret, & in bouis ſimplicitate cum timoris pondere graderetur, nec de aliis raptus, & eſtaſis extolleretur. Et quidem ſi dictum eſt à Chriſto Paulo, de efficacia gratiæ vocantis, & equum effrenem, ſpirantem minarum, & cædis, ex zelo ſine ſcientia paternas traditiones æmulantem reuocantis, dum eſſet*, Sicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, durum eſt tibi contra ſtimulum recalcitrare: *videm iam conuerſo in Taurum aratorem, in bouem, excuſſo legis iugo, ſuaui Chriſti iugo ſubactum, bouem quotidie immolatum, inſuper & alatum, & in cælum raptum, ſtimulum carnis ſentientem experientemque* legem in membris aliam, repugnantem legi mentis, nec facientem quod volebat bonum, *durum & difficile fuit recalcitrare & inſoleſcere, vel gloriari de donis Dei. Quoties enim tot talentorum alis extollebatur animus, toties ſtimulis carnis reprimebatur hic volatus, & Angelus Satanæ, erga eum erat ſimilis Azzoni illi, qui intumeſcentem Bardum baiulum de Iſidis ſimulacro, quod tollebat humeris, ſibi turbarum populi plauſum tribuentem baculo & virgâ compeſcebat dicens:* Non tibi, aſine, ſed religioni: *Sic Angelus Satanæ Pauli tumorem ad ſingulos motus, ſtimulo comprimebat, vt ſtatim diceret*, Non ego, ſed gratia Dei mecum, non ſumus ſufficientes aliquid ex nobis, &c. Gratiâ Dei ſum id quod ſum. quid habes quod non accepiſti, & ſi accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? qui gloriatur in Domino glorietur. glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. *Et quæ tandem? de qua dixit:* Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiẽ animabus veſtris. *Et vbi requies niſi in centro?* in inferioribus partibus terræ, vbi fundauit terram ſuper ſtabilitatem ſuam. *Sic ſtate in Domino, non ſicut ille alatus & elatus Cherubim;* qui in veritate non ſtetit, ſed tanquam fulgur de cœlo cecidit, *quo Paulus humiliatus, & ſecundùm nomen, ex Auguſtino, paruulus aſcendit.*

14. *Paulus cum Petro, fuso sanguine, Romanus ciuis nobilis effectus est.*
V. Verbum Petrus num. 8.

PAVPER.

1. *Pauper est diues Regno Cœli, censu, & cautione Dei. 2. ad vxor. cap. 8. & 9.*
V. Nuptia cum infideli. 7. in fin.

2. *Pauperes ad cœnam inuitandi, ex vtraque lege. 4. cont. Marc. cap. 31. in princ.*

AD prandium vel ad cœnam quales vocari iubet? quales ostenderat per Esaiam. [a] *Confringe panem tuum esurienti, & mendicos, & qui sine tecto sunt, induc in domum tuam*, qui scilicet humanitatis istius [b] *vicem retribuere non possint.* Hanc si Christus captari vetat, in resurrectione eam repromittens, Creatoris est forma, cui non placent, [c] *amantes munera, sectantes retributionem.*

a Esa. 58. 7.
b Luc. 14. 14.
c Esa. 1. 23.

PAVPER. 2. SCHOL.

IVBET, *Christus scilicet filius Dei Creatoris imitans Patrem, qui in veteri lege iubet, Esa. 58. 7.* Frange esurienti panem tuum, & egenos vagósq; induc in domum tuam. Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. 70. *verò*, Pauperes sine tecto induc in domum tuam: si videris nudum, operi: & domesticos seminis tui ne despexeris. *Aug. to. 10. hom. 18. ex 50. qua inscripta est in hunc locum Esa.* Cùm transierit tempus benè operandi, non restat nisi recipiendi. Nemo tibi dicturus est post resurrectionem mortuorum in regno Dei, frange esurienti panem tuum: quia non inuenies esurientem. Nemo dicturus est, vesti nudum, vbi omnium tunica immortalitas erit. Nemo dicturus est, suscipe peregrinum; vbi omnes in patria sua viuent. Nam modò sumus inde peregrini. Nemo dicet, visita ægrum, vbi est sanitas sempiterna. Nemo dicet, sepeli mortuum, vbi mors morietur. Ista omnia pietatis officia in vita æterna necessaria non erūt, vbi sola pax erit & lætitia sempiterna. In isto autem tempore, vt nouerimus, quantū nobis cōmendat Deus opera misericordiæ, etiā ipsos suos sanctos egere fecit: vt cùm fiunt hîc amici de mammona iniquitatis, recipiant & ipsi amicos suos in æterna tabernacula: id est, cùm serui Dei pij, dum iugiter Deo vacant, *haud dubiè Religiosos & Monachos intelligit*, aliquotiens indigent, illi qui habent mundi diuitias, eleemosynas largiantur. Quomodo eos participes faciunt in terrena substantia, sic cum illis partem habere merebuntur in vita æterna. *Et serm. 62. de tempore. à m.* Frange esurienti, &c. non dicit vt integrum daret, cùm fortè pauper ille alium non haberet: sed frange, inquit, hoc est dicere, etiam si tanta paupertas tibi est, vt non habeas nisi vnum panem, ex ipso tamen frange, & pauperi tribue. Et Egenum, inquit, ac sine tecto, induc in domum tuam. Si aliquis ita pauper est, vt non habeat vnde tribuat pauperi cibum, vel in vno angulo domus suæ peregrino præparet lectulum. Quid nos ad hæc dicturi sumus, fratres, vel quam excusationem habere poterimus, qui amplas & spatiosas domus habentes, vix aliquādo dignamur excipere peregrinū? Ignorantes, imò non credentes quòd in omnibus peregrinis Christus excipitur, sicut ipse dixit Matth. 25. hospes fui, & suscepistis me, &c. VICEM RETRIBVERE. Sic *Luc.* 14. Dicebat ei qui se inuitauerat: cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites: ne fortè te & ipsi inuitent, & fiat tibi retributio: *Syr. compensatio.* sed cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, *Syr. afflictos*, claudos & cæcos: & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum. *Hunc locum iam*

S. Aug.
S. Aug.

A *habes alibi expositum per D. Aug. to. 10. ser. vnico in Dom. 2. Aduent. in med. hîc superaddo in rem Tertull. Christum nolle nos mercari & captare occasionem mercedis temporalis, & multiplicationem bonorum ex semine eleemosynæ in hac vita, vt hoc facto, probaret se filium Creatoris. & totum hoc præceptum eleemosynæ tam in substantia dandi, quàm in fine recipiendi, nihil sapiat mercedis temporalis, cùm dixerit Creator Esa. 1. 23. non sibi placere mercenarias animas*: omnes diligunt munera; sequuntur retributiones. *August. autem & animum ad æternam retributionem erigit, hom. 18. à med. vbi de vidua Eliam pascente, & panem ei vnicum frangente*: qui erat in Elia vt præciperet, *addo & perciperet, qui dixit, mihi fecistis*, ipse erat in vidua, vt obediret. Vade, inquit, mihi priùs fac de egestate tua, non deficient diuitiæ tuæ. Patrimonium enim viduæ modicum erat farinæ, & modicum olei: hoc modicum non defecit. Quis habet talem viduam? libenter vidua seruum Dei esurientem pascebat, quia patrimonium eius in conclaui pendebat. Quid fœlicius hac paupertate? si hic talia recipit, qualia in fine sperabit? ideò hoc dixi, vt seminationis nostræ mercedem, non isto tempore quo seminamus, speremus. Hic enim bonorum operum messem cum labore serimus, sed in futuro fructus illius cum gaudio colligemus: secundum illud quod scriptum est, Euntes: *in hac vita & via mandatorum*, ibant & flebant, &c. Venientes autem, *hoc est, redeuntes in resurrectione*, venient cum exultatione, &c. illud enim pro signo, *miraculo*, factum est, non pro dono. Nam si vidua illa, quòd pauit hominem Dei, hic recepit, non est magnum quod seminauit, quia non magnam segetem messuit: temporale est enim quod accepit, non deficientem farinam, nec diminutum oleum quousque Deus daret pluuiam super terram: ac sic tunc magis cœpit egere, quando dignatus est Deus pluere. tunc enim laboratura erat, *farinâ cessante, & oleo miraculoso, dum cursus naturæ prouentúsque redierat*, expectatura agri fructus & collectura. Quando autem non pluebat, victus eius facilè veniebat. Signum hoc ipsum quod Deus illi ad paucos dies præstiterat, signum erat futuræ vitæ, vbi merces nostra deficere nescit, vbi farina nostra Deus erit. Quomodo illa per illos non defecit dies; sic ille dies non deficiet in æternum. Talem mercedem speremus, quando bona facimus, ne fortè aliquis vestrûm tentetur tali cogitatione, vt dicat; pascam aliquem seruorum Dei esurientem, vt lagena mea non deficiat, & in cupa mea semper vinum inueniam. Noli hoc hîc quærere. Semina securus, messis tua seriùs veniet, tardiùs veniet, sed cùm venerit, finem non habebit. RETRIBVERE NON POSSVNT. *Sed & quid diuites in vicem*

S. Aug.

temporalium, nisi temporalia rependere possunt? Audi pauperem in Dauide se egenum & pauperem agnoscente, acceptâ eleemosynâ dicentem diuiti: Dominus retribuet pro me, *Beatus es, ô Diues, quia non habet pauper retribuere; Dominus diues inexhaustus pro illo retribuet æterna: Audi quid pauper ad Deum conuersus dicat*, Domine misericordia tua in sæculum: opera manuum tuarum ne despicias. *Et quæ opera? accipe à Sapiente:* Diues & pauper obuiauerunt sibi, vtriusque est operator Dominus. *Augustinus in*
S. Aug. *Psalm. 36.* Tota die miseretur & fœnerat, non eget à te Dominus, sed habes alium qui à te egeat. Illi porrigis, ille accipit. Non enim habet pauper quod A tibi retribuat, & tamen ipse vult retribuere, & non inuenit quid; sola in illo remanet beneuolentia orandi pro te. Cùm autem pauper orat pro te, tanquam Deo dicit, Domine mutuum accepi, in fide, suscipe me. Proinde & si non tenes pauperem redditorem, idoneum tenes fideiussorem, &c. vt ostenderet se pauperem fideiussorem, omniũ membrorum suorum sponsorem, quia ille caput, illi membra, & cùm accipiunt membra, caput accipit; cùm vni, inquit, ex his minimis meis fecistis, mihi fecistis. Eia, auare, fœnerator, vide quid dedisti, vide quid accepturus es, &c. percipite regnum quod vobis paratum est, &c.

PAX.

1. *Pacem cum Deo facit fides Christi, cum quo bellauimus. 5 cont. Marc. cap. 13. à med.*

a Rom. 5. 1. MOnet, *iustificatos ex fide Christi, non ex lege, pacem ad Deum habere.* Ad quem? Cuius nusquam fuimus hostes, an cuius legi & naturæ rebellauimus? nam si in eum competit pax, cum quo fuit bellum, ei & iustificabimur, & eius erit Christus; ex cuius fide iustificabimur, ad cuius pacem competit redigi hostes eius aliquando.

PAX. 1. SCHOL.

MONET. *Apostolus*, IVSTIFICATOS, *Rom. 5. 1.* Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum: per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. NON EX LEGE. *Rom. 3. 20.* Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Per legem enim cognitio peccati: *id est, sola lex peccatum manifestabat, non ab eo iustificabat, vt ait alibi, non cognoui peccatum nisi per legem, & occasione acceptâ per mandatum, peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam*, nunc autem sine lege iustitia Dei, *quâ iustos per Christi gratiam volebat facere homines*, testificata a lege & Prophetis. *id est, quam iustitiam præfigurauerant & prædixerant lex & Prophetæ*, iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes qui credunt in eum. PACEM AD DEVM, *cum Deo. Et quomodo per legem gratia & pax fieret, quæ præter originale peccatum, fuit occasio actualium peccatorum?* sine lege enim peccatum non erat, *rebellio ergo pro pace, in Deum ipsum legis & naturæ, id est, actionis naturalis rebelles fuimus. Vnde concludit, malè hinc Marcionem duos Deos concludere; cùm idem ipse sit, cui rebelles fuimus contra legem eius peccando, & cum eodem per Christi*
S. Aug. *filij eius fidem & gratiam iustificati pacificamur. Cuius aliquando hostes fuimus. August. tom. 4. libro exposit.* B *quarumdam propositionum ex epist. ad Rom. proposit. 13.* Quod autem dicit quia non iustificabitur in lege omnis caro coram illo; per legem enim cognitio peccati, & cætera similia, quæ quidam putant in contumeliam legis obiicienda, sollicitè satis legenda sunt, vt neque lex ex Apostolo improbata videatur, *sicut causabatur Marcion*, neque homini arbitrium liberum sit ablatum. Itaque quatuor istos gradus hominis distinguamus; ante legem, sub lege, sub gratia, in pace. Ante legem, sequimur concupiscentiam carnis, sub lege, trahimur ab ea; sub gratia, nec sequimur eam, nec trahimur ab ea: in pace nulla est concupiscentia carnis. Ante legem ergo non pugnamus, quia non solùm concupiscimus & peccamus, sed etiam approbamus peccata. Sub lege pugnamus, sed vincimur. Fatemur enim mala esse quæ facimus, & fatendo mala esse vtique nolumus facere: sed quia nondum est gratia, superamur. In isto gradu ostenditur nobis quomodo iacemus, & dum surgere volumus, & cadimus, grauiùs affligimur. *Sola ergo gratia Christi erigit & iustificat à peccato. pax autem erit sine pugna & rebellione animi contra legem, carnis contra animam, morborum & mortis contra carnem, in illa superna Ierusalem visione pacis.*

2. *Pax in ingressu, vtraque lege danda est. 4. cont. Marc. cap. 24. à princ.*

a Luc. 10. 5. SIc & Dominus, [a] *In quam introissent domum, pacem ei dicere*, exemplo eodem est. Mandauit enim & hoc Helisæus, cùm introisset ad Sunamitin, diceret ei, [b] *Pax viro tuo,*
b 4. Reg. 4. 26. *pax filio tuo.* Hæc erunt potiùs nostræ antitheses, quæ comparant, non quæ separant Christum.

PAX. 2. SCHOL.

DOMINVS. *Christus.* EXEMPLO EODEM EST, *docet similiter se iuxta legem veterem, & eius exemplum, suis Apostolis præcipere, vt dent pacem Domini in quam ingrederentur; sicut Elisæus in domum Sunamitis.* NOSTRÆ ANTITHESES. *Pungit hic Marcionẽ, iactantem se missum ad separandum Euangelium Christi bonum à lege veteri mala: vt sic ex cõtrarietatibus vtriusque, duos Deos & Christos fingeret; alterum Creatorem, & Christum eius malum; alterum suum, vtrumque bonum. Nostrum, inquit Tertull. est vtramque legem ex maiori vel minori perfectione, non ex contrarietate, inuicem opponere, vt Christus supra Moysem, tanquã* melioris Testamenti mediator, C *appareat emergens ex vmbris & figuris*; amictus lumine sicut vestimento, *plenus radiis gratiæ & veritatis, non alius vel separatus, sed idem ipse qui in veteri lege præfigurabatur: sicut & Apostoli ab eo missi pacem dare cuicumque domui, longè meliores sunt Elisæo Propheta. De quo sic 4. Reg. 4. 26. dum præcepit Giesi seruo, quod Christus suis Apostolis.* Venit ad virum Dei, *Sunamitis ad Elisæum*, in montem Carmeli: cumque vidisset eam vir Dei è contra, ait ad Giesi puerum suum: Ecce Sunamitis illa: vade ergo in occursum eius, & dic ei: recténe agitur circa te, & circa virũ tuum, & circa filiũ tuũ? quæ respondit, rectè. 70. *verò*, curre in occursum

eius & dices: pax tibi, vel pax viro tuo, vel pax puerulo? at illa dixit: pax. *Vnum argue, simpliciter & absolutè iussisse Christum pacem dari, Elisæum, interrogatiuè. Sic enim Luc.* 10. 5. Neminem per viam salutaueritis. *Syr. pacem vllius in via ne petieritis* in quamcumque domum intraueritis, primùm dicite, pax huic domui: & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos reuertetur. *Aug. ser. 42. de Sanctis in hunc locum:* (S. Aug.) si requieuit, perdidi? absit hoc a mente Sanctorum, &c. Itane placet vt iter agentes, occurramus charis nostris, & eos non salutemus maiores, non resalutemus minores? Iamne Euangelium imples, quia salutaris & taces? hic vero non viatori iter agenti, sed miliario similis erit iter ostendenti, &c. quid ergo est neminem salutetis in via? potest quidem & simpliciter sic accipi, quia iussit nos festinanter agere iniuncta, &c. Ita currite, sic agite quod iniunxi, vt ne minimum quidem vos retardent, &c. qui salutat salutem dicit. Nam & antiqui in epistolis suis, sic scribebant: ille, illi salutem. Salutatio, a salute nomen accepit. Quid ergo est, neminem in via salutaueritis? qui salutant in via, per occasionem salutant, &c. non ad eum ibat, quem salutat. Aliud agebat, aliud occurrit, &c. quid est ergo per occasionem salutare? per occasionem salutem annuntiare. Quid est autem aliud salutem annuntiare, quàm Euangelium prædicare? si ergo prædicas, hoc age per dilectionem, non per occasionem, &c. tales admisit Apostolus *sua quærentes, prædicantes ex occasione, salutem & pacem dantes ex lucro vel vanitate* quid quærat annuntiator ne cures, quod annuntiat tenere velis, &c. bonus tibi prædicat, carpe vuam de vite; malus tibi prædicat, carpe vuam pendentem in sæpe. Botrus implicitè in palmite, inter spinas creuit, & de spinis non germinauit. *Neque enim colligunt de spinis vuas, sed inter spinas interdum vuas* planè quando tale aliquid vides *in ore mali prædicatoris, bonum Dei Verbum* & esuris, solicitè carpe, ne cum ad vuam manum mittis, laceteris a spinis. Hoc est quod dico, sic audi quod bonũ est, ne malos mores imiteris. Prædicet ex occasione, salutet in via, illi nocebit quod non audiuit præceptum Christi, neminem in via salutaueritis; tibi non nocebit, qui siue a transeũte, siue à veniente *expreßè & ex bona intentione* salutem audis, salutem tenes. Apostolum audi admittentem ista. Philipp. 1. Quid enim? dum omnimodò, siue occasione, siue veritate *sincera intentione* Christus annuntietur: & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. *Tum concludit de danda pace*: tales igitur Apostoli Christi, prædicatores Euangelij, non salutantès in via, hoc est non aliud quærentes, vel agentes, sed germana charitate Euangelium annuntiantes, veniant ad domum & dicant, pax huic domui, &c. qui ergo plenus est pace, & salutat, pax huic domui, si est illic filius pacis, &c. Nihil perdidit qui salutauit. Ad vos, inquit, reuertetur. Reuertetur ad te, quæ non discessit à te. Hoc enim dicere voluit, tibi prodest quod annuntiasti; nihil profuit, qui non suscepit: non quia ille inanis remansit, ideo tu perdidisti mercedem, redditur tibi pro voluntate tua. redditur tibi pro charitate quam impendisti; reddet tibi qui te securum velit voce Angelica, pax in terra hominibus bonæ voluntatis. *Nec sola voce, sed & scripto in epistolis pacem Apostoli dederunt pro salute, sic* 1. *Petri* 1. 2. Gratia vobis & pax multiplicetur. 2. *Petri* 1. 2. Gratia vobis & pax adimpleatur. 2. *Io.* 3. Pax à Deo Patre, &c. 3. *Io.* 14. Pax tibi; salutant te amici. *Apoc.* 1. 4. Gratia vobis & pax. *Iudæ.* 2. Pax & charitas adimpleatur. *Paulus autem in omnibus epistolis incipit semper his verbis*: gratia vobis & pax. *Aug. to. 4. in Exposit. ep. ad Rom. inchoata.* Restat vt salutem dicat, vt compleatur vsitatum epistolæ principium, tanquam, ille, illis salutem. (S. Aug.) Pro eo autem ac si diceret salutem, gratia, inquit, & pax à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo. Non enim omnis gratia est à Deo. Nam & iudices mali præbent gratiam in accipiendis personis, aliqua cupiditate illecti, aut timore perterriti, &c. gratia est ergo à Deo Patre, &c. quâ nobis peccata remittuntur, quibus aduersabamur Deo. Pax verò ipsa qua reconciliamur Deo. Cum enim per gratiam remissis peccatis absumptæ fuerint inimicitiæ, restat vt pace adhæreamus illi, à quo nos sola peccata dirimebant, &c. quod autem Apostolus gratiam & pacem à Deo Patre, &c. non adiungens etiam Spiritum sanctum, non mihi alia ratio videtur, nisi quia ipsum donum Dei, Spiritum sanctum intelligamus. Gratia porro & pax, quid aliud est quàm donum Dei? vnde nullo modo dari hominibus gratia potest quâ liberamur à peccatis: Et pax quâ reconciliamur Deo, nisi in Spiritu sancto. Et ideo ipsa Trinitas, pariterque incommutabilis vnitas, in ista salutatione cognoscitur. Quod propterea maximè credo, quoniam exceptâ epistolâ quam ad Hebræos scripsit, vbi principium salutatorium de industria dicitur omisisse, ne Iudæi qui aduersus eum pugnaciter oblatrabant, nomine eius offensi, vel inimico animo legerent, vel omnino legere non curarent, quod ad eorum salutem scripserat; vnde nonnulli (S. Aug.) eam in Canonem scripturarum recipere timuerunt, sed quoquo modo se habeat ista quæstio, excepta hac epistola *aduerte hanc Augustinum non excipere vel à Canonicis, vel ab Epistolis Pauli, sed ab assueta ratione salutandi* cæteræ omnes, quæ, nulla dubitante Ecclesia, Pauli Apostoli esse firmantur, talem continent salutationem; nisi quod ad Timotheum in vtraque, interponit misericordiam. Nam ita scribit: gratia, misericordia, pax a Deo Patre & Iesu Christo Domino nostro. Quò enim familiarius, eò dulcius quodammodo scribens ad Timotheum id verbum interposuit, quo planè aperitur atque ostenditur, non meritis operum priorum, sed secundùm misericordiam Dei nobis dari Spiritum sanctum, vt & peccatorum abolitio fiat, quibus seiungebamur a Deo, & reconciliatio vt illi inhæreamus. *Addit & cæteros Apostolos sic præfatos, vt pro salute Trinitatem intelligerent; & notat Patrem Valerium cum admiratione animaduertisse*; in quorumdam rusticanorum collocutione, cùm alter alteri dixisset, salus; quæsiuit ab eo qui & Latinè nosset & punicè quid esset salus: responsum est, tria. *Vt in verbo pax tres literæ, quarum prima Patrem exprimit, secunda amorem notionalem, quem Aug. vocat ineffabilem complexum genitoris & geniti, X. Christum crucifixum* (S. Aug.) tum ille agnoscens cum gaudio salutem nostram esse Trinitatem, conuenientiam linguarum, non fortuitò, sic sonasse arbitratus est, sed occultissima dispensatione diuinæ prouidentiæ, vt cum Latinè nominatur Salus, à Punicis intelligantur tria: & cum Punici linguâ suâ, tria nominant, Latinè intelligatur Salus. Chananæa enim, hoc est Punica mulier de finibus Tyri & Sidonis egressa, quæ in Euangelio personam Gentium gerit, salutem petebat filiæ suæ, &c. Tria enim, mulieris lingua, salus vocatur. Erat enim Chananæa. Vnde interrogati rustici nostri quid sint, punicè respondentes, Chanani, &c. quid aliud respondent quàm Chananæi? petens itaque salutem, Trinitatem petebat: quia & Romana lingua quæ in salutis nomine Trinitatem punicè sonat, caput Gentium inuenta est in Aduentu Domini; & diximus Chananæam mulierem Gentium sustinere personam. Panem autem appellans Dominus idipsum quod à muliere petebatur, quid aliud quàm Trini-

tati attestatur? Namque alio loco eandem Trinitatem in tribus panibus *amico noctu petenti commodatis* intelligendam esse, apertissimè docet. Sed hæc verborum consonantia, siue prouenerit, *casu* siue prouisa sit, *à Deo*, non pugnaciter agendum est, vt ei quisque consentiat, sed quantum interpretantis elegantiam, hilaritas audientis admittit. Illud sanè magna intentione animi considerandum, & totis viribus pietatis amplectendum satis apparet; quoniam si gratia & pax ad implendam Trinitatis com- A memorationem sic ab Apostolo ponitur, ac si Spiritum sanctum nominasset, ille peccat in Spiritum sanctum, qui desperans, vel irridens prædicationem gratiæ, *nec recipiens pacem datam à Missis quò ipse erat venturus filius cum Patre & Spiritu* per quam peccata diluuntur, & pacis per quàm reconciliamur Deo, detrectat agere pœnitentiam de peccatis suis, & in eorum impia atque mortifera quadam suauitate perdurandum sibi esse decernit, & vsque in finem perdurat.

3. *Pacis & charitatis signa, ieiunio sunt præferenda. De Orat. cap. 14. in p.*

Alia iam consuetudo inualuit, ieiunantes, habita oratione cum fratribus subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum orationis. Quando autem magis conferenda cum fratribus pax est, nisi cum oratio commendabilior ascendit, vt ipsi de nostra operatione participes, iam audeant de sua pace fratri transigere? Quæ oratio cum diuortio sancti osculi integra? quem Domino officium facientem impedit pax? quale sacrificium est, à quo sine pace receditur? Quæcunque operatio sit, non erit potior præcepti obseruatione, quo iubemur ieiunia nostra celare. Iam enim de abstinentia osculi agnoscimur ieiunantes. Sed & si qua ratio est, ne tamen huic præcepto reus sis, potes domi, si fortè, inter quos latere ieiunium in totum non datur, differre pacem. Vbicunque autem alibi operationem tuam abscondere potes, debes meminisse præcepti: ita & disciplinæ foris, & consuetudini domi satisfacies.

PAX. 3. SCHOL.

CONSVETVDO INVALVIT. *Arguit moris antiqui transgressores; quo solebant in omnibus orationibus in communi, id est in Ecclesia factis (præterquàm solemnibus ieiuniorum diebus quibus abstinebant fideles ab osculo pacis) orationem per mutuum osculum claudere, & velut Epistolam Deo missam, hoc charitatis signaculo acceptissimo subsignare. Quem morem aliqui non seruabant, qui priuatim ieiunantes, ab illo osculo abstinebant, & suum sic ieiunium publicabant.* QVANDO AVTEM, &c. *Quasi diceret numquam oratio commendabilior ascendit ad Deum, quàm cum laborioso operi ieiunij coniuncta est, anima enim orantis quasi leuior alas sumit, cum duplici pondere exoneratur, pecunia videlicet per eleemosynam, & carnis, per abstinentiam. Hinc illud.* Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna. *Chrysol. ser. 2. à p.* Vacuandus est venter moderatione ieiunij, vt exoneratus animus, possit ad alta pertendere, conscendere ad virtutes, possit ad ipsum pietatis authorem, totus aliger peruolare. Hoc Elias probat, qui dominici continuatione ieiunij defœcatus, à carnali pondere, mortis victor euolauit ad cœlum. *Alij legunt*, cum oratione commendabilior, *pax scilicet iuncta orationi, vel ipsa operatio ieiunij vtrique coniuncta. Nullum igitur tempus, ait, aptius osculo pacis, quàm quo oratio fit communis, consociata ieiunio. Acceptior enim est oratio ex mutuo fidelium simul orantium consensu per osculi Symbolum significato. Vnde & Christus*: vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, de quacumque re petierint, fiet illis à Patre meo. *Aug. ser. 22. de ver. Apost.* Porta ergo

S. Aug. pennas pacis, alas accipe charitatis. *Et ser. 146. de temp.* Sine pace non suscipitur Sacerdotis oratio, nec plebis oratio. AVDEANT DE PACE TRANSIGERE. *Vox iuris, de qua speciatim sub titulo de transactionibus accipitur, pro*, de lite iam mota vel mouenda aliquo dato, vel retento, vel promisso decidere *L. transactio. C. illo titulo. transigitur item* cum res in controuersiam deducta deciditur. *l. 1. ff. Testam. quemadmodum aper. l. 6. ff. de transact. sensus est: Adeo commendabilis est oratio hoc Dei signaculo conclusa & notata, nempe osculo: vt sicut inter osculantes fit mutua animæ communicatio, sic fiat etiam commercium bonorum spiritualium inter ieiunantem simul & orantem, & so-*

B *lummodo orantem cum spiritu magnæ charitatis & vnionis cum proximo, quo fertur in dandum osculum pacis. Quidquod, cum transactio fiat inter partes, vt lis dubia finiatur, & res certa confirmetur; cum posset esse dubium an æquale sit meritum non ieiuni orantis, & ieiuni; ipse non ieiunans audeat de pace sua, hoc est osculo cum magna charitate dato, transigere, pacisci cum ieiunante, & magna & laboriosa operatione eius.* DIVORTIO OSCVLI. *Quis auersatus fratris osculum, recedens & diuertens ab oratione, non dato prius osculo, integrum orationis sacrificium Deo offert, cuius pars integrans, & quidem dignior, vt concludens, vt signaculum imponens, est osculum? ait enim scriptura*; melior est finis orationis, quàm principium. OFFICIVM FACIENTEM. *Ieiunantem officiosè, absque obligatione solemnis & statuti ieiunij.* IMPEDIT PAX. *Id est, quem, nisi imprudentem &*

C *bonum commune osculi pacis, priuato operi postponentem, osculum pacis impedit & grauat, & quasi à ieiunio reuocat, quia timet ne ex osculo, ob fœtorem halitus, ieiunus agnoscatur?* QVÆCVMQVE RATIO. *Nulla, inquit, causa maior & rationabilior, ieiunum ab osculo excusare potest, quàm lex Christi, quæ opera bona celare præcipit. Sed tantum abest vt abstinens ab osculo celes ieiunium tuum, quin ipso facto quo publicè negas osculum, ieiunare te publicas; vt qui publicè ieiunat ab osculo, publicè prodat se ieiunare à cibo.* DIFFERRE PACEM, *subtrahere osculum inter domesticos apud te, potes, agnito vt plurimum ab illis ieiunio tuo; potes abstinere ab osculo; sic enim non magis publicas ieiunium tuum jam satis aliunde notum.* OPERATIONEM. *Opus ieiunij.* MEMINISSE PRÆCEPTI. *Prohibentis publicare sua opera.* DIS-

D CIPLINÆ, *dicti iam præcepti, vel simul osculi dandi iuxta disciplinam & morem tunc in Ecclesia vigentem.* ET CONSVETVDINI. *Mori tuo nouo, de quo initio capitis dixit*: Alia iam consuetudo inualuit, *vel mori tuo ieiunandi, & abstinendi ab osculo inter domesticos, satisfacies. De osculo pacis frequenter Apostolus, mandans salutare fratres in osculo pacis Rom. 16. 16. 1. Cor. 16. 20. 2. Cor. 13. 12. 2. Thess. 5. 26. 1. Petri 5. 14. Et hoc osculum inter fideles quasi fratres & filios Ecclesiæ Matris, ex Gentibus & Iudæis collectæ, signum erat osculi quod petebat per sponsam in Canticis à Verbo incarnando, dicens:* osculetur me osculo oris sui. *Debet mysterio sic At-*

gustinus ser. 79. *de temp.* Numquid B. Iacob videns consobrinam suam, non eam potuit osculari priusquam aquam gregibus daret? potuit sine dubio, sed mysterium gerebatur. Oportebat enim vt per gratiam baptismi, ab omni iniquitate vel discordia liberaretur Ecclesia, & sic pacem cum Deo habere mereretur. Quod autem in illa peregrinatione duas vxores accepit Iacob, duos populos figurabat Iudæorum & gentium, &c. Lia Iudæorum, Rachel gentium. Istis duobus populis, velut duobus parietibus tanquam lapis Angularis iunctus est Christus. In ipso enim se osculati sunt, & in ipso æternam pacem habere meruerunt, sicut Apostolus dicit. ipse est pax nostra qui fecit vtraque vnum. Quomodo fecit vtraque vnum? vtique duos greges iungendo, & duos parietes sibi inuicem copulando, &c. Post hæc diues factus est B. Iacob, &c. Et cum infinita substantia ad patriam reuersus est: ita & verus Iacob Dominus noster Iesus Christus veniens in hunc mundum, & istas duas sibi plebes, id est gentium & Iudæorum consocians, innumerabiles ex eis filios spiritaliter genuit & creauit, ac ditatus est nimis. *Qui vt fratres iam se osculantur soluto inimicitiarum pariete. De osculo sancto sæpè scripsit Tertullianus. Vt libro 2. ad vxo. c. 4. cùm dehortatur à nuptiis cum infideli contrahendis, quòd inter cætera gratum non haberet maritus frequens fidelium osculum.* Quis in carcerem ad osculanda vincula Martyris reptare patietur? iam verò alicui fratrum ad osculum conuenire? *Et libro de Oratione cap. 14. vbi queritur de noua consuetudine inducta abstinendi ab osculo in ieiuniis priuatis cùm osculum pacis Symbolum sit, & quasi signaculum quod perficit orationem eamque Deo commendat.* Alia iam consuetudo inualuit, ieiunantes habita oratione cum fratribus, subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum orationis, &c: quæ oratio cum diuortio sancti osculi integra? Quem Domino officium facientem, *opus ieiunij offerentem cum oratione* impedit pax? quale sacrificium est à quo sine pace receditur? *Et rursum ibid.* Sic & die Paschæ quo communis &

A quasi publica ieiunij religio est, meritò deponimus osculum, nihil curantes de occultando quod cum omnibus faciamus. *Vbi primò nota per diem Pascha non posse intelligi Dominicam Resurrectionis. Cùm enim nec communibus per annum Dominicis fas esset ieiunare, quòd ieiunium sit mœroris & tristitiæ, & Dominica exultationis & lætitiæ: multominus Dominica Resurrectionis omnium lætissima. Per diem ergo Pascha intelligit feriam sextam maioris hebdomadæ quo omnes ieiunabant ad Vesperam, nec Eucharistiam illo die sumebant; ac proinde soli mœrori & luctui vacabant, & ab osculo lætitiæ signaculo pariter abstinebant. Nec opus erat suum occultare ieiunium dato osculo, cùm omnes communi & publica ieiunij religione osculum illo die deponerent in odium osculi Iudæ quo Christum vendiderat. Pascha igitur diem dixit, quia Pascha transitus Domini est, quo Christus transiuit de hoc mundo ad Patrem.* B *Et iuxta Euangelium eodem die noluerunt introire Iudæi in Prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha, id est panes azymos quos diebus illis mundi edere debebant, qui ab Agno Paschali pridie comesto sequentes dies Paschales denominabant. Cùm igitur aliis ieiuniis non integris & ad serotinum productis mos fidelium esset ante communionem inuicem osculari, arguit Tertullianus osculum subtrahentes, & ieiunium suum priuatum contra humilitatis præceptum, osculo subtracto detegentes. Vnde Tertullianus ibidem* quæcumque, inquit, operatio sit, non erit potior præcepti obseruatione, quo iubemur ieiunia nostra celare. Iam enim de abstinentia osculi agnoscimur ieiunantes. C *Quod subiicit de differenda pace domi, id est de subtrahendo domesticis osculo, quibus non potest celari ieiunium, foris autem id est in publico & in Ecclesia satisfaciendum esse disciplinæ, intelligit in ieiuniis illis, sequendam consuetudinem Ecclesiæ, & dandum fratribus osculum, quod est lætitiæ & communionis animorum signaculum, & maxima ad communionem corporis Christi dispositio. Vnde meritò subtrahitur osculum in missis defunctorum, quòd in illis non publicè communicarent fideles.*

4. *Pace armati, bellum inferunt diabolo. ad Mart. cap. 1. in f.*

PAx vestra bellum est illi. Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes, à martyribus in carcere, exorare consueuerunt. Et ideo eam etiam propterea in vobis habere, & fouere, & custodire debetis: vt si fortè & aliis præstare possitis.

PAX. 4. SCHOL.

PAX VESTRA *concordia fidelium belligerat contra diabolum.* QVAM PACEM. *Vt id intelligas, suppone morem istius temporis, quo lapsi in idololatriam, vel qui se numerata pecunia à coactione sacrificandi redemerant, accepta à Præfectis suæ exemptionis syngrapha vt in Ecclesiam recipi mererentur, solebant ante pœnitentiam, & impositionem manuum Episcopi & Cleri, à Confessoribus fidei, & Martyribus in carcere constitutis genuflexi supplicem libellum petere, quo in Ecclesiam recipi iuberentur. Et hanc reconciliationem cum Ecclesia offensa & scandalizata, pacem vocabant, id est indulgentiam.* ET IDEO. *Proinde, inquit, Tertull. scribens Martyribus, multò magis inter vos pacem, & bonorum omnium vobis à fidelibus ad victum necessariorum communicationem, absque vlla dissensione seruare debetis, qui ad bonorum spiritalium Ecclesiæ communicationem, excommunicatos recipi, vestris suffragiis obtinetis. Cùm enim nemo det quod non habet, sic pleni esse debetis pace, vt ex abundantia vestra aliis præstare possitis. Sic,* orietur iustitia & abundantia pacis, vt impleti in omnem plenitudinem Dei, Dei pacis, *iustè eam aliis ex vestra abundantia eructare valeatis. Aug. ser. 42. de Sanctis circa f.* S. Aug. Non ore solum dicunt, quo pleni sunt fundunt. D Prædicant pacem, & habent pacem. Non sunt tales de quibus dictum est Ierem. 8. Pax, pax, & non est pax: quid est pax pax, & non est pax? prædicantes non habent; laudant, & non amant; dicunt, & non faciunt. BELLVM EST ILLI. *Quia si contraria inuicem bellant; vt diabolus inimicus est pacis, primus qui eam draco magnus turbauit in cælo; & qui iuxta Ioannem in Apoc. 6. 4.* Exiuit alius equus rufus, & qui sedebat super illum datum est ei vt sumeret pacem de terra, & vt inuicem se interficiant, & datus est ei gladius magnus. *Et Apoc.* 12. 3. Draco magnus & rufus. *Et ibid. versu* 17. Iratus est draco in mulierem *Ecclesiam* & abiit facere prœlium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi. *Quod conuenit Martyribus, Christi testibus; vt inquam diabolus inimicus pacis, zizaniorum & discordiarum seminator, pacis Christianæ est hostis, sic ex aduerso pax Christianorum & maximè Martyrum, de quibus hic agit Tertull. bellum infert diabolo. Et licet virtus omnis ipsi aduersetur, pax tamen sancta in charitate fraterna fundata, præ cunctis contraria est illi, qui ex hominum odio, maximè electorum in Christo, dicitur,* homicida ab initio. *Hinc apud*

S. Aug. *Augustinus homilia 17. ex 50. in verba Apostoli Ephes. 6.* Pax fratribus & charitas, cum fide. Audi Apostolum ipsum fidei disputatorem & gratiæ magnum defensorem. Audi eum dicentem, pax fratribus, &c. Magna tria dixit, pax, charitas, fides, à fine cœpit, ad initium terminauit. Initium enim in fide. *Hinc Cant. 4. 8. iuxta 70. veni à Libano; venies & transibis à principio fidei* finis in pace: quia enim credimus, ipsa est fides: sed fides debet esse Christianorum, non dæmoniorum. Nam sicut dicit Iacobus Apostolus cap. 2. & dæmones credunt, & contremiscunt. Et dæmones dixerunt Christo, tu es filius Dei. Confitebantur dæmones, quod non credebant homines. Illi tremuerunt, illi occiderunt, &c. discernenda ergo fides dæmonum, à fide Sanctorum. Planè discernenda vigilanter & diligenter. Nam & Petrus hoc dixit, &c. Tu es Christus, &c. & Dominus, beatus es, &c. O Domine, hoc tibi dixerunt & dæmones; quare ipsi non sunt beati? quare? quia dæmones hoc dixerunt timore, Petrus amore: ideo initium est a fide. Sed quali fide? quàm definiuit Apostolus. Gal. 5. neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides. Dic, quæ fides? quæ per dilectionem operatur. Hanc dæmones non habent fidem, quæ per dilectionem operatur, sed soli serui Dei, soli sancti Dei, soli fide filij Abrahæ, soli filij dilectionis, filij promissionis, ideo est & charitas dicta. Tria illa dicta sunt ab Apostolo, pax fratribus, & charitas cum fide. Vnde pax & charitas? vnde charitas cum fide? si enim non credis, non amas. Dixit ergo Apostolus sic incipiens à fine, & veniens ad initium: pax, charitas A cum fide. Nos dicamus, fides, charitas, pax. Crede, ama, regna. Si enim credis, & non amas, adhuc non discreuisti fidem ab eis qui tremebant & dicebant, scimus qui sis, filius Dei. Ergo tu ama, quia charitas cum fide ipsa te perducit ad pacem. Quam pacem? veram pacem, plenam pacem, solidam pacem, securam pacem. Vbi nulla pestis, vbi nullus hostis. Ipsa pax est finis omnium desideriorum bonorum, charitas cum fide: & si sic dicas, benè dicis, fides cum charitate. *Nota fidem contrariam, pellere dæmones*, signa enim eos qui crediderint hæc sequentur, in nomine meo dæmonia eiicient: *sed quid prodest eiicienti per fidem dæmonia ex alieno corpore, habenti per discordiam regnantia dæmonia in proprio corde? fides ergo sola cum charitate & pace, bellum est diabolo.* B *Cum enim dixisset Psaltes de Deo pacis*, factus est in pace locus eius: *statim subiecit quam inimica sit pax dæmonibus:* ibi confregit potentias arcuum; scutum, gladium, & bellum. *Pax murus aneus, charitatis vbera in proximum aperta & exultantia, Dei filios faciunt, qui Deus Sadai dicitur Hebræis*, qui dat omnibus affluenter, diues in omnes qui inuocant eum. *Hinc sponsa Canticorum ex vna pace abundante in proximum, artem suam & terribilem* castrorum aciem ordinatam *instructam agnouit: Cant. 8. 10.* Ego murus, & vbera mea sicut turris, 70. *sicut turres* ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. *Tandem si*, potestatem dedit filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius? & si filij hæredes, hæredes autem regni Ierusalem pacis, B. pacifici quoniam filij Dei vocabuntur.

PECCATOR.

1. *Peccatoris via laboriosa. De Pœnit. cap. 8. in m.*

Luc. 15. 4. ERrat & vna pastori ouicula, sed grex vnâ carior non erat: vna illa conquiritur, vna pro omnibus desideratur, & tandem inuenitur, & humeris pastoris ipsius refertur: multum enim errando laborauerat.

PECCATOR. 1. SCHOL.

MVLTVM ERRANDO LABORAVERAT. *Sæpius iam dictum cum Augustino, in vna oue, in vno Adam errante, omne genus humanum à via mandati aberrasse; pro qua, & in qua oue, membrum Dauid, dicebat:* erraui sicut ouis quæ periit: *sed omnis peccator etiam errando inter flores & prata, multum laborat, & spinis conscientiæ peccato repugnantis, compungitur. Ait enim Deus in scriptura. Osee 2.6. cum dixisset:* Quia fornicata est mater eorum, confusa est quæ concepit eos: quia dixit, vadam post amatores meos qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum, oleum meum, & potum meum. Propter hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis, &c. 70. Sepiam viam eius in sudibus. *Sic & de se Augustinus expertus con-* S. Aug. *fitebatur:* aspergebas amaritudinibus dulcedines meas. *Sic omnes voluptuosi & diuites. Sap. 5. 6.* Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis; & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini S. Aug. ignorauimus. *Aug. in Psal. 145. circa f.* Exterminabit viam peccatorum, &c. noli zelare in peccatores. Quid accipiant vides, quid illis seruetur, non vides, &c. omnino habet oculos fides, & maiores oculos, & potentiores, & fortiores. Hi oculi neminem deceperunt, &c. Via peccatorum placet tibi, quia lata est, & multi per illam ambulant. Latitudinem eius vides, finem eius non vides. Ecce vbi finitur, præcipitium est: vbi finitur profunditas quædam C barathri est, &c. Sed extendere oculos non potes, vt videas ipsum finem, crede ei qui videt. Et est qui videt? homo? fortè nemo homo, sed Dominus Deus tuus venit ad te, vt crederes Deo. Non enim & Domino Deo tuo non es crediturus qui ait Matth. 7. lata & spatiosa est via quæ ducit ad interitum, & multi sunt qui ingrediuntur per illam? *Et in Psal. 36.* S. Aug. Ne subæmuleris eum qui prosperatur in via sua. Prosperatur, sed in via sua; laboras, sed in via Dei. Illi prosperitas in via est, in peruentione infœlicitas: tibi labor in via *sed fictus, ait enim qui fingis laborem in præcepto, & picta aliorum fœlicitas, transierunt enim in picturam cordis, & verus labor. Et labor in medio eius & iniustitia: concepit dolorem & peperit ini-* D *quitatem* in peruentione fœlicitas, quoniam iter impiorum peribit. Has vias ambula quas nouit Dominus, & si ambulas in eis, non te fallunt. Via verò impiorum, fœlicitas transitoria: finita via, peracta est fœlicitas. Quare? quia via illa lata est, finis eius in profundum inferni perducit. Via verò tua angusta est, & pauci ingrediuntur per eam; sed ad quam latitudinem perueniant debes cogitare, ne subæmuleris eum qui prosperatur in via sua. *Angusta nobis via & arcta porta factus est pastor, qui & est ostium ouium; ad quas angustias venit Pastor vt ouem in lata via aberrantem, lassatam & laborantem errando, suis humeris imponeret, vt à labore requiem inueniret, & pascua in suo Pastore reperiret, siue ingrediens, siue egrediens? Accipe Augustinum sic sentem in hanc rem:* Deus factus

S. Aug. ctus est homo, vt hominem totum in se beatificaret, tota hominis conuersio ad ipsum esset, & tota dilectio esset in ipso, cùm à sensu carnis videretur per carnem, & a sensu mentis, per Diuinitatis contemplationem: & hoc totum bonum hominis erat, vt siue ingrederetur, siue egrederetur, pascua in factore suo inueniret; foris in carne Saluatoris, intùs in Diuinitate Creatoris. *Aliter exponit tract. 45. in Ioan.*

S. Aug. 10 Est aliquis non solùm ingressus, verùm etiam egressus bonus per ostium bonum quod est Christus, &c. Possem quidem dicere, ingredi nos quando interiùs aliquid cogitamus; egredi autem quando exteriùs operamur. *Et tract. 48.* Ingressi sumus A credendo, egredimur moriendo: sed quomodo per ostium fidei ingressi sumus, sic fideles de corpore exeamus: sic enim per istud ostium egredimur, vt pascua inuenire possimus. Bona pascua vita æterna dicitur, ibi nulla herba arescit, totum viret, totum viget. Solet quædam herba dici semper viua, est herba quæ semper dicitur viuere: ibi solùm viuere inuenitur. Vitam æternam, inquit, dabo eis. *Eia, ouis perdita, eia errantes oues,* Conuersi estis ad Pastorem animarum vestrarum, qui eratis aliquando sicut oues errantes; cùm apparuerit Princeps Pastorum, tunc accipietis immarcessibilem gloriæ coronam, *& pascua semper virentia.* S. Aug.

§ 2. Peccator dicens se corde timere Deum, nec cessans à peccato, mendax & hypocrita est. De Pœnit. cap. 5. in fin.

Aiunt quidam: Satis Deum habere, si corde & animo suspiciatur, licèt actu minus fiat. Itaque, se saluo metu ac fide peccare; hoc est, saluâ castitate, matrimonia violare: saluâ pietate, parenti venenum temperare. Sic ergo & ipsi, saluâ veniâ, in gehennam detrudentur; dum saluo metu peccant. Primum exemplum peruersitatis: quia timent, delinquunt: opinor non delinquerent, si non timerent. Igitur qui Deum nolit offensum, nec reuereatur omninò, si timor offendendi patrocinium est. Sed ista ingenia de semine hypocritarum pullulare consuerunt, quorum indiuidua cum Diabolo amicitia est, quorum pœnitentia nunquam fidelis.

PECCATOR. 2. SCHOL.

SATIS DEVM HABERE; *contentum esse.* SVSPICIATVR, *admiretur, extollatur, magnus sentiatur & dicatur, licèt facta non respondeant.* SALVO METV, *dicunt se absque præiudicio timoris diuini & fidei peccare, quasi verò fides sine operibus mortua non sit, & timor verus & castus peccatum non excludat. Qui hoc dicunt, idem dicunt, ac si castitatem coniugalem seruare se dicat mulier adultera, quæ tamen de viro absente etiam laudes dicit, & eius virtutes prædicat, & reditum eius timet, & cum amasio deprehendi. Ac veluti filius, qui diceret se pietatem in parentem custodire, & venenum ei in poculo aureo aromatibus condito & temperato porrigeret. Sic hoc simul stare volunt, qui absque præiudicio timoris & reuerentiæ Dei in quem credunt, quem laudant, peccare se posse dicunt: sic & à Deo damnabuntur, saluâ veniâ & gratiâ.* PRIMVM EXEMPLVM. *Prima* C *& extrema peruersitas, & mentis alienatio est, dicere aliquem & simul timere Deum, & Deum peccando contemnere. Certè si ideò peccant in Deum, quia Deum timent, melius esset eis non timere ne peccent. Itaque quicumque non vult Deum offendere, prorsus Dei timorem abiiciat si timor ei dat peccandi licentiam. Quis autem non videt istam sensus & mentis corruptionem ex hypocrisi germinare? Hypocritæ siquidem cùm exteriùs appareant inuidiâ & odio prosequi Diabolum, indiuiduâ tamen cum illo amicitia coniuncti sunt. Fingentes enim foris se Deum colere quem laudant & suspiciunt, Diabolo interiùs per peccatum seruiunt; & si quando ad pœnitentiam accedunt,* sepulchra dealbata sunt, & plena ossibus mortuorum. *Non enim fideliter & verè mortuos suos exhumant,* D *id est peccatis non renuntiant, sed affectum eorum in corde seruant: & si promittunt emendationem vitæ, fideliter propositum non custodiunt. De his Paulus:* Inquinatæ sunt eorum mens & conscientia. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant: cùm sint abominati & incredibiles & ad omne opus bonum reprobi: *Ad Tit. 1. 15. Aug. lib. 4. de doct. Christiana cap. 29.* S. Aug.

Nec sanè ipsi dicunt bona, quæ dicunt, si diligenter attendas. Quomodo enim dicunt verbis, quod negant factis? non enim frustrà de talibus ait B Apostolus confitentur se nosse, &c. modo ergo quodam ipsi dicunt, & rursus alio modo ipsi non dicunt, quoniam vtrumque verum est, quod ait Veritas. De talibus enim loquens, quæ dicunt, inquit, facite, &c. Sed alio loco tales arguens, hypocritæ, inquit, quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? ac per hoc & ea quæ dicunt quando bona dicunt, non ipsi dicunt, voluntate scilicet atque opere negando quod dicunt. *Similes item sunt ex eodem alibi, poculo aureo, quem tenebat mulier Apocalypsis, Babylon illa mater fornicationum:* Poculum aureum habebat in manu sua plenum abominationũ & immunditiarũ fornicationis eius. Hypocritæ & ficti Christiani intelliguntur, quia foris quidem apparent quasi iusti, *ut filius in calice aureo temperatum venenum, vel uxor adultera viro quem timet, porrigens:* intus autem pleni sunt omni immunditiâ. *Prosper in sententiis excerptis ex operibus Augustini, sent. 77 de timore, breuiter, sed pulchrè in rem nostram, probat istos Dei admiratores & laudatores peccatum non relinquentes, esse sine timore:* S. Aug.

Omnia quæ timentur, rationabiliter declinantur: *vnde sequitur quòd si peccatum vt maximum malum & Deo præ cunctis odiosum timemus, à peccato declinare, & ad Deum à quo per peccatum declinamus, conuerti debeamus,* Deus sic timendus est, vt ab ipso *irato*, ad ipsum, *placatum*, confugiatur. *Sicut & contra Augustinus:* nemo te amittit, nisi qui dimittit: qui autem dimittit, quò it, aut quò vadit, nisi à te placato ad te iratum? *In quam rem tria subiicio verba Augustini in Psal. 127. de timore duarum mulierum:* Pone aliquam fœminam castam, timentẽ virum: aliam pone adulteram, & ipsa timet virum. Casta timet ne discedat vir, adultera, ne veniat, quid si ambo absentes sunt? illa ne veniat, illa ne tardet, &c. absens est sponsus noster, interroga conscientiam tuam, vis vt veniat, an adhuc vis vt tardet? &c. absens est præsentiâ corporis, sed præsens est vigore maiestatis, &c. *Timet anima mala ne veniat ad iudicium, & mittat in supplicium; amat casta & cupit eius aduentum, vt ad æternum fruitura sponso deducatur thalamum.* S. Aug.

§ 3. Peccator, Deum primum parentem offendens, meretur à parentibus occidi. Scorp. cap. 3. à princ.

Sapiens ignis effigiem vituli defundit illis, sugillans illic cor habentes, vbi & thesaurum, apud Ægyptum scilicet inter cetera animalia bouis etiam cuiusdam consecratricem ita- Exod. 32. 2. & seq.

que tria millia hominum à parentibus proximis cæsa, quia tam proximum parentem Deum offenderant, transgressionis & primordia & merita dedicauerunt.

PECCATOR. 3. SCHOL.

SAPIENS IGNIS. *Sic Aug. dixit:* Flammæ rationalis disciplinam, quantum exegerit culpa, tantum de anima peccatrice exigentem. *ignem Purgatorij. Tertull. autem, ignem quo vitulus aureus conflatus est ex inauribus ab Ægyptiis ablatis, sapientem vocat, quod arguat propriè peccatum Hebræorum, qui cor habebant in Ægypto, vbi Apin Regem sub simulacro bouis factum Deum adoratum viderant, quem Ægyptij inter cætera animalia in Deum consecrauerant. De hoc iam alibi diximus, de quo* S. Aug. *Aug. lib. 18. de Ciuit. cap. 5.* Ille bos quem mirabili vanitate decepta Ægyptus in honorem eius, *Serapidis scilicet siue Apis*, deliciis affluentibus alebat, quoniam eum sine sarcophago viuum venerabantur, Apis, non Serapis vocabatur. Quo boue mortuo, quoniam quærebatur, & reperiebatur vitulus coloris eiusdem, hoc est albis quibusdam maculis, similiter insignitus, mirum quiddam, & sibi diuinitùs procuratum esse credebant. Non enim magnum erat dæmonibus, ad eos decipiendos, phantasiam talis Tauri, quam sola cerneret, ostentare vaccæ concipienti atque prægnanti, vnde libido matris attraheret, quod in eius fœtu iam corporaliter appareret: sicut Iacob de virgis variatis, vt oues & capræ variæ nascerentur, effecit. Quòd enim homines coloribus & corporibus veris, hoc dæmones figuris fictis facillimè possint animalibus concipientibus exhibere. *De peccato, petentium vitulum, & primo quidem de Aaron dante* S. Aug. *Aug. lib. 14. de Ciu. c. 11. à m.* Aaron erranti populo ad idolum fabricandum, non consensit inductus, sed cessit inuitus. *De idololatria autem Israelitarum. Aug. lib. 2. contra Faust. c. 92.* S. Aug. Occurrat iam intentis mentibus, tanquam Diaboli corpus, in vitulo: id est homines in omnibus gentibus, quibus ad hæc sacrilegia caput, hoc est author est Diabolus. Aureum propterea, quia videntur idololatriæ ritus velut à sapientibus instituti, de quibus dicit Apostolus Rom. 1. dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & immutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Ex hac quasi sapientia iste vitulus aureus, qualia solebant Ægyptiorum etiam ipsi Primates, & tanquam docti homines adorare figmenta. Hoc ergo vitulo significatum est omne corpus, id est omnis societas Gentilium idololatriæ deditorum. Hanc sacrilegam societatem Dominus Christus illo igne comburit, de quo in Euangelio dicit, ignem veni mittere in terram; vt quoniam non est qui se abscondat à calore eius, dum in eum credunt Gentes, igne virtutis eius, *sapiente quidem, sapientiam sapientum perdente & confundente*, diabolica in eis forma soluatur, &c. *Tum subdit de Petro, cui idem in substantia iussum, quod* S. Aug. *Hebræis, vt comminutum vitulum in aqua biberent:* Si macta, & manduca, quare non etiam concide & bibe? ita ille vitulus per ignem zeli, & aciem verbi, & aquam Baptismi, ab eis potiùs quos absorbere conabatur absorptus est. *Et in Psalm. 105.* S. Aug. Fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt sculptile, & mutauerunt gloriam suam, &c. Eleganter sanè, non ait, Et mutauerunt gloriam Dei, cùm hoc fecerint, sicut etiam Apostolus loquitur, & immutauerant gloriam incorruptibilis Dei, &c. sed gloriam suam dixit, Deus enim erat gloria eorum, si eius sustinerent consilium, & non festinarent *impatientes de reditu Moysi cum Deo in Monte pro populo consulentis*, cui dicitur, gloria mea, & exaltans caput meum. Istam gloriam suam, id est, Deum mutauerunt in similitudinem vituli comedentis fœnum, vt ab eo comederentur, à quo comeduntur qui sapiunt secundum carnem; omnis enim caro fœnum. ITAQVE TRIA MILLIA. *Sic Exod. 32. 26.* Stans in porta castrorum. *70. Stetit Moyses super portam castrorum.* ait; si quis est Domini, iungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filij Leui: quibus ait, hæc dicit Dominus Deus Israel: Ponat vir gladium super femur suum: Ite, & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum. Feceruntque filij Leui iuxtà sermonem Moysi, cecideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum. *In Heb. & 70. & Chald. ad tria millia, vel ferè tria millia* & ait Moyses: consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio & in fratre suo, vt detur vobis benedictio. TAM PROXIMVM. *Iusta, inquit, punitio, vt qui proximum omnium Patrem Deum offenderant, & primum mandatum legis transgressi erant, quo idololatria prohibetur in prima tabula, & vnus Deus coli iubetur; & qui primum secundæ tabulæ violauerant, omnium Patrem inhonorando*, A quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, *etiam pro iusta compensatione meriti, filij Aaron, in patre vitulum conflante rei, pœnam debitam in proximorum effuso sanguine, dedicarent. Aug. to. 4. lib. 2. in Exo. q. 146. ex Exod. 32. 25.* S. Aug. Cùm vidisset Moyses populum quia dissipatus est, dissipauit enim eos Aaron, vt in gaudium venirent aduersariis suis: notandum est quemadmodum illud totum malum quod populus fecit, ipsi Aaron tribuatur, quòd eis consenserit ad faciendum quod malè petiuerant. Magis enim dictum est, dissipauit eos Aaron, quoniam cessit eis; quam dissipauerunt seipsi, qui tantum malũ flagitauerunt. *Quæst. autem seq. vbi notat Moysem pro venia populi securum petisse, deleri se de libro vitæ:* S. Aug. Securus quidem hoc dixit, vt in consequentibus ratiocinatio concludatur; id est, vt quia Deus Moysem non deleret de libro suo, populo peccatum illud remitteret: verumtamen aduertendum est, quantum malum in illo peccato perspexerit Moyses, quòd tantà cæde crediderit expiandum, qui eos sic diligebat, vt pro eis illa verba Deo funderet. *Et quæst. 148. miratus quomodo hoc malum factum sit ab Aaron, cur nil vindictæ sumpserit ab eo, & post tantum peccatum, ipse & filij eius abluti, ordinati sint in Sacerdotio, & concludit:* S. Aug. Ita nouit ille cui parcat, vsque ad commutationem in melius; & cui parcat ad tempus, quamuis eum præscierit in melius non mutari: & cui non parcat, quoad pœnam, vt mutetur in melius: & cui non parcat, ita vt vitæ mutationem eius expectet: & hoc totum ad id redit quod Apostolus dicit exclamans; quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!

PECCATVM EIVSQVE SVBIECTVM.

1. *Peccati subiectum & author est anima, ad quod agendum, Carne vtitur, & cum ea maculatur, & abluitur. De Bapt. 4. circa fin.*

QVamquam ad simplicem actum competat similitudo, vt quoniam vice sordium delictis inquinamur, aquis abluamur. Sed delicta sicut non in carne comparent, quia

nemo super cutem portat maculam idololatriæ, aut stupri, aut fraudis: ita eiusmodi in spiritu sordent, qui est auctor delicti. Spiritus enim dominatur, caro famulatur: tamen vtrumque inter se communicant reatum, spiritus ob imperium, caro ob ministerium.

PECCATI SVBIECTVM, ET AVCTOR. 1. SCHOL.

AD SIMPLICEM ACTVM. *Licèt quod atti-net ad actum ablutionis, aqua Baptismi sicut foris carnis maculas abluit, sic intùs peccati maculas eluit.* IN SPIRITV SORDENT. *ad est, in anima propriè non in carne sedem habent peccata, quarum notæ & sordes, non apparent in carne, sed imprimuntur in anima & corde, à quo* exeunt cogitationes malæ, adulteria, fornicationes, &c. SPIRITVS DOMINATVR. *August. tract. 2. in Ioan.* Neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, &c. Ponitur caro pro vxore, quomodo & aliquando spiritus pro marito. Quare? quia ille regit, hæc regitur: ille imperare debet, ista seruire: nam vbi caro imperat, & spiritus seruit, peruersa domus est. Quid peius domo vbi fœmina habet imperium super virum? recta autem domus, vbi vir imperat, fœmina obtemperat. Rectus ergo ipse homo, vbi spiritus imperat, caro seruit. *de qua dictum ad Cain Gen.* 4. 7. Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. *De quo sic Aug. lib. 15. de Ciuit. cap. 7. vbi ex 70. vertit:* Quiesce: ad te enim conuersio eius, & tu dominaberis illius. Numquid fratris? Absit. Cuius igitur, nisi peccati? dixerat enim, peccasti: tum deinde addidit, quiesce: ad te enim conuersio eius, &c. Potest quidem ita intelligi, ad ipsum hominem conuersionem esse debere peccati, vt nulli alij quàm sibi sciat tribuere debere, quod peccat, &c. Tunc enim dominabitur quisque peccato, si id sibi, non defendendo, præposuerit, sed pœnitendo subiecerit; alioquin & illi seruiet dominanti, si patrocinium adhibuerit accedenti. *Subiicit, per peccatum,*

S. Aug.

S. Aug.

A *iuxta Apostolum intelligi carnis concupiscentiam:* Quam partem animi etiam Philosophi dicunt esse vitiosam, non quæ mentem debeat trahere, sed cui mens debeat imperare, eámque ab illicitis operibus ratione cohibere. Cùm ergo commota fuerit ad aliquid perperam committendum, si acquiescatur & obtemperetur dicenti Apostolo Rom. 6. ne exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, ad mentem domita & victa conuertitur, vt subdita ratio dominetur. *Tum applicat Cain, cui inuidiâ commoto, vt quiesceret & contineret à cæde, dixit Deus:* Ad te conuersio eius; dum non adiuuatur relaxando, sed quiescendo frænatur. Et tu dominaberis illius. Vt cùm forinsecùs non permittitur operari, sub potestate mentis & beneuolentis, assuescat etiam intrinsecùs non moueri. *Idem & notat dictum Euæ* B *post peccatum:* Et ad virum tuum conuersio tua, & ipse dominabitur tui; quod dictum est ad Cain de peccato vel de vitiosa carnis concupiscentia, hoc isto loco de peccatrice fœmina: vbi intelligendum est virum ad regendam vxorem; animo carnem regenti similem esse oportere: propter quod dicit Apostolus Ephes. 5. Qui diligit vxorem suam, seipsum diligit: nemo enim vnquam carnem suam odio habuit. Sananda sunt enim hæc sicut nostra, non sicut aliena damnanda. COMMVNICANT REATVM. *Licèt propriè subiectum peccati sit anima:* anima enim quæ peccauerit ipsa morietur, *tamen quia per carnem tentatur, & per carnem actus peccati operatur, ideò & caro, velut reatus particeps, in Baptismo quoque abluitur.*

2. *Peccatum potuit anima facere ex infirmitate, non debuit ex libertate, & pœna comminatione. 2. cont. Marc. cap. 9. in fin.*

HOc ipsum ergo potuit adflatus Dei admittere. Potuit, sed non debuit. Potuisse enim habuit, par substantiæ exilitatem, quâ adflatus, non spiritus: non debuisse autem, per arbitrij potestatem, quâ liber, non seruus; adsistente ampliùs demonstratione non delinquendi sub comminatione moriendi, quâ substrueretur substantiæ exilitas, & regeretur sententiæ libertas. Itaque non per illud iam videri potest anima deliquisse, quod illi cum Deo affine est, id est, per adflatum: sed per illud quod substantiæ accessit, id est, per liberum arbitrium; à Deo quidem rationaliter attributum; ab homine verò quâ voluit agitatum. Quòd si ita se habent, omnis iam Dei dipositio de mali exprobratione purgatur. Libertas enim arbitrij non ei culpam suam respuet, à quo data est; sed à quo non vt debuit administrata est. Quod denique malum describes Creatori? si delictum hominis: non erit Dei, quod est hominis: nec idem habendus est delicti auctor, qui inuenitur interdictor, immò & condemnator. Si mors malum, nec mors comminatori suo, sed contemptori faciet inuidiam, vt auctori. Contemnendo enim eam fecit, non vtique futuram, si non contempsisset.

PECCATI AVCTOR. 1. SCHOL.

HOc IPSVM. *peccatum.* ADFLATVS DEI, *anima* C *hominis, quam vbique sic vocat, vt sæpiùs diximus, verbo,* anima. *Ex Gen.* 2. 7. Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, &c. *Septuag. verò quos sequitur Author noster:* Insufflauit in faciem eius flatum vitæ. *vnde animam dixit:* adflatum Dei. PER EXILITATEM. *ob infirmitatem & defectibilitatem naturæ, in quantum ex nihilo creata, vnde & apud Prophetam de ipso Lucifero peccante dicitur:* Nihil factus es, & non eris in perpetuum, *Et Dauid de peccato simul & ignorantia,* ad nihilum redactus sum & nesciui, *Et Augustinus.* Quid fecimus? nisi quia in ira tua defecimus? *Et idem:* Peccare non est omninò nihil esse, sed nihilo appropinquare. NON SPIRITVS. *in quantum non est Deus, de quo Ioan.* 4. Deus spiritus est. *qui solus est indefectibilis, impeccabilis, Ens perfectum & necessarium.* QVA LIBER, *in quantum suæ voluntatis Dominus, in gratia conditus, & non peccati seruus; de quo Christus:* Qui facit peccatum, seruus est peccati. ADSISTENTE AMPLIVS, &c. *Præter naturæ regiam libertatem, per quam homo debuerat fugere peccatum, & omni tentatio-* S. Aug.

ni non cederet: habebat prætereà Dei præceptum, & comminationem mortis, quibus velut fulcris & columnis suffulciretur natura infirmitas, & libertas in dextram sinistrámve, aquam torrentis voluptatis, & ignem æterni doloris cohiberetur à malo, & vergeret in bonum. DEO ADFINE, quo ad Dei similitudinem & imaginem accedit, in quantum adflatus, Deo similitudine proximus, qui est spiritus. SVBSTANTIÆ ACCESSIT, non quòd velit liberum arbitrium esse quid accidentale, & non de substantia & essentia animæ rationalis, sed intelligit vsum ipsum libertatis, qui potuit esse bonus vel malus, quod innuit, dum subiicit: quà voluit agitatum. SE HABENT, pro se habet. DISPOSITIO, alibi diceret Dei conditio. id est creatura, maximè rationalis, à Deo condita & disposita, probro omni caret, inculpabilis est operatio Conditoris, quem alibi vocat opificem Inuituperabilium conditionum. RESPVET, non in Deum reiiciet culpam suam. DISCRIBES, describes, scribendo impones Creatori, ô Marcion. DELICTVM HOMINIS, supple est. CONDEMNATOR. Sic Fulgentius Ruspensis Episcopus, Eremitani Ordinis fulgidum decus: Deus non est author eorum quorum est vltor. FACIET INVIDIAM, odium aduersus hominem authorem peccati, & mortis concitabit: quià iuxta Paulum, per peccatum mors. Et iam alibi ex Aug. diximus sine peccato non fuisse moriturum hominem. Hic iuxta eius sensum & cum Tertulliano consensum dicam, non ex Deo, sed ex libertatis vsu malo fluxisse peccatum. Doctißimè & aptißimè in rem nostram Augustinus lib. 12. de Ciuit. cap. 7. Nemo quærat efficientem causam malæ voluntatis. Non enim est efficiens, sed deficiens: quia nec illa effectio est, sed defectio: deficere namque ab eo quod summè est, ad id quod minus est, hoc est incipere habere voluntatem malam. Causas porrò defectionum istarum, cùm efficientes non sint, sed deficientes, velle inuenire, tale est, ac si quisquam vellet videre tene- S.Aug.

A bras, vel audire silentium, quod tamen vtrumque nobis notum est; neque illud nisi per oculos, neque hoc nisi per aures; non sanè in specie: sed in speciei priuatione. Nemo ergo ex me scire quærat, quod me nescire scio, nisi fortè vt nescire discat, quod sciri non posse sciendum est. Ea quippe quæ non in specie, sed in eius priuatione sciuntur, si dici, aut intelligi potest, quodammodo nesciendo, sciuntur; & sciendo nesciuntur, &c. Delicta enim quis intelligit? Hoc scio, naturam Dei nunquam, nusquam, nulla ex parte posse deficere: & ea posse deficere, quæ ex nihilo facta sunt. Quæ tamen quantò magis sunt, & bona faciunt: tunc enim cùm aliquid faciunt, causas habent efficientes: in quantum autem deficiunt, & ex hoc mala faciunt: quid enim tunc faciunt nisi vana? causas habent deficientes. Et lib. 2. de nuptiis & concupiscentia cap. 29. ubi obiicienti Pelagiano: Si na- S. Aug.
B tura per Deum est, non potest in ea esse originale malum: nónne, inquit, religiosiùs sibi alius videretur dicere, si natura per Deum est, non potest in ea oriri vllum malum: & tamen falsum est. Hoc enim Manichæi asserere voluerunt; & non creaturam Dei factam de nihilo: sed ipsam naturam Dei, sicut & Marcionita, contra quos hic agit Tertullianus: malis omnibus implere conati sunt. Non enim ortum est malum, ex malo vsu libertatis, nisi in bono, libero arbitrio, nec tamen summo & immutabili, quod est natura Dei: Spiritus & non flatus, quod est homo, de quo Iob, memento quia ventus est vita mea, flatus factus in animam viuentem, sed facto de nihilo per sapientiam Dei. Est itaque per quod homo diuino operi vindicetur: quia non esset homo, nisi diuino opere crearetur: malum autem non esset in paruulis, nisi voluntate primi hominis peccaretur, & ex origine vitiatà, peccatum originale traheretur.

3. *Peccatum Deo adscribi non potest, licèt in tentatorem refundatur. 2. cont. Marc. cap. 10. in pr.*

SEd etsi ab homine in Diabolum transcripseris mali elogium, vt in instinctorem delicti; vti sic quoque in Creatorem dirigas culpam, vt in auctorem Diaboli,[a] *qui facit Angelos spiritus*: ergo quòd factus à Deo est, id est angelus, id erit eius, qui fecit: quòd autem factus à Deo non est, id Diabolus, id est delator, superest vt ipse sese fecerit, deferendo de Deo, & quidē falsum. primò, quòd Deus illos ex omni ligno edere vetuisset. dehinc quasi morituri non essent, si edissent. tertiò, quasi Deus illis inuidisset Diuinitatem. Vnde igitur malitia mendacij & fallaciæ in homines, & infamiæ in Deum? à Deo vtique non, qui & Angelum ex forma operum bonorum instituit bonum. Denique sapientissimus omnium editur, antequam Diabolus, nisi malum est sapientia.

a Heb. 1. 7. Gen. 3. 3. 4. 5. Ezec. 28, 12.

PECCATI AVCTOR. 3. SCHOL.

TRANSCRIPSERIS, transtuleris, imputaueris. Paulo suprà dixerat, discribes Creatori. INSTINCTOREM. instigatorem, tentatorem. MALI ELOGIVM, titulum, authoritatem, notam, infamiam culpæ. AVTHOREM DIABOLI, Deum Creatorem Luciferi, unde vis Marcion authorem peccati hominis, quia cùm iuxta Psaltem: Faciat Angelos suos spiritus, faciendo Luciferum, qui hominem induxit in peccatum, ipsum proinde peccati malum produxit: quod enim est causa causæ, est causa causati. DEFERENDO DE DEO. Calumniando, & detrahendo de Deo, cui & falsum imposuit. Gen. 3. 1. Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradisi? vbi aduerte calliditatem serpentis, obliquè & ambiguè loquentis: Deus enim excipiendo vnicum lignum scientiæ boni, & mali, ab omni proinde exclusferat, quia non de omni prorsus edere permiserat. Cùm tamen aliunde, Exceptio firmet legem in non exceptis. & liceret homini de omni ligno edere, quocumque tandem, excepto hoc vnico. QVASI MORITVRI, &c. vers. 4. Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquā morte moriemini. INVIDISSET ibid. ver. 5.

C Scit enim Deus, 70. Sciebat enim Deus, quòd in quocumq; die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij scientes bonū & malum. EX FORMA, vel ex idea optima, Verbo scilicet diuino, quod est forma & exemplar ex August. per quod omnia facta sunt bona, de quo dicitur in Gen. Vidit cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. Et quidem, cùm ex eodem Aug. per lucem primo die factam, intelligatur natura Angelica, & princeps eius Lucifer; ab eius creatione cœpit hac loquendi forma, in cæteris operibus seruata, Vidit lucem quod esset bona. Et Ezech. 28. 12. Hæc dicit Dominus Deus: tu signaculum similitudinis plenus sapientiâ & perfectus decorè, &c. perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ. 70. Fuisti tu immaculatus in diebus tuis, à die quā creatus es, donec inuentæ sunt iniquitates in te. Vnum miror, Tertullianum sequi solitum 70. qui nihil de eius sapientia habent; sapientissimum hic dicere. Sed respondendum, quamquam Scriptura nihil dicret, sapientissimum tamen supponi debere primum omnium Angelorum. NISI MALVM. Bonus vtique Lucifer, & Cherub, hoc est, scientiâ & sapientiâ plenus à Deo

tundatus est; nisi sapientiam velit Marcion aliquod malum esse. Augustinus doctissime, tam de hominis quam Angeli, ex propria infirmitate voluntatis creata ex nihilo, & malo eius usu, non ex Deo creante peccasse probat; qui solus indefectibilis, & impeccabilis est. Libro 2. de Nuptiis & concupiscentia cap. 28. vbi sic quærit aduersarium: si peccatum ex voluntate est, mala est voluntas quæ peccatum facit: si ex natura, mala natura. Cito respondeo, ex voluntate peccatum est. Quærit fortè vtrum & originale peccatum? respondeo prorsus & originale peccatum; quia & hoc ex voluntate primi hominis seminatum est, vt & in illo esset, & in omnes transiret. Sed quod secutus adiunxit, si ex natura, mala natura: quæro ab illo vt si potest respondeat; sicut manifestum est, ex voluntate mala, tanquam ex arbore mala fructus eius fieri omnia opera mala: sic ipsam voluntatem malam, id est fructuum malorum arborem malam, vnde dicat exortam? Si ex Angelo, quid erat ipse Angelus nisi bonum opus Dei? si ex homine, quid erat ipse homo nisi bonum opus Dei? imò quia voluntas mala Angeli ex Angelo, ex homine hominis orta est, quid erant hæc duo, antequam in eis ista mala orirentur, nisi bonum opus Dei, & bona atque laudanda natura? ecce ergo, ex bono oritur malum; nec fuit omnino vnde oriri posset, nisi ex bono: ipsam dico voluntatem malam, quam nullum præcessit malum; non opera mala, quæ non sunt; nisi ex voluntate mala tanquam ex arbore mala: nec ideo tamen potuit ex bono oriri voluntas mala; quia bonum factum est à Deo bono; sed quia de nihilo factum est, non de Deo. Quid ergo est quod dicit, si natura opus est Dei, per opus Dei, opus diaboli transire non sinitur? Nonne opus diaboli, quando primum in Angelo, qui diabolus factus est, ortum est, in opere Dei ortum est? quapropter, si malum quod omnino nusquam erat, in Dei opera oriri potuit; cur malum, quod alicubi iam erat, per opus Dei transire non potuit, præsertim cum ipso verbo vtatur Apostolus dicens, & ita in omnes homines pertransiit? Numquid homines non sunt opus Dei? pertransiit ergo peccatum per homines, hoc est opus diaboli per opus Dei. Atque vt alio modo idipsum dicam; quia diaboli opus, id est peccatum, per ipsum diabolum exortum, qui factura vel opus est Dei, per aliud opus Dei, id est hominem pertransiit opus operis Dei, per opus Dei. Et ideo Deus est solus immutabilis, & potentissimæ bonitatis: quia & antequam esset vllum malum, bona opera fecit omnia, & de malis quæ in bonis ab eo factis orta sunt, benè operatur per omnia. *Nescio si ad rem Tertulliani, in toto Augustini Oceano, comptior & ditior ad exornandum hunc textum margarita potuerit expiscari, & huic loco inseri.*

S. Aug.

PECCATORVM DIVISIO SEV DIVERSITAS ORIGINALIS, MORTALIS, VENIALIS, &c.

1. * *Peccatum originale omnem animam turpat, donec baptismo lauetur.* De Ani. cap. 40. in p.

Omnis anima eousque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur: tamdiu immunda, quamdiu recenseatur. Peccatrix autem, quia immunda, recipiens ignominiam ex carnis societate.

PECCATORVM DIVISIO. 1. SCHOL.

In Adam censetvr. *Hic error est eius, qui animam credidit ex traduce; & præcedenti capite exposuerat Paulum sic:* hinc & Apostolus ex sanctificato alterutro sexu, sanctos procreari ait, tam ex seminis prærogatiua, quam ex institutionis disciplina; *censum igitur hic dicit, id omnem animam originem ducere ex Adam, & per hoc debitum peccati originalis, donec in Christo renascatur per baptismum, & censu & redditu meritorum eius mundata ditescat. Aug. lib. 1. cont. Iul. cap. 3. iuxta Ambr. in Exposit. Tobiæ:* Quis, inquit, iste peccati est fœnerator nisi diabolus, à quo Eua maculata peccato, obnoxiæ successionis vsuris omne genus defœnerauit humanum? *rursus in eodem,* diabolus, inquit, Euam decepit vt supplantaret virum, obligaret hæreditatem. *Idem ipse in Exposit. Psal. 48.* Alia est, inquit, iniquitas nostra, alia calcanei nostri in quo Adam dente serpentis est vulneratus, & obnoxiam hæreditatem successionis humanæ suo vulnere dereliquit, vt omnes illo vulnere claudicemus. Ex carnis societate. *Nam statim atque creata anima infunditur corpori, ex eius societate & consortio, anima & caro fit vnus homo; & ex peccatore peccator nascitur. Sed malim credere, ad literam, secundum errorem suum; quia simul cum carnali semine consociatam animam ex traduce procedere censuit. Augustinus mille locis tractauit de peccato originali. Videndus de peccatorum meritis, & remissione, & baptismo paruulorum, & contra Pelagianos. Præteritis cæteris ob breuitatem, duos locos profero quibus vtramque mortem, & animæ, per peccatum originale, & corporis, omnes homines ex primo parente traxerunt. Libro 13. de Ciuit. cap. 3.* Fatendum est primos quidem homines ita fuisse institutos, vt si non peccassent, nullum mortis experirentur genus: sed eosdem primos peccatores ita fuisse morte mulctatos, vt etiam quidquid eorum stirpe esset exortum, eadem pœna teneretur obnoxium. Non enim aliud ex eis, quam quod ipsi fuerant, nasceretur: pro magnitudine quippe culpæ illius, naturam damnatio mutauit in peius: vt quod pœnaliter præcessit in peccantibus hominibus primis, etiam naturaliter sequeretur in nascentibus cæteris. Neque enim homo ita ex homine, sicut homo ex puluere. *Homo primus ex puluere virgine & interrupto, omnes postea homines ex vno peccatore corrupto, in quo, ait Paulus, omnes peccauerunt* puluis namque homini faciendo materies fuit, homo autem homini gignendo parens. Proinde quod est terra, non est caro, quamuis ex terra facta sit caro. Quod est autem parens homo, hoc est & proles homo. In primo igitur homine, per fœminam in progeniem transiturum vniuersum genus humanum fuit, quando illa coniugum copula diuinam sententiam suæ damnationis excepit. Et quod homo factus est, non cum crearetur, sed cum peccaret & puniretur, hoc genuit, quantum quidem attinet ad peccati & mortis originem. Non enim ad infantilem hebetudinem, & infirmitatem animi & corporis, quam videmus in paruulis, peccato, vel pœna, ille redactus est: quæ Deus voluit esse tanquam primordia catulorum, quorum parentes in bestialem vitam mortemque deiecerat; sicut scriptum est; homo cum in honore esset, &c. Atque ita, id quod vitio pœnaque factus est, id est obnoxios peccato, mortique generaret. A quo peccati vinculo, si per mediatoris Christi gratiam soluuntur infantes, hanc solam mortem perpeti pos-

S. Aug. S. Aug. S. Aug.

ni non cedere: habebat praetereà Dei praeceptum, & comminationem mortis, quibus velut fulcris & columnis suffulciretur naturae infirmitas, & libertas in dextram sinistramve, aquam torrentis voluptatis, & ignem aeterni doloris cohiberetur à malo, & vergeret in bonum. Deo adfine, *quo ad Dei similitudinem & imaginem accedit, in quantum adflatus, Deo similitudine proximat, qui est spiritus.* Svbstantiae accessit, *non quòd velit liberum arbitrium esse quid accidentale, & non de substantia & essentia animae rationalis, sed intelligit vsum ipsum libertatis, qui potuit esse bonus vel malus, quod innuit, dum subiicit:* quà voluit agitatum. Se habent, *pro* se habet. Dispositio, *alibi diceret* Dei conditio. *id est creatura, maximè rationalis, à Deo condita & disposita, probro omni caret, inculpabilis est operatio (conditoris, quem alibi vocat opificem* Inuituperabilium conditionum. Respvet, *non in Deum reiicit culpam suam.* Discribes, *describes, scribendo impones Creatori, ò Marcion.* Delictvm hominis, *supple est.* Condemnator. *Sic Fulgentius Ruspensis Episcopus, Eremitani Ordinis fulgidum decus:* Deus non est author eorum quorum est vltor. Faciet invidiam, *odium aduersus hominem authorem peccati, & mortis concitabit: quia iuxta Paulum,* per peccatum mors. *Et iam alibi ex Aug. diximus sine peccato non fuisse moriturum hominem. Hîc iuxta eius sensum & cum Tertulliano consensum dicam, non ex Deo, sed ex libertatis vsu malo fluxisse peccatum. Doctissimè & aptissimè in rem nostram Augustinus lib. 12. de Ciuit. cap. 7.* Nemo quaerat efficientem causam malae voluntatis. Non enim est efficiens, sed deficiens: quia nec illa effectio est, sed defectio: deficere namque ab eo quod summè est, ad id quod minus est, hoc est incipere habere voluntatem malam. Causas porrò defectionum istarum, cùm efficientes non sint, sed deficientes, velle inuenire, tale est, ac si quisquam vellet videre tenebras, vel audire silentium; quod tamen vtrumque nobis notum est; neque illud nisi per oculos, neque hoc nisi per aures; non sanè in specie? sed in speciei priuatione. Nemo ergo ex me scire quaerat, quod me nescire scio, nisi fortè vt nescire discat, quod sciri non posse sciendum est. Ea quippe quae non in specie, sed in eius priuatione sciuntur, si dici, aut intelligi potest, quodammodo nesciendo, sciuntur; & sciendo nesciuntur, &c. Delicta enim quis intelligit? Hoc scio, naturam Dei nunquam, nusquam, nulla ex parte posse deficere: & ea posse deficere, quae ex nihilo facta sunt. Quae tamen quantò magis sunt, & bona faciunt: tunc enim cùm aliquid faciunt, causas habent efficientes: in quantum autem deficiunt, & ex hoc mala faciunt: quid enim tunc faciunt nisi vana? causas habent deficientes. *Et lib. 2. de nuptiis & concupiscentia cap. 29. vbi obiicienti Pelagiano:* Si natura per Deum est, non potest in ea esse originale malum: nónne, inquit, religiosiùs sibi alius videretur dicere, si natura per Deum est, non potest in ea oriri vllum malum: & tamen falsum est. Hoc enim Manichaei asserere voluerunt; & non creaturam Dei factam de nihilo: sed ipsam naturam Dei, *sicut & Marcionitae, contra quos hic agit Tertullianus:* malis omnibus implere conati sunt. Non enim ortum est malum, *ex malo vsu libertatis,* nisi in bono, *libero arbitrio,* nec tamen summo & immutabili, quod est natura Dei: *Spiritus & non flatus, quod est homo, de quo Iob, memento quia ventus est vita mea, flatus factus in animam viuentem,* sed facto de nihilo per sapientiam Dei. Est itaque per quod homo diuino operi vindicetur: quia non esset homo, nisi diuino opere crearetur: malum autem non esset in paruulis, nisi voluntate primi hominis peccaretur, & ex origine vitiatâ, peccatum originale traheretur.

S. Aug. — S. Aug.

3. *Peccatum Deo adscribi non potest, licèt in tentatorem refundatur. 2. cont. Marc. cap. 10. in pr.*

SEd etsi ab homine in Diabolum transcripseris mali elogium, vt in instinctorem delicti; vti sic quoque in Creatorem dirigas culpam, vt in auctorem Diaboli, [a] *qui facit Angelos spiritus*: ergo quòd factus à Deo est, id est angelus, id erit eius, qui fecit: quòd autem factus à Deo non est, id Diabolus, id est delator, superest vt ipse sese fecerit, deferendo de Deo, & quidē falsum. primò, quòd Deus illos ex omni ligno edere vetuisset. dehinc quasi morituri non essent, si edissent. tertiò, quasi Deus illis inuidisset Diuinitatem. Vnde igitur malitia mendacij & fallaciae in homines, & infamiae in Deum? à Deo vtique non, qui & Angelum ex forma operum bonorum instituit bonum. Denique sapientissimus omnium editur, antequam Diabolus, nisi malum est sapientia.

[a] Heb. 1. 7. — Gen. 3. 3. 4. 5. — Ezec. 28, 12.

PECCATI AVCTOR. 3. SCHOL.

TRanscripseris, *transtuleris, imputaueris. Paulò suprà dixerat,* discribes Creatori. Instinctorem. *instigatorem, tentatorem.* Mali elogivm, *titulum, authoritatem, notam, infamiam culpae.* Avthorem Diaboli, *Deum Creatorem Luciferi, inde vis Marcion authorem peccati hominis, quia cùm iuxta Psaltem:* Faciat Angelos suos spiritus, *faciendo Luciferum, qui hominem induxit in peccatum, ipsum proinde peccati malum produxit:* quod enim est causa causae, est causa causati. Deferendo de Deo. *Calumniando, & detrahendo de Deo, cui & falsum imposuit. Gen. 3. 1.* Cur praecepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradisi? *vbi aduerte calliditatem serpentis, obliquè & ambiguè loquentis: Deus enim excipiendo vnicum lignum scientiae boni, & mali, ab omni proinde excluserat, quia non de omni prorsus edere permiserat. Cùm tamen aliunde,* Exceptio firmet legem in non exceptis. *& liceret homini de omni ligno edere, quocumque tandem, excepto hoc vnico.* Qvasi moritvri, &c. *vers. 4.* Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquā morte moriemini. Invidisset *ibid. ver. 5.* Scit enim Deus, 70. *Sciebat enim Deus*, quòd in quocumq; die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij scientes bonū & malum. Ex forma, *vel ex idea optima, Verbo scilicet diuino, quod est forma & exemplar ex August. per quod omnia facta sunt bona, de quo dicitur in Gen.* Vidit cuncta quae fecerat, & erant valdè bona. *Et quidem, cùm ex eodem Aug. per lucem primo die factam, intelligatur natura Angelica, & princeps eius Lucifer; ab eius creatione coepit haec loquendi forma, in caeteris operibus seruata,* Vidit lucem quod esset bona. *Et Ezech. 28. 12.* Haec dicit Dominus Deus: tu signaculum similitudinis plēnus sapientiâ & perfectus decore, &c. perfectus in viis tuis à die conditionis tuae. 70. Fuisti tu immaculatus in diebus tuis, à die quā creatus es, donec inuentae sunt iniquitates in te. *Vnum miror, Tertullianum sequi solitum 70. qui nihil de eius sapientia habent; sapientissimum hic dicere. Sed respondendum, quamquam Scriptura nihil diceret, sapientissimum tamen supponi debere primum omnium Angelorum.* Nisi malvm. *Bonus vtique Lucifer, & Cherub, hoc est, scientiâ & sapientiâ plenus à Deo*

fundatus est; nisi sapientiam velit Marcion aliquod malum esse. Augustinus doctissimè, tam de hominis quàm Angeli, ex propria infirmitate voluntatis creata ex nihilo, & malo eius vsu, non ex Deo creante peccasse probat; qui solus indefectibilis, & impeccabilis est. Libro 2. de Nuptiis & concupiscentia cap. 28. vbi sic quærit aduersarius: si peccatum ex voluntate est, mala est voluntas quæ peccatum facit: si ex natura, mala natura. Citò respondeo, ex voluntate peccatum est. Quærit fortè vtrum & originale peccatum? respondeo prorsus & originale peccatum; quia & hoc ex voluntate primi hominis seminatum est, vt & in illo esset, & in omnes transiret. Sed quod secutus adiunxit, si ex natura, mala natura: quæro ab illo vt si potest respondeat; sicut manifestum est, ex voluntate mala, tanquam ex arbore mala fructus eius fieri omnia opera mala: sic ipsam voluntatem malam, id est fructuum malorum arborem malam, vnde dicat exortam? Si ex Angelo, quid erat ipse Angelus nisi bonum opus Dei? si ex homine, quid erat ipse homo nisi bonum opus Dei? imò quia voluntas mala Angeli ex Angelo, ex homine homini orta est, quid erant hæc duo, antequam in eis ista mala orirentur, nisi bonum opus Dei, & bona atque laudanda natura? ecce ergo, ex bono oritur malum, nec fuit omnino vnde oriri posset, nisi ex bono: ipsam dico voluntatem malam, quam nullum præcessit malum; non opera mala, quæ non sunt; nisi ex voluntate mala tanquam ex arbore mala: nec ideo tamen potuit ex bono oriri voluntas mala; quia bonum factum est à Deo bono; sed quia de nihilo factum est, non de Deo. Quid ergo est quod dicit, si natura opus est Dei, per opus Dei, opus diaboli transire non sinitur? Nonne opus diaboli, quando primum in Angelo, qui diabolus factus est, ortum est, in opere Dei ortum est? quapropter, si malum quod omnino nusquam erat, in Dei opera oriri potuit; cur malum, quod alicubi iam erat, per opus Dei transire non potuit, præsertim cum ipso verbo vtatur Apostolus dicens, & ita in omnes homines pertransiit? Numquid homines non sunt opus Dei? pertransiit ergo peccatum per homines, hoc est opus diaboli per opus Dei. Atque vt alio modo idipsum dicam; quia diaboli opus, id est peccatum, per ipsum diabolum exortum, qui factura vel opus est Dei, per aliud opus Dei, id est hominem pertransiit opus operis Dei, per opus Dei. Et ideo Deus est solus immutabilis, & potentissimæ bonitatis: quia & antequam esset vllum malum, bona opera fecit omnia, & de malis quæ in bonis ab eo factis orta sunt, benè operatur per omnia. *Nescio si ad rem Tertulliani, in toto Augustinus Ocreano, comptior & ditior ad exornandum hunc textum margarita potuerit expiscari, & huic loco inseri.*

S. Aug.

PECCATORVM DIVISIO SEV DIVERSITAS ORIGINALIS, MORTALIS, VENIALIS, &c.

1. * *Peccatum originale omnem animam turpat, donec baptismo lauetur. De Ani. cap. 40. in p.*

OMnis anima eousque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur: tamdiu immunda, quamdiu recenseatur. Peccatrix autem, quia immunda, recipiens ignominiam ex carnis societate.

PECCATORVM DIVISIO. 1. SCHOL.

IN ADAM CENSETVR. *Hic error est eius, qui animam credidit ex traduce; & præcedenti capite exposuerat Paulum sic:* hinc & Apostolus ex sanctificato alterutro sexu, sanctos procreari ait, tam ex seminis prærogatiua, quam ex institutionis disciplina; *censum igitur hic dicit, id omnem animam originem ducere ex Adam, & per hoc debitum peccati originalis, donec in Christo renascatur per baptismum, & censu & reddita meritorum eius mundata ditescat. Aug. lib. 1. cont. Iul. cap. 3. iuxta Ambr. in Exposit. Tobiæ.* Quis, inquit, iste peccati est fœnerator nisi diabolus, à quo Eua maculata peccato, obnoxiæ successionis vsuris omne genus defœnerauit humanum? *rursus in eadem*, diabolus, inquit, Euam decepit vt supplantaret virum, obligaret hæreditatem. *Idem ipse in Exposit. Psal. 48.* Alia est, inquit, iniquitas nostra, alia calcanei nostri in quo Adam dente serpentis est vulneratus, & obnoxiam hæreditatem successionis humanæ suo vulnere dereliquit, vt omnes illo vulnere claudicemus. EX CARNIS SOCIETATE. *Nam statim atque creata anima infunditur corpori, ex eius societate & consortio, anima & caro fit totus homo; & ex peccatore peccator nascitur. Sed malim credere, ad litteram, secundum errorem suum; quia simul cum carnali semine consociatam animam ex traduce procedere censuit. Augustinus mille locis tractauit de peccato originali. Videndus de peccatorum meritis, & remissione: de baptismo paruulorum, & contra Pelagianos. Præteritis cæteris ob breuitatem, duos locos profero quibus vtramque mortem, & animæ, per peccatum originale, & corporis, omnes homines ex primo parente traxerunt. Libro 13. de Ciuit. cap. 3.* Fatendum est primos quidem homines ita fuisse institutos, vt si non peccassent, nullum mortis experirentur genus: sed eosdem primos peccatores ita fuisse morte mulctatos, vt etiam quidquid eorum stirpe esset exortum, eadem pœna teneretur obnoxium. Non enim aliud ex eis, quam quod ipsi fuerant, nasceretur: pro magnitudine quippe culpæ illius; naturam damnatio mutauit in peius: vt quod pœnaliter præcessit in peccantibus hominibus primis, etiam naturaliter sequeretur in nascentibus cæteris. Neque enim homo ita ex homine, sicut homo ex puluere. *Homo primus ex puluere virgine & incorrupto, omnes postea homines ex vno peccatore corrupto, in quo, ait Paulus, omnes peccauerunt* puluis namque homini faciendo materies fuit, homo autem homini gignendo parens. Proinde quod est terra, non est caro, quamuis ex terra facta sit caro. Quod est autem parens homo, hoc est & proles homo. In primo igitur homine, per fœminam in progeniem transiturum vniuersum genus humanum fuit, quando illa coniugum copula diuinam sententiam suæ damnationis excepit. Et quod homo factus est, non cum crearetur, sed cum peccaret & puniretur, hoc genuit, quantum quidem attinet ad peccati & mortis originem. Non enim ad infantilem hebetudinem, & infirmitatem animi & corporis, quam videmus in paruulis, peccato, vel pœna, ille redactus est: quæ Deus voluit esse tanquam primordia catulorum, quorum parentes in bestialem vitam mortemque deiecerat; sicut scriptum est; homo cum in honore esset, &c. Atque ita, id quod vitio pœnaque factus est, id est obnoxios peccato, mortique generaret. A quo peccati vinculo, si per mediatoris Christi gratiam soluuntur infantes, hanc solam mortem perpeti pos-

ſunt, quæ animam ſeiungit à corpore; in ſecundam verò illam ſine fine pœnalem, liberati à peccati obligatione non tranſeunt. *Et hæc rectè iuxta cenſum primi & ſecundi Adam; de quo rurſum idem Aug. lib.* S. Aug. *13. de Ciuit. cap.* 14. Deus creauit hominem rectum, naturarum author, non vtique vitiorum; ſed ſponte deprauatus, iuſtéque damnatus, deprauatos damnatoſque generauit. Omnes enim fuimus in illo vno, quando omnes fuimus ille vnus, qui per fœminam lapſus eſt in peccatum, quæ de illo facta eſt ante peccatum. Nondum erat nobis ſingillatim creata & diſtributa forma, *de qua poſtea ſingulis creata, ait Pſaltes, qui finxit ſingillatim corda eorum, & in-* A *telligit omnia opera eorum* in qua ſinguli viueremus; ſed iam natura erat ſeminalis, ex qua propagaremur: quâ ſcilicet propter peccatum vitiata, & vinculis mortis obſtricta, iuſtéque damnata, non alterius conditionis homo ex homine naſceretur: ac per hoc à liberi arbitrij malo vſu, ſeries huius calamitatis exorta eſt, quæ humanum genus origine deprauata, velut radice corrupta, vſque ad ſecundæ mortis exitium quæ non habet finem, ſolis eis exceptis, qui per gratiam Dei liberantur, miſeriarum connexione perduxit. *Idem habet libro 3. de peccatorum meritis cap.* 7.

2. *Peccatum originale omnes homines filios iræ fecit, corruptâ naturâ. 5. cont. Marc. cap. 17. in m.*

a Epheſ. 2.2. Act. 9.1. & ſeq. SEd & in Iudaïſmo conuerſatus Apoſtolus, non quia interpoſuit [a] *de delictis, in quibus & nos omnes conuerſati ſumus*, ideo delictorum dominum & principem aëris huius, Creatorem præſtat intelligi; ſed quia in Iudaïſmo vnus fuerat de filiis incredulitatis, diabolum habens operatorem, quum perſequeretur Eccleſiam, & Chriſtum Creatoris. Propter b Epheſ. 2.3. quod & [b] *iracundiæ filij fuimus*, inquit, *ſed naturâ*. Ne quia filios appellauit Iudæos Creator, argumentetur hæreticus dominum iræ Creatorem. Quum enim dicit, Ibid. *Fuimus naturâ filij iracundiæ*; Creatoris autem non naturâ ſunt filij Iudæi, ſed adlectione patrum; iræ Ibid. filios, ad naturam retulit, non ad Creatorem. Ad ſummam ſubiungens, *Sicut & cæteri*; qui vtique filij Dei non ſunt: apparet communi naturæ omnium hominum & delicta, & concupiſcentias carnis, & incredulitatem, & iracundiam reputare; diabolo tamen captante naturam, quàm & ipſe iam infecit delicti ſemine illato.

PECCATORVM DIVISIO. 2. SCHOL.

NON PRÆSTAT INTELLIGI. *Stultè, ô Marcion, vis intelligendum eſſe, Creatorem eſſe principem huius aëris, authorem peccatorum, Patrem iræ, ex eo quod Apoſtolus hæc ſententiæ ſuæ interpoſuit; ſed intellexit diabolum authorem peccati primi actualis, & originalis in omnibus, vt & actualium; in quantum omnia tentando induxit. Sic habet Apoſtolus Epheſ. 2. 1. & ſeq.* Et vos cum eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris. In quibus aliquando ambulaſtis ſecundùm ſæculum. *Syr. ſecundum mundanam vanitatem* mundi huius, ſecundùm principem poteſtatis aëris huius, ſpiritus qui nunc operatur in filios diffidentiæ. *Syr. & iuxta voluntatem principis poteſtatis aëris, qui eſt ſpiritus ille qui efficaciter agit in filios immorigeros.* In quibus & nos omnes aliquando conuerſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum, *Syr. noſtrique ſenſus* & eramus naturâ filij iræ, ſicut & cæteri. Deus autem qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam quâ dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto, cuius gratiâ eſtis ſaluati. DE FILIIS INCREDVLITATIS. *id fatetur Paulus dum ait*; Ignorans feci, in incredulitate mea. OPERATOREM. *Alludit ad præfatum locum*; qui operatur in filiis, &c. FILIOS IVDÆOS. *Sic Eſa. 1. 2.* Filios enutriui & exaltaui, &c. Iſraël autem me non cognouit. ADLECTIONE. *Adoptione.* AD NATVRAM, *corruptam peccato originali in Adam.* NON AD CREATOREM. *Qui peccati author non eſt, à quo natura optima creata eſt.* Deus enim fecit hominem rectum. FILII DEI NON SVNT, *dum ſcilicet* omnes declinauerunt vſque ad vnum, nemo enim mundus a ſorde, nec infans cuius eſt vita vnius diei ſuper terram. COMMVNI NATVRÆ, *maſſæ corruptæ.* REPVTARE. *Imputare.* DIABOLO CAPTANTE. *Primò occaſionem, ex defectibilitate creaturæ; ſecundò ex appetitu ſcientiæ; tertiò ex infirmiore ſexu, quem primò captauit; quartò ex complacentia vxoris; cui ex Aug. Adam vnicæ ſociæ noluit diſplicere: vel*, captante, *id eſt captiuante ſub ſeruili peccati iugo.* IAM INFECIT. *Hic duo reſpicit, &* B *peccatum Adæ, cuius ſemen ſuggeſtione & tentatione ſparſit in naturam: ſecundò originale, quo in Adam totam maſſam generis humani infecit. Ex quo deinde, & concupiſcentia carnis, incredulitas, ira, &c. pullulant, operante ſemper diabolo. De filiis iræ, id eſt omnibus hominibus, quibus ob peccatum originale iuſtè iratus eſt Deus; & quibus, appetitus iraſcibilis & concupiſcibilis ob peccatum originale dominatur; ſic eximiè Aug. ſer. 14. de ver. Apoſt. vbi ex Ioannis 3.* Qui credit in filium habet vitam æternam, &c. qui autem incredulus eſt filio, non habet vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. S. Aug. Vbi ponis paruulos baptizatos? profectò in numero credentium: nam ideò & conſuetudine Eccleſiæ antiquâ, Canonicâ, fundatiſſimâ, paruuli baptizati fideles vocantur, &c. ergo ideo habent vitam æternam; quia qui credit in filium habet vitam æternam, &c. qui autem incredulus eſt filio, & qui non C credit in filium, non habet vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Non dixit, veniet ſuper eum, ſed manet ſuper eum. Reſpexit originem, cùm ait, ira Dei manet ſuper eum. Quam reſpiciens & Apoſtolus dixit; fuimus & nos aliquando naturâ filij iræ. Non accuſamus naturam. Naturæ author Deus eſt, à Deo bona eſt inſtituta natura; ſed per malam voluntatem à ſerpente vitiata eſt; ideo quod fuit in Adam culpæ, non naturæ, nobis propagatis factum eſt iam naturæ. Ab hoc vitio naturæ, cum quo naſcitur homo, non liberat niſi qui natus eſt ſine vitio. Ab hac carne peccati non liberat, niſi ille qui natus eſt ſine peccato, per ſimilitudinem carnis peccati. Ab hoc veneno ſerpentis non liberat niſi exaltatio ſerpentis. *Superius dixerat ex Numeri 21. & Ioa. 3. Chriſtum impleſſe figuram ſerpentis exaltati, & ſua morte curaſſe peccati venenum. Tum reſpondet Pelagianis dicentibus, peccatum Adæ, ſolo malo exemplo, & imitatione, non verò origine nocuiſſe:* reſpondeo prorſus, non primus peccauit Adam; ſi primum peccatorem requiris, diabolum vide. Sed humani generis maſſam volens oſtendere Apoſtolus de origine vitiatam, ideo eam poſuit vnde nati ſumus; non eum quem

imitati sumus. Dicitur quidem & Pater tuus, quem sueris imitatus Gal 4 filij mei, inquit, quos iterum parturio, &c Et propter istam imitationem dicitur impiis Io. 8. vos a Patre diabolo estis. Nam constat in Catholica fide, quod diabolus nec generauit naturam nostram, nec condidit: sola in illo seductio est præcedentis, *Euam enim primò seduxit, & per eam Adam infecit, & in Adam omnem massam:* imitatio consequentis. Denique quomodo dictum est de Adam, in quo omnes peccauerunt; legatur mihi alicubi omnes in diabolo peccauerunt. Aliud est illo præcedente & seducente peccare, aliud in illo peccare. Quia secundùm propaginem carnis in illo eramus omnes, antequam nati essemus, tanquam in parente, tanquam in radice ibi eramus: sic venenata est arbor, ibi eramus. Nam quia ad diabolum, hoc est principem peccati, & verè primum peccatorum, non pertinet origo, sed imitatio, cùm de illo scriptura loqueretur. Sap 2. inuidiâ diaboli, inquit, mors intrauit in orbem terrarum: imitantur autem eum qui sunt ex parte ipsius. Imitando eum, fiunt ex parte ipsius. Numquid dictum est, in illo peccauerunt? Cùm verò de Adam diceretur, propter originem, propter posteritatem, propter propaginem viscerum, in quo omnes, inquit, peccauerunt, nam si propterea primus constitutus est Adam, quia primus peccauit, tanquam in exemplo sit, non in origine; vt quid tam in longinquo, post tam prolixa tempora, contra Adam quæritur Christus? Si omnes peccatores ad Adam propterea pertinent, quia primus peccator; omnes iusti debuerunt ad Abel pertinere, quia primus iustus. Quare Christus quæritur? expergiscere, frater, quare Christus quæritur, nisi quia in Adam damnata est generatio, in Christo quæritur regeneratio? proinde nemo nos fallat: Scriptura euidens est, authoritas fundatissima est, fides Catholicissima est. Omnis generatus, damnatus: nemo liberatus, nisi regeneratus: *quærenti autem Pelagiano, vnde peccatum illud originale? lib. 2. de Nuptiis & concupisc. cap. 28. sic breuiter respondet*: quid est quod dicit; non peccat ille qui nascitur, non peccat ille qui genuit, non peccat iste qui condidit; per quas rimas, inter tot præsidia innocentiæ peccatum fingis ingressum? *sic obiiciebant Pelagiani, quibus respondet Augustinus:* Quid quærit latentem rimam, cùm habeat apertissimam ianuam? per vnum hominem ait Apostolus, per vnius delictum, ait Apostolus; per inobedientiam vnius hominis, ait Apostolus *peccatum scil. intrauit in mundum, & per peccatum mors. & ita in omnes homines mors pertransiit: mors inquam animæ, mors corporis, mors temporalis, mors æterna.* Quid quærit amplius? quid quærit apertius? quid quærit inculcatius? *Quod autem hoc loco habet Tertullianus, & tertiò inculcat, ne Deo Creatori, bonæ naturæ conditori peccatum originale imputet Marcion; ter inculcat:* IRACVNDIÆ FILII FVIMVS. *Et rursum.* FVIMVS NATVRA FILII IRACVNDIÆ. *Et tertiò.* IRÆ FILIOS AD NATVRAM RETVLIT. *Tum subiicit:* APPARET COMMVNI NATVRÆ OMNIVM HOMINVM, ET DELICTA ET CONCVPISCENTIAS, &c. REPVTARE. *Proh! quantam iram & vindictam Dei in posteros vnius hominis noxa prouocauit, vt omnes paruulos quocumque modo sine baptismo decedentes, & æternæ gloriæ gaudiis peccato originali excluserit, & pœnis æternæ damnationis obstrinxerit.*

S. Aug. — S. Aug. — S. Aug.

3. *Peccatum aliud veniale, aliud mortale; aliud remissibile, aliud irremissibile.*
De Pudic. cap. 2. in m.

CAusas pœnitentiæ delicta condicimus. Hæc diuidimus in duos exitus. Alia erunt remissibilia, alia irremissibilia. Secundùm quod nemini dubium est alia castigationem mereri alia damnationem. Omne delictum aut venia expungit, aut pœna: venia, ex castigatione; pœna, ex damnatione. De ista differentia iam & quasdam præmisimus altercationes scripturarum, hinc retinentium, hinc dimittentium delicta. Sed & Ioannes docebit, [a] *Si quis scit fratrem suum delinquere delictum non ad mortem, postulabit, & dabitur vita ei quia non ad mortem delinquit*, hoc erit remissibile. [b] *Est delictum ad mortem: non pro illo dico vt quis postulet*, hoc erit irremissibile. Ita, vbi est conditio vel ratio postulationis, illic etiam remissionis: vbi nec postulationis, ibi æquè nec remissionis.

a 1. Io. 5. 16. b Ibid.

PECCATORVM DIVISIO. 3. SCHOL.

CONDICIMVS. *Vox iuris significans, simul dicere, vt fit in pactionibus. Pompon. l. 66. ff. de Contrahen. empt. Significat etiam, dicendo denuntiare vel indicere §. appellamus. Instit. de action. Quasi diceret Tertull. simul conuenimus, vel denunciamus & sentimus peccata materiam esse pœnitentiæ, quæ quidem in duas species diuidimus; vt diuerso exitu, peccatores pœnitentiam agant; aliis quidem ad pœnitentiam admissis salutari satisfactione iniuncta, per castigationem veniam demus & remissionem; aliis nullam; quia damnari merentur. Quod erroneè dixit, in mœchiam relapsis negans post baptismum & primam pœnitentiam, dandam esse remissionem.* EXPVNGIT, *plectit, expiat, pro merito, grauitate vel leuitate; vt satisfactione facta, & castigatione imposita, aliqua mereantur veniam; alia pro pœna, quia irremissibilia sunt propter grauitatem, damnationem.* ALTERCATIONES SCRIPTVRARVM *locos in vtramque partem explicabiles; quos ipse peruerso sensu in suam sententiam inflectit.* SED ET IOANNES. *Et hoc textu abutitur, vt probet mœchiam irremissibilem, de qua numquam, vt nec de vllo, nisi impœnitentia finalis peccato, & perseuerantia vsque ad mortem in eo, voluit intelligi. sic 1. Io. 5. 16. cùm dixisset versu præcedenti* scimus quia audit nos quidquid petierimus, *supple, vt promiserat, secundùm voluntatem eius* scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, *Syr. quod non condemnat ad mortem* petat, & dabitur ei vita peccanti, non ad mortem. Est peccatum ad mortem, *Syr. peccatum mortis* non pro illo dico vt roget quis. Omnis iniquitas peccatum est, & est peccatum non ad mortem. *Syr. autem* quod non est mortis. *Pro huius veneni Tertulliani antidoto, sanam accipe Augustini doctrinam. to. 2. ep. 50. ad Bonifacium Comitem, de moderatè coercendis hæreticis. Vbi relato loco Matth. 12. 32.* Qui peccauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Non attendunt, inquit, quia secundùm istum sensum nemo liberandus est. Quis enim non loquitur aduersus Spiritum sanctum, & peccat in eum, siue qui nondum est Christianus, siue qui est hæreticus Arianus, aut Eunomianus, aut Macedonianus, qui eum dicunt esse creaturam; aut Photinianus, qui eius omnino negat aliquam esse substan-

S. Aug.

tiam, sed vnum tantummodo esse Deum Patrem; A sive alij hæretici quos commemorare longum est? nulli ergo istorum liberandi sunt? aut ipsi Iudæi quibus Dominus hoc obiecit, si in eum crederent, non erant baptizandi? non enim ait Saluator, in baptismo remittetur: sed non remittetur neque in hoc, &c. Intelligant ergo non omne, sed aliquod significatum esse peccatum in Spiritum sanctum, quod omnino non remittitur. Sicut enim cùm dixisset, si non venirem, peccatum non haberet, vtique non omne peccatum intelligi voluit, quandoquidem pleni erant multis magnisque peccatis, sed aliquod proprium peccatum, quod si non haberent, possent illis omnia dimitti quæ habebant, id est quòd in eum venientem non crediderunt: hoc enim non haberent peccatum, si non veniret: sic etiam cùm dixit, qui verbum dixerit, &c. non vtique omne quod B in Spiritum sanctum peccatur facto siue dicto, sed aliquod certum & proprium intelligi voluit: hoc est autem duritia cordis, vsque ad finem huius vitæ, quâ homo recusat, in vnitate corporis Christi, quod viuificat Spiritus sanctus, remissionem accipere peccatorum. *Eodem sensu quo Christus, Ioannes locutus est de peccato ad mortem, vt exponit Augustinus to. 7. lib. de correptione & gratia cap. 12. vbi distinguit inter venialia & mortalia; nec mortalia irremißibilia facit, vt Tertullianus, sed vnicum peccatum ad mortem, id est quo homo impœnitens inclusiuè induratur vsque ad mortem.* Accipiunt *electi, accepto dono perseuerantiæ* tantam per istam gratiam libertatem, vt quamuis, quamdiu hîc viuunt, pugnent contra concupiscentias peccatorum, C eisque nonnulla subrepant, propter quæ dicant quotidie, dimitte nobis debita nostra; non tamen vltra seruiant peccato quod est ad mortem, de quo dicit Ioannes Apostolus: est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. De quo peccato, quoniam non expressum est, possunt multa & diuersa sentiri. Ego autem dico, id esse peccatum, fidem quæ per dilectionem operatur, deserere vsque ad mortem. *Et libro 1. de ser. Domini in monte cap. 22. in hunc locum expreßè:* apertè ostendit esse quosdam Fratres, pro quibus orare nobis præcipitur, cùm Deus etiam pro persecutoribus nostris orare nos iubeat. Nec ista quæstio solui potest, nisi fateamur esse aliqua peccata in fratribus, quæ inimicorum persecutione grauiora sint, &c. Peccatum ergo fratris ad mortem puto esse, cùm post agnitionem Dei per gratiam Domini nostri Iesu Christi, quisque oppugnat D fraternitatem, & aduersus istam gratiam quâ reconciliatus est Deo, inuidentiæ facibus agitatur. Peccatum autem non ad mortem est si quisquam non amorem per odium à fratre alienauerit, sed officia fraternitati debita, per aliquam infirmitatem animi non exhibuerit. *Cuius sententiæ priorem partem sic explicat libro 1. retract. cap. 19.* Ita definiui, vt dicerem peccatum fratris ad mortem puto esse, &c. quod quidem non confirmaui; quoniam hoc putare me dixi: sed tamen addendum fuit, si in hac tam scelerata mentis peruersitate finierit hanc vitam: quoniam de quocumque pessimo in hac vita constituto, non est vtique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur. *Eodem lib. 1. de ser. Do. in monte cap. 22.* Ista differentia peccatorum, Iudam tradentem, a Petro negante distinguit; non quia pœnitenti, vel petenti non sit ignoscendum, ne contra illam sententiam Domini veniamus, quâ præcepit semper ignoscendum esse fratri petenti, vt sibi frater ignoscat: sed quia illius peccati *indurationis ad finem vsque, vel desperationis* tanta labes est, vt deprecandi humilitatem subire non possit, etiamsi peccatum suum mala conscientia, & agnoscere & annuntiare cogatur. Cùm enim dixisset Iudas, peccaui quod tradiderim sanguinem iustum: faciliùs tamen desperatione cucurrit ad laqueum, quam humilitate veniam deprecatus est. RATIO POSTVLATIONIS. *Sensus est: cùm Ioannes dicat nos exaudiri cùm petimus cum hac conditione & iusta ratione, quod talis sit voluntas Dei, sic nos postulanti peccatori veniam & indulgentiam dare debemus, si peccatum huius conditionis & rationis sit, quod sit remissibile, & non peccatum ad mortem: si autem fuerit peccatum ad mortem, tunc velut irremissibili, nec veniam ei dandam, nec postulationem Martyrum, per supplicem libellum veniam pro eis rogantium ab Episcopis, exaudiendam, & corruptus est hæretici Tertulliani sensus. Fateor quidem cum Aug. quod si nossemus aliquem reprobum peccaturum ad mortem, & in finali impœnitentia vsque ad mortem perseueraturum, nec omnino corrigendum, tunc pro eo non orandum; nisi forte vt peccata sua non multiplicaret, & saltem in aliquo vita spatio in gratia Dei esset. Accipe Augustinum lib. 21. de Ciuit* 24. Si de aliquibus ita Ecclesia certa esset, vt qui sunt illi etiam nosset, licet adhuc in vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso, &c? Cur ita? nisi quia iam in parte diaboli computantur, &c. sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus. *Et lib. de Correptione & gratia cap. 15.* Et ipsa quæ damnatio nominatur, quam facit Episcopale iudicium, quâ pœna in Ecclesia nulla maior esse potest *excommunicatio scilicet* si Deus voluerit in correptionem saluberrimam cedere atque proficere. Neque scimus quid contingat sequenti die, aut ante finem vitæ huius, de aliquo desperandum est, aut contradici Deo potest, ne respiciat & det pœnitentiam, & accepto sacrificio spiritus contribulati, cordisque contriti, à reatu quamuis iustæ damnationis absoluat, damnatumque ipsum non damnet. Pastoralis tamen necessitas habet, ne per plures serpant dira contagia, separare ab ouibus sanis morbidam, ab illo cui nihil est impossibile, ipsa forsitan separatione sanandam. Nescientes enim quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu, vt omnes velimus saluos fieri, &c. potest etiam sic intelligi quod omnes homines Deus vult saluos fieri, quoniam nos facit velle, sicut misit spiritum filij sui clamantem Abba Pater, id est nos clamare facientem. *Sic ergo contra Tertull. pro omnibus orandum est, nullis exclusis à venia nisi reprobis, nullis reprobis nisi peccantibus ad mortem id est vsque ad mortem, quos quia nescimus; neminem desperare debemus.*

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

4. *Peccatum aliud corporale, aliud spiritale: fit enim vel cogitatione, vel opere. Peccatum autem voluntatis maximè punitur; & de eo pœnitentia agenda est. De Pœnit. cap. 3. à p. & deinceps & 4. in p.*

PErstringere non pigebit, delictorum quædam esse carnalia, id est, corporalia: quædam verò spiritalia. Nam cum ex hac duplicis substantiæ congregatione confectus homo sit, non aliunde delinquit, quàm vnde constat. Sed non eò inter se differunt, quod
Gen. 2. corpus & spiritus duo sunt: alioqui eo magis paria sunt, quia duo vnum efficiunt: ne quis
27. & 3. pro diuersitate materiarum, peccata eorum discernat, vt alterum altero leuius aut grauius

uius existimet. Siquidem & caro & spiritus, Dei res: alia manu eius expressa, alia adflatu eius consummata. Cùm ergo ex pari ad Dominum pertineant, quodcumque eorum deliquerit, ex pari ad Dominum offendit. An tu discernas actus carnis & spiritus? quorum & in vita, & in morte, & in resurrectione, tantum communionis atque consortij est, vt pariter tunc aut in vitam, aut in iudicium suscitentur: quia scilicet pariter aut deliquerint, aut innocentes egerint. Hoc eò præmiserimus, vt non minorem alteri quàm vtrique parti, si quid deliquerit, pœnitentiæ necessitatem intelligamus impendere. Communis reatus amborum est, communis & Iudex, Deus scilicet: communis igitur & pœnitentiæ medela. Exinde spiritalia & corporalia nominantur, quòd delictum omne aut agitur, aut cogitatur: Vt corporale sit, quod in facto est: quia factum, vt corpus, & videri, & contingi habet: spiritale verò, quod in animo est, quia spiritus neque videtur, neque tenetur. Per quod ostenditur, non facti solùm, verùm & voluntatis delicta vitanda, & pœnitentiâ purganda esse. Neque enim si mediocritas humana facti solùm iudicat, quia voluntatis latebris par non est: idcircò crimina eius etiam sub Deo negligamus. Deus in omnia sufficit. Nihil à conspectu eius remotum, vnde omninò delinquitur. Quia non ignorat, nec omittit, quominùs in iudicium decernat. Dissimulator & præuaricator perspicaciæ suæ non est. Quid? quod voluntas facti origo est? Viderint enim, si qua casui, aut necessitati, aut ignorantiæ imputantur, quibus exceptis, iam nonnisi voluntate delinquitur. Cùm ergo facti origo est, non tantò potior ad pœnam est, quantò principalis ad culpam? quæ ne tunc quidem liberatur, cùm aliqua difficultas perpetrationem eius intercipit. Ipsa enim sibi imputatur, nec excusari poterit per illam perficiendi infœlicitatem, operata quod suum fuerat. Denique Dominus, quemadmodum se adiectionem legi superstruere demonstrat, nisi & voluntatis interdicendo delicta? quum adulterum, non eum solùm definit, qui cominùs in alienum matrimonium cecidisset; verumetiam illum, qui aspectus concupiscentiâ contaminasset. adeò quod prohibetur administrare, satis periculosè animus sibi repræsentat, & temerè per voluntatem expungit effectum. Cuius voluntatis cùm vis tanta sit, cur non, solatium sui saturans, pro facto cedat? pro facto ergo plectetur. Vanissimum est dicere; Volui, nec tamen feci. Atquin perficere debes, quia vis: aut nec velle, quia nec perficis. Sed ipse conscientiæ tuæ confessione pronuntias. Nam si bonum concupisceres, perficere gestisses: porrò sicut malum non perficis, nec concupiscere debueras. Quaquâ te constitueris, crimine astringeris: quia aut malum volueris, aut bonum non adimpleueris. Omnibus ergo delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per iudicium destinauit, idem & veniam per pœnitentiam spopondit, dicens ad populum: [a] *Pœnitere, & saluum faciam te.*

Matth. 5. 28.

Cap. 17. a Ezech. 18. 21. & 30.

PECCATORVM DIVISIO. 4. SCHOL.

NON ALIVNDE. *Non alia ex parte peccat, quàm ex anima & carne, ex quibus homo compositus est.* EO DIFFERVNT. *Non per id peccata distincta sunt.* MATERIARVM. *Subiectorum, in quibus, vel per quæ fit peccatum, Quasi diceret, lenitas, vel grauitas peccatorum, & eorum differentia petenda non est ex diuersitate subiectorum animæ & corporis. Nam eo ipso, quòd anima & caro vnum hominem faciunt peccatorem; ideò etiam, idem omnino & non diuersum quoad grauitatem, peccatum faciunt. Vnum præterea & æqualiter graue est, siue per animam solam, siue etiam per carnem peccatum ab homine fiat; quia cum Deus æquè factor sit corporis, & animæ Creator, æquè in Deum peccat, qui per carnem, vel animam peccat.* DEI RES. *à Deo condita, & ad Deum pertinens.* ALIA. *Caro scilicet de luto formata.* EXPRESSA. *vt fieret imago Filij Dei incarnandi, cuius corpus, vt alibi dixit, pro idea habebat, dum formauit hominem de limo terræ.* ALIA ADFLATV, *anima, quam alibi vocat adflatum Dei, quia* insufflauit in faciem eius spiraculum vitæ, CONSVMMATA. *quia præstantior est corpore, licèt ad imaginem corporis Christi facto: anima enim facta est ad imaginem & similitudinem Dei.* EX PARI. *pariter, æqualiter.* ACTVS CARNIS. *Licèt verè differant quoad essentiam, cùm alij sint spiritales, alij corporales: tamen quoad meritum vel demeritum, æqualiter peccant & puniuntur, vel merentur & præmiantur.* EXINDE, *præterea.* AGITVR, *actu externo producitur.* CONTINGI HABET. *potest tangi & videri.* VOLVNTATIS DELICTA. *Sic Psaltes subijcit confessioni & pœnitentiæ cogitationes, dum ait:* Cogitatio hominis confitebitur tibi. *Psal. 75. 11. in quem locum Augustinus.* Prima cogitatio, posteriores reliquiæ cogitationis. Quæ est cogitatio prima? vnde incipimus. Bona illa cogitatio vnde incipies confiteri. Confessio adiunget nos Christo. Iam verò confessio ipsa, id est prima cogitatio facit in nobis reliquias cogitationis, & ipsæ reliquiæ cogitationis, solemnia celebrabunt tibi. Quæ est cogitatio quæ confitebitur? Quæ damnat vitam priorem, cui displicet quod erat, vt sit quod non erat; ipsa est prima cogitatio. Sed quia sic debes recedere à peccatis, primâ cogitatione confessus Deo, vt non tibi recedat de memoria quia peccator fuisti, per hoc quod peccator fuisti, *gratias agens liberatori tuo*, solemnia celebras Deo tuo. *id applicat Paulo primò confitenti & dicenti*, Domine quid me vis facere? *deinde commemoranti quod priùs fuisset blasphemus & persecutor. &c.* Vt non esset blasphemus fuit prima cogitatio confitens; vt autem commemoraret quod illi donatum est, reliquiæ cogitationis erant, per ipsas reliquias cogitationis solemnia celebrabat. *Subiicit ex Dauide:* Quid enim putatis dixisse Dauid? Ecce ex omnium persona loquitur: Peccauit Dauid sanctus grauiter, missus est Nathan Propheta ad illum, & corripuit illum & confessus est, & dixit, Peccaui. Hæc fuit prima cogitatio confitentis. Cogitatio hominis confitebitur tibi. Quæ erant reliquiæ cogitationis? quando ait, Et peccatum meum contra me

S. Aug.

A est semper. *Pulchrè quidem, sed adhuc literaliùs; cogratio confitetur, quia primò cogitatione cordis & consensu peccatur. Idem Psal. 35.* Iniquitatem meditatus est in cubili suo. *Aug. in hunc locum.* (S. Aug.) Quid dixit in cubili suo? dixit iniustus vt delinquat in semetipso. Quod dixit superiùs in semetipso, hoc hîc dixit in cubili suo. Cubile nostrum est cor nostrum, ibi tumultum patimur malæ conscientiæ, & ibi requiescimus, quando bona conscientia est. qui amat cubile cordis sui, aliquid boni ibi agat. Ibi est cubile, vbi nos Dominus Iesus Christus iubet orare, &c. Cubile ergo est cor nostrum, laboremus mundare, vt ibi possit nobis benè esse. *Et Psal. 31.* Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. *Aug. ibid.* B (S. Aug.) Eo ipso quod dixit, Pronuntiabo; ostendit quia nondum pronuntiauerat, sed corde pronuntiauerat. *Et rectè quidem, quia subdidit impietatem cordis sui, à quo cœpit peccatum. Et Psal. 4.* quæ dicitis in cordibus vestris, &c. *Aug. ibid.* (S. Aug.) Subauditur, dicite, vt sit plena sententia, quæ dicitis, in cordibus vestris dicite, id est nolite esse populus de quo dictum est, Labiis me honorant, cor eorũ longè est à me. In cubilibus vestris compungimini, hoc est quod iam dictum est in cordibus. Hæc enim sunt cubilia, de quibus & Dominus monet vt intùs oremus clausis ostiis, *id est ore, & aliis sensibus clausis, tibi dixit cor meum, vbi dixit insipiens in corde, Non est Deus.* Compungimini autem, aut ad pœnitentiæ dolorem refertur, vt se ipsa anima puniens compungat, ne in Dei iudicio damnata C torqueatur: aut ad excitationem, vt euigilemus ad videndam lucem Christi, tanquam stimulis adhibitis. Nonnulli autem, non compungimini, sed aperimini, dicunt meliùs legi. *siue referatur ad dilatationem charitatis, cui iuncta est cordis compunctio, de qua vers. 1.* In tribulatione dilatasti mihi. *siue ad apertionem oris, quo fit confessio ad salutem, sicut corde creditur ad iustitiam; quia fidelis est Deus vt dimittat peccata nostra, si ea confiteamur. Item in Psal. 57.* Etenim in corde iniquitates operamini in terra. Iniquitatem fortè in corde solo? audi quid sequitur, & cor suum sequuntur manus, & cordi suo famulantur manus. Cogitatur, & fit: aut ideò non fit, non quia nolumus, sed D quia non possumus. quidquid vis, & non potes, factum Deus computat. Etenim in corde iniquitates operamini in terra. quid deinde? Iniquitates manus vestræ connectunt; quid est connectunt? de peccato peccatum; & ad peccatum peccatum, propter peccatum; quid est hoc? furtum fecit, peccatum est. visus est, occidere quærit eum à quo visus est. Connexum est peccatum peccato, &c. dum ea molitur, fortè ne inueniatur, aut quia fecit, ne conuincatur, consulit Mathematicum, &c. & quis omnia possit numerare quæ connectuntur peccata peccatis? &c. quandiù connectis, ligas peccatum peccato, te solue à peccatis. Sed non possum, inquis, clama ad illum Rom 7. Infœlix ego homo, quis me liberabit, &c. E venit enim gratia Dei vt delectet te iustitia sicut delectabat iniquitas, & homo qui ex vinculis resolutus es, exclamabis ad Deum, Dirupisti vincula mea. quid est dirupisti vincula mea, nisi remisisti peccata mea? MEDIOCRITAS HVMANA. *acies iudicij hominis, hebes & tenuis, cordis intima non penetrans.* FACTI IVDICAT. *facti iudex est de facto iudicat.* VOLVNTATIS LATEBRIS. *scrutinium impar, tanta abyssi profunditati.* CRIMINA EIVS. *cordis scilicet, Dei iurisdictioni subiecta:* Scrutans enim corda & renes Deus. NIHIL REMOTVM. quoniam non longè est ab vnoquoque nostrûm. IN OMNIA. *intuenda & penetranda occultissima.* Intellexisti cogitationes meas de longè. VNDE OMNINO, *id est vbi scilicet in conspectu Dei, vbicunque peccator deliquerit ab eo conspicitur, cui Dauid dicit,* quo ibo à spiritu A tuo, &c. NEC OMITTIT, *obliuiscitur.* Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur. *Et si ad tempus videtur omittere,* Dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam, *nihil tamen faciet in praiudicium perspicacissimæ cognitionis suæ. Nec dissimulatio hæc impedit, quominùs in iudicium decernat. id est, iam ferat sententiã. Vnde Aug.* (S. Aug.) Nondum apparuit iudicium, sed iam factum est iudicium. *Hinc Deus per Psaltem dicit peccatori latere volenti Deum, quod latet homines:* Existimasti iniquè quòd ero tui similis, arguam te, & statuam contra faciem tuam. SI QVA CASVI, *de hoc iam alibi cum ipso Aug.* Malæ mentis impetus, fato vel astris imputant: dinumerant in semetipsos, &c. nolunt enim suum esse, quod malum norunt. B *Cui consonat Aug. in Psal. 31.* (S. Aug.) Non communicabo cum electis eorũ. dicant illi electos & doctos numeratores siderum; dicant illi sapientes eos, qui quasi digerunt in digitis facta humana, & describunt de stellis mores humanos: cum libero arbitrio, *nec à stellis coacto & necessitato,* me creauit Deus. Si peccaui, ego peccaui, vt non solùm pronuntiem iniquitatem meam Domino, sed aduersùm me, non aduersùs eum. AVT IGNORANTIÆ. *quæ tamen & peccato imputatur, non tantùm ei qui* noluit intelligere, vt benè ageret, *sed & de peccatum confitenti Dauidi & Paulo; quorum alter ait,* Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. *alter:* Misericordiam consecutus sum, quia ignorãs feci in incredulitate mea. NEC LIBERATVR, *à reatu culpæ non excusatur, cùm etiam opus* C *impleri non potest,* PERPETRATIONEM, *impletionẽ operis impedit.* PERFICIENDI INFOELICITATEM, *non minus imputabitur peccatum voluntati, licèt misera, infœlix & damnabile opus perficere non potuerit, quia quod in se erat impleuit anima: cogitauit, delectata est, consensit, nisi difficultas obstitisset, actum externum perfecisset. Hinc Psaltes:* Imperfectũ meum viderunt oculi tui: *id est peccatum cordis, quoad se quidem perfectum in pleno consensu, sed imperfectum quoad actum externum.* QVOD SVVM FVERAT. *Aug. de ver. Apost. ser. 5.* (S. Aug.) Ad hoc idonea est voluntas tua, quæ vocatur libera, & malè agendo fit damnabilis ancilla. ADIECTIONEM SVPERSTRVERE. *dum antiquis dictis superaddidit Matth. 5. 27.* Audistis D quia dictum est antiquis, Non mœchaberis: Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo. *Transl. Syr.* Illicò adulterauit eam in corde suo. COMINVS. *de propinquo.* IN MATRIMONIVM CECIDISSET. *lapsu peccati adulterij.* EXPVNGIT EFFECTVM. *implet & perficit in corde iam reus.* SOLATIVM SATVRANS, *implens quantum potest voluptatem carnis, ex affectu & concupiscentia. Aug. ser. 43. de ver. Do. circa f.* (S. Aug.) In te fiunt concupiscentiæ? fatendum est, fiunt. Ideò dixit *Gal. 5.* ne perfeceritis, sed non perficiantur. Decreuisti facere, perfecisti. Perfecisti etenim si decernas faciendum esse adulterium, & ideò non facis, quia locus non est inuentus, quia oportuni- E tas non datur, quia fortè illa casta est, de qua videris esse commotus. Ecce iam illa casta est, & tu adulter es. quare? quia perfecisti concupiscentias. quid est perfecisti? in animo tuo faciendum esse adulterium decreuisti. Sic est, homo qui flagitium decreuit in corde, mortuus est, sed intùs iacet. Si autem vsque ad membrorum perpetrationẽ peruenerit, elatus est foras. *Et hom. 19. ex 50. in p.* (S. Aug.) Non potest fieri vt habeat mala facta, qui habet cogitationes bonas. Facta enim de cogitatione procedunt, nec quisquam potest aliquid facere, aut ad aliquid faciendũ membra mouere, nisi primò præcesserit iussio cogitationis. Quomodo de interiori Palatio quidquid iusserit Imperator, per Imperium Rom. emanat; quidquid videtis agi per prouincias, quantus motus fit ad vnam iussionem Imperatoris intùs sedentis? Mouet

ille solùm labia cùm loquitur, & mouetur omnis prouincia, cùm fit quod loquitur: *milites, pedites, cursores, tormenta bellica mouentur, Magistratus instituuntur, Præfecti destituuntur*, sic & in vno quoq; nostrûm intùs est Imperator in corde: *quin & ipsum cor, & voluntas, omnes mouet potentias, sensus, & membra*, sed & si bonus, bona iubet, & bona fiũt: si malus, mala iubet, & mala fiunt: cùm ibi sit & Christus, quid potest iubere nisi bona: cùm possidet Diabolus, quid potest iubere nisi mala: in tuo autẽ arbitrio Deus posuit, cui pares locum, Deo an Diabolo. Dum parauerís, qui possidebit, ipse imperabit. *In eand. rem ser. 250. de temp. in f.* Quia Dominus dixit, qui viderit mulierẽ, &c intelligitur quòd voluntas perfecta faciendi reputabitur pro opere facti. ac sic dum aliquis libidinoso animo considerat, per fenestram corporis in secretum cordis, venenũ mortis instillat. Talis enim cogitatio etiam si aliquo impedita casu, non impleat voluntatẽ suam, nihilominus actionis crimine condemnatur à Domino. Ac sic illa casta est, cum qua libidinis malum voluit exercere, & ille iam adulter tẽetur in corde. Et ideò audiamus Prophetam dicentem Prou. 4. omni custodiâ conserua cor tuum; & illud: auerte oculos meos, ne videant vanitatem. Quomodo enim si aliquis carbones ignis apprehendat, si eos citò proiecerit, nihil nocebunt, si verò diutiùs tenere voluerit, sine vulnere eos iactare non poterit. Ita & ille qui ad concupiscendum oculos defixerit, & libidinis malum in corde suscipiens, moras in suis cogitationibus habere permiserit, excutere eas à se sine animæ occisione vel plagâ non poterit. PERFICERE DEBES. *Nam id suadendo dicis, sed connotando, tantumdem esse coram Deo, reum, ac si perfecisses.* PRONVNTIAS, *teipsum condemnas.* BONVM NON IMPLEVERIS. *id est, quod voluisti, non perfecisti, sed per negligentiam omisisti, peccati te reum facit, sicut & mali reus es, quia malum voluisti licèt illud non impleueris.* VENIAM PER PŒNITENTIAM. *Locum quem Tertull. hîc citat verbis expressis adhuc non reperi. Concludo cum Augustino præfatâ homiliâ 16. Vbi sic hortatur ad pœnitentiam omnia peccata reparantem.* Quotidie conscientias nostras intùs aspicientes, si aliquid in stola animæ nostræ, aut per negligentiam diffutum, aut per luxuriam sordidatum, aut per iracundiam combustum, aut per inuidiam concisum, aut per auaritiam tenebrosum esse cognoscimus, dum adhuc in potestate nostra est, cum Dei adiutorio festinemus vulnerata curare, reparare perdita, & ad candorem iustitiæ ea quæ obscurata fuerant reuocare.

S. Aug. (left margin, beside "in f. Quia Dominus dixit") — S. Aug. (right margin, beside "Quotidie conscientias")

5. *Peccatum omissionis, ream facit animam. Ibid. sup. in fin.*

PECCATI MORTALIS GRAVITAS ET DAMNA.

1. *Peccatum à Diabolo homini inspiratum, ex rationali factũ à Deo, fecit irrationalem. De anim. cap. 16. in princ.*

EST & illud ad fidem pertinens, quod Plato bifariam partitur animam, per rationale, & irrationale. Cui definitioni & nos quidem adplaudimus; sed non vt naturæ deputetur vtrumque. Naturale enim rationale credendum est, quòd animæ à primordio sit ingenitum, à rationali videlicet auctore. Quid enim non rationale, quòd Deus iussu quoque ediderit, nedum id quod propriè adflatu suo emiserit? Irrationale autem posterius intelligendum est; vt quod acciderit ex serpentis instinctu, ipsum illud transgressionis admissum, atque exinde inoleuerit & coadoleuerit in anima, adinstar iam naturalitatis, quia statim in naturæ primordio accidit. Cæterùm, quum idem Plato solùm rationale dicat, vt in anima Dei ipsius, si nos etiam irrationale naturæ adscribimus quam à Deo anima nostra sortita est, æquè irrationale de Deo erit, vt potè naturale, quia naturæ Deus auctor est. Sed enim à Diabolo immissio delicti: irrationale autem omne delictum: Igitur à Diabolo irrationale, à quo & delictum; extraneum à Deo, à quo est irrationale alienum. Proinde diuersitas horum ex distantia auctorum.

Gen. 2. 7. — Gen. 3. 3. & seq.

PECCATI MORTALIS GRAVITAS. 1. SCHOL.

AD FIDEM PERTINENS. *Quod credendum est de anima hominis; vel, quod Plato iuxta communem fidem Christianorum censuit; dum animam diuisit in superiorem & inferiorem, appetitum rationalem & irrationalem. Ita enim diuisit Plato lib. 4. de Repub. vbi rationem in throno collocat sicut principem appetitum irascibilem, quasi milites fingit, & concupiscibilem velut artificem, qui tres appetitus vnicam animam faciunt.* CVI DEFINITIONI, *conclusioni.* NATVRÆ DEPVTETVR. *Non putetur naturale esse quod irrationale est; solùm enim quod est rationale in anima, à Deo anthore rationali, ab initio inditum est, quod non solùm adflatu suo produxit, sed & imperio & iussu in omnes creaturas præditum procreauit.* EX SERPENTIS INSTINCTV. *Non quòd velit hominem sine omni omninò appetitu irrationali conditum, cùm & in statu innocentiæ, & concupiscere, & irasci posset: sed scitè dicit à Diabolo instigante & tentante; factum irrationalem. Quid enim tam irrationale, quàm partem superiorem subiici inferiori, rationem succumbere concupiscentiæ carnali? Diuinitatem, à pomo memorari? Animam rationalem, primæ & diuinæ rationi non subiici? vno fructu totas Paradisi delicias amitti aut vendi? Vide quàm irrationale sit peccatum. Ab initio ergò subdita fuit pars irrationalis, rationali, & sic nihil erat irrationale dominans, sed rati inhabilis & obediens à Deo summâ ratione omnium, sic andito homine, sed à Diabolo suggerente peccatum, illud irrationale factum est, dum primi mandati transgressio facta est; quod posteà peccatum iam in omni homine ex Adam nascente, quasi naturale factum est.* ET vt ait *Augustinus*, vitium pro naturâ inoleuit. *Quod igitur irrationale est in homine dicitur naturale, primò quòd statim post creationem primus homo irrationabilem se per inobedientiam reddidit: secundò quia iam peccatum originale, & ad actuale propensio, facta sunt nobis quasi naturalia.* PLATO SOLVM RATIONALE. *Cùm, inquit, Plato tribuat Deo tanquam anthori, omne quod rationale est, vt pote cùm diuinus Spiritus sit maximè rationalis, in quo nihil irrationale est, si in animæ nostræ substantia dixerimus esse aliquid irrationale à natura indi-*

S. Aug. (right margin, beside "Et vt ait Augustinus")

tum, cogemur fateri, illud irrationale à Deo Creatore deriuatum. Cùm autem omne peccatum sit irrationale, & ex Diaboli suggestione homini infusum & suasum, per consequens, quidquid irrationale est in anima se subtrahente, & rebellante legi diuinæ & summæ omnium rationi, erit à Diabolo. DIVERSITAS HORVM, &c. *Rationalis scilicet & irrationalis, petenda est ex diuersitate authorum, vt à Deo maximè rationali, ratio data sit homini, irrationalis autem rebellio rationis contra Deum, & vtriusque appetitus, concupiscibilis & irascibilis contra rationem sit ab authore Diabolo. Quod autem ratio sit summum in homine: libro secundo de libero arbitrio capite sexto cum Euodio colloquitur Augustinus:* Cùm naturam quæ tantùm est, nec viuit, nec intelligit, sicuti est corpus exanime, præcedat ea natura, quæ non tantùm est, sed etiam viuit, nec intelligit, sicuti est anima bestiarum: Et rursus hanc præcedat ea quæ simul & est, & viuit, & intelligit, sicut in homine mens rationalis, num arbitraris in nobis, id est in eis in quibus natura nostra completur, vt homines simus, aliquid inueniri posse præstantius quàm hoc quod in his tribus tertio loco posuimus? Nam & corpus nos habere manifestum est, & vitam quandam, quâ ipsum corpus animatur atque vegetatur, quæ duo etiam in bestiis agnoscimus; & tertium quiddam quasi animæ nostræ caput aut oculum; aut si quid congruentius de ratione atque intelligentia dici potest, quam non habet natura bestiarum. Quare, vide obsecro, vtrum aliquid inuenire possis quod sit in natura hominis, ratione sublimiùs. Euodius: Nihil omninò meliùs video. Aug. Quid si aliquid inuenire potuerimus, quod non solùm esse non dubites, sed etiam ipsâ nostrâ ratione præstantius, dubitabisne illud quidquid sit, Deum dicere? Euod. Non continuò, si quid melius quàm id quod in mea natura optimum est, inuenire potuero, Deum esse dixerim. Non enim mihi placet Deum appellare, quò mea ratio est inferior, sed quò nullus est superior, Aug. Ita planè: Nam ipse huic tuæ rationi dedit tam de se piè veréque sentire. *Et libro de vera Religione, legem summam hoc est primam rationem diuinam, sibi humanam subiicere rationem rectè definit cap.* 31. Hæc lex omnium artium cùm sit omninò incommutabilis, mens verò humana, cui talem legem videre concessum est, mutabilitatem pati possit erroris, satis apparet supra mentem nostram esse legem quæ veritas dicitur. Nec iam illud ambigendum est, incommutabilem naturam, quæ supra rationalem animam sit, Deum esse: & ibi esse primam vitam, & primam essentiam, vbi est prima sapientia. *à qua deflectens homo comparatus est iumentis insipientibus, à veritate auersus, secutus serpentem mendacem*, nam hæc est illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium rectè dicitur, & ars omnipotentis artificis, &c. *Tum de anima verè spiritali & rationali iudicante omnia. 1. Cor. 2. 15.* Spiritalis homo iudicat omnia. Ipse autem à nemine iudicatur, id est à nullo homine, sed à sola ipsa lege secundùm quam iudicat omnia: quoniam & illud verissimè dictum est; oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi: *cui Pater omne iudicium dedit, vt primæ legi, & iustæ regulæ agendorum*, omnia ergo iudicat, *anima rationalis, homo spiritalis*, quia super omnia est quando cum Deo est. *Qui enim adhæret Deo, eius voluntati & rationi subiectus, vnus spiritus est*, cum illo autem est, quando purissimè intelligit, & totâ charitate quod intelligit, diligit. Ita etiam, quantùm potest; lex ipsa etiam ipse fit secundùm quam iudicat omnia, & de qua iudicare nullus potest. Sicut in istis temporalibus legibus, quamquam de his homines iudicent, cùm eas instituunt; tamen cùm fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundùm ipsas: conditor tamen legum temporalium, si vir bonus est & sapiens, illam ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ iudicare datum est: vt secundùm eius incommutabiles regulas, quid sit pro tempore iubendum vitandúmque discernat. Æternam igitur legem mundis animis fas est cognoscere, iudicare non fas est. *Hanc tamen legem & præuaricator Diabolus iudicare præsumpsit, & eius transgressionem homini persuasit, & suadendo, appetitum concupiscibilem rationali dominari fecit, & hominem tandem serpens sibi seruum subiecit, cui ideò à Deo maledicto, ad tormentum inuidiæ in pœnam dixit Gen.* 3. 14. Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ. *Hebr. habetur*; super ventrem. *vt & Chald. 70. vtrumque ponunt*, super pectus tuum & super ventrem, *quem locum ita explicat Aug. lib. 2. de Gen. contra Manich. cap.* 17. Pœna eius est, vt in potestate habeat eos qui Dei præcepta contemnunt, *Et quomodo illi pœna est inuidiæ suæ adimpletio? quia ipsâ inuidiâ torquetur, & ex numero aucto damnatorum, pœna eius accidentalis augetur, vt ignis crescit lignis iniectis, & à pluribus maledicta & execrationes accipit.* Hoc enim explicatur his verbis, quibus in eum profertur sententia: & inde maior pœna est, quia de hac tam infœlici potestate lætatur, qui solebat, antequàm caderet, sublimi veritate gaudere, in qua non stetit: & ideò illi etiam pecora præponuntur, non in potestate, sed in conuersatione naturæ suæ: quia pecora non amiserunt beatitudinem aliquam cœlestem, quam nunquam habuerunt, sed in sua natura quam acceperunt peragunt vitam. Dicitur ergo huic; pectore & ventre repes: quod quidem & in colubro animaduertitur, & ex animante visibili ad hunc inuisibilem inimicum nostrum locutio figuratur. Nomine enim pectoris, significatur superbia; quia ibi dominatur impetus animi, *appetitus irascibilis irrationalis*, nomine autem ventris, significatur carnale desiderium, quia hæc pars mollior sentitur in corpore, *appetitus est concupiscibilis, & ipse irrationalis; irrationales ergo homines & per hos appetitus Diaboli seruos & subiectos, super quos graditur, Deus pectus suum, & ventrem suum serpenti dixit*, & quia his rebus ille serpit ad eos quos vult decipere, propterea dictum est, pectore & ventre repes. Et terram, inquit, manducabis omnibus diebus vitæ tuæ, id est omnibus diebus quibus agis hanc potestatem, ante illam vltimam pœnam iudicii. Hæc enim vita eius videtur, de qua gaudet atque gloriatur. Terram ergo manducabis, duobus modis intelligi potest: vel, ad te pertinebunt quos terrenâ cupiditate deceperis, id est peccatores, qui terræ nomine significantur, vel certè genus tertium tentationis his verbis figuratur, quod est curiositas. Terram enim qui manducat, profunda & tenebrosa penetrat, & tantùm temporalia atque terrena.

2. *Peccatum naturà probrosum, latebras & excusationes quærit; virtus contra, se prodit in lucem. Apol. cap. 1., in fin.*

OMne malum aut timore, aut pudore natura perfudit. denique malefici gestiunt latere, trepidant deprehensi, negant accusati, ne torti quidem facilè aut semper confiten-

tur, certè damnati mœrent. dinumerant in semetipsos mētis malæ impetus vel fato vel astris imputant. nolunt enim suum esse, quòd malum agnoscunt. Christianus verò quid simile? neminem pudet, neminem pœnitet, nisi planè retro non fuisse. si denotatur, gloriatur; si accusatur, non defendit. interrogatus, vel vltro confitetur; damnatus, gratias agit. Quid hoc mali est, quod naturalia mali non habet? timorem, pudorem, tergiuersationem, pœnitentiam, deplorationem. quid hoc mali est, cuius reus gaudet? cuius accusatio votum est, & pœna felicitas?

PECCATI MORTALIS GRAVITAS. 2. SCHOL.

A OMNE MALVM. *Pœnæ quidem malum, timore; culpa verò, pudore à natura notatum est: vt vel inde fugiendum sit.* DENIQVE MALEFICI. *Id est, quid pluribus id probem? cùm omnes qui malè agere volunt, tenebras & noctem quærant, nihilque tam auidè petant, quam latebras. Sic iuxta Scripturam*, oculus adulteri obseruat caliginem, *& Christus in Euangelio Io.* 3. 20. Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem; erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui malè agit odit lucem, & non venit ad lucem vt non arguantur opera eius. *Et quid est quod primus peccator statim pudore perfusus, latebras ficulneæ quæsiuit & abscondit se? accipe Aug. ser. 31. de verbis Do. in p.* Non est importunum vt arbor ficulnea intelligatur genus humanum. Primus enim homo quando peccauit foliis ficulneis pudenda velauit. Hæc velauit, vnde nati sumus, membra. Quæ enim ante peccatum fuerant glorianda, post peccatum pudenda sunt facta. Denique antea nudi erant, & non confundebantur, non enim erat vnde erubesceretur, quando peccatum non præcesserat. Nec poterant de sui Creatoris operibus erubescere, qui operibus sui Creatoris bonis, nullum adhuc malum opus suum miscuerant. Nondum enim manducauerant de ligno scientiæ boni & mali, vnde manducare prohibiti erant. Postea ergo quam manducauerunt & peccauerunt, natum est de illis genus humanum: id est homo de homine, obnoxius de debitore, mortalis de mortali, peccator de peccatore. *Et sicut Adam & Eua peccatum tegere, & excusare voluerunt, & Adam in Euam, Eua in serpentem peccatum exonerauit, nec torti conscientiæ aculeo, & interrogatione diuina, deprehensi trepidantes, facilè confessi sunt; sic & nati ex eis peccatores omnes.* DINVMERANT. *Quô die, quâ horâ, quo planetâ dominante, nati sint aut concepti, vt fato vel astris adscribant sua crimina. Contra quos Augustinus sæpè vt alibi vidimus, maximè in Psal. 7. circa f. Confitebor Domino secundùm iustitiam eius.* Confessio iustitiæ Dei, quâ ita loquimur: verè Domine iustus es, quando & iustos sic protegis, vt per te ipsum illos illumines, & peccatores sic ordinas vt non tuâ sed suâ malitiâ puniantur. Ista confessio ita dominum laudat, vt nihil possint impiorum valere blasphemiæ; qui volentes excusare facinora sua, nolunt suæ culpæ tribuere quod peccant, hoc est, nolunt suæ culpæ tribuere culpam suam; itaque aut fortunam, aut fatum inueniunt quod accusent, aut diabolum, cui non consentire in potestate nostra esse voluit qui nos fecit, aut aliam naturam inducunt quæ non sit ex Deo. Fluctuantes miseri & errantes potiùs quam confitentes Deo, vt eis ignoscat. Non enim oportet ignosci, nisi dicenti, peccaui. *Vide dicta in hanc rem supra. Peccatorum diuisio* 4. DINVMERANT *alij legunt deonerant in semetipsis sensu supra exposito.* NEMINEM PVDET. *Quid enim puderet de luce fidei & gratia, & armis lucis, quibus diuisus est à tenebris & pudore peccatorum? Io.* 3. 21. Qui autem facit veritatem venit ad lucem, vt manifestentur opera eius quia in Deo sunt facta. *Aug. in Psal.* 7. *circa f.* Diuisit Deus inter lucem & tenebras & vocauit Deus lucem diem, & tenebras vocauit noctem. Ista distinctio aliud fecit, & ordinauit; aliud autem non fecit, sed tamen etiam hoc ordinauit. Iam verò tenebris significari peccata, & in Propheta inuenitur, qui dicit Psal. 138. & tenebræ tuæ tanquam meridies erunt *idem tamen hoc loco Psalmi vertit, & nox tanquam dies illuminabitur* & in Apostolo dicente 1. Io. 2. qui odit fratrem suum in tenebris est. Et illud præcipuè Rom. 13. abiiciamus opera tenebrarum, &c. non quod aliqua sit natura tenebrarum; omnis enim natura, in quantum natura est, esse cogitur esse autem ad lucem pertinet, non esse, ad tenebras. Qui ergo deserit eum à quo factus est, & inclinat in id vnde factus est, id est in nihilum, in hoc peccato tenebratur; & tamen non penitus perit, sed in infimis ordinatur. *Sic pudor peccati inclinat filios Adæ, vnde facti sunt; vt excusent excusationes in peccatis, & sub ficu latere velint. Sed cùm per baptismum sunt diuisi à tenebris, eruti de potestate tenebrarum, vt filij lucis ambulant; quibus Paulus:* fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: vt filij lucis ambulate. *Nec pudet hoc nomen confiteri, solum pudet & pœnitet,* RETRO, *prius & ab initio vitæ non fuisse Christianum.* VOTVM, *vt hoc totum sit desiderium, accusari pro Christo, hoc enim est laudari.* POENA FOELICITAS. Si quid patimini propter Christum, beati, beati eritis cùm vos oderint homines, &c. & eiecerint nomen vestrum tanquam malum, &c.

(Margin notes: B; C; S. Aug.; S. Aug.; S. Aug.)

3. *Peccatum mortale, vel vnicum, Deum grauiter offendit. De Spectac. cap. 7. in f.*

RIuulus tenuis ex suo fonte, surculus modicus ex sua fronde, qualitatem originis continet. Viderit ambitio siue frugalitas eius. Deum offendit qualiscunque pompa Circi. & si pauca simulacra circunferat, in vno idololatria est, & si vnam thensam trahat, Iouis tamen plaustrum est: quæuis idololatria sordidè instructa vel modicè, locuples & splendida est censu criminis sui.

4. *Et de Pœnit. cap. 3 in p.*

DOmino cognito, vltro spiritus à suo auctore respectus, emergit ad notitiam veritatis, & admissus ad Dominica præcepta, ex ipsis statim eruditur id peccato deputandum à quo Deus arceat. quoniam cùm Deum grande quid boni constet esse: vtique bono nisi malum non displiceret, quòd inter contraria sibi nulla amicitia est.

VIDERIT AMBITIO. *Hoc totum refert ad peccatum idololatriæ quod probat alibi fusius, in Circo exerceri, in honorem Deorum. Hic autem aduertit nihil referre quoad idololatriæ culpam, siue per ambitionem maiores sumptus fiant in Circo, apud amplas ciuitates; an verò parcior & frugalior expensa apud minores. Licet enim ad exemplum maiorum, minores componantur, riuuli tamen & surculi suum fontem & originem corruptam referunt, nec minus offendit Deum vnicum parui Circi modica pompa, in qua pauca idola circumferuntur, cùm in vnico tota sit idololatria.* CENSV CRIMINIS. *Vel pro origine censum sumis; vel pro obligatione & redditu pœnæ quam omnis idololatra, Deo persoluet.* VNAM THENSAM. *Thensæ siue tensa, erant vehiculi lori in quo vehebantur in Circum necessaria ad puluinaria & accubitus Deorum. Videndus Festus, Paulus, Suetonius, aliquando hæ tensæ erant argenteæ, aliquando eburneæ erant;* B *quibus vehendis non animalia, sed homines fune ad collum alligato longis loris adstricti iungebantur bini, dicti, inde à tensis loris, vt notat Asconius, tensatores.* IOVIS TAMEN. *Ad Iouem pertinet ille currus, cui vnico loro aliquis adstrictus est. Aduerte igitur vsu scripturæ, vt alibi vidimus, omne peccatum idololatriam esse, vt Paulus inter cætera probat de gula & auaritia:* quorum Deus venter est, &c. Auaritia idolorum seruitus, &c. *Porro sicut idololatria in scriptura etiam sæpissimè fornicatio dicitur, ita & omnis anima peccatrix fornicari dicitur; & à Deo auersa, & ad creaturam conuersa, eam pro Deo habet, & in ea finem suum vltimum ponit. Hanc fornicationem pulchrè definit Aug. to. 6. lib. cont. Adimantum Manichæi discipulum cap. 7. circa f.*

S. Aug. Est animæ fornicatio, auersio à fœcunditate sapientiæ, & ad conceptum temporalium illecebrarum, corruptionumque conuersio. *De qua rursum to. 10. homil. 34. à p.* Recedere ab illo simplici & singulari bono in istam multitudinem voluptatum, in amo- S. Aug. rem sæculi, corruptionemque terrenam, fornicari est à Deo, &c. adulteri nescitis quia amicus huius mundi, inimicus Deo constituitur?

IV. *Atque vt sequentem paragraphum huic similem in substantia tituli simul explicem.* DOMINO COGNITO. *per fidem.* VLTRO SPIRITVS, *Dei gratiâ præuentus animus, qui Deum respicere non potest & cognoscere nisi prius illum Deus respiciat. Vnde Psaltes,* respice in me & miserere mei: quoniam vnicus & pauper sum ego. ADMISSVS, *iam Dei seruus factus, eruditus in mandatis eius, discit ab exordio, id omne peccatum esse putandum,* D *quod lege diuina prohibetur. Cùm enim Deus sit summum bonum, nihil prohibet nisi quod sibi contrarium est, cum quo nihil sibi amicitiæ est, quod sibi sūmè displicet, summè odit. Tale peccatum, est, cuius causâ zelatur fornicariam animam, dilatantem cubile cordis, in Circo huius mundi, vel vnâ thensâ idololatriæ peccati alligatam, plaustrum diaboli vehentem. De qua & similibus Psaltes:* in circuitu impij ambulant; *& rursum de odio Dei:* odisti omnes qui operantur iniquitatem. *Aug. homil. præcitata 34.*

S. Aug. Amor mundi adulterat animam, amor fabricatoris mundi castificat animam. Sed nisi de corruptione erubuerit, ad amplexus illos castos redire non concupiscit, &c. Quod nolebat anima videre ponetur ei ante oculos. *Hoc est quod ait hic Tertullianus; à suo* E *Authore respectus emergit ad notitiam veritatis* quod post dorsum habere cupiebat, ad faciem illi admouetur, &c. Reuocatur ad se anima, quæ ibat à se. Sicut à se ierat, sic à Domino suo ibat. Se enim respexerat, sibique placuerat, suæque potestatis amatrix facta fuerat; recessit ab illo, & non remansit in A se: & à se repellitur, & à se excluditur *sic fatente Psalmista,* & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum. *Et cor meum dereliquit me* in exteriora pro- S. Aug. labitur. Amat mundum, amat temporalia, amat terrena: quæ si seipsam amaret, neglecto à quo facta est, iam minus esset; iam defecerat amando quod minus est. Minus est enim ipsa quàm Deus: & longè minùs, tantóque minus, quantùm minus est res facta, quàm factor. Ergo amandus erat Deus, & amandus est Deus, itaut, si fieri potest, nosipsos obliuiscamur. Quis ergo est iste transitus? oblita est anima seipsam, sed amando mundum, oblita est se: sed non amando artificem mundi, pulsa est & à se. Pulsa ergo & à se, quodammodo perdidit se, nec facta sua nouit videre; iustificat iniquitates suas: & fertur, & superbit in petulantia, in luxuria, in honoribus, in potestatibus, in diuitiis, in potentia vanitatis: arguitur, corripitur, ostenditur sibi, displicet sibi: *quia vt ait hic Tertull. bono non nisi malum displicet* confitetur fœditatem, desiderat pulchritudinem, & quæ ibat effusa, redit confusa, &c. *Deinde de odio Dei* Amat tantùm, an odit tantùm? an odit & amat? imò & odit, & amat odit tua, amat te. Quid est odit tua, amat te? odit quod fecisti, amat quod fecit Deus. Quæ sunt enim tua nisi peccata? & quid es tu, nisi quod fecit Deus, hominem ad imaginem, &c? Negligis quod factus es, & diligis quod fecisti. Amas extra te opera tua, negligis in te opus Dei. Meritò is, meritò laberis, meritò & à teipso pergis, meritò audis, spiritus ambulans & non reuertens. Audi potiùs vocantem & dicentem Zach. 1. C Conuertimini ad me & ego conuertar ad vos. Non enim Deus auertitur, & conuertitur: manens corripit, incommutabilis corripit. Auersus est, quia tu te auertisti. Tu ab illo fecisti casum, non ipse à te fecit occasum, &c. hoc est enim, conuertar ad vos, quia conuertimini ad me. Fugientis dorsa persequitur, faciem redeuntis illuminat: quò enim fugies, à Deo fugiens? quò fugies, fugiens ab illo qui nullo loco continetur, & nusquam absens est? qui conuersum liberat, punit auersum. Habes iudicem fugiens, patrem habeto rediens. *Vt prodigus reuersus ad Patrem. Nec omittam, quod sicut ex Tertull.* In vno idololatria est, & si vnam thensam trahat, Iouis tamen plaustrum est: *sic in vno peccato locuples census est criminis, & in vna peccati thensa, tota seruitus diaboli; sic testante Iacobo cap. 2. 10.* Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. *Syr. autem* totius legis factus est reus. *In quem locum Augustinus scripsit ep. 29. ad Hiero. rogans eius expositionem, à medio autem epistolæ, sic exponit inquirendo:* vnde fiet omnium reus, si in S. Aug. vno offendat qui totam legem seruauerit? an fortè quia plenitudo legis charitas est, quâ Deus proximusque diligitur, in quibus præceptis charitatis tota lex pendet & Prophetæ? meritò fit reus omnium qui contra illam facit, in qua pendent omnia &c. cur ergo non dicantur paria peccata? an fortè quia magis facit contra charitatem qui grauius peccat; minus qui leuius, &c? quantò quisque grauius leuiusque peccauerit, tantò in peccato committendo maior, quantò in diligendo Deo & proximo minor; & rursus, tantò minor in peccati perpetratione, quantò maior in Dei & proximi dilectione: tantò itaque plenior iniquitatis, quantò inanior charitatis. Et tunc perfecti sumus in charitate quando nihil restat ex infirmitate.

5. *Peccata grauia vnius populi, nomen suum alteri communicant. Cont. Iud. cap. 9. V. Verbum Elogia Christi num. 18. circa med. & num. 20. in fine.*

PECCATVM VENIALE, EIVSQVE PERICVLVM ET DEBITVM.

1. *Peccatum veniale quotidianum & frequens omnibus. De Pudic. cap. 19. circa f.*

ET hic enim illam Ioannes commendauit, quod sint quædam delicta quotidianæ incursionis, quibus omnes simus obiecti. Cui enim non accidit, aut irasci iniquè, & vltra solis occasum; aut & manum immittere, aut facilè maledicere, aut temerè iurare, aut fidem pacti destruere; aut verecundiâ, aut necessitate mentiri. in negotiis, in officiis, in quæstu, in victu, in visu, in auditu quanta tentamur, vt si nulla sit venia istorum, nemini salus competat. Horum ergo erit venia per exoratorem Patris Christum. 1. Io. 5. 16 Psal. 4. 5. Ephes. 4. 26. Matth. 5. 34.

PECCATVM VENIALE. 1. SCHOL.

ILLAM COMMENDAVIT. *Distinctionem scilicet delictorum, de qua ante immediatè agebat. Distinxerat enim peccatum in remissibile, & irremissibile, veniale & mortale; de quo dixerat, Deum diligentes non peccare, peccato scilicet ad mortem, vt & de peccato veniali,* si dixerimus, quia peccatum non habemus ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est. QVOTIDIANÆ INCVRSIONIS. *in qua quotidie incurrimus, & labimur.* OBIECTI, *subiecti.* 1. *Io.* 5. 16. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. IRASCI INIQVE, *Matth.* 5. 22. qui irascitur fratri suo *Gr. temerè* reus erit iudicio. MANVM IMMITTERE *Esa.* 58. 4. Percutitis pugno impiè. TEMERE IVRARE. *Non quòd falsò iurare non sit peccatum mortale, sed quia sine necessitate, ex animi leuitate iurare; peccatum est veniale. Matth.* 5. 37. Sit sermo vester, est, est; B non, non. Quod autem his abundantius est, à malo est. FIDEM PACTI DESTRVERE. *Fidelitatem in promissis leuis momenti non seruare.* MENTIRI *absque præiudicio notabili proximi.* QVANTA TENTAMVR, *de quam multis.* PER EXORATOREM *de quo Apostolus,* Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum. *De his omnibus quotidianis, sine quibus nec à Sanctis hæc misera vita transigi potest, multus in locis Augustinus. Cæteris omissis, vnicum proferam, præ cæteris huic Tertulliani textui consonum. Libro* 22. *de Ciuit. c.* 23. Præter hæc mala huius vitæ bonis malisque communia *de malis pœna loquitur* habent in ea iusti etiam proprios quosdam labores suos, quibus C aduersus vitia militant, & in talium prœliorum tentationibus periculisque versantur. Aliquando enim concitatiùs, aliquando remissiùs, non tamen desinit caro concupiscere aduersus spiritum, & spiritus aduersùs carnem, vt non ea quæ volumus, faciamus; omnem malam concupiscentiam consumendo, sed eam nobis quantùm diuinitus adiuti possumus, non ei consentiendo subdamus, vigiliis continuis excubantes: ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se tenebræ alicuius erroris offundant: ne quod bonum est, malum, aut quod malum est, bonum esse credatur: ne ab his quæ agenda sunt metus reuocet: ne in ea quæ agenda non sunt, cupido præcipitet. Ne super iracundiam Sol occidat, ne inimicitiæ prouocent ad retributionem mali pro malo: ne absorbeat inhonesta vel immoderata tristitia: ne impartiendorum beneficiorum ingrata mens ingerat torporem: ne maledicis rumoribus bona conscientia fatigetur: ne temeraria de alio suspicio nostra decipiat: ne aliena de nobis falsa nos frangat: ne regnet peccatum in nostro mortali corpore ad obediendum desideriis eius, &c. ne oculus sequatur concupiscentiam, ne vindicandi cupiditas vincat, ne in eo quod malè delectat, vel visu, vel cogitatio remoretur: ne improbum, aut indecens verbum libenter audiatur: ne fiat quod non licet, etiam si libet; ne in hoc bello laborum periculorumque plenissimo, vel de viribus nostris speretur facienda victoria, vel viribus nostris facta tribuatur, sed eius gratiæ de quo ait Apostolus. 1. Cor. 15. gratias autem Deo qui dat nobis victoriam per Dominum Iesum Christum, &c. Sciamus tamen quantálibet virtute prælliandi vitiis repugnemus, vel etiam vitia superemus, & subiugemus, quandiu sumus in hoc corpore, nobis deesse non posse, vnde dicamus Deo: dimitte nobis debita nostra: *quæ quidem omnia à Tertulliano & Augustino relata intelligenda sunt venialia, cùm sint ea quibus omnes etiam sancti & iusti sunt subiecti; & in grauioribus ex genere suo mortalibus, vel ob leuitatem materiæ, vel ob defectum plenæ aduertentiæ & proindéque consensus, esse tantùm venialia.*

S. Aug.

2. *Peccatum omne, debitum est: veniale, vel minimum, quadrans est. De Orat. cap. 7. à p.*

SCiebat Dominus se solum sine delicto esse. Docet itaque, petamus [a] *Dimitti nobis debita nostra.* Exomologesis est, petitio veniæ: quia qui petit veniam, delictum confitetur. Sic & pœnitentia demonstratur acceptabilis Deo, quia [b] *vult eam quàm mortem peccatoris.* Debitum autem in scripturis delicti figura est, quod perinde iudicio debeatur, & ab eo exigatur, nec euadat iustitiam exactionis; nisi donetur exactio; sicut [c] *illi seruo Dominus debitum remisit.* Huc enim spectat exemplum parabolæ totius. Nam & quòd idem seruus à Domino liberatus, non perinde parcit debitori suo, ac propterea delatus penes Dominum, tortori delegatur [d] *ad soluendum nouissimum quadrantem,* id est, modicum vsque delictum, eò competit, quod remittere nos quoque profitemur debitoribus nostris. a Matth. 6. 12. b Ezech. 33. 11. Matth. 5. 25. c Matth. 18. 32. d Matth. 5. 26.

PECCATVM VENIALE. 2. SCHOL.

EXOMOLOGESIS. *Confessio peccati. Qui veniam petit & indulgentiam debiti, confitetur se contraxisse peccatum & debitum.* VVLT EAM *mauult, prælegit. Hunc locum alibi retuli.* DELICTI FIGVRA. *In sancta Scriptura debitum significat delictum.* IVDICIO DEBEATVR, *quia peccatum velut debitum nos obligat re-*

tioni reddendæ & satisfactioni faciendæ in iudicio diuino. Hvc spectat, *huc refertur tota parabola Matthæi 18. 23. vbi cùm Christus Petro dixisset, veniam dandam vsque septuagies septies, sic ait:* ideo assimilatum est regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis, &c. *vt inde discamus minima & venialia delicta dimittere fratribus & conseruis, qui maiora & mortalia poscimus à Deo dimitti.* Liberatvs. *Debito dimisso, & obligatione soluendi relaxatâ.* Penes Dominvm. *Apud Dominum.* Tortori delegatvr *traditur. Matth.* 18. 34. Iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus quoadusque redderet vniuersum debitum. Novissimvm qvadrantem. *Duas hîc parabolas confundit, vnam istius Regis exigentis vniuersum debitum; alteram eiusdem Matthæi 5. 25. vbi de exactore, apud translationem Syriacam. Vulgata sic habent.* Esto consentiens aduersario tuo citò dum es in via cum eo, ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, *translat. Syr. & iudex tradat te exactori* & in carcerem mittaris; Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. *Translat. Syr.* octauum numulũ vltimum. *Quidquid sit aptè in titulum, vel titulus noster in textum; quadrans, modicum & veniale delictum significat, de quo quotidie à Deo petimus remissionem.* Eò competit *ad hoc significandum sic locutus est Christus, vt discamus saltem quadrantes, hoc est veniales culpas fratribus remittere, quæ quantumlibet graues in nos commissæ, viles & abiectas creaturas; leues sunt, respectu tot talentorum quibus onerati sumus & debitores erga Deum; qui non tantùm graues vt talenta, sed & leues vt quadrantes, id est venialia, cum magna seueritate exiges à nobis, nisi dimittamus debitoribus nostris. Nunc, quoniam alibi de remissione iniuriæ & veniâ dandâ inimicis; sufficit de veniali quadrante, aliquid ex Augustino dicere, homilia 28.* (S. Aug.) Propter ipsa peccata humana & tolerabilia, & tantò crebriora quantò minora, constituit Deus in Ecclesia tempore misericordiæ prærogandæ quotidianam medicinam, vt dicamus, dimitte nobis debita nostra; vt his verbis lotâ facie, *alias*, *lætâ* ad altare accedamus, & his verbis lotâ facie, corpore Christi & sanguine communicemus. *Quod autem peccatum veniale, licet quadrans, paulatim tamen ad talentum disponat, docet Aug. ser. 88. de temp. in p.* (S. Aug.) Dum homines negligentes in primis despiciunt peccata sua quia parua sunt, crescentibus minutis peccatis, adduntur etiam crimina, & cumulum faciunt, & demergunt; quod cùm factum fuerit, impletur quod dictum est Prou. 18. peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnit. *Et ep. 108. ad Seleucianam in fine:* (S. Aug.) Est etiam pœnitentia bonorum & humilium fidelium penè quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes; dimitte nobis, &c. neque enim ea nobis dimitti volumus, quæ dimissa non dubitamus in baptismo, sed illa vtiq; quæ humanæ fragilitati quamuis parua, tamen crebra subrepunt, quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt & opprimemt, sicut vnum aliquod grãde peccatum. Quid enim interest ad naufragium vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta atque contempta, impleat nauem atque submergat? *alibi elegantiùs idem Aug. de paruis guttis implentur flumina: per tenues rimas exsudat aqua, hocque facit sentina latenter excrescens, quod procella patenter sæuiens.* (S. Aug.) Propter hæc, ieiunia & eleemosynæ, & orationes inuigilant, in quibus cùm dicimus, dimitte nobis, &c. manifestamus habere nos quod nobis dimittatur, atque in his verbis humiliantes animas nostras, quotidianam quodammodo agere pœnitentiam non cessamus. *Attende Lector, vt duo nostri conspirent Afri; dixerat enim supra Tertullianus* exomologesis est petitio veniæ, &c. pœnitentia acceptabilis Deo, qui vult eam quàm mortem peccatoris: *ad quam cùm peccatum veniale disponas, eius veniam obtinemus, ne in mortem labamur, & à quadrante in talenti debitum, dum pœnitentes dicimus,* dimitte nobis, &c.

3. *Peccatum hinc, disponit ad grauius, vt patet in Iuda de Ani. cap. 11. circa f.*

Io. 12. 6. Io. 13. 2. IVdam quoque aliquandiu cum electis deputatum vsque ad loculorum officium, & si iam fraudatorem, traditorem tamen nondum, postea diabolus intrauit.

PECCATVM VENIALE. 3. SCHOL.

Cvm electis depvtatvm. *Io. 6.* Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis, diabolus est? *in quem locum Aug. tract. 27. in Io.* (S. Aug.) Ego vndecim elegi, diceret. *Supple aptius; sed quid mirum si Iudas cum electis, vel ad tempus, & opinione hominum occulta ignorantium deputatus est; si Christus ipse cum iniquis deputatus est?* An eligitur diabolus, & in electis est diabolus? electi in laude solent dici: an electus est iste, de quo nolente & nesciente magnum aliquid boni fieret? hoc est proprium Dei contrarium iniquis. Sicut enim iniqui malè vtuntur bonis operibus Dei, sic contra Deus benè vtitur malis operibus iniquorum, &c. quandoquidem ipse Dominus dixit; nemo bonus nisi vnus Deus. quantò ergo ille melior, tantò melius vtitur & malis nostris. Quid Iudâ peius? inter omnes adhærentes Magistro, inter duodecim loculi illi commissi sunt, & dispensatio pauperum distributa. *Hoc est quod subiicit Tertull.* vsque ad loculorum officium. *Id est officium procuratoris domus Apostolicæ: vel electus fuit, & bonus, donec fieret procurator; vt inde à paucis sublectis & suffuratis denariis, primò fortè peccatis venialibus, ad maiorem summam, & tandem ad Domini venditionem sacrilegam perueniret, & communionem in statu pessimo; vt primò mensa loculorum,* deinde mensa Dominica fieret ei in laqueum, in retributiones, & in scandalum. *Prosequitur supra Augustinus.* (S. Aug.) Ingratus tanto beneficio, honori tanto, accepit pecuniam, perdidit iustitiam, tradidit vitam mortuus, quem vt discipulus secutus, vt inimicus persecutus est! & totum hoc malum Iudæ. Sed malo eius benè vsus est Dominus. Tradi se pertulit, vt redimeret nos. Ecce malum Iudæ in bonum conuersum est. *De eadem electione, idem Aug. tract. 59. in Io. circa f. & in Psal. 54. in versum:* (S. Aug.) quoniam gratis absconderunt mihi muscipulam corruptionis suæ. *Et in Psal. 55.* Inhabitabunt & abscondent. Iudas cum Domino tuo fuit, & quidem nouerat eum, quamquam Iudas traditor incolebat, & abscondebat, tamen cor ipsius Domino rerum patebat, &c. Ergo & diabolus electus est? aut si electus non est, quomodo duodecim elegit, & non potius vndecim? electus & ille est, sed ad aliud. Electi vndecim ad opus probationis, *approbationis, & gloriæ, vel testimonij pro se dandi vsque ad sanguinem,* electus vnus ad opus tentationis. Et si iam fravdatorem. *Furem loculorum, quibus se à quadrantis debito, de quo Scholia præcedenti, ad talenti obligationem disponebat. Quod à paruis venialibus ad mortalia veniatur sæpè docuit Augustinus. tract. 12. in Io. 3.* Quomodo minuta plura peccata si negligantur occidunt

occidunt: minutæ sunt guttæ quæ flumina implent: minuta sunt grana arenæ, sed si multa arena imponatur, premit atque opprimit: hoc facit sentina neglecta quod facit fluctus irruens. Paulatim per sentinam intrat, sed diu intrando, & non exhauriendo, mergit nauim. Quid est autem exhaurire, nisi bonis operibus agere, vt non obruant peccata? gemendo, ieiunando, tribuendo, ignoscendo. *Non voluit tamen Augustinus, quantitatem peccatorum venialium, etiam omnia simul, posse ad vnius mortalis malitiam venire; sed sic tandem mergunt, quòd refrigescente charitate, tandem abundat iniquitas, & Dei misericordia negligit negligentem, & qui spernit modica, paulatim decidit. & paruuli allidendi ad petram vermiculi; ne serpentes fiant. Aug. in Psalm 136.*

S. Aug. Beatus qui tenebit & elidet infantes tuos ad petram. Qui sunt paruuli Babylonis? nascentes malæ cupiditates. &c. quando nascitur cupiditas, antequam robur faciat aduersum te mala consuetudo, cùm paruula est, &c. elide illam. Sed times ne elisa non moriatur; ad petram elide; petra autem erat Christus; &c. Nolite libenter colloqui, *vt Eua cum serpente*, cum voluptatibus vestris. Hostis maior est, occidatur ad petram, breuis hostis est, elidatur ad petram: & maiores ad petram occidite, & minores ad petram elidite. petra vincat; in petra ædificamini, si non vultis tolli aut à vento, aut à pluuia. TRADITOREM TAMEN NONDVM, *sic ille qui paruulos ad petram non elisit, in draconem magnum & rufum inuidit. Aug. tract. 50. in Ioan. 12.* Quare hoc vnguentum non venit trecentis denariis? &c. væ tibi,

S. Aug. miser, bonus odor occidit te, &c. dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad illum, sed quia fur erat, & loculos habens, & ea quæ mittebant portabat. Portabat, an exportabat? sed ministerio portabat, furto exportabat. Ecce audite quia Iudas ille non tunc peruersus factus est, quando à Iudæis corruptus Dominum tradidit: plerique enim incuriosi Euangelij existimant tunc periisse Iudam quando accepit à Iudæis pecuniam, vt Dominum traderet; non tunc periit, iam fur erat, & Dominum perditus sequebatur, &c. Ecce inter sanctos est Iudas, ecce fur est Iudas, & ne contemnas, *æstimandus enim est vt magnus inter fures*, fur sacrilegus, non qualiscumque fur, fur loculorum, sed dominicorum; loculorum, sed sacrorum: Si crimina discernuntur in foro qualiscumque furti, & peculatus: peculatus enim dicitur furtum de re publica, & non sic iudicatur furtum rei priuatæ, quomodo publicæ: quanto vehementiùs iudicandus est fur sacrilegus, qui ausus fuerit non vndecumque tollere, sed de Ecclesia tollere? Qui aliquid de Ecclesia furatur, Iudæ perdito comparatur &c. sed ille qui consueuerat de loculis pecuniam tollere, non dubitauit acceptâ pecuniâ ipsum Dominum vendere. POSTEA DIABO-

S. Aug. LVS INTRAVIT, *Ioan. 13. 26.* Ille est cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ. Et post buccellam introiuit in eum Satanas. Et dixit ei Iesus: quod facis, fac citiùs. *Aug. tract. 62. in Ioan. 13.* Quid miraris si datus

S. Aug. est Iudæ panis Christi per quem manciparetur diabolo cùm videas è contrario datum Paulo angelum diaboli, per quem perficeretur in Christo? ita & malo bonum obfuit, & malum bono profuit, &c. Quid erat autem panis traditori datus, nisi demonstratio cuius gratiæ fuisset ingratus? Intrauit autem Satanas post hunc panem in Domini traditorem, vt sibi iam traditum pleniùs possideret, In quem priùs intrauerat vt deciperet: neque enim non in illo erat quando perrexit ad Iudæos, & de pretio tradendi Dominum pactus est, cùm hoc apertissimè Lucas Euangelista testetur & dicat cap. 22. Intrauit autem Satanas in Iudam, qui cognominabatur Iscariotes, vnum de duodecim, & abiit, & locutus est cum Principibus Sacerdotum, &c. Priùs ergo intrauerat immittendo in cor eius cogitationem quâ traderet Christum: talis enim iam venerat ad cœnandum; nunc autem post panem intrauit in eum, non ad hoc vt alienum tentaret, sed vt proprium possideret. Non autem vt putant quidam negligenter legentes, tunc Iudas Christi corpus accepit: intelligendum est enim quòd iam omnibus eis distribuerat Dominus Sacramentum Corporis & Sanguinis sui, vbi & ipse Iudas erat, sicut S. Lucas euidentissimè narrat, &c. per buccellam tinctam atque porrectam suum exprimit traditorem, fortassis per panis tinctionem illius significans fictionem: non enim omnia quæ tinguntur, abluuntur; sed vt inficiantur, nonnulla tinguntur, &c. Iudæ possessio non à Domino: sed à diabolo, cùm homini ingrato intrasset panis in ventrem, hostis in mentem: adhuc, inquam, tanti mali iam corde concepti, plenus restabat effectus, cuius iam præcesserat damnandus affectus. Itaque cùm Dominus panis viuus panem mortuo tradidisset, & panem tradendo, panis traditorem ostendisset, *soli, supple Ioanni, subiiciente Ioanne, hoc autem nemo sciuit discumbentium, supple quod dixerat, quod facis, fac citiùs*, quod facis, inquit fac citiùs. Non præcepit facinus, sed prædixit Iudæ malum, nobis bonum. Quid enim Iudæ peius, & quid nobis melius, quam traditus Christus ab illo, aduersus illum, pro nobis, præter illum? quod facis fac citiùs. O verbum libentiùs parati ad passionem, quàm irati ad vindictam! ô verbum non tam pœnam exprimens venditoris, quàm necem significans Redemptoris! dixit enim, quod facis fac citiùs, non tam in perniciem perfidi sæuiendo, quàm ad salutem fidelium festinando; quia traditus est propter delicta nostra, & dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, &c. cogitauit pecuniæ lucrum, & inuenit animæ detrimentum: accepit mercedem quam voluit, sed nolenti est data quam meruit: tradidit Iudas Christum, tradidit Christus seipsum: ille agebat negotium suæ venditionis, iste nostræ redemptionis, Quod facis fac citiùs: non quia tu potes, sed quia hoc vult qui omnia potest. *Addat qui potest Augustini verba Tertulliani tam profundè & discretè exponenti.*

PERMISSIO.

* 1. *Permissio rei, non est merè & simpliciter bona. De Monog. cap. 3. à pr.*

POssum contendere, non merè bonum esse, quod permittitur. Quod enim merè bonum est, non permittitur, sed vltrò licet. Permissio habet causam, aliquando & necessitatis. Denique, in hac specie, non est voluntas permittentis nubere. Aliud enim vult: ᵃ *Volo vos, inquit, omnes sic esse, quomodo & ego.* Et quum ostendit melius esse, quid vtrique se velle confirmat, quàm quod melius esse præmisit? Et ita, si aliud quàm quod voluit, permittit non voluntate, sed necessitate permittens, non merè bonum ostendit, quod inuitus indulsit Denique quum dicit, ᵇ *Melius est nubere quàm vri.* quale id bonum intelligendum est, quod melius est pœnâ? quod non potest videri melius, nisi pessimo comparatum? Bonum illud est, quod per se hoc nomen tenet, sine comparatione non dico mali, sed etiam

a 1. Cor. 7. 7. & 8.

b Ibid. 9.

boni alterius; vt si & alij bono comparatum adumbretur, remaneat nihilominùs in boni nomine. Ceterùm, si per mali collationem cogitur bonum dici, non tam bonum est quàm genus mali inferioris, quod ab altiore malo obscuratum, ad nomen boni impellitur.

** 2. Et 1. ad Vxo. cap. 3. in med.*

POssum dicere, Quod permittitur, bonum non est. Quid enim necesse est mori mihi? Si ploro, bonum est; si timeo, quod permittitur, suspectam habet permissionis suæ caussam. Quod autem melius est, nemo permisit, vt indubitatum & suâ sinceritate manifestum. Non propterea appetenda sunt quædam, quia non vetantur: etsi quodammodo vetantur, cùm alia illis præferuntur. Prælatio enim superior, dissuasio est infimorum. Non ideò quid bonum est, nec ideò malum non est, quia non obest. Porrò plenè bonum hoc antecedit, quod non modò non obest, sed insuper prodest: namque malle debes quod prodest, quàm quod non obest. Ad primum enim locum certamen omne contendit: secundus solatium habet, victoriam non habet.

PERMISSIO. 1. & 2. SCHOL.

POSSVM CONTENDERE. *quia scilicet dubitari potest, an purè & simpliciter bonum sit id quod permittitur.* VLTRO LICET. *Quod per se patet bonum.* CAVSAM NECESSITATIS. *ob quam permittere cogitur aliquid fieri à quo superior vellet abstineri.* IN HAC SPECIE, *in hac causa scilicet renubendi.* NON EST VOLVNTAS. *Pura & simplex. Paulus enim mallet continentes & castos manere.* MELIVS ESSE, *cùm ait 1. Cor. 7.8.* Dico autem non nuptis & viduis; bonum est illis si sic permanserint sicut & ego. *Et vers. 38.* qui matrimonio iungit virginem suam, benè facit: & qui non iungit, meliùs facit. *Translat. Syr. expressius adhuc.* At is qui non dat virginem suam, longè meliùs facit. *Augustinus tom. 7. lib. de grat. & lib. arb. c. 4.* Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est: quibus enim non est datum, aut nolunt, aut non implent quod volunt: quibus autem datum est, sic volunt vt impleant quod volunt. Itaque vt hoc verbum, quod non ab omnibus capiatur, ab aliquibus capiatur, & Dei donum est, & liberum arbitrium. De ipsa quoque pudicitia coniugali nempe Apostolus ait: quod vult faciat, non peccat si nubat: & tamen etiam hoc Dei donum est, dicente Scripturâ Prou. 19. a Domino iungitur mulier viro. Ideò Doctor Gentium & pudicitiã coniugalem, per quam non fiunt adulteria, & perfectiorem continentiam, per quam nullus concubitus quæritur, sermone suo commendans, & hoc, & illud donum Dei esse demonstrauit, scribens ad Corinthios, & admonens coniuges ne se inuicem fraudent; quos cùm admonuisset, adiecit: vellem autem omnes homines esse sicut & meipsum: quia vtique ipse ab omni concubitu continebat; & continuò subiunxit: sed vnusquisque proprium donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic. *Hinc clarè conuincitur error Tertulliani, qui nuptias secundas permitti quidem agnoscit; non tanquam bonas, sed vt minùs malas adulteriis, quorum vt grauium criminum respectu, induunt rationem boni. Non sic Apostolus, non sic Augustinus: donum enim Dei primò est uxor. Secundò castitas coniugalis etiam in secundo matrimonio, donum eiusdem est.* MELIVS EST POENA, *vstionis & concupiscentiæ, quæ est pœna peccati.* ALII BONO. *Meliori se, vel æquali.* ADVMBRETVR. *Appareat obscurius bonum præ maiori, vel alteri æquali comparatum minùs æstimetur, eo quòd habeat æqualem.* IN BONI NOMINE, *bonum simpliciter & absolutè nominari meretur.* MALI COLLATIONEM. *Comparationem cum malo.* OBSCVRATVM. *Minus malum apparens respectu maioris.* IMPELLITVR, *quasi per vim & coactè bonum vocatur.*

II. QVID ENIM, *&c. Subintellige, immediatè prius comparasse metu persecutionis fugientem, & vtentem permissione fugiendi, cum eligente potiùs nubere, & vtente potius permissione renubendi, & id malentes quàm vri. Sic habet textus:* Etiam in persecutionibus, melius est ex permissu fugere de oppido in oppidum, quàm compressum & distortum negare: At quæ ista beatitas, *beatitudo*, est? ideò, ne qui, *quis*, neget. beati testimonij confessione, *gloria Martyrij Christum confitentis*, excidere? possum dicere, quod permittitur, non est bonum. QVID NECESSE, &c. *Inducit Martyrij refugam sic secum ipso loquentem, & dicentem: quid tam mihi est necesse mori? An non possum aliter saluari, nisi Martyrium subeam? An non Christus permisit mihi fugere?* SI PLORO, *id est, & si plangam & doleam ab hac vita dulci tam citò discedere, & sic timeam persecutori me tradere, non pecco, non malè ago, bonum est fugere de ciuitate in ciuitatem; & sic vitæ suæ consulere, quia bonum est, quòd Magister bonus bonum mihi permisit.* QVOD PERMITTITVR, &c. *Iam loquitur Tertullianus, & respondet mortis timido, vitam fugacem bono Martyrij praeferenti, id quod solum permittitur, habere bonitatem valdè suspectam.* PRÆLATIO SVPERIOR, *ipso facto quod aliquid excedit in bonitate, per se ita appetibile est, vt dissuadeat ipsi inferiora sectari. Nec sufficit vt aliquid bonum sentiatur, aut non malum, quia nihil nocumenti affert, quales sunt multæ quisquiliæ, & vilia maris excrementa. Quod autem plenè & perfectè bonum est, non modò non nocet, sed & vtile prætereà est.* CERTAMEN CONTENDIT. *In omni certamine; primus locus obtineri toto conamine contenditur, quia in eo solo victoria est, iuxta Paulum:* Multi quidem currunt, sed vnus accipit brauium, sic currite vt comprehendatis. *Et rursum:* æmulamini meliora charismata. SECVNDVS SOLATIVM. *id est qui secundum locum obtinet & proximè ad primum accedit, coronam non accipit, licet aliquod habeat solatium quòd non fuerit inter postremos. In rem porro tituli, & ad mentem Tertull. cum ipso Augustino fatendum est, non omnia à Deo permissa statim bona esse censenda. Sic enim to. 3. libro de diuinatione dæmonum c. 1. cuius meminit lib. 2. retract. cap. 30.* Cùm de diuinatione dæmonum quæreretur, & affirmaretur, prædixisse nescio quem, euersionem templi Serapis, quæ in Alexandria facta est; respondi non esse mirandum; si istam euersionem templi simulachris suis imminere dæmones, & scire, & prædicare potuerũt, sicut alia multa, quantùm eis nosse & prænuntiare permittitur. Et cùm mihi referretur, non ergo malæ sunt diuinationes huiusmodi, nec Deo displicent, alioquin omnipotens & iustus ista fieri non permitteret, si mala & iniusta essent: respondi non ideò hæc videri iusta debere, quòd ea fieri sineret omnipotentissimus & iustissimus Deus: nam & alia multa

Margin: S. Aug. (beside "liùs facit. Augustinus tom. 7."); S. Aug. (beside "c. 1. cuius meminit lib. 2. retract.")

manifestissimè iniusta fieri, sicut homicidia, adulteria, furta, rapinas, & cætera huiusmodi, quæ quamuis iusto Deo, eo quòd iniusta sunt, sine dubitatione displiceant, idem tamen omnipotens ea fieri certâ iudicij sui ratione permittit: Non vtique impunè, sed ad eorum damnationem a quibus A fiunt, quæ displicent iusto. *Sed hoc locum non habet in causa secundi matrimonij, quod non solùm permittitur, vt minus malum fornicatione vel adulterio, sed vt res honesta & licita ob bonum prolis, fidei coniugalis, & sanctitatis Sacramenti, vt sit iuxta Apostolum.* Connubium honorabile in omnibus.

PERSEVERANTIA.

Perseuerantiam prædestinatorum solus Deus agnoscit. De præscr. cap. 3. circa m.

NEmo sapiens est, nisi fidelis: nemo maior, nisi Christianus, nemo autem Christianus, nisi [a] *qui ad finem vsque perseuerauerit.* Tu, vt homo, extrinsecùs vnumquemque nosti: putas quod vides: vides autem quousque oculos habes. Sed [b] *Oculi*, inquit, *Domini alti. Homo in faciem, Deus in præcordia contemplatur.* Et ideò [c] cognoscit Dominus qui sunt eius, & [d] plantam quam non plantauit pater, eradicat: & de primis nouissimos ostendit, & [e] *Ventilabrum in manu portat, ad purgandam aream suam.*

a Matth. 10. 22.
b 1. Reg. 16. 7.
c 2. Tim. 2. 19.
d Matth. 15. 13.
e Matth. 20. 16.
f Matth. 3. 12.
S. Aug.

PERSEVERANTIA. SCHOL.

NEMO SAPIENS. *quia & ipsi Philosophi, di*centes se esse sapientes stulti facti sunt. *Fideles autem*, quæ sursum sunt sapit, non quæ super terram. NEMO MAIOR. *Dictè iuxta Paulum qui de Iudæis sub lege, quasi minoribus* sub tutoribus & actoribus; *& Gentilibus, quasi* paruulis loquitur sub elementis mundi huius. *Et de seipso: cum essem* paruulus loquebar vt paruulus, cogitabam vt paruulus, sapiebam vt paruulus, factus autē vir euacuaui quæ erant paruuli: *Sic Christianus:* Occurrit in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. NEMO CHRISTIANVS. *Non quòd velit inter Christianos, & verè credentes in Christum, nullum esse reprobum, cum* multi sint vocati, pauci verò electi, *& multi non perseuerent vsque ad finem, sed quia frustrà est Christianus, qui non perseuerat.* PVTAS QVOD VIDES, *æstimas & iudicas, credis quæ cernis.* OCVLI DOMINI. 1. *Reg.* 16. 7. *vbi de prælecto David*, Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius, *Eliab scilicet filij Isai*, quoniam abieci: nec iuxta intuitum hominis ego iudico. Homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. *Septuaginta.* Non sicut inspiciet homo, aspiciet Deus: quoniam homo aspiciet in faciem, Deus autem aspiciet ad cor. OCVLI ALTI, *putat Pamelius Tertullianum pro Canonico habuisse librum quartum Esdræ, vbi cap. 4. versu 8.* Cuius oculi eleuati in superna. *Sicut & Cyprianus Epist. 74. vtitur 3. Esdræ 4. Et libro ad Demetriad. 4. Esdræ 5. vtitur & Augustinus 3. Esdræ libro 18. de Ciuit. locus autem indubius, ad quem allusisse potuit Auctor noster, est Eccli.* 23. 18. Non cognouit quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, &. profundum abyssi, & hominum corda, intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita; sic & post perfectum, *opus scilicet*, respicit omnia. COGNOSCIT DOMINVS 2. *Tim.* 2. 19. firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: cognouit Dominus qui sunt eius, *Syr. nouit Dominus qui sui sint*, & discedat ab iniquitate omnis qui nominat, *Syr. inuocat*, nomen Domini. In magna autem domo, non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. *Quem locum sic breuiter exponit Augustinus libro 20. de Ciuit. cap. 7. vbi notat Deum solum nosse qui perseuerent stantes, vel qui labantur & excidant à gratia; vbi ex Apoc. 20. de Angelo habente clauem abyssi & claudente:* Et clausit, inquit, & signauit super

S. Aug.

B eum, *draconem scilicet*, vt iam non seduceret gentes, donec finiantur mille anni. Clausit super eum, dictum est, interdixit ei ne posset exire, id est vetitum transgredi. Signauit autem, quod addidit, significasse mihi videtur quod occultum esse voluit, qui pertineant ad partem diaboli, & qui non pertineant. Hoc quippe in sæculo isto prorsus latet: quia & qui videtur stare, vtrùm sit casurus; & qui videtur iacere, vtrùm sit resurrecturus, incertum est. Ab eis autem Gentibus seducendis, huius interdicti vinculo & claustro Diabolus prohibetur atque cohibetur, quas pertinentes ad Christum seducebat anteà, vel tenebat. Has enim Deus elegit ante mundi constitutionem eruere de potestate tenebrarum, & transferre in regnum filij claritatis suæ, sicut Apostolus ait. Nam seducere illum Gentes etiam nunc, & secum trahere in æternam pœnam, sed non prædestinatas in æternam vitam, quis fidelis ignorat? nec moueat quod sæpè diabolus seducit etiam illos qui iam regenerati in Christo vias ingrediuntur Dei. Ex his in æternam damnationem neminem ille seducit. *Sic & de ouibus sibi notis, nemo, inquit, rapiet eas de manu mea.* Sic enim nouit eas Dominus vt Deus, quem nihil latet etiam futurorum: non vt homo, qui hominem ad præsens videt, si tamen videt, cuius cor non videt; qualis autem posteà sit futurus, nec seipsum videt. *Reliquam autem sententiæ partem exponit idem Augustinus tom. 7. libro 4. de Bapt. contra Donat. cap. 12. vbi citat Cyprianum lib. 4. epist. 2. ad Antonianum*, Cùm ad Antonianum scribens ostenderet ante tempus vltimæ separationis iustorum & iniquorum, nullo modo esse propter commixtionem malorum ab Ecclesiæ vnitate recedendum; vbi declarat quàm sit sanctus, & illa quam meruit martyrij claritate dignissimus ait: quantus arrogantiæ tumor est, quanta humilitatis & lenitatis obliuio, & arrogantiæ suæ quanta iactatio, vt quis audeat, aut facere se posse credat, quod nec Apostolis concessit Dominus, vt zizania à frumento putet se posse discernere, aut quasi ipsam palam ferre, & aream purgare, concessum sit; paleas conetur à tritico separare? cùmque Apostolus dicat, in domo autem magna, non solùm sunt vasa aurea, &c. Aurea & argentea vasa videatur eligere, lignea verò & fictilia contemnere, & abiicere & damnare; quando non nisi in die Domini vasa lignea diuini ardoris incendio concremantur, & fictilia ab eo cui data est

S. Aug.

ferrea virga frangantur? sic igitur arguens Cyprianus eos qui tanquam malorum consortium deuitantes, se ab vnitate dirumperant, ostendit magnam domum quam dixit Apostolus, vbi essent non solùm vasa aurea, &c. non se intellexisse nisi Ecclesiam, vbi essent boni & mali; donec in fine sicut area ventilata purgetur, &c. PLANTAM. *Matth.* 15. 13. Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur. DE PRIMIS. *Matth.* 20. 16. Erunt nouissimi primi, & primi nouissimi: multi enim sunt vocati, pauci verò electi. VENTILABRVM. *Matth.* 3. 12. Cuius ventilabrum in manu sua: & permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. *Praterieram locum vt communem, Matth.* 10. 22. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. *Quem summâ eruditione pertractauit sanctus*

S. Aug. *Pater Aug. tract.* 45. *in Io.* 10. *ex* 2. *Tim.* 2. Nouit Dominus qui sunt eius. Ipsæ sunt oues. Aliquando se ipsæ nesciunt, sed Pastor nouit eas secundùm istam prædestinationem, secundùm istam Dei præscientiam, secundùm electionem ouium ante constitutionem mundi, &c. quàm multæ oues foris, quàm multi lupi intus! & quàm multæ oues intus, & quàm multi lupi foris! quid est quod dixi; quàm multæ oues foris? quàm multi modò luxuriantur, casti futuri? quàm multi blasphemant Christum, credituri in Christum? quàm multi se inebriant, futuri sobrij? quàm multi rapiunt res alienas, donaturi suas? Veruntamen modò vocem alienam audiunt, alienos sequuntur. Item quàm multi intus laudant, blasphematuri? casti sunt, fornicaturi? sobrij sunt, se vino postea sepulturi? stant, casuri; non sunt oues: de prædestinatis enim loquimur. De his loquimur quos nouit Dominus qui sunt eius. Et tamen ipsi quamdiu rectè sapiunt, Christi vocem audiunt. Ecce audiunt ipsi, non audiunt illi, & tamen secundùm prædestinationem, non oues isti, oues illi. Adhuc manet quæstio quæ mihi interim nunc videtur ita posse dissolui. Est aliqua vox, est inquam, vox aliqua Pastoris, in qua oues non audiunt alienos, in qua non oues audiunt Christum: *id est, qua secundùm præsentem iustitiam, vel propter infidelitatem, vel propter peruersam vitam, non videntur pertinere ad numerum ouium, & tamen electæ sunt, & vocem audient, & perseuerabunt in finem.* Quæ est ista vox? qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Hanc vocem non negligit proprius, non audit alienus. Nam & ille hoc ei prædicat, *Christus per prædicatorem, illi cui non electa, licet ad tempus*

S. Aug. *fideli*; vt perseueret apud ipsum vsque in finem: sed non apud eum perseuerando, non audit hanc vocem. Venit ad Christum, audit alia & alia verba, illa & illa, omnia vera, sana omnia: inter quæ omnia, est & illa vox. Qui perseuerauerit, &c. Istam qui audierit, ouis est. Sed audiebat illam nescio quis, & desipuit, refriguit, audiuit alienam: si prædestinatus est, ad tempus errauit, in æternum non periit, redit vt audiat quod neglexerit, faciat quod audiuit. Si enim de his est qui prædestinati sunt, & errorem ipsius Deus præsciuit, & conuersionem futuram, si aberrauit, redit vt audiat vocem illam Pastoris, & sequatur dicentem, qui perseuerauerit, &c. Bona vox fratres, vera, Pastoralis, ipsa est vox salutis in tabernaculis iustorum. Nam facile est audire Christum, facile est laudare Euangelium, facile acclamare disputatori: perseuerare vsque in finem, hoc est ouium vocem Pastoris audientium. *Idem S. Doctor, to.* 7. *lib. de dono perseue-*

S. Aug. *rantiæ cap.* 1. Asserimus donum Dei esse perseuerantiam, quâ vsque in finem perseueratur in Christo: finem autem dico, quo vita ista finitur, in qua tantummodo periculum est, ne cadatur. Itaque vtrum quisque hoc munus acceperit, quamdiu hanc vitam ducit, incertum est. Si enim priusquam moriatur cadat, non perseuerasse vtique dicitur: & verissimè dicitur. Quomodo ergo perseuerantiam, qui non perseuerauit, accepisse, vel habuisse dicendus est? nam si habeat aliquis continentiam, & ab ea decidat atque incontinens fiat, si iustitiam similiter, si patientiam, si ipsam fidem, rectè dicitur habuisse, & non habere. Continens enim fuit, vel iustus fuit, vel patiens, vel fidelis fuit, quamdiu fuit: cùm verò esse desistit, non est quod fuit: qui verò non perseuerauerit, quomodo perseuerans fuit, cùm perseuerando quisque ostendat se perseuerantem, quod iste non fecit? sed ne quisquam reluctetur & dicat, si ex quo fidelis quisque factus est, vixit, verbi gratiâ decem annos, & eorum medio tempore à fide lapsus est, nonne quinque annos perseuerauit? non contendo de verbis, si & illa perseuerantia putatur esse dicenda, tanquam temporis sui: hanc certè de qua nunc agimus perseuerantiam quâ in Christo perseueratur vsque in finem, nullo modo habuisse dicendus est, qui non perseuerauerit vsque in finem: potiusque hanc habuit vnius anni fidelis, & quantùm infra cogitari potest, si donec moreretur, fideliter vixit: quàm multorum annorum, si exiguum temporis antè mortem, à fidei stabilitate

S. Aug. defecit. *Et cap.* 6. Hoc Dei donum suppliciter *id est orando obtineri potest* emereri potest: sed cùm datum fuerit, amitti contumaciter, non potest, &c. *Et cap.*

S. Aug. 7. Vt non discedamus à Deo, non ostendit dandum, esse nisi à Deo, cùm poscendum ostendit à Deo. *Qui scilicet edocti sumus dicere, ad obtinendam perseuerantiam, & ne nos inducas in tentationem*; qui enim non infertur in tentationem, non discedit à Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt: fuerat in homine antequam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis, in illius primæ conditionis præstantia quantùm valuerit, apparuit in Angelis, qui diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt, & ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certi sumus, peruenire meruerunt. Post casum autem hominis, non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad eum, neque nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, vt homo non recedat ab eo. Hanc gratiam posuit in illo quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundùm propositum eius qui vniuersa operatur, ac per hoc sicut operatur vt accedamus, sic operatur, ne discedamus. Propter quod ei per Prophetam dictum est, Psal. 79. fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis quem confirmasti tibi, & non discedimus a te. Iste certè non est Adam primus in quo discessimus ab eo: sed Adam nouissimus, super quem fit manus eius, vt non discedamus ab eo, &c. cùm ergo fit super eum manus Dei, vt non discedamus à Deo; ad nos vtique peruenit opus Dei. hoc est enim manus Dei, quoniam opere Dei fit vt simus in Christo permanentes cum Deo: non sicut in Adam discedentes à Deo. *Nec in gratia perseuerare, & hostes constanter vincere, sine Dei dono nos posse docuit Innocentius primus Ep.* 91. *ad Concil. Carthag.* Quotidiana,

S. Aug. inquit, præstat ille remedia, quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. NECESSE EST ENIM VT QVO AVXILIANTE VINCIMVS, EO ITERVM NON ADIVVANTE VINCAMVR. *Et Cælestinus* 1. *ad Episc. Gall. ep.* 2. *cap.* 6. Neminem etiam baptismatis gratiâ renouatum idoneum esse ad superandas diaboli insi-

dias, & ad extinguendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit. *Sanctus item Leo. 1. ser. 8. de Epiph.* Dicente discipulis suis Domino: sine me nihil potestis facere, dubium non est hominem bona agentem à Deo habere & effectum operis & initium voluntatis. Vnde & Apostolus copiosissimus fidelium cohortator: cum timore, inquit, & tremore vestram salutem operamini: Deus est enim qui operatur in vobis, & velle, & operari pro bona voluntate. Et hæc sanctis causa est tremendi atque metuendi: ne ipsis operibus pietatis elati deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ. *Atque ex dictis Augustini, duo iuxta titulum nostrum colligo; primò perseuerantiam, proprium esse donum prædestinatorum, secundò eam Deum solum nosse. Gratiam Dei, non tribuendam meritis, neque ut credamus, neque ut perseueremus, & tentationibus maligni spiritus resistamus, apertè probat Augustinus epistola 105.* Nec omnium, inquit, est fides qui audiunt verbum, sed quibus Deus partitur mensuram fidei: sicut nec omnia germinant quæ plantantur, & rigantur, sed quibus Deus dat incrementum. Cur autem ille credat, ille non credat, cùm ambo idem audiunt, & si miraculum in eorum conspectu fiat, ambo idem vident: altitudo est diuitiarum sapientiæ & scientiæ A Dei, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & apud quem non est iniquitas, dum cuius vult miseretur, & quem vult obdurat: neque enim propterea sunt ista iniusta, quia occulta. *Quid autem occultum esset, quid Paulo mirabile, & stupendum? quid dictu cogitatuque facilius, quàm, hunc velle credere, hunc autem nolle, si consensus Verbo Dei, vel miraculo, à solo penderet arbitrio, & non ab efficacia gratiæ, operantis velle & perficere?* Deinde post remissionem peccatorum, nisi mundatam domum habitet Spiritus sanctus, nonne cum aliis septem redit spiritus immundus, & erunt nouissima hominis illius peiora quàm erant prima? vt autem habitet, *maneat, perseueret in habitaculo suo*, Spiritus sanctus, nonne vbi vult spirat, & charitas Dei, sine qua nemo benè viuit, diffunditur in cordibus nostris, non à nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis? *Perseuerantiam donum esse proprium electorum asserit S. Isidorus Hispalensis Episc. lib. 2. sent. de Gratia cap. 5.* Plerisque, inquit, Dei dona dantur, perseuerantia verò doni non datur. Et inde est, quòd quidam principia habent conuersionis bonæ, sine verò malo clauduntur. Electi verò, & conuersionis dona accipiunt, & perseuerantiam doni. Ea ergo causa est, quòd quidam & benè incipiunt, & benè finiunt.

S. Aug. (margin)

S. Aug. (margin)

D. PETRVS APOSTOLORVM PRINCEPS.

1. *Petri in Christum filium Dei confessio laudatur à Christo, sed prædicari prohibetur vsque ad gloriam Resurrectionis. 4. cont. Marc. cap. 21. à p.*

HÆc itaque quæ viderat, Petrus, & cum pristinis compararat, & non tantùm retro facta, sed & in futurum iam tunc prophetantia recognouerat, interroganti Domino, quisnam illis videretur, quum pro omnibus responderet, [a] *Tu es Christus*: non potest non eum sensisse Christum, nisi quem nouerat in scripturis, quem iam recensebat in factis. Hoc & ipse confirmat vsque adhuc patiens, immò & silentium indicens. Si enim Petrus quidem non poterat alium eum confiteri, quàm Creatoris: Ille autem præcepit, [b] *ne cui hoc diceret*; vtique id noluit prouulgari, quod Petrus senserat. Immò, inquis, quia non rectè senserat, noluit mendacium disseminari. Sed aliam silentij causam edixit: [c] *Quia oporteret filium hominis multa pati, & reprobari à Presbyteris & Scribis & Sacerdotibus, & interfici, & post tertium diem resurgere.* Quæ quum prædicata sint & ipsa in Christum Creatoris, sicut suis locis implebimus, sic quoque ipsum se ostendit esse, in quem prædicabantur. Certè & si non essent prædicata, eam causam indicti silentij protulit quæ non Petri errorem demonstraret, obeundarum passionum necessitatem.

a Luc. 9. 20.
b Ibid. 21.
c Ibid. 22.

2. *Petrus in ectasi transfigurationis, nesciebat quid diceret, nec tamen errabat in Christo Creatoris. 4. cont. Marc. cap. 22. V. Verbum Christi Magnalia num. 6 à p.*

PETRI PRIVILEGIA, IN SCHOL.

HÆc itaque, *supple mirabilia, de quibus primò agebat; nempe quinque millia hominum pasta de panibus quinque & piscibus.* Cvm pristinis *exemplis scilicet prouidentiæ Dei Creatoris pascentis Mannâ cœlesti sexcenta millia hominum, & viduam Sareptanam modio olei & farinæ superabundante toto famis tempore. Et ex 4. Reg. 4. 42. vbi de Elisæo,* vir autem quidam venit de Baalsaliza deferens viro Dei panes primitiarum viginti panes hordeaceos, &c. *Vbi centum comederunt & superfuit iuxta verbum Domini.* Prophetantia. *Petrus comparans vetera nouis, agnouerat exempla veteris Testamenti tanquam figuras & Prophetias prædixisse miracula Christi in noua lege, vnde interrogatus à Christo discipulis, Petrus Apostolici capitis Collegij tanquam os omnium dixit illi Luc. 9. 20.* Factum est *statim scilicet post saturatas turbas* cùm solus esset orans, erant cum illo & discipuli: & interrogauit C illos dicens: quem me dicunt esse turbæ? At illi responderunt & dixerunt: Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò quia vnus Propheta de prioribus surrexit: dixit autem illis: vos autem quem me esse dicitis? respondens Simon Petrus dixit: Christum Dei. At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc, dicens; quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à Senioribus, & Principibus Sacerdotum, & Scribis, & occidi, & tertia die resurgere. *Prohibet autem, non quod erret Petrus, qui & ideo a sibi laudes accipit, & ... id à Deo Patre reuelatum, & claues regni cælorum ideo tradidit, & petram fundamentalem posuit: sed tunc prohibuit dicere, quia tunc volebat abscondere diuinitatem suam, iuxta Abacuc. 3.* Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius. *Et ideo abscondit, & tunc hominibus publicari noluit quod esset*

Christus Dei filius, in lege Creatoris figuratus in Dauid Christo Dei, & Cyro Rege Christo Dei dicto, si enim cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. *Non verò quasi errantem reprehendit, quod, vt vult Marcion, erraret in Christo, & qui alium, quàm Christum Marcionis crederet. Neque enim poterat alium cogitare Christum quàm in scripturis veteribus figuratum, quem factis & virtutibus & miraculis, iam recensebat, id est agnoscebat conferendo facta eius cum recensitis & nunciatis de eo in lege veteri.* IPSE CONFIRMAT, *Christus scilicet.* VSQVE ADHVC PATIENS, *vel intellige passibilem & mortalem; vel patienter ferentem se hominibus Sanctis comparari, Eliæ, Hieremiæ, Baptistæ, donec Petrus diceret*, tu es Christus Dei. IMMO ET SILENTIVM. *Nec, inquit, passus est talem se tum prædicari, quinimò pati volens mortem à Iudæis, voluit suam gloriam occultari.* SI ENIM PETRVS. *Quod ad Petri confessionem attinet, non poterat ipse alium Christum confiteri quam filium Dei Creatoris, quem solum venturum expectabat prædictum ex veteribus scripturis.* ILLE AVTEM *Christus scilicet* NOLVIT PROVVLGARI, *tum in vulgus spargi sublimem Petri fidem de Christo filio Dei Creatoris.* IMMO, INQVIS, *ô Marcion, dicis non ideo Christum vetuisse Petro, ne dignitatem suam prædicaret, sed ne mendacium seminaret, prædicando eum esse filium Creatoris.* SED ALIAM, *ait, Tertullianus: erias Marcion, dubium omne Christus abstulit & causam indicti silentij explicuit, dum subiecit Christus dicens; quod oporteret filium hominis pati, &c.* QVÆ CVM PRÆDICATA, *&c. quæ omnia in veteri lege prædicta de Christi passione, vt suo loco plenè probabimus, adimpleta fuerint, Christus se eundem esse filium Creatoris comprobauit, qualem Petrus confessus est, dum ait oportere hæc impleri à filio hominis tanta passuro, quia oportuit impleri scripturas; sicut & apud eundem Lucam quem solum, truncatum tamen, Marcion admittit, dixerit Christus discipulis Emmaüs Luc. 24. 25.* Ipse dixit ad eos: ô stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? & incipiens à Moyse & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant. *Transl. Syr.* Et explicabat de se, ex omnibus scripturis. EAM CAVSAM, *per appositionem subiecit, aliam non fuisse impositi silentij causam, quàm* obeundarum passionũ necessitatem. *Quod Petrus in hac confessione pro omnibus sit locutus, & pro omnibus etiam sit remuneratus clauium*

S. Aug. *potestate, sic breuiter Aug. tract. 118. in Io.* Inconsutilis *tunica scilicet de qua agebat* ne aliquando dissuatur, & ad vnum peruenit, quia in vnum omnes colligit, sicut in Apostolis cùm esset etiam ipse numerus duodenarius, id est quadripartitus in ternos, & omnes essent interrogati, solus Petrus respondit, tu es Christus filius Dei viui: & ei dicitur, tibi dabo claues, &c. tanquam ligandi & soluendi solus acceperit potestatem, cùm & illud vnus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus tanquam personam gerens ipsius vnitatis acceperit; ideo vnus pro omnibus, quia vnitas est in omnibus; *Et ser. 21. de verbis Do. in p.*

S. Aug. Ipse Petrus in Apostolorum ordine primus, in Christi amore promptissimus, sæpè vnus respondit pro omnibus. Ipse denique Domino Iesu Christo recusanti, quemnam homines dicerent eum esse, &c. Respondit Petrus, tu es Christus, &c. vnus pro multis dedit responsum, vnitas in multis. *Ad hæc pressius Aug. ad Tertulliani mentem contra Marcionem qui amputauit silentium indictum Petro, ne spargeret mendacium, de Christo vero filio Dei Creatoris. Ser. 151. de temp. circa f.* Verè plenè de suo abundat homo, mendacium omnino hic habet & thesaurum mendaciorum cor ipsum mentiatur quantùm potest, non deficit; fingat quidquid potest, mentiatur quidquid potest, &c. quando venitur ad veritatem, si verax vult esse, non erit de suo; mendax Petrus de suo. Vbi mendax? præmisit nobis Dominus passionem, & dicit, absit a te, non fiat illud. Omnis homo mendax. Vnde mendax? ipsum Dominum audi, non sapis quæ Dei sunt sed quæ sunt hominis. *Vnde & illi dixit vade post me Satana. Et quis Satanas, nisi mendax & pater eius, qui dum mendatium loquitur, ex proprio loquitur?* sed quæ sunt hominis. Verax autem Petrus quando? tu es Christus filius Dei viui. *Hinc in veteri lege præ diis mortuis, ore muto, oculo caco, pede paralitico, Deus videns & viuens voluit appellari. Et vnde toties iurabant sancti veteris legis, viuit Dominus, nisi quia præceperat Deus viuorum & non mortuorum; iurabis viuit Dominus, qui & in Deuteronom. 32. quasi iurans ipse, leuabo in cœlum manum meam, & dicam, viuo ego in æternum. Vnde aptissimè Petrus & verissimè de solo Deo vero Creatore dixit verè, tu es Christus filius Dei viui.* Quis dicit? Petrus. Quid erat Petrus? homo qui dixit verum. Certè omnis homo mendax. Ecce, ecce lingua eius, ecce lingua de lingua eius, *id est lingua hominis ex se mendacis ex homine mendaci* quomodo omnis homo mendax? Audi quia omnis homo mendax, quia de suo. Ergo vnde Petrus verax? audi ipsam veritatem; Beatus es Simon Bariona; vnde beatus? de suo? absit. quia tibi non reuelauit caro & sanguis, sed Pater meus qui in cœlis est? *Et vbi Pater Christi Marcionis, qui cœlum non habet, vti nec terram, terge & Christus Petri sensum verum confirmauit cùm Deum viuum Creatorem, Patrem suum dixit. Et ser. 31. de ver. Apost.*

S. Aug. Respondit Petrus vnus pro omnibus, quia vnitas in omnibus, tu es Christus, &c. Ecce habes confessionem veram, confessionem plenam. Iungere enim debes vtrumque, quod de se Christus, & quod de Christo Petrus. Quid de se Christus? quem me dicunt homines esse filium hominis? quid de Christo Petrus? tu es Christus, &c. Vtrumque coniunge, & venit Christus in carne. *Nota quod explicabat locum. 1. Io. 4. omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse ex Deo est.* Hoc de se Christus quod minus est, hoc de Christo Petrus

S. Aug. quod maius est. Respondit de veritate humilitas, & de humilitate veritas; hoc est de veritate Dei, humilitas; & de humilitate hominis veritas. Quem me dicunt homines, &c. dico ego quod factus sum propter vos; dic tu Petre quis est qui fecit vos? &c. dicat nunc Arianus verum confiteatur Christum in carne venisse? si filium Dei confitetur in carne venisse, Christum confitetur in carne venisse. Si filium Dei negat Christum nescit Christum: alium pro alio dicit, non ipsum dicit. Quid est enim filius Dei &c. Ecce filius Dei, in principio erat Verbum, &c. quid dicis Ariane? in principio, sicut dicit Genesis, fecit Deus cœlum & terram: tu autem dicis in principio fecit Deus Verbum. Factum enim dicis Verbum, creaturam dicis Verbum, &c. Sed Euangelista dicit, in principio erat Verbum. Et ideo in principio fecit Deus *id est in filio* cœlum & terram, quia erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt. *Marcion ergo nec Deum nec Christum nouit, carnem enim eius veram negat, vt & filium Dei viui, qui creauit cœlum & terram, in principio, id est filio & Verbo suo, non agnoscit.*

3. Petro nomen mutatum est, vt veræ Petræ conformetur. 4. cont. Marc. cap. 13. in m.

MVtat & Petro nomen de Simone; quia & Creator Abrahæ, & Saræ, & Auseæ nomina reformauit, hunc vocando Iesum, illis syllabas adiiciendo. Sed & cur Petrum? Si ob vigorem fidei, multæ materiæ, solidæque nomen de suo accommodarent. An quia & petra & lapis Christus? Siquidem & legimus positum eum in lapidem offendiculi, & in petram scandali. Omitto cætera. Itaque adfectauit carissimo discipulorum de figuris suis peculiariter nomen communicare, puto propiùs quàm de non suis.

Gen. 17. 15. Num. 13. 17. 1. Pet. 4 & 8. & Esa. 8. 14.

PETRI PRIVILEGIA. 3. SCHOL.

QVIA ET CREATOR. *Vt confirmet Christum filium Dei Creatoris, dicit eum imitatum esse Patrem suum, qui vt in veteri lege mutauit nomen Abrahæ & Saræ, sic & Christus Petro. Gen. 17 5.* Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram: sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum Gentium constitui te. *Et versu 15.* Dixit quoque Deus ad Abraham: Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram. AVSEÆ. *Num. 13. 17.* Hæc sunt nomina virorum quos misit Moyses ad considerandam terram: vocauitque Osee filium Nun, Iosue. *70. verò:* Et cognominauit Moyses Ause filium Nun, Iesum. MVLTÆ MATERIÆ, *æs, aurum, argentum, &c.* DE SVO *suâ proprietate.* AN QVIA ET PETRA. *Esa. 8. 14.* Et erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis & in petram scandali duabus domibus Israel. *70.* Erit tibi in sanctificationem, & non vt lapidi offensionis occurretis, neque vt Petræ ruinæ; domus autem Iacob in laqueo. *Et 1. Petri 2 4.* Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum, &c. *Et versu 6. 7. & 8.* Propter quod continet scriptura *Esa. 28 16.* Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum pretiosum; & qui crediderit in eum, non confundetur. Vobis igitur honor credentibus, non credentibus autem lapis quem non crediderunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: & lapis offensionis, & petra scandali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt. *Transtat. Syr.* Lapis est offendiculi, aut Petra in quam impingitur, & offendunt ad eam, quòd non acquiescant sermoni in quem positi sunt. ADFECTAVIT CARISSIMO. *Magnum Petri priuilegium, cui vt carissimo, qui corda nouerat hominum, ait;* Simon Ioannis diligis me plus his? *videtur cum adfectatione, id est affectu præcellenti, nomen suum & figuratiuam appellationem applicare, tanquam sibi simili per affectum, & fratri post obitum sponsam suam Ecclesiam ducenti & sustinenti.* DE FIGVRIS SVIS, *in suo veteri Testamento delineatis, in Petra deserti, fluente mel & lac, petra angulari, &c.* PVTO PROPIVS. *Aptiùs & propiùs tam propinquo amicitia, de propinquis & propriis figuris suis, de lege sua veteri sumptis; vt hîc pungat Marcionem, cuius Christus de longinquo, & de re non sibi propria, nec à se facta, & lege, & petra ipsa quàm miser & pauper Deus Marcionis non habebat suam, sed mutuatam à Creatore figuram accepisset, tam sibi, quàm suo carissimo Petro. Mutationem nominis Simonis in Petrum narrat Ioannes 1. 42. vbi de adducto Petro per Andream ad Iesum, sic:* Adduxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum Iesus dixit, tu es Simon filius Ionæ, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. *Transtat. Syr.* Tu es Schemoun filius Iauna, id est columbæ; tu vocaberis Kipho, id est Petra. *Aug. tract. 7. in hunc locum:* non magnum quia Dominus dixit cuius filius esset iste. Quid magnum Domino? omnia nomina Sanctorum suorum sciebat, quos ante constitutionem

S. Aug.

mundi prædestinauit: & miraris quia dixit vni homini tu es filius illius, & tu vocaberis illud? magnum, quia mutauit ei nomen, & fecit de Simone Petrum. Petrus autem à petra, petra verò Ecclesia. Et quis securus, nisi qui ædificat supra petram? &c. Intentum te fecit. Nam si hoc antè Petrus vocaretur, non ita videres mysterium petræ, & putares casu eum sic vocari, non prouidentiâ Dei. Ideo voluit eum aliud priùs vocari, vt ex ipsa commutatione nominis, Sacramenti viuacitas commendaretur. *Et ser. 21. de ver. Do. à p.* Deinde addidit, & ego dico tibi, tanquam diceret, quia tu dixisti mihi, tu es Christus filius Dei viui: & ego tibi, tu es Petrus, Simon quippe antea vocabatur. Hoc autem nomen ei à Domino impositum est, & hoc vt eâ figurâ significaret Ecclesiam. Quia enim Christus Petra, Petrus populus Christianus. Petra enim principale nomen est, ideo Petrus à petra, non petra à Petro, Quomodo non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus & super hanc petrā quam confessus es super hanc petram quam cognouisti, dicens, tu es Christus, &c. ædificabo Ecclesiam meam, id est super meipsum filium Dei viui, ædificabo Ecclesiam meam. Super me ædificabo te, non me super te. Nam volentes homines ædificare super homines, dicebant; ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ipse est Petrus. Et alij qui nolebant ædificare super Petrum, sed super Petram, ego autem sum Christi. Apostolus autem Paulus vbi cognouit se eligi & Christum contemni, diuisus est, inquit, Christus? Numquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? quomodo non in Pauli, sic nec in Petri? sed in nomine Christi, vt Petrus ædificaretur super petram, & non petra super Petrum. Idem ergo Petrus à petra cognominatus Beatus, Ecclesiæ figuram portans, Apostolatus principatum tenens, &c. timuit ne perderet morientem, quem confessus fuerat vitæ fontem, &c. In illo ergo, vno Apostolo, id est Petro, in ordine Apostolorum primo & præcipuo, in quo figurabatur Ecclesia, vtrumque genus significandum fuit, id est firmi & infirmi, quia sine vtroque non est Ecclesia. *Quando autem hoc nomen sit impositum, notat Augustinus lib. 2. de consensu Euangelist. cap. 17. vbi ex Matth. 18. de Christo dicente Petro, tu es Petrus, & super hanc petram, &c.* Neque hoc nomen tunc accepisse intelligendus est, sed tunc potiùs quando ei Ioannes dictum esse commemorat, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus: vt eum hoc nomine posteà appellaret Dominus dicens, tu es Petrus. Non enim ait, tu vocaberis Petrus, sed tu es Petrus: quod ei iam dictum erat antea, tu vocaberis. *Et eodem lib. 2. cap. 13. idem notat, ex Marc. 3.* Hoc, inquit, recolendo dixit *de filiis tonitrui, & Petro loquens* non quod tunc factum sit. *Quod & repetit lib. 4. de consensu cap. 3.*

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

4. *Petrus doctissimus; & præ cunctis Apostolis auctus donis. De Præscr. cap. 22. circa m.*

Matth. 16.18.19. LAtuit aliquid Petrum, ædificandæ Ecclesiæ petram dictum, claues regni cœlorum consecutum, & soluendi, & alligandi in cœlis, & in terris potestatem?

PETRI PRIVILEGIA. 4. SCHOL.

LATVIT ALIQVID, &c. *Duabus lineis tria Petri privilegia complexus est. Primò scientiæ plenitudinem, quâ nihil eum latuit, cui Pater cœlestis arcanum suum & thesaurum cordis reuelauit, dum æternam Verbi generationem eum docuit, vt diceret primus,* Tu es Christus filius Dei viui. *Vide in hanc rem dicta suprà numero primo, & dicenda numero 6. ex Augustino. Secundum est, quod petra sit dictus, de quo supra num. 3. Tertium tandem est potestas clauium, & ligandi atque soluendi authoritas. Aug. ser. 29. de Sanctis:* hic est B. S. Aug. Petrus in illa cœlestium Discipulorum Schola præcipuus, ac primus idoneus, qui verba vitæ ex Christi ore suscipiens, per Euangelij potestatem, Iudæorum gentem perditam quæreret, & abdicatos ad hæreditatem vocaret; interpres legis, assertor gratiæ, destructor Synagogæ, Ecclesiæ reparator: & ideo solus inter Apostolos meruit audire, Amen dico tibi quia tu es Petrus, &c. dignus certè qui ædificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clauis ad regnum. S. Aug. *Et tract. 124. in Io. 21.* Ecclesiæ Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui primatum gerebat figuratâ generalitate personam. Quòd enim ad ipsum propriè pertinet, naturâ vnus homo erat, gratiâ vnus Christianus, abũdantiore gratiâ vnus idemque primus Apostolus: sed quando ei dictum est tibi dabo claues, &c. vniuersam significabat Ecclesiam, quæ in hoc sæculo diuersis tentationibus velut imbribus, fluminibus, tempestatibusque quatitur, & non cadit, quoniam fundata est supra petram, vnde & Petrus nomen accepit, &c. Ideo quippe ait Dominus, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quia dixerat Petrus, tu es Christus filius Dei viui. Super hanc ergo, inquit, petram quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim erat Christus; super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. *1. Cor. 3.* Ecclesia ergo quæ fundatur in Christo, claues ab eo regni cœlorum accepit in Petro, id est potestatem ligandi, soluendique peccata: quod enim est per proprietatem, in Christo Ecclesia, hoc est per significationem Petrus in petra: quâ significatione intelligitur Christus petra, Petrus Ecclesia. Hæc igitur Ecclesia quam significabat Petrus, quamdiu de- A git in malis, amando & sequendo Christum, liberatur à malis: Magis autem sequitur in eis qui certant pro veritate vsque ad mortem: sed vniuersitati dicitur, sequere me: pro qua vniuersitate passus est, Christus, de quo dicit idem Petrus 1. 2. Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exẽplum, vt sequamur vestigia eius: ecce propter quod ei dictum est, sequere me. *Ex dictis patet quanta sit gloria Petri, quámque sit Christo carus & similis, in nomine petra, in significatione totius Ecclesiæ: sicut enim sæpius dixit Augustinus Christum Ecclesiæ caput sæpè in scriptura repræsentare corpus suum quod est Ecclesia, similiter & de Petro dixit. Quò etiam pro tota Ecclesia claues recepit, & perfectiores in eo repræsentauit, dum Christum in cruce patiens secutus & imitatus est, de quo sequenti Scholio. Aug. ser. 27. de Sanctis qui est tertius in festo Apostolorum Petri &* B *Pauli in principio: vbi de clauibus regni cœlestis vtrique datis eleganter loquitur:* Cùm omnes beati Apostoli S. Aug. parem gratiam apud Dominum sanctitatis obtineant, nescio quo tamen pacto Petrus & Paulus videntur præ cæteris peculiari quadam in Saluatorem fidei virtute præcellere. Quod quidem ex ipsius Domini iudicio possumus approbare. Nam Petro sicut bono dispensatori clauem regni cœlestis dedit: Paulo tanquam idoneo Doctori Gentium, magisterium Ecclesiasticæ instructionis iniunxit. Scilicet vt quos iste erudierit ad fidem, ille suscipiat ad salutem: vt quorum corda Paulus patefecerit doctrinâ verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna cœlorum. Clauem enim quodammodo à Christo scientiæ & Paulus accepit. Clauis enim di- C cenda est, quâ ad fidem pectorum dura reserantur, mentium secreta panduntur, & quidquid intrinsecus tenetur clausum, in palam rationabili manifestatione producitur. Clauis inquam est, quæ & conscientiam ad confessionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatem mysterij salutaris *id est Sacramenti pœnitentiæ gratiam conferentis* includit. Ambo igitur claues à Domino perceperunt; scientiæ iste, ille potentiæ. Diuitias immortalitatis ille dispensat, scientiæ thesauros ille largitur. *Propriè tamen Petro, dictum est à Christo:* tibi dabo claues regni cœlorum, *& vtramque accepit tam scientiæ quam potentiæ. De primatu potentiæ nemo ambigit. De scientiæ plenitudine hic Tertullianus attestatur dum ait:* Latuit aliquid Petrum? *quod scilicet nihil tam clausum quod non aperuerit.*

5. *Petrus non fuit inferior Paulo in scientia, æqualis ei in Martyrio: & quælibet reuelationes, sunt fide Petri inferiores. De Præscr. cap. 24. in m.*

VIderint qui de Apostolis iudicant. Benè quod Petrus Paulo & in martyrio adæquatur. Sed etsi [a] *in tertium vsque cœlum ereptus Paulus, & in paradisum delatus audiit quædam illic,* non possunt videri fuisse, quæ illum in aliam doctrinam instructiorem præstarent, cùm ita fuerit conditio eorum, *vt nulli hominum proderentur.* Quòd si ad alicuius conscientiam manauit nescio quid illud, & hoc se aliqua hæresis sequi affirmat, aut Paulus secreti proditi reus est, aut & alius posteà in paradisum ereptus debet ostendi, cui permissum sit eloqui, quæ Paulo mutire non licuit. *V. Ecclesia. 9.*

a 2. Cor. 12. 4. & seq.

PETRI PRIVILEGIA. 5. SCHOL.

VIDERINT. *Agebat priùs de Paulo arguente Petrum, de quo fusissimè suprà; vnde hæretici iudicabant de Apostolis, & Petrum ignorasse dicebant quæ à Paulo discere oportuerit. Sed quamquam Paulus raptus in tertium cœlum & ereptus ad tempus ab hominum aspectu, audierit arcana, non tamen ibi didicit doctrinam contrariam*

contrariam in materia fidei, doctrinæ, quam Petrus docuit; nec instructior inde rediit, quo doceret Ecclesiam; cùm audierit in Paradiso secreta sub conditione ea non reuelandi. Quòd si aliquid de huiusmodi arcanis alicui Paulus reuelauit, ipso facto secreti violati reum se præstitit; vel si quis hæreticus pro sua secta stabilienda iactat se id sequi & amplecti, quòd Paulus in huiusmodi raptu didicit, probet se etiam in cœlum raptum, & permissionem se accepisse à Deo audacter prædicandi doctrinam, de qua nec verbum quidem Paulo mussitare licuit: probet item se plusquam hominem esse, cùm dixerit Paulus: quæ non licet homini loqui. *Sed esto, inquit Tertull. habeat hoc Paulus raptus in cælum priuilegiū, nihil hoc facit ad Ecclesiæ instructionem, cuius caput & Princeps est Petrus. Primum Ierusalem mysticæ fundamentum post Christum, cui & Pater reuelauit altissimum fidei mysterium. Sed cùm Paulus supereminentem dixerit scientiæ charitatem, quâ maiorem nemo habet, quàm qui ponit animam pro amico, quid, vel ipse Paulus iactet maiorem habere se Petro audacter dicenti:* Domine tu nosti corda, quia amo te, & animam meam pono pro te. MARTYRIO ADÆQVATVR. *Non tantùm Paulo, sed & Christo. De vtroque accipe Augustinum serm. in Vigilia S. Petri:* Resurgendo Christus abstulit mortis timorem: & quoniam abstulerat mortis timorem, meritò interrogabat Petri amorem. Ter negauerat timor, ter confessus est amor. Trinitas negationis desertio veritatis: trinitas confessionis, testimonium dilectionis. *De duobus simul, sic ser. 4.* Currunt vterque ad palmam Martyrij, & vterque perueniunt ad coronam: non quidem eodem temporis cursu, sed eodem anni vertentis occursu. Petrus pro Christo capite deorsum verso in ligno suspenditur; Paulus pro Christo gladio trucidatur. Ille propriis gressibus proficiscebatur ad Christum, oculisque superiora respiciens, B. spiritum deducebat ad cœlum; iste ceruicem curuat ad pœnam; & offerebat ceruicem capitis ad coronam. Petrum Crux necat, Paulum gladius immolat. Duo genera suppliciorum Domini & Christi, in duobus Apostolis Christi. Petrus patitur crucem, Paulus sentit pugionem. Piscatorem suspendit hamus crucis, persecutorem mucro minuit persecutoris. Nunc ad memoriam *templa sic dicta, quòd memoria Martyrum in eis colebatur,* piscatoris flectuntur genua Imperatoris. Ibi radiant gemmæ diadematis, vbi fulgent beneficia piscatoris. Ex piscatore fecit Dominus Apostolorum Principem: ex persecutore fecit Apostolicum Confessorem. Præstitit Passio socios, quos fecerat fidei prædicatio copulatos. Veneremur ergo Principes gregis nostri, si volumus caulas intrare Pastoris. *De singulari autem Petri passione, ser. 5. de Apostolis Petro & Paulo in fin.* Fœlicia vincula, quæ reum suum vsque ad Christi Crucem non tam condemnatura, quàm consecratura miserunt. In illa itaque cruce imitari metuens sacrificium Redemptoris, capite in terra demergi elegit. O virtus humilitatis ingenitæ, honorari etiam supplicij genere pertimescit, & qui non recusat Dominici tormenta patibuli, similitudinem expauescit triumphi! *De vtriusque Apostoli Martyrio, vide infrà numero 8. vbi eadem die passos & pariter, id est simul ad Christum peruenisse narrat. Aduertendum est iuxta Baronium, anno Christi 69. Prudentium in hymno, Aratorem lib. 2 in Acta Apost. & Aug. ser. 28. de Sanctis, scripsisse Apostolorum principes non vno eodemque die, sed anni vertentis occursu passos: Caium autem antiquum Theologum, Dionysium Corinthium Episcopum, Eusebium in Chron. Epiphanium hæresi 27. Hieronymum de Script. Eccles. Maximum ser. de S. Petro. Cassiodorum in Chron. Martyrol. Roman. Menologium Græc. eodem prorsus anno & die. Diuersa autem opinio vulgata fuit à quibusdam hæreticis, vt testatur Concilium Romanum sub Damaso; quod continet Cresconiana Collectio; post canonem de libris apocryphis. Quod & repetit Gelasius in Decreto Concilij septuaginta Episcoporum. Ad S. Augustinum quod attinet, certissimè nil dum hæc scriberet, adhuc audierat de Concilio Romano sub Damaso. Cæterùm infrà numero 8. bis ait, eodem die & anno passos Apostolos.*

S. Aug. S. Aug. S. Aug.

* 6. *Petri Priuilegia & miracula. De pudic. cap. 21. in med.*

IN ipso Ecclesia extructa est, id est per ipsum; ipse clauem imbuit; vide quam [a] *Viri Israëlitæ, auribus mandare quæ dico: Iesum Nazarenum virum à Deo vobis destinatum,* & reliqua. Ipse denique primus in Christi Baptismo reserauit aditum cœlestis regni, quo soluuntur alligata retrò delicta, & alligantur quæ non fuerint soluta, secundùm veram salutem; & Ananiam vinxit vinculo mortis, & debilem pedibus absoluit vitio valetudinis. Sed & in illa disceptatione custodiendæ necne legis, primus omnium Petrus Spiritu instinctus, & de nationum vocatione præfatus, [b] *Et nunc, inquit, cur tentastis Dominum de imponendo iugo fratribus, quod neque nos, neque patres nostri sufferre valuerunt? Sed enim per gratiam Iesu credimus nos salutem consecuturos sicut & illi.* Hæc sententia, & soluit quæ omissa sunt legis, & alligauit quæ reseruata sunt.

Matth. 16. 18. 19. a Act. 2. 22. Act. 5. 5. b Act. 15. 10.

PETRI PRIVILEGIA. 6. SCHOL.

ID EST PER IPSVM. *Locus hic ad mentem Tertulliani erroneam, totus corruptus est; Nouatianus enim iam erat, nec volebat Petro vel Ecclesiæ claues datas ad remissionem peccati post Baptismum, sed in Baptismo, & miraculorum, aut veteris legis oneribus absoluendi potestate. Ait ergo non tam in Petro siue eius fide, quam per eius ministerium. & prædicationem & miracula fundatam esse Ecclesiam, nec aliam clauem, siue potestatem imbuisse, id est accepisse, quàm, quâ aures Israelitarum aperiret fidei Christi, quâ Baptismum prædicaret, & daret; quo omnia ante ipsum commissa soluerentur, vel Baptismo negato ligarentur, ad veram animæ salutem tribuendam baptizatis, vel interclusam illotis. Item hanc clauem esse miraculorum, quâ & morti addixit Ananiam, & Saphiram, & claudi pedes soluit, quâ denique & ex veteri lege quædam adhuc obseruanda, alia dimittenda constituit. Quia tamen & in bonum sensum hæc verti possunt ad priuilegia Petri, hic retinui cum Antidoto præmonitionis.* VIRI ISRAELITÆ. *Act. 2. 22.* Viri Israëlitæ, audite verba hæc, Iesum Nazarenum, virum approbatum à Deo in vobis, *Syr. qui à Deo apparuit apud vos,* virtutibus & prodigiis, & signis quæ fecit Deus per illum in medio vestri sicut & vos scitis: hunc definito consilio & præscientiâ Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis, &c. His autem auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos, quid faciemus, viri fratres? Petrus vero ad illos: Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm in

nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum: & accipietis donum Spiritus sancti, &c. Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt, *Syr. & quidam ex eis promptè exceperunt sermonem eius, credideruntque*, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia. VITIO VALETVDINIS. *Morbo valetudinem corrumpente. Pulchrè Augustinus sermone 78. de diuers. stabilitos pedes claudi ab Ecclesia petra sic digerit.* Beata planè largitas quæ petenti argentum quidem non contulit, sed contulit sanitatem. Beata largitas quæ de thesauris aurum non protulit, sed protulit medicinam. Beatus & ille claudus, qui dum stipem quærit pecuniæ, diuitias incolumitatis accepit. Hoc enim ab Apostolis donum meruit, quod nullis thesauris à Medicis redimere potuisset. Primum ergo signum mirabile, quod B. Apostolus Petrus fecit, claudo pedum restituendo, vt diximus, vestigia, &c. Si ergo Petrus petra est, supra quam ædificatur Ecclesia, rectè priùs pedes sanat: vt sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet. Rectè, inquam, in Christiano primùm pedes curat, vt iam non trepidus quis nec imbecillis possit supra petram Ecclesiæ stare, sed robustus & fortis incedere. *Serm. autem 14 de diuersis & homil. 4 ex 50. sic ei aptat versum Psalmi:* Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me. *vbi sic Petri plura priuilegia describit.* Impleuit sine dubio bonitatis ac disciplinæ istius formam beatus Petrus, cùm sicut verè bonus oblatos sibi dicitur curasse infirmos, & vt disciplinæ cœlestis amator, iustâ vltione punisse mendaces perhibetur: nimirùm bonitatis eius gratiam testatur Æneas ille debilis; qui claudus ab infantia sedens in porta templi Domini, atque mendicans in nomine Christi

S. Aug.

S. Aug.

A Iesu, Apostoli curantis imperio, antiquam accepit sanitatem. *Nescio quo sensu, nisi quòd peccati Originalis merito morbi defectúsque venerunt, antè quod, & sine quo, antiquam & primæuam in Adam omnes homines habebant, & habituri erant sanitatem. Nam de hoc dicitur Actor. 3. 2. & quidam vir qui erat claudus ex vtero matris suæ baiulabatur, &c.* probauerunt, & disciplinæ eius seueritatem Ananias & Saphira, qui distrahentes agrum quem vendere nemo cogebat, dum de pretij quantitate mentiuntur Apostolo, mortem sibi falsitate mercati sunt. Quo facto edocuit gloriosissimus Petrus, inesse sibi bonitatem & disciplinam, dum remedium præstat infirmo, & competentem sumit de mendacibus vltionem, quod eum rectè sanctéque fecisse cœlestis Iudicij consensus ostendit. De perfectione verò scientiæ eius quis ambigat, qui Christum Dominum viui Dei filium esse, de cœlo sibi reuelante Patre cognouit? & B quia bonitas ac disciplina, scientiáque non deerat, pascendas illi Dominus suas commendauit ouiculas. *Tum in fine ad has virtutes hortatur.* Si futuri Iudicij scientia cor tuum mentémque repleuerit, habebis in moribus tuis disciplinam. Rursus, Si disciplinæ ipsius mensuram, regulámque seruaueris, congruam tenebis in omnibus bonitatem: quia bonitas est temperamentum disciplinæ, & disciplina condimentū est bonitatis. Caue ergo, frater, ne ita velis bonus videri, vt abiicias disciplinam: aut ita arduam secteris disciplinam, vt remoueas bonitatem. Quibus idcirco beatus Dauid scientiam precatur adiungi, vt directo mentis nostræ iudicio, scire possimus, qualiter in nobis esse possit, & districtior bonitas, & blandior disciplina. *Et hac aptissime in priuilegia B. Petri, eiúsque virtutum exempla sectanda, qui supersunt hoc loco Scripturæ loci alibi sunt expositi.* S. Aug.

7. Petrus Romæ in Tyberi baptizauit. De Bapt. cap. 4. V. Baptismi materia.

8. Petrus & Paulus ciues Romani nobiles, effuso sanguine facti sunt. Scorp. 15. à princ.

QVòd Petrus cęditur, quòd Stephanus opprimitur, quòd Iacobus immolatur quòd Paulus distrahitur, ipsorum sanguine scripta sunt Et si fidem Commentarij voluerit hæreticus, instrumenta Imperij loquentur, vt lapides Ierusalem. Vitas Cæsarum legimus, Io. 21. 18. orientem fidem Romæ primus Nero cruentauit. Tunc Petrus ab altero cingitur, quum cruci adstringitur. Tunc Paulus ciuitatis Romanæ consequitur natiuitatem, quum illic martyrij renascitur generositate.

PETRI PRIVILEGIA. 8. SCHOL.

QVòd PETRVS CÆDITVR, *occiditur.* OPPRIMITVR, *lapidibus.* IMMOLATVR, *quia in templo Iacobus vt victima Deo gratissima immolatus.* PAVLVS DISTRAHITVR, *hinc inde raptatus, & tandem capite à corpore distracto, gladio cæsus.* SI FIDEM COMMENTARII, *&c. Si Gnosticus cautionem, velis quâ fides adhibeatur libro Actuum Apostolorum, in quo hæc martyria scripta sunt, legat Annales Romanos, in quibus Christianorum sanguis fusus legitur. Nero enim recenter exortam fidem Romæ persecutus est, vbi Petrus impleuit prophetiam Christi, cinctus & vinctus, extendens manus in Cruce, & Paulus qui natum se Romanum ciuem dixerat, quòd à Tarso vrbe ciuilitate Romanâ donatâ, natus esset, longè nobiliori iure sanguinis effusi pro Christo nobilitate consecratus est. Præter iam dicta verbo* Martyrium *16. de Petro & Paulo, hæc accipe, Lector ab Augustino* S. Aug. *de vtriusque Apostoli Martyrio sermone septuagesimo octauo de diuersis:* Exitus eorum de hoc sæculo, quàm beatus fuerit, nemo qui ignoret. Nam prima hæc in illis beatitudo est, quòd ambo vnâ die passi esse noscuntur, scilicet vt quos vna fides

C seruitio deuinxerat, vna dies Martyrio coronaret. Deinde ipsa passio licèt diuersa in singulis fuerit, tamen quanta referta est gratiæ sanctitate? Nam Petrus crucem, sicut Saluator in exitu pertulit, & Dominicæ deuotionis simili morte discerptus est: scilicet vt quem imitabatur fide, imitaretur & passione. De Pauli verò ceruice, cùm eam persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis vnda, quàm sanguinis. *Aduerte Tertullianum suprà dixisse scripta Martyria ipsorum sanguine, sed & flagellatus Paulus sanguinem fudit, & sine miraculo capite cæsus cruorem effudisset*, & mirum in modum sanctum Apostolum Baptismi gratiâ, *id est Martyrij, de quo Christus, Baptismo habeo baptizari*, in ipsa nece fecit splendidum potiùs, quàm cruentum. Quæ quidem res in sancto Paulo stupenda non est. Quid enim mirum si abundat lacte nutritor Ecclesiæ? sicut ipse ad Corinthios ait; Lac vobis potum dedi, non escam. Hæc est planè repromissionis illa terra, quam Patribus nostris promisit Deus dicens: Dabo vobis terram lacte & melle manantem, &c.

quæ enim Pauli Epistola, non melle dulcior, non lacte candidior? quæ Epistolæ tanquam vbera Ecclesiarum populos enutriunt ad salutem. *Duo sponsæ vbera duo sunt Principes Apostolorum*; Meliora vtique vino fragrantia vnguentis optimis, *Petrus sic hortatur suos filios*: quasi modò geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite, vt cum eo crescatis in salutem. *Idem Augustinus sermone 27. de Sanctis.* Puto illos æquales esse meritis, quia æqua-
S. Aug. les sunt passione, & simili eos deuotione vixisse, quos simul videmus ad Martyrij gloriam peruenisse. Non enim sine causa factum putemus, quòd vnâ die, vno in loco, Tyranni vnius tolerauere sententiam. Vnâ die passi sunt, vt ad Christum pariter peruenirent: vno in loco, ne alteri Roma deesset. *pro throno & theatro gloriæ*, sub vno persecutore, vt æqualis crudelitas vtrumque constringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, persecutor de- A cretus est pro virtute, & in quo tandem loco Martyrium pertulerunt sancti Apostoli? In vrbe Roma quæ principatum tenebat, & caput obtinet Nationum. Scilicet vt vbi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis: & vbi Gentium Principes habitabant, illic Ecclesiarum moraretur, *addam & morerentur*, Principes. Cuius autem meriti sint beatissimi Petrus & Paulus, hinc possumus intelligere, quòd cùm Dominus Orientis regionem propriâ illustrauerat passione; Occidentis plagam, ne quid minùs esset, vice sui, Apostolorum sanguine illuminare dignatus est. Et licèt illius Passio nobis sufficiat ad salutem, tamen etiam horum Martyrium nobis contulit ad exemplum. *Et to. 4. l. 1. de consensu Euang.* Merita Petri & Pauli etiam propter eandem passionis diem, celebriùs & solemniùs Roma commendat.

APPENDIX EX PATRIBVS, de S. Petri Priuilegiis.

Si duodecim Patriarchæ, duodecim Apostolorum sunt figuræ, benedictio Rubem primogenitus Iacob, sancti Petri benedictionem in hoc delineauit, quòd sicut de Rubem, ita de Petro dixerit Christus, Genes. 49. 3. Rubem primogenitus meus, tu fortitudo mea & principium doloris mei: prior in donis, maior in imperio. *Et quidem si Christi dolores in cruce parturientis electos, in præscientia Dei, in quo electi sumus, Sanctos tantò prouexerunt altiùs, quò decretum Dei ad altiora eos munera destinauit; post beatissimam Virginem Deiparam*, primogenitam omnis creaturæ, *Petrus electorum primogenitus Christi, & principium doloris eius meruit appellari. Sanctes Paginnus aliter ex Hebræo transtulit:* Principium roboris mei: excellentia, dignitas, & excellentia fortis. *Et quidem quòd sit primogenitus Apostolici Collegij, licèt Paulus Galat. 2. 9. Iacobum nominet ante Petrum, scribens:* Iacobus, Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse: *Hoc loco tamen Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus in suis Commentariis, Petrum primum nominant. Et D. Thomas cum Anselmo notat primum Iacobum positum, quòd loci Episcopus esset. Ipse tamen præmiserat ad Galat. 1. 18. non Iacobi Episcopi Ierosolymitani, sed Petri primogeniti videndi causâ.* Post annos tres, inquit, ascendi Ierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum dies quindecim. *Inde est quòd ab omnibus 4. Euangelistis, Matth. 10. 2. vbi series Apostolorum texitur*, Duodecim Apostolorum nomina sunt hæc: primus Simon, qui dicitur Petrus. *Marc. 14. & seq.* Fecit vt essent, *Syr. delegit.* duodecim cum illo, &c. & imposuit Simoni nomen Petrus. *Syr. Kypho. Ita Luc. 6. 14. & Ioan. 1. 42. cuius prærogatiuæ gratia, vt notat Epiphanius hæresi 51. non petitur ab ætate, vel vocationis ordine. cùm in vtroque Andreas præcelleret, nec à sanctitate, cùm Iacobus minor, & frater Domini, & iustus sit dictus: Nec ex speciali dilectione, cùm Ioannes Euangelista sit*, Discipulus quem diligebat Iesus. *Nec aliquo casu, sed Spiritu sancto dictante, semper nominatus est primus.*

S. Aug. *Augustinus tractatu 124. & vltimo in Ioan. 21.* Ecclesiæ, inquit, Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui primatum, gerebat figuratâ generalitate personam. Quod enim ad ipsum propriè pertinet, naturâ vnus homo erat, gratiâ vnus Christianus, abundantiore gratiâ vnus idemque primus Apostolorum.

Itaque vocatus est Petrus, siue Cephas, quod nomen Græcis caput est, Syriacis petra. Vnde Optatus Mileuitanus libro secundo contra Parmenianum. Igitur, B inquit, negare non potes, scire te in vrbe Roma Petro Cathedram Episcopalem esse collocatam, in qua sederet omnium Apostolorum caput Petrus: vnde & Cephas appellatus est; in quâ vnâ Cathedrâ vnitas ab omnibus obseruaretur. *Hieronymus pariter in cap. 2. ad Galat.* Non quòd aliud significet Petrus, aliud Cephas: sed quòd quem nos Latinè & Græcè Petrum vocamus, hunc Hebræi, & Syri, propter linguæ inter se viciniam, Cepham nuncupant. *De Petro capite suo, Sponsa Canticorum 5.* Caput eius aurum optimum. *Quem locum sic exponit Ambrosius Octon. 15. in Psalmum 118.* Caput eius aurum Cephas. *Vnde & Aquila petram aurum dixit: Symmachus* lapidem aurum, quod significat stabilem, eminentémque sapientiam. *Præcesserat Dionysius Areopagita de diuinis Nominibus, cap. 3. vocans Petrum* Supremum, & maximè venerandum C Theologorum verticem. *Chrysostomus in Psal. 50.* Chori Apostolorum caput. *Chrysologus sermone 154.* Qui Apostolici Chori tenet principatum. *Ambrosius sermone 66.* Caput sanctitatis. *Nazianzenus orat. 9.* Discipulorum omnium charissimum. *Isidorus Pelus.* Apostolici sodalitij Coryphæum. *Theodorus Studita epistolâ ad Leonem*, Omnium capitum caput.

Nec tantùm caput est, sed & post caput anguli Christum, petra, & vt eum Chrysostomus vocat homil. 2. in Psalm. 50. Fidei basis, fortis & robusta Ecclesiæ columna, *Et homil. 4. de verbis Esa.* In qua firmioribus, quàm cœlum ipsum, radicibus defixa hæret. *Et rectè quidem, cùm enim dixerit Christus:* Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt: *Petro dixit:* Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: *Et Augustinus tract.* S. Aug.
D *124. in Ioan. 21.* Petrus vniuersam significabat Ecclesiam, quæ in hoc sæculo diuersis tentationibus; velut imbribus, fluminibus, tempestatibúsque quatitur, & non cadit, quoniam fundata est super petram. Vnde & Petrus nomen accepit. Non enim à Petro petra, sed Petrus à petra: sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Ideò quippe ait Dominus, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quia dixerat Petrus, Tu es Christus filius Dei viui. Super hanc ergo, inquit, petram quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse ædificatus Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. 1. Corinth. 3. &c. Hæc igitur Ec-

clesia quam significabat Petrus, quandiu degit in A malis, amando, & sequendo Christum liberatur à malis. *Ita & Origenes tractatu in Matthæum 16. in verba,* Non præualebunt aduersus eam. Quam autem eam? verùm aduersus eam petram, super quam Christus ædificat Ecclesiam? An aduersus ipsam Ecclesiam? Nam sermo anceps est, an ad vnum & idem, quod ipsum sit petra & Ecclesia; Hoc autem arbitror esse verum. Neque enim aduersus petram, super quam Christus ædificat Ecclesiam, neque aduersus Ecclesiam portæ inferi non præualebunt.

Sed tanta priuilegia Petri in eximia eius confessione fundata sunt. Primus enim Apostolorum Christi diuinitatem confessus est, vt notat Chrysostomus in B *Matthæum 16. Athanas. sermone 4. contra Arrianos. Cyrill. Alex. lib. 12. cap. 64. Hilarius in Psal. 131. vbi de Christi pro nobis moriendi Zelo:* Tanta, inquit, ei religio fuit, pro humani generis salute patiendi, vt Petrum primum filij Dei Confessorem, Ecclesiæ fundamentum, cœlestis Regni ianitorem, & in terreno iudicio Iudicem cœli, satanæ conuitio nuncuparet. *Et August. sermone 128. de temp.* Hic est Petrus, qui diuinâ reuelatione prior omnium veritatem meruit confiteri, dicens: Tu es Christus filius Dei viui. *Hilarius item lib. 6. de Trinit.* Loquitur, inquit, quod vox humana nondum protulerat: Tu es Christus, &c. *Hinc Augustinus Petrum vocat os omnium tractat. 27. in Ioan. 6.* Respondit Petrus pro omnibus, vnus pro multis, vnitas pro vniuersis: respondit ei ergo Simon Petrus, Domine ad quem ibimus? repellis nos à te, da nobis alterum te. Si à te recedimus: ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Videte quemadmodum Petrus, dante Deo, recreante Spiritu sancto intellexit. Vnde, nisi quia credidit? *alludit ad Esa. nisi credideritis, non intelligetis*, verba vitæ æternæ habes? Vitam enim æternam habes in ministratione Corporis & Sanguinis tui: & nos credimus, & cognouimus. Non cognouimus, & credidimus, sed credidimus, & cognouimus. Credidimus, enim vt cognosceremus. Non si priùs cognoscere, quàm credere vellemus, nec cognoscere, nec credere valeremus. Quid credidimus, & quid cognouimus? quia tu es Christus filius Dei viui. *Ita Syr. Ioan. 6. 70. Vulgata non habet viui.* id est, quia ipsa vita æterna tu es, & non das in carne & sanguine tuo nisi quod es.

S. Aug.

S. Aug.

Alind Petri priuilegium notauit Bernardus lib. 2. de considerat. cap. 8. Accipe, inquit, aliud quod nihilominùs prærogatiuam confirmat tibi. Discipuli nauigabant, & Dominus apparebat in littore: quodque iucundius erat, in corpore rediuiuo. Sciens Petrus, quia Dominus est, in mare se misit, & sic venit ad ipsum, aliis nauigio peruenientibus. Quid istud? Nempè signum singularis Pontificij Petri, per quod non nauem vnam vt cæteri quique suam, sed sæculum ipsum susceperit gubernandum. Mare enim sæculum est, naues Ecclesiæ. Inde est, quòd alterâ vice, instar Domini gradiens super aquas, vnicum se Christi Vicarium designauit, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet, siquidem aquæ multæ, populi multi. *In quam porro nauiculam intrauit nisi Petri, vt doceret de nauicula turbas? Cui nisi Petro dixit: Duc in altum? Hoc est in profundum disputationum: Ambrosius sermone sexagesimo secundo:* Videamus, inquit, quæ sit ista nauicula Simonis Petri, quam adducendam de duabus magis opportunam Dominus iudicauit, quæ & tutum Saluatorem præstet ab iniuria, & credulitatis hominibus largiatur eloquia.

Quanta Petri gratia, vt pro Christo & pro se solo tributum soluere iussus sit à Domino. Vnde ex Origene & Hieronymo Apostoli primatum eius supra se cognouerunt. Hieronymus in Matthæum 18. Quia, inquit, viderant pro Petro & Domino idem tributum redditum: ex æqualitate pretij, arbitrati sunt Petrum omnibus Apostolis esse prælatum, eo quòd in redditione tributi Domino fuerat comparatus.

Prærogatiuam alteram attigit Augustinus tractatu quinquagesimo sexto in Ioannem 13. Cùm lauaret pedes discipulorum Dominus, venit ad Simonem Petrum, &c. Nec putare debemus hoc Petrum inter cæteros formidasse atque recusasse, cùm id alij ante ipsum libenter, vel æquanimiter sibi fieri permisissent, & cæt. quasi aliquibus iam lauisset: *sicut Chrysostomus & Theophil. à Iuda cœpisse putant*, & post eos venisset ad primum: quis enim nesciat primum Apostolorum esse beatissimum Petrum? Sed non ita intelligendum est, quòd post aliquos ad illum venerit, sed quòd ab illo cœperit: quando ergo pedes discipulorum lauare cœpit, venit ad eum à quo cœpit, id est, ad Petrum: & tunc Petrus, quod etiam quilibet eorum expauisset, expauit atque ait, Tu mihi lauas pedes? tu mihi: quid est tu? quid est mihi? cogitanda sunt potiùs quàm dicenda, ne fortè C quod ex his verbis aliquatenus dignum concipit anima, non explicet lingua.

S. Aug.

Multa simul Petri priuilegia colligit Chrysostomus scribens in Act. capite 9. Quemadmodum, inquit, dux in exercitu obambulans considerabat quæ pars sit coadunata, quæ ornata, quæ suo aduentu egeat; vide vbique illum circumcursare, & primum inueniri. Quando eligendus Apostolus *Matthias*, hic primus: quando loquendum Iudæis, non Apostolos esse ebrios, quando curandus claudus, quando concionandum, hic præ aliis est: quando agendum contra Principes, quando contra Ananiam, quando ab vmbra sanationes fiebant, hîc erat, & vbi quidem erat periculum, hîc: D vbi autem moderatio, vbi tranquillitate res erant plenæ, communiter omnes. *Et in caput duodecimum Actorum.* Oratio autem fiebat. Magni amoris indicium oratio: patrem omnes quærebant, patrem mansuetum, Multùm enim intererat, caputne an cætera membra periclitarentur.

Ex eadem homiliâ 87. in Ioannem. Os erat Apostolorum & Princeps, propterea & Paulus eum præter alios visurus ascendit. *Ambrosius in caput primum Galat.* Dignum fuit vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui delegauerat Saluator curam Ecclesiarum. *Cyprianus de vnitate Ecclesiæ*, Hoc erant vtique & cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris & potestatis; sed exordium ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur. *Hieronymus libro primo contra Iouin. cap. 14.* Dicis, Supra Petrum E fundatur Ecclesia: licèt idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues Regni cœlorum accipiant: & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio. *Basilius sermone de Iudicio Dei.* Petrus ille beatus, qui cæteris antelatus discipulis fuit, cuique magnificentiùs quàm reliquis omnibus datum est testimonium, magisque quàm reliqui omnes beatus appellatus, cui claues Regni cœlorum commissæ. *Ambrosius in cap. 12. Corinth. 2.* Prior secutus est Andræas Saluatorem, quàm Petrus; & tamen primatum non accepit Andreas, sed Petrus.

Quidquod & Nicephorus lib. 2. cap. 3. ex Epist. Euodij successoris Petri in Antiochena Cathedra, inscripta τὸ φῶς. Diuinus, inquit, Euodius, & ipse Apostolorum successor fuit; in Commentariis suis præcipuè in Epistola quam lumen inscripsit, hæc quoque posuit: Christus, inquiens, manibus ipse suis Petrum tantummodò baptizauit: Petrus porro Andream, & filios Zebedæi: hi deinceps, reliquos Apostolos. *Ad hæc Ambrosius in Luc. 24.* Quomodo, inquit, soli Cephæ visum dicerent, si ab omnibus erat visus? sed sicut ex mulieribus Mariæ, & alij Mariæ Magdalenæ, ita ex viris Petro visus est primo mane. *Quod confirmat Paulus. 1. Cor. 15.* Resurrexit tertia die secundùm scripturas; & visus est Cephæ, & post hæc vndecim.

Tandem ex Attico in Epistola sub finem Concilij Chalcedonensis. Vbi de litteris formatis siue Canonicis, quas & iuxta Concilium. 1. Mileuit. can. 20. Clerici abituri ab Episcopo suo, sub excommunicationis pœna sumere debebant, nomen Petri præferebant. Ne in faciendis Epistolis Canonicis, quas mos Latinus formatas appellat, aliqua fraus falsitatis temerè præsume- A tur, hoc à Patribus 318. Nicææ congregatis saluberrimè inuentum est, & constitutum, vt formatæ Epistolæ hanc calculationis seu supputationis habeant rationem; id est vt assumantur in supputationem prima elementa Græca, Patris & Filij & Spiritus sancti. Hoc est ΠΥΑ quæ elementa & octogenarium, & quadringentesimum, & primum significant numerum. Petri quoque Apostoli prima littera, quæ numerum octoginta significat: eius quoque qui scripsit Epistolam, prima littera: cui scribitur, secunda littera: accipientis, tertia littera: ciuitatis quoque de qua scribitur, quarta: & indictionis quæcumque est temporis idem qui fuit numerus assumatur, &c. Addat præterea separatim in Epistola, 99. numerum, qui secundùm Græca ele- B menta significat, Valete in Domino. *In dicto autem Canone Mileuit. Vetatur Ecclesiasticis adesse Synodis aliisque conuentibus publicis, absque dictis litteris formatis. Atque ex prædictis patet, quanta reuerentia præstita sit, & ab omnibus sit exhibenda Principi Apostolorum Petro.*

PHILOSOPHI GENTILES.

1. *Philosophi Gentiles sensu naturali & eloquentia abusi, à diis sacras litteras hausisse, se mentiuntur, quas ex Apocryphis, & Pseudoprophetis Doctore diabolo desumpserunt: nos Christiani à Prophetis à Deo doctis, veritatem hausimus. De Ani. cap. 2. à p.*

HVnc nacta Philosophia ad gloriam propriæ artis inflauit, præ studio (non mirum si istud ita dixerim) eloquij quiduis struere atque destruere eruditi, magisque dicendo persuadentis, quàm docendo. Formas rebus imponit, eas nunc peræquat, nunc priuat, de certis incerta præiudicat, prouocat ad exempla, quasi comparanda sint omnia; omnia præscribit, proprietatibus etiam inter similia diuersis; nihil diuinæ licentiæ seruat, leges naturæ opiniones suas facit, ferrem, si naturalis ipsa, vt compos naturæ de conditionis consortio probaretur. Visa est quidem sibi & ex sacris (quas putant) litteris hausisse, quia plerosque auctores etiam deos existimauit antiquitas, nedum diuos: vt Mercurium Ægyptium, cui præcipuè Plato adsueuit: vt Silenum Phrygem, cui à Pastoribus perducto ingentes aures suas Midas tradidit; vt Hermotimum, cui Clazomenij mortuo templum contulerunt; vt Orpheum, vt Musæum, vt Pherecydem Pythagoræ magistrum. Quid autem si Philosophi etiam illa incursauerunt quæ penes nos apocryphorum confessione damnantur, certos nihil recipiendum quod non conspiret germanæ, & ipso iam æuo pronatæ propheticæ paraturæ, quando & pseudoprophetarum meminerimus, & multò prius apostatarum spirituum, qui huiusmodi quoque ingeniorum calliditate omnem faciem seculi instruxerint?

Matth. 24. 24.
Gen. 6. 2.

PHILOSOPHI. 1. SCHOL.

HVNC NACTA. *Supra loquebatur de sensu communi*, quo Deus animam dotare dignatus est, *quem adepti Philosophi inflauerunt, & præ tumore, & iactantia suæ artis, studentes magis pompæ verborum, quàm veritati, quodlibet astruere, vel destruere, sophisticè moliti sunt.* FORMAS. *Res circumuestit variis formis & fucis eloquij sophistici. Res inuicem comparat, opponit, &c.* NVNC PRIVAT. *Formis scilicet & proprietatibus, quibus aliis rebus similibus, res alias adæquauerat.* DE CERTIS, &c. *de rebus cognitis & euidentibus, præsumit incertas & incognitas iudicare, & ad exempla nota vult reducere incognita, vt hæc aliis comparet.* OMNIA PRÆSCRIBIT, *omnibus leges certas imponit.* PROPRIETATIBVS, &c. *Id est cùm inter res similis speciei sint aliquæ proprietates indiuidualiter differentes, & plerumque latentes & incognitæ; ii tamen quasi certi & clarè videntes, leges præscribunt & definiunt. Alij legunt* propria ætatibus etiam inter similia diuersis. DIVINÆ LICENTIÆ; *Dei potestati vel scientiæ nihil relinquunt, quòd ipse solus nouerit, quod illi soli liceat scire & posse, adeo vani & superbi sunt,* C *vt in rerum naturis & proprietatibus indagandis, nominibusque imponendis se Deo æquales faciant.* LEGES NATVRÆ. *Incertas opiniones & coniecturas suas, volunt haberi pro certis & immutabilibus naturæ legibus: quod quidem ferendum esset si ipsa Philosophia verè & propriè naturalis esset, & naturæ compos, id est si Philosophi ipsi statim à principio suæ conditionis & natiuitatis, simul cum natura humana, plenam totius naturæ rerum omnium scientiam hausissent.* VISA EST QVIDEM. *Philosophi, suæ Philosophiæ principia ex diuinis literis & sacris desumpsisse putant, quia plures Philosophiæ authores, delusa antiquitas, non tantùm pro diuinis hominibus, sed tanquam diis venerata est. Vt Deum enim coluit Mercurium Ægyptium, quem solitus est legere & magni pendere Plato, vt constat in Philebo & Phædro, sicut etiam testatur Clem. Alex. 1. Strom. Sylenum item Phrygium Bacchi nutritium & pædagogum, Testis Diod. Sic. lib. 4. rerum Antiq. Cuius ideo Asinum teste Arato inter sydera retulerunt, & collocarunt ex altera parte præsepij. Sileni dicuntur imagines exterius deformes, pulchram aliquam intus claudentes effigiem. Huic Sileno*

à Pastoribus adducto, Midæ aures suas Asininas præbuit eius auditor factus. HERMOTIMVM. *Hunc & Deum coluit antiquitas, quem alij Hermippum, alij Hermolimum, vel Hermodorum, cui Clazomenij vrbis Ioniæ Asiaticæ Incolæ, quæ priùs Gryna dicebatur, templum erexerunt.* ORPHEVM. *Hunc Græci coluerunt ex Pausania & Philostrato, sicut ex Lampridio Alexander Seuerus. Nam habebat effigies Apollonij, Christi, Abrahæ, & Orphei, quos vt Deos colebat in suo sacrario.* MVSÆVM *Eleusinum scilicet, seu Atheniensem, de quo Calcidius in Timæo.* PHERECYDEM. *de quo Suidas.* PYTHAGORÆ MAGISTRVM. *Alij legebant aliquando Pythagoræ discipulum. Videndus Iamblicus libro de vita Pythagoræ cap. 6. Aug. to. 1. lib. 3. contra Academicos cap.*

S. Aug. 17. Pythagoras Græcâ Philosophiâ non contentus, quæ tunc aut penè nulla erat, aut certè occultissima, postquam commotus Pherecydæ cuiusdam Syri disputationibus, immortalem esse animum credidit, multos sapientes etiam longè latéque peregrinatus audierat. *Et to. 2. in ep. ad Volusianum*: quod

S. Aug. ad Magisterium eius attinet: quis nunc extremus idiota, vel quæ abiecta muliercula non credit animæ immortalitatem, vitamque post mortem futuram? quod apud Græcos olim primus Pherecydes Assyrius cùm disputasset, Pythagoram Samium illius disputationis nouitate permotum, ex Athleta in Philosophum vertit. QVID AVTEM, &c. Fortè, inquit, veteres Philosophi legerunt libros apocryphos, quos tanquam diuinos receperunt, quos nos damnamus, præmoniti à Christo & Apostolis venturos Pseudoprophetas; & scientes, Angelos Apostatas sparsis fabularum nebulis, subdolè inuentionibus Poëticis instruxisse & decepisse sæculum. Nos autem certi sumus nullos huiusmodi libros Apocryphos recipiendos esse, sed eos solos qui antiquæ Scripturæ Propheticæ & veræ ac germanæ respondeant. INCVRSAVERVNT. *Inciderunt, in-*

A *currerunt, vt in laqueos.* PROPHETICÆ PARATVRÆ, *scriptura veteri & ab Æuo nata, quæ ex rebus plurimis Prophetatis, & euentu probatis, præparauit nos, & disposuit ad fidem præbendam, adhuc suspensis & certò futuris. Pulchrè in hanc rem Augustinus libro 13. contra Faustum Manich. c. 1. & 15. vbi quàm iure nostri Prophetæ diuinis illis Philosophorum magistris sint præponendi edisserit*; Cùm tam magna, & tam multa, quæ prædixerunt, iam ad effectum manifestationemque perducta sint, planè ille *Gentilis* si peruersus esse nolet, nec ista vllo modo contemneret, quæ tantò antè, & tanto apparatu præuidendo & prænuntiando commendari meruerunt, nec illos à quibus præuideri & prænuntiari potuerunt. Nullis enim prudentiùs credimus, vel de preteritis, quæ olim facta sunt; S. Aug.

B vel de futuris quæ nondum facta sunt, quàm eis qui nobis fidem verborum suorum, tam multis, tamque magnis, quæ ab eis prædicta iam facta sunt, probauerunt. Sibylla porrò, vel Sibyllæ & Orpheus, & nescio quis Hermes. *Idem lib. 8. de Ciuit. cap. 27. Hermes maior id est Mercurius* & si qui alij Vates, vel Theologi, vel sapientes, vel Philosophi Gentium, de filio Dei, aut de Patre Deo, vera prædixisse, seu dixisse perhibentur: valet quidem aliquid ad paganorum vanitatem reuincendam, non tamen ad istorum authoritatem *tanquam Deorum aut diuinorum hominum quales hic arguit Tertullianus* amplectendam; cùm illum Deum nos colere ostendimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui suos S. Aug.

C congentiles populos idola & dæmonia colenda, partim docere ausi sunt, partim prohibere, ausi non sunt, &c. quantùm distat de Christi Aduentu inter prædicationem Angelorum, & confessionem dæmoniorum: tantùm inter authoritatem Prophetarum & curiositatem sacrilegorum. *Vbi per curiositatem sacrilegam Magiam intelligit cui alibi notauimus ex Aug. Pythagoram inter cæteros fuisse addictum.*

2. *Philosophi curiosi Prophetarum lectores, veritatem peruertunt, inter se discordantes.*
De Ani. cap 2. circa m.

POstremò, si etiam ad ipsos Prophetas adisse credibile est indagatorem quemque sapientiæ ex negotio curiositatis, tamen plus diuersitatis inuenias inter Philosophos quàm societatis, cùm & in ipsa societate diuersitas eorum deprehendatur. Siquidem vera quæque & consonantia Prophetis, aut aliunde commendant, aut aliorsum subornant, cum maxima iniuria veritatis, quam efficiunt aut adiuuari falsis, aut patrocinari.

Et de Anima cap. 26. in p.

Omnis inæqualitas sententiæ humanæ, vsque ad Dei terminos.

Et de Anima cap. 2. à m.

Hoc itaque commiserit nos & Philosophos, in ista præsertim materia, quòd interdum communes sententias, propriis argumentationibus vestiant, contrariis alicubi regulæ nostræ: interdum sententias proprias communibus argumentationibus muniant, consentaneis alicubi regulæ illorum: vt propè sit exclusa veritas à Philosophia per veneficia in illam sua; & ideò vtroque titulo societatis, aduersario veritatis, vrgemur, & communes sententias ab argumentationibus Philosophorum liberare, & communes argumentationes, à sententiis eorum separare.

PHILOSOPHI. 2. SCHOL.

AD PROPHETAS ADISSE. *Consuluisse oracula Prophetarum nostrorum, Philosophos instinctu curiositatis est credibile, plus tamen in isto negotio curiositatis, quàm sinceræ veritatis inuestigandæ cupiditate moti sunt. Nec eos inuicem consentientes inuenies, sicut nostri Prophetæ consentiunt, cùm eiusdem etiam sectæ Philosophi in multis ab inuicem discrepent.* SIQVIDEM VERA. *Ea quæ nostri Prophetæ dicunt, aut ea ex aliis principiis*

D *petunt, aut in alium sensum abducunt, cum iniuria maxima primæ veritatis, quam vel falsis opinionibus suis & fabulis fulcire volunt, aut ipsam propheticam veritatem, in confirmationem errorum suorum adducunt. Augustinus libro 18. de Ciuit. cap. 37. probat, vt alibi videbimus, Prophetas nostros, & Scripturam sacram longè antiquiorem omnibus Philosophis, qui ex ipsa hauserunt quidquid veri scripserunt. De ipsorum autem dissensioni-*

bus fusè ex professo tractat eodem libro cap. 41. Ipsi Philosophi qui non videntur laborasse in studiis suis, nisi vt inuenirent quomodo videndum esset accommodatè ad beatitudinem capessendam, cur dissenserunt & à Magistris discipuli & inter se condiscipuli, nisi quia vt homines humanis sensibus, & humanis ratiocinationibus ista quæsierunt? &c. Nonne apud Athenas & Epicurei clarebant, asserentes res humanas ad Deorum curam non pertinere, & Stoïci qui contraria sentientes, eas regi atque muniri diis adiutoribus atque tutoribus disputabant? Vnde miror cur Anaxagoras reus factus sit, quia Solem esse dixit lapidem ardentem, negans vtique Deum; *esse scilicet solem*, cùm in eadem ciuitate gloriâ floruerit Epicurus, vixeritque securus, non solùm Solem, vel vllum syderum Deum esse non credens, sed nec Iouem, vel vllum Deorum omnino in mundo habitare contendens, ad quem preces hominum supplicationésque perueniant. Nónne ibi Aristippus in voluptate corporis summum bonum ponens: ibi Antisthenes virtute animi potiùs hominem fieri beatum asseuerans, duo Philosophi nobiles, & ambo Socratici, in tam diuersis, atque inter se contrariis finibus vitæ summam locantes? &c. *Post diuersas Philosophorum dissensiones sic concludit, de Babylone Philosophica loquens*: nec interest diaboli regis eius, quàm contrariis inter se rixentur erroribus, quos meritò multæ variæque impietatis pariter possidet. At verò gens illa, ille populus, illa ciuitas, illa Respublica, illi Israelitæ quibus credita sunt eloquia Dei, nullo modo Pseudoprophetas cum veris Prophetis pari licentiâ confuderunt, sed concordes inter se atque in nullo dissentientes, sacrarum Litterarum veraces ab eis agnoscebantur & tenebantur Authores. Ipsi eis erant Philosophi hoc est amatores sapientiæ, ipsi sapientes, ipsi Theologi, ipsi Prophetæ, ipsi Doctores probitatis atque pietatis. Quicumque secundùm illos sapuit & vixit, non secundùm homines, sed secundùm Deum qui per eos locutus est, sapuit & vixit: ibi si prohibitum est sacrilegium, Deus prohibuit: si dictum est honora patrem, &c. Deus iussit. Si dictum est non mœchaberis, &c. non hæc ora humana, sed oracula diuina fuderunt. OMNIS INÆQVALITAS. *Omnis humana & Gentilis maximè sententia, incerta est, & parum sibi constans*: Incertæ enim & timidæ sunt omnes prouidentiæ nostræ. VSQVE AD DEI TERMINOS. *Nihil firmum & stabile, præter diuinas in scriptura sententias, & Ecclesiæ determinationem, quia* ipsa est columna, & firmamentum veritatis. HOC COMMISERIT NOS. *In hoc dissidemus & pugnamus nos Christiani cum Philosophis Gentilibus, in omnibus penè materiis, sed maximè cùm de anima rationali agitur, quòd illi communes illis & nobis sententias, adornent & fucent propriis, id est Ethnicis argumentationibus, quæ plerumque fidei nostræ regulæ aduersantur.* ILLORVM REGVLÆ. *Sensui, opinioni, dogmati, axiomati.* VT PROPE. *Adeo vt penè omnis veritas seclusa sit ab eorum Philosophia, propter veneficia Sophismatum quibus enecant veritatem.* TITVLO SOCIETATIS, *propter communes sententias, & communes item aliquando argumentationes.* VRGEMVR, *cogimur, quæstiones reuocare ad diuinas literas, in quibus certa est veritas.*

S. Aug. (margin, beside "Ipsi Philosophi") — S. Aug. (margin, beside "nec interest")

3. *Philosophi, maximè Athenienses Caupones veritatis, & hæreticorum Patriarchæ.*

De Ani. cap. 3. in p.

ATque vtinam [a] *nullas hæreses oportuisset existere, vt probabiles quique emicarent.* nihil omnino cum Philosophis super anima quoque experiremur, Patriarchis (vt ita dixerim) hæreticorum. Siquidem & ab Apostolo iam tunc philosophia concussio veritatis prouidebatur. Athenis enim expertus linguatam ciuitatem, cùm omnes illic sapientiæ atque facundiæ caupones degustasset, inde concepit præmonitorium illud edictum. Proinde enim & animæ ratio, per philosophatas doctrinas hominum miscentes aquā vino.

[a] 1. Cor. 11. 19. — Coloss. 2. 8.

Et de Anima cap. 3. in m.

Deliquit, opinor, diuina doctrina, ex Iudæa potius quàm ex Græcia oriens. Errauit & Christus, piscatores citiùs quàm Sophistas ad præconium emittens. Si qua igitur in hunc modum de nidoribus Philosophiæ, candidum & purum aërem veritatis infuscant, ea erunt Christianis enubilanda, & percutientibus argumentationes originales, id est Philosophicas, & opponentibus definitiones cœlestes, id est Dominicas: vt & illa quibus Ethnici à Philosophia capiuntur, destruantur; & hæc quibus fideles ab hæresi concutiuntur, retundantur.

PHILOSOPHI. 3. SCHOL.

ATQVE VTINAM. *Nisi, inquit, oportuisset impleri dictum Pauli circa hæreses, quas oportebat esse, vt alibi visum est, vt inter eas quasi zizania, frumentum electum fidei appareret, & vnica columba inter tot concubinas, & sicut lilium inter spinas, sic vnica Ecclesia inter filias; nihil, inquit, Tertull. cum Philosophis circa animam rationalem disputandum esset, nec nostra in hoc libro experientia de hac materia necessaria foret: qui quidem Philosophi in suis erroribus Duces & Magistri fuerunt hæreticorum.* PROBABILES EMICARENT. *1. Cor. 11. 19.* Oportet & hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. *Translat. Syr.* Futurum est etiam vt contentiones sint inter vos, quò qui probati sunt inter vos, innotescant. *Hoc est emicent in medium & zelo tuenda veritatis, contra eius impugnatores insurgant.* PATRIARCHIS HÆRETICORVM. *Hieronymus scribens ad Ctesiphontem, aduersus Pelagium, Tertullianum intellexit vbi ait.* Pulchrè quidam nostrorum ait; Philosophi Patriarchæ hæreticorum, Ecclesiæ puritatem peruersâ maculauere doctrinâ; vt nesciant illud dictum de humana fragilitate: quid gloriatur terra & cinis? præsertim cùm de iisdem, *supple animi perturbationibus, quas Philosophi prorsus extirpari posse, meditatione, & exercitatione virtutum, solis naturæ viribus contendebant, in quo Pelagianorum erant Patriarchæ*: præsertim cùm de iisdem Apostolus dicat Rom. 7. Video aliam legem in membris meis repugnantē legi mentis meæ, & ducentem me in captiuitatem. Et iterum: non enim quod volo, hoc ago, sed quod nolo, id operor. Si quod non

vult operatur, quomodo stare potest hoc quod dicitur, posse hominem sine peccato esse, si velit? quâ ratione potest esse quod velit, cùm Apostolus asserat, se quod cupiat implere non posse? Cùmque ab eis quærimus, qui sint illi, quos absque peccato putent, nouâ strophâ eludere cupiunt veritatem: se non eos dicere, qui sint, vel fuerint, sed qui esse possint. Egregij Doctores! dicunt esse posse, quod numquam fuisse demonstrant; dicente scripturâ: omne quod futurum est, iam factum est in priori tempore. Neque nunc mihi necesse est, ire per singulos Sanctorum. Et quasi in corpore pulcherrimo, næuos quosdam & maculas demonstrare: quod plerique nostrorum simpliciter faciunt; cùm paucis sententiolis scripturarum, possent hæreticorum & per eos Philosophorum argumenta conuinci. *Subiicit multos scripturæ locos, quibus errorem*
S. Aug. *Pelagij Sophistæ euertit, &c. Et concludit:* nihil noui asserunt, qui in huiuscemodi applaudente sibi perfidiâ, simplices quidem & indoctos decipiunt; sed Ecclesiasticos viros, qui in lege Dei die ac nocte meditantur, decipere non valent. Pudeat ergo eos principum, & sociorum suorum, qui aiunt, posse hominem sine peccato esse, si velit. CONCVSSIO VERITATIS. *Iam tum prævidebat Apostolus argutias Philosophiæ & eius fallacias exagitaturas fidei veritatem; cùm scil. Coloss. 2. 8. præmoneret:* videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum: *Transfert. Syr.* Cauete ne quis vos spoliet *quasi indumento & habitu fidei, quo Christum induti sumus in baptismo, qui stultam fecit sapientiam huius mundi* per Philosophiam, & deceptionem omnem iuxta doctrinam hominum, & iuxta rudimenta mundi, &c. *Hunc locum multis in locis exponit Aug. libro 1. de Moribus Ecclesiæ cap. 21.*
S. Aug. Rectè curiosi esse prohibemur, quod magnum temperantiæ munus est. Hinc illud est, cauete ne quis vos seducat per Philosophiam. Et quia ipsum nomen Philosophiæ si consideretur, rem magnam, totoque animo appetendam significat; siquidem Philosophia est amor studiumque sapientiæ; cautissimè Apostolus, ne ab amore sapientiæ deterrere videretur, subiecit: & elementa huius mundi. Sunt enim, qui desertis virtutibus, & nescientes quid sit Deus, & quanta maiestas semper eodem modo manentis naturæ, magnum aliquid se agere putant, si vniuersam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissimè intentissiméque perquirant. Vnde tanta etiam superbia gignitur, vt in ipso cœlo de quo sæpè disputant, sibimet habitare videantur. Reprimat igitur se anima ad huiusmodi vanæ cognitionis cupiditate, si se castam Deo seruare disposuit. Tali enim amore plerumque decipitur, vt aut vt nihil putet esse *Deum scilicet* nisi corpus: aut etiamsi authoritate commota fateatur aliquid esse incorporeum, de illo tamen

A nisi per imagines corporeas cogitare non possit, & tale aliquid esse credere, quale fallax corporis sensus infligit. Ad hoc enim valet quod præcipitur cauendum esse à simulacris. *De quo loco inter nonem quæstiones interrogatus à Paulino, sic respondet Ep. 59.* Quibus ita scribit, metuebat eos seduci vmbris rerum, dulci nomine scientiæ, & auerti a luce veritatis quæ est in Christo Iesu Domino nostro, &c. Hoc dico, inquit, vt nemo vos circumueniat in verisimili sermone: quia veritatis amore ducebantur, verisimilitudinem illis timuit ne deciperentur: & ideo commendauit in Christo quod dulcissimum habebant, thesaurum scilicet sapientiæ & scientiæ, cuius nomine & promissione induci poterant in errorem, &c. Deinde apertiùs quid eis timeat ostendens: S. Aug.
B videte, inquit, ne quis vos decipiat per Philosophiam, &c. *Et ser. de Calendis Ianuarij.* Quid est Iuno? Iuno, S. Aug.
inquiunt, est aër *hîc exponit fallacias Philosophorum Gentilium circa elementa*, iamdudum inuitabat *Gentilis scil.* vt mare coleremus in Neptuno, terram coleremus in simulacro Telluris, nunc inuitat vt aerem colamus. Elementa sunt ista, quibus iste mundus consistit. Hoc ergo Apostolus Paulus in Epistola sua proponens, cauete, inquit, ne quis vos seducat per Philosophiam & inanem fallaciam secundùm elementa mundi huius. Ipsos enim tangebat qui quasi prudentiùs idola exponunt. Ideo cùm diceret Philosophiam, in eodem loco ait, secundùm elementa huius mundi. Non quasi qualescumque adoratores simulachrorum, sed quasi doctiores interpretatores signorum, cauendos esse admonens.
C ATHENIS EXPERTVS. *Act. 17. 16.* Paulus cùm Athenis eos expectaret, *Silam & Timotheum*, incitabatur spiritus eius in ipso videns idololatriæ deditam ciuitatem. LINGVATAM, *eloquentiæ & Philosophiæ addictam.* CAVPONES, *explicat se dicens*, miscentes aquam vino, *id est vera falsis admiscentes.* PRÆMONITORIVM, *de quo suprà fusè ex Aug. Cauete ne quis vos seducat, &c.* PROINDE ANIMÆ RATIO. *Sic & de anima hominis ratiocinati sunt Philosophi, sicut & de Deo, falsa & fabulosa miscendo veris.* PHILOSOPHATAS DOCTRINAS, *Sophisticas, vel quasi distillatas, & in fumum euanescentes. Aug. libro 1. de Gen. ad lit. c. 21.* S. Aug.
Ita teneamus mediatorem nostrum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ atque scientiæ absconditi, vt neque falsæ Philosophiæ loquacitate seducamur,
D neque falsæ religionis superstitione terreamur. DELIQVIT OPINOR. *Ironicè dicta.* EX IVDÆA. *Quia scriptum est:* De Sion exibit lex, & Verbum Domini de Ierusalem. QVAM EX GRÆCIA. *Academia Philosophorum.* AD PRÆCONIVM. *Ad prædicandum.* DE NIDORIBVS. *Quasi pingui & rudi Mineruâ euaporatis, qui à nobis excutiendi sunt, refellendo argutias eorum oppositis ex scriptura diuinis definitionibus.* CAPIVNTVR. *Decipiuntur velut esca, & laqueo implicantur.* AB HÆRESI, *id est hæreticis argumenta sumentibus à Philosophis Ethnicis contra veritatem.*

4. *Philosophi, si verè aliquid dixerunt, id vel casu, vel ex communi naturæ sensu, venit. De Ani. cap. 2. in p.*

PLanè non negabimus aliquando Philosophos iuxta nostra sensisse. testimonium est veritatis, etiam euentus ipsius. Nonnunquam & in procella confusis vestigiis cœli & freti aliqui portus offenditur, prospero errore: nonnunquam & in tenebris aditus quidam & exitus deprehenduntur, cæcâ fœlicitate; sed & naturâ pleraque suggeruntur, quasi de publico sensu, quo animam Deus dotare dignatus est.

PHILOSOPHI. 4. SCHOL.

IVXTA NOSTRA. *Secundùm documenta fidei, iuxta nostra sensisse Philosophos, testatur Aug. lib. 2. de Ciuit. c. 7.* (S. Aug.) Vtcumque conati sunt ingeniis acutissimis præditi ratiocinando vestigare quid in rerum natura lateret: quid in moribus appetendum esset atque fugiendum: quid in ipsis ratiocinandi regulis certâ connexione traheretur, aut quid non esset consequens, vel etiam repugnaret. Et quidam eorum quædam magna, quantùm diuinitùs adiuti sunt, *alios cum Tertulliano dicerem casu offendisse, & incidisse in verum, cùm sit omnis homo mendax, diligat vanitatem, quærat mendacium, vnde fit vt velut palpantes Philosophi noctu, vel in naufragio, turbido cœlo & mari: omni expunctio vestigio viæ, fœlici casu bonum portum attingant*, inuenerunt: quantùm autem humanitùs impediti sunt, errauerunt; maximè cùm eorum superbiæ iustè prouidentia diuina resisteret, vt viam pietatis ab humilitate in superna surgentem etiam ipsorum comparatione monstraret. *Porrò si quid veri & vtilis docuerunt Philosophi, vel Deo ipsis suggerente, vel ex lumine naturæ & ratione, vel ex communi sensu, id totum quasi nostrum, & à vera fide mutuatum legitimè nobis sumere possumus, vt docet Augustinus lib. 2. de doct. Christ. cap. 30. pulcherrimè & fusissimè.* (S. Aug.) Philosophi qui vocantur, si qua fortè vera & fidei nostræ accommoda dixerunt, maximè Platonici, non solùm formidanda non sunt, sed ab eis tanquam iniustis possessoribus in vsum nostrum vendicanda, Sicut enim Ægyptij non solùm idola habebant, & onera grauia quæ populus Israël detestaretur, & fugeret, sed etiam vasa atque ornamenta de auro & argento, & vestem, quæ ille populus exiens A de Ægypto, sibi potiùs tanquam ad vsum meliorem clanculo vendicauit, non authoritate propriâ, sed præcepto Dei, ipsis Ægyptiis nescienter commendantibus ea quibus non benè vtebantur; sic doctrinæ omnes Gentilium, non solùm simulata & superstitiosa figmenta, grauésque sarcinas superuacanei laboris habent, quæ vnusquisque nostrûm duce Christo de societate Gentilium exiens; debet abominari atque deuitare; sed etiam liberales disciplinas vsui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta vtilissima continent, déque ipso Deo colendo nonnulla vera inueniuntur apud eos, quòd eorum tanquam aurum & argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis diuinæ prouidentiæ, quæ vbique infusa est; eruerunt; & quò peruersè atque iniuriosè ad obsequia dæmo- B num abutuntur, cùm ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre Christianus ad vsum iustum prædicandi Euangelij. &c. Nonaspicimus quanto auro & argento & veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus Doctor suauissimus, & Martyr sanctissimus, quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? vt de viuis taceam, quanto innumerabiles Græci? quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat, de quo scriptum est Act. 7. 21. quod eruditus fuerit omni sapientiâ Ægyptiorum. *Atque ex his colligo non negligendam penitus esse philosophiam antiquam Gentilium, sed eâ in verè dictis tanquam nostrâ vtendum.* TESTIMONIVM VERITATIS, *quia se ipsam prodit.* EVENTVS, *alij inuentus.*

5. *Philosophi sæpè abstracti à sensibus, & mente alienati. De Ani. cap. 6. circa fin.*

ENormis intentio philosophiæ solet plerumque nec prospicere pro pedibus. Sic Thales in puteum. Solet & sententias non intelligendo, valetudinis corruptelam suspicari. Sic Chrysippus ad elleborum.

PHILOSOPHI. 5. SCHOL.

ENORMIS INTENTIO. *Vel intellige distentionem tumoris & gloriæ, quâ Philosophi velut Paus, orbem oculatum caudæ explicant, nec tamen sicut Paui, inspectis sordidis pedibus, hoc est humanæ sortis vilitate, deponunt. Sic enim &* Cherub extentus, *dicitur, quia* scientia inflat, *vel per* enormem intentionem, *accipe literaliùs nimiam contentionem animi, & speculationem vehementem, quâ ante pedes posita non attendunt Philosophi abstracti à sensibus.* SIC THALES IN PVTEVM. *Cecidit, siue in foueam, dum astra attentiùs speculabatur. Plato in Theæteto:* dum cœlum inspiceret, intentum sideribus in foueam cadentem, Thracensis quædam eius ancilla concinna & lepida arguisse dicitur, quòd quæ in cœlo sunt peruidere contenderet, quæ verò proxima & ad pedes non videret. SOLET ET SENTENTIAS, &c. *alij non ita benè distinguunt.* Sic Thales in puteum solet, & sententias suas non intelligendo, valetudinis corruptelam suspicari. Sic Chrysippus ad Elleborum. *Sed melior est hic nexus. Solet, scilicet enormis illa intentio, obtundere vim & acumen ingenij, vt vel proprias, vel aduersariorum sententias non intelligant enormes illi* C *speculatores; qualis fuit Chrysippus, qui cùm disputando deficeret, interdum dicebat Excusando se, infirmum tum non posse satis acutè intelligere. inde disputaturus, ad acuendum ingenium cerebrúmque confortandum sumebat Elleborum. de quo iam alibi diximus. Thalem excellentissimum Astrologum vnum ex septem sapientibus ait Aug. lib. 8. de Ciuit. cap. 2.* (S. Aug.) Ille Thales, vt successores etiam propagaret, rerum naturam scrutatus, suasque disputationes literis mandans eminuit, maximéque admirabilis extitit, quòd Astrologiæ numeris comprehensis, defectus Solis & Lunæ etiam prædicere potuit. *De Chrysippo autem to. 7. lib. 1. cont. Cresconium cap. 19.* (S. Aug.) Stoicus, vt mecum recolis, fuit ille Chrysippus, de quo Academicus Carneades hanc habebat sententiam, vt quando cum illo sibi disputandum esset, Elleboro purgandum cor esse censeret: cæteros autem vel pransus facilè superaret. *De Ellebori diuerso effectu sic breuiter Aug. lib. 2. de morib. Manichæorum cap. 8.* (S. Aug.) Elleborum nónne alio modo cibus est, alio medicamentum, alio venenum? *Vbi fusè & scitè de multis rebus diuersò respectu vtilibus & nociuis disserit.*

6. *Philosophi, puerorum Amasij. V. Anima separata 3. à princ.*

7. *Philosophi gloriæ animalia. V. Anima immortalitas. 2.*

PLATO.

1. *Platonis ideæ, viam fecerunt Gnosticis, & Valentinianis. De Anim. cap. 18. à pr.*

VVlt Plato esse quasdam substantias inuisibiles, incorporales, supermundiales, diuinas, & æternas; quas apppellat Ideas, id est, formas, exempla, & causas naturalium istorum manifestorum, & subiacentium corporalibus sensibus; & illas quidem esse veritates, hæc autem imagines earum. Relucentne iam hæretica semina Gnosticorum, & Valentinianorum? Hinc enim arripiunt differentiam corporalium sensuum, & intellectualium virium, quam etiam parabolæ decem virginum adtemperant: vt quinque stultæ, sensus corporales figurauerint, stultos videlicet, quia deceptui faciles: sapientes autem, intellectualium virium notam expresserint; sapientium scilicet, quia contingentium veritatem illam arcanam, & supernam, & apud pleroma constitutam, hæreticarum idearum sacramenta. hoc enim sunt & Æones; & genealogiæ illorum. Itaque & sensum diuidunt: & intellectualibus quidem, à spiritali suo semine: sensualibus verò ab animali, quia spiritalia nullo modo capiat. & illius quidem esse inuisibilia: huius verò visibilia, & humilia, & temporalia quæ sensu conueniantur, in imaginibus constituta.

Matth. 25. 1. & seq.

PLATO. 1. SCHOL.

SVPERMVNDIALES, *supra mundum existentes. Iustinus Martyr in exhortatione. Ideas in primo supremi cæli orbe à Platone constitutas meminit Augustinus lib. 83. qq. q. 46. de Ideis.* Ideas Plato primus appellasse perhibetur: non tamen si hoc nomen antequam ipse institueret, non erat, ideò vel res ipsæ non erant quas Ideas vocauit, vel à nullo erant intellectæ; sed alio fortasse atque alio nomine ab aliis atque aliis nuncupatæ sunt, &c. Ideas igitur Latinè possumus, vel formas, vel species dicere, vt verbum è verbo transferre videamur, &c. Sunt Ideæ principales formæ quædam, vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo sese habentes, quæ in diuina intelligentia continentur. Et cùm ipsæ neque oriantur, neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri & interire potest: & omne quod oritur, & interit. Anima verò negatur eas intueri posse nisi rationalis, eâ sui parte quâ excellit, id est, ipsâ mente atque ratione, quasi quadam facie vel oculo suo interiore atque intelligibili. Et ea quidem ipsa rationalis anima non omnis & quælibet, sed quæ sancta & pura fuerit, hæc asseritur illi visioni esse idonea: id est quæ ipsum oculum quo videntur ista, sanum, & sincerum, & serenum & similem his rebus quas videre intendit, habuerit, &c. Quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse? quòd si rectè dici & credi non potest, restat vt omnia ratione sint condita: nec eadem ratione homo, quâ equus: hoc enim absurdum est existimare. Singula igitur propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes, vbi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris? Non enim extra se quidquam positum intuebatur, vt secundum id constitueret quod constituebat, nam hoc opinari sacrilegum est. Quòd si hæ rerum omnium creandarum creatarúmve rationes in diuina mente continentur, neque in diuina mente quidquam nisi æternum atque incommutabile potest esse: atq; has rerum rationes principales appellat Ideas Plato: non solùm sunt Ideæ, sed ipsæ veræ sunt, quia æternæ sunt, & eiusmodi, atque incommutabiles manent: quarum participatione fit, vt sit quidquid est, quoquo modo est. Sed anima rationalis inter eas res quæ sunt a Deo conditæ, omnia superat, & Deo proxima est, quando pura est, eique in quantum charitate cohæserit, in tantum ab eo lumine illo intelligibili perfusa quodammodo & illustrata cernit, non per corporeos oculos, sed per ipsius sui principale quo excellit, id est per intelligentiam suam, istas rationes, quarum visione fit beatissima. Quas rationes, vt dictum est, siue Ideas, siue formas, siue species, siue rationes licet vocare, & multis appellare conceditur nominibus, sed paucissimis videre quod verum est. *Et l. 7. de Ciu. c. 28. de Varrone loquens.* Dicit se multis indiciis collegisse in simulacris, aliud significare cœlum, aliud terram, aliud exempla rerum, quas Plato appellat Ideas: cœlum Iouem, terram Iunonem, Ideas Mineruam vult intelligi: *quæ Idola apud Samothraces Varro vidisse narrauit,* cœlum, à quo fiat aliquid, terram de qua fiat. exemplum secundum quod fiat, quam re omitto dicere, quòd Plato illas Ideas tantam vim habere dicit, vt secundum eas non cœlum aliquid fecerit, sed etiam cœlum factum sit. *Meliùs Apostolus vnicam Patris Ideam Verbum agnouit; per quod omnia facta sunt dum ait:* Fide intelligimus aptata esse sæcula Verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent. *Translat. Syriac.* Per fidem intelligimus ordinata fuisse sæcula Verbo Dei: & quæ videntur extitisse ex iis quæ non videntur. *Quod peruerterunt Gnostici, & Valentiniani Æonibus suis, & genealogiis Deorum infinitis quas condemnat idem Apostolus, & de quibus hoc loco Tertullianus. Æones enim sæcula sunt, & res condita ab Æuo, & condendæ sunt per Verbum, ex hoc nunc & vsque in sæculum.* RELVCENTNE, &c. *Videsne iam & legis in Platonis Ideis, & in distinctione rerum quæ cernuntur, & sentiuntur corporeis sensibus, & intellectus viribus, Platonem quasi semen administrasse Valentinianis & Gnosticis, qui & parabolam decem virginum aptant, dicendo per quinque fatuas, sensus corporeos intelligi; per sapientes, vires intellectuales, quæ attingunt supremam & occultam veritatem, quam Valentiniani pro Sacramento & mysterio occulto habent, & ponunt in suo pleromate, id est plenitudine & vniuersitate triginta Æonum. Pleroma enim in altissima sede cæli collocabant omnes triginta Æones in se vno complectens. Tertullianus libro de Præscription. capite quadragesimo nono.* Introduxit, *Valentinus scilicet,* Pleroma, & Æones triginta. *Et contra Valentinum capit. septimo & octauo.* Hoc erit Pleroma, illud Arcanum, diuinitatis tricenaria plenitudo. SENSVM DIVIDVNT. *Iuxta Democritum scilicet, qui ex Plutarcho, plures sensus esse dicebat, brutorum, animalium, Deorum, sapientumque. Sic Valentiniani, vt alibi vidimus, sua secta homines a spirituali semine*

S.Aug. (left margin, at "nus lib. 83.") — S. Aug. (right margin, at "verum est. Et l. 7.") — Margin letters: A, B, C.

ortos dicebant alios ab animali. Inde & sensus intellectuales tribuebant suis, aliis autem vt animalibus spiritalia non capientibus, sensuales. Hinc etiam res inuisibiles puris mentibus Valentinianorum, visibiles autem & sensu perceptibiles, & quæ erant imagines externæ idearum æternarum, animalibus tribuebant hominibus. S. Aug. *De corporeis sensibus, quos Valentiniani stultis virginibus comparant, Aug. sapientiùs lib. 83. qq, q. 59.* Videntur mihi quinque virgines significare quinquepartitam continentiam à carnis illecebris. Continendus est enim animi appetitus à voluptate oculorum, à A voluptate aurium, à voluptate olfaciendi, gustandi, tangendi. Sed quia ista continentia partim coram Deo fit, vt illi placeatur in interiori gaudio conscientiæ, partim coram hominibus tantùm, vt gloria humana capiatur; quinque dicuntur sapientes, & quinque stultæ, vtræque tamen virgines; quia vtraque continentia est, quamuis diuerso fomite gaudeat. *Nec infitior tamen animam stultescere, quæ nititur prudentiâ carnis, per sensus haustâ; sapientem autem, quæ inuisibili luce vera sapientiæ penetrat.*

2. *Plato est omnium hæreticorum condimentarium. De Anim. cap. 23. à med.*

DOleo bonâ fide, Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum. Illius est enim & in Phædone, quòd animæ hinc euntes sint illuc, & inde huc. Item in Timæo, quòd genimina Dei, delegatâ sibi mortalium geniturâ, accepto initio animæ immortali, mortale ei circumgelauerint corpus. Tum quòd mundus hic imago sit alterius alicuius.

PLATO. 2. SCHOL.

DOLEO BONA FIDE, &c. *Ironicè dictum; an seriò? cùm toto hoc libro inuehatur contra philosophos, sicut & libro de præscriptionibus cap. 7. & contra Hermogenem cap. 8. vocat eos hæreticorum Patriarchas. Sic Platonem vocat* omnium hæreticorum condimentarium, *quod ex eius scriptis quasi sale infatuato, & mittendo foras, suas hæreses condierint. Qui enim cum Saturnino desipiunt, commenti sunt ex Platone reuolutionem animarum, id ex Phædone Platonis deprompserunt, quas vult transmigrare ex vno corpore in aliud.* IN TIMÆO. *Ex hoc etiam loco Platonis Carpocrates, Apelles, Valentinus hæresim sumpsit, quo Plato, germina, siue genimina Dei, filij & nepotes summi Dei Angeli scilicet vel Æones, mandatum acceperant formandi hominis.* ACCEPTO INITIO, *id est,* C *cum anima à Deo summo creata immortalis esset, curam acceperunt Angeli eam vestiendi circumquaque corpore mortali.* CIRCVMGELAVERINT. *Sic idem Tertullianus de anima cap. 9. Animæ effigiem congelatam dicis ex flatu Dei, quam densatam impleuerat,* & velut in forma gelasse. MVNDVS HIC. *Sic suprà num. 1.* Illas quidem, *scil. ideas,* esse veritates, hæc autem, *in mundo visibili existentia,* imagines earum. *Alterum igitur mundum, intelligit mundum idealem, quem nos* S. Aug. *Archetypum verè & Dei Verbum dicimus. Aug. lib. 3. contr. Academicos cap. 17.* Plato adiiciens lepori subtilitatique Socraticæ, quam in mortalibus habuit naturaliũ, diuinarúmque rerum peritiam, quam ab eis quos commemoraui, *Pythagora & Pherecyda,* diligenter acceperat, subiungensq; quasi formatricẽ illarum partium, iudicémque dialecticam, quæ aut ipsa esset, aut sine quâ sapientia omninò esse non posset, perfectam dicitur composuisse Philosophiæ disciplinam, de qua nunc disserere tempus non est. Sat est enim ad id quod volo, Platonem sensisse duos esse mundos; vnum intelligibilem, in quo ipsa veritas habitaret, istum autem sensibilem, quem manifestum est nos visu tactúque sentire. Itaque illum verum, hunc verisimilem, & ad illius imaginem factum. Et ideò de illo in ea quæ se cognosceret anima velut expoliri, & quasi serenari veritatem, de hoc autem in stultorum animis non scientiam, sed opinionem posse generari. *De animabus euntibus & redeuntibus, Platonis sensum iam alibi ex Augustino expo-*B *suimus, vt lib. 8. de Ciuit. cap. 30. in pr. & lib. 12. c. 26. in med. & lib. 13. cap. 19.* S. Aug. Alternantibus vicibus indesinenter viuos ex mortuis, & ex viuis mortuos fieri putat. *Et tom. 7. lib. 2. cont. Iulianum Pelag. c. 7.* S. Aug. *vbi inducit Ambro.* An fortè ipsum quoque Ambrosiũ scisse ac docuisse dubitabis Deum esse hominum conditorem, & animæ & corporis? Audi ergo quid dicat in libro de Philosophia contra Platonem Philosophum, qui hominum animas reuolui in bestias asseuerat; & animarum tantummodò Deum opinatur authorem: corpora autem diis minoribus facienda decernit. Ergo S. Ambrosius: Miror, inquit, tantum Philosophum, quomodo animam, cui potestatem conferendæ immortalitatis attribuit, in noctuis includat, aut ranulis, feritate quoque induat bestiarũ, cùm in Timæo eam Dei opus esse memorauerit, inter immortalia à Deo factam: corpus autẽ non videri opus summi Dei asserit, quia natura carnis humanæ nihil à natura corporis bestialis differt. Si ergo digna est quæ Dei opus esse credatur, quomodo indigna est quæ Dei opere vestiatur? Ecce non solùm animam quod & illi dicunt, verùm etiam corpus, quod illi negant, contra Platonicos Dei opus esse defendit Ambrosius. *Si doluit Tertull. tantum philosophum factum promptuarium hæreticorum. Augustinus eum magni fecit. libro 3. contra Academicos cap. 17.* S. Aug. Plato vir sapientissimus, & eruditissimus temporum suorum, qui & ita locutus est, vt quæcumque D diceret, magna fierẽt, & eâ locutus est, vt quomodocumq; diceret parua non fierent, dicitur post mortem Socratis magistri sui, quem singulariter dilexerat, à Pythagoreis etiam multa didicisse. *Et libro 4. contra Iulianum cap. 15.* S. Aug. quanti & quales, & cuius apud Gentes gloriæ Philosophi tibi præferantur, vides: maximéque ipse Plato quem Cicero appellare non dubitat penè Philosophorum Deum. *Hunc certè doluit inter cæteros damnatum, quando se optasse declarauit eum cum cæteris Christo ad inferos descendente solutum, epistolâ 99. ad Euod.* S. Aug. Quadam indole animi delectant, vt eos in quibus hæc fuerunt, vellemus, vel præcipuè, vel cum cæteris ab inferni cruciatibus liberari, *iuxta Act. 2. solutis doloribus inferni.* nisi aliter se haberet sensus humanus, aliter iustitia Creatoris.

POENITENS.

Pœnitens homo, ouis est, & drachma inuenta cum gaudio à Deo Creatore. 4. cont. Marc. cap. 32. per totum.

Luc. 15. 4. OVem & drachmam perditam quis requirit? Nonne qui perdidit? Quis autem perdidit? Nonne qui habuit? Quis verò habuit? Nonne cuius fuit? Si igitur homo non alterius est res, quàm Creatoris; is eum habuit, cuius fuit. Is perdidit, qui habuit. Is requisiuit, qui perdidit. Is inuenit, qui quæsiuit. Is exultauit, qui inuenit. Ita vtriusque parabolæ argumentum vacat circa eum, cuius non est ouis neque drachma, id est, homo. Non enim perdidit, quia non habuit; nec requisiuit, quia non perdidit; nec inuenit, quia nec requisiuit, nec exultauit, quia non inuenit. Atque adeò exultare illius est de pœnitentia peccatoris, id est, de perditi recuperatione; qui se professus est olim, [a] *malle peccatoris pœnitentiam quàm mortem.*

a Ezech. 18. 23. & 33. 11.

POENITENS. SCHOL.

A ARGVMENTVM VACAT. *Toto hoc loco aptissimè conuicit Tertullianus Marcionem, ex vnico quem retinuit ex parte, & corrupit ex parte, Lucæ Euangelio, & hic maximè ex duplici parabola ouis & drachmæ perditæ, id est hominis peccatoris per pœnitentiam Deum lætificantis; nihil omnino has parabolas pertinere ad Deum Marcionis, sed ad Deum Creatorem, qui & oues condidit, & Aggei 2. suum dicit esse aurum & argentum, quique Ezech. 18. 23.* Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis suis & viuat. *Et rursum Ezech. 33. 11.* Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat: conuertimini, conuertimini à viis vestris pessimis, & quare moriemini domus Israël? *De vtraque simul parabola Aug. l. 2. qq. Euang. cap. 32.* Ouem perditam omnes peccatores dixit, qui per pœnitentiam reconciliantur Deo, quam humeris suis portat, quia humiliando se tales erexit. Ideò autem illas 99. dixit quas reliquit in deserto, quia superbos significat tanquam solitudinem gerentes in animo, dum se solos videri volunt, quibus ad perfectionem vnitas deest. Cùm enim quisque à vera vnitate diuellitur, superbiâ diuellitur: suæ quippe potestatis esse cupiens, non sequitur vnum quod Deus est: ideóque & in 99. ouibus, & in nouem drachmis, ponit eorum significationem, qui de se præsumentes: *sicut præsumebant Pharisæi ad lucram, tanquam iusti & aspernabantur cæteros, & de Christo peccatores quærente, & ad pœnitentiam cum gaudio recipiente murmurabant,* peccatoribus ad salutem redeuntibus se præponunt: vnum enim deest ad nouem, vt decem sint, & ad 99. vt centum sint, & si per cæteros numeros hoc consideres. Nam & 999. vnum deest vt mille sint, & 9999. vnum deest vt decem millia sint. Variari ergo per breuitatem & magnitudinem numeri possunt, quibus vnum deest vt perficiantur. Ipsum verò vnum sine varietate in se manens cùm accesserit perficit; cui deputat omnes per pœnitentiam reconciliatos, quæ humilitate obtinetur. *O quanta vis est pœnitentiæ humilis sine qua iustitia omnis imperfecta est, cum qua vnica ouis errans per pœnitentiam reuocata, supra 99. vna drachma perdita, per scopam pœnitentiæ reducta & inuenta supra nouem drachmas, vnus humilis & pœnitens Publicanus pluris fit à Deo Creatore & misso ab eo pastore Christo, quàm centum Pharisæi superbientes de vana & apparenti iustitia. Et quidem nullus dolor Deo Marcionis de perditis non suis, vt nullum gaudium de inuentis, sed Deo eorum Creatori, cui cum Psalte dicimus Psalmo 94. 6. & 7.* Venite, adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum, *en humilis pœnitentia,* qui fecit nos quia ipse est Dominus Deus noster: & nos populus pascuæ eius, & oues manus eius. *Nihil hæc ad Marcionis Deū, qui nullas fecit oues. Aug. in hunc locum:* Fortè de peccatis vestris quæ vos longè fecerant à Deo, *errantes oues*, soliciti estis: faciamus sequentia, & ploremus coram Domino qui fecit nos. Ardes fortè conscientiâ delicti, lacrymis extingue flammam peccati. Plora ante Dominum, securus plora ante Deum qui te fecit: non enim opus manuum suarum contemnet in te. Noli putare quia potes à te refici, à te deficere potes, tu teipsum reficere non potes: ille reficit, qui te fecit, *dic illi cum Psalte gratias agens & de Baptismo aqua, & de Baptismo pœnitentiæ, & de pascuis Sacramentorum & doctrinæ: super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit.* Ploremus ante Dominum, qui nos fecit: lacrymare ante illum, confitere illi, præueni faciem eius in confessione. Quis enim es tu, qui illi ploras, & illi confiteris, nisi quem fecit? non paruæ fiduciæ est ad factorem, res facta: & non quomodocumque facta, sed ad imaginem & similitudinem ipsius, *sicut drachma & numisma signatum sui Regis imagine, &c.* populus oues sunt, quia dicit oues pascuæ eius. Sed ipse populus oues sunt: sed rursus, quia nos habemus oues quas emimus, non quas fecimus: dixerat autem superiùs, procidamus ei qui fecit nos: rectè dictum est, oues manuum eius. Nullus hominum sibi facit oues. Emere potest, donari possunt, inuenire potest, aggregare potest, postremo furari potest, facere oues non potest. At verò Dominus noster fecit nos: ideò populus pascuæ eius, & oues manuum eius ipsi sunt, quas sibi ipsi facere dignatus est gratiâ suâ. *Et tom. 9. lib. de ouibus cap. 1. in pr.* Pastores homines, vel etiam patresfamilias Domini pecorum, oues quas habent, non ipsi fecerunt: oues quas pascunt, non ipsi creauerunt: noster autem Dominus Deus, quia Deus & Creator est, fecit sibi oues quas habeat, & quas pascat: nec alter instituit quas ipse pascit: nec quas ipse instituit, alter pascit. *Nec proinde alter de errante oue inuenta lætatur quàm ipse qui inuenit. Aug. Soliloq. cap. 27.* Quoties benè agimus gaudent Angeli, & tristantur dæmones. Quoties verò à bono deuiamus, diabolum lætificamus, & Angelos tuos suo gaudio defraudamus: gaudium est enim eis super vno peccatore pœnitentiam agente, sed diabolo super vno iusto pœnitentiam deserente. Da igitur, da pater eis semper gaudere de nobis, vt & tu semper per eos lauderis in nobis: & nos cum eis in vnum ouile tuum adducamur, vt confiteamur simul nomini sancto tuo, Creator hominum & Angelorum.

S. Aug. — S. Aug. — S. Aug. — S. Aug. — S. Aug.

POENITENTIA EIVSQVE DEFINITIO, ELOGIA, CONDITIONES.

1. *Pœnitentia malè definita à quibusdam. De Pœnit. cap. 1. in p.*

Pœnitentiam, hoc genus hominum quod & ipsi retrò fuimus, cæci sine Domini lumine, naturâ tenus norunt, passionem animi quandam esse quæ veniat de offensa sententiæ prioris. Ceterùm à ratione eius tantùm absunt, quantùm ab ipso rationis auctore.

2. *Pœnitentia præpostera est, de bonis operibus. De Pœnit. cap. 1. in m. & 2. in p.*

QVàm autem in pœnitentiæ actu irrationaliter deuersentur, vel vno isto satis erit expedire, cùm illam etiam in bonis factis suis adhibent. Pœnitet fidei, amoris, simplicitatis, patientiæ, misericordiæ: provt quid in ingratiam cecidit, semetipsos execrantur, quia benefecerint: eamque maximè pœnitentiæ speciem quæ optimis operibus irrogatur, in corde figunt: meminisse curantes ne quid boni rursus præstent: contra, pœnitentiæ malorum leuiùs incubant. Denique faciliùs per eandem delinquunt, quàm per eam rectè faciunt. Quòd si Dei ac per hoc rationis quoque compotes agerent, merita Cap. ii.
primò pœnitentiæ expenderent, nec vnquam eam ad argumentum peruersæ emendationis adhiberent: modum denique pœnitendi temperarent, quia & delinquendi tenerent, timentes Dominum scilicet.

3. *Et de Pœnit. cap. 2. à m. ad f.*

CEterùm ratio eius quam cognito Domino discimus, certam formam tenet, ne bonis vnquam factis cogitatisve quasi violenta aliqua manus iniiciatur. Deus enim reprobationem bonorum ratam non habet, vtpote suorum: quorum cùm auctor & defensor sit, necesse est proinde & acceptator. Si acceptator, etiam remunerator. Viderit ergo ingratia hominũ, si etiam bonis factis pœnitentiam cogit. Viderit & gratia, si captatio eius ad benefaciendum incitamento est: terrena, mortalis vtraque. Quantulum enim compendij, si grato benefeceris? vel dispendij, si ingrato? Bonum factum Deum habet debitorem, sicut & malum: quia iudex omnis remunerator est causæ. At cùm iudex Deus iustitiæ carissimæ sibi exigendæ tuendæque præsideat, & in eam, omnem summam disciplinæ suæ sanciat, dubitandum est, sicut in vniuersis actibus nostris, ita in pœnitentiæ quoque causa iustitiam Deo præstandam esse? quod quidem ita impleri licebit, si peccatis solummodò adhibeatur. Porrò peccatum, nisi malum factum dici non meretur, nec quisquam benefaciendo delinquit: quod si non delinquit, cur pœnitentiam inuadit delinquentium priuatum? cur malitiæ officium bonitati suæ imponit? Ita euenit, vt cùm aliquid vbi non oportet adhibetur, illic vbi oportet, negligatur.

POENITENTIA. 1. 2. 3. SCHOL.

1. HOc genvs hominvm, *Gentiles, quales nos antè fidem fuimus, proinde cæci sine vera Dei luce & cognitione.* Natvra tenvs, *quantùm naturâ & eius lumine valdè obscuro quasi palpantes & cæci, tangere & definire potuerunt, dixerunt pœnitentiam nihil aliud esse quàm passionem quandam animi, quâ quis de priori sua sententia offenditur & dolet, vultque eam mutare deinceps, & auersari quod antè amplectebatur.* A ratione eivs, *à cognitione vera, & notitia essentiæ & naturæ pœnitentiæ tam remoti sunt Gentiles quàm à Deo, omnis rationis & naturæ authore.*

2. In Pœnitentiæ actv. *Dum pœnitentiam agunt Gentiles, omnino se irrationaliter gerunt.* Expedire. *Conficere, probare.* In ingratiam. *quasi ingratè si quid contra voluntatem accidit. Vel si quis erga ipsos ingratus extitit.* Irrogatvr, *impenditur, exercetur. Ab eis pœnitentia fit maximè in optimis operibus, leuiusque dolent de malis commissis, quàm de bonis operibus factis.* Merita pœnitentiæ, *quanti sit res valoris.* Ad argvmentvm, *in causa præposteræ emendationis, quâ proponunt dolentes de benefactis, se amplius ea non facturos.* Modvm temperarent, *id est Deum cognoscendo & timendo abstinerent à peccato, & sic modica valde pœnitentiâ indigerent.*

3. Ratio eivs, *motiuum pœnitentiæ siue causa ob quam rationaliter & iustè pœnitendum est.* Cognito

A Domino, *per susceptam fidem & baptisma.* Violenta manvs, &c. *dum retractando benefacta, his veluti manus violentas iniicimus.* Ingratia hominvm, *ingratitudo.* Pœnitentiam cogit, *contra naturam pœnitentiæ, eam violenter applicat vt doleat de benefactis, quæ instituta est pro malis detestandis & corrigendis.* Viderit et gratia, *id est gratitudo, si enim gratitudo & acceptatio beneficij cum gratiarum actione, benefactorem excitat ad rursum largiendum.* Terrena, &c. *id est ingratitudo & gratitudo hominum erga homines, parui est momenti, si comparetur ad Deum.* Compendii. *Emolumenti & lucri, quàm parum tibi euenit gratiarum actione tibi reddita pro benefacto, quàm parum item detrimenti si benefeceris ingrato. Non ita se res habet cùm bonum opus ex fide in Deum operaris, vel dum pec-*
B *catum committis, siue enim benè, siue malè egeris, Deum habes debitorem & iudicem qui omnis causæ bonæ & malæ compensator æquissimus est. Cùm ergo Deus iustitiam sibi carissimam in omnibus exerceat, in qua iustitia totam summam Christianæ disciplinæ sanciuit, quis dubitet Deum agnoscendum esse iustum in remuneratione veræ pœnitentiæ?* Cvr pœnitentiam invadit. *Suprà dixit violentas manus iniicit, rem alienam rapit, pœnitentia enim non est propria iustorum quos de bonis operibus pœnitere non decet, sed est peccatorum propria pœnitentia. Expectent ergo Deum vltorem, quasi prædo-*

tionis rei alienæ, quos pœnitet de benè factis. MALITIÆ OFFICIVM, *pœnitentiam scilicet cuius munus & negotium circa malitiam peccati versatur. Quòd pœnitentia de malis tantùm id. peccatis agenda sit; siue quod sit dolor de peccatis, Psaltes Psal. 50. vbi confitetur peccatum suum, & de malo vtique adulterio & homicidio pœnitentiam agebat, dicens:* Amplius laua me ab iniquitate mea; & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco; & peccatum meum contra me est semper, &c. *In quem locum* S. Aug. *Aug.* Quisquis peccasti, & dubitas agere pœnitentiam pro peccato tuo, desperando salutem tuam; Audi Dauid gementem. Ad te Natham Propheta non est missus, ipse Dauid ad te missus est. Audi eum clamantem & simul clama; audi gementem, & congemisce; audi flentem, & lacrymas iunge; audi correctum, & condelectare, &c. quoniam iniquitatem meam cognosco, & delictum meum coram me est semper. Non posui post dorsum meum quod feci, non intueor alios oblitus mei, non affecto stipulam eiicere de oculo fratris mei, cùm sit trabes in oculo meo. Peccatum ante me est, non post me, fuit enim post me, quando ad me missus est Propheta, & de oue pauperis similitudinem mihi proposuit, &c. Planè tunc Rex nesciens vbi captus esset, morte dignum diuitem dixit, & ouem reddendam in quadruplum: Seuerissimè atque iustissimè; sed peccatum eius nondum erat coram eo, post dorsum erat quod fecerat. Suam iniquitatem nondum agnoscebat, & ideo alienæ non ignoscebat; sed Propheta ad hoc missus, abstulit à dorso peccatum, & ante oculos posuit, vt videret illam sententiam tam seueram in se esse prolatam. Ad secandum & sanandum vulnus cordis eius, ferramentum fecit de lingua eius, &c. *De huiusmodi ipse Dauid; gladius eorum intret in corda ipsorum:* A tibi soli peccaui & malignum coram te feci. Quid est hoc? coram hominibus enim non erat adulterata vxor aliena, & maritus occisus? &c. quid est tibi soli? &c. quia tu solus sine peccato. Ille iustus punitor, qui non habet quod in illo puniatur; ille iustus reprehensor, qui non habet in illo quod reprehendatur. *sequentia autem verba,* vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris, *Deo quidem dicta à peccatore Dauid pœnitente notat Aug. sed Dei filio, qui solus est iudicatus, & qui solus vicit omnes excellentiâ & iustitiâ, cuius sermones & verba eum iustificauerunt, cùm dixit,* quis ex vobis arguet me de peccato? *& rursum,* venit princeps mundi huius & in me non habet quidquam. *Deinde sic Christum inducit Augustinus:* S. Aug. patior indignus pro dignis, vt eos dignos faciam vitâ meâ, pro quibus indignè patior mortem B illorum. Huic itaque nullum habenti peccatum: dicit in præsentia Propheta Dauid, tibi soli peccaui, &c. superas omnes homines, omnes iudices, & qui se putat iustum, coram te iniustus est. Tu solus iustè iudicas, iniustè iudicatus, &c. Vincis ergo cùm iudicaris. Omnes homines superas, quia plus es quàm homines, & per te facti sunt homines. *Vides materiam pœnitentiæ esse peccati malignitatem, quam ne Christus solus iustus iudicet, iudicare debemus, & pro ea pœnitentiam agere. Quòd si peccata iudicaturus est Christus, quem dixit Tertull.* Dei Sermonem & rationem, *quia rectè & primæ rationi repugnat; quantò magis iudicaturus est pœnitentiam illam peruersam, quâ homines non tam peccati pœnitet & mali, quàm boni operis, & ipsiusmet pœnitentiæ; quam multi egisse dolent, & hunc dolorem manifestant, cùm rursum ad peccata post pœnitentiam redeunt!*

4. *Pœnitentiam Deus in semetipso dedicauit. De Pœnit. cap. 2. à p. ad m.*

Gen. 3. 19 & 1. Gen. 6. 6. Gen. 8. 21. & 9. 11.

DEus post tot ac tanta delicta humanæ temeritatis à principe generis Adam auspicata, post condemnatum hominem cum seculi dote, post eiectum paradiso, mortique subiectum: quum rursus ad suam misericordiam maturauisset: iam inde in semetipso pœnitentiam dedicauit, rescissâ sententiâ irarum pristinarum, ignoscere pactus operi & imagini suæ. Itaque & populum sibi congregauit, & multis bonitatis suæ largitionibus fouit, & ingratissimum totiens expertus, ad pœnitentiam semper hortatus est, & prophetando vniuersorum Prophetarum emisit ora: mox gratiam pollicitus, quam in extremitatibus temporum per Spiritum suum vniuerso orbi illuminaturus esset, præire intinctionem pœnitentiæ iussit, vt quos per gratiam vocaret ad promissionem semini Abraham destinatam, per pœnitentiæ subsignationem, antè componeret.

POENITENTIA. 4. SCHOL.

TOT AC TANTA DELICTA. *Quia vt alibi probat Tertullianus* in vno offendens, factus est omnium reus. *Vel quia cùm Adam princeps esset generis humani, velut radix corrupta, per peccatum originale, omnium fuerit reus delictorum. Si enim ob vnicum peccatum originale, fomitem omnium actualium, quisque nostrùm cum Psalte verè dicit;* Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea: *quantò magis Adam, qui fuit causa ipsius peccati originalis?* TEMERITATIS. *Propriè, quia ausu temerario præsumpsit ex vetito cibo, similitudinem diuinæ scientiæ.* AVSPICATA, *incepta, ab Adam delicta primo omnium peccatore.* SÆCVLI DOTE. *Quia Adæ & Euæ, sui primogenitis, quasi in dotem matrimonij, totum sæculum & mundum omnesque creaturas, vt Regi & Reginæ subiecerat. Condemnauit autem simul dotem cum homine, quia terra maledixit, elementa corrupta sunt in pœnam peccati.* MATVRAVISSET, *quasi ad centrum suum rediens, subitò,* egreditur *enim iuxta Prophetam* C de loco suo, facere opus alienum à se *dum irascitur & vindicat.* PŒNITENTIAM DEDICAVIT, *id est iam tum consecrauit primitias pœnitentiæ in semetipso; tum quòd & ipsi Adamo per pœnitentiam peccatum emendanti, & eius posteris parcere decreuit; tum quòd & ipsemet,* tactus dolore cordis intrinsecus, ait: pœnitet fecisse hominem, *intellige mortalem, in pœnam peccati; vel meliùs vt ipsemet se exponit Tertull. subiiciens statim:* RESCISSA SENTENTIA, &c. *Id est reuocans latam sententiam, humano more loquitur scriptura Patresque de Deo. Deus enim immutabilis est: de quo dicitur:* non est sicut homo, vt agat pœnitentiam. *Tamen, sic mutatur, quia sententia eius erga hominem, fuit conditionata, vt si per pœnitentiam mutaretur in melius, sic & ipse Deus mutaret iram in clementiam. Quod doctè innuit dum subnectit.* IGNOSCERE PACTVS, *quia sæpissimè promisit in scripturis veniam pœnitenti, per suos Prophetas, vt subiicit. Pactum autem non tam intelligo, de quo post diluuium dixit:* arcum meum po-

tam in nubibus, & recordabor pacti mei, &c. A *Quam quod ait veluti contrahens cum populo Israel sibi congregato Ierem. 18. 8.* Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam *id est peccato, quod ei per Prophetas exprobraui* again & ego pœnitentiam super malo *pœna & vindicta* quod cogitaui vt facerem ei. 70. Et conuertetur gens illa ab omnibus malis suis, & agam pœnitentiam de malis, quæ cogitaueram facere eis. *Et rursum versu* 10. Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiant vocem meam: pœnitentiam agam super bono quod locutus sum, vt facerem ei. *Sic alibi:* conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. *Quod fit Deo manente inconuertibili & immutabili, voluntate autem hominis mutabili. Sicut enim si duobus hominibus inuicem se aspicientibus, vnus tantùm dorsum verteret, & ille ipse rursum alteri immoto conuerteret, tota mutatio in vno* B *fieret: ita, &c. Aug. ser. 102. de temp.* S. Aug. Vtinam tam citò peccator homo resurgat ad pœnitentiam, quàm citò Deus etiam definitam vult mutare sententiam. Audi ipsum Dominum per Prophetam spem maximam humano generi præmittentem: repente, inquit, loquar ad gentem vt pro peccatis suis faciam eis malum, &c. vt suprà *aduerte & Dei pœnitentiam esse de malo, scilicet pœna, quam mutat in gratiam & fauorem.* Videte fratres quanti sit circa nos pietas Dei nostri, & agnoscere vtrum velit negare misericordiam, qui de conuersione nostra suam dixerat mutare sententiam. *Et ser. 119. de temp.* Cogitet vnusquisque peccata sua, & modò illa emendet dum tempus est. S. Aug. Sit fructuosus dolor, non sit sterilis pœnitudo, tanquam hoc dicit Deus, ecce indicaui sententiam, sed nondum protuli: prædixi, non fixi. Quid times, quia dixi? si mutaris, mutatur; nam scriptum est quòd pœniteat Deum. Numquid quomodo hominem, sic pœnitet Deum? nam dictum est, si pœnituerit vos de peccatis vestris, pœnitebit & me de omnibus malis quæ facturus eram vobis. Numquid quasi errantem pœnitet Deum? sed pœnitentia dicitur in Deo, mutatio sententiæ. Non est iniqua sed iusta. Quare iusta? mutatus est reus, mutauit iudex sententiam. Noli terreri, sententia mutata est, non iustitia. *Quid aptius in rem Tertulliani dicentis, rescissa sententia, &c. Ignoscere pactus? &c.* Iustitia integra manet, quia mutato debet parcere qui iustus est. Quomodo pertinaci non parcit, sic mutato parcit. GRATIAM POLLICITVS. *Legem gratia.* PER SPIRITVM ILLVMINATVRVS, *qui in linguis igneis datis Apostolis docturus erat omnem veritatem, & per baptismum ab Apostolo dictum illuminationem, adoptaturus filios Abrahæ, promissionis filios, ex vno semine Christo, qui factus est ex semine Dauid filij Abraham secundum carnem.* PRAEIRE INTINCTIONEM POENITENTIÆ, *baptismum pœnitentia Ioannis, quasi praparatorium pracedere voluit, vt ante baptismi Christi receptionem, Ioannes componeret & reformaret hominum mores; vt sicut Deus ex sua parte pepigerat & promiserat gratiam, sic peccatores pro parte sua suam ei fidem oppignerarent, & practice pœnitentia, olim etiam Catechumenis indicta, se post baptismum ad peccatum non reuersuros subsignarent. De priori parte legis gratia, qua peccata per Spiritum sanctum remittuntur; sic Augustinus ser. 109. de temp.* S. Aug. Ipse rex est indulgentiæ, qui dator est legis. Misit legem, venit cum indulgentia. Reum te fecerat lex *quia sine lege, vt ait Paulus, peccatum non erat;* absoluit te qui dedit legem. Immò non absoluit. Nam absoluere, est innocentem iudicare. Donat potius peccata conuerso. Omnes enim sunt rei qui peccatis suis inuoluti sunt. Nemo se optet absolui. Omnes veniam deprecemur. Venia verò datur mutato. Et erimus securi, cùm audierimus, sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. Certè fratres, modò pereant peccatores, & non pereunt peccatores. Si incipiant iustè viuere, peribunt vtique peccatores, sed non peribunt homines. Homo peccator, duo nomina sunt: homo vnum nomen est, & peccator vnum nomen est. In his duobus nominibus intelligimus, quia vnum horum Deus fecit, alterum horum homo fecit. Hominem enim Deus fecit, peccatorem seipsum fecit. Quid ergo contremiscis, quando tibi dicit Deus, pereant peccatores à facie mea? hoc tibi dicit Deus, pereat in te quod tu fecisti, & seruo quod ego feci. Et modò ardet ignis in calore verbi, in feruore Spiritus sancti, &c. nec est qui se abscondat à calore eius. Spiritum autem sanctum esse calorem dicit Apostolus, spiritu feruentes. Ergo, pro facie Dei, tibi pone interim Scripturam Dei. Liquesce ab illa, pœniteat te, cùm audis hæc de peccatis tuis. Cùm autem te pœnitet, & cùm teipsum excrucias sub calore verbi, cùm etiam lacrymæ currunt, nonne ceræ tabescenti & C tanquam in lacrymas currenti similis inueniris? *pro secunda autem parte huius loci Tertulliani, facit Augustinus to. 4. libro de fide & operibus cap. 11.* S. Aug. Cur non intelligunt ipsam ab Ægyptiis separationem significare discessionem à peccatis quam baptizati profitentur? ad hoc enim pertinet quod à Petro dictum est Act. 2. 38. Agite pœnitentiam, & baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine Domini nostri Iesu Christi: tanquam diceret, recedite ab Ægypto, & per mare rubrum transite. Vnde & Epistola quæ ad Hebræos inscribitur, cùm eorum qui baptizantur commemorarentur initia, posita est ibi pœnitentia à mortuis operibus, &c. quid est autem à mortuis operibus pœnitentia, nisi ab his quæ oportet mortificari vt viuamus? quæ si adulteria fornicationesque non sunt, quid iam inter opera mortua D nominandum est? Sic autem non sufficit professio recessionis à talibus, nisi etiam lauacro regenerationis cuncta præterita, quæ velut persequuntur peccata deleantur: sicut non suffecit Israëlitis recedere ab Ægypto, nisi ea quæ insequebatur hostium multitudo eiusdem maris fluctibus interiret, qui Dei populo transituro liberandóque patuerunt. Qui ergo profitetur ab adulterio nolle se mutare, quomodo per mare rubrum ducetur, cùm ex Ægypto adhuc recuset abscedere? *Sic ergo pœnitentia, hoc est dolor, & emendatio, & mutatio morum, debet subsignare pacto diuino; sic praire debet intinctio pœnitentiæ, baptismo aquæ, sic debent componi mores ad recipiendam gratiam & adoptionem filiorum Dei.*

5. ***Pœnitentia pro Deo negotiatur, purgandis animis præposita; quâ Spiritus sanctus preueniendus. De Pœnit. cap. 2. circa m.***

NOn tacet Ioannes:[a] *Pœnitentiam inite dicens: iam enim salus nationibus appropinquabit.* Dominus scilicet afferens, secundum Dei promissum. Cui præministrans, pœnitentiam destinabat purgandis mentibus præpositam: vti quicquid error vetus inquinasset, quicquid in corde hominis ignorantia contaminasset, id pœnitentiâ verrens & radens, & foras abiiciens, mundam pectoris domum superuenturo Spiritui sancto paret,

a Matth. 3. 2.

quo se ille cum cœlestibus bonis libens inferat. Horum bonorum vnus est titulus, salus hominis, criminum pristinorum abolitione præmissa. Hæc pœnitentiæ causa, hæc opera, negotium diuinæ misericordiæ curans: quod homini proficit, Deo seruit.

POENITENTIA. 5. SCHOL.

NON TACET. *Nec enim vocis est obmutescere, maximè de pœnitentia, quam toto habitu & victu clamabat in deserto. Matth. 3. 1. & seq.* In diebus autem illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ, & dicens: pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum: hic est enim qui dictus est per Isaiam Prophetam dicentem: vox clamantis in deserto, parate viam Domini: rectas facite. *Translat. Syr. adaquate* semitas eius. Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem eius erat locustæ & mel syluestre. *Aug. to. 10. ser. 1. de verbis Do.*

S. Aug. Euangelium audiuimus, & in eo Dominum eos arguentem, qui faciem cœli norunt probare, & tempus fidei regni cœlorum appropinquantis nesciunt venire. Iudæis autem hoc dicebat: sed etiam ad nos sermo peruenit. Dominus autem Iesus Christus Euangelij sui prædicationem ita cœpit: agite pœnitentiam, appropinquauit enim regnum cœlorum. Similiter & Ioannes Baptista Præcursor ipsius ita cœpit: agite pœnitentiam, &c. & modò corripit eos Dominus qui nolunt agere pœnitentiam appropinquante regno cœlorum. Regnum cœlorum sicut ipse ait Luc. 17. non veniet cum obseruatione. Et iterum ipse ait: regnum cœlorum intra vos est. Prudenter ergo accipiat vnusquisque monita præceptoris, vt non perdat tempus misericordiæ Saluatoris, quæ modò impenditur, quamdiu generi humano parcitur. Ad hoc enim parcitur homini vt conuertatur, & non sit qui damnetur. Viderit Deus quando veniat finis sæculi; est tamen modò tempus fidei. Finis sæculi vtrum hîc aliquem nostrum inueniat, nescio, & fortasse non inueniet. Tempus cuique nostrûm proximum est, quia mortales sumus, inter casus ambulamus. Si vitrei essemus, minus casus timeremus. Quid fragilius vase vitreo? & tamen seruatur. Et durat per sæcula. Etsi enim casus vitreo vasi timentur, senectus ei & febris non timetur. Nos ergo fragiliores & infirmiores sumus: quia & casus omnes qui non cessant in rebus humanis, fragilitate vtique nostrâ quotidie formidamus, & si ipsi casus non accedant, tempus ambulat. Vitat homo ictum, numquid vitat exitum? &c. Postremò quantumuis homini parcatur, nouissimè senectus cùm venerit, non est quo differatur. *Per regnum cœlorum igitur Augustinus hîc accipit aduentum filij Dei in iudicium, & vniuscuiusque mortem & iudicium priuatum, cuius intuitu ad pœnitentiam inducit & Christus & Ioannes. Magis ad literam Tertullianus de primo Aduentu Christi pacifico & regno eius per gratiam & salutem, cui viam parabat Ioannes, vt & donis Spiritus sancti.* DOMINVS SCILICET, *Christum intellige afferentem salutem, de quo Psaltes:* Domini est salus. DEI PROMISSVM *Toties toto veteri Testamento repetitum de venturo Messia.* CVI PRÆMINISTRANS. *Præcurrens Ioannes.* DESTINABAT, *proponebat.* ERROR VETVS, *peccatum originale, vel habitum actualium.* VERRENS. *Inde Bernardus pœnitentiam vocat scopam Lazari.* SVPERVENTVRO. *Non hîc credo intelligere Dei filium, quem simpliciter vocat sæpius*, Dei spiritum: *sed tertiam personam, quæ præter Aduentum filij superuentura erat cum bonis & donis cœlestibus.* VNVS TITVLVS, *tota summa.* DEO SERVIT. *Quanta Dei bonitas, vt maxima seruitutei suæ & gloria imputet, quidquid homini proficit; vt inde ei sit gratissima pœnitentia, quia est maximè homini salutifera.*

6. *Pœnitentia Dei vicaria, supplet inferni pœnam in valore. De Pœnit. cap. 9. à m. ad f.*

DE ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deiicere, illa quæ peccauit tristi tractatione mutare: cæterùm, pastum, & potum, pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causâ: plerumque verò ieiuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum suum, presbyteris aduolui, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. Hæc omnia exomologesis, vt pœnitentiam commendet, vt de periculi timore Dominum honoret, vt in peccatorem ipsa pronuncians, pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione, æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat. Cùm igitur prouoluit hominem, magis releuat: cùm squalidum facit, magis mundatum reddit: cùm accusat, excusat: cùm condemnat, absoluit. In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet.

POENITENTIA. 6. SCHOL.

MANDAT. *Exomologesis siue pœnitentia publica, de qua toto hoc libro Tertullianus, præscribit duritiem & sordes lecti, animi dolorem.* ILLA QVÆ PECCAVIT, *id est peccata sua; & delicias, in tristitiam & luctum commutare.* PVRA NOSSE, *id est puro pane & aqua victitare.* ANIMÆ CAVSA, *quæ ieiuniis impinguatur, sicut & prece alitur. Sic Dauid*, sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, &c. In terra *id est carne* deserta, inuia, & inaquosa, sic in sancto *in habitu sancti* apparui tibi. *Ita & Paulus:* cùm infirmor, *carne* tunc potens sum, *spiritu.* Virtus enim in infirmitate perficitur. *Aug. ser. 56. de temp.* Considerate fratres, & si horrea & cellaria nostra annis singulis replemus, vnde vno anno cibum habeat caro nostra, putas quantum debemus recondere, vnde in æternum sustentetur anima nostra? &c. Carnis gaudium minuatur, vt animæ lucra spiritalia præparentur, &c. tempus quod nobis furiosus tabulæ ludus solebat auferre, lectio diuina incipiat occupare. Otiosis fabulis, & mordacibus iocis, & detractionibus venenatis, colloquia de scripturis sancta succedant. Horarum spatiis, in quibus solebamus sine vllo lucro animæ detineri, visitentur infirmi, requirantur in carcere constituti, peregrini suscipiantur, & discordes ad concordiam reuocentur. Hæc si facimus fratres inde nobis parate possumus

mus medicamenta, vnde nobis vulnera feceramus. A

S. Aug. *Et ser. 3. de Natiuitate:* aperiant aures suas ad præcepta Christi quæ fortasse patuerunt huc vsque ad audienda ludibria. Aperiant oculos suos ad nitorem, qui huc vsque ad ignominiam patuerunt. Compungat pœnitentia criminum, quos huc vsque transpunxit delectatio voluptatum. Erigat adiuncta virtus quem vitia prostrauerunt. Aperiant medicamento pœnitentiæ, nares suas, quibus illis fœteat consuetudo peccati. MVGIRE. *Sic Psaltes:* rugiebam à gemitu cordis mei. ADGENICVLARI. *Genua flectere.* CHARIS, *amicis Dei. alij legunt* aris. LEGATIONES. *Sic Chrysost. homil. 3. ad populum:* nos hinc ad cœlorum regem mittamus legationem, supplicemus, precemur, multis lacrymis legationem mittamus. *Quin & Alianus vocat* orationem legatum incorruptissimum ad Deum. HÆC OMNIA, *præstat,* COMMENDET, *præstantiorem reddat cum toto isto apparatu.* HONORET. *Timor enim animum Deo subiiciens & humilians, eum honorat. Nam vt ait sapiens:* ab humilibus honoratur Deus. *qui ait:* si ego Dominus, vbi honor meus? PRONVNTIAT. *Quasi iudex sententiam, Deum induens, dum sibi indignatur & irascitur*

S. Aug. *anima pœnitens, vt exponit Aug. illud Psal. 4.* Irascimini vobismetipsis & nolite amplius peccare. NON DICAM FRVSTRETVR, *faciendo vt euadat æterna tormenta per temporaneam pœnitentiam.* SED EXPVNGAT, *id est persoluat debitam peccatis inferni pœnam, cuius vices implet,* conuersus peccator in infernum. *Imò plus facit quàm inferni pœna, quæ numquam peccatum delet, delet autem pœnitentia, quæ æterna est, propter odium peccati, quod numquam vellet commisisse, & proponit semper vitare. Vnde cùm ex vna parte cum Psalte dicit:* peccatum meum contra me est semper: *ait ex altera* dolor meus in conspectu meo semper. *Aug.*

S. Aug. *eodem sermone 3. de Nat.* Aperiat ille oculos cordis vobis, qui hodie propter vos dignatus est nasci, vt videatis illud quod putatur dulce modò, satis esse in breuitate temporum, quam amarum erit in ignem æternum. Quàm graui & perpetuâ pœnâ punienda erit breuitas delectationis. Delectatio occidit, & præteriit: vulnerauit, & transiuit, miserum fecit, & abiit: infœlicem reddidit, & reliquit. *Hæc cogitans*

S. Aug. *anima pœnitens æterno odio peccatum habet.* IN QVANTVM NON PEPERCERIS. *Aug. in Psal. 84.* Veritas de terra orta est, confitere peccata tua, & orietur de te veritas, &c. quæ iustitia de cœlo prospexit? tanquam Dei dicentis: parcamus huic homini, quia ipse sibi non pepercit: ignoscamus, quia ipse agnoscit. Conuersus est ad puniendum peccatum suum, conuertar & ego ad eum liberandum, &c.

S. Aug. *Et in Psal. 50.* Misericordia est vt ignoscat peccanti, iustitia est vt puniat peccatum. Quid ergo? quæris misericordiam, peccatum impunitum remanebit? respondeat Dauid, respondeant lapsi, respondeant cum Dauid vt misericordiam mereantur sicut Dauid, & dicant: non Domine, non erit impunitum peccatum meum; noui iustitiam eius, cuius quæro misericordiam: non impunitum erit: sed ideo nolo vt me punias, quia ego peccatum meum punio: ideo peto vt ignoscas, quia ego agnosco. *Compensationem prioris vitæ præstare debere pœnitentem sic pulchrè docet Victor Cartennas, in Mauritania Episcopus, libro de pœnitentia cap. 18. inter opera D. Ambrosij.* Aspera, inquit, tibi fortassis videtur post voluptates sæculi pœnitentia. Verùm est, sentio valetudinis tuæ vitium, video animi tui morbum. Sed si cu- B rari desideras, medelæ impetum non attendas, nec expauescas remedium, cùm admouerit tuo vulneri ferramentum, celerior cura sectionis efficitur. Nam pessimè sedulitas medendi palpatur, cùm non continuò suppurata labes abscinditur. Amarus est gustus antidoti, sed vitale ac salutare est, quod est faucibus insuaue, &c. Aspera est castigatio pœnitentiæ, sed lenior efficitur, si modus culpæ tractetur; Iam pridem mundialis pompæ oblectabat ambitio, & in rerum sibi dominatus sæculi vindicabat, nunc in luxuria remissum, nunc in vinolentia demersum. Hi te modò exercitio aleæ intentum viderunt, alij ad ganeandum, alij in scortum proiectum, isti lupanaribus mancipatum, vnguentis oblitum, aromatibus delibutum, & peregrinis cernebant oculis C infectum. Splendebas vestibus, auro fulgebas, gemmis, & pretiosissimis margaritis ornabaris. Vicem ergo vici restitue, & serò saltem compensationem temporum, temporibus redde. Reciprocam vitam tuam, in vtroque actu, æquali moderatione partire. Fuisti tunc diaboli, esto nunc Dei. Immò verò iam tuus, qui dudum fueras alienus. Et forsitan, si consideres, multum temporis decoxisti, vt id quod residuum est, breue tempus angustet. Vaca iam tibi, non tempori: vaca dixi, non vt torpeas, sed vt negotio confessionis insistas. Reuertere in viam à cuius semitis aberraueras, damna quæ gesseras, quære quod fueras. Primò te ipsum inueni, vt quod quæris inuenias: & si te inueneris, abs te ipso, *præter te* D *ipsum*, nihil quæras. Saccum indue, cinerem asperge, in ieiunio semper ora, in oratione ieiuna. Pretiosa magis hæc sunt quibus corpus afficitur, vt pulchritudo animi reparetur. Horret humilis vestis, sed hoc valdè decet, quod Deo non displicet. Vilis est corporis cultus, sed ipse præcipuus sanctitatis ornatus. Et adhuc de indignitate forsitan quereris indumenti, qui nuptialem tunicam perdidisti.

7. *Ad pœnitentiam Deus inuitat, sibi, Angelis, cœlo gratam. De Pœnit. cap. 8. in p. ad circa f.*

HAbes cui satisfacias, & quidem volentem. Id si dubitas, euolue quæ spiritus Ecclesiis dicat: Desertam dilectionem Ephesiis imputat: Stuprum & idolothytorum esum Thyatirenis exprobrat: Sardos non plenorum operum incusat: Pergamenos docentes peruersa reprehendit: Laodicenos fidentes diuitiis obiurgat: & tamen omnes ad pœnitentiam commonet, sub comminationibus quidem. Non comminaretur autem non pœnitenti, si non ignosceret pœnitenti. Dubium, si non & alibi hanc clementiæ suæ profusionem demonstrasset. Non ait, [a] *qui ceciderit, resurget; & qui auersatus fuerit, conuertetur?* Ille est scilicet, ille est [b] *qui misericordiam mauult quàm sacrificium.* Lætantur cœli, & qui illic angeli, pœnitentiâ hominis. Heus tu peccator bono animo sis: vides vbi de tuo reditu gaudeatur. Quid illa similitudinum Dominicarum argumenta nobis volunt? Quòd mulier drachmam perdidit, & requirit, & reperit, & amicas ad gaudium inuitat: nonne restituti peccatoris exemplum est? Errat & vna pastoris ouicula,

Apoc. 2. 4. & 2. 18. & 3. 1. & 2. 12. & 3. 17.
a Hier. 8. 4.
b Osee 6. 6. & Matth. 9. 13.
Luc. 15. 4. & seq.

sed grex vna carior non erat: vna illa conquiritur, vna pro omnibus desideratur, & tandem inuenitur, & humeris pastoris ipsius refertur: multum enim errando laborauerat. Illum etiam mitissimum patrem non tacebo, qui prodigum filium reuocat, & post inopiam, pœnitentem, libens suscipit, immolat vitulum præopimum, conuiuio gaudium suum exornat. Quidni? filium enim inuenerat quem amiserat, cariorem senserat quem lucrifecerat. Quis ille nobis intelligendus pater? Deus scilicet. Tam pater nemo; tam pius nemo. Is ergo te filium suum, etsi acceptum ab eo prodegeris, etsi nudus redieris, recipiet, quia redisti: magisque de regressu tuo quàm de alterius sobrietate lætabitur. Sed si pœniteat ex animo, si famem tuam cum saturitate mercenariorum paternorum compares, si porcos immundum relinquas pecus, si patrem repetas vel offensum: [a] *Deliqui*, dicens, *pater, nec dignus ego iam vocari tuus.*

Luc. 15. 20.

a Luc. 15. 19.

POENITENTIA. 7. SCHOL.

HABES. *Deum scilicet paratum recipere pœnitentiam & satisfactionem tuam.* ID, *de eo.* EVOLVE. *Librum Apocalypsis.* SPIRITVS ECCLESIIS. *Apoc. 3. 6. & 13.* Qui habet aurem audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis. EPHESIIS IMPVTAT. *Apoc. 2. 1.* Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe. DESERTAM DILECTIONEM. *Ibid. versu 4.* Habeo aduersum te quòd charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque vnde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac. THYATIRENIS. *Apoc. 2. 18.* Angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe, &c. *Et versu 20.* Habeo aduersum te pauca, quia permittis mulierem Iezabel quæ se dicit Propheten, docere, & seducere seruos meos, fornicari, & manducare de Idolothytis. Et dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret: & non vult pœnitere à fornicatione sua. Ecce mittam eam in lectum: & qui mœchantur cum ea in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint. Et filios eius interficiam in morte. SARDOS, *Apoc. 3. 1.* Et Angelo Ecclesiæ Sardis scribe: hæc dicit qui habet septem spiritus Dei, & septem stellas: scio opera tua, quia nomen habes quod viuas, & mortuus es. Esto vigilans & confirma cætera quæ moritura erant. Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe qualiter acceperis & audieris, & serua, & pœnitentiam age. INCVSAT, *accusat.* PERGAMENOS *Apoc. 2. 12.* Et Angelo Pergami Ecclesiæ, scribe, &c. Habeo aduersus te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere & fornicari. Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Similiter pœnitentiam age: si quò minus, veniam tibi citò, & pugnabo cum illis in gladio oris mei. LAODICENOS, *Apoc. 3. 14.* Et Angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribe, &c. quia dicis quod diues sum & locupletatus, & nullius egens: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus, &c. æmulare ergo & pœnitentiam age. SVB COMMINATIONIBVS. *Ephesino quidem: Apoc. 2. 5.* Sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. *Thyatirenis vt suprà Apoc. 2. 22.* Mittam eam in lectum, &c. *Sardis Apoc. 3. 3.* veniam ad te tanquam fur, & nescies quâ horâ veniam ad te. *Pergamenis, Apoc. 2. 16.* veniam, tibi citò, &c. *vt suprà. Laodicenis denique Apoc. 3. 16.* Incipiam te euomere ex ore meo. DVBIVM SI. *In dubium reuocari posset Dei largitas ad pœnitentiam inuitantis, & per eam de venia securos & indubios facientis peccatores in noua lege, si non iam dudum id in veteri promisisset.* NON AIT? &c. *Ierem. 8. 4.* Et dices ad eos: hæc dicit Dominus: numquid qui cadit non resurget? & qui auersus est non reuertetur? QVI MISERICOR-

A DIAM. *Osee 6. 6. & Matth. 9. 13.* Quia misericordiam volui, & non sacrificium; & scientiam Dei plusquam holocausta. 70. *verò*: quia misericordiam volo quam sacrificium. SIMILITVDINVM. *Parabolarum Christi, de drachma, oue; & filio prodigo. Luc. 15. per totum. De aliis iam alibi, de vna, filij prodigi, hic agam cum Aug. to. 4. lib. 2. qq. Euangelicarum. q. 33. per totam. Vbi fusè totam parabolam explicat, ex qua selectiora decerpam.* Homo habens duos filios, Deus ad duos populos intelligitur, tanquam duas stirpes generis humani: vnam eorum qui permanserunt in Dei cultu, aliam eorum qui vsque ad idola colenda deseruerunt Deum, &c. maior ergo filius ad cultum vnius Dei pertinet, minorem in regionem longinquam profectum esse dicit, &c. malè vtendo naturalibus bonis, eo ipso quod patrem deseruit cupiditate fruendi creaturâ, relicto ipso Creatore. Quod non post multos dies dixit factum, &c. quia non multò post institutionem humani generis placuit animæ per liberum arbitrium ferre secum quandam velut potentiam naturæ suæ, & deserere eum à quo condita est, præfidens viribus suis, quas vires tantò consumit citiùs, quantò eum deserit à quo datæ sunt, &c. Itaque hanc vitam prodigi vocat, amantem fundere, atque spatiari pompis exterioribus, intus inanescentem, cùm ea quisque sequitur, quæ ab illa procedunt, & relinquit eum qui sibi est interior. Regio itaque longinqua, obliuio Dei est, fames autem in illa regione, est indigentia verbi veritatis. Vnus ciuium regionis illius, aliquis aëreus princeps ad militiam diaboli pertinens. Villa eius, modus potestatis eius. *Sphera affinitatis eius.* Porci, immundi spiritus qui sub ipso sunt. Siliquæ quibus porcos pascebat, sæculares doctrinæ, steriles, vanitate resonantes, de quibus laudes idolorum, fabularumque ad Deos Gentium pertinentium, vario sermone atque carminibus percrepant, quibus dæmonia delectantur. Vnde cùm iste saturari cupiebat, aliquid solidum & rectum, quod ad beatam vitam pertineret, inuenire volebat in talibus, & non poterat. Hoc est enim quod ait, & nemo illi dabat. In se autem reuersus, iam scilicet ab eis quæ forinsecus frustrà illiciunt & seducunt, in conscientiam interiorem reducem faciens intentionem suam dixit, quanti mercenarij, &c. vnde hoc scire poterat, in quo erat tanta obliuio Dei, sicut in omnibus idololatris fuit? nisi quia ista recogitatio iam resipiscentis est cùm Euangelium prædicaretur. iam enim poterat talis animaduertere, multos prædicare veritatem inter quos quidam essent non ipsius amore veritatis ducti, sed cupiditate comparandorum sæcularium commodorum, &c. Vnde & mercenarij rectè appellantur, in eadem quippe domo eum-

S. Aug.

B

C

D

dem panem verbi tractantes, non tamen in æternam hæreditatem vocati, sed temporali mercede conducti, &c. Deinde ait, surgam, quia iacebat. Et ibo, quia longè aberat. Ad Patrem meum, quia sub principe porcorum erat. Cætera verba sunt pœnitentiam meditantis in confessione peccati, nondum tamen agentis. Non enim iam dicit, Patri, sed dicturum se esse promittit, cùm venerit. Intelligas igitur hoc nunc accipiendum esse venire ad Patrem, in Ecclesia constitui per fidem, vbi iam possit esse peccatorum legitima, & fructuosa confessio. Peccaui in cœlum, &c. vt cœlum appellauerit ipsam sublimitatem Patris. Vnde est etiam illud in Psal. à summo cœlo egressio eius, cùm ab ipso Patre vellet intelligi. An potius peccaui in cœlum, coram sanctis animis, in quibus est sedes Dei. Coram te autem, in ipso penetrali interiore conscientiæ, &c. cùm autem adhuc longè esset, antequam intelligeret Deum, sed tamen cùm iam piè quæreret, vidit illum Pater ipsius. Impios enim & superbos conuenienter non videre dicitur. *Id est diligere, &c.* quid est autem super collum eius cadere, nisi inclinare & humiliare in amplexum eius brachium suum, & brachium Domini cui reuelatum est? Esa. 53. quod est vtique Dominus noster Iesus Christus. Et osculatus est illum: id est consolari verbo gratiæ Dei ad spem in- S. Aug.

A dulgentiæ peccatorum, hoc est post longa itinera remeantem mereri à Patre osculum charitatis. Et incipit iam peccata constitutus in Ecclesia confiteri, &c. non sum dignus vocari filius tuus, hoc enim vult fieri per gratiam, quod se indignum esse per merita fatetur. Stola prima, est dignitas quam perdidit Adam. Serui qui eam proferunt, reconciliationis prædicatores; annulus in manu, pignus est Spiritus sancti, propter gratiæ participationem, quæ digito Dei benè significatur. Calciamenta in pedes, præparatio Euangelizandi ad non tangenda terrena. Vitulus saginatus, ipse item Dominus, sed secundùm carnem satiatus opprobriis. Quod autem imperat vt adducant eum, quid aliud est, nisi vt prædicent B eum & annuntiando venire faciant in exhausta fame viscera filij esurientis? nam, etiam vt occidant eum, iubet, hoc est, vt mortem eius insinuent. Tunc enim cuique occiditur, cùm credit occisum. Et epulemur, inquit, hoc ad lætitiam valet propter illa quæ consequenter dicit, quia hic filius meus, mortuus erat & reuixit, &c Et istæ epulæ atque festiuitas nunc celebrantur per orbem terrarum Ecclesiâ dilatatâ, atque diffusâ. DELIQVI. *Luc. 15. 21.* Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.

8. ***Pœnitentia sacrificium est, peccati vulnera sanat, regno & paradiso hominem restituit.***
De Pœnit. cap. 12. à p. ad f.

CVm scias aduersus gehennam, post prima illa intinctionis Dominicæ munimenta, esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris? cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi? Mutæ quidem animæ & irrationales, medicinas sibi diuinitus attributas in tempore agnoscunt. Ceruus sagittâ transfixus, vt ferrum & irreuocabiles moras eius de vulnere expellat; scit sibi dictamno medendum. Hirundo si excæcauerit pullos, nouit illos oculare rursus de sua chelidonia. Peccator restituendo sibi, institutam à Domino exomologesin sciens, præteribit illam, quæ Babylonium Regem in regna restituit? Diu enim pœnitentiam Domino immolarat, septenni squalore exomologesin operatus, vnguium aquilinum in morem efferatione, & capilli incuriâ horrorem leoninum præferente. Pro malæ tractationis. Quem homines perhorrebant, Deus recipiebat. Contrà autem Ægyptius Imperator, qui populum Dei aliquando afflictum, Diu Domino suo denegatum persecutus, in prœlium irruit, post tot documenta plagarum, discidio maris, quod soli populo peruium licebat, reuolutis fluctibus perit. Pœnitentiam enim & ministerium eius, exomologesin abiecerat. Quid ego vltra de istis duabus humanæ salutis quasi plancis, stili potius negotium, quàm officium conscientiæ meæ curans? Peccator enim omnium notarum cùm sim, nec vlli rei nisi pœnitentiæ natus, non facilè possum super illa tacere, quam ipse quoque & stirpis humanæ, & offensæ in Dominum princeps Adam, exomologesi restitutus in paradisum suum, non tacet.

Dan. 4. 30. & 33.

Exo. 14. 28.

POENITENTIA. 8. SCHOL.

ADVERSVS GEHENNAM, *contra inferni meritam pœnam pro inferno euadendo.* INTINCTIONIS DOMINICÆ, *baptismi Christi.* CESSAS, *tamdiu differs.* MVTÆ ANIMÆ, *animalia muta & irrationabilia.* DIVINITVS, *instinctu à Deo dato.* MORAS, *ob trisulca iacula, quæ morosè & difficilè euelluntur.* DICTAMNO. *Isid. hoc dat feris pertusis in genere, Plin. lib. 8. c. 27. Ceruis in specie:* Dictamnum herbam extrahendis sagittis ceruí monstrauere: percussi enim telo, pastuque eius herbæ eiecto, &c. *Hanc herbam in montibus Cretæ nasci dicunt.* OCVLARE RVRSVS, *oculos & visum restituere.* SVA CHELIDONIA. *Sic Plin.* Chelidoniam visui saluberrimam hirundines monstrauere, vexatis pullorum oculis illâ medentes. BABYLONIVM REGEM. *Nabuchodonosor. De quo alibi iam.* DIV, *se explicat subdens:* squalore

C septenni. IMMOLARAT. *Quia pœnitentia est sacrificium. Vnde Aug. de Dauide loquens hom. 41.* Peccaui, tres syllabæ sunt; sed in his tribus syllabis, flamma sacrificij ascendit in cœlum. OPERATVS, *perfectam exomologesim obtulit Deo, quæ in victu & habitu sordes & squalorem indicit.* EFFERATIONE, *quasi in auem feram transformatus esset.* HORROREM. *Pili & iubarum Leonis. Dan. 4 30.* Ex hominibus abiectus est, & fœnum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium. *70. verò:* donec capilli eius quasi leonum creuerunt, & vngues eius quasi auium. PRO MALÆ TRACTATIONIS! *vna voce composita, Arnobius & Turnebus legunt:* maletractatio. *Tertull. autem, vt multi volunt, exclamando & admirando dixit.* S. Aug.

sed subintelligendum est meritum; vel simpliciter legendum: Proh malè tractatio! *S. Vacianus Episc. Barcinon. in Paranesi, siue libello exhortatorio ad pœnitentiam, qui totus est de pœnitentia publica, & iisdem penè conceptibus & terminis cum Tertulliano. Vbi inter cætera ex Actorum 15. Idololatriam, homicidium, & fornicationem, grauissima pœnitentiæ addicit.* Quid, inquit, faciet contemptor Dei? quid aget sanguinarius? Quod remedium capiet fornicator? Numquid aut placare Dominum desertor ipsius, aut conseruare sanguinem suum, qui fudit alienum, aut redintegrare Dei templum, qui illud fornicando violauit? ista sunt capitalia, fratres, ista mortalia. Nunc audite Ioannem, & confidite si potestis, &c. Est autem peccatum quod ad mortem ducit, non pro eo dico vt depreceris, &c. *Et vt clareat non de auriculari, sed publica exomologesi tractare:* Peccator, inquit, erubescet perpetuam vitam præsenti pudore mercari, & offerenti manus Domino vulnera malè tecta subducet? &c. Si fratrum oculos erubescitis, consortes casuum *alios publicè pœnitentes* nolite timere, &c. qui fratribus peccata sua non tacet, Ecclesiæ lacrymis adiutus, Christi precibus absoluitur. *Tum de cura peccatorum per rigorem pœnitentiæ publicæ.* Si quis est vestrûm qui secari & exuri sustineat, adhuc possunt, &c. Sustinuit illam Dauid, iacuit in cinere sordenti, sacco insuper horrente deformis, &c. Madidus lacrymis consumpsit oculos illos quibus gloriam Dei viderat, & infœlicem se miserumque confessus est Pater Mariæ, &c. *Dehinc cum Tertulliano describit exomologesim Nabuch. Et eius supplet hiatum.* Quem horrebant homines, Deus recipiebat, ipsâ illâ MALÆ TRACTATIONIS CALAMITATE, fœlicem, &c. admouebo adhuc ignes de cauterio Apostolico, videamus an ferre possitis. 1. Cor. 5. iudicaui tradere huiusmodi hominem satanæ in interitum carnis, &c. Quid dicitis pœnitentes? vbi est interitus carnis vestræ? An quod in ipsa pœnitentia lautiores semper inceditis, conuiuio farcti, balneis expoliti, veste compositi? ÆGYPTIVS IMPERATOR. *Pharao.* DEMINVTIO DENEGATVM *Moyse toties postulante.* PERSECVTVS, *fugientem, per mare rubrum.* DOCVMENTA, *quibus Deum verum agnoscere debebat, & pœnitentiam agere.* DISCIDIO. *Diuisione. Psal.* Qui diuisit mare rubrum in diuisiones. MINISTERIVM EIVS. *Officia & opera pœnitentiæ.* PLANCIS, *tabulis, vnde pœnitentia dicta*, secunda post naufragium tabula. *Alij legunt:* duobus Pharis. *Pharus fuit magna turris à Ptolemæo Rege Ægypti propè Alexandriam erecta, cuius in summo ignes accensi infida vada indicabant. Inde aliæ huiusmodi turres nominatæ.* STILI NEGOTIVM. *Studium & libido scribendi* OMNIVM NOTARVM, *quasi peccator publicus, stigmatibus, & notis infamiæ inurendus.* RESTITVTVS IN PARADISVM. *Credidit Tertull. præter animas Martyrum, nullas cœlo empireo recipi, sed in loco amœno, vsque ad iudicium, vel innocentes, vel purgatas pœnitentiâ.* SVVM. *Non terrestrem intellige, à Cherubim custoditum, & diluuio posteà deletum, sed suum; ob pœnitentiæ meritum. Quod enim solutus fuerit doloribus inferni, testatur Augustinus, epist. 99. ad Euodium:* Si causa quæritur, cur voluerit venire in

S. Aug. infernum, vbi dolores illi essent, quibus teneri omnino non poterat, quia erat vt scriptum est Psal. 87. 5. inter mortuos liber, in quo princeps, & præpositus mortis non inuenit aliquid quod supplicio deberetur; hoc scilicet quod scriptum est: solutis doloribus inferni; non in omnibus, sed in quibusdam accipi potest, quos ille dignos istâ liberatione iudicabat: vt neque frustrà illuc descendisse existimetur, nulli eorum profuturus, qui ibi tene-

A bantur inclusi; nec tamen sit consequens, vt quod diuina quibusdam misericordia iustitiaque concessit, omnibus concessum esse putandum sit. Et de illo quidem primo homine, Patre generis humani, quòd eum ibidem soluerit, Ecclesia ferè tota consentit: quod eam non inaniter credidisse, credendum est, vndecumque hoc traditum sit, etiamsi Canonicarum scripturarum hinc expressa non proferatur authoritas quamquam illud quod in libro Sapientiæ scriptum est cap. 10. 1. hæc, illum qui primus factus est, Patrem orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodiuit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit ei virtutem continendi omnia:

B magis pro hac sententia, quàm pro vllo alio intellectu facere videatur. NON TACET. *Inducit quasi adhuc pœnitentiam agentem, vel gratulantem actu tandiu in habitu pelliceo, & squalido pœnitentis. Aug. ser. 66. de temp. non moram, sed feruorem æstimat pœnitentia:* Deus confessionem nostram desiderat, vt S. Aug. iustam habeat ignoscendi causam, &c. duplicem habere debet fletum in pœnitentiâ omnis peccator: siue quia per negligentiam bonum non fecit, seu per audaciam malum perpetrauit; Quod enim oportuit, non gessit: & quod non oportuit, egit. Confessio iustificat, confessio veniam peccatis donat; omnis spes veniæ in confessione consistit. Confessio opus est misericordiæ, salus ægroti, vnicum est vulneribus nostris medicamentum cum pœnitentia. *Dictamnum ceruis, Chelidoniam vide catis, & vulneratis ad mortem* cuius ipse Saluator in Euan-

C gelio virtutem ostendit, dicens; pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum, &c. *Quod non erat adhuc Adæ pœnitenti, & Nabuchodonosor exomologesin operanti apertum; licet hic septennio, alter tota vita fuerit in squalore versatus.* Pœnitentia S. Aug. vera non annorum numero censetur, sed amaritudine animi. Vnde Beatus Petrus, mox à Domino indulgentiam recepit, quia amarissimè fleuit, trinæ negationis culpam. Pœnitentia quamuis sit exigui temporis, si intimâ cordis amaritudine agitur, non despicitur apud iudicem iustum Deum, qui cordis secreta considerat. Non enim longitudinem temporis tantùm requirit Deus, quantùm affectum sinceritatis pœnitentis pensat. *Nec septennem, vt in Principe Babylonis squalorem exomologesis,*

D *& publica confessionis, & pœnitentia exigit sinceritatem, quam olim exigebat Ecclesia; Concilia* Pœnitentiam qui agunt, vino & carne interdicuntur, & ab omnibus delitiis abstinere debent. *Cabilonensi 2. cap. 35. statutum est.*

Habitum pœnitentis in ieiunio, simul, & cilicio, & oratione feruenti induerat Psaltes regius, & formam pœnitentiæ peccatoribus præscribebat, cùm diceret: Ego autem cùm mihi molesti essent, induebar cilicio; humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur. *In quem* S. Aug. *locum Psalmi 34. Augustinus concione 2.* Cilicium, inquit, fortasse appellauit carnis suæ mortalitatem. Quare cilicium? propter similitudinem car-

E nis peccati. Apostolus enim dicit Rom. 8. Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne: hoc est, filium suum induit cilicio, vt de cilicio damnaret hœdos. Non quia peccatum erat, non dico in Verbo Dei, sed nec in ipsa quidem dico anima sancta, & mente hominis, quem sibi ad vnitatem personæ Verbi Dei, & Sapientiæ coaptauerat, sed nec in ipso corpore peccatum vllum erat: sed similitudo carnis peccati erat in Domino: quia mors non est nisi de peccato: & vtique corpus illud mortale erat. *Ieiunauit & Christus pro peccatis nostris, sicut & cilicium carnis passibilis induit. Sed quomodo*

S. Aug. *orationem in sinum conuertit?* In sinu, inquit, secretum agnoscitur. Et quidem fratres & nos orare sic benè admonemur in sinu nostro, vbi Deus videt, vbi Deus audit, quò nullus oculus humanus penetrat, quò non videt nisi qui subuenit, &c. Sed in Domino nostro aliquid plus debemus intelligere, quia & ipse orauit, &c. In sinum meum conuertetur oratio mea. Hoc intelligo dictum, quia in sinu suo habebat patrem. Deus enim erat in Christo mundum reconcilians sibi 2. Cor. 5. &c. Quid est oratio mea in sinum meum conuertetur, nisi, in meipso humanitas interpellat diuinitatem? *Quod si agnus innocens pernoctat in oratione Dei, si 40. diebus ac noctibus ieiunat, si in cilicio carnis tanta pro hœdis patitur, non timent peccatores, ne, vt prædixit Augustinus, impœnitentes, de cilicio suo damnet hœdos? inde Chrysologus ser. 167.* Si quo, inquit, fortè nostra mens jaculo fuerit confixa peccati, si caro tumescat ex crimine, si vitiorum sanie fragilitas humana corrumpatur, tunc ægris illa, quæ non sanis, pœnitentiæ medicina succurrat, ferrum compunctionis accedat, apponatur adustio tunc doloris, adhibeantur suspiriorum tunc fomenta, tumentis conscientiæ feruor euaporet, tunc reatus vlcera lacrymis abluantur, immunditiam corporis cilicia tunc detergant. Ferat, ferat amaram pœnitentiæ curam, qui seruare debitam noluit sanitatem. Cui vita sua cara est, dura nulla est cura. Medicus non sit ingratus, qui per dolorem reuocat ad salutem. Qui innocentiæ creditum seruat, pœnitentiæ non soluit vsuram, &c. Hinc est quod Ioannes vestitu, victu, loco, totus pœnitentiâ formatus incedit, &c. habebat vestimentum de pilis camelorum. Non poluit de caprarum; sed cilicio opus non erat: sed accepit tortuosissimi pilos animantis, nihil habentis recti, nihil gratiæ, nihil decoris: quem natura dedit labori duro, addixit magno ponderi, extremæ tradidit seruituti. Tali pœnitentiæ magister indui debuit vestimento: vt qui à recti detorserant disciplinâ, & deformes se totos formis reddiderant peccatorum, magnis pœnitentiæ sarcinis subderentur, addicerentur duris satisfactionis angoribus, suspiria compunctionis laboriosa portarent: vt directi, & attenuati in modum acus, per angustum pœnitentiæ foramen, ampla remissionis intrarent: & impleretur Dominicum dictum: camelum per foramen acus posse transire. Matth. 19. Esca autem eius erant locustæ, & mel syluestre. Locusta castigandis peccatoribus attributa, meritò pœnitentiæ figuratur in passum; vt de peccati loco exiliens in pœnitentiæ locum, ad cœlum possit pennis veniæ peruolare. Hoc Propheta senserat qui dicebat; sicut vmbra cùm declinat sublatus sum, & excussus sum sicut locustæ, genua mea infirmata sunt præ ieiunio, & caro mea immutata est propter misericordiam. Audis quemadmodum de peccato in pœnitentiam excussus est vt locusta, & curuauit genua, vt pœnitentiæ pondera bajularet: & adiicitur mellis cibus, vt amara pœnitentiæ, dulcis misericordia temperaret. *Subiiciam hic varia exomologesis exempla ab Historicis relata, ac primò quidem ex Eusebio 5. hist. cap. 27. anno Christi 207. Cuiusdam Natalij olim Confessoris, sed posteà pecunia corruptione facti Theodotionorum hæreticorum Episcopi, (qui erant Marcionitæ, & pro libito contra interpretationem septuaginta, textum Hebraum in Græcum transferebant:) hic cùm frequentibus Domini visionibus atque admonitionibus, necnon grauissimis flagris à Sanctis Angelis quadam nocte inflictis, ad meliorem vitam inductus, solitâ Ecclesiæ consuetudine, quâ Hæresiarchæ pœnitentes à Romano Pontifice Catholicam communicationem promerebantur, cilicio ac sacco indutus ac cineribus conspersus ad S. Papam Zephirinum venit, atque ad pedes eius suppliciter aduolutus, sui criminis exomologesin egit. Philippus item Imperator Collega Gordiani, cùm eum impiè & crudeliter iussisset occidi adhuc Gentilis, labem inuasi Imperij melioribus institutis delere curauit. Inter cætera garrulam Poëtarum linguam in honestissimos quosque debacchantem coercuit. Si quid autem post baptismum quauis occasione deliquit, quo ab Ecclesia iure deberet esse extorris; factâ exomologesi publicè in Ecclesia Fabiano Papa aliter eum ad communicationem sacramentorum tempore Paschatis admittere recusante, magna pietatis exemplo diluit. Anno Christi 246. secundùm Eusebium lib. 6. hist. cap. 27. Theodosius etiam Imperator referente Sozomeno lib. 7. cap. 24. Ruffino lib. 2. cap. 18. Paulino in vita Sancti Ambrosij, ab Ecclesia pulsus quod Thessalonicenses Bothericam apud Illiricos militum Præfectum seditione facta occidissent, quòd ipse noluisset aurigam suum peritissimum ob crimen carceratum ad solemnem equestrem concertationem dimittere: quorum Imperator seditionem suggerentibus Comitibus vltus est, inuitato populo ad Circenses ludos in quo promiscuè nocentes & innocentes ad numerum septem millium hominum trium horarum spatio à circumfusis militibus iussit interimi. Vnde cùm Ambrosius Mediolani coacta Synodo hanc cladem rescinisset, primò quidem nomine Synodi seuerissimis litteris Imperatorem indignum Ecclesiastica communione declarauit, quem etiam postea Mediolanum reuersum inconcusso animo ab ingressu Ecclesiæ publicè repulit, donec peractâ octo mensium pœnitentiâ publicâ ipsum in eam admisit die Festo Domini Natalis: injungens vt legem scriberet qua deinceps executiones sententiarum de cæde & publicatione bonorum ad triginta dies differrentur, vt maturiùs examinari possent. De quo & Augustinus lib. 5. de Ciuit. cap. 26.* S. Aug. Quid, inquit, fuit eius Religiosâ humilitate mirabilius, quando in Thessalonicensium grauissimum scelus, cui iam Episcopis intercedentibus promiserat indulgentiam, tumultu quorumdam qui ei cohærebant, vindicare compulsus est, & Ecclesiasticâ coërcitus disciplinâ, sic egit pœnitentiam, vt Imperatoriam Celsitudinem pro illo populus orans magis fleret videndo prostratam, quàm peccando timeret iratam. &c. *Nec prætereo quod eodem anno de Fabiola clarissima fœmina Romana refert Hieronymus epist. 30.* Hæc, cùm diuortio facto cum priori viro, nesciens prohibitionem Euangelicam, secundas nuptias iniisset, post mortem secundi viri, in semetipsum reuersa, saccum induens, vt errorem publicè fateretur, & totâ vrbe spectante Romanâ, ante diem Paschæ, in Basilica quondam Laterani, stans in ordine pœnitentium, Episcopo, *Siricio scilicet anno Pontificatus eius 6.* Presbyteris, & omni populo collacrymantibus, sparsum crinem, ora lurida, squallidas manus, sordida colla submittens; post immensos ipsius fletus, recepta est in communionem. *Anno item Christi 822. Ludouicus nonus Imperator, quòd mortem Bernardo Nepoti suo Italiæ Regi intulisset, & sanctum Aldehardum Corbeiæ in Saxonia Abbatem exilio mulctasset, & alia in fratres suos commisisset, Conuentum generalem Episcoporum, Abbatum, ac Procerum habuit, in quo primùm fratribus reconciliatus, & publicè exemplo Theodosij confesso reatu suo, pœnitentiam spontaneam suscepit, omnibus læsis satisfactione præstitâ, plurima pauperibus largitus est; & orationes pro se faciendas iniunxit. Constat autem ex eiusdem Imperatoris Constitut. Capitul. lib. 5. cap. 58. 59. 62. 63. 71. pœnitentiam tunc temporis in diuturno cilicio, ieiuniis, orationibus; eleemosynis, frequentique manus Sacerdotum impositione peragi solitam. Quid Godefredum Lotharingiæ Ducem memorem qui contra Hermannum & Sigebertum, ab Imperatore Ducatu suo spoliatum, incendium Virdunense procurauit. Cùm autem*

Dei Genitricis templum ibidem exustum fuisset, spontaneæ pœnitentiæ ipse posteris dignum reliquit exemplum, dum publicè se verberari fecit, & capillos suos ne tonderentur multâ pecuniâ redemit, sumptúsque ad readificandam Ecclesiam dedit, & in opere cæmentario per seipsum plerumque vilis mancipij ministerio functus deseruiuit. Extatque hactenùs in Commentario Stemmatis Lotharingiæ Ducum, fragmentum Diplomatis, quo in pœnitentiam eiusmodi reatus idem Godefredus illius Ecclesiæ promittit reædificationem, eique donat in perpetuum quartam partem Comitatus sui Virdunensis. Extat item memorabile exemplum Henrici quarti Regis Germaniæ anno 1077. *sub Gregorio VII. qui derelicto omni Comitatu suo, deposito cultu Regio, nudis pedibus, in laneis vestibus, frigore asperrimo, ieiunus à mane vsque ad vesperam cum multo fletu perstitit Romani Pontificis misericordiam implorans, interpositâ intercessione Mathildis Comitissæ consobrinæ suæ, & sanctissimi Hugonis Abbatis Cluniacensis, & Principum Italiæ, vt ante diem anniuersarium excommunicationis suæ imminentem absolueretur. Cúmque hoc secundo tertioque die fecisset, quarto demùm in conspectum eius admissus, post multa hinc inde dicta, his conditionibus absolutus est, vt die & loco quemcumque Papa designasset, euocatus ad Generale Concilium Principibus Teutonicis, accusationibus responderet, & ad Pontificis sententiam vel regnum retineret, si obiecta purgasset, vel amitteret si probatis criminibus decerneretur indignus. Ad quam diem nulla regiæ dignitatis insignia vsurparet, nullo modo se administrationi admisceret, quas conditiones ipse suscepit. Testes sunt Lambertus hoc anno, Domnizo in vita Mathildis, Greg. lib. 4. epist. 12. cui Pontifex iuxta Lambertum Missam celebrans partem Hostiæ tradidit contestans eam se sumere in iudicium, vt si innocens esset, absolueretur ab omni suspicione, sin minùs subitâ morte periret.*

Quid referam Henrici secundi Angliæ pœnitentiam super morte S. Thomæ Cantuariensis ob eius querelas crudeliter occisi, quam refert Petrus Blesensis, qui ieiunia, eleemosynas, aliáque sibi à Legatis iniuncta, summa humilitate suscepit? quibus & dixit: Ecce corpus meum in manu vestra est: scitote pro certo, quòd quidquid iusseritis, paratus sum obtemperare. *Et ne quid deesset perfectæ pœnitentiæ Legatis annuit; vt ab eis deduceretur extra portas Ecclesiæ; ibique flexis genibus absolutionem ab iis acciperet, & in Ecclesiam introduceretur. Ex Hereberto autem qui aderat lib. 3. Historiæ quadripartitæ auditis miraculis quæ fiebant per Martyrem, Northmanniâ exiuit, & transiuit in Angliam, & vt vidit Ecclesiam Metropolitanam, in qua Martyr quiescebat, antequam vrbem intraret, pauperis serui formam induit, nudis pedibus totoque nudato corpore præter vilissimam tunicam coram omnibus ciuitatem intrauit, per vicos & plateas cum suspiriis & gemitibus incedens, Martyris adiit sepulturam, & ad eam tota illa die & sequenti nocte ieiunus & peruigil in oratione perstitit, conuocatóque Monachorum Cathedralium cœtu, à singulis virgæ disciplinalis singulos ictus accepit. Eduardus autem in vita Martyris superaddidit, Regem veste se nudantem, caput in tumuli fenestram submisisse, primóque ab Episcopis adstantibus quinquies cæsum esse, deinde à Monachis supra octoginta, ternos ictus accepisse. Quâ pœnitentia ita Deum placauit, & beneficium sibi promeruit, vt ipsâ horâ cùm Missam audiret ad sepulchrum Martyris, Rex Scotorum aduersarius eius sine plaga & pugna captus sit, & omnes eius hostes subiecti, filiúsque vnà cum fratribus pacificus & pœnitens erit redi in sinum eius. Quid Henricum Iuniorem referam, qui rursum ad discordias cum patre compositas relapsus, pecunia deficiente: vt ait Rogerius, Ecclesiam S. Mariæ spoliauit, & videns se non multùm nocere posse patri suo, inde mœrore confectus in morbum lethalem incidit. Tum vocatis Episcopis, & viris Religiosis primùm secretò, de-*

A *hinc publicè peccata confessus, depositis mollioribus indumentis cilicium induit, & ligato fune in collo, dixit Episcopis & Religiosis circumstantibus:* Ecce trado me peccatorem indignum, culpabilem, & obnoxium per funem istum, vobis Ministris Dei, postulans vt Dominus noster Iesus Christus, qui latroni confitenti in Cruce peccata dimisit, per preces vestras, & per suam ineffabilem misericordiam misereatur infœlicissimæ animæ meæ. Posteà iubens se trahi à lecto per illum funem, impositus est lecto cinereo, quem sibi præparauerat, appositis capiti & pedibus suis duobus lapidibus magnis qua-
B dratis: susceptáque absolutione & sacro Viatico, in timore Domini emisit spiritum, quem pater corruens in terram vehementer planxit. *Hæc Rogerius, qui rursum Richardi Regis Angliæ pœnitentiam laudat.* Recordatus, inquit, fœditatis suæ, cùm vepres libidinum excessissent caput eius, post contritionem cordis, conuocatis in vnum vniuersis Archiepiscopis & Episcopis suis, qui erant cum eo apud Messanam, nudus procidens ad pedes eorum peccata sua coram illis Deo confiteri non erubuit, & ab iisdem pœnitentiam recepit, factúsque est ab illa hora vir timens Deum, recedens à malo & faciens bonum.

Luctum, cilicium, cinerem, ieiunium, cæterúmque omnem pœnitentium apparatum primorum sæculorum
C *Ecclesia, tot Principes memorati ab exemplo Dauid pœnitentis depromptus est:* Fui, inquit, flagellatus totâ die, & castigatio mea in matutinis. Posui vestimentum meum cilicium. Genua mea infirmata sunt à ieiunio. Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam, &c. *Et Ambrosius id aduertit in pœnitentia Sion & Niniuæ libro* 2. *de pœnit. cap.* 6. Audiant, inquit, qui agunt pœnitentiam, quomodo agere debeant: quo studio; quo affectu, quâ mentis intentione, quâ intimorum concussione viscerum, quâ cordis conuersione. Vide, inquit, Thren. 1. & 2. Domine quia tribulor, venter meus turbatus est à fletu meo, conuersum est cor meum in me. Cognouisti intentionem animi,
D fidem mentis cognosce, & habitum corporis. Sederunt, inquit, in terra, tacuerunt seniores, filiæ Sion, & imposuerunt terram super caput suum, præcinxerunt se cilicio, deduxerunt in terram Principes, virgines Ierusalem defecerunt in lacrymis, oculi mei caligauerunt. Turbatus est venter meus, effusa est in terra gloria mea. Sic fleuit & Niniuæ populus, & denuntiatum est excidium ciuitatis euadit. Tanta est enim pœnitentiæ medicina vt mutare videatur suam Deus sententiam, &c. Denique & Ezechiel. cap 2. Iussus est flere Ierusalem, & accepit librum, in cuius capite scripta erant lamentatio & melos, & væ. Duo tristia, & vnum delectabile; quoniam ille saluus erit in futurum, qui in hoc sæculo plus fleuerit. *Et de Niniue quid Ionas? cap.* 3. *versu* 4. Cœpit Ionas introire in ciuitatem, itinere
E vnius diei: & clamauit & dixit: adhuc quadraginta dies. *Septuag. Tres dies: quia vterque numerus est pœnitentiæ ob quadragesimam ieiunij, & tres partes pœnitentiæ.* & Niniue subuertetur. Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis, à maiore vsque ad minorem: & peruenit verbum ad Regem Niniue: & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. Et clamauit, & dixit, In Niniue ex ore Regis, & Principibus eius dicens: Homines & iumenta, & boues & pecora non gustent quicquam: nec pascantur, & aquam non bibant. Et operiantur saccis homines; & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & conuertantur à via sua mala, & ab iniquitate quæ est in ma-

nibus eorum. Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus: & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus? Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala: & misertus est Deus super malitiam, *malum pœnæ*, quam locutus fuerat, *comminatoriè, & non absolutè, sicut Tertullianus alibi dixit machæram conditionalem*, vt faceret eis, & non fecit. *De Niniuitis pœnitentibus Augustinus lib. 21. de Ciuit. 24.* Niniuitæ, inquit, in hac vita egerunt pœnitentiam, & ideò fructuosam velut in hoc agro seminantes, in quo Deus voluit cum lacrymis seminari, quod posteà cum lætitia meteretur. Et tamen quis negabit quod Dominus prædixit, in eis fuisse cõpletum, nisi parùm aduertat, quemadmodum pec- S. Aug.

A catores Deus non solùm iratus, verùm etiam miseratus euertat? Euertuntur enim peccatores duobus modis: aut sicut Sodomitæ, vt pro peccatis suis ipsi homines puniantur: aut sicut Niniuitæ, vt ipsa hominum peccata pœnitendo destruantur. Factum est ergo quod prædixit Deus, euersa est enim Niniue quæ mala erat, & bona ædificata est, quæ non erat. Stantibus enim mœnibus, atque domibus, euersa est ciuitas in perditis moribus. Ac sic quamuis Propheta fuerit contristatus, quia non est factum, quod illi homines timuerunt, illo prophetante venturum, factum est tamen quod fuerat Deo præsciente prædictum: quoniam nouerat qui prædixit, quomodo iss melius esset, implendum.

9. Pœnitentia veniam obtinet reo, tabula naufragum ad portum vehit, optima est vt à Deo præcepta. De pœnit. cap. 4. per totum.

OMnibus ergo delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per iudicium destinauit, idem & veniam per pœnitentiam spopondit, dicens ad populum: [a] *Pœnitere, & saluum faciam te.* Et iterùm: [b] *Viuo*, inquit, *Dominus, & pœnitentiam malo quàm mortem.* Ergo pœnitentia vita est, cùm præponitur morti. Eam tu peccator, mei similis (immò me minor: ego enim præstantiam in delictis meam agnosco) ita inuade, ita amplexare, vt naufragus alicuius tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus mersum proleuabit, & in portum diuinæ clementiæ protelabit. Rape occasionem inopinatæ felicitatis: vt ille tu, nihil quondam penes Deum, nisi stilla situlæ, & areæ puluis, & vasculum figuli; arbor exinde fias illa [b] *quæ penes aquas seritur, & in folijs perennat, & tempore suo fructus agit*; quæ non ignem, non securim videbit. Pœniteat errorum repertâ veritate pœniteat amasse quæ Deus non amat; quando ne nos quidem ipsi, seruulis nostris ea quibus offendimur non odisse permittimus. Obsequij enim ratio in similitudine animorum constituta est. De bono pœnitentiæ enumerando diffusa, & per hoc magno eloquio committenda materia est. Nos verò pro nostris angustiis vnum inculcamus, bonum atque optimum esse quod Deus præcipit. Audaciam existimo de bono diuini præcepti disputare. Neque enim quia bonum est, idcircò auscultare debemus, sed quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obsequij, prior est maiestas diuinæ potestatis. Prior est auctoritas imperantis, quàm vtilitas seruientis. Bonum est pœnitere, an non? Quid reuoluis? Deus præcipit. At enim ille non præcipit tantùm, sed etiam hortatur. Inuitat præmio, salute; iurans, etiam: *Viuo*, dicens, cupit credi sibi. O beatos nos, quorum causâ Deus iurat! O miserrimos, si nec iuranti Domino credimus! Quod igitur Deus tantopere commendat, quod etiam humano more sub dejeratione testatur, summâ vtique grauitate & aggredi & custodire debemus, vt in asseueratione diuinæ gratiæ permanentes in fructu quoque eius & emolumento proinde perseuerare possimus.

a Ezech. 18, 21. 30. b Ezech. 33, 11. Esa. 40. 15. Dan. 2. 33. b Psal. 1 3. Hier. 19. 11. Matth. 3. 10. Matth. 7. 19. Ezech. 33. 11.

POENITENTIA. 9. SCHOL.

TABVLÆ FIDEM. *Cui salutem tuam fidas & committas. Tabulam dixit Hieron. ad Sabin.* Si nec pœnitentiam vult agere, & fracto nauigio tabulam, per quam saluari poterat, non retentat. *Et ad Saluinam*: Ne statim nobis pœnitentiæ subsidia blandiantur, quæ sunt infœlicium remedia. Cauendum est vulnus, quod dolore curatur. Aliud est integrâ naui, & saluis mercibus portum salutis intrare, aliud nudum hærere tabulæ, & crebris fluctuum recursibus, ad asperrima saxa collidi. *Tertulliano respondet Ambrosius, tam circa pænitentiæ tabulam, quàm circa in ea perseuerantiam, quòd Dei solius sit relaxare pœnam graui præsertim peccato debitam. Ita enim ad virginem lapsam, cap. 8.* Tu inquit, quæ iam ingressa es agonem pœnitentiæ, infelix misera, fortiter inhære, tanquam naufragus tabulæ, sperans per ipsam te de profundo criminum liberari. Inhære pœnitentiæ vsque ad extremum vitæ, nec tibi præsumas ab humano die, *iudice*, posce veniam dari, *remissionem pœnæ*, quia decipit te, qui hoc tibi polliceri voluerit. Quæ enim propriè in Dominum peccasti, ab illo solo quære remedium. PROLEVABIT, *alij* releuabit, perlauabit, perleuabit. PRO-

B TELABIT, *prouehet; perducet.* IN PORTVM. *Aug. de hoc portu, homil. 27. quem peccati occasionem esse Christianis, sui temporis Ethnici obijciebant.* Solent Christianis inde Pagani insultare, de pœnitentia quæ instituta est in Ecclesia: & contra nonnullas hæreses, *in quarum vnam incidit, Nouatianorum scilicet noster Tertullianus, de lapsis non recipiendis ad pænitentiam*, tenuit Ecclesia Catholica istam veritatem de pœnitentia agenda. Fuerunt enim qui dicerent, quibusdam peccatis non esse dandam pœnitentiam: & exclusi sunt de Ecclesia, & hæretici facti sunt. In quibuscumque peccatis non perdit viscera pia mater Ecclesia. Ergo solent inde etiam Pagani insultare nobis, &c. Vos, inquiunt, facitis vt peccent homines, cùm illis promittitis veniam, si egerint pœnitentiam. Dissolutio est ista, non admonitio, &c. Quomodo vincantur, breuiter accipiat charitas vestra, quia Domini misericordiæ totum optimè constituit in Ecclesia sua. Dicunt nos dare peccatis licentiam, quia portum pœnitentiæ pollicemur. Si clauderetur aditus pœnitentiæ, nonne ille peccator tantò magis adderet peccata peccatis, quantò magis sibi desperaret ignosci? diceret enim sibi: Ecce pec- S. Aug.

caui, ecce scelus admisi, iam mihi veniæ nullus est locus, pœnitentia infructuosa est, damnandus sum. Quare iam non viuo vt volo? quia ibi non inuenio charitatem, hîc saltem pascam cupiditatem, &c. Ergo si tuleris portum pœnitentiæ, desperatione augebunt peccata. Ecce mihi dicunt illi qui putant ideò augeri peccata, quia portus pœnitentiæ in Christianâ fide proponitur: quid ergo? Deusnè per illam spem indulgentiæ, rursus augerentur peccata, non de hoc prouidere debuit? Quomodo enim prouidit, ne sperando augeantur, sic prouidere debuit, ne desperando augeantur. Quomodo enim reuerà auget peccata qui desperauerit, sic potest augere peccata, & qui veniam sperauerit, vt dicat sibi, Faciam quid volo, Deus bonus est; quando me conuertero, ignoscet mihi. Ita planè dic tibi, quando me conuertero, ignoscet mihi, si crastinus dies certus est tibi. Nonne ad hoc te admonet Scriptura dicens Eccli. 5. 8. Ne tardes conuerti ad Dominum, nec differas de die in diem: subitò enim veniet ira eius, & in tempore vindictæ disperdet te? Ecce ad vtrumque vigilauit pro nobis prouidentia Dei. Ne desperando augeamus peccata, propositus est pœnitentiæ portus; rursus ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus. *Et sermone sexagesimo septimo de temp. cùm metu Iudicij terruisset, sic concludit.* S. Aug. Vt hæc tam dura & tam terribilia ante illud tribunal Iudicis audire non mereamur, dum adhuc licet, & cum Dei adiutorio in potestate nostra est, consideremus conscientias nostras. & si aliqua crimina, vel peccata capitalia, needum eleemosynis & orationibus purgata nobis adhuc dominari cognoscimus, portum pœnitentiæ, deuictis peccatorum fluctibus, Christo iuuante festinemus intrare: Et si quid in nauicula animæ nostræ multis tempestatibus peccatorum, aut per superbiam fractum, aut per auaritiam raptum, aut per luxuriam resolutum esse cognoscimus, componere vel reparare bonis operibus festinemus. Studeamus iugiter vitiorum nostrorum exhaurire sentinam. Non enim nocent peccata præterita, si non placent præsentia. INOPINATÆ, *vt qui naufragus eras, mediâ pœnitentiæ tabulâ feliciter portum appellas gratiæ, contra opinionem Paganorum & hæreticorum.* PERENNAT. *Perennia folia mittit.* AREÆ PVLVIS. *Dan. 2. 35. vbi de statua comminuta.* redacta *metalla*, quasi in fauillam æstiuæ areæ quæ rapta sunt vento. TEMPORE SVO. *Psal.* 1. 3. Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo: & folium eius non defluet, & omnia quæcumq; faciet prosperabuntur. VASCVLVM FIGVLI, *Ierem.* 19. 11. Sic conteram populum istum & ciuitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest vltrà instaurari. *Psal.* 2. 9. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. *Aug. in hunc locum*, Reges eos, &c. In inflexibili iustitia, S. Aug. & tanquam vas, &c. id est, conteres in eis terrenas cupiditates, & veteris hominis lutulenta negotia, & quidquid de peccatore limo contractum, atque inolitum est. NON IGNEM. *de quo Matth.* 7. 19. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. NON SECVRIM VIDEBIT. *Matth.* 3. 10. Iam securis ad radicem arborum posita est. omnis ergo arbor quæ non facit, &c. MAGNO ELOQVIO, *orationis disertæ & prolixæ.* QVIA BONVM EST, *vtile nobis.* PRIOR EST, *præcedere debet & magis monere.* QVID REVOLVIS? *quid quæris? quid dubitas?* PRÆMIO, SALVTE, *quod est salus. alij legunt,* salutem iurans. VIVO DICENS. *Ezech.* 33. 11. Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via, & viuat. *Ib.* Non volo mortem impij, sicut conuerti impium à via sua. SVB DEIERATIONE, *sancto iusiurando.* GRAVITATE, *maturitate, vt rem maximi ponderis. Alij legunt* grauitate: *id est, studio & cura,* ASSEVERATIONE, *sub promisso & iuramento Dei.*

* 10. *Pœnitentia, medicina quidem est aspera, sed salubris. Scorp. 5 circa med.*

EST & hæc peruersitas hominum, salutaria excutere, exitiosa suscipere, periculosa quærere, medica malè vitare; mori denique citiùs quàm curari desiderare. Nam & medicinæ præsidium plures refugiunt. plures enim stulti, plures timidi, & malè verecundi. Et est planè quasi sæuitia medicinæ, de scalpello, deque cauterio, de sinapis incendio: non tamen secari, & inuri, & extendi, idcircò malum, quia dolores vtiles adfert. nec quia tantummodò contristat, recusabitur; sed quia necessariè contristat, adhibebitur. Horrorem operis fructus excusat. Vlulans denique ille, & gemens, & mugiens inter manus medici, postmodum eaidem mercede cumulabit, & artifices optimas prædicabit, & sæuas iam negabit. Sic & martyria desæuiunt, sed in salutem. licebit & Deo in vitam æternam per ignes, & gladios, & acerba quæque curare.

11. *Et ibid. Vide verbum, Patientia exempla.* 2.

POENITENTIA. 10. SCHOL.

SÆVITIA MEDICINÆ. *Prænotatus initio tituli asteriscus præmonet Lectorem subiecta Tertulliani verba à literali sensu, qui apertè est de Martyrio, quo Deus vt sapiens medicus, quamuis seuero remedio, omnia peccati mala curat; ad pœnitentiam similiter medicam applicatur, de hac medicina sic Augustinus tom. 4. lib.* S. Aug. *de patientia cap.* 7. Cùm pro libidinibus, vel etiam sceleribus, cùm denique pro ista temporali vita ac salute multa homines horrenda, mirabiliter sufferunt, satis nos admonent, quanta sufferenda sint pro vita bona, vt posteà possit esse æterna, & sine vllo temporis termino, sine vtilitatis vllius detrimento; verâ fœlicitate secura. Dominus ait, In vestra patientia possidebitis animas vestras; non ait, villas vestras, laudes vestras, luxurias vestras, sed animas vestras. Si ergo tanta suffert anima vt possideat, vnde pereat, quanta debet sufferre ne pereat? deinde vt illud dicam quod culpabile non est, si tanta suffert pro salute carnis suæ, inter manus secantium, siue vrentium medicorum, quanta debet sufferre inter furores quorumlibet inimicorum? *puta dixisse inter seueritates Confessorum condignas pœnitentias imponentium*, cùm Medici, ne corpus moriatur, per pœnas corpori consulant, inimici autem pœnas & mortem corpori comminando, vt anima & corpus in gehenna occidatur, impellant: quanquam & ipsi corpori tunc prouidentiùs consulatur, si temporalis salus eius pro iustitia contemnatur, & pœna vel

vel mors eius patientissimè sufferatur? *Et tom. 10. ser. 67. de temp. sic de prædicatione iudicij & pœnitentia.* Et hoc attendite fratres, quia omnes carnales S. Aug. medici quotiens ad eos qui in corpore ægrotare videntur, veniunt, omnia quæ eis delectabilia esse videbantur abscindunt: & quod dulce est, ad integrum interdicunt. Aliquotiens etiam frigidum accipere non permittunt: *potum vel aërem*, interdùm & amarissimas potiones bibere cogunt, & asperrimis ferramentis eorum vulnera frequenter incidunt. Hoc ergo quod pro sanitate corporum carnales Medici faciunt, pro animarum salute spiritales Medici exercere contendunt, &c. Eligo aspera quidem, sed salubria vobis medicamenta ingerere, vt vobiscum posteà in Angelorum consortio perpetuâ merear incolumitate gaudere, &c. Quomodo enim theriaca bibitur ne corporibus possint præualere venena; hoc austerâ prædicatione geritur vnde animarum S. Aug. præparentur antidota. *Et in Psal. 57. in versum,* Priusquàm producat spinas vestras rhamnus, &c. quid est rhamnus? spinarum genus est, densissimæ quædam spinæ esse dicuntur: Primò herba est, & A cùm herba est, mollis & pulchra est, ibi sunt tamen spinæ posteà processuræ. Modò ergo delectant peccata & quasi non compungunt, &c. Interrogent se qui aliquid amant, & ad id peruenire non possunt. Videant si non cruciantur desiderio, & cùm peruenerint ad id quod illicitè desiderant, attendant, si non cruciantur timore, &c. Tunc *in iudicio*, spinæ illius rhamni, id est, dolores omnes, & compunctiones tormentorum producentur. Quales spinas patientur illi qui dicturi sunt: hi sunt quos aliquando habuimus in risum? spinæ compunctionis pœnitentiæ, sed seræ, & infructuosæ sunt, sicut spinarum sterilitas. Pœnitentia huius temporis dolor medicinalis est, pœnitentia illius temporis dolor pœnalis est. &c. Nolunt modò habere compunctionem medicinalem, habebunt posteà pœnalem. DE SINAPIS INCENDIO, *ignea quippe naturæ & mordacis & sinapi.* NON IDCIRCO MALVM. *Ideò medicina austeritas mala habenda non est, quia dolor ab ea inflictus vtilis est.* FRVCTVS EXCVSAT. *vtilitas.* LICEBIT ET DEO. *Si Medico licet pro salute & vitâ temporali, quantò magis Deo pro æternâ?*

POENITENTIA VERA, EIVSQVE CONDITIONES.

1. *Pœnitentia non differenda. De pœnit. cap. 6. à princ.*

OMne preтereà cunctationis & tergiuersationis erga pœnitentiam, vitium, præsumptio intinctionis importat. Certi enim indubitatæ veniæ delictorum, medium tempus interim furantur, & commeatum sibi faciunt delinqnendi, quam eruditionem non delinquendi.

POENITENTIÆ CONDITIONES. 1. SCHOL.

CVNCTATIONIS. *Vitium omne seu defectus tarditatis & dilationis pœnitentiæ, procedit ex præsumptione, & securitate quam habent adulti peccatores, quod in intinctione, id est baptismo, omnia sibi peccata remittenda sunt: vnde cùm certi sint de venia, totum illud medium tempus, hoc est ab initio conuersionis sua, vsque ad Baptismi susceptionem, quasi furantur Deo, cui placando omne tempus impendere deberent in illa pœnitentia, quæ à Catechumenis fiebat ante Baptismum.* ET COMMEATVM, *libertatem, & licentiam peccandi assumunt.* QVAM ERVDITIONEM, *potiùs quàm, &c. cùm enim tunc deberent erudiri per pœnitentiam, ad vitæ sanctitatem, post Baptismum excolendam quæ salutis sunt negligunt præsumptione veniæ consequendæ in Baptismo. Hunc ego locum contra tardantes conuerti ad Dominum, & serò pœnitentiam agentes torqueo. contra quos sæpè inuehitur Augustinus homil. 41. inscripta de verè pœnitentibus, quam sic in-* S. Aug. *cipit.* Pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes, si tamen estis pœnitentes, & non estis irridentes, mutate vitam, reconciliamini Deo, &c. Si ergo pœnitet, cur facis quod malè fecisti? si fecisse pœnitet, noli facere; si adhuc facis, certè non es pœnitens, &c. ægrotant homines, mittunt ad Ecclesiam, vel portantur ad Ecclesiam, & baptizantur, & renouantur, & fœlices hinc erunt. Sed non ipsa est causa pœnitentiæ. *non sic agenda est pœnitentia scilicet in extremo, &c.* mutet vitam, corrigat se, & reconcilietur, cùm viuit, dum sanus est; expectet etiam tunc reconciliari quando incipit mori? Experti sumus multos expirasse expectantes reconciliari, &c. Baptizatus ad horam, securus hinc exit fidelis benè viuens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam, & reconciliatus cùm sanus est, & posteà viuens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam ad vltimum, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. Vnde securus sum dico & do securitatem; vnde non sum securus, pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum, &c. non solùm post pœnitentiam ab istis vitiis se homo seruare debet: sed & ante pœnitentiam, dum sanus est: quia si ad vltimum vitæ steterit, nescit si ipsam pœnitentiam accipere, ac Deo & Sacerdoti peccata sua confiteri poterit, &c. *Tum de incertitudine quærenti an talis pœnitens in extremo saluabitur:* Nescio, non præsumo, non promitto, nescio. S. Aug. Vis te de dubio liberare, vis quod incertum est euadere? age pœnitentiam dum sanus es. Si enim agis veram pœnitentiam dum sanus es, & inuenerit te nouissimus dies, curre vt reconcilieris: si sic agis, securus es. Quare securus es? quia egisti pœnitentiam eo tempore, quo & peccare potuisti. Si autem tunc vis agere pœnitentiam ipsam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa, &c. duæ C res sunt, aut ignoscitur tibi; aut non ignoscitur: *loquitur rursum differenti ad extremum,* quid horum tibi futurum sit, nescio. Ergo tene certum, dimitte S. Aug. incertum. *Et serm. 57. de temp.* Qui criminum suorum sorde pollutus est, exomologesis satisfactione mundetur. Nec illud seruet, vt in extremo vitæ suæ tempore tunc pœnitentiam petat, quando iam agere non possit. Inutilis est enim, dilectissimi, ista persuasio. Parum est peccatorem pœnitere, nisi pœnitentiam peregerit. Ad emendanda enim crimina vox pœnitentis sola non sufficit, &c. datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non potest denegari: sed authores tamen esse non possumus, quod qui sic petierit, mereatur absolui, &c. quomodo pœnitentiam agere possit, qui nulla iam pro se opera satisfactoria operari potest? & ideò pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma est. Pœnitentia quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne ipsa moriatur.

2. *Pœnitentiam integram & veram exigit Deus, tamquam animæ pretium. De Pœnit. cap. 6. à p.*

QVàm porro ineptum, quàm iniquum pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum sustinere? hoc est, pretium non exhibere, ad mercem manum emittere. Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit; hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem. Si ergo qui venditant, prius nummum quo paciscuntur examinant, ne scalptus, neve rasus, ne adulter: etiam Dominum credimus, pœnitentiæ probationem prius inire: tantam nobis mercedem perennis scilicet vitæ, concessurum.

POENITENTIÆ CONDITIONES. 2. SCHOL.

QVAM INEPTVM. *Stultè enim sibi pollicetur veniam peccati, ex Dei pacto promissam, sub conditione pœnitentia vera & integra, & iniquè eam exigit, qui conditionem ex parte sua non implet.* SVSTINERE, *expectare. Aug. homil. 11. ex 50. in verba Psaltis,* S.Aug. viriliter age & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Quid est sustine Dominum? vt tunc accipias, quando dabit, non tunc exigas quando vis. Tempus dandi nondum est, sustinuit te, sustine illum, &c. si iam iustè viuis, si iam ad illum conuersus es, si tibi displicent facta tua præterita, si iam placuit tibi eligere vitam bonam nouam, noli festinare exigere *mercedem & gloriam, nam gratiam dat statim, nec sustinendum est, id est expectandum, promisit enim eam statim verè pœnitenti, & integrum* S. Aug. *pretium pœnitentia offerenti.* Sustinuit te, vt mutares vitam tuam malam: sustine illum, vt coronet vitam tuam bonam. Nam & si ille non sustineret, non esset cui daret, &c. Tu verò qui non vis corrigi, ô quisquis hîc es qui adhuc non vis corrigi, &c. quid tibi promittis? desperando peris, an sperando? quisquis desperando peris, hoc dicis in animo tuo: iniquitas mea super me est, in peccatis meis contabesco. Quæ mihi spes est viuendi? audi Prophetam dicentem Ezech. 33. nolo mortem impij: tantùm reuertatur impius à via sua pessima, & viuat. Qui sperando peris, hoc dicis in animo tuo, bonus est Deus, misericors est Deus, ignoscit omnia, non reddet mala pro malis, audi Apostolum dicentem Rom. 2. Ignoras quoniam patientia Dei ad pœnitentiam te adducit, &c. & quid dicis? adhuc modicum tempus viuam quomodo volo, &c. sed quid vis addere dies malos diebus malis? sufficiat diei malitia sua. Malus dies hesternus, malus & hodiernus, malus & crastinus. An putas esse bonos dies quando satisfacis voluptatibus tuis, quando in luxuriis enutris cor tuum, quando insidiaris alienæ pudicitiæ, quando fraude contristas proximum tuum, quando commendata negas, quando falsum pro nummo iuras, quando exhibes tibi bonum pran-

A dium, ideò putas quia bonum diem ducis? vnde fieri potest vt dies bonus sit, cùm malus sit homo? malos dies vis addere malis diebus? &c. crastino die te victurum, nemo tibi promisit, &c. longa erit fortè vita tua. Si longa erit, bona sit. Quare vis habere longam vitam & malam? aut longa non erit: & illa longa debet te delectare, quæ non habet finem: aut longa erit, & quid mali erit quia diu benè vixisti? &c. ô male dilator, ô crastini malè appetitor, audi Dominum dicentem, &c. Eccli. 5. 8. non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Sed nolo perdas te. *Frustrà ergo hic sustinet & expectat veniam qui non implet pœnitentiam, qui integrum non soluit pretium; qui de pœnitentia velut nummo scalpunt vel radunt de tempore quod totum vitæ non sufficit ad pœnam æternam vnico peccato mortali debitam redimendam, qui adulterant eam, fictè confitentes, partem pretij cum Anania & Saphira retinentes. Qui de partibus integrantibus aliquid detrahunt, imponentes confessori, sciant Deum huius nummi exactissimum probatorem.* MERCEM PERENNIS VITÆ. *Alij legunt* mercedem, *& vtrumque valet. Comparat enim pœnitentiam contractui venditionis & emptionis, merces Dei seu res vendita est gratia Dei, quæ cùm ex Paulo sit vita æterna, quæ merces est & præmium meriti, & mercedem, & mercem possumus legere, cùm pœnitentia sit opus iustitiæ & maximè meritorium, cùm integra Deo soluitur. Aliàs impletur in perfido pœnitente, & iniquo emptore illud Psaltis 48.* Non dabit Deo placationem suam, & C pretium redemptionis animæ suæ: *& quia cum Psalte dicere noluit:* laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum rigabo: *fiet de illo quod idem prædixit:* laborabit in æternum & viuet adhuc in finem. *De pretio quod ipse est peccator pœnitens, se totum & integrum Deo soluens, vide Aug. ser. 44. de verb. Do. in verba Pauli 1. Cor. 2.* quod oculus non vidit, &c.

* 3. *Pœnitentia vera, fructum emendationis habet. De Pudic. c. 10. in f.*

EGo eius pastoris scripturas haurio, qui non potest frangi. Hunc mihi statim Ioannes offert cum pœnitentiæ lauacro & officio dicentem, [a] *Facite dignos pœnitentiæ fructus, & ne dixeritis, Patrem habemus Abraham,* (ne scilicet rursum blandimenta delinquentiæ de Patrum resumerent gratia.) [b] *Potest enim Deus de lapidibus istis filios suscitare Abrahæ.* Sic & nos sequitur, vt eos qui hactenus delinquant facientes dignum pœnitentiæ fructum. Quid enim ex pœnitentia maturescit, quàm emendationis effectus? Sed & si venia potius est pœnitentiæ fructus, hanc quoque consistere non licet sine cessatione delicti. Ita cessatio delicti radix est veniæ, vt venia sit pœnitentiæ fructus.

a Matt. 3. 8.
b Ibid. 9.

4. *Pœnitentia sine emendatione, nulla est. De Pœnit. cap. 2. à p.*

VBi emendatio nulla, pœnitentia necessariò vana: quia caret fructu suo, cui eam Deus seuit, id est, hominis saluti.

A EIVS PASTORIS, *boni & veri, de quo Scriptura canonica loquuntur.* NON POTEST FRANGI, *corrumpi, flecti, ad misericordiam adduci, amore aberrantis ouis petulcæ in pratis luxuriæ, & mœchiæ. Aduerte tunc hæreticum factum, cùm hæc scriberet, & ad pœnitentiam cum Nouatianis, lapsos in mœchiam non admitteret; cui errori ampliùs euertendo sudauimus in Alphabeto hæreseon eius: hæc nunc ex Augustino præmitto, sermone 11. de verbis Domini.* Quicumque, inquit, verbo

S. Aug. Dei crediderunt, vt Catholici fierent, vtique aut ex Paganis, aut ex Iudæis, aut ex Hæreticis in gratiam Christi, pacémque venerunt: quibus si non est dimissum quòd dixerunt verbum contra Spiritum sanctum, inaniter promittitur, & prędicatur hominibus, B vt conuertantur ad Deum, & siue in Baptismo, siue in Ecclesia, pacem remissionémque accipiant peccatorum. Neque enim dictum est, non remittetur ei, nisi in Baptismo: sed non remittetur, inquit, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Nonnullis videtur, eos tantummodò peccare in Spiritum sanctum: qui lauacro regenerationis abluti in Ecclesia, & accepto Spiritu sancto, velut tanto posteà dono Saluatoris ingrati, mortifero aliquo peccato se immerserint, qualia sunt ADVLTERIA, vel homicidia, vel ipsa discessio, siue omni modo à nomine Christiano, *per idololatriam*, siue ab Catholica Ecclesia, *per hæresim & schisma.* Sed iste sensus vnde probari possit ignoro, cùm & pœnitentiæ QVORVMCVMQVE CRIMINVM locus in Ecclesia non negetur, & ipsos C hæreticos, ad hoc vtique corripiendos dicat Apostolus 2.Tim.2 ne fortè det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur, secundum ipsius voluntatem. Quis enim est fructus correctionis, sine vlla spe remissionis? NON POTEST FRANGI, *Quia iam non moritur, sicut nec mortui, vt duorum latronum, fracta sunt crura, quia non tantùm Pastor, sed & Agnus Paschalis erat, cuius ossa comminui non debebant: de quo Paulus:* Pascha nostrum immolatus est Christus. *vt capias sensum, aduerte immediatè priùs locutum de libro apocrypho, inscripto:* Pastor, *qui de recipiendis lapsis tractabat, quos Tertull. iam Nouatianus, ad pœnitentiam non admittebat; & quia prænotauerat hæc verba:* cui ille si D fortè patrocinabitur, quem in calice depingis, &c. *ouem humeris baiulantem, quem & ibidem vocat idolum ebrietatis ob calicem, & asylum mœchiæ ob luxuriam ebrietatis sequacem, quòd ouem errantem foueret, proinde dixit verum & viuum pastorem Christum non posse frangi, sicut idolum istud pictum, vel sculptum.* HVNC MIHI, *pastorem verum Christum.* IOANNES *Baptista.* FACITE DIGNOS, &c. *Matth. 3.7. & seq.* Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum, *Syr. fructus dignos*, pœnitentiæ: & ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham: dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ, BLANDIMENTA DELINQVENTIÆ, *propter* E *Abraham & Patres veteres gratos & acceptos Deo, blandiri sibi de impunitate & peccandi licentia non debebant.* NOS SEQVITVR, *idem monitum nos tangit.* QVI HACTENVS, *qui contenti sint huc vsque peccasse, & qui terminum peccatis imponant.* MATVRESCIT. *Quis fructus in maturitatem peruenit ex radice pœnitentiæ quàm morum efficax emendatio?* SI VENIA POTIVS, *Si mauis dicere, veniam esse effectum & fructum pœnitentiæ: hæc vera esse non potest, frustrà veniam tibi promittis, si à peccato non cesses. Hinc Esa. 1.16.* Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruersè, discite benè facere, &c. *Vera pœnitentia perseuerat, nec ad relicta reuoluitur pœnitens verus. Sic Ambrosius sermone in feria 4. post Dominicam 1. Quadrag. de modo verè agendi pœnitentiam.* Pœnitere, inquit, te asseris, qui cum iniustitia, quâ præcinctus es, superinduxisti superbiam? pœnitere te asseris qui carnem alienam sequeris? sic fatigaris? reuersus es sicut canis ad vomitum, aut velut sus calore affecta in limo terræ prouoluta. Quid sit tua pœnitentia non inuenio. Circuiui, & perambulaui locum pœnitentiæ, & non inueni pœnitentiam tuam. Qui sæculum destruxeras, ibidem inueniris: qui carnis superbiam deposueras, humerum submittis iterùm, vt grauiùs portes onus: qui auaritiæ dederas dorsum, denuò illi obuiam occurris: Qui vanitati repudium dederas, iterùm reuerteris ad eius gratiam, qui pompas sæculi fugeras, iterùm in manus illius incidisti, &c. *Et in cap. 7. 2. Cor.* Quæ, inquit, secundum Deum est tristitia, pœnitentiam ad salutem stabilem operatur. Manifestum est quòd qui tristis est, quia peccauit, secundum Deum tristis est: dolet enim quia fecit quod odit Deus. Hoc ad stabilitatem salutis pertinet. *Sed & ipsa pœnitentia stabilis esse debet, aliàs salus est instabilis. Et lib. 2. de pœnit. c.5.* Apostoli, inquit, secundum Christi magisterium pœnitentiam docuerunt, sponderunt veniam, culpam relaxauerunt: sicut & docuit Dauid dicens: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, &c. Vtrumque enim beatum dixit, & cuius iniquitas remittitur per lauacrum, & cuius peccatum tegitur operibus bonis. Qui enim agit pœnitentiam, non solùm diluere lacrymis debet peccatum suum, sed etiam emendatioribus factis operire & tegere delicta superiora, vt non ei imputetur peccatum. Ergo tegamus lapsus nostros posterioribus factis, mundemus fletibus, vt audiat nos Dominus Deus noster ingemiscentes, sicut audiuit lacrymantem Ephraim, sicut scriptum est, dicente Deo, Ierem. 31. Audiens audiui Ephraim lacrymantē. Et ipsa verba Ephraim lacrymantis expressit ibidem, dicens: Castigasti me, & castigatus sum, sicut vitulus non sum edoctus. Vitulus enim ludit, & præsepe deserit, & ideò Ephraim sicut vitulus non est edoctus, longè positus à præsepi, quia præsepe Domini deseruit, & Hieroboam secutus, vitulos adorauit, quod prophetia futurum per Aaron indicauerat, sic lapsurum populum Iudæorum. Ideóque agens pœnitentiam, dicit: Conuerte me, & conuertar: quia tu Dominus Deus meus: quia in nouissimo captiuitatis meæ pœnitentiam egi: & postquam cognoui, ingemui super dies confusionis, & subiectus sum tibi, quia accepi opprobrium & demonstraui te. *De emendatione, & fructibus dignis pœnitentiæ. S. Augustinus lib. 21. de Ciuit. cap. 27. vbi agit contra eos, qui quantuliscumque eleemosynis, absque correctione vitæ, omnia peccata sibi dimitti præsumebant.* Qualiacumque, inquit, vel quantacumque sint, etiamsi quotidie perpetrentur, nec ab eis vita discedat in meliùs commutata, per eleemosynam veniā non negatā, remitti sibi posse præsumunt. Sed benè quod isti dignas pro peccatis commonent eleemosynas esse faciendas: quoniam si dicerent, qualescumque eleemosynas pro peccatis & quotidianis, & magnis, & quantacumque scelerum consuetudine misericordiam posse impetrare diuinam, vt ea quotidiana remissio sequeretur, viderent rem se dicere absurdam atque ridiculam. Sic enim cogeretur fateri, fieri posse vt opulentissimus homo decem nummulis diurnis in eleemosynas impensis, homicidia, & adulteria, &

S. Aug.

nefaria quæque facta redimeret. Quòd si absurdissimum, & insanissimum est dicere, profectò si quæratur quæ dignæ sint pro peccatis eleemosynæ, de quibus etiam Christi præcessor ille dicebat: Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ: procul dubio non inuenientur eas facere, qui vitam suam vsque ad mortem quotidianorum criminum perpetratione confodiunt. Primùm quia in offerendis rebus alienis, longè plura diripiunt, ex quibus perexigua pauperibus largiendo, Christum se ad hoc pascere existimant, vt licentiam malefactorum ab illo se emisse, vel quotidie potius emere credentes, securi dãnabilia tanta committant: qui si pro vno scelere, omnia sua distribuerent indigentibus membris Christi, nisi desisterent à talibus factis, habendo charitatem quæ non agit perperàm, aliquid eis prodesse non posset. Qui ergò dignas pro suis peccatis eleemosynas facit, priùs eas facere incipiat à seipso. Indignum est enim, vt in se non faciat, qui facit in proximum, cùm audiat dicentem Dominum: Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Itemque audiat: Miserere animæ tuæ placens Deo. Hinc ergo eleemosynam, vt Deo placeat, non faciens animæ suæ, quomodo dignas pro peccatis suis eleemosynas facere dicendus est? Ad hoc enim & illud scriptum est; qui sibi malignus est, cui bonus erit? orationes quippe adiuuant eleemosynæ. Et vtique intuendum est quod legimus: Fili, peccasti, ne adiicias iterùm, & de preteritis tuis deprecare, vt dimittantur tibi. Propter hoc ergo eleemosynæ faciendæ sunt, & cùm de peccatis præteritis deprecamur: exaudiamur, non vt in eis perseuerantes, licentiam mali faciendi, nos per eleemosynas comparare credamus. Ideò autem Dominus, & dextris eleemosynas ab eis factas, & sinistris non factas se imputaturum esse prædixit, vt hinc ostenderet, quantùm valeant eleemosynæ ad priora delenda, non ad perpetua impunè committenda peccata. Tales autem eleemosynas non dicendi sunt facere, qui vitam nolunt à consuetudine scelerum in melius commutare. Quia & in hoc quod ait: quod vni ex minimis meis non fecistis, mihi non fecistis: ostendit eos non facere, etiam quando se facere existimant. Si enim Christiano esurienti panem tanquam Christo darent, profectò sibi panem iustitiæ, quod ipse Christus est, non negarent. Quoniam Deus, non cui detur, sed quo nomine detur, attendit. Qui ergo Christum diligit in Christiano, hoc animo ei porrigit eleemosynam, quò accedit ad Christum, non

A quò vult recedere impunitus à Christo. Tantò enim magis quisque deserit Christum, quantò magis diligit quod improbat Christus. Nam quid cuiquam prodest quòd baptizatur; si non iustificatur? *Hinc Tertullianus comparat pœnitentiam baptismo, quoniam vtrumque ab adulto suscipi debet cum emendationis proposito, aliàs peccator non iustificatur*, nonne qui dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum, &c. ipse etiam dixit, Nisi abundauerit iustitia vestra, &c. *hi propter traditionem, isti propter eleemosynam, mandatum Dei violarunt.* Cur illud timendo, multi currunt baptizari, & hoc non timendo, non multi current iustificari?

II. DEVS SAVIT. *Quasi plantam fructuosam, pro fructu ferentem emendationem vitæ, & ex ea salutem hominum. Arbor itaque fructuosissima pœnitentia est, sed ex fructu bono emendationis, bona pœnitentia arbor dignoscitur.* B *Sine vera correctione morum, non fructus digni pœnitentiæ nascuntur, sed pomis Sodomorum facie tenus similia. Hanc in rem Augustinum accipite tom. 4. lib. de fide & operib. c. 8.* Cur non aduertunt quod dictum est, agite pœnitentiam? Act. 2. 38. ibi est enim vitæ veteris expoliatio, vt nouâ induantur qui baptizantur. Cui autem fructuosa est pœnitentia, quæ agitur de mortuis operibus, si in adulterio perseueret aliisque sceleribus, quibus dilectio mundi huius inuoluitur? *Et serm. 7. de temp.* Ista est, filioli, vera pœnitentia, quando sic conuertitur quis, vt non reuertatur: quando sic pœnitet vt non repetat. *Et ser. 109. de temp.* Quid faciemus, fratres? nisi vt dum tempus est, vitam mutemus, & facta nostra si quæ sunt C corrigamus, vt quod sine vlla dubitatione venturum est peccatoribus, nos non inueniat, super quos veniat: non quia non erimus, sed vt non tales inueniat, qualibus venturum esse prædictum est, &c. Nam scriptum est in libro Sapientiæ, Dicent intra se pœnitentiam agentes, &c. erit enim ibi pœnitentia, sed infructuosa; erit ibi pœnitentia, sed dolorem habens, medicinam non habens. Nunc est fructuosa pœnitentia, quando correctio libera, &c. Mutare ergo modò à calore eius, & non deflues sicut cera ab igne eius. *Et per hæc constat Augustinum conspirare cùm Tertulliano, verum & proprium fructum dignum pœnitentiæ esse, non eleemosynas, non orationes aut alia opera ex se bona, à peccatoribus facta, sed correctionem morum, cessationem à peccatis, & emendationem vitæ, sine qua nihil cætera possunt ad salutem, quam salutem valdè faciunt dubiam, continuata peccata.*

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

5. *Pœnitentià secundà, & Dei misericordià non abutendum. De Pœnit. cap. 7. in p. ad circa f.*

PRæsumptio inuerecundiæ portio est, inflat petitorem, despicit datorem. Itaq; decipit nonnumquam. Ante enim quàm debeatur, repromittit, quò semper is qui est præstaturus offenditur. Huc vsque Christe Domine, de pœnitentiæ disciplina seruis tuis discere vel audire contingat, quousque etiam delinquere non oportet audientibus: vel nihil iam de pœnitentia nouerint, nihil eius requirant. Piget secundæ, immò iam vltimæ spei subtexere mentionem: ne retractantes de residuo auxilio pœnitendi, spatium adhuc delinquendi demonstrare videamur. Absit vt aliquis ita interpretetur, quasi eo sibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum: & redundantia clementiæ cœlestis, libidinem faciat humanæ temeritatis. Nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est, totiens delinquendo, quotiens ignoscitur. Ceterùm finem vtique euadendi habebit, cùm offendendi non habebit. Euasimus semel, hactenus periculosis nosmetipsos inferamus, etsi iterùm euasuri videmur. Plerique naufragio liberati, exinde repudium & naui & mari dicunt; & Dei beneficium, salutem suam scilicet, memoriâ periculi honorant. Laudo timorem, diligo verecundiam: nolunt iterum diuinæ misericordiæ oneri esse; formidant videri inculcare, quod consecuti sunt: bonâ certè sollicitudine iterum experiri vitant, quod semel didicerunt timere. Ita modus temeritatis, testatio est timoris. Timor autem hominis, Dei honor est. Sed enim peruicacissimus hostis ille, nunquam

malitiæ ſuæ otium facit. Atquin tunc maximè ſæuit, cùm hominem plenè ſentit liberatum: tunc plurimum accenditur, dum extinguitur. Doleat & ingemiſcat neceſſe eſt, venia peccatorum permiſſa, tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis retro ſuæ eraſos. Dolet, quod ipſum & angelos eius Chriſti ſeruus ille peccator iudicaturus eſt. Itaque obſeruat, oppugnat, obſidet: ſi quâ poſſit aut oculos concupiſcentiâ carnali ferire, aut animum illecebris ſecularibus irretire, aut fidem terrenæ poteſtatis formidine euertere: aut à via certa peruerſis traditionibus detorquere: non ſcandalis, non tentationibus deficit. Hæc igitur venena eius prouidens Deus, clauſâ licet ignoſcentiæ januâ, & intinctionis ſerâ obſtructâ, aliquid adhuc permiſit patere. Collocauit in veſtibulo pœnitentiam ſecundam, quæ pulſantibus pateſaciat; ſed iam ſemel, quia iam ſecundò, ſed amplius nunquam, quia proximè fruſtra. Non enim & hoc ſemel ſatis eſt? Habes quod iam merebaris: amiſiſti enim quod acceperas. Si tibi indulgentia Domini accommodat vnde reſtituas quod amiſeras, iterato beneficio gratus eſto, nedum ampliato: maius eſt enim reſtituere, quàm dare: quoniam miſerius eſt perdidiſſe, quàm omnino non accepiſſe.

POENITENTIÆ CONDITIONES. 5. SCHOL.

PRÆSVMPTIO. *Veniæ ſcilicet, ante peractam condignam pœnitentiam, non parua eſt impudentiæ pars.* INFLAT. *Quia ſuperbè extollit peccatorem de præſumptione veniæ.* DATOREM, *Deum indulgentiæ largitorem.* DECIPIT. *Quia veniam non conſequitur.* REPROMITTIT. *Sibi quaſi debitam ex Dei promiſſo; cùm non promiſerit niſi prius merenti per veram & integram pœnitentiam.* QVO SEMPER, &c. *fit ex illa præſumptione, vt Deus lædatur qui ex ſe ſemper veniam dare pœnitenti eſt paratus. Vel hæc præſumptio veniæ, facit vt peccator perſeueret in vitiis, quia præſumit Deum ſemper ſibi parciturum.* HVC VSQVE. *Hæc optatio & votum eſt Tertulliani, quo cuperet audientes & diſcentes hoc eſt Catechumenos, hactenus peccaſſe, & contentos eſſe prima illa pœnitentia quæ baptiſmum præcedebat, vt ſic poſt baptiſmum viuerent impoſito fine peccatis mortalibus, vt pœnitentia ſecunda publica & ſolenni non indigerent.* PIGET SECVNDÆ, *ægrè, inquit, & quaſi inuitus loquor de ſecunda pœnitentia.* IAM VLTIMÆ, *quòd ſemel tantùm ad eam admitterentur lapſi poſt baptiſmum. Pœnitentiam publicam, cum lacrymis, & ſupplicationibus fratrum, ſemel tantùm agendam, iuxta Tertullianum docuit ſanctus Ambroſius, lib. 2. de Pœnitentia cap. 10.* An teſtes, inquit, precationis, & conſcios refugis? cùm ſi homini ſatisfaciendum ſit, multos neceſſe eſt ambias, obſecres, vt dignentur interuenire; ad genua te ipſe proſternas, oſculeris veſtigia, filios offeras culpæ, adhuc ignaros, paternæ etiam veniæ precatores? hoc ergo in Eccleſia facere faſtidis, vt Deo ſupplices, vt patrocinium tibi ad Deum obſecrandum ſanctæ plebis requiras, vbi nihil eſt quod pudori eſſe debeat, niſi non fateri; cùm omnes ſimus peccatores; vbi ille laudabilior, qui humilior; ille iuſtior, qui ſibi abiectior. Fleat pro te mater Eccleſia, & culpam tuam lacrymis lauet, videat te Chriſtus mœrentem, vt dicat; Beati triſtes, quia gaudebitis, &c. vſus doloris ablegat luxuriam criminis, erroris delicias. Ita dum dolemus admiſſa, admittenda excludimus, & fit quædam de condemnatione culpæ, diſciplina innocentiæ, &c. Meritò reprehenduntur qui ſæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Chriſto, *id eſt, accepta à Chriſto gratia, & remiſſione, relabuntur ſub ſpe pœnitentiæ.* Nam ſi verè agerent pœnitentiam, iterandam poſtea non putarent: quia ſicut vnum baptiſma, ita vna pœnitentia, quæ tamen publicè agitur: nam quotidiani nos debet pœnitere peccati: ſed hæc delictorum leuiorum, illa grauiorum. Facilius autem inueni qui innocentiam ſeruauerint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam. An quiſquam illam pœnitentiam putat, vbi acquirendæ ambitio dignitatis, vbi vini effuſio, vbi ipſius copulæ coniugalis vſus? Renuntiandum ſæculo eſt; ſomno ipſi minus indulgendum, quam natura poſtulat, interpellandus eſt gemitibus, interrumpendus eſt ſuſpiriis, ſequeſtrandus orationibus; viuendum ita, vt vitali huic moriamur vſui, ſeipſum homo abneget, & totus immutetur; ſicut quendam adoleſcentem fabulæ ferunt, propter amores meretricis, peregrè profectum, & abolito amore regreſſum, poſtea veteri occurriſſe dilectæ; quæ vbi non interpellata, mirata, putauerit non recognitam, rurſus occurrens dixerit: ego ſum: reſponderit ille, ſed ego non ſum. *Ita Tertullianus pœnitentiam alibi, demutationem animi appellauit.* SPEI. *Quia ſpes veniæ in hac pœnitentia erat.* RETRACTANTES. *Sæpius monui vti ſolitum compoſitis, pro ſimplicibus, pro tractantes; vel denuò tractantes.* RESIDVO. *Quia poſt primam pœnitentiam, hæc ſecunda reſtabat.* SPATIVM DELINQVENDI. *Ne ſi hoſtium adhuc pœnitentiæ portam aperiam, ſimul videar dare licentiam peccandi baptizato.* PATEAT. *Supple via* LIBIDINEM FACIAT. *Alliciat hominem, ſatis iam temerarium, ad peccatum.* TOTIENS, *toties.* CÆTERVM FINEM, &c. *Ironicè dicta. quaſi verò, inquit, peccator conſecuturus ſit optatum finem, euadendi ab ira Dei & damnatione, cùm ipſe finem peccandi non habeat. Vel abſolutè; finem euadendi habebit, id eſt non amplius euadet iram Dei, terminum & finem indulgentiæ Dei erga ſe habebit, theſaurizans ſibi iram, cum finem non faciat peccandi.* EVASIMVS SEMEL *per pœnitentiam primam ante baptiſmum,* HACTENVS, &c. *contenti ſimus huc vſque nos expertuiſſe damnationis periculu: & quamuis ſciamus ſecundam pœnitentiam publicam nobis paratam eſſe ad euadendum ſecundò, non tamen ſub hac ſpe in Deum peccare præſumamus.* INCVLCARE. *Conculcare, contemnere.* MODVS TEMERITATIS, *moderatio, finis impoſitus temeritati peccandi.* HOSTIS, *diabolus.* EXTINGVITVR, *vt fax moriens, vel ignis magnus aqua aſperſus.* TITVLOS, *elogia, notas, crimina diuerſarum ſpecierum & nominum, de quibus ſuprà dixit,* peccator omnium notarum cùm ſim. DAMNATIONIS SVÆ, *ad quam ſuis tentationibus induxit.* IVDICATVRVS EST. *iuxta Paulum,* neſcitis quia Angelos iudicabimus? TERRENÆ POTESTATIS. *Imperatorum & Iudicum Gentilium fidem tormentis ſubuertere conantium.* A VIA CERTA *fide Orthodoxa.* TRADITIONIBVS. *Quales exprobrabat Chriſtus Phariſæis, Matth. 15. 3.* Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? *& verſu 6.* Irritum feciſtis mandatum Dei, *Syr. abrogaſtis ſermonem Dei* propter traditionem veſtram? *de quo & ſe Paulus accuſat, ſecta Phariſæus: Gal. 1. 14.* Abundantius æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum. *Et Coloſſ. 2. 8.* Videte ne quis vos

decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum. IGNOSCENTIAE, *indulgentiæ data in pœnitentia ante baptismum, de qua Paulus dixit*, impossibile esse renouari. INTINCTIONIS, *baptismi.* ALIQVID ADHVC, *pœnitentiam secundam* PVLSANTIBVS, *quia concedebatur petentibus.* IAM SECVNDÒ. *Primam innuit ante baptismum.* AMPLIVS NVMQVAM *non quod excludat à venia per Sacramentalem pœnitentiam obtinenda, sed à publica pœnitentia. Quia proximè, id est prius frustra acta est pœnitentia ante baptismum, & hæc secunda rursum frustranea fuit ob relapsum.* HABES, QVOD IAM MEREBARIS; *id est, vides, quòd si tibi negetur remissio post tuum lapsum, ab illa pœnitentia secunda, quæ tibi indulta fuerat post baptismum; non durè tecum agi;* HABES ENIM, *hoc est recipis, quod & iam merueras, ob lapsum tuum post baptismum; tibi enim iustè poterat aditus & recursus huius secundæ pœnitentiæ præcludi.* HINC PROXIME FRVSTRA. *Si tertiò relabaris nullus tibi locus erit tertiæ pœnitentiæ.* SATIS, *suffecerat iam semel admissum esse, cùm non mereretur admitti relapsus.* NEDVM AMPLIATO. *Ne dicam ampliori, quia plus est restituere quàm dare.* VEL AMPLIATO. *Id est dilato & suspenso Dei iudicio. Vox iuris, significans dilationem. Vnde causa ampliari dicebatur cùm res adhuc dubia erat, nec liquidò constabat & rei ampliati dicebantur, quorum damnatio differebatur. Vide Bud. in annot. Augustinus epist. 54. ad Macedonium, expressè testatur secundam pœnitentiam,* S. Aug. *eamque publicam, semel agi solitam; nec tamen post eam relabentes ad grauia crimina, si resipiscant, excludit à venia. Sic itaque in illa magna epistola, quomodo sit intercedendum pro reis:* quosdam quorum crimina manifesta sunt, à vestra seueritate liberatos, à societate tamen remouemus altaris, vt pœnitendo placare possint, quem peccando contempserant, seque ipsos puniendo. Nam nihil aliud agit quem veraciter pœnitet, nisi vt id quod mali fecerit, impunitum esse non sinat. Eo quippe modo sibi non parcenti, ille parcit, cuius altum iustumque iudicium nullus contemptor euadit, &c. & quamuis eis *relapsis post pœnitentiam secundam* in Ecclesia locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen super eos suæ patientiæ non obliuiscitur, &c. quamuis ergo cautè salubriterque prouisum sit, vt locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia conçedatur, ne medicina vilis, *vilescens ob reiterationem* minùs vtilis esset ægrotis, quæ tantò magis salubris est, quan-

A tò minus contemptibilis fuerit; quis tamen audeat dicere Deo; quare huic homini qui post primam pœnitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterùm parcis? *primam dicit scilicet post baptismum, quam semel iniri, proindéque primam & vltimam nominare fas est, quamquam sit secunda respectu primæ ante baptismum.* Quis audeat dicere erga istos non agi quod Apostolus ait, ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? &c. *Et in Enchir. ad Laur. cap. 5.* Neque de ipsis criminibus S. Aug. quamlibet magnis remittendis in sancta Ecclesia, Dei desperanda est misericordia, agentibus pœnitentiam secundum modum sui cuiusque peccati. In actione autem pœnitentiæ, vbi tale crimen commissum est, vt is qui commisit à Christi etiam corpore
B separetur, non tam consideranda est mensura temporis quàm doloris. Cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit. Verùm quia plerumque dolor alterius cordis, occultus est alteri; neque in aliorum notitiam per verba vel quæcumque alia signa procedit, cùm sit coram illo, cui dicitur, gemitus meus à te non est absconditus: rectè constituuntur ab iis qui Ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ, vt fiat etiam satis Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata. *Quod autem non sit abutendum venia & misericordia Dei, semper parati ad recipiendum hominem pœnitentem, sic idem Aug. in Psal. 31.* Anceps animus humanus & fluctuans inter confessionem infirmi- S. Aug. tatis, & audaciam præsumptionis, plerumque hinc atque inde contunditur, & ita impellitur, vt ei in quamlibet partem cadere præcipitium sit. Si enim
C se infirmitati propriæ omni ex parte donauerit, & in hanc cogitationem se inclinauerit vt dicat, quia misericordia Dei omnibus peccatoribus, in quibuslibet peccatis perseuerantibus, tantùm credentibus, quia Deus liberat, Deus ignoscit, ita parata est in finem, vt nemo pereat fidelium iniquorum, &c. Quiduis faciam, quibuslibet facinoribus & flagitiis inquiner, quantumlibet peccem, liberabit me Deus misericordiâ suâ quia credidi in eum, &c. cogitatione malâ inclinatur in impunitatem peccatorum: & Deus ille iustus, cui cantatur misericordia & iudicium non sola misericordia, sed & iudicium, inuenit hominem malè de se præsumentem, & ad interitum suum misericordiâ Dei abutentem, & necesse est vt damnetur.

POETÆ.

Poëtis nec vigilantibus credendum. De Ani. cap. 33. V. Metempsychosis 5. in p.

PONTI BARBARIES GRAPHICE DESCRIPTA.

V. Verbum, Marcion. in Ponto natus. num. 1.

PRÆDESTINATIO.

Prædestinationis secretum iudicium; quò alij per scalam Iacob ascendunt ad gloriam, alij decidunt in pœnam. 3. cont. Marc. cap. 24. à m.

Gen. 28. 12. QVum verò Iacob somniat scalas obfirmatas in terra ad cœlum, & angelos alios ascendentes, & alios descendentes, innixum desuper Dominum, temerè si fortè interpretabimur, scalis his iter ad cœlum demonstrari, quo alij perueniant, vnde alij decidant, Domini constitutum esse iudicio.

PRÆDESTINATIO. SCHOL.

SOMNIAT SCALAS. *Gen. 28. 12.* Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum in summo scalæ. TEMERE. *Aduerte respectum Patrum in Scriptura exponenda, de qua Apostolus:* propria interpreta-

tione non fit. *Certè non temerè, quamquam nullum hactenus inter tot huius loci interpretes, de prædestinatione hunc exposuisse præter Tertullianum, legerim. Non temerè inquam; siue de Angelis intelligas, occulto licet, at iusto Dei iudicio, aliis ascendentibus ad faciem Dei contemplandam in gloria, aliis cum Satana descendentibus in pœnam; siue de hominibus prædestinatis ad consortium Angelorum, vt Christus expressè de vltimo iudicio, & resurrectione loquens: Matth.* 22. In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. *Aliis cum diabolis descendentibus in infernum.* DOMINI CONSTITVTVM IVDICIO. *Per iudicium, decretum Dei, immobile statutum*, firmum fundamentum *iuxta Paulum intellige, quo alios per misericordiam elegit ab eterno ad gloriam, alios ex præscientia peccati, iustissimè reprobat, ad pœnam. De electorum & reproborum prædestinatione diuersa, & occulta, siue de aliis ascendentibus, aliis descendentibus iuxta Tertullianum,* EX CONSTITVTO IVDICIO DOMINI; *Sanctus Gregorius 29. Moralium cap. vltimo, in verba Iob.* 38. Numquid nosti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra? Ordinem, inquit, cœli nosse, est supernarum dispositionum occultas prædestinationes videre. Rationem verò eius in terra ponere, est ante humana corda talium secretorum causas aperire, &c. quod vtique facere in hac vita positus nullus potest. *Deinde incipiens à minimis, quæ ad temporalia pertinent, iusto condemnato, iniquo præualente; pessimo plurimos occisuro viuente, optimo multos seruaturo moriente, &c.* Alius, inquit, malè inchoans, vsque ad vitæ suæ terminum ad pejora pertrahitur, alius benè incipiens, per longitudinem temporum proficit ad augmenta meritorum. At contra alius malè viuens, diu reseruatur, vt se corrigat; alius verò benè quidem videtur viuere, sed in hac vita eòusque durat, quò ad peruersa prorumpat. Alius in errore infidelitatis natus, in errore deficit: alius in Catholicæ fidei rectitudine genitus, *baptizatus* in Catholicæ fidei rectitudine consummatur. E contra verò alius Catholicæ matris ventre editus, iuxta vitæ terminum erroris voragine deuoratur: Alius autem vitam suam in Catholica pietate consummat, qui ortus in perfidia, cum lacte matris hauserat virus erroris. Alius celsitudinem benè viuendi appetere vult, & valet: *operante Deo & velle, & operari:* alius nec vult, nec valet. Alius vult, & non valet; *secundùm Paulum, velle quidem mihi adiacet, perficere autem non inuenio:* alius valet, & non vult. *Posset enim, si Deus, secundùm Augustinum, pleniorem & validiorem ei vellet conferre voluntatem.* Quis ergo ista iudiciorum cœlestium secreta discutiat? Quis intelligat discretam lancem æquitatis occultæ? ad cognoscendos quippe istos iudiciorum secretorum sinus, nullus ascendit. Dicatur ergo homini, *numquid nosti ordinem cœli?* vt se nescire cognoscat: nescientem verò se cognoscat, vt timeat: timeat, vt humilietur: humilietur, ne præsumat in se: non præsumat in se, vt conditoris sui auxilium requirat: & qui in se fidens, mortuus est, Authoris sui adiutorium appetens, viuat: *D. etiam Isidorus Episcopus Hispalensis, lib. 2. sententiarum, cap. 6. cui titulus est* de prædestinatione, *plurima habet similia Gregorio Magno. Et hæc insuper:* gemina, inquit, est prædestinatio, siue electorum ad requiem, siue reproborum ad mortem. Vtraque agitur DIVINO IVDICIO, vt semper electos superna, & interiora SEQVI FACIAT: semperque reprobos infima, & exteriora, deserendo, sectari permittat. Sicut ignorat homo terminum lucis & tenebrarum, vel vtriusque rei quis finis sit: ita plenius nescit, quis ante suum finem luce iustitiæ præueniatur; vel quis peccatorum tenebris vsque in suum terminum obscuretur: aut quis post lapsum tenebrarum conuersus resurgat ad lucem. Cuncta hæc Deo patent, hominibus verò latent. Quamuis iustorum conuersatio in hac vita probabilis sit, incertum tamen hominibus, ad quem finem sint prædestinati; sed omnia reseruantur futuro examini. *Et ibid. cap. 15. de his qui à Deo deseruntur iuxta Greg. lib. 11. Mor. cap. 5. vbi ait:* Sicut nemo obsistit largitati vocantis, ita nullus obuiat iustitiæ relinquentis. *Ita & Isidorus.* Deserente, inquit, Deo nullum pœnitere: Deo respiciente, sua vnumquemque facta videre, & plangere, & vnde ceciderit cogitare. Nonnulli autem ita despiciuntur à Deo, vt deplorare mala sua non possint, Etiamsi velint. *Nec crudo nimis, aut suo, sed Spiritus sancti sensu, Patres hæc scripserunt. Ecclesiastes enim cap. 7. versu 14.* Considera inquit, opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit. In die bona, fruere bonis, & malam diem præcaue: sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus, vt non inueniat homo contra eum iustas querimonias. *Priorem partem ex Hebræo sic transfert Pagninus;* vide opus Dei: quis enim poterit dirigere, quem curuauerit ipse? *Iusto Iudicio sustentaculum indebitum gratiæ efficacis non tribuendo: sept. verò* vide opera Dei: quoniam quis poterit adornare eum, quem Deus peruerterit? *non impertiendo malitiam, vt ait August. sed non infundendo gratiam. Quod ab Augustino & Gregorio pluribus in locis deprompsit idem Isidorus.* Sicut auferre Deus dicitur homini donum, quod homo non habuit, id est quod accipere non meruit: sic & obdurare dicitur Deus hominem, non eius faciendo duritiam, sed non auferendo eam, quam sibi ipse nutriuit. Non aliter & obcæcare dicitur quosdam Deus, non vt in eis eamdem ipse cæcitatem faciat, sed quòd pro eorum meritis, cæcitatem eorum ab eis ipse non auferat. *Ita lib. 2. sent. cap. 5. de Gratia. Hoc est quod frequenter Paulus & Augustinus, non hominis vel Angeli arbitrio & merito, sed ex bonæ Dei voluntatis decreto & proposito, prædestinatio ad gloriam, sicut ex peccato præuiso siue Angeli actuali, siue hominis originali & actuali facta est reprobatio. Prædestinatio sic definitur ab Aug. lib. de Dono perseuerantiæ cap.* 14. Hæc prædestinatio Sāctorum nil aliud est quàm præsciētia scilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumq; liberantur. Cæteri autem, vbi nisi in massa perditionis iusto diuino iudicio relinquūtur? vbi Tyrij relicti sunt & Sidonij, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent. Sed quoniam vt crederent, non erat eis datum, etiam vnde crederent, est negatum. Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba vel signa conspiciant: & tamen si Dei altiore iudicio, à perditionis massa *in qua omnes ab Adam corrupta, inuoluti sumus*, non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta diuina vel facta, per quæ possent credere, si audirent vtique talia, vel viderent. In eadem perditionis massa relicti sunt etiam Iudæi, qui non potuerunt credere factis in conspectu suo tam magnis, clarisque virtutibus. Cur enim non poterant credere non tacuit Euangelium dicens, Io. 12. cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non crediderunt in eum, vt sermo Esaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit cap. 53. Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? & ideo non poterant credere, quia iterum dixit Esaias cap. 6. excæcauit oculos eorum; & indurauit cor illorum vt non videant oculis, nec intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos. Non erant ergo sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum & Sidoniorum, quoniam credidissent, si qualia vide-

S. Aug.

runt isti, signa vidissent: sed nec illis profuit quod poterant credere, quia prædestinati non erant ab eo, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & inuestigabiles viæ: nec istis obfuisset quod non poterant credere, *ob defectum scilicet illius præfati diuini muneris intelligentia*, si ita prædestinati essent, vt eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre. *Quod autem tam Gentiles quàm Iudæos plurimos reprobauerit, cùm reprobatio sit actus iusti iudicij, iustum autem esse non possit sine cognitione causæ, vel ex præscientia peccati originalis quo tenemur omnes, vel actualis quo plurimi, Deus plurimos reprobauit: quamuis enim nulli ex iustitia debeat gloriam, à qua potest sine iniustitia omnes excludere, ad pœnam tamen æternam nullum potuit sine præuisione peccati originalis, vel actualis, iustè reprobari & destinare. De vtroque sic Aug. ep. 105. ad Sixtum; impiis sic quærentibus de sua reproba vita;* Quid, inquiunt, nos fecimus, qui malè viuimus, quando quidem gratiam, vnde benè viueremus, non accepimus? *Sic respondet:* non possunt veraciter dicere, nihil se mali facere, quia malè viuunt. Si enim nihil mali faciunt, benè viuunt: si autem malè viuunt, de suo malè viuunt, vel quod originale traxerunt, vel quod insuper addiderunt. Sed si vasa sunt iræ quæ perfecta sunt ad perditionem, quæ illis debita redditur, sibi hoc imputent, quia ex ea massa facta sunt, quam propter vnius peccatum, in quo omnes peccauerunt, meritò Deus iustéque damnat. Si autem vasa sunt misericordiæ, quibus ex eadem massa factis supplicium debitum reddere noluit, non se inflent, sed ipsum glorificent qui eis misericordiam non debitam præstitit. *Reprobationem item ex præuisione peccati factam in eadem epistola ad Sixtum notat.* Sicut, inquit, voluntati eius *Dei* tribuitur humana natura nullo dubitante laudanda, sic hominis voluntati, culpa tribuitur, nullo recusante damnanda. Quæ voluntas hominis aut hæreditarium vitium transmisit ad posteros, quos in se habuit cùm peccaret; aut acquisiuit etiam cætera vitia, cùm in seipso vnusquisque perditè viueret. *Prædestinationem autem sine meritis præuisis, vel acceptione personarum fieri, vbique probat, & hic maximè, exemplo paruulorum, quorum alter è stupro natus, & à matre crudeli expositus, baptizatur, & in gratia moritur, alter à piis parentibus genitus, absque baptismo moritur.* Etsi conabuntur maioris ætatis aliqua merita suspicari, seu bona, seu mala: quid de istis infantibus dicent, quorum nec iste sibi vllis propriis malis potuit acquirere violentiam suffocantis, nec bonis ille diligentiam baptizantis? *Subiicit exemplum à Paulo relatum de Iacob & Esaü, ex eodem patre & matre, vno concubitu natis:* Cùm illi nondum nati, nihil egissent boni vel mali, vt secundum electionem, propositum eius maneret, electionem scilicet gratiæ, non debiti; electionem quâ eligendos ipse facit, non inuenit: non ex operibus, sed ex vocante dicit, minori seruiturum esse maiorem, *Non obsequendo, sed persequendo, ad patientiæ & meriti cumulum* in quam sententiam B. Apostolus testimonium Prophetæ longè posterioris assumpsit. *Malach. scil. 1. 2.* Iacob dilexi, Esaü autem odio habui vt intelligeretur hoc apertum posteà per Prophetam, quòd antequam illi nascerentur, erat in Dei prædestinatione per gratiam. Quid enim diligebat in Iacob, antequam natus, fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum? & quid oderat in Esaü, antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum? nam neque in illo diligeret iustitiam, quam nullam ipse fecerat; neque in isto odisset naturam, quam bonam ipse perfecerat. Mirum autem cum his coarctantur angustiis, in quanta se abrupta præcipitent, metuentes retia veritatis. Ideo, inquiunt, nondum

A natorum alium oderat, alium diligebat, quia eorum futura opera præuidebat. Quis istum acutissimum sensum defuisse Apostolo non miretur? hoc quippe ille non vidit, quando sibi velut aduersantis obiecta quæstione, non id potius tam breue, tam apertum, tam sicut isti putant verum absolutumque respondit? Cùm enim rem stupendam proposuisset, quomodo de nondum natis, nec aliquid agentibus boni aut mali, rectè dici potuerit, quod vnum Deus dilexerit, alium odio habuerit; ipse sibi obiecta quæstione, motum exprimens auditoris: quid ergo dicemus, inquit, numquid iniquitas apud Deum? absit. B Hìc erat ergo locus vt diceret quod isti sentiunt, futura enim Deus opera præuidebat, quando minori maiorem seruiturum esse dicebat. Non autem hoc Apostolus dicit, sed potius, ne quisquam de suorum operum audeat meritis gloriari, ad Dei gratiam & gloriam commendandam voluit valere quod dixit: cùm enim dixisset: absit vt sit iniquitas apud Deum: tanquam ei diceremus, vnde hoc ostendis, cùm asseras non ex operibus, sed ex vocante dictum esse maior seruiet minori? Moyses enim dicit Exo. 33. 19. Inquit, miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Vbi nunc merita, vbi opera vel præterita vel futura, tanquam liberi arbitrij viribus adimpleta, vel ad- C implenda? nonne apertam protulit Apostolus de gratuitæ gratiæ hoc est veræ gratiæ commendatione sententiam? *Tandem subiicit, nec reprobari & excludi à baptismo infantes, ob præuisa mala opera futura, si vixissent; nec baptizari & eligi, ob bona futura si superuixissent*, quomodo, inquit, futura dicuntur, quæ nulla erunt? &c. *Deinde subiicit.* Quid denique præstatur ei qui rapitur ne malitia mutet intellectum eius, &c. Sap. 4. 11. si iustè etiam illa puniuntur, quæ licet non fecerit, fuerat tamen viuendo facturus. *Quod repetit lib. de Prædest. sanct. cap. 14. & lib. de dono perseuerantia c. 9. ex Luc. 10.* Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij, quàm vobis. Seuerius ergo punientur isti, illi remissius, sed tamen D punientur. Porrò si etiam secundum facta, quæ facturi essent, si viuerent, mortui iudicantur: profectò quia fideles futuri erant. Isti *Tyrij & Sidonij in cilicio & cinere pœnitentiam acturi*, si eis cum tantis miraculis fuisset Euangelium prædicatum, non sunt vtique puniendi: punientur autem; falsum est igitur secundum ea mortuos iudicari, quæ facturi essent, si ad eos viuentes Euangelium perueniret. *Quod denique prædestinatio non fiat ex præuisis meritis vbique probat Augustinus, & pro exemplo puræ gratiæ sæpè proponit Christum qui nullo suo merito, sed mero gratiæ dono prædestinatus est filius Dei. Vt libro de Corrept. & gratia c. 11. de Prædest. Sanct. cap. 15. de dono perseuerantia c. 14.* Nullum, inquit, est illustrius prædestinationis exemplum, quam ipse Iesus, &c. quisquis fidelis vult eam benè intelligere attendat ipsum, atque in illo inueniat & seipsum, &c. qui ergo hunc fecit ex E semine Dauid hominem iustum, qui numquam esset iniustus, sine vllo merito præcedentis voluntatis eius, ipse ex iniustis facit iustos sine vllo merito præcedentis voluntatis ipsorum; vt ille caput, hi membra sint eius. Qui ergo fecit illum hominem sine vllis eius præcedentibus meritis, nullum quod ei dimitteretur, vel origine trahere, vel voluntate, perpetrare peccatum. Ipse nullis eorum præcedentibus meritis facit credentes in eum, quibus dimittat omne peccatum. Qui fecit illum talem, vt numquam habuerit, habiturusque sit voluntatem malam, ipse facit in membris eius ex mala voluntate, bonam. Et illum ergo, & nos prædestinauit, quia & in illo vt esset caput nostrum, & in nobis, vt eius corpus

corpus essemus, non præcessura merita nostra, sed opera sua futura præsciuit. *Gratiam vnionis & gratiam capitis in eo & virtutum omnium, & omnia bona opera nostra operaturus in nobis. Vnde suprà dixit* prædestinationem esse præparationem beneficiorum Dei *quorum maximum cùm sit gloria, & gratia quâ venitur ad gloriam, sanè si ex operibus nostris præuisis esset, iam non esset gratia. Sic autem concludit.* Qui legunt hæc, si intelligunt, agant Deo gratias: qui autem non intelligunt, orent, vt eorum ille sit doctor interior, à cuius facie est scientia & intellectus. Qui verò errare me existimant etiam atque etiam diligenter quæ sunt dicta considerent, ne fortassis ipsi errent. *Neque ergo meritis de facto futuris, vel possibilibus sed pura Dei gratia & misericordia tribuenda prædestinatio; nec alteri quam peccato originali vel actuali præuiso, reprobatio* constituto *vt ait Tertull.* Domini iudicio. *Scala obfirmata autem, hoc secretum bellè exprimit, iuxta Paulum:* firmum fundamentum Dei stat, nouit Dominus qui sunt eius: *nouit qui ascendant; nouit qui decidant*, nouit qui permaneant ad pœnam, nouit qui permaneant ad coronam. *Nec vacat quod expergefactus Iacob* erexit lapidem in titulum fundens oleum desuper; *Petra Christus, caput anguli prædestinatorum, altare & Pontifex, de femore Iacob marcido, id est de Virgine natus ex Iuda*, vnctus oleo præ participibus *prædestinatus, de quo Paulus*, elegit nos in ipso ante constitutionem mundi, *non quia eramus futuri immaculati, sed* vt essemus, *vt notat sæpius Augustinus. Prædestinationem quoque gratuitam, iuxta Augustinum contestatus est sanctus Isidorus Hispalensis Episcopus, libro secundo de differentiis spiritualibus, cap.* 27. Miro modo, inquit, æquus omnibus Conditor, alios prædestinatos præelegit, alios verò in suis prauis moribus iusto iudicio derelinquit. Inde verissimum *est* gratiæ munus, non ex humana virtute, vel ex merito arbitrij consequi, sed solius diuinæ pietatis bonitate largiri. Quidam enim gratissimè eius præuenientis dono saluantur, effecti misericordiæ vasa: quidam verò reprobi ad pœnam prædestinati, *optimè secundùm Augustinum, ad pœnam, quod iustum est; Cùm reprobatio sit actus iustitiæ supponentis culpam, ad quam Deum prædestinare aliquem, impium est & blasphemum cogitare.* Damnantur, effecti vasa iræ. *Vel per originale tantùm, vt res habet in infantibus absque baptismo decedentibus; vel cum originali, actuali peccato voluntariè inquinatis adultis.* Quod exemplo de Iacob & Esaü nondum natis, *ab æterno tamen, Dei prædestinatione vno electo, & altero reprobato*, colligitur. Qui dum essent vnâ conceptione, vel partu editi, parique nexu peccati originalis astricti, alterum tantùm eorum ad se misericordia præueniens traxit; alterum quadam iustitiæ seueritate odio habitum, in massam perditionis relictum damnauit; sicut & per Prophetam *Malach.* 1. *quo & vtitur Paulus Rom.* 9. *non de reprobatione temporali, vt patet toto capite; sed de consilio, & proposito electionis, vel reprobationis, intelligens*, idem Dominus dicens: Iacob dilexi, Esaü autem odio habui. Vnde consequens est, nullis præuenientibus meritis conferri gratiam, sed solâ vocatione diuinâ quemque saluari, sicut damnari vel reprobari; *Vnde Paulus ibidem, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, &c. Si enim in pari vtriusque peccato originali, Esaü, sicut Iacob, ex massa perditionis vocare voluisset, eumque sicut fratrem eligere, saluus fuisset; qui tamen iustè pro merito peccati in massa relictus est.* Siue ex proposito prædestinantis Dei, qui iustus est in reprobatis, misericors in electis. Vniuersæ enim viæ Domini, misericordia, & veritas. *Nec dicas Esaü, sicut & Iacob circumcisum, & à peccato originali purgatum. Quis neget? sed sicut quamplurimi baptizati, licet gratiæ Christi ad tempus participes, relicto post baptismum concupiscentiæ fomiti, voluntariè adhærentes, & in peccato vsque ad mortem perseuerantes, iustè damnantur, prædestinati ex præscientia peccati, ad pœnam æternam, ita & Esaü circumcisus iustè reprobatus est propter eandem causam; quibus omnibus Deus non tenebatur dare perseuerantiæ gratiam, quod proprium est electorum donum. Vide dicta fusissimè tomo* 1. *V. Prædestinatos ad malum an censuerit Augustinus. Fulgentius quoque noster sæpiùs, ad propositum Tertulliani de scala Iacob, per quam Angeli constituto Dei iudicio, alij per gratiam & bonum vsum liberi arbitrij, à statu gratiæ ad statum gloriæ ascenderunt; alij gratiâ & libero arbitrio abutentes, à statu beatitudinis, quam vt cæteri poterant adipisci, ceciderunt. Libro de Trinitate cap.*8. Huius æternæ atque incommutabilis Trinitatis potentiâ creata sunt omnia; sed excellentiorem, ac primam in Creaturis ortam reperimus rationalem Angelorum creaturam, de Dei sui dono beatam, & per liberum arbitrium beatificatam, non iugiter adhærentem. Ex quibus quædam pars Angelorum, nolens sui Creatoris facere voluntatem, ab eius contemplatione deiecta seruatur in iudicio punienda, Petro Apostolo dicente. 1. 2. Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed catenis inferni detractos, in tartarum, tradidit in iudicium reseruari cruciandos. Meritò quippe ignis æterni pœnâ in perpetuum punientur, quia si voluissent in sua perseuerare beatitudine, suffragabatur eis vtique voluntas libera: per quam voluntatem, ad seipsos, non ad Deum conuersi, effecti per superbiam tenebrosi, in huius aëris ima detrusi, seruantur in iudicium puniendi, nullum in eis voluntatis boni remansit vestigium. Illi autem qui seruauerunt, id quod facti sunt, per idem arbitrium, Deo scilicet Creatori suo incessanter adhærentes, per id quod steterunt gratiâ Dei beatiores effecti sunt: sic etiam, vt voluntas eorum nec velle habeat peccare, nec posse: quoniam quamuis mutabiles facti fuerint per naturam, immutabiles sunt facti per gratiam: stabiles etiam & certi de sua beatitudine nullatenus amittenda, fruuntur Deo, cuius contemplatione beati sunt. Planè ex duplici eos esse substantia adserunt magni & docti viri, *non compositione, sed assumptione, siue informatione* id est ex spiritu incorporeo, quo à Dei contemplatione numquam recedunt: & ex corpore, per quod ex tempore hominibus apparent: approbantes hoc ex illo loco Psalmi vbi dicit qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem. Corpus ergo æthereum, id est igneum, dicunt eos habere; Angelos verò malos, id est dæmones, corpus aëreum. Ergo post lapsum malorum & stabilitatem bonorum, placuit omnipotenti Deo aliam condere creaturam rationalem, libero arbitrio exornatam, per quam numerus ille Angelorum de cœlo labentium qui perierat, suppleretur. *Et lib. de Fide ad Petrum. c* 3. Horum malorum princeps diabolus, primos homines quia & peccati præcipitium inuidus dixit, non eis tantùm sed & vniuersæ propagini eorum cum vitio peccati meritum mortis inseruit. Deus autem misericors & iustus sicut diabolo & Angelis eius propriâ voluntate cadentibus, cæteros Angelos in suæ dilectionis æternitate firmauit: sic etiam humani generis massam, non totam in sempiternum perire permisit: sed quos voluit, eius gratuita bonitas, re-

pulsis tenebris in quibus omnis humana natiuitas peccati originalis condemnatione versatur, reducendos prædestinauit ad lucem. *Et lib. 2. ad Trasimundum de immensit. Diuinitatis filij Dei cap. 2. & 3.* Cùm, inquit, quædam pars *Angelicæ naturæ* de cœlesti beatitudinis culmine in imam perpetuamque cernitur deuoluta miseriam, Beato Petro dicente, quia Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferni tradidit in iudicio puniendos reseruari: profectò cognoscitur, vniformi cunctos opprimi potuisse ruinæ consortio, nisi quos vellet a casu prauitatis virtus illa defenderet, quæ sola naturaliter mutari, deprauarive non posset Ipsa igitur etiam homini reparando fuit necessaria, quia non alia stantem Angelum à ruina potuit custodire, nisi illa quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Vna est in vtroque gratia operata, *scilicet filij Dei misericordia, licet diuersa gratia: in Angelo enim & homine stante fuit sola gratia sufficiens: nunc autem gratia Christi post lapsum efficaciter operans:* in hoc, vt surgeret: in illo, ne caderet. In illo ne vulneraretur: in isto, vt sanaretur. Ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non siuit. Illius esca, istius medicina. Hunc autem quisquis sanum sapit, filium Dei non ambigit, qui A est virtus & sapientia Patris. Sapientia quæ cuncta disposuit: virtus, quæ omnia creauit. Sapientia, quæ illuminat: virtus, quæ adiutorium præstat. Sapientia, quia immutabilis: virtus quia insuperabilis. Qui omni creaturæ suæ per infinitam potentiam naturalem semper adest, & immensus numquam deest: qui hoc in se naturaliter habet esse quod pater est, & ideo potuit & Angelum in superioribus stabilire, & pro reparatione lapsi hominis ad inferiora descendere. *Hinc pulchrè Bernard. ser. 1. de Circumcis.* Attende, inquit, verbi profunditatem, postquam natus est Iesus, Iesus vocatur ab hominibus, qui vocatus est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur. Idem quippe & Angeli Saluator, & hominis: sed hominis, ab Incarnatione: Angeli ab initio creaturæ. *Saluator autem* B *Angeli, primo quidem obiectiuè quia propositus est adorandus Iesus Angelis in principio creationis: secundò efficienter per gratiam sufficientem sine qua stare non potuisset; tertio quia caput est omnium prædestinatorum, & proinde Angelorum qui in ipso electi sunt. Quartò quia Christus saluans homines, & ex iis implens ruinas Angelorum, hoc etiam modo Saluator eorum appellari potest, qui cadentibus cæteris ad gloriam per gratiam ascenderunt.*

PRINCIPIVM.

Principij nomen positum in primo versu Genesis, non significat materiam, sed ordinem operis, & initium mundi; vel potestatem, aut filium per quem Creator fecit mundum. Cont. Hermog. cap. 19. à p. ad f. & 20. in p.

a Gen. 1. 1 IPsum, [a] *principium, in quo Deus fecit cœlum & terram*, aliquid volunt fuisse quasi substantiuum & corpulentum, quod in materiam interpretari possit. Nos autem vnicuique vocabulo proprietatem suam vindicamus, principium initium esse, & competisse ita poni rebus incipientibus fieri. Nihil enim, quod fieri habet, sine initio esse, quin initium sit illi ipsum dum incipit fieri. Ita principium, siue initium, inceptionis esse verbum, non alicuius substantiæ nomen. Iam nunc si principalia Dei opera cœlum & terra sunt, quæ ante omnia Deus fecit, suorum esse propriè principium, quæ
b Gen. 1. 1 priora sunt facta, meritò sic præfatur Scriptura, [b] *In principio fecit Deus cœlum & terram*, quemadmodum dixisset, In finem Deus fecit cœlum & terram: si post vniuersa fecisset. Aut si principium aliqua substantia est, erit & finis aliqua materia. Planè licebit etiam substantiuum aliquid principium esse alij rei, quæ ex ipso sit futura: vt argilla principium testæ, vt semen principium herbæ. Sed cùm ita vtimur vocabulo principij quasi originis, non quasi ordinis nomine, adiicimus & mentionem ipsius rei specialiter, quam volumus principium alterius rei. De cetero si sic ponamus, verbi gratiâ: In principio fecit figulus peluim vel vrnam; iam non materiam significabit principium: non enim argillam nominaui principium, sed ordinem operis; quia figulus ante cetera primùm peluim & vrnam fecit, exinde facturus & cetera; ad ordinationem operum, principij vocabulum pertinebit, non ad originem substantiarum. Possum & aliter principium interpretari, non ab re tamen: nam & in Græco principij
Esa. 1. 23. vocabulum, quod est ἀρχὴ, non tantùm ordinatiuum, sed & potestatiuum capit princi-
Psal. 2. 2. patum. vnde & ἄρχοντας dicunt principes & magistratus. Ergo secundùm hanc quoque significationem, principium pro principatu & potestate sumetur. In principatu
c Gen. 1. 1 enim & in potestate [c] *Deus fecit cœlum & terram.* Sed vt nihil aliud significet Græca
Cap. xx. vox, quàm principium; & principium nihil aliud capiat, quàm initium: habemus etiam
d Prou. 8. 22. illam initium agnoscere, quæ dicit: [d] *Dominus condidit me initium viarum suarum in opera sua.* Si enim [e] *per Sophiam Dei omnia facta sunt; & cœlum ergo & terram Deus faciens in*
e Io. 1. 2. *principio*, id est initio, in Sophia sua fecit. Denique si principium materiam significaret, non ita Scriptura instruxisset, *In principio Deus fecit*, sed ex principio. Non enim in materia, sed ex materia fecisset. De Sophia autem potuit dici, in principio. In Sophia enim primò fecit, in qua cogitando & disponendo iam fecerat: quoniam etsi ex materia facturus fuisset, antè in Sophia cogitando & disponendo iam fecerat. Quoniam etsi erat
f Prou. 8. 22. [f] *initium viarum*, quia cogitatio & dispositio prima, Sophiæ sit operatio, de cogitatu viam operibus instituens, hanc & inde auctoritatem Scripturæ mihi vindico, quòd & Deus qui fecit, & ea quæ fecit ostendens, vnde fecerit non proinde testatur.

PRINCIPIVM. SCHOL.

VOLVNT. *Hermogenistæ, materiam Deo coæuam facientes.* IN MATERIAM. *In fauorem materiæ, vel de materia.* PRINCIPIVM INITIVM. *Nos dicimus per principium propriè intelligi, rei cuiuslibet inceptionem.* NIHIL ENIM, *supple dicimus.* SVORVM *operum scilicet.* PRÆFATVR. *Rectè. Primus enim versus Genesis & totius scripturæ est.* IN FINEM, *in fine. Frequenter vtitur accusatiuo, pro ablatiuo.* ALIQVA MATERIA, *arguté in Hermogenem, cuius materiam deponit ad vltimam creaturam, quam ille præponit omnibus, vt materiam faciat Deo coæternam, & necessariam, sine qua nihil facere potuisset.* PLANE LICEBIT. *Non nego, inquit, substantiam aliquam posse esse alterius rei principium, sicut semen est herbæ, lignum scamni, argilla testæ; sed tunc principium sumimus pro materia & origine, vnde fit aliquid, non autem pro ordine* B *temporis, quo primo incipit esse. Et tunc expressam mentionem facimus rei quam dicimus esse principium, sicut argillæ, seminis, ligni.* CAPIT PRINCIPATVM. *Accipitur pro principatu & potestate. Sicut Psal. 2. 2.* Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, &c. *70. habent, ἄρχοντες. Et Esa. 1. 23.* Principes tui infideles. *70. ἄρχοντές σου* principes tui inobedientes sunt. IN PRINCIPATV, *quia Deus ostendit potentiam suam, & se esse principem, & verè Dominum, & conditorem omnium ex nihilo.* SED VT NIHIL. *Sed esto, demus Græcam vocem nihil aliud significare, &c.* CAPIAT. *Ad nullius alterius rei significationem extendatur, quàm initij.* HABEMVS ILLAM, &c. *Non est vt quæramus Hermogenis materiam Deo necessariam,* C *vt initio omnia cum materia faceret, habemus enim apud Prouerbia Salomonis sic loquentem æternam Patris sapientiam, in qua & per quam omnia Deus fecit. Sic enim Prouerb. 8. 22.* Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. *70. autem,* Dominus condidit me initium viarum suarum in opera sua. INSTRVXISSET. *Sermonem suum hoc ordine & contextu struxisset.* COGITANDO ET DISPONENDO, *quam Sapientiam, id est Verbum vt ideam suam vnicam aspiciens, velut formam, in qua omnia facienda disponebat.* DISPOSITIO PRIMA. *In mente Dei.* SOPHIÆ OPERATIO. *Æterna Sapientiæ generatio, quæ ex comprehensiua cognitione essentiæ diuinæ generatur, in qua omnia futura & possibilia repræsentabantur.* DE COGITATV, *secundum ideam* D *suam & Verbum internum & æternum instituerat foras mittere & producere in tempore creaturas. Vnde Sapientia rectè dicitur* initium viarum. *Quia inde ad extra disposuit Pater producere creaturas, & extra prodiit.* HANC AVTHORITATEM. *Hunc locum,* MIHI VINDICO, *non materiæ Hermogenis, sed æternæ Sapientiæ adiudico, quia cùm hic Salomon & Deum opificem, & opera eius apertè dicat, nihil omnino dixit de origine siue materia quasi principio vnde fecerit omnia, vt ex nihilo in Sapientia sua, & per Verbum suum Deum omnia fecisse declararet. Vtrumq; locum & Gen. & Prouerb. De vtraque Christi natura exponit Aug. lib. 1. de* S. Aug. *Trin. c. 12.* Secundum formam Dei dictum est, ante E omnes colles genuit me: id est ante omnes altitudines creaturarum. Et ante Luciferū genui te, id est ante omnia tempora, & temporalia. Secundùm formam autem serui, dictum est; Dominus creauit me in principio viarum suarum. Quia secundùm formam Dei dixit Ego sum veritas: & secundùm formam serui, Ego sum via. Quia enim ipse est primogenitus à mortuis, iter fecit Ecclesiæ suæ ad regnum Dei, ad vitam æternam, cui caput est ad immortalitatem etiam corporis: & ideo creatus est in principio viarum Dei, in opera eius. Secundùm

A formam enim Dei, principium est quod & loquitur nobis Io. 4. in quo principio fecit Deus cœlum & terram. Secundùm autem formam serui sponsus procedens de thalamo suo. Secundùm formam Dei, primogenitus omnis creaturæ, & ipse ante omnes est, & omnia in illo constant. Secundùm formam serui ipse est caput corporis Ecclesiæ. *De loco autem Genesis frequentissimè. Vnum aut alterum* S. Aug. *locum subtexo. Libro de Gen. ad lit. imperfecto c. 3.* Quæritur quid sit in principio, id est vtrùm in principio temporis, an in principio in ipsa Sapientia Dei: quia & ipse Dei filius principium se dixit, quando ei dictum est, Tu quis es? & dixit, principium quod & loquor vobis. Est enim principium sine principio, & est principium cum alio principio. Principium sine principio solus Pater est, ideo ex vno principio esse omnia credimus. Filius autem ita principium est, vt de Patre sit. Ipsa etiam prima creatura intellectualis potest dici principium, in quibus caput est, quæ facit Deus. Cùm enim rectè appelletur principium caput, in illa gradatione Apostolus mulierem tamen non dixit caput alicuius. Nam & virum dixit caput mulieris, & caput viri Christum, & caput Christi Deum. Ita Creatori creatura subnectitur. An ideo in principio dictum est, quia primum factum est? *Et lib. 1.* S. Aug. *de Gen. ad lit. cap. 1.* In principio, &c. vtrùm in principio temporis; an quia primò omnium facta sunt; an in principio quod est Verbum Dei vnigenitus filius, &c? & quid significetur nomine cœli & terræ? vtrùm spiritalis corporalisque creatura cœli & terræ vocabulum acceperit, an tantummodo corporalis? &c. an vtriusque informis materia dicta est cœlum & terra, spiritalis videlicet vita, sicuti esse potest in se non conuersa ad Creatorem: tali enim conuersione formatur atque perficitur, si autem non conuertatur, informis est: corporalis autem si possit intelligi per priuationem omnis corporeæ qualitatis quæ apparet in materia formata, cum iam sunt species corporum, siue visu, siue alio quolibet sensu corporis perceptibiles. *Præcisè item in rem Tertulliani de figulo vrnam facienti in prin-* S. Aug. *cipio, Deum probat omnium principium, & materiæ, & opificem facientem, Augustinus lib. 11. Confess. 5.* Quomodo fecisti cœlum & terram, & quæ machina tam grandis operationis tuæ? non enim sicut homo artifex formans corpus de corpore, arbitratu animæ valentis imponere vtcumque speciem, quam cernit in semetipsa, interno oculo. *Intelligit artem,* S. Aug. *seu verbum mentis, formam expressam, & ideam in mente artificis.* Et vnde hoc valeret, nisi quia tu fecisti eam? & imponit speciem iam existenti, & habenti vt esset; veluti terræ, aut lapidi, aut ligno, aut auro, aut id genus rerum cuilibet. Et vnde ista essent, nisi tu fecisses ea? tu fabro corpus, tu animum membris imperitantem fecisti; tu materiam, vnde facit aliquid; tu ingenium quo artem capiat, & videat intus, quid faciat foris; tu sensum corporis, quo interprete traiiciat ab animo ad materiam id quod facit, & renuntiet animo quid factum sit, vt ille intus consulat præsidentem sibi veritatem, an benè factum sit. Te laudant hæc omnia Creatorem omnium. Sed tu quomodo facis ea? quomodo fecisti Deus cœlum & terram? non vtique in cœlo neque in terra fecisti cœlum & terram, neque in aëre, aut in aquis, quoniam & hæc pertinent ad cœlum & terram. Neque in vniuerso mundo fecisti vniuersum mundum, quia non erat vbi fieret, antequam fieret vt esset, nec manu tenebas aliquid,

vnde faceres cœlum & terram. Nam vnde tibi hoc quod tu non feceras, vnde aliquid faceres? quid enim est, nisi quia tu es? ergo dixisti, & facta sunt, atque in Verbo tuo fecisti ea. *Non ergo ex materia Hermogenis sibi coæterna, vel cum ea sibi necessaria; sed in Verbo suo, in principio vero, & materiam ipsam, & cœlum & terrã, & opifices homines, & aurum, & lignum & limum, & omnia, de quibus cuncta fiunt opera, primum omnium sine principio principium Deus Pater creauit & condidit, vt illi verè dixerit Propheta:* omnia opera nostra Domine, operatus es in nobis.

PROGRESSVS ET PROFECTVS.

I. *Progressus operum Dei, ab rudibus & imperfectis, ad perfecta. Cont. Hermog. cap. 29. in p.*

OMnia opera sua Deus ordine consummauit, incultis primò elementis depalans quodammodo mundum, dehinc ornatis velut dedicans. Nam & lumen non statim splendore solis impleuit, & tenebras non statim solatio lunæ temperauit, & cœlum non statim sideribus stellisque signauit, & maria non statim belluis frequentauit, & ipsam terram non statim variâ fœcunditate dotauit: Sed primò esse ei contulit; dehinc non in vacuum esse suppleuit. Sic enim & Esaïas: [a] *Non in vacuum*, ait, *fecit illam, sed inhabitari.* Posteà ergo quàm facta est, futura etiam perfecta, interim erat inuisibilis & rudis. Rudis quidem, hoc quoque ipso quòd inuisibilis, vt nec visui perfecta, simul & vt de reliquo nondum instructa. Inuisibilis verò, vt adhuc aquis, tanquam munimento genitalis humoris obducta, quâ formâ, etiam adfinis eius caro nostra producitur. Nam & Dauid ita canit: [b] *Domini est terra & plenitudo eius, orbis terræ, & omnes qui habitant in illa. Ipse super maria fundauit eam, & super flumina præparauit eam.* Segregatis enim aquis in cauationem sinuum, emicantior facta est arida, quæ antehac aquis tegebatur. Exinde itaque & visibilis efficitur, dicente Deo: [c] *Congregetur aqua in congregationem vnam, & videatur arida.*
a Esa. 45. 18. *Videatur*, inquit, non fiat, Iam enim facta erat, sed inuisibilis vsque tunc videri sustine-
Gen. 1. 1. bat. Arida autem, quòd erat futura ex diuortio humoris, tamen terra. [d] *Et vocauit Deus aridam terram*, non materiam. Sic & perfectionem posteà consecuta, desinit rudis haberi, cùm pronuntiat Deus: [e] *Fruticet terra herbam fœni seminantem semen secundùm genus, & secundùm similitudinem, & lignum fructuosum faciens fructum, cuius semen in ipso in*
b Psal. 23. 1. *similitudinem. Item:* [f] *Producat terra animam viuam secundùm genus, & quadrupedia, & repentia, & bestias terræ secundùm genus.* Impleuit igitur ordinem suum scriptura diuina: Quam enim prædixerat inuisibilem, & rudem, ei & visionem reddidit & perfectionem.

c Gen. 1. 9
d Ibid. 10.
e Ibid. 11.
f Ibid. 23.

PROGRESSVS. I. SCHOL.

DEPALANS, *propalans, ex occultis causis, hoc est ex potentia, & sapientia, & bonitate, ad esse producens ex tenebris nihili in apertum educens. Vel si mauis, rudi quasi penicillo delineans.* EXORNATVS. Spiritus enim eius ornauit cœlos: *& elementa prius veluti confusa, suis locis distinxit, & diuersis plantis & animalibus ornauit.* DEDICANS. *Quasi templum, quod dedicari non solet nisi absolutum & ornatum.* LVMEN, *diem.* Vocauit enim lucem diem, & tenebras noctem. *Quia cùm primo die lux facta sit, iuxta Patres, nubes lucida ex parte abyssi, dicente Paulo*, qui dixit de tenebris lumen splendescere: *quarto dehinc die fecit luminaria magna, & stellas.* SIGNAVIT, *distinxit variis signis, & astris Gen. 1. 14.* Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem. 70. *vt discernant inter diem, & noctem*, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos. BELLVIS FREQVENTAVIT. *Monstris marinis, aliisque piscibus frequens, & plenum reddidit.* NON IN VACVVM ESSE. *Non frustrà & sine fructu; vel alludit ad verba Gen. 1.* Terra autem erat inanis, & vacua. ESAIAS 45. 18. Ipse Deus formans terram & faciens eam, ipse plastes eius; non in vanum creauit eam, vt habitaretur formauit eam. 70. Iste Deus qui ostendit terram, & fecit eam; ipse distinxit eam *separauit ab aquis* non in vacuum fecit eam, sed vt habitaretur, plasmauit eam. ERAT INVISIBILIS. *Pro eo quod habet vulgata: Gen. 1. 1.* Terra autem erat inanis, & vacua: 70. *sic legunt:* terra autem erat inuisibilis & incomposita. VISVI PERFECTA. *Facta vt videretur, vel visui oblectando nondum perfectè seruiebat.* GENITALIS HVMORIS, *aqua congenita & concreata operta, sub qua latebat.* QVA FORMA, &c. *Caro nostra terræ similis, priusquam formetur est informis massa, quasi sepulta spurco humore menstrui sanguinis. Et Dauid Psal. 23.* Domini est terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuersi qui habitant in eo. Quia ipse, &c. CAVATIONEM SINVVM, *sinum concauum terræ.* EMICANTIOR, *eminentior ex parte terra emersit ex aquis.* CONGREGETVR. *Gen. 1 9.* Dixit verò Deus: congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum vnum: & appareat arida. 70. *habent vt Tertull. excepto quod omisit*, quæ sub cœlo. SVSTINEBAT, *expectabat, vt emergens ex aquis visibilis fieret.* EX DIVORTIO. *Separatione aquarum.* NON MATERIAM. *Pungit Hermogenem; vt nec Moyses materiæ fecerit mentionem, quia de nihilo Deus terram & omnia fecit.* FRVTICET TERRA. *Gen. 1. 11.* Germinet terra herbam virentem & facientem semen iuxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens vnumquodque sementem secundum speciem suam. 70. *nil differunt à Tertull. nisi in principio.* Germinet terra herbam pabuli. ITEM PRODVCAT. *Gen. 1. 23.* Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta & reptilia, & bestias terræ secundum species suas. 70. *nil differunt à Tertull.* IMPLEVIT ORDINEM. *Scriptura ordinatè narrauit quomodo Deus ab rudibus elementis incipiens, fuerit ad perfecta progressus, vt terra ex rudi & inuisibili, visibilis & exculta fieret. Aptè in rem Tertulliani Aug. lib. 12. Confess. c. 19. 20. 21. & 22.* Si non vultis hanc informitatem materiæ cœli & terræ nomine appellatam videri, erat ergo aliquid quod non fecerat Deus, vnde cœlum & terram faceret: neque enim Scriptura narrauit quòd istam materiem S. Aug.

Deus fecerit, nisi vt intelligamus eam cœli & terræ, aut solius terræ vocabulo significatam, cùm diceretur, In principio fecit Deus cœlum & terram, vt id quod sequitur; terra autem erat inuisibilis & incomposita; quamuis informem materiam sic placuerit appellare, non tamen intelligámus nisi eam quam fecit Deus, in eo quod scriptum est, fecit Deus cœlum & terram, &c. *Et cap. 24. vbi de Moyse scribente Genesim*; potuit cogitare in ipso faciendi exordio, cùm diceret: in principio: potuit cœlum & terram hoc loco nullam iam formatam perfectam naturam siue spiritalem, siue corporalem, sed vtramque inchoatam & adhuc informem velle intelligi. *Et cap. 29.* Si iam formatam velit vniuersam, *creaturam intelligibilem & corporalem* rectè ab eo quæri potest, si hoc primò fecit Deus, quid fecerit deinceps, & post vniuersitatem non inueniet, ac per hoc audiet inuitus, quomodo illud primò, si postea nihil? cùm verò dicit primò informem, inde formatam, non est absurdus, si modò est idoneus discernere, quid præcedat æternitate, quid tempore, quid electione, quid origine. Æternitate, sicut Deus omnia; *etiam materiam Hermogenis quam fingit Dei coæternam* tempore, sicut flos fructum; electione, sicut fructus florem; origine, sicut sonus cantum, &c. Ideo, quia cantus est formatus sonus; & esse vtique aliquid non formatum potest, formari autem quod non est, non potest. Sic est prior materies, quàm id quod ex ea fit, &c. *Et lib. 1. de Gen. cont. Manich. c. 5.* Prima ergo materia facta est confusa & informis vnde omnia fierent, quæ distincta atque formata sunt, quod credo à Græcis Chaos appellari; sic enim & alio loco *Sap. 11. 18.* legimus dictum in laudibus Dei, qui fecisti mundum de materia informi, quod aliqui codices habent de materia inuisa. Et ideò Deus rectissimè creditur omnia de nihilo fecisse: quia etiamsi omnia formata, de ista materia facta sunt, hæc ipsa materia tamen de omnino nihilo facta est. Non enim debemus esse similes istis qui omnipotentem Deum non credunt aliquid de nihilo facere potuisse, cùm considerant fabros & quoslibet opifices, non posse aliquid fabricare, nisi habuerint vnde fabricent. *Qualis fuit Hermogenes dicens materiam coæuam, sine qua nihil facere potuerit. Vide Augustinum lib. imperfecto in Gen.* c. 3. Quamquam scriptum legerimus Sap. 11. 18. qui fecisti mundum de informi materia: tamen ipsam materiam cuiusmodicumque sit, non possumus dicere non ab eo factam, ex quo omnia confitemur & credimus; vt etiam ipsa digestio, & ordinatio singularum quarumque rerum formatarum, & distinctarum, mundus vocetur: ipsa verò materies cœlum & terra, veluti semen cœli appellata sit, quasi confusum atque permixtum ab artifice Deo accipiendis formis idoneum, &c. *vt aliquid spiritale ex materiali creatione eruamus, vt lux imperfecta, & omnia prius informia, formata sunt, sic:* iustorum semita quasi lux crescit, & procedit vsque ad perfectam diem. *Aug. lib. 1. de Gen. ad lit. c. 1. de creatura spiritali & corporali:* an vtriusque informitas, his etiam posterioribus verbis significatur. Corporalis quidem eo quòd dictum est terra erat inuisibilis & incomposita: spiritalis autem eo quòd dictum est, tenebræ erant super abyssum: vt translato verbo, tenebrosam abyssum intelligamus naturam vitæ informem, nisi conuertatur ad Creatorem: quo solo modo formari potest, vt non sit abyssus, & illuminari vt non sit tenebrosa. *Et cap. 5.* Creatura quamquam spiritalis & intellectualis, vel rationalis, quæ videtur esse illi Verbo propinquior, potest habere informem vitam: quia sicut non hoc est ei esse quod viuere, *sicut est Verbo* ita nec hoc viuere, quod sapienter viuere, ac beatè viuere. Auersa enim à Sapientia incommutabili, stultè ac miserè viuit, quæ informitas eius est. Formatur autem conuersa ad incommutabile lumen sapientiæ, quod est Verbum Dei: à quo enim existit vt sit, vtque viuat, ad illum conuertitur, vt sapienter ac beatè viuat. Principium quippe creaturæ intellectualis est æterna sapientia, quod principium manens in se incommutabiliter, nullo modo cessat occulta inspiratione vocationis loqui ei creaturæ cui principium est, vt conuertatur ad id ex quo est, quòd aliter formata ac perfecta esse non possit. *Vt dicat Verbum, fiat lux, Dei cognitio primò imperfecta, deinde, fiant luminaria magna, primò, appareat arida terra, exsiccata humore peccatorum, incomposita adhuc ob malos habitus; deinde vestita gramine floribus & fructibus sanctorum desideriorum & bonorum operum.*

[S. Aug. — marginal notes beside the text, left and right]

* 2. *Progrediuntur & proficiunt gradatim omnia naturalia, sicut & documenta gratiæ data per Spiritum sanctum Christi vicarium. De Vel. Virg. cap. 1. in m. ad circa f.*

HAc lege fidei manente, cetera iam disciplinæ & conuersationis, admittunt nouitatem correctionis, operante scilicet & proficiente vsque in finem gratiâ Dei. Quale est enim vt diabolo semper operante, & adiiciente quotidie ad iniquitatis ingenia, opus Dei aut cessauerit, aut proficere destiterit? cùm propterea Paracletum miserit Dominus, vt quoniam humana mediocritas omnia semel capere non poterat, paulatim dirigeretur, & ordinaretur, & ad perfectum perduceretur disciplinâ, ab illo vicario Domini Spiritu sancto. [a] *Adhuc*, inquit, *multa habeo loqui vobis, sed nondum potestis ea baiulare: Cùm venerit ille spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem, & superuenientia renunciabit vobis.* Sed & supra de hoc eius opere pronunciauit. Quæ est ergo Paracleti administratio nisi hæc, quod disciplina dirigitur, quod scripturæ reuelantur, quod intellectus reformatur, quod ad meliora proficitur? Nihil sine ætate est, & omnia tempus expectant: Denique Ecclesiastes, [b] *Tempus*, inquit, *omni rei.* Aspice ipsam creaturam paulatim ad fructum promoueri. granum est primò, & de grano frutex oritur, & de frutice arbuscula enititur: deinde rami & frondes inualescunt, & totum arboris nomen expanditur inde germinis tumor, & flos de germine soluitur, & de flore fructus aperitur; is quoque rudis aliquandiu & informis, paulatim ætatem suam dirigens, eruditur in mansuetudinem saporis. Sic & iustitia (nam idem Deus iustitiæ & creaturæ) primò fuit in rudimentis, naturâ Deum metuens: dehinc per Legem & Prophetas promouit in infantiam: dehinc per Euangelium efferbuit in iuuentutem: nunc per Paracletum componitur in maturitatem.

a Io. 16. 12. & 13.
b Eccl. 3. 1.

PROGRESSVS. 2. SCHOL.

HAC LEGE. *Articulis fidei fundamentalibus, immutabiliter manentibus.* CÆTERA. *Reliqua omnia quæ ad mores & conuersationem Christianam pertinent, possunt mutari in melius; cùm gratia Dei operetur semper de nouo, & vsque ad mundi finem proficiat. Quis enim dicat, diabolum ingenijs id est artibus malis quotidie proficere, Deum autem ab augmento gratiarum cessare circa fideles suos?* PARACLETVM. *Montanum intelligit, quem peruersus iam, pro Spiritu sancto habebat. Vt patet ex fine textus huius vbi ait:* Nunc per Paracletum, &c. *cùm Euangelium & lex gratiæ propriè cœperit die Pentecostes, quo Spiritus sanctus in linguis igneis descendit in Apostolos. Quanquam hæc priora sano sensu de vero Spiritu sancto possint intelligi.* VICARIO DOMINI. *Quia vices Christi gessit, Doctor & sponsus pro Christo factus Ecclesiæ.* ADHVC MVLTA. *Io. 16. 12.* Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modò. *Syr. non potestis capere nunc* cùm autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis.
S. Aug. *Aug. tract. 96. in Io.* quænam sint ista quæ ipse non dixit, temerarium est velle præsumere, & dicere, &c. si Apostoli nondum poterant, multò minus vos potestis. *Quod sibi obijcit ab aliquo dictum* fortè sic multi possunt audire, quod tunc nondum poterat Petrus, sicut multi possunt Martyrio coronari, quod tunc nondum poterat Petrus: præsertim iam misso Spiritu sancto, qui tunc nondum erat missus, de quo continuò subjungit, & ait: cum autem venerit ille, &c. *Post multa*, non, inquit, à nobis expectetis audire, quæ tunc noluit Dominus discipulis dicere, quia nondum poterant illa portare; sed potius in charitate proficite, quæ diffunditur in cordibus vestris per Spiritum sanctum qui datus est vobis: vt spiritu feruentes, & spiritalia diligentes, spiritalem lucem, spiritalemque vocem, quam carnales & animales homines ferre non possunt, non aliquo signo corporalibus oculis apparente, nec aliquo sono corporalibus auribus instrepente, sed interiore conspectu, & auditu nosse possitis. Non enim diligitur, quod penitus ignoratur: sed cùm diligitur, quod ex quantulacumque parte cognoscitur, ipsa efficitur dilectione, vt melius & plenius cognoscatur. *Et hic est progressus, à cognitione ad amorem, & ab amore ad ampliorem cognitionem, vt crescamus in fide & charitate. Tum subiicit:* quod
S. Aug. ait, docebit vos omnem veritatem, vel deducet vos in omni veritate, non arbitror in hac vita, in cuiusquam mente posse compleri, &c. cùm dicat Apostolus, ex parte scimus, sed quia per Spiritum sanctum fit, vnde nunc pignus accipimus, vt ad ipsam quoque plenitudinem veniamus, de qua idem dicit Apostolus, tunc autem facie ad faciem: &, nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum: non quod in hac vita, sed totum quod vsque ad illam perfectionem, *de qua scriptum est, iustorum semita crescit & procedit vsque ad perfe-*

A *ctam diem* futurum est, nobis Dominus promisit per charitatem Spiritus, dicens: docebit vos omnem veritatem. SED ET SVPRA. *Io. 16. 7.* Si non abiero Paraclitus non veniet ad vos, &c. *Et Io. 15. 26.* Cùm venerit Paraclitus quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. ECCLESIASTES. *Eccl. 3. 1.* Omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt vniuersa sub cœlo. 70. & tempus omni rei sub cœlo. CREATVRAM. *Explicat, de arbuscula, id est parua planta ex semine crescente.* FRVTEX. *sunt conglobatæ paruæ radices ex corrupto semine ortæ.* ENITITVR. *Sursum ascendit.* GERMINIS TVMOR, *gemma, quâ turgescit folliculus floris.* SOLVITVR, *erumpit, expanditur.* RVDIS, *acerbus*, ERVDITVR, *acerbitatem deponit, &*
B *cum tempore maturescit. Aug. lib. 1. de Gen. cont. Manich. cap. 7. vbi de materia informi paulatim formata, & mundi perfectione crescente per dies:* informis illa S. Aug. materia quam de nihilo Deus fecit, appellata est primò cœlum & terra, &c. hanc autem adhuc informem materiam, etiam terram inuisibilem atque incompositam, voluit appellare, &c. dicta est aqua, quia facilis & ductilis subiacebat operanti, vt de illa omnia formarentur, &c. *Ibidem etiam vtitur loco præfato Io. 16. & similitudine arboris, hic à Tertulliano relata:* Adhuc multa habeo vobis dicere, &c. vt S. Aug. quid ergo dixerat omnia quæ audiui à Patre meo nota feci vobis: nisi quia se sciebat hoc esse facturum? sic etiam cœlum & terra potuit dici materia, vnde nondum erat, factum cœlum & terra, sed ta-
C men non erat aliunde faciendum, &c. Quemadmodum si semen arboris considerantes, dicamus ibi esse radices, & robur, *truncum* & ramos, & fructus, & folia, non quia iam sunt, sed quia inde futura sunt. Sicut dictum est, in principio, &c. quasi semen cœli & terræ; cùm in confuso adhuc esset cœli & terræ materia. *Sic implicita fides initio, sic virtus omnis paulatim explicata, sic in lege naturæ rudimenta iustitiæ; in Lege Moysi infantia; Vnde Paulus,* quando eram paruulus, &c. Quanto tempore hæres paruulus est, &c. *Tandem in lege gratiæ firmior. De maturitate sub Paracleto Montano, errorem supra attigi authoris. De progressu in virum perfectum fusè Aug. ser. 15. de verbis Apostoli, cuius verba postrema referam:* In quo peruenimus, non in eo remaneamus, S. Aug.
D sed in eo ambulemus. Videtis quia viatores sumus. Dicitis, quid est ambulare? breuiter dico, proficere, &c. semper tibi displiceat quod es, si vis peruenire ad id quod nondum es. Nam vbi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris, sufficit; & periisti. Semper adde, semper ambula, semper profice: noli in via remanere, noli retrò redire, noli deuiare. Remanet qui non proficit: retrò redit, qui ad ea reuoluitur, vnde iam abscesserat: deuiat qui apostatat. Melius it claudus in via, quàm cursor præter viam. *Addo & cæcum, incipientem videre, spiritaliter oculatum, dum de iustis proficientibus ait:* video homines sicut arbores ambulantes.

PROPHETIA.

1. *Prophetia Spiritus Dei solius est, cui iustè pro futuris credimus, qui olim prædicta, iam impleta cernimus. Apol. cap. 20. in m.*

PRouidenter scripta sunt. dum patimur, leguntur; dum recognoscimus, probantur idoneum, opinor, testimonium diuinitatis, veritas diuinationis. Hinc igitur apud nos futurorum quoque fides tua est, iam scilicet probatorum: quia cum illis, quæ quotidie probantur, prædicabantur. eædem voces sonant, eædem literæ notant, idem spi-

ritus pulsat. vnum tempus est diuinationi, futura præfandi. apud homines, si fortè, distinguitur, dum expungitur: dum ex futuro præsens, dehinc ex præsenti præteritum deputatur. Quid delinquimus, oro vos, futura quoque credentes, qui iam didicimus illis per duos gradus credere?

PROPHETIA. 1. SCHOL.

A PROVIDENTER. *cum magna Dei prouidentia, quæ ventura erant per Dei Prophetas prædicta sunt, vt contra Gentiles vnica sua Diuinitatis fidem Deus tueretur.* DVM PATIMVR. *quæ suprà dixerat, fames, pestes, elementorum mutationes, morum corruptionem, &c.* LEGVNTVR, *quasi plagis vindictæ diuinæ impressa, & impleta prophetiæ.* DVM RECOGNOSCIMVS, *dum reuoluimus Scripturas Prophetarum, vera, euentu manifesto probantur.* IDONEVM OPINOR: *certa probatio & conuictio veræ diuinitatis quam colimus, est ipse verus prophetiæ euentus.* FIDES TVTA, *hinc certi sumus vera esse olim prophetata, & certò ventura, quia multa iam prædicta euenisse videmus.* VNVM TEMPVS, *præteritum, præsens & futurum, idipsum est quoad certitudinem prophetiæ.* DVM EXPVNGITVR, *modò de facto impleatur, quod prædictum est.* DVM EX FVTVRO. &c. *dum id quod futurum prius erat, in* B *præsenti coram oculis nostris euenire cernimus, prophetia præterita vera fuisse cognoscitur, cùm res prædicta sit præsens.* DEPVTATVR, *æstimatur quale sit, quod præterito tempore, siue anteà prædictum fuit, ex vero euentu præsenti verum fuisse cernimus.* QVID DELINQVIMVS. *Quid nobis nimia credulitas & animi leuitas obiicitur circa fidem prophetiarum rerum futurarum, cùm ex præsenti & præterito euentu veras prophetias didicerimus? Et idem omnino Spiritus sanctus, eædem Scripturæ cecinerint quæ restant adhuc futura, cum præteritis & præsentibus quæ vidimus impleta, & quotidie impleri cernimus. Benè in hanc rem Aug. tom. 4. lib. de Catechisandis rud. c. 24.* Omnia hæc, sicut tantò antè prædicta legimus, sic & facta cognoscimus: & quemadmodum primi Christiani, quia nondum ista C prouenisse videbantur, miraculis mouebantur, vt crederent: sic nos quia omnia ista ita completa sunt, sicut in eis libris legimus, qui longè antequàm hæc implerentur, conscripti sunt, vbi omnia futura dicebantur, & præsentia iam videntur, ædificamur ad fidem, vt etiam illa quæ restant sustinentes, *expectantes*, & perseuerantes in Domino, sine dubitatione ventura credamus. Siquidem adhuc tribulationes futuræ, in eisdem Scripturis leguntur, & ipse vltimus Iudicij dies, vbi ciues ambarum ciuitatum, *Ierusalem, Babylonis, electorum & reproborum*, receptis corporibus surrecturi sunt, & rationem vitæ suæ ante tribunal Christi iudicis reddituri. *De quibus fusè ib. c. 27. & ser. 31. de ver. D c. 4.* Eia arbor infructuosa, non derideas quia parcitur tibi; dilata est securis, noli esse secura: veniet, & amputaberis: crede quia venturus est. Ista omnia quæ vides, non erant. Christianus populus toto orbe terrarum aliquando non erat, in Prophetia legebatur, in terra non videbatur: modò autem & legitur & videtur. Ipsa Ecclesia sic est completa. Non ei dictum est, Vide filia, & audi; sed, audi, & vide. Audi prædicta, vide completa. Quomodo ergo, fratres charissimi, non erat Christus natus de Virgine, promissus est, & natus est: Non fecerat miracula, promissa sunt, & fecit: nondum erat passus, promissum est, & factum est. Non resurrexerat, prædictum est, & impletum est, &c. Idola deleta & fracta non erant, prædictum est, &c. Hæretici impugnantes Ecclesiam non erant, prædictum, &c. Sic & dies Iudicij nondum est, sed quia prædictus est, implebitur. An fieri potest, vt qui in tantis verax apparuit, de die iudicij mendax sit? promissorum suorum nobis chirographum fecit. Non debendo enim, sed promittendo debitorem se Deus fecit: id est, non mutuò accipiendo. Non possumus ergo ei dicere, redde quod accepisti, quoniam quis prior dedit illi & retribuetur ei? &c. Sed planè dicimus, redde quod promisisti. Inde namque est quod audemus dicere quotidie, veniat regnum tuum: vt veniente regno eius, & nos cum illo regnemus; quod nobis his verbis promissum est Matth. 25. tunc dicam illis, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, &c. Sed planè si fecerimus quod ibi sequitur: Esuriui enim, &c. Promisit Patribus nostris, sed cautionem fecit, quam legeremus & nos. Sic faciat nobiscum rationem, qui dignatus est facere cautionem, & dicat, legite debita mea; hoc est debita promissionum mearum, & computate quæ reddidi, computate etiam quæ debeo. Ecce quàm multa reddidi, modicum est quod debeo: pro modico quod restat, infidelem me promissorem esse putabitis? quid respondebimus contra manifestissimam veritatem? Ergo qui sterilis est, agat pœnitentiam, & faciat fructum dignum pœnitentiæ. Qui curuus est, terram intuetur, terrenâ fœlicitate lætatur; istam solam putat esse vitam beatam, vbi beatus esse possit, aliam non credit. Quicumque tam curuus est, erigatur; si per seipsum non potest, inuocet Dominum. Numquid enim & mulier illa, *ab octodecim annis incuruata, (de qua agebat, vt & de ficulnea triennio sterili,* per seipsam erecta est? væ illi esset, si manum ille non porrexisset. *Sed væ nobis, si Verbum factum in manibus Prophetarum, spe erecti ad gloriam, timore curui ob Iudicis sententiam, certò non credamus. Vide Augustinum in eamdem rem sequenti Scholio.*

S. Aug.

S. Aug.

2. *Prophetiis diuinis fides & honor exhibendus.* 5. *cont. Marc. cap. 15. in med.*

QVem [a] *spiritum prohibet extingui? & quas prophetias vetat nihili haberi?* vtrique non Creatoris spiritum, nec Creatoris prophetias secundùm Marcionem. Quæ enim destruxit, ipse, ipse iam extinxit, & nihili fecit, nec potest prohibere, quæ nihili fecit. Ergo incumbit Marcioni exhibere hodie apud Ecclesiam suam exinde spiritum Dei sui qui non sit extinguendus, & prophetias quæ non sint nihili habendæ. Et si exhibuit quod putat, sciat nos quodcumque illud ad formam spiritalis & propheticæ gratiæ atque virtutis prouocaturos, vt & futura prænuntiet, & occulta cordis reuelet, & sacramenta edisserat. Quum nihil tale protulerit ac probarit, nos proferemus & spiritum & prophetias Creatoris, secundum ipsum prædicantes. Atque ita constabit Apostolum de quibus dixerit, de eis scilicet quæ futura erant in Ecclesia eius Dei, qui dum est, spiritus quoque eius operatur, & promissio celebratur.

a 1. Thess. 5. 19. & 20.

PROPHETIA. 2. SCHOL.

QVEM SPIRITVM. *Irridet Marcionem, qui cùm diceret Paulum Apostolum Dei sui noui, venisse vt destrueret & euerteret legem, Spiritum, Prophetas Creatoris, hoc loco non potuisse prohibere, sperni prædicta, ad Creatorem pertinentia.* PROHIBERE, *supple nihili fieri, siue contemni. Vnde opus est vt Marcion probet primò Ecclesiam suam nouam, deinde Spiritum, & Prophetias Dei sui, quas eius Apostolus contemni prohibet; sed quando id exhibuerit, compellemus eum, vt nobis probet iisdem argumentis hæc omnia; quibus & Deum nostrum verum, & Spiritum eius, & Prophetias veras conuincimus; ventura prophetet, narret mysteria, manifestet occulta cordium. Sic constabit Paulum verum Apostolum Creatoris, qui eius spiritum & Prophetias tueatur.* QVI DVM EST, &c. *quia operari sequitur esse. Probat enim se esse Deum ex opere diuino; spiritu scilicet prophetico.* PROMISSIO CELEBRATVR, *id est quæ promisit Deus Creator, euentu probantur; vel, Spiritus quem promisit per Prophetas, datus Apostolis agnoscitur, & in eius Ecclesia donec stabit, operabitur. Locum Apostoli profero. 1. Thess. 5.19.* Spiritum nolite extinguere, Prophetias nolite spernere. *In quem locum vide Aug. infra Verbo Spiritus sanctus. 12. Interim quanti sit faciendus spiritus Prophetiæ, docet Aug. lib. 11. de Ciuit. cap. 3.*

S. Aug. Hic *Deus Creator scilicet* prius per Prophetas, deinde per seipsum, postea per Apostolos, quantum satis esse iudicauit, locutus, etiam Scripturam condidit, quæ Canonica nominatur, eminentissimæ authoritatis; cui fidem adhibemus, de his rebus quas ignorare non expedit, nec per nosmetipsos nosse idonei sumus. Nam si ipsa sciri possunt testibus nobis quæ remota non sunt à sensibus nostris, siue interioribus, siue etiam exterioribus, vnde & præsentia nuncupantur, quæ ita ea dicimus esse præ sensibus, sicut præ oculis, quæ præsto sunt oculis: profectò ea quæ remota sunt à sensibus nostris, quoniam nostro testimonio scire non possumus, de his alios testes requirimus eisque credimus, à quorum sensibus remota esse vel fuisse non credimus. Sicut ergo de visibilibus quæ non vidimus, eis credimus qui viderunt: atque ita de cæteris quæ ad suum quemque sensum corporis pertinent; ita & de his quæ animo ac mente sentiuntur, quia & ipse rectissimè dicitur sensus, vnde & sententia vocabulum accepit, hoc est de inuisibilibus quæ à nostro sensu exteriore remota sunt, iis nos oportet credere, qui hæc in illo incorporeo lumine disposita didicerunt, vel manentia contuentur. *Ne ergo spernatur Prophetia circa futura prædicta, attendamus per Prophetas iam promissa impleta. Neque enim in aliquibus tantùm, sed vt ait Psaltes 144.13.* Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, *qui tamen versus apud Hebræos codices non reperitur, & apud 70. vt & legit Augustinus simpliciter habetur*, fidelis Dominus in verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. *Sed cùm verba eius operatoria sint, & iuxta Paulum,* sermo Dei viuus & efficax: *omnia opera eius, omnia verba eius.* Dixit enim & facta sunt. *In locum istum Psaltæ sic Aug.* Fidelis Dominus in verbis suis. Quid enim promisit & non dedit? &c. adhuc quædam promisit & non dedit: sed creditur illi ex his quæ dedit. Possumus illi credere tantummodò dicenti: noluit sibi credi dicenti, sed voluit teneri Scripturam suam. Quomodo si diceres alicui homini, cùm aliquid promitteres, non mihi credis, ecce ego scribo tibi. Etenim quia generatio vadit, & generatio venit, & sic transcurrunt ista sæcula, cedentibus succedentibusque mortalibus, Scriptura Dei manere debuit vt quoddam Chirographum Dei quod omnes transeuntes legerent, & viam promissionis eius tenerent. Et quanta sunt quæ reddidit ex isto Chirographo? &c. si dicat tibi Deus, Chirographum meum tenes, iudicium promisi de redditione bonorum & malorum, regnum sempiternum fidelibus, & non vis credere? ibi in Chirographo meo lege omnia quæ tibi promisi, deduc mecum rationem: certè vel computando quæ reddidi, potes me credere redditurum esse quod debeo. In ipso Chirographo habes promissum vnicum filium, cui non peperci, sed pro vobis omnibus tradidi eum: iam computa in redditis. Lege Chirographum, promisi ibi per filium meum pignus Spiritus sancti me daturum, computa redditum. Promisi ibi sanguinem & coronas Martyrum gloriosissimorum, computa redditum. Admoneat te massa debiti mei, &c. Ipsorum Regum fidem, nonne & promisi Chirographo, & reddidi in effectu? attende vbi promisi: Adorabunt eum omnes Reges terræ, &c. Psal. 71. Ingrate, legis debitum, cernis redditum, non credis promissum? &c. quædam reddidit sub maioribus nostris, quæ nos non vidimus: quædam reddidit temporibus nostris, quæ illi non viderant. Per omnes generationes reddidit quæ scripta sunt. Et quid restat, non ei creditur? his omnibus redditis, quid restat? ecce fecisti rationem, tanta reddidit, numquid propter pauca residua infidelis est factus? absit. Quare? quia fidelis Dominus in verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. *Quam iure ergo contra Marcionem Tertullianus, & contra infideles Christianos Paulus*, Prophetias nolite spernere. S. Aug.

3. *Prophetiæ certitudo probatur ex ignorantia Iudæorum. V. Verbum Marcionitæ num. 5.*

PROVIDENTIA.

1. *Prouidentia Dei, omnem victus & vestitus sollicitudinem excutit, maximè Apostolis & prædicatoribus. 4. cont. Marc. cap. 21. in p.*

Luc. 10. 4. DImittit discipulos ad prædicandum Dei regnum. Nunquid vel hîc edidit, cuius? Prohibet eos victui aut vestitui quid in viam ferre. Quis hoc mandasset, nisi qui

Luc. 12. 22. & 24. & 27. & coruos alit, & flores agri vestit? qui boui quoque terenti libertatem oris ad veniam pabuli ex opere summouendi antè præcepit: *quia dignus operarius mercede sua.* Hæc Mar-

Luc. 10. 7. cion deleat, dum sensui salua sint.

2. *Et 4. cont. Marc. cap. 29. in p.*

QVis nollet curam nos agere animæ de victu, & corporis de vestitu, nisi qui ista homini antè prospexit? & exinde præstans, meritò curam eorum, tanquam æmulam liberalitatis suæ, prohibet? qui & substantiam ipsius animæ accommodauit potiorem

esca,

esca, & materiam ipsius corporis figurauit potiorem tunica? cuius & corui non serunt, nec metunt, nec in apothecas condunt, & tamen aluntur ab ipso. Cuius & lilia & fœnum non texunt, nec nent, & tamen vestiuntur ab ipso; cuius & Salomon gloriosissimus, nec vllo tamen flosculo cultior. Cæterùm, nihil tam abruptum, quàm vt alius præstet, alius de præstantia eius securè agere mandet, & quidem derogator ipsius. Denique, si quasi derogator Creatoris, non vult de eiusmodi friuolis cogitari, de quibus nec corui nec lilia laborent, vltrò scilicet pro sua vilitate subiectis, paulò post parebit. Interim cur illos modicæ fidei incusat, id est cuius fidei? eiusne quam nondum poterant perfectam exhibere Deo, tantùm quòd velato quum maximè discentes eum; an quam hoc ipso titulo debebant Creatori, vti crederent hæc illum vltro generi humano subministrare, nec de eis cogitarent? Nam & quum subiicit, [a] *Hæc enim nationes mundi quærunt*; non credendo scilicet in Deum conditorem omnium & præbitorem, quos pares gentium nolebat, in eundem Deum modicos fidei increpabat, in quem gentes incredulas notabat. Porro cùm & adiicit, *Scit autem Pater opus esse hæc vobis*; prius quæram quem patrem intelligi velit Christus. Si ipsorum; Creatorem demonstrat, & bonum confirmat, qui scit quid filiis opus sit. Sin illum alium Deum, quomodo scit necessarium esse homini victum atque vestitum, quorum nihil præstitit? Si enim scisset, præstitisset. Cæterùm, si scit quæ sunt homini necessaria, nec tamen præstitit, aut malignitate aut infirmitate non præstitit. Professus autem necessaria hæc homini, vtique bona confirmauit. Nihil enim mali necessarium. Et non erit iam depreciator operum & indulgentiarum Creatoris, vt quod suprà distuli, expunxerim. Porrò, si quæ necessaria scit homini, alius & prospexit & præstat, quomodo hæc ipse repromittit? An de alieno bonus est? [b] *Quærite enim*, inquit, *regnum Dei, & hæc vobis adiicientur*. Vtique ab ipso. Quod si ab ipso, qualis est qui aliena præstabit? Si à Creatore cuius & sunt, quis est qui aliena promittat? Ea si regno accedent, secundo gradu restituenda; eius est secundus gradus, cuius & primus; eius victus atque vestitus, cuius & regnum. Ita tota promissio Creatoris est, parabolarum status, similitudinum peræquatio, si nec alium spectant, quàm cui per omnia pariauerint.

Luc. 12. 23.

a Ibid. 30.

Ibid.

b. Ibid. 31.

PROVIDENTIA. 1. & 2. SCHOL.

DIMITTIT, *mittit. Luc.* 10. 1. Designauit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam, &c. *Et versu* 9. Curate infirmos, &c. & dicite illis, Appropinquauit in vos regnum Dei. CVIVS? *Dei scilicet, noui Marcionis?* PROHIBET EOS, &c. *Luc.* 10. 4. Nolite portare sacculum neque peram, neque calceamenta. VICTVI, *ad victum.* QVIS HOC, *nisi Deus Creator, de quo Luc.* 12. 22. *& seq.* Dixitque ad discipulos suos: ideo dico vobis nolite soliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori quid induamini. Anima plus est quàm esca, & corpus plusquam vestimentum, considerate coruos quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum, & Deus pascit illos. Quantò magis vos pluris estis illis? &c. Considerate lilia quomodo crescunt, non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut vnum ex istis, &c. Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis: & nolite in sublime tolli: *Syr. nec immoretur mens vestra in istis* hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit quoniam his indigetis. *Aug. to.* 4. *lib.* 2. *qq. Euangelicarum q.* 28. *&* 29. *vbi de hac cura nutriendi augendique corporis:* quod Dominus dicit, si quod minimum est non potestis, cùm de augenda corporis statura diceret. Minimum est enim hoc, sed Deo, *Creatori, non Deo Marcionis otioso* corpora operanti. Cùm diceret discipulis, non debere habere solicitudinem de cibis, ait, & nolite in sublime extolli. Primò enim hæc ad necessitatem implendam homo quærit: cùm autem hæc abundauerint, incipit insolescere, & superbire de talibus. Tale est hoc, ac si se vulneratus quis, iactet quod habeat multa emplastra in domo; cùm hoc illi bonum esset, vt vulnera non haberet, & ne vno quidem indigeret emplastro. LIBERTATEM ORIS. *Dum ait:* non alligabis os boui triturāti. VENIAM PABVLI, *conceditur ei pasci.* EX OPERE. *Ex tritura in area, vnde bos spicas ad pabulum suum summouet.* ANTE. *In veteri lege, vt alibi diximus; priusquam Paulus id prædicatoribus applicaret.* DELEAT. *Pungit Marcionem truncatorem Euangelij Lucæ. Sed parum interest, inquit, quòd hæc verba eraserit, saluus modo maneat sensus, sicuti manet, Deum Creatorem bonum esse, qui & hominis prouidentiam habeat, & propter hominē, coruos & boues curet.*

S. Aug.

2. CVRAM ANIMÆ. *Solicitudinem, de qua dixit:* ne soliciti sitis animæ vestræ. NISI QVI PROSPEXIT. *De quo, inquit, alio Deo potuit hæc Christus dicere, quàm de Creatore, prohibens ne sui discipuli curam gererent inquietam de necessitatibus corporis, quas Creator ipse, & non Deus Marcionis otiosus, creauit ad vsum hominis?* ÆMVLAM LIBERALITATIS. *Quasi hæc cura, Dei prouidentia zelum conciter, cùm sit gloriæ suæ & prouidentiæ zelator; vel quod hominis cura, videatur velle contendere, cum solicita Dei prouidentia.* ACCOMMODAVIT, *tribuit homini vitam eiusque principium animam meliorem esca, sicut & corpus vestimento.* TAM ABRVPTVM, *tam contra sensum & rationem.* ALIVS, *Deus Creator.* ALIVS, *Deus Marcionis.* DE PRÆSTANTIA, *distributione & prouisione.* DEROGATOR, *Deus Marcionis, qui derogat bonitati creaturarum & earum Creatori, quem malum, vt & eius opera veluti mala damnat.* PAREBIT. *Infrà videbimus.* INCVSAT. *Accusat, & arguit, dum ait, Luc.* 12. 28. quantò magis vos pusillæ fidei? *Syr. autem* modicâ fide præditi. VELATO, *Deo scilicet nondum perfectè cognito quem adhuc rudes Discipulos Christus docebat. Sed de modica fide potius arguebantur quam debebant Creatori, vltro homini prouidenti.* PARES GENTIVM, *similes gentibus esse nolebat, quæ Dei prouidentiæ non credebant.* ET BONVM CONFIRMAT, *Christus si per Patrem, Deum Creatorem intelligit, eum, contra Marcionem, bonum esse confirmat.* NIHIL PRÆSTITIT, *nil creauit aut tribuit.* SI SCISSET, *arguit Deum Marcionis, ignorantem aut malum.* PROFESSVS, &c.

Christus expressè dicens hæc omnia necessaria esse homini, probauit consequenter esse bona. EXPVNXERIM, *impleuerim, persoluerim.* NECESSARIA SCIT. *Deus Marcionis.* VTIQVE AB IPSO, *Deo Creatore, cuius proinde & regnum est, & spiritalia pariter & temporalia.* QVALIS EST, &c. *Deus Marcionis quàm impudens & mendicus,* REGNO ACCEDENT. *Præter regnum dabuntur insuper.* RESTITVENDA. *Siue quod primò dederit cùm creauit ea subiiciens homini: & secundo ea tribuit, singulis applicans & prouidens, & quotannis producens: siue quod hæc temporalia peruersè in primo gradu & loco ab hominibus modicæ fidei ante regnum Dei & iustitiam eius, hoc est ante gratiam, fidem & opera quibus iustè illud promerentur, posuerant & statuerant; secundo gradu, vt à Deo iusto ordine statuta fuerant, restituenda esse Christus demonstrat.* PARABOLARVM STATVS, *omnes Parabolæ & similitudines, coruorum, boum, liliorum, Salomonis, &c. ad Deum Creatorem pertinent, & promissio rerum temporalium & spiritalium, non alium hoc est Deum Marcionis pro spiritalibus respiciunt, Creatorem autem pro temporalibus, sed omnia pariter & æqualiter homini ab vno eodemque Creatore bono & optimo prouidentur. Totum hunc Tertulliani textum, & similitudines, à cura animalium, ad hominum curam & prouidentiam peræquatas, & pariatas, vt vtar Authoris nostri terminis, non inæquali contextu prosequitur*

S. Aug. *Augustinus, in Psal. 145. in versum* Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius. *Vbi doctè dicit, & Deum Creatorem, regnum esse & possessionem suorum credentium, & omnibus prouidere, multò magis homini.* In quo est spes ipsius, ipse erit res ipsius. Fratres an fortè erraui, quia dixi rem nostram futurum Deum? quid si dicerem hæreditatem nostram futurum Deum? Psal. 141. Spes mea es tu, portio mea in terra viuentium. Tu eris portio mea: eris tu possessio, & possidebis. Possessio Dei eris, & possessio tua erit Deus. Tu eris possessio eius, vt colaris ab eo; & ipse erit possessio tua, vt colas eum. Nam & tu colis Deum, & coleris à Deo. Rectè dicitur, colo Deum; quomodo autem color à Deo? inuenimus Apostolum 1. Cor. 3. Dei, inquit, agricultura estis, Dei ædificatio estis, &c. colit te ergo Deus, vt sis fructuosus, & colis Deum, vt sis fructuosus, &c. Cultor Deus si recedat ab homine, desertus fit ipse homo: cultor homo si recedat à Deo, desertus fit ipse homo. Nec crescit Deus accedente te, nec decrescit discedente te. Ergo erit ipse possessio nostra, vt nos pascat; & nos erimus possessio eius, vt nos regat. *Sed quærite primùm regnum Dei, &c.* spes illius in Dominum Deum ipsius, &c. in Domino Deo suo est spes etiam illius, qui colit Saturnum; in Domino Deo ipsius est spes, qui colit Martem, qui colit Neptunum, qui colit Mercurium, *qui colit Deum Marcionis nouum* plus addo, qui colit ventrem; *aptè in curam victus* de quibus dictum est; quorum Deus venter est. Ergo ille illius Deus, atq; ille, illius. Quis huius beati? quia spes ipsius in Domino Deo ipsius. Sed quis est, iste? qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Fratres

A mei, magnum Deum habemus, &c. nondum vides Deum, non potes amare plenè, quod nondum vides. quæ vides, ipse fecit. Miraris mundum, quare non artificem mundi? &c. Respice innumerabilitatem stellarum, respice tanta genera seminum, tantas diuersitates animalium, quidquid natat in aquis, repit in terra, volitat in aëre, circumit in cœlo, omnia ista, quam magna, quàm præclara, quàm pulchra, quam stupenda? Ecce qui fecit hæc omnia Deus tuus est, pone ibi spem tuam, vt sis beatus, &c. Fortè dicturus erat homo iste, video quidem omnia magna ista, cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, fecit Deus: Quando me computat Deus inter ea quæ fecit? & vere ego pertineo ad curam ipsius? & modò de me cogitat, aut scit an viuam? &c. Audi eloquia diui-

B na, &c. qui curauit facere te, non curauit reficere te? &c. fecit cœlum & terram & mare, & omnia quæ in eis sunt. Si ergo omnia quæ in eis sunt, & te. Paruum dico te: passerem, locustam, vermiculum. Nihil horum non ille fecit, & cura est illi de omnibus, &c. dicit enim Psalmus, homines & iumenta saluos facies Domine, secundùm multitudinem misericordiæ tuæ Deus, &c. Et Apostolus 1. Cor. 9. Numquid de bobus cura est Deo? Numquid contraria sunt ista, &c. vbi est præceptum? Deut. 5. boui trituranti os non infrenabis. Ibi de bobus non cogitauit Deus? itaque quosdam boues voluit significari. *Prædicatores intelligis* ad præcepti ergo tenorem, non est de bobus cura Deo, *qui non sunt capaces præcepti docendi vel discendi* sed ad prouidentiam vniuersitatis, quâ

C creauit omnia, & mundum regit, homines & iumenta saluos facies Domine. *Subiicit aptè ad Marcionem, in nouo Testamento curam abiici boum, quorum sit cura à Deo Creatore, & authore veteris Testamenti; & concludit:* Nihil tam in capite noui Testamenti, quàm Euangelium. In Euangelio inuenio, quia omnia ista pertinent ad Deum; nemo erit iam qui contradicat. Numquid enim Apostolus Euangelio contrarius erit? Audiamus ipsum Dominum Principem & Magistrum Apostolorum Matth. 6. respicite inquit volatilia cœli, quia non seminant, neque metunt, neque congerunt in horrea: & Pater vester cœlestis pascit illa. Ergo & præter hominem animalia ista pertinent ad curam Dei vt pascantur, non vt

D legem accipiant. Quod ergo ad dandam legem attinet, de bobus cura Deo non est, quod autẽ ad creanda, ad pascenda, gubernanda, & regenda, omnia ad Deum pertinent: nonne duo passeres asse væneunt? &c. quantò magis vos pluris estis illis? Matth. 10. Nolite ergo dicere, non pertineo ad Deum: pertinet ad Deum anima tua, pertinet ad Deum corpus tuum, quia Deus fecit & animam tuam, & corpus tuum. Dicis fortè, non me numerat Deus in magna multitudine: accedit tibi mirum de Euangelio, capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Ergo Deus meus est & in illo spes mea qui fecit cœlum & terram, &c. *Vide in eandem rem dicta verbo Oratio Dominica 5. & verbo Orationis conditiones. 15.* S. Aug.

3. *Prouidentia Dei necessaria parat, non superflua. V. verbum nuptiæ secundæ. num. 9.*

4. *Prouidentia curat boues propter hominem; multò magis prædicatores. V. verbum Pauli virtutes num. 10.*

5. *Prouidentia Dei eadem, diuersa præcepit in diuersis causis, Hebræis exeuntibus, & Discipulis prædicaturis. 4. cont. Marc. cap. 24. in p.*

Num. 33. 1. ANtitheses plurimùm caussarum diuersitas fecit, non potestatum. Sed qui diuersi-
Exo. 12. tatem caussarum non respexit, facilè eam potestatem existimauit. Profectionem fi-
34. & 35. liorum Israëlis, Creator, etiam illis spoliis aureorum & argenteorum vasculorum, & ve-
Luc. 10. 4 stium, præter oneribus consparsionum offarcinatam eduxit de Ægypto: Christus autem nec

virgam discipulis in viam ferre præscripsit. Illi enim in solitudinem promouebantur; hi autem in ciuitates mittebantur. Considera caussarum offerentiam, & intelliges vnam & eandem potestatem, quæ secundùm penuriam & copiam expeditionem suorum disposuit; proinde per ciuitates abundaturam circumcidens, sicut & egituram per solitudinem struxerat. Etiam [a] *calciamenta portare vetuit illos.* Ipse enim erat, sub quo nec in solitudine per tot annos populus calciamenta detriuerat. [a] Luc. 10. 4. Deut. 29. 5.

PROVIDENTIA. 5. SCHOL.

ANTITHESES, *contrarietates. Contra Marcionem agit, qui ex factis diuersis & oppositis, scriptis in veteri & noua lege, duos diuersos Deos, vtriusque authores, stultè colligebat; non aduertens, caussarum occurrentium diuersitatem, &* non potestatum, *id est, Deorum diuersorum, huiusmodi antitheses innexisse.* PROFECTIONEM, &c. *Dat exemplum in Israëlitis & Apostolis, quibus viam acturis, longè diuersa mandata sunt, sed propter diuersas causas. Quia enim Israelitæ in desertum mittebantur, vbi rebus omnibus erant egituri, penuriamque passuri; Dei Creatoris prouidentiâ, non tantùm ob iustam laborum mercedem fraudatam ab Ægyptiis, compensandam, à summo omnium Domino, vasa eorum auferre; sed & præterea magnam farinæ copiam transferre voluit.* PRÆTER ONERIBUS, *præterquam. Prætereuntea.* OFFARCINATAM *profectionem scilicet congestam & oneratam esse voluit. Sic habet textus Exodi* 12. 34. Tulit igitur populus conspersam farinam, antequàm fermentaretur, & ligans in palliis posuit super humeros suos. Feceruntque filij Israel sicut præceperat Moyses: & petierunt ab Ægyptiis vasa argentea & aurea, vestemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, vt commodarent eis; & spoliauerunt Ægyptios. *Discipulis autem in Ciuitates missis, vbi omnia abundabant, & de more Iudæorum prædicatoribus necessaria subministranda erant, nec sacculum, aut peram, aut duas tunicas, aut duplicia calceamenta, vt iam alibi vidimus, portare permisit, cùm de Hebræorum calceamentis dictum sit. Deut.* 29. 5. Adduxit vos quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum, vetustate consumpta sunt. *De hac Dei iusta prouidentia circa Ægyptios puniendos & Israelitas compensandos, alendos, vestiendos, Aug. to. 4. lib. 83. qq. q. 53.* Cùm Ægyptij deceptione digni essent, & populus Israël pro illa ætate generis humani, in tali adhuc gradu morum constitutus esset, vt non indignè hostem deciperet: factum est vt juberet Deus, vel potius pro illorum cupiditate, permitteret, vt vasa aurea & argentea quibus adhuc terrenæ rei appetitores inhiabant, & peterent ab Ægyptiis non reddituri, & acciperent quasi reddituri. Quam & mercedem tam diuturni laboris atque operis, pro talium animarum gradu non iniustam Deus esse voluit, & pœnam illorum quos dignè fecit amittere, id quod reddere debuerunt. Non itaque Deus deceptor est, quod credere nefarium & impium esse, quis non intelligat? sed meritorum & personarum iustissimus distributor, faciens quædam per seipsum, quæ illo solo digna sunt, eique soli conueniunt, sicuti est illuminare animas, & seipsum eis ad perfruendum præbendo sapientes beatasque præstare: alia per seruientem sibi creaturam, integerrimis legibus pro meritis ordinatam, quædam eorum iubens, quædam permittens, vsque ad passerum administrationem, sicut Dominus in Euangelio dicit, & vsque ad fœni decorem, vsque ad numerum etiam capillorum nostrorum diuinâ prouidentiâ pertendente atque veniente, de qua etiam dictum est Sap. 8. 1. pertendit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. *Et to. 6. l. 22. contra Faustum Manich. c. 71. fusè, vbi addit & punitos Ægyptios quòd auro & argento abuterentur, ad idololatriam. De calceamentis & vestibus non attritis. Vide eundem to. 6. lib. de bono coniugali c. 2. to. 3. de Gen. ad lit. l. 9. c. 3. to. 7. de peccat. meritis lib. 1. c. 3. quæ habes. V. resurrectionis gloria 9. & seq.* S. Aug. S. Aug.

6. *Prouidentia Christi pascit quinque millia iuxta prouidentiam Creatoris in veteri lege.* 4. *cont. Marc. cap.* 21. *d p.*

PAscit populum in solitudine, de pristino scilicet more. Aut si non eadem & maiestas, ergo iam minor est Creatore; qui non vno die, sed annis quadraginta; nec de inferioribus materiis panis & piscis, sed de manna cœlesti: nec quinque circiter, sed sexcenta millia hominum protelauit. Adeo autem ea fuit maiestas, vt & pabuli exiguitatem non tantùm sufficere, verumetiam exuberare, de pristino voluerit exemplo. Sic enim & in tempore famis sub Helia vidua Sareptensi modica & suprema alimenta ex Prophetæ benedictione, per totum famis tempus redundauerant. Habes tertiam Basiliarum, si & quartam resoluas, inuenies totum hunc ordinem Christi circa illum Dei hominem, qui oblatos sibi viginti hordeaceos panes, quum populo distribui iussisset, & minister eius proinde comparata multitudine & pabuli mediocritate, respondisset, [a] *Quid ergo hoc dem in conspectu centum hominum? Da*, inquit, *& manducabunt: quoniam hæc dicit Dominus, Et manducauerunt, & reliquerunt reliquias*, secundùm dictum Domini. O Christum & in nouis veterem! Luc. 9. 17 Exo. 12. 34. & 16 13. & 15 3. Reg. 17. 13. & seq. [a] 4. Reg. 4. 42 & seq.

PROVIDENTIA. 6. SCHOL.

PASCIT POPVLVM. *Luc. 9. 11. & seq. Aduerte Tertullian. vti potius Luca quàm Ioanne aut aliis Euangelistis, multiplicationem panum in deserto narrantibus, quia vnicum Lucam admittebat Marcion.* DE PRISTINO, &c. *secundum morem antiquum, vt fecerat Pater eius Creator, & ipse cum Patre, idem Deus in veteri Testamento.* SI NON EADEM, &c. *si non est idem Deus veteris & noui Testamenti, & si Christus alterius Dei noui filius est; hic Deus nouus, & filius eius minor est in potestate quàm Creator; cùm nouus, vno tantùm die, communi cibo panis & piscis quinque tantùm millia nutrieris; Creator autem manna pane cœlesti,*

sexcenta hominum millia quadraginta annis aluerit. PROTELAVIT *per tam longa spatia sustentauit & perduxit ad terram promissam. Vox iuris, significans idem quod protrahere l. properandum C. de Iud.* EA MAIESTAS *eadem diuinitas & prouidentia est multiplicationis in vtraque lege operatrix.* DE PRISTINO *iuxta vetus exemplum.* SVPREMA *extrema & vltima.* TERTIAM BASILIARVM. *Lib. 3. Regum c. 17. 13. vbi tota historia narratur.* SI ET QVARTAM. *4. Reg. 4. 42. & sequentibus.* RESOLVAS, *reuoluas.* ORDINEM CHRISTI *à Christo seruatum in residuo cibo.* PROINDE COMPARATA, &c. *similiter. Luc. 9. 13.* Non sunt nobis plusquam quinque panes & duo pisces: nisi fortè nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas. *Expressius Io. 6. 9.* Dicit ei vnus ex discipulis eius Andreas frater Simonis Petri: est puer vnus hîc qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos? *sic 4. Reg. 4. 42. vt suprà iam retulimus locum integrum.* Respondit ei minister eius: quantum est hoc vt apponam centum viris? rursum ille ait: *scil. Elizæus,* da populo vt comedat: hæc enim dicit Dominus, comedent, & supererit. Posuit itaque coram eis, qui comederunt, & superfuit iuxta verbum Domini. ET IN NOVIS VETEREM. *Hoc est, eundem, qui & olim iam factam multiplicationem à se, per seipsum renouat. Vltimum hoc miraculum ab Eliseo factum est, vt ab Elia primum. De multiplicatione viduæ Sareptanæ Aug. homil. 18.* Numquid Deus defecerat pascere seruum suum Eliam? Nonne illi quia deerant homines alites, ministrabant? nonne illi panem afferebat coruus mane, & ad vesperam carnes? ostendit ergo Deus, quia vnde voluerit, quomodo voluerit pascere suos seruos potest: & tamen vt posset eum religiosa vidua pascere, fecit egere. Egestas animæ sanctæ, in abundantiam versa est animæ religiosæ. Non poterat Elias de misericordia Dei dare sibi, quod lagunculæ dedit? *Lecyto olei & vasculo farinæ non deficienti tribus annis* videtis nempe & manifestum est, quod aliquando, serui Dei ideo non habent, vt probentur qui habent. Et tamen illa vidua nihil habebat, quod illi reliquum erat, finitum erat. Et cum suis filiis moritura erat. Processit ergo vt faceret sibi panem colligere duo ligna. Et tunc eam vidit Elias. Tunc eam homo Dei videbat, quando illa duo ligna quærebat; mulier illa typum gerebat Ecclesiæ, & quia duo ligna crucem faciunt, quærebat moritura, vnde semper esset victura. *Vide in eandem rem Aug. ser. 146. de temp.* Si Deus seruo suo sine humano ministerio semper præberet panem, vidua vnde haberet mercedem, &c? obtulit refectionem; sed meruit benedictionem. Benedixit S. Elias hydriam farinæ, capsacem olei. Illud in domo repositum erat consumendum; & illud oleum in palo pendebat finiendum: accessit benedictio, & vasa illa thesauri facti sunt. Laguncula olei, facta est fons olei; farina parua, vberrimas segetes superauit. *De multiplicatione autem panum. Sic in Psal. 90. de diabolo dicente, dic vt lapides isti panes fiant.* Quid magnum erat Domino Iesu Christo de lapidibus panem facere, qui de quinque panibus tot millia satiauit? de nihilo facit panem. Tanta enim fuerat multitudo escæ, quæ saturaret tot millia. Vnde processit? fontes panes erant in manibus Domini. Non est mirum. Nam ipse fecit de quinque panibus multos panes, vnde saturaret tot millia: qui facit quotidie in terra de paucis granis messes ingentes. Ipsa enim sunt miracula Domini, sed assiduitate viluerunt. Quid ergo, fratres, impossibile erat Domino de lapidibus panes facere? homines fecit de lapidibus, dicente ipso Ioanne Baptistâ: potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. *De mysterio quinque panum hordeaceorum vide Aug. to. 4. lib. 83. qq. q. 61. fusè & to. 9. tract. 24. in Io. 6. & ser. 209. de temp. vbi duplicem multiplicationem panum, Io. 6. & Marc. 8. distinguit.* Superiori lectione de quinque panibus, & duobus piscibus quinque millia hominum satiauit: hîc septem panibus saturauit quatuor millia hominum. Ibi discipuli suggerunt Domino dicentes Matth. 14. locus desertus est, & hora præteriit, dimitte turbas vt euntes in castella emant sibi escas. Hîc penitus tacent discipuli, sed ipse Dominus pro eis solicitus est. Videamus quare tacent: quia necdum missi fuerant prædicare gentibus, sed potius ad oues perditas domus Israël. Prior ergo illa parabola *id est historia vera sed significatiua* pertinet ad Iudæos, ista verò ad Gentes. Ibi quinque panes fuerant hoc est quinque libri Moysi. *Alibi dicit hordeaceos ob multa paleæ inuolucra id est, figuras & cerimonias* hîc verò septem panes, qui sunt septiformis Spiritus dona, &c. Ibi duodecim cophini ipleni Spiritu sancto, hîc septem Ecclesiæ, siue septem candelabra aurea. Ibi duo pisces, qui sunt duo testamenta, &c. hîc indefinitus numerus ponitur quæ sunt dona gratiarum, sicut ait Apostolus 1. Cor. 12. alij per Spiritum datur sermo scientiæ, alij Prophetia, &c. Ibi super fœnum recumbunt, & hîc super terram. Vtrinque vna conuersatio, vna gratia, vna virtus, vna Deitas. Ibi super fœnum discumbunt, hoc est mortificata opera carnis: quia Esa. 40. omnis caro fœnum ait Propheta. Hîc super terram discumbunt, id est opera terrena conculcant. Ibi quinque millia refecti, qui numerus pertinet ad Iudæos, nam post Ascensionem Domini loquente S. Petro Act. 4. quinque millia sunt baptizati. Hîc autem quatuor millia hoc est de tota terra omnes gentes à quatuor cardinibus cœli, de septiformis sancti Spiritus gratia esse repletas in vitam æternam. *Quod superfuit de fragmentis sic exponit tract. 24. in Io. 6.* Quæ sunt illa fragmenta nisi quæ populus non potuit manducare? intelliguntur ergo quædam secretiora intelligentiæ quæ multitudo non potest capere. Quid ergo restat, nisi vt secretiora intelligentiæ, quæ non potest capere multitudo, illis credantur qui idonei sunt, & alios docere, sicut erant Apostoli? vnde duodecim cophini impleti sunt, &c. & verè nos pasti sumus, qui ad medullam hordei peruenire potuimus, &c. *Ex dictis collige in vtroque miraculo duplicem Dei prouidentiam, vt & carnem pauerit materiali cibo, & animam mystico. Vnde & cœpit occasionem instruendi turbas de cibo permanenti in vitam æternam,* quem Pater signauit Deus, *id est ex Aug.* Imposuit ei signum quo non confunderetur cum genere humano, sed per eum liberaretur genus humanum: *inde egit de manna, & Eucharistia, quam Paulus escam spiritalem,* & potum spiritalem *dixit: de quo & scriptum est:* cibauit illum pane vitæ & intellectus, & aquâ sapientiæ salutaris potauit illum. *Quàm larga Dei prouidentia, qui fecit animam & carnem: ex Aug.* Qui fecit ambas res, ipse pascit ambas res. *Et quidem cum præcellat anima carne, qui Israëlitis* pluit sicut puluerem carnes, & cibaria misit carnalibus in abundantia, & manna dedit spiritalibus omne delectamentum habentem, *qui dixit:* nonne anima plus est quàm esca?

PVBLICANI.

Publicani apud Iudæos execrabiles, & pro Ethnicis habiti. De pudic. cap. 9. à princ.

SI quis dubitat ethnicos fuisse publicanos apud Iudæam, vsurpatam iam pridem Pompeij manu atque Luculli, legat Deuteronomium, [a] *Non erit vectigal pendens ex filiis Israel.* Nec tam execrabile esset nomen publicanorum apud Dominum, nisi extraneum, vendentium ipsius cœli, & terræ, & maris transitus. Peccatores autem cùm adiungit publicanis, non statim Iudæos ostendit, etsi aliqui fuisse potuerunt. Sed vnum genus ethnicorum, alios ex officio peccatores, id est publicanos; alios ex natura, id est, non publicanos; pariter ponendo distinxit. Cæterùm, nec denotetur cum Iudæis communicans victum, sed cum ethnicis, quorum mensâ, Iudaica disciplina depellit.

a Deut. 19. Luc. 15, 2. Ibid.

PVBLICANI. SCHOL.

A APVD IVDÆAM. *Inter Iudæos, Publicani, hoc est publicorum itinerum, transitus maris & terræ, cœli, aerisque mutationis vectigal exigentes, non alij quàm Ethnici & Gentiles.* VSVRPATAM, &c. *De vsurpatione Iudææ facta à Pompeio videndus Ioseph lib. de bello Iud. cap. 5. & lib. 14. Antiq. cap. 8. Item Egesippus lib. 1. de excidio Ierosol. cap. 14. & seq. triumphum autem per biduum egit Romæ de Syria & Iudæa capta. Luculli autem etiam meminit idem Egesippus, eodem lib. 1. cap. 13. & Ioseph lib. 13. cap. vlt. Hic Lucullus Proconsul fuit.* LEGAT DEVTERONOMIVM. *Nil tale ibi legitur, sed Deut. 20. 11.* Si receperit, *scilicet ciuitas extranea*, & aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea est, saluabitur, & seruiet tibi sub tributo. *Et Deuteronom. 15. 19. Omnis Israelita à quocumque fœnore eximitur.* Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem. *Primi autem Esdræ 7. 24. Sic Artaxerxes edicit*, Vobis notum facimus de vniuersis Sacerdotibus, & Leuitis, & Cantoribus, & Ianitoribus, Nathinæis, & ministris domus Dei huius, vt vectigal & tributum, & annonas, non habeatis potestatem imponendi super eos. *Nathinæi erant ..., siue addicti templo & ministerio Sacerdotum. Hi erant Gabaonitæ, qui eo quòd imposuissent Israelitis fingentes se è longè venisse, calceamenta detrita, & vestimenta portantes, hanc à Iosue sententiam acceperunt, Iosue 9. 23* Sub maledictione eritis, & non deficiet de stirpe vestra, ligna cædens, aquasque comportans in domum Dei mei. *Hi ex Babylonica captiuitate cum decem tribubus abductis, reduces cum tribu Iuda reuersi sunt in Iudæam ad possessiones suas, huic templi ministerio semper addicti. Israelitæ ergo se Dei populum, exemptum, ab omni tributo censebant. quia Exo. 19. 6, dixit eis Deus:* Eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea est enim omnis terra: & vos mihi eritis in regnum Sacerdotale, & gens sancta. *Aduerte, initio capitis, mentionem fieri exitus Israel de Ægypti captiuitate. In Ægypto porrò de terra Sacerdotali dicitur, Gen. 47. 26.* In vniuersa terra Ægypti, quinta pars soluitur, & factum est quasi in

C Regem, absque terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit. *Verosimile autem est optimam terram datam fuisse Sacerdotibus. Quæ fuit terra Gessen, quam Ioseph, concedente Pharaone, dedit fratribus suis. Nam versu sequenti dicitur.* Habitauit ergo Israel, *id est, Iacob cum filiis*, in Ægypto, id est in terra Gessen, & possedit eam. Auctusque est & multiplicatus nimis. *Inde gens sancta & Regale Sacerdotium, se tributo exemptam censebat. Vnde Ieremias Thren. 1. 1 de Ierusalem & Iudæa facta tributaria:* Quomodo sedet sola ciuitas plena populo: facta est quasi vidua Domina Gentium: princeps prouinciarum, facta est sub tributo? *Aug. lib. 18. de Ciuit. cap. 45. vbi agit de subiugatione Iudææ ab Alexandro, de captiuis abductis in Ægyptum à Ptolemæo Lagi filio; rursum dimissis à Ptolemæo Philadelpho, denuò captis ab Epiphane Rege Alexandriæ, tum ab Antiocho Rege Syriæ, & tandem à Pompeio subiugatis, factisque tributariis.* Pompeius, inquit, populi Romani præclarissimus Princeps, Iudæam cum exercitu ingressus, *hæc est Tertulliano Pompeij manus*, ciuitatem capit, templum reserat, non deuotione supplicis, sed iure victoris, & ad Sancta sanctorum, quo nisi summum Sacerdotem non licebat intrare, non vt venerator, sed vt prophanator accedit. Confirmatóque Hircani Pontificatu, & subiugatæ Genti imposito custode Antipatro, quos tunc Procuratores vocabant, vinctum secum Aristobulum, *Principem Iudæorum filium Alexandræ, Hircani fratrem, cum quo de Regno contendebat*, duxit. Et ex illo, Iudæi etiam tributarij Romanorum esse cœperunt. Posteà Cassius etiam templum expoliauit. Deinde post paucos annos etiam Herodem alienigenam Regem habere meruerunt,

B quo regnante natus est Christus, &c. *Exactio igitur cœpit ab Ethnicis & Gentibus, vnde Publicani exactioni Præfecti, primò ethnici & Gentiles fuerunt. Nec tamen semper posteà Gentiles; sed & Iudæi etiam huic ministerio deputati sunt, tantò magis odiosi populo, Iudææ; quòd proprios compatriotas exactione vexarent. Neque enim Matthæus Gentilis erat, aut ille Publicanus qui in templo orabat. Et quidquid dicat hic Tertullianus, longè probabilius est Christum tum publicanis & peccatoribus Iudæis, odiosissimis Pharisæis, conuersatum fuisse, quàm cum Paganis. cùm dicat Luc. 15. 1. & seq.* Erant autem appropinquantes ei Publicani & peccatores vt audirent illum. Et murmurabant Pharisæi & Scribæ dicentes, quia hic peccatores recipit, & manducat cum eis, &c. *Tertull. autem vim hîc facit, pro Ethnicis quidem recipiendis in Ecclesiam, exemplo Christi eos admittentis, cùm factus Nouatianus hæc scribens, Christianos lapsos excluderet à venia. Cùm tamen Christus subiungat tres parabolas, quibus apertè probat se non agere nisi de fidelibus & domesticis lapsis, perditis, errantibus, requirendis, & cum gaudio recipiendis, dum agit de decem drachmis, non foris, sed domi, vna earum perdita; ouibus centum non caularum extranearum, sed proprij ouilis; duobus filiis, non alienigenis, &c. Et quod de Matthæo dicit, conuiuium Publicanorum Christo exhibente,* Non est opus Medico sanis, sed malè habentibus; non veni vocare iustos, sed peccatores, &c. venit filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat, non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. *Item de Zachæo Principe publicanorum;* Hodie salus huic domui facta est, eo quòd & ipse sit filius Abrahæ. *Aug. ser. 35. de diuer. distinguit Ethnicos à Publicanis, vbi de dilectione inimicorum:* Nonne & Publicani hoc faciunt? Publicani sunt, qui sectantur lucra, & exigunt vectigalia, per negotiationes & fraudes, & furta, sce-

S. Aug. S. Aug.

leríque & pericula. Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid ampliùs facitis? nónne & Ethnici hoc faciunt. Ethnici ex Græco in Latinum interpretantur Gentiles. Ethnos enim Græcè, Gens dicitur. Si ergo, inquit, etiam peccatores Publicani, Ethnici, erga dilectores suos, naturâ duce, norunt esse benefici; quantò magis vos, quibus vt gradus professionis eximior, ita cura necesse est sit veritatis vberior, latiori sinu dilectionis amplecti debetis, & non amantes? APVD DOMINVM, *Christum*, *Iudæi enim non ita Christum Dominum auersarentur, nec tam malè audiret apud Pharisæos cum Publicanis manducans, nisi nomen eorum execrabile esset, quòd publica & communia à Deo, & naturâ concessa hominibus, conducerent ipsi ab Imperatoribus, vt inde lucrum & fœnus captarent. Quod fortè Tertullianus nomine vectigalis intellexit, vt sic ab errore saluetur eius citatio. Ita enim habetur Deut. 23.19. iuxta omnes versiones.* Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem: sed alieno: *id est Ethnico, cui vt hosti, sicut iure belli capto, poterant auferre vitam, multò magis pecuniam. Si ergo nulli vendere, id est persoluere debebant vectigal, sic nec multò minùs habere apud se, qui exigerent illud. Magna autem differentia inter Publicanos apud Gentiles & Iudæos; apud hos enim infames erant, apud illos, nobiles & præclari, quos Cicero pro Plancio, vocat:* Florem Equitum Romanorum, ornamentum ciuitatis, firmamentum Reipublicæ. *Publicanus tandem dictus est à populo, siue publico, quòd id conductum haberet quod populi siue publici esset. l. 1. §. 1. quæcumque 12. in fin. l. seq. ff. de pub. & vectigal.* Dicitur Publicanus, qui publica vectigalia conducta habet. *l. quantæ in fin. ff. de public.* cum qui vectigal populi Romani cõductum habet, publicanum appellamus. Nam publica appellatio in compluribus causis ad populum Romanum respicit. *l. eum ff. de verborum significatione. Et quamquam propriè vectigal sit tributum portorium, & quodlibet genus publici fructus, aut reditus, sic dictum à vehendo; nunc extenditur, tam ad priuatos, quàm publicos reditus. Cùm ergo populo Iudæo, qui se liberum ab omni tributo volebat execrabiles essent huiusmodi exactores, Christum Pharisæi vel Cæsari reum si soluendum ei negaret, vel populo infen-*

S. Aug. *sum si concederet reddendum de eo soluendo, necne, cum interrogauerunt. Sic Aug. in Psal. 57.* Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum. Quid est in ore ipsorum? vt ore suo contra se pronuntiarent, &c. Calumniari volebant ei propter tributum, &c. Si diceret, Soluatur Cæsari tributum, calumniarentur illi quòd maledixisset Genti Iudæorum eam tributariam faciendo. Ex peccato enim tributum reddebant humiliati, sicut illis in lege prædictum erat. *scilicet dum regem à Deo inuito extorserunt, hac lege & iure receperunt. 1. Reg. 8. 9. vocem eorum audi: verumtamen contestare eos, & prædic eis ius Regis qui regnaturus est super eos, &c. Segetes vestras & vinearum reditus addecimabit, &c. greges quoque vestros addecimabit, &c.* tenemus eum aiunt, maledictorem Gentis nostræ si nos iusserit tributum persoluere. Si autem dixerit, nolite soluere: tenemus eum quòd contradixerit nobis, deuotos esse Cæsari. Talem bicipitem laqueum quasi capiendo Domino posuerunt. Sed ad quem venerunt? qui nouerat conterere dentes eorum in ore ipsorum, &c. Ostendite mihi nummum, & demonstrauerunt ei. Et ille non dixit, Cæsaris est, sed interrogat, cuius est? vt eorum dentes in ore ipsorum conterantur: reddite Cæsari, &c. Non perdat ex vobis Cæsar nummum suum; non perdat Deus in vobis nummum suum, &c. & redierunt dicentes quòd nemo possit ei respondere. Vnde? quia contriti erant dentes eorum in ore ipsorum. *Mordere venerant Christum, contritis dentibus canum ad petram, non habent quod latrent. Ad Tertull. redeo.* CVM ADIVNGIT, *quia dixit Luc. 15. 1.* Erant appropinquantes ei Publicani & peccatores. NON STATIM IVDÆOS, *id est, cùm huiusmodi peccatores coniungit Publicanis, vel potiùs ostendit aliud communius genus peccatorum, à quibus Publicani velut eminentiores & distincti, vt Ethnici habebantur, per eos peccatores, non statim ipso facto voluit intelligi Iudæos, qui communi vsu Scripturæ contradistinguuntur ab Ethnicis, siue Gentibus: quamquam isti peccatores ad Christum appropinquantes, Iudæi genere esse potuerunt,* VNVM GENVS ETHNICORVM, *vtrique Publicani scilicet, & illi peccatores, pro Ethnicis habendi sunt, alij ex officio vectigalis exigendi, & vsuræ inde captandæ; alij ex naturali malitia, & vsu communi & publico peccandi, sicut lenones, meretrices, aliique peccatores publici.* PARITER PONENDO, *simul iungendo & dicendo:* Publicani & peccatores. DISTINXIT: *Lucas scilicet.* DENOTARETVR, *argueretur, notâ infami inureretur, ob nimiam & præposteram familiaritatem.* CVM IVDÆIS, *sua Gentis hominibus,* QVORVM MENSA, &c. *quibuscum in victu communicare lex Iudaica prohibebat; quoniam Gentiles cibis indifferenter vtebantur, nec distinguebant, vt lex Mosaica, immundos à mundis: nec attendebant si animalia ruminarent & diuiderent vngulam, vt lex præcipit. Vnde disciplina Iudaica suos arcebat à mensa Gentilium. Mirum quòd Hieronymus epist. 146. Tertullianum notauerit, eiusque locum retulerit, nec Deuteronomij caput, sed Scripturam simpliciter sanctam ab ipso citatam in genere scripserit:* Vehementer, inquit, admiror Tertullianum in eo libro quem aduersus pœnitentiam scripsit, & sententiam veterem nouâ opinione dissoluit, hoc voluisse sentire quòd Publicani & peccatores, qui cum Domino vescebantur, Ethnici fuerint; dicente Scripturâ: Non erit vectigal pendens ex filiis Israël. Quasi verò & Matthæus non ex circumcisione fuerit Publicanus; & ille qui cum Pharisæo in templo orans, oculos ad cœlum non audebat erigere, non ex Israël fuerit Publicanus. *Verùm aliud est pendere vectigal, hoc est soluere, à quo onere populum suum vt filium & liberum fore promiserat, quandiu se Deo filium obedientem exhiberet: aliud vectigal exigere quod Publicanorum erat proprium. Ethnicos autem vt plurimùm à Principibus Gentilibus huic præfectos muneri verisimile est. Aut si quando Iudæi huic vacabant muneri Gabbaim dicti, & Gabbè Principes Publicanorum, vnde & Gabella dicta, tanquam Ethnici odio habebantur à Iudæis. Cæterùm quod Tertullianus Deuteronomium citat, nil expressè ibi legitur tale. Sed cùm eodem Spiritu vtraque lex scripta sit, & singuli cuiusque libri Scriptores eadem causâ eadem plerumque scripsisse, licèt diuersis terminis, inueniantur; Deuteronomium pro libro Esdræ citauit. Deuteronomium enim secunda lex, siue posterior, teste Hieronymo interpretatur: Esdram autem secundæ siue postremæ veteris legis restitutorem vocat. Ita enim libro 1. de cultu fœminarum cap. 3.* Hierosolymis, inquit, Babylonia expugnatione deletis, omne instrumentum Iudaicæ litteraturæ per Esdram constat restauratum. *Vnde & præcitatus 1. Esdræ 7. locus de exemptione omnium ministrorum templi à vectigalibus, à Tertulliano potuit Deuteronomium appellari. De quo ipso Esdra ibidem dicitur versu 6.* Ipse Esdras ascendit de Babylone, & ipse Scriba velox in lege Moysi quam Dominus Deus dedit Israël. *Sicut ergo in Gen. 47. 26. sub Pharaone:* In vniuersa terra Ægypti Regibus quinta pars soluitur, absque terra Sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit. *Ita sub Artaxerxe, ministri templi à vectigalibus immunes facti sunt. A quibus vt nobiliori parte populi tota gens filiorum Israël vectigal non pendere, per ampliationem à Tertulliano Deuteronomium citante, scriptum est.*

PVDOR.

1. *Pudor fidei confitendæ damnabilis. De Idol. cap. 13. in fine.*

DA formam quâ velis agi tecum. Cur enim & lateas, cùm ignorantiâ alterius conscientiam contamines? si non ignoraris quòd sis Christianus, tentaris. & contra conscientiam alterius agis, tanquam non Christianus. Enimverò & dissimulaberis: tentatus, addictus es. Certè siue hac, siue illac, reus es confusionis in Domino. [a] *Qui autem confusus super me fuerit penes homines, & ego confundar super illo*, inquit, *penes patrem meum, qui est in cœlis.*

a Matth. 10.33. Luc.12. 9.

2. *Pudor & confusio, honorisque plaga, inimica est fidei. Scorp. cap. 9. in fin.*

PLus est autem, quòd & confusioni confusionem comminatur: [a] *Qui me confusus fuerit coram hominibus, & ego confundar eum coram Patre meo qui in cælis est.* Sciebat enim à confusione vel maximè formari negationem: Mentis statum in fronte consistere. priorem esse pudoris, quàm corporis plagam.

a Matth. 10.33. Luc.12. 9.

PVDOR FIDEI. 1. & 2. SCHOL.

A DA FORMAM. *Loquitur Christiano ex pudore dissimulanti se esse Christianum. Quomodo, inquit, vis vt tecum procedam? vel censeris esse Christianus, sicuti es de facto; vel Gentilis, cùm non sis. Si lates & tegis tuam fidem, quam pudet te profiteri palàm, miror cur abscondas professionem tuam, dissimulatione enim tuâ fallens proximum, & ipsius ignorantiâ, quem fallis, & mendacio tuo conscientiam tuam maculas.* SI NON IGNORARIS. *Si haberis & agnosceris Christianus, similiter in tentationem & peccatum incidis, mendax enim agnosceris, qui cùm agnoscaris Christianus, conuersaris vt Gentilis.* ENIMVERO, *licèt, inquit, Tertull. dicas solam esse simulationem, quâ exteriùs tantùm festis Gentilium intéres, cùm in corde sis fidelis.* TENTATVS, ADDICTVS ES, *tentatione victus es, & superstitionis reus, propriâ te torquente conscientiâ, quod participaueris idololatriæ.* CERTE SIVE HAC. *quocumque te* B *vertas, siue cognoscaris esse Christianus, siue ignotus, perinde reus es apud Deum, quòd eum confiteri coram hominibus erubuisti.* QVI AVTEM CONFVSVS. *Matth. 10.33.* Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui in cœlis est. *Luc. 12. 9. similiter.*

II. FORMARI NEGATIONEM, *eos ad negandum Deum maximè compelli, qui de Christiano nomine, & Christi crucifixi confessione erubescunt.* MENTIS STATVM, &c. *Sedem animæ in fronte positam, vt qualisquisque sit ex fronte firma & generosa, vel timida & pudorosa prodas.* PRIOREM ESSE, &c. *Non solùm ordine temporis, sed æstimationis, vt malit quicumque vitam perdere,* S. Aug. *quàm honorem. De fronte sic Augustinus tom. 8. vbi de* C *filiis Chore in Psal. 41. cuius titulus est*: In finem intellectus filiis Chore. Magni sacramenti res est, vt Christiani appellentur filij Chore, &c. Quare Chore Christus? quia Chore interpretatur Caluaria, &c. nonne iam occurrit in loco Caluariæ crucifixus? occurrit omninò. Ergo filij sponsi, filij passionis illius, filij redempti sanguine illius, filij Crucis illius, portantes in fronte quod inimici in loco Caluariæ fixerunt, &c. *Et in titulum Psal. 46.* Inuenimus Cho- S. Aug. re interpretari Caluum, &c. qui sunt isti filij Calui? An fortè filij sponsi, quia sponsus in loco Caluariæ crucifixus est? &c. proinde qui Crucem eius irrident à dæmonibus tanquam à bestiis deuorantur. Nam significauit & hoc quædam Scriptura 4. Reg. 2.23. cùm ascenderet Propheta Dei Elisæus, clamabant post eum pueri illudentes, Ascende calue, ascende calue. Ille autem non tam crudeliter, quàm mysticè fecit illos pueros ab vrsis exeuntibus deuorari, &c. Nemo ergo irrideat Crucem Domini: Iudæi sunt possessi à dæmonibus & deuorati. Nam in Caluariæ loco crucifigentes Christum, & leuantes in Cruce, tanquam ipsi dicebant sensu puerili, non intelligentes quid loquerentur, Ascende Calue. Quid est enim ascende? crucifige, crucifige. Proponitur enim pueritia ad imitandam humilitatem, & item proponitur pueritia ad cauendam fatuitatem. Proposita pueritia ad imitandam humilitatem à Domino est, quando vocauit ad se pueros, & cùm prohiberentur ab illo, dixit: Sinite eos venire ad me, talium enim est regnum cœlorum. Propositum exemplum pueritiæ ad cauendam fatuitatem, ab Apostolo est. 1. Cor. 14. Fratres, nolite pueri esse sensibus. Et rursum proponit ad imitandum: sed malitiâ infantes estote, vt mentibus perfecti sitis. Pro filiis Chore Psalmus canitur. Ergo pro Christianis cantatus est. Audiamus eum tanquam filij sponsi illius, quem pueri insensati in Caluariæ loco crucifixerunt. Illi enim meruerunt à bestiis deuorari, nos ab Angelis coronari. Agnoscimus enim humilitatem Domini nostri, & non de illa erubescimus. Non erubescimus de illo appellato mysticè Caluo, propter Caluariæ locum. Ipsâ enim Cruce, in qua illi insultatum est, non permisit caluam esse frontem nostram, quia eam suo ligno signauit. Denique vt nouerimus quia nobis dicuntur hæc, videte quid & cui dicitur, omnes gentes plaudite manibus. Numquid populus Iudæorum omnes Gentes erant? sed cæcitas ex parte Israël facta est, vt pueri insensati clamarent, Calue, calue, atque ita Dominus crucifigeretur in Caluariæ loco, vt sanguine fuso Gentes redimeret, & impleretur quod ait Apostolus Rom. 11. Cæcitas ex parte Israël facta est, vt plenitudo gentium intraret, &c. plaudite manibus, &c. & voce, & manibus. Si tantùm voce, non benè, quia pigræ sunt manus. Si tantùm manibus, nec hoc benè, quia muta est lingua; concordent manus & lingua. Illa confiteatur, illæ operentur. *Nec frons, nec lingua, nec manus Christum crucifixum confiteri confundatur.*

3. *Pudor peccata celans in Confessione, mortalis est. De pœnit. cap. 10. per totum.*

PLerosque hoc opus vt publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre, præsumo, pudoris magis memores quàm salutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contractâ vexatione, conscientiam medentium vitant, & ita cum eru-

bescentia sua pereunt. Intolerandum scilicet pudori, Domino offenso satisfacere, saluti prodactæ reformari. Næ tu verecundiâ bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum verò subducens. Ego rubori locum non facio. cùm plus de detrimento eius acquiro, cùm ipse hominem quodammodo exhortatur, Ne me respexeris dicens, pro te, mihi melius est perire. Certè periculum eius tunc, si fortè, onerosum est, cùm penes insultaturos inrisiloquio consistit, vbi de alterius ruina alter attollitur, vbi prostrato superscenditur. Ceterùm inter fratres atque conseruos, vbi communis spes, metus, gaudium, dolor, passio (quia communis spiritus de communi Domino & patre) quid tu hos aliud quàm te opinaris? Quid consortes casuum tuorum, vt plausores fugis? Non potest corpus de vnius membri vexatione lætum agere: condoleat vniuersum, & ad remedium conlaboret, necesse est. In vno & altero Ecclesia est, Ecclesia verò Christus. Ergo cùm te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras. Æquè illi cùm super te lacrymas agunt, Christus patitur, Christus patrem deprecatur. Facilè impetratur semper, qnod filius postulat. Grande planè emolumentum verecundiæ, occultatio delicti pollicetur. Videlicet, si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde & Deum celabimus. Adeóne existimatio hominum & Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere, quàm palàm absolui? Miserum est sic ad exomologesin peruenire. Malo enim ad miseriam peruenitur: sed vbi pœnitendum est, desinit miserum; quia factum est salutare. Miserum est secari, & cauterio exuri, & pulueris alicuius mordacitate cruciari: tamen quæ per insuauitatem medentur, ea & emolumento curationis offensam sui excusant, & præsentem iniuriam superuenturæ vtilitatis gratiâ commendant.

PVDOR PECCATI CONFITENDI. SCHOL.

HOC OPVS. *Exomologesis, & pœnitentia publica.* VT PVBLICATIONEM, *prostitutionem famæ suæ, quâ se palam insignes, & quasi publicos peccatores confitentur.* VEXATIONE, *morbo & dolore occulto & pudendo.* CONSCIENTIAM. *notitiam & scientiam medicorum.* PRODACTÆ. *prodigè dissipatæ.* REFORMARI. *restitui, reuocari ad salutem.* NÆ, *certè. ironicè dicta, quasi verò te bonum & iustum te faciat hæc verecundia.* DEPRECANDVM, *veniam petendam pro delictis, publicè pœnitendo.* CVM IPSE HOMINEM, &c. *Sic inducit pudorem loquentem cum anima præposterè pudorosa.* PERICVLVM EIVS. *pudoris scilicet, & honoris.* INRISILOQVIO, *cachinnis & verbis illusoriis. Si fortè, inquit, grauat animam honoris iactura, tunc maximè grauat, cùm irrisioni exponitur, sed huic locus non est cùm pœnitentia agitur coram fratribus, eiusdem sortis & fragilitatis hominibus, eodem charitatis spiritu animatis, qui ab eodem Patre & Filio procedens, datus est nobis cum diffusa charitate per eum in omnia eiusdem corporis Ecclesiæ membra.* LÆTVM AGERE, *gaudere, lætum esse, dicente Paulo:* Vnum corpus multi sumus, alter autem alterius membra, &c. Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur cætera, &c. IN VNO ET ALTERO. Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, &c. ECCLESIA CHRISTVS, *quia ex Aug. passim, Christus caput & corpus. Maximè in Psalmos Christum notat induci loquentem; modò vt caput est, modò pro corpore suo quod est Ecclesia. Et quidem si de Adam, & Eua, de quolibet viro & vxore dictum est:* Iam non sunt duo, sed vna caro. *quantò magis Christus & Ecclesia? cùm figura, re figurata, sit inferior; & vnio spiritus, carnali sit longè perfectior.* Sacramentum hoc magnum, in Christo dico & in Ecclesia. PROTENDIS, *prouolueris, in sacco & cinere.* LACRYMAS AGVNT, *fundunt.* GRANDE PLANE. *ironicè dicta.* DEI CONSCIENTIA. *notitia.* PALAM, *in publica pœnitentia, quàm stultus est qui mauult damnari, quàm satisfactoria pœnitentia, delicti remissionem apud Deum promereri; quàm impius, qui cùm sciat peccata sua quantumuis secreta Deum non latere; non pudet eum peccatorem esse coram oculis tantæ maiestatis, & pudet peccatorem existimari coram hominibus, vt sic iam non tantùm cõparet, sed & & postponat Creatorem creaturæ.* MISERVM EST SIC. *Sic inducit loquentem peccatorem. Sic, id est cum tanto pudore & humiliatione.* MALO ENIM, *pudore & verecundiâ, cum honoris iactura.* AD MISERIAM, *statum miserum & laboriosum pœnitentis publici.* SED VBI, &c. *Iam respondet Tertullianus.* DESINIT MISERVM, *cessat præsumpta & imaginata miseria.* INSVAVITATEM, *acerbitatem minus suauem sensui, ingratam,* &c. OFFENSAM, *dolorem, repugnantiam. Aug. lib. de pœnitentia, quem etiam citat Beda: in c. 5. ad Ephes.* Quisquis post Baptismum aliquo pristinorum malorum opere obligatus tenetur, vsque adeone sibi inimicus est, vt adhuc dubitet vitam mutare dum tempus est, cùm ita peccat & viuit? nam vtique quòd ita perseueranter peccat, thesaurizat sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti Iudicij Dei: Quòd autem adhuc viuit, patientia Dei ad pœnitentiam eum adducit. Implicatus igitur tam mortiferorum vinculis peccatorum, detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claues Ecclesiæ, quibus soluatur in terra, vt sit solutus in cœlo, & audet sibi post hanc vitam, quia tantùm Christianus dicitur, salutem aliquam polliceri? &c. Iudicet ergo seipsum homo in istis voluntate, dum potest, & mores conuertat in melius: ne cùm iam non poterit, etiam præter voluntatem, à Domino iudicetur: & cùm in se protulerit, seuerissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claues ministrantur; & tanquã bonus iam incipiens esse filius maternorum membrorũ ordine custodito, à præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum. Vt in offerendo sacrificio contribulati cordis, deuotus & supplex id tamen agat quod non solùm sibi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum. Et si peccatum eius non solùm in graui eius malo, sed etiam in tanto scandalo est aliorum, atque hoc expedire vtilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. Meminerit semper quòd superbis Deus resistit, &c. Quid est enim infœlicius, quid peruersius, quàm de ipso vulnere, quod latere non potest, non erubescere, & de ligatura eius erubescere? *Hæc habentur tom. 10. homil. 50. de vtilitate ac necessitate pœnitentiæ, in cuius principio, sic de Publicano:* Non mirum si Publicanus magis curatus abcessit,

S. Aug.

cessit, quem non puduit ostendere quod dolebat. *Et* A
S. Aug. *serm. 58. de temp. in f.* Nec erubescat pœnitentiam agere. qui non erubuit pœnitenda committere, *Et*
S. Aug. *in Psal. 50.* Sunt multi quos peccare non pudet, agere pœnitentiam pudet. ô incredibilis insania! de vulnere ipso non erubescis, de ligatura vulneris erubescis? nonne nudum fœdius & putidius est? *Et in*
S. Aug. *Psal. 85.* In iudicio confundentur perniciosè, qui modò nolunt confundi salubriter. Modò ergo confundantur, accusent vias suas malas, teneant viam bonam: quia nemo nostrûm viuit sine confusione, nisi priùs confusus reuiuiscat. Præbet illis Deus modò aditum salubris confusionis, si non contemnant medicinam cõfessionis. Si autem modò nolunt confundi, tunc confundentur, quando deducent eos ex aduerso, *id est, vt ipsemet alibi exponit, & dextrâ præsumptâ, ad sinistram; ex ouibus ad hœdos*, iniquitates eorum. Quando confundentur? quando dicent, hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, &c. *quod & habet in Psal.* 30.

PVERI A DEO PROTECTI, SVSCEPTI, ET PVNITI.

Pueros insultantes Elisæo Creator plectit, paruulos innocentes Christus suscipit, vt & Creator per obstetrices paruulos protexit Hebræos. 4. cont. Marc. cap. 23. in med.

ECce Christus diligit paruulos, tales esse docens debere, qui semper maiores velint esse. Creator autem vrsos pueris immisit, vlciscens Helisæum propheten, conuitia ab eis passum. Satis impudens antithesis, quum tam diuersa committit, paruulos & pueros: innocentem adhuc ætatem, & iudicij iam capacem, quæ conuitiari poterat, ne dicam blasphemare. Quà ergo iustus Deus, nec pueris impiis pepercit, exigens maiori ætati honorem, & vtique magis à minore. Quà verò bonus, adeò diligit paruulos, vt apud Ægyptum benefecerit obstetricibus protegentibus partus Hebræos periclitantes edicto Pharaonis. Ita & hæc affectio Christi cum Creatore est. Luc. 9. 47. 4. Reg. 2.24. Exo. 1. 15.

PVERI. SCHOL.

SEMPER MAIORES. *in regno æterno Excelsi; vnde Christus Luc. 9. 46,* Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset. At Iesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, & statuit illum secus se. Et ait illis; quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit; & quicumque me receperit, recipit eum qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic maior est. *Syr.* is erit maximus. *Perbellè hæc exponit Augustinus*
S. Aug. *in Psal. 112 inpr.* Nostis fratres & sæpissimè audistis in Euangelio, Dominum dicere: Sinite pueros venire ad me, talium est enim regnum cœlorum: & iterùm: Si quis non receperit regnum Dei, sicut puer, non intrabit in illum: & multis aliis locis Dominus Deus noster per singulare humilitatis exemplum, superbiam veteris hominis, ad innouandam humiliter vitam, similitudine puerilis ætatis accusat. Quapropter, charissimi, cùm cantari auditis in Psalmis, Laudate pueri Dominum, ne arbitremini ad vos istam exhortationem non pertinere, quia iam corporis pueritiam supergressi, vel iuuenili decore virescitis, vel senili honore canescitis: omnibus enim vobis dicit Apostolus: Nolite effici pueri sensibus, sed malitiâ paruuli estote, vt mentibus perfecti sitis. quâ malitiâ maximè, nisi superbiâ? Ipsa enim de vana granditate præsumens, non sinit hominem ambulare per arctam viam, & intrare per angustam portam, pueri autem facilè intrant per angustam portam: & ideò nemo nisi vt puer intrat in regnum cœlorum. Quid autem superbiæ malitiâ deterius, quæ præpositum non vult habere nec Deum? &c. Ne dicatis, nunc incipimus quidem laudare Dominum, quia pueri sumus; sed cùm creuerimus, magnique fuerimus, nos ipsos laudabimus. Non sic pueri, non sic: propterea dicit Dominus per Esaiam 46. Ego sum. Et vsque dum senescatis, ego sum. Ille semper laudandus est, qui est. Quid est, laudate pueri Dominum, ex hoc laudate senes, & vsque in sæculum? quia senectus nostra albescet quidem canis sapientiæ, sed non carnis vetustate marcescet. Aut quoniam hoc loco humilitatem potiùs videtur significare pue- A ritia, cui contraria est vana & falsa superbiæ magnitudo; & ideò Dominum non nisi pueri laudant, quia superbi eum laudare non norunt: sit senectus vestra puerilis, & sit pueritia senilis: id est vt nec sapientia vestra sit cum superbia, nec humilitas sine sapientia, vt laudetis Dominum, ex hoc & vsque in sæculum. CREATOR AVTEM, *Author veteris Testamenti 4. Regum 2. 24. de quo iam suprà.* Cùm ascenderet per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei dicentes: Ascende Calue, ascende Calue. *Septuaginta semel legunt, Calue.* qui cùm respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: egressique sunt duo vrsi de saltu. *Septuaginta, de sylua.* & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros. *Præter dicta verbo, Pudor fidei,* B *2. Accipe Augustinum sic fantem in Psalmum quadragesimum quartum, cui titulus:* Filiis Chore, pro iis qui commutabuntur, in intellectu, Canticum pro dilecto. Renuntiatur nobis, filios Chore interpretari filios Calui. Quod nomen non ad irrisionem accipiatis, ne inueniamur in sensu puerili, quales pueros legimus in libro Regnorum insultantes Elisæo sancto Prophetæ: &c. significati sunt enim in illis pueris stulti homines; habentes ignorantiæ sensum, quales nos non vult esse Apostolus, vbi dicit, nolite pueri esse mentibus. Et quia Dominus inuitauerat nos ad imitationem puerorum, quando ante se paruulum C posuit, &c. Ibi quoque Apostolus cautus, vbi reuocat à mente puerili, vocat rursus ad imitationem puerilem, nolite, inquit, pueri effici mentibus, sed malitiâ paruuli estote, &c. quem delectat imitari puerum, non delectet imperitia, sed innocentia. Illi verò ex imperitia insultabant sancto Dei caluo, & clamabant, &c. factum est, vt à bestiis consumerentur, & figurauerunt homines in eadem mente pueri stultè irridentes quendam Caluum, qui in Caluariæ loco crucifixus est. Possessi ergo sunt tales velut à bestiis, hoc est à dæmonibus, &c. SATIS IMPVDENS, &c. *ironicè in Marcionem dicta, qui ex veteris & noui* S. Aug.

Testamenti contrarietatibus imaginariis, Deos diuersos colligebat. COMMITTIT, *inter se pugnantes indicia.* INNOCENTEM. *In quantum pueri.* IVDICII, *quo discernebant Caluum à comato, & peccati capaces, & Iudicij diuini erant.* BLASPHEMARE, *quia sancto Prophetæ conuiciabantur.* MAIORI ÆTATI, *Propheta seni.* QVA IVSTVS, *arguit stultitiam Marcionis, duo in eodem Deo attributa non discernentis, qui ex bonitate munerauit obstetrices seruatrices puerorum, ex iustitia puniuit insolentiam puerorum. De obstetricibus Exod. 1. 15.* Dixit Rex Ægypti obstetricibus Hebræorum, quarum vna vocabatur Sephora, altera Phua, præcipiens eis; quando obstetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit: si masculus fuerit, interficite eum: si fœmina, reseruate. Timuerunt autem obstetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum Regis Ægypti, sed conseruabant mares, quibus ad se accersitis, Rex ait: quidnam est hoc quod facere voluistis, vt pueros seruaretis? *Septuaginta, & A viuificastis masculos?* quæ responderant: Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres: Ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquàm veniamus ad eas, pariunt. Benè ergo fecit Deus obstetricibus: & creuit populus, confortatusque est nimis: & quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos. *De crudeli edicto Pharaonis, & pietate obstetricum elegantißimè Augustinus serm. proprio qui est octuagesimus nonus de tempore, ubi sic inter cætera:* Noluerunt exercere ad perniciem, quod didicerant ad salutem, facilius Hebræas mulieres quàm Ægyptias parere dicentes: nec illis obstetricum ministeria sunt necessaria, quibus Deus prouenit ad animas liberandas. O magnum humanitatis ingenium, & pium pro salute mendacium! *Quod Augustinus non laudat, sed mixtam mendacio pietatem, quam solam, vt alibi iuxta ipsum diximus, Deus in pueros bonus, compensauit. De quo vide eumdem tom. 4. lib. contra mendacium cap. 15. & lib. 2. qq. in Exod. c. 1.* S. Aug.

PVLCHRITVDO.

1. *Pulchritudo, est bonum corporis, timendum etiam Abrahæ in vxore; scandali causa; cuius vanißima est gloria, pudicis non necessaria, quam excolere non debet mulier, si proximum diligit. 2. De cultu fœm. cap. 2. in m. ad f. & 3. in p.*

Matth. 5. 28. QVid autem alteri periculo sumus? quid alteri concupiscentiam importamus? quam si Deus ampliando legem, facto stupri non discernat in pœna, nescio an impunè abeat, quæ alicui fuerit causa perditionis. Perit enim ille simul vt tuam formam concupierit, & facta es tu gladius illi. vt & si à culpa vaces; ab inuidia non libereris. vt cùm in alicuius agro latrocinium gestum est, crimen quidem Dominum non continget: dum rus tamen ignominiâ notatur (ipse quoque in familia aspergitur. Expingamus nos, vt alteri pereant.
a Matth. 19.19. vbi est ergo, a *Diliges proximum tuum sicut teipsum?* Nolite vestra tantùm curare, sed alterius. Nulla enuntiatio Spiritus sancti, ad præsentem tantùm materiam, & non ad omnem vtilitatis occasionem dirigi & suscipi debet. Cùm igitur & nostra & aliorum causa versetur in studio periculosissimi decoris, iam non tantùm confictæ & elaboratæ pulchritudinis suggestum recusandum à vobis sciatis, sed etiam naturalis speciositatis obliterandum, dissimulatione & incuriâ, vt perinde oculorum incursibus molestum. Nam etsi accusandus decor non est, vt fœlicitas corporis, vt diuinæ plasticæ accessio, vt animæ aliqua vestis
Gen. 12. 13. & 20. 2. vrbana: * timendus est tamen propter iniuriam & violentiam sectatorum, quam etiam pater fidei Abraham in vxoris suæ specie pertimuit, & sororem mentitus Saram, salutem
Cap. III. contumeliâ redemit. Nunc non sit timenda dignitas formæ, vt nec possidentibus grauis, nec appetentibus exitiosa, nec coniunctis periculosa, non exposita tentationibus, non circumdata scandalis existimetur: sufficit quòd angelis Dei non est necessaria. Nam vbi pudicitia, ibi vacua pulchritudo; quia propriè vsus & fructus pulchritudinis, luxuria, nisi si quis
2. Cor. 11. 10. aliam messem decori corporis arbitratur. Illæ sibi formositatem & datam extendant, & non datam requirant, quæ quod ab illa flagitatur, sibi quoque præstare se putent, quod alteri præstant. Dicet aliquis, Quid ergo; non & exclusâ luxuriâ, & admissâ castitate, laudes corporis gloriam licet? Viderit quem iuuat de carne gloriari. * bona.

PVLCHRITVDO, 1. SCHOL.

PERICVLO SVMVS. *Alloquitur mulieres studiosas formæ, quâ nimis excultâ in laqueum & periculum libidinis inducunt proximos.* QVID ILLIS. *per illa studia formæ: de quibus priùs dixerat.* AMPLIANDO LEGEM, *id est, ampliorem perfectionem in lege gratiæ exigendo, quàm in Mosaica, dum ait Matthæi 5. 28.* Audistis, quia dictum est antiquis, Non mœchaberis: ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. *Sic amplias, vt prohibitionem, præter actum externum completum, extendat etiam ad intuitum & concupiscentiam.* STVPRI, *latè sumis pro fornicatione & mœchia.* IN B POENA, *in sententia. Non quòd grauior non sit damnificatione proximi, actus exterior completus; Sed apud Deum voluntas æquatur facto, & pari pœnâ plectitur.* AB INVIDIA, *id est, licèt intentione malâ, prolectandi libidinem proximi, non peccaueris; Deum tamen zelatorem salutis eius prouocas, & eamdem tibi apud Deum, Angelos & Sanctos inuidiam paris, & notam infamiæ, quam inurit domino agri, & toti eius familiæ innocenti, latrocinium in eo prorsus innocenti commissum.* CONTINGET. *alij, constringet.* RVS, *alij* res. EXPINGAMVS, *pigmentis, & extraneis fucis capillum, & faciem mutemus.* VESTRA TANTVM, *cùm charitas,* non quærat quæ sua sunt.

ENVNTIATIO, *sententia Scripturæ dictata à Spiritu sancto, restringenda non est ad vnam materiam; cum ad omnes se extendat.* ET NOSTRA, *quia tenemur dare bonum exemplum & modestè indui sub pœna peccati.* ET ALIORVM. *Quibus scandalum & occasionem peccati dare prohibemur.* IN STVDIO. *In affectata cura formæ periculosissimæ excolendæ.* SVGGESTVM. *Pompam & apparatum superfluum & adscititium.* DISSIMVLATIONE, *quasi dissimulet & ignoret mulier formosa, præ neglectu, se esse formosam.* INCVRSIBVS, *aspectibus, occursibus.* MOLESTVM, *periculosum, & castis oculis onerosum.* DIVINÆ PLASTICÆ, *à Deo plasmatore & figulo, iuxta protoplastem Adam de luto formata.* ACCESSIO. *reditus, additamentum accidens decorum substantiæ carnis.* VESTIS VRBANA. *Alij simpliciter legunt* bona. *Iuxta Iob:* Pelle & carnibus vestisti me. *Bona vestis animæ caro qualibet, sed formosa, non rustica; sed vrbana vestis.* ABRAHAM. *de hoc tam alibi.* SOROREM MENTITVS. *Patres excusant à mendacio; more enim Hebræo consobrini fratres sunt appellati.* SALVTEM CONTVMELIA, &c. *Vitam quam fortè Abimelech abstulisset, vt liberius & absque adulterio veteretur Sara, redemit contumelia, vel probro mendacij putati, vel eius obiurgatione, cùm ei Rex Ægypti dixerit Gen 12. 18.* Quidnam est hoc quod fecisti mihi? quare non indicasti quòd vxor tua esset? quam ob causam dixisti esse sororem tuam, vt tollerem eam mihi in vxorem? &c. GRAVIS, *cum magnæ cura & pompa pretiosa excolitur.* CONIVNCTIS. *maritis vt Abrahæ.* ANGELIS DEI. *Distinguit ab Angelis Diaboli, quibus iuxta errorem Tertulliani fuit scandalosa filiarum hominum conspecta pulchritudo. Sed hîc puto magis respicere illud* 1. Cor 11. 10. Debet mulier potestatem, *id est velum, signum potestatis viri in eam, vnde & Saræ data pecunia ad emendum velum, vt alias soli viro visa, in publico lateret eius forma,* habere supra caput, propter Angelos. *id est, vel sanctos spiritus orationis præsides, vel sacerdotes, in quibus angelica puritas exigitur.* VACVA, *sine causa, frustrà, &c.* ALIAM MESSEM, *fructum iam dixerat. quasi dicat nil aliud ex carnis forma colligi. Alij legunt,* aliàs esse, *id est, ob aliam causam pulchritudinem arridere.* ILLÆ SIBI, &c. *quasi dicat, solæ libidinosæ mulieres:* AB ILLA FLAGITATVR, *scilicet vsus luxuriæ.* SED QVOQVE, *voluptate carnis ipsa fruuntur, qua hominibus præstant, vt ea secum perfruantur.* QVID ERGO, &c. *Inducit sic loquentem mulierem: an non licet cuiquam laudare & æstimare pulchritudinem, quæ tota gloria est corporis, modo castitatem profiteatur, excludatque luxuriam?* VIDERAT, &c. *Respondet Tertull. sic ita apud* A *Gentiles qui profitentur captare gloriam de rebus corporeis & visibilibus, Christianis in nullo prorsus gloriandum est, quibus indictus est omnium rerum contemptus, & perfecta humilitas. Augustinus libro quarto Confessionum cap. 11. & 12. vbi de amore pulchritudinis.* Si placent corpora, Deum ex illis lauda, & in artificem eorum retorque amorem, ne in his quæ tibi placent, tu ei displiceas. Si placent animæ, in Deo amentur; quia & ipsæ mutabiles sunt, & in illo fixæ stabiliuntur, alioquin irent & perirent: in illo ergo amentur, & rape ad eum tecum quas potes, & dic eis, hunc amemus, hunc amemus, ipse fecit hæc, & non est longè. Non enim fecit atque abiit, sed ex illo, in illa sunt, &c. quò itis in aspera? quò itis? bonum quod amatis ab illo est, sed quantum est ad illum, bonum est & suaue. S. Aug.

B Sed amatum erit iustè, quia iniustè amatur; deserto illo quicquid ab illo est, *Et cap. 13.* amabam pulchra inferiora, & ibam in profundum, & dicebam amicis meis: Num amamus aliquid nisi pulchrum? & quid est ergo pulchrum? & quid est pulchritudo? quid est quod nos allicit & conciliat rebus, quas amamus? nisi enim esset in eis decus & species nullo modo nos ad se mouerent. Etenim animaduertebam & videbam in ipsis corporibus aliud esse quasi totum, & ideò pulchrum; aliud autem quod ideò deceret, quoniam aptè accommodaretur alicui, sicut pars corporis ad vniuersum suum, & calceamentum ad pedem, & similia. Et ista consideratio scaturiuit in animo meo & intimo corde meo, & scripsi libros de pulchro & apto, puto duos aut tres; tu scis Deus. Nam excidit mihi, S. Aug.

C non enim habemus eos, sed aberrauerunt à nobis nescio quomodo: *Epist. autem 151. ad Nebridium pulchritudinem internam animæ præferendam ait his verbis:* Vnde constamus? ex animo & corpore. quid horum melius? videlicet animus. quid laudatur in corpore? nihil aliud video quam pulchritudinem. Quid est corporis pulchritudo? congruentia partium cum quadam coloris suauitate: hæc forma vbi vera melior, an vbi falsa? quis dubitet, vbi vera est, esse meliorem? vbi ergo vera est? in animo scilicet. Animus igitur magis amandus quàm corpus. Sed in qua parte animi ista est veritas? in mente atque intelligentia. Quid huic aduersatur? sensus. Resistendum ergo sensibus totis animæ viribus liquet. Quid si sensibilia nimium delectant? fiat vt non delectent. Vnde fit? consuetudine iis carendi, appetendique meliora. *In carne ergo non est gloriandum, neque ipsâ anima, sed qui verè voluerit gloriari, in Domino glorietur, à quo est omne & verum & pulchrum.* S. Aug.

2. *Pulchritudo reuelata, pudica non est, sed periculosa. De vel. virg. cap. 14. in f.*

IPsa concupiscentia non latendi, non est pudica. patitur aliquid quod virginis non sit, studium placendi. vtique & viris. Quantùm velis bonâ mente conetur, necesse est publicatione sui periclitetur, dum percutitur oculis incertis & multis, dum digitis demonstrantium titillatur, dum nimium amatur, dum inter amplexus & oscula assidua concalescit. Sic frons duratur, sic pudor teritur, sic soluitur, sic discitur aliter iam placere desiderare.

3. *Pulchritudinis, & capitis ornandi, & speculandi cura, iam non esse mente virginem probat de vel. virg. cap. 12. Vt Nuptiæ quomodo, &c. 4. in med.*

PVLCHRITVDO. 2. SCHOL.

NON LATENDI. *Sine velo faciem nudam exponere volendi amor non est pudicus.* BONA MENTE, *simplici, absque affectatione & intentione placendi viris.* PVBLICATIONE, *dum in publicum aperte facies pulchra exponitur.* D OCVLIS INCERTIS, *incertum est enim vtrum videntes casti sint, an lubrici.* TITILLATVR, *prurigine laudis, & ex vanitate etiam carnis concupiscentia sensim irrepente.* INTER AMPLEXVS, *quia frequens tum*

osculum erat Christianorum vt fratrum. Vel etiam quia ex nimio amore formæ, amplexus & oscula executantur. FRONS DVRATVR, *sine velo exposita assuescit impudentia.* TERITVR. *assiduitate spectaculi.* SOLVITVR *quasi distincta zona, in Venerem.* ALITER PLACERE, *quam causa vanitatis & laudis, vult placere, scilicet vt libidinosè & impudicè ametur. Augustinus lib. 15. de Ciu. c. 22. ruinam hominũ à mulierum reuelatarum inspectu profluxisse sic scribit, diluuium eis imputans;* Malum à sexu fœmineo causam rursus inuenit, non quidem illo modo quo ab initio: *quo ex complacentia mulieris Adam peccauit:* non enim cuiusquam etiam tunc fallaciâ seductæ illæ fœminæ persuaserunt peccatum viris, sed ab initio quæ prauis moribus fuerant in terrena ciuitate, id est in terrigenarum societate, amatæ sunt à filiis Dei, ciuibus scilicet peregrinantis in hoc sæculo ciuitatis, propter pulchritudinem corporum, quod bonum Dei quidem donum est, sed propterea id largitur etiam malis, ne magnum bonum videatur bonis. Deserto itaque magno bono, & bonorum proprio, lapsus est factus ad bonum minimum, non bonis proprium, sed bonis malisque commune: ac sic filij Dei filiarum hominum amore sunt capti, atque vt eis coniugibus fruerentur, in mores terrigenæ societatis defluxerunt, desertâ pietate, quam in sancta societate seruabant. Sic enim corporis pulchritudo à Deo quidem factum, sed temporale, carnale, infimum bonum malè amatur, postposito Deo æterno, interno sempiterno bono, quemadmodum iustitiâ desertâ, & aurum amatur ab auaris, nullo peccato auri, sed hominis: ita se habet omnis creatura: cùm enim bona sit, & benè potest amari, & malè: benè scilicet, ordine custodito, malè autem, ordine perturbato. *Suspendamus tantisper, & auertamus oculos ne videant vanitatem mortalis & corruptibilis pulchritudinis carnis, ex qua sunt tot & tanta irritamenta libidinis, sit hic vita nostra abscondita, vt in resurrectione cum Christo formosi sine periculo appareamus in gloria, sine vllo sensu libidinis. Audiamus in hanc rem Aug. lib. 22. de Ciu. c. 24. vbi fusè de harmonia & pulchritudine corporis.* Detractis necessitatibus operandi, ita omnium partium congruentiâ numerosâ, & pulchrâ sibi paritate respondet, vt nescias vtrùm in eo cõdendo maior fit vtilitatis habita ratio, quàm decoris. Certè enim nihil creatum videmus in hoc corpore vtilitatis causâ, quod non habeat etiam decoris locum. Plus autẽ nobis id appareret, si numeros mensurarum quibus inter se cuncta connexa sunt, & coaptata nossemus, quos forsitan datâ operâ in his quæ foris eminent, humana posset inuestigare solertia, &c. Transitura est necessitas, tempusq; venturum, quando solâ inuicem pulchritudine sine libidine perfruamur, quod maximè ad laudem referendum est Conditoris, cui dicitur in Psalmo, Confessionem & decorem induisti. *Et cap. 30. in pr.* Omnia membra & viscera incorruptibilis corporis quæ nunc videmus per vsus necessitatis varios distributa, quoniam tunc non erit ipsa necessitas, sed plena, certa, secura, sempiterna fœlicitas, proficient in laudibus Dei. Omnes quippe illi, de quibus iam sum locutus, qui nunc latent harmoniæ corporalis numeri non latebunt, intrinsecùs & extrinsecùs per corporis cuncta dispositi, & cum cæteris rebus, quæ ibi magnæ atq; mirabiles videbuntur, rationales mentes in tanti artificis laudem rationalis pulchritudinis delectatione succendent. Qui motus illic talium corporum sint futuri, temere definire non audeo, quod excogitare non valeo. Tamen & motus, & status, sicut ipsa species, decens erit quicumque erit, vbi quod non decebit, non erit. *Hic autem in spectanda & amanda corporum forma, vix propter corruptionem, vel intuitus vel tactus honestus & decens haberi potest. Vnde Paulus:* Bonum est homini mulierem non tangere. *Et Christus:* Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, &c.

(Margin: S. Aug. — S. Aug. — S. Aug.)

PVRGATORIVM.

1. *Purgatorij carcer temporaneus, culpas plectit vsque ad iudicium. De ani. cap. 35. circa m.*

Matth. 5. 25. SI in diabolum transfertur aduersarij mentio, ex obseruatione comitante, cum illo quoque moneris eam inire concordiam, quæ deputetur ex fidei conuentione. pactus es enim renuntiare ipsi, & pompæ, & angelis eius. conuenit inter vos de isto. hæc erit Apoc. 12. 10. amicitia obseruatione sponsionis, ne quid eius posteà resumas ex his quæ ejerasti, quæ illi reddidisti, ne te vt fraudatorem, vt pacti transgressorem iudici Deo obiiciat, sicut eum legimus alibi sanctorum criminatorem, & de ipso etiam nomine delatorem, [a] *& iudex* [a] Matth. 5. 25. *te tradat angelo executionis, & ille te in carcerem mandet infernum, vnde non dimittaris, nisi modico quoque delicto* mora resurrectionis expenso. Quid his sensibus aptius? quid his interpretationibus verius?

PVRGATORIVM. 1. SCHOL.

TRANSFERTVR, *ab applicatione aduersarij Ethnici de quo paulò supra dixerat:* Nam & Ethnicus homo aduersarius noster est, incedens in eadem via vitæ communis. *Ad Diabolum, inquit, si transfertur ab Ethnico, mentio facta aduersarij, à Christo Matthæi 5. 25* Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in via cum eo. EX OBSERVATIONE, *id est, qui aduersarius dicitur, eò quod dum sumus in via huius vitæ, nos vbique comitatur, vt obseruet actus nostros, & insidias vbique moliatur, sicut ab initio dictum est Serpenti,* Insidiaberis calcaneo eius: *Et Psaltes pro se & omnibus nobis tentatione diaboli.* Ipsi calcaneum meum obseruabunt. INIRE CONCORDIAM. *dum ait:* Esto consentiens, &c. QVÆ DEPVTETVR, *quæ concordia & consensus fundatur in contractu cum illo inito in ipsa Baptismo & fidei susceptione. Verùm* ille homicida ab initio, *Ex quo natus est, statuit perpetuas tibi parare insidias, sic tu pepigisti* fœdus cum morte, & cum inferno fecisti pactum, *Ex quo semel renunciasti diabolo, mundo, & pompis eius, te numquam ampliùs rem eius aliquam resumpturum.* AMICITIA, *consensus & vnio sola, constans in fideli obseruatione mutui contractus & promissi.* EIERASTI, *repudiasti, respuisti.* REDDIDISTI, *restituisti res mundanas quas ante Baptismum ab eo acceperas.* LEGIMVS ALIBI. *Apoc. 12. 10.* Proiectus est Draco ille magnus, serpens antiquus qui vocatur Diabolus & Sathanas, qui seducit vniuersum orbẽ: & proiectus est in terram, & Angeli eius cum illo missi sunt. Et audiui vocem magnam in cœlo dicentem, nunc facta est salus & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas

Christi eius: quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. DE NOMINE. *Diabolus enim calumniatorem significat.* ET IVDEX. *Matth.* 5. 25. Ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro; & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. ANGELO EXECVTIONIS, *ministro torturæ.* MORA RESVRRECTIONIS. *Dum moratur, donec fiat resurrectio.* EXPENSO, *in pœna persoluto. Tractat hunc locum Aug. lib.* 1. *de ser. Do. in Monte cap.* 22. Videamus quis sit ipse aduersarius cui iubemur esse beneuoli citò, cùm sumus cum illo in via. Aut enim diabolus est, aut homo, aut caro, aut Deus, aut præceptum eius. Sed diabolo non video quomodo iubeamur beneuoli esse, id est concordes, aut consentientes, &c. sed neque beneuolentiam diabolo iubemur exhibere; vbi enim beneuolentia, ibi amicitia: neque quisquam dixerit amicitiam cum diabolo esse faciendam. Neque concordare cum illo expedit, cui semel renuntiando bellum indiximus, & quo victo coronabimur. Neque consentire illi iam oportet, cui si numquam consensissemus numquam in istas incidissemus miserias. *Prosequitur de homine inimico, cum quo pax habenda. De carne, cui non est consentiendum; de Deo, & præcepto eius, peccatis nostris aduersante, cui consentiendum. Vide homiliam* 5. *ex* 50. *in p. vbi fusè de consensu dando verbo Dei aduersanti nostris concupiscentiis. Ser. autem* 1. *de ver. Do.* Quis est iste aduersarius nisi diabolus? iam liberati sumus ab illo. Quale pretium pro nobis datum est vt ab illo redimeremur? de quo dicit Apostolus, &c. qui eruit nos de potestate tenebrarum, &c. redempti sumus, diabolo renuntiabimus. Quomodo dabimus operam liberari ab illo ne nos iterum captiuos faciat peccatores? *aduerte sic legi apud Lucam* 12. Si vadis cum aduersario tuo ad principem, da operam in via liberari ab illo, ne fortè tradat te principi, &c. *Prosequitur, vt alibi, de Verbo Dei, cui consentiendum; non autem diabolo; nisi sensu Tertulliani, seruando illi primum pactum mutuæ oppositionis. Cæterùm hic locus apertè conuincit Purgatorij carcerem vsque ad resurrectionem durare, in quo modica & venialia delicta vsque ad minimum luuntur, mora & duratione pœnæ & grauitate respondente culpæ, de quo sic Aug. to.* 4. *lib.* 1. *de ser. Do. in Monte cap.* 11. Iudicem intelligo Christum. Pater enim non iudicat quemquam, &c. ministrum intelligo Angelum, & Angeli, inquit, Matth. 4. ministrabant ei, &c. Carcerem intelligo, pœnas videlicet tenebrarum, &c. de soluendo autem nouissimo quadrante potest non absurdè intelligi, aut pro eo positum, quod nihil relinquitur impunitum; sicut loquentes etiam dicimus, vsque ad fœcem, cùm volumus exprimere aliquid ita exactum, vt nihil relinqueretur: vel vt significarentur nomine quadrantis nouissimi, terrena peccata. Quarta enim pars distinctorum membrorum huius mundi, & ea nouissima, terra inuenitur, &c. Potest ergo conuenienter videri dictum, donec soluas, &c. id est donec luas terrena peccata. Hoc enim & peccator audiuit, terra es, & in terram ibis. Donec soluas autem quod dictum est, miror si non eam significat pœnam quæ vocatur æterna, &c. Quomodo in illo vbi dictum est, sede a dextris meis, donec ponam, &c. quemadmodum ergo ibi intelligitur, &c. semper regnaturum, quoniam semper illi erunt sub pedibus: ita hic accipi potest, &c. non exies inde, &c. semper non exiturum esse, quia semper soluit nouissimum quadrantem. *Sed quoniam violentior est secunda expositio, primam retineo vt natiuam: scilicet minima peccata in carcere tenebroso & igneo Purgatorij plecti, donec pro omnibus plenè satisfiat; vt inde exeat anima, omni debito persoluto. Aptius in rem nostram idem Aug. homil.* 16. *cùm dixisset de pœnis æternis, sic prosequitur de purgatorio:* Hi qui temporalibus pœnis digna gesserunt, de quibus Apostolus dicit. 1. Cor. 3. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit sic tamen quasi per ignem: per fluuium igneum de quo propheticus sermo *Danielis* commemorat; & fluuius igneus currebat ante eum; per fluuium igneum, & vada feruentibus globis horrenda transibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranseundi mora. Quantùm exegerit culpa, tantùm sibi ex homine vindicabit, quædam flammæ rationabilis disciplina. Et quantùm stulta iniquitas suggesserit, tantùm sapiens pœna desæuiet. Et quia sermo diuinus quodam loco *Ezech.* 24. æneæ ollæ animam peccatricem comparat dicens, pone illam super prunas vacuam, donec concalescat æs eius, & omne stannum eius defluat: illic sermones otiosi, & cogitationes iniquæ vel sordidæ; illic multitudo leuium peccatorum, quæ puritatem nobilis naturæ infecerant, exundabunt: illic stannum, vel plumbum, diuersorum subrepentium delictorum, quæ diuinam imaginem obscurauerant, consumentur: quæ omnia hic ab anima separari per eleemosynas, & lacrymas compendiosa transactione potuissent. Ecce sic exigere habet ab homine rationem, qui seipsum pro homine dedit, & confixus clauis, legi mortis se iunxit. *Fœlix qui vel lacrymarum aqua, vel in Agni sanguine purgationem peccatorum faciente Iesu, stolam suam lauerit: satius quippe & suauius est tali aqua & sanguine purgari, quam igni. Vide plura sequenti Scholio.*

S. Aug. (margin notes: S. Aug. ×4)

2. *Et de Ani. cap.* 58. *circa fin.*

IN summa, quum [a] *carcerem* illum, quem Euangelium demonstrat, inferos intelligamus, & *nouissimum quadrantem*, modicum quodque delictum mora resurrectionis illic luendum interpreteremur; nemo dubitabit animam aliquid pensare penes inferos, salua resurrectionis plenitudine, per carnem quoque. *Et de Resur. cap.* 42. *à p. V. Verbo, resurrectio probatur ex scriptura num.* 11. *in medio.*

[a] Matth. 5. 26.

PVRGATORIVM. 25 SCHOL.

INFEROS. *Locum inferiorem, & subterraneum Purgatorij carcerem.* LVENDVM *persoluendum in pœna Purgatorij satisfactoria.* PENSARE. *Persoluere patiendo.* PENES INFEROS. *Apud Purgatorium.* SALVA PLENITVDINE. *Absque præiudicio plenioris pœnæ seruatæ damnandis, qui nunc quidem non in purgatorio, sed in inferno in sola anima patiuntur, donec in resurrectione resumpto corpore, in anima & carne simul plenè & æternè plectantur. De pœna Purgatorij passim Augustinus, aliquos hic eius locos selectiores accipe to.* 3. *libro Enchir. ad Laur. c.* 69. *Cùm prius exposuisset locum Pauli* 1. *Cor.* 3. 13. *de igne tribulationis, subdit:* tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile non est, & vtrùm ita sit, quæri potest, & aut inueniri, aut latere, nonnullos fideles, per ignem quemdam purgatorium, quantò magis, minusue bona pereuntia

dilexerunt, tantò tardius citiusque saluari: non tamen tales, de quibus dictum est, quod regnum Dei non possidebunt, nisi conuenienter pœnitentibus eadem crimina remittantur. *Eadem repetit verbis iisdem to.4. de 8. Dulcitij qq. q. 1. circa f. Expreßius in Psal.* S. Aug. 37. Hæc iste grauiora formidans, *inferni æterna supplicia* exceptâ vitâ istâ, in cuius malis plangit & gemit, rogat & dicit, Domine ne in indignatione tua arguas me: non sim inter illos, quibus dicturus es, ite in ignem æternum, &c. Neque in ira tua emendes me, vt in hac vita purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne non opus sit, propter illos qui salui erunt, sic tamen quasi per ignem. B Quare? nisi quia hîc ædificant supra fundamentum, *fidem Christi* ligna, fœnum, stipulam? *peccata venialia, affectum temporalium*, ædificarent autem aurum, argentum, lapides pretiosos, *bona opera & solida* & de vtroque igne securi essent: non solùm de illo æterno, qui in æternum cruciaturus est impios; sed etiam de illo, qui emendabit eos qui per ignem salui erunt. Dicitur enim; ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Et quia dicitur, saluus erit, contemnitur ille ignis. Ita planè, quamuis salui per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vita. Et nostis quanta hic passi sunt mali, & possunt pati: tamen tanta passi sunt, quanta potuerunt pati & boni. Quid enim C quisque maleficus, latro, adulter, sceleratus, sacrilegus, pertulit legibus, quod non pertulit Martyr in confessione Christi? ista ergo quæ hîc sunt mala, multo faciliora sunt: & tamen videte quemadmodum ea homines ne patiantur, quidquid iusseris, faciunt. Quantò melius faciunt quod iubet Deus, ne illa grauiora patiantur? quare autem petit iste, ne in indignatione arguatur, neque in ira emendetur? tanquam dicens Deo; quoniam iam ista quæ patior, multa sunt, magna sunt quæso vt sufficiant: & incipit illa numerare, satisfaciens Deo, offerens illa quæ patitur, ne pejora patiatur: quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam. Non est sanitas in carne mea à vultu iræ tuæ, &c. *Et to. 5. lib. 21. de Ciuit. c. 16. vbi de in-* D S. Aug. *fantibus baptizatis:* si Sacramenta mediatoris acceperit, etiamsi hanc in eis annis vitam finiat, *scilicet quibus non est rationis capax* translata scilicet à potestate tenebrarum in regnum Christi, non solum pœnis, non præparetur æternis, sed ne vlla quidem post mortem purgatoria tormenta patiatur. Sufficit enim sola spiritalis regeneratio, ne post mortem obsit, quod carnalis generatio cum morte contraxit. *Et sub finem de adultis sic habet.* S. Aug. Quisquis cupit pœnas euadere sempiternas, non solùm baptizetur, verùm etiam iustificetur in Christo, ac sic verè transeat à diabolo ad Christum. Purgatorias autem pœnas nullas futuras opinetur, nisi ante illud vltimum tremendumque iudicium. *En vt directè respondeat Tertulliano dicenti de* mora resurrectionis. *Capite autem 13. vbi de purgatorio iuxta Platonicos & Maronem lib. 6. Æneidos, per aërem, ignem, & aquam facto. Ipse verò sic concludit:* E temporarias pœnas alij in S. Aug. hac vita tantùm, alij post mortem, alij & nunc & tunc, verumtamen ante iudicium illud seuerissimum nouissimumque patiuntur. Non autem omnes veniunt in sempiternas pœnas, quæ post illud iudicium his sunt futuræ, qui post mortem sustinent temporales. Nam quibusdam, quod in isto non remittitur, remitti in futuro sæculo, id est ne futuri sæculi æterno supplicio puniantur, iam supra diximus. *Vbi alludit ad illud Matth. 12. 32.* qui dixerit verbum contra Spiritum S. non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. *Quod frustrà Christus dixisset, nisi aliqua peccata in alio sæculo remitterentur.* A *Hæc rursum pro pœnis Purgatorij accipe. Monet Tobias 4. 18.* Panem tuum & vinum super sepulturam iusti constitue. *Hoc est, fac oblationem pro mortuo. Eccli. 7. 37.* Mortuo non prohibeas gratiam. *Philipp. 2. 10.* In nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium terrestrium & infernorum. *Quod de animabus fidelium intelligitur. 1. Cor. 3. 13. Vniuscuiusque opus quale fuerit, ignis probabit. Ambr. ibidem* quia per ignem, inquit, examinatio fiet. *Et in Psal. 36.* Igne, inquit, purgabuntur filij Leui, igne Ezechiel, igne Daniel, sed hi etsi per ignem examinabuntur, dicent tamen: transiuimus per ignem & aquam. Alij B in igne remanebunt, illis torabit ignis, vt Hebræis pueris, &c. & si non exurimur tamen vremur. *Vide eundem ser. 3. in Psal. 118. Hiero. in cap. 4. Amos. Greg. 4. dial. c. 39. Origenem homil. 25. in Num. 31.* Omnia quæcumque non transeunt per ignem, transibunt per aquam; & lauabitis vestimenta vestra die prima, & mundi eritis, & post hæc introibitis in castra. Vides, inquit, quomodo purificatione indiget omnis qui exierit de prælio huius vitæ. Quod si aliquid est, vt aliquid audeam dicere secundùm diuinæ scripturæ authoritatem, omnis qui exierit de hac vita, non potest esse mundus. *Et homil. 6. in Exodum.* Si quis plus illuc plumbi detulerit, plus exuritur, vt amplius decoquatur, & si parum aliquid sit auri purgatum tamen resideat. Quod si aliquis illuc to- C tus plumbeus venerit, fiet de illo hoc quod scriptum est, demergetur in profundum, tanquam plumbum in aqua validissima. *Consule eundem Origenem homil. 14. in Leuit. & 12. in Ierem. Theodoretus in 1. Cor. scribit voce ac nomine omnium Græcorum Orthodoxorum.* Credimus, inquit, esse ignem purgatorij, in quo animæ tanquam aurum in fornace purgantur. *Damascenus item in Orat. inscripta* quòd hi qui ex hac vita cum fide migrarunt viuorum Missis, & beneficiis adiuuentur: *in qua Authores suos & antiquam traditionem Patrum adducit, Dionysij, Basilij, Ephrem, Athanasij, Nysseni, Chrysostomi.*

Hyeronymus, in Matth. cap. 3. tria baptismata ignis distinguit in verba Euangelij. Ipse vos baptizabit in D Spiritu sancto & igni. Siue, inquit, quia ignis est Spiritus sanctus, vt Acta Apostolorum docent: quo descendente, sedit quasi ignis super singulos credentium, & impletus est sermo Domini dicentis, ignem veni mittere super terram, & quid volo nisi vt ardeat? siue quia in præsenti, Spiritu baptizamur, & in futuro, igne: Apostolo quoque huic sensui congruente. vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. *Videndus Basilius libro de Spiritu sancto cap. 15. & Nazi orat. in S. Lumina. Cyprianus libro 4. ep. 2. ad Antonianum:* aliud est ad veniam stare, aliud, ad gloriam peruenire: aliud, missum in carcerem non exire inde, donec soluat nouissimum quadrantem; aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari, & purgari diu igne; aliud peccata omnia pas- E sione purgasse: aliud denique pendere in die iudicij ad sententiam Domini, aliud statim à Domino coronari. *Et lib. de laude Martyrij:* legis scriptum esse vsque quadrantem nos vltimum reddere: sed hæc pars ablata martyribus. Etenim qui salutis æternæ cupiditatibus, freti vitæ huiusce desideria vicerunt, hos expertes doloris vniuersi, Domini propitiatio coronat. *Vide eundem lib. 2. de testim. ad Quirinum 57. Et Ambrosium lib. de Obitu Valentiniani, & de Obitu Theodosij senioris, vbi vota & preces fundit pro animabus ipsorum. Augustini plura suprà retuli testimonia. Duo tantùm hic subtexam. Aug. lib. 12.* S. Aug. *de Gen. ad lit. cap. 33. & ep. 99 ad Euod.* Quomodo aliter accipiendum sit quod dictum est, quem Deus suscitauit à mortuis solutis doloribus inferni, &c.

Non video nisi vt quorumdam dolores apud inferos eum soluisse accipiamus, ea potestate quâ Dominus est, cui omne genu flectitur cœlestium terrestrium & infernorum: per quam potestatem etiam illis doloribus quos soluit, non potuit teneri. *Et* A *lib. 20. de Ciuit. cap. 9.* Neque piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est regnum Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi. S. Aug.

PVRGATORII POENÆ, PER CHRISTI MERITA, ET OBLATIONES ANNVAS EXSOLVVNTVR.

* 1. *Purgatorij pœnas Christi humanitas, & Angelorum præsentia mitigat. V. Verbum. Martyres. num. 6.*

2. *Oblationes annuæ pro defunctis in Purgatorio existentibus. De exhort. cast. cap. 11. in m.*

NEque pristinam poteris odisse, cui etiam religiosiorem reseruas affectionem, vt iam receptæ apud Dominum, pro cuius spiritu postulas, pro qua oblationes annuas reddis. Stabis ergo ad Dominum cum tot vxoribus quot in oratione commemoras? & offeres pro duabus? & commendabis illas duas per sacerdotem de monogamia ordinatum, aut etiam de virginitate sancitum? circumdatum virginibus ac vniuiris?

* 3. *Et de Monog. cap. 10. in m.*

ENimverò & pro anima eius orat, & refrigerium interim adpostulat ei, & in prima resurrectione consortium, & offert annuis diebus dormitionis eius. Nam hæc nisi fecerit, verè repudiauit quantùm in ipsa est; & quidem hoc iniquius, quantò quomodo potuit, quia non potuit; & hoc indignius, quantò iam indignius, si quia non meruit. Aut nunquid nihil erimus post mortem, secundùm aliquem Epicurum, & non secundùm Christum?

4. *Et de Corona cap. 3. à m.*

Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annuâ die facimus.

* 5. *Et de Monog. cap. 11. à p.*

ORabis pro maritis tuis, nouo & vetere. Elige cui te adulteram præstes. puto amboBus. Quod si sapias, taceas defuncto. Repudium sic illi silentium tuum, alienis iam dotalibus scriptum. Hoc modo nouum promereberis maritum, si veteris obliuiscaris.

6. *De Anima cap. 51. à m.*

SCio fœminam quandam vernaculam Ecclesiæ, formâ & ætate integra functam: post vnicum & breue matrimonium, cùm in pace dormisset, & morante adhuc sepultura, interim oratione presbyteri componeretur, ad primum halitum orationis, manus à lateribus dimotas in habitum supplicem conformasse, rursumque, conditâ pace, situi suo reddidisse.

PVRGATORII POENÆ QVOMODO SVBLEVENTVR. 2.3.4.5.&6. SCHOL.

2. PRISTINAM. *Agit de Polygamo, qui primæ vxori defunctæ debet religiosiorem, castiorem, sanctiorem amorem, tum quod erga puram eius animam, & non iam carnem versetur, tum quod ad eam castam castus in primo coniugio accesserit.* POSTVLAS, *oras vt soluatur à pœnis Purgatorij.* OBLATIONES ANNVAS. *Nota antiquitatem Anniuersariorum, & Missarum solemnium pro defunctis. Liturgiæ pro defunctis meminit Clemens Romanus libro 8. Constit. Apostol. Dion. Areop. circa finem libri de Eccl. Hierarch. Euseb. Alex. in homil.* Memento, in oblatione etiam eorum qui iam de vita decesserunt parentum ac fratrum; hoc si feceris, magnam eis requiem præbes. *Sanctus Ephrem in ser. de sua morte. Cypr. ep. 66. Ambr. de obitu fratris orat. 2. & orat. de obitu Theod. Zeno Veron. ser. de Resur. Nazianz. orat. 10. in laudem Cæsarij.* STABIS. *Vel in stationibus, vigiliis, ieiuniis; vel orationibus pro defunctis.* DE MONOGAMIA. *Ex Monogamia ad Sacerdotium promotum.* SANCITVM. *Ordinatum ex sanctiori gradu virginitatis.* VNIVIRIS *viduis semel nuptis. Quasi diceret, cùm ora-* B *tio totum cor hominis circa Deum occupari attentè postulet; & semel nuptus,* diuisus sit cogitans quæ sunt mundi quomodo placeat vxori *vnica; quomodo orando & offerendo eleemosynam, assistendo Missæ annuæ, vel quotidianæ per annum, non eris diuisus & distractus, viuam simul & defunctam vxorem commemorans?*

3. REFRIGERIVM. *A flammis Purgatorij.* INTERIM, *vt suprà,* dum moratur resurrectio. *Et hic est Error Authoris, nullam animam nisi Martyrum, ante resurrectionem in cælum admitti, sed solutâ Purgatorij pœnâ, in locum aliquem refrigerij.* PRIMA RESVRRECTIONE *& hic alter error, quo credidit, ante ingressum cæli, & secundam resurrectionem, post primam, iustos per mille annos in spiritualibus delicijs & consortio casto conuicturos. Sic enim lib. de Resur. cap. 25.* Diabolo in abyssum interim relegato, primæ resurrectionis prærogatiua de soliis ordinetur; dehinc & igne dato, *id est incendio vltimæ conflagrationis faciem iudicij præcedente* vniuersalis resurrectionis censura de libris

bescentia sua pereunt. Intolerandum scilicet pudori, Domino offenso satisfacere, saluti prodactæ reformari. Næ tu verecundiâ bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum verò subducens. Ego rubori locum non facio. cùm plus de detrimento eius acquiro, cùm ipse hominem quodammodo exhortatur, Ne me respexeris dicens, pro te, mihi melius est perire. Certè periculum eius tunc, si fortè, onerosum est, cùm penes insultaturos irrisiloquio consistit, vbi de alterius ruina alter attollitur, vbi prostrato superscenditur. Ceterùm inter fratres atque conseruos, vbi communis spes, metus, gaudium, dolor, passio (quia communis spiritus de communi Domino & patre) quid tu hos aliud quàm te opinaris? Quid consortes casuum tuorum, vt plausores fugis? Non potest corpus de vnius membri vexatione lætum agere: condoleat vniuersum, & ad remedium conlaboret, necesse est. In vno & altero Ecclesia est, Ecclesia verò Christus. Ergo cùm te te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras. Æquè illi cùm super te lacrymas agunt, Christus patitur, Christus patrem deprecatur. Facilè impetratur semper, quod filius postulat. Grande planè emolumentum verecundiæ, occultatio delicti pollicetur. Videlicet, si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde & Deum celabimus. Adeóne existimatio hominum & Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere, quàm palàm absolui? Miserum est sic ad exomologesin peruenire. Malo enim ad miseriam peruenitur: sed vbi pœnitendum est, desinit miserum; quia factum est salutare. Miserum est secari, & cauterio exuri, & pulueris alicuius mordacitate cruciari: tamen quæ per insuauitatem medentur, ea & emolumento curationis offensam sui excusant, & præsentem iniuriam superuenturæ vtilitatis gratiâ commendant.

PVDOR PECCATI CONFITENDI. SCHOL.

HOc OPVS. *Exomologesis, & pœnitentia publica.* VT PVBLICATIONEM, *prostitutionem famæ suæ, quâ se palam insignes, & quasi publicos peccatores confitentur.* VEXATIONE, *morbo & dolore occulto & pudendo.* CONSCIENTIAM. *notitiam & scientiam medicorum.* PRODACTÆ. *prodigè dissipatæ.* REFORMARI. *restitui, reuocari ad salutem.* NÆ, *certè. ironicè dicta, quasi verò te bonum & iustum te faciat hæc verecundia.* DEPRECANDVM, *veniam petendam pro delictis, publicè pœnitendo.* CVM IPSE HOMINEM, &c. *Sic inducit pudorem loquentem cum anima præposterè pudorosa.* PERICVLVM EIVS. *pudoris scilicet, & honoris.* INRISILOQVIO, *cachinnis & verbis illusoriis. Si fortè, inquit, grauat animam honoris iactura, tunc maximè grauat, cùm irrisioni exponitur, sed huic locus non est cùm pœnitentia agitur coram fratribus, eiusdem sortis & fragilitatis hominibus, eodem charitatis spiritu animatis, qui ab eodem Patre & Filio procedens, datus est nobis cum diffusa charitate per eum in omnia eiusdem corporis Ecclesiæ membra.* LÆTVM AGERE, *gaudere, lætum esse, dicente Paulo:* Vnum corpus multi sumus, alter autem alterius membra, &c. Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur cætera, &c. IN VNO ET ALTERO. Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, &c. ECCLESIA CHRISTVS, *quia ex Aug. passim, Christus caput & corpus. Maximè in Psalmos Christum notat induci loquentem; modò vt caput est, modò pro corpore suo quod est Ecclesia. Et quidem si de Adam, & Eua, de quolibet viro & vxore dictum est:* Iam non sunt duo, sed vna caro. *quantò magis Christus & Ecclesia? cùm figura, re figurata, sit inferior; & vnio spiritus, carnali sit longè perfectior.* Sacramentum hoc magnum, in Christo dico & in Ecclesia. PROTENDIS, *prouolueris, in sacco & cinere.* LACRYMAS AGVNT, *fundunt.* GRANDE PLANE. *ironicè dicta.* DEI CONSCIENTIA. *notitia.* PALAM, *in publica pœnitentia, quàm stultus est qui mauult damnari, quàm satisfactoria pœnitentia, delicti remissionem apud Deum promereri; quàm impius, qui cùm sciat peccata sua quantumuis secreta Deum non latere; non pudet eum peccatorem esse coram oculis tantæ maiestatis, & pudet peccatorem existimari coram hominibus, vt sic iam non tantùm cõparet, sed & & postponat Creatorem creaturæ.* MISERVM EST SIC. *Sic inducit loquentem peccatorem. Sic, id est cum tanto pudore & humiliatione.* MALO ENIM, *pudore & verecundiâ, cum honoris iactura.* AD MISERIAM, *statum miserum & laboriosum pœnitentis publici.* SED VBI, &c. *Iam respondet Tertullianus.* DESINIT MISERVM, *cessat præsumpta & imaginata miseria.* INSVAVITATEM, *acerbitatem minus suauem sensui, ingratam, &c.* OFFENSAM, *dolorem, repugnantiam. Aug. lib. de pœnitentia, quem etiam citat Beda: in c. 5. ad Ephes.* Quisquis post Baptismum aliquo pristinorum malorum opere obligatus tenetur, vsque adeone sibi inimicus est, vt adhuc dubitet vitam mutare dum tempus est, cùm ita peccat & viuit? nam vtique quòd ita perseueranter peccat, thesaurizat sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti Iudicij Dei: Quòd autem adhuc viuit, patientia Dei ad pœnitentiam eum adducit. Implicatus igitur tam mortiferorum vinculis peccatorum, detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claues Ecclesiæ, quibus soluatur in terra, vt sit solutus in cœlo, & audet sibi post hanc vitam, quia tantùm Christianus dicitur, salutem aliquam polliceri? &c. Iudicet ergo seipsum homo in istis voluntate, dum potest, & mores conuertat in melius: ne cùm iam non poterit, etiam præter voluntatem, à Domino iudicetur: & cùm in se protulerit, seuerissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claues ministrantur; & tanquã bonus iam incipiens esse filius maternorum membrorũ ordine custodito, à præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum. Vt in offerendo sacrificio contribulati cordis, deuotus & supplex id tamen agat quod non solùm sibi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum. Et si peccatum eius non solùm in graui eius malo, sed etiam in tanto scandalo est aliorum, atque hoc expedire vtilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. Meminerit semper quòd superbis Deus resistit, &c. Quid est enim infœlicius, quid peruersius, quàm de ipso vulnere, quod latere non potest, non erubescere, & de ligatura eius erubescere? *Hæc habentur tom. 10. homil. 50. de vtilitate ac necessitate pœnitentiæ, in cuius principio, sic de Publicano:* Non mirum si Publicanus magis curatus abcessit,

S. Aug.

cessit, quem non puduit ostendere quod dolebat. *Et* S. Aug. *serm. 58. de temp. in f.* Nec erubescat pœnitentiam agere, qui non erubuit pœnitenda committere. *Et* S. Aug. *in Psal. 50.* Sunt multi quos peccare non pudet, agere pœnitentiam pudet. ô incredibilis insania! de vulnere ipso non erubescis, de ligatura vulneris erubescis? nonne nudum fœdius & putidius est? *Et in* S. Aug. *Psal. 85.* In iudicio confundentur perniciosè, qui modò nolunt confundi salubriter. Modò ergo confundantur, accusent vias suas malas, teneant viam A bonam: quia nemo nostrûm viuit sine confusione, nisi priùs confusus reuiuiscat. Præbet illis Deus modò aditum salubris confusionis, si non contemnant medicinam cõfessionis. Si autem modò nolunt confundi, tunc confundentur, quando deducent eos ex aduerso, *id est, vt ipsemet alibi exponit, & dextrâ præsumptâ, ad sinistram; ex ouibus ad hœdos,* iniquitates eorum. Quando confundentur? quando dicent, hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, &c. *quod & habet in Psal.* 30.

PVERI A DEO PROTECTI, SVSCEPTI, ET PVNITI.

Pueros insultantes Elisæo Creator plectit, paruulos innocentes Christus suscipit, vt & Creator per obstetrices paruulos protexit Hebræos. 4. cont. Marc. cap. 23. in med.

Ecce Christus diligit paruulos, tales esse docens debere, qui semper maiores velint Luc. 9. 47.
esse. Creator autem vrsos pueris immisit, vlciscens Helisæum propheten, conuitia 4. Reg.
ab eis passum. Satis impudens antithesis, quum tam diuersa committit, paruulos & pueros: innocentem adhuc ætatem, & iudicij iam capacem, quæ conuitiari poterat, ne di- 2.24.
cam blasphemare. Quâ ergo iustus Deus, nec pueris impiis pepercit, exigens maiori ætati honorem, & vtique magis à minore. Quà verò bonus, adeò diligit paruulos, vt apud Exo. 1. 15.
Ægyptum benefecerit obstetricibus protegentibus partus Hebræos periclitantes edicto Pharaonis. Ita & hæc affectio Christi cum Creatore est.

PVERI. SCHOL.

SEMPER MAIORES. *in regno æterno Excelsi; vnde Christus Luc. 9. 46,* Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset. At Iesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, & statuit illum secus se. Et ait illis; quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit; & quicumque me receperit, recipit eum qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic maior est. *Syr.* is erit maximus. *Perbellè hæc exponit Augustinus* S. Aug. *in Psal. 112 inpr.* Nostis fratres & sæpissimè audistis in Euangelio, Dominum dicere: Sinite pueros venire ad me, talium est enim regnum cœlorum: & iterùm: Si quis non receperit regnum Dei, sicut puer, non intrabit in illum: & multis aliis locis Dominus Deus noster per singulare humilitatis exemplum, superbiam veteris hominis, ad innouandam humiliter vitam, similitudine puerilis ætatis accusat. Quapropter, charissimi, cùm cantari auditis in Psalmis, Laudate pueri Dominum, ne arbitremini ad vos istam exhortationem non pertinere, quia iam corporis pueritiam supergressi, vel iuuenili decore virescitis, vel senili honore canescitis: omnibus enim vobis dicit Apostolus: Nolite effici pueri sensibus, sed malitiâ paruuli estote, vt mentibus perfecti sitis. quâ malitiâ maximè, nisi superbiâ? Ipsa enim de vana granditate præsumens, non sinit hominem ambulare per arctam viam, & intrare per angustam portam, pueri autem facilè intrant per angustam portam: & ideò nemo nisi vt puer intrat in regnum cœlorum. Quid autem superbiæ malitiâ deterius, quæ præpositum non vult habere nec Deum? &c. Ne dicatis, nunc incipimus quidem laudare Dominum, quia pueri sumus; sed cùm creuerimus, magnique fuerimus, nos ipsos laudabimus. Non sic pueri, non sic: propterea dicit Dominus per Esaiam 46. Ego sum. Et vsque dum senescatis, ego sum. Ille semper laudandus est, qui est. Quid est, laudate pueri Dominum, ex hoc laudate senes, & vsque in sæculum? quia senectus nostra albescet quidem canis sapientiæ, sed non carnis vetustate marcescet. Aut quoniam hoc loco humilitatem potiùs videtur significare pue- A ritia, cui contraria est vana & falsa superbiæ magnitudo; & ideò Dominum non nisi pueri laudant, quia superbi eum laudare non norunt: sit senectus vestra puerilis, & sit pueritia senilis: id est vt nec sapientia vestra sit cum superbia, nec humilitas sine sapientia, vt laudetis Dominum, ex hoc & vsque in sæculum. CREATOR AVTEM, *Author veteris Testamenti 4. Regum 2. 24. de quo iam suprà.* Cùm ascenderet per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei dicentes: Ascende Calue, ascende Calue. *Septuaginta semel legunt, Calue.* qui cùm respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: egressique sunt duo vrsi de saltu. *Septuaginta, de sylua.* & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros. *Præter dicta verbo, Pudor fidei,* B *2. Accipe Augustinum sic fantem in Psalmum quadragesimum quartum, cui titulus:* Filiis Chore, pro iis qui commutabuntur, in intellectu, Canticum S. Aug. pro dilecto. Renuntiatur nobis, filios Chore interpretari filios Calui. Quod nomen non ad irrisionem accipiatis, ne inueniamur in sensu puerili, quales pueros legimus in libro Regnorum insultantes Elisæo sancto Prophetæ: &c. significati sunt enim in illis pueris stulti homines; habentes ignorantiæ sensum, quales nos non vult esse Apostolus, vbi dicit, nolite pueri esse mentibus. Et quia Dominus inuitauerat nos ad imitationem puerorum, quando ante se paruulum C posuit, &c. Ibi quoque Apostolus cautus, vbi reuocat à mente puerili, vocat rursus ad imitationem puerilem, nolite, inquit, pueri effici mentibus, sed malitiâ paruuli estote, &c. quem delectat imitari puerum, non delectet imperitia, sed innocentia. Illi verò ex imperitia insultabant sancto Dei caluo, & clamabant, &c. factum est, vt à bestiis consumerentur, & figurauerunt homines in eadem mente pueri stultè irridentes quendam Caluum, qui in Caluariæ loco crucifixus est. Possessi ergo sunt tales velut à bestiis, hoc est à dæmonibus, &c. SATIS IMPVDENS, &c. *ironicè in Marcionem dicta, qui ex veteris & noui*

Testamenti contrarietatibus imaginariis, Deos diuersos colligebat. COMMITTIT, *inter se pugnantes iudicia.* INNOCENTEM. *In quantum pueri.* IVDICII, *quo discernebant Caluum à comato, & peccati capaces, & Iudicij diuini erant.* BLASPHEMARE, *quia sancto Prophetæ conuiciabantur.* MAIORI AETATI, *Prophetæ seni.* QVA IVSTVS, *arguit stultitiam Marcionis, duo in eodem Deo attributa non discernentis, qui ex bonitate munerauit obstetrices seruatrices puerorum, ex iustitia puniuit insolentiam puerorum. De obstetricibus Exod. 1. 15.* Dixit Rex Ægypti obstetricibus Hebræorum, quarum vna vocabatur Sephora, altera Phua, præcipiens eis; quando obstetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit: si masculus fuerit, interficite eum: si fœmina, reseruate. Timuerunt autem obstetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum Regis Ægypti, sed conseruabant mares, quibus ad se accersitis, Rex ait: quidnam est hoc quod facere voluistis, vt pueros seruaretis? *Septuaginta, &* A *viuificastis masculos?* quæ responderant: Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres: Ipsæ enim ob stetricandi habent scientiam, & priusquàm veniamus ad eas, pariunt. Benè ergo fecit Deus obstetricibus: & creuit populus, confortatusque est nimis: & quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos. *De crudeli edicto Pharaonis, & pietate obstetricum elegantissimè Augustinus serm. proprio qui est octuagesimus nonus de tempore, vbi sic inter cætera:* Noluerunt exercere ad perniciem, quod didicerant ad salutem, facilius Hebræas mulieres quàm Ægyptias parere dicentes: nec illis obstetricum ministeria sunt necessaria, quibus Deus prouenit ad animas liberandas. O magnum humanitatis ingenium, & pium pro salute mendacium! *Quod Augustinus non laudat, sed mixtam mendacio pietatem, quam solam, vt alibi iuxta ipsum diximus, Deus in pueros bonus, compensauit. De quo vide eundem tom. 4. lib. contra mendacium cap. 15. & lib. 2. qq. in Exod. c. 1.* S. Aug.

PVLCHRITVDO.

1. *Pulchritudo, est bonum corporis, timendum etiam Abrahæ in vxore; scandali causa; cuius vanissima est gloria, pudicis non necessaria, quam excolere non debet mulier, si proximum diligit.* 2. *De cultu fœm. cap. 2. in m. ad f. & 3. in p.*

Matth. 5. 28. QVid autem alteri periculo sumus? quid alteri concupiscentiam importamus? quam si Deus ampliando legem, facto stupri non discernat in pœna, nescio an impunè abeat, quæ alicui fuerit causa perditionis. Perit enim ille simul vt tuam formam concupierit, & facta es tu gladius illi, vt & si à culpa vaces; ab inuidia non libereris. vt cùm in alicuius agro latrocinium gestum est, crimen quidem Dominum non continget: dum rus tamen ignominiâ notatur (ipse quoque in familia aspergitur. Expingamus nos, vt alteri pereant. a Matth. 19. 19. vbi est ergo, [a] *Diliges proximum tuum sicut teipsum?* Nolite vestra tantùm curare, sed alterius. Nulla enuntiatio Spiritus sancti, ad præsentem tantùm materiam, & non ad omnem vtilitatis occasionem dirigi & suscipi debet. Cùm igitur & nostra & aliorum causa versetur in studio periculosissimi decoris, iam non tantùm confictæ & elaboratæ pulchritudinis suggestum recusandum à vobis sciatis, sed etiam naturalis speciositatis obliterandum, dissimulatione & incuriâ, vt perinde oculorum incursibus molestum. Nam etsi accusandus decor non est, vt fœlicitas corporis, vt diuinæ plasticæ accessio, vt animæ aliqua vestis vrbana: * timendus est tamen propter iniuriam & violentiam sectatorum, quam etiam * bona. Gen. 12. 13. & 20. 2. pater fidei Abraham in vxoris suæ specie pertimuit, & sororem mentitus Saram, salutem contumeliâ redemit. Cap. III. Nunc non sit timenda dignitas formæ, vt nec possidentibus grauis, nec appetentibus exitiosa, nec coniunctis periculosa, non exposita tentationibus, non circundata scandalis existimetur: sufficit quòd angelis Dei non est necessaria. Nam vbi pudicitia, ibi vacua pulchritudo; quia propriè vsus & fructus pulchritudinis, luxuria, nisi si quis 1. Cor. 11. 10. aliam messem decori corporis arbitratur. Illæ sibi formositatem & datam extendant, & non datam requirant, quæ quod ab illa flagitatur, sibi quoque præstare se putent, quod alteri præstant. Dicet aliquis, Quid ergo; non & exclusâ luxuriâ, & admissâ castitate, laudes corporis gloriam licet? Viderit quem iuuat de carne gloriari.

PVLCHRITVDO. 1. SCHOL.

PERICVLO SVMVS. *Alloquitur mulieres studiosas formæ, quâ nimis excultâ in laqueum & periculum libidinis inducunt proximos.* QVID ILLIS. *per illa studia formæ: de quibus prius dixerat.* AMPLIANDO LEGEM, *id est, ampliorem perfectionem in lege gratiæ exigendo, quàm in Mosaica, dum ait Matthæi 5. 28.* Audistis, quia dictum est antiquis, Non mœchaberis: ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. *Sic amplias, vt prohibitionem, præter actum externum completum, extendas etiam ad intuitum & concupiscentiam.* STVPRI, *latè sumit pro fornicatione & mœchia.* IN B POENA, *in sententia. Non quòd grauior non sit damnificatione proximi, actus exterior completus; Sed apud Deum voluntas æquatur facto, & pari pœnâ plectitur.* AB INVIDIA, *id est, licèt intentione malâ, prolectandi libidinem proximus, non peccaueris; Deum tamen zelatorem salutis eius prouocas, & eamdem tibi apud Deum, Angelos & Sanctos inuidiam paris, & notam infamiæ, quam inurit domino agri, & toti eius familiæ innocenti, latrocinium in eo prorsus innocenti commissum.* CONTINGET. *alij, constringet.* RVS, *alij res.* EXPINGAMVS, *pigmentis, & extraneis fucis capillum, & faciem mutemus.* VESTRA TANTVM, *cùm charitas,* non quærat quæ sua sunt.

Enuntiatio, *sententia Scripturæ dictata à Spiritu sancto, restringenda non est ad vnam materiam; cum ad omnes se extendat.* Et nostra, *quia tenemur dare bonum exemplum & modestè indui sub pœna peccati.* Et aliorum. *Quibus scandalum & occasionem peccati dare prohibemur.* In studio. *In affectata cura formæ periculosissimæ excolendæ.* Suggestum. *pompam & apparatum superfluum & adscititium.* Dissimulatione, *quasi dissimulet & ignoret mulier formosa, præ neglectu, se esse formosam.* Incursibus, *aspectibus, occursibus.* Molestum, *periculosum, & castis oculis onerosum.* Divinæ plasticæ, *à Deo plasmatore & figulo, iuxta protoplastem Adam de luto formata.* Accessio. *reditus, additamentum accidens decorum substantiæ carnis.* Vestis vrbana. *Alij simpliciter legunt* bona. *Iuxta Iob:* Pelle & carnibus vestisti me. *Bona vestis animæ caro quælibet, sed formosa, non rustica; sed vrbana vestis.* Abraham. *de hoc iam alibi.* Sororem mentitus. *Patres excusant à mendacio; more enim Hebræo consobrini fratres sunt appellati.* Salutem contumelia, &c. *Vitam quam fortè Abimelech abstulisset, vt liberius & absque adulterio vteretur Sara, redemit contumelia, vel probro mendacij putati, vel eius obiurgatione, cùm ei Rex Ægypti dixerit Gen 12. 18.* Quidnam est hoc quod fecisti mihi? quare non indicasti quòd vxor tua esset? quam ob causam dixisti esse sororem tuam, vt tollerem eam mihi in vxorem? &c. Gravis, *cum magna cura & pompa pretiosa excolitur.* Coniunctis. *maritis vt Abraham.* Angelis Dei. *Distinguit ab Angelis Diaboli, quibus iuxta errorem Tertulliani fuit scandalosa filiarum hominum conspecta pulchritudo. Sed hic puto magis respicere illud* 1. Cor 11. 10. Debet mulier potestatem, *id est velum, signum potestatis viri in eam, vnde & Saræ data pecunia ad emendum velum, vt alias soli viro visa, in publico lateret eius forma,* habere supra caput, propter Angelos. *id est, vel sanctos spiritus orationis præsides, vel sacerdotes, in quibus angelica puritas exigitur.* Vacua, *sine causa, frustrà, &c.* Aliam messem, *fructum iam dixerat. quasi dicat nil aliud ex carnis forma colligi. Alij legunt,* aliàs esse, *id est, ob aliam causam pulchritudinem arridere.* Illæ sibi, &c. *quasi dicat, solæ libidinosæ mulieres:* Ad illa flagitatur, *scilicet vsus luxuriæ.* Sibi quoque, *voluptate carnis ipsæ fruuntur, quæ hominibus præstant, vt ea secum perfruantur.* Quid ergo, &c. *Inducit sic loquentem mulierem: an non licet cuiuis laudare & astruere pulchritudinem, quæ tota gloria est corporis, modo castitatem profiteatur, excludatque luxuriam?* Viderat, &c. *Respondet Tertull. sit ita apud*

A *Gentiles qui profitentur captare gloriam de rebus corporeis & visibilibus, Christianis in nullo prorsus gloriandum est, quibus indictus est omnium rerum contemptus, & perfecta humilitas. Augustinus libro quarto Confessionum cap. 11. & 12. vbi de amore pulchritudinis.* Si placent corpora, Deum ex illis lauda, & in artificem eorum retorque amorem, ne in his quæ tibi placent, tu ei displiceas. Si placent animæ, in Deo amentur; quia & ipsæ mutabiles sunt, & in illo fixæ stabiliuntur, alioquin irent & perirent: in illo ergo amentur, & rape ad eum tecum quas potes, & dic eis, hunc amemus, hunc amemus, ipse fecit hæc, & non est longè. Non enim fecit atque abiit, sed ex illo, in illa sunt, &c. quò itis in aspera? quò itis? bonum quod amatis ab illo est, sed quantum est ad illum, bonum est & suaue. S. Aug.

B Sed amarum erit iustè, quia iniustè amatur; deserto illo quicquid ab illo est, *Et cap. 13.* amabam pulchra inferiora, & ibam in profundum, & dicebam amicis meis: Num amamus aliquid nisi pulchrum? & quid est ergo pulchrum? & quid est pulchritudo? quid est quod nos allicit & conciliat rebus, quas amamus? nisi enim esset in eis decus & species nullo modo nos ad se mouerent. Etenim animaduertebam & videbam in ipsis corporibus aliud esse quasi totum, & ideò pulchrum; aliud autem quod ideò deceret, quoniam aptè accommodaretur alicui, sicut pars corporis ad vniuersum suum, & calceamentum ad pedem, & similia. Et ista consideratio scaturiuit in animo meo & intimo corde meo, & scripsi libros de pulchro & apto, puto duos aut tres; tu scis Deus. Nam excidit mihi, S. Aug.

C non enim habemus eos, sed aberrauerunt à nobis nescio quomodo: *Epist. autem 151. ad Nebridium pulchritudinem internam animæ præferendam ait his verbis:* Vnde constamus? ex animo & corpore. quid horum melius? videlicet animus. quid laudatur in corpore? nihil aliud video quam pulchritudinem. Quid est corporis pulchritudo? congruentia partium cum quadam coloris suauitate: hæc forma vbi vera melior, an vbi falsa? quis dubitet, vbi vera est, esse meliorem? vbi ergo vera est? in animo scilicet. Animus igitur, magis amandus quàm corpus. Sed in qua parte animi ista est veritas? in mente atque intelligentia. Quid huic aduersatur? sensus. Resistendum ergo sensibus totis animæ viribus, liquet. Quid si sensibilia nimium delectant? fiat vt non delectent. Vnde fit? consuetudine iis carendi, appetendique meliora. *In carne ergo non est gloriandum, neque ipsa anima, sed qui verè voluerit gloriari, in Domino glorietur, à quo est omne & verum & pulchrum.* S. Aug.

2. *Pulchritudo reuelata, pudica non est, sed periculosa. De vel. virg. cap. 14. in f.*

IPsa concupiscentia non latendi, non est pudica. patitur aliquid quod virginis non sit, studium placendi. vtique & viris. Quantùm velis bonâ mente conetur, necesse est publicatione sui periclitetur, dum percutitur oculis incertis & multis, dum digitis demonstrantium titillatur, dum nimium amatur, dum inter amplexus & oscula assidua concalescit. Sic frons duratur, sic pudor teritur, sic soluitur, sic discitur aliter iam placere desiderare.

3. *Pulchritudinis, & capitis ornandi, & speculandi cura, iam non esse mente virginem probat de vel. virg. cap. 12. V. Nuptiæ quomodo, &c. 4. in med.*

PVLCHRITVDO. 2. SCHOL.

NOn latendi. *Sine velo faciem nudam exponere volendi amor non est pudicus.* Bona mente, *simplici, absque affectatione & intentione placendi viris.* Publicatione, *dum in publicum aperit facies pulchra exponitur.* D Ocvlis incertis, *incertum est enim vtrum videntes casti sint, an lubrici.* Titillatvr, *pruriginat laudis, & ex vanitate etiam carnis concupiscentia sensim irrepente.* Inter amplexvs, *quia frequens tum*

osculum erat Christianorum vt fratrum. Vel etiam quia ex nimio amore formæ, amplexus & oscula excutiantur. FRONS DVRATVR, *fine velo exposita assuescit impudentiæ.* TERITVR. *assiduitate spectaculi.* SOLVITVR *quasi discincta zona, in Venerem.* ALITER PLACERE, *quàm causa vanitatis & laudis, vult placere, scilicet vt libidinosè & impudicè ametur. Augustinus lib. 15. de Ciu. c. 22. ruinam hominũ à mulierum reuelatarum inspectu profluxisse sic scribit, diluuium eis imputans:* Malum à sexu fœmineo causam rursus inuenit, non quidem illo modo quo ab initio: *quo ex complacentia mulieris Adam peccauit:* non enim cuiusquam etiam tunc fallaciâ seductæ illæ fœminæ persuaserunt peccatum viris, sed ab initio quæ prauis moribus fuerant in terrena ciuitate, id est in terrigenarum societate, amatæ sunt à filiis Dei, ciuibus scilicet peregrinantis in hoc sæculo ciuitatis, propter pulchritudinem corporum, quod bonum Dei quidem donum est, sed propterea id largitur etiam malis, ne magnum bonum videatur bonis. Deserto itaque magno bono, & bonorum proprio, lapsus est factus ad bonum minimum, non bonis proprium, sed bonis malisque commune: ac sic filij Dei filiarum hominum amore sunt capti, atque vt eis coniugibus fruerentur, in mores terrigenæ societatis defluxerunt, desertâ pietate, quam in sancta societate seruabant. Sic enim corporis pulchritudo à Deo quidem factum, sed temporale, carnale, infimum bonum malè amatur, postposito Deo æterno, interno sempiterno bono, quemadmodum iustitiâ desertâ, & aurum amatur ab auaris, nullo peccato auri, sed hominis: ita se habet omnis creatura: cùm enim bona sit, & benè potest amari, & malè: benè scilicet, ordine custodito, malè autem, ordine perturbato. *Suspendamus tantisper, & auertamus oculos ne videant vanitatem mortalis & corruptibilis pulchritudinis carnis, ex qua sunt tot & tanta irritamenta libidinis, sit hic vita nostra abscondita, vt in resurrectione cum Christo formosi sine periculo appareamus in gloria, sine vllo sensu libidinis. Audiamus in hanc rem Aug. lib. 22. de Ciu. c. 24. vbi fusè de harmonia & pulchritudine corporis.* Detractis necessitatibus operandi, ita omnium partium congruentiâ numerosâ, & pulchrâ sibi paritate respondet, vt nescias vtrùm in eo cõdendo maior sit vtilitatis habita ratio, quàm decoris. Certè enim nihil creatum videmus in hoc corpore vtilitatis causâ, quod non habeat etiam decoris locum. Plus autẽ nobis id appareret, si numeros mensurarum quibus inter se cuncta connexa sunt, & coaptata nossemus, quos forsitan datâ operâ in his quæ foris eminent, humana posset inuestigare solertia, &c. Transitura est necessitas, tempusq; venturum, quando solâ inuicem pulchritudine sine libidine perfruamur, quod maximè ad laudem referendum est Conditoris, cui dicitur in Psalmo, Confessionem & decorem induisti. *Et cap. 30. in pr.* Omnia membra & viscera incorruptibilis corporis quæ nunc videmus per vsus necessitatis varios distributa, quoniam tunc non erit ipsa necessitas, sed plena, certa, secura, sempiterna fœlicitas, proficient in laudibus Dei. Omnes quippe illi, de quibus iam sum locutus, qui nunc latent harmoniæ corporalis numeri non latebunt, intrinsecùs & extrinsecùs per corporis cuncta dispositi, & cum cæteris rebus, quæ ibi magnæ atq; mirabiles videbuntur, rationales mentes in tanti artificis laudem rationalis pulchritudinis delectatione succendent. Qui motus illic talium corporum sint futuri, temere definire non audeo, quod excogitare non valeo. Tamen & motus, & status, sicut ipsa species, decens erit quicumque erit, vbi quod non decebit, non erit. *Hic autem in spectanda & amanda corporum forma, vix propter corruptionem, vel intuitus vel tactus honestus & decens haberi potest. Vnde Paulus:* Bonum est homini mulierem non tangere. *Et Christus:* Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, &c.

PVRGATORIVM.

1. *Purgatorij carcer temporaneus, culpis pictis vsque ad iudicium. De ani. cap. 35. circa m.*

Matth. 5. 25. SI in diabolum transfertur aduersarij mentio, ex obseruatione comitante, cum illo quoque moneris eam inire concordiam, quæ deputetur ex fidei conuentione. pactus es enim renuntiare ipsi, & pompæ, & angelis eius. conuenit inter vos de isto. hæc erit amicitia obseruatione sponsionis, ne quid eius posteà resumas ex his quæ ejerasti, quæ illi Apoc. 12. 10. reddidisti, ne te vt fraudatorem, vt pacti transgressorem iudici Deo obiiciat, sicut eum legimus alibi sanctorum criminatorem, & de ipso etiam nomine delatorem, [a] *& iudex* a Matth. 5. 25. *te tradat angelo executionis, & ille te in carcerem mandet infernum, vnde non dimittaris, nisi modico quoque delicto* mora resurrectionis expenso. Quid his sensibus aptius? quid his interpretationibus verius?

PVRGATORIVM. 1. SCHOL.

TRANSFERTVR, *ab applicatione aduersarij Ethnici de quo paulo supra disserat:* Nam & Ethnicus homo aduersarius noster est, incedens in eadem via vitæ communis. *Ad Diabolum, inquit, si transfertur ab Ethnico, mentio facta aduersarij, a Christo Matthæi 5. 25* Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in via cum eo. EX OBSERVATIONE, *id est, qui aduersarius dicitur, eo quod dum sumus in via huius vitæ, nos vbique comitatur, vt obseruet actus nostros, & insidias vbique moliatur, sicut ab initio dictum est Serpenti,* Insidiaberis calcaneo eius: *Et Psaltes pro se & omnibus nobis sententiam diaboli:* Ipsi calcaneum meum obseruabunt. INIRE CONCORDIAM. *dum ait:* Esto consentiens, &c. QVÆ DEPVTETVR, *quæ concordia & consensus fundatur in contractu cum illo inito in ipso Baptismo & fidei susceptione. Vt enim* ille homicida ab initio, *Ex quo natus est, statuit perpetuas tibi parare insidias, sic tu pepigisti fœdus cum morte, &* cum inferno fecisti pactum, *Ex quo semel renunciasti diabolo, mundo, & pompis eius te numquam amplius rem eius aliquam resumpturum.* AMICITIA, *consensus & vnio sola, constans in fideli obseruatione mutui contractus & promissi.* EIERASTI, *repudiasti, respuisti.* REDDIDISTI, *restituisti res mundanas quas ante Baptismum ab eo acceperas.* LEGIMVS ALIBI. *Apoc. 12. 10.* Proiectus est Draco ille magnus, serpens antiquus qui vocatur Diabolus & Sathanas, qui seducit vniuersum orbẽ: & proiectus est in terram, & Angeli eius cum illo missi sunt. Et audiui vocem magnam in cœlo dicentem, nunc facta est salus & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas

Christi eius: quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. DE NOMINE. *Diabolus enim calumniatorem significat.* ET IVDEX. *Matth. 5. 25.* Ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro; & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. ANGELO EXECVTIONIS, *ministro torturæ.* MORA RESVRRECTIONIS. *Dum moratur, donec fiat resurrectio.* EXPENSO, *in pœna persoluto. Tractat hunc locum*

S. Aug. *Aug. lib. 1. de ser. Do. in Monte cap. 22.* Videamus quis sit ipse aduersarius cui iubemur esse beneuoli citò, cùm sumus cum illo in via. Aut enim diabolus est, aut homo, aut caro, aut Deus, aut præceptum eius. Sed diabolo non video quomodo iubeamur beneuoli esse, id est concordes, aut consentientes, &c. sed neque beneuolentiam diabolo iubemur exhibere; vbi enim beneuolentia, ibi amicitia: neque quisquam dixerit amicitiam cum diabolo esse faciendam. Neque concordare cum illo expedit, cui semel renuntiando bellum indiximus, & quo victo coronabimur. Neque consentire illi iam oportet, cui si numquam consensissemus numquam in istas incidissemus miserias. *Prosequitur de homine inimico, cum quo pax habenda. De carne, cui non est consentiendum; de Deo, & præcepto eius, peccatis nostris aduersante, cui consentiendum. Vide homiliam 5. ex 50. in p. vbi fusè de consensu dando verbo Dei aduersanti nostris con-*

S. Aug. *cupiscentiis. Ser. autem 1. de ver. Do.* Quis est iste aduersarius nisi diabolus? iam liberati sumus ab illo. Quale pretium pro nobis datum est vt ab illo redimeremur? de quo dicit Apostolus, &c. qui eruit nos de potestate tenebrarum, &c. redempti sumus, diabolo renuntiabimus. Quomodo dabimus operam liberari ab illo ne nos iterum captiuos faciat peccatores? *aduerte sic legi apud Lucam 12.* Si vadis cum aduersario tuo ad principem, da operam in via liberari ab illo, ne fortè tradat te principi, &c. *Prosequitur, vt alibi, de Verbo Dei, cui consentiendum; non autem diabolo; nisi sensu Tertulliani, seruando illo primum pactum mutuæ oppositionis. Cæterùm hic locus apertè conuincit Purgatorij carcerem vsque ad resurrectionem durare, in quo modica & venialia delicta vsque ad minimum luuntur, mora & duratione pœnæ & grauitate respondente culpa, de quo sic Aug. to. 4. lib. 1. de ser. Do. in Monte cap. 11.* Iudicem intelligo Christum. Pater enim non iudicat quemquam, &c. ministrum

S. Aug. intelligo Angelum, & Angeli, inquit, Matth. 4. ministrabant ei, &c. Carcerem intelligo, pœnas videlicet tenebrarum, &c. de soluendo autem nouissimo quadrante potest non absurdè intelligi, aut pro eo positum, quod nihil relinquitur impunitum;

A sicut loquentes etiam dicimus, vsque ad fœcem, cùm volumus exprimere aliquid ita exactum, vt nihil relinqueretur: vel vt significarentur nomine quadrantis nouissimi, terrena peccata. Quarta enim pars distinctorum membrorum huius mundi, & ea nouissima, terra inuenitur, &c. Potest ergo conuenienter videri dictum, donec soluas, &c. id est donec luas terrena peccata. Hoc enim & peccator audiuit, terra es, & in terram ibis. Donec soluas autem quod dictum est, miror si non eam significat pœnam quæ vocatur æterna, &c. Quomodo in illo vbi dictum est, sede à dextris meis, donec ponam, &c. quemadmodum ergo ibi intelligitur, &c. semper regnaturum, quoniam semper illi erunt sub pedibus: ita hic accipi potest, &c. non exies inde, &c.

B semper non exiturum esse, quia semper soluit nouissimum quadrantem. *Sed quoniam violentior est secunda expositio, primam retineo vt natiuam: scilicet minima peccata in carcere tenebroso & igneo Purgatorij plecti, donec pro omnibus plenè satisfiat; vt inde exeat anima, omni debito persoluto. Aptius in rem nostram idem Aug. homil. 16. cùm dixisset de pœnis æternis, sic prosequitur de purgatorio:* Hi qui temporalibus pœnis digna gesserunt, de quibus Apostolus dicit. 1. Cor. 3. S. Aug. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit sic tamen quasi per ignem: per fluuium igneum de quo propheticus sermo *Danielis* commemorat; & fluuius igneus currebat ante eum; per fluuium igneum, & vada feruentibus globis horrenda transibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranseundi mora. Quantùm exege-

C rit culpa, tantùm sibi ex homine vindicabit, quædam flammæ rationabilis disciplina. Et quantùm stulta iniquitas suggesserit, tantùm sapiens pœna desæuiet. Et quia sermo diuinus quodam loco *Ezech. 24.* æneæ ollæ animam peccatricem comparat dicens, pone illam super prunas vacuam, donec concalescat æs eius, & omne stannum eius defluat: illic sermones otiosi, & cogitationes iniquæ vel sordidæ; illic multitudo leuium peccatorum, quæ puritatem nobilis naturæ infecerant, exundabunt: illic stannum, vel plumbum, diuersorum subrepentium delictorum, quæ diuinam imaginem obscurauerant, consumentur: quæ omnia hic ab anima separari per eleemosynas, & lacrymas compendiosa transactione potuissent. Ecce sic exigere habet ab homine rationem, qui seipsum pro homine dedit, & confixus clauis, legi mortis se iunxit. *Fœlix qui vel lacrymarum aqua, vel in Agni sanguine purgationem peccatorum faciente Iesu, stolam suam lauerit: satius quippe & suauius est tali aqua & sanguine purgari, quam igni. Vide plura sequenti Scholio.*

2. *Et de Ani. cap. 58. circa fin.*

IN summa, quum [a] *carcerem* illum, quem Euangelium demonstrat, inferos intelligamus, & *nouissimum quadrantem*, modicum quodque delictum mora resurrectionis illic luendum interpretemur; nemo dubitabit animam aliquid pensare penes inferos, salua resurrectionis plenitudine, per carnem quoque. *Et de Resur. cap. 42. à p. V. Verbo, resurrectio probatur ex scriptura num. 11. in medio.* a Matth. 5. 26.

PVRGATORIVM. 2. SCHOL.

INFEROS. *Locum inferiorem, & subterraneum Purgatorij carcerem.* LVENDVM *persoluendum in pœna Purgatorij satisfactoria.* PENSARE. *Persoluere patiendo.* PENES INFEROS. *Apud Purgatorium.* SALVA PLENITVDINE. *Absque præiudicio plenioris pœnæ seruatæ damnandis, qui nunc quidem non in purgatorio, sed in inferno in sola anima patiuntur, donec in resurrectione resumpto corpore, in anima & carne simul plenè & æter-*

D *nè plectantur. De pœna Purgatorij passim Augustinus, aliquos hic eius locos selectiores Accipe to. 3. libro Enchir. ad Laur. c. 69. Cùm prius expofuisset locum Pauli 1. Cor. 3. 13. de igne tribulationis, subdit:* tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile non est, & S. Aug. vtrùm ita sit, quæri potest, & aut inueniri, aut latere, nonnullos fideles, per ignem quemdam purgatorium, quantò magis, minusue bona pereuntia

dilexerunt, tantò tardius citiusque saluari: non tamen tales, de quibus dictum est, quod regnum Dei non possidebunt, nisi conuenienter pœnitentibus eadem crimina remittantur. *Eadem repetit verbis iisdem to. 4. de 8. Dulcitij qq. q. 1. circa f. Expreßius in Psal.*

S. Aug. 37. Hæc iste grauiora formidans, *inferni æterna supplicia* exceptâ vitâ istâ, in cuius malis plangit & gemit, rogat & dicit, Domine ne in indignatione tua arguas me: non sim inter illos, quibus dicturus es, ite in ignem æternum, &c. Neque in ira tua emendes me, vt in hac vita purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne non opus sit, propter illos qui salui erunt, sic tamen quasi per ignem. Quare? nisi quia hic ædificant supra fundamentum, *fidem Christi* ligna, fœnum, stipulam? *peccata venialia, affectum temporalium*, ædificarent autem aurum, argentum, lapides pretiosos, *bona opera & solida* & de vtroque igne securi essent: non solùm de illo æterno, qui in æternum cruciaturus est impios, sed etiam de illo, qui emendabit eos qui per ignem salui erunt. Dicitur enim; ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Et quia dicitur, saluus erit, contemnitur ille ignis. Ita planè, quamuis salui per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vita. Et nostis quanta hic passi sunt mali, & possunt pati: tamen tanta passi sunt, quanta potuerunt pati & boni. Quid enim quisque maleficus, latro, adulter, sceleratus, sacrilegus, pertulit legibus, quod non pertulit Martyr in confessione Christi? ista ergo quæ hic sunt mala, multò faciliora sunt: & tamen videte quemadmodum ea homines ne patiantur, quidquid iusseris, faciunt. Quantò melius faciunt quod iubet Deus, ne illa grauiora patiantur? quare autem petit iste, ne in indignatione arguatur, neque in ira emendetur? tanquam dicens Deo; quoniam iam ista quæ patior, multa sunt, magna sunt quæso vt sufficiant: & incipit illa numerare, satisfaciens Deo, offerens illa quæ patitur, ne pejora patiatur: quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam. Non est sanitas in carne mea à vultu iræ tuæ, &c. *Et to. 5. lib. 21. de Ciuit. c. 16. vbi de infantibus baptizatis:*

S. Aug. si Sacramenta mediatoris acceperit, etiamsi hanc in eis annis vitam finiat, *scilicet quibus non est rationis capax* translata scilicet à potestate tenebrarum in regnum Christi, non solum pœnis, non præparetur æternis, sed ne vlla quidem post mortem purgatoria tormenta patiatur. Sufficit enim sola spiritalis regeneratio, ne post mortem obsit, quod carnalis generatio cum morte contraxit. *Et sub finem de adultis sic habet.* Quisquis cupit

S. Aug. pœnas euadere sempiternas, non solùm baptizetur, verùm etiam iustificetur in Christo, ac sic verè transeat à diabolo ad Christum. Purgatorias autem pœnas nullas futuras opinetur, nisi ante illud vltimum tremendumque iudicium. *En vt directè respondeat Tertulliano dicenti de mora resurrectionis. Capite autem 13. vbi de purgatorio iuxta Platonicos & Maronem lib. 6. Æneidos per aërem, ignem, & aquam facto. Ipse verè sic concludit:* temporarias pœnas alij in

S. Aug. hac vita tantùm, alij post mortem, alij & nunc & tunc, verumtamen ante iudicium illud seuerissimum nouissimumque patiuntur. Non autem omnes veniunt in sempiternas pœnas, quæ post illud iudicium his sunt futuræ, qui post mortem sustinent temporales. Nam quibusdam, quod in isto non remittitur, remitti in futuro sæculo, id est ne futuri sæculi æterno supplicio puniantur, iam supra diximus. *Vbi alludit ad illud Matth. 12. 32.* qui dixerit verbum contra Spiritum S. non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. *Quod frustrà Christus dixisset, nisi aliqua peccata in alio sæculo remitterentur.*

A *Hæc rursum pro pœnis Purgatorij accipe. Monet Tobias 4. 18.* Panem tuum & vinum super sepulturam iusti constitue. *Hoc est, fac oblationem pro mortuo. Eccli. 7. 37.* Mortuo non prohibeas gratiam. *Philipp. 2. 10.* In nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium terrestrium & infernorum. *Quod de animabus fidelium intelligitur. 1. Cor. 3. 13. Vniuscuiusque opus quale fuerit, ignis probabit. Ambr. ibidem* quia per ignem, inquit, examinatio fiet. *Et in Psal. 36.* Igne, inquit, purgabuntur filij Leui, igne Ezechiel, igne Daniel, sed hi etsi per ignem examinabuntur, dicent tamen: transiuimus per ignem & aquam. Alij

B in igne remanebunt, illis torrabit ignis, vt Hebræis pueris, &c. & si non exurimur tamen vremur. *Vide eundem ser. 3. in Psal. 118. Hiero. in cap. 4. Amos. Greg. 4. dial. c. 39. Origenem homil. 25. in Num. 31.* Omnia quæcumque non transeunt per ignem, transibunt per aquam; & lauabitis vestimenta vestra die prima, & mundi eritis, & postHæc introibitis in castra. Vides, inquit, quomodo purificatione indiget omnis qui exierit de prælio huius vitæ. Quod si aliquid est, vt aliquid audeam dicere secundùm diuinæ scripturæ authoritatem, omnis qui exierit de hac vita, non potest esse mundus. *Et homil. 6. in Exodum.* Si quis plus illuc plumbi detulerit, plus exuritur, vt amplius decoquatur, & si parum aliquid sit auri purgatum tamen resideat. Quòd si aliquis illuc to-

C tus plumbeus venerit, fiet de illo hoc quod scriptum est, demergetur in profundum, tanquam plumbum in aqua validissima. *Consule eundem Origenem homil. 14. in Leuit. & 12. in Ierem. Theodoretus in 1. Cor. scribit voce ac nomine omnium Græcorum Orthodoxorum.* Credimus, inquit, esse ignem purgatorij, in quo animæ tanquam aurum in fornace purgantur. *Damascenus item in Orat. inscripta* quòd hi qui ex hac vita cum fide migrarunt viuorum Missis, & beneficiis adiuuentur: *in qua Authores suos & antiquam traditionem Patrum adducit, Dionysij, Basilij, Ephrem, Athanasij, Nysseni, Chrysostomi.*

Hyeronymus, in Matth. cap. 3. tria baptismata ignis distinguit in verba Euangelij. Ipse vos baptizabit in

D Spiritu sancto & igni. Siue, inquit, quia ignis est Spiritus sanctus, vt Acta Apostolorum docent: quo descendente, sedit quasi ignis super singulos credentium, & impletus est sermo Domini dicentis, ignem veni mittere super terram, & quid volo nisi vt ardeat? siue quia in præsenti, Spiritu baptizamur, & in futuro, igne: Apostolo quoque huic sensui congruente. vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. *Videndus Basilius libro de Spiritu sancto cap. 15. & Naz. orat. in S. Lumina. Cyprianus libro 4. ep. 2. ad Antonianum.* aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam peruenire: aliud, missum in carcerem non exire inde, donec soluat nouissimum quadrantem; aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari, & purgari diu igne; aliud peccata omnia pas-

E sione purgasse: aliud denique pendere in die iudicij ad sententiam Domini, aliud statim à Domino coronari. *Et lib. de laude Martyrij:* legis scriptum esse vsque quadrantem nos vltimum reddere: sed hæc pars ablata martyribus. Etenim qui salutis æternæ cupiditatibus, freti vitæ huiusce desideria vicerunt, hos expertes doloris vniuersi, Domini propitiatio coronat. *Vide eundem lib. 2. de testim. ad Quirinum 57. Et Ambrosium lib. de Obitu Valentiniani, & de Obitu Theodosij senioris, vbi vota & preces fundit pro animabus ipsorum. Augustini plura suprà retuli testimonia. Duo tantùm hîc subtexam. Aug. lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 35. & ep. 99. ad Euod.* Quomodo S. Aug.
aliter accipiendum sit, quod dictum est, quem Deus suscitauit à mortuis solutis doloribus inferni, &c.

Non video nisi vt quorumdam dolores apud inferos eum soluisse accipiamus, ea potestate quâ Dominus est, cui omne genu flectitur cœlestium terrestrium & infernorum: per quam potestatem etiam illis doloribus quos soluit, non potuit teneri. *Et lib. 20. de Ciuit. cap. 9.* Neque piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est regnum Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi. S. Aug.

PVRGATORII POENÆ, PER CHRISTI MERITA, ET OBLATIONES ANNVAS EXSOLVVNTVR.

* 1. *Purgatorij pœnas Christi humanitas, & Angelorum præsentia mitigat. V. Verbum. Martyres. num. 6.*

2. *Oblationes annuæ pro defunctis in Purgatorio existentibus. De exhort. cast. cap. 11. in m.*

NEque pristinam poteris odisse, cui etiam religiosiorem reseruas affectionem, vt iam receptæ apud Dominum, pro cuius spiritu postulas, pro qua oblationes annuas reddis. Stabis ergo ad Dominum cum tot vxoribus quot in oratione commemoras? & offeres pro duabus? & commendabis illas duas per sacerdotem de monogamia ordinatum, aut etiam de virginitate sancitum? circumdatum virginibus ac vniuiris?

* 3. *Et de Monog. cap. 10. in m.*

ENimverò & pro anima eius orat, & refrigerium interim adpostulat ei, & in prima resurrectione consortium, & offert annuis diebus dormitionis eius. Nam hæc nisi fecerit, verè repudiauit quantùm in ipsa est; & quidem hoc iniquius, quantò quomodo potuit, quia non potuit; & hoc indignius, quantò iam indignius, si quia non meruit. Aut nunquid nihil erimus post mortem, secundùm aliquem Epicurum, & non secundùm Christum?

4. *Et de Corona cap. 3. à m.*

Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annuâ die facimus.

* 5. *Et de Monog. cap. 11. a p.*

ORabis pro maritis tuis, nouo & vetere. Elige cui te adulteram præstes. puto ambobus. Quod si sapias, taceas defuncto. Repudium sit illi silentium tuum, alienis iam dotalibus scriptum. Hoc modo nouum promereberis maritum, si veteris obliuiscaris.

6. *De Anima cap. 51. à m.*

SCio fœminam quandam vernaculam Ecclesiæ, formâ & ætate integra functam: post vnicum & breue matrimonium, cùm in pace dormisset, & morante adhuc sepultura, interim oratione presbyteri componeretur, ad primum halitum orationis, manus à lateribus dimotas in habitum supplicem conformasse, rursumque, conditâ pace, situi suo reddidisse.

PVRGATORII POENÆ QVOMODO SVBLEVENTVR. 2.3.4.5.&6. SCHOL.

2. PRistinam. *Agit de Polygamo, qui primæ vxori defunctæ debet religiosiorem, castiorem, sanctiorem amorem, tum quod erga puram eius animam, & non iam carnem versetur, tum quod ad eam castam castus in primo coniugio accesserit.* Postvlas, *oras vt soluatur à pœnis Purgatorij.* Oblationes annvas. *Nota antiquitatem Anniuersariorum, & Missarum solemnium pro defunctis. Liturgiæ pro defunctis meminit Clemens Romanus libro 8. Constit. Apostol. Dion. Areop. circa finem libri de Eccl. Hierarch. Euseb. Alex. in homil.* Memento in oblatione etiam eorum qui iam de vita decesserunt parentum ac fratrum; hoc si feceris, magnam eis requiem præbes. *Sanctus Ephrem in ser. de sua morte. Cypr. ep. 66. Ambr. de obitu fratris orat. 2. & orat. de obitu Theod. Zeno Veron. ser. de Resur. Nazianz. orat. 10. in laudem Cæsarij.* Stabis. *Vel in stationibus, vigiliis, ieiuniis; vel orationibus pro defunctis.* De Monogamia. *Ex Monogamia ad Sacerdotium promotum.* Sancitvm. *Ordinatum ex sanctiori gradu virginitatis.* Vniviris *viduis semel nuptis. Quasi diceret, cùm oratio totum cor hominis circa Deum occupari attentè postulet; & semel nuptus,* diuisus sit cogitans quæ sunt mundi quomodo placeat vxori *vnica; quomodo orando & offerendo eleemosynam, aßistendo Missæ annuæ, vel quotidianæ per annum, non eris diuisus & distractus, viuam simul & defunctam vxorem commemorans?*

3. Refrigerivm. *A flammis Purgatorij.* Interim, *vt suprà,* dum moratur resurrectio. *Et hîc est Error Authoris, nullam animam nisi Martyrum, ante resurrectionem in cælum admitti, sed solutâ Purgatorij pœnâ, in locum aliquem refrigerij.* Prima Resvrrectione *& hîc alter error, quo credidit, ante ingressum cæli, & secundam resurrectionem, post primam, iustos per mille annos in spiritualibus delicius & consortio casto conuicturos. Sic enim lib. de Resur. cap. 25.* Diabolo in abyssum interim relegato, primæ resurrectionis prærogatiua de soliis ordinetur; dehinc & igne dato, *id est incendio vltimæ conflagrationis fatente iudicio præcedente* vniuersalis resurrectionis censura de libris

iudicetur. *Et 3. cont. Marc. cap.* 14. Confitemur in terra nobis regnum repromissum, sed ante cœlum, sed alio statu; vtpote post resurrectionem in mille annos, in ciuitate diuini operis Ierusalem cœlo delata. DORMITIONIS, *mortis eius anniuersario die.* HOC INIQVIVS, *tantò iniustius.* QVOMODO POTVIT, *id est post mortem eius, solutâ lege viri, ostendit, si negligat iuxta traditionem, Missas & eleemosynas offerre pro viro, se eum repudiasse animo, eo modo quo potuit.* QVIA NON POTVIT, *scilicet viuum de facto repudiare, dum viueret; quod fecisset si potuisset.* SI QVIA, *si affectu repudies mortuum, qui tantam oblimonem, dum viueret, non meruit.* AVT NVMQVID, &c. *erras mulier secundò nubens, si credis defunctum maritum eiusque animam nihil doloris vel gaudij aut complacentiæ sentire post mortem: non sumus Epicurei, sed Christiani: gratulatur tibi vel indignatur anima defuncti viri.*

4. PRO NATALITIIS, *non Gentilium more diem suum natalitium solemniter celebrantium loquitur, sed de natalitiis Martyrum. De quo vide Cypr. ep.* 34. Quoties Martyrum passiones, & dies, anniuersariâ commemoratione celebramus. *Smyrnensis item in passione Beati Polycarpi. Hiero. lib. 2. in ep. ad Gal. c. 4. Origenes de celebrando natali SS. Innocentum. Eusebius Alex. Ephrem, Chrysost. Athan. Aug. aliique Patres, plurimos sermones de annuis natalitiis Martyrum scripserunt.*

5. ADVLTERAM. *Et hic error, credentis secundas nuptias adulteras.* PVTO AMBOBVS. *Quia viuit defunctus, immortalis in anima; &* nuptias non concubitus carnis, sed animi consensus facit. *Et ideo vult Tertull. secundò nuptam vtrique simul viro adulteram, quia duos simul habet viros.* TACEAS DEFVNCTO. *Nonores pro eo.* ALIENIS DOTALIBVS, *dum contraxisti cum secundo, aliâ pactâ dote; eo ipso scripsisti illi, in secundo contractu, repudium.* PROMEREBERIS, *gratiam eius; dum omnem affectum tuum in se translatum videbit; dum nec orare, nec offerre eleemosynas & agapes, nec Missarum solemnia procurare videbit pro primo viro defuncto.*

6. VERNACVLAM, *ancillam Dei, ex Christianis natam.* MORANTE SEPVLTVRA. *Dum corpus esset in Ecclesia proximè sepeliendum* COMPONERETVR, *disponeretur, vt transferretur in sepulchrum.* HALITVM. *Alij habitum* HABITVM SVPPLICEM *iunctu manibus.* CONDITA PACE *dicto* requiescant in pace. SITVI SVO. *Prima manuum & brachiorum compositioni se restituisse. De orationibus, Missæ sacrificiis, & eleemosynis, pro defunctis, frequenter Augustinus libro 9.*

S. Aug. *Confess. c. 11. vbi sic inducit S. Matrem Monicam;* Ponite, inquit, hoc corpus vbicumque, nihil vos eius cura conturbet, tantùm illud vos rogo, vt ad Domini altare memineritis mei vbi fueritis. *Et cap. 12.* Ecce corpus elatum est, imus & redimus sine lacrymis. Nam neq; in eis precibus quas tibi fudimus, cùm tibi offerretur pro ea sacrificium pretij nostri, iam iuxta sepulchrum posito cadauere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet; nec in eis precibus,

S. Aug. ego fleui, sed toto die grauiter in occulto mœstus eram, &c. *Et cap. 13.* Fundo tibi Deus noster pro illa famula tua, longè aliud lacrymarum genus, quod manat de concusso spiritu, consideratione periculorum omnis animæ quæ in Adam moritur. Quamquam illa in Christo viuificata, etiam nondum carne resoluta, sic vixerit, vt laudetur nomen tuum in fide, moribusque eius; non tamen audeo dicere, ex quo eam per baptismum regenerasti, nullum verbum exisse ab ore eius contra præceptum tuum; & dictum est à veritate, filio tuo: si quis dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis. *Aduerte carcerem igneum Purgatorij de quo hunc locum explicat, quo verba iniuriosa etiam ex ira veniali prolata*

A *purgentur* & væ, etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam. Quia verò non exquiris delicta vehementer, fiducialiter speramus aliquem apud te locum inuenire indulgentiæ, &c. sepositis paulisper bonis eius actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meæ deprecor te; exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum, quæ pependit in ligno, & sedens ad dexteram tuam, te interpellat pro nobis. *Tum de nouissimo quadrante debiti delicti:* scio misericorditer operatam, & ex corde dimisisse debita debitoribus suis; dimitte illi & tu debita sua, si qua etiam contraxit per tot annos, post aquam salutis, &c. tantummodo memoriam sui ad altare tuum

B fieri desiderauit, cui nullius diei prætermissione seruierat, vnde sciret dispensari victimam sanctam, quâ deletum est Chirographum quod erat contrarium nobis, quâ triumphatus est hostis, computans delicta nostra, & quærens quid obiiciat, & nihil inueniens in illo in quo vincimus. *Qui soluit pro nobis vsque ad nouissimum quadrantem* quis ei restituet pretium quo nos emit, vt nos auferat ei? *alij legunt offerat* ad cuius pretij nostri Sacramentum ligauit ancilla tua animam suam vinculo fidei, &c. Non se interponat, nec vi, nec insidiis, leo, & draco: neque enim respondebit illa nihil se debere. *Ex vt consentit cum aduersario, & fatetur se ream concordans accusatori.* Ne conuincatur, & obtineatur ab accusatore callido; sed respondebit dimissa debita

C sua ab eo, cui nemo reddet, quod pro nobis non debens reddidit. Sit ergo in pace cum viro, ante quem nulli, & post quem nulli nupta est; *ô verè viduam, & secundo matrimonio non diuisam!* cui seruiuit, fructum tibi afferens cum tolerantia, vt eum quoque lucraretur tibi. Et inspira Domine Deus meus, inspira seruis tuis, fratribus meis, filiis tuis, Dominis meis, quibus & voce, & corde, & literis seruio; vt quotquot hæc legerint; meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ, cum Patricio quondam eius coniuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam, &c. *Quid expressiùs pro animarum refrigerio, altaris & sacrificij merentis merito, dici possit ignoro, & pia Ecclesiæ traditione, orandi,*

D *& offerendi sacrificium pro mortuis; de qua suprà Tertull. libro de Corona cap. 3. vbi inter cæteras traditiones, huius expressè meminit To. item secundo, Aug. in ep. 64. ad Aurelium Episcopum, circa in. vbi agit de compescendo tumultu, & luxu nimio conuiuiorum & agapum, fieri solitarum in natalitiis Martyrum, & memoria defunctorum, de quibus simul præfato loco egit Tertullianus; sic habet:* Quoniam istæ in cœmiteriis ebrietates, & luxuriosa conuiuia non solùm honores Martyrum à carnali & imperita plebe credi solent, sed etiam solatia mortuorum; mihi videtur facilius illis dissuaderi posse istam fœditatem ac turpitudinem, si & de Scripturis prohibeatur, & obla- S. Aug.

E tiones pro spiritibus dormientium, quas verè aliquid adiuuare credendum est, super ipsas memorias *monumenta & sepulchra in memoriam martyrum & defunctorum* non sint sumptuosæ, atque omnibus petentibus, sine typho, & cum alacritate præbeantur, neque vendantur, &c. *Et ep. 125. ad Cornelium impudicum viduum, circa f. vbi agit de sensu doloris & gaudij quem defuncti concipiunt:* si diues ille superbus atque impius, &c. Cùm malorum meritorum pœnas apud inferos lueret, &c. recordatus est quinque fratres suos, &c. ne & ipsi venirent in illum locum tormentorum: quantò magis tua vxor te recordatur? quantò magis te casta non vult ad pœnas venire mœchorum, si fratres suos nec superbus ad pœnas venire voluit superborum? & cùm frater nollet fratribus, in malis se esse coniunctum; S. Aug.

quantò

quantò minus vult in bonis constituta coniunx, A virum in malis habere separatum? *rursum de animis defunctorum refrigerandis to. 4. de 8. Dulcitij qq. q. 2.* S. Aug. *circa f.* dixi etiam tale aliquid ad Laurentium, *in Enchir. cap.* 109. quod ita se habet: tempus autem, inquam, quod inter hominis mortem, & vltimam resurrectionē positum est, animas abditis receptaculis continet, sicut vnaquæque digna est, vel requie, vel ærumna, pro eo quod sortita est, in carne, dum viueret. Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui B cùm viuerent, vt hæc sibi postea possent prodesse, meruerunt. Etenim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem: nec tam malus, vt ei non prosint ista post mortem. Est verò talis in bono, vt hæc non requirat: est & rursus talis in malo, vt nec his valeat, cùm hæc vita transierit, adiuuari. Quocirca hîc omne meritum comparatur, quo post hanc vitam possit releuari quispiam, vel grauari, &c. cùm ergo sacrificia, siue altaris, siue quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis, gratiarum actiones sunt; pro non valde malis, propitiationes sunt; pro valde malis, etiamsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescumque viuorum consolationes sunt: quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, vt sit plena remissio, aut certè vt tolerabilior fiat ipsa damnatio. *Damnationem vocat, quia præter æternitatem, nihil differt in pœ-* C *na damni, & sensus, purgatorium ab inferno. Item to.* S. Aug. *4. lib. de cura pro mortuis, cap. 1.* In Machabæorum libris *secundi Machab.* 12. 43. legimus, oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parua tamen est vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, authoritas: vbi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. S. Aug. *Et cap. 4. vbi de sepultis mortuis in Ecclesiis Martyrum.* Cùm talia viuorum solatia requiruntur, quibus eorum pius in suos animus appareat, non video quæ sint adiumenta mortuorum, nisi ad hoc, vt dum recolunt vbi sint posita, eorum quos diligunt, corpora, eisdem Sanctis illos tanquam D patronis susceptos apud Dominum adiuuandos, orando commendent. Quod quidem facere possent, etiamsi talibus locis eos humare non possent, &c. Cùm itaque recolit animus vbi sepultum sit charissimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris venerabilis, eidem Martyri animam dilectam commendat recordantis & precantis affectus: qui cum defunctis à fidelibus charissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est iis, qui cùm in corpore viuerent talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt. Verùm & si aliqua necessitas, vel humari corpora, vel in talibus locis humari nulla data facultate permittat, non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas E pro omnibus in Christiana & Catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumque, sub generali commemoratione suscepit Ecclesia: vt quibus ad ista desunt parentes, aut filij, aut quicumque cognati, vel amici, ab vna eis exhibeantur pia matre communi. *Et ibid. cap.* 18. Non existimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, S. Aug. peruenire, nisi quod pro eis, siue altaris, siue orationum, siue eleemosynarum sacrificiis solemniter supplicamus: quamuis non pro quibus fiunt, omnibus prosint, sed iis tantùm, quibus dum viuunt, comparatur vt prosint. Sed quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, vt nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia possint & debeant peruenire. Melius enim supererunt ista eis quibus nec obsunt, nec prosunt, quàm eis deerunt, quibus prosunt. Diligentius tamen facit hæc quisque pro necessariis suis, quod pro illo fiat similiter à suis, &c. quod verò quisque apud memoriam Martyrum sepelitur, hoc tantùm mihi videtur prodesse defuncto, vt commendans eum etiam Martyrum patrocinio, affectus pro illo supplicationis augeatur. *Et lib. 21.* S. Aug. *de Ciuit. c. 24.* Pro defunctis quibusdam, vel ipsius Ecclesiæ, vel quorumdam piorum exauditur oratio: sed pro his, quorum in Christo regeneratorum, nec vsque adeò vita in corpore malè gesta est, vt tali misericordia iudicentur digni non esse; nec vsque adeò benè, vt talem misericordiam reperiantur necessariam non habere, &c. Neque enim de quibusdam veraciter diceretur quod non eis remittatur, neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent quibus etsi non in isto, tamen remittetur in futuro. *Tandem ser. 32. de ver. Apost. in m.* Pompæ funeris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta S. Aug. constructio, viuorum sunt qualiacumque solatia, non adiutoria mortuorum. Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordius agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum, vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis, qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cùm verò eorum commendandorum causâ opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitat suffragari, pro quibus orationes Deo, non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum est ista prodesse defunctis, sed talibus, qui ita vixerint ante mortem, vt possint eis hæc vtilia esse post mortem, &c. & ideo istam finiens quisque vitam, nisi quod meruit in ipsa, non poterit habere post ipsam, &c. *Tum de solemnibus funerum exhibendis:* S. Aug. impleant hæc homines erga suos officia postremi muneris, & sui humani lenimenta mœroris. Verùm illa quæ adiuuant spiritus defunctorum, oblationes, orationes, erogationes, multò pro eis obseruantius, instantius, abundantius impendant, qui suos carne, non spiritu, mortuos, non solùm carnaliter, sed etiam spiritaliter amant. *Subiicio authentica testimonia Patrum, & Conciliorum, pro oblatione & Missæ sacrificio pro defunctis offerri solito. Concilium Carthag. 4. Canone 79.* Pœnitentes qui attentè leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere, vel mari mortui fuerint, vbi eis subueniri non possit, memoria eorum & orationibus, & oblationibus commendetur. *Concil. 1. Bracharense Can. 39.* Placuit si quid ex collatione fidelium, aut per festiuitates Martyrum, aut per commemorationes mortuorum offertur, apud vnum Clericorum fideliter colligatur. *Et can. 34.* Item placuit, vt qui aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, aut quolibet modo violentam sibiipsis inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum Psalmis eorum cadauera ad sepulturam deducantur. *A quo etiam munere Augustinus excludit non baptizatos, naturali licet morte defunctos, lib. 1. de Anima & eius origine.* S. Aug. Saluâ, inquit, fide Catholicâ & Ecclesiasticâ regulâ, nullâ ratione conceditur, vt pro non baptizatis cuiuslibet ætatis hominibus offeratur sacrificium

corporis & sanguinis Christi. *Quâ enim ratione participarent mortui, qui de eius corpore, quod est Ecclesia numquam fuerunt viui? Concil. 3. Toletanum. can. 22.* Qui diuina vocatione ab hac vita recedunt, cum Psalmis tantummodo, & psallentium vocibus debent ad sepulcrum deferri. Nam funebre carmen quod vulgò defunctis cantari solet, vel in pectoribus se, aut proximos, aut famulos cædere omnino prohibemus. Sufficiat autem quod in spe resurrectionis Christianorum, corporibus famulatus impenditur canticorum. Prohibet enim nos Apostolus sanctus lugere defunctos, dicens, de dormientibus autem nolo vos contristari, sicut & cæteri qui spem non habent. Dominus non fleuit Lazarum mortuum, sed ad huius vitæ ærumnas plorauit suscitandum. *Concil. Carthag. 4. can. 95.* Qui oblationes defunctorum aut negant Ecclesiis, aut cum difficultate reddunt, tanquam egentium necatores excommunicentur. *Quod inculcat Concil. Vasense can. 2.* Qui oblationes defunctorum retinent, & Ecclesiis tradere remorantur, vt infideles ab Ecclesia sunt abiiciendi, quia vsque ad exinanitionem fidei peruenire certum est hanc pietatis diuinæ exacerbationem: quia & fideles de corpore recedentes votorum plenitudine, *quid enim tam optant, quam oblationibus & sacrificiis testamento præscriptis refrigerari?* & pauperes consolatu alimoniæ, & necessaria sustentatione fraudantur. Hi ergo tales quasi egentium necatores, nec credentes iudicium Dei habendi sunt. *De Purgatorij pœnis, diuersimodè subleuandis Eugenius 4. in Concilio Oecumenico Florentino:* Diffinimus, inquit, si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis Purgatoriis post mortem purgari, & vt à pœnis huiusmodi releuentur, prodesse eis fidelium viuorum suffragia, Missarum scil. sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus, pro aliis fidelibus fieri consueuerunt, secundùm Ecclesiæ constituta. *De suffragiis pro mortuis Dion. de Eccl. Hierarch. cap. 7. Naz. orat. in Cæsar. Ephrem in testamento. & Epiph. hæresi 75. Chrysost. hom. 41. in 1. Cor. 32. in Matth. &c. Hæreticorum proprium est, suffragia & oblationes mortuorum fraudare, vt probat Augustinus lib. de Hæresibus hæresi 53.*

S. Aug. Æriani à quodam Ærio sunt nominati, qui cùm esset Presbyter, doluisse fertur, quod Episcopus non potuit ordinari, & in Arrianorum hæresim lapsus, propria quoque dogmata addidisse nonnulla, dicens, orare, vel offerre pro mortuis oblationem non oportere. *Sed quidquid obtrectent, antiquissima est praxis Ecclesiæ pro defunctis orare & offerre. Et quidem 2. Machab. 12. 43. laudatur Iudas Macchabæus quòd* facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, &c. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. *Quem librum Canonicum admittit Concil. 3. Carthag. can. 47. cui & subscripsit Augustinus à plusquam mille ducentis annis.* Sunt autem Canonicæ Scripturæ, Genesis, Exodus, &c. Iudith, Hester,

S. Aug. Esdræ libri duo, Macchabæorum libri duo, &c. *Quod confirmat idem Aug. lib. de cura pro mortuis cap. 1. & lib. 18. de Ciuit. cap. 36.*

Dionysius Areop. lib. de Eccl. Hierarch. cap. 7. Precibus à diuina benignitate contendit Antistes, vt omnia peccata quæ humana fragilitate imbecillitatéque admissa sunt, ei qui excessit è vita remittat, &c. quòd autem nos à diuinis præceptoribus nostris de precatione, quâ Antistes, vt dixi, in eo qui

A mortuus est, vtitur, traditum accepimus, necessariò exponendum est. *Cyrill. Ierosol. Catech. 5. Mystagog. vbi de Missæ sacrificio.* Rogamus te, inquam, nos omnes, & hoc sacrificium tibi offerimus, vt meminerimus etiam eorum qui ante nos obdormierunt, primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, vt Deus orationibus illorum & deprecationibus, suscipiat preces nostras. Deinde pro defunctis Sanctis Patribus, & Episcopis. Deinde pro omnibus oramus, qui inter nos vitâ functi sunt; maximum esse credentes animarum iuuamen, pro quibus offertur precatio, sancti illius,

B & tremendi, quod in altari positum est, sacrificij, &c. Ad eumdem modum & nos pro defunctis precationes adhibentes, quamuis sint peccatores, non quidem coronam plectimus, sed Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, vt & nobis, & illis eum qui est benignissimus propitium reddamus. *Greg. Naz. in orat. de obitu fratris sui Cæsarij.* Commendamus Domino non animas tantùm nostras, & eorum qui ante nos decesserunt. *Chrysost. homil. 3. in ep. ad Philipp. & homil. 41. in 1. Cor. dicit non esse opus lacrymis super mortuo, sed iuuandum esse precibus, eleemosynis, & sacrificiis. Et rursum ibid.* Non superfluè qui stat ad altare in diuinorum mysteriorum celebratione exclamat: & pro omnibus in Christo dormientibus. Si enim Iob sacrificium

C suos purgauit filios, dubitas tu defuncto subleuari, si pro eis sacrificium offeramus? *Et homil. 21. in Acta.* Non solus, inquit, est Diaconus qui clamat pro his qui in Christo sunt mortui, & pro iis, qui pro ipsis commemorationes faciunt: non hanc vocem emittit Diaconus, sed Spiritus sanctus. *Tandem homil. 3. in ep. ad Philipp.* Non frustra Apostoli sanxerunt in venerandorum mysteriorum celebratione, fieri memoriam defunctorum: Sciebant quippe plurimum inde his vtilitatem accedere. Nam toto populo præsente, & leuante manus in cœlum, tremendoque ibi sacrificio posito, quomodo non placaremus Dominum pro iis intercedendo? *Epiphanius quoque in Anacephal. inter dogmata Ecclesiæ ponit orationes, cul-*

D *tum diuinum & mysteriorum dispensationem pro mortuis.*

Cyprianus epist. 66. quòd contra statutum Concilij, quidam Geminus Victor testamento nominasset tutorem siue curatorem Geminium Faustinum Presbyterum, prohibet pro illo offerri sacrificium: nunc ratio & forma in clero tenetur, vt qui in Ecclesia Domini ordinatione clerica promouentur, in nullo ab administratione diuina auocentur, nec molestiis, & negotiis sæcularibus alligentur, sed in honore sportulantium fratrum, *id est sportulas, siue distributiones pecuniarias, vel obsonia, certumque vitæ stipendium, per singulos dies vel menses accipientium,* tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari, & sacrificiis non recedant, sed die ac nocte cœlestibus rebus; & spiritalibus seruiant. Quod Episcopi Antecessores nostri religiosè considerantes, & salubriter prouidentes, censuerunt, ne

E quis frater excedens, ad tutelam, vel curam, Clericum nominaret; ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & ministros voluit auocare. Et ideo Victor, cùm contra formam nuper in Concilio à Sacerdotibus datam, Geminium Faustinum Presbyterum ausus sit tutorem constituere, non est quòd pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in Ecclesia frequentetur.

RARITAS ET COPIA RERVM.

1. *Raritas sola, res viles in pretio ponit; abundantia autem pretiosas vilificat. 1. de cultu fœm. cap. 7. per totum & cap. 8. in p.*

HÆc omnia de raritate & peregrinitate sola, gratiam possident. Denique intra terminos patrios non tanti habentur. Semper abundantia contumeliosa in semetipsam est. Apud barbaros quosdam, quia vernaculum est aurum & copiosum, auro vinctos in ergastulis habent, & diuitiis malos onerant, tantò locupletiores, quantò nocentiores. Aliquando re vera inuentum, quomodo aurum non ametur. Gemmarum quoque nobilitatem vidimus Romæ de fastidio Parthorum & Medorum, ceterorumque Gentilium suorum coram matronis erubescentem, nisi quod nec ad ostentationem ferè habentur. latent in circulis smaragdi, & cylindros vaginæ suæ solus gladius sub sinu nouit, & in peronibus vniones emergere de luto cupiunt. nihil denique tam gemmatum habent, quàm quod gemmatum esse non debet, si non compareat: aut ideo compareat, vt neglectum quoque ostendatur. Proinde & vestium de coloribus honorem serui etiam eorum terunt. Sed & parietes Tyriis & hyacinthinis, & illis regiis velis, quæ vos operosè resoluta transfiguratis, pro pictura abutuntur. Vilior est apud illos purpura, quàm rubrica. CAPVT VIII.

2. *Et ibid. cap. 9. in p. ad vltra m.*

VT quædam rerum, per singulas quasque terras & vnamquamque regionem maris à Deo distributa sunt, inuicem sibi peregrina, & apud exteros mutuò rara, apud suos iure, si vtique vel appetuntur, vel negliguntur, quia non tantus est in illis feruor gloriæ inter domesticos frigidæ. Sed enim ex possessionum distributione, quam Deus vt voluit ordinauit, raritas & peregrinitas apud extraneos semper gratiam inueniens, de simplici causa non habendi quæ Deus alibi collocauit, concupiscentiam concitat habendi. Ex hac vitium aliud extenditur, immoderatè habendi: quod & si fortè habendum sit, modus tamen debetur. Hæc erit ambitio, vnde & nomen eius interpretandum, quod concupiscentia apud animum ambiente nascatur ad gloriæ votum: grande scilicet votum, quod (vt diximus) non natura, nec veritas, sed vitiosa animi passio concupiscentia commendauit, & alia vitia ambitionis & gloriæ: sic & pretia rebus inflammauit, vt se quoque accenderet. Nam tantò maior fit concupiscentia quantò magni fecit quod concupiit.

RARITAS. 1. & 2. SCHOL.

HÆC OMNIA *scilicet mundi muliebris ornamenta, seu potius impedimenta, gemmæ, lapilli margaritæ.* DE RARITATE. *Propter raritatem.* PEREGRINITATE. *Eo quod de longè à nobis remotis terris, & exteris veniant.* GRATIAM. *Grata sunt mundanis, & oculos stultorum demulcent. Vel, gratiam, id est pretium & æstimationem accipiunt.* PATRIOS *vbi nascuntur. Sicut ex Thoma Mauro Angliæ Cancellario, aurum, argentum, gemmæ, in insula Abraxa nihili fiunt.* CONTVMELIOSA. *Seipsam contemptibilem efficit.* BARBAROS. *Quales sunt Macrobitæ, qui ipsos carceres & vincula reorum ex auro fabricant.* VERNACVLVM. *Sicut vile mancipium, in herili domo natum.* LOCVPLETIORES. *Quia grauiori duro onusti sunt.* QVOMODO AVRVM, &c. *factum est etiam inuita auarorum cupiditate, vt amor auri auaritiæ dilectissimi, amore libertatis potentiore dometur: & fit odiosum aurum pœnale reis.* DE FASTIDIO. *Propter contemptum quo Romæ afficiebant gemmas, Parthæ, Medi aliaque nationes in quibus generantur.* NEC AD OSTENTATIONEM. *Vix, inquit, huiusmodi gentes vtuntur gemmis ad ostentandam patriæ suæ opulentiam, cùm magis eas suis in vestibus occultent, quàm ostendant.* LATENT IN CIRCVLIS, *ferreis, vel æreis,* CYLINDROS, *vaginarum ornamenta latentia solus penè Parthorum gladius experitur.* SVB SINV. *intrinsecus abscondita.* EMERGERE, *extremo* A *peronum, siue ocrearum terra adrepentia, de industria contempta.* HONOREM. *Quia captant gloriam vestium ex coloribus.* TRANSFIGVRATIS, *dum his coloribus, multâ arte & sumptu in tingendis vestibus, vel in fucum conuersis, ad transfigurandam Dei imaginem abutuntur, corpus inquam iuxta Tertullianum alibi relatum, factum à Deo ad imaginem Christi.*

2. FERVOR GLORIÆ, *vt accendat cupiditatem.* VEL APPETVNTVR. *Si tamen aliquo modo pronocent domesticorum cupiditatem, apud quos nascuntur.* DE SIMPLICI CAVSA. *Tanta est hominis post peccatum peruersitas, vt quamuis, nulla sit, quàm solius effrenis cupiditatis causa, res peregrinas & raras eo ipso concupiscat, quòd eas Deus suo solo negauit.* APVD ANIMAM AMBIENTE. *Importunè postulante consensum & suffragium.* AD GLORIÆ VOTVM. B *Ad satisfaciendum superbiæ.* NON NATVRA, *rei, Margaritarum scilicet, quasi sit pretiosior aut vtilior. Satis superque de vestium, aliorumque ornamentorum, & maximè Gemmarum vanitate diximus, Verbo, Ornamentum, breuiter in rem Tertulliani de raritate sola æstimationem rerum procurante, quædam ab Augustino subscribo. Epistola tertia, ad Volusianum, de Margarita pretiosissima & vnica, siue vnione Verbi cum carne scribens.* Ita, inquit, inter Deum & homines mediator apparuit, vt in vnitate personæ copulans vtramque naturam, & solita sublimaret in- S.Aug.

solitis, & insolita solitis temperaret. Quid autem non mirum facit Deus in omnibus creaturæ motibus, nisi consuetudine quotidianâ viluissent? Denique quàm multa vsitata calcantur, quæ considerata stupentur? &c. Verbum autem in principio per quod facta sunt tempora, tempus elegit, quo susciperet carnem, non tempori cessit vt verteretur in carnem. Homo quippe Deo accessit, non Deus à se recessit. *Et hæc rara & pretiosa Margarita, capiti, pectori, brachiis, & manibus, in coronam, bullam, armillam, annulum omni ornamento pretiosior est imponenda. Et libro 21. de Ciuit. cap. 8. vbi de hominum vultibus, instar vnionum, sua singularitate mirabilibus agit.* Et ipsa, inquit, quæ in rerum natura omnibus nota sunt, non minus mira sint, essentque stupenda considerantibus cunctis, si solerent homines mirari mira, nisi rara. Quis enim consultâ ratione non videat in hominum innumerabili numerositate, & tanta naturæ similitudine, valde mirabiliter sic habere singulos singulas facies, vt nisi inter se similes essent, non discerneretur species eorum ab animalibus cæteris: & rursus nisi inter se dissimiles essent, non discernerentur singuli ab hominibus cæteris? Quos ergo similes confitemur, eosdem dissimiles inuenimus. Sed mirabilior est consideratio dissimilitudinis, quoniam similitudinem iustius videtur exposcere natura communis. Et tamen quoniam quæ sunt rara, ipsa sunt mira; multo amplius admiramur, quando duos ita similes reperimus, vt in eis discernendis, aut semper, aut frequenter erremus. *In quam rem bellè Seneca Ep. 113.* Circumspice, inquit, omnium corpora, nulli non & color proprius est, & figura sua, & magnitudo. Inter cætera, propter quæ mirabile diuini artificis ingenium est, hoc quoque existimo, quòd in tanta copia rerum, nunquam in idem incidit, & quæ similia videntur, cùm contuleris, diuersa sunt. *Inde porrò dictos volunt uniones, quod singulariter & vni è candore, pondere, rotunditate distent. O singularem & totius mundi pretio præualentem Christi Dei hominis vnionem!* cuius vultum deprecantur omnes diuites plebis, cuius diffusa gratia in labiis, in cuius odorem adolescentulæ currunt, de quo specioso præ filiis hominum exultans sponsa: dilectus, inquit, meus candidus & rubicundus: electus ex millibus, *quia ex Bernardo* millia millium dilecto *seruiunt & assistunt.* Et decies centena millia circa dilectum, sed nullus ad dilectum. *Supple singulari pulchritudine accedit. Et rursum sponsa:* inueni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam. *Tandem:* dilectus meus, inquit, mihi: & ego illi, inter vbera mea commorabitur. *Pro bulla, & fascia pectorali, quolibet Margarito & ornamento pretiosior & carior.*

S. Aug.

A

B

RATIO.

Ratio, res Dei est. De Pœnit. cap. 1. à m.

A Ratione eius tantùm absunt, quantùm ab ipso rationis auctore. Quippe res Dei ratio. Quia Deus omnium conditor, nihil non ratione prouidit, disposuit, ordinauit; nihil non ratione tractari intelligique voluit. Igitur ignorantes quique Deum, rem quoque eius ignorent necesse est: quia nullus omnino thesaurus extraneis patet. Itaque vniuersam vitæ conuersationem sine gubernaculo rationis transfretantes, imminentem seculo procellam vitare non norunt.

RATIO. SCHOL.

A RATIONE EIVS. *Pœnitentiæ scilicet vera & rationabili æstimatione longè remoti sunt, qui putant nihil aliud esse quàm mutationem prioris voluntatis, adeò vt etiam pœnitentiam agant de benefactis.* RES DEI RATIO. *Propriè Dei est, omnia ratione & sapientia disponere.* EXTRANEIS, *infidelibus, fidei thesaurus est clausus.* TRANSFRETANTES *transfigentes.* IMMINENTEM PROCELLAM. *Extremam persecutionem Antichristi mundo proximam. Rationem rem esse diuinam subtiliter edisserit Euodius noster epist. 246. apud Augustinum:* Perfecta, inquit, ratio illa est, quæ omnium rerum præstat scientiam, & maximè æternarum rerum quæ intellectu comprehenduntur: hanc æternam esse, æternam esse debuisse, æternum illud esse, quod nec cœpit, nec mutatur, nec variatur, ipsa docet atque ostendit ratio: quam necesse est esse æternam; non solùm quòd æterna doceat & demonstret, sed multò magis, quòd ipsa æternitas, non potest esse sine ratione. Quæ arbitror non esset æternitas, si ratio ipsa æterna non fuisset. Deinde Deum esse, vel esse debuisse, nec aliter fieri debere quàm vt Deus esset, ratio demonstrat. Quæ vtique siue essent qui hoc scirent, siue non essent, tamen cùm æternus sit Deus, dubitandum non est, æternam rationem, quæ Deum esse oportuisse intenderet, & ita autem, vt illi se demonstraret esse coæternam. *Sed ipsa ratio, vel Verbum Dei est Patri coæternum, vel attributum Sapientiæ Deo item coæuum, & cum diuina essentia identificatum. Plurics autem Tertullianus Dei filium vocat, Dei rationem.* Sunt autem quædam quæ ratione coguntur vt sint, vt anterior sit ratio, & effectus posterior eius rei quam futuram esse ostendit ratio. Vt verbi gratiâ, cùm mundus factus est, ratio habuit vt fieret mundus. Prior ergo ratio quàm mundus est. Ea ergo quæ sciuit ratio futura esse, subsequuta sunt, vt sit princeps ratio, posteà mundi operatio. *Augustinus autem tom. 1. libro 3. de lib. arbitrio cap. 5. cùm dixisset præcedenti capite de præscientia Dei.* Deus omnia, quorum ipse author est, præscit, nec tamen omnium quæ præscit, ipse author est. Quorum autem non est author, iustus est vltor. *Subiicit, cum eodem Euodio totis libris disputans, Deum iustissima ratione omnia condidisse.* Quidquid, inquit, tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum, tanquam bonorum omnium conditorem. Non est autem vera ratio, sed inuidiæ infirmitas, cùm aliquid melius faciendum fuisse cogitaueris. Iam nihil aliud inferius velle fieri; tanquam si perspecto cœlo, nolles terram factam esse, iniquè omnino, &c. Credo quod re meliore non fraudatus, vt inferior quoque alia fieret, & terra esset, nequaquam inuidere deberes. In qua terra rursus secundùm partes eius tanta est varietas, vt nihil quod ad terræ pertinet speciem, cogitanti occurrat, quod non in tota eius mole Deus omnium conditor fecerit, &c. potest esse aliquid in rerum natura, quod tua ratione non cogitas; non esse autem quod verâ ratione cogitas, non po-

S. Aug.

S. Aug.

C

D

test. Neq; enim tu potes aliquid melius in creatura cogitare, quod creaturæ artificem fugerit. Humana quippè anima, naturaliter diuinis, ex quibus pendet, connexa rationibus, cùm dicit, meliùs hoc fieret quàm illud: si verum dicit, & videt quod dicit, in illis, quibus connexa est, rationibus videt. Credat ergo Deum fecisse, quod verâ ratione ab eo faciendum fuisse cognouit, etiam si hoc in rebus factis non videt. Quia etiamsi cœlum oculis videre non posset, & tamen ratione verâ tale aliquid faciendum fuisse colligeret, credere debuit, factum esse, quamuis id oculis non videret. Non enim cogitatione videret, fuisse faciendum, nisi in iis rationibus, quibus facta sunt omnia. Quod autem ibi non est, tam nemo potest veraci cogitatione videre, quàm non est verum.

REGNVM DEI.

1. *Regnum Dei, Christi reprobatione & passione emptum, in potestate nostra est, si mandata facilia seruemus.* 4. *cont. Marc. cap.* 35. *à med.*

NOn[a] *venit*, inquit, *regnum Dei cum obseruatione: nec dicunt, Ecce hic, ecce illic: Ecce enim regnum Dei intra vos est.* Quis non ita interpretabitur, *intra vos est*, id est in manu, in potestate vestra: si audiatis, si faciatis Dei præceptum? Quòd si in præcepto est Dei regnum: propone igitur contrà, secundum nostras antitheses, Moysen, & vna sententia est. [b] *Præceptum* inquit, *excelsum non est, nec longè à te. Non est in cælo, vt dicas, Quis ascendet in cælum, & deponet nobis illud, & auditum illud faciemus? nec vltra mare est, vt dicas, Quis transfretabit & sumet illud nobis, & auditum illud faciemus? propè te est verbum, in ore tuo, & in corde tuo, & in manibus tuis facere illud.* Hoc erit, *Non hic nec illic; ecce enim intra vos est regnum Dei.* Et ne argumentetur audacia hæretica, de regno Creatoris, de quo consulebatur, non de suo respondisse eis Dominum, sequentia obsistunt. Dicens enim; *Filium hominis antè multa pati, & reprobari oportere, ante aduentum suum*; in quo & regnum substantialiter reuelabitur, suum ostendit & regnum de quo responderat, quòd passiones & reprobationes ipsius expectabat. Reprobari autem habens, & posteà agnosci & assumi, & extolli, etiam ipsum verbum, *reprobari*, inde decerpsit, vbi in lapidis ænigmate vtraque reuelatio eius apud Dauid canebatur; prima recusabilis, secunda honorabilis: [c] *Lapis, inquit, quem reprobauerunt ædificantes, iste factus est in caput anguli. A Domino factum est hoc.* Vanum enim, si credidimus Deum de contumelia aut gloria scilicet alicuius prædicasse, vt non eum portenderet, quem & in lapidis, & in petræ, & in montis figura portenderet.

a Luc. 17. 20. 21.
b Deut. 30. 11. & seq.
c Psal. 117. 21. Esa. 8. 14. 1.Cor. 10. 4. Dan. 2. 45

REGNVM DEI. 1. SCHOL.

NOn venit. *Sic Luc.* 17. 20. Interrogatus autem à Pharisæis: quando venit regnum Dei? respondens eis, dixit: Non venit regnum Dei cum obseruatione. *Translat. Syr.* Non veniet regnum Dei cum obseruationibus. *Licèt enim plura dederit aduentus regni sui signa, quæ obseruari possunt, nullum tamen dedit quò præcisè tempus, dies & hora eius determinari possit: vnde & Apostolis copiosiùs pertontantibus*, Dic nobis quando hæc erunt? & quod signum aduentus tui? respondit eis: non est vestrum nosse tempora vel momenta, &c. *Et Tertullianus literaliùs de hoc agens, quàm hîc de incertitudine aduentus regni Christi in consummatione sæculi*: vt pendula, inquit, expectatione sollicitudo fidei probetur, semper diem expectans, dunrsemper ignorat. *Quod magis literæ respondet. Cùm enim dixisset Lucas versu* 21. Neque dicent, ecce hîc, aut, ecce illic: ecce enim regnum Dei intra vos est. *Sic concludit versu* 24. Nam sicut fulgur coruscans de sub cœlo, in ea quæ sub cœlo sunt, fulget: ita erit filius hominis in die sua. Primùm autem oportet illum multa pati & reprobari à generatione hac. Et sicut factum est in diebus Noë, ita erit & in diebus filij hominis. Si in præcepto, *in obseruatione præcepti, non in obseruatione diei aduentus regni Christi.* Propone contra. *Tu Marcion, qui secundum antitheses quas fingis, veteris & noui Testamenti, de quibus nos tecum disputamus; profer nobis quid Moyses contra hanc Christi sententiam dixerit: & inuenies vnam eamdemque vtriusque esse sententiam. Vt enim Christus non tantùm* intra nos, *id est in carne nostra Verbum caro factum, & proinde simul cum Rege regnum Dei esse; nec præterea tantummodo* intra nos esse, *id est non longè, sed* propè & in ianuis esse *secundum aduentum eius, in quo viuorum & mortuorum dominabitur, vnde dicebat*, appropinquauit in vos regnum Dei, *de quo & iam olim Moyses*, adesse festinant tempora: *Et Petrus*, mille anni sicut dies vnus. *sed maximè ad mentem Tertulliani, quia* intra nos est, *in manu, & potestate nostra cum Dei gratia, vt mandata eius obseruemus, quæ vtique teste Ioanne*, grauia non sunt, *de quibus dixit, quærenti* Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? Si vis, inquit, ingredi in vitam, serua mandata. *de quibus & Moyses Deut.* 30. 11. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum. 70. *Non supra modum, neque longè abs te est*, nec in cœlo situm, vt possis dicere: quis nostrûm valet ad cœlum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, atque opere compleamus? neque trans mare positum, vt causeris & dicas? quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vsque deferre, vt possimus audire & facere quod præceptum est? sed iuxta te est sermo valdè, in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum. Considera quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum; & è contrario, mortem & malum: vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & custodias mandata illius. Hoc erit. *Idem inuenies vtrumque dixisse: quid est enim aliud, neque sursum, neque deorsum, neque trans mare quærendum regnum Dei, quàm dicere, non hîc vel illic, sed* intra vos est,

in potestate vestra, in obseruatione mandati facillimi, in quo est iustitia regni, quia ratione pacti debetur ex iustitia, regnum Dei mandata facienti. NE AVDACIA HÆRETICA. *Ne pro temeritate hæreticis solita, Marcion dicat Christum locutum esse de regno temporali, quod Creator sub lege positis promittebat; omne dubium Christus abstulit cùm subiecit quæ paulò suprà retulimus: Filium hominis priùs reprobandum, & multa passurum.* EXPECTABAT. *Differebatur donec priùs Christus reprobaretur, & pateretur.* VTRAQVE REVELATIO, *manifestatio, interpretatio, adimpletio Dauidicæ prophetiæ; quâ Christum lapidi comparauerat qui primò ab ædificantibus Synagogam recusari & reprobari debebat, deinde in lapidem angularem à Deo eligi,* B *facientem* vtraque vnum, *& in se duos parietes adunare, populi Iudæi & Gentilis, & cælestis Ierusalem implendo ruinas & muros ædificando vnam Ecclesiam triumphantem & regnantem ex angelis & hominibus excitare, illo priùs summo lapide in gloriam sublimato.* VANVM ENIM. *Stultè quippe Deus in veteri lege alium quàm filium suum prophetasse vel intellexisse crederetur à nobis, quàm Christum apud Esaiam & Danielem sub figura montis præparati in vertice montium, lapidis parui præcisi de monte sine manibus, in montem magnum excrescentis; angularis denique vel petræ deserti stagnantis, cùm & Paulus:* Bibebant ait, de consequente eos petrâ, petra autem erat Christus. *Duo hic cum Augustino videamus, primò quidem; quantum sit illud Regnum Dei, secundò* C *quàm in nobis, id est* intra nos, *& facile; cùm totum pendeat ab obseruatione facilium Dei mandatorum.*

S. Aug. *Aug. ser. 64. de verb. Dom.* Ponamus, inquit, nobis ante oculos talem vitam, cùm promittitur æterna, vt remoueamus ab illa quidquid hîc molestum patimur. Faciliùs enim inuenimus quid ibi non sit, quàm quid ibi sit. Ecce hîc viuimus, viuemus & ibi. Salui sumus, quando non ægrotamus, neque aliquid dolet in corpore, salui erimus & ibi. Et quando nobis benè est in hac vita, nullas pœnas patimur; nullas patiemur & ibi. Pone ergo hîc hominem viuentem saluum, nullas pœnas patientem. Si ei donaret quisquam vt semper sic esset, & hoc bonum non desineret, quantùm gauderet, quantùm extolleretur, quomodo se non caperet lætitia, D sine pœna, sine cruciatu, sine fine vitæ? Si hoc solùm promitteret Deus, quod dixi, quod modò, quibus potui verbis descripsi & commendaui, quanti erat emendum si venale esset? quantùm dandum erat, vt emereretur? sufficeret quidquid haberes, etiam si totum mundum possideres? & tamen venale est, eme si vis. Nec multùm exæstues de re magna propter pretij magnitudinem: tantùm valet quantùm habes, &c. Noli quærere quid habeas, sed qualis sis. res ista valet, tantùm valet, quantùm es tu, te da, & habebis illam. Quid exæstuas? quid turbaris? Numquid quæsiturus es te, aut empturus es te? *iam emptus es pretio magno, non corruptibilibus auro, vel argento, sed sanguine agni immaculati,* E *regno cæli æquiualenti.* Ecce, tu quis es, qualis es, da te illi rei, & habebis illam. Sed malus sum, inquies, & fortè me non accipit, Dando te illi bonus eris, &c. Cùm autem bonus fueris, pretium ipsius rei eris; & habebis, non quod dixi solùm, salutem, incolumitatem, vitam, & sine fine vitam: Non hoc solùm habebis, adhuc alia tollo: non erit ibi lassari & dormire, non ibi erit esurire & sitire, non ibi erit crescere & senescere, quia nec nasci erit, vbi numeri integri manent. Numerus qui est, ipse est: *nusquam mutabilis idem manens semper.* Nec opus est vt augeatur, quia non ibi fit, vt minuatur. Ecce quanta tuli, & nondum dixi quod ibi erit. Ecce iam vita est, iam incolumitas est, iam nulla pœna, nulA la fames, nulla sitis, nullus defectus, nihil hotum, & tamen nondum dixi quod oculus non vidit, &c. Si enim dixi, falsum est quod scriptum est, quod oculus non vidit, &c. Vnde enim ascenderet in cor meum, vt dicerem quid in cor hominis non ascendit? creditur, & non videtur: non solùm non videtur, sed nec dicitur: quomodo ergo creditur, si non dicitur? quis credit quod non audit? Si autem audit, aut credit, dicitur: si dicitur, cogitatur: si cogitatur & dicitur, & in auribus hominum intrat. *Et quomodo aliàs nisi per fidem & spem regnum Dei intra nos esset?* Et quia non diceretur, nisi cogitaretur; & in cor hominis ascendit. Ecce ista quæstio tantæ rei conturbat nos, vt non possimus verbis explicare quæstionem. Quis explicat rem? *vide Scholio sequenti plura de pulchritudine & decore regni Dei. Nunc quod attinet ad verba prædicata Augustini dicentis:* Dando te illi, bonus eris. *Addam ex eodem, si pulchrum est regnum, dando te illi per manus desiderij & affectus, hoc est Deum diligendo, qui est regnum electorum, & mandatum eius implendo, quod in dilectione impletur, pulcher eris. Sic ipse tract. 9. in primam Ioannis.* Prior, inquit, dilexit nos, & donauit nobis vt diligeremus eum. S. Aug. Nondum diligebamus: diligendo pulchri efficimur: Quid facit homo deformis & distortâ facie, si amet pulchrum? &c. Numquid amando poterit esse formosus? Amat pulchram; & quando se in speculo videt, erubescit, faciem suam leuare ad illam formosam quam amat. Quid facit vt pulcher sit? Expectet vt veniat pulchritudo? imò expectando, senectus additur, & turpiorem facit. Non est ergo quid agere, non est quomodo illi des consilium, nisi vt compescat se, & non audeat amare impar imparem. Aut si fortè amat, & ducere vxorem optat, optet vt illa castitatem amet, non carnis faciem. Anima verò nostra, fratres mei, fœda est per iniquitatem, amando Deum pulchra efficitur. Qualis amor est, qui reddit pulchram amantem? Deus autem semper pulcher est, numquam deformis, numquam commutabilis. Amauit nos prior qui semper est pulcher: & quales amauit nisi fœdos & deformes? non ideò tamen vt fœdos dimitteret, sed vt mutaret, & ex deformi pulchrum faceret. Quomodo erimus pulchri? amando eum qui semper est pulcher. quantùm in te crescit amor, tantùm crescit pulchritudo, quia ipsa charitas est animæ pulchritudo. *Et in huius mandati dilectionis perfectione regni Dei plenitudo consistit, in qua est regnum Dei. Quid pulchrius? quid facilius? quid suauius charitate? Accipe August. tract. 10. in eamdem Ioannis epistolam.* S. Aug. Suspiramus hîc, inquit, ex difficultate faciendi præceptum Dei? Audi quid sequatur. homo, qui laborabas amando auaritiam, cum labore amatur quod amas: sine labore amatur Deus. *Fingit laborem in præcepto.* Auaritia iussura est labores, pericula, tribulationes, & obtemperaturus es. Quo fine? vt habeas vnde impleas arcam, perdas securitatem, &c. Implesti domum, timentur latrones: acquisisti aurum, perdidisti somnum. Ecce quid tibi iussit auaritia, fac, & fecisti. Quid tibi iubet Deus? dilige me Aurum diligis, quæsiturus es aurum & fortè non inuenturus: quisquis me quærit, cum illo sum. *Ecce quomodo regnum Dei intra vos est* amaturus est honorem, & fortè non peruenturus: quis me amauit, & non ad me peruenit? dicit tibi Deus, patronum tibi vis facere, aut amicum potentem, ambis per alium inferiorem: me ama, dicit tibi Deus, non ad me ambitur per aliquem: ipse amor præsentem me tibi fecit. Quid dulcius dilectione istâ, fratres? *Sed quid facilius? Audi Augustinum tom. 7. lib. de natura & gratia cap. 69.* Valdè, inquit, bona sunt S. Aug.

præcepta si legitimè his vtamur. Eo quippe ipso quo firmissimè creditur, Deum iustum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus, quid agamus, & in difficilibus, quid petamus. Omnia quippe fiunt facilia charitati, cui vni Christi sarcina leuis est, aut ea vna est sarcina ipsa quæ leuis est; secundum hoc dictum est: & præcepta eius grauia non sunt: vt cui grauia sunt, con sideret non potuisse diuinitùs dici, grauia non sunt, nisi quia potest esse cordis affectus, cui grauia non sunt, & petat quo destituitur, vt impleat quod iubetur. Et quod dicitur ad Israël in Deuteronomio: *aduerte quàm directè respondeat menti Tertulliani in concordantia vtriusque Testamenti, pro facilitate seruandi mandati, & per illud obtinendi regni.* Si piè, si sanctè, si spiritaliter intelligatur, hoc idem significat: quia vtique cùm hoc testimonium commemorasset Apostolus Rom. 10. Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo. S. Aug. Deuteron. 30. quod hic habet in manibus tuis: in corde enim sunt spiritales manus: hoc est, inquit, verbum fidei quod prædicamus. Conuersus ergo quisque, sicut ibi præcipitur, ad Dominum Deum suum ex toto corde suo, & ex tota anima sua, mandatum Dei non habebit graue. Quomodo est enim graue, cùm sit dilectionis mandatum? aut enim quisque non diligit, & ideò graue est, aut diligit, & graue esse non potest. Diligit autem, si quod illic admonetur Israel, conuersus fuerit ad Dominum Deum suum, ex toto corde suo, &c. Secundum hoc & illud dictum est: Si ambularent semitas bonas, inuenissent vtique semitas iustitiæ leues, *Ita Prouerb. 4. iuxta 70. vias sapientiæ doceo te, & ingredi te facio orbitis rectis. Si enim ambulaueris, non concludentur tui gressus: si autem cucurreris non laborabis.* quomodo ergo dicitur, propter verba labiorum tuorum, ego custodiui vias duras? nisi quia vtrumque verum est? duræ sunt timori, leues amori.

2. *Regnum Dei quomodo nobis aduenire petamus. De orat. cap. 5. per totum.*

VEniat [a] quoque *regnum tuum*, ad id pertinet quod & *Fiat voluntas tua*, in nobis scilicet. Nam Deus, quando non regnat? [b] *in cuius manu cor omnium regum est.* Sed quicquid nobis optamus, in illum auguramur, & illi deputamus quod ab illo expectamus. Itaque si ad Dei voluntatem & ad nostram suspensionem pertinet regni Dominici repræsentatio, quomodo quidam protractum quemdam sæculo postulant; cùm regnum Dei, quod vt adueniat oramus, ad consummationem sæculi tendat? Optamus maturiùs regnare, & non diutiùs seruire. Etiam si præfinitum in oratione non esset, de postulando regni aduentu, vltrò eam vocem protulissemus. [c] *Festinantes ad spes nostræ complexum.* [d] *Clamant ad Dominum inuidiâ animæ Martyrum sub altari: Quonam alisqi non vlcisceris, Domine, sanguinem nostrum de incolis terræ?* Nam vtique vltio illorum à sæculi fine dirigitur. Immò quàm celeritèr *veniat, Domine regnum tuum*, Votum Christianorum, confusio nationum, exultatio angelorum, propter quod conflictamur, immò potiùs propter quod oramus.

a Matth. 5.10.
b Prou. 21.1.
c Heb. 4. 11.
d Apoc. 6.9.10.

3. *Regnum Dei plenum, Resurrectio est; & sæculi finis, Martyrum & electorum est votum. De orat. cap. 5. ibidem sup.*

V. Verbum, Gloria cœli.

REGNVM DEI. 2. SCHOL.

VENIAT. *adueniat.* IN NOBIS, *vt plena Dei voluntas regnet in nobis.* IN CVIVS MANV. *Prou.* 21. Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud. *Septuag. verò*; Sicut impetus aquæ, &c. quocumque voluerit innuere, illuc inclinabit illud. AVGVRAMVR, *dum aliquid, & præcipuè regnum æternum optamus à Deo venire nobis, quasi ipsi benè ominamur, & veluti inaugurationem nostram futuram, quâ cum beatis dicturi sumus agno:* Fecisti nos Deo nostro regnum. *Meritis sanguinis eius purpuratam nostram, & Deo Patri tanti regni magnificentiam acceptam referimus & imputamus.* AD NOSTRAM SVSPENSIONEM. *Expectationem, spem, pertinet exhibitio prompta regni cœlestis. Neque enim à sola bona Dei voluntate, sed suppositâ eius gratiâ à fidei & spei nostræ per dilectionem operantis merito, promissorum Dei circa regnum cœli adimpletio pendet.* PROTRACTVM. *Mirum est quod quidam sic amatores sunt huius mundi, vt eius durationem excipeant, cùm regnum Dei aduenire non posse, nisi prius sæculum finiatur.* MATVRIVS. *Iusti verò qui iuxta Paulum* diligunt aduentum eius, *cum eodem,* Intra seipsos ingemiscunt, expectantes redemptionem corporis sui, & liberari à seruitute corruptionis. FESTINANTES, *alludit ad Heb. 4. 11.* Festinemus ergo ingredi in illam requiem. *Cum antiquabus Martyrum quæ susurrant, zelo gloriæ, vindictam à vermibus, terræ vtique incolis, vel de gentibus & tyrannis, quos æmulatione triumphi Christi, quem super eos regnare æstuant,* ridiculos eius esse, *ardenter expectant:* A SÆCVLI FINE DIRIGITVR *Tunc enim propriè Christus diriget in æternum* vindictam sanguinis Sanctorum suorum qui effusus est: IMMÒ. *Tantùm abest vt differri petam finem sæculi; & aduentum regni tui, quo omnium fidelium vota conspirant, quo Gentiles confundentur, quo Angeli de reparatis ruinis exultabunt, cuius causâ quotidie certamus & affligimur, quin potiùs illud quotidie nobis aduenire rogamus. Quàm optabile sit regnum docuit Augustinus in versum Psalmi 144.* Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur, vt notam faciant filiis hominum potentiam tuam; & gloriam magnitudinis decoris, *Vulgata, magnificentia*, regni tui. Sancti ergo, inquit, commendant gloriam magnitudinis decoris tui; magnitudinis decoris gloriam. Est quædam magnitudo decoris regni tui, hoc est regnum tuum habet decorem, & magnum decorem: quandoquidem quidquid habet decorem, a te habet decorem. Ipsum regnum tuum qualem decorem habet? non nos terreat regnum, habet & decorem quo delectemur. Etenim quale illud decus est? quo perfruentur Sancti, quibus dicetur, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum Dei. Vnde ibunt? quo ibunt? S. Aug.

videte, fratres, & si potestis, quantum potestis, A cogitate decorem regni illius quod venturum est: vnde est in oratione nostra, Adueniat regnum tuum, Ipsum enim regnum optamus vt veniat. Hoc regnum venturum sancti prædicant, Mundum istum attendite, decorem habet. Quem decorem habet terra, mare, aër, cœlum, sidera? omnia hæc nonne omnem considerationem terrent? nonne pulchritudo ipsa sic eminet, vt quasi pulchrius nihil inueniri possit? & hîc viuis in isto decore, in ista pulchritudine prope iam ineffabili. Hîc viuunt tecum vermiculi, & mures, & omnia terræ repentia & serpentia, ista tecum viuunt in decore isto. Quale decus est illius regni, vbi tecum non viuunt, nisi angeli? Ideò parum fuit vt diceret gloriam decoris: potuit enim dici, & gloriam decoris cuiuslibet speciei in hoc mundo constitutæ, vel de terra viuentis, vel de cœlo fulgentis: sed magnitudinis decoris re- B gni tui, aliquid commendat quod nondum videmus, quod nondum visum credimus, quod creditum desideramus: propter cuius desiderium omnia sustinemus. Est ergo magnitudo decoris cuiusdam, ametur antequam videatur, vt cùm visa fuerit, teneatur. Regnum tuum. Quod regnum dico? regnum omnium sæculorum. *Omnium enim sæculorum magnificentiam continet, & infinitè superat.* Nam & regnum huius sæculi habet decorem suum; sed non est ibi magnitudo illa decoris, qualis est in regno omnium sæculorum. *Et homil.* 42. Optare & orare vt veniat regnum eius, nihil est aliud, quàm optare ab illo, vt dignos nos faciat regno suo, ne fortè, quod absit, veniat, & non nobis veniat, &c. Quid est vt nobis veniat? vt bonos nos inueniat. Hoc ergo oramus, vt bonos nos faciat. Tunc enim nobis veniet regnum eius. *Et serm.* 9. *de diuersis.* Habet, inquit, quidem Deus regnum sempiternum: quando enim non regnauit? quando regnare cœpit? quando regnum eius initium non habet, nec finem habebit. Sed vt sciatis quia & hoc pro nobis oramus, non pro Deo, &c. Regnum ipsius nos erimus, si in eum credentes, in eo profecerimus. Omnes fideles redempti sanguine ipsius vnici, erunt regnũ ipsius. Venturum est autẽ ipsum regnum, cùm facta fuerit resurrectio mortuorum: tunc enim veniet ipse, &c. Dicet eis qui ad dexteram erunt, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Hoc est quod optamus & rogamus quando dicimus, veniat regnum tuum, vt nobis veniat. Nam si nos reprobi fuerimus, illud regnum aliis est venturum, non nobis. Si autem in eodem numero fuerimus, qui pertinent ad membra vnigeniti filij eius, nobis veniet regnum eius, & non tardabit. Numquid enim sæcula tanta restant, quanta transierunt? Apostolus Ioannes dicit, Filioli nouissima hora est, Sed pro ipso die magno, longa est hora: & ipsa hora nouissima, videte quot annos ducat: tamen sic vobis sit quasi qui vigilet, dormiat, surgat, & regnet. Modò vigilamus, morte dormiemus, in fine resurgemus, sine fine regnabimus. *Vide verbum* Gloria cœli. *Vide Clem. Alex.* 2. *Strom. c.* 6.

S. Aug. (left margin) / S. Aug. (right margin)

RELAPSVS.

1. *Non relabendum, nec respiciendum retrò.* 4. *cont. Marc. cap.* 23. *in fine.*

Luc. 9. 61. 62. Gen. 19. 17. QVum verò & tertium illum, priùs suis valedicere parantem, prohibet retrò respectare, sectam Creatoris exequitur. Hoc & ille noluerat fecisse, quos ex Sodomis liberarat.

* 2. *Relabentes Christiani, vel retrocedentes Religiosi à maiorum institutis. V. verbum*, Nouitatis amatores.

3. *Non sunt resumenda peccati depositi onera: V. verbum.* Legis onera, & prima rudimenta, &c. *num.* 9.

* 4. *Relapsus post pœnitentiam vetitus Deum timere debenti; cùm Diabolum in hoc lætificet. De pœnit. cap.* 5. *in p. ad vltra med.*

HOc dico, pœnitentiam quæ per Dei gratiam ostensa & indicta nobis, in gratiam nos Domino reuocat, semel cognitam atque susceptam, nunquam posthac iteratione delicti resignari oportere. Iam quidem nullum ignorantiæ prætextum tibi patrocinatur; quòd Domino agnito præceptisque eius admissis, denique pœnitentiâ peccatorum functus, rursus te in delicta restituis. Ita, in quantum ignorantiâ segregaris, in tantum contumaciæ adglutinaris. Nam si idcircò te deliquisse pœnituerat, quia Dominum cœperas timere, cur quod metus gratiâ gessisti, rescindere maluisti, nisi quia metuere desiisti? Neque enim timorem alia res quàm contumacia subuertit. Cùm etiam ignorantes Dominum nulla exceptio tueatur à pœna, (quia Deum in aperto constitutum, & vel ex ipsis cœlestibus bonis comprehensibilem ignorari non licet) quantò cognitum despici periculosum est? Despicit porrò, qui bonorum, ac malorum intellectum ab illo consecutus, quod intelligit fugiendum, quodque iam fugit, resumens, intellectui suo, id est, Dei dono contumeliam facit: respuit datorem, cùm datum deserit; negat beneficum, cùm beneficium non honorat. Quemadmodum ei potest placere, cuius munus sibi displicet? Ita in Dominum non modò contumax, sed etiam ingratus apparet. Ceterùm non leuiter in Dominum peccat, qui, quum æmulo eius diabolo pœnitentiâ renuntiasset, & hoc nomine illum Domino subiecisset, rursus eundem regressu suo erigit, & exultationem eius seipsum facit; vt denuò Malus, recuperatâ prædâ suâ aduersus Dominum, gaudeat. Nonne, quod dicere quoque periculosum est, sed ad ædificationem proferendum est, diabolum Domino præponit? Comparationem enim videtur egisse, qui vtrumque cognouerit, &

& iudicatò pronuntiasse, eum meliorem cuius se rursus esse maluerit. Ita, qui per delictorum pœnitentiam instituerat Domino satisfacere, diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam satisfaciet; eritque tantò magis perosus Deo, quantò æmulo eius acceptus.

5. *Et ibid. cap. 6. à med.*

NEmo ergo sibi aduletur, quia inter Auditorum tirocinia deputatur, quasi eo etiam nunc sibi delinquere liceat. Dominum simul cognoueris, timeas: simul inspexeris, reuerearis. Ceterùm quid te cognouisse interest, cùm iisdem incubas, quibus retrò ignarus? Quid autem te à perfecto Dei seruo separat? An alius est intinctis Christus, alius audientibus? num spes alia? vel merces: alia formido iudicij, alia necessitas pœnitentiæ? Lauacrum illud obsignatio est fidei, quæ fides à pœnitentiæ fide incipitur & commendatur. Non ideò abluimur, vt delinquere desinamus, sed quia desiimus: quoniam iam corde loti sumus. Hæc enim prima Audientis intinctio est, metus integer. exinde quoad Dominum senseris, fides sana, conscientia semel pœnitentiam amplexata. Ceterùm si ab aquis peccare desistimus, necessitate, non sponte innocentiam induimus, Quis ergo in bonitate præcellens, cui non licet, an cui displicet malo esse? qui iubetur, an qui delectatur à crimine vacare? Ergo nec à furto manus auertamus, nisi claustrorum duritia repugnet, nec oculos à stupri concupiscentiis refrænemus, nisi à custodibus corporum obstructi, si nemo Domino deditus, delinquere desinet, nisi intinctione alligatus. Quod si qui ita senserit, nescio an intinctus magis contristetur, quod peccare desierit, quam lætetur quod euaserit.

6. *Relapsus, & in viam prauam reditus cauendus est, exemplo Magorum. De idol. cap. 9. in med.*

QVod iisdem Magis somnium sine dubio ex Dei voluntate suggessit, vt irent in sua, sed alia, non quâ venerant, viâ, id est ne pristina secta sua incederent, non, ne illos Herodes persequeretur; qui nec persecutus est, etiam ignorans aliâ viâ digressos, quoniam & quâ venerant ignorabat. Adeo viam rectam & disciplinam intelligere debemus. Itaque Magis præceptum, vt exinde aliter incederent. Matth. 2. 12.

7. *Relapsus ex præsumptione misericordiæ, Deum lædit. De pœnit. cap. 6. & 7. Vide Pœnitentiæ conditiones. 5.*

8. *Relapsus ad peccatum, Christi mortem quoad potest iterat. De pudic. cap. 17. à princ. ad vltra med.*

ROmani quid magis discunt quàm non derelinquere Dominum post fidem? [a] *Quid ergo dicemus? perseuerabimus in delinquentia, vt superet gratia? Absit. Qui mortui sumus delinquentiæ, quomodo viuemus in eâ adhuc? An ignoratis, quòd qui tincti sumus in Christo Iesu, in mortem eius sumus tincti? Consepulti ergo illi sumus per Baptismum in mortem; vt sicut Christus resurrexit à mortuis, ita & nos in nouitate vitæ incedamus. Si enim consepulti sumus simulacro mortis eius, sed & resurrectionis erimus, hoc scientes quòd vetus homo noster confixus est illi. Si autem mortui sumus cum Christo. credimus quod & conuiuemus cum illo, scientes quòd Christus suscitatus à mortuis, iam non moriatur, mors iam non dominetur eius. Quòd enim mortuus est delinquentiæ, mortuus est semel. quòd autem viuit, Deo viuit. Ita & reputate vosmetipsos mortuos quidem delinquentiæ, viuentes autem Deo per Christum Iesum* Igitur semel Christo mortuo, nemo potest post Christum mortuus delinquentiæ, & maximè tantæ, reuiuiscere. Aut si possit fornicatio & mœchia denuò admitti, poterit & Christus denuò mori. Instat autem Apostolus prohibens *regnare delinquentiam in corpore nostro mortali*, cuius infirmitatem carnis nouerat, [b] *Sicut enim exhibuistis membra vestra famula immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita & nunc exhibete ea famula iustitiæ in sanctimoniam.* Nam, etsi [c] *habitare bonum in carne sua negauit*, sed secundum legem litteræ in qua fuit; secundum autem legem spiritus, cui nos adnectit, liberat ab infirmitate carnis. [d] *Lex enim*, inquit, *spiritus vitæ manumisit te à lege delinquentiæ & mortis* Licet enim ex parte ex Iudaismo disputare videatur, sed in nos dirigit integritatem & plenitudinem disciplinarum, propter quos [e] *laborantes in lege per carnem miserit Deus filium suum in similitudinem carnis delinquentiæ, & propter delinquentiam damnauerit delinquentiam in carne: vt ius legis*, inquit, [f] *impleretur in nobis, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum incedimus. Qui enim secundum carnem incedunt, ea quæ carnis sunt, sapiunt; & qui secundum spiritum, ea quæ sunt spiritus. Sensum autem carnis, mortem* adfirmauit esse. Dehinc & inimicitiam & in Deum, & [g] *eos qui sunt in carne, id est in sensu carnis, Deo placere non posse.* Et [h] *si secundum carnem viuitis*, inquit, *futurum est vt moriamini.* Quid autem intelligimus carnis sensum & carnis vitam, nisi

a Rom. 6. 1. vsque ad 11.
b ibid. 19.
c Rom. 7. 18.
d Rom. 8. 2.
e Rom. 8. 3.
f Rom. 8. 4. & seq.
g Rom. 8. 8.
h Rom. 8. 13.

i Ephes. 2. 3. quodcumque pudet pronuntiare? cætera enim carnis & Apostolus nominasset. Proinde & Ephesiis pristina reputans, de futuro monet,[i] *In quibus & nos conuersati sumus, facientes concupiscentias & voluptates carnis.* Notans denique illos qui se negassent, scilicet Christianos, eo quòd se tradidissent in operationem immunditiæ omnis: [k] *Vos autem*, inquit, *non sic didicistis Christum.* Et iterùm sic dicit: [l] *Qui furabatur, iam non furetur.* Sed & qui mœchabatur, hactenus non mœchetur: & qui fornicabatur, hactenus non fornicetur.

k Ephes. 4. 20. & ibid. 18. 19.

l Ibid. 2. 3.

9. *Relapsus post Baptismum, ignem iudicij expectet. De Bapt. cap. 8 in fine.*

Luc. 3. 16. MVndus rursus delinquit, quo malè compareturs baptismus diluuio. Itaque igni destinatur, sicut & homo qui post baptismum delicta restaurat, vt hoc quoque in signum admonitionis nostræ debeat accipi.

10. *Et ibid. cap. 10. in fine.*

a Luc. 3. 16. ITem [a] *in sola se pœnitentia tinguere, venturum mox qui tingueret in spiritu & igni.* Scilicet, quia vera & stabilis aquæ fides quâ tinguitur in salutem, simulata autem & infirma igni tinguitur in iudicium.

11. *Vide verbum* Baptismus vnus est.

12. *Relapsum impedit Dei timor, qui instrumentum est pœnitentiæ.*
V. Verbum, Nouitius. *num.* 3.

13. *Relapsum pœnitentis prouocat diabolus, de conuersione eius dolens. De pœnit. cap. 7.*
V. Pœnitentiæ conditiones. 5. *in med.*

14. *Relapsus ad peccatum, cùm spe redeat ad pœnitentiam. De pœnit. cap. 7. in fine.*

VErùm non statim succidendus ac subruendus est animus desperatione, si secundæ quis pœnitentiæ debitor fuerit: pigeat sanè peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat: pigeat iterùm periclitari, sed non iterùm liberari. Neminem pudeat. Iteratæ valetudinis, iteranda medicina est. Gratus in Dominum extiteris, si quod tibi Dominus offert, non recusaueris. Offendisti, sed reconciliari adhuc potes. Habes cui satisfacias, & quidem volentem.

RELAPSVS. 1. 4. 5. 6. 8. 9. 10. 14. SCHOL.

TERTIVM ILLVM. *De quo Luc. 9. 61. cùm priùs de* A *duobus dixisset, quorum primus sponte dixerat Christo:* Sequar te quocumque ieris. *Secundò Christus;* Sequere me, ille autem dixit Domine, permitte mihi primùm ire, & sepelire patrem meum. *De tertio subiecit:* Et ait alter: sequar te Domine, sed permitte mihi primùm renuntiare his quæ domi sunt. Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei. SVIS VALEDICERE, *renuntiare bonis.* RESPECTARE, *respicere.* SECTAM CREATORIS. *responso suo Christus se probat filium Dei Creatoris, & Dei sequelam constantem & absque tergiuersatione implendam monet.* HOC ET ILLE, *scilicet Creator prohibuerat Loth & vxori eius, quæ retrospiciens ad bona relicta versa est in statuam salis. De retrospectu & relapsu, vide infra dicenda ex Augustino ad mentem omnium textuum Tertulliani, numero 14.* B

IV. RESIGNARI. *solui, violari propositum non reuertendi in peccatum, nullatenus debet.* IGNORANTIA SEGREGARIS, *excluderis ab excusatione peccati, fundata in prætextu ignorantiæ.* CONTVMACIÆ ADGLVTINARIS, *coniuncta relapsui tuo malitia conuinceris.* ETIAM IGNORANTES DOMINVM. *Ethnici & infideles, per ignorantiam non excusantur à pœna, quia Deum apertè cognoscunt ex effectibus.* EX COELESTIBVS BONIS, *Solis, Lunæ, &c. luce & influentiis.* QVANTO. *supple magis.* COGNITVM. *Luce fidei.* INTELLECTVM. *Differentiam inter bonum & malum.* INTELLECTVI SVO, *Intelligentiæ dono.* DOMINO SVBIECISSET: *quasi prostratum tyrannum subiugasset.* MALVS, *diabolus.*

V. INTER AVDITORVM TYROCINIA. *Inter Catechumenos.* QVASI EO. *eo scilicet ipso quòd nondum Christi Sacramenta susceperit, ad peccata sua redire liceat.* SIMVL COGNOVERIS. *Simul, ac vno eodemque gressu graditur cum agnitione Dei, timor ipsius.* RETRO IGNARVS, *cum prius infidelis esses.* INTINCTIS. *iam baptizatis.* AVDIENTIBVS. *Catechumenis.* OBSIGNATIO EST FIDEI. *Baptismus supponit iam perfectè credentem, & imponitur quasi signaculum fidei, quod relapsu violare est sacrilegum.* A POENITENTIÆ FIDE, *Fidelitate, & firmo non relabendi proposito.* PRIMA INTINCTIO. *Baptismus scilicet flaminis.* QVOAD SENSERIS, *id est donec Christum indueris vero aquæ baptismo.* FINES SANA, *non ficta.* SEMEL, *cum proposito nusquam relabendi.* AB AQVIS. *Tantùm post baptisma susceptum, & non antè.* MALO ESSE. *peccato, & diabolo addictum.* QVI IVBETVR, *qui ideò obedit, quòd iudicem & legislatorem, & ab eo pœnam metuit, vt pareat. Vel qui amore & delectatione iustitiæ, innocentiam colit.* CLAVSTRORVM DVRITIA. *muris carceris.* CVSTODIBVS CORPORVM. *Eunuchis.* OBSTRVCTI. *repulsi & prohibiti.* INTINCTIONE ALLIGATVS. *Obstrictus obligatione præstiti in Baptismo iurisiurandi.* CONTRISTETVR. *qui putat se non ante Baptismum, sed tantùm post eum debere cessare à peccatis, fallor nisi plus tristitiæ concipiat de renuntiatione facta peccatis, quàm lætitiæ, quod ea & eorum pericula euaserit, sicut populus Israel per mare ru-*

brum Pharaonem euasit, corde paulo post reuersus in Ægyptum.

VI. IISDEM MAGIS SOMNIVM. *Iuxta Matth. 2. 12.* Responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam: PRISTINA SECTA, *id est vel Astrologia, vel alia qualibet via mala, quam ante apparitionem stellæ, & conuersionem tenuerant.* NON, NE HERODES, *sed diabolus illos in pristina delicta relapsos persequeretur* MAGIS PRÆCEPTVM: *Angelus, vel Spiritus sanctus, non tam præcepit eos per aliam viam reuerti, ne in manus Herodis inciderent, quàm vt deinceps in pristina vitia non relabentes, viam virtutis constanter tererent.*

VIII. ROMANI. *Quibus Paulus scripsit, nihil magis inculcat, quam post fidem susceptam & gratiam in priora peccata non relabi. Rom. 6. 1. & seq.* Quid ergo dicemus, permanebimus in peccato, vt gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? An ignoratis, quia quicumq; baptizati sumus, in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, *peccati scilicet*, vt quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudinis mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, & vltrà non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam viuemus cum Christo: scientes quòd Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autem viuit, viuit Deo. Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro. *Augustinus tom. 4. lib. exposit. quarumdam proposit. ex Epistola ad Romanos, proposit. 31.* Hinc, inquit, ostendit de præteritis peccatis factum esse vt donarentur, & in eo superabundasse gratiã, vt præterita peccata dimitterentur. Ergo quisquis adhuc quærit augmenta peccati, vt augmentum gratiæ sentiat, non intelligit id se agere, vt nihil in eo gratia operetur. Opus enim gratiæ est vt moriamur peccato, &c. Veteris hominis crucifixio significata est in Cruce Domini, sicut noui hominis instauratio in resurrectione signata est, &c. Quid est autem euacuare corpus peccati? ipse expoluit, vt vltrà non seruiamus peccato. *Et to. 6. lib. 2. cont. Maximinum Episc. Arianum, c. 2.* Peccato, inquit, mortuus est semel, quia in similitudine carnis peccati mortuus est, quando moriendo exutus est carne: vt per hoc mysterium significaret eos qui in morte ipsius baptizantur, mori peccato, vt viuant Deo. Sic etiam per Crucem factus est pro nobis maledictum: pendens quippe in ligno, mortem, quæ de maledicto Dei venerat, suspendit in ligno, atque ita vetus homo noster simulfixus est Cruci, vt non mẽdaciter dictũ intelligatur in lege, maledictus omnis qui pendet in ligno. Quid est maledictus, nisi terra es, & in terram ibis? Ecquid omnis, nisi quia & ipse Christus: qui cùm esset vita, mortuus est tamen verà morte, non fictà? *Sed verè maledictus qui rursum iterando peccata, rursum moritur, & Christum crucifigit in corde, iuxta Paulum Heb. 6. 6.* NEMO POTEST. *Hic errorem suum insinuat quem toto libro de pudicitia tuetur, non posse quemquam post Christum in Baptismo indutum, & mortuum peccato, maximè verò Mœchiæ, recipi ad veniam, & vitam gratiæ. Sed Aug. sanius to. 4. lib. exposit. ep. ad Rom. inchoatæ circa f. vbi refert exemplum Dauidis.* Et certè, inquit, caueant qui hoc sentiunt, ne Dauid Patriarcham diuinâ electione laudatum atque probatum ignorasse affirment voluntatem Dei, cùm alienæ coniugis amore perculsus, etiam maritum eius decipiendum, necandumq; curauit: de quo tamen scelere cùm esset primò sua, deinde Prophetæ voce damnatus, pœnitendi humilitate & peccati confessione liberatus esset, &c. Et illud ad Hebreos, qui diligentiùs pertractãt, sic intelligunt vt non de sacrificio contribulati per pœnitentiam cordis accipiendum sit quod dictum est, non adhuc pro peccatis relinquitur sacrificium: sed de sacrificio, de quo tunc loquebatur Apostolus, id est, holocausto Dominicæ Passionis, quod eo tempore offert quisque pro peccatis suis, quo eiusdem Passionis fide dedicatur, & Christianorum fidelium nomine baptizatus imbuitur: vt hoc significaret Apostolus, non posse deinceps eum qui peccauerit, iterum baptizando purgari. Quo intellectu non intercluditur pœnitendi locus, &c. *Et multis interiectis,* Si etiam hominibus qui vsque ad Sacramentorum perceptionem, veritatis scientiam perceperunt, & post hæc lapsi, Spiritui sancto restiterunt; ad sanitatem redeuntibus & pacem Dei pœnitendo quærentibus, auxilium misericordiæ non negatur. REGNARE DELINQVENTIAM. *Rom. 6. 12.* Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius. SICVT ENIM, &c. *Rom. 6. 19.* Humanum dico, *Syr. sicut inter homines loquor.* propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. *Translat. Syr.* ad seruitutem iustitiæ & sanctimoniæ. HABITARE BONVM. *Rom. 7. 18.* Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum. *Sed concupiscentia mala, & peccati fomes. Quamquam id auctor explicet de litera legis, quæ occidit sine de sensu carnali.* LIBERAT AB INFIRMITATE, *quasi dicat; sub lege veteri, carnem quidem potuisse causari infirmitatem suam, quia spiritum gratiæ sanantis non acceperat, nunc autem post Verbum caro factum, & Spiritum missum, nos liberatos ab infirmitate, quod probat sequenti sententia Pauli Rom. 8. & seq.* Nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: *Syr. cùm impotens esset lex propter infirmitatem carnis:* Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato, *id est, pœna peccati in se suscepta, i. ipso facto hostiâ pro peccato*, damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt: qui verò secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus sentiunt. *Syr. eligunt.* nam prudentia carnis mors est: prudentia autem spiritus vita & pax, quoniam sapientia carnis inimica est Deo: Legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest: qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt, &c. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini, &c. NOMINASSET, *nisi per honestatem puduisset.* PROINDE ET EPHESIIS REPVTANS. *recogitans, retexens, ne in eadem relabantur. Ephes. 2. 1. & seq.* Et vos cùm essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum, *Syr. mundanam vanitatem*, mundi huius, secundum Principem, *Syr. iuxta voluntatem Principis*, potestatis aëris huius spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ, *Syr. qui est spiritus ille qui efficaciter agit in filios immorigeros.* in quibus & nos omnes aliquan-

do conuersati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum, *Syr. nostrique sensus*, *& eramus planè filij iræ*. & eramus naturâ filij iræ, sicut &: cæteri. QVI SE NEGASSENT, *vt factis immundis Deum ipsum. De quibus Ephes. 4. 18. & seq.* Tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam quæ est in illis *Gentibus*, propter cæcitatem cordis eorum. Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationẽ immunditiæ omnis, in auaritiam. *Syr. cupiditate suâ*. vos autem non ita didicistis Christum. ET ITERVM. *Ibidem versu 28.* Qui furabatur, iam non furetur. *Cætera facilia ex Paulo relata prætereo, in vno paulisper hæreo quod ait:* Nulla ergo condemnatio est nunc his qui sunt in Christo Iesu. *De quo sic Augustinus tom. 4. proposit. 47. in epist. ad Rom.* Satis, inquit, ostendit condemnationem non esse, si existant desideria carnalia, sed si eis ad peccandum, obediatur. Quod contingit his qui sub lege constitvti sunt, non sub gratiâ. Nam sub lege constituti, non solùm repugnantem habent concupiscentiam, sed etiam captiui ducuntur, cùm obtemperant. Non autem contingit his qui mente seruiunt legi Dei. *Et proposit. 48.* Infirmabatur, inquit, lex, non implendo quod præcipiebat, non suâ culpâ, sed per carnem, id est per eos homines, qui carnalia bona appetendo, non amabant legis iustitiam, sed ei temporalia commoda præponebant, &c. Id egit mors Domini, ne mors timeretur, & ex eo iam non appeterentur temporalia bona, nec metuerentur temporalia mala, in quibus carnalis erat illa prudentia, in qua impleri legis præcepta non poterant, Hac autem prudentia in homine Dominico extincta & ablata, iustitia legis impletur, cùm secundum carnem non ambulatur, sed secundum spiritum.

S. Aug.

S. Aug.

IX. RVRSVS DELIQVIT. *Post diluuium in peccata relapsus est. Vnde Prosper de superbia loquens*: Mundo, inquit, pereunte diluuio, ipsa perire non potuit. QVO MALE COMPARETVR. *Vt intelligatur, claudicare comparatio facta Baptismi & diluuij. Post Baptismum enim, corde non est redeundum in Ægyptum, sicut Israëlitæ post maris rubri transitum & manna pastum. Nec sicut post diluuium rursum mundus peccauit. Sed licèt Deus cum Noë pepigerit se non perditurum vltrà omnem carnem diluuio, sed multò grauiori ignis iudicio: Sic Paulus, loquens de non iterando Baptismo, quod ex Christi crucifixi Paßione fluxit:* Iam non, inquit, relinquitur pro peccatis hostia, sed terribilis quædam expectatio Iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. IGNI DESTINATVR. *Baptismo scilicet pœnitentiæ, & ignis contritionis. Quo neglecto, ignis Iudicij manet relapsos in finem, sine impœnitentiam finalem.*

X. SE TINGVERE, *baptizare se dixit Ioannes Luc. 3. 16.* Ego quidem aquâ baptizo vos: veniet autem fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius: ipse vos baptizabit Spiritu sancto, & igni. STABILIS AQVÆ FIDES, *elegantissimè. Cùm enim aqua sit elementum instabile, aquâ Baptismi firmum ac stabilem in fide & proposito in Baptismo concepto præstare debet fidelem, nisi natura volubilitate relabatur. Ex parte enim Dei*, Dona eius & vocatio sunt sine pœnitentia. SIMVLATA AVTEM, *quâ fictè acceditur ad Baptismum, obice gratiæ posito, sine mutandæ vitæ proposito.* ET INFIRMA. *quæ tempore tentationis recedit, & reuertitur ad peccatum.* IGNI TINGVITVR. *Baptismo pœnitentiæ ardenti contritione igneo indiget, vt iuxta Ioan. Apoc. cum perspicuitate & manifestatione peccati coram throno Dei & agni, in ipso pœnitentiæ foro, factâ magnâ velut mare contritione, fit* Mare vitreum mixtum igni. *vel ardente charitate Martyrij.*

A IN IVDICIVM. *Deficiente enim Baptismo flaminis, aut sanguinis, quid superest relabenti, & in impœnitentia finali morienti, nisi vt secundum Iob*: ab ardore ignium, transeat ad aquas nimium, *& partem habeat in* morte secunda, *qui secundò mortuus est: & mittatur* in stagnum ignis, & sulphuris, tantum cum Babylone tormentum accepturus, quantum in deliciis fuerit conuersatus.

XIV. SVCCIDENDVS. *præcisa spei radice.* SVBRVENDVS, *euerso vsque ad fundamentum salutis, animo.* SECVNDÆ POENITENTIÆ. *quam nondum peruersus ante lapsum suum in Montani & Nouati hæresim, post primam pœnitentiam Catechumenorum ante Baptismum, lapsis post Baptismum concedebat.* ITERVM PERICLITARI. *Naufragio peccati* LIBERARI. *Pœnitentiâ apprehensa, quasi secunda post naufragium tabula.* ITERATÆ VALETVDINIS. *recidiua in morbum lethalem.* NON RECVSAVERIS. *ingratitudo enim prima est, gratiam acceptam nihili pendere, & salutem suam diabolo pro rebus nihili vendere, & iuxta Paulum*: Filium Dei ostentui habere, conculcare, & sanguinem testamenti pollutum ducere. *Secunda, oblatam veniam & indulgentiam recusare, dicendo cum Cain*: Maior est iniquitas mea, quam vt veniẽ merear. *Præsumptionem veniæ & eius desperationem vtrinque cauendam monet Augustin. hom. 11.* Quisquis, inquit, non vis corrigi, quid tibi promittis? desperando peris, an sperando? quisquis desperando peris, hoc dicis in animo tuo; Iniquitas mea super me est, in peccatis meis contabesco. Quæ mihi spes est viuendi? Audi Prophetam dicentem: Nolo mortem impij: tantùm reuertatur impius à via sua pessima, & viuat. Qui sperando peris, hoc dicis in animo tuo: Bonus est Deus, misericors est Deus, ignoscit omnia, non reddet mala pro malis. Audi Apostolum dicentem, Ignoras quoniam patientia Dei ad pœnitentiam te adducit. *Et ser. 53. de temp.* Nemo, inquit, quamuis ingenti peccatorum pondere prematur, *quod in dies aggrauat relapsus in peccatum.* de bonitate diuinæ pietatis desperare debet. Sed spe certæ misericordiæ, illius indulgentiam sibi quotidianis lacrymis deprecari, quam rectè sperare possunt, si ab actione praui operis cessabunt. Ideò non propter spem veniæ perseueranter peccare debemus; neque quia Deus iustè peccata punit, veniam desperare debemus: vt neque cum fiducia peccemus, neque rursus peccata desperemus: sed vtroque periculo euitato, & à malo declinemus, & de pietate Dei veniam speremus. *Iam de recidiua, siue relapsu & reditu in peccata relicta cum Augustino dicamus. Ac primò quidem de retrospiciente, sequi volente Christum, ser. 7. de verb. Dom.* Nemo ponens manum super aratrum & respiciens retrò, aptus est regno cœlorum. Vocat, inquit, te Oriens, & tu attendis Occidentem. *De vxore autem Loth tom. 5 lib. 16. de Ciu. cap. 30.* Liberato, inquit; de Sodomis Loth, & veniente igneo imbre de cœlo, tota illa regio impiæ ciuitatis in cinerem versa est, vbi stupra in masculos, in tantam consuetudinem conualuerant, quantam leges solent aliorum factorum præbere licentiam. Verùm & hoc eorum supplicium specimen futuri Iudicij diuini fuit: 2. *Pet. 2. & Iudas in sua ep. Facta sũt exẽplum ignis æterni pœnam sustinentes, stagni scilicet ignis & sulphuris.* Nam quò pertinet quod prohibiti sunt qui liberabantur ab Angelis retrò respicere, nisi quia non est animo redeundum ad veterem vitam, quâ per gratiam regenerati eximimur, si vltimum iudicium euadere cogitamus? Deniq. vxor Loth, vbi respexit, remansit, & in salem conuersa hominibus fidelibus quoddam præstitit condimentum, quo sapiant aliquid, vnde illud caueatur exemplum. *Et tom. 9. tract. de Cantico nouo. cap. 4.* Tria, inquit, sunt hominum

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

genera, quæ odit Deus, remanentem, retrò redeuntem, aberrantem, &c. Excitandi sunt ergo remanentes, retrò redeuntes reuocandi, errantes in viam ducendi, tardi exhortandi, celeres imitandi. Qui non proficit, remansit in via: qui fortè à meliore proposito declinat, ad id quod deterius reliquerat, reuersus est retrò: qui fidem deserit, à via errauit, &c. qui sunt retrò redeuntes? qui ex continentia reuertuntur in immunditiam: qui ex sancto & singulari bono proposito virginitatis diuertuntur in turpitudines voluptatis, & corrupta mente, corrumpunt simul & carnem. Hos increpat Apostolus Petrus dicens: melius illis erat non cognoscere viam salutis, quàm cognoscentes retrò respicere. O malum, retrò respicere! vxor enim Loth quæ liberata est à Sodomitis, contra præceptum retrò aspexit, quod euaserat perdidit. Nec immeritò in statuam salis repentè conuersa est, nisi vt fatuos suo etiam exemplo condiret. *Et in Psal. 83. circa medium ex Luc. 17.* Mementote vxoris Loth.

S. Aug. Respexit enim retrò, vnde liberata erat à Sodomis, & ibi remansit, vnde respexit, ipso in loco mansura, & transeuntes alios conditura. Liberati ergo à Sodomis præteritæ vitæ, non respiciamus retrò. Nam hoc festinare est, non attendere quod permisit Deus, quia longè est, & respicere ad id quod proximum est, vnde iam liberatus es? De talibus quid dicit Apostolus Petrus? contigit illis res veri Prouerbij, canis reuersus ad suum vomitum. 2. Pet. 2. premebat enim pectus conscientia peccatorum: accepta indulgentia quasi vomuisset: reuelatum est peccatum tuum: facta est bona conscientia, ex mala conscientia. Quid rursus conuerteris ad vomitum tuum? si canis hoc faciens, horret oculis tuis, tu quid eris oculis Dei? &c. Nemo retrò respiciat, nemo pristinis suis delectetur, nemo auertatur ab eo quod ante est, ad id quod retro est. Currat, donec perueniat, non enim pedibus, sed desiderio currimus. Nullus autem in hac vita peruenisse se dicat. Quis enim potest tam perfectus esse quàm Paulus? & tamen ait, fratres ego me non arbitror apprehendisse. Vnum autem. quæ retrò oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundùm intentionem, sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. *Et homil. 20 sic hortatur ad cauendum relapsum.* Qui, inquit, iam mor-

S. Aug. tuus est carni, desinat peccare, vt iam non hominum desideriis, sed voluntate Dei reliquum in carne viuat, &c. Sufficit enim præteritum tempus voluntates gentium consummasse in libidinibus, &c. sufficit enim præteritum tempus luteis operibus peccatorum, tanquam Ægyptiorum dominationi seruisse. Iam mare rubrum, baptisma scilicet Christi sanguine consecratum vos traiecit, Ægyptios interemit, nihil de peccatis præteritis, tanquam de insequentibus à tergo hostibus formidetis. De cætero cogitate vitæ huius eremum permeare, & ad terram promissionis, supernam Ierusalem, terram viuentium peruenire: ne Verbi Dei contemptu, tanquam mannæ fastidio, corda vestra velut ora interiora desipiant, ne cibos concupiscentes Ægyptios, *corde reuersi in Ægyptum*, de alimentis cœlestibus murmuretis: ne fornicemini, sicut quidam illorum fornicati sunt: & ne tentetis Christum, sicut quidam illorum tentauerunt, &c. veri & germani estote Christiani. Nolite imitari nomine Christianos, opere vanos, &c. detestamini, auersamini canes conuersos ad vomitum suum. Detestamini & auersamini mundatam & vacantem domum, quò nequiores alij septem spiritus adduntur, vt sint nouissima hominis peiora, quàm erant prima. Vos vestrum mundatorem tenete habitato-

A rem. Præcipientes enim rogamus, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Sufficit enim præteritum tempus voluntates gentium consummasse. Audite, & Apostolum Paulum: humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, &c *Pudeat, excusso peccati & diaboli iugo, rursum se tyrannico eius subiugare dominio. Attendite eundem Augustinum to. 6. orat. cont. Iud. Pag. & Arrianos.* Nec, inquit, sibi malè blandiantur, qui post gratiam acceptam corrigi nolunt, atque rursus ad illas suas pristinas redeunt voluptates. Expectatur enim dies iudicij: *iuxta Paulum dicentem iam non superest voluntariè peccantibus post acceptam gratiam, pro peccatis hostia, sed terribilis quadam expectatio iudicij.* Aderit ille æquissimus iudex, qui nullius potentis personam acci- S. Aug.

B piet: cuius palatium auro vel argento nemo corrumpet. Astabunt omnes animæ, vt referat vnaquæque secundum ea quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum. Præstò enim erit aduersarius diabolus: recitabuntur verba professionis nostræ. Et si talis inuentus fuerit quisque, vt debitor ex hac vita migret, exultabit ille aduersarius in conspectu seuerissimi iudicis, superiorem se esse reclamans, agensque talem causam, apud talem Iudicem. Æquissime, inquit, iudex, iudica: iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ. Iudica meum esse, qui tuus esse noluit: meus est, mecum damnandus est. Post renuntiationem, vt quid inuasit pannos meos? quid apud eum impudicitia faciebat, cui renuntiauerat? quid intemperantia, quid auaritia, quid ira. quid

C superbia, quid cætera mea? postremo, æquissime, fugientem à me, confugientem ad te, postea cùm meis, quibus renuntiauerat, apprehendi, inuasorem detinui, in ipsa quodammodo possessione mea à me apprehensus est. Quid enim in Circo faciebat, atque vbi furias, lites, insanas voces inanesque victorias, cùm iam à se alienus sibimet videbatur, videbat? Quid in theatro faciebat, renuntiator turpium voluptatum? quid in amphitheatro, crudelitates sæuas oculis suis intuendo? thesaurizauit sibi iram in die iræ. Hæc omnia mea, post renuntiationem inuasit, meus esse voluit, & mea concupiuit. Iudica, iudica æquissimè, quoniam quem tu non dedignatus es tanto pretio liberare, ipse mihi se postmodum voluit obligare. Poteritne os operire is qui

D post professionem suam, *in baptismo, vel Sacramento pænitentiæ proposita emendatione vitæ* talis inuenitur, vt iustè diabolo addicatur? *Nihil accommodatius Tertulliano conferri potuit, pro illustrando textu numeri 4. & seq. Nunc vt concludam hunc de relapsu, & in viam prauam retrogressu locum communem, si redeundum est in patriam nostram, cum Magis diuinitus admonitis, per aliam viam reuertamur in regionem nostram, viam prauam artium malignarum constanti animo relinquentes. De quo sic Augustinus to. 3. lib 4. de Trinit. cap. 12.* Nequaquam, inquit, per sacrilegas similitudines *illusorias intellige sortilegorum imagines* & impias curiositates, & magicas consecrationes animæ purgantur, & reconciliantur Deo: S. Aug.

quia falsus mediator, *id est diabolus theletarum, siue purificationum superstitiosarum author* non traiicit ad

E superiora, sed potius obsidens intercludit viam per affectus, quos tantò maligniores, quantò superbiores, suæ societatis inspirat: qui non possunt ad euolandum pennas nutrire virtutum, sed potius ad demergendum, pondera exaggerare vitiorum, tantò grauius anima ruitura, quantò sibi videtur euecta sublimius. Proinde sicut magi fecerunt diuinitùs moniti, quos ad humilitatem Domini *veri mediatoris* adorandam stella perduxit: ita & nos non quà venimus, sed per aliam viam in

patriam redire debemus, quam rex humilis docuit, & quam rex superbus humili Regi aduersarius, obsidere non possit. Et nobis enim vt adoremus A humilem Christum, cœli enarrauerunt gloriam Dei; *id est Apostoli* cùm in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

RELIGIO ET RELIGIOSVS.

1. *Religionem suam deserere, & aliam profiteri, nemo cogendus est. Ad Scap. cap. 2. à p.*

HVmani iuris, & naturalis potestatis est, vnicuique quod putauerit colere: nec alij obest, aut prodest alterius religio. Sed nec religionis est cogere religionem, quæ sponte suscipi debeat, non vi: cùm & hostiæ ab animo libenti expostulentur. Ita & si nos compuleritis ad sacrificandum, nihil præstabitis diis vestris: ab inuitis enim sacrificia non desiderabunt, nisi contentiosi sunt: contentiosus autem Deus non est.

* 2. *Religiosus habitus, nil habet commune cum sæculo, vt nec Clericalis; & vitia sæculi arguit. V. verbum Pallium. num. 2. & 3.*

3. *Religiosus habitus omnes liberales artes inuoluit. V. verbum Pallium. num. 3.*

RELIGIONEM SVAM. &c. SCHOL.

QVOD PVTAVERIT COLERE. *Vnicuique ex iure naturali & libertate, licet quam voluerit religionem & cultum Dei profiteri.* NEC RELIGIONIS EST. *Religiosum non est, actus religionis non est, compellere aliquem ad suscipiendam quamcumque religionem; nec grata sunt victima coacta, sed spontanea. Vnde & Psaltes:* Voluntariè sacrificabo tibi. *Aug. in hunc locum*

S. Aug. *Psal. 53.* Quid, inquit, dignè offeram Domino pro misericordia eius? victimas quæram de grege ouium, arietem eligam, taurum aliquem in armentis prospiciam, thura certè de terra Sabæorum offeram? aliter quid faciam? quid offeram, nisi quod ait, sacrificium laudis honorificabit me? quare ergo voluntariè? quia gratis amo quod laudo, &c. laudetur voluntate, ametur charitate, gratuitum sit & quod amatur, & quod laudatur. Quid est gratuitum? ipse propter te, non propter aliud, &c. Voluntariè sacrificabo tibi, noli ex necessitate. *Non negat tamen Augustinus, imò & fateretur Tertullianus iuxta Parabolam Euangelicam Luc. 14. etiam compellendos ad regiam cœnam in vias malas & sepibus plenas abeuntes. Sic enim Aug. ep. 204. ad Donatum Presbyterum Donatistam, qui citatus ad Concilium, conatus est sibi vim inferre, à quò impeditus est.*

S. Aug. Neque, inquit, hoc putas tibi fieri debuisse, quia neminem existimas cogendum esse ad bonum, &c. Dicis Deum dedisse liberum arbitrium, ideo non debere cogi hominem nec ad bonum, &c. Attende quod considerare non vis. Ideo voluntas bona misericorditer impenditur, vt mala voluntas hominis dirigatur. Nam quis nesciat nec damnari hominem nisi merito malæ voluntatis, nec liberari nisi bonam habuerit voluntatem? non tamen ideo qui diliguntur, malæ suæ voluntati impunè & crudeliter permittendi sunt, sed vbi potestas datur, & à malo prohibendi, & ad bonum cogendi. Nam si voluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare Israëlitæ recusantes, & murmurantes, tam duris flagellis à malo prohibebantur, & ad terram promissionis compellebantur. Si voluntas B mala suæ permittenda est libertati, quare Paulus non est permissus vti pessima voluntate, quâ persequebatur Ecclesiam, sed prostratus est vt excæcaretur, & excæcatus est vt mutaretur, mutatus, vt mitteretur; missus, vt qualia fecerat in errore, talia pro veritate pateretur? si voluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare monetur Pater in Scripturis sanctis, filium durum non solum verbis corripere, sed etiam latera eius tundere, vt ad bonam disciplinam coactus & domitus dirigatur? &c. *Postrà sub finem, eius obiectioni respondet.* Attendis, inquit, & sæpè repetis, sicut audio, quod in Euangelio scriptum est recessisse à Domino 70. Discipulos, & arbitrio suæ malæ atque impie discessionis fuisse permissos; cæterisque duodecim C qui remanserant, fuisse responsum; numquid & vos vultis ire? & non attendis quia tunc primum Ecclesia nouello germine pullulabat, nondumque in ea fuerat completa illa prophetia: & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient illi. Quod vtique quantò magis impletur, tantò maiore vtitur Ecclesia potestate, vt non solùm inuitet, sed etiam cogat ad bonum, &c. Hoc & in illa conuiuij similitudine satis euidenter ostendit, vbi misit ad inuitatos, & venire noluerant, &c. & ait Dominus seruo, exi in vias, & sepes, & compelle intrare vt impleatur domus mea. Vide nunc quemadmodum de his qui priùs venerunt dictum est, introduc eos; non dictum est, compelle: ita significata sunt Ecclesiæ primordia, adhuc crescen- D tis, vt essent vires etiam compellendi, &c. Quapropter si ambularetis quieti extra hoc conuiuium sanctæ vnitatis Ecclesiæ, tanquam in viis vos inueniremus: nunc verò, quia per multa mala, & sæua, quæ in nostros committitis, tanquam spinis & asperitate pleni estis, vos tanquam in sepibus inuenimus, & intrare compellimus. Qui compellitur, quò non vult cogitur; sed cum intrauerit iam volens pascitur.

REMISSIO PECCATI.

Remissio peccati, eiusdem est, cuius & retentio. 4. cont. Marc. cap. 10. à p.

SEd & peccata dimittere, an eius possit esse qui negetur tenere; & an eius sit absoluere, cuius non sit etiam damnare; &, an congruat eum ignoscere, in quem nihil sit admissum?

REMISSIO PECCATI. SCHOL.

AN EIVS POSSIT ESSE. *Vt hic authoris mens capiatur, Lector aduertat Marcionem Deum tantùm voluisse colere qui bonus esset, & peccata remitteret; reprobasse autem Deum iustum, & vindicem, qui peccata retineret, vt puniret. Vnde hic quærit Tertullianus an is Deus possit peccata remittere, qui ea retinere non posse censetur.* IN QVEM NIHIL, &c. *hic vides Marcionem colentem Deum fictum, in quem vtpote vanum & nullum, offensa proinde nulla potest admitti. Rectè quidem à stupentibus paralytici solutionem, dictum est:* nemo potest peccata dimittere, nisi solus Deus. *Sed & eiusdem vnius Dei est retinere peccata per iustitiam vindicatiuam, cuius est remittere per innatam misericordiam. Vnde stultè Marcion ex duobus attributis duos Deos aduersos innocem, bonum indulgentem, & malum vlciscentem, dogmatizanit, contra quem stripsisset cum Tertulliano Augustinus, si Marcionitoannus fuisset, vti scripsit libro 1. contra Aduersa-* S. Aug. *rium legis & Prophet. cap. 17.* Vaniloqui, inquit, & mentis seductores, aduersantes Literis sacris quas intelligere nolunt, eligunt ex eis aspera quæ ibi leguntur, ad commendandam seueritatem Dei: & A de literis Euangelicis atque Apostolicis, leuia quæ ibi leguntur ad commendandam bonitatem Dei, & apud homines imperitos hinc ingerunt horrorem, inde quærunt fauorem, &c. qui autem rectè colit Deum, & profectò vtriusque testamenti inuenit vnum Deum, & eiusdem vnius Dei in vtroque diligit bonitatem, in vtroque metuit seueritatem: in illo intelligens promissum Christum, in isto accipiens redditum Christum, &c. Claues regni cœlorum sic dedit Christus Ecclesiæ, vt non solùm diceret, quæ solueritis super terram, &c. Verùm & adiungeret, quæ ligaueritis in terra, &c. quia bona est, & vindicandi iustitia: illud enim quod ait, si nec Ecclesiam audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus, grauius est, quàm si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subiiceretur, &c. Alligatur homo amarius & infœlicius Ecclesiæ clauibus, quàm quibuslibet grauissimis, & durissimis, ferreis, vel adamantinis nexibus. *Vide plura de potestate clauium, in Alphabeto Errorum. Verbo* remissio peccati *in fine.*

REMISSIO INIVRIÆ.

1. *Remissio iniuriæ vtraque lege præcepta est. 4. cont. Marc. cap. 35. à p.*

SEd & veniam des fratri in te delinquenti iubet, etiam septies. parum planè. Plus est enim apud Creatorem, qui nec modum statuit, in infinitum pronuntians, [a] *Fratris malitiæ memor ne sis.* Nec petenti eam præstes, mandat; sed & non petenti. Non enim dones offensam vult, sed obliuiscaris. Luc. 17. 4 a Leuit. 19. 18.

REMISSIO INIVRIÆ. 1. SCHOL.

SED ET VENIAM. *Inducit Marcionem obiicientem sibi, pro tuenda lenitate Dei sui noui, & Christi eius, contra Dei Creatoris seueritatem; Luc. 17. 4.* Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: & si pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens, pœnitet me: dimitte illi: *cui respondet Tertullianus, Deum Creatorem in veteri lege, hanc longè lenitatem superasse, dum sine modo, & nulla præfixa mensura, iussit non tantùm petenti, veniam dari, sed & prorsus in æternum iniuriæ obliuisci. Ita enim Leuit. 19. 18.* Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. *70. verò.* Non vindicabitur manus tua, & non irasceris filiis populi tui. *De non repensanda iniuria deque eius venia sicut & de inimicorum remissione iam alibi suis locis multa, sicut & de septies, vel vsque. 77. indulgendo, plusquam satis diximus. Sequentia tamen breuiter ab Augustino accipe, vbi ex oratione Dominica* dimitte nobis debita nostra, *sic homilia 40.* Pactum, inquit, & placitum C cum Domino fecimus, & conditionem soluendi debiti in cautione subscripsimus. Dimitte nobis, S. Aug. plenâ fiduciâ petimus, si & nos dimittimus. Si autem non dimittimus, dimitti nobis peccata non putemus, &c. humanum est irasci: sed non debet iracundiâ tuâ natus surculus breuis, suspicionibus irrigari, & ad trabem odij peruenire, &c. *Et ser. 16. de verb. Dñi.* Ille, inquit, iniuriam fecit, & iniuriam faciendo, graui seipsum vulnere percussit. S. Aug. Tu vulnus fratris tui contemnis? tu enim vides perire, vel periisse, & negligis? peior es tacendo, quàm ille conuiciando. Quando ergo, in nos aliquis peccat, habeamus magnam curam, non pro nobis; nam gloriosum est, iniurias obliuisci; sed obliuiscere iniuriam tuam; non vulnus fratris tui. Ergo corripe inter te, & ipsum solum, intendens correctioni, parcens pudori. Fortè enim præ verecundia incipit defendere peccatum suum, & quem vis facere correctiorem, facis peiorem.

2. *Remissiones iniuriæ, lex noua, vetus vltionem petit. V. verbum peccatum veniale. num. 1. & 2.*

3. *Remissionem iniuriæ exigit Deus Pater à filiis, sibi, & soli, bonis, & malis irradianti, similibus: Deus Marcionis omnem paternitatem excludit, sublato matrimonio. 4. cont. Marc. cap. 17. à p.*

NIhil impudentius, si ille nos sibi filios faciet, qui nobis filios facere non permisit, auferendo connubium. Quomodo in id nomen allecturus est suos, quod iam erasit? Filius spadonis esse non possum, maximè quùm patrem habeam eundem quem & omnia. Nam tam pater omnium, qui conditor vniuersitatis, quàm spado, qui nullius substantiæ conditor. Et si marem ac feminam non miscuisset Creator, & si non vniuersis quoque animalibus filios concessisset, hoc eram, eius ante paradisum, ante delictum, Luc. 6. 35.

ante exilium, ante duos, vnum. denuò factus filius fui statim, quum me manibus enixus
Gen. 2. 3. est, quum de suo habitu mouit. Ille me nunc rursus filium nuncupat, iam non in ani-
a Luc. 6. mam, sed in spiritum pariens. [a] *Quia ipse*, inquit, *suauis est aduersus ingratos & malos.* Euge,
35. Marcion, satis ingeniosè detraxisti illi pluuias, & soles, ne Creator videretur. Sed quis
Matth. 5. iste suauis, qui ne cognitus quidem vsque adhuc? quomodo suauis, à quo nulla beneficia
45. præcesserunt? Hoc genus suauitatis, quâ soles, & imbres qui fœnerauerat, non recepturus ab humano genere vt Creator; qui pro tanta elementorum liberalitate facilius idolis quàm sibi debitum gratiæ referentes homines vsque adhuc sustinet. Verè suauis
b Psal. 18. etiam spiritalibus commodis. [b] *Eloquia enim Domini dulciora super mel & fauos.* Ille igitur &
11. ingratos sugillauit, qui gratos experiri merebatur. Cuius soles, & imbres tu quoque Marcion ingratus habuisti. Ceterùm, tuus non poterat iam queri ingratos, qui non parauerat gratos.

REMISSSIONEM INIVRIÆ. 3. SCHOL.

NIHIL IMPVDENTIVS. *Scilicet Deo, & Christo Marcionis, qui ad lenitatem, & remissionem iniuriæ, boneque pro malo reddendi perfectam charitatem suis cultoribus præcipit, exemplo Solis, & cœli pluuias ingratis effundentis, & sub spe nominis & hereditatis filiorum Dei. Primò quod Deus Marcionis matrimonij Sacramentum abstulerit, tanquam à Deo Creatore malo institutum, quo filij procreantur. Secundò quòd Marcion in odium Creatoris malitiosè detraxerit hæc verba.* Qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. IN ID NOMEN. *Filiorum scilicet.* ALLECTVRVS. *Adoptaturus.* ERASIT. *Sustulit, extincto matrimonio.* SPADONIS, *Dei castrati, infœcundi, qui nullos produxit filios, sed nec formicam condidit.* CVM PATREM HABEAM. *Omnium Creatorem.* TAM PATER, QVAM SPADO. *Deus Creator hoc saltem habet supra Deum Marcionis sterilem, quòd se Patrem ex tanta rerum generatione probauerit,* HOC ERAM, *in Adam, Dei filius factus ad imaginem eius.* ANTE DVOS VNVM. *Antequam ex Adæ latere Euam fecisset, vt essent duo in carne vna, ante matrimonium, eramus omnes in Adam Dei filij.* DENVÒ FACTVS, *cùm in propriæ matris vtero, de singulis hominibus dixit Iob, & Psaltes:* manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me, totum in circuitu. SVO HABITV MOVIT. *Afflauit mihi animam, quæ principium esset vitæ & motus corpori.* IN ANIMAM, *viuentem, simplici vita animali & rationali.* IN SPIRITVM. *Gratiæ sanctificantis.* ADVERSVS INGRATOS. *Luc. 6. 35.* Diligite inimicos vestros; benefacite, & mutuum date nihil inde sperantes: & erit merces vestra multa: & eritis filij altissimi, quia ipse benignus est super ingratos, & malos. *Translat. Syr.* Quippe qui suauis sit erga improbos & ingratos. PLVVIAS ET SOLES. *Nec tantùm hæc verba Matthæi 5. 45. sed & totum eius Euangelium detraxit, ne ex operibus Creator agnosceretur.* FŒNERAVERAT, *ad multiplicationem seminum, & debitam pro beneficiis laudem, licet præuideret ab ingratis, à se præstita potius idolis, quàm sibi offerenda præsciret, tantas iniurias etiamnum sustinet, qui etiam suauitatem suam bonis spiritalibus, imbribus doctrinæ suæ, & eloquij dulcioris melle & fauo probat.* INGRATOS SVGILLAVIT. *Quidquid dicat Marcion, Dei optimi est, & increpare suis donis ingratos, vt eos corrigat, & ad gratitudinem inuitet.* NON PARAVERAT GRATOS. *Qui nec homines creauerat,*
S. Aug. *nec eis bona creata donauerat, quibus vel grati, vel ingrati erga eum esse conuinci possent. Aug. ep. 54. ad Macedonium, vbi agit de odio vitiorum, & dilectione hominum.* Facile est, inquit, atque procliue, malos odisse, quia mali sunt; rarum autem & pium eosdem ipsos diligere, quia homines sunt; vt in vno simul & culpam improbes, & naturam approbes; ac propterea culpam iustius oderis, quòd eâ fœdatur natura quam diligis. Non est igitur iniquitatis, sed potius humanitatis societate deuinctus, qui propterea est criminis persecutor, *corripiendo peccatorem, & calumniantem arguendo vt corrigatur* vt sit hominis liberator, &c. Noli ergo dubitare hoc officium nostrum *Episcopale apud iudices intercedendi pro reis*, ex religione descendere, cùm Deus apud quem nulla est iniquitas, cuius summa potestas est, qui non tantùm qualisquisque sit videt, verùm etiam qualis futurus sit præuidet; qui solus potest iudicando non labi, quia in cognoscendo non potest falli; facit tamen, sicut Euangelium loquitur, Solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Cuius mirabilis bonitatis vt simus imitatores, Dominus Christus exhortans; diligite, inquit, inimicos vestros, &c. vt sitis filij Patris vestri qui in cœlis est, qui facit Solem suum oriri super bonos & malos, &c. hac indulgentia & lenitate diuina multos abuti ad perniciem suam, quis nesciat? Quos arguens Apostolus, & grauiter increpans dixit, existimas ô homo omnis qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quoniam tu effugies iudicium Dei? An diuitias benignitatis eius, & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, &c? numquid quoniam isti in sua nequitia perseuerant, ideo Deus in sua patientia non perseuerat, perpauca in hoc sæculo puniens, ne diuina prouidentia non esse credatur, & multa seruans vltimo examini, vt futurum iudicium commendetur? &c. Num igitur diligendi sunt impij? num impiis benefaciendum est? num pro impiis etiam orandum est? ita planè. Qui enim hoc præcipit, Deus est *ego autem dico vobis, &c.* Nec tamen nos hoc pacto societati adjungit impiorum, quibus & ipse parcendo, & vitam salutemque largiendo, non vtique sociatur. Consilium quippe eius, quantùm homini pio nosse datum est, exponit Apostolus dicens: ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Ad hanc volumus adduci, *quibus remittimus iniurias*, pro quibus interuenimus, non eorum peccatis vel parcimus, vel fauemus. Nam quosdam quorum crimina manifesta sunt, à vestra seueritate liberatos, à societate tamen remouemus altaris, vt pœnitendo placare possint, quem peccando contempserant, seque ipsos puniendo. Nam nihil aliud agit quem veraciter pœnitet, nisi vt id quod malè fecerit, impunitum esse non sinat. Eo quippe modo sibi non parcenti ille parcit, cuius altum iustumque iudicium nullus contemptor euadit. *Et ep. 5. ad Marcellinum, vbi de remissione & patientia iniuriæ:* hoc fit, inquit, vt vincatur bono malus, imò in homine malo vincatur bono malum, & homo liberetur a malo, non exteriore & alieno, sed intimo, ac suo, quo grauius & perniciosius quàm cuiuslibet hostis extrinsecus immanitate vastatur. Qui ergo vincit bono malum patienter amittit temporalia commoda, S. Aug.

commoda, vt doceat quàm pro fide atque iustitia contemnenda sint, quæ ille nimis amando, fit malus: ac sic iniuriosus, ab eo ipso cui fecit iniuriam, discat qualia sint propter quæ fecit iniuriam: atque in concordiam, quâ nihil est vtilius ciuitati, pœnitens acquiratur, victus non sæuientis viribus, sed beneuolentia patientis. Tunc enim rectè fit cùm A videtur ei profuturum esse propter quem fit, ad operandam in eo correctionem atque concordiam. Hoc certè animo faciendum est, *toleranda scilicet & remittenda iniuria.* Etiamsi alius exitus consequatur, nec corrigi velit atque pacari, propter quem corrigendum atque pacandum, velut curandum & sanandum adhibita est ista Medicina.

REPVDIVM.

1. *Repudium Gentilibus & Christianis infame. De Monog. cap. 9. V. Monogamia. 15. in m. & V. abstinentia veterum Romanorum in f.*

2. *Repudium, solâ adulterij causâ licitum, 4. cont. Marc. cap. 34. à p. ad m.*

IAm hinc confirmatur ab illo Moyses, ex eodem titulo prohibens repudium, quo & Deut. 24.
Christus, si inuentum fuerit in muliere negotium impudicum. Nam & in Euangelio 1.
Matthæi, [a] *Qui dimiserit*, inquit, *vxorem suam præter causam adulterij, facit eam adulterari.* a Matth.
atque ita adulter censetur & ille, qui dimissam à viro duxerit. Ceterùm, præter ex causa 5. 32.
adulterij, nec Creator disjungit, quod ipse scilicet coniunxit, eodem alibi Moyse con- Luc. 16. 18.
stituente eum qui ex compressione matrimonium fecerat, non posse dimittere vxorem Deut. 22.
in omne tempus. Quod si ex violentia coactum matrimonium stabit, quantò magis ex 28. & seq.
conuenientia voluntarium? sicut & prophetiæ auctoritate, [b] *Vxorem iuuentutis tuæ non di-* b Malac.
mittes. Habes itaque Christum vltro vestigia vbique Creatoris incuntem, tam in per- 2. 15.
mittendo repudio, quàm in prohibendo. Habes etiam nuptiarum quoquo velis latere prospectorem, quas nec separari vult, prohibendo repudium; nec cum macula haberi, tunc permittendo diuortium. Erubesce non coniungens quos tuus quoque Christus coniunxit. Erubesce etiam disjungens sine eo merito, quo disjungi voluit & tuus Christus.

REPVDIVM. 2. SCHOL.

IAM HINC. *Ex diuortij mentione factâ à Christo, Moyses ab eodem confirmatur, qui non alia de causa prohibuit repudium, quàm quia iuxta Christum, & Christus iuxta ipsum præscripserat:* masculum & fœminam creauit eos, & erunt duo in carne vna. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. SI INVENTVM FVERIT. *Id est nisi inuentum fuerit, à viro, mœchatam fuisse mulierem: hæc enim vnica est repudij causa licita, tam apud Moysem, quàm apud Christum. Ille quidem Deut. 24.* Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, 70. *& habitauerit cum ea*, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, 70. *rem turpem* scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Cùmque egressa, alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudij, & dimiserit de domo sua, vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in vxorem, quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino. *Christus autem Matthæi 5. 32.* Dictum est autem, quicumque dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudij. Ego autem dico vobis: quia omnis qui dimiserit vxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat. PRÆTER EX CAVSA, *præterquàm.* EODEM ALIBI *Deut. 22. 28. & seq.* Si inuenerit vir puellam virginem quæ non habet sponsum, & apprehendens 70. *vim faciens* concubuerit cum illa, & ad iudicium venerit, 70. *& inuentum fuerit*; dabit qui dormiuit cum ea patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eam vxorem, quia humiliauit illam, non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ. PROPHETIÆ. *Malach. 2.* Vxorem adolescentiæ tuæ noli despicere. Cùm odio habueris, *scilicet propter mœchiam* dimitte dicit Dominus Deus Israël: operiet autem iniquitas vestimentum eius. 70. *autem*, vxorem adolescen- B tiæ tuæ ne derelinquas. Sed si odio habens dimiseris eam, &c. & operiet impietas super cogitationes tuas. NVPTIARVM PROSPECTOREM. *Quas malas, & a malo Creatore conditas Marcion horruit; quarum tamen & Christus inseparabilitati, & honestati prouidit.* TVNC PERMITTENDO. *Cùm scilicet thorus coniugalis adulterij maculâ fœdatur.* NON CONIVNGENS. *In tua hæresi coniugium prohibens.* TVVS QVOQVE, *quem Dei tui bonj filium fingis, & tibi arrogas.* SINE EO MERITO, *culpa scil. adulterij non interueniente, vincula matrimonij dirimens. Iam quid circa repudium in hac causâ scripserit Augustinus, videamus. to. 4. lib. 83. qq. q. vltima:* Si Dominus, S. Aug. inquit, dimittendæ coniugis solam causam fornicationis admittit, & paganum coniugium dimitti C prohibet, consequens est vt paganismus, *qui tamen in Scriptura fornicatio & mœchia vocatur*, fornicatio non deputetur: solam autem fornicationis causam exceptam facere Dominum, cùm de dimittenda coniuge loquitur in Euangelio, manifestum est. Paganum ergo coniugium hinc non prohibetur dimitti, quia cùm Apostolus de hac re consilium daret, vt fidelis volentem secum esse coniugem infidelem non dimittat, ait: ego dico, non Dominus: vt Dominus intelligatur, non quidem iubere vt dimittatur, ne contra iussum eius consilium dare videatur Apostolus, sed tamen permittere, vt nemo in ea re iussionis necessitate teneatur, sed consilij voluntate liberè faciat. *Consonantiam porrò vtriusque testamenti circa repudium agnoscit to. 6. lib. 19. con-* D *tra Faustum, cap. 26.* Illud, inquit, de vxore non dimittenda quod Dominus præcepit, cùm antiquis S. Aug. dictum sit, quicumque dimiserit vxorem suam, det illi libellum repudij: si diligenter intueamur, videbimus non esse contrarium. Exposuit enim Dominus quid lex voluerit, cùm passim dimittendi vxorem iusserit libellum repudij dare. Neque enim ait, qui voluerit, dimittat vxorem suam: cui esset con-

tratium, non dimittere; sed vtique nolebat dimitti vxorem à viro, qui hanc interposuit moram: vt in dissidium animus præceps, libelli conscriptione refractus absisteret, & quid mali esset vxorem dimittere cogitaret: præsertim quia, vt perhibent, apud Hebræos scribere literas Hebræas, nulli fas erat nisi Scribis solis, cùm & excellentiorem profiterentur sapientiam, & si qui eorum essent æquitate ac pietate præditi, non tantùm profiterentur sapientiam, verùm etiam sectarentur. Ad hos igitur quos oporteret esse prudentes legis interpretes, & iustos dissidij dissuasores, lex mittere voluit eum quem iussit libellum repudij dare, si dimisisset vxorem, &c. *De duritia autem cordis, cui id Moyses concesserat, sic ibidem sub finem capitis 29.* Quanta, inquit, duritia erat, quæ nec per libelli interpositionem vbi dissuadendi locus iustis & prudentibus tribuebatur, solui & flecti posset ad recipiendam, vel reuocandam coniugij charitatem. Ita Dominus quid lex & bonis præciperet, & duris permitteret, eiusdem legis testimonio declarauit, cùm & non dimittendam vxorem ex eadem scriptura commemorata coniunctione masculi & fœminæ, monuit, diuinamque authoritatem eiusdem coniunctionis exposuit: & dandum libellum repudij propter duritiam, vel domandi, vel indomiti cordis ostendit. *Post datum verò vxori repudium, neutri coniugum sub pœna adulterij licitum esse nubere alteri, iuxta Euangelium docuit to. 6. libro 1. de Adulterinis coniugiis, ad Pollentium cap. 12.* Qui, inquit, dimissam à viro ducit, mœchatur; quomodo est verum? quomodo mœchatur, nisi quia illam quam duxit eo viuente à quo dimissa est, adhuc vxor aliena est? Si enim iam suæ, non alienæ miscetur vxori, vtique non mœchatur. Mœchatur autem, aliena est ergo cui miscetur. Porrò si aliena est, hoc est, eius à quo dimissa est, etiam si propter fornicationis causam dimissa est, nondum dimittentis vxor esse cessauit. Si autem illius esse cessauit, iam huius est cui alteri nupsit. Et si huius est, non mœchus iudicandus est, sed maritus. Sed quia non eum maritum dicit Scriptura, sed mœchum, adhuc illa illius est, à quo etiam causa fornicationis abiecta est. Et ideo quamcumque etiam ipse illâ dimissâ ducit vxorem, quia cum alieno marito concumbit, adultera est. Vnde autem fieri potest, vt adulter etiam ipse non sit, cum constet adul-

S. Aug.

S. Aug.

A terare quam duxit? *Et to. 7. lib. 1. de Nuptiis & Concupiscentia ad Valerium cap. 10.* Quoniam sanè, inquit, non tantùm fœcunditas, cuius fructus in prole est; nec tantùm pudicitia, cuius vinculum est fides; verùm etiam quoddam Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis, vnde dicit Apostolus Coloss. 3. Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam: huius procul dubio Sacramenti res est, vt mas & fœmina connubio copulati, quandiu viuunt, inseparabiliter perseuerent: nec liceat, exceptâ causâ fornicationis à coniuge coniugem dirimi. Hoc enim custoditur in Christo & Ecclesia, vt viuens cum viuente *Christus enim iam non moritur, & aduersus Ecclesiam æternùm mansuram portæ inferi non præualent*: in æternum, nullo diuortio separetur. Cuius Sacramenti B tanta obseruatio est in ciuitate Dei nostri, in monte Sancto eius, hoc est in Ecclesia Christi, quibusque fidelibus coniugatis, qui sine dubio membra sunt Christi, vt cùm filiorum procreandorum causâ, vel nubant fœminæ, vel ducantur vxores, nec sterilem coniugem fas sit relinquere, vt alia fœcunda ducatur. Quòd si quisquam fecerit, non lege huius sæculi, vbi interueniente repudio, sine crimine conceditur cum aliis alia copulare connubia: quod etiam S. Moysem Dominus propter duritiam cordis illorum, Israelitis permisisse testatur: sed lege Euangelij reus est adulterij, sicut etiam illa, si alteri nupserit. Vsqueadeò manent inter viuentes semel inita iura nuptiarum, vt potius sint C inter se coniuges, qui ab alterutro separati sunt, quàm cum his quibus aliis adhæserunt. Cum aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum coniuges permanerent. Denique mortuo viro cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium potest, cum quo priùs adulterium fuit. Ita inter viuentes manet quoddam vinculum coniugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis: sicut Apostatæ anima velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita, Sacramentum fidei non amittit, quod lauacro regenerationis accepit: redderetur enim proculdubio redeunti, si amisisset abscedens. Habet autem hoc qui recesserit ad cumulum supplicij, non ad meritum præmij.

S. Aug.

S. Aug.

3. *Repudium causâ adulterij factum, aut mors coniugis suadet continentiam. 2. ad vxo. cap. 1. à p.*

NVnc ad secunda consilia conuertamur, respectu humanæ infirmitatis, quarundam exemplis admonentibus, quæ diuortio, vel mariti excessu, oblata continentiæ occasione, non modo abjecerunt opportunitatem tanti boni, sed ne in nubendo
1. Cor. 7. 39. quidem disciplinæ meminisse voluerunt, vt *in Domino potissimum nuberent.*

REPVDIVM. 3. SCHOL.

NVNC AD SECVNDA, *&c. primo libro ad Vxorem, ipsi consuluerat continentiam vidualem, si prior ipse moreretur; ne soluta lege viri ad secundas nuptias conuolaret. Iam hoc secundo libro suadet vt si per infirmitatem carnis continêre non possit, saltem in Domino nubat, hoc est fidelem sponsum ducat, nec sequatur exempla quarumdam mulierum, quæ datâ sibi à Deo occasione, vel per mariti obitum, vel per repudium & diuortium, non tantum neglexerunt continentiæ bonum, sed & oblitæ disciplinæ Christianæ, cum infidelibus nuptias contraxerunt. Hic paucis cum Augustino de castitate, & continentia, quoad potest, omni occasione, siue repudij, siue ex mutuo consensu seruanda dicamus; quod Tertullianus dixit,* Opportunitatem tanti boni. *Tantum quippe hoc bonum est, maximè in coniugiis, facto non coniugij quidem, sed copulæ carnalis repudio, vt longè strictior & honoratior sit animorum, quàm corporum* D *complexus. Ita Augustinus lib. 1. de Nuptiis & concupiscentia cap. 11.* Quibus, inquit, placuit ex consensu, ab vsu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit vt inter illos vinculum coniugale rumpatur: imò firmius erit, quò magis ea pacta secum inierint, quæ charius concordiusque seruanda sunt, non voluptariis corporis nexibus, sed voluntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab Angelo dictum est ad Ioseph, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Coniunx vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognouerat, nec fuerat cogniturus. Nec perierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, vbi nec fuerat, nec futura erat vlla carnis commixtio. Erat quippe illa Virgo, ideò & sanctius, & mirabilius iocunda suo viro, quia etiam fœcunda sine viro; prole dispar, fide compar

S. Aug.

propter quod fidele coniugium, parentes Christi vocari ambo meruerunt; & non solùm illa mater, verum etiam ille Pater eius, sicut coniux matris eius, vtrumque mente, non carne. Siue tamen ille Pater sola mente, siue illa mater & carne, parentes tamen ambo humilitatis eius, non sublimitatis: infirmitatis, non diuinitatis. Neq; enim mentitur Euangelium vbi legitur, & erant pater eius, & mater mirantes, &c. Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te, &c. Omne itaque nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum: fidem, quia nullum adulterium; Sacramentum quia nullum diuortium. *Et cap. 12. in f.* Cur ergo non coniuges maneant qui ex consensu concumbere desinunt, si manserunt coniuges Ioseph & Maria, quæ concumbere nec cœperunt? *Et to. 4. lib. 1. de ser. Do. in monte cap. 14.* Beatiora sanè, inquit, coniugia iudicanda sunt, quæ siue filiis procreatis, siue etiam ista terrena prole contempta, continentiam inter se pari consensu seruare potuerint; quia neque contra illud præceptum fit, quò Dominus dimitti coniugem vetat: non enim dimittit, qui cum ea non carnaliter, sed spiritaliter viuit: & illud seruatur, quod per Apostolum dicitur, reliquum est vt qui habent vxores, quasi non habentes sint. *Et cap. 15.* Et ipse Dominus dicit; in resurrectione neque nubent, neque vxores ducent, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlis. Oportet ergo vt quisquis illius regni vitam iam hîc meditari voluerit, oderit non ipsos homines, sed istas necessitudines temporales, quibus ista quæ transitura est, vita fulcitur, quæ nascendo, moriendoque peragitur: quod qui non odit, necdum amat illam vitam, vbi nulla erit conditio nascendi atque moriendi, quæ copulat terrena coniugia.

RES.

Res aliena tribus modis sumuntur. Cont. Hermog. cap. 9. V. materia. 6. à m.

RESPONSIO.

1. *Responsio omnis, interrogationi rectè respondere debet. 4. cont. Marc. cap. 38. à p.*

IVsta & digna præscriptio est, in omni quæstione ad propositum interrogationis pertinere debere sensum responsionis. Ceterùm, aliud consulenti, aliud respondere, dementis est. Quò magis absit à Christo, quod ne homini quidem conuenit.

2. *Et ibid. circa m.*

QVum igitur sensus responsionis non ad aliud sit dirigendus, quàm ad propositum interrogationis; si hoc sensu responsionis, propositum absoluitur interrogationis, non aliud responsio Domini sapit, quàm quo quæstio absoluitur.

RESPONSIO. 1. & 2. SCHOL.

DIGNA PRAESCRIPTIO. *Sensu communi & omnibus noto, præscribitur; nullam responsionem rationabilem esse, nisi quæstioni & interrogationi factæ, directè respondeat, quod si omnis homo præstare debeat, quantò magis Rex hominum Christus? per se patent hi textus, nec elucidatione indigent. Præclarè de interrogatis Christo factis, eiusque responsis tractat Augustinus, docetque quomodo eius exemplo sit respondendum quæstionibus propositis. Lib. 2. de ser. Do. in monte cap. 20.* Cùm, inquit, eum tentatores interrogabant, respondebatque illis, ita vt quod contradicerent non haberent, quamuis venenis suis, contabescerent potiùs, *vt dixit Psaltes, tabescere fecisti sicut araneam animam eius,* quàm illius cibo saturarentur: alij tamen qui poterant capere, ex illorum occasione multa vtiliter audiebant. *Sicut discipuli, quibus dixit de spadonibus voluntariis propter regnum cœlorum; qui potest capere, capiat.* Hoc dixi, ne quis fortè cùm interroganti respondere non potuerit, hac sententia se excusare videatur, si dicat, nolle se sanctum dare canibus, vel ante porcos mittere margaritas. Qui enim nouit quid respondeat, debet respondere, vel propter alios quibus desperatio suboritur, si propositam quæstionem solui non posse crediderint: & hoc de rebus vtilibus, & ad instructionem salutis pertinentibus. Multa sunt enim quæ inquiri ab otiosis possunt, superuacua & inania, & plerumque noxia, de quibus tamen nonnihil dicendum est: sed hoc ipsum aperiendum & explicandum, cur inquiri talia non oporteat: de rebus verò vtilibus aliquando ad id respondendum est quod interrogamur: sicut Dominus fecit, cùm eum Sadducæi de muliere interrogassent, quæ septem viros habuit, cuius eorum in resurrectione futura esset, respondit enim quod in resurrectione, neque vxores ducent, neque nubent, sed erunt sicut Angeli in cœlis. Aliquando autem ille qui interrogat, interrogandus est aliud: quod tamen si dixerit, ipse sibi ad id quod interrogabat, respondeat. Si autem dicere noluerit, non videatur iis qui assunt iniustum, si & ipse, quod interrogauit, non audiat. Nam & Pharisæi, qui interrogauerunt tentantes vtrùm reddendum esset tributum, interrogati sunt aliud: id est, cuius haberet nummus imaginem, qui ab ipsis prolatus est: & quia dixerunt quod interrogati erant, Cæsaris imaginem habere nummum: ipsi sibi quodammodo responderunt, id quod Dominum interrogauerant. Itaque ille ex eorum responsione ita conclusit, reddite ergo Cæsari, &c. Cùm autem Principes Sacerdotum & Seniores populi interrogassent, in qua potestate illa faceret, interrogauit eos de baptismate Ioannis: & cùm nollent dicere, quod contra se videbant dici: de Ioanne autem nihil maledicere auderent propter circumstantes: nec ego vobis dicam, inquit, in qua potestate hæc facio; quod iustissimum apparuit circumstantibus. Hoc enim se dixerunt nescire quod sciebant, sed dicere nolebant. Et reuerà iustum erat, vt qui sibi volebant responderi quod interrogauerant, priùs ipsi facerent quod erga se fieri postulabant. Quod si fecissent, ipsi sibi vtique respondissent. Ipsi enim miserant ad Ioannem quærentes quis esset: vel potiùs ipsi missi erant Sacerdotes & Leuitæ, putantes quòd ipse esset Christus, quod ille se negauit esse, & de Domino testimonium perhibuit: de quo testimonio si confiteri vellent, ipsi se docerent in qua potestate illa faceret Christus: quod quasi nescientes interrogauerunt, vt calumniandi aditum reperirent.

RESVRRECTIONIS FIDES.

1. *Resurrectionis articulus, est substantia fidei nostræ. De Resur. cap. 1. in p.*

FIducia Christianorum, resurrectio mortuorum. Illâ credentes sumus, hoc credere veritas cogit, veritatem Deus aperit.

RESVRRECTIONIS FIDES. 1. SCHOL.

FIDVCIA CHRISTIANORVM. *Tota fides & spes Christianorum posita est in resurrectione mortuorum.* VERITAS COGIT. *Toties in scriptura repetita nos obligat. Augustinus to. 9. lib. 1. de Symb. ad Catech. cap. 9.* Credimus, inquit, etiam resurrectionem carnis, quæ præcessit in Christo, vt hoc etiam speret corpus quod præcessit in capite. Caput Ecclesiæ Christus, Ecclesia corpus Christi: caput nostrum surrexit, ascendit in cœlum: vbi caput, illic & membra. Quomodo carnis resurrectionem? *supple credimus?* ne fortè vt & aliquis, quomodo Lazari. Vt scias non sic esse, additum est, in vitam æternam. *Et libro 2. ad Catech. cap. 11.* Resurrecturam, inquit, esse omnem carnem, rationalem, scilicet creaturam, fideliter teneamus. Hæc est summa fidei nostræ, quæ separat ab infidelibus. Neque enim de pecudibus, vel cæteris animantibus, quibus non est attributa imago Creatoris, fas est nobis disputare. Ista enim omnia ad vsus nostros creata esse cognoscimus, &c. sed quemadmodum non resurgit nobiscum nostra corruptio neque infirmitas: ita nec ea, quæ sunt necessaria nunc nostræ infirmitati. *Et lib. 3. ad Catech. cap. 11.* Omnis spes fidei nostræ, hæc est, quoniam resuscitabimur. Omnes quidem resurgemus, ait, Apostolus, sed non omnes immutabimur. Resurgent boni, resurgent mali, sed boni vt perpetua beatitudine perfruantur, mali vt perpetuo igne puniantur. Ibi discernetur fidelis ab infideli: vt accipiat fides præmium, & perfidia supplicij obtineat locum. Nec sibi blandiantur increduli, qui audiunt in Psalmo, non resurgent impij in iudicio. In iudicio dictum est, id est, non vt iudicentur, resurgent, quia per infidelitatem olim damnati sunt, secundùm illam sententiam Dominicam; qui non credit iam iudicatus est. *Et in Psal. 111.* Quæ, inquit, laus tua? credere resurrexisse Christum, & sperare te resurrecturum esse per Christum: hæc est laus fidei, &c. hæc fides est Christianorum.

(Margin: S. Aug. — S. Aug. — S. Aug. — S. Aug.; letters A, B)

2. *Et de Resur. cap. 48. à p.*

OPinor, Apostolus disposita ad Corinthios omni distinctione Ecclesiasticæ disciplinæ, summam & sui Euangelij, & fidei illorum, in Dominicæ mortis, & resurrectionis demandatione concluserat; vt & nostræ spei regulam inde deduceret, vnde constaret. Itaque subiicit: [a] *Si autem Christus prædicatur, quòd à mortuis resurrexit, quomodò quidam dicunt in vobis, resurrectionem mortuorum non esse? quæ si non est, nec Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra. inuenimur enim falsi testes Dei, qui testimonium diximus quod resuscitauerit Christum, quem non resuscitauit. Nam si mortui non resurgunt, nec Christus resurrexit. Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra; quia adhuc in delictis vestris estis; & qui in Christo dormierunt, perierunt.*

(Margin: a 1. Cor. 15. 12. & seq.)

RESVRRECTIONIS FIDES. 2. SCHOL.

SVMMAM EVANGELII ET FIDEI. *Apostolus de Ecclesiastica disciplina cum ordine & distinctione disponens in sua ad Corinthios Epistola, totam quasi summam redegit, tam Euangelij sui, quàm fidei Christianæ & in commendatione mortis & resurrectionis Christi conclusit, vt quia fides & spes nostra circa animæ nostræ iustificationem, & carnis nostræ resurrectionem in morte & resurrectione Christi fundata est, sic articulum hunc fidei & spei nostræ inde deduceret & firmaret.* SI AVTEM CHRISTVS. *1. Cor. 15. 12.* Si autem Christus prædicatur quòd resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit: inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra: inuenimur autem & falsi testes Dei: quoniam testimonium diximus aduersus Deum, quòd suscitauerit Christum, quem non suscitauit, si mortui non resurgunt. Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra. Adhuc enim estis in peccatis vestris. Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt. *De hoc Pauli ratiocinio Augustinus lib. 2. de doctrina Christ. cap. 31.* Sunt, inquit, veræ connexiones ratiocinationis, falsas habentes sententias, quæ consequuntur errorem illius cum quo agitur, quæ tamen ad hoc inferuntur à bono & docto homine, vt in iis erubescens ille, cuius errorem consequuntur, eundem relinquat errorem: qui si in eodem manere voluerit, necesse est vt etiam illa quæ damnat, tenere cogatur. Non enim vera inferebat Apostolus, cùm diceret; neque Christus resurrexit, & illa alia; inanis est prædicatio nostra, inanis est fides vestra: & deinceps alia, quæ omnino falsa sunt: quia & Christus resurrexit, & non erat inanis prædicatio eorum qui hoc annuntiabant, nec fides eorum qui hoc crediderant: sed ista falsa verissimè connectebantur illi sententiæ, quâ dicebatur, non esse resurrectionem mortuorum. Istis autem falsis repudiatis,: quoniam vera erant si mortui non resurgunt, consequens erit resurrectio mortuorum, &c. porrò illam sententiam præcedentem, quâ dicebant non esse resurrectionem mortuorum, necessariò sequitur, neque Christus resurrexit. Hoc autem quod sequitur, falsum est, Christus enim resurrexit: falsum est ergo & quod præcedit. Præcedit autem non esse resurrectionem mortuorum, est igitur resurrectio mortuorum. Quod totum breuiter ita dicitur: si non est resurrectio mortuorum, neque Christus resurrexit: Christus autem resurrexit, est igitur resurrectio mortuorum.

(Margin: S. Aug.; letters C, D)

3. *Resurrectio debet fieri in eadem carne, ad mercedem, vel pœnam. De resurrect. cap. 56. per totum.*

QVàm absurdum, quàm verò & iniquum, vtrumque autem quàm Deo indignum, aliam substantiam operari, aliam mercede dispungi: vt hæc quidem caro per martyria lanietur; alia verò coronetur: item econtrariò, hæc quidem caro in spurcitiis voluretur, alia verò damnetur. Nonne præstat omnem semel fidem à spe resurrectionis abducere, quàm de grauitate atque iustitia Dei ludere? Marcionem pro Valentino resuscitari? quando neque mentem, neque memoriam, neque cónscientiam hominis hodierni credibile sit aboleri, per indumentum illud mutatorium immortalitatis & incorruptelæ; vacaturo scilicet emolumento & fructu resurrectionis, & statu diuini vtrobique iudicij. Si non meminerim me esse qui merui, [a] *quomodo gloriam Deo dicam? quomodo canam illi nouum canticum*, nesciens me esse qui gratiam Deo debeam? Cur autem solius carnis demutatio excipitur, non & animæ simul, quæ in omnibus præfuit carni? quale est, vt eadem anima, quæ in hac carne totum vitæ ordinem decucurrit, quæ in hac carne Deum didicit, & Christum induit, & spem salutis seminauit, in alia, nescio quâ, metat fructum? Næ illa gratiosissima caro, cui gratis vita constabit. Quòd si non & anima mutabitur, iam nec animæ resurrectio est: nec ipsa enim resurrexisse credetur, si non alia resurrexerit.

a Psal. 95. 2.

Gal. 6. 7.

RESVRRECTIO IN EADEM CARNE CREDENDA. 3. SCHOL

QVAM INIQVVM, *alij legunt* Ethnicum. ALIAM SVBSTANTIAM. *carnem benè vel malè operari, & aliam mercede donari.* HÆC QVIDEM. *in qua nunc Martyr patitur.* MARCIONEM PRO VALENTINO. *carpit hos hæreticos, de quibus superiùs tractauerat, ridetque eos impugnatores resurrectionis, vt anima vnius, in carne alterius suscitata, sit ei vitæ principium,* QVANDO, *quandoquidem.* HOMINIS HODIERNI. *in cuius carne hodie & nunc spiritus habitat.* MVTATORIVM. *de quo Paulus*: omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. *mutatæ qualitatibus, eadem carnis manente substantiâ.* VACATVRO, *frustrato, si in alia carne fiat resurrectio fructu resurrectionis, & iudicio diuino, in quo Christus index redditurus est cuique animæ prout gessit in propria carne, siue bonum, siue malum.* NON ET ANIMÆ. *si alia caro resurgit, cur non & alia anima huic alteri carni copulatur, quæ fuit principium omnium motuum carnis.* DEVM DIDICIT, *fide per auditum haustâ inter Catechumenos.* CHRISTVM INDVIT, *in baptismo.* SEMINAVIT, *benè operando, de quo Paulus Gal. 6. 7.* Nolite errare: Deus non irridetur. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. NÆ ILLA. *ironicè.* GRATIS VITA CONSTABIT. *sine vllo eius opere, vita æterna dabitur.* NEC ANIMÆ RESVRRECTIO. *quod volebant hæretici. Si enim resurrectio sit per immutationem, profectò anima non resurget eadem, sed alia. Adeo eamdem carnem surrecturam docuit Augustinus, vt etiam in proprio sexu faciendam resurrectionem asserat lib. 22. de Ciuit. cap. 17.* Nonnulli, inquit, propter hoc quod dictum est: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, & conformes imaginis filij Dei: nec in sexu fœmineo resurrecturas fœminas credunt, sed in virili omnes aiunt: quoniam Deus solum virum fecit ex limo, fœminam ex viro. Sed mihi meliùs sapere videntur, qui vtrumque sexum resurrecturum esse non dubitant. Non enim libido ibi erit, quæ confusionis est causa. Nam priùsquàm peccassent, nudi erant, & non confundebantur vir & fœmina. Corporibus ergo illis vitia detrahentur, natura seruabitur. Non est autem vitium sexus fœmineus, sed natura: quæ tunc quidem & à concubitu, & à partu immunis erit: erunt tamen membra fœminea, *vbera, &c.* non accommodata vsui veteri, sed decori nouo, quo non alliciatur aspicientis concupiscentia, quæ nulla erit, sed Dei laudetur sapientia atque clementia: qui & quod non erat fecit, & liberauit à corruptione quod fecit, &c. Qui ergo vtrumque sexum instituit, vtrumque restituet, &c. Nuptias ergo Dominus futuras negauit esse in resurrectione, non fœminas: & ibi negauit, vbi talis quæstio vertebatur, *de septemuira muliere à Sadducæis proposita*, vt eam negato sexu muliebri, celeriore, faciliore dissolueret, si eum ibi prænosceret non futurum: imò etiam futurum esse firmauit, dicendo, non nubent: quod ad fœminas pertinet: neque vxores ducent, quod ad viros. Erunt ergo quæ nubere hîc solent, vel qui ducere vxores: sed ibi hæc non facient, *De eadem carne, substantiâ licèt immutata, idem Augustinus eodem lib. cap. 20.* Quæstio, inquit, illa soluenda est quæ difficilior videtur cæteris. Vbi quæritur, cùm caro mortui hominis etiam alterius fit viuentis caro, cui potiùs eorum; in resurrectione reddatur. Si enim quispiam cōfectus fame atq; compulsus, vescitur cadaueribus hominum, quod malum aliquoties accidisse, & vetus testatur historia, & nostrorum temporum infœlicia experimenta docuerunt: num quisquam veridicâ ratione contendet totum digestum fuisse per imos meatus, nihilque inde in eius carnem mutatum atque conuersum, cùm ipsa macies quæ fuit: & non est, satis indicet quæ illis escis detrimenta suppleta sint, &c. quidquid enim carnium exhausit fames, vtique in auras est exhalatum. Vnde diximus omnipotentem Deum posse reuocare quod fugit. Reddetur ergo caro illa homini, in quo esse caro humana primitùs cœpit. ab illo quippe altero tanquam mutuò sumpta deputanda est: quæ sicut æs alienum, ei redhibenda est, vnde sumpta est: sua verò illi, quem fames exinanierat, ab eo qui potest etiam exhalata reuocare, reddetur. Quamuis etsi omnibus periisset modis, nec vlla eius materies in vllis naturæ latebris remansisset, vnde vellet, etiam repararet omnipotens. Sed propter sententiam veritatis, quâ dictum est, capillus capitis vestri non peribit: absurdum est vt putemus, cùm capillus hominis perire non possit, tantas carnes fame depastas atque

S. Aug.

S. Aug.

consumptas perire potuisse. *Serm. 34. de verb. Apost.* Hoc est, inquit, quod præcipuè Christianos à Gentili errore secernit, quia illi hanc tantummodo vitam esse credunt, & ideò sine Deo esse, & diuersis peccatis atque criminibus non metuunt inquinari. Nos verò ita in hac vita conuersemur, vt nos ad aliam præparemus, in qua & bonis bona, & malis mala retribuentur, sicut dicit Apostolus 2. Cor. 5. 10. omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum, &c. Hanc enim etiam ipsam animam tunc habebimus, quam modò habemus: & in hoc ipso quo nunc induimur, sumus, corpore suscitandi. Non enim sicut muta animalia facti sumus, non sicut equi & boues, vt æternâ morte pereamus: qui postquam hîc vixerimus, alibi iudicabimur, vt aut pro peccatis pœnas, aut pro bonis operibus præmia consequamur æterna. *Et serm. 35. de verb. Apost.* Scire, inquit, & intelligere debemus, fratres charissimi, nihil nobis esse salubrius, quam vt damnatis omnium præsentium rerum voluptatibus, id potiùs cogitemus, quando erimus de hoc sæculo transituri, vel quando tabernaculum corporis vltimâ die superueniente deposituri, & iterùm illud resurrectionis tempore recepturi, vt cum eodem recipiamus prout gessimus, siue bonum, siue malum.

S. Aug.

S. Aug.

4. *Resurget caro eadem substantiâ, licèt qualitate diuersâ, ad pœnam vel mercedem; quidquid dicant hæretici de vacaturis tunc multis carnis officiis. De resurrect. cap. 59. à princ. 60. 61. per totum.*

a Esa. 40. 7. & 5. Nihil tibi largitur Esaias dicens, [a] *omnis caro fœnum.* & alibi: [b] *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Exitus, non substantias distinxit. Quis enim iudicium Dei non in sententia
b Luc. 3. 6. duplici statuit, salutis & pœnæ? Omnis igitur caro fœnum, quæ igni destinatur, & omnis caro videbit salutare Dei, quæ saluti ordinatur. Ego me scio neque aliâ carne adulteria commisisse, neque nunc aliâ carne ad continentiam eniti. Si quis est bina pudenda circumferens, potest iam & demere fœnum carnis immundæ, & solam sibi reseruare, quæ visura sit Dei salutare. Sed quum idem Prophetes etiam nationes ostendat, nunc deputatas velut puluerem & saliuam, nunc speraturas & credituras in nomen & in brachium Domini, numquid & de nationibus fallimur? & aliæ quidem sunt credituræ, aliæ in pul-
Esa. 40. 15. & 42. 4. & 53. 1. uerem deputatæ, ex diuersitate substantiæ? Sed & Christus intra oceanum, & de isto cœlo quod nobis incubat, verum lumen nationibus offulsit; & ipsa Valentiniani hîc errare didicerunt; nec alia erit forma nationum credentium, nisi quæ & non credentium,
Esa. 60. 3. de carne, de anima. Sicut ergo easdem nationes non genere, sed sorte distinxit, ita &
Cap. LX. carnes quæ in ipsis nationibus vna substantia est, non materiâ, sed mercede disiunxit. Ecce autem, vt adhuc controuersiam exaggerent, carni maximè eidem, de officiis quoque membrorum argumentantur, aut & ipsa dicentes permanere debere in suis operibus & fructibus, vt eidem corpulentiæ adscripta: aut; quia constet discessura esse officia membrorum, corpulentiam quoque eradant; cuius scilicet perseuerantia credenda non sit, vtique sine membris, quia nec membra credenda sint sine officiis. Quo enim iam, inquiunt, spelunca hæc oris, & dentium statio, & gulæ lapsus, & compitum stomachi, & alui gurges, & intestinorum perplexa proceritas, quum esui & potui locus non erit? Quò huiusmodi membra admittunt, subigunt, deuoluunt, diuidunt, digerunt, egerunt? quò manus ipsæ & pedes & operarij quique artus; quum victus etiam cura cessabit? quò renes conscij seminum, & reliqua genitalium vtriusque sexus, & conceptuum stabula, & vberum fontes, discessuro concubitu, & fœtu, & educatu? postremò, quò totum corpus? totum scilicet vacaturum? Ad hæc ergo perstruximus, non oportere committi futurorum atque præsentium dispositiones, intercessurâ tunc demutatione: & nunc superstrui-
c 1. Cor. 15. 44. mus officia ista membrorum necessitatibus vitæ huius, eo vsque consistere, donec & [c] *ipsa vita transferatur à temporalitate in æternitatem, sicut animale corpus in spiritale, dum mortale istud induet immortalitatem, & corruptiuum istud incorruptelam*; & ipsa autem liberata tunc vita à necessitatibus, liberabuntur & membra ab officiis; nec ideò non erunt necessaria.
d 2. Cor. 5. Licèt enim officiis retineantur, sed iudiciis liberentur: [d] *vt quis referat per corpus, prout gessit*, Saluum enim hominem tribunal Dei exigit: saluum verò sine membris non liquet eum, ex quorum non officiis, sed substantiis constat. Nisi fortè, & nauem sine carina, sine prora, sine puppi, sine compaginis totius incolumitate saluam adseuerabis. Et tamen nauem procellâ dissipatam, vel carie dissolutam, redactis & recuratis omnibus membris, eandem sæpè conspeximus etiam titulo restitutionis gloriantem. De Dei artificio, & arbitrio, & iure, torquemur? Porrò, si diues Dominus & liberalis, adfectui, aut gloriæ suæ præstans solam nauis restitutionem, hactenus eam voluerit operari, idcircò tu negabis necessariam illi compaginem pristinam, vt exinde iam vacaturam, cùm soli saluti nauis sine operatione conueniat? Igitur hoc tantummodo discere sufficit, an Dominus hominem saluti destinando, carnem destinarit; an eandem velit denuò esse, quam non debebis ex futura membrorum vacatione præscribere denuo esse non posse? Licet enim esse quid denuo, & nihilominùs vacare; nec potest autem dici vacare, si non sit. Atenim si
Cap. LXI. sit, poterit & non vacare: nihil enim apud Deum vacabit. Sed accepisti, homo, os ad vorandum atque potandum. cur non potiùs ad eloquendum, vt à cæteris animalibus di-

stes? cur non potiùs ad prędicandum Deum, vt etiam hominibus antistes? Denique Gen. 2.
Adam antè nomina animalibus enuntiauit, quàm de arbore decerpsit; ante etiam pro- 20. & 23.
phetauit, quàm vorauit. Sed accepisti dentes ad macellum corrodendum. cur non po- Gen. 3. 6.
tiùs ad omnem hiatum & rictum tuum coronandum? cur non potiùs ad pulsus linguæ temperandos? ad vocis articulos offensione signandos? denique & edentulos audi & vide, vt honorem oris, & organum dentium quæras. Forata sunt inferna in viro & in fœmina. nimirùm quà libidines fluitent. cur non magis quà potuum defruta colentur? Est adhuc fœminis intùs, quo semina congerantur. an quo sanguinis onera secedant: quem pigrior sexus discutere non sufficit? Dicenda enim & hæc, quatenus quæ volunt, & quorum volunt, & qualiter volunt. officia membrorum ludibriosè, de industria suffundendæ resurrectionis, oblatrant; non recogitantes, Ipsas priùs causas necessitatis tunc vacaturas; cibi, famem; & potus, sitim; & concubitus, genituram; & operationis victum. Sublatâ enim morte, neque victus fulcimenta ad præsidia vitæ, neque generis supparatura grauis erit
membris. Cæterùm & hodie vacare intestinis & pudendis licebit. Quadraginta diebus Exo. 24.
Moses & Helias ieiunio functi, solo Deo alebantur. Iam tunc enim dedicabatur, 18.
[e] *Non in pane viuet homo, sed in Dei verbo.* Ecce virtutis futuræ liniamenta. Nos quo- 3.Reg.19,
que, vt possumus, os cibo excusamus. Etiam sexum à congressione subducimus. Quot 11.
spadones voluntarij? quot virgines Christo maritatæ? quot steriles vtriusque naturæ, in- e Matth.
fructuosis genitalibus structi? Nam si & hîc iam vacare est, & officia & emolumenta mem- 4. 4.
brorum temporali vacatione, vt in temporali dispositione; nec homo tamen minùs saluus est: proinde homine saluo, & quidem magis tunc, vt in æterna dispositione, magis non desiderabimus, quæ iam hîc non desiderare consueuimus.

RESVRGET CARO EADEM. 4. SCHOL.

NIHIL TIBI LARGITVR. *Nihil sibi fanes, cùm dicis in alia carne futuram resurrectionem, cùm hinc dicit Esaias omnem carnem instar fœni marcescere, inde Christum Saluatorem, in æterna salute visuram. Hoc enim dicto sortem diuersam carnis peccatricis & iustæ distinxit, non induxit diuersitatem substantiæ.* EGO ME SCIO. *Inducit animam suam iam à carne solutam quæ nouit sibi continentia, vel mœchiæ: dum in carne viueret, vacauerit. vel de præsenti vita loquitur.* BINA PVDENDA. *sic rident resurrectionis impugnatores.* DEMIE RE FŒNVM, *amputare superfluum membrum fœneum,* SOLAM SERVARE. *de qua suprà Esaias.* IDEM PROPHETES. *Esaias non alios Gentiles intellexit, sed eosdem qui priùs idololatræ, tanquam puluis & saliua spernebantur, conuersi autem ad Christum laudabantur, diuersi quidem moribus, sed iidem substantijs.* CHRISTVS INTRA OCEANVM. *Carpit auctores, alios mundos vltra oceanum fingentes, quasi diceret, non modò alterius natura non fuerunt Gentes idololatræ, & conuersæ, sed nec Christus alius, siue de cœlo, vt Valentinus voluit carnem sumpsisse, siue hoc in inferiori mundo & terra cincta Oceano, homo factus innotescere voluerit.* DE CARNE. *quoad animam & corpus, licèt Valentiniani homines diuersi generis finxerint, ex diuersitate seminis, sicut alibi diximus.* CARNI ARGVMENTANTVR. *aduersus carnem disputant.* CORPVLENTIAM ERADANT. *negent eandem substantiam corporis.* PERSEVERANTIA, *eadem constans & permanens natura.* DENTIVM STATIO. *ordo pulchrè dispositus & firmus.* GVLÆ LAPSVS. *colli canalis.* COMPITVM STOMACHI *latitudo, & competentia.* ESVI ET POTVI. *non quidem necessitate, sed honestâ voluptate.* QVO HVIVSMODI? *membra. vt quid restituenda huiusmodi membra credunt, quæ cibum admittant? sicut speluncam oris, subigant dentes; deuoluant gulæ instrumenta; diuidant diuersi meatus cibi & potus; digerant, vt calor stomachi, egerãt, vt expultrix facultas.* CONSCII SEMINVM, *receptacula.* STABVLA, *fœtus latibula.* PRÆSTRVXIMVS, *præmonuimus.* COMMITTI, *comparari.* SALVVM HOMINEM, *integrum in eadem anima & corpore. Consule dicta in Scholio præcedenti.* CARIE DISSOLVTAM. *putredine. alij legunt,* carinam dissolutam. REDACTIS. *restitutis & reparatis omnibus membris, prora, puppi, carina, &c.* TORQVEMVR, *de eius potentia infidelitati proximi laboramus solliciti.* NAVIS RESTITVTIONEM. *eiusdem carnis reparationem, non ad eadem officia carnis mortalis olim exercenda, sed ad ostendendam suam erga hominis carnem largitatem, affectum, &c. & captandam inde potestatis suæ gloriam.* HACTENVS OPERARI, *ita vt deinceps ab infirmæ vitæ negotiis cesset.* IAM VACATVRAM, *inutilem.* SALVTI NAVIS CONVENIAT. *etsi nauis actu mari denuò committenda non sit ad bella, vel quæstus exercendos, quis tamen incongruum dicat eam saluam & integram ad pompam in portu tranquillo resarciri?* HOMINEM SALVTI DESTINANDO, *homini promittendo in Scripturis plenam atque perfectam æternamque salutem, qui quidem non solâ animâ, sed & carne constat; an eumdem hominem, eandemque carnem reparare velit, an aliam anima producere.* LICET ESSE, *potest idem rursum produci, & tamen cessare ab operibus pristinis.* NIHIL APVD DEVM, *Nihil tamen frustra à Deo fiet. verbi gratiâ, licet cesset os & lingua ab esu & potu, non cessabit à Dei laude & eloquio, vt distet à mutis animalibus, illo, vt damnatis blasphemantibus præcellat.* DECERPSIT, *comedit.* ANTE PROPHETAVIT. *mysterium Incarnationis prænuntiauit, quod Paulus postea exposuit,* Hoc nunc os, ex ossibus meis, &c. Sacramentum hoc magnum, &c. SED ACCEPISTI. *inducit obijcientes.* MACELLVM. *pro eo quod venditur in macello comestibile.* AD HIATVM CORONANDVM. *ordo enim dentium ornamentum & corona quædam est oris hiantis.* TEMPERANDOS. *alij legunt* temporandos; *vt septum sint linguæ, quò mobilitas eius temperatim temperetur.* OFFENSIONE. *allisione formandas.* HONOREM ORIS, *dentibus abstractis dehonestatum.* INFERNA, *partes inferiores seu pudenda.* POTVVM DEFRVTA. *quasi vina decocta; à deferuendo dicta. alij legunt,* defluxura. SANGVINIS, *menstrui.* PIGRIOR SEXVS, *imbecillior, aut senior.* SVFFVNDENDÆ RESVRRECTIONIS. *vt pudore afficiant, & rideant resurrectionem carnis, hæc ab Ethnicis argumenta mutuantur hæretici. Sic enim Ioannes Hierosolymitanus apud Hieronymum,* Vis rursus ossa, sanguinem, membra, vt crescentibus capillis tonsore egeas, nasus pituitas digerat, incrementa vnguium rese-

canda sint, vt per inferiores partes vel stercora, vel libidines effluant? &c. Argumenta verò illa puerorum & infantium, & senum, & ciborum, & stercorum, quibus aduersum Ecclesiam veteris, non sunt tua, sed de Gentilium fonte manarunt, eadem enim nobis opponunt hæretici. OPERATIONIS. *laboris.* GENERIS SVPPARATVRA. *Propagatio prolis. hæc enim duo infirmitati naturæ occurrunt; & prolificatio conseruat speciem morte alias destruendam; & victus indiuiduæ naturæ.* GRAVIS MEMBRIS. *renes enim graues exonerantur semine.* VACARE LICEBIT. *poterunt etiamnum intestina & pudenda, ieiunio & continentia vacare ab officiis: sicut Moyses, & Elias, de quibus alibi, iam in se statum resurrectionis delineantes, à cibis & vxoribus abstinent. Vnde Hieron. ad Pammachium,* Tanto, inquit, tempore in eadem permanent ætate quâ rapti sunt: habent dentes, ventrem, genitalia, & tamen nec cibis, nec vxoribus indigent. IAM VACARE EST. *Possunt esse membra sine officio & vsu; ita vt nihilominus homo sit saluus & integer, &c.*

S. Aug. *Augustinus libro 22. de Ciuit. cap. 24. in fine, de statu Resurrectionis, in eodem spiritu, & carne perfectis.* Qualis, inquit, erit spiritus hominis, nullum omninò habens vitium, nec sub quo iaceat, nec cui cedat, nec contra quod saltem laudabiliter dimicet, pacatissima virtute perfectus? rerum ibi omnium quanta, quam speciosa, quam certa scientia, sine errore aliquo vel labore, vbi Dei Sapientia de ipso suo fonte potabitur, cum summa fœlicitate, sine vlla difficultate? quale erit corpus, quod omnino spiritui subditum, & eo sufficienter viuificatum, nullis alimoniis indigebit? Non enim animale, sed spiritale erit, habens quidem carnis, sed sine vlla carnali corruptione substantiam. *Et cap. 30.*

S. Aug. Quanta, inquit, erit illa fœlicitas, vbi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus? nam quid aliud agatur, vbi neque vlla desidia cessabitur, neque vlla indigentia laborabitur, nescio. Admoneor etiam sancto Cantico, vbi lego, vel audio: Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Omnia membra & viscera incorruptibilis corporis, quæ nunc videmus per vsus necessitatis varios distributa, quoniam tunc non erit ipsa necessitas, sed plena, certa, secura, sempiterna fœlicitas, proficient in laudibus Dei. *Seruient quasi instrumenta ad laudandum Deum.* Omnes

S. Aug. quippe illi de quibus iam sum locutus, qui nunc latent harmoniæ corporalis numeri non latebunt, intrinsecus & extrinsecus, per corporis cuncta dispositi, & cum cæteris rebus, quæ ibi magnæ atque mirabiles videbuntur, rationales mentes in tanti artificis laudem, rationalis pulchritudinis delectatione succendent. Qui motus illic talium corporum sint futuri, temerè definire non audeo, quod excogitare non valeo: tamen & status, & motus, sicut ipsas species, decens erit quicumque erit, vbi quod non decebit, non erit. *Et lib. 13. de Ciuit. cap. 22. probat non potestatem, sed necessitatem cibi, & potus corporibus beatis auferendam.*

S. Aug. Corpora, inquit, Sanctorum quæ in resurrectione futura sunt, neque vllo ligno indigebunt, quo fiat vt nullo morbo vel senectute inueterata moriantur: neque vllis aliis corporalibus alimentis, quibus esuriendi aut sitiendi qualiscumque molestia deuitetur: quoniam certo, & omnimodo inuiolabili munere immortalitatis induentur, vt non nisi velint, possibilitate, non necessitate vescantur. Quòd Angeli quoque visibiliter & tractabiliter apparentes, non quia indigebant, sed quia volebant & poterant, vt hominibus congruerent, sui ministerij quadam humanitate fecerunt. Neque enim in phantasmate Angelos edisse credendum est, *idem repetit ep. 99. ad Deogratias, quæstione 1. Et post eum Halensis 2. p. q. 38. membro 4. & Scotus in 2. sent. dist. 8. quia existimant comestionem non esse actionem vitalem. Et quidem si comestio sumatur pro contritione cibi, & eius in ventrem traiectu, verè comedere potuerunt: si pro actione procedente à principio vitæ coniuncto, siue potentia vitali quâ cibus conuertitur in substantiam edentis, non possunt Angeli comedere.*

S. Aug. Quando eos homines hospitio susceperunt: quamuis verùm Angeli essent, ignorantibus, consimili nobis indigentia vesci viderentur. Vnde est quod ait Angelus in libro Tobiæ: videbatis me manducare, sed visu vestro videbatis: id est necessitate reficiendi corporis sicut vos facitis, me cibum sumere putabatis. Sed si fortè de Angelis aliud credibilius disputari potest: certè fides Christiana de ipso Saluatore non dubitat: quod etiam post resurrectionem, iam quidem in spiritali carne, sed tamen vera, cibum ac potum cum discipulis sumpsit. *De quo Beda in Luc. aliter, inquit, aquam absorbet, terra sitiens; aliter Solis radius calens. Illa indigentia, iste potentia. Itaque cibus ille à Domino non est, vt à nostris corporibus solet, sumptus: sed gloria illa consumptus, non versus in corporis substantiam.* Non enim potestas, sed egestas edendi ac bibendi talibus corporibus auferetur. Vnde & spiritalia erunt: non quia corpora esse desistent, sed quia spiritu viuificante subsistent. *Et ser. 147. de temp.*

S. Aug. Quærunt, inquit, homines, vtrùm corruptio ista corporis quam sentiunt in carne sua, futura sit in resurrectione mortuorum? Dicimus non futuram. Respondent nobis, si corruptio non erit, quare manducabitur? aut si non manducabitur, quare post resurrectionem Dominus manducauit? &c. legistis quia manducauit, numquid legistis quia esuriuit? quod manducauit, potestatis fuit, non egestatis. Rursus si manducare non posset, minus valeret. Numquid & Angeli, quando suscepti sunt hospitio à Patribus nostris, non manducauerunt? & tamen corruptibiles non fuerunt.

5. *Resurgent eadem corpora, vt in iudicio, propria carnis quisque recipiat: quod multò credibilius est Metempsychosi Pythagoræ. Apol. cap. 48. in p.*

AGe iam, si qui philosophus affirmet, vt ait Laberius de sententia Pythagoræ, hominem fieri ex mulo, colubram ex muliere, & in eam opinionem omnia argumenta eloquij virtute distorserit, nonne consensum mouebit, & fidem infiget, etiam ab animalibus abstinendi? proptereaque persuasum quis habeat, ne fortè bubulam de aliquo proauo suo obsonet? At enim Christianus, si de homine hominem, ipsumque de Caio Caium reducem repromittat, lapidibus magis, nec saltem cæstibus, à populo exigetur. Si quæcunque ratio præest animarum humanarum reciprocandarum in corpora, cur non in eandem substantiam redeant, cùm hoc sit restitui, id esse quod fuerat? Iam non ipsæ sunt quæ fuerant, quia non potuerunt esse quod non erant, nisi desinant esse quod fuerant. Multis etiam iocis & otio opus erit, si velimus ad hanc partem lasciuire. quis in

quam

quam bestiam reformari videretur. Sed de nostra magis defensione, qui proponimus multò vtique dignius credi, hominem ex homine rediturum, quemlibet pro quolibet, dum hominem: vt eadem qualitas animæ in eandem restauretur conditionem, etsi non effigiem. Certè quia ratio restitutionis destinatio iudicij est, necessariò idem ipse qui fuerat, exhibebitur, vt boni seu contrarij meriti iudicium à Deo referat.

RESVRGENT EADEM CORPORA. 5. SCHOL.

SI QVI. Si quis, Laberio Poëtæ similis, & sectator sententiæ Pythagoricæ vi eloquentiæ suæ, & Sophismatis extorserit consensum ab auditoribus, posse hominis animam post suam in mulum transmigrationem, reuolui rursum in corpus humanum, & ex muliebri carne, in corpus colubræ, profectò firmiter suadebit cum Pythagora, vt ab animalibus abstineant, ne fortè obsonium sibi, de aliquo ex suis proauis in bubula carne præparet ad edendum. Si verò Christianus veram corporum nostrorum resurrectionem coram gentilibus prædicet, & Caium verbi gratiâ, vel Carolum, vnum eundemque hominem resolutum in cineres, reuocandum ad vitam promittat, non tantùm pugnis, sed & lapidibus à populo abigetur, velut insanus. SI RATIO PRÆEST, *certè si qua ratio Philosophica præualet, & suadet, animas hominum rediturus in aliqua corpora, longè rationabilius est vt in eadem redeant, vt tunc propriè iidem homines redisse credantur ad* B *vitam. Aliàs non eadem personæ erunt, si desinant esse ipsæmet quæ fuerant. Quia, verbi gratiâ si Caius transmutatus est in mulum, certè mulus non potuit esse id quod non erat, nisi desinat esse Caius quod erat.* LASCIVIRE. *Luxuriari, eloquentiâ superfluâ abundare, vt dicamus & quæramus quis, & qualis homo, in quamnam bestiam transmigrare, potiùs quàm in aliam deberet, quàm multis iocis & otio nobis opus esset.* DE NOSTRA DEFENSIONE, *quantùm ad sententiam Christianam quam tuemur, multò digniùs crederemus vt saltem qualibet humana anima, in humana saltem licet non propria, & non eiusdem staturæ & formæ, tamen conditionis & naturæ humanæ corpora reuocentur.* CERTE QVIA, *quia tamen præcipua causa resurrectionis corporum ad summi* C *iudicis Christi gloriam ordinatur, necessariò iidem homines, in eadem & propria carne resurgere debent, vt iuxta Paulum supra citatum, & per Augustinum expositum, vnusquisque recipiat prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum. Honestiorem longè, & credibiliorem Pythagorica Metempsychosi, siue reciprocatu, & recidinatu animarum resurrectionem docuit Augustinus*

S. Aug. *lib. 10. de Ciuit. c. 30.* Platonem, inquit, animas hominum post mortem reuolui vsque ad corpora bestiarum scripsisse certissimum est. *In Timæo sub finem, libro 10. de Republ. sub finem, & in Phædone. Idipsum crediderunt Manichæi teste Aug. lib. de hæres.*

S. Aug. *hæresi 46. & lib. 5. contra Faustum cap. 10.* hanc sententiam Plato Doctor tenuit & Plotinus: discipulo Porphyrio tamen iure displicuit: in hominum sanè non sua quæ dimiserant, sed in alia noua corpora redire humanas animas arbitratus est. Puduit scilicet illud credere, ne mater fortasse filium in A mulam reuoluta vectaret: & non puduit hoc credere, ne reuoluta mater in puellam, filio forsitan nuberet. Quantò creditur honestiùs, quod sancti & veraces Angeli docuerunt: quod Prophetæ Dei spiritu acti locuti sunt; quod ipse, quem venturum Saluatorem præmissi Nuntij prædixerunt: quod missi Apostoli, qui orbem terrarum Euangelio repleuerunt? Quantò, inquam, honestiùs creditur reuerti semel animas ad corpora propria, quàm reuerti toties ad diuersa? *Et lib. 13. de Ciuit. c. 19. vbi de Platonis sententia.* Ita, inquit, animas mortalium, nec in suis corporibus semper esse posse existimat, S. Aug. sed mortis necessitate dissolui; nec sine corporibus durare perpetuò, sed alternantibus vicibus indesinenter viuos ex mortuis, & ex viuis mortuos fieri putat: vt à cæteris hominibus hoc videantur differre sapientes, quòd post mortem feruntur ad sydera, vt aliquantò diutius in astro sibi congruo quisque requiescat, atque inde rursus miseriæ pristinæ oblitus, & cupiditate habendi corporis victus, redeat ad labores, ærumnasque mortalium. Illi verò qui stultam duxerint vitam, ad corpora suis meritis debita, siue hominum, siue bestiarum de proximo reuoluantur. In hac itaque durissima conditione constituit etiam bonas atque sapientes animas, quibus non talia corpora distributa sunt, cum quibus semper atque immortaliter viuerent, vt neque in corporibus permanere, neque sine his possent in æterna puritate durare. *Tum de Porphyrio erubescente de Christianorum sententia;* Itaque, inquit, ne à Christo vinci videretur, vitam sanctis pollicente perpe- S. Aug. tuam etiam ipse purgatas animas, sine vllo ad miserias pristinas reditu, in æterna fœlicitate constituit: & vt Christo aduersaretur, resurrectionem incorruptibilium corporum negans, non solùm sine terrenis, sed sine vllis omnino corporibus, eas asseruit in sempiternum esse victuras, &c. Si non audebunt isti diis beatissimis, & tamen in æternis corporibus constitutis, animas anteponere: cur eis videtur absurdum quod fides Christiana prædicat, & primos homines ita fuisse conditos, vt si non peccassent, nulla morte à suis corporibus soluerentur: sed pro meritis obedientiæ custoditæ, immortalitate donati, cum eis viuerent in æternum; Et talia sanctos in resurrectione habituros, ea ipsa in quibus hîc laborauerunt, corpora, vt nec eorum carni aliquid corruptionis, vel difficultatis, nec eorum beatitudini aliquid doloris & infœlicitatis possit accidere?

6. *Resurrectio cur differtur vsque ad iudicium; de Car. Chris. cap. 15. in f.*

SEd & nostra caro statim resurgere debebat, expecta. Nondum inimicos suos Christus Psal. 109. 2. oppressit, vt cum amicis, de inimicis triumphet.

RESVRRECTIO CVR DIFFERTVR. 6. SCHOL.

SED ET NOSTRA. *Inducit obiicientem sibi, statim vel* D *saltem triduo post mortem corpora nostra exemplo Christi resurgere debuisse.* EXPECTA. *Respondet Tertullianus priùs implendam Prophetiam Psaltis Psalmo 109. 2.* Sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. *August. in Præfatione eiusdem*

S. Aug. *Psalmi;* O homo, inquit, quomodo te Deus factum non computauit, qui vt fieres ante curauit? cùm te in ordine rerum conditarum numerari non putas, noli credere seductori, capilli tui numerati sunt à Conditore. Hoc denique Dominus in Euangelio discipulis suis ait, ne mortem timerent, ne aliquid suum in morte periturum putarent. Illi in morte de animabus suis pertimescebant, ille ipsis securitatem iam de capillis dabat. Itane verò anima perit, cuius capillus non perit? verumtamen fratres, quia incredibile videbatur hominibus quod promittebat Deus, ex hac mortalitate, corruptione, abiectione, infirmitate, puluere & cinere futuros homines æquales Angelis Dei, non solùm Scripturam cum

hominibus fecit, *quasi proprio se obstringens Chirographo*, vt crederent: sed etiam fidei suæ posuit mediatorem, non quemlibet principem, aut quemlibet Angelum, vel Archangelum, sed vnicum filium suum,
vt quâ viâ nos perducturus esset ad illum finem
quem promisit, per eum ipsum filiũ suum & osten-
S. Aug. deret, & præberet. *Et in verba præcitata Psalmi.* Duas
res, inquit, hîc dicit, quia & dixit Deus, sede à dex-
tris meis: & addidit; donec ponam inimicos tuos,
&c. non vides Christum sedentem ad dexteram Pa-
tris: nec hoc videre potes quomodo ponantur ini-
mici eius, scabellum pedum eius, &c. inimicus eras,

A eris sub pedibus eius, aut adoptatus, aut victus.
Quære ergo quem locũ habeas sub pedibus Domini
Dei tui: nam necesse est, vt habeas, aut gratiæ, aut pœ-
næ. Sedet ergo ad dexteram Dei donec, &c. hoc fit,
hoc agitur: & si paulatim peragitur, indesinenter agi-
tur. Fremuerunt enim gentes, & populi meditati sunt
inania. Astiterunt reges terræ, &c. numquid fremen-
do, numquid meditando inania, numquid in vnum
aduersus Christum conueniendo, efficient vt non
impleatur, dabo tibi gentes hæreditatẽ tuam, & pos-
sessionem tuam terminos terræ? implebitur omnino,
& in illis frementibus, & in illis inania meditantibus.

RESVRRECTIONIS FIDEM, QVI, ET QVOMODO IMPVGNENT.

1. *Resurrectio à Philosophis & hæreticis negata, probatur ab Apostolo. 5. cont. Marc. cap. 9. à p.*

MOrtuorum resurrectionem quomodo quidam tunc negarint, priùs dispiciendum est. Vtique eodem
modo quo & nunc. Siquidem semper resurrectio carnis negatur. Ceterùm, animam & sapientium
plures diuinam vindicantes, saluam repromittunt, & vulgus ipsum ea præsumptione defunctos colit, quâ
animas eorum manere confidit. Ceterùm, corpora aut ignibus statim, aut feris, aut etiam diligentissimè
condita, temporibus tamen aboleri manifestum est. Si ergo carnis resurrectionem negantes Apostolus re-
tundit, vtique aduersus illos tuetur, quod illi negabant, carnis scilicet resurrectionem. Habes compendiò
responsum. Cætera iam ex abundanti. Nam & ipsum quod Mortuorum resurrectio dicitur, exigit defendi
proprietates vocabulorum. Mortuum itaque vocabulo non est, nisi quod amisit animam, de cuius facultate
viuebat. Corpus est quod amittit animam; & amittendo fit mortuum: ita mortui vocabulum corpori com-
petit. Porrò, si resurrectio mortui est, mortuum autem non aliud est quàm corpus, corporis erit resurrectio.
Sic & Resurrectionis vocabulum non aliam rem vindicat, quàm quæ cecidit. Surgere enim potest dici &
quod omnino non cecidit, quod semper retrò jacuit. Resurgere autem non est nisi eius quod cecidit. Iterum
enim surgendo quia cecidit, resurgere dicitur. Re enim syllaba iterationi semper adhibetur. Cadere ergo di-
a Gen. 3. 19. cimus corpus in terram per mortem, sicut & res ipsa testatur, ex Dei lege. corpori enim dictum est,
a *Terra es, & in terram ibis.* Ita quod de terra est, ibit in terram Hoc abit, quod in terram ibit; hoc resurgit,
b 1. Cor. 15. 21 quod cadit. b *Quia per hominem mors, & per hominem resurrectio.*

RESVRRECTIO A PHILOSOPHIS, &c. 1. SCHOL.

QVIDAM TVNC, *viuente Christo & Apostolo.* ET
NVNC *a plerisque hæreticis sicut ab Ethnicis.* SEMPER
NEGATVR *omni tempore habuit, & etiamnum habet, &*
habitura est impugnatores incredulos. ANIMAM DIVI-
NAM. *A Deo conditam, & diuinitatis participem multi*
Philosophi asseruerunt. SALVAM. *Immortalem.* EX PRÆ-
SVMPTIONE, *quia post mortem corporis, defunctorum ani-*
mas viuere præsumit. CONDITA, *aromatibus, scilicet,*
magna cura sepulta. ABOLERI *dissolui.* MORTVVM VO-
CABVLO. *Vt sonat nomen.* CORPORIS ERIT. *Ad corpus*
propriè pertinebit resurrectio, quod solum propriè moritur,
non autem ad animam cui hæretici iustificatæ & suscita-
tæ à morte peccati, resurrectionem tribuebant. QVÆ CECI-
DIT. *Vnde iuxta Aug. cadauera cadendo dictum.* RE-
TRO, *priùs* RE SEMPER. *Tamen apud ipsum Tertullia-*
num non significat semper iterationem, frequenter enim
vtitur verbo, repromittere, retractare, &c. quia ferè sem-
per vtitur compositis quæ vehementer affectat, simplicia
dedignatus. HOC ABIT. *Dissoluitur in terram.* TERRA
ES. *Aug lib. 20. de Ciuit. cap. 20. Vtrumque simul &*
Genesis & Pauli locum exponit, de morte necessariò præce-
dente resurrectionem. Ad hunc, inquit, sensum quo
S. Aug. existimemus etiam illos quos hîc viuos inuenturus
est Dominus, in ipso paruo spatio & passuros mor-
tem, & accepturos immortalitatem, ipse Apostolus
nos videtur vrgere, vbi dicit, in Christo omnes vi-
uificabuntur: cùm alio loco de ipsa loquens resurre-
ctione corporum, dicat: tu quod seminas, non viui-
ficatur, nisi moriatur. Quomodo igitur, quos viuen-
tes, hîc Christus inueniet, per immortalitatem in illo
viuificabuntur, etsi non moriantur, cum videamus
propter hoc esse dictum, tu quod seminas, non viui-
ficatur, nisi priùs moriatur? aut si rectè non dicimus
seminari nisi ea corpora hominum, quæ moriendo

B quoquo modo reuertuntur in terram: sicut sese ha-
bet etiam illa in transgressorem Patrem generis hu-
mani diuinitus prolata sententia: terra es, & in ter-
ram ibis: fatendum est istos quos nondum de cor-
poribus egressos, cùm veniet Christus, inueniet: &
in istis verbis Apostoli, & illis de Genesi, non teneri,
quoniam sursum in nubibus rapti, non vtique semi-
nantur, quia nec eunt in terram, nec redeunt: siue
nullam prorsus experiantur mortem, siue paululum
in aëre moriantur. Sed aliud rursus occurrit quod
idem dicit Apostolus, cùm de resurrectione corpo-
rum ad Corinthios loqueretur: *1. Cor. 15. 51. translat.*
Syr. obdormiemus, quam lectionem probat Hiero. in Isa. 51.
& epist. 152. ad Mineruium, ut & Aug. ep. 146. ad Con-
sentium. Et quæst. 3. ad Dulcitium vtramque refert lectio-
C *nem idem probantem, quòd omnes dormientes à somno mor-*
tis ad vitam excitandi sint. Omnes resurgemus: vel si- S. Aug.
cut alij codices habent, omnes dormiemus. Cùm er-
go nec resurrectio fieri possit, nisi mors præcesserit:
nec dormitionem possimus illo loco intelligere nisi
mortem, quomodo omnes vel dormient, vel resur-
gent, si tam multi quos in corpore inuenturus est
Christus, nec dormient, nec resurgẽt &c. nec ab illa
sententia quâ homini dictum est: terra es, & in ter-
ram ibis, futuros illos sanctos arbitremur immunes,
si eorum morientium, in terram non recident corpo-
ra: sed sicut in ipso raptu morientur, ita & resurgent
dum feruntur in aëra. In terram quippe ibis, & in
hoc ibis amissâ vitâ, quod eras antequam sumeres
vitam: id est hoc eris exanimis, quod eras, antequam
esses animatus. Terræ quippe insufflauit Deus in fa-
ciem flatum vitæ, cùm factus esset homo in animam
viuam: tanquam diceretur: terra es animata, quod
non eras: terra eris exanimis sicut eras.

2. *Resurrectionem negantes Sadducæi, aliique hæretici carnis Christi inimici, à Christo conuicti verbo & facto. De Resur. cap. 2. in p.*

Matth. 22. 24. & seq. SI verò & apud Deum aliqua secta est, Epicureis magis adfinis quàm Prophetis; scie-
mus quid audiant à Christo Sadducæi. Christo enim seruabatur, omnia retrò occul-
ta nudare, dubitata dirigere, prælibata supplere, prædicata repræsentare: mortuorum

certè resurrectionem, non modò per semetipsum, verùm etiam in semetipso probare. Nunc autem ad alios Sadducæos præparamur; partiarios sententiæ illorum. Ita dimidiam agnoscunt resurrectionem, solius scilicet animæ; aspernati carnem, sicut & ipsum dominum carnis. Nulli denique alij salutem corporali substantiæ inuident, quàm alterius diuinitatis hæretici. Ideoque & Christum aliter disponere coacti, ne Creator carnis habeatur, in ipsa prius carne eius errauerunt; aut nullius veritatis contendentes eam, secundùm Marcionem & Basilidem, aut propriæ qualitatis, secundùm hæreses Valentini, & Apellem. Atque ita sequitur, vt salutem eius substantiæ excludant, cuius Christum consortem negant; certi illam summo præiudicio resurrectionis instructam, si iam in Christo resurrexit caro. Propterea & nos volumen præmisimus, De carne Christi; quo eam & solidam probamus, aduersum phantasmatis vanitatem, & humanam vindicamus, aduersus qualitatis proprietatem; cuius conditio, Christum & hominem, & filium hominis inscripserit. Carneum enim atque corporeum probantes eum, proinde & obducimus, præscribendo nullum alium credendum Deum præter Creatorem, dum talem ostendimus Christum, in quo dignoscitur Deus, qualis promittitur à Creatore. obducti, dehinc de Deo carnis auctore, & de Christo carnis redemptore, iam & de resurrectione carnis reuincentur. Congruenter scilicet. & hoc fermè modo dicimus ineundam cum hæreticis disceptationem.

3. *Resurrectionis fidem & spem subuertentes hæretici, credentes auertunt à fide veri Dei. De Resur. cap. 2. in m.*

CErti, quàm laborent in alterius diuinitatis insinuatione, aduersus Deum mundi, omnibus naturaliter notum, de testimoniis operum; certè & in Sacramentis priorem, & in prædicationibus manifestiorem; sub obtentu quasi vrgentioris causæ, id est, ipsius humanæ salutis ante omnia requirendæ, à quæstionibus resurrectionis incipiunt: quia duriùs creditur resurrectio carnis, quàm vna diuinitas: atque ita tractatum, viribus ordinis sui destitutum, & scrupulis potiùs oneratum depreciantibus carnem, paulatim alterius diuinitatis temperant sensum, ex ipsa spei concussione & demutatione. Deiectus enim vnusquisque vel motus de gradu eius spei quam susceperat apud Creatorem, facilè iam declinatur ad alterius spei auctorem, etiam vltrò suspicandum. Per diuersitatem enim promissionum, diuersitas insinuatur deorum. Sic multos inretitos videmus, dum antè de resurrectione carnis eliduntur, quàm de vnione diuinitatis elidunt. Igitur, quantùm ad hæreticos, demonstrauimus quo cuneo occurrendum sit à nobis; & occursum est iam suo quoque titulo. de Deo quidem vnico, & Christo eius, aduersus Marcionem: de carne verò Domini, etiam aduersus quatuor hæreses; ad hanc maximè quæstionem præstruendam, vti nunc de sola carnis resurrectione ita digeram, tanquam penes nos incertum, dum sit quoque certum penes Creatorem. Nam & multi, rudes; & plerique sua fide dubij, & simplices: plures, quos instrui, dirigi, muniri oportebit; quia & hoc latere, vnio diuinitatis defendetur. Sicuti enim negatâ carnis resurrectione, concutitur; ita vindicatâ constabilitur.

RESVRRECTIONEM. NEGANTES. 2. & 3. SCHOL.

APVD DEVM. *In populo Dei. Inter credentes.* ALIQVA SECTA. *hæresis. Licet frequenter pro cœtu fidelium sumat.* QVID AVDIANT, *quo in odore, vel æstimatione fuerint apud Christum, vel quod ab eo responsum acceperint, de quo in fine huius Scholy.* CHRISTO SERVABATVR. *Expectabatur Christus legem impleturus, & quæ à Prophetis obscurè & strictim prædicta fuerant, & quasi sub nubilo, & dubia in luce dicta, clarè & apertè, non solùm voce sua, sed in seipso aliisque per se suscitatis demonstrare.* SADDVCÆOS PARTIARIOS. *Qui quidem partes Sadducæorum sequuntur, quòd omnino negent resurrectionem carnis, sicut & Creatorem eius, & solam animarum resurrectionem agnoscunt.* SALVTEM. *Integram restitutionem,* ALTERIVS DIVINITATIS, *qui alium Deum colunt quàm Creatorem.* CHRISTVM ALITER DISPONERE. *Alterius Dei filium, & carnem è cælo, vel phantasticam, & non veram de virgine sumpsisse.* ET APELLEM *secundum hæresim Apellis, qui dicit carnem Christi sydeream, vt Valentinus spiritalem: Marcion autem & Basilides, phantasticam. Ex quo sequitur vt carni incorruptelam denegent, quam Christus ipse non habuit veram.* VINDICAMVS. *Asserimus.* INSCRIPSERIT *Christus à vera & humana carne, verus homo vocatus est.* OBDVCIMVS, *euincimus, conuincimus aduersarium.*

3. DEVM MVNDI, *Creatorem*, cuius inuisibilia à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. IN SACRAMENTIS, *præmissis in veteri lege.* IN PRÆDICATIONIBVS. *Prophetiis, quarum euentu se manifestauit verum esse Deum.* SVB OBTENTV. *Hæretici sine ordine disputant, cùm prius Dei sui noui diuinitatem probare deberent ex aliquibus eius operibus, Prophetiis, &c. Statim ordiuntur ab articulo resurrectionis carnis longè difficilioris creditu, quàm sit vna diuinitas, vt resurrectione explosa, Creatorem quoque carnis à diuinitate expellant; idque agunt sub prætextu humanæ salutis, quam cunctis præponendam asserunt.* DEPRECIANTIBVS CARNEM. *Cùm ordine immutato scrupulos ingesserint, quibus carnem humanam vilescere apud auditores faciunt, sensim alium Deum, meliorem scilicet, & spiritalium & inuisibilium authorem, infirmiorum animis insinuant, euertendo & commutando spem omnem resurrectionis carnis, in animæ suscitationem, & immortalitatem.* INRETITOS, *irretitos, captos*

argumentis hæreticorum. ELIDVNTVR. *Vincuntur, prosternuntur.* DE VNIONE, *unitate.* SVO TITVLO. *Proprio argumento, scilicet libris inscriptis contra Martionem, quibus unicum Deum Creatorem, & Christum eius filium comprobauit.* QVATVOR HÆRESES. *Marcionem intelligit, Apellem, & Valentinum, quos expreßè nominat libro de carne Christi. Hic autem & Basilidem iunxit Saturnini discipulum. Alij malunt primam hæresim fuisse Martionis & Basilidis: secundam Apellis. Tertiam & quartam Valentinianorum: vnam quidem de carne Chisti animali, alteram de carne Christi spiritali.* QVÆSTIONEM PRÆSTRVENDAM. *Præmittendam, quasi fundamentum verum, vera resurrectionis nostræ carnis, sit, vera Christi caro, & resurrectio.* VTI NVNC. *Sicut nunc tractabo de resurrectione carnis, certa quidem secundùm fidem, disputabilem autem cum hæreticis, vt rudiores, vel dubios instruam.* HOC LATERE, *hac parte, hoc modo tuebimur non nisi vnicum esse Deum, eumque omnium, & carnis humanæ Creatorem, cuius vnicæ diuinitatis fides, pendet ab hoc articulo, vt negata vel defensa & firmiter credita resurrectione velut maximo argumento diuinæ potentiæ, vel negetur, vel credatur omnipotens. Tria hic cum Augustino excutienda sunt: primò quod præstrinstrinxit Tertullianus de quæstione Sadducæorum resurrectionem irridentium; Secundò de hæreticis negantibus resurrectionem. 2. de certa resurrectionis fide. Quoad primum, sic tract. in Psal. 43.* Noli, inquit, talia sperare tibi danda à Deo, qualia hîc iubet contemnere. Hæc enim sperabant Iudæi, ideo turbabantur in illa quæstione. Nam & ipsi resurrectionem sperant, sed ad tales voluptates corporis se sperant resurrecturos, quales hîc amant viuentes. Ideo cùm eis proponeretur quæstio illa à Sadducæis qui non credunt resurrectionem, de illa muliere quæ nupsit septem fratribus sibimet succedentibus, cuius eorum in resurrectione futura erat, vox deficiebat, & respondere non poterant. At verò Domino quando est proposita, quia nobis talis resurrectio promittitur, non quâ repetantur huiusmodi voluptates, sed quâ æterna de ipso Deo gaudia comparentur, respondit Dominus, & ait: erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei: in resurrectione enim, neque nubent, neque vxores ducent, non enim incipient mori, id est, ibi non quæritur successor *cuius causa ad reparandam speciem morte destruendam, nisi indiuidua multiplicarentur*, vbi non erit decessor. Et quid erit? sed erunt, inquit, æquales Angelis Dei. Nisi fortè putas, quod Angeli epulis quotidianis, & vino quo te inebrias, *maximè in nuptiis*, gaudeant, aut hoc fortè arbitraris, quòd Angeli vxores habeant. Nihil eorum est apud Angelos. Vnde gaudent Angeli, nisi vnde Dominus ait: nescitis quia Angeli eorum semper vident faciem Patris? Si ergo ad faciem Patris gaudent Angeli, ad tale gaudium te præpara. Aut si inuenis melius quàm videre faciem Dei, illuc te præpara. Væ tali amori tuo, si vel suspicaris aliquid pulchrius, quàm est ille à quo est omne pulchrum; quod te teneat, ne illum cogitare merearis. Dominus in carne erat, & apparebat homo hominibus. Qualis apparebat, iam dixi, homo hominibus. Quid magnum apparebat? caro carni. Quid magnum apparebat, de quo dictum est, vidimus eum, & non habebat speciem neque decorem? de quo item dicitur, speciosus formâ præ filiis hominum. Vt homo non habebat speciem neque decorem, sed speciosus formâ ex eo, quod est præ filiis hominum. Ideo formam illam, de forma carnis ostendens oculis intuentium, quid ait? qui diligit me, mandata mea custodit: & qui diligit me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & ostendam illi meipsum. Quem videbant, ostensurum se illis promittebat. Sed quid est hoc? quasi diceret, videtis formam serui, occulta est forma Dei. Per hanc vobis blandior, illam vobis seruo. Hac vos paruulos nutrio, illâ grandes pasco. *Quòd si Petrus visâ facie transfigurata in Thabor, in extasi positus exclamauit, bonum est nos hîc esse; quid erit cum in carne gloriosa, carnem Christi videbimus gloriosam? Iam cum Iob dicamus:* in carne mea videbo Deum Saluatorē meum, quem visurus sum ipse & non alius, &c. reposita est hæc spes mea in sinu meo. *Aug. lib. 22. de Ciuit. cap. 29.* Illud, inquit, quod scriptum est: & videbit omnis caro salutare Dei, sine vllus nodo difficultatis, sic intelligi potest, ac si dictum fuerit, & videbit omnis homo *in eadem carne suscitatus* Christum Dei, qui vtique in corpore visus est, & in corpore videbitur, quando viuos & mortuos iudicabit, &c. illud etiam quod ait supra memoratus Iob, *quasi Christum in carne videns, dum ait; in obauditu auris obaudiebam te priùs, nunc autem oculus meus videt te, propterea despexi memetipsum, & distabui, & existimaui me terram & cinerem.* Sicut in exemplaribus, quæ ex Hebræo sunt, inuenitur: & in carne mea videbo Deum: resurrectionem quidem carnis sine dubio prophetauit; non tamen dixit, per carnem meam: quod quidem si dixisset, posset Deus Christus intelligi, qui per carnem, in carne videbitur: nunc verò potest & sic accipi: in carne mea videbo Deum: ac si dixisset, in carne mea ero, cùm videbo Deum. *De hæreticis negantibus resurrectionem; præter citatos à Tertulliano Augustinus recenset Simonianos. Sic enim to. 6. libro de hæresibus hæresi.* 1. Negabat, inquit, etiam carnis resurrectionem. *Et de Carpocrate hæresi. 7.* Resurrectionem corporis simul cum lege abiiciebat, negabat mundum à Deo factum, sed nescio à quibus virtutibus. *De Valentino hæresi.* 11. Carnis resurrectionem negat, animam tantùm & spiritum per Christum salutem accipere affirmans. *De Caianis Caim honorantibus, & Iudam, hæresi.* 18. Blasphemant, inquit, legem, & Deum legis authorem, carnisque resurrectionem negant. *De Cerdonianis à Cerdone nominatis, hæresi.* 21. Deum, inquit, legis, ac Prophetarum non esse Patrem Christi, nec bonum Deum esse, sed iustum; Patrem verò Christi bonum: Christumque ipsum natum ex fœmina, neque habuisse carnem, nec verè mortuum, vel quidquam passum, sed simulasse passionem, &c. resurrectionem mortuorum negant, spernunt etiam testamentum vetus. *De Seleucianis & Hermianis hær.* 59. Negant, inquit, Saluatorem in carne sedere ad dexteram Patris, sed eâ se exuisse perhibent, eamque in Sole posuisse, accipientes occasionem de Psalmo, vbi legitur; in Sole posuit tabernaculum suum. Negant etiam visibilem paradisum, &c. resurrectionem non putant futuram, sed quotidie fieri in generatione filiorum. *De Manichæis lib. 4. cont. Faust. cap. 2.* Hymenæus & Phyletus qui circa veritatem aberrauerunt, dicentes resurrectionem iam factam esse, & fidem quorumdam subuerterunt. Ex qua vena falsitatis vos manare cognoscite, qui dicitis nunc esse resurrectionem tantummodò animarum per prædicationem veritatis, corporum autem, quam prædicauerunt Apostoli, futuram negatis. *Et in ep. 119. ad Ianuarium.* Nonnulli attendentes verba quæ assiduè dicit Apostolus, quia & mortui sumus cum Christo, & resurreximus cum eo, nec intelligentes quatenus dicatur, arbitrati sunt iam factam esse resurrectionem, nec vllam vlterius in fine temporum esse sperandam. Ex quibus est Hymenæus & Phyletus qui circa veritatem aberrauerunt, &c. Idem Apostolus eos arguens detestatur qui tamen dicit, nos resurrexisse cum Christo. Vnde? nisi quia hoc per fidem, & spem, & dilectionem factum esse dicit in nobis secundùm primitias spiritus? sed quia spes quæ videtur non est spes, &

ideo si quod non videmus speramus, per patientiam expectamus: restat vtique redemptio corporis nostri, quam expectantes, in nobismetipsis ingemiscimus. *De fide autem resurrectionis sic tomo 3. lib. de fide & Symbolo cap. 10.* Quoniam, inquit, & ipsa anima mundatur, recipiens stabilitatem naturæ suæ dominante spiritu, qui sibi caput est, *superiorem intelligit animæ partem, nempe spiritum* cui eius capiti caput est Christus, non est desperandum etiam corpus restitui naturæ propriæ: sed vtique non tam citò quàm anima, sicut nec anima tam citò, quàm spiritus, sed tempore opportuno: in nouissima tuba, cùm mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Et ideo credimus & carnis resurrectionem: non tantùm quia reparatur anima, quæ nunc propter carnales affectiones, caro nominatur; sed hæc etiam visibilis caro, quæ naturaliter est caro, cuius nomen anima, non propter naturam, sed propter carnales affectiones accepit. Hæc ergo visibilis quæ caro propriè dicitur, sine dubio credenda est resurgere. Videtur enim Paulus Apostolus eam tanquam digito suo ostendere, cùm dicit, oportet corruptibile hoc induere incorruptionem. Cum enim dicit, hoc, in eam quasi digitum intendit. Quod autem visibile est, id potest digito ostendi: quoniam posset & anima corruptibilis dici, nam vitiis eorum ipsa corrumpitur; & mortale hoc induere immortalitatem, cùm legitur, eadem significatur visibilis caro, quia in eam identidem velut digitus intenditur. Potest enim & anima sicut corruptibilis propter morum vitia, ita etiam mortalis dici. Mors quippe animæ est apostatare à Deo, quod primum eius peccatum in paradiso sacris Literis continetur. Resurget igitur corpus secundùm Christianam fidem, quæ fallere non potest. Quod cui videtur incredibile, qualis nunc sit caro attendit, qualis autem futura sit, non considerat: quia illo tempore immutationis Angelicæ, non iam caro erit & sanguis, *alij legunt corruptibilis*, sed tantùm corpus. *Scilicet substantia corporea quidem, sed non vt nunc corruptioni subiecta.*

S. Aug.

4. *Resurrectionem carnis quasi indignæ iisdem cum Ethnicis hæretici rationibus, & spurciloquiis impugnant. De Resur. cap. 4. à p. ad f. & 5. in p.*

AN aliud priùs vel magis audias tam ab hæretico, quàm ab ethnico? & non protinus, & non vbique conuicium carnis, in originem, in materiam, in casum, in omnem exitum eius? immundæ à primordio ex fæcibus terræ, immundioris deinceps ex seminis sui limo, friuolæ, infirmæ, criminosæ, onerosæ, molestæ? & post totum ignobilitatis elogium, caducæ in originem terram, & cadaueris nomen; & de isto quoque nomine perituræ in nullum inde iam nomen, in omnis iam vocabuli mortem? Hancne ergo vis sapiens, & visui & contactui & recordatui tuo ereptam, persuadere quòd se receptura quandoq; sit in integrũ de corrupto, in solidum de casso, in plenum de inanito, in aliquid omnino de nihilo? & vtiq; redhibentibus eam ignibus & vndis, & aluis ferarum, & rumis alitum, & lactibus piscium, & ipsorum temporum propriâ gulâ? Adeone autem eadem sperabitur quæ intercidit, vt claudus, & luscus, & cæcus, & leprosus, & paralyticus reuertantur, vt redisse non libeat ad pristinum? an integri, vt iterum talia pati timeant? Quid tum de consequentiis carnis? Rursusne omnia necessaria illi, & in primis pabula atque potacula, & pulmonibus natandum, & intestinis æstuandum, & pudendis non pudendum, & omnibus membris laborandum? rursus, vlcera, & vulnera, & febris, & podagra, & mors redoptanda? Nimirum hæc erunt vota carnis recuperandæ, iterum cupère de ea euadere. Et nos quidem hæc aliquantò honestiùs pro stili pudore. Cæterùm, quantùm etiam spurciloquij licet illorum in congressibus experiri, tam ethnicorum, quàm hæreticorum! Igitur quoniam & rudes quique de communibus adhuc sensibus sapiunt, & dubij, & simplices, per eosdem sensus denuò inquietantur & vbique primus iste in nos aries temperatur, quo carnis conditio quassatur; necessariò & à nobis carnis primùm conditio munietur. CAP. V.

RESVRRECTIONEM CARNIS. 4. SCHOL.

IN ORIGINEM. IN MATERIAM. *Ex luto & spermate.* IN CASVM. *Varios morbos, & infirmitates, & mortem.* CRIMINOSÆ, *quia per sensus, peccata & crimina animam ream facit.* Mors intrauit per fenestras. Oculi mei deprædati sunt animam meam. ONEROSÆ. *Quia* corpus quod corrumpitur aggrauat animam. ELOGIVM, *scilicet turpe & ignominiosum.* CADVCÆ, *reuolubilis in primam terram.* VOCABVLI MORTEM. *Vt deleto omni nomine, nihil vocetur amplius quàm ipsa mors.* SE RECEPTVRA. *In integrum redituram statum, quis sapiens credat?* REDHIBENTIBVS. *Enomentibus, & restituentibus.* RVMIS ALITVM. *Ex Augustino Dea Rumia mammis & lactentibus præest. Ruma ex Seruio, est pars gutturis eminens, per quam reuocatur cibus demissus. Vnde Isidorus libro* 11. Rumen proximum gurgulioni, quo cibus & potio deuoratur; hinc bestiæ quæ cibos reuocant ac remandunt, ruminare dicuntur. TEMPORVM GVLA. *Hinc dictum:* tempus edax rerum. *Et Saturnus temporis præses, filios proprios deuorare fingitur, quia opera tempore producta, ipso tempore consumuntur.* QVÆ INTERCIDIT. *Quæ morte intercepta est eisdem subiecta morbis, & defectibus, vt eam pigeat ad pristinas infirmitates regredi.* PVLMONIBVS NATANDVM. *Dicunt anatomici, piscibus loco pulmonum esse branchias. Inde metaphora à piscibus sumpta dixit natare pulmones.* INTESTINIS ÆSTVANDVM. *Vel calore stomachi digerente, vel siti æstuante.* ET PVDENDIS *denudatis & inuestibus.* REDOPTANDA, *rursum reoptanda præ miseriis vitæ ærumnosæ.* ALIQVANTÒ HONESTIVS. *Maiori modestia, vt stilum Christianum decet, respectu impudentiæ Gentilium.* IN CONGRESSIBVS, *disputationibus cum hæreticis & Paganis.* DE COMMVNIBVS, *secundùm communem ignaræ plebis sensum.* PRIMVS ARIES TEMPERATVR. *Prima machina libratur ad oppugnandam fidem circa resurrectionem carnis. Frustrà Gentiles & hæretici carnis resurrectionem impugnant, petitis argumentis ab eius necessitatibus & miseriis, quas in resurrectione futuras non credimus. Vnde Augustinus to. 7 lib. 1. de peccatorum meritis ad Marcellinum cap. 2. & seq. sic inducit Paulum 2. Cor. 5.* Quamuis, inquit, secundùm corpus, terra esset *Adam scilicet*, & corpus in quo S. Aug.

creatus est, animale gestaret, tamen si non peccasset, in corpus fuerat spiritale mutandus, & in illam incorruptionem quæ fidelibus ac sanctis promittitur, sine mortis periculo transiturus. Cuius rei desiderium nos habere non solùm ipsi sentimus in nobis, verùm etiam admonente Apostolo cognoscimus. 2. Cor. 5. vbi ait, etenim in hoc ingemiscimus, habitaculũ nostrum *corpus cœlesti simile* quod de cœlo est superindui cupientes, si tamen induti, *virtutibus Christi*, non nudi inueniamur, *spoliati veste nuptiali*, *cùm omnes domestici sapientiæ sint vestiti duplicibus.* Etenim qui sumus in hac habitatione, ingemiscimus grauati, in quo nolumus expoliari, *veste carnis*, sed superuestiri, *indumento immortalitatis*, vt absorbeatur mortale à vita. Proinde si non peccasset Adam, non erat expoliandus corpore, sed superuestiendus immortalitate & incorruptione, vt absorberetur mortale à vita: id est ab animali, in spiritale transiret. Neq; enim metuendum fuit, ne dum fortè diutiùs hîc viueret, in corpore animali, senectute grauaretur, & paulatim veterascendo perueniret ad mortem. Si enim Deus Israelitarum vestimentis & calciamentis præstitit, quòd per tot annos non sunt obtrita, quid mirum si obedienti homini eiusdem potentià præstaretur, vt animale ac mortale habens corpus, haberet in eo quendam statum, quo sine defectu esset annosum, tempore quo Deus vellet, à mortalitate ad immortalitatem, sine media morte venturus, &c. talem puto habitudinem adhuc in corpore animali atque mortali, etiam illis qui sine morte hinc translati sunt, fuisse concessam. Neque enim Enoch & Helias per tam longam ætatem senectute marcuerunt. Nec tamen credo eos iam in illam spiritalem qualitatem corporis commutatos, qualis in Resurrectione promittitur, quæ in Domino prima præcessit; nisi quia isti fortasse nec his cibis egent qui sui consumptione reficiunt, sed ex quo translati sunt, ita viuunt, vt similem habeant satietatem illis quadraginta diebus

A quibus Helias ex calice aquæ, & ex collyride panis sine cibo vixit; aut si & his sustentaculis opus est, ita fortasse in Paradiso pascuntur, sicut Adam priusquam propter peccatum exinde exire meruisset. Habebat enim, quantùm existimo, & de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, & de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem. *Quanto meliori in statu resurgent corpora, quæ quidem de necessitatibus vitæ mortalis erepta, sine corruptione, & comedere poterunt, & cibo non egebunt, Et lib. 22. de Ciuit. cap. 12 vbi refert calumnias & irrisiones infidelium circa resurrectionem.* De ipsis, inquit, corruptionibus & dilapsionibus corporum mortuorum, cùm aliud vertatur in puluerem, aliud in auras exhalatur: sint quos bestiæ, sint quos ignis absumat: naufragio vel quibuscumque aquis ita quidam pereant, B vt eorum carnes in humorem putredo dissoluat, non mediocriter permouentur: atque omnia ista recolligi in carnem & redintegrari posse non credunt. Consectantur etiam quasque fœditates & vitia, siue accedant, siue nascantur: vbi & monstrosos partus cum horrore atque irrisione commemorant, & requirunt quænam cuiusque deformitatis resurrectio sit futura. Sic enim nihil tale redire in corpus hominis dixerimus, responsionem nostram, de locis vulnerum, cum quibus Dominum nostrum Christum resurrexisse prædicamus, se confutaturos esse præsumunt. Sed inter hæc omnia quæstio difficillima illa proponitur, in cuius carnem reditura sit caro, quà corpus alterius vescentis, humana viscera fame compellente nutritur. In carnem quippe conuersa est eius, qui talibus vixit alimentis: & ea quæ macies ostenderat detrimenta suppleuit. Verùm ergo illi redeat homini cuius caro priùs fuit, an illi potiùs cuius posteà facta est, ad hoc percunctantur, vt fidem resurrectionis illudant. *Quæ omnia iam refutauimus, & in progressu huius tractatus refellemus.* S. Aug.

5. *Resurrectionem negantes, carnaliter viuunt præ cæteris. De Resurr. cap. 11. in pr.*

HVcusque de præconio carnis aduersus inimicos, & nihilominùs amicissimos eius. Nemo enim tam carnaliter viuit, quàm qui negant carnis resurrectionem. Negantes enim eius pœnam, despiciunt & disciplinam.

RESVRRECTIONEM NEGANTES. 5. SCHOL.

INIMICOS AMICISSIMOS. *Oderunt enim carnis resurrectionem, & eam plus æquo diligunt in hac vita, gulæ & luxuriæ seruientes.* NEGANT EIVS POENAM. *in resurrectione futuram pro mensura illicitæ voluptatis.* Qui enim seminat in carne, de carne metet corruptionem. DESPICIVNT ET DISCIPLINAM. *negligunt temperantiam & castitatem. Epiphanius in Ancorato*: Gentiles quidem qui resurrectionem nullam esse penitùs putant, ob scelerum suorum quæ quotidie perpetrant impietatẽ, ita sentiunt. Quippe resurrectionem oderunt, per quam summam infamiam ignominiámq; consecuturi sunt, quòd Deum eiusque mandata prorsus ignorauerint: quamquam vel inuiti necessariò resurgent. *Et Chrysost. in Matth.* Tolle, inquit, spem resurrectionis, & resoluta est omnis obseruantia pietatis. *Et Lactantius*: Nulli, inquit, libentiùs negant resurrectionem, vel quæ manent post mortem præmia & supplicia, quàm qui eadem esse nolint: ad eorum quæ perpetrauerint, impunitatem. *Aug. serm. 145. de temp.* Ipsi, S. Aug. inquit, detestabiles, carnem detestantes, & secun-

C dum carnem viuentes, &c. *Et tom. 9. tract. de Cantico nouo cap. 1.* Si, inquit, carnalis adsit, qui totum per oculos carnis nihil per aciem mentis intelligit, irridens respondet, rogo te, dic quæ facta sunt noua, &c. quid quæris, carnalis auditor, per oculos carnis respicere? Erige mentis aciem, &c. transiit Adam homo vetus, factus ex limo, venit Christus Deus homo missus è cœlo, transiit vetustas mentium, accessit nouitas credentium: transiit vita carnalis: successit spiritalis. An parua est hæc nouitas ita demonstrata per hominem Deum: vt moriendo susciperet vetustatem tuam, resurgendo ostenderet nouitatem tuam, ascendendo firmaret claritatem tuam? &c. Vetera transierunt, terra eratis, *terrena sapiebatis, secundùm carnem viuebatis, nihil post mortem superesse credebatis, dicentes: Edamus, & bibamus, &c.* Ecce facta sunt noua, cœli iam penè effecti estis: cœli enim enarrant gloriam Dei. Non vobis impossibile videatur, quòd cùm sitis terrestres, efficiamini cœlestes. De terra non facit cœlum, qui de nihilo fecit terram & cœlum? S. Aug.

6. Resurrectioni, animæ à peccato surgenti; Scripturas perperàm aptant hæretici: cùm figuræ literam, & rem cuius est figura, supponat. Vnde propriè sola caro resurgit, quæ sola moritur physicè. De Resurrect. cap. 18. à pr. ad f. & 19. per totum. & 20. in pr.

QVum audio resurrectionem homini imminere, quæram necesse est, quid eius, cadere sortitum sit. Si quidem nihil resurgere expectabit, nisi quod antè succiderit. Qui ignorat carnem cadere per mortem, potest eam nec stantem nosse per vitam. Sententiam Dei natura pronuntiat, [a] *Terra es, & in terram ibis.* Et qui non audiuit, videt. nulla mors non ruina membrorum est. Hanc corporis sortem Dominus quoque expressit, quum ipsâ substantiâ indutus. [b] *Diruite*, inquit, *templum istud. & ego illud triduo resuscitabo.* Ostendit enim, cuius sit dirui, cuius elidi, cuius iacere: cuius & releuari, & resuscitari: quamquam & animam circumferret trepidantem vsq; ad mortem, sed non cadentem per mortem. Quia & Scriptura, De corpore, inquit, suo dixerat. Atq; adeò caro est, quæ morte subruitur, vt exinde à cadendo cadauer renuntietur. Anima porrò, nec vocabulo cadit, quia nec habitu ruit. Atquin ipsa est, quæ ruinã corpori infert, cùm efflata est: sicut ipsa est, quæ illud de terra suscitabit ingressa. non potest cadere quæ suscitauit ingressa, nõ potest ruere, quæ elidit egressa. Artiùs dicam, ne in somnum quidem cadit anima cum corpore, ne tum quidem sternitur cum carne. Etenim agitatur in somnis & iactitatur; quiesceret autem, si iaceret; & iaceret, si caderet. Ita nec in veritatẽ mortis cadit, quæ nec in imaginem eius ruit. Sequens nunc vocabulum, mortuorum, æquè dispice, cui substantiæ insidat: quamquam in hac materia admittamus, interdum mortalitatem animæ assignari ab hæreticis: vt, si anima mortalis resurrectionẽ consecutura est præiudicium sit & carni non minùs mortali resurrectionem communicaturæ. Sed nunc proprietas vocabuli vindicanda est suæ sorti. Iam quidem, eo ipso quod resurrectio caducæ rei est, id est carnis, eadem erit & in nomine mortui: diuinæ quia caducæ rei est resurrectio, quæ dicitur mortuorum Sic & per Abrahã patrem fidei, familiaritatis virum, discimus. Postulãs enim Saræ humandæ locũ de filiis Chet, [c] *Date ergo*, inquit, *mihi possessionem sepulchri vobiscum, & humabo mortuum meum*, carnem scilicet. Neque enim animæ humandæ spatium desiderasset, etsi anima mortalis crederetur, etsi mortuus dici mereretur. Quòd si mortuus, corpus est, corporum erit resurrectio, quum dicitur mortuorum. Et hæc itaque dispectio tituli, & præconij ipsius, fidem vtique defendens vocabulorum, illuc proficere debebit, vt si quid pars diuersa turbat obtentu figurarum & ænigmatum, manifestiora quæque præualeant; & de incertis certiora præscribant. Nacti enim quidam solemnissimam eloquij prophetici formam, allegorici & figurati plerumq; non tamen semper, resurrectionem quoq; mortuorũ manifestè annuntiatam, in imaginariam significationem distorquent; asseuerantes, ipsam etiam mortem spiritaliter intelligendam. Non enim hanc esse in vero, quæ sit in medio, discidium carnis atque animæ; sed ignorantiam Dei, per quam homo mortuus Deo; non minùs in errore iacuerit, quàm in sepulcro. itaque & resurrectionem eam vindicandam. quâ quis aditâ veritate redanimatus & reuiuificatus Deo, ignorantiæ morte discussâ, velut de sepulcro veteris hominis eruperit: quia & Dominus Scribas & Pharisæos [d] *sepulcris dealbatis* adæquauerit. Exinde ergo, resurrectionem fide consecutos, cum Domino esse, quum eum in baptismate induerint. Hoc denique ingenio etiam in colloquiis sæpè nostros decipere consuerunt: quasi & ipsi resurrectionem carnis admittant. Væ, inquiunt, qui non in hac carne resurrexerit: ne statim illos percutiãt, si resurrectionẽ statim abnuerint. Tacitè autẽ, secundùm conscientiam suam, hoc sentiunt. Væ qui non, dum in hac carne est, cognouerit arcana hæretica: hoc est enim apud illos resurrectio. Sed & plerique ab excessu animæ, resurrectionem vindicantes, de sepulcro exire, de sęculo euadere interpretantur; quia & sæculum mortuorum sit habitaculum; id est, ignorantium Deum: Vel etiam de ipso corpore, quia & corpus vice sepulcri conclusam animam, in sæcularis vitæ morte detineat. Ob huiusmodi igitur coniecturas, primam præstructionem eorum depellam, quâ volunt omnia Prophetas per imagines concionatos: quando si ita esset; ne ipsæ quidem imagines distingui potuissent, si non & veritates prædicatæ fuissent, ex quibus imagines deliniarentur. Atque adeò, si omnia figuræ, quid erit illud, cuius figuræ? quomodo speculum obtendes, si nusquam est facies? Adeò autem non omnia imagines, sed & veritates: nec omnia vmbræ, sed & corpora: vt in ipsum quoque Dominum insigniora quæque luce clariùs prædicarentur. *Vide cætera capitis huius. V. Scripturæ sensus. 2.*

a Gen. 3. 19.
b Io. 2. 19.
Matth. 26. 38.
c Gen. 23. 4.
Cap. XIX.
d Matth. 23. 27.
Cap. XX.

RESVRRECTIONI ANIMÆ. 6. SCHOL.

IMMINERE. *Breui tempus resurrectionis certissimè venire debere.* QVID EIVS. *quæ hominis portio propriè cadere, siue mors dicenda sit, anima, an corpus.* IPSA SVBSTANTIA, *carne vestitus.* DIRVITE. Soluite templum hoc, &c. CIRCVMFERRET. *gestaret in corpore.* QVIA ET SCRIPTVRA. *Sic enim Euangelista*: Hoc autem dixit de corpore suo. *Augustinus lib. 4. de Trinitate cap. 5.* Nec immeritò, inquit, in ædificatione S. Aug.

Corporis Dominici, in cuius figura templum à Iudæis destructum triduo se resuscitaturum esse dicebat, numerus ipse senarius pro anno positus intelligitur. Dixerunt enim, quadraginta & sex annis ædificatum est templum, & quadragies sexies seni, fiunt ducenti septuaginta sex. Qui numerus dierum complet nouem menses & sex dies, qui tanquam decem menses parientibus fœminis imputantur: non quia omnes ad sextum diem post nonum mensem perueniunt, sed quia ipsa perfectio corporis Domini tot diebus ad partum perducta comperitur, sicut à maioribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodit authoritas. Octauo enim Kal. Aprilis conceptus creditur, quo & passus: ita monumento nouo, quo sepultus est, vbi nullus erat mortuorum positus, nec antè, nec posteà, congruit vterus virginis quo conceptus est vbi nullus seminatus est mortalium. Natus autem traditur octauo Kalendas Ianuarias. Ab illo ergo die vsque ad istum computati, ducenti, septuaginta & sex reperiuntur dies, qui senarium numerum quadragies sexies habent. Quo numero annorum templum ædificatum est, quia eo numero senariorum corpus Domini perfectum est, quod mortis passione destructum, triduo resuscitauit. Dicebat enim hoc de templo corporis sui, sicut euidentissimo & robustissimo Euangelij testimonio declaratur. NEC VOCABVLO, *nec quidem nomen mortis illi conuenit.* NEC HABITV RVIT. *nec habilis est & capax mortis, cùm habitu, siue naturâ sit immortalis.* ARTIV, *articulis siue prestigiis dictâ.* NEC IN IMAGINEM, *somnum scilicet.* SVBSTANTIÆ INSIDAT. *anima, vel corpori conueniat.* PRÆIVDICIVM SIT. *Etsi demus hæreticis, aliquando Scripturam, animæ peccatrici, & secundum carnem viuenti, mortem tribuere, & iustificatæ resurrectionem; vel hinc præiudicium sumimus, carnem verè mortalem, resurrectionis fore participem.* SVÆ SORTI, *parti, in quam propriè mors cadit.* DE FILIIS CHET. *Sic Septuaginta. vbi enim Vulgata legit Gen. 23. 3. & seq.* Cùm surrexisset ab officio funeris, 70. *à mortuo suo*, locutus est ad filios Heth dicens: Aduena sum & peregrinus apud vos: date mihi ius sepulchri vobiscum, vt sepeliam mortuum meum. Responderunt filij Heth dicentes: Audi nos Domine, Princeps Dei. *Septuaginta, Rex à Deo*, es apud nos: in electis sepulcris nostris sepeli mortuum tuum, &c. FIDEM VOCABVLORVM, *veram proprietatem vocum.* PARS DIVERSA, *aduersa & hæretica.* OBTENTV FIGVRARVM, *si hæretici Scripturâ abutentes, quædam allegorica nobis opponant, clariora eis obiicienda sunt, & certiora, quibus de vera carnis resurrectione conuincantur.* HANC IN VERO. *veram & propriam mortem quæ quotidie nobis versatur ante oculos, quâ anima à carne soluitur.* RESVRRECTIONEM FIDE CONSECVTOS. *iuxta Paulum:* Consepulti Christo in Baptismo per mortem. Si consurrexistis cum Christo, &c. quotquot baptizati estis, Christum induistis. IN HAC CARNE, *amphibologicè loquuntur; dum anima est in carne, si non surrexerit à peccatis, sic loquuntur, ne ab exordio apertè negantes resurrectionem carnis, suos repellant auditores.* AB EXCESSV ANIMÆ, *dicunt tunc hominem resurgere, dum anima affectu exit de sæculo, & conuersatione carnali, quasi de sepulcro.* PER IMAGINES, *vmbras, figuras, allegorias.* SI NON VERITATES. *cùm non sit imago nisi alicuius veritatis, nec vmbra nisi corporis, Prophetæ, & Scriptura veteris Testamenti delineari non potuerunt, nisi iuxta exemplar veritatum.* IN DOMINVM PRÆDICARENTVR. *De Christo morituro & resurrecturo prophetarentur. Aug. in verba Psal. 70.* Conuersus viuificasti me, & de abyssis terræ iterùm reduxisti me. *vbi ponderat id bis repetitum.* Tu, inquit, quid captiue? vbi iaces? in carne, sub morte. Quis ergo ille? quis tu? & quid ille posteà? propter quem? quis ille, nisi quod dictum est, Verbum? quod Verbum? fortè sonat & transit? Verbum Deus apud Deum, Verbum per quod facta sunt omnia. Quid propter te? & Verbum caro factum est, &c. qui filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo ergo non & cum illo omnia nobis donauit? Ecce quod, quis, propter quem. Filius Dei, caro propter peccatorem, propter iniquum, propter desertorem, propter superbum, propter peruersum Dei sui imitatorem, *qui suprà se Dominum à quo pendeat non habet.* Factus ille quod tu, filius hominis, vt nos efficeremur filij Dei. Caro factus. Vnde caro? ex Maria virgine. Vnde Maria Virgo? ex Adam. Ergo ex illo primo captiuo & caro in Christo de massa captiuitatis. Vt quid hoc? ad exemplum. Suscepit à te, in quo moreretur pro te. Suscepit à te quod offerret pro te. quo exemplo doceret te. quid doceret te? quia resurrecturus es. Vnde enim crederes, nisi exemplum carnis præcederet assumptæ de massa carnis tuæ? Ergo in illo primo resurreximus: quia & Christus cùm resurrexit, nos resurreximus. Non enim Verbum mortuum est & resurrexit, sed in Verbo caro mortua est, & resurrexit. Ibi mortuus est Christus, vbi es tu moriturus: & ibi resurrexit Christus, vbi tu es resurrecturus. Exemplo suo docuit, quid non timeres, quid sperares. Timebas mortem, mortuus est: sperabas de resurrectione, resurrexit; &c. Ergo & illo resurgente, reducti sumus ex abyssis terræ. Cùm itaque resurrexit Christus, de abyssis terræ reduxisti me. Cùm verò credimus in Christum, *mortuum & suscitatum*, de abyssis terræ iterùm reduxisti me, &c. præcessit ergo ille: iam resurreximus & nos, sed adhuc in spe. Audi hoc idem Apostolum dicentem: *priùs dixerat de fide: Si consurrexistis cum Christo, &c.* & ipsi in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem expectantes redemptionem corporis nostri, &c. Resuscitata est anima nostra ab iniquitate infidelitatis, & facta est in nobis quasi prima resurrectio per fidem. Sed si sola erit, vbi est quod Apostolus ait, adoptionem expectantes redemptionem corporis nostri? &c Ergo iam resurreximus mente, fide, spe, charitate: sed restat vt resurgamus corpore, &c. Et quia duas dixerat reductiones nostras ab abyssis terræ, vnam secundum spiritum in spe, alteram secundum corpus in re: audi eas duas. Etenim ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam. hoc secundum spiritum: *Psalterium enim, vt & hîc docet, ex superiori parte sonat, cythara ex inferiori.* Quid de corpore? psallam tibi in cythara sanctus Israel. *Viden vt respondeat Tertulliano, vtramque in homine distinguens substantiam, & vtriusque mortem, & resurrectionem; vnam allegoricam siue moralem, alteram litteralem & realem; sicut duas discreuit abyssos, vnam infidelitatis, quâ per fidem in mortem Christi eruimur; alteram mortis, quâ exemplo & merito resurrectionis Christi resurgemus.*

S. Aug.

7. *Resurrectio solius carnis est, cuius salutem singulariter in Christi aduentu expectamus.*
5. contra Marc. cap. 5. in fine.

AGe nunc, qui salutem carnis abnuitis, & si quando corpus in huiusmodi prænominatur, aliud nescio quid interpretamini illud, quàm substantiam carnis; quomodo Apostolus omnes in nouis substantiis, certis nominibus distinxit? & omnes in vno voto constituit salutis; Optans, [a] *vt spiritus noster, & corpus, & anima, sine querela in aduentum Domini, & salutificatoris nostri Christi conseruentur?* Nam & animam posuit; & corpus, tam duas res, quàm diuersas; licèt enim & animæ corpus sit aliquod, suæ qualitatis, sicut & spiritus, cùm tamen & corpus & anima distinctè nominantur, habet anima suum vocabulum proprium, non egens communi vocabulo corporis; id relinquitur carni, quæ non nominata proprio, communi vtatur necesse est. Etenim aliam substantiam in homine non video post spiritum & animam, cui vocabulum corporis accommodetur, præter carnem. Hanc totiens in corporis nomine intelligens, quotiens non nominatur; multò magis hîc, cùm quæ dicitur corpus, suo nomine appellatur.

a 1. Thess. 5. 23.

RESVRRECTIO SOLIVS, &c. 7. SCHOL.

A AGE NVNC. *Dicite nunc, ô Marcionitæ.* SALVTEM CARNIS. *resurrectionem corporis incorruptibilis.* SI QVANDO CORPVS. *Si interdum pro carne, corpus in Scriptura ponitur, dum de resurrectione agitur.* OMNES, *homines resurgentes in die renouationis omnium, in quo Deus nouum cælum, nouam terram, noua facturus est omnia, & omnes substantias, quibus constat homo, renouaturus; quas Paulus singulas absque amphibologia suis nominibus expressas distinxit.* IN VNO VOTO, *votis omnibus illis, id est, optauit æternam salutem.* VT SPIRITVS. 1. *Thess.* 5. 23. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, *Syr. vt omnes perfectè sanctificet,* vt integer spiritus vester, & anima & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur. Fidelis est qui vocauit vos, qui etiam faciet. *Translat. Syr.* Et totum spiritum vestrum, & animam vestram, & corpus vestrum custodiat, vt culpâ careatis in aduentu Domini, &c. fidelis est ille qui vocauit vos vt hoc faciat. *Augustinus lib. 2. ad Vincentium Victorem de ani. & orig. c. 22. distinguit has hominis substantias iuxta Paulum.* Quamuis, inquit, & propriè dicatur spiritus, non vniuersa anima, sed aliquid ipsius, sicut Apostolus dicit; & integer spiritus vester, & anima, & corpus, &c. Cùm enim constet esse aliquid in anima, quod propriè spiritus nominetur; &c. Illud etiam ego dico propriè vocari spiritum, quo ratiocinamur & intelligimus; quando ista distinctè ita dicuntur, quemadmodum Apostolus ait, & integer spiritus vester, & anima, & corpus. Hunc autem spiritum, etiam mentem videtur appellare, cùm dicit; mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Nam ipsa sententia est, caro concupiscit aduersus spiritum, &c. *Et hæc est querela quæ in die renouationis cessabit, quam & perfectis optat in hac vita quotidie imminui,* vt quod ibi dicit mentem, hoc intelligatur hîc spiritum dicere, &c. ac per hoc quod ait idem Apostolus, renouamini autem spiritu mentis vestræ, quid aliud dicit, nisi renouamini mente vestrâ? sic enim spiritus mentis, nihil est aliud quàm mens, quomodo corpus carnis, nihil aliud potest esse quàm caro: nam & hoc scri-

S. Aug.

B ptũ est, in expoliatione corporis carnis, vbi carnem corpus carnis appellat. *Et per hæc patet distinctio & expositio loci Tertulliani & Apostoli.* CORPVS ALIQVOD. *Vide plura ex Augustino dicta in hanc rem in Alphabeto errorum, Verbo* anima corporea. SVÆ QVALITATIS. *congrua scilicet animæ.* SICVT ET SPIRITVS. *Supple est animæ quasi pars superior mens & intellectus.* COMMVNI VOCABVLO. *corporis nomine, quod tam animæ, quàm carni cõuenire facit iuxta errorem suum.* NON NOMINATA PROPRIO. *dum caro legitur appellata corpus, non expresso nomine carnis.* HANC TOTIENS *toties Scriptura carnem intelligit nomine corporis, quoties carnis nomen non exprimit.*

8. *Resurrectionem spiritalem falsè inducunt hæretici, cùm in fine sæculi sit frustranea.*
De Resurr. cap. 25. à princ. ad finem.

QVum & status temporum vltimorũ Scripturæ notent, & totam Christianæ spei frugem in exodio sæculi collocent, apparet, aut tunc adimpleri totum quodcumq; nobis à Deo repromittitur, & vacat quod hîc iam ab hæreticis vindicatur; aut, si & agnitio Sacramenti; resurrectio est, salua vtique illa creditur, quæ in vltimo prædicatur; & sequitur, vt eo ipso, quò hæc spiritalis vindicatur, illa corporalis præiudicetur. Quia si nulla tunc annuntiaretur, meritò sola hæc, & tantummodò spiritalis, vindicaretur: Cùm verò & in vltimum tempus edicitur, corporalis agnoscitur, quia non & tunc spiritalis annuntiatur. Cur enim iterùm annuntiaretur resurrectio eiusdem conditionis, id est, spiritalis; quum aut nunc eam deceret expungi, sine vlla differentia temporum; aut tunc, sub omni clausula temporum? Ita nobis magis competit etiam spiritalem defendere resurrectionem ab ingressu fidei, qui plenitudinem eius agnoscimus exitum sæculi.

RESVRRECTIONEM SPIRITALEM. 8. SCHOL.

STATVS TEMPORVM. *cùm Scriptura determinet totum fructum spei fidelium in metenda de spiritu seminato vitam æternam, hoc est, carnis incorruptibilis & spiritalis resurrectionem, in fine sæculi futuram.* IN EXODIO. *alij legunt* in exordio, *in exitu & fine sæculi.*
C *Exordium tamen, sicut & initium pro extremitate sumi potest. Sicut à D. Iacobo 1 18.* Vt simus initium aliquod creaturæ eius. *cùm lux, siue natura Angelica iuxta Aug.* creata fuerit prima, humana natura postrema. *sic & Petro Act. 10. visum est linteum,* quatuor im- S.Aug.

tiis ſummitti de cœlo. ADIMPLERI. *adimplendum.* VACAT. *Fruſtrà dicitur & aſſeritur ab hæreticis iam hic in præſenti vita hominem reſurgere per fidem: ſicut Auguſtinus ait:* Deus cui nos fides excitat, ſpes erigit, charitas iungit. AGNITIO SACRAMENTI *Fides myſterij Incarnationis Chriſti.* SALVA CREDITVR; *certò ventura eſt reſurrectio carnis, futura in conſummatione ſæculi.* EDICITVR. *Oraculo Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum voce prænuntiatur in fine futura.* NON TVNC. *quid enim anima ex ſua natura immortalis, ante iudicium vltimum immediatè reſurgere fingeretur.* NVNC EXPVNGI. *modò in hac vita impleri.* AB INGRESSV FIDEI, *ex quo primò fidem ſuſcipimus in Chriſto regenerati.* PLENITVDINEM EIVS. *Plenam & perfectam differri ad finem mundi, in quo animæ reunitæ corporibus, plenè & perfectè & indiſſolubiliter ſuis redditæ corporibus hominem ad vitam immortalem ſuſcitabunt. Scito de vtraque reſurrectione Auguſtinus tract. 23. in cap. 5. Ioan.* Factus eſt, inquit, homo qui erat Deus, accipiendo quod non erat, non amittendo quod erat. Ita factus eſt homo Deus. Ibi habes aliquid propter infirmitatem tuam, ibi habes aliquid propter perfectionem tuam. Erigat te Chriſtus per id quod homo eſt, ducat te per id quod Deus & homo eſt, perducat te ad id quod Deus eſt. Et tota prædicatio diſpenſatióque per Chriſtum, hæc eſt, fratres, & alia non eſt: vt reſurgant animæ, reſurgant & corpora. Vtrumque quippe mortuum erat; corpus ex infirmitate, anima ex iniquitate. Quia vtrumque mortuum erat, reſurgat vtrumque. Quid vtrumque? anima & corpus. Per quid ergo anima, niſi per Deum Chriſtum? Per quid corpus, niſi per hominem Chriſtum? erat enim & in Chriſto anima humana, tota anima: A non irrationale tantùm animæ, ſed etiam rationale, quod mens dicitur, &c. Accipe totum Chriſtum, Verbum, mentem rationalem, & carnem. Hoc totum Chriſtus eſt. Reſurgat anima tua ab iniquitate, per id quod Deus eſt: *Vnde Paulus infideli loquitur: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* reſurgat corpus tuum à corruptione per id quod homo eſt. *Et tract. 75. in cap. 14. Ioan. in verba:* Quia ego viuo, & vos viuetis: quid eſt, quia ego viuo? &c. cur de præſenti ſe dixit viuere, illos autem de futuro eſſe victuros: niſi quia vitam etiam carnis vtique reſurgentis, qualis in ipſo præcedebat, & illis eſt pollicitus ſequuturam? Et quia ipſius mox futura erat reſurrectio, præſentis poſuit temporis verbũ, propter ſignificandam celeritatem: Illorum autem, quoniam ſæculi differtur in finem, non ait, viuitis, ſed viue- B tis: duas ergo reſurrectiones, ſuam ſcilicet mox futuram, & noſtram in ſæculi finem venturam, duobus verbis præſentis temporis & futuri, eleganter breuiterq; promiſit, Quia ego, inquit, viuo, & vos viuetis: quia ille viuit, ideò & nos viuemus. Per hominem quippe mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. Quoniam nemo ad mortem niſi per illum, nemo ad vitam, niſi per Chriſtum, quia nobis viximus, mortui ſumus: quia viuit ipſe, viuemus nos. Mortui ſumus illi, quando viximus nobis: quia verò mortuus ille pro nobis, & ſibi viuit & nobis. Quia enim viuit ille, & nos viuemus. Nam ſicut per nos mortem habere potuimus, non ſic & vitam per nos habere poſſumus.

S. Aug. — S. Aug. — S. Aug.

9. *Reſurrectionem fruſtrà impugnant hæretici Paulum malè intelligentes, de interiori, & exteriori homine loquentem. De reſurr. cap. 40. per totum.*

a 1. Cor. 11. 19. NIhil mirum, ſi & ex ipſius inſtrumento captentur argumenta, quum[a] *oporteat hæreſes eſſe*; quæ eſſe non poſſent, ſi non & perperàm Scripturæ intelligi poſſent. Nactæ deniq; hęreſes duos homines ab Apoſtolo editos; interiorem, id eſt, animam; & exteriorem, id eſt, carnem: ſalutem quidem animæ id eſt, interiori homini; exitium verò carni, id eſt, b 2. Cor. 4. 16. exteriori, adiudicauerunt: quia ſcriptum ſit Corinthiis, [b] *Nam etſi homo noſter exterior corrumpitur; ſed interior renouatur die & die.* Porrò, nec anima per ſemetipſam homo, quæ figmento, iam homini appellato, poſteà inſerta eſt: nec caro ſine anima, homo, quæ poſt exilium animæ, cadauer inſcribitur. Ita vocabulum, homo conſertarum ſubſtantiarũ duarum quodammodo fibula eſt. ſub quo vocabulo non poſſunt eſſe niſi cohærentes. Porrò, Apoſtolus interiorem hominem non tam animam quàm mentem atque animum intelligi mauult, id eſt, non ſubſtantiam ipſam, ſed ſubſtantiæ ſaporem. Siquidem Epheſiis ſcribens, c Epheſ. 3. 17. [c] *in interiorem hominem habitare Chriſtum*, ſenſibus vtique initiandum Dominum ſignificauit, Deniq; adiunxit, *Per fidem: &, In cordibus veſtris: &, In dilectione.* Fidem quidem & dilectionem, non ſubſtantiua animæ ponens, ſed conceptiua. In cordibus autem dicens, quæ ſubſtantiua ſunt carnis, iam & ipſum interiorẽ hominem carni deputauit, quem in corde con- d 2. Cor. 4 16. ſtituit. Inſpice nunc quomodo [d] *exteriorem quidem hominem corrumpi allegarit, interiorem verò renouari die ac die.* Nec illam corruptelam carnis affirmes, quam ex die mortis in perpetuum defectura patiatur: ſed quam in iſtius vitæ ſpatio, ante mortem, & vſque ad mortem vexationibus & preſſuris, tormentis atque ſuppliciis, nominis cauſa experietur. Nam & homo interior hîc vtiq; renouari habebit per ſuggeſtum ſpiritus, proficiens fide & diſciplinâ die ac die: non illic, id eſt non poſt reſurrectionem: vbi non vtique die ac die renouari habee Ibid. 17. mus, ſed ſemel ad ſummam. De ſequentibus diſce: [e] *Quod enim ad præſens eſt*, inquit, *temporale & leue preſſuræ noſtræ per ſupergreſſum in ſupergreſſum, æternum gloriæ pondus perficiet in nobis, non intuentibus quæ videntur*, id eſt, paſſiones, *ſed quæ non videntur*, id eſt, mercedes. *Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ verò non videntur, æterna* Preſſuras enim & læſuras, quibus corrumpitur homo exterior, vt leues & temporales, idcircò contemnendas affirmat, præferens mercedum æternarum, inuiſibilium, & gloriæ pondus in compenſationem laborum. quos hîc caro patiendo corrumpitur. Adeò non illa eſt corruptio, quam in perpetuũ carnis interitũ, ad reſurrectionem expellendã exteriori homini adſcribunt. Sic &

alibi: [f] *Siquidem, ait, compatimur, vti & conglorificemur. reputo enim non dign... esse passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ in nos habet reuelari.* Et hîc minora ostendit incommoda præmiis suis. Porrò, si per carnem compatimur, cuius est propriè passionibus corrumpi, eiusdem erit & quod pro compassione promittitur. Atque adeò carni adscribit pressurarum proprietatem, vt & suprà dicat: [g] *Quum venissemus autem in Macedoniam, nullam remissionem habuit caro nostra.* Dehinc, vt animæ daret compassionem: *In omnibus*, inquit, *compressi. Extrinsecus pugnæ*; debellantes scilicet carnem: *Intrinsecùs timor:* affligtans scilicet animam. Adeò etsi corrumpitur homo exterior, non vt amittens resurrectionem, sed vt sustinens vexationem, corrumpi intelligetur. & hoc non sine interiore. Ita amborum erit etiam conglorificari, sicut & compati. Secundum collegia laborum, consortia etiam decurrant necesse est præmiorum.

f Rom. 8. 17.

g 2. Cor. 7. 5.

RESVRRECTIONEM FRVSTRA. 9. SCHOL.

EX IPSIVS INSTRVMENTO. *Ex epistolis Pauli hæretici quòd sumant argumenta contra Catholicos, nihil mirum, cùm ipse scripserit hæreses necessarias esse ad probationem electorum.* NACTÆ HÆRESES. *Hæretici sumpserunt occasionem disputandi contra resurrectionem carnis ex corruptione, quam Paulus attribuit carni.* 2. *Cor.* 4. 16. Licèt is qui foris est, *Syr. externus homo noster*, noster homo corrumpatur: tamen is qui intùs est, renouatur de die in diem. Id enim quod in præsenti est, momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, *Syr. oppressio huius temporis, cùm admodum exigua, leuissimáque sit, gloriam infinitam in sæculum sæculorum parat nobis*, non contemplantibus nobis quæ videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt: quæ autem non videntur æterna sunt. PER SEMETIPSAM. *Anima sola non à Deo dicta est homo, quæ corpori ex luto figurato, & nomen hominis à Deo nam sortita insufflata est postea.* POST EXILIVM. *diuortium, separationem animæ à corpore. Quæ vtique propriè in pœnam peccati à proprio solo & terra sua carnis exulat.* CONSERTARVM. *coniunctarum.* FIBVLA. *hoc nomen*, homo, *significat copulam animæ cum carne.* NON TAM ANIMAM, *irrationalem & inferiorem portionem animæ.* SVBSTANTIÆ SAPOREM. *quâ animæ substantia sapit & intelligit.* EPHESIIS SCRIBENS. *Ephes.* 3. 16. *& seq.* Det vobis secundum diuitias gloriæ suæ virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus, in charitate radicati & fundati. *Translat. Syr.* per charitatem, cùm fuerit confirmata radix vestra & fundamentum vestrum. SENSIBVS INTIMANDVM. *Intimè insinuandum, quasi in penetrale domus. Per sensus autem, non corporeos intelligit, sed spiritales, quibus anima concipit fidem & dilectionem, quæ non sunt de substantia & essentia animæ, sed accidentia à Deo infusa.* SVBSTANTIA CARNIS, *cor enim est pars substantiæ carnis, vnde colligit Paulum constituentem interiorem hominem in corde, eundem carni attribuisse. Quomodo igitur dixit Paulus interiorem hominem renouari de die in diem, exteriorem autem corrumpi? nec corruptio ista intelligenda est de ea quæ fit post mortē, sed in hac vita per tormenta quæ caro patitur pro nominis Christiani defensione.* HIC VTIQVE, *etiam in hac vita & non in alia hoc habet homo interior, vt in dies renouetur.* PER SVGGESTVM SPIRITVS. *vel Spiritu sancto suggerente, vel mente hominis in dies virtutum cumulo & pompâ crescente.* SEMEL AD SVMMAM. *quia tunc renouatio per gradus non fiet, sed simul & semel anima & caro reunita hominem in summam perfectionem rediget status resurrectionis. Quod probat sequentibus Pauli verbis suprà citatis, pressuras & tribulationes huic vitæ imputans, quibus exterior homo corrumpitur; vt errent hæretici intelligentes corruptionis nomine sempiternum & irreuocabilem carnis interitum.* ET ALIBI. *Rom.* 8. 17. Ipse Spiritus testimonium reddit, *Syr. suffragatur*, spiritui nostro quòd sumus filij Dei. Si autem filij, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: *Syr. filij autem hæreditatis.* Si tamen compatimur, vt & conglorificemur. Existimo enim quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. SI PER CARNEM, *iuxta Apostolum.* Christo in carne passo, & vos eâdem cogitatione armamini, NVLLAM REMISSIONEM, 2. *Cor.* 7. 5. Nullam requiem, sed omnem tribulationem passi sumus: foris pugnæ, intùs timores. NON SINE INTERIORE. *quia cum anima sit principium sensus, proindéque doloris, carni compatitur. De corruptione veteris & exterioris hominis, & eius renouatione præter dicta verbo*, homo interior & exterior, *Hæc subiicio ex Augustino tom.* 7. *lib.* 2. *de peccat. meritis cap.* 7. Non ex qua hora quisque baptizatur, omnis vetus infirmitas eius absumitur, sed renouatio incipit à remissione omnium peccatorum. Et in quantum quisque spiritalia sapit, qui iam sapit, in tantum renouatur. *aduerte saporem animæ, de quo supra Tertull.* Cætera verò in spe facta sunt, donec in re fiant, vsque ad ipsius corporis renouationem in meliorem statum immortalitatis, & incorruptionis, quâ induemur in resurrectione mortuorum. Nam & ipsam Dominus regenerationem vocat, non vtique talem qualis fit per Baptismum, sed in quam etiam in corpore perficiemur, quod nunc spiritu inchoatur. In regeneratione, inquit, cùm sederit filius hominis, &c. Nam in Baptismo, quamuis plena & tota fiat remissio peccatorum, tamen si continuò tota & plena etiam hominis in æternam nouitatem mutatio fieret, non dico & in corpore, quod certè manifestum est adhuc in veterem corruptionem, atque in mortem tendere, in fine posteà renouandum: quando verè tota nouitas erit: sed excepto corpore, si in ipso animo qui est homo interior, perfecta in Baptismo nouitas fieret, non diceret Apostolus; & si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem. Profectò enim qui de die in diem adhuc renouatur, nondum totus est renouatus: & in quantum nondum est renouatus, in tantum adhuc in vetustate est. Proinde ex hoc quod adhuc in vetustate sunt, quamuis iam baptizati, ex hoc etiam adhuc sunt filij sæculi. Ex hoc autem quòd in nouitate sunt, hoc est, ex plena & perfecta remissione peccatorum, & quantumcumque illud est quod spiritaliter sapiunt, eique congruos mores agunt, filij Dei sunt. Intrinsecùs enim exuimus veterem hominem, & induimus nouum: quoniam ibi deponimus mendacium & loquimur veritatem, &c. Quibus Apostolus explicat quid sit exui veterem hominem, & indui nouum, qui secundum Deum creatus est in

S. Aug.

iustitia & sanctitate veritatis, &c. Sed alio loco dicit, quemadmodum hoc sit factum. Non solùm, inquit, sed etiam nosipsi primitias habentes spiritus, & ipsi in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem expectantes, redemptionem corporis nostri, &c.

S. Aug. *Et cap. 8. sic de plena innouatione:* Adoptio, inquit, ergo plena filiorum in redemptione fiet etiam corporis nostri. Primitias itaque spiritus nunc habemus, vnde iam filij Dei re ipsâ facti sumus: in cæteris verò spe sicut salui, sicut innouati, ita & filij Dei: re autem ipsâ quia nondum salui, ideo nondum plenè innouati, nondum etiam filij Dei, sed filij sæculi. Proficimus ergo in renouationem, iustámque vitam, per quod filij Dei sumus, & per hoc peccare omninò non possumus. Donec totum in hoc transmutetur, etiam illud per quod adhuc filij sæculi sumus: *filij enim Resurrectionis erimus*, per hoc enim & peccare adhuc possumus.

10. *Resurrectio in Scriptura prædicata per Prophetas, nudâ literâ, & absque figura; quidquid allegoriæ quærant hæretici. De resurrect. cap. 28. à med. 29. 30. 31. per totum, & 32. per totum.*

SVnt & quædam ita pronuntiata, vt allegoriæ quidem nubilo careant, nihilominùs tamen ipsius simplicitatis suæ sitiant interpretationem. quale est apud Esaiam, [a] *Ego occidam, & viuificabo.* certè posteaquàm occiderit, viuificabit. Ergo per mortem occidens, per resurrectionem viuificabit. caro est autem quæ occiditur per mortem; caro itaque & viuificabitur per resurrectionem. certè, si occidere, carni animam eripere est; viuificare, contrarium eius, carni animam referre est; caro resurgat necesse est, cui anima per occisionem erepta, referenda est per viuificationem.

a Esai. 38. 16. 1. Reg. 2. 6.

CAP. XXIX. Igitur, si & allegoricæ Scripturæ, & argumenta rerum, & simplices voces, resurrectionem carnis, quamquam sine nominatione ipsius substantiæ, subradiant; quantò magis, quæ hanc spem in ipsas substantias corporales speciali mentione determinant, non erunt deducendæ in quæstionem? Accipe Ezechielem: [b] *Et facta est*, inquit, *super me manus Domini, & extulit me in spiritu Dominus, & posuit me in medio campi. is erat ossibus refertus. & circumduxit me super ea per circuitum, & ecce multa super faciem campi, & ecce arida satis. Et ait ad me, Fili hominis, si viuent ossa ista? Et dixi, Adonai Domine, tu scis. Et ait ad me, Propheta in ossa hæc, & dices, Ossa arida, audite sermonem Domini. Hæc dicit Dominus Adonai ossibus istis: Ecce ego affero in vos spiritum, & viuetis, & dabo in vos spiritum, & reducam vos in carnes. circumdabo vobis cutem, & dabo in vobis spiritum, & viuetis, & cognoscetis quòd ego Dominus. Et prophetaui secundùm præceptum, & ecce vox dum propheto, & ecce motus, & accedebant ossa ad ossa. Et vidi, & ecce super ossa nerui, & caro ascendit, & circumpositæ sunt eis cutes, & spiritus in eis non erat. & ait ad me, Propheta ad spiritum, fili hominis; propheta, & dices ad spiritum, Hæc dicit Dominus Adonai: A quatuor ventis veni spiritus, & spira in istis interemptis, & viuant. Et prophetaui ad spiritum, sicut præcepit mihi, & introiuit in ea spiritus, & vixerunt, & constiterunt super pedes suos valentia magna satis. Et ait ad me: Fili hominis, ossa ista omnis domus Israël est. Ipsi dicunt, Exaruerunt ossa nostra, & periit spes nostra, auulsi sumus in eis. Propterea propheta ad eos, Ecce ego patefacio sepulcra vestra; & eueham vos de sepulcris vestris, populus meus; & inducam vos in terram Israël: & cognoscetis quòd ego Dominus aperuerim sepulcra vestra, & eduxerim vos de sepulcris vestris, populus meus; & dabo vobis spiritum, & viuetis, & requiescetis in terra vestra; & cognoscetis quod ego Dominus locutus sim & fecerim, dicit Dominus.* Hanc quoque prædicationem

b Ezech. 37, 1. & seq.

CAP. XXX. scio qualiter concutiant in allegoriæ argumentationem. quia dicendo, [c] *Ossa ista omnis domus Israël est*, imaginē ea fecerit Israël; & à propria conditione transtulerit: atque ita figuratam esse, non veram resurrectionis prædicationem. Statum enim Iudæorum deformari, quodammodo emortuum & exaridum & dispersum in campo orbis. Itaque & imaginem resurrectionis in illum allegorizari, quia recolligi habeat & recompingi os ad os; id est, tribus ad tribum, & populus ad populum, & recorporari carnibus facultatum & neruis regni, atque ita de sepulcris, id est, de habitaculis captiuitatis tristissimis atque teterrimis educi, & refrigerij nomine respirare, & viuere exinde in terra sua Iudæa. Et quid post hæc? morientur sine dubio. Et quid post mortem? nulla opinor resuscitatio, si non hæc erit ipsa, quæ Ezechieli reuelatur. Sed enim & aliàs prædicatur resurrectio: ergo & hæc erit, & temerè in statum eam Iudaïcarū rerum conuertunt. Aut si alia est illa quam defendimus, nihil mea interest, dum sit & corporum resurrectio, sicut & rerum Iudaïcarū. Denique, hoc ipso quod recidiuatus Iudaïci status de recorporatione & redanimatione ossium figuratur, id quoque euenturum ossibus probatur. Non enim posset de ossibus figura componi, si non idipsum & ossibus euenturum esset. Nam & si figmentum veritatis in imagine est; imago ipsa, in veritate est sui; necesse est esse priùs sibi, quo alij configuretur. de vacuo similitudo non competit. de nullo parabola, non conuenit. Ita oportebit ossium quoq; credi reuisceratioṇem & respirationem qualis dicitur, de qua possit exprimi Iudaïcarum rerum reformatio qualis affingitur. Sed magis religiosum est, veritatem de suæ auctoritate simplicitatis defendi, quàm sensus diuinæ propositionis expostulat. Si enim ad res Iudaïcas spectaret hæc visio, statim reuelato situ ossium, subiecisset, [d] *Ossa ista, omnis domus Israëlis est*, & cætera deinceps. At cùm ostensis ossibus, de propria spe eorum quid obloquitur, nondum nominato

c Ezech. 37. 11.

d ibid. 3.

Israële, & fidem tentat Prophetæ, *Fili hominis, si viuent ossa hæc?* vt & ille responderet, *Domine, tu scis* non vtique Deus Prophetæ fidem de ea re tentasset, quæ futura non esset, quam nunquam Israël audisset, quam credi non oporteret. Sed quoniam prædicabatur quidem resurrectio mortuorum, Israël verò pro sua incredulitate diffidens, scandalizabatur; & aspiciens habitum senescentis sepulturæ, desperabat resurrectionem; vel non in eam potiù animum dirigebat, sed in circunstantias suas; idcirco Deus, & Prophetam, quâ & ipsum dubium, præstruxit ad constantiam prædicationis, reuelato ordine resurrectionis; & populo id credendum mandauit, quod Prophetæ reuelauit, ipsos dicens esse ossa quæ erant resurrectura, qui non credebant resurrectura. Denique in clausula, [e] *Et cognoscetis*, inquit, *quod ego Dominus locutus sim, & fecerim:* id vtique facturus, quod fuerat locutus. cæterùm, non id facturus quod locutus, si aliter facturus. Planè si & populus allegoricè mussitaret, ossa sua arefacta, & spem suam perditam, dispersionis exitu querulus, meritò videretur & Deus figuratam desperationem figurata promissione consolatus. Sed quum dispersionis quidem iniuria nondum populo accidisset, resurrectionis verò spes apud illum sæpissimè cecidisset, & manifestus est, de corporum interitu labefactans fiduciam resurrectionis: ita & Deus eam restruebat fidem, quam populus destruebat. Quamquam etsi aliqua præsentium rerum tunc conflictatione mærebat Israël, non idcirco in parabola accipienda esset reuelationis intentio, sed in testationem resurrectionis, vt in illam spem erigeret illos æternæ scilicet salutis, & necessarioris restitutionis, & auerteret à respectu præsentium rerum. Ad hoc enim & alij Prophetæ, [f] *Exibitis*, de sepulcris, *velut vituli de vinculis soluti, & conculcabitis inimicos.* Et rursum, [g] *Gaudebit cor vestrum, & ossa vestra velut herba orientur:* quia & herba de dissolutione & corruptela seminis reformatur In summa, si propriè in Israëlis statum resurgentium ossium imago contenditur, cur etiam non Israëli tantummodò, verùm & omnibus gentibus eadem spes annuntiatur & recorporandarum, & redanimandarum reliquiarum, & de sepulcris exsuscitandorum mortuorum? De omnibus enim dictum est, [h] *Viuent mortui, & exurgent de sepulcris: ros enim qui à te est, medela est ossibus eorum.* Item alibi, [i] *Veniet adorare omnis caro in conspectu meo, dicit Dominus.* Quando? quum præterire cœperit habitus mundi huius. Suprà enim, Quemadmodum [k] *cælum nouum & terra noua, quæ ego facio in conspectu meo, dicit Dominus; ita stabit semen vestrum.* Tunc ergo quod subiicit, implebitur, [l] *Et exibunt* (vtique de sepulcris) *& videbunt artus eorum qui impiè egerunt, quoniam vermis illorum non decidet, & ignis eorum non extinguetur, & erunt conspectui omni carni*, scilicet quæ resuscitata & egressa de sepulcris, Dominum pro hac gratia adorabit. Sed ne solummodò eorum corporum resurrectio videatur prædicari, quæ sepulcris demandantur, habes scriptum, [m] *Et mandabo piscibus maris, & eructabunt ossa quæ sunt comesta, & faciam compaginem ad compaginem, & os ad os.* Ergo, inquis, & pisces resuscitabuntur, & ceteræ bestiæ & alites carniuoræ, vt reuomant quos comederunt: quia & apud Moysen legis, [n] *exquiri sanguinem de omnibus bestiis?* Non vtique. Sed idcirco nominantur bestiæ & pisces in redhibitionem carnis & sanguinis, quo magis exprimatur resurrectio etiam deuoratorum corporum, quum de ipsis deuoratoribus exactio edicitur. Puto autem huius quoque diuinæ potestatis documentum idoneum Ionam; cùm incorruptus vtraque substantia, carne atque anima, de aluo piscis euoluitur, & vtique triduo concoquendæ carni viscera Ceti suffecissent, quàm capulum, quàm sepulcrum, quàm senium requietæ, atque reconditæ alicuius sepulturæ. Saluo eo quod & bestias, feros in Christianum, vel maximè nomen homines, vel ipsos etiam iniquitatis Angelos figurauit, de quibus sanguis exigetur per vltionem pensandam. Quis ergo discendi magis adfinis, quàm præsumendi; & credendi diligentior, quàm contendendi; & diuinæ potius sapientiæ religiosus, quàm suæ libidinosus, audiens aliquid à Deo destinatum in carnes, & cutes, & neruos, & ossa, aliud quid hæc commentabitur, quasi non in hominem destinetur, quod in istas substantias prædicatur? Aut enim nihil in hominem destinatur; non liberalitas regni, non seueritas iudicij, non quodcunque est resurrectio: aut si in hominem destinatur, necesse est in eas substantias destinetur, ex quibus homo structus est, in quem destinatur. Illud etiam de argutissimis istis demutatoribus ossium, & carnium, & neruorum & sepulcrorum requiro, cur si quando in animam quid pronuntiatur, nihil aliud animam interpretantur, nec transfingunt eam in alterius rei argumentum: quum verò in aliquam speciem corporalem quid edicitur, omnia potius asseuerant, quàm quod nominatur? Si corporalia, parabolæ; ergo & animalia. si non & animalia, ergo nec corporalia. Tam enim corpus homo, quàm & anima. vt non possit alterâ species, admittere ænigmata, alterâ excludere. Satis hæc de Prophetico instrumento.

Marginalia: e Ibid. 4. — CAPVT XXXI. — f Malach. 4. 2. — g Esa. 66. 14. — h Esa. 26. 19. — i Esa. 66. 23. — k Esa. 65. 17. & 66. 22. — l Esa. 66. 24. — CAPVT XXXII. — m Apoc. 20. 13. — n Gen. 9. 5. — Ionæ. 2. 1. & 11. Luc. 11. 30.

RESVRRECTIO IN SCRIPTVRA. 10. SCHOL.

PRONVNTIATA in Scriptura, quæ allegoriis non sunt obscurata. SITIANT, desiderent. Aliàs arida esset litera, nisi expositione aliqua rigaretur. Apud Esaiã nihil tale legitur nisi suo more paraphrastico, sic enim inducit Ezechiam loquentem cap. 38. 16. Domine si sic viuitur, & in talibus vita spiritus mei, corripies me & viuificabis me. Vt correptio, pro occisione sumatur. Apud 70. autem Domine, de ipsa enim supple anima dolente annuntiatum est tibi, & suscitasti spiritum meum. Sed fortè ex abundantia confusus, tribuit Esaiæ, quod ex Moyse legerat Deut. 32. 39. Ego occidam, & ego viuere faciam. Vel vt legunt. 70. ego occido, & viuere faciam; percutiam, & ego sanabo. Vel ex Anna Cantico 1. Reg. 2. 6. Dominus mortificat, & viuificat. SVBSTANTIÆ, corporea, carnis resurrectionem. SVBRADIANT. Apertè declarant tanquam face circa mysterium posita. ACCIPE EZECHIELEM. cap. 37. 1. & seq. Facta est super me manus Domini, & eduxit me in spiritu Domini, 70. Dominus & dimisit me in medio campi qui erat plenus ossibus, 70. posuit me, &c. & hic erat plenus ossium hominum. Et circumduxit me per ea in gyro: erant autem multa valde, 70. nimis super faciem campi, siccaque vehementer. Et dixit ad me: fili hominis, putasne viuent 70. si viuent ossa ista? & dixi: Domine Deus 70. Domine Domine. Tertull. secutus est Aquilam. Tu nosti. Et dixit ad me, vaticinare de ossibus istis: 70. Propheta super ossa ista & dices eis: ossa arida, audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus ossibus his: ecce ego intromittam in vos spiritum, & viuetis. 70. Ecce ego affero super vos spiritum vitæ. Et dabo super vos neruos, & succrescere faciam super vos carnes, & superextendam in vobis cutem, & dabo vobis spiritum, & viuetis, 70. spiritum meum in vos & scietis quia ego Dominus. Et prophetaui sicut præceperat mihi: factus est autem sonitus prophetante me, & ecce commotio: & accesserunt ossa ad ossa, vnumquodque ad iuncturam suam, & vidi, & ecce super ea nerui, & carnes ascenderunt: & extenta est in eis cutis desuper, & spiritum non habebant. Et dixit ad me: vaticinare ad spiritum; 70. Propheta super spiritum. Vaticinare fili hominis, & dices ad spiritum; hæc dicit Dominus Deus: à quatuor vẽtis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reuiuiscant. Et prophetaui sicut præceperat mihi: & ingressus est in ea spiritus, & vixerunt, steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde. 70. congregatio multa nimis. Et dixit ad me, fili hominis, ossa hæc vniuersa Domus Israël est: ipsi dicunt: aruerunt ossa nostra, & periit spes nostra, & abscissi sumus. 70. dissennimus, desiimus, defuimus. Hiero. desperauimus, Tertullianus autem auulsi sumus. Proptereà vaticinare, & dices ad eos: hæc dicit Dominus Deus, ecce ego aperiam tumulos vestros, 70. memorias vestras. Vnde & dicta monumenta. Quia Epitaphia memoriam seruant mortuorum. Et educam vos de sepulchris vestris 70. reducam populus meus: & inducam vos in terram Israël. Et scietis quia ego Dominus, cùm aperuero sepulchra vestra, & eduxero vos de tumulis vestris popule meus, & dedero spiritum meum in vobis, & vixeritis, & requiescere vos faciam super humum vestram: & scietis quia ego Dominus locutus sum, & feci, ait Dominus Deus. 70. autem: & dabo spiritum meum in vobis, & viuetis: & ponam vos super terram vestram: & cognoscetis quia ego Dominus, locutus sum, & faciam dicit Dominus. PRÆDICATIONEM. Prophetiam. CONCVTIANT, quasi eradicare volentes, & detorquere literam in allegoriam. Vt ossa arida posuerit pro imagine & figura domus Israel. DEFORMARI. Delineari. NVLLA OPINOR, ironicè dicta. ALIAS. Alibi clariùs prædicta est resurrectio. TEMERE. Frustrà; cùm aliis locis expressè prænuntietur. RECIDIVATVS. Restitutio. FIGMENTVM. Figura. PRIVS SIBI. In seipsa, imago resuscitationis status Iudaici debet esse, hoc est ossium resurrectio, vt verè resurrectionem status possit figurare. DE VACVO. Ex eo quod non est, peti similitudo non potest. REVISCERATIONEM. Intimam instaurationem. SI POPVLVS ALLEGORICE MVSSITARET, si Hebræi de Deo quærerentur sub figura ossium aridorum, Deus quoque allegorica promissione eos consolatus fuisset, &c. SPES CECIDISSET. Spem resurrectionis amisisset populus. MANIFESTVS EST hic locus, apertam populi diffidentiam erigere. Neque enim adhuc populus de captiuitatis suæ restitutione desperauerat. Vnde nec Prophetiæ resurrectionis intentio in Parabolam detorquenda est. ALII PROPHETÆ. Malach. 4. 2. Et egrediemini & salietis sicut vituli de armento, & calcabitis impios. 70. Sicut vituli de vinculis relaxati, & conculcabitis iniquos. Nulla versio habet verba hæc quæ de suo inseruit Tertullianus. De sepulchris, vt locum suo subiecto aptaret. ET RVRSVM Esa. 66. 14. Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt. RECORPORANDARVM. In pristina corpora compaginanda restituendarum. REDANIMANDARVM. Rursum propriis animabus informandarum. DICTVM EST. Esa. 26. 19. Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent: expergiscimini & laudate qui habitatis in puluere, quia ros tuus, & terram gygantum detrahes in ruinam, 70. verò: Resurgent mortui, & expergiscentur qui in monumentis, & lætabuntur qui sunt in terra. Ros enim qui à te, sanatio eis est: terra autem impiorum cadet. ITEM ALIBI. Esa. 66. 23. Veniet omnis caro, vt adoret coram facie mea: 70. addunt, in Ierusalem dicit Dominus: & egredientur, & videbunt cadauera virorum qui præuaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt vsque ad satietatem visionis 70. in visionem omni carni. HABITVS MVNDI. De quo Paulus præterit figura huius mundi. CŒLVM NOVVM. Esa. 65. 17. Ecce enim ego creo cœlos nouos, & terram nouam. Et 66. 22. Sicut cœli noui, & terra noua quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus: sic stabit semen vestrum & nomen vestrum. 70. Sicut cœlum nouum, & terra noua, quæ ego facio, permanent in conspectu meo, &c. HABES SCRIPTVM. Vbi scriptum legerit, nusquam in Scriptura reperi, post diligentem indagationem. Fortè apud Prophetiden Priscam quam alibi citat. Vel more suo, retexens quæ suprà ex Ezechiele dixerat de recompaginatis ossibus; & insinuans quod Scriptum est Apoc. 20. 13. Et dedit mare mortuos qui in eo erant: scilicet olim vorati à piscibus, vel absorpti fluctibus; vnum ex duobus locum contexuit. Apud Moysen Gen. 9. 5. Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum. IN REDHIBITIONEM. Restitutionem, repræsentationem. Vox iuris Redhibitio est quædam in integrum restitutio, l. cùm autem redhibitio. §. iubent. de Ædil. edict. redhibere autem, est facere vt rursus habeat venditor quod habuerat, & quia id fiebat reddendo, idcirco redhibitio dicta est quasi redditio. Vlpianus in l. 21. ff. de Ædil. Edict. l. 8. & l. 9. ff. eodem. l. 9. l. 19. ff. de vsucap. l. 7. §. qui bona fide ff. pro emptor. EDICITVR. Pronuntiatur quasi Ædilitio edicto. HVIVS QVOQVE. Quæ mortuos suscitat. QVAM CAPVLVM, magis

quàm capsa, & theca, siue loculus cadaueris. SENIVM. *Vetusta & obsoleta in aliqua solitudine sepultura, in qua quiescunt mortuorum corpora. Iuxta Iob:* dormiens silerem, & somno meo requiescerem cum Regibus & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines. *Affert Author exemplum Ionæ, quò probet, de piscibus quoque deuorata hominum corpora exigenda. Sic enim Ionæ 2. 1.* Et præparauit Dolninus piscem grandem vt deglutiret Ionam. 70. *Et præcepit Dominus Ceto magno deuorare Ionam* & erat Ionas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus. *versu autem* 11. Et dixit Dominus pisci; & euomuit Ionam in aridam. 70. *verò:* & à Domino præceptum est Ceto, & eiecit Ionam super siccam. SALVO EO. *Præterquam quod, ferarum & bestiarum nomine, loco Gen. præcitato intelligi possunt Tyranni, & homines barbari, vel dæmones, quorum instinctu crudelitas in hominum corpora feris obiecta desæuiit; de quibus repetet iusta Dei vindicta rationem: secundùm illud saltem,* vltio sanguinis seruorum tuorum qui effusus est, introëat in conspectu tuo, gemitus compeditorum. *Et Deut. 32. 43.* Sanguinem seruorum suorum vlciscetur, & vindictam retribuet in hostes eorum. PENSANDAM. *Retribuendam in iustum pensum & mercedem.* QVIS DISCENDI MAGIS ADFINIS, *&c. quæ cùm ita sint; nemo est qui pronior sit ad discendum humiliter, quàm de se superbè præsumendum, & diuinæ magis cultor sapientiæ quam suæ libidinosus amator, qui non statim cùm audierit Deum in Scripturis promittentem hominis ossibus, neruis, carnibus, &c. redintegrationem, non propriè ipsius humani corporis substantiis resurrectionem, quàm animæ prophetatam interpretetur.* DESTINATVR. *Decernitur.* DE ARGVTISSIMIS. *Ironicè contra hæreticos, qui omnia de corporibus dicta detorquent sensu allegorico in animas.* IN ANIMAM QVID. *Cùm de anima aliquid scribitur, cur præcisè de ipsa volunt intelligi, nec mutuo transfigurari, & per Metaphoram de corporibus interpretari?* SPECIEM CORPORALEM. *In rem aliquam corpoream.* OMNIA POTIVS. *Quamuis sint à re aliena, & violentâ interpretatione transferantur.* SI CORPORALIA. *Si quæ propriè, ad corpus attinent, parabolicè & figuratiuè transferenda sunt ad res spiritales, & ad animas pertinentes: cur non &* animalia, *id est quæ ad animam spectant, pari modo, cùm sit par ratio, de rebus corporalibus dicta & scripta intelligi volunt? cùm non magis anima dici possit homo, quàm corpus. Si enim* species, *id est casus positus de rebus corporeis, patitur interpretationem velut ænigma figurans rem spiritalem; stultè excluditur res spiritalis ab huiusmodi sensu allegorico & ænigmatico.* INSTRVMENTO. *Ex libris Prophetarum petito authentico testimonio. De præcipuis in resurrectionis confirmationem locis hîc à Tertulliano relatis differentem accipe Augustinum. Ac primò quidem de Ezechielis vi-*
S. Aug. *sione to. 3. lib. 10. de Gen. ad lit. cap. 5.* Quòd, inquit, ex Angelis tanquam parentibus Deus creet animas, nulla mihi de Canonicis libris occurrit authoritas; multò minus itaque ex mundi corporeis elementis: nisi fortè illud mouet quod apud Ezechielem Prophetam cùm demonstraretur resurrectio mortuorum, redintegratis corporibus, ex quatuor ventis cœli aduocatur spiritus, quo perflante viuificentur, vt surgant. Sic enim scriptum est: Propheta super spiritum, Propheta fili hominis, &c. & Prophetaui sicut præcepit mihi Dominus, & introiuit spiritus vitæ in eos, & reuixerunt, & steterunt super pedes suos congregatio multa valde. Vbi mihi videtur propheticè significatum, non ex illo tantùm campo vbi res ipsa demonstrabatur, sed ex toto orbe terrarum resurrecturos homines, & hoc per flatum quatuor mundi partium fuisse figuratum. Neque enim etiam flatus ille ex corpore Domini, substantia erat Spiritus sancti, quando sufflauit, & ait, acci-
A pite Spiritum sanctum: sed vtique significatum est, sic etiam ab ipso procedere Spiritum S. quo modo ab eius corpore flatus ille processit. Sed quia mundus non ita Deo coaptatur ad vnitatem personæ, sicut caro illa Verbo eius vnigenito filio; non possumus dicere, ita esse animam de substãtia Dei, quemadmodum flatus ille à quatuor ventis, de natura mundi factus est: sed tamen aliud eum fuisse, aliud significasse puto: quod exemplo flatus ex corpore Domini procedentis rectè intelligi potest: etiamsi Ezechiel Propheta illo loco, non resurrectionem carnis, qualis propriè futura est, sed inopinatam de-
B speratì populi reparationem, per Spiritum Domini qui repleuit orbem terrarum, figuratâ reuelatione præuidit. *Vbi vides tam literaliter, quàm allegoricè hunc Ezechielis locum exposuisse Augustinum. De resurrectione expressiùs lib. 20. de Ciuit. cap. 20.* Resurrectionem, S. Aug.
inquit, mortuorum futuram esse in carne, quando Christus venturus est viuos iudicaturus & mortuos, oportet si Christiani esse volumus, vt credamus. Sed non ideo de hac re inanis est fides nostra, si quemadmodum futura sit, perfectè comprehendere non valemus. *Et cap. 21. præcitatum à Tertulliano Esaiam, sic pulchrè interpretatur.* Propheta Esaias resurgent, S. Aug.
inquit, mortui; & resurgent qui in sepulchris erant: & lætabuntur omnes qui sunt in terra. Ros enim qui abs te est, sanitas illis est: terra verò impiorum
C cadet. Totum illud superius ad resurrectionem pertinet beatorum. Quod autem ait: terra verò impiorum cadet, benè intelligitur dictum, corpora impiorum ruina damnationis excipiet. Iam verò, si de bonorum resurrectione quod dictum est, diligentius & distinctius velimus intueri, ad primam referendum est quod dictum est, resurgent mortui: ad secundam verò quod sequitur, & resurgent qui in sepulchris erant. Iam & si illos inquiramus Sanctos, quos hîc viuos inuenturus est Dominus, eis congruè deputabitur quod adiunxit: & lætabuntur omnes qui sunt in terra: ros enim, &c. sanitatem loco isto immortalitatem rectissimè accipimus. Ea namque est plenissima sanitas, quæ non reficitur alimen-
D tis, tanquam quotidianis medicamentis. Item de iudicij die spem priùs dans bonis, deinde terrens malos, idem Propheta sic loquitur: hæc dicit Dominus: ecce ego declino in eos vt flumen pacis, & vt torrens inundans, gloriam gentium. Filij eorum super humeros portabuntur, & super genua consolabuntur: quemadmodum si quem mater consoletur, ita ego vos consolabor, & in Ierusalem consolabimini: & videbitis, & gaudebit cor vestrũ, & ossa vestra sicut herba exorientur. Et cognoscetur manus Domini colentibus eum: & comminabitur contumacibus. Ecce enim Dominus vt ignis veniet, & vt tempestas currus eius, reddere in indignatione vindictam, & vastationem in flamma ignis. In igne enim Domini iudicabitur omnis terra, & in gladio eius *bicipiti procedente ex ore eius*, omnis caro. Multi vulnerati erunt à Domino. In bonorum pro-
E missione se declinare dicit flumen pacis: quod profectò abundantiam pacis illius debemus accipere, quâ maior esse non possit. Hac vtique in fine rigabimur, &c, vt intelligamus in illius fœlicitatis regione quæ in cœlis est, hoc flumine omnia satiari. Sed quia & terrenis corporibus pax incorruptionis atque immortalitatis vim influet, ideo declinare se dicit hoc flumen, vt de supernis, *animabus scilicet gloriosis*, quodammodo etiam inferiora, *nempe corpora*, perfundat, & homines æquales Angelis reddat. Ierusalem quoque, non illam quæ seruit cum filiis suis, sed liberam matrem nostram intelligamus, secundùm Apostolum æternam in cœlis. Vbi post labores ærumnarum curarumque mortalium consolabimur,

tanquam paruuli, eius in humeris genibusque portati. Rudes enim nos & nouos blandissimis adiutoriis insolita nobis illa beatitudo suscipiet: ibi videbimus, & gaudebit cor nostrum. Nec expressit quid videbimus. Sed quid nisi Deum, vt impleatur in nobis promissum Euangelicum: Beati mundo corde, &c. hîc creditis, ibi videbitis. Sed quoniam dixit, & gaudebit cor vestrum; ne putaremus illa bona Ierusalem, ad nostrum tantummodò spiritum pertinere: & ossa, inquit, vestra vt herba exorientur: vbi resurrectionem corporum strinxit, velut quod non dixerat, reddens. Neque cùm viderimus, fiet: sed cùm fuerint facta videbimus, &c. & cognoscetur manus Domini colentibus eum; quid est hoc? nisi manus distinguentis cultores suos, à contemptoribus suis; de quibus sequentia contexens: & comminabitur, inquit, contumacibus, siue vt ait alius interpres, incredulis: nec tunc comminabitur, sed quæ nunc dicuntur minaciter, tunc efficaciter implebuntur. *Deinde sub finem capitis de igne & verme.* Ad hoc, inquit, iste Propheta terminauit librum, ad quod terminabitur sæculum. Quidam sanè non interpretati sunt membra hominum, sed cadauera virorum; per cadauera, significantes euidentem corporum pœnam. Quamuis cadauer, nisi caro exanimis non soleat nuncupari: illa verò animata erũt corpora; alioquin nulla poterunt sentire tormenta: nisi fortè quia mortuorum erunt corpora, id est eorum qui in secundam mortem *id est æternam animæ & corporis* cadent: ideo non absurdè etiam cadauera dici possunt. Vnde est & illud quod ab eodem Propheta dictum suprà posui: terra verò impiorum cadet. Quis autem non videat à cadendo appellata esse cadauera? virorum A autem pro eo posuisse illos interpretes, quod est hominum, manifestum est. Neque enim quisquam dicturus est, prævaricatrices fœminas in illo supplicio non futuras: sed ex potiore, præsertim de quo fœmina facta est, vterque sexus accipitur. *Tandem cap. 22. de egressu beatorum ad videndas pœnas reproborum.* Quomodo, inquit, egredientur boni ad videndas pœnas malorum? Numquid corporis motu beatas illas relicturi sunt sedes, & ad loca pœnalia perrecturi, vt malorum tormenta conspiciant præsentiâ corporali? absit. Sed egredientur per scientiam: hoc enim verbo significatum est, eos qui cruciabuntur extra futuros, &c. qui erunt in pœnis, Quid agatur in gaudio Domini, nescient: qui verò erunt in illo gaudio, quid agatur foris in illis tenebris exterioribus, sciet. *Multò magis quàm hic Propheta absentia in Deo videbant. Tum de semine & nomine Sanctorum:* Stabit, inquit, in illa beatitudine Sãctorum semen & nomen. Semen scilicet de quo Ioannes. 1. 3. ait, & semen eius in eo manet. Nomen verò, de quo per hunc Esaiam dictum est: nomen æternum dabo eis: & erit eis mensis ex mense, & Sabbatum ex Sabbato, tanquam Luna ex Luna; & requies ex requie. Quorum vtrumque ipsi erunt, cùm ex his vmbris veteribus & temporalibus, in illa lumina noua, ac sempiterna transibunt. In pœnis autem malorum, & ignis inextinguibilis, & viuacissimus vermis, ab aliis atque aliis, aliter atque aliter est expositus. Alij quippe vtrumque ad corpus, alij vtrumque ad animam retulerunt: alij propriè ad corpus ignem, vermem verò tropicè ad animam: quod credibilius esse videtur.

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

11. *Resurrectionem malè euertunt hæretici, ex veteri homine iuxta Paulum dissoluendo. De Resur. cap. 45. V. Verbum homo vetus num. 3.*

12. *Resurrectioni non officit Paulus dicens, quod caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. De Resur. cap. 49. à m. & 50. per totum.*

a 1. Cor. 15. 50. QVum imaginem & choïci & cœlestis in conuersatione constituat; illam ejerandam, hanc verò sectandam; dehinc adjungat, [a] *Hoc enim dico*, (id est, propter ea quæ suprà dixi: conjunctio est enim sensus, supplementum antecedentibus reddens) *quòd caro & sanguis regnum Dei hæreditati possidere non possunt.* nihil aliud intelligi mandat carnem & sanguinem, quàm supradictam imaginem choïci: quæ si in conuersatione censetur vetustatis, conuersatio autem vetustatis non capit Dei regnum, proinde caro & sanguis non capiendo Dei regnum, ad conuersationem rediguntur vetustatis. Planè, si nunquam Apostolus

b Rom. 8. 9. pro operibus substantiam posuit, nec hîc ita vtatur. Si verò [b] *in carne adhuc constitutos, negauit esse in carne*, in operibus carnis negans esse; formam eius subruere non debes; non substantiam, sed opera substantiæ, alienantis à Dei regno. Quibus etiam ad Galatas manife-

c Gal. 5. 21. statis, [c] *prædicere se & prædixisse profitetur; quòd qui talia agunt, regnum Dei non sunt hæreditate consecuturi, non portantes scilicet imaginem cœlestis, sicut portauerant choïci;* ideoque ex vetere

1. Cor. 15. 50. conuersatione, nihil aliud deputandi, quàm caro & sanguis. Nam & si subitò in hanc definitionem erupisset Apostolus: eliminandam carnem & sanguinem à Dei regno, sine vllius suprà sensus præstructione, nonne duas istas substantias proinde hominem veterem interpretaremur carni & sanguini deditum, id est, esui & potui; cuius sit dicere aduersus

d Ibid. 32. fidem resurrectionis, [d] *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur?* Et hoc enim infulciens Apostolus, carnem & sanguinem de fructibus ipsorum, manducandi & bibendi, sugillauit.

Cap. 1. Sed & omissis huiusmodi interpretationibus, carnis & sanguinis opera taxantibus, ipsas quoque substantias non aliter, quàm sunt, intellectas, licebit resurrectioni vindicare. Non enim resurrectio carni & sanguini directò negatur, sed Dei regnum, quod obuenit

Io. 5. 29. resurrectioni, (est autem & in iudicium resurrectio) immò & confirmatur carnis resurrectio generalis, quum specialis excipitur. Dum enim in quem statum non resurgat, edicitur, in quem resurgat subauditur. Atque ita dum pro meritis distinctionem resurrectionis, opus substantiæ, non genus, patitur, apparet hinc quoque carnem & sanguinem, nomine culpæ, non substantiæ, arceri à Dei regno; nomine tamen formæ resurgere in iudicium, quia

e 1. Cor. 15. 50. non resurgant in regnum. Adhuc dicam: [e] *Caro & sanguis regnum Dei hæreditate possidere non possunt.* Meritò, sola, & per semetipsa; vt ostenderet adhuc spiritum illis necessarium.

Spiritus

[f] *Spiritus enim est qui viuificat* in regnum Dei, *caro nihil prodest*. Prodesse tamen illi aliud potest, id est spiritus, & per spiritum, opera quoque spiritus. Resurgunt itaque ex æquo omnis caro & sanguis in qualitate sua. Sed quorum est adire regnum Dei, induere oportebit vim incorruptibilitatis & immortalitatis, sine qua regnum Dei adire non possunt, antequam consequi eam possint. Meritò ergo caro & sanguis, vt diximus, sola, regnum Dei capere deficiunt. Iam verò quum [g] *deuorari habeat corruptiuum istud, ab incorruptibilitate*, id est caro: & [h] *mortale istud, ab immortalitate*, id est, sanguis post resurrectionem ex demutatione; meritò, non demutata, ac deuorata, caro & sanguis, regnum Dei hereditati possidere non possunt, non tamen resuscitata. Sunt qui carnem & sanguinem, Iudaïsmum velint accipi, propter circumcisionem, alienum & ipsum à Dei regno, quia & ille vetustati deputetur, & hoc titulo iam & alibi ab Apostolo denotetur, qui post reuelatum in se filium Dei; ad euangelizandum eum in nationibus, statim non retulerit ad carnem & sanguinem, id est, ad circuncisionem, id est, ad Iudaïsmum, sicut ad Galatas scribit.

f Io.6.63. g 1. Cor. 15.53. h 1. Cor. 15.50. Gal. 1.16.

13. *Et de Resur. cap. 51. à p. ad f.*

[a] NEc *corruptela*, inquit, *incorruptelam hereditati habebit*. non vt carnem & sanguinem existimes corruptelam, quando ipsa sint potiùs obnoxia corruptelæ, per mortem scilicet. siquidem mors est, quæ carnem & sanguinem non modò corrumpit, verumetiam consumit. Sed quoniam opera carnis & sanguinis non posse consequi regnum Dei edixerat, quò magis hoc exaggeraret, ipsi quoque corruptelæ, id est morti, cui carnis & sanguinis opera proficiunt, hereditatem incorruptelæ ademit. Nam & paulò post, ipsius mortis quodammodo mortem expressit: [b] *Deuorata est mors*, dicens, *in contentionem. Vbi est, mors, aculeus tuus? vbi est, mors, contentio tua? Aculeus autem mortis, delinquentia*; hæc erit corruptela. [c] *Virtus autem delinquentiæ, lex*. illa alia sine dubio, quam cõstituit [d] *in membris suis militantem aduersus legem animi sui*: ipsam scilicet vim delinquendi contra voluntatem. Nam & suprà, [e] *nouissimum inimicum, mortem, euacuari ait*. Hoc modo, [f] *nec corruptela hereditatem incorruptelæ consequetur*; id est, nec mors perseuerabit. Quando, & quomodo defectura? [g] *Cùm in atomo, in momentaneo oculi motu, in nouissima tuba & mortui resurgent incorrupti*. Qui hi, nisi qui antè corrupti? id est, corpora, id est, caro & sanguis? *Et nos demutabimur*. De qua habitudine, nisi in qua deprehendemur? *Oportet enim corruptiuum istud induere incorruptionem, & mortale istud induere immortalitatem*. Quid mortale, nisi caro? quid corruptiuum, nisi sanguis? Ac ne putes aliud sentire Apostolum, prouidentem tibi, &, vt de carne dictum intelligas, laborantem; quum dicit, istud corruptiuum; &, istud mortale, cutem ipsam tenens dicit. Certè istud nisi de subiecto, nisi de comparenti pronuntiasse non potuit. Demonstrationis corporalis est verbum. Aliud autem corruptiuum, aliud corruptela; & aliud mortale, & aliud mortalitas. Aliud enim quod patitur, aliud quod pati efficit. Ita, quæ patiuntur corruptelam & mortalitatem, caro scilicet & sanguis, ea necesse est patiantur & incorruptelam & immortalitatem.

a 1. Cor. 15.50. b Ibid. 54. 55. c Ibid. 56. d Rom. 7. 23. e 1. Cor. 15. 26. f 1. Cor. 15. 50. g Ibid. 52. 53.

14. *Resurrectio in regnum, magis competit carni ex se innocuæ; cùm anima peccatrix, per carnis pœnitentiam expurgata, digna sit regno, 5. cont. Marc. cap. 10. circa f.*

QVale autem, vt si anima auctrix operum carnis merebitur Dei regnum, per expiationem eorum quæ in corpore admisit, corpus ministrum solummodò, in damnatione permaneat? Venefico absoluto, calix erit puniendus? Et tamen non vtique carni defendimus Dei regnum, sed resurrectionem substantiæ suæ; quasi januam regni per quam aditur. Ceterùm, aliud resurrectio, aliud regnum. Primò enim resurrectio, dehinc regnum. Resurgere itaque dicimus carnem, sed mutatam consequi regnum. [a] *Resurgent enim mortui incorruptè*; illi scilicet, qui fuerãt corrupti, dilapsis corporibus in interitum. *Et nos mutabimur in atomo, in oculi momentaneo motu. Oportet enim corruptiuum hoc*; tenens vtique carnem suam dicebat Apostolus, *induere incorruptelam, & mortale hoc immortalitatem*; vt scilicet habilis substantia efficiatur regno Dei. [b] *Erimus enim sicut Angeli*. Hæc erit demutatio carnis resuscitatæ. Aut si nulla erit, quomodo induet incorruptelam & immortalitatem? Aliud igitur facta per demutationem, tunc consequetur Dei regnum; iam non caro nec sanguis, sed quod illi corpus Deus dederit. Et ideò rectè Apostolus, [c] *Caro & sanguis regnum Dei non consequentur*; demutationi illud adscribens, quæ accedit resurrectioni.

a 1. Cor. 15.53. Ibid. 52. b Matth. 22.30. c 1. Cor. 15.50.

15. *Resurrectioni carnis non obstat dictum Pauli de corpore animali, quasi anima sit quæ resurgat: non enim resurgit nisi quod moritur. De Resur. cap. 53. in p.*

COrpus animale, animam quidam argumentantur, vt illum à carne auocent recidiuatum. Porrò, quum constet, fixumque sit, illud resurrecturum corpus, quod fuerit seminatum, ad ipsius rei exhibitionem prouocabuntur. Aut ostendant animam seminatam

post mortem, id est mortuam, id est humi elisam, disjectam, dissolutam, quod in illam à Deo decretum non est: proponant corruptelam eius, & dedecorationem, infirmitatem, vt ipsius sit etiam exsurgere in incorruptelam, & in gloriam, & in virtutem. Sed enim in Lazaro, Io. 11. 11. præcipuo resurrectionis exemplo, caro jacuit in infirmitate, caro penè computruit in dedecorationem, caro interim putuit in corruptionem; & tamen Lazarus caro resurrexit; cum anima quidem; sed incorrupta; quam nemo vinculis lineis strinxerat, nemo in sepulcro collocarat, nemo iam fœtere senserat, nemo quatriduò viderat seminatam. Totum habitum, totum exitum Lazari, omnium quoque caro hodie experitur, anima verò nullius. In qua ergo stilus Apostoli comparet; de qua eum loqui constat; ea erit & corpus animale, quum seminatur; & spiritale, quum suscitatur.

RESVRRECTIONEM MALE EVERTVNT. 12. 13. 14. 15. SCHOL.

IMAGINEM, ET CHOICI. *Id est terreni limacei, de terra & limo formati. Repetit quod suprà dixerat ex Paulo. 1. Cor. 15. 47.* Primus homo de terra terrenis, secundus homo de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales & terreni; & qualis cœlestis, tales & cœlestes. *Syr. primus homo pulnerulentus ex terra; homo secundus Dominus è cœlo.* Igitur sicut portauimus *Syr. induimus*, imaginem terreni, portemus imaginem cœlestis. Hoc autem dico, fratres: quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. *Syr. hæreditate possidere.* Neque corruptio incorruptelam. IN CONVERSATIONE. *Paulus per imaginem cùm intelligat conuersationem, vult nos abiurare mores corruptos terreni, & imitari bonos cœlestis.* HÆREDITATI. *Ad hæreditatem. In hæreditatem accipere.* MANDAT. *Vult nihil aliud intelligi per carnem & sanguinem, quàm veterem hominem, & conuersationem terrenam exui, quæ regnum Dei possidere non potest.* PRO OPERIBVS SVBSTANTIAS. *Si Paulus nullibi sumat substantias carnis, vel animæ, pro earum operibus & actibus, nec hoc loco putetur sic sumere; sed cùm alibi dicat, videlicet Rom. 8.* qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: *per carnem, opera carnis intelligens, non debemus modum eius loquendi euertere, quo à regno Dei non exclusit carnem tanquam malam, sed opera carnis, quibus manifestatis & declaratis Gal. 5. 21.* Quæ prædico vobis, inquit, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. *Qui propter veterem conuersationem nihil aliud reputandi sunt quàm caro & sanguis.* ET SI SVBITO. *Quamuis Paulus sine vllo præambulo imaginis terreni hominis, hoc est terrenæ sapientiæ, ex abrupto exclusisset à regno Dei carnem & sanguinem, certè nihil aliud interpretari debuissemus, quam vitam Epicurei dicentis,* Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. INFVLCIENS. *Præmissis quasi fundamentis fulciens.* DE FRVCTIBVS, *propter opera corruptibilia esus & potus, taxauit.* VINDICARE, *asserere, attribuere. Credere resurrecturam carnem & sanguinem, non quidem quantum ad corruptionem, sed quantùm ad eandem substantiam. Paulus enim non directè negat resurrectionem carnis & sanguinis, licet hæc excludat à regno, quia duplex est resurrectio, vna malorum in iudicium de quo, Io. 5. 29.* Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Syr. damnationis: *Altera bonorum ad regnum.* IN QVEM RESVRGAT. *Scilicet vt iudicetur omnis caro, generalis resurrectio supponitur, tam bonorum quàm malorum. Vnde cùm Paulus eliminet regno carnem & sanguinem, intelligit malorum iudicandorum in damnationem, & æternam corruptionem & mortem.* OPVS SVBSTANTIÆ. *Conuersatio vitæ carnalis, vel spiritalis.* NON GENVS. *Id est substantia carnis, nullam patitur distinctionem: tam enim caro reprobi quàm electi resurget, licet cum distinctione præmij sicut & meriti:* qui enim seminauerit in carne, de carne & metet corruptionem, qui verò seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. *Et rursum:* Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. NOMINE CVLPÆ. *Propter culpam.* NOMINE FORMÆ, *propter formam & imaginem, siue conuersationem terrenam.* IN IVDICIVM. *Damnationem.* MERITO SOLA. *Nisi enim anima viuificaret corpus, non resurgeret, nec ascenderet in regnum cœli.* IN QVALITATE, *id est, naturâ suâ corporeâ.* CAPERE DEFICIVNT. *Non possunt, quandiu ab anima separata sunt, & adhuc corruptibilia sunt.* EX DEMVTATIONE *Propter immutationem corruptibilis carnis, & mortalis, in incorruptibilem & immortalem.* VETVSTATI DEPVTETVR. *Iudaïsmus, pro vita veteri reputatur, & eius Sacramenta post nouam legem ab Apostolo reiiciuntur, & Galatæ ea repetentes, arguuntur & notantur.* NON RETVLERIT, *alludit ad verba Pauli Gal. 1. 16.* Cùm placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me, vt Euangelizarem illum in gentibus: continuò non acquieui carni & sanguini. *Translat. Syr.* statim non patefeci carni & sanguini, *id est consanguineis, non communicaui consilia mea Iudæis circumcisis.*

13. OPERA PROFICIVNT. *Distinguit, vt par est, corruptionem ipsam, siue mortem, à carne & sanguine corruptibilibus, dicitque opera carnis & sanguinis, morti seruire; tum quòd ex prima gula, vel vt ait Paulus:* per peccatum mors: *& cum cæteris operibus carnis,* plures occidit gula quàm gladius. *Adeò vt regnum mortis, quæ iuxta Paulum,* regnauit ab Adam, *per opera carnis acceleretur. Hinc iure exclusit carnem & sanguinem mortalem atque corruptibilem ab hæreditate, quam Petrus etiam vocat* incorruptibilem & incontaminatam conseruatam in cœlis. DEVORATA EST MORS. *1. Cor. 15. 54.* Cùm autẽ mortale hoc induerit immortalitatem, *Syr. hoc quod corruptibile est, induerit incorruptibilitatem, & hoc mortale, immortalitatem* tunc fiet sermo qui scriptus est, *Osee scilicet 13. 14.* de manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua ô mors, morsus tuus ero, inferne. 70. *vbi est causa tua mors? vbi est aculeus tuus inferne?* Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? stimulus autẽ mortis *Syr. aculeus*, peccatum est: virtus verò *Syr. vis*, peccati lex. Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. ILLA ALIA. *de qua Rom. 7. 23.* Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuãtem me in lege peccati quæ est in membris meis. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius. CONTRA VOLVNTATEM. *Rom. 7. 19.* Non enim quod volo bonum *Syr. addit, facere,* hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. NAM ET SVPRA. *1. Cor. 15. 26.* Nouissima autem inimica destruetur mors. HOC MODO. *Sic fiet, inquit, vt mors quæ propriè corruptela est, destructa, vel vt legit Syriaca, abolita, non supersit, quæ regnum Dei incorruptelæ promissum, hoc est immortalitati, possidere possit.*

NEC MORS PERSEVERABIT. Mors vltra non erit. IN ATOMO. 1. *Cor.* 15. 52. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba: canet enim tuba, & mortui resurgēt incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem. *Translat. Syr.* Subitò quasi ictu oculi per extremam tubam, cùm vocem emittet, & resurgent mortui absque corruptione, &c. DE QVA HABITVDINE; *de quo statu, nisi corruptibili in quo erunt corpora nostra priusquam resurgant, in statum incorruptibilem, deinde à terra iam indigna corporibus gloriosis, in regnum cæli & hæreditatem incorruptibilem, quam vtique caro & sanguis non possidebunt, quandiu corruptibiles erunt.* PROVIDENTEM TIBI. O *hæretice, qui negas resurrectionem carnis, & solam animam resurgere credis à statu peccati ad gratiam & gloriam immortalem, scias Paulum nihil tibi prouidisse quo errorem tuum defenderes, sed præuidisse potiùs quo veritatem impugnares; & ne de corruptione spiritali tibi blandireris, pronomine demonstratiuo corporeæ, visibilis, tractabilis substantiæ vsus est, quasi carnem suam apprehendens dixit, hoc mortale, hoc corruptibile. Vide in hanc rem suprà dicta ex Augustino.* EA NECESSE EST, &c. *quia idem est subiectum contrariorum quæ se expellunt ab eodem subiecto. Vt incorruptibilitas pellat à carne & sanguine corruptibilibus, imò corruptis omnem corruptionem, quin etiam ipsam corruptibilitatem.*

14. QVALE AVTEM. *Quis hoc sentiat.* ANIMA AVCTRIX. *Principium omnium motuum & operum carnis.* CALIX PVNIENDVS. *Caro tanquam vas & instrumentum solum peccati.* CARNI DEFENDIMVS. *Vindicamus, tuemur, dandum esse regnum Dei non dicimus quandiu corruptibilis adhuc est, sed eius substantiæ asserimus resurrectionem, per quam regnum cæleste adibit.* SI NVLLA ERIT. *Si omnino in nihilum redacta fuerit, quomodo iuxta Paulum ipsa mutari poterit, ex corruptibili in incorruptibilem.* IAM NON CARO. *Scilicet corruptibilis, sed ex dono Dei corpus incorruptibile.* ACCEDIT RESVRRECTIONI. *Carni iam resuscitatæ aduenit.*

15. ANIMAM QVIDAM. *Aliqui hæretici, perperam per corpus animale volunt Paulum intelligere animam, vt fidem abstrahant à resurrectione carnis, siue reditu animæ in idem corpus.* AD EXHIBITIONEM. *Compelluntur aduersarij resurrectionis carnis, exhibere quid voluerit Paulus dicens de eodem quod seminatur dum in terra sepelitur; nisi idipsum resurgat spiritale, hoc est instar spiritus Angelici incorruptibile & immortale. Probent animam in terra sepeliri post mortem, & in terram dissolui, si ex ea sumpta est. Cum Deus de carne solùm Adæ & posterorum eius dixerit:* donec reuertaris in terram de qua sumptus es. TOTVM EXITVM LAZARI. *Communis est omnium mortalium cum Lazaro sors, omnium anima immortalis est, omnium caro mortalis.* STILVS COMPARET. *Manifestum est Paulum de hoc ipso corporis organo loqui, siue dicat corpus animale quod seminatur, siue spiritale, quod suscitatur. Relictis ad præsens aliis locis, vtpote iam alibi expositis, vel exponendis, id vnum per Augustinum expono, quod Tertullianus maximè vrget his duobus textibus, quos idcirco sub idem Scholium redegi. Nimirum quòd caro & sanguis regnum* S. Aug. *Dei non possidebunt. to. 3. in Enchir. ad Laur. c. 91.* Resurgent, inquit, Sanctorum corpora sine vllo vitio, sine vlla deformitate, sine vlla corruptione, onere, difficultate. In quibus tanta facilitas resurgendi, quanta fœlicitas erit. Propter quod & spiritalia dicta sunt, cùm proculdubio corpora sint futura, non spiritus. Sed sicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen, corpus non anima est: ita tunc spiritale corpus erit, corpus tamen non spiritus erit. Proinde quantùm attinet ad corruptionem quæ nunc aggrauat animam, & ad vitia quibus caro aduersus spiritum concupiscit, tunc non erit caro *id*

A *est carnis vitia, vt suprà dixit Tertullianus,* sed corpus: quia & cœlestia corpora perhibentur. Propter quod dictum est, caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Et tanquam exponens quid dixerit; neque corruptio, inquit, incorruptionem possidebit. Quod priùs dixit, caro & sanguis: hoc posteriùs dixit, corruptio: & quod priùs regnum Dei, hoc posteriùs incorruptionem. Quantum autem attinet ad substantias, etiam tunc caro erit. Propter quod & post resurrectionem corpus Christi caro appellatum est. *Et to. 6. lib. 11. contra Faustum cap. 3.* Discernens, inquit, inter corpus animale & spiritale, cōtexit quod iam commemoraui de primo Adam, & de nouissi-
B mo Adam. Deinde intulit, hoc autem dico fratres, quoniam caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. Et ne quisquam ipsam speciem carnis, & ipsam substantiam non posse resurgere credidisset, exprimere volens quid tunc appellauerit carnem & sanguinem: quia ipsam corruptionem intelligi voluit, quæ tunc in resurrectione iustorum non erit, continuò contexuit, neque corruptio incorruptelam possidebit. Et ne adhuc quisquam putaret, non illud quod sepultum fuerit, resurrecturum, sed tanquam alia tunica ponatur, & alia melior accipiatur, volens apertissimè declarare quia hoc ipsum in melius commutabitur: sicut vestimenta Christi in monte non sunt posita, & alia sumpta, sed ipsa quæ fuerant in melius clarificata sunt, sequitur & contexit dicens, ecce mysterium dico vobis; omnes quidem resurgemus, non omnes autem immutabimur. Et
C ne adhuc esset incertum, qui sint qui immutabuntur, in atomo, inquit, in ictu oculi, in nouissima tuba, canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Adhuc fortè dicant, non secundùm hoc mortale, & corruptibile corpus nos in resurrectione immutari, sed secundum animam; cùm Apostolus hoc non proposuerit vnde diceret, sed de corpore ab ipsius quæstionis initio locutus fuerit, sicut ipsa eius indicat propositio: sed dicet aliquis, inquit, quomodo resurgunt mortui? quo autem corpore veniunt? hic iam consequenter tanquam digito ostendit vnde loqueretur, & subiecit dicens, oportet enim corruptibile hoc induere incorruptelam, &c. *Et lib. 2. contra Aduersarium legis & Prophet. cap. 6.* Illud, inquit, quod Apostolus ait, S. Aug.
D caro & sanguis regnum Dei non possidebunt: non facit de anima, sed de resurrectione corporis quæstionem. Verùm & ista duobus modis soluitur. Aut enim carnis & sanguinis nomine, corruptionem carnis & sanguinis nuncupauit, quæ in resurrectione non erit: aut carnem & sanguinem, homines ad omnes illecebras sæcularium voluptatum carnis & sanguinis deditos, qui regnum Dei non possidebūt. Totus autem iste locus Apostolici sermonis, vbi scriptum est: caro & sanguis, &c. si consideretur diligentiùs, magis persuadebit corruptionem carnis, sicut nunc est, his eum vocabulis appellare voluisse, atque ad exponendum quid diceret, adiunxisse; neque corruptio incorruptionē possidebit. Quia cùm
E facta fuerit, quæ in resurrectione speratur, illa mutatio, non vtique remanebit vlla corruptio. Quamuis ergo & post resurrectionē Dominus dixerit discipulis suis: palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere; tamen secundùm substantiam, caro erit, non secundùm corruptionem quæ nunc carni hoc nomen imponit. Vnde ait Propheta, omnis caro fœnum. Numquid enim & Domini quam leuauit in cœlum? quo ergo modo appellauit Propheta carnem, vbi ait, omnis caro fœnum? dicturus vtique, fœnum aruit: eo modo & Apostolus ait: caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Quia ibi non erit corruptio, quà

nunc ſicut fœnum natura carnis areſcit. *Vide in eandem rem à nobis dicta ex Aug.* Verbo carnis infirmi- A tas. *Num. 3. & 4. de abſorpta autem morte in victoriam, vide dicenda num. 16. ſequenti.*

16. *Reſurrectioni non obeſt quod ait Paulus; mortale deuorandum à vita: non enim ſubſtantia carnis, ſed ſola mortalitas deuorabitur. De Reſur. cap. 54. per totum. & 55. ad m.*

ITa de vocabulorum occaſionibus plurimum quæſtiones ſubornantur, ſicut & de ver-
a 2. Cor. borum communionibus. Nam, quia & illud apud Apoſtolum poſitum eſt, [a] *Vt deuore-*
5. 4. *tur mortale à vita*; caro ſcilicet; deuorationem quoque ad perditionem ſcilicet carnis arri-
piunt: quaſi non bilem & dolorem dicamur deuorare, id eſt, abſcondere, ac tegere, & in-
b 1. Cor. tra noſmetipſos continere. Denique, quum & illud ſcriptum ſit, [b] *Oportet mortale hoc in-*
15. 53. *duere immortalitatem*, oſtenditur quomodo mortale deuoretur à vita, dum indutum immor-
talitate abſconditur, & tegitur, & intus continetur; non dum abſumitur, & amittitur.
Ergo & mors, inquis, ſalua erit, quum fuerit deuorata. Ideo diſcerne pro ſenſibus com-
munionem verborum, & integrè intelligis. Aliud enim mors, & aliud mortale. Aliter ita-
que deuorabitur mors, & aliter mortale. Mors non capit immortalitatem, mortale au-
tem capit. Denique & ſcriptum eſt, quod *neceſſe ſit mortale hoc induere immortalitatem*. Quo-
modo ergo capit? dum deuoratur à vita. Quomodo deuoratur à vita? dum recipitur, &
redigitur, & includitur in ipſam. Ceterùm, mors meritò in interitum deuoratur, quia &
c 2. Cor. ipſa in hoc deuorat. [c] *Deuorauit*, inquit, *mors inualeſcendo*, & ideo deuorata eſt in contentio-
5. 4. nem. [d] *Vbi eſt, mors, aculeus tuus? vbi eſt, mors, contentio tua?* Proinde & vita, mortis ſcilicet
d 1. Cor. æmula, per contentionem deuorabit in ſalutem, quod per contentionem deuorauerat
15. 55. Cap. LV. mors in interitum. Quamquam igitur reſurrecturam carnem probantes, hoc ipſo non
aliam reſurrecturam probemus, quàm de qua agitur; tamen ſingulæ quæſtiones, & cauſæ
earum, proprios quoque flagitant congreſſus, licet aliunde iam cæſæ. Interpretabimur
itaque pleniùs & vim & rationem demutationis, quæ fermè ſubminiſtrat alterius carnis
reſurrecturæ præſumptionem; quaſi demutari, deſinere ſit in totum, & de priſtino peri-
re. Diſcernenda eſt autem demutatio ab omni argumento perditionis. Aliud enim demu-
tatio, aliud perditio. Porrò, non aliud, ſi ita demutabimur caro, vt pereat. Peribit autem
demutata, ſi non ipſa permanſerit in demutatione, quæ exhibita fuerit in reſurrectione.
Quemadmodum enim perit, ſi non reſurgit; ita etſi reſurgit quidem, verùm in demuta-
tionem ſubducitur, æquè perit. Æquè enim non erit, ac ſi non reſurrexerit. Et quàm in-
eptum, ſi in hoc reſurgit, vt non ſit! quæ potuit non reſurrexiſſe, nec eſſe; quia non eſſe
iam cœperat. Non miſcebuntur omnino diuerſa, mutatio atque perditio; operibus vti-
que diuerſa. perdit hæc, illa mutat. Quomodo ergo, quod perditum eſt, mutatum non
eſt: ita quod mutatum eſt, perditum non eſt. Periſſe enim eſt, in totum non eſſe quod fue-
rit: mutatum eſſe, aliter eſſe eſt. Porrò, dum aliter eſt, idipſum poteſt eſſe: habet enim
eſſe quod non perit. Mutationem enim paſſum eſt, non perditionem. Atque adeò poteſt
& demutari quid, & ipſum eſſe nihilominùs. vt & totus homo in hoc æuo ſubſtantiâ qui-
dem ipſe ſit, multifariam tamen demutetur, & habitu, & ipſâ corpulentiâ, & valetudine,
& conditione, & dignitate, & ætate, ſtudio, negotio, artificio, facultatibus, ſedibus, le-
gibus, moribus; nec quicquam tamen amittat hominis; nec ita alius efficiatur, vt ceſſet
idem eſſe: immò nec alius efficiatur, ſed aliud.

RESVRRECTIONI NON OBEST. 16. SCHOL.

QVÆSTIONES SVBORNANTVR. *Sumptâ occaſione ex vocabulis, & nominum ſimilitudine, quæſtiones à curioſis ſubdolè proponuntur. Sic faciunt hæretici, qui vt probent irreparabilem carnis interitum, vel totam carnis conſumptionem, arripiunt hoc vocabulum à Paulo. 2. Cor. 5. 4.* Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati: eo quòd nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur quod mortale eſt à vita. *Quaſi verò, inquit, non ſuperſit in nobis bilis & dolor, cùm prudentiâ ad tempus dicimur eum deuorare. Imò verò* premit altum corde dolorem, viuit tacitum ſub pectore vulnus. *Quin & ipſe Paulus, dum indui, & ſuperueſtiri immortalitate optat, corpus iam incorruptibile futurum, ſine indumento immortalitatis tegendum ſuſpirat.* DISCERNE PRO SENSIBVS. *Sequentibus explicat dum ſubiicit. Aliud ſiquidem eſt mors, aliud corpus mortale. Mors enim non poteſt immortalitatem recipere, ſed corpus quod eſt mortale, manens corpus, mortalitate deuoratâ per vitam immortalem, immortalitalitatis veſte induitur.* NECESSE SIT. B *Sic enim Paulus.* Oportet, inquit, mortale hoc induere immortalitatem. IN HOC DEVORAT. *Vt ſcilicet in interitum abripiat.* DEVORAVIT, INQVIT, *Paraphraſticè ex verbis Pauli Rom. 5. 12. & ſeq.* In omnes homines mors tranſit, &c. regnauit mors ab Adam, &c. vnius delicto mors regnauit per vnũ. IN CONTENTIONEM. *Accenſo zelo Redemptoris, cum morte contendentis.* CONGRESSVS, *diſputationes ſpeciales.* PORRO NON ALIVD, *ſupple erit, nihil immutatio diſcriminis habebit, ab omnimodo interitu & perditione.* SVBDVCITVR. *Tollitur è rerum natura. Nihil in ſequentibus difficile, proinde locum Pauli de abſorpta ſiue deuorata morte à vita in victoriam, ſupereſt vt cum Auguſtino explicemus ac primò quidem tomo 4. libro octoginta trium quæſtione. qq. 70. vbi quidem de ſtatu beatæ immortalitatis hunc locum intelligit. ſed tamen de perfecta victoria concupiſcentia carnis in reſurrectione futura, abſque vlla deinceps contentione futura exponit.* Quæri ſolet, inquit, quid ſit, quod ſcriptum eſt abſorpta eſt mors in vi-

ctoriam. Vbi est mors contentio tua, &c. mortem significari arbitror hoc loco, carnalem consuetudinem, quæ resistit bonæ voluntati, delectatione bonorum temporalium fruendorum. Non enim diceretur, vbi est contentio tua, si non restitisset & repugnasset. Ipsius contentio etiam illo loco describitur. Caro concupiscit aduersus spiritum, &c. Hæc enim inuicem sibi resistunt & aduersantur, vt non quæcumque vultis, illa faciatis. Fit ergo per sanctificationem perfectam, vt omnis carnalis appetitus, spiritui nostro illuminato & viuificato, id est, bonæ voluntati subiiciatur, &c. Hanc autem mortem peccato meruimus, quod peccatum erat antè omnimodò in libero arbitrio, cùm in Paradiso nullus dolor denegatâ delectatione, *id est nondum habitâ*, voluntati bonæ hominis resistebat, sicuti nunc. v.g. si quisquã existat, quem nunquam delectauit venatio, omnimodò liber est, vtrùm venari velit an nolit; nec eum cruciat quisquis hoc prohibet. At si istâ libertate malè vsus, venatus fuerit contra prohibentis imperium, paulatim surrepens delectatio, mortificat animam, vt si se abstinere velit, absque molestia, & sine angore non possit, cùm id antè totâ sanitate non ageret. Ergo aculeus mortis peccatum est, quia peccato facta est delectatio, quæ iam possit resistere bonæ voluntati, & cum dolore cohiberi. Quam delectationem, quia in defectu est animæ deterioris effectæ, iure mortẽ vocamus: virtus autem peccati lex, *quam Tertullianus suprà dixit contendendo inualuisse*, quia multò sceleratiùs & flagitiosiùs, quæ lex prohibet, committuntur, quàm si nullâ lege prohiberentur. Tunc itaq; absorpta erit mors in victoriam, cùm per sanctificationem, in omni parte hominis perfecta, *tam animâ quàm carne in resurrectione futura absque contentione & lite*, delectatione spiritalium, delectatio carnalis obruetur. *Et tom. 7. lib. de perfect. iustitiæ cap. 6. vbi cùm egisset de prædicta lucta, & contentione, quæ ex praua hominis voluntate processit.* Cur, inquit, concupiscentia carnis, quæ vtique culpabilis atque vitiosa est, nihilque est aliud quam desiderium peccati, quod idem Apostolus præcipit ne regnet in nostro mortali corpore, vbi satis ostendit, esse tamen in nostro mortali corpore quod permittendum non sit, vt regnet: cur ergo ista concupiscentia non mutata est eâ voluntate, quam voluntatem satis euidenter expressit Apostolus dicens, vt non ea quæ vultis faciatis; si facilè potest, *vt dicebat Celestinus, contra quem hunc librum scripsit, quòd vellet in hac vita hominem posse tam perfectè iustum euadere, vt sine vllo peccato viueret*, voluntas voluntate mutari? Nec sanè isto modo naturam siue animæ, siue corporis, quam Deus creauit, & quæ tota bona est, accusamus, sed eam dicimus propriâ voluntate vitiatam, sine Dei gratia non posse sanari, &c. & naturam hominis bonam esse, & eam malo carere posse: nam ideò clamamus, libera nos à malo: quod non perficitur, quandiu corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, sed hoc agitur gratiâ per fidem, vt aliquando dicatur, vbi est mors contentio tua? vbi est mors aculeus tuus? aculeus autem mortis peccatum: virtus verò peccati lex: quoniam lex prohibendo auget peccati cupiditatem, nisi diffundat Spiritus charitatẽ: quæ plena & perfecta tunc erit, cùm videbimus facie ad faciem. *Libro autem 3. de peccatorum meritis cap. 11. magis fauet sententiæ Tertulliani, locum Apostoli resurrectioni applicanti*: Nemo, inquit, ambigit hoc ibi de corporis morte dictum, quoniam de resurrectione corporis magnâ Apostoli intentione quæstio versabatur, & ideò videtur ibi de peccato tacuisse, quia non erat quæstio de iustitia. Hîc autem ad Romanos vtrumque posuit, & vtrumque diutissimè commendauit, peccatum in Adam, iustitiam in Christo, & mortem in Adam, vitam in Christo, &c. quamquam ibi etiam ad Corinthios locum ipsum de resurrectione Domini tractatũ, sic in fine concluserit, vt nos dubitare non sineret, mortẽ quoq; corporis merito accidisse peccati. Cùm enim dixisset, oportet corruptibile hoc, &c. Tunc fiet, inquit, sermo qui scriptus est. Absorpta est mors in victoria. vbi est mors, &c. quia ergo, sicut verba Apostoli apertissima declarant, eo absorbebitur mors in victoria, quo corruptibile & mortale hoc induet incorruptionem & immortalitatem, id est, quo viuificabit Deus, & mortalia corpora nostra, propter habitantem spiritum eius in nobis, manifestum est & huius mortis corporis, quæ resurrectioni carnis contraria est, aculeum fuisse peccatum: aculeum autem, quo mors facta est, non quem mors fecit: peccato enim morimur, non morte peccamus, &c. Sic enim dicimus & poculum mortis, quo aliquis mortuus sit vel mori possit, non quòd moriens mortuusve confecerit. Aculeus itaque mortis peccatum est, peccati punctu mortificatum est genus humanum. Quid adhuc quærimus, cuius mortis? vtrùm animæ an corporis? vtrùm primæ, quâ nunc omnes morimur, an secundæ, quâ tunc impij morientur? Nulla causa est exagitandi quæstionem, nullus tergiuersandi locus, Apostoli verba quibus id agebat, interrogata respondent: cùm mortale hoc, inquit, induerit immortalitatem, tunc fiet, &c. de resurrectione corporis agebat, quâ absorbebitur mors in victoria, cùm mortale hoc, &c tunc ipsi morti insultabitur, quæ in victoria resurrectionis corporis absorbebitur Tunc ei dicetur, vbi est mors victoria tua? &c. Morti ergo corporis hoc dicetur: hanc enim absorbebit victoriosa immortalitas, cùm mortale hoc immortalitate induetur. Morti, inquam, corporis tunc dicetur, vbi est mors victoria tua, quâ hîc omnes sic viceras, vt etiam Dei filius tecum confligeret, teque non vitando, sed suscipiendo superaret. vicisti in morientibus; victa es in resurgentibus. Victoria tua, quâ absorbueras corpora morientium, temporalis fuit: victoria nostra, quâ in corporibus absorpta es resurgentium, æterna constabit. Vbi est aculeus tuus? hoc est peccatum, quo puncti & venenati sumus, vt etiam in nostris corporibus fieres, & ea tam longo tempore possideres? Aculeus autem mortis est peccatum, virtus verò peccati, lex. Peccauimus in vno omnes, vt moreremur in vno omnes. Accepimus legem, vt non emendatione finiremus peccatum, sed vt transgressione augeremus. Lex enim subintrauit, vt abundaret peccatum, & conclusit Scriptura omnia sub peccato. Sed Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum Iesum Christum, vt vbi abundauit peccatum, superabundaret & gratia, atque vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus, & vinceremus mortem per immortalem resurrectionem, & aculeum eius peccatum per gratuitam iustificationem. Nemo itaque de hac re fallatur & fallat. Omnes adimit atque aufert iste sanctæ Scripturæ sensus manifestas ambages. *Et hæc plenissimè ad probandam contra aduersarios carnis, eiusdem resurrectionem.*

17. *Resurrectio mutabit carnem, non substantiâ, sed qualitate: vt factum est in Moyse, Stephano, Christo, faciem mutantibus: Saüle item & Sathanâ immutatis. De resurr. cap. 55. à med. ad finem.*

Exod. 4. 6. Exd. 34. 30. & 2. Cor. 3. 7 & seq. Act. 6. 15. & 7. 55. Matth. 17. 2. & 3. 4. Reg 2. 11. a 1. Philip. 3. 21. b 1. Reg. 10. 6. c 2. Cor. 11. 14.

HAnc formam demutationis diuina etiam documenta testantur. Mutatur Moysi manus, & quidem, ad instar emortuæ, exanguis; & ex albida, frigida; sed & recepto calore, & refuso colore, eodem caro & sanguis est. Mutatur posteà & facies eiusdem, incontemplabili claritate. Sed Moyses erat proinde, qui non videbatur. Sic & Stephanus angelicum iam fastigium induerat, sed non alia genua lapidationi succiderant. Dominus quoque in secessu montis etiam vestimenta luce mutauerat, sed lineamenta Petro agnoscibilia seruauerat. vbi etiam Moses & Helias, alter in imagine carnis nondum receptæ, alter in veritate nondum defunctæ, eandem tamen habitudinem corporis, etiam in gloria perseuerare docuerunt. De quo exemplo instructus & Paulus, [a] *Qui transfigurabit*, inquit, *corpus humilitatis nostræ, conformale corpori gloriæ suæ.* Quòd si & transfigurationem, & couersionem, in transitum substantiæ cuiusque defendis, ergo & [b] *Saül in alium virum conuersus*, de corpore excessit, & [c] *ipse Sathanas, cùm in angelum lucis transfiguratur*, qualitatem suam amittit? non opinor. Ita & in resurrectionis euentum, mutari, conuerti, reformari licebit, cum salute substantiæ.

RESVRRECTIO MVTABIT CARNEM. 17. SCHOL.

HAnc formam. *Exemplum immutationis, non substantiæ quidem, sed qualitatis & dotis gloriosæ habemus in Scriptura sacra. Quale fuit in manu Moysi priùs leprosa, dehinc sana educta, & in facie eiusdem facta luminosa, ita vt aspectus eius ab Israëlitis ferri non posset.* Angelicvm iam fastigivm indverat. *Non tantùm quia ex Augustino cæterisque Patribus, virgines Angelis innubis sunt æquales; sed quia sicut Angeli vident faciem Patris, sic de eo dicitur Actorum 7. 55.* Cùm autem esset plenus Spiritu sancto. intendens in cœlum vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei, & ait: Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris virtutis Dei. *Et cap. 6. 15.* Intuentes eum omnes qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli. *Augustinus Stephani amantissimus* S. Aug. *serm. 185. de temp.* Stephanus, inquit, plenus Spiritu sancto, iam non in terra Christum requirit, sed aperto cœlo vidit gloriam Dei: neque iam de vindicta cogitat, sed pro persecutoribus suis exorat & S. Aug. supplicat. *Et serm. 1. de S. Stephano.* Viuebat Stephanus de Christo, sicut sermentum de vite. Miraris fructum de sermento pendentem, vide vt sermētum in vite manentem. *Et ibid. De iisdem genibus flexis, eadémque substantia carnis, licèt vultu angelico. Cùm reuelisset quasi de transformato de claritate in claritatem tanquam à Domini Spiritu, vt pote reuelatâ facie gloriam Domini speculante,* S. Aug. Orauit, inquit, Christus pro suis crucifixoribus, orauit & Stephanus pro suis lapidatoribus. Dominus Iesus Christus orauit affixus ligno, Stephanus genuflexo. Qui stando suum spiritum commendauit Domino, pro illorum delicto orauit genufixo, &c. Scriptum est, ad magnam S. Aug. mensam sedisti, *Eccli. 31. 12.* scito quoniam talia te oportet præparare. *Sic Prouerb. 23. 1. iuxta 70.* talia ergo in oratione exhibuit, qualia in sui Domini mensa cōmedit. *Et serm. 6.* Pulcher erat minister, quia pulcher erat & Magister. Pulcher erat vbique Stephanus iste in corde & corpore, &c. Stephano Martyri & pulchritudo erat corporis, & flos ætatis, & eloquentia sermocinantis, & sapientia sanctissimæ mentis, & operatio diuinitatis. *Et ibidem sic Iudæos affatur:* Qui, inquit, despexistis faciem S. Aug. Moysi Legislatoris, personam Iudæi suscepistis crudelissimi delatoris, & ad dedecus vestrum, semper additis crimen vestrum, &c. Intendite faciem Stephani, si potestis: Moyses enim propter excæcationem vestram contra faciem suam posuit velamentum: Stephanus verò ad confusionem vestram contra vestrum conuentum resurrectionis annuntiat Sacramentum. *tam quòd Iesum ab eis contemptum & occisum dicat se videre stantem à dextris Dei: quàm quòd ipse, anticipatâ resurrectionis gloriâ, claritate angelicâ fulgeat.* & Moyses vester, quando velamentum posuit contra sanctam faciem suam, nolebat videre criminosam faciem vestram: Stephanus S. Aug. verò reuelatâ facie suâ speculabatur in cœlum gloriam Dei Filij, ideò videbant vultum eius Iudæi tanquam vultum Angeli Dei. Et nunc tantummodò B. Martyr Stephane, terram despice, cœlū conspice, & Pontificem sperne, Patrem attende. Despice Iudæum, & Sacerdotem, & populum, conspice in cœlo Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Indica tamen Iudęo quid sit illud quod diu cōtemplaris in cœlo. Ecce, inquit Stephanus, video cœlum apertum, & Iesum quem crucifixistis, quem illusistis morientem, quem signato sepulcro posuistis iacentem, video ego ad dexteram Patris stantem. *Et serm. 51. de diuersis.* Spiritum illius quò accipit Iesus? in quam S. Aug. mansionem? in quod cœlum cœli? quis comprehendit? quis explicat? vis audire compendium? Audi ipsum Christum: Pater volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum, &c. vbi ego sum, illic & minister meus, &c. Hoc putate dictum, quia hoc est dictum, vbi sum ego, illic & Diaconus meus. *Græcè enim significat ministrum, vt martyr testem, & Apostolus missum, &c.* Secutus est vestigia Pastoris sui, tanquam bona ouis: bonus agnus secutus est agnum, cuius sanguis tulit peccatum mundi. *Et serm. 92.* Martyr, in- S. Aug. quit, Stephanus beatus, & primus post Apostolos ab Apostolis Diaconus ordinatus, ante Apostolos coronatus, illas terras passus illustrauit, istas mortuus visitauit. Sed mortuus non visitaret, nisi & mortuus viueret. Exiguus puluis tantum populum cōgregauit: cinis latet, beneficia patent. Cogitate charissimi, quæ nobis Deus seruet in regione viuorum, qui tanta præstitit de puluere mortuorum, &c. S. Aug. *Et ibidem sub finem.* Lingua clamat, cor amat, &c. petris lapidabatur, qui pro petra lapidabatur, &c. contundebatur homo exterior, & supplicabat interior. Sed Dominus qui cinxerat *militem suum cum Psalte dicentem: præcinxisti me virtute ad bellum,*

qui probauerat, qui ei characterem, *tesseram Crucis*, non in manu, sed in fronte posuerat, spectabat desuper militem suum, iuuaturus certantem coronaturus vincentem. Denique ostendit se illi. Ecce enim inquit, video, &c. Solus videbat, quia illi soli apparebat, &c. *Et ser.* 93. Priores, inquit, Apostoli, sequentes Diaconi: & prior Martyr de Diaconis, quam de Apostolis: prior victima de agnis, quam de arietibus. Quantam autem cum Domino suo & Saluatore suo habuit similitudinem passionis? Falsi testes aduersus istum, quomodo aduersus illum, &c. *Et serm.* 94. Aperti sunt, inquit, cœli, vidit Martyr Martyrum caput: vidit Iesum stantem, &c. vidit, vt non taceret: non illi videbant, sed inuidebant. Et ideò non videbant, quia inuidebant. Non tacuit ille quod vidit, vt perueniret ad eum quem vidit, &c. *Et serm.* 95. Quando Adam de Paradiso eiectus est, post illud primum nefandumq; peccatum, contra humanum genus clausum est cœlum: post passionem Christi latro primus intrauit, posteà Stephanus apertum vidit Quid miramur? quod fideliter vidit, fideliter indicauit, & violenter inuasit, &c. multis non opus est verbis: sequatur Stephanum quicumque desiderat coronam. *Stephanus enim coronam significat. Et serm.* 99. Quàm manifestè, inquit, familiaris Angelis erat amicus, qui in medio luporum vt Angelus parebat. Adapertis etenim cœlis, aspectus mutatus est Confessoris. Et cœpit tanquam sole illustratus iustitiæ ita splendere, vt humanam speciem non haberet, ipsis patentibus cœlis, ipsis testantibus inimicis. Nam stabat in medio luporum, & erat facies eius tanquam facies Angeli stantis in medio Iudæorum. Quid agitis, ô Iudæi, non timetis ouem Christi pedissequam, quæ habet in fronte sua nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti? ipsum est signum quod vobis in Stephani fronte lucebat. Hoc signum viderunt cœli, & patefacti sunt: & tanquam ostenso signaculo in specie Angelorum, patefactæ sunt portæ cœlorum. Venit enim sanctus Stephanus cum clauibus fidei, & ipse aperuit quod fideliter credidit, & libenter aspexit, &c. Sed quid restabat vt cœlis patentibus videret, nisi ipsum, qui in cœlos ascenderat, Dominum Saluatorem? Nam istos cœlos omnes videmus, sed clausos, non patefactos, lucentes in stellis, non micantes in Angelis. Est autem non homo, sed Angelus. Homo sedem Palatij Domini sui non aspicit clausam, sed patefactam, &c. Inter mortuos clamabat, qui inter lupos coruscabat, &c. Sed quid mihi irascimini pro tanta testificatione Iudæi? numquid meâ iussione aut potestate patefacti sunt cœli? patefacti sunt, non vt gloriam meam proderent, sed vt Pastorem meum in me ostentantem adiutorium demonstrarent, &c. Non contempsi in Cruce pendentem, ideò video ad dexteram Patris sedentem. &c. ipse mihi testis est in cœlis, *vt Iob: Ecce in cœlo testis meus, & conscius meus in Excelsis. Et Psaltes s ebronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis*. ego ei non ero testis in terris? NON ALIA GENVA. *quàm humana succubuerant, quamuis Angelicâ esset facie coruscans.* NONDVM RECEPTÆ, *in resurrectione. Moyses enim non in propria carne apparuit, sed in eius specie.* EAMDEM HABITVDINEM. *statum & substantiam corporis in resurrectione futuram, licèt diuersam qualitatem omnia præmissa declarant.* QVI TRANSFIGVRAVIT. *Phil.* 3. 21. Nostra autem conuersatio in cœlis est. Vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundùm operationem, quâ etiam possit subiicere sibi omnia. *Translat. Syr.* qui quidem transfigurabit corpus humilitatis nostræ, vt fiat in similitudinem corporis gloriæ suæ, pro maxima virtute sua, quâ omnia subiecit sibi. DE CORPORE EXCESSIT. *amisit corpus suum, & substantialiter in alium virum mutatus est.* QVALITATEM SVAM. *hîc non ponit pro substantia & natura angelica, sed pro qualitate diabolica.* CVM SALVTE. *integritate & perseuerantia eiusdem naturæ. Quòd autem eadem substantia carnis maneat in corporibus gloriosis, præter suprà dicta ex Augusti. hæc breuiter ex eodem subiicio, tom.* 3 *in Enchirid. ad Laur. cap.* 91. Quantùm attinet, inquit, ad substantiam, etiam tunc caro erit, propter quod & post resurrectionem corpus Christi caro appellatum est: *Palpate, & videte quoniam ego ipse sum.* Sed ideò ait Apostolus. seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale: quoniam tanta erit tunc concordia carnis, & spiritus, viuificante spiritu sine sustentaculi alicuius indigentia subditam carnem, vt nihil nobis repugnet ex nobis: sed sicut foris neminem, ita nec intùs nosipsos patiamur inimicos. *&* l 22. *de Ciu. c.* 2. Restituetur, inquit, & quidquid de corporibus viuis, vel post mortem de cadaueribus periit, & simul cum eo quod in sepulchris remansit, in spiritalis corporis nouitatem, ex animalis corporis vetustate mutatum resurget: incorruptione atque immortalitate vestitum, &c. Erit ergo spiritui subdita caro spiritalis, sed taman caro, non spiritus; sicut carni subditus fuit spiritus ipse carnalis, sed tamen spiritus, non caro, &c. erit autem etiam corpore spiritalis, *supple homo in hac vita spiritalis*, cùm eadem caro sic resurrexerit, vt fiat quod scriptum est: seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale, *Et serm.* 2. *in Appendice ex nouis ex Codice Floriacensis Monast.* In hoc, inquit, Christianorum spes tota consistit, vt huius, non alterius corporis resurrectionem futuram esse credamus. Et quemadmodum nunc stamus in Ecclesia ante altare Dei, ita nos in die Iudicij staturos credamus ante tribunal Dei, dicente beato Apostolo Paulo: omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

18. *Resurrectioni non contradicit Paulus dicens: non omnis caro, eadem caro: eadem enim erit substantia, sed amplior gloria, vt idem semen resurgit ampliatum.*
De resurrect. cap. 52. *per totum.*

VIdeamus iam nunc quo corpore venturos mortuos disputet. Et benè, quod erupit statim ostendere, quasi quis eiusmodi quærat. [a] *Stulte, inquit, tu quod seminas, non viuificatur, nisi mortuum fuerit.* Hoc ergo iam de exemplo seminis constet, non aliam viuificari carnem, quàm ipsam quæ erit mortua. Et ita sequentia relucebunt. Nihil enim aduersus regulam exempli licebit intelligi. ne quia sequitur, [b] *Et quod seminas, non corpus quod futurum est, seminas*, idcircò aliud resurrecturum corpus, quàm quod moriendo seminatur, existimes. cæterùm, excidisti ab exemplo. Nunquam enim frumento seminato, & in terra dissoluto, hordeum erumpit, & non idipsum genus grani, eadémque

a 1. Cor. 15. 36.
b Ibid. 37.

tanquam paruuli, eius in humeris genibusque portati. Rudes enim nos & nouos blandissimis adiutoriis insolita nobis illa beatitudo suscipiet: ibi videbimus, & gaudebit cor nostrum. Nec expressit quid videbimus. Sed quid nisi Deum, vt impleatur in nobis promissum Euangelicum: Beati mundo corde, &c. hîc creditis, ibi videbitis. Sed quoniam dixit, & gaudebit cor vestrum; ne putaremus illa bona Ierusalem, ad nostrum tantummodò spiritum pertinere: & ossa, inquit, vestra vt herba exorientur: vbi resurrectionem corporum strinxit, velut quod non dixerat, reddens. Neque cùm viderimus, fiet: sed cùm fuerint facta videbimus, &c. & cognoscetur manus Domini colentibus eum; quid est hoc? nisi manus distinguentis cultores suos, à contemptoribus suis; de quibus sequentia contexens: & comminabitur, inquit, contumacibus, siue vt ait alius interpres, incredulis: nec tunc comminabitur, sed quæ nunc dicuntur minaciter, tunc efficaciter implebuntur. *Deinde sub finem capitis de igne & verme.* Ad hoc, inquit, iste Propheta terminauit librum, ad quod terminabitur sæculum. Quidam sanè non interpretati sunt membra hominum, sed cadauera virorum; per cadauera, significantes euidentem corporum pœnam. Quamuis cadauer, nisi caro exanimis non soleat nuncupari: illa verò animata erũt corpora; alioquin nulla poterunt sentire tormenta: nisi fortè quia mortuorum erunt corpora, id est eorum qui in secundam mortem *id est æternam animæ & corporis* cadent: ideo non absurdè etiam cadauera dici possunt. Vnde est & illud quod ab eodem Propheta dictum suprà posui: terra verò impiorum cadet. Quis autem non videat à cadendo appellata esse cadauera? virorum A autem pro eo posuisse illos interpretes, quod est hominum, manifestum est. Neque enim quisquam dicturus est, præuaricatrices fœminas in illo supplicio non futuras: sed ex potiore, præsertim de quo fœmina facta est, vterque sexus accipitur. *Tandem cap. 22. de egressu beatorum ad videndas pœnas reproborum.* Quomodo, inquit, egredientur boni ad videndas pœnas malorum? Numquid corporis motu beatas illas relicturi sunt sedes, & ad loca pœnalia perrecturi, vt malorum tormenta conspiciant præsentiâ corporali? absit. Sed egredientur per scientiam: hoc enim verbo significatum est, eos qui cruciabuntur extra futuros, &c. qui erunt in pœnis, Quid agatur in gaudio Domini, nescient: qui verò erunt in illo gaudio, quid agatur foris in illis tenebris exterioribus, sciet. *Multò magis quàm hic Propheta absentia in Deo videbant. Tum de semine & nomine Sanctorum:* Stabit, inquit, in illa beatitudine Sãctorum semen & nomen. Semen scilicet de quo Ioannes. 1. 3. ait, & semen eius in eo manet. Nomen verò, de quo per hunc Esaiam dictum est: nomen æternum dabo eis: & erit eis mensis ex mense, & Sabbatum ex Sabbato, tanquam Luna ex Luna; & requies ex requie. Quorum vtrumque ipsi erunt, cùm ex his vmbris veteribus & temporalibus, in illa lumina noua, ac sempiterna transibunt. In pœnis autem malorum, & ignis inextinguibilis, & viuacissimus vermis, ab aliis atque aliis, aliter atque aliter est expositus. Alij quippe vtrumque ad corpus, alij vtrumque ad animam retulerunt: alij propriè ad corpus ignem, vermem verò tropicè ad animam: quod credibilius esse videtur. S. Aug. S. Aug. S. Aug. B

11. *Resurrectionem malè euertunt haeretici, ex veteri homine iuxta Paulum dissoluendo. De Resur. cap. 45. V. Verbum homo vetus num. 3.*

12. *Resurrectioni non officit Paulus dicens, quod caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. De Resur. cap. 49. à m. & 50. per totum.*

QVum imaginem & choïci & cœlestis in conuersatione constituat; illam ejerandam, hanc verò sectandam; dehinc adjungat, [a] *Hoc enim dico*, (id est, propter ea quæ suprà dixi: conjunctio est enim sensus, supplementum antecedentibus reddens) *quòd caro & sanguis regnum Dei hæreditati possidere non possunt.* nihil aliud intelligi mandat carnem & sanguinem, quàm supradictam imaginem choïci: quæ si in conuersatione censetur vetustatis, conuersatio autem vetustatis non capit Dei regnum, proinde caro & sanguis non capiendo Dei regnum, ad conuersationem rediguntur vetustatis. Planè, si nunquam Apostolus pro operibus substantiam posuit, nec hîc ita vtatur. Si verò [b] *in carne adhuc constitutos, negauit esse in carne*, in operibus carnis negans esse; formam eius subruere non debes; non substantiam, sed opera substantiæ, alienantis à Dei regno. Quibus etiam ad Galatas manifestatis, [c] *prædicere se & prædixisse profitetur; quòd qui talia agunt, regnum Dei non sunt hæreditate consecuturi, non portantes scilicet imaginem cœlestis, sicut portauerant choïci;* ideoque ex vetere conuersatione, nihil aliud deputandi, quàm caro & sanguis. Nam & si subitò in hanc definitionem erupisset Apostolus: eliminandam carnem & sanguinem à Dei regno, sine vllius suprà sensus præstructione, nonne duas istas substantias proinde hominem veterem interpretaremur carni & sanguini deditum, id est, esui & potui; cuius sit dicere aduersus fidem resurrectionis, [d] *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur?* Et hoc enim infulciens Apostolus, carnem & sanguinem de fructibus ipsorum, manducandi & bibendi, sugillauit. Sed & omissis huiusmodi interpretationibus, carnis & sanguinis opera taxantibus, ipsas quoque substantias non aliter, quàm sunt, intellectas, licebit resurrectioni vindicare. Non enim resurrectio carni & sanguini directò negatur, sed Dei regnum, quod obuenit resurrectioni, (est autem & in iudicium resurrectio) immò & confirmatur carnis resurrectio generalis, quum specialis excipitur. Dum enim in quem statum non resurgat, edicitur, in quem resurgat subauditur. Atque ita dum pro meritis distinctionem resurrectionis, opus substantiæ, non genus, patitur, apparet hinc quoque carnem & sanguinem, nomine culpæ, non substantiæ, arceri à Dei regno; nomine tamen formæ resurgere in iudicium, quia non resurgant in regnum. Adhuc dicam: [e] *Caro & sanguis regnum Dei hæreditate possidere non possunt.* Meritò, sola, & per semetipsa; vt ostenderet adhuc spiritum illis necessarium.

a 1. Cor. 15. 50. b Rom. 8. 9. c Gal. 5. 21. 1. Cor. 15. 50. d Ibid. 32. Cap. 1. Io. 5. 29. e 1. Cor. 15. 50.

Spiritus

[f] *Spiritus enim est qui viuificat* in regnum Dei, *caro nihil prodest.* Prodesse tamen illi aliud potest, id est spiritus, & per spiritum, opera quoque spiritus. Resurgunt itaque ex æquo omnis caro & sanguis in qualitate sua. Sed quorum est adire regnum Dei, induere oportebit vim incorruptibilitatis & immortalitatis, sine qua regnum Dei adire non possunt, antequam consequi eam possint. Meritò ergo caro & sanguis, vt diximus, sola, regnum Dei capere deficiunt. Iam verò quum [g] *deuorari habeat corruptiuum istud, ab incorruptibilitate,* id est caro: & [h] *mortale istud, ab immortalitate,* id est, sanguis post resurrectionem ex demutatione; meritò, non demutata, ac deuorata, caro & sanguis, regnum Dei hereditati possidere non possunt, non tamen resuscitata. Sunt qui carnem & sanguinem, Iudaïsmum velint accipi, propter circumcisionem, alienum & ipsum à Dei regno, quia & ille vetustati deputetur, & hoc titulo iam & alibi ab Apostolo denotetur, qui post reuelatum in se filium Dei; ad euangelizandum eum in nationibus, statim non retulerit ad carnem & sanguinem, id est, ad circuncisionem, id est, ad Iudaïsmum, sicut ad Galatas scribit.

f Io. 6. 63. g 1. Cor. 15. 53. h 1. Cor. 15. 50. Gal. 1. 16.

13. *Et de Resur. cap. 51. à p. ad f.*

[a] NEc corruptela, inquit, *incorruptelam hereditati habebit.* non vt carnem & sanguinem existimes corruptelam, quando ipsa sint potiùs obnoxia corruptelæ, per mortem scilicet. siquidem mors est, quæ carnem & sanguinem non modò corrumpit, verumetiam consumit. Sed quoniam opera carnis & sanguinis non posse consequi regnum Dei edixerat, quò magis hoc exaggeraret, ipsi quoque corruptelæ, id est morti, cui carnis & sanguinis opera proficiunt, hereditatem incorruptelæ ademit. Nam & paulò post, ipsius mortis quodammodo mortem expressit: [b] *Deuorata est mors*, dicens, *in contentionem. Vbi est, mors, aculeus tuus? vbi est, mors, contentio tua? Aculeus autem mortis, delinquentia*; hæc erit corruptela. [c] *Virtus autem delinquentiæ, lex.* illa alia sine dubio, quam cõstituit [d] *in membris suis militantem aduersus legem animi sui*: ipsam scilicet vim delinquendi contra voluntatem. Nam & suprà, [e] *nouissimum inimicum, mortem, euacuari ait.* Hoc modo, [f] *nec corruptela hæreditatem incorruptela consequetur*; id est, nec mors perseuerabit. Quando, & quomodo defectura? [g] *Cùm in atomo, in momentaneo oculi motu, in nouissima tuba & mortui resurgent incorrupti.* Qui hi, nisi qui antè corrupti? id est, corpora, id est, caro & sanguis? *Et nos demutabimur.* De qua habitudine, nisi in qua deprehendemur? *Oportet enim corruptiuum istud induere incorruptionem, & mortale istud induere immortalitatem.* Quid mortale, nisi caro? quid corruptiuum, nisi sanguis? Ac ne putes aliud sentire Apostolum, prouidentem tibi, &, vt de cârne dictum intelligas, laborantem; quum dicit, istud corruptiuum; &, istud mortale, cutem ipsam tenens dicit. Certè istud nisi de subiecto, nisi de comparenti pronuntiasse non potuit. Demonstrationis corporalis est verbum. Aliud autem corruptiuum, aliud corruptela; & aliud mortale, & aliud mortalitas. Aliud enim quod patitur, aliud quod pati efficit. Ita, quæ patiuntur corruptelam & mortalitatem, câro scilicet & sanguis, ea necesse est patiantur & incorruptelam & immortalitatem.

a 1. Cor. 15. 50. b Ibid. 54. 55. c Ibid. 56. d Rom. 7. 23. e 1. Cor. 15. 26. f 1. Cor. 15. 50. g Ibid. 52. 53.

14. *Resurrectio in regnum, magis competit carni ex se innocuæ; cùm anima peccatrix, per carnis pænitentiam expurgata, digna sit regno, 5. cont. Marc. cap. 10. circa f.*

QVale autem, vt si anima auctrix operum carnis merebitur Dei regnum, per expiationem eorum quæ in corpore admisit, corpus ministrum solummodò, in damnatione permaneat? Venefico absoluto, calix erit puniendus? Et tamen non vtique carni defendimus Dei regnum, sed resurrectionem substantiæ suæ; quasi ianuam regni per quam aditur. Ceterùm, aliud resurrectio, aliud regnum. Primò enim resurrectio, dehinc regnum. Resurgere itaque dicimus carnem, sed mutatam consequi regnum. [a] *Resurgent enim mortui incorruptè*; illi scilicet, qui fuerãt corrupti, dilapsis corporibus in interitum. *Et nos mutabimur in atomo, in oculi momentaneo motu. Oportet enim corruptiuum hoc*; tenens vtique carnem suam dicebat Apostolus, *induere incorruptelam, & mortale hoc immortalitatem*; vt scilicet habilis substantia efficiatur regno Dei. [b] *Erimus enim sicut Angeli.* Hæc erit demutatio carnis resuscitatæ. Aut si nulla erit, quomodo induet incorruptelam & immortalitatem? Aliud igitur facta per demutationem, tunc consequetur Dei regnum; iam non caro nec sanguis, sed quod illi corpus Deus dederit. Et ideò rectè Apostolus, [c] *Caro & sanguis regnum Dei non consequentur*; demutationi illud adscribens, quæ accedit resurrectioni.

a 1. Cor. 15. 53. Ibid. 52. b Matth. 22. 30. c 1. Cor. 15. 50.

15. *Resurrectioni carnis non obstat dictum Pauli de corpore animali, quasi anima sit quæ resurgat: non enim resurgit nisi quod moritur. De Resur. cap. 53. in p.*

COrpus animale, animam quidam argumentantur, vt illum à carne auocent recidiuatum. Porrò, quum constet, fixumque sit, illud resurrecturum corpus, quod fuerit seminatum, ad ipsius rei exhibitionem prouocabuntur. Aut ostendant animam seminatam

post mortem, id est mortuam, id est humi elisam, disjectam, dissolutam, quod in illam à Deo decretum non est: proponant corruptelam eius. & dedecorationem, infirmitatem, vt ipsius sit etiam exsurgere in incorruptelam, & in gloriam, & in virtutem. Sed enim in Lazaro, Io. 11. 11. præcipuo resurrectionis exemplo, caro jacuit in infirmitate, caro penè computruit in dedecorationem, caro interim putuit in corruptionem; & tamen Lazarus caro resurrexit; cum anima quidem; sed incorrupta; quam nemo vinculis lineis strinxerat, nemo in sepulcro collocarat, nemo iam fœtere senserat, nemo quatriduò viderat seminatam. Totum habitum, totum exitum Lazari, omnium quoque caro hodie experitur, anima verò nullius. In qua ergo stilus Apostoli comparet; de qua eum loqui constat; ea erit & corpus animale, quum seminatur; & spiritale, quum suscitatur.

RESVRRECTIONEM MALE EVERTVNT. 12. 13. 14. 15. SCHOL.

IMAGINEM, ET CHOICI. *Id est terreni limacei, de terra & limo formati. Repetit quod suprà dixerat ex Paulo.* 1. *Cor.* 15. 47. Primus homo de terra terrenis, secundus homo de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales & terreni; & qualis cœlestis, tales & cœlestes. *Syr. primus homo puluerulentus ex terra; homo secundus Dominus è cœlo.* Igitur sicut portauimus *Syr. induimus*, imaginem terreni, portemus imaginem cœlestis. Hoc autem dico, fratres: quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. *Syr. hæreditate possidere.* Neque corruptio incorruptelam. IN CONVERSATIONE. *Paulus per imaginem cum intelligat conuersationem, vult nos abiurare mores corruptos terreni, & imitari bonos cœlestis.* HÆREDITATI. *Ad hæreditatem. In hæreditatem accipere.* MANDAT. *Vult nihil aliud intelligi per carnem & sanguinem, quàm veterem hominem, & conuersationem terrenam exui, quæ regnum Dei possidere non potest.* PRO OPERIBVS SVBSTANTIAS. *Si Paulus nullibi sumat substantias carnis, vel animæ, pro earum operibus & actibus, nec hoc loco putetur sic sumere; sed cùm alibi dicat, videlicet Rom.* 8. qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: *per carnem, opera carnis intelligens, non debemus modum eius loquendi euertere, quo à regno Dei non exclusit carnem tanquam malam, sed opera carnis, quibus manifestatis & declaratis Gal.* 5. 21. Quæ prædico vobis, inquit, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. *Qui propter veterem conuersationem nihil aliud reputandi sunt quàm caro & sanguis.* ET SI SVBITO. *Quamuis Paulus sine vllo præambulo imaginis terreni hominis, hoc est terrena sapientia, ex abrupto exclusisset à regno Dei carnem & sanguinem, certè nihil aliud interpretari debuissemus, quam vitam Epicurei dicentis,* Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. INFVLCIENS. *Præmissis quasi fundamentis fulciens.* DE FRVCTIBVS, *propter opera corruptibilia esus & potus, taxauit.* VINDICARE, *asserere, attribuere. Credere resurrecturam carnem & sanguinem, non quidem quantùm ad corruptionem, sed quantùm ad eandem substantiam. Paulus enim non directè negat resurrectionem carnis & sanguinis, licet hæc excludat à regno, quia duplex est resurrectio, vna malorum in iudicium de quo, Io.* 5. 29. Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Syr. damnationis: *Altera bonorum ad regnum.* IN QVEM RESVRGAT. *Scilicet vt iudicetur omnis caro, generalis resurrectio supponitur, tam bonorum quàm malorum. Vnde cùm Paulus eliminet regno carnem & sanguinem, intelligit malorum iudicandorum in damnationem, & æternam corruptionem & mortem.* OPVS SVBSTANTIÆ. *Conuersatio vitæ carnalis, vel spiritalis.* NON GENVS. *Id est substantia carnis, nullam patitur distinctionem: tam enim caro reprobi quàm electi resurget, licet cum distinctione præmij sicut & meriti:* qui enim seminauerit in carne, de carne & metet corruptionem, qui verò seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. *Et rursum:* Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. NOMINE CVLPÆ. *Propter culpam.* NOMINE FORMÆ, *propter formam & imaginem, siue conuersationem terrenam.* IN IVDICIVM. *Damnationem.* MERITO SOLA. *Nisi enim anima viuificaret corpus, non resurgeret, nec ascenderet in regnum cœli.* IN QVALITATE, *id est, naturâ suâ corporeâ.* CAPERE DEFICIVNT. *Non possunt, quandiu ab anima separata sunt, & adhuc corruptibilia sunt.* EX DEMVTATIONE *Propter immutationem corruptibilis carnis, & mortalis, in incorruptibilem & immortalem.* VETVSTATI DEPVTETVR. *Iudaïsmus, pro vita veteri reputatur, & eius Sacramenta post nouam legem ab Apostolo reiiciuntur, & Galatæ ea repetentes, arguuntur & notantur.* NON RETVLERIT, *alludit ad verba Pauli Gal.* 1. 16. Cùm placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me, vt Euangelizarem illum in gentibus: continuò non acquieui carni & sanguini. *Transl. Syr.* statim non patefeci carni & sanguini, *id est consanguineis, non communicaui consilia mea Iudæis circumcisis.*

13. OPERA PROFICIVNT. *Distinguit, vt par est, corruptionem ipsam, siue mortem, à carne & sanguine corruptibilibus, dicitque opera carnis & sanguinis, morti seruire; tum quod ex prima gula, vel vt ait Paulus:* per peccatum mors: *& cum cæteris operibus carnis,* plures occidit gula quàm gladius. *Adeò vt regnum mortis, quæ iuxta Paulum,* regnauit ab Adam, *per opera carnis acceleretur. Hinc iure exclusit carnem & sanguinem mortalem atque corruptibilem ab hæreditate, quam Petrus etiam vocat* incorruptibilem & incontaminatam conseruatam in cœlis. DEVORATA EST MORS. 1. *Cor.* 15. 54. Cùm autẽ mortale hoc induerit immortalitatem, *Syr. hoc quod corruptibile est, induerit incorruptibilitatem, & hoc mortale, immortalitatem* tunc fiet sermo qui scriptus est, *Osee scilicet* 13. 14. de manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua ô mors, morsus tuus ero, inferne. 70. *vbi est causa tua mors? vbi est aculeus tuus inferne?* Absorpta est mors in victoria Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? stimulus autẽ mortis *Syr. aculeus*, peccatum est: virtus verò *Syr. vis*, peccati lex. Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. ILLA ALIA. *de qua Rom.* 7. 23. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati quæ est in membris meis. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius. CONTRA VOLVNTATEM. *Rom.* 7. 19. Non enim quod volo bonum *Syr. addit, facere*, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. NAM ET SVPRA. 1. *Cor.* 15. 26. Nouissima autem inimica destruetur mors. HOC MODO. *Sic fiet, inquit, vt mors quæ propriè corruptela est, destructa, vel vt legit Syriaca, abolita, non supersit, quæ regnum Dei incorruptelæ promissum, hoc est immortalitati, possidere possit.*

NEC MORS PERSEVERABIT. Mors vltra non erit. IN ATOMO. *1. Cor. 15. 52.* In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba: canet enim tuba, & mortui resurgēt incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem. *Translat. Syr.* Subitò quasi ictu oculi per extremam tubam, cùm vocem emittet, & resurgent mortui absque corruptione, &c. DE QVA HABITVDINE; *de quo statu, nisi corruptibili in quo erunt corpora nostra priusquam resurgant, in statum incorruptibilem, deinde à terra iam indigna corporibus gloriosis, in regnum cœli & hæreditatem incorruptibilem, quam vtique caro & sanguis non possidebunt, quandiu corruptibiles erunt.* PROVIDENTEM TIBI. *O hæretice, qui negas resurrectionem carnis, & solam animam resurgere credis à statu peccati ad gratiam & gloriam immortalem, scias Paulum nihil tibi prouidisse quo errorem tuum defenderes, sed præuidisse potiùs quo veritatem impugnares; & ne de corruptione spiritali tibi blandireris, pronomine demonstratiuo corporeæ, visibilis, tractabilis substantiæ vsus est, quasi carnem suam apprehendens dixit, hoc mortale, hoc corruptibile. Vide in hanc rem suprà dicta ex Augustino.* EA NECESSE EST, &c. *quia idem est subiectum contrariorum quæ se expellunt ab eodem subiecto. Vt incorruptibilitas pellat à carne & sanguine corruptibilibus, imò corruptis omnem corruptionem, quin etiam ipsam corruptibilitatem.*

14. QVALE AVTEM. *Quis hoc sentiat.* ANIMA AVCTRIX. *Principium omnium motuum & operum carnis.* CALIX PVNIENDVS. *Caro tanquam vas & instrumentum solum peccati.* CARNI DEFENDIMVS. *Vindicamus, tuemur, dandum esse regnum Dei non dicimus quandiu corruptibilis adhuc est, sed eius substantiæ asserimus resurrectionem, per quam regnum cœleste adibit.* SI NVLLA ERIT. *Si omnino in nihilum redacta fuerit, quomodo iuxta Paulum ipsa mutari poterit, ex corruptibili in incorruptibilem.* IAM NON CARO. *Scilicet corruptibilis, sed ex dono Dei corpus incorruptibile.* ACCEDIT RESVRRECTIONI. *Carni iam resuscitatæ aduenit.*

15. ANIMAM QVIDAM. *Aliqui hæretici, perperam per corpus animale volunt Paulum intelligere animam, vt fidem abstrahant à resurrectione carnis, siue reditu animæ in idem corpus.* AD EXHIBITIONEM. *Compelluntur aduersarij resurrectionis carnis, exhibere quid voluerit Paulus dicens de eodem quod seminatur dum in terra sepelitur; nisi idipsum resurgat spiritale, hoc est instar spiritus Angelici incorruptibile & immortale. Probent animam in terra sepeliri post mortem, & in terram dissolui, si ex ea sumpta est. Cum Deus de carne solùm Adæ & posterorum eius dixerit:* donec reuertaris in terram de qua sumptus es. TOTVM EXITVM LAZARI. *Communis est omnium mortalium cum Lazaro sors, omnium anima immortalis est, omnium caro mortalis.* STILVS COMPARET. *Manifestum est Paulum de hoc ipso corporis organo loqui, siue dicat corpus animale quod seminatur, siue spiritale, quod suscitatur. Relictis ad præsens aliis locis, vtpote iam alibi expositis, vel exponendis, id vnum per Augustinum expono, quod Tertullianus maximè vrget his duobus textibus, quos idcirco sub idem Scholium redegi. Nimirum quod caro & sanguis regnum* S. Aug. *Dei non possidebunt. to. 3. in Enchir. ad Laur. c. 91.* Resurgent, inquit, Sanctorum corpora sine vllo vitio, sine vlla deformitate, sine vlla corruptione, onere, difficultate. In quibus tanta facilitas resurgendi, quanta fœlicitas erit. Propter quod & spiritalia dicta sunt, cùm proculdubio corpora sint futura, non spiritus. Sed sicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen, corpus non anima est: ita tunc spiritale corpus erit, corpus tamen non spiritus erit. Proinde quantùm attinet ad corruptionem quæ nunc aggrauat animam, & ad vitia quibus caro aduersus spiritum concupiscit, tunc non erit caro *id est carnis vitia, vt suprà dixit Tertullianus,* sed corpus: quia & cœlestia corpora perhibentur. Propter quod dictum est, caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Et tanquam exponens quid dixerit; neque corruptio, inquit, incorruptionem possidebit. Quod priùs dixit, caro & sanguis: hoc posteriùs dixit, corruptio: & quod priùs regnum Dei, hoc posteriùs incorruptionem. Quantum autem attinet ad substantias, etiam tunc caro erit. Propter quod & post resurrectionem corpus Christi caro appellatum est. *Et to. 6. lib. 11. contra Faustum cap. 3.* Discernens, inquit, inter corpus animale & spiritale, cōtexit quod iam commemorau de primo Adam, & de nouissimo Adam. Deinde intulit, hoc autem dico fratres, quoniam caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. Et ne quisquam ipsam speciem carnis, & ipsam substantiam non posse resurgere credidisset, exprimere volens quid tunc appellauerit carnem & sanguinem: quia ipsam corruptionem intelligi voluit, quæ tunc in resurrectione iustorum non erit, continuò contexuit, neque corruptio incorruptelam possidebit. Et ne adhuc quisquam putaret, non illud quod sepultum fuerit, resurrecturum, sed tanquam alia tunica ponatur, & alia melior accipiatur, volens apertissimè declarare quia hoc ipsum in melius commutabitur: sicut vestimenta Christi in monte non sunt posita, & alia sumpta, sed ipsa quæ fuerant in melius clarificata sunt, sequitur & contexit dicens, ecce mysterium dico vobis; omnes quidem resurgemus, non omnes autem immutabimur. Et ne adhuc esset incertum, qui sint qui immutabuntur, in atomo, inquit, in ictu oculi, in nouissima tuba, canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Adhuc forte dicant, non secundùm hoc mortale, & corruptibile corpus nos in resurrectione immutari, sed secundum animam; cùm Apostolus hoc non proposuerit vnde diceret, sed de corpore ab ipsius quæstionis initio locutus fuerit, sicut ipsa eius indicat propositio: sed dicet aliquis, inquit, quomodo resurgunt mortui? quo autem corpore venient? hic iam consequenter tanquam digito ostendit vnde loqueretur, & subiecit dicens, oportet enim corruptibile hoc induere incorruptelam, &c. S. Aug. *Et lib. 2. contra Aduersarium legis & Prophet. cap. 6.* Illud, inquit, quod Apostolus ait, caro & sanguis regnum Dei non possidebunt: non facit de anima, sed de resurrectione corporis quæstionem. Verùm & ista duobus modis soluitur. Aut enim carnis & sanguinis nomine, corruptionem carnis & sanguinis nuncupauit, quæ in resurrectione non erit: aut carnem & sanguinem, homines ad omnes illecebras sæcularium voluptatum carnis & sanguinis deditos, qui regnum Dei non possidebūt. Totus autem iste locus Apostolici sermonis, vbi scriptum est: caro & sanguis, &c. si consideretur diligentiùs, magis persuadebit corruptionem carnis, sicut nunc est, his eum vocabulis appellare voluisse, atque ad exponendum quid diceret, adiunxisse; neque corruptio incorruptionē possidebit. Quia cùm facta fuerit, quæ in resurrectione speratur, illa mutatio, non vtique remanebit vlla corruptio. Quamuis ergo & post resurrectionē Dominus dixerit discipulis suis: palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere; tamen secundùm substantiam, caro erit, non secundùm corruptionem quæ nunc carni hoc nomen imponit. Vnde ait Propheta, omnis caro fœnum. Numquid enim & Domini quam leuauit in cœlum? quo ergo modo appellauit Propheta carnem, vbi ait, omnis caro fœnum? dicturus vtique, Fœnum aruit: eo modo & Apostolus ait: caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Quia ibi non erit corruptio, quā

nunc sicut fœnum natura carnis arescit. *Vide in eandem rem à nobis dicta ex Aug.* Verbo carnis infirmitas. *Num.* 3. *& 4. de absorpta autem morte in victoriam, vide dicenda num.* 16. *sequenti.*

16. *Resurrectioni non obest quod ait Paulus; mortale deuorandum à vita: non enim substantia carnis, sed sola mortalitas deuorabitur. De Resur. cap.* 54. *per totum. &* 55. *ad m.*

ITa de vocabulorum occasionibus plurimum quæstiones subornantur, sicut & de verborum communionibus. Nam, quia & illud apud Apostolum positum est, [a] *Vt deuoretur mortale à vita;* caro scilicet; deuorationem quoque ad perditionem scilicet carnis arripiunt: quasi non bilem & dolorem dicamur deuorare, id est, abscondere, ac tegere, & intra nosmetipsos continere. Denique, quum & illud scriptum sit, [b] *Oportet mortale hoc induere immortalitatem,* ostenditur quomodo mortale deuoretur à vita, dum indutum immortalitate absconditur, & tegitur, & intus continetur; non dum absumitur, & amittitur. Ergo & mors, inquis, salua erit, quum fuerit deuorata. Ideo discerne pro sensibus communionem verborum, & integrè intelligis. Aliud enim mors, & aliud mortale. Aliter itaque deuorabitur mors, & aliter mortale. Mors non capit immortalitatem, mortale autem capit. Denique & scriptum est, quod *necesse sit mortale hoc induere immortalitatem.* Quomodo ergo capit? dum deuoratur à vita. Quomodo deuoratur à vita? dum recipitur, & redigitur, & includitur in ipsam. Ceterùm, mors meritò in interitum deuoratur, quia & ipsa in hoc deuorat. [c] *Deuorauit*, inquit, *mors inualescendo*, & ideo deuorata est in contentionem. [d] *Vbi est, mors, aculeus tuus? vbi est, mors, contentio tua?* Proinde & vita, mortis scilicet æmula, per contentionem deuorabit in salutem, quod per contentionem deuorauerat mors in interitum. Quamquam igitur resurrecturam carnem probantes, hoc ipso non aliam resurrecturam probemus, quàm de qua agitur; tamen singulæ quæstiones, & causæ earum, proprios quoque flagitant congressus, licet aliunde iam cæsæ. Interpretabimur itaque pleniùs & vim & rationem demutationis, quæ fermè subministrat alterius carnis resurrecturæ præsumptionem; quasi demutari, desinere sit in totum, & de pristino perire. Discernenda est autem demutatio ab omni argumento perditionis. Aliud enim demutatio, aliud perditio. Porrò, non aliud, si ita demutabimur caro, vt pereat. Peribit autem demutata, si non ipsa permanserit in demutatione, quæ exhibita fuerit in resurrectione. Quemadmodum enim perit, si non resurgit; ita etsi resurgit quidem, verùm in demutationem subducitur, æquè perit. Æquè enim non erit, ac si non resurrexerit. Et quàm ineptum, si in hoc resurgit, vt non sit! quæ potuit non resurrexisse, nec esse; quia non esse iam cœperat. Non miscebuntur omnino diuersa, mutatio atque perditio; operibus vtique diuersa. perdit hæc, illa mutat. Quomodo ergo, quod perditum est, mutatum non est: ita quod mutatum est, perditum non est. Perisse enim est, in totum non esse quod fuerit: mutatum esse, aliter esse est. Porrò, dum aliter est, idipsum potest esse: habet enim esse quod non perit. Mutationem enim passum est, non perditionem. Atque adeò potest & demutari quid, & ipsum esse nihilominùs. vt & totus homo in hoc æuo substantiâ quidem ipse sit, multifariam tamen demutetur, & habitu, & ipsâ corpulentiâ, & valetudine, & conditione, & dignitate, & ætate, studio, negotio, artificio, facultatibus, sedibus, legibus, moribus; nec quicquam tamen amittat hominis; nec ita alius efficiatur, vt cesset idem esse: immò nec alius efficiatur, sed aliud.

a 2. Cor. 5. 4.
b 1. Cor. 15. 53.
c 2. Cor. 5. 4.
d 1. Cor. 15. 55.
Cap. LV.

RESVRRECTIONI NON OBEST. 16. SCHOL.

QVÆSTIONES SVBORNANTVR. *Sumptâ occasione ex vocabulis, & nominum similitudine, quæstiones à curiosis subdolè proponuntur. Sic faciunt hæretici, qui vt probent irreparabilem carnis interitum, vel totam carnis consumptionem, arripiunt hoc vocabulum à Paulo.* 2. *Cor.* 5. 4. Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati: eo quòd nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est à vita. *Quasi verò, inquit, non supersit in nobis bilis & dolor, cùm prudentiâ ad tempus dicimur eum deuorare. Imò verò* premit altum corde dolorem, viuit tacitum sub pectore vulnus. *Quin & ipse Paulus, dum indui, & superuestiri immortalitate optat, corpus iam incorruptibile futurum, fine indumento immortalitatis tegendum suspirat.* DISCERNE PRO SENSIBVS. *Sequentibus explicat dum subiicit. Aliud siquidem est mors, aliud corpus mortale. Mors enim non potest immortalitatem recipere, sed corpus quod est mortale, manens corpus, mortalitate deuoratâ per vitam immortalem, immortalitalitatis veste induitur.* NECESSE SIT. *Sic enim Paulus.* Oportet, inquit, mortale hoc induere immortalitatem. IN HOC DEVORAT. *Vt scilicet in interitum abripiat.* DEVORAVIT, INQVIT, *Paraphrasticè ex verbis Pauli Rom.* 5. 12. *& seq.* In omnes homines mors transiit, &c. regnauit mors ab Adam, &c. vnius delicto mors regnauit per vnũ. IN CONTENTIONEM. *Accenso zelo Redemptoris, cum morte contendentis.* CONGRESSVS, *disputationes speciales.* PORRO NON ALIVD, *supple erit, nihil immutatio discriminis habebit, ab omnimodo interitu & perditione.* SVBDVCITVR. *Tollitur è rerum natura. Nihil in sequentibus difficile, proinde locum Pauli de absorpta fine deuorata morte à vita in victoriam, superest vt cum Augustino explicemus ac primò quidem tomo* 4. *libro octoginta trium quæstione. qq.* 70. *vbi quidem de statu beatæ immortalitatis hunc locum intelligit, sed tamen de perfecta victoria concupiscentiæ carnis in resurrectione futura, absque vlla deinceps contentione futura exponit.* Quæri solet, inquit, quid sit, quod scriptum est absorpta est mors in vi-

S. Aug. ctoriam. Vbi est mors contentio tua, &c. mortem significari arbitror hoc loco, carnalem consuetudinem, quæ resistit bonæ voluntati, delectatione bonorum temporalium fruendorum. Non enim diceretur, vbi est contentio tua, si non restitisset & repugnasset. Ipsius contentio etiam illo loco describitur. Caro concupiscit aduersus spiritum, &c. Hæc enim inuicem sibi resistunt & aduersantur, vt non quæcumque vultis, illa faciatis. Fit ergo per sanctificationem perfectam, vt omnis carnalis appetitus, spiritui nostro illuminato & viuificato, id est, bonæ voluntati subiiciatur, &c. Hanc autem mortem peccato meruimus, quod peccatum erat antè omnimodò in libero arbitrio, cùm in Paradiso nullus dolor denegatâ delectatione, *id est nondum habitâ*, voluntati bonæ hominis resistebat, sicuti nunc. v.g. si quisquã existat, quem nunquam delectauit venatio, omnimodò liber est, vtrùm venari velit an nolit; nec eum cruciat quisquis hoc prohibet. At si istâ libertate malè vsus, venatus fuerit contra prohibentis imperium, paulatim surrepens delectatio, mortificat animam, vt si se abstinere velit, absque molestia, & sine angore non possit, cùm id antè totâ sanitate non ageret. Ergo aculeus mortis peccatum est, quia peccato facta est delectatio, quæ iam possit resistere bonæ voluntati, & cum dolore cohiberi. Quam delectationem, quia in defectu est animæ deterioris effectæ, iure mortẽ vocamus: virtus autem peccati lex, *quam Tertullianus suprà dixit contendendo inualuisse*, quia multò sceleratiùs & flagitiosiùs, quæ lex prohibet, committuntur, quàm si nullâ lege prohiberentur. Tunc itaq; absorpta erit mors in victoriam, cùm per sanctificationem, in omni parte hominis perfecta, *tam animâ quam carne in resurrectione futura absque contentione & lite*, delectatione spiritalium, delectatio carnalis obruetur. *Et*

S. Aug. *tom. 7. lib. de perfect. Iustitiæ cap. 6. vbi cùm egisset de prædicta lucta, & contentione, quæ ex praua hominis voluntate processit.* Cur, inquit, concupiscentia carnis, quæ vtique culpabilis atque vitiosa est, nihilque est aliud quàm desiderium peccati, quod idem Apostolus præcipit ne regnet in nostro mortali corpore, vbi satis ostendit, esse tamen in nostro mortali corpore quod permittendum non sit, vt regnet: cur ergo ista concupiscentia non mutata est eâ voluntate, quam voluntatem satis euidenter expressit Apostolus dicens, vt non ea quæ vultis faciatis; si facilè potest, *vt dicebat Celestinus, contra quem hunc librum scripsit, quòd vellet in hac vita hominem posse tam perfectè iustum euadere, vt sine*

S. Aug. *vllo peccato viueret*, voluntas voluntate mutari? Nec sanè isto modo naturam siue animæ, siue corporis, quam Deus creauit, & quæ tota bona est, accusamus, sed eam dicimus propriâ voluntate vitiatam, sine Dei gratia non posse sanari, &c. & naturam hominis bonam esse, & eam malo carere posse: nam ideò clamamus, libera nos à malo: quod non perficitur, quandiu corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, sed hoc agitur gratiâ per fidem, vt aliquando dicatur, vbi est mors contentio tua? vbi est mors aculeus tuus? aculeus autem mortis peccatum: virtus verò peccati lex: quoniam lex prohibendo auget peccati cupiditatem, nisi diffundat Spiritus charitatẽ: quæ plena & perfecta tunc erit, cùm videbimus facie ad faciem. *Libro autem 3. de peccatorum meritis cap. 11. magis fauet sententiæ Tertulliani, locum Apostoli resurrectioni applicanti:* Nemo, inquit, ambigit hoc ibi de corporis

A morte dictum, quoniam de resurrectione corporis magnâ Apostoli intentione quæstio versabatur, & ideò videtur ibi de peccato tacuisse, quia non erat quæstio de iustitia. Hîc autem ad Romanos vtrumque posuit, & vtrumque diutissimè commendauit, peccatum in Adam, iustitiam in Christo, & mortem in Adam, vitam in Christo, &c. quamquam ibi etiam ad Corinthios locum ipsum de resurrectione Domini tractatũ, sic in fine concluserit, vt nos dubitare non sineret, mortẽ quoq; corporis merito accidisse peccati. Cùm enim dixisset, oportet corruptibile hoc, &c. Tunc fiet, inquit, sermo qui scriptus est. Absorpta est mors in victoria. vbi est mors, &c. quia ergo, sicut verba Apostoli apertissima declarant, eo absorbebitur mors in victoria, quo corruptibile & mortale hoc induet incorruptionem & immortalitatem, id est, quo viuificabit Deus, & mortalia corpora nostra, propter habitantem spiritum eius in nobis, manifestum est & huius mortis corporis, quæ resurrectioni carnis contraria est, aculeum fuisse peccatum: aculeum autem, quo mors facta est, non quem mors fecit: peccato enim morimur, non morte peccamus, &c. Sic enim dicimus & poculum mortis, quo aliquis mortuus sit vel mori possit, non quòd moriens mortuusve confecerit. Aculeus itaque mortis peccatum est, peccati punctu mortificatum est genus humanum. Quid adhuc quærimus, cuius mortis? vtrùm animæ an corporis? vtrùm primæ, quâ nunc omnes morimur, an secundæ, quâ tunc impij morientur? Nulla causa est exagitandi quæstionem, nullus tergiuersandi locus, Apostoli verba quibus id agebat, interrogata respondent: cùm mortale hoc, inquit, induerit immortalitatem, tunc fiet, &c. de resurrectione corporis agebat, quâ absorbebitur mors in victoria, cùm mortale hoc, &c. tunc ipsi morti insultabitur, quæ in victoria resurrectionis corporis absorbebitur Tunc ei dicetur, vbi est mors victoria tua? &c. Morti ergo corporis hoc dicetur: hanc enim absorbebit victoriosa immortalitas, cùm mortale hoc immortalitate induetur. Morti, inquam, corporis tunc dicetur, vbi est mors victoria tua, quâ hic omnes sic viceras, vt etiam Dei filius tecum confligeret, teque non vitando, sed suscipiendo superaret. vicisti in morientibus; victa es in resurgentibus. Victoria tua, quâ absorbueras corpora morientium, temporalis fuit: victoria nostra, quâ in corporibus absorpta es resurgentium, æterna constabit. Vbi est aculeus tuus? hoc est peccatum, quo puncti & venenati sumus, vt etiam in nostris corporibus fieres, & ea tam longo tempore possideres? Aculeus autem mortis est peccatum, virtus verò peccati, lex. Peccauimus in vno omnes, vt moreremur in vno omnes. Accepimus legem, vt non emendatione finiremus peccatum, sed vt transgressione augeremus. Lex enim subintrauit, vt abundaret peccatum, & conclusit Scriptura omnia sub peccato. Sed Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum Iesum Christum, vt vbi abundauit peccatum, superabundaret & gratia, atque vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus, & vinceremus mortem per immortalem resurrectionem, & aculeum eius peccatum per gratuitam iustificationem. Nemo itaque de hac re fallatur & fallat. Omnes adimit atque aufert iste sanctæ Scripturæ sensus manifestas ambages. *Et hæc plenissimè ad probandam contra aduersarios carnis, eiusdem resurrectionem.*

17. *Resurrectio mutabit carnem, non substantiâ, sed qualitate: vt factum est in Moyse, Stephano, Christo, faciem mutantibus: Saûle item & Sathanâ immutatis.*
De resurr. cap. 55. à med. ad finem.

Exod. 4. 6. Exod. 34. 30. & 2. Cor. 3. 7 & seq. Act. 6. 15. & 7. 55. Matth. 17. 2. & 3. 4. Reg 2. 11. a 1. Philip. 3. 21. b 1. Reg. 10. 6. c 2. Cor. 11. 14.

HAnc formam demutationis diuina etiam documenta testantur. Mutatur Moysi manus, & quidem, ad instar emortuæ, exanguis; & ex albida, frigida; sed & recepto calore, & refuso colore, eodem caro & sanguis est. Mutatur posteà & facies eiusdem, incontemplabili claritate. Sed Moyses erat proinde, qui non videbatur. Sic & Stephanus angelicum iam fastigium induerat, sed non alia genua lapidationi succiderant. Dominus quoque in secessu montis etiam vestimenta luce mutauerat, sed lineamenta Petro agnoscibilia seruauerat. vbi etiam Moses & Helias, alter in imagine carnis nondum receptæ, alter in veritate nondum defunctæ, eandem tamen habitudinem corporis, etiam in gloria perseuerare docuerunt. De quo exemplo instructus & Paulus, [a] *Qui transfigurabit*, inquit, *corpus humilitatis nostræ, conformale corpori gloriæ suæ.* Quòd si & transfigurationem, & couersionem, in transitum substantiæ cuiusque defendis, ergo & [b] *Saûl in alium virum conuersus*, de corpore excessit, & [c] *ipse Sathanas, cùm in angelum lucis transfiguratur*, qualitatem suam amittit? non opinor. Ita & in resurrectionis euentum, mutari, conuerti, reformari licebit, cum salute substantiæ.

RESVRRECTIO MVTABIT CARNEM. 17. SCHOL.

HANC FORMAM. *Exemplum immutationis, non substantiæ quidem, sed qualitatis & dotis gloriosæ habemus in Scriptura sacra. Quale fuit in manu Moysi prius leprosa, dehinc sana educta, & in facie eiusdem facta luminosa, ita vt aspectus eius ab Israëlitis ferri non posset.* ANGELICVM IAM FASTIGIVM INDVERAT. *Non tantùm quia ex Augustino cæterisque Patribus, virgines Angelis innubis sunt æquales; sed quia sicut Angeli vident faciem Patris, sic de eo dicitur Actorum 7. 55.* Cùm autem esset plenus Spiritu sancto, intendens in cœlum vidit gloriam Dei, & Iesum stantem a dextris Dei, & ait: Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris virtutis Dei. *Et cap. 6. 15.* Intuentes eum omnes qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli. *Augustinus Stephani amantissimus* B
S. Aug. *serm. 185. de temp.* Stephanus, inquit, plenus Spiritu sancto, iam non in terra Christum requirit, sed aperto cœlo vidit gloriam Dei: neque iam de vindicta cogitat, sed pro persecutoribus suis exorat &
S. Aug. supplicat. *Et serm. .. de S. Stephano.* Viuebat Stephanus de Christo, sicut sermentum de vite. Miraris fructum de sermento pendentem, vide vt sermētum in vite manentem. *Et ibid. De iisdem genibus flexis, eadémque substantia carnis, licèt vultu angelico. Cùm retulisset quasi de transformato de claritate in claritatem tanquam à Domini Spiritu, vt pote reuelatâ facie gloriam Domini speculante,* Orauit, inquit, Christus pro suis
S. Aug. crucifixoribus, orauit & Stephanus pro suis lapidatoribus. Dominus Iesus Christus orauit affixus ligno, Stephanus genuflexo. Qui stando suum spiritum commendauit Domino, pro illorum delicto orauit genufixo, &c. Scriptum est, ad magnam
S. Aug. mensam sedisti, *Eccli. 31. 12.* scito quoniam talia te oportet præparare. *Sic Prouerb. 23. 1. iuxta 70.* talia ergo in oratione exhibuit, qualia in sui Domini mensa comedit. *Et serm. 6.* Pulcher erat minister, quia pulcher erat & Magister. Pulcher erat vbique Stephanus iste in corde & corpore, &c. Stephano Martyri & pulchritudo erat corporis, & flos ætatis, & eloquentia sermocinantis, & sapientia sanctissimæ mentis, & operatio diuinitatis. *Et ibidem sic Iudæos affatur:* Qui, inquit, despexistis faciem
S. Aug. Moysi Legislatoris, personam Iudæi suscepistis crudelissimi delatoris, & ad dedecus vestrum, semper additis crimen vestrum, &c. Intendite faciem Ste-

A phani, si potestis: Moyses enim propter excæcationem vestram contra faciem suam posuit velamentum: Stephanus verò ad confusionem vestram contra vestrum conuentum resurrectionis annuntiat Sacramentum. *tam quòd Iesum ab eis contemptum & occisum dicat se videre stantem à dextris Dei: quàm quòd ipse, anticipatâ resurrectionis gloriâ, claritate angelicâ fulgeat.* & Moyses vester, quando velamentum posuit contra sanctam faciem suam, nolebat videre criminosam faciem vestram: Stephanus S. Aug.
verò reuelatâ facie suâ speculabatur in cœlum gloriam Dei Filij, ideò videbant vultum eius Iudæi tanquam vultum Angeli Dei. Et nunc tantummodò B. Martyr Stephane, terram despice, cœlū conspice, & Pontificem sperne, Patrem attende. Despice Iudæum, & Sacerdotem, & populum, conspice in cœlo Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Indica tamen Iudęo quid sit illud quod diu cōtemplaris in cœlo. Ecce, inquit Stephanus, video cœlum apertum, & Iesum quem crucifixistis, quem illusistis morientem, quem signato sepulcro posuistis iacentem, video ego ad dexteram Patris stantem. *Et serm. 51. de diuersis.* Spiritum illius quò accipit Iesus? in quam S. Aug.
mansionem? in quod cœlum cœli? quis comprehendit? quis explicat? vis audire compendium? Audi ipsum Christum: Pater volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum, &c. vbi ego sum, illic & minister meus, &c. Hoc putate dictum, quia hoc est dictum, vbi sum ego, illic & Diaconus meus. *Græcè enim significat ministrum, vt martyr testem, & Apostolus missum,*
C *&c.* Secutus est vestigia Pastoris sui, tanquam bona ouis: bonus agnus secutus est agnum, cuius sanguis tulit peccatum mundi. *Et serm. 92.* Martyr, in- S. Aug.
quit, Stephanus beatus, & primus post Apostolos ab Apostolis Diaconus ordinatus, ante Apostolos coronatus, illas terras passus illustrauit, istas mortuus visitauit. Sed mortuus non visitaret, nisi & mortuus viueret. Exiguus puluis tantum populum congregauit: cinis latet, beneficia patent. Cogitate, charissimi, quæ nobis Deus seruet in regione viuorum, qui tanta præstitit de puluere mortuorum, &c. S. Aug.
Et ibidem sub finem. Lingua clamat, cor amat, &c. petris lapidabatur, qui pro petra lapidabatur, &c. contundebatur homo exterior, & supplicabat interior. Sed Dominus qui cinxerat *militem suum cum Psalte dicentem: præcinxisti me virtute ad bellum,*

qui probauerat, qui ei characterem, *tesseram Crucis*, non in manu, sed in fronte posuerat, spectabat desuper militem suum, iuuaturus certantem coronaturus vincentem. Denique ostendit se illi. Ecce enim inquit, video, &c. Solus videbat, quia illi soli apparebat, &c. *Et ser.* 93. Priores, inquit, Apostoli, sequentes Diaconi: & prior Martyr de Diaconis, quàm de Apostolis: prior victima de agnis, quàm de arietibus. Quantam autem cum Domino suo & Saluatore suo habuit similitudinem passionis? Falsi testes aduersus istum, quomodo aduersus illum, &c. *Et serm.* 94. Aperti sunt, inquit, cœli, vidit Martyr Martyrum caput: vidit Iesum stantem, &c. vidit, vt non taceret: non illi videbant, sed inuidebant. Et ideò non videbant, quia inuidebant. Non tacuit ille quod vidit, vt perueniret ad eum quem vidit, &c. *Et serm.* 95. Quando Adam de Paradiso eiectus est, post illud primum nefandumq; peccatum, contra humanum genus clausum est cœlum: post passionem Christi latro primus intrauit, posteà Stephanus apertum vidit Quid miramur? quod fideliter vidit, fideliter indicauit, & violenter inuasit, &c. multis non opus est verbis: sequatur Stephanum quicumque desiderat coronam. *Stephanus enim coronam significat. Et serm.* 99. Quàm manifestè, inquit, familiaris Angelis erat amicus, qui in medio luporum vt Angelus parebat. Adapertis etenim cœlis, aspectus mutatus est Confessoris. Et cœpit tanquam sole illustratus iustitiæ ita splendere, vt humanam speciem non haberet, ipsis patentibus cœlis, ipsis testantibus inimicis. Nam stabat in medio luporum, & erat facies eius tanquam facies Angeli stantis in medio Iudæorum. Quid agitis, ô Iudæi, non timetis ouem Christi pedissequam, quæ habet in fronte sua nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti? ipsum est signum quod vobis in Stephani fronte lucebat. Hoc signum viderunt cœli, & patefacti sunt: & tanquam ostenso signaculo in specie Angelorum, patefactæ sunt portæ cœlorum. Venit enim sanctus Stephanus cum clauibus fidei, & ipse aperuit quod fideliter credidit, & libenter aspexit, &c. Sed quid restabat vt cœlis patentibus videret, nisi ipsum, qui in cœlos ascenderat, Dominum Saluatorem? Nam istos cœlos omnes videmus, sed clausos, non patefactos, lucentes in stellis, non micantes in Angelis. Est autem non homo, sed Angelus. Homo sedem Palatij Domini sui non aspicit clausam, sed patefactam, &c. Inter mortuos clamabat, qui inter lupos coruscabat, &c. Sed quid mihi irascimini pro tanta testificatione Iudæi? numquid meâ iussione aut potestate patefacti sunt cœli? patefacti sunt, non vt gloriam meam proderent, sed vt Pastorem meum in me ostentantem adiutorium demonstrarent, &c. Non contempsi in Cruce pendentem, ideò video ad dexteram Patris sedentem. &c. ipse mihi testis est in cœlis, *vt Iob: Ecce in cœlo testis meus, & conscius meus in Excelsis. Et Psaltes: thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis*. ego ei non ero testis in terris? NON ALIA GENVA. *quàm humana succubuerant, quamuis Angelicâ esset facie coruscans.* NONDVM RECEPTÆ, *in resurrectione. Moyses enim non in propria carne apparuit, sed in eius specie.* EAMDEM HABITVDINEM. *statum & substantiam corporis in resurrectione futuram, licèt diuersam qualitatem omnia præmissa declarant.* QVI TRANSFIGVRAVIT. *Phil.* 3. 21. Nostra autem conuersatio in cœlis est. Vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundùm operationem, quâ etiam possit subiicere sibi omnia. *Translat. Syr.* qui quidem transfigurabit corpus humilitatis nostræ, vt fiat in similitudinem corporis gloriæ suæ, pro maxima virtute sua, quâ omnia subiecit sibi. DE CORPORE EXCESSIT. *amisit corpus suum, & substantialiter in alium virum mutatus est.* QVALITATEM SVAM. *hic non ponit pro substantia & natura angelica, sed pro qualitate diabolica.* CVM SALVTE, *integritate & perseuerantia eiusdem naturæ. Quòd autem eadem substantia carnis maneat in corporibus gloriosis, præter suprà dicta ex Augusti. hæc breuiter ex eodem subiicio, tom. 3 in Enchirid. ad Laur. cap.* 91. Quantùm attinet, inquit, ad substantiam, etiam tunc caro erit, propter quod & post resurrectionem corpus Christi caro appellatum est: *Palpate, & videte quoniam ego ipse sum.* sed ideò ait Apostolus. seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale: quoniam tanta erit tunc concordia carnis, & spiritus, viuificante spiritu sine sustentaculi alicuius indigentia subditam carnem, vt nihil nobis repugnet ex nobis: sed sicut foris neminem, ita nec intùs nosipsos patiamur inimicos. *Et l.* 22. *de Ciu. c.* 21. Restituetur, inquit, & quidquid de corporibus viuis, vel post mortem de cadaueribus periit, & simul cum eo quod in sepulchris remansit, in spiritalis corporis nouitatem, ex animalis corporis vetustate mutatum resurget: incorruptione atque immortalitate vestitum, &c. Erit ergo spiritui subdita caro spiritalis, sed tamen caro, non spiritus: sicut carni subditus fuit spiritus ipse carnalis, sed tamen spiritus, non caro, &c. erit autem etiam corpore spiritalis, *supple homo in hac vita spiritalis*, cùm eadem caro sic resurrexerit, vt fiat quod scriptum est: seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale, *Et serm.* 2. *in Appendice ex nouis ex Codice Floriacensis Monast.* In hoc, inquit, Christianorum spes tota consistit, vt huius, non alterius corporis resurrectionem futuram esse credamus. Et quemadmodum nunc stamus in Ecclesia ante altare Dei, ita nos in die Iudicij staturos credamus ante tribunal Dei, dicente beato Apostolo Paulo: omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.

18. *Resurrectioni non contradicit Paulus dicens: non omnis caro, eadem caro: eadem enim erit substantia, sed amplior gloria, vt idem semen resurgit ampliatum.*
De resurrect. cap. 52. per totum.

VIdeamus iam nunc quo corpore venturos mortuos disputet. Et benè, quod erupit statim ostendere, quasi quis eiusmodi quærat. [a] *Stulte, inquit, tu quod seminas, non viuificatur, nisi mortuum fuerit.* Hoc ergo iam de exemplo seminis constet, non aliam viuificari carnem, quàm ipsam quæ erit mortua. Et ita sequentia relucebunt. Nihil enim aduersus regulam exempli licebit intelligi. ne quia sequitur, [b] *Et quod seminas, non corpus quod futurum est, seminas*, idcircò aliud resurrecturum corpus, quàm quod moriendo seminatur, existimes. cæterùm, excidisti ab exemplo. Nunquam enim frumento seminato, & in terra dissoluto, hordeum erumpit, & non idipsum genus grani, eadémque

[Margin notes: S. Aug. (×4, left column); S. Aug. (×3, right column); a 1. Cor. 15. 36.; b Ibid. 37.]

natura, & qualitas, & forma. Deniq; vnde, si non idipsum? & corruptela enim ipsum est, dum ipsius est. Non enim & suggerit, quomodo non, quod futurum est, corpus seminatur?
c Ibid. 38. dicens: c *Sed nudum granum, si fortè frumenti, aut alicuius eiusmodi: Deus autem dat illi corpus, prout vult.* Certè ei grano, quod nudum seminari ait. Certè, inquis, Ergo saluũ est, cui dare habet Deus corpus. Quomodo autem saluum est, si nusquã est? si non resurgit? si non idipsum resurgit? Si non resurgit, saluum non est. Si non est & saluum, accipere corpus à Deo non potest. Sed enim saluum omni modo constat. Ad quid ergo dabit illi Deus, prout vult, corpus, habenti vtiq; proprium corpus illud nudum, nisi vt iam non nudum resurgat? ergo additum erit quod corpori superstruitur: nec exterminatur illud, cui superstruitur, sed augetur. Saluum est autem quod augetur. Seritur enim solummodò granum sine folliculi veste, sine fundamento spicæ, sine munimento aristæ, sine superbia culmi. Exurgit autem copiâ feneratum, compagine ædificatum, ordine structum, cultu munitum, & vsquequaque vestitum. Hæc sunt ei corpus à Deo aliud, in quod non abolitione, sed ampliatione mutatur. Et vnicuique seminum suum corpus deputauit: non suum, id est, non pristinum: vt tunc & illud suum sit, quod extrinsecùs à Deo adquirit. Serui igitur exemplo; & conserua speculum eius, carni; eandem credens fructificaturam, quæ sit seminata; ipsam, etsi pleniorem; non aliam, etsi aliter reuertentem. Accipiet enim & ipsa suggestum & ornatum, qualem illi Deus voluerit superducere secundùm merita. Sine dubio ad hoc dirigit; d *Non omnis caro, eadem caro*: non ad denegandam substantiæ communionem, sed prærogatiuæ peræquationem: corpus, honoris, non generis, in differentiam redigens. In hoc & figurata subiicit exempla animalium & elementorum. *Alia caro hominis*, id est, serui Dei, qui verè homo est, *alia iumenti*, id est, Ethnici, de quo & Propheta: e *Adsimilatus est*, inquit, *homo irrationabilibus iumentis.* f *Alia caro volucrum*, id est Martyrum, qui ad superiora conantur: *Alia autem piscium*, id est, quibus aqua Baptismatis sufficit. Sic & de supercœlestibus corporibus argumenta committit. g *Alia solis gloria*, id est, Christi: *& alia lunæ*, id est, Ecclesiæ: *& alia stellarum*, id est, seminis Abrahæ. *Et stella enim à stella differt in gloria*, corpora terrena & cœlestia, Iudæus scilicet & Christianus. Cæterùm, si non figuratè, satis vanè mulorum & miluorum carnes, & corpora cœlestium luminum apposuit humanis, non pertinentia ad conditionis comparationem, sicut nec ad resurrectionis consecutionem. Postremò, cùm per hæc differentiam gloriæ, non substantiæ, conclusisset: h *sic*, inquit, *& resurrectio mortuorum.* Quomodo? non de alio aliquo, sed de sola gloria differens. Rursus enim resurrectionem ad eandem substantiam reuocans, & ad granum denuò spectans, *Seminatur*, inquit, *corruptela, resurgit incorruptela: seminatur in dedecoratione, resurgit in gloria: seminatur in infirmitate, resurgit in virtute: seminatur corpus animale, resurgit spiritale.* Certè non aliud resurgit quàm quod seminatur: nec aliud seminatur, quàm quod dissoluitur humi: nec aliud dissoluitur humi, quàm caro. hanc enim sententia Dei elisit: i *Terra es, & in terram ibis*: quia & de terra erat sumpta. Hinc & Apostolus concepit seminari eam dicere, quum redhibetur in terra. n. quia & seminibus sequestratorium terra est, illic deponendis, & inde repetendis. Ideóque & reconsignat imprimens, *Sic enim scriptum est*, ne aliud existimes esse seminari, quàm *In terram ibis, ex qua es sumptus*: sic ne alterius quàm carnis, sic enim scriptum est.

d Ibid. 39. — e Psal. 48. 21. — f 1. Cor. 15. 39. — g Ibid. 41. — h Ibid. 42. — Ibid. — i Gen. 3. 19. — Ibid.

RESVRRECTIONI NON CONTRADICIT. 18. SCHOL.

VENTVROS MORTVOS. *resurrecturos.* ERVPIT, *quasi obuiam pergens venturis Valentinianis, aliisque negaturis resurrectionem futuram in eadem carne. 1. Cor. 15, 35. & seq.* Sed dicet aliquis: Quomodo resurgunt mortui? qualive corpore venient? Insipiens, tu quod seminas non viuificatur. *Syr. reuiuiscit*, nisi priùs moriatur. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est seminas; sed nudum granum, vt putà, tritici, aut alicuius cæterorum. *Syr. addit, seminum.* Deus autẽ dat illi corpus sicut vult: & vnicuique seminum proprium corpus. ADVERSVS REGVLAM, *contra formam exempli allati seminis. quod idipsum non tantùm specie, sed & numero. cum fœnore multiplicationis, & augmento folliculi, spicæ, aristæ, culmi, resurgit, quod est ornamentum corporis, quo illud semen mortuum & resuscitatum Dei voluntas & prouidentia sic vestire sibi complacet, quod nudum fuerat seminatum.* NON SVVM PRISTINVM. *nudum scilicet. Quod accipit vestimentum à Deo.* SERVI EXEMPLO. *seruias, submittas iudicium tuum huic tam manifesto resurrectionis exemplo, & applica tãquam speculum repræsentans humanæ carnis resurrectionem.* SVGGESTVM. *apparatum, indumentum gloriæ.* AD HOC DIRIGIT. *ad eundem scopum tendit Paulus sequentibus verbis, dum ait versu 39.* Non omnis caro eadem caro: sed alia quidem hominum, alia pecorum: *Syr. siquidem omne corpus æquale non est: aliud est enim corpus hominis, & aliud iumenti.* alia volucrum, alia piscium. Et corpora cœlestia, *Syr. sunt & corpora.* sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium, alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum. *Syr. stella porrò stellam gloriâ antecedit:* seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. PRÆROGATIVÆ PERÆQVATIONEM. *id est, licèt æquales sint in genere carnis, differunt tamen prærogatiuâ honoris:* SEMINIS ABRAHÆ. *de quò dictum est:* Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli. APPOSVIT HVMANIS. *comparauit in*

quantum

quantum corpora sunt, vt, inquit, solâ gloriâ & claritate differunt: non substantiâ corporali, ita corpora hominum suscitata non erunt alterius substantiæ, sed gloriæ. SENTENTIA DEI ELISIT, *percussit velut fulmen, soluit in puluerem vnde caro sumpta erat.* REDHIBETVR. *restituitur elemento suo.* SEQVESTRATORIVM. *depositum, receptaculum.* RECONSIGNAT. *inculcat in Genesi scriptum esse.* SIC NE, *supple existimes, alterius quàm carnis seminationem in terra intellexisse Paulum. Sed Paulus ad literam non alludit, dicendo sicut scriptum est, ad Scripturam Gen. 3. 19.* Terra es, & in terram ibis. *sed ad Gen. 2. 7. vbi dicitur:* Insufflauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. *Sic enim versu 45. subiicit Paulus:* Factus primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem. *Verùm ne iniuriam faciam tanto viro, credo respexisse sequentia verba quibus innotescit hominem primò factum ex puluere, siue terrenum, quàm fieret in animam viuentem. Ita enim Paulus versu 46.* Sed non priùs quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale. Primus homo de terra terrenus. *Vnde dictum est à Deo sententiam fulminante & elidente terram:* donec reuertaris in terram de qua sumptus es, &c. *Sic ergo priùs animale de terra sumptum corpus seminatur, sicut granum frumenti corpus Christi mortuum seminatum fuit, vt postea propter eius meritum & exemplum nostrum multiplicetur in gloria, & resurgat spiritale. Præclarè Augustinus totum hunc Tertulliani textum illustrat, simul exponens D.*
S. Aug. *Pauli contextum epist. 146. ad Consentium.* Apostolicam, inquit, sententiam desuper inspice, totámque considera: cùm resurrectionem mortuorum persuadere vellet eis qui dicebant, quòd resurrectio mortuorum non est, Christi resurrectione præmissâ in exemplum, inter cætera quæ ibi disseruit, intulit sibi quæstionem, atque ait: sed dicet aliquis, Quomodo resurgent mortui, quo autem corpore venient, id est, quali corpore? deinde adhibens documenta seminum. Stulte, inquit, tu quod seminas, &c. Secundùm hoc ergo dixerat, non corpus quod futurum est seminas. Neque enim non triticum erit ex tritico: sed quia nemo seminat herbam, vel stipulam, & multiplicia in palea tegumenta granorum, cum quibus tamen semina exurgunt: ideò ait, sed nudum granum: hinc volens ostendere, quia si Deus potest addere quod non erat in nudo semine, multò magis potest reparare quod erat in hominis corpore. Iam verò quod adiungit, ad differentiam pertinet resurgentium, propter diuersas glorias fidelium atque Sanctorum. Non omnis, inquit, caro eadem caro, *Eadem quidem quæ priùs fuerat substantia mortuis reddetur suscitatis, sed non eadem gloria.* & alia gloria Solis, &c. In his omnibus iste sensus est: Si genera carnis, cùm sint cuncta mortalia, differunt tamen inter se pro diuersitatibus animantium: & si corpora, cùm sint omnia visibilia, differunt tamen pro diuersitatibus locorum; vnde alia est cœlestium gloria, alia terrestrium: & si in locis sublimibus cùm sint cuncta cœlestia, differunt etiam ipsa claritatibus luminum, non mirum est quòd in resurrectione

A mortuorum, distabit gloria meritorum. Hinc iam venit ad illud quod communiter habet omnis caro, quæ ad vitam resurgit æternam, & dicit: Seminatur in corruptione, &c. In his verbis Apostoli, nunquid fas est putare meliùs corpora nostra resurrectura quàm Christi? &c. Nimis itaque absurdum est, vt credamus illud corpus & in infirmitate esse seminatum, id est mortificatum, & in infirmitate resurrexisse, cùm corpus nostrum seminetur in infirmitate, resurgat in virtute: & dicat idem Apostolus de Christo: etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit in virtute Dei, &c. Constat itaque, neque vllo modo dubitandum est, corpus Christi, quod licèt corruptionem
B putredinis in sepulchro non viderit, vnde scriptum est, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem, plagis tamen & lanceâ perrumpi potuit, nunc omninò in incorruptione consistere: & quod in contumelia passionis mortisque seminatum est, nunc esse in gloria vitæ æternæ: & quod ex infirmitate potuit crucifigi, nunc in virtute regnare: & quod erat corpus animale, quoniam ex Adam sumptum est, nunc esse spiritale, quoniam spiritui iam inseparabiliter copulatum est: cùm enim vellet Apostolus de corpore animali adhibere testimonium Scripturarum, illud posuit quod in Genesi legitur: si est, inquit, corpus animale, est & spiritale: sicut scriptum est, factus est primus Adam in animam viuentem, siue in animam viuam. Recolis certè quemadmodum
C scriptum sit: & insufflauit Deus in faciem eius flatum vitæ, & factus est homo in animam viuam. Dictum est autem etiam de animalibus, producat terra animam viuam. Intelligitur ergo corpus animale dici simile cæteris animalibus propter mortis dissolutionem, & corruptionem, quæ quotidie cibo reficitur, & posteà separatâ animantis compage dissoluitur. Spiritale autem corpus, quod iam cum spiritu immortale est. Quamuis nonnulli arbitrentur tunc fieri corpus spiritale, cùm iam & ipsum corpus mutatur in spiritum, & quòd homo erat ex corpore & spiritu, vtrumque ac totum spiritus erit. *Sed hoc erroneum sic refellit.* Quasi dixerit Apostolus, seminatur corpus, surget spiritus: dixit autem, seminatur corpus animale, &c. S. Aug.
D proinde sicut animale corpus, non est anima, sed corpus; ita & spiritale corpus, non spiritum debemus putare, sed corpus. Quis porrò audeat opinari, vel Christi corpus non spiritale resurrexisse, vel si spiritale surrexit, iam non corpus fuisse, sed spiritum? cùm hanc opinionem discipulorum refellat; vbi cùm eum videntes, existimarent se spiritum videre, ait, palpate & videte, quia spiritus ossa & carnem non habet, sicut me videtis habere. Iam igitur illa caro spiritale erat corpus, nec tamen spiritus erat, sed corpus, nullâ vlteriùs morte ab anima resoluendum atque separandum, sicut corpus animale, quale animatum est Dei flatu, cùm factus est homo in animam viuentem, etiam ipsum ex animali spiritale, sine mortis interuentu futurum, nisi transgressio præcepti priùs commisso peccato infligeret pœnam, quàm Deus seruatæ iustitiæ daret coronam.

RESVRRECTIONIS VERITAS PROBATVR EX SCRIPTVRA.

1. *Resurrectio figurata in Scriptura loquente de terra maledicta, vel benedicta. De Resurrect. cap. 26. in pr. ad med.*

VNum adhuc respondebo ad propositionem priorem allegoricarum Scripturarum, licere & nobis corporalem resurrectionem de patrocinio figurati proinde eloquij prophetici vindicare. Ecce enim, diuina in primordio sententia, terram hominem pronuntiando, [a] *Terra es, & in terram ibis*, secundùm substantiam scilicet carnis, quæ de terra a Gen. 3. 19.

erat sumpta, & quæ prior, homo fuerat appellata, sicut ostendimus. dat mihi disciplinam
Gen.4.11. in carnem quoque interpretandi, si quid iræ vel gratiæ in terram Deus statuit: quia nec
propriè terra iudicio eius obnoxia est, quæ nihil boni seu mali admisit. maledicta quidem,
quæ hauserit sanguinem; sed & hoc ipsum in figuram carnis homicidæ. Nam etsi iuuari
seu lædi habet terra, id quoque propter hominem, vt ille iuuetur, siue lædatur per consisto-
rij sui exitus; quò magis ipse pensabit, quæ propter illum etiam terra patietur. Itaque &
quum comminatur terræ Deus, carni potiùs comminari eum dicam; & quum quid terræ
b Psal.94. 1. pollicetur, carni potiùs polliceri eum intelligam vt apud Dauid, [b] *Dominus regnauit, exultet terra*, id est, caro sanctorum, ad quam pertinet regni diuini fructus. dehinc subiun-
c ibid.4. git, [c] *Vidit, & concussa est terra: Montes sicut cera liquefacti sunt à facie Domini*; caro scili-
d Ioan.19. 37. cet prophanorum, [d] *&, videbunt enim eum in quem confixerunt*. Atque adeò si simpliciter
de terra elemento vtrumque existimabitur pronuntiatum, quomodo congruet & concu-
ti & liquefieri eam à facie Domini, quo suprà regnante exultauit? Sic & apud Esaiam,
e Esa.1.19. [e] *Bona terræ edetis*; bona carnis intelligentur, quæ illam manent in Regno Dei reforma-
f 1. Cor.2. 9. tam, & angelificatam, & consecuturam, [f] *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt*.

RESVRRECTIONIS VERITAS PROBATVR EX SCRIPTVRÆ FIGVRIS.

1. SCHOL.

A LICERE ET NOBIS. *cùm hæretici de resurrectione scripta, allegoricè detorqueant ad animarū resurrectionem: nobis consequenter à fortiori licebit figuras propheticas meliori sensu resurrectioni corporum applicare.* PRIOR HOMO. *Prius enim de solo corpore ex limo facto, scriptum est, quòd Deus finxit hominem de limo terræ, quàm fieret homo in animam viuentem.* DAT DISCIPLINAM. *docet me iudicia & sententias Dei, siue benignitatis, siue seueritatis, in terram lata, de terra carnis sumptæ de terra, intelligenda esse, cùm terra inanimata & irrationalis, iudicio Dei non subiaceat. si igitur vel fœcunditate benedicitur, vel sterilitate, & spinarum productione maledicitur, omnis hic exitus & euentus, non ipsi hominis* consistorio, *hoc est, domicilio, sed eius carni obuenit. Sic Gen. 4. 11. Maledicitur terra imbuta Abelis sanguine, vt homicidæ caro sitiens sanguinis, maledicta credatur, sicut & post peccatum Adæ terra est maledicta.* S. Aug. *Vnde Aug. tom.1. lib. 2. contra Manichæos de Gen. cap.* 13. B Dicendum est, inquit, quòd per peccatum hominis terra maledicta sit, vt spinas pareret: non vt ipsa pœnas sentiret, quæ sine sensu est; sed vt peccati humani crimen semper hominibus ante oculos poneret, quo admonerentur aliquādo auerti a peccatis, & ad Dei mandata conuerti. Herbæ autem venenosæ ad pœnam, vel ad exercitationem mortalium: & hoc totum propter peccatum, quia mortales post peccatum facti sumus. Per infructuosas verò arbores insultatur hominibus, vt intelligant quàm sit erubescendum, sine fructu bonorum operum esse in agro Dei, hoc est in Ecclesia: & timeant ne deserat eos Deus, quia & ipsi in agris suis infructuosas arbores deserunt, nec aliquam culturam eis adhibent. C Ante peccatum ergo hominis non est scriptum, quòd terra aliud protulerit, nisi herbam pabuli, & ligna fructuosa. *Terra autem nostra iuxta Psaltem, quæ nunc est spinis & tribulis dolorum horrida, dabit & flores & fructus suos in resurrectione, cùm Dominus dederit suauitatem: sic enim Bernardus explicat, post hyemem huius vitæ, verno resurrectionis tempore, dicturam post Christum humanam carnem.* Iam hyems transiit, &c. flores apparuerunt in terra nostra, S. Aug. *Sic & Aug. terram promissionis homil. 20. ingredi suadet:* De cætero, inquit, cogitate vitæ huius eremum permeare, & ad terram promissionis supernam Ierusalem, terram viuentium peruenire. S. Aug. *Et serm. 105. de temp.* Terra, inquit, repromissionis quam totiens Deus dicit lacte & melle manantem, nos fuimus antequam peccaret Adam, quando in nobis nihil aliud erat, quam quod misericordia contulerat conditoris. Postquàm autem in Adam omnes moriuntur, & iterùm omnes eunt in condemnationem, per transgressionem primi hominis, terram repromissionis, Chananæi, *id est, vt exponit diuersa vitia*, cœperunt possidere. Voluntas enim Domini, possessionem cordis nostri non vitiis, sed virtutibus naturaliter deputauerat. Quæ post præuaricationem Adæ insolescentibus vitiis tanquam populis Chananæis, à propria regione, id est, ab intellectu vel mente rationali virtutes sanctæ depulsæ sunt, & vitia remanserunt. Cum virtutibus rursum, si per Dei gratiam possessio animæ nostræ, *& terra carnis nostra*, recepta fuerit, non tam alienas occupasse terras, quam proprias videbimur recepisse. *Subiicit post Iordanis, id est, Baptismi transitum Iosue populum induxit in terram, sic nos post Baptismum à vero Iesu inducendos in gloriam animæ & carnis.* S. Aug. Sicut, inquit, vetus Adam consentiendo diabolo, nos de terra repromissionis exclusit: ita è contrario nouus Adam resistendo diabolo ad antiquam patriam reuocauit; *De terra autem iudicanda serm. 94. de tempore.* S. Aug. Iudica, inquit, terram, ne sis terra; si enim terram iudicaueris, *corpus castigaueris, & in seruitutem redegeris, vt immediatè anteà de Paulo dixerat*, cœlum eris, & in te factam gloriam Domini enarrabis. Cœli enim enarrant gloriam Dei. Si autem terram non iudicaueris, terra eris. Si autem terra fueris, ad eum pertinebis, cui dictum est, terram manducabis. *Et in Psal.26.* S. Aug. Exultans, inquit, gaudio, & gemens in laboribus suspirauit ad extremum, & ait, Credo videre bona Domini in terra viuentium. O bona Domini dulcia, immortalia, incomparabilia, sempiterna, incommutabilia! Et quando vos videbo bona Domini? credo videre, sed non in terra morientium, *in terra, id est in carne mortali.* Credo videre bona Domini in terra viuentium. Eruet me Dominus a terra morientium. qui propter me dignatus est suscipere terram morientium, & mori inter manus morientium. Eruet me Dominus de terra morientium. *Et in Psalmum trigesimum sextum.* S. Aug. Iusti, inquit, hæreditate possidebunt terram, &c. terra est quædam illa viuorum, regnum Sanctorum. *caro scilicet, de qua Paulus, non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Vnde dicitur spes mea es tu, portio mea in terra viuorum, &c. illa est terra viuentium. Hæc est autem terra morientium, receptura mortuos quos nutriuit viuos. APVD DAVID. *Psal.96.1.* Dominus regnauit exultet terra. Ille, inquit, qui stetit ante iudicem, ille qui alapas accepit, &c. ille qui in Cruce mortuus est, ille qui lanceâ percussus est,

ille qui ſepultus eſt, ipſe reſurrexit, Dominus regnauit, &c. QVOMODO CONGRVET. *de terra, materiali elemento congruè dici non poteſt, quòd exultet gaudio, vel tremore concutiatur, niſi fortè reſurgente Domino, & quòd montes ſicut cera fluant à facie Chriſti irati. Cæteros Scripturæ locos alibi expoſitos habes. Auguſt. in Pſalm 59.* Commouiſti terram & conturbaſti eam. Quomodo, inquit, conturbata eſt terra? conſcientia peccatorum. quò imus? quò fugimus? quando gladius ille vibratus eſt. S. Aug.

2. *Reſurgent corpora figurata per virgam Moyſi, eiuſdem manum ſanitati reſtitutam, & ſanguinem redditum aquæ primæ. De reſurrect. cap. 28. in pr. ad med.*

SCimus autem, ſicut vocibus, ita & rebus prophetatum. tam dictis quàm & factis prædicatur reſurrectio. Quum Moyſes manum in ſinum condit, & emortuam profert, & rurſus inſinuat, & viuidam explicat; nonne hoc de toto homine portendit? Siquidem trina virtus Dei, per illa trina ſigna denotabatur cum ſuo ordine. primò diabolum ſerpentem, quamquam formidabilem, ſubactura homini: dehinc carnem de ſinu mortis retractura: atque ita omnem ſanguinem executura iudicio. De quo apud eundem Prophetam, [a] *Quoniam & veſtrum*, inquit Deus, *ſanguinem exquiram de omnibus beſtiis, & de manu hominis, & de manu fratris exquiram eum.* Porrò, nihil exquiritur. niſi quod repoſcitur; nihil repoſcitur, niſi quod & reddetur. Et vtique reddetur quod vltionis nomine repoſcetur & exquiretur: neque enim vindicari poterit quod omninò non fuerit. Erit autem, dum reſtituitur, vti vindicetur. In carnem itaque dirigitur, quicquid in ſanguinem prædicatur, ſine qua non erit ſanguis. caro ſuſcitabitur, vt ſanguis vindicetur.

Exod. 4. 6. & 3. Ibid. a Gen. 9. 5.

3. *Reſurrectio figurata in Iona. De reſurr. c. 32. à pr. V. ſuprà Reſurrectionem negantes. nu. 10.*

RESVRGENT CORPORA. 1. SCHOL.

REBVS PROPHETARVM. *vt non tantùm verba, ſed & facta & geſta quæ Scriptura narrat, prophetica fuerint, ſiue ſigna, & figuræ futuri alicuius myſterij, ſicut manus Moyſi iuſſu Dei primò in ſinum eius miſſa, & leproſa educta, ſiue exanguis, & mortuæ ſimilis; dehinc rurſum in ſinum miſſa; viuida eſt producta, prophetauit totum hominem ex ſinu ſepulcri viuum reproducendum.* TRINA SIGNA. *Virgæ ſcilicet in ſerpentem commutatiò, manus leproſæ reſtitutio, aquarum Ægypti in ſanguinem verſio; quibus miraculis tripliciter ſe virtus diuina declarauit, & prædixit, quòd diabolum in ſerpente figuratum manui & poteſtati hominis ſubegiſſet per Chriſtũ, qui eum cum Luna, ſtultorum principe, ſub pedibus Eccleſiæ triumphantis ſubiiciet; deinde ca. nẽ de ſinu terræ ſuſcitatam extrahet, & ſanguinẽ carni reunitum ſeruorum ſuorum vlciſcetur. Et educet de omnibus beſtiis.* EXECVTVRA. *exquirendo iuſto iudiciò vindictam de tyrannis velut Pharaone ſanguinem puerorum Hebræorum effundente, & in Nilum mittente. De virga Moyſi reſurrectionem Chriſti ſignificante Aug. l. 3. de Trinit. c. 10.* Aſſumpta eſt, inquit, virga ad ſignificationem, & in ſerpentem angelicâ facultate mutata eſt. Quæ facultas cùm deſit homini, aſſumptus eſt tamen & ab homine lapis, ad talem aliquam ſignificationem. Inter factum Angeli, & factum hominis plurimùm diſtat: illud & mirandum, & intelligendum eſt: hoc autem tantummodò intelligendum. Quod ex vtroque intelligitur, fortaſſis vnum eſt: at illa ex quibus intelligitur, diuerſa ſunt. Tanquam ſi nomen Domini & auro, & attramento ſcribatur; illud eſt pretioſius, illud vilius: quod tamen in vtroque ſignificatur, idipſum eſt. Et quamuis idem ſignificauerit ex virga Moyſi, ſerpens, quod lapis Iacob; meliùs tamen aliquid lapis Iacob, quàm ſerpentes magorum. *Angelicâ, hoc eſt, diabolicâ virtute facti ex virgis per incantationem.* Nam ſicut vnctio lapidis. Chriſtum in carne, in qua vnctus eſt oleo exultationis præ participibus ſuis: Ita virga Moyſi conuerſa in ſerpentem, ipſum Chriſtum factum obedientem vſque ad mortem Crucis. Vnde ait, Sicut exaltauit Moyſes ſerpentẽ, &c Sicut intuentes illum ſerpentem exaltatum in eremo, ſerpentum morſibus non peribant. Vetus enim homo noſter confixus eſt Cruci cum illo, vt euacuetur corpus peccati. Per ſerpentem enim intelligitur mors quæ facta eſt à ſerpente in Paradiſo, modo locutionis, per efficientem id quod efficitur, demonſtrante. Ergo virga in ſerpentem, *ſupple conuerſa.* Chriſtus in mortem: & ſerpens rurſum in virgam, Chriſtus in reſurrectionem totus cum corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, quod in fine temporis erit, quem ſerpentis cauda ſignificat, quam Moyſes tenuit, vt rediret in virgam. Serpentes autem Magorum, tanquam mortui ſæculi, niſi credentes in Chriſtum tanquam deuorati in corpus eius intrauerint, reſurgere in illo non poterunt. *De eodem myſterio in Pſal. 73 2.* Redemiſti virgam hæreditatis tuæ. Hanc, inquit, ipſam congregationem dixit virgam hæreditatis. Reſpiciamus ad factum primum, quando voluit poſſidere ipſam congregationem, liberans eam de Ægypto, quod ſignum dederit Moyſi, cùm diceret Moyſes ei: quod ſignum dabo vt credant mihi, quia tu me miſiſti? & dixit Dominus ad illum, quid in manu tua portas? virgam. Proiice illam in terram, & dimiſit virgam, & facta eſt ſerpens, & expauit Moyſes, & fugit ab eo. Et ait illi Dominus, Apprehende caudam eius, & apprehendit, & reuerſa eſt in ſtatum ſuum virga facta, ſicut anteà virga erat. Quid ſignificat? non enim fruſtrà factum eſt. Interrogemus literas Dei. Quid ſerpens perſuaſit homini? mortem. ergo mors à ſerpente. Si mors à ſerpente, virga in ſerpente, Chriſtus in morte. *tum vt ſuprà de ſanatis intuentibus ſerpentem exaltatum;* intuendo ſerpentem, ſanari à ſerpente, magnum Sacramentum. Quid eſt, intuendo ſerpentem ſanari à ſerpente credendo in mortuum, ſanari à morte. Et tamen expauit & fugit Moyſes. Quid eſt, ab illo ſerpente fugiſſe Moyſen? Quid fratres, niſi quod ſcimus in Euangelio factum? mortuus eſt Chriſtus, & expauerunt Diſcipuli, & ab illa ſpe in qua fuerant, receſſerunt. Sed quid dictum eſt? apprehende caudam eius. Quid eſt, caudam? poſteriora comprehende. Hoc ſignificauit & illud, poſteriora mea videbis. Primò factus eſt ſerpens, ſed caudâ tetentâ, facta virga. Primò occiſus, poſteà reſurrexit. Eſt etiam in cauda ſerpentis finis ſæculi. Quia ſic modò mortalitas Eccleſiæ ambulat, *quaſi tanto anguis lapſu*, alij eunt, alij veniunt per mortem tan-

S. Aug. S. Aug.

quam per serpentem, quia à serpente mors seminata est: sed in fine sæculi, tanquam caudâ redimus ad manum Dei, & efficimur stabilitum regnum Dei, vt impleatur in nobis, redemisti virgam hæreditatis tuæ. *Et rursum ibidem in versum.* Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam de medio sinu tuo in finem? Iterùm, inquit, aliud signum quod datum est Moysi. Quomodo enim superiùs de virga signum, ita & de dextera, &c. Mitte, inquit, manum tuam in sinum tuum, & misit: produc eam; & produxit: & inuenta est alba, id est, immunda: Albor enim in cute, lepra est, non candor. Ipsa enim hæreditas Dei, id est, populus eius foras ab eo missus, immundus factus est: sed quid illi ait? reuoca eam in sinum tuum, reuocauit, & reuersa est ad colorem suum. Quando hoc facis, ait Asaph (S. Aug.) A iste? *titulus Psalmi, Intellectus Asaph, id est, congregatio, vt autem congregentur electi à quatuor ventis, priùs resuscitari debent, & manus ista de sinu sepulchri sana educenda, vt Christus, quem vidimus leprosum in Cruce.* quovsque dexteram tuam alienas à sinu tuo vt foris immunda remaneat? reuoca eam, agnoscat Saluatorem, &c. Non enim frustrà venit Christus, aut frustrà occisus est Christus, aut frustrà granum cecidit in terram, nisi vt multipliciter surgeret. Exaltatus est serpens in eremo, vt percussos à veneno sanaret, &c. Intellexit Asaph, & quid ait? Deus autem rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ, &c. quia ipse est in principio Verbum, per quod facta sunt sæcula, &c. ille operatur salutem in medio terræ, *vt eam in cælum tolleret gloriosam,* & ego remansi terra. (S. Aug.)

4. *Resurgent corpora de sepulchris, quasi de cellis promis. De Resurr. c. 27. in med. ad finem.*

a Esa. 26. 20. QVum legimus, [a] *Populus meus, introite in cellas promas quantulum, donec ira mea prætereat;* sepulcra erunt cellæ promæ, in quibus paulisper requiescere habebunt, qui in finibus sæculi, sub vltima ira, per Antichristi vim excesserint. Aut cur cellarum promarum potiùs vocabulo vsus est, & non alicuius loci receptorij; nisi quia in cellis promis caro salita, & vsui reposita seruatur depromenda illinc suo tempore? Proinde enim & corpora medicata condimentis sepulturæ, mausoleis & monumentis sequestrantur, processura inde cùm iusserit Dominus. Quod cùm ita intelligi congruat; & quæ enim ab ira Dei cellariorum nos refugia seruabunt? hoc ipso quod ait, donec ira prætereat, quæ extinguet Antichristum, post iram, ostendit processuram carnem de sepulcro, in quo ante iram fuerit illata. nam & de cellariis non aliud effertur, quàm quod infertur; & post Antichristi eradicationem agitabitur resurrectio.

5. *Resurrectio Scripturis benè intellectis, & non corruptis sensu hæretico comprobatur. De Resurrect. cap. 18. in pr.*

HVcusque præstructionibus egerim ad muniendos sensus omnium Scripturarum, quæ carnis recidiuatum pollicentur. Cui quum tot authoritates iustorum patrociniorum procurent, honores dico substantiæ ipsius, tum vires Dei, tum exempla earum, tum rationes iudicij, & necessitates ipsius: vtique secundùm præiudicia tot auctoritatum, Scripturas intelligi oportebit, non secundùm ingenia hæreticorum, de sola incredulitate venientia: quia incredibile habeatur restitui substantiam interitu subductam; non quia aut substantiæ ipsi inemeribile sit, aut Deo impossibile, aut iudicio inhabile. Planè incredibile, si nec prædicatum diuinitùs fuerit: nisi quod etsi prædicatum id à Deo non fuisset, vltrò præsumi debuisset, vt propterea non prædicatum, quia tot auctoritatibus præiudicatum. At cum diuinis quoque vocibus personet, tantò abest vt aliter intelligatur, quàm desiderant illa, à quibus etiam sine diuinis vocibus persuadetur. Videamus igitur hoc primum, quonam titulo spes ista proscripta sit. Vnum opinor apud omnes edictis Dei pendet, Resurrectio mortuorum. Duo verba expedita, decisa, detersa. Ipsa conueniam, ipsa discutiam, cui se substantiæ addicant.

6. *Resurrectionem carnis Scriptura loquens, intelligenda est ad literam, vt alia fidei mysteria clarè loquitur. De Resurrect. cap. 20. in p.*

PRimam præstructionem eorum depellam, quâ volunt omnia Prophetas per imagines concionatos: quando si ita esset, ne ipsæ quidem imagines distingui potuissent, si non & veritates prædicatæ fuissent, ex quibus imagines deliniarentur. Atque adeò si omnia figuræ, quid erit illud, cuius figuræ? quomodo speculum obtendes, si nusquam est facies? Adeò autem non omnia imagines, sed & veritates: nec omnia vmbræ, sed & corpora: vt in ipsum quoque Dominum insigniora quæque luce clariùs prædicarentur.

Et iterùm ibidem cap. 20. in fine, & 21. in pr.

Cap. xxi. ITa non semper; nec in omnibus allegorica forma est prophetici eloquij; sed interdum, & in quibusdam. Si ergo interdum, & in quibusdã, inquis, cur non & in edicto resurrectionis spiritaliter intelligendæ? Quoniam quidem plurima ratio intercedit. Primò enim, quid facient tot ac talia instrumenta diuina ita apertè corporalem contestantia resurrectionem, vt nullam admittant figuratæ significantiæ suspicionem? Et vtique æquum sit, quod & suprà demandauimus, incerta de certis, & obscura de manifestis præiudicari: vel ne inter

discordiam certorum & incertorum, manifestorum & obscurorum, fides dissipetur, veritas periclitetur, ipsa diuinitas vt inconstans denotetur: tum quod verisimile non est, vt ea species Sacramenti, in quam fides tota committitur, in quam disciplina tota connititur, ambiguè annuntiata, & obscurè proposita videatur: quando spes resurrectionis nisi manifesta de periculo & præmio, neminem ad eiusmodi præsertim religionem, publico odio & hostili elogio obnoxiam, persuaderet. Nullum opus certum est, mercedis incertæ. Nullus timor iustus est periculi dubij. Et merces autem & periculum, in resurrectionis pendet euentu.

7. *Resurrectionem, iudicium, & Dei regnum, sine parabolis, Euangelium loquitur. De Resur. cap. 33. in m.*

QVod si nec parabolæ obumbrant Euangelij lucem; tantò abest, vt sententiæ, & definitiones, quarum aperta natura est, aliter quàm sonant sapiant. Definitionibus autem & sententiis Dominus edicit, siue iudicium, siue regnum Dei, siue resurrectionem: [a] *Tolerabilius erit, inquit, Tyro & Sidoni in die iudicij:* & [b] *Dicite illis, quod appropinquauerit regnum Dei:* &, [c] *Retribuetur tibi in resurrectione iustorum.* Si nomina absoluta sunt rerum, id est, iudicij, & regni Dei, & resurrectionis, vt nihil eorum in parabolam comprimi possit; nec ea in parabolas compellantur, quæ ad dispositionem, & transactionem, & passionem, regni, iudicij, & resurrectionis, prædicantur; atque ita corporalia defendantur, vt corporalibus destinata; id est, non spiritalia, quia non figurata.

a Matth. 11. 24.
b Matth. 10. 7.
c Luc. 14. 15.

RESVRGENT CORPORA. 4. 5. 6. 7. SCHOL.

CVM LEGIMVS. *Nihil tale habet vlla versio. Sic enim vulgata Esa. 26. 20.* Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia super te, abscondere modicum ad momentum donec pertranseat indignatio. 70. *verò:* claude ostium tuum abscondere paululum quantulumcumque donec pertranseat ira Domini. *Nisi per cellas promas, cubicula intelligat, siue sepulchra, in quibus repositi dormiunt mortui, donec inde depromantur qui sub sæculi finem sub persecutione Antichristi ex hac vita discesserint.* EXCESSERINT. *Maiori emphasi, ob excessum tyrannidis, in qua Martyres cum Psalte dicent;* Ego dixi in excessu meo, &c. Calicem salutaris accipiam, &c. *dicente enim Christo:* erit tunc tribulatio, qualis non fuit ab initio, nec posteà futura est. *Et quidem ob præcedentia & consequentia Prophetæ verba, per cubicula, cellas promas, iure intellexit, & sepulchra ex quibus vox Christi depromet cadauera mortuorum, eaque suscitabit. Sic enim versu 19. quem suprà exposuimus,* viuent mortui tui, interfecti mei resurgent, expergiscimini, & laudate, qui habitatis in puluere: quia ros tuus, & terram gygantum detrahes in ruinam. *versu autem* 21. Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, vt visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum: & reuelabit terra sanguinem suum *quem ex mortuus ebibit.* Et non operiet vltrà interfectos suos. *Græcam itaque vocem ταμεῖα. quæ significat tam cubicula quàm cellaria, non solùm Tertullianus, sed & ipse Augustinus secutus est, sic enim Aug. ep. 86. ad Casu-* S. Aug. *lanum:* duo, inquit, sunt qui iustorum beatitudinem, & omnis miseriæ finem sperari faciunt, mors, & resurrectio mortuorum. In morte requies est, de qua dicitur per Prophetam: plebs mea intra in cellaria tua, abscondere pusillum, donec transeat ira Domini. In resurrectione autem in homine toto, id est in carne & spiritu, perfécta fœlicitas. AGITABITVR RESVRRECTIO. *Operabitur Christus mortuorum resurrectionem.*

5. PRÆSTRVCTIONIBVS. *Fundamentis, siue sustentaculis.* RECIDIVATVM. *Reditum, resurrectionem.* PROCVRENT. *Faueant tot patrocinia siue rationes authoritate plenissimæ.* HONORES SVBSTANTIÆ, *quibus Deus dignatus est humanam carnem, quam suis tractauit, & delineauit manibus, quam Verbum suscepit, quam animæ tam nobilis domicilium fecit, per quam eam tot Sacramentis dotauit.* VIRES DEI. *Sapientia, bonitas,* A *potentia.* EXEMPLA EARVM, *quæ tota scriptura refert, & quædam in simili causa.* RATIONES IVDICII, *quod necessarium est ad gloriam prouidentiæ diuinæ & iustitiæ manifestandæ, & retributionis meriti boni, vel mali cum carne acquisiti.* INEMERIBILE. *Quod caro non possit id promereri propter suam vilitatem.* PRÆDICATVM. *Prophetatum.* TOT AVTHORITATIBVS. *Iustissimis rationibus.* PROSCRIPTA. *Priùs definita sit.* EDICTVM DEI PENDET. *Alludit ad morem antiquum promulgandi edicta. Prætores enim edicta sua in album, hoc est tabulam ligneam vel chartaceam, aut ex altera materia factam, nullis lineis priùs exaratam, sed dealbatam, referebant, quæ appensa publicè exponebatur legenda. De quo vide Cuiacium 8. obseruat. 15.* CVI SVB- B STANTIÆ. *Anima an corpori conueniat mori & resurgere.*

6. PRÆSTRVCTIONEM EORVM. *Fundamenta hæreticorum.* PER IMAGINES, *figuras & allegorias.* QVANDO. *Quandoquidem.* DISTINGVI POTVISSENT. *A rebus quarum erant imagines. Cætera iam habes suprà exposita.* QVID FACIENT. *Frustrà tot testimonia Scripturæ aperta & clarè de resurrectione scripta sunt.* SPECIES SACRAMENTI. *Tantum mysterium fidei.* AD EIVSMODI RELIGIONEM. *Odiosam & infamatam amplectendam quis persuaderet, si quis incertus esset suscipiendæ mercedis in resurrectione pro opere bono, quis & pœnam in iudicio decernendam, incertus, certò timeret?*

7. APERTA NATVRA. *Sensus literalis manifestus.* IN PARABOLAM COMPRIMI. *Vi in sensum allegori-* C *cum detorqueri.* CORPORALIA. *Literaliter intelligenda.* DISPOSITIONEM, TRANSACTIONEM, PASSIONEM. *Dispositio ad regnum pertinet, sic enim Psaltes:* disposui testamentum electis meis. *Et Christus:* dispono vobis, sicut & disposuit vobis Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam in regno meo. *Passio resurrectionem spectat, habent enim se mortui purè passiuè ad resurrectionem. Transactio tandem vox forensis ad iudicium attinet. Dicitur enim à transigendo, hoc est finem imponendo. Habet autem duplicem significationem. Vel enim transacta dicuntur, etiam ea quæ nunquam venerunt in controuersiam. Et sic in iudicio* tempus non erit ampliùs, & cœlum & terra transibunt. *Et sic loquitur lex transacta. ff. de verb. sign. Vel transacta dicuntur quæ controuertuntur, & a lite futura, aut pendente, quæ ad certam compositionem reducuntur, dando aliquid vel accipiendo. Sic sumitur in*

tit. ff. de transact. transactio est de re dubia, & lite ancipiti, nec dum ad finem ducta, non gratuita pactio. l. 1. de transact. *Et sic in iudicio dicetur:* nonne ex denario conuenisti mecum? tolle quod tuum est & vade. *Hic autem adhuc in salute dubia, & lite pendente, quoad exitum & sortem iudicij, transactio & pactio iusta est cum Deo, vt si benè egerimus, mercedem regni, sin malè, pœnam æterni supplicij in iudicio referamus. Quod sit edictum certissimum resurrectionis & iudicij, paucis loquitur Augustinus ser. 33. de verb. Apost.*

S. Aug. Quando, inquit, celebramus dies fratrum defunctorum in mente habere debemus, & quid sperandum, & quid timendum sit. Secundum hoc enim sperandum est, quoniam pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Secundum hoc autem timendum est, quia mors peccatorum pessima, &c. est autem fides nostra maximè discreta ab omni B fide Gentilium, in resurrectione mortuorum. Hanc enim illi omninò non recipiunt, quia vbi recipiant, non habent. A Domino enim præparatur voluntas hominis vt sit fidei receptaculum. Dicit Iudæis Dominus Io. 14. sermo meus non capit in vobis. Ergo in his capit, in quibus inuenit quod capiat in his enim inuenit quod capiat sermo qui capit, quos Deus pollicendo non decipit. Ille enim qui quærit ouem perditam, & quam quærit nouit, & vbi quærat, & quomodo eius membra dispersa colligat, & in vnam salutem reducat, *corpus ab anima indissolubile futurum.* Et ita constituat, vt eam vlteriùs non perdat. *De cellis autem promis, sine monumentis, ex quibus depromendi sunt mortui tract. 19. in caput 5. Io.*

S. Aug. Cùm, inquit, vellet Dominus noster Iesus Christus Magister cœlestis, Verbum Patris, C & veritas demonstrare nobis quandam resurrectionē mortuorum in æternam vitam, ante resurrectionem mortuorum in æternam vitam: venit hora inquit, tu proculdubio imbutus fide resurrectionis carnis, expectabas horam illam finis sæculi, diem iudicij: quam ne in isto loco expectares, addidit, & nunc est. Quod ergo dicit venit hora; non dicit de illa hora nouissima, vbi in iussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei Dominus ipse descendet de cœlo, & mortui in Christo resurgent primi, deinde nos, &c. Et veniet illa hora sed non est nunc. Hora verò ista quæ sit aduertite. Venit hora & nunc est. Quid in ea fit? *quod Paulus ait, iam nunc hora est nos de peccati somno surgere. Surge qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.*

S. Aug. Quid, nisi resurrectio mortuorum? & qualis re- D surrectio? vt qui resurgunt, in æternum viuant: hoc erit & in nouissima hora. Quid igitur? Quomodo intelligemus duas istas resurrectiones? numquid fortè qui nunc resurgunt, tunc non resurgent, vt aliorum tunc fiat resurrectio, aliorum nunc? non est ita. Nam istâ resurrectione, *animæ viuificatæ per fidem*, si rectè credimus, resurreximus: & nos ipsi qui iam resurreximus, alteram in fine resurrectionem expectamus. Sed & nunc in æternā vitam resurreximus, si in fide ipsa perseueranter manemus: & tunc in æternam vitam resurgemus quando Angelis coæquabimur, &c. Prædicatur Christus Verbum Dei, filius Dei, per quem facta sunt omnia, certæ dispensationis gratia, assumpta carne natus ex virgine, infans in carne, iuuenis in carne, patiens in A carne, mortuus in carne, resurgens in carne, ascendens in carne, promittens resurrectionem carni, promittens resurrectionem menti: menti ante carnem, carni post mentem. Qui audit, & obaudit, viuet. *Et multis interiectis vbi de iudicio.* Venit hora. Non addidit, & nunc est. Ergo horam quandam vult insinuare in fine sæculi, &c. Nolite mirari hoc, quia venit hora, non ea quæ nunc est, vt resurgant animæ: sed quæ futura est, vt resurgant corpora. Expressiùs hoc dicat, vt calumniam hæreticus negator resurrectionis non inueniat, *& allegoricè Scripturam non accipiat.* Quanquam iam intellectus elucescat, &c. omnes ansas, omnes clauiculas calumniarum, omnes nodos laqueorum apertâ veritate dirumpat. Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt. Quid euidentius? quid expressius? corpora sunt in monumentis, *tanquam in cellis promis* animæ non sunt in monumentis, nec iustorum, nec iniquorum. Iusti anima in sinu Abrahæ fuit, iniqui anima apud inferos torquebatur. In monumento nec ista nec illa, &c. Superius ergo cùm diceret, venit hora, & adderet, & nunc est, quid subiecit? Quandò mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent. Non dixit omnes mortui audient, & qui audierint viuent: mortuos enim, iniquos volebat intelligi. Et nunquid omnes iniqui obediunt Euangelio? apertè dicit Apostolus, sed non omnes obediunt Euangelio. Tamen qui audiunt, viuent: quia omnes qui obediunt Euangelio transeunt ad vitam æternam, per fidem: non tamen omnes obediunt: & hoc nunc est. At verò in fine omnes qui sunt in monumentis, hoc est iusti & iniusti, audient vocem eius, & procedent. Quomodo noluit dicere, & viuent? omnes enim procedent, sed non omnes viuent. Ideo quippe quod supra dixit, & qui audierint, viuent, in ipsa obeditione vitam æternam intelligi voluit, & beatam, quam non omnes habebunt qui de monumentis procedent. Iam ergo & commemoratione monumentorum, & expressione processionis de monumentis, apertè intelligimus corporum resurrectionem: audient omnes vocem eius, & procedent. Et vbi iudicium si omnes audient, & omnes procedent? &c. Certè accepisti potestatem iudicandi quia filius hominis es; ecce aderis in iudicio, resurgent corpora: de ipso iudicio dic aliquid hoc est de discretione bonorum & malorum. Et hoc audi: qui benè fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui malè egerunt in resurrectionem iudicij, &c. hîc iudicium pro pœna posuit. Et erit diremptio, *separatio, sicut hædorum ab ouibus, piscium, virginum, zizaniorum & palearum à tritico* & non S. Aug. qualis modò est: nam & modò separamur, non locis, sed moribus, affectionibus, desideriis, fide, spe, charitate: simul enim cum iniquis viuimus, sed non vna vita est omnium: in occulto dirimimur, in occulto separamur: Quomodo grana in area, non quomodo, grana in horreo. Et separantur grana in area & miscentur. Separantur cùm à palea expoliantur: miscentur, quia nondum ventilantur. Tunc aperta erit separatio sicut morum, sic & vitæ: sicut sapientiæ, ita & corporum. Eunt qui benè fecerunt, viuere cum Angelis Dei: qui malè egerunt, torqueri cum diabolo & Angelis eius.

S. Aug.

8. *Resurrectio probatur ex cura passerum & capillorum, stridore dentium, Parabola viduæ septies nuptæ. De Resur. cap. 35. in p. ad m. & à m. ad f. & 36. per totum.*

a Matth. 10. 28. SEd & præcipit, [a] *eum potiùs timendum qui corpus & animam occidat in gehennam*, id est Dominum solum; *non qui corpus occidant, animæ autem nihil nocere possint*, id est humanas potestates. Adeò hîc & anima immortalis naturâ recognoscitur, quæ non possit occi-

di ab hominibus; & carnis esse mortalitatem, cuius sit occisio; atque ita resurrectionem quoque mortuorum, carnis esse, quæ in gehennam, nisi resuscitata non poterit occidi. Sed quoniam & hic de interpretatione corporis quæstio cauillatur, ego corpus hominis non aliud intelligam, quàm omnem istam struem carnis, quoquo genere materiarum concinnatur, atque variatur; quod videtur, quod tenetur, quod denique ab hominibus occiditur. Sic & parietis corpus non aliud admittam, quàm cæmenta, quàm saxa, quàm lateres. Si quis arcanum aliquod corpus inducit, ostendat, reuelet, probet ipsum esse etiam quod occiditur ab homine, & de illo erit dictum. Item si animæ corpus opponitur, vacabit astutia. Cùm enim vtrumque opponitur, corpus atque animam occidi in gehennam, distinguitur corpus ab anima, & relinquitur intelligi corpus, id quod in promptu sit, caro scilicet; quæ sicut occidetur in gehennam, si non magis à Deo timuerit occidi, ita & viuificabitur in vitam æternam, si maluerit ab hominibus potius interfici.

Et ibidem à. m.

EIdem nos spei fulciens, passerum quoque subiunxit exemplum, quod ex duob. non cadat alter in terram sine Dei voluntate: vt & carnem, quæ ceciderit in terram, proinde credas & resurgere posse per eiusdem Dei voluntatem. Nam etsi passeribus hoc non Matth.
licet; sed nos multis passeribus antistamus, eo quòd cadentes resurgamus. Quorum de- 10.31.
nique capillos capitis omnes numeratos affirmat, saluos vtique repromittit. Perituros enim, quæ ratio in numerum redegisset, nisi quia hoc est, vt [a] *omne quod Pater mihi de-* a Io.6.39.
dit, non perdam ex eo quicquam, id est, nec capillum, sicut nec oculum, nec dentem. Ce- b Matth.
terùm. [b] *vnde erit fletus, & dentium frendor in gehenna*, nisi ex oculis & dentibus? occiso sci- 8.12.
licet etiam corpore in gehennam, & detruso in tenebras exteriores, quæ oculorum pro- Matth.
pria sunt tormenta, si quis in nuptiis, minùs dignis operibus fuerit indutus, constringen- 22.13.
dus statim manibus & pedibus. vtpote qui cum corpore surrexit. Sic ergo & recumbere Matth.8.
ipsum in Dei regno, & sedere in thronis Christi, & assistere ad dexteram tunc vel sini- 11.
stram, & edere de ligno vitæ, corporalis dispositionis fidelissima indicia sunt. Videamus Apoc.2.
nunc, an & Sadducæorum versutiam elidens, nostram magis sententiam erexerit. Causa, 7.
opinor, quæstionis, fuit destructio resurrectionis. Siquidem Sadducæi, neque ani- CAPVT XXXVI.
mæ, neque carnis admittunt salutem; & ideo ex qua vel maximè specie resurre- Matth.
ctionis fides labefactatur, ex ea argumentum problemati suo accommodauerunt: de car- 22.24.
nis scilicet obtentu, nupturæ, necne, post resurrectionem, sub eius mulieris persona, quæ septem fratribus nupta, in dubio haberetur, cui eorum restitueretur. Porrò, seruentur sensus tam quæstionis quàm responsionis, & controuersiæ occursum est. Si enim Sadducæi quidem respuebant resurrectionem, Dominus autem eam confirmabat, & scripturarum ignaros increpans, earum scilicet quæ resurrectionem prædicassent, & virtutis Dei incredulos, idoneæ vtique mortuis resuscitandis, postremò subiiciens, Quoniam autem mortui resurgant; sine dubio, & confirmando, esse quod negabatur; id est, resurrectionem mortuorum apud Deum viuorum, talem quoque eam confirmabat esse, qualis negabatur; vtriusque scilicet substantiæ humanæ. Neque enim si nupturos tunc negauit, ideò nec resurrecturos demonstrauit. Atquin [c] *filios resurrectionis* appellauit, per eam quo- c Ibid. 30.
dammodo nasci habentes; post quam non nubent, sed resuscitati: *similes enim erunt angelis*; quà non nupturi, quia nec morituri; sed quà transituri in statum angelicum, per indumentum illud incorruptibilitatis, per substantiæ, resuscitatæ tamen, demutationem. Ceterùm, nec quæreretur, nupturi, siue morituri, necne, rursus essemus, si non eius vel maximè substantiæ restitutio in dubium vocaretur, quæ propriè & morte & nuptiis fungitur, id est carnis. Habes igitur Dominum confirmantem aduersus hæreticos Iudæorum, quod & nunc negatur apud Sadducæos Christianorum, solidam resurrectionem.

RESVRRECTIO PROBATVR. 8. SCHOL.

EIDEM SPEI. *Ad eandem spem nos erigens, spei anchorâ nauim animæ fluctuantem obfirmans.* PASSERVM QVOQVE. *Matth. 10. 28. Cum dixisset Christus* nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. *Statim subiecit:* nonne duo passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadet in terram sine Patre vestro? vestri autem capilli capitis, *Syr. quin etiam pili, &c.* omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus, meliores estis vos. *Translat. Syr.* multis passerculis præstantiores estis. OMNE QVOD PATER. *Io. 6. 39.* hæc est autem voluntas A eius qui misit me, Patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. *Aug. tract. 25. in Io. 6.* Videte, inquit, quemadmodum & hic geminam illam resurrectionem delineet, qui venit ad me modò, resurgit humilis factus in membris meis; sed & resuscitabo eum in nouissimo die secundum carnem. S. Aug. VNDE ERIT FLETVS? *Matth. 8. 12.* Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. SI QVIS IN NVPTIIS. *Matth. 22. 13. cum dixisset;* intrauit autem Rex vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum, &c. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti, non ha-

bens vestem nuptialem? at ille obmutuit: tunc dicit Rex ministris: ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. SADDVCÆORVM VERSVTIAM. *Matth.* 22. 23. Accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem mortuorum. *Translat. Syr.* Et dicunt ei, nulla est resurrectio mortuorum. SALVTEM. *Neque resurrectionem carnis, neque animæ immortalitatem.* SCRIPTVRARVM IGNAROS. *Matth.* 22. 29. Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim, neque nubent, neque nubentur. *Syr. neque ducunt vxores, nec mulieres habent viros*, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis Exo. 3. 6. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob? non est Deus mortuorum, sed viuentium. FILIOS RESVRRECTIONIS. *Non quòd expreßè hæc verba dixerit Christus, sed quòd expresserit nouam generationem resurgentium.* NON NVPTVRI. *Dat rationem, quòd nuptiæ sint reparatrices morientium, substitutione filiorum.* SVBSTANTIÆ DEMVTATIONEM. *Prius mortalis, in immortalem.* HÆRETICOS IVDÆORVM, *Sadducæos scilicet, sicut statim dixit Valentinianos aliosque hæreticos resurrectionem negantes, Christianorum Sadducæos. Quantùm ad locum Matth.* 10. *quo Christus præcipit eum solum timendum qui potest animam & corpus perdere in gehennam, eundem*

S. Aug. *retulit Augustinus libro* 1. *de Ciuit. cap.* 12. *vbi sic obiicientem infidelem inducit.* At enim, inquit, in tanta strage cadauerum nec sepeliri potuerunt. Neque istud pia fides nimiùm reformidat, tenens prædictum, nec absumentes bestias resurrecturis corporibus obfuturas, quorum capillus capitis non peribit. Nec vllo modo diceret veritas: nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere, si quicquam obesset futuræ vitæ, quicquid inimici de corporibus mortuorum facere voluissent, &c. dictum est enim aliquid eos facere cùm occidunt, quia in corpore sensus est occidendo: posteà verò nihil habere quod faciant, quia nullus sensus est, in corpore occiso. Multa itaque corpora Christianorum terra non texit, sed nullũ eorum quisquam à cœlo & terra separauit, quam totam implet præsentia sui, qui nouit vnde resuscitet quod creauit, &c. Verumtamen sepulturæ curam etiam eorum Philosophi contempserunt: & sæpè vniuersi exercitus dum pro terrena patria morerentur, vbi posteà iacerent, vel quibus bestiis esca fierent, non curarunt. Licuitque de hac re Poëtis plausibiliter dicere: cœlo tegitur, qui non habet vrnam. Quantò minùs debent de corporibus insepultis insultare Christianis, quibus & ipsius carnis, & membrorum omnium reformatio, non solùm ex terra, verùm etiam ex aliorum elementorum secretissimo sinu, quo dilapsa cadauera recesserunt, in temporis puncto reddenda, & redintegranda promittitur. *Sed mentem Tertulliani præsius attingit de viuificando in resurrectione corpore reproborum ad pœnam. Lib.* 13. *de Ciuit. cap.* 2. Huiusmodi, inquit, totius hominis mortem *cùm anima vt sit, à Deo deserta deserit corpus; ita enim nec ex Deo viuit ipsa, nec corpus ex ipsa*; illa sequitur quam secundam mortem diuinorum eloquiorum appellat authoritas. *Vt habetur Apoc.* 21. hanc Saluator significauit, vbi ait: eum timete qui habet potestatem & corpus & animam perdere in gehennam. Quod cùm non anteà fiat, quàm cùm anima corpori sic fuerit copulata, vt nulla diremptione separentur: mirum videri potest, quomodo corpus eâ morte dicatur occidi, quia non ab anima deseritur, sed animatum sentiensque cruciatur. Nam in illa pœna vltima ac sem-

A piterna, rectè mors animæ dicitur, quia non viuit ex Deo. Mors autem corporis quonam modo, cùm viuat ex anima? non enim aliter potest ipsa corporalia, quæ post resurrectionem futura sunt, sentire tormenta. An quia vita qualiscumque, aliquod bonum est, dolor autem malum: ideò nec viuere corpus dicendum est; in quo anima non viuendi causa est, sed dolendi? &c. in damnatione nouissima, quamuis homo sentire non desinat, tamen quia sensus ipse, nec voluptate suauis, nec quiete salubris, sed dolore pœnalis est, non immeritò mors est potiùs appellata quàm vita. *Et to.* 6. *lib.* 14. *cont. Faust.*

B *cap.* 12. Sicut mors est corporis in ligno pendere, ita mors animi est Solem adorare. Quapropter quoniam maledictum in vtroque mors meruit, eligendum est maledictum in corporis morte, quo maledicto, & ipsum corpus in resurrectione liberabitur: deuitandum autem maledictum in animæ morte, ne cum suo corpore in æterno igne damnetur, *vbi in tenebris exterioribus ex fumo tormentorum semper ascendente erit fletus, sicut ex aquis nimium stridor dentium.* Hanc enim quæstionem nobis Dominus soluit dicens: nolite timere eos, &c. sed eum timete, &c. tanquam diceret, nolite timere maledictum corporalis mortis, quod temporaliter soluitur: sed timete maledictũ spiritalis mortis, per quod anima in æternum cũ suo corpore cruciatur. *Et li.* 1. *cont. Aduers. leg.* S. Aug.

C *& Proph. c.* 16. *vbi ex eodem loco præcitato concludit:* quis, inquit, non mallet tali genere mortis interfici, quis non postremo igne consumi, vel ferinis morsibus per ipsa pudenda laniari, quàm mitti in gehennam ignis æterni? *De prouidentia erga passeres sic fatur to.* 3. *lib.* 5. *de Gen. ad lit. cap.* 21. Quod autem, inquit, ore suo Saluator dicit, vnum passerem non cadere in terram sine Dei voluntate, & quòd fœnum agri post paululum mittendum in clibanum, ipse tamen vestiat, nonne confirmat, non solùm totam istam mundi partem rebus mortalibus & corruptibilibus deputatam, verùm etiam vilissimas eius, abiectissimasque particulas diuinâ prouidentiâ regi? *Et libro de agone Christiano cap.* 8. Omnia, inquit, S. Aug.

D animalia, & corporalia in genere suo, & ordine suo, diuinæ prouidentiæ legibus subdita administrantur: ideò Dominus dicit: nonne duo passeres asse veneunt? &c. hoc etiam dixit, volens ostendere, quidquid vilissimum homines putant, omnipotentiâ Domini gubernari. Sic enim & volatilia cœli ab eo pasci, & lilia agri ab eo vestiri veritas loquitur, quæ capillos etiam nostros numeratos esse dicit. *Præterea de capillis ser.* 6. *de verb. Do.* & de ipsis S. Aug. capillis nostris securitatem nobis dedit: Amen dico vobis, inquit, & capilli capitis vestri omnes numerati sunt, &c. quantò magis mores nostri, cui sic noti sunt capilli nostri? videte quia minima nostra nec contemnit Deus. Nam si contemneret, non crearet. Nam & capillos nostros ipse vtique creauit, & numeratos habet. Sed modò cùm sunt, inquis, fortè peribunt. Et hinc audi vocem eius: Amen

E dico vobis, capillus capitis vestri non peribit. Quid times hominem in sinu Dei positus? &c. laniatus corporum Martyres pertulerunt. *Et homil.* 14. Magnam, inquit, securitatem dedit dicens, capillus de S. Aug. capite vestro non peribit. Times ergo ne pereas, cuius capillus non peribit? Si sic custodiuntur superflua tua, in quanta securitate est anima tua? *& caro tua?* non perit capillus, qui cum tondetur, non sentis, & perit anima per quam sentis? *Et libro* 22. S. Aug. *de Ciuit. cap.* 12. *inter libertinorum & hæreticorum quæstiones:* de ipsis, inquit, capillis possit quæri, verùm redeat quidquid tondentibus decidit. Quod si redditurum est, quis non exhorreat illam deformitatem? nam hoc & de vnguibus videtur necessariò secuturum,

secuturum, vt redeat tam multum, quod corporis cura defecit. Et vbi erit decus, quod certe maius quàm in ista esse corruptione potuit, in illa iam immortalitate esse debebit? *Et cap.14.* in sententia Domini vbi ait, capillus capitis vestri non peribit, dictum est non defuturum esse quod fuit. *Non quod deformis superfluitas quam hîc cædimus sit illic reddenda.* Non autem negatum est, affuturum esse quod defuit. *De quæstione tandem à Sadducæis proposita in Psal. 55. cuius titulus est:* in finem Canticum Psalmi resurrectionis. Resurrectionem, inquit, Christiani nouimus in capite nostro, *qui finis est legis*, iam factã, & in membris futuram. Caput Ecclesiæ Christus est, membra Christi Ecclesia. Quod præcessit in capite, sequetur in corpore. Hæc est spes nostra, ad hoc credimus, ad hoc duramus & perseueramus in tanta malignitate huius sæculi, consolante nos spe, antequam nostra spes fiat res. Res enim erit, cùm & nos resurrexerimus, & in cœlestem habitum commutati, æquales Angelis facti erimus. Quis hoc sperare auderet, nisi veritas promitteret? hanc autem spem promissam sibi Iudæi tenebant, & de bonis, & quasi iustis operibus multùm gloriabantur, quòd acceperant legem, secundùm quam viuendo, & hîc haberent bona carnalia, & in resurrectione mortuorum talia sperabant, de qualibus hîc gaudebant. Propterea Sadducæis qui nega-

S. Aug.

S. Aug.

A bant futuram resurrectionem, Iudæi respondere non poterant, proponentibus quæstionem, quam Domino proposuerunt iidem Sadducæi, &c. Proposità ergo illà muliere quæ habuit septem viros omnes mortuos sine liberis, & ad hoc officium implendum ducentes fratris vxorem; dixerunt quærentes: in resurrectione, cuius eorum erit vxor? Proculdubiò Iudæi non fatigarentur, non deficerent in illa quæstione, si non talia sibi in resurrectione sperarent, qualia agebant in hac vita. Dominus autem æqualitatem Angelorum promittens, non humanam carnis corruptionem, ait illis: erratis nescientes Scripturas neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque vxores ducent, neque enim incipient mori: sed erunt æ-
B quales Angelis Dei. *Immortalibus, qui speciem suam non conseruant generatione filiorum, vt nec indiuidua digestione ciborum.* Demonstrauit quòd ibi non sit necessaria successio, vbi deletur decessio. *Quia mors vlterà non erit, non esurient neque sitient amplius.* Ibi quia decessores non erunt, nec successores quærentur. Ad hoc subiecit, non enim incipient mori. Verumtamen quia Iudæi tenebant etsi carnaliter, spem resurrectionis futuræ, quàuis sunt responsum esse Sadducæis, cum quibus illis erat de hac ancipiti, & obscura quæstione certamen.

9. *Resurrectio & mors spiritalis sic à Paulo asseritur, vt tamen corporalis prædicetur.*
De resur. cap. 23 per totum.

DOcet quidem Apostolus, Colossensibus scribens, [a] *mortuos fuisse nos aliquando, alienatos, & inimicos sensus Domini, quum in operibus pessimis agebamus, dehinc* [b] *consepultos Christo in baptismate, & corresuscitatos in eo per fidem efficaciæ Dei, qui illum suscitarit à mortuis. Et vos cum mortui essetis in delictis & præputiatione carnis vestræ, viuificauit cum eo, donatis vobis omnibus delictis.* Et rursus, [c] *Si cum Christo mortui estis ab elementis mundi, quomodo quidam, quasi viuentes in mundo, sententiam fertis?* Sed quum ita nos mortuos faciat spiritaliter, vt tamen & corporaliter quandoque morituros agnoscat; vtique & resuscitatos proinde spiritaliter deputans, æquè non negat etiam corporaliter resurrecturos. Denique, [d] *Si resurrexistis, inquit, cum Christo, ea quæ sursum sunt quærite, vbi est Christus in dextera Dei residens: ea quæ sursum sunt sapite, non quæ deorsum.* Ita animo ostendit resurgere, quo solo adhuc possumus cœlestia attingere; quæ non quæreremus, nec saperemus si possideremus: Subiicit etiam: *Mortui enim estis*, scilicet delictis, non vobis; *& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Nondum ergo apprehensa est, quæ abscondita est. Sic & Ioannes, [e] *Et nondum, ait, manifestatum est, quid futuri simus. Scimus quia si manifestauerit, similes eius erimus.* Tantò abest, vt simus iam quod nescimus: vtique scituri, si iam essemus. Adeò contemplatio est spei in hoc spatio per fidem, non repræsentatio; nec possessió, sed expectatio. De qua spe & expectatione Paulus ad Galatas, [f] *Nos enim spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus:* non ait, tenemus. Iustitiæ autem Dei dicit, ex iudicio, quo iudicabimur de mercede. ad quam pendens & ipse, quum Philippensibus scribit, [g] *Si quà, inquit, concurram in resuscitationem quæ est à mortuis: non, quia iam accepi, aut consummatus sum.* Et vtique crediderat, & omnia Sacramenta cognouerat, Vas electionis, Doctor Nationum; & tamen adiicit, *Persequor autem si adprehendam in quo sum adprehensus à Christo. Eo ampliùs, Ego me, fratres, non puto adprehendisse. vnum planè: oblitus posteriorum, in priora me extendens, secundùm scopum persequor ad palmam incriminationis, per quam concurrerem:* vtique in resuscitationem à mortuis; suo tamen tempore, sicut ad Galatas, [h] *Benè autem facientes ne tædeat. tempore enim suo metemus.* sicut & ad Timotheum de Onesiphoro, [i] *Det illi Dominus inuenire misericordiam in illo die.* In quem diem ac tempus, & ipsi præcipit [k] *custodire mandatum immaculatum, irreprehensibile, in apparentiam Domini Iesu Christi; quam suis temporibus ostendet, beatus & solus potentator, & rex regnantium, & dominus dominantium;* de Deo dicens. De quibus temporibus & Petrus in Actis, [l] *Pœniteat itaque vos, & resipiscite ad abolenda delicta vestra, vt tempora vobis superueniant refrigerij ex persona Dei, & mittat prædesignatum vobis Christum; quem oportet accipere cælos, adusque tempora exhibitionis omnium, quæ locutus est Deus, ore sanctorum Prophetarum.*

a Coloss. 1.21.
b Coloss. 2.12. & 13
c Ibid. 20.
d Coloss. 3.1.
e 1.Io.3.2.
f Gal. 5.5.
g Philipp. 3.11. 12. & seq.
h Gal. 6.9.
i 2.Tim. 1.18.
k 1.Tim. 6.14.
l Act. 3. 19.

COLOSSENSIBVS. *Coloss. 2. 12. & seq.* Consepulti A ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei. *Syr. in virtute Dei*, qui suscitauit illum à mortuis. Et vos cùm mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta. ALIENATOS. *Sic ad Coloss. 1. 21.* Et vos cum essetis aliquando alienati & inimici sensu in operibus malis. *Syr. & vos qui quondam extranei eratis, & inimici mentibus vestris propter mala opera vestra*, nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos & immaculatos & irreprehensibiles coram ipso. *Aug. tract. 27. in Ioannem de præputio carnis & resurrectione sic fatur, in præcedentem locum & subsequentem congruè.* Re- B

S. Aug. surrectio Christi quæ facta est tertio quidem die Passionis, sed octauo in diebus hebdomadis, ipsa nos circumcidit. Audi circumcisos verà Petrà Apostolo admonente, quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram Circumcisis loquitur, resurrexit Christus, abstulit vobis desideria carnalia, abstulit concupiscentias malas, abstulit superfluum cum quo nati eratis, *peccatum originale*, & multò pejus, quod malè viuendo addideratis. *Et hæc est resurrectio animæ.* Circumcisi per petram, quare adhuc sapitis super ter-

S. Aug. ram? ET RVRSVS. *Ibid. versu 20.* Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi, *id est vel à principiis rerum naturalium, quæ pro diis coluerant, vel ceremoniis legis quas dimiserant.* Quid adhuc tanquam viuentes in mundo decernitis? Syr. passiuè, iudica- C mini. *Quasi eadem sectaremini quæ prius, vel alios hæc non seruantes iudicatis, vel timetis à cultoribus iudicari nisi & vos ea seruetis.* MORTVI ESTIS, NON VOBIS. *Id est non morte materiali, secundùm carnem. Augustinus citatus à Beda in hunc locum sermone de resur. mortuorum;*

S. Aug. Commutatio quæ corruptionem non habebit, sanctorum erit illorum, qui modò habent resurrectionem spiritus, de qua resurrectione dicit Apostolus: si autem resurrexistis cum Christo, &c. mortui enim estis, &c. quomodo mortui? secundùm spiritum, & resurgimus secundum spiritum, sic postea morimur secundum carnem quæ est prima mors. Non facere: quod faciebas, non credere quod credebas. Idolis seruiebat, vnum Deum cognouit, mortuus est in idololatria, resurgexit in fide. Ebriosus erat, sobrius est, mortua est ebrietas, resurrexit sobrietas. Omnia ergo facta mala quæ desinimus facere, quasi mors est in nobis. *Absconditam subiicit in Christo vitam resurrectionis corporum quam expectamus, cum apparuerit, similes ei facti, apparebimus in gloria.* IN HOC SPATIO. *In hac vita mortali, spe & fide contemplamur corporum suscitandorum gloriam in fine sæculi exhibendam.* SPEM IVSTITIÆ. *Id est impletionem promissorum Dei, qui in resurrectione pro mercede reddet coronam iustitiæ.* SI QVA, *si quomodo. Locum ad Philippenses nuper exposui.* INCRIMINATIONIS. *Vulgata.* Ad brauium supernæ vocationis. *Translat. Syr.* Decurro ad metam; vt accipiam victoriosum præmium supernæ vocationis. *Alludit fortè ad incoinquinata certamina sapientis.* NE TÆDEAT. *Vulgata*, non deficiamus. *Syr.* Ne sit nobis tædio. IMMACVLATVM. *1. Tim. 6. 14.* vt serues mandatum sine macula irreprehensibile, vsque in aduentum *Syr. manifestationem* Domini nostri Iesu Christi, quem suis temporibus ostendet beatus & solus potens Rex Regum & Dominus dominantium. PETRVS IN ACTIS, *cap. 3. 19.* Pœnitemini igitur & conuertimini, vt deleantur peccata vestra, vt cùm venerint tempora refrigerij a conspectu Domini, & miserit eum qui prædicatus est vobis Iesum Christum, quem oportet quidē cœlum suscipere vsq; in tēpora restitutionis omniū, quæ locutus est Deus per os sanctorū suorū à sæculo Prophetarum. *Translat. Syr.* vsque ad complementum temporum illorum omnium de quibus locutus est Deus per os Sanctorum Prophetarum suorum à sæculo. *Hic non prætteribo eximium Augustini locum ser. 15. de verb. Apost. ex Epist. ad Philipp. cap. 3.* Ad cognoscendum eum, & S. Aug. virtutem resurrectionis eius. *Vbi prosequitur Paulus.* Et societatem passionis illius, configuratus morti eius: si quo modo occurram ad resurrectionem quæ est ex mortuis: *Translat. Syr. si fortè possim peruenire ad resurrectionem illam quæ est ex mortuis:* aliquid, inquit, magnum est, agnoscere virtutē resurrectionis Christi. Hoc putatis esse magnum, quia carnem suam resuscitauit? ipsam dixit virtutem resurrectionis eius. Nonne erit nostra etiam in fine sæculi resurrectio? nonne & nostrum corruptibile hoc induetur incorruptionem, & mortale hoc induetur immortalitatem? nonne quomodo ipse resurrexit à mortuis, & iam non moritur, & mors ei vltrà non dominabitur, sic & nos? mirabiliùs vt ita dicam. Nam illius caro non vidit corruptionem, nostra de cinere reparatur. Magnum est quidem, quia præcessit in exemplo, & dedit nobis quid speraremus, sed non hoc est solùm, *supple spes resurrectionis corporis, sed multò magis animæ iustificatæ per fidem, & circumcisæ à peccatis,* illi, qui de iustitia loquebatur, non sua, sed illa quæ ex Deo est, & ibi nominauit virtutem resurrectionis Christi: agnosce ibi iustificationem tuam. *Mortuus est enim propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Ex illius enim resurrectione iustificamur, tanquam a petra circumcidamur. Propterea inde cœpit, nos sumus circumcisio. Vnde circumcisio? à petra. qua petra? Christo. Quomodo? octauo die. Quomodo resurrexit Dominus? Dominico die. Hanc ergo fratres mei, iustificationem, & habeamus, in quantùm habemus, *acceptam à Deo; vel, vtiliter habeamus, ad vsuram pecuniam Domini fœnerantes, ne non habentibus auferatur quod habemus, & habenti detur in abundantiam.* Et augeamus in quantùm minores sumus, & perficiamus, cùm illuc venerimus, *quo se ex-* D *tendebat Paulus perfectionem inquirens Christo similem, naturam nostram puram & perfectam apprehendentem sine vlla concupiscentia carnis contra spiritum.* Vbi dicetur, vbi est mors victoria tua, vbi est mors aculeus tuus? sed totum ex Deo, Non tamen quasi dormientes, non quasi vt non conemur, non quasi vt non velimus. Sine voluntate tua non erit in te iustitia Dei. *Inde humanam conuenit voluntatem, dicens, surge qui dormis, & exurge à mortuis, &c.* voluntas quidem non est nisi tua, iustitia non est nisi Dei. Esse potest iustitia Dei sine voluntate tua, sed in te esse non potest nisi per voluntatem tuam, &c. Eris opus Dei non solùm quia homo es, sed etiam quia iustus es. Melius est enim iustum esse, quàm te hominem esse. Si E hominem te fecit Deus, & iustum tu te facis, melius aliquid facis quàm fecit Deus. Non enim adhibuisti aliquem consensum vt te faceret Deus. Quomodo consentiebas qui non eras? Qui ergo fecit te sine te, non iustificat te sine te. Ergo fecit nescientem, iustificat volentem. Tamen ipse iustificat, ne redeas ad damna, ad detrimenta, & stercora, inuenire in illo non habens iustitiam tuam, quæ ex lege est, sed iustitiam per fidem Christi quæ est ex Deo, &c. Morere vt viuas. Sepelire vt resurgas. Cùm enim sepultus fueris, & resurrexeris, tunc verum erit sursum cor.

10. *Resurrectionis fidem, nouum testamentum, & Paulus veteris interpres, contra Sadducæos confirmauit. De Resur. cap. 39. per totum.*

Resurrectionem Apostolica quoque instrumenta testantur. nam & Apostolis nullum aliud negotium fuit, dumtaxat apud Israëlem, quàm veteris Testamenti resignandi, & noui consignandi, & potiùs iam Dei in Christo concionandi. Ita & de resurrectione nihil noui intulerunt, nisi quòd & ipsam in gloriam Christi annuntiabant; de cetero, simplici & nota iam fide receptam, sine vlla qualitatis quæstione, solis refragantibus Sadducæis. adeo facilius fuit negari in totum mortuorum resurrectionem, quàm aliter intelligi. Habes Paulum, apud summos Sacerdotes sub Tribuno inter Sadducæos & Pharisæos fidei suæ professorem, [a] *Viri, inquit, fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum; de spe nunc & de resurrectione iudicor apud vos*: Vtique communi; ne quia iam transgressor legis videbatur, de præcipuo fidei totius articulo, id est de resurrectione, ad Sadducæos sapere existimaretur. Ita, quam nolebat videri rescindere, fidem resurrectionis vtique confirmabat secundùm Pharisæos, respuens negatores eius Sadducæos. Proinde & apud Agrippam, nihil se ait proferre, citra quàm Prophetæ annuntiassent. Ergo seruabat resurrectionem quoque, qualem Prophetæ annuntiarant. Nam & de resurrectione mortuorum apud Moysen scriptum commemorans, corporalem eam norat; in qua scilicet sanguis hominis exquiri habebit. Itaque talem prædicabat, qualem & Pharisæi susceperant, & Dominus ipse defenderat; & Sadducæi, ne talem quoque crederent, in totum esse noluerant. Sed nec Athenienses aliam intellexerant à Paulo portendi. denique irriserant: non irrisuri omnino, si animæ solius restitutionem ab eo audissent. suscepissent enim vernaculæ suæ philosophiæ frequentiorem præsumptionem. At vbi nationes præconium resurrectionis inauditæ retrò, ipsâ nouitate concussit; & digna incredulitas rei tantæ, quæstionibus fidem torquere cœpit; tunc & Apostolus per totum penè instrumentum, fidem huius spei corroborare curauit, & esse eam ostendens, & nondum transactam: & (de quo magis quærebatur) corporalem: & quod insuper dubitabatur, non aliter corporalem.

a Act. 23. 6.

Act. 26. 22.

Gen. 9. 5.

Act. 17. 32.

RESVRRECTIONIS FIDEM. 10. SCHOL.

INSTRVMENTA. *Acta Apostolorum, scripta authentica.* RESIGNANDI *aperiendi occulta veteris legis Sacramenta, & nouæ menti imprimendi, & fidem Dei Creatoris in Christo eius filio inculcandi.* NIHIL NOVI. *Quia Iudæi habebant fidem resurrectionis.* IN GLORIAM CHRISTI. *Apostoli nil circa resurrectionis mysterium noui super Prophetas docuerunt, nisi quod eam prædicauerunt nobis à Christo promeritam, & eius exemplo venturam, quod cæcitas Iudæorum ex parte non credidit.* QVALITATIS QVÆSTIONE. *Non quærebant olim Iudæi, qualis, siue quo in corpore futura esset resurrectio, de qua in summa nulli inter eos, præter Sadducæos dubitabant.* QVAM ALITER. *Vt hæretici postea animæ solius resurrectionem iamexerunt.* HABES PAVLVM. *Act. 23. 6. dicentem coram Pontifice Anania versu 2. & Tribuno versu 10.* Sciens Paulus quia vna pars esset Sadducæorum, & altera Pharisæorum, exclamauit in Concilio: viri fratres ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum; de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor. Et cùm hæc dixisset, facta est dissentio inter Pharisæos & Sadducæos, & soluta est multitudo. Sadducæi enim dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum: Pharisæi autem vtraque confitentur. TRANSGRESSOR LEGIS. *Cuius ceremonias abrogabat.* AD SADDVCÆOS SAPERE. *Secundùm eos sentire.* APVD AGRIPPAM. *Act. 26. 22. vbi coram eo & Festo vocationem suam enarrat:* Auxilio adiutus Dei, vsque in hodiernum diem sto, testificans minori atque maiori, nihil extra dicens quàm ea quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses, si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annuntiaturus est populo, & Gentibus. *Translat. Syr.* Nempe passurum Meschicho, futurumque primitias resurrectionis à mortuis, & prædicaturus lucem huic populo, & gentibus. NEC ATHENIENSES. *Act. 17. 32.* Cùm audissent autem resurrectionem mortuorum, qui-

A dam quidem irridebant, quidam verò dixerunt; Audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus exiuit de medio eorum. Quidam verò viri adhærentes ei, crediderunt: in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis. *Translat. Syr.* vnus autem ex eis erat Dionysius ex iudicibus Areopagi, & mulier quædam, &c. *Controuersum est Patribus an fuerit vxor eius, Græcè quidem simpliciter legitur γυνὴ. id est, mulier. Sed iuxta Ambrosium aliosque Patres propria eius vxor erat. Quam tamen propter vitam eius posteà Angelicam Scriptura quasi non vxoratum inducit. De eorum numero* qui vxorem habentes, tanquam non habentes erant. VERNACVLÆ, *naturalis, qualem Pythagoræi & Platonici credebant.* PER TOTVM INSTRVMENTVM. *Librum Epistolarum.* NON ALITER CORPORALEM. *Hoc est non in alia quam propria carne futuram. Contra infideles & hæreticos mysterium hoc subsannantes, vbique tuetur Augustinus. Præter tam multa suprà dicta, & infrà ab eo dicenda, hæc in præsenti accipe. tomo 1. lib. de quantitate animæ cap. 33. vbi de perfecto gradu animæ contemplantis in cælo summam veritatem.* Tunc, inquit, agnoscemus quam verà nobis credenda imperata sint, quamque optimè ac saluberrimè, apud matrem Ecclesiam nutriti fuerimus; quæue sit vtilitas lactis illius, quod Apostolus Paulus paruulis se potum dedisse prædicauit: quod alimentum accipere, cùm quis matre nutritur, vtilissimum est; cùm iam grandis est, pudendum: respuere cùm opus est, miserandum: reprehendere aliquando, aut odisse, sceleris & impietatis: tractare autem ac dispensare commodè, laudis & charitatis plenissimum est. Videbimus etiam naturæ huius corporeæ tantas commutationes & vicissitudines, dum diuinis legibus seruit, vt etiam ipsam resurrectionem carnis, quæ partim tardius, *sicut ab his qui dixerunt Paulo, audiemus te de hoc iterum*

S. Aug.

C

eum, partim omnino non creditur; *vt à Sadducæis, & alius irridentibus Paulum.* Ita certam teneamus, vt certius nobis non sit, Solem, cum occiderit, oriturum. Iam verò eos, qui ad exemplum salutis nostræ, ac primitias, *sic Tertullianum sequitur, sapius vocantem resurrectionem, salutem: & Paulum Christum dicentem primitias dormientium* à filio Dei po-
S. Aug. tentissimo, æterno atque incommutabili, susceptum hominem, eundemque natum esse de virgine, cæteraque huius historiæ miracula irrident, sic contemnimus tanquam eos pueros, qui cùm pictorem propositis tabulis quas intueantur *vt originale aliquod siue exemplar* pingentem viderint, non putent posse hominem pingi, nisi aliam picturam qui pingit aspexerit. *Deus autem nullâ aliâ formâ, ideâ, exemplari, quàm Verbo suo* & sapientiâ omnium ar- B tifice *indiget, ad quodlibet sibi placitum faciendum. Pro suscitandis autem corporibus nostris, filij sui Incarnati præmisit exemplum, quo & semper Paulus vsus est, vt suaderet resurrectionem mortuorum. Et lib. 22. de Ci-*
S. Aug. *uit. cap. 5. vbi cùm priùs de irridentibus, & incredulis corporum terrenorum suprà cælos constituendorum egisset:* Sed hoc, inquit, incredibile fuerit aliquando: ecce iam credidit mundus sublatum terrenum Christi corpus in cœlum, resurrectionem carnis, & ascensionem in supernas sedes, paucissimis remanentibus atque stupentibus vel doctis, vel indoctis, iam crediderunt, & docti & indocti. Si rem credibilem crediderunt, videant quàm sint stolidi qui non credunt. Si autem res incredibilis A credita est, etiam hoc vtique incredibile est, sic creditum esse quod incredibile est. Hæc igitur duo incredibilia, resurrectionem scilicet nostri corporis in æternum, & rem tam incredibilem mundum esse crediturum idem Dominus antequam, vel vnum horum fieret, ambo futura esse prædixit. Vnum duorum incredibilium iam factum esse videmus, vt quod erat incredibile crederet mundus; cur id quod reliquum est desperatur, vt etiam hoc veniat quod incredibile credidit mundus *hoc est putauit impossibile* sicut iam venit quod similiter incredibile fuit, vt rem tam incredibilem, crederet mundus: quandoquidem hoc vtrumque incredibile, quorum videmus vnum, alterum credimus, in eisdem literis prædictum sit, per quas credidit mundus? & ipse modus quo mundus credidit, si consideretur, incredibilior inuenitur. Ineruditos liberalibus disciplinis, & omnino, quantùm ad istorum *Gentilium* doctrinas attinet, impolitos; non peritos Grammaticâ, non armatos Dialecticâ, non Rethoricâ inflatos piscatores Christus cum retibus fidei ad mare huius sæculi paucissimos misit, atque ita ex omni genere tam multos pisces, & tanto mirabiliores, quantò rariores *qualis fuit Dionysius Areopagita*, etiam ipsos Philosophos cepit. Duobus illis incredibilibus, si placet, imò quia placere debet, Addamus hoc tertium.

II. *Resurrectio probatur ex mercede promissa domicilij æterni in cœlis, mansione cœlesti, veste mutatoriâ, habitu Angelico, superinduto vestimento, mortalitate deuoratâ.*
De Resur. cap. 41. & 42. per totum.

EAndem adhuc sententiam exequitur, remunerationes vexationibus præferens.
a 2. Cor. 5. 1. [a] *Scimus enim*, inquit, *quoniam etsi terrena domus nostra huius tabernaculi dissoluatur, habemus domum non manufactam, æternam in cœlis*, id est, per hoc quod dissoluetur caro nostra per passiones, domicilium consecuturi sumus in cœlis. Meminerat Euangelicæ de-
b Matth. 5. 10. finitionis: [b] *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quia illorum est regnum cælorum.* Non tamen carnis restitutionem negauit, si compensationem mercedis opposuit; cùm ipsi compensatio debeatur, cui dissolutio deputatur, scilicet carni. Sed quia domum dixerat, carnem, eleganter voluit & in mercedis comparatione, vocabulo domus vti; ipsi domui, quæ dissoluetur per passionem, meliorem domum repromittens per resurre-
c Io. 14. 2. ctionem. Nam & Dominus [c] *multas mansiones, quasi domus, apud Patrem* repromittit. Quanquam nec de domicilio mundi potest intelligi; quo dissoluto, æterna sedes repromittatur in cœlis: quia & quæ sequuntur, ad carnem manifestè pertinentia, ostendunt priora omnino ad carnem pertinere. Diuisionem enim facit Apostolus, quum subiicit: [d] *Nam*
d 2. Cor. 5. 2. *& hoc gemimus; domicilium nostrum, quod de cælo est, superindui desiderantes; siquidem induti, non nudi inueniamur;* id est, antè volumus superinduere virtutem cœlestem æternitatis, quàm carne exuamur. Huius enim gratiæ priuilegium illos manet, qui ab aduentu Domini deprehendentur in carne, & propter duritias temporum Antichristi merebuntur, compendio mortis per demutationem expunctæ, concurrere cum resurgentibus;
e 1. Thess. 4. 15. & 16. sicut Thessalonicensibus scribit; [e] *Hoc enim dicimus vobis in sermone Domini, quòd nos qui viuimus, qui remanemus in aduentu Domini, non praeueniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in iussu & voce Archangeli, & in tuba Dei, descendet de cælo; & mortui in Christo resurgent primi: dehinc nos cum ipsis simul rapiemur in nubibus obuiam Domino in aëra,*
CAPVT XLII. *& ita semper cum Domino erimus.* Horum demutationem ad Corinthios reddit, di-
f 1. Cor. 15. 51. cens: [f] *Omnes quidem resurgemus, non autem omnes demutabimur, in atomo, in momentaneo motu oculi, in nouissima tuba*; sed illi scilicet soli, qui inuenientur in carne. [g] *Et mortui,*
g 1. Thess. 4. 16. *inquit, resurgent primi, & nos demutabimur.* Hac ergo priùs dispositione prospectâ, reliqua reuocabis ad superiorem sensum. Nam cùm adiicit, [h] *Oportet enim corruptiuum*
h 1. Cor. 15. 53. *istud induere incorruptelam, & mortale istud induere immortalitatem*; hoc erit illud domicilium de cœlo, quod gementes in hac carne superinduere desideramus; vtique super car-
i 2. Cor. 5. 4. nem, in qua deprehendemur; quia [i] *grauari nos ait, qui sumus in tabernaculo; quod nolimus exui, sed potiùs superindui; vti deuoretur mortale à vita*, scilicet dum demutatur, superinduendo quod est de cœlis. Quis enim non desiderabit, dum in carne est, super-

induere immortalitatem, & continuare vitam, lucrifactâ morte per vicariam demutationem, ne inferos experiatur,[k] *vsque nouissimum quadrantem* exacturos? Cæterùm, demutationē etiam post resurrectionem cōsecuturus est, inferos iam expertus. Abhinc enim definimus, carnem quidem omni modo resurrecturam, atque illa ex demutatione superuentura, habitum angelicum suscepturam. Aut si in his solis qui inuenientur in carne, demutari eam oportebit, vti deuoretur mortale à vita, id est, caro ab illo superindumento cœlesti & æterno: ergo qui mortui deprehendentur, vitam non consequentur, priuati iam materiâ, &, vt ita dixerim, escâ vitæ, id est carne. Aut necesse est recipiant eam & illi, vt & in ipsis mortale deuorari possit à vita, si vitam sunt consequuturi. Sed in mortuis, inquis, iam deuoratum erit mortale istud. Non vtique in omnibus. Quantos enim licebit vel pridianos inueniri, tam recentia cadauera, vt nihil in illis deuoratum videri possit? Vtique enim deuoratum non aliud existimas, quàm interceptum, quàm abolitum, quàm omni sensu ereptum: quod comparere omni genere cessauerit. Nec gigantum autem antiquissima cadauera deuorata constabit, quorum crates adhuc viuunt. Diximus iam de isto alibi. Sed & proximè in ista ciuitate, quum Odei fundamenta, tot veterum sepulturarum sacrilega, collocarentur; quingentorum ferè annorum ossa, adhuc succida, & capillos olentes populus exhorruit. Constat, non tantùm ossa durare: verùm & dentes incorruptos perennare, quæ vt semina retinentur fructificaturi corporis in resurrectione. Postremò, etsi tunc deuoratum inuenietur mortale in omnibus mortuis, certè à morte, certè ab æuo, certè per ætatem; numquid à vita, numquid à superindumento, numquid ab immortalitatis ingestu? Porrò qui ab his ait deuoratum iri mortale, ab aliis negauit, Et vtique hoc à diuinis viribus, non à naturalibus legibus perfici præstarique conueniet. Ergo cùm à vita habeat deuorari quod mortale est, id exhiberi omnifariam necesse est vt deuoretur; & deuorari, vt demutetur. Si ignem dicas accendi oportere, non potes id per quod accenditur, alibi necessarium adfirmare, alibi non. Sic & cùm infulcit: *Siquidem exuti, non inueniemur nudi*, de eis scilicet qui non in vita, nec in carne deprehendentur à die Domini; non aliàs negauit nudos, quos prædixit exutos, nisi quia reuestitos voluit intelligi eâdem substantia, quâ fuerant spoliati. Vt nudi enim, inuenientur; carne depositâ, vel ex parte discisâ, siue detritâ. (& hoc enim nuditas potest dici) dehinc recipient eam. vt redinduti carnem, fieri possint etiam superinduti immortalitatem. Superindui enim, nisi vestito iam, conuenire non poterit.

k Matth. 5.26.

2. Cor. 5. 5.4.

2. Cor. 5. 3.

RESVRRECTIO PROBATVR. II. SCHOL.

EXEQVITVR. *Paulus prosequitur probare corporum resurrectionem, in qua licèt merces incomparabiliter excedat laborem, quo caro sub anima Deo & virtuti militauit; nihil tamen derogat huius mysterij fidei.* SCIMVS ENIM. 2. *Cor.* 5. 1. Scimus enim: *priùs dixerat de æterna gloriæ pondere momentaneum tribulationis superante*, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemiscimus, *Syr. ad hoc gemimus, & expetimus indui domo nostrâ quæ è cœlis est*, habitationem nostram, quæ de cœlo est superindui cupientes: si tamen vestiti, non nudi inueniamur, *Syr. nisi etiam postquàm induti fuerimus, supple veste carnis, reperiamur nudi, id est, expoliati carne, & mortui dum fiet resurrectio.* Nam & qui sumus, *Syr. dum enim nunc sumus in hoc domicilio*, in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati, *Syr. ingemimus ob eius onus*, eo quòd nolumus expoliari (*Syriac.* Illud exuere.) sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est à vitâ. PER HOC, *in meritum laborum & tribulationum perpessarum in carne.* IPSI CARNI MELIOREM DOMVM. *Non igitur tantùm dabitur in resurrectione corpus, sine vestimentum animæ longè melius, vtpotè incorruptibile, primo corruptibili, licèt eadem sit reddenda substantia: sed & ipsi carni tam gloriosæ locus & mansio dignior.* QVANQVAM NEC. &c, *videtur se corrigere, dicendo Paulum tantùm locutum fuisse de domicilio carnis immutanda post dissolutionem, non verò de habitatione ipsius carnis in cœlo.* QVOD DE COELO EST. *hoc est, qualitatis cœlestis & incorruptibilis.* PRIVILEGIVM. *quo scilicet communi lege mortis eximentur qui adhuc vestiti suâ carne, hoc est aut viui adhuc, aut propter breue spatium mortis adhuc incor-* A *rupti inuenientur, dum Christus veniet.* COMPENDIO MORTIS EXPVNCTÆ. *gloriosiores innuit Martyres qui breuiori tempore sub mortis imperio in Antichristi persecutione sæuissima mortis exoluent debitum, & subitò mutabuntur à morte ad vitam, cùm vix depositâ corruptibili veste, incorruptam induent. Vel, quod priuilegium maius est; vult eos pro morte quam alij persoluent, aliquos adhuc viuentes à secundo Christi aduentu deprehensos, iuxta Paulum residuos, per immutationem vestis carneæ & corruptibilis in incorruptibilem obuiam Christo in aëra simul cum mortuis suscitatis rapiendos. Sic enim scribit Paulus, quasi iam immineret summus Iudex, aut in se personam induens tunc superstitũ futurorum.* 1. *Thess.* 4. 15, *& seq*, Si enim credimus quòd Iesus mortuus est & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum adducet cum eo. Hoc B enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentum Domini, *vsque in aduentum, vel vt habet Syr. qui reliqui erimus in aduentu Domini*, non præueniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in iussu & voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo: & mortui qui in Christo sunt resurgent primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, *Syr. qui reliqui erimus, qui viuemus*, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus. HORVM DEMVTATIONEM. *qui scilicet tunc viuent.* REDDIT, *refert, narrat.* 1. *Cor.* 15. 51. Ecce mysterium vobis dico; omnes quidem resurgemus, &c. *Suprà relata non repeto.* VBI DEVORETVR. *vt absorbeatur.* PER VICARIAM. *quod paulò suprà dixerat*, compendio mortis per demutationem expunctæ, *hoc est persoluta; iam dicit lucrifactam, per substitutam in vices mortis immutationem carnis, aliàs absque hoc priuilegio morituræ, in immorta-*

lem. Adeò vt nec anima Purgatorij pœnas ad soluendum reliquias debiti, nec caro sepulchri corruptionem patiatur. HABITVM ANGELICVM, *immortalitatem.* OMNIMODO, *siue superstes fuerit, siue recenter, vel olim mortua, omnis immutabitur suscitata, licèt non omnis tali priuilegio & compendio perfruatur.* ESCA VITÆ, *caro enim propria est esca, siue materia, caro enim vt mori, sic propriè viuere dicitur, vt lux pro esca habet oleum, sic lumen vitæ carnem integram, sed in resurrectione habebit inconsumptibilem.* GIGANTVM CRATES, *ossa ad instar cratis spina hærentia inuicem.* ADHVC VIVVNT, *supersunt integra.* DIXIMVS ALIBI. *libro de anima cap. 51.* Plato in Politia cuiusdam insepulti cadauer opponit, longo tempore sine vlla labe pro animæ scilicet, *ironicè*, indiuiduitate seruatum. PROXIME, *nuper, Carthagine.* ODEI FVNDAMENTA. *templum sic dictum. Fuit & Romæ, ex Entropio libro 7. Euseb. in Chron. & Sueton. in Domitiano cap. 5. Ab hoc Imperatore. Sic teste Dione, aliud ab Hadriano: & Athenis, ex Vitruuio, à Pericle quoque est extructum, in quo certamina musica spectabantur. Sic dictum ex Suida, à cantu siue Ode. Perperam ergo legunt alij*, Dei fundamenta, hodie fundamenta, vel eo die. SACRILEGA. *quia sacrilegium erat mortuorum sepulturas euertere. Vnde Paulus lib. 5. sententiarum:* Rei sepulchrorum violatorum, si corpora ipsa extraxerint, vel ossa eruerint, humilioris quidem fortunæ, summo supplicio adficiuntur, honestiores in insulam deportantur: aliàs autem relegantur, aut in metallum damnantur. *Et Vlp. lib. 2. ad edict.* Sepulcri violati actio infamiam irrogat. *& lib. 25. ad edict. Prat. refert eius edictum contra sacrilegum violatorem sepulcri:* Prætor ait: cuius dolo malo, sepulcrum violatum esse dicetur, in eum, in factum iudicium dabo, vt ei ad quem pertineat, quanti ob eam rem æquum videbitur, condemnetur, &c. Si quis in sepulchro dolo malo habitauerit, ædificiúmve aliud, quàm sepulcri causâ factum sit, habuerit; in eum si quis eo nomine agere volet, ducentorum aureorum iudicium dabo. DENTES PERENNARE VT SEMINA, *perdurare tanquam germinaturos corpus.* ETSI TVNC, *cùm scilicet Christus veniet.* INGESTV, *superiecto immortalitatis indumento.* AB HIS, *in aduentu Domini superstitibus.* AB ALIIS, *iam mortuis. Proinde, inquit, ab vtrisque tollenda erit corruptibilitas per incorruptionem, & claritas corporis gloriosi ab vtrisque velut ignis inextinguibilis in regionem æterni ignis, hoc est, cœli empirei, quasi ignis supercœlestis transferenda.* CVM INFVLCIT, *infert.* SIQVIDEM EXVTI, *mortui, spoliati carne.* NON INVENIEMVR NVDI, *non remanebimus sine veste corporis, quam rursum resumemus, quoad substantiam, quamuis eam exuti, quoad mortalitatem.* EX PARTE DISCISSA, *à vermibus scilicet corrosa*, sicut vestimentum quod comeditur à tinea. *Vt hic ordo sit, quòd iam mortui, primam quâ spoliati fuerant carnis substantiam quasi vestem induant resarcitam, dehinc immortalitatem superinduant. Breuiter primò de Gygantum ossibus, & maximè densibus cum Augustino dicam: deinde cum eodem Paulum explicabo, lib. 15. de Ciuit. cap. 9.* De corporum, inquit, magnitudine plerumque incredulos, nudata per vetustatem, siue per vim fluminum, variósque casus sepulchra conuincunt: vbi apparuerunt, vel inde ceciderunt incredibilis magnitudinis ossa mortuorum. Vidi ipse non solus, sed aliquot mecum in Vticensi littore, molarem hominis dentem tam ingentem, vt si in nostrorum dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis videretur facere potuisse. Sed illum Gygantis alicuius fuisse crediderim. *quales exploratores terræ Chanaã se vidisse dixerunt filios Enacim de genere Gygantum, quibus comparati quasi locustæ videbantur.* Nam præter quod erant omnium multò maiora quàm nostra tunc corpora, Gygantes longè cæteris anteibant. Sicut aliis deinde, nostrísque temporibus rara quidem, sed nùnquam fermè defuerunt, quæ modum aliorum plurimùm excederent. *Quos tamen alibi ad mensuram ætatis plenitudinis Christi Apostolus resurrecturos esse prædixit. Augustinus lib. 22. de Ciuit. cap. 15.* Si, inquit, dixerimus ad Dominici corporis modum etiam quorumque maiora corpora redigenda, peribit de multorum corporibus plurimùm, cùm ipse nec capillum periturum esse promiserit. Restat ergo vt suam recipiat quisque mensuram quam vel habuit in iuuentute, etiam si senex est mortuus, vel fuerat habiturus, si antè est defunctus. Atque illud quod commemorauit Apostolus de mensura ætatis plenitudinis Christi, Ephes. 4. aut propter aliud intelligamus dictum esse, id est, vt illi capiti in populis Christianis, accedente omnium perfectione membrorum, ætatis eius mensura compleatur; *quoad perfectionem fidei, spei, & charitatis, & numerum electorum*, aut si hoc de resurrectione corporum dictum est, sic accipiamus dictum, vt nec vltra, nec infra iuuenilem formam resurgant corpora mortuorum: sed in ea ætate & robore, vsque ad quam Christum hîc peruenisse cognouimus. Circa triginta quippe annos definierunt esse, etiam sæculi huius doctissimi homines, iuuentutem; quæ cùm fuerit spatio proprio terminata, inde iam hominem in detrimenta vergere grauioris ac senilis ætatis: & ideò non esse dictum, in mensuram corporis, vel in mensuram staturæ, sed in mensuram ætatis plenitudinis Christi. *Capite autem 18. relato integro textu Pauli, confirmat quod hic dixit de perfectione corporis Ecclesiæ: & concludit:* Ecce qui est vir perfectus, caput & corpus quod constat omnibus membris, quæ suo tempore complebuntur. Quotidie tamen eidem corpori accedunt, dum ædificatur Ecclesia, cui dicitur 1. Cor. 12. Vos autem estis corpus Christi, &c. *De omni autem deformitate tollenda cap. 19* Si statuam, inquit, potest artifex homo, quam propter causam deformem fecerat, conflare, & pulcherrimam reddere, ita vt nihil inde substantiæ, sed sola deformitas pereat, ac si quid in illa figura priore indecẽter extabat, nec parilitati partium congruebat, non de toto, vnde fecerat, amputare atque separare, sed ita conspergere vniuersa atque miscere, vt nec fœditatem faciat, nec minuat quantitatem: quid de omnipotenti artifice sentiendum est? ergóne non poterit quasque deformitates humanorum corporum non modò vsitatas, verùm etiam raras atque monstrosas, quæ huic miseræ vitæ congruunt: abhorrent autem ab illa futura fœlicitate sanctorum, sic auferre, ac perdere, vt quascumque earum faciunt, & si naturalia, tamen indecora excrementa substantiæ corporalis, nullâ eius diminutione tollantur? *De domo siue domicilio cœlesti corporis, habes eundem Augustinum tom. 9. lib. 4. de Symbolo ad Catechumenos cap. 11.* Animâ quidem discedente, habitaculum eius soluitur, non est enim præstò illa domina, quæ curam gerat luteæ domus, atque eius restauret ruinas, &c. vt quid formidas vehiculum mortis? proficisceris quidem, & iniuriam patietur ad tempus caro tua; reuerteris cum summo Rege regnans, & talis tibi reddetur, quæ nequeat corrumpi, & tecum maneat sempiterna. Si ad hoc pergis vt melior efficiaris, non credis quoniam meliori, & in regno cœlorum quodammodo administrandi melius tibi præparabitur hospitium? Si hæc terrena lutea, fragilis, tantam tibi exhibuit pulchritudinem: restaurata & cœlestis effecta, qualem tibi exhibebit decorem? Si hanc tantùm diligis quæ paululùm ma-

net & transit in tempore: illam quantùm amabis quæ decore suo numquam carebit, quoniam in æternam vitam manebit? *Et in Psal. 68. in p.* Quamquam, inquit, Christo inhærere cupimus, mori tamen nolumus, & ideò libenter, vel potiùs patienter morimur, quia alius transitus non datur, per quem Christo cohæreamus. Nam si possemus aliter peruenire ad Christum, id est, ad vitam æternam, quis vellet mori? naturam quippe nostram, id est, consortium quoddam animæ & corporis, & quandam in his duobus familiaritatem conglutinationis atque compaginis, exponens quodam loco Apostolus ait, habere nos domum non manufactam æternam in cœlis, id est, immortalitatem præparatam nobis, quâ induendi sumus in fine, cùm

S. Aug.

A resurrexerimus à mortuis: & ait, in quo nolumus spoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur mortale à vita. Si fieri posset, sic vellemus, ait, fieri immortales, vt iam veniret ipsa immortalitas, & modò sicut sumus mutaret nos, vt mortale hoc nostrum absorberetur à vita, non per mortem corpus poneretur, vt in fine iterùm reciperetur. Quamuis ergo à malis ad bona transeamus: tamen ipse transitus aliquantùm amarus est, & habet fel quod dederunt Domino in Passione Iudæi; habet acre quiddam tolerandum, quo ostenduntur qui eum aceto potauerunt. *Nihil hic de raptu obuiam Christo in aera, quem infrà exponemus; verbo, Resurrectionis gloria & dotes. numero 6.*

12. *Resurrectio probatur à Paulo ex necessitate iudicij, cui sisti debet corpus animatum, & vas fictile carnis cum lumine animæ. De Resurrect cap. 43. in med. ad finem, & 44. per totum.*

Exinde etiam ad omnes: [a] *Et ideò gestimus*, inquit, *siue peregrinantes, siue immorantes placibiles Deo esse. Omnes enim manifestari nos oportet pro tribunali Christi Iesu.* Si omnes, & totos: si totos, & interiores & exteriores, id est, tam animas quàm & corpora; *vti vnusquisque*, inquit, *reportet quæ per corpus secundùm quæ gessit bonum, seu malum.* Hoc iam quomodo legas, quæro. quasi turbatè enim per hyperbaton struxit. vtrumne quæ per corpus reportanda erunt, an quæ per corpus gesta sunt? Sed & si quæ per corpus reportanda sunt, corporalis indubitatè resurrectio est: & si quæ per corpus gesta sunt, per corpus vtique pensanda sunt, per quod & gesta sunt. Ita & totus hic à capite tractatus Apostoli tali clausulâ detextus:, quâ carnis resurrectio ostenditur, secundùm hæc erit intelligendus quæ cum clausula consonant. Si enim adhuc ad superiora respectes, vnde mentio hominis exterioris & interioris inducta est; nonne & dignitatem & spem carnis integram inuenies? Dum enim [b] *de lumine, quod illuxerit Deus in cordibus nostris, ad illuminationem agnitionis gloriæ suæ, in persona Christi*, dicit habere nos *thesaurum istum in testaceis vasis.* scilicet in carne: vtrumne quia testacea est, secundùm originem in limo, destruetur: an quia diuini thesauri conditorium est, extolletur? Atquin, si lumen ipsum illud verum, quod est in persona Christi: vitam in se continet, eáque vita cum lumine committitur in carnem; peritura est, in quam vita cōmittitur? Planè, si periturus & ipse thesaurus. perituris enim peritura creduntur; sicut veteribus vtribus, nouū vinum. Cùm item subiicit, [c] *Semper mortificationem Christi Iesu circumferentes in corpore nostro.* qualis ista res est, quæ post Dei templum, iam & sepulchrum Christi potest dici? cur autem mortificationem Domini circumferimus in corpore, *vti & vita*, inquit, *manifestetur.* vbi? *in corpore.* in quo? in mortali. Ergo, in carne planè mortali, secundùm culpam, sed & vitali, secundùm gratiam. Vide quantam; *vt in illa, vita Christi manifestetur.* In re ergo aliena salutis, in substantia perpetuæ dissolutionis, manifestabitur vita Christi æterna, iugis, incorrupta, iam & Dei vita? aut cuius temporis vita Domini manifestabitur in corpore nostro? Illa quidem quam vixit vsque in Passionem, quæ non modò apud Iudæos in manifesto fuit, verùm etiam omnibus nunc Gentibus prodita est. Adeò eam significat, [d] *quæ portas adamantinas mortis, & æneas seras inferorum infregit*, quæ exinde iam nostra est. Denique, manifestabitur in corpore. quando? post mortem. quomodo? dum resurgimus in corpore, sicut & Christus. Ne enim quis argumentetur, nunc habere manifestari vitam Iesu in corpore nostro per disciplinam sanctitatis, & patientiæ, & iustitiæ, & sapientiæ, quibus Domini vita floruerit, prouidentissima Apostoli intentio ingerit: [e] *Si enim nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum, vt vita eius manifestetur in corpore nostro mortali.* Ideò defunctis nobis hoc ait futurum in corpore nostro. Quòd si tunc, quomodo nisi resuscitato eo? proinde & in clausula: [f] *Scientes*, ait, *quòd qui suscitauit Iesum, & nos suscitabit cum ipso*, quia iam resurrexit à mortuis, nisi quia, cum ipso sicut ipsum sapit? Si verò sicut ipsum, non vtique sine carne.

a 2. Cor. 5. 9.

Cap. XLIV.

b 2. Cor. 4 6.

Matth. 9. 17.

c 2. Cor. 4. 10.

d Psal. 106 16.

e 2. Cor. 4. 11.

f Ibid. 14.

RESVRRECTIO PROBATVR. 12. SCHOL.

Exinde ad omnes. *Inde prosequitur Paulus omnibus hominibus loquens 2. Cor. 5. 9.* Et ideò contendimus, siue absentes, siue præsentes, placere illi, *Syr. satagimus autem siue peregrini sumus, siue incolæ, vt illi placeamus. D. Thomas in hunc locum ait, desiderasse Paulum Dei præsentiā, & vbique illi placere, siue hic, siue in patria*: omnes enim nos manifestari oportet, &c, Si omnes. *non tantùm vult, ab Adam vsque ad nouissimum hominem, omnes sisti debere ad Christi tribunal; sed & omnes, id est, totos & integros in vtraque substantia animæ & corporis, vt quisque pro gestis in corpore mercedem accipiat.* Pay-

sanda. *remunerandæ.* De lvmine. 2. *Cor.* 4. 6. Qui dixit de tenebris lucem splendescere; ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Iesu. *Syriac. Lucem orituram, &c. ut illustremur per cognitionem gloriæ Dei in persona Ieschua Meschiche*, habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus. Lvmen ipsvm vervm. *de quo Io.* 1. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, &c. Vitam continet. Et vita erat lux hominum, &c. sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso. Committitvr in carnem. *simul vnitur carni, vita illa & lux.*
S. Aug. *Vnde Aug. in Psal.* 118. Lucerna illa, inquit, de luto facta est, sed verbo suo lucet. Peritvra est? *quis credat carnem prorsus ita perituram, vt non resurgat, quam Verbum Patris assumpsit, cui anima à Deo quasi in depositum credita & commissa est, velut thesaurus æternus?* Cvm svbiicit. 2. *Cor.* 4. 10. Deiicimur, sed non perimus: semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. Aliena salvtis. *integritatis in resurrectione reparandæ.* Portas adamantinas. *Ps.* 106. 16. Quia contriuit portas æreas & vectes ferreos confringit. Scientes. 2. *Cor.* 4. 14. Scientes, quoniam qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit, & constituet vobiscum. Ipsvm sapit, *particula cum, idem sonat quod simul coniunctiuum, vt sicut ipse resurrexit, ita & nos resurgamus, in quo iam velut membra in capite surreximus. De manifestatione ante tribunal Christi, iam pluries Augustinum retuli. Hæc superaddo ex epistola ad Vitalem. Vbi ex hoc loco relato, sic argumentatur etiam de paruulis suscitandis & relaturis, prout gesserunt in corpore.*
S. Aug. Omnes, inquit, adstabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, non secundum ea quæ si diutiùs viueret, gesturus fuit, siue bonũ, siue malum. Scimus enim paruulos, secundum ea quæ per corpus gesserunt, recepturos, vel bonum, vel malum: gesserunt autem non per seipsos, sed per eos quibus pro illis respondentibus, & renuntiare diabolo dicuntur, & credere in Deum: vnde & in numero fidelium computantur, pertinentes ad sententiam Domini dicentis, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Propter quod & illis qui hoc Sacramentum non accipiunt, contingit quod sequitur; Qui autem non crediderit, condemnabitur. Vnde & ipsi, sicut dixi si in illa parua ætate moriuntur, vtique secundum ea quæ per corpus gesserunt, in tempore, quo in corpore fuerunt, quoniam per corda & ora gestantium crediderunt, vel non crediderunt. quando baptizati, vel non baptizati sunt; quando carnem Christi manducauerunt, vel non manducauerunt: quando sanguinem biberunt, vel non biberunt. Secundum ergo hæc quæ per corpus gesserunt, non secundum ea, quæ si diu huc viuerent, gesturi fuerant, iudicantur. *Hinc Prosper in sent.* Frustra, inquit, sibi homo post hoc corpus promittit, quod in hoc comparare neglexit. *De thesauro in vase fictili tom.* 4. *lib.* 7.
S. Aug. *qq. in Iudic. q.* 49. *Vbi de Gedeone.* Illud, inquit, quod trecenti viri ad signum Crucis ipso numero pertinentes, *quia littera* Thau, *Græcis pro numero trecentesimo ponitur, & hic Tertull. iuxta Paulum mortificationem Iesu Christi, siue Crucem, vult circumferri in corpore nostro*, hydrias fictiles acceperunt, eisque ardentes faculas incluserunt, quibus hydriis fractis, repentè lumina numerosè micantia tantam hostium multitudinem terruerunt, tanquam ex suo arbitrio videtur fecisse Gedeon: Non enim Scriptura dicit Dominum admonnisse vt hoc faceret: & tamen tam grande signum, quis eius animo atque consilio faciendum, nisi Dominus inspirauit, qui præfigurauit sanctos suos thesaurum Euangelici luminis in vasis fictilibus habituros, sicut Apostolus dicit: Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus: quibus in passione martyrij tanquam vasculis fractis, maior eorum gloriæ fulgor enituit, impios Euangelicæ prædicationis inimicos inopinatà illis claritate superauit. *Quid ergo erit cùm diminus iste figulus, aliud vas in honorem supra rotam Crucis suæ, vel singulorum propriæ, aliud vas, non quidem substantiâ, quia ex eadem materia, sed nouâ claritate crystallinâ reparatum, animæ gloriosæ fulgore replebit? Neque enim solus thesaurus incolumis, sed & vas eius prius configuratum morti suæ, configuratum corpori claritatis suæ repræsentabit. Sic ratiocinatur Augustinus tom.* 3. *lib.* 1 *de doct. Christ. cap.* 19.
Sicut, inquit, animi quædam mors est vitæ prioris morúmque relictio, quæ fit pœnitendo, *quibus thesaurizatur Dei gratia: sicut etiam thesaurizat in die iræ cor durum & impœnitens, rursum crucifigens Christum in corde.* Sic etiam corporis mors est animationis pristinæ resolutio. Et quomodo animus post pœnitentiam, qua priores mores perditos interimit, reformatur in melius; sic etiam corpus post istam mortem, quam vinculo peccati omnes debemus, credendum & sperandum est resurrectionis tempore in melius commutari, vt non caro & sanguis, *corruptibiles scilicet*, regnum Dei possideant, quod fieri non potest, sed corruptibile hoc induat incorruptionem, & mortale hoc induat immortalitatem, nullámque faciens molestiam, quia nullam patietur indigentiam, à beata perfectáque anima cum summa quiete, *absque lucta*, vegetetur. Cuius autem animus non moritur huic sæculo, neque incipit configurari veritati, in grauiorem mortem morte corporis trahitur: Neq; ad commutationem cœlestis habitudinis, sed ad luenda supplicia reuiuiscet. Hoc itaque fides habet, atque ita rem se habere credendum est, neque animum, neque corpus humanum omnimodum interitum pati: sed impios resurgere ad pœnas inæstimabiles, pios autem ad vitam æternam. *Tandem de vita Christi manifestanda in corpore nostro mortali lib.* 4. *de Trinit. cap.* 3. S. Aug.
Propter hoc, inquit exemplum futuræ resurrectionis nostræ, in corpore, quod præcessit in Domino, dicit Apostolus 1. Cor. 15. initium Christus: *Vulgata, primitiæ*, deinde qui sunt Christi. De corporis enim resurrectione illo loco agebatur, propter quam etiam dicit Phil. 3, transfigurauit corpus humilitatis nostræ, conforme corpori gloriæ suæ. Vna ergo mors nostri Saluatoris duabus mortibus nostris saluti fuit: & vna eius resurrectio duas nobis resurrectiones præstitit, cùm corpus eius in vtraque re, id est in morte & in resurrectione, & Sacramento interioris hominis nostri, & exemplo exterioris, medicinali quadam conuenientiâ ministratum est.

13. Resurrectio probatur ex Baptismo pro mortuis. De Resurrect. cap. 48. *à med.*

a 1 Cor. 15. 29. 30. SI autem, [a] *& baptizantur quidam pro mortuis*; videbimus an ratione; certè illâ præsumptione hoc eos instituisse contendit; quâ alij etiam carni, vt vicarium baptisma, profuturum existimarent ad spem resurrectionis, quæ nisi corporalis, non aliàs hîc Baptismate corporali obligaretur. *Quid & ipsos baptizari, ait, si non quæ baptizantur corpora resurgunt?*

Anima enim, non lauatione, sed responsione sancitur. *Quid & nos*, inquit, *omni horà periclitamur?* vtique per carnem. [b] *Quotidie morior*, vtique periculis carnis, per quam & *depugnauit ad bestias Ephesi:* illas scilicet bestias Asiaticæ pressuræ, de qua in secunda ad eosdem: [c] *Nolumus enim vos ignorare, fratres, de pressura nostra apud Asiam, quòd super quàm grauati sumus suprà vires, vti de vita hæsitaremus.* Omnia hæc, nisi fallor, eò enumerat, vt, nolens vanam credi carnis conflictationem, indubitatè velit credi carnis resurrectionem. Vana enim habenda est conflictatio eius, cuius nulla erit resurrectio.

b Ibid. 31. 32.
c 2. Cor. 1. 8.

RESVRRECTIO PROBATVR. 13. SCHOL.

BAPTIZANTVR QVIDAM. 1. *Cor.* 15. 29. Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt, vt quid baptizantur pro illis? vt quid & nos periclitamur omni horà? quotidie morior, per vestram gloriam, fratres, *Syr. Iuro per gloriam vestram me quotidie mori.* quam habeo in Christo Iesu Domino nostro, si secũdùm hominem, *Syr. tanquam inter homines obiectus sum bestiis*, ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur. PRÆSVMPTIONE. *quâ putabant non resurrecturos ad gloriam sine Baptismo mortuos, nisi pro ipsis Baptismũ susciperent. Vnde & frustrà carnem, siue aquâ baptizarent, vt hic lauationis nomine censuit Tertull. siue afflictationibus & mortificationibus eiusdem carnis pro defunctis assumpta: vnde & Christus de suo martyrio loquens dixit*: Baptismo habeo baptizari, &c. *nisi caro resurgere deberet.* RESPONSIONE SANCITVR. *Vel sponsionem intelligit, quâ baptizatus fidem suam obstringit Deo, vel responsionem ad interrogationem factam de articulis fidei. Sanctam autem animam, id est, sanctificatam per fidem.* ASIATICÆ PRESSVRÆ. *Act.* 9. *Ephesi à Demetrio Argentario Dianæ seditionem contra Paulum excitante penè oppressus fuit.* SECVNDA AD EOSDEM. 2. *Cor.* 1. 8. Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra, *Syr. de oppressione*, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere. *Confirmat autem sensum Tertulliani, quod subiicit ad probationem resurrectionis*: Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus. *Syr. & hac de causa sententiam mortis ferebamus*, vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos. EO ENVMERAT. *Idcircò Paulus recenset, siue suas, siue eorum qui pro mortuis Baptisma cruciatum subibant, in hac carne mortali passiones, vt efficatiùs persuaderet, eandem carnem gloriam resurrectionis per tormenta promereri. Frustrà enim variè affligeretur, si nulla ei resurrectio promitteretur, cuius intuitu Paulus quotidie moriebatur & immolabatur. Audi Augustinum serm. in Natali Apost. Petri & Pauli, de diuers.* 41. Ego, inquit, iam immolor: quid est immolor? sacrificium ero. sacrificium cuius? Dei. quia pretiosa in conspectu Domini, &c. Securus sum, sursum habeo Sacerdotem qui me offerat Deo. Ipsum habeo Sacerdotẽ, qui pro me prior victima fuit, &c. Securus ponebat carnem, coronam accepturus: fœlix mutatio, sancta migratio: &c. non ergo timeat laboriosam vitam, qui talem desiderat patriam, &c. Adhuc

S. Aug.

A imminet amaritudo passionis, sed transit eam passuri cogitatio, & quid vltrà sit, cogitat: non quà itur, sed quo itur: Et quia cum magno amore cogitatur quò itur, cum magna fortitudine calcatur quà itur. *Et lib.* 83. *quæstionum q.* 87. *iuxta Paulum:* Existimo, inquit, quòd indignæ sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Hoc manifestum est, dixerat enim superiùs: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quod fieri non potest sine molestia, cui patientia necessaria est. Quò pertinet & quod paulò antè ait, si tamen compatimur, vt & conglorificemur, Quod itaque ait, nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat: hoc cum puto dicere. Nam & hoc ipsum quod in nobis dolet, cùm facta carnis mortificamus, *cùm, vt exponunt aliqui,* B *pro mortuis, id est, pro peccatis nostris baptizamur, id est, affligimur*, id est: cùm esurimus, aut sitimus per abstinentiam: dum frenamus delectationem concubitus per castitatem: dum iniuriarum lacerationes, & contumeliarum aculeos per patientiam sustinemus: dum neglectis atque reiectis voluptatibus nostris pro fructu matris Ecclesiæ laboramus: quidquid in nobis in hac atque huiusmodi attritione dolet, creatura est: *homo expectans & ingemiscens redemptionem corporis sui de seruitute corruptionis*, dolet enim corpus & anima, quæ vtique creatura est, & expectat reuelationem filiorum Dei: id est, expectat quando appareat quod vocatum est in ea gloria, ad quam vocatum est, &c. Et ipsa creatura, id est, ipse homo, cùm iam signaculi imaginis propter peccatum amissi remansit tantummodò creatura: Et ipsa itaq; creatura, id est, & ipsa quæ C nondum vocatur filiorum Dei forma perfecta, sed tantùm vocatur creatura, liberabitur à seruitute interitus in libertatem gloriæ filiorum Dei, id est, & ipsi erunt ex seruis liberi, & ex mortuis gloriosi in vita perfecta, quam habebunt filij Dei, &c. Adoptionem expectantes redemptionem corporis nostri, id est, vt & ipsum corpus accipiens beneficium adoptionis filiorum Dei, quâ vocati sumus, totos nos liberatos, transactis omnibus molestiis, ex omni parte Dei filios esse manifestat. *Ad hoc, cùm prior vnigenitus pro nobis mortuis baptizatus fuerit Baptismo Crucis & sanguinis, si oportuit Christum pati, & resurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam suam: non pigeat adoptiuos pro seipsis toties mortuis baptizari, & Christo compati, & commori, vt cum ipso in eadem carne mortificata resurgant ad gloriam.*

S. Aug.
S. Aug.
S. Aug.

14. *Et* 5. *cont. Marc. cap.* 10. *à princ.*

QVid [a], ait, *facient qui pro mortuis baptizantur, si mortui non resurgunt?* Viderit institutio ista. Kalendæ si forte Februariæ respondebunt illi, pro mortuis petere. Noli ergo Apostolum nouum statim auctorem aut confirmatorem eius denotare, vt tantò magis sisteret carnis resurrectionem, quantò illi qui vanè pro mortuis baptizarentur, fide resurrectionis hoc facerent. Habemus illum alicubi vnius Baptismi definitorem. Igitur & pro mortuis tingui, pro corporibus est tingui: mortuum enim corpus ostendimus. *Quid facient qui pro corporibus baptizantur, si corpora non resurgunt?*

a 1. Cor. 15. 29.
Ephes. 4. 5.

Atque adeò rectè hunc gradum figimus, vt & Apostolus secundam disceptationem æque de corpore induxerit. [b] *Sed aicent quidam, Quomodo mortui resurgent? quo autem corpore venient?* Defensâ etenim resurrectione quæ negabatur, consequens erat de qualitate corporis retractare, quæ non videbatur.

[b] 1. Cor. 15. 35.

ET 5. CONTRA MARC. 14. SCHOL.

QVID FACIENT. *Rursus contra Marcionem suprà dictum Pauli locum torquet. Per mortuos pro quibus baptizabantur viui, aliqui intelligunt animas Purgatorij: pro quibus etiam Iudaizantes, qui cum Cerintho negante resurrectionem carnis, se affligebant: vel baptizantur, id est, purificantur, & lauantur more etiam Iudaico, oblaturi sacrificium pro mortuis. D. Thomas pro peccatis abluendis quæ sunt opera mortua. Epiphanius hæresi 28. pro vicinis morti, & qui iam pro mortuis tenebantur. Alij de Martyribus explicant, qui pro fide & spe resurrectionis torquebantur. Ambrosius, Irenæus, Chrysostomus volunt quosdam Pauli tempore, quos & Marcionitæ secuti sunt, pro iam defunctis sine Baptismo seipsos baptizasse. Idem Chrysostomus, quid, inquit, verum Baptismum suscipiunt omnes fideles pro mortuis, id est, pro spe resurrectionis ex mortuis, cui corpora baptizata consecrantur, si nulla est resurrectio mortuorum? Sed ad mentem Tertulliani hîc contra Marcionem agentis magis facit Theodoreti sententia. Ait enim,* pro mortuis, *id est, instar mortuorum, quasi qui mortui sint, & pro mortuis habentur, resurgentibus à morte & sepulcro, sic emergunt & exurgunt ex aqua. Ad quod facit trina mersio olim vsitata exprimens triduum sepulturæ Christi in Iona triduo in ventre Ceti adumbrati. Augustinus sermone 2. in Appendice ex nouis eductis ex Codice Floriacensi, qui est de mysterio Baptismatis.* Tertiò, inquit, capita vestra in sacro fonte demersimus. Qui ordo baptismatis duplici mysterij significatione celebratur. Rectè enim tertiò mersi estis, qui accepistis Baptismum in nomine Trinitatis. Rectè tertiò mersi estis, qui accepistis Baptismum in nomine Iesu Christi, qui tertio die resurrexit à mortuis. Illa enim tertiò repetita demersio typum Dominicæ exprimit sepulturæ; per quam Christo consepulti estis in Baptismo, & cum Christo resurrexistis in fide, vt peccatis abluti in sanctitate virtutum Christum viuatis imitando. Vnde beatus Apostolus ait, an ignoratis quoniam quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? consepulti enim sumus, &c. vt vltrà non seruiamus peccato. Considerate, fratres charissimi, quâ conditione Apostolus esse dixerit baptizatos. vt vltrà non seruiamus peccato. Quæ enim tanta est non dico negligentia, sed amentia, cùm per Baptismum acceperis remissionem peccatorum, obligari velle peccatis: vt qui factus fueras ex peccatore sanctus, rursus ex sancto velis esse peccator: & post sacrum illum fontem, quem non nisi semel ablui licet, iterùm ad vitiorum sordes reuerti? *Hoc posito arguté Tertullianus Martionem pungit, resurrectionem mortuorum negantem, quòd stulté, Baptismum cum suis subeat pro mortuis, hoc est pro peccatis, in quo similitudinem mortuorum aquis sepultorum, & ex eis resurgentium induat, & neget veritatem eiusdem rei, nempe resurrectionis carnis, cuius in propria & suorum sectatorum baptizatorum carne repræsentat imaginem, maximé cum Paulus ex Baptismi similitudine probet resurrectionis veritatem. Vnde & Paulus Baptismum lauacrum regenerationis appellat, iuxta Christum dicentem,* nisi quis renatus fuerit, &c. *qui & resurrectionem vocat, regenerationem:* in die regenerationis cùm venerit filius hominis, &c. *vt enim renascitur anima in Baptismo, sic caro regeneratur in die nouissimo. Accipe Augustinum tom. 3. in Enchirid. ad Laur. c. 52.* Sacri Baptismatis in Cruce Christi grande mysterium commendauit: eo modo vt intelligamus nihil aliud esse in Christo Baptismum, nisi mortis Christi similitudinem: nihil autem aliud mortem Christi crucifixi, nisi remissionis peccati similitudinem. Vt quemadmodum in illo vera mors, *quod negabat Marcion,* facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum: & quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera iustificatio, &c. An ignoratis, inquit, quoniam quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? &c. Consepulti enim sumus illi per Baptismum in mortem, vt quemadmodum Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, &c. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam viuemus cum illo, &c. *Et cap. 53.* Quidquid, inquit, gestum est in Cruce Christi, in sepultura, in resurrectione tertiâ die, in ascensione in cœlum & in sedere ad dexteram Patris: ita gestum est, vt his rebus non mysticè tantùm dictis, sed etiam gestis configuraretur vita Christiana quæ hîc geritur. Nam propter eius Crucem dictum est, qui autem Iesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Propter sepulturam, consepulti enim sumus cum Christo, &c. Propter resurrectionem, vt quemadmodum Christus resurrexit à mortuis, &c. Propter ascensionem verò in cœlum sedemque ad dexteram Patris: si autem resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, &c. Iam verò quod de Christo confitemur futurum, quoniam de cœlo venturus est, viuos iudicaturus & mortuos, non pertinet ad vitam nostram quæ hîc geritur, quia nec in rebus gestis eius est, sed in fine sæculi gerendis; ad hoc pertinet quod Apostolus secutus adiunxit: cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria: *vtique corpore suscitati,* duobus autem modis accipi potest, quòd viuos & mortuos iudicabit: siue vt viuos intelligamus, quos hîc nondum mortuos, sed in hac adhuc carne viuentes inuenturus est eius aduentus: mortuos autem qui de corpore, priusquam veniat, exiere, vel exituri sunt: siue viuos iustos, mortuos autem iniustos, quoniam iusti quoque iudicabuntur. INSTITVTIO ISTA. *Mos Martionitarum, vel Gentilium: qui pro mortuis baptizabantur, Calendis Februariis: vt Gentiles instituto Martionitarum respondeant huiusmodi lauacro pro mortuis petito.* NOLI ERGO. *ô Marcion arguere Paulum quasi authorem, aut confirmatorem huius superstitiosi lauacri. Aduerte ex Beda libro de ratione temporum cap. de mense Febr. apud Romanos quòd hoc mense lustrabatur ciuitas, & apud Luperios, siue Lupercos populos orientales corpora lauabantur. De Numa Macrobius l. 1. c. 13.* Secundum mensem, inquit, dicauit Februo Deo, qui lustrationum potens creditur. Lustrari autem eo mense ciuitatem necesse erat, quo statuit, vt iusta Diis Manibus soluerentur. *Et Cicero 11. de Legib.* Februario mense, qui tunc extremus anni mensis erat, mortuis parentari voluerunt. *Vnde Aug. lib. 7. de Ciu. c. 7. vbi de mensibus diis sacris.* Ianuarium, inquit, Iano,

Februarium Termino dedicarunt. Ideo Terminalia eodem mense Februario celebrari dicunt, cùm sit sacrum Purgatorium, quod vocant Februum. Vnde mensis nomen accepit. SISTERET. *Confirmaret ex vana superstitione Gentilium, qui cum impossibilem crederent carnis resurrectionem, tamen pro mortuis se purgabant.* HABEMVS ILLVM. *Paulum Ephes.* A *4. 5. prohibentem Baptisma reiterari, cùm ait:* Vnus Deus, vna fides, vnum Baptisma. MORTVVM CORPVS. *propriè mortem corpori conuenire non animæ.* SECVNDAM DISCEPTATIONEM. *cùm primò disputasset: quærens*, quid facient qui baptizantur pro mortuis; &c. *rursum inducit obiicientes sibi, in quali corpore resurgent mortui?* RETRACTARE, *sæpius repetit, pro tractare.*

15. *Resurrectionem carnis probat Paulus, exempla sumens de corporibus à Creatore conditis. 5. cont. Marc. cap. 10. à princ.*

DEnique si proponit exempla grani tritici, vel alicuius eiusmodi, vel quibus det corpus Deus prout volet. [a] *Si vnicuique seminum, proprium ait esse corpus, & aliam quidem carnem hominum, aliam verò pecudum & volucrum; & corpora cœlestia atque terrena; & aliam gloriam solis, & lunæ aliam, & stellarum aliam:* nonne carnalem & corporalem portendit resurrectionem, quam per carnalia & corporalia exempla commendat? nonne etiam ab eo Deo eam spondet, à quo sunt & exempla? *Sic & resurrectio*, inquit. Quomodo? sicut & granum corpus seritur, corpus resurgit. Seminationem denique vocauit dissolutionem corporis in terram; Quia [b] *seritur in corruptela, resurgit in honestatem & virtutem.* Cuius ille ordo in dissolutione, eius & hîc in resurrectione corporis, scilicet sicut & granum. Cæterùm, si auferas corpus resurrectioni, quod dedisti dissolutioni, vbi consistet diuersitas exitus?

a 1. Cor. 15, 37. & seq.

b Ibid. 43.

RESVRRECTIONEM CARNIS. 15. SCHOL.

EXEMPLA GRANI. *Vide eadem penè ad verbum iam suprà exposita, V.* Resurrectionem carnis negantes hæretici. *n. 18. in m. ad f.* CVIVS ORDO, *supple seminis: quasi diceret, sicut corpus seminis in terra dissoluitur, & corrumpitur vt resurgat; sic corpus hominis in terra seminatum, primo exitu mortis corrumpitur, sed longè diuerso exitu, id est, euentu resurgit. Licèt enim idem, quoad substantiam seminetur & resurgat, diuersum tamen est qualitate. Nam quod seminatur animale & ignobile, resurgit gloriosum & spiritale. De corpore meliore suscitando in gloriam, quod nunc seminatur animale, rursus Augustinus libro sexto de Gen. ad lit. cap. 19.* Solet, inquit, quæri, vtrùm animale corpus primi hominis formatum sit è limo quale nunc habemus, an spiritale, quale resurgentes habebimus? Quamquam enim hoc in illud mutabitur: seminatur enim corpus animale, surget corpus spiritale; tamen quid priùs homini factum sit, ideò disceptatur, quia si animale factum est, non hoc recipiemus quod in illo perdidimus, *per mortem corrupto grano in terram cadente, vnde dicitur & ca-* B *datur*, sed tantò melius quantò & spiritale animali præponendum est, quando erimus æquales angelis Dei, &c. Non obscura est Apostoli sententia de hac re, qui cùm voluisset adhibere testimonium quo probaret esse corpus animale, non tam de suo, vel de cuiusquam hominis corpore, quod in præsenti videbatur, quàm de hoc ipso Scripturæ huius loco recoluit & adhibuit dicens: Si est corpus animale, est & spiritale, sic enim scriptum est: Factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem. Sed non primum quod spiritale est, sed quod animale, posteà spiritale. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœlestis, tales & cœlestes. Et quomodo induimus imaginem terreni, induamur & imaginem eius qui de cœlo est. Quid ad hoc dici potest? imaginem ergo cœlestis hominis nunc ex fide portamus, habituri in resurrectione quod credimus: imaginem autem terreni hominis ab ipso exordio humanæ generationis induimus.

S. Aug.

S. Aug.

RESVRRECTIO PROBATVR MVLTIS RATIONIBVS.

1. *Resurrectio corporum probatur ex vsu loquendi Gentilium. De testim. animæ. cap. 4. in fine. V. animæ immortalitas. 7. in f.*

2. *Resurrectionem carnis, & immortalitatem nescij fatentur Ethnici. Apol. cap. 50. à med.*

ILlis omnibus & statuas defunditis, & imagines inscribitis, & titulos inciditis in æternitatem; quantùm de monimentis potestis scilicet, præstatis & ipsi quodammodo mortuis resurrectionem. Hanc qui veram à Deo sperat, si pro Deo patiatur, insanus est.

RESVRRECTIO PROBATVR RATIONIBVS. 1. & 2. SCHOL.

Primum titulum habes alibi expositum.

II. ILLIS OMNIBVS. *pro patria mortuis.* STATVAS DEFVNDITIS. *ex auro, argento, ære, materiâ fusili decernitis.* TITVLOS. *elogia virtutum marmori & cedro insculpitis.* DE MONVMENTIS. *monumentis sic dictis, quod mentem superstitum moneant de mor-* C *tuorum virtutibus, quos etiam contra incredulitatem Gentiles hoc pacto quodammodo resurgere faciunt, & in hominum memoria viuere, vt sic vel inuiti resurrectionem mortuorum augurentur.* INSANVS EST. *stultus reputatur qui securus pro Deo patitur & moritur sub spe veræ resurrectionis, cùm fortes & sapientes ab Ethnicis censeantur pro fictitia hac resurrectione morien-*

tes: adeò vt post mortem eorum statuis in foro vel monumento excitatis ipsi in mortuo marmore resurrexisse videantur. Hanc vanitatem ridet Augustinus concione 1. in Psal. 48. in versum. Sepulcra eorum domus eorum in æternum, tabernacula eorum in generatione & generationem. Inuocabunt nomina in terris ipsorum. *Ita enim legit Augustinus. Sic autem exponit.* Domus, inquit, sunt sepulcra. Nam plerumque audis diuitem dicentem: Habeo marmoratam domum, quam relicturus sum, & non cogito mihi æternam domum vbi semper ero. Quando cogitat sibi marmoratam domum, aut exsculptam facere, quasi de domo æterna cogitat, &c. tabernacula, in quibus temporaliter manserunt; domus, in quibus quasi in æternum manebunt; id est, sepulcra. Tabernacula ergo suis dimittunt, vbi manebant cùm viuerent: transeunt quasi ad domos æternas, ad sepulcra. Quid illis prosunt tabernacula eorum, &c. Generatio & generatio, putà filij sunt, nepotes erunt, & pronepotes. Quid faciunt? quid prosunt tabernacula eorum? quid? audi: Inuocabunt nomina in terris ipsorum, quid est hoc? tollunt panem & merum ad sepulcra, & inuocant ibi nomina mortuorum. Putas quantùm inuocatum est nomen illius diuitis, postea quando inebriabant se homines in memoria ipsius, nec descendebat vna gutta super linguam ipsius ardentem? ventri suo seruiunt homines, non spiritibus suorum. Ad spiritus mortuorum non peruenit, nisi quod secum viui fecerunt, &c. *Subiicit insultationem Psaltis in huiusmodi diuites totam suam immortalitatem & resurrectionem ponentes in statuis, sepulcris, viuentium laudibus, quos iumentis insipientibus comparat.* Quomodo, inquit, insultatum est hominibus, qui non intellexerunt quid facerent de diuitiis, cùm viuerent, & putarunt se beatos futuros, si haberent memoriam marmoratam, quasi æternam domum; & si sui, quibus reliquissent substantiam suam, inuocarent nomina ipsorum in terris eorum. Debuerunt autem contra præparare sibi domum æternam; *non manufactam in cælis*, in bonis operibus: præparate sibi vitam immortalem, mittere ante se sumptus, *ad construendam domum*, sequi opera sua, attendere comitem egentem, dare ei cum quo ambulabant; non contemnere Christum ante ianuam vlcerosum, qui dixit: cùm vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. *Audiunt, & rident Ethnici, & multi nomine tenus Christiani, & illudunt, & insanum Prædicatorem putant: sicut accidit Paulo Act. 26. 23.* Si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen est annunciaturus populo, & Gentibus: hæc loquente eo, & rationem reddente, Festus magnâ voce dixit: Insanis, Paule; multæ te litteræ ad insaniam conuertunt. Et Paulus: non insanio, inquit, Optime Feste, *Syr. victoriose*, sed veritatis, & sobrietatis verba loquor.

S. Aug. — S. Aug.

3. *Resurrectionis possibilitas probatur ex multis exemplis. Apol. cap. 48. à pr.*

SEd quomodo, inquis, dissoluta materia exhiberi potest? Considera temetipsum, ô homo, & fidem rei inuenies. Recogita quid fueris antequàm esses. vtique nihil. meminisses enim, si quid fuisses. Qui ergo nihil fueras, priùs quàm esses; idem nihil factus cùm esse desieris, cur non possis rursus esse de nihilo, eiusdem ipsius auctoris voluntate qui te voluit esse de nihilo? Quid noui tibi eueniet? qui non eras, factus es, cùm iterùm non eris, fies. Redde, si potes, rationem quâ factus es, & tunc require quâ fies. Et tamen faciliùs vtique fies, quod fuisti aliquando, quia æquè non difficilè factus es, quod nunquam fuisti aliquando. Dubitabitur, credo, de Dei viribus, qui tantùm corpus hoc mundi de eo quod non fuerat, non minùs quàm de morte vacationis & inanitatis, composuit, animatum spiritu omnium animatore. Signatum & per ipsum humanæ resurrectionis exemplum in testimonium vobis. Lux quotidie interfecta resplendet, & tenebræ pari vice decedendo succedunt. sidera defuncta reuiuiscunt. tempora vbi finiuntur incipiunt. fructus consumuntur & redeunt. certè semina non nisi corrupta & dissoluta fœcundiùs surgunt. omnia pereundo seruantur, omnia de interitu reformantur. Tu, homo, tantum nomen, si intelligas te, vel de titulo Pythiæ discens, Dominus omnium morientium & resurgentium, ad hoc morieris vt pereas? vbicumque resolutus fueris, quæcumque te materia destruxerit, hauserit, aboleuerit, in nihilum prodegerit, reddet te. Eius est nihilum ipsum, cuius & totum.

4. *Resurrectio probatur ex Dei potentia cuncta de nihilo creante, item ex toto mundo resurgente in astris & plantis: in quo prophetiam doctrix natura præcessit. De resurr. cap. 11. à princ. ad finem. & 12. per totum.*

NVnquid etiam Dei ipsius potentiam, & potestatem, & licentiã recensere debemus, an tantus sit qui valeat dilapsum & deuoratũ, & quibuscumq; modis ereptum tabernaculum carnis reædificare, atque restituere? An & aliqua nobis exempla huius sui iuris in publico naturæ promulgauit; ne qui fortè adhuc nesciant Deũ nosse; qui non alia lege credendus est, quàm vt omnia posse credatur? Planè apud Philosophos habes, qui mundum hunc innatum infectúmq; defendant: sed multò meliùs, quòd omnes ferè hæreses natum & factũ mundũ annuentes, conditionẽ Deo nostro adscribunt. Igitur cõfide, illũ, totũ hoc ex nihilo protulisse, & Deũ nosti, fidẽdo quòd tantũ Deus valeat. Nam & quidã, infirmiores hoc priùs credere, de materia potiùs subiacenti volunt ab illo vniuersitatẽ dedicatã secundùm Philosophos. Porrò, etsi ita in vero haberetur, quum tamẽ longè alias substantias; longéq; alias species ex reformatione materiæ diceretur protulisse, quàm fuisset ipsa materia; non minùs defenderẽ ex nihilo eũ protulisse, si ea protulerat, quæ omninò non fuerant. Quod enim interest ex nihilo quid proferri, an ex aliquo; dum quod non fuit, fiat? quando

etiam non fuisse, nihil sit fuisse. Sic & fuisse ècõtrario, non nihil est fuisse. Nunc, etsi interest, tamen vtrumq; mihi adplaudit. Siue enim ex nihilo Deus molitus est cuncta, poterit & carnem in nihilum perductã. exprimere de nihilo. Siue de materia modulatus est alia, poterit & carnem quocunque dehaustam euocare de alio. Et vtique idoneus est reficere, qui fecit, quantò plus est fecisse, quàm refecisse? initium dedisse, quàm reddidisse? Ita restitutionem carnis faciliorem credas institutione. Aspice nunc ad ipsa quoq, exempla diuinæ potestatis. Dies moritur in noctem, & tenebris vsquequaque sepelitur. Funestatur mundi honor: omnis substantia denigratur. Sordent, silent, stupent cuncta: vbique iustitium est. Ita lux amissa lugetur: & tamen rursus cum suo cultu, cum dote, cum sole, eadem & integra & tota vniuerso orbi reuiuiscit; interficiens mortem suam, noctem; rescindens sepulturam suam, tenebras; heres sibimet existens, donec & nox reuiuiscat, cum suo & illa suggestu. Redaccenduntur enim & stellarum radij, quos matutina succensio extinxerat. reducuntur & siderum absentiæ, quas temporalis distinctio exemerat. redornantur & specula lunæ, quæ menstruus numerus adtriuerat. reuoluuntur hyemes & æstates, verna & autumna, cum suis viribus, moribus, fructibus. Quippe etiam terræ de cœlo disciplina est arbores vestire post spolia, flores denuò colorare, herbas rursus imponere, exhibere eadem quæ absumpta sint semina; nec priùs exhibere, quàm absumpta. Mira ratio: de fraudatrice seruatrix; vt reddat, intercipit; vt custodiat, perdit; vt integret, vitiat; vt etiam amplier, priùs decoquit. Siquidem vberiora & cultiora restituit, quàm exterminauit. reuerà fenore interitu, & iniuria vsura, & lucro damno. Semel dixerim, vniuersa conditio recidiua est. Quodcunque conueneris, fuit: quodcunque amiseris, nihil non iterum est. Omnia in statum redeunt, quum abscesserint: omnia incipiunt, quum desierint: ideò finiuntur, vt fiant. Nihil deperit, nisi in salutem. Totus igitur hic ordo reuolubilis rerum, testatio est resurrectionis mortuorum. Operibus eam præscripsit Deus antè quàm litteris: viribus prædicauit antè quàm vocibus. Præmisit tibi naturam magistram, submissurus & prophetiam, quò facilius credas prophetiæ, discipulus naturæ: quò statim admittas, quum audieris quod vbique iam videris: nec dubites Deum carnis etiam resuscitatorem, quem omnium noris restitutorem. Et vtique si omnia homini resurgunt, cui procurata sunt, porrò non homini, nisi & carni, quale est vt ipsa depereat in totum, propter quam & cui nihil deperit? Cap. XII.

RESVRRECTIONIS POSSIBILITAS. 3. & 4. SCHOL.

EXHIBERI. *Reproduci.* DE MORTE VACATIONIS *quasi inane & vacuum fuerit ad instar mortis, id est priuationis, ex qua omnia condidit, & spiritus omnium animator & viuificator animalibus viuentibus impleuit.* SIGNATVM. *Impreßit toti orbi exempla resurrectionis hominum, vt creaturæ testes exurgerent contra incredulitatem Gentilium.* DE TITVLO PYTHIÆ, *qua inscripserat in foribus Apollinis Delphici,* nosce teipsum. DOMINVS OMNIVM. *Homo ex dignitate sua intelligat se prorsus interire non posse, cui omnia mortua resurgunt, vt Domino.*

4. INFECTVM. *Non factum, ab æterno esse.* CONDITIONEM. *Creationem rerum omnium.* NAM ET QVIDAM. *Cum Hermogene scilicet, & Platone vt testatur Athanasius lib. de Incarnatione Verbi in P. & Epiph. hæres. 6.* DEDICATAM. *De nouo factam.* ITA IN VERO. *Etsi verum esset, Deum ex aliqua materia res formasse, proinde Dei omnipotentiâ probaretur plures ex nihilo creasse species, longè alterius generis, quàm fuisset eadem materia, cùm de nouo condita, omnino priùs non fuissent.* QVO INTEREST. *Quid refert?* EXPRIMERE, *exprimere, educere.* MODVLATVS, *modos & species rerum produxit.* IVSTITIVM EST. *Vacant omnia. Consule de hac voce dicta alibi in indice.* SVGGESTV. *Ornatu & pompâ.* MATVTINA SVCCENSIO. *Radiorum Solis exorientis accensio.* EXEMERAT, *subduxerat distinctio & diuisio lucis à tenebris.* REDORNANTVR SPECVLA. *Reparantur orbes Lunæ, Solem quasi in speculo licet obscuriori referentis.* DE CŒLO DISCIPLINA. *Discit terra à cœlo resurrectionis exempla.* DE FRAVDATRICE. *Ideo fraudare videtur agricolam, corrupto in sinu suo semine, quod seruat, & multiplicato fœnore licet videatur decoctum & consumptum reproducit.* VNIVERSA CONDITIO. *Omnis creatura reuolubilis est.* QVODCVNQVE A CONVENERIS, *quamcumque creaturam interroges, se iam fuisse dicet.* NISI IN SALVTEM. *Vt iterum saluum reproducatur.* VIRIBVS PRÆDICAVIT. *operibus suæ omnipotentiæ.* SVBMISSVRVS, *postea missurus Prophetas præparato per exempla naturæ animo ad fidem resurrectionis. De hac fusè & sæpè Augustinus, ac primò quidem to. 3. in Enchir. ad Laur. cap. 88. & seq.* Non perit, inquit, Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro: sed in quemlibet puluerem cineremue soluatur, in quoslibet halitus aurasque diffugiat, in quamcumque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcumque animalium, etiam hominum cibum cedat, carnemque mutetur, illi animæ humanæ, puncto temporis reddit, quæ illam primitus vt homo fieret, cresceret, viueret, animauit. Ipsa itaque terrena materies, quæ discedente animâ fit cadauer, non B ita resurrectione reparabitur, vt ea quæ dilabuntur, & in alias atque alias aliarum rerum species formasque vertuntur, quamuis ad corpus redeant vnde dilapsa sunt, ad easdem quoque corporis partes, vbi fuerunt, redire necesse sit. Alioquin si capillis capitis redit quod iam crebra tonsura detraxit; si vnguibus quod toties dempsit exsectio, immoderata & indecens cogitantibus, & ideo resurrectionem carnis non credentibus occurrit informitas. Sed quemadmodum si statua cuiuslibet solubilis metalli, aut igne liquesceret, aut contereretur in puluerem, aut confunderetur in massam, & eam vellet artifex rursus ex illius materiæ quantitate reparare, nihil interesset, ad eius integritatem, quæ particula materiæ, cui membro statuæ redderetur, dum tamen totum ex quo constituta fuerat, restituta resumeret: ita Deus mirabiliter atque ineffa- S. Aug.

biliter artifex, de toto quo caro nostra constiterat, eam mirabili & ineffabili celeritate restituet. Nec aliquid attinebit ad eius redintegrationem, vtrùm capilli ad capillos redeant, & vngues ad vngues: an quidquid eorum perierat, mutetur in carnem, & in partes alias corporis reuocetur: curante artificis prouidentiâ, ne quid indecens fiat: nec illud est consequens, vt ideo sit diuersa statura reuiuiscentium singulorum, quia fuerat diuersa viuentium, aut macri cum eadem macie, aut pingues cum eadem pinguedine reuiuiscant: sed si hoc est in consilio Creatoris, vt in effigie sua cuiusque proprietas, & discernibilis similitudo seruetur, in cæteris autem corporis bonis æqualia cuncta reddantur; ita modificabitur illa in vnoquoque materies, vt nec aliquid ex ea pereat, & quod alicui defuit ille suppleat, qui etiam de nihilo potuit quod voluit operari. Si autem in corporibus resurgentium rationabilis inæqualitas erit, sicut est vocum quibus cantus impletur: hoc fiet cuique de materia corporis sui quod & hominem reddat æqualem Angelicis cœtibus, & nihil inconueniens eorum ingerat sensibus. Indecorum quippe aliquid ibi non erit, sed quidquid futurum est, hoc decebit, quia nec futurum est si non decebit. *Et to. 4. libro de Catechizandis rudibus cap. 25.* Ex teipso, inquit, crede futurum te esse, cùm fueris, quandò cùm ante non fueris, nunc esse te vides. Vbi enim erat ista moles corporis tui, & ista forma, membrorumque compago ante paucos annos, priusquam natus, vel etiam priusquam in matris vtero conceptus esses? vbi erat hæc moles, & hæc statura corporis tui? Nonne de occultis huius creaturæ secretis, Domino Deo inuisibiliter formante processit in lucem, certisque ætatum incrementis in istam magnitudinem formamque surrexit? Numquid ergo difficiliùs est Deo qui etiam aggeres nubium ex occulto in momento contrahit, & contegit cœlum in ictu temporis, reddere istam quantitatem corporis tui sicut erat, qui eam facere potuit cùm non erat? *Et ser. 34. de verbis Apost.* Te, inquit, appello qui infideli animo de resurrectione dubitas, & putas non posse mortuos suscitari. Quid est amplius, ex nihilo facere homines qui viuant: an eos qui facti sunt, atque vixerunt reparare post mortem? vtique plus est facere quod nunquam fuit, quàm reparare quod fuerit. Quomodo ergo impossibile esse dicis, vt Deus qui hominem formauit ex nihilo, reformet? quomodo nos suscitare non potest conuersos in puluerem, qui si etiam in nihilum rediremus, facere posset vt essemus, sicut & fecit nos esse cùm antea nunquam fuissemus? insipiens tu quod seminas, non viuificatur, nisi priùs moriatur, &c. qui grana seminum mortua & putrefacta viuificat, per quæ in hoc sæculo viuas, multò magis teipsum resuscitabit vt viuas in æternum. Qui illa reparat quæ tibi sunt necessaria, quomodo teipsum non reparat, propter quem & alia reparare dignatus est? itaque si velimus considerare quæ in isto sæculo videmus, diuinæ administrationis opera, signa sunt futurorum. Tota ergo huius mundi administratio testimonium

S. Aug.

S. Aug.

A est resurrectionis futuræ. Videmus certè hyemis tempore arbores spoliari pomis, nudari foliis: sed eas rursus verno tempore speciem resurrectionis exprimere: quæ primò quidem incipiunt turgere in gemmis, tunc ornari in floribus, vestiri & foliis, & postmodum pomis grauari. Interrogo te infidelis homo qui de resurrectione dubitas, vbi sunt ista, quæ tempore quo Deus disposuit, producuntur? Dic mihi vbi latitant antequam producantur, quæ nusquam quidem videntur, sed tamen Deus qui omnipotens est, & ea ex nihilo condidit, secretâ suâ virtute producit? hinc iam ad campos & prata respicite quæ æstate transactâ herbis suis spoliantur ac floribus, & nuda remanent spatia ipsa terrarum, sed iterum verno tempore reuestiuntur, & nouo vbique germine incipiente lætatur agricola.

B Certè herba quæ ante vixit, & moritur, rursus reuiuiscit ex semine; sic etiam & nostrum corpus reuiuiscit ex puluere. *Et ser. 64. de verb. Do. circa f.* Si, inquit, Deus fecit hominem qui non erat, reparare non potest quod erat? &c. Non eras, & es: & factus non eris? absit, ne credas: mirabilius aliquid fecit Deus quando fecit quod non erat, & tamen fecit quod non erat: & non creditur reparaturus quod erat, ab eis ipsis, quos fecit quod non erant? hoc est quod rependimus Deo, qui non eramus & facti sumus? hoc illi rependimus vt eum resuscitare quod fecit, non posse credamus? &c. Sed ecce, inquit, in sepulcro quod video, fauilla est, ciris est, ossa sunt: & hoc idem accipiet vitam, cutem, pulpas, carnem, & resurget? quid? fauilla ista, ossa

C ista, quæ video in sepulchro? vel in sepulchro vides fauillam, vides ossa: in vtero matris tuæ nihil erat: hoc vides, vel fauilla sunt, vel ossa sunt: tu antequam esses, nec fauilla erat, nec ossa erant, & tamen factus es, cùm omnino non esses: & non credis quia ossa ista quoquo modo sunt, qualiacumque sunt, sunt tamen, recipient formam quam habebant, cùm tu acceperis quod non habebas. *Et to. 9. libro 3. de Symbolo ad Catech. cap. 11.* Apostolus, inquit, vt tolleret de cordibus infidelium omnem dubitationem, seminantis proposuit similitudinem; & ait: stulte, tu quod seminas non viuificatur, nisi priùs moriatur. Quid autem fiat in semine, puto neminem vestrûm ignorare: quemadmodum grana triturata, purgata, recondita, proferantur, proij-

D ciantur, obruantur. Nisi enim esset messis fertilitas nota, ista crederetur insana. Attamen cùm obruuntur, & ab oculis dimittuntur, sub terra mortua iacent, &c. Cùm autem pluuia aduenerit, quomodo delectat respicere herbam virentem, calamum surgentem, ad nodos peruenientem, culmum producentem, spicas proferentem? delectat te videre quod mortuum iacebat, sic reuixisse? sed non sibi assignet terra fertilitatem, quoniam Dominus dat suauitatem. Si enim pluuia desuper non descendat, etiam terra bona non spicas profert, sed spinas, quæ igni tradantur, non quæ horreo recondantur. Similiter & terra nostra, hoc est caro nostra, siue hic, siue ibi, non sibi assignet merita: sed agnoscat etiam illic accepturam se gratiam pro gratia.

S. Aug.

S. Aug.

5. *Resurrectio confirmatur exemplo Phœnicis. De resur. cap. 13. per totum.*

SI parum vniuersitas resurrectionem figurat; si nihil tale conditio signat, quia singula eius non tam mori, quàm desinere dicantur; nec redanimari, sed reformari existimentur, accipe plenissimum atque firmissimum huius spei specimen. Siquidem, animalis est res, & vitæ obnoxia & morti; illum dico alitem Orientis peculiarem, de singularitate famosum, de posteritate monstruosum: qui semetipsum libenter funerans renouat, natali fine decedens atque succedens; iterum phœnix, vbi iam nemo; iterum ipse, qui non jam; alius idem. Quid expressius atque signatius in hanc causam? aut cui alij rei tale do-

cumentum? Deus etiam scripturis suis, [a] *Et florebit enim*, inquit, *velut phœnix*; id est, de morte, de funere: vti credas, de ignibus quoque substantiam corporis exigi posse. [b] *Multis passeribus antistare nos Dominus* pronuntiauit: si non & phœnicibus, nihil magnum. Sed homines semel interibunt, auibus Arabiæ de resurrectione securis?

a Psal. 91. 12.
b Matth. 10. 31.

RESVRRECTIO CONFIRMATVR. 5. SCHOL.

CONDITIO SIGNAT. *Res omnis in mundo condita exprimit.* REDANIMARI. *Rursus animari & viuificari.* ORIENTIS ALITEM. *Auem Arabiæ, quæ est Orientalis respectu Africæ.* DE SINGVLARITATE. *Ob singularitatem famosus, Phœnix.* MONSTRVOSVM. *Prodigiosum.* FVNERANS. *Sepeliens, & accenso rogo aromaticis plantis contexto, ad Solis radios.* RENOVAT. *Ex seipso resurgens. Cùm nullus Phœnix superesse videretur.* CVI ALII REI. *Supple quàm resurrectioni eiusdem carnis ex eadem significandæ, Deus Phœnicem instituit.* SCRIPTVRIS. *Psalmo* 91. 12. Iustus vt palma florebit. 70. *sequitur Tertullianus: ita & Iob.* 29. 18. In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies meos. 70. Ætas mea senescet, sicut truncus palmæ: multo viuam tempore. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Sicut Phœnix multiplicabo dies. *Aduerte palmam esse nomine Phœnicem, quæ longa senectute arida, ex trunco surculum germinat quo videtur resurgere.* VTI CREDAS. *Vt putes exemplo Phœnicis exustæ, Deum posse, non secus ac Gen. 9. de feris, ita de ignibus cineratam carnem tuam exigere.* ANTISTARE. *Pluris esse.* PHOENICIBVS. *Pro singulari plurale sumit, vel ob singularem omnium resurgentium, sicut & stellarum, gloriam. Vel quia, vt legit Augustinus, apud Psaltem, Christum dicentem:* singularis sum ego, donec transeam: cum transiero, inquit, *à vita ad mortem, & inde ad resurrectionem*, non ero singularis. *Sed vnicus naturâ phœnix cùm sim, multos adoptione suscitabo phœnices.* SEMEL INTERIBVNT. *Sine spe resurrectionis. De Phœnice vide Lact. carmine de Phœnice, Epiph. in Ancorato*, quingentesimum annum agens vbi cognouerit tempus mortis suæ instare, rogum ex aromatibus sibi construit, eaque in vrbem Ægyptiorum Heliopolim defert, materiam incendit, & sic seipsum exurit, ad vnum diem reliquiæ vermem gignunt, vermis pennas producit pullus euadens. Postea in Arabiam transuolat oram propriam. *Ambr. lib. 5. in Hexa. cap. 23.* Docemur, inquit, huius auis exemplo resurrectionem credere, quæ & sine exemplo, & sine rationis perceptione, ipsa sibi insignia resurrectionis instaurat. Et vtique aues propter hominem sunt; non homo propter aues, &c. Quis igitur huic annuntiat diem mortis, vt faciat sibi thecam? & impleat eam bonis odoribus, atque ingrediatur in eam, & moriatur illic, vbi odoribus gratis, fœtor funeris possit aboleri. Fac & tu ô homo tibi thecam expolians veterem hominem cum actibus suis, nouum indue. Theca tua, vagina tua, Christus est, qui te protegat & abscondat in die malo, &c. theca tua est fides: imple eam bonis virtutum tuarum odoribus, &c. *Nec subticendus Zeno. ser. de Resur.* Phœnix, inquit, auis illa pretiosa, resurrectionis euidenter nos edocet iura; quæ nobilitatem generis sui, non à parentibus accipit: non liberis tradit: ipsa est sibi vterque sexus: ipsa omnis affectus, ipsa genus, ipsa finis, ipsa principium: non ex coitu nascitur, nec officio alieno nutritur. Non inuita, non imprudens moritur; sed cùm maturum lethi tempus aduenerit, à semetipsa inuitatis sacris ignibus concrematur. Sepulchrum nidus est, illi fauillæ nutrices, cinis propagandi corporis semen: mors natalitius dies. Denique post momentum festo exultat in tumulo, non vmbra sed veritas: non imago, sed Phœnix: non alia, sed quamuis melior alia, tamen prior ipsa. *Quid conuenientius Christo in eadem carne, sed meliore & renata, sponte mortuo, & propria virtute suscitato, &* inter mortuos libero. *De quo & Cyprianus vel, vt alij volunt, Ruffinus Aquileiensis Presbyter; In expositione Symboli*: quid mirum, inquit, videtur si Virgo conceperit, cùm Orientis auem, quam Phœnicem vocant, non tantùm sine coniuge nasci, vel renasci constet, vt semper & vna sit, & semper sibi ipsa nascendo, vel renascendo succedat. *Aug. to. 7. lib. 4. de Anima & eius orig. ad Vincentium Victorem. cap. 20. vbi contra exemplum ab eo prolatum de Anima sine sexu, ex comparatione Phœnicis, hanc auem in probationem resurrectionis aptiùs proferri contendit.* Quod, inquit de Phœnice loqueris, ad rem de qua agitur omnino non pertinet. Resurrectionem quippe illa significat corporum, non sexum destruit animarum, si tamen, vt creditur, de sua morte renascitur. Sed arbitror quòd tuum sermonem parum putaueris fore plausibilem, si non multa de Phœnice more adolescentium declamares. *Alterius quoque auis seu Reginæ Auium, similitudinem profert in resurrectionis exemplum in Psalmum* 102. Renouabitur sicut Aquilæ iuuentus tua. Quæris ergo, inquit, quando satietur in bonis anima tua? quando renouata fuerit iuuentus tua. Et addidit, sicut Aquilæ, &c. resurrectionem quandam significauit nobis. Et quidem renouatur iuuentus Aquilæ, sed non ad immortalitatem, &c. Dicitur Aquila cùm senectute corporis pressa fuerit, immoderatione rostri crescentis cibum capere non posse. Pars enim rostri eius superior, quæ supra partem inferiorem aduncatur, cùm præ senecta immoderatiùs creuerit, longitudo eius incrementi non eam sinit os aperire, vt sit aliquod receptaculi interuallum inter inferiorem partem, & vncum superiorem. Nisi enim aliquod interuallum pateat, non habet morsus quasi forcipem vnde velut tondeat quod transmittat in fauces. Crescente itaque superiore parte, & nimis aduncata, non poterit os aperire & aliquid capere: hoc ei facit vetustas. Prægrauatur languore senectutis, & inopiâ comedendi languescit nimis, vtraque re, ætate & egestate accedente. Itaque modo quodam naturali, in mensura reparandæ quasi iuuentutis, Aquila dicitur collidere, & percutere ad petram quasi labium suum superius, quo nimis crescente edendi aditus clauditur, atque ita conterendo illud ad petram excutit, & caret prioris rostri onere quo cibus impediebatur, accedit ad cibum, & omnia reparantur, erit post senectutem tanquam iuuenis Aquila. Redit vigor omnium membrorum, nitor plumarum, gubernacula pennarum, volat excelsa sicut antea, fit in ea quædam resurrectio. Ad hoc enim exposita est ista similitudo, sicut de Luna ponitur; quia diminuta & quodammodo intercepta Luna rursus nascitur, & impletur, & significat nobis resurrectionem. Sed impleta illa non permanet, rursus minuitur, vt semper significet. Sic ergo & hoc quod de Aquila dictum est, non ad immortalitatem Aquila reparatur, nos autem ad vitam æternam. Sed tamen propterea inde ducta est similitudo, vt quod nos impedit, petra nobis auferat. Non ergo præsumas de viribus tuis, firmitas petræ tibi excutit vetustatem: Petra autem erat Christus: in Christo renouabitur sicut Aquilæ iuuentus nostra, &c. creuit vetustas, os clausit, atteratur in petra.

S. Aug.
S. Aug.
S. Aug.

6. *Resurrectionis semina sunt ossa & dentes mortuorum de resur. cap. 42. in m. V. supra resurrectio probata ex scriptura. num. 11.*

7. *Resurrectionem probat carnis origo nobilis, etsi iuxta hæreticos ab Angelis facta esset. De resur. cap. 5. à p. V. Verbum carnis dignitas ex opifice 4.*

8. *Resurrectio carni debita ad mercedem, quòd animæ adiutrix sit in virtute, & martyrio, quo debitum Christo gloriosè soluit. De resur. cap. 8. in m. ad f.*

NOn possunt separari in mercede, quas opera conjungit. Nam & sacrificia Deo grata, conflictationes dico animæ, ieiunia, & seras, & aridas escas, & adpendices huius officij sordes, caro de proprio suo incommodo instaurat. Virginitas quoque & viduitas, & modesta in occulto matrimonij dissimulatio, & vna notitia eius, de bonis carnis Deo adolentur. Age iam, quid da ea sentis, quum pro nominis fide in medium extracta, & odio publico exposita, decertat? quum in carceribus maceratur, teterrimo lucis exilio, penuria mundi, squalore, pædore, contumeliâ victus; ne somno quidem libera; quippe ipsis etiam cubilibus vincta, ipsisque stramentis lancinata; quum iam & in luce omni tormentorum machinatione laniatur; quum denique suppliciis erogatur, enisa reddere Christo vicem, moriendo pro ipso, & quidem per eandem crucem sæpè, nedum per atrociora quoque ingenia pœnarum? Næ illa beatissima & gloriosissima, quæ potest apud Christum Dominum parere debito tanto, vt hoc solùm debeat ei, quod ei debere desierit: hoc magis vincta, quod absoluta.

9. *Resurrectio conuincitur ex iudicij necessitate, & iustitiæ Dei manifestatione, vt reddat homini iuxta bonum & malum, quod totum anima per carnem operatur. De Resur. cap. 14. à p. & 15. 16. & 17. ad m.*

EXorsi sumus ab auctoritate carnis, an ea sit, cui dilapsæ salus competat: dehinc, prosecuti de potentia Dei, an tanta sit quæ salutem conferre dilapsæ rei soleat: nunc, si probauimus vtrumque, velim etiam de causa requiras; an sit aliqua tam digna, quæ resurrectionem carnis necessariam, & rationi certè omnimodò debitam vindicet. quia subest dicere, etsi caro capax restitui, etsi diuinitas idonea restituendi, sed causa restitutionis præesse debebit. Accipe igitur & causam, qui apud Deum discis, tam optimum, quàm & iustum: de suo, optimum; de nostro iustum. Nisi enim homo deliquisset, optimum solummodò Deum nosset, ex naturæ proprietate: at nunc etiam iustum eum patitur, ex causæ necessitate: tamen & hoc ipso optimum, dum & iustum. Et bono enim iuuando, & malo puniendo, iustitiam exhibens, vtramque sententiam bono præstat: hinc vindicans istud, inde remunerans illud. Sed cum Marcione pleniùs disces, an hoc sit Dei totum. Interim talis est noster; meritò iudex, quia Dominus: meritò Dominus, quia auctor: meritò auctor, quia Deus. Hinc & ille, nescio quis, hæreticorum. Meritò non iudex; non enim Deus: meritò non Dominus; non enim auctor. Nescio iam si Deus, qui nec auctor, quod Deus; nec Dominus, quod auctor. Igitur si Deo & Domino & auctori congruentissimum est, iudicium in hominem destinare, de hoc ipso an Dominum & auctorem suum agnoscere & obseruare curarit, an non: vtique iudicium resurrectio expunget. Hæc erit tota causa, immò necessitas resurrectionis; congruentissima scilicet Deo destinatio iudicij: de cuius dispositione dispicias, an vtrique substantiæ humanæ dijudicandæ censura diuina præsideat, tam animæ quàm & carni. Quod enim congruet iudicari, hoc competet etiam resuscitari. Dicimus plenum primò perfectumque, credendum iudicium Dei, vt vltimum iam atque exinde perpetuum: vt sic quoque iustum, dum non in aliquo minus: vt sic quoque Deo dignum, dum pro tanta eius patientia, plenum atque perfectum. Itaque plenitudinem perfectionemque iudicij, non nisi de totius hominis repræsentatione constare. Totum porrò hominem ex vtriusque substantiæ concretione parêre: idcircoquè in vtraquè exhibendum, quem totum oporteat iudicari: qui nisi totus, vtique non vixerit. Qualis ergo vixerit, talem iudicari; quia de eo quod vixerit, habeat iudicari. Vita est enim causa iudicij; per tot substantias dispungenda, per quot & functa
CAP. XV. est. Age iam, scindant aduersarij nostri carnis animæque contextum, priùs in vitæ administratione, vt ita audeant scindere illud etiam in vitæ remuneratione. Negent operarum societatem, vt merito possint etiam mercedem negare. Non sit particeps in sententia caro, si non fuerit & in causa. Sola anima reuocetur, si sola decedit. Atenim non magis sola decedit, quàm sola decucurrit illud vnde decedit: vitam hanc dico. Adeò autem non sola anima transigit vitam, vt nec cogitatus, licet solos, licet non ad effectum per carnem deductos, auferamus à collegio carnis. Siquidem in carne, & cum carne, & per carnem agi-

tur

tur ab anima, quod agitur in corde. Hanc denique carnis speciem, arcem animæ, etiam Dominus in sugillationem cogitatuum taxat, [a] *Quid cogitatis in cordibus vestris nequam?* & *Qui conspexerit mulierem ad concupiscendum, iam adulterauit in corde.* Adeò & sine opere & sine effectu, cogitatus, carnis est actus. Sed etsi in cerebro, vel in medio superciliorum discrimine, vel vbi vbi philosophis placet, principalitas sensuum consecrata est, quod hegemonicon appellatur, caro erit omne animæ cogitatorium. Nunquam anima sine carne est, quandiu in carne est. Nihil non cum illa agit, sine qua non est. Quære adhuc an cogitatus quoque per carnem administrentur, qui per carnem dinoscuntur extrinsecùs. Volutet aliquid anima, vultus operatur indicium: facies intentionum omnium speculum est. Negent factorum societatem, cui negare non possunt cogitatorum. Et illi quidem delinquentias carnis enumerant: ergo peccatrix tenebitur supplicio. Nos verò etiam virtutes carnis opponimus: ergo & benè operata tenebitur præmio. Et si anima est, quæ agit & impellit in omnia, carnis obsequium est: Deum non licet aut iniustum iudicem credi, aut inertem: iniustum, si sociam bonorum operum à præmiis arceat; inertem, si sociam malorum à suppliciis secernat: quum humana censura eò perfectior habeatur, quò etiam ministros facti cuiusque deposcit, nec parcens, nec inuidens illis, quo minùs cum auctoribus aut pœnæ, aut gratiæ communicent fructum. Sed quum imperium animæ, obsequium carni distribuimus, prospiciendum est, ne & hoc aliâ argumentatione subuertant, vt velint carnem sic in officio animæ collocare, non quasi ministram, ne ex hoc sociam cogantur agnoscere. Dicent enim, ministros & socios habere arbitrium ministrandi atque sociandi, & potestatem suæ voluntatis in vtrumque: homines scilicet & ipsos: idcircò cum auctoribus merita communicare, quibus operam sponte accommodant: Carnem autem, nihil sapientem, nihil sentientem per semetipsam, non velle, non nolle de suo habentem, vice potius vasculi apparere animæ, vt instrumentum, non vt ministerium. Itaque animæ solius iudicium præsidere, qualiter vsa sit vasculo carnis; vasculum verò ipsum non esse sententiæ obnoxium: quia nec calicem damnari, si quis eum veneno temperarit; nec gladium ad bestias pronuntiari, si quis eo latrocinium fuerit operatus. Iam ergo innocens caro, ex ea parte qua non reputabuntur illi operæ malæ: & nihil prohibet innocentiæ nomine saluam eam fieri. Licet enim nec bonæ operæ reputentur illi, sicut nec malæ; diuinæ tamen benignitati magis competit innocentes liberare. beneficis enim debet. optimi est autem, etiam quod non debetur offerre. Et tamen calicem, non dico venenarium, in quem mors aliqua ructarit, sed fictricis, vel archigalli, vel gladiatoris, aut carnificis spiritu infectum, quæro an minus damnes, quàm oscula ipsorum? nostris quoque sordibus nubilum, vel non pro animo temperatum, elidere solemus, quo magis puero irascamur; gladium verò latrociniis ebrium quis non à domo tota, nedum à cubiculo, nedum à capitis sui officio relegarit; præsumens scilicet, nihil aliud se quàm insomnia animarum somniaturum, vrgentium & inquietantium sanguinis sui concubinum? Atenim & calix benè sibi conscius, & de diligentia ministerij commendatus, de coronis quoque potatoris sui inorabitur, aut aspergine florum honorabitur: & gladius benè de bello cruentus, & melior homicida, laudem suam consecratione pensabit. Est ergo & in vascula & in instrumenta sententiam figere, vt dominorum & auctorum meritis & ipsa communicent: vt huic quoque argumentationi satisfecerim, licet ab exemplo vacet diuersitas rerum. Omne enim vas vel instrumentum aliunde in vsus venit, extranea omnino materia à substantia hominis: caro autem ab exordio vteri consata, conformata, congenita animæ, etiam in omni operatione miscetur illi. Nam etsi [b] *vas* vocatur apud Apostolum, quam iubet *in honore tractari*, eadem tamen ab eodem *homo exterior appellatur*: ille scilicet limus, qui prior titulo hominis incisus est, non calicis, aut gladij, aut vasculi vllius. Vas enim, capacitatis nomine dicta est, quà animam capit & continet: homo verò, de communione naturæ, quæ eam non instrumentum in operationibus præstat, sed ministerium. Ita & ministerium tenebitur iudicio, etsi de suo nihil sapiat: quia portio est eius, quæ sapit, non supellex. Hoc & Apostolus sciens, nihil carnem agere per semetipsam, quod non animæ deputetur; nihilominus peccatricem iudicat carnem; ne eo quod ab anima videtur impelli, iudicio liberata credatur. Sic & cùm aliquas laudis operas carni indicit, [c] *Glorificate, inquit, & tollite Deum in corpore vestro*, certus & hos conatus ab anima agi; idcircò tamen & carni eos mandat, quia & illi fructum repromittit. Alioquin nec exprobratio competisset in alienam culpæ, nec adhortatio in extraneam gloriæ: & exprobratio enim, & exhortatio vacarent erga carnem, si vacaret & merces, quæ in resurrectione captatur.

[Marginal notes: a Matth. 9. 4. Matth. 5. 28. — Cap. XVI. — b 1. Thess. 4. 4. 2. Cor. 4. 16. Gen. 2. 7. — c 1. Cor. 6. 20.]

Et c. 17. in f.

Denique, hæc erit ratio in vltimum finem destinati iudicij, vt exhibitione carnis omnis diuina censura perfici possit. Alioquin non sustineretur in finem, quod & nunc animæ decerpunt apud inferos, si solis animabus destinaretur.

RESVRRECTIO CARNI DEBITA. 8. & 9. SCHOL.

NON POSSVNT. *debent corpora & animæ simul remunerari, quæ simul opera bona egerunt.* SERAS, *ad vesperas vsque protracta ieiunia.* ADPENDICES SORDES. *Comites ieiunij, cinis aspersio, sacci, & cæteri cultus squallor.* MODESTA DISSIMVLATIO. *Separatio à thoro secreta inter coniuges ex consensu.* VNA NOTITIA, *Monogamia.* DEO ADOLENTVR. *Offeruntur velut incensum in odorem suauitatis.* PRO NOMINIS FIDE. *Pro tuendo contra Tyrannos nomine Christiano, & fide Christi, in theatrum producitur.* PENVRIA MVNDI, *quia omnibus penè priuatur elementis.* CONTVMELIA VICTVS, *quia vt rei vix pane & aqua reficiuntur.* STRAMENTIS LANCINATA, *ob duritiam lecti, vel substrata testarum fragmenta.* EROGATVR, *velut igne lento consumitur.* INGENIA POENARVM. *Noua & inuenta genera tormentorum.* PARERE DEBITO, *exsoluere tantum debitum.* DEBERE DESIERIT. *Quod accepto per meritum passionis Christi, martyrij merito, vitam ei pro vita rependat, in quo plus ei manet debitrix, quòd debitum accepta ab eo tanta gratia persoluerit. Sic enim & Psaltes, & post eum sapius Augustinus,* gratiam pro gratia, *& coronam pro misericordia nobis à Deo dari docuit tract. 3. in verba Ioannis 1.* De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, &c. quam gratiam, inquit, primò accepimus? fidem. In fide ambulantes, in gratiam ambulamus, &c. Hanc ergo accepit gratiam primam peccator, vt eius peccata dimitterentur. Quid meruit? interroget iustitiam, inueniet pœnam. Interroget misericordiam, inueniet gratiam, &c. cùm promerueris Deum viuendo ex fide, *& amplius accepto, vt & moriaris pro fide, vobis enim donatum est, non solùm vt in eum credatis, sed vt pro ipso patiamini, exilium lucis, fætorem carceris, strati rigorem tormentorum sæuitiam, &c.* accipies præmium, *in eadem carne passa & mortua,* immortalitatem, & vitam æternam. Sed tantùm pro gratia. Si enim fides gratia est, & vita æterna quasi merces est fidei, videtur quidem Deus æternam vitam tanquam debitam reddere. Cui debitam? fideli: quia promeruit illam per fidem. Sed quia ipsa fides gratia est, *non enim omnium est fides, sed quibus partitus est mensuram fidei; & non omnes obediunt Euangelio,* & vita æterna, gratia est pro gratia, &c. quod ergo præmium immortalitatis posteà tribuit, dona sua coronat, non merita tua. *Et in Psal 70.* Donec annuntiem brachium tuum generationi omni superuenturæ, potentiam tuam & iustitiam tuam vsquequo, inquit? vsque in altissima quæ fecisti magnalia vsque ad carnem & sanguinem? *passam & effusum? in Martyrio,* imò vsque ad altissima quæ fecisti magnalia. In altis, cœli sunt, in altis Angeli sunt. Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates: tibi debent quod sunt, tibi debent quod viuunt, tibi debent quod iustè viuunt, tibi debent quod beatè viuunt, &c. Ne putes hominem solum pertinere ad gratiam Dei. Quid erat Angelus antequam fieret? quid est Angelus si deserat qui creauit? *Quid Stephanus Martyr splendens vt Angelus? hinc cum Psalte Martyres calicem pro calice sumentes,* gratiam pro gratia, *reddebant: Psalmo 115.* Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Non ait pro omnibus quæ tribuit mihi, sed pro omnibus quæ retribuit mihi. Quæ igitur præcesserant hominis, vt omnium donorum Dei non attributio, sed retributio vocari possit? quæ præcesserant hominis nisi peccata? retribuit ergo Deus bona pro malis, cui homines retribuunt mala pro

S. Aug. (margin, beside "verba Ioannis 1")
S. Aug. (margin, beside "accipies præmium")
S. Aug. (margin, beside "Euangelio")
S. Aug. (margin, beside "gratiam pro gratia, reddebant")

A bonis. Hæc enim retribuerunt qui dixerunt hic est hæres, venite occidamus eum. Sed quærit iste quid retribuat Domino, & non inuenit nisi ex eis quæ ipse Dominus retribuit. Calicem, inquit, salutaris, &c. O homo, peccato tuo mendax, dono Dei verax, & ideo iam non homo: quis tibi dedit calicem salutaris, quem accipiens, & inuocans nomen Domini, retribues ei pro omnibus quæ retribuit tibi? quis nisi ille qui ait, potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? quis tibi dedit imitari passiones suas, nisi qui pro te passus est prior? ideoque pretiosa in conspectu Domini mors, &c. emit eam sanguine suo, quem prior fudit pro salute seruorum, ne pro Domini nomine serui fundere

B dubitarent: quod tamen eorum non Domini vtilitati proficeret.

9. AB AVCTORITATE. *Dignitate.* DILAPSÆ SALVS. *Mortua resurrectio.* APVD DEVM. *Qui Christianus es. Sequentia habes alibi exposita.* BONO PRÆSTAT. *Ex perfecta naturæ diuinæ bonitate.* Bonum enim ex integra causa. CVM MARCIONE, *Deum tantummodo bonum agnoscente. Consule librum 1. contra Marc.* NESCIO QVIS. *Marcionita.* RESVRRECTIO EXPVNGET. *Implebit, perficiet, quæ ideo futura est, vt maximè duo Dei attributa misericordia, & iustitia omnibus innotescant.* VTRIQVE SVBSTANTIÆ, *carni, & animæ.* DICIMVS PLENVM. *Et hæc habes proprio titulo explicata.* DISPVNGENDA, *examinanda, computum dati & accepti facien-*

C *do.* SCINDANT. *Separent, diuidant societatem animæ à carne, dum viuit.* SI SOLA DECEDIT. *Non quòd anima moriatur, sed quòd recedat à carne.* DECVCVRRIT. *Curriculum vitæ transegit in carne, à qua recedit.* A COLLEGIO. *Societate, & commercio.* SVGILLATIONEM. *Correptionem.* NEQVAM, *mala.* CARNIS ACTVS. *Quia cor carneum est.* HEGEMONICON. *Principalitas. Et hæc rursum habes alibi.* COGITATORIVM. *Organum cogitationum, siue sedes.* PER CARNEM EXTRINSECVS. Nihil enim est in intellectu, quod priùs nō fuerit in sensu. VVLTVS INDICIVM. *Inde Physionomi in vultu velut speculo, quid cogitet anima, diuinant.* ILLI QVIDEM. *Haretici scilicet, peccata carnis & imbecillitates opponunt. Sed vel inde indicium statuimus, & præcedentem ad hoc*

D *resurrectionem.* DEPOSCIT. *Ad pœnam.* IN OFFICIO. *Subiectione & seruitute.* APPARERE, *ad seruitium adstare.* IAM ERGO INNOCENS. *Si caro nihil ex sua parte operatur mali, cur sic moritur innocens, vt non resurgat?* DEBET, *ratione iustitiæ.* MORS RVCTAVIT. *Eleganter dictum, causâ sumpta pro effectu, veneno scilicet mortifero.* FICTRICIS, *alludit ad libidinosas fœminas, & Eunuchos, quos vocat Archigallos, qui calicem prælibabant carnificis, spiritu, halitu corruptum, quem propinabat reo torquendo. Duos ergo calices hic opponit, vnum venenatum, alterum amatorium. Alij legunt.* Frictricis, *impuræ balneorum famulæ, à frigendo & tergendo dicta. Per fictricem autem, mimam & comicam mulierem, à fingēdo & repræsentando dictam. Per* Archigallum, *Pontificem Cy-*

E *beles, quasi Principem Castratorum. Pro quo alij legunt* Architrecis, *quod erat genus gladiatorum. Sensus ergo Tertulliani est, quòd sicut vas ab huiusmodi impuris oribus de more osculando porrectum, non minus quàm ipsa oscula detestaris; sic corpus, quod calix & vas est animæ, exosum est Deo, cùm membra eius seruiunt peccato, & iustè à Deo punitur, & sicut gladius latronis de domo Dei eiicitur.* NOSTRIS SORDIBVS NVBILVM. *Calicem obscuratum halitu vel manu sordida.* PRO ANIMO TEMPERATVM. *Non vt volumus aqua mixtum frangimus, sed multò magis irascimur famulo.* CAPITIS OFFICIO. *Ad lectuli caput appensum pro vitæ tutela.* QVAM INLVDIA ANIMARVM. *Spectra*

mortuorum tali gladio occisorum in somniis se habiturum crederet, qui ad ceruical lecti tale quid appenderet. SANGVINIS SVI CONCVBINVM. *Quasi anima iugulata eccitatione inquietudinem eos qui dormirent cum gladio sui sanguinis effusore.* CALIX BENE CONSCIVS, *honestus, nec manu, vel ore impuro tractatus, & à grato & diligenti extersore porrigente commendabilis; solet ad oras suas extremas coronari. & floribus aspergi.* BENE CRVENTVS. *Bona & iusta causa,* MELIOR HOMICIDA, *qui plures occiderit.* CONSECRATIONE PENSABIT, *pro laudis cumulo, pro penso & mercede, velut Iudith, quo Holofernem, & Dauid quo Goliath, pro sacro habebitur, & in Anathema suspendetur.* B EST FIGERE. *Vel mos, vel licentia, decernere sententiam laudis, & mercedis, vel odij, & maledictionis.* AB EXEMPLO VACET, *licet sit longè dispar ratio, & comparatio sumatur à dissimilibus. Vasa enim & instrumenta cætera aliunde accersiuntur & petuntur ad humanos vsus, caro verò simul cum anima nascitur. Aduerte hic errorem authoris, qui animam credidit ex traduce, simul à parentibus sumi cum corpore in eodem semine.* PRIOR TITVLO HOMINIS. *Limus enim, vt alibi dixi, priùs à Deo vocatus est homo, quàm animaretur.* SED MINISTERIVM. *Scilicet instrumentum animatum.* TENEBITVR IVDICIO. *Vt suscitatum corpus sistatur iudici ad pœnam vel gloriam.* DE SVO. *Solum, & ab anima separatum.* NON SVPPELLEX. *Totum hic sumit pro parte, & totam supellectilem domus pro* C *vno vase. Quanquam & caro propter diuersas partes, & sensus quibus obiecta rerum percipiuntur, integra dici possit supellex, sed tamen animata.* CERTVS. *Scilicet Apostolus.* EXPROBRATIO. *Si caro non esset aliquatenus particeps culpæ, Apostolus non ei exprobrasset, quòd esset caro peccati.* VACARENT. *Frustrà Paulus hortaretur carnem ad glorificandum Deum, nisi esset certa ei reposita in resurrectione merces.* OMNIS CENSVRA. *Ideo vsque in finem sæculi extremum iudicium differtur, vt carne suscitata, & anima reunita, plenum Christus exerceat in integrum hominem iudicium. Neque enim tamdiu suspenderentur pœna vel gloria carnis, si solis animabus impenderet iudicium, quæ iam nunc apud inferos, prægustiant, vel pœnam cum diuite, vel cum Lazaro refrigerium. Si enim nullum superesset carni post resurrectionem gaudium aut supplicium, iustum esset vt nunc pro meritis bonis, vel malis reciperet. Sæpius Augustinus inculcanit resurrectionis & iudicij fidem, velut, to. 4. lib. de Catechis. rudibus cap. 7.* Spes, inquit,

S. Aug. resurrectionis intimanda est, & pro capacitate ac viribus audientis, aduersùs vanas irrisiones infidelium, de corporis resurrectione tractandum, & futuri vltimi iudicij bonitate in bonos, seueritate in malos, veritate in omnes: commemoratisque cum detestatione & horrore pœnis impiorum, regnum iustorum atque fidelium, & superna illa ciuitas, eiusque gaudium cum desiderio prædicandum est. *Et eodem libro cap. 24. vbi de impletis iam propheticis & auditis, futurisque credendis, maximè resurrectione mortuorum & iudicio:* Omnia, inquit, hæc, sicut tantò

S. Aug. ante prædicta legimus, sic & facta cognoscimus: & quemadmodum primi Christiani, quia nondum ista prouenisse videbantur, miraculis mouebantur vt crederent: sic nos, quia omnia ista ita completa sunt, sicut in eis libris legimus, qui longè antequam hæc implerentur conscripti sunt, vbi omnia futura dicebantur, & præsentia iam videntur, ædificamur ad fidem, vt etiam illa quæ restant sustinentes, & perseuerantes in Domino, sine dubitatione ventura credamus. Siquidem adhuc tribulationes futuræ in iisdem Scripturis leguntur, & ipse vltimus iudicij dies, vbi omnes ciues ambarum ciuitatum, receptis corporibus surrecturi sunt, & rationem vitæ suæ ante tribunal Christi iudicis reddituri. Veniet enim

A in claritate potestatis, qui priùs in humilitate humanitatis venire dignatus est, & omnes pios ab impiis segregabit: non tantùm eis qui in eum credere omninò noluerunt, sed etiam eis qui frustrà & infructuosè crediderunt in eum: illis daturus regnum secum æternum, illis autem pœnam æternam cũ diabolo. *Capite autem 25.* Crede fortiter & inconcussè, S. Aug. quia omnia quæ videntur quasi pereundo humanis oculis subtrahi, salua & integra sunt omnipotentiæ Dei: qui ea cùm voluerit sine vlla mora & difficultate reparabit, ea duntaxat quæ iustitia eius reparanda esse iudicat: vt in his corporibus reddãt homines B factorum suorum rationem, in quibus ea fecerunt: & in his mereantur aut commutationem cœlestis incorruptionis pro meritis pietatis, aut corruptibilem corporis conditionem, *ob sensum doloris quo mors æterna dicitur,* pro meritis iniquitatis, non quæ morte soluatur, sed quæ materiam sempiternis doloribus præbeat. *Et in appendice sermonum nouorum ser. 2. ex* S. Aug. *codice Floriac.* Credimus, inquit, quòd Deus qui fecit homines cùm antè non fuissent, facilè possit eos reficere qui fuerunt. Qui cœlum, & terram, & maria, & quæ in eis sunt, atque omnia elementa fecit ex nihilo, quomodo nõ potest reparare homines, quos ideo fecit, vt in hac vita agerent, vnde in alia iudicarentur, & vel pro bona voluntate præmia, vel pro mala, supplicia mererentur? hæc est enim Christianorum Catholicorum fides, vt credamus nos cum hac in qua nunc sumus anima resurgere *& carne* habentes idoneum resurrectionis exẽplum Dominum nostrum Verbum Patris, qui cùm sit Deus, & Dei filius, Deus Verbum, & secundùm substantiam Diuinitatis Patri coæternus & consubstantialis: ideo naturæ nostræ suscepit hominem, iuxta quem de virgine nasci, & posteà pati, & mori voluit, & die tertiâ resurrexit, & ascendit in cœlos, vt nos ad spem resurrectionis accenderet: vt sic nos credamus ex mortuis suscitandos, quemadmodum Christum resurrexisse à mortuis confitemur. Vnde Beatus Apostolus infideliũ animos increpat dicens. Si autem Christus prædicatur quod resurrexit à mortuis, quomo-D do dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? hoc ergo tenete constanter & credite, quod diuinis vocibus adfirmatur, quia resurrectio sit futura, in qua Sanctis omnibus qui Christum diligũt, & eius faciunt voluntatem, immortalitas gloriosa donanda est, vt in conspectu Dei, cum Angelis & cœlestibus virtutibus in perpetuum glorientur. Infideles verò & peccatores, & qui Dei præcepta non faciunt, ad hoc resurgere, vt immortalis eorum facta caro, æternis incendiis deputetur, vt semper ardeat, & nunquam ardendo deficiat. *De animabus iustorum redituris in resurrectione ad corpora impassibilia, per quæ, & cum quibus beatitudinem meruerunt, to. 5.* S. Aug. *lib. 22. de Ciuit. cap. 27.* Singula quædam, inquit, dixerunt Plato atque Porphyrius, quæ si inter se communicare potuissent, facti essent fortasse Christiani,

E &c. quoniam secundùm Platonem etiam sanctæ animæ ad humana corpora redibunt: secundùm Porphyrium ad mala mundi huius sanctæ animæ non redibunt. Dicat itaque cum Platone Porphyrius, redibunt ad corpora. Dicat Plato cum Porphyrio, non redibũt ad mala: & ad ea corpora redire consentient, in quibus nulla mala patiantur. Hæc itaq; non erunt, nisi illa quæ promisit Deus beatas animas in æternum cũ sua æterna carne victuras. Hoc enim quantùm existimo, iam facilè nobis concederent ambo: vt qui faterentur ad immortalia corpora redituras animas esse Sanctorum, ad sua illas redire permitterent, in quibus mala huius sæculi pertulerunt, in quibus Deum, vt his malis carerent, piè fideliterque coluerunt. *Concludo cum Psalte.* Semel locutus est

Deus, duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua. *Quæ potestas? suscitandi mortuos & iudicandi. Potestas mittendi corporis & animæ in gehennam. Potestas suscitandi mortuos & discernendi oues ab hædis, vt reddat cuique iuxta opera sua. In quem locum Augustinus.* Potestatem eius timete, misericordiam eius amate: nec sic de misericordia eius præsumatis, vt potestatem contemnatis: nec sic potestatem

S. Aug.

A timeatis, vt de misericordia desperetis. Apud illum potestas, apud illum misericordia: hunc humiliat, & hunc exaltat: hunc humiliat potestate, illum exaltat misericordia. Sic enim Deus volens ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia sua vasa iræ, *carnes peccatrices, cooperatrices animæ*, quæ perfecta sunt in perditionem. Audisti potestatem, quære misericordiam; vt notas, inquit, faceret diuitias suas in vasa misericordiæ.

10. *Resurrectio probatur à conglobatis Dei in carnem beneficiis, maximè ob Incarnationem: & licet caro interdum à Scriptura humilietur, aliunde tamen exaltatur.*

De resur. cap. 9. & 10. per totum.

IGitur, vt retexam, quam Deus manibus suis ad imaginem Dei struxit, quam de suo adflatu ad similitudinem suæ viuacitatis animauit: quam incolatui, fructui, dominatui, totius suæ operationis præposuit: quam Sacramentis suis disciplinisque vestiuit; cuius mundicias amat, cuius castigationes probat, cuius passiones sibi adpreciat: hæccine non resurget, totiens Dei? Absit, absit, vt Deus manuum suarum operam, ingenij sui curam, adflatus sui vaginam, molitionis suæ Reginam, liberalitatis suæ hæredem, Religionis suæ Sacerdotem, testimonij sui militem, Christi sui sororem, in æternum destituat interitum. Bonum Deum nouimus: solum optimum à Christo eius addiscimus; qui dilectionem mandans, post suam, in proximum, faciet & ipse quod præcepit: diliget carnem, tot modis sibi proximam. Et, si infirmam, sed [a] *virtus in infirmitate perficitur*: &, si imbecillam, [b] *sed medicum non desiderant, nisi malè habentes*: & si inhonestam, sed [c] *inhonestioribus maiorem circundamus honorem*: &, si perditam, [d] *sed ego*, inquit, *veni, vt quod periit, saluum faciam*: &, si peccatricem, sed [e] *malo mihi*, inquit, *salutem peccatoris, quàm mortem*: &, si damnatam, *sed* [f] *ego*, inquit, *percutiam, & sanabo*: Quid ea exprobras carni, quæ Deum expectant? quæ in Deum sperant? quæ honorantur ab illo? quibus subuenit? Ausim dicere, si hæc carni non accidissent, benignitas, gratia, misericordia, omnis vis Dei benefica, vacuisset. Tenes scripturas, quibus caro infuscatur? tene etiam, quibus inlustratur. Legis cùm caro deprimitur? adige oculos, & cùm caro releuatur. [g] *Omnis caro fœnum.* Non hoc solum pronuntiauit Esaïas; sed &, *Omnis caro videbit salutare Dei.* Notatur in Genesi dicens Deus, [h] *non manebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt.* Sed & auditur per Ioëlem, [i] *effundam de spiritu meo in omnem carnem.* Apostolum quoque ne de vno stilo noris, quo carnem plerumque compungit. Nam, etsi [k] *negat habitare boni quicquam in carne sua*: Et si adfirmat eos [l] *qui in carne sint, Deo placere non posse, quia* [m] *concupiscat aduersus spiritum*: &, si qua alia ita ponit, vt carnis non tamen substantia, sed actus inhoneretur: dicemus quidem alibi, nihil propriè carni exprobrari oportere, nisi in animæ sugillationem, quæ carnem ministerio sibi subigit. Verùm interim & in illis litteris Paulus est; quum [n] *stigmata Christi in corpore suo portat*: quum nostrum, vt [o] *Dei, templum vitiari vetat*: quum *corpora nostra, membra Christi facit*: quum monet, [p] *Tollere & magnificare Deum in corpore nostro.* Itaque, si ignominiæ carnis, resurrectionem eius expellunt, cur non dignitates potiùs inducent? Quoniam Deo magis congruit in salutem redigere, quod reprobarit interdum, quàm in perditionem dedere, quod etiam aliquando probauit.

Gen. 1. 28. Gen. 2. 3. & 8. Luc. 18. 18. 19. Matth. 22. 39. a 2. Cor. 12. 9. b Luc. 5. 31. c 1 Cor. 12. 9. d Luc. 19. 10. e Ezech. 18. 23. f Deut. 32. 39. Cap. x. g Esa. 40. 7. Ibid. 5. h Gen. 6. 3. i Ioël 2. 28. k Rom. 7. 18. l Rom. 8. 8. m Gal. 5. 17. n Gal. 6. 17. o 1. Cor. 3. 16. 17. p 1. Cor. 6. 15. & 20.

RESVRRECTIO PROBATVR. 10. SCHOL.

VT RETEXAM. *Summatim repetam omnia carnis humanæ priuilegia.* AD IMAGINEM DEI. *Christi scilicet filij Dei, & Dei veri, Incarnati, cuius corporis ideam in mente versabat Deus dum primi hominis corpus secundùm exemplar eius delinearet.* SVÆ VIVACITATIS. Omnibus mobilibus mobilior est Sapientia. *Ad suam similitudinem, Adæ carni animam sapientem & rationabilem insufflauit.* SVÆ OPERATIONIS *fabricæ mundi.* VESTIVIT. *Ornauit, vel per ea, habitu gratiæ induit. Anima enim per carnem effectus Sacramentorum participat.* MVNDITIAS. *In virginitate, continentia coniugali, Monogamia seruatas.* CASTIGATIONES, *in ieiuniis, sacco, cinere, &c.* APPRETIAT, pretiosa enim in conspectu Domini mors Sanctorum eius. TOTIENS DEI. *Quæ tot rationibus ad Deum pertinet, eiusque seruitio consecrata*

B *est, qui viuorum Deus est.* VAGINAM, *thecam cui animam afflauit.* MOLITIONIS. *Totius mundi molis.* HÆREDEM. *Cui liberaliter totius mundi hæreditatem largitus est. Sic & Paulus de Christo dixit:* quem constituit hæredem vniuersorum. SACERDOTEM. *Per carnem enim sacrificia peraguntur.* TESTIMONII MILITEM. *In martyrio certantem.* CHRISTI SOROREM. *Hanc enim Christus in Canticis, ob spiritale castumque coniugium sororem vocat simul & sponsam. Quia & Christus frater noster dicitur, cui & natura humana dicit in Canticis:* Quis det te mihi fratrem meum sugentem vbera matris meæ, &c. IN ÆTERNVM, *Exclusam omni spe resurrectionis.* SOLVM OPTIMVM, nemo bonus, nisi solus Deus. QVÆ DEVM EXPECTANT.

scilicet adiutorem & medicum, cuius tantò maior virtus & sapientia apparet, quò pluribus caro infirmitatibus subiacet. VACVISSET. *vacasset, non habuisset Deus, quo sic apertè effectis, attributa sua probaret.* INFVSCATVR, *denigratur, vilipenditur.* INLVSTRATVR. *illustratur, laudatur.* ADIGE. *applica oculos; attentius intuere.* NOTATVR. *arguitur.* DE VNO STILO. *dum scribit aduersus vitia carnis.* ACTVS INHONORETVR. *hoc est, opera carnis, quæ manifesta alibi dicit.* PROPRIE CARNI, *quæ non ita rea est sicut anima ei cedens, & consentiens, vel eam impellens in malum.* PAVLVS EST. *idem ipse qui in carnem inuehitur, eandem rursus exaltat.* EXPELLVNT, *tanquam ab indigna.* REDIGERE. *restituere. Quoniam omnes hic citati loci alibi fusè sunt expositi, & totus Tertulliani textus mera est alibi sparsim respersorum* A *collectio, nihil hic superuacuum referam; & Lectorem plenius ab Augustino Tertullianum illustrante informandum remitto ad verbum*, Carnis dignitas, *per totum. siue ex opifice. siue in ordine ad Animam, & maximè ad gloriam, quibus locis fusissimè inuenies quæcumque hic summatim perstricta sunt. Vnicum breuiter subiiciam; ex epistola eius ad Maximinum à Beda citatum in 1. Cor. 6.* Glorificate & portate Deum in corpore vestro: quemnam Deum, nisi Spiritum sanctum, cuius corpora nostra dixerat templum? Debetur ergo gloria Spiritui sancto. Nam si templum Dei ei facere, sicut Salomon ei fecit de lignis, & lapidibus iuberemur; vtique faciendo templum, ei latriam exhiberemus: quantò magis latriam debemus, cui templum non facimus, sed sumus. S. Aug.

11. *Resurrectio carnis constat ex merito vera carnis Christi mortuæ, vt mors ab Adam. 5. cont. Marc. cap 9. à princ.*

QVia [a] *per hominem mors, & per hominem resurrectio.* Hîc mihi & Christi corpus ostenditur in nomine hominis, quî constat ex corpore, vt sæpè iam docuimus. Quòd si sic [b] *in Christo viuificamur omnes, sicut mortificamur in Adam*: quando in Adam corpore mortificamur, sic necesse est & in Christo corpore viuificemur. Ceterùm, similitudo non constat, si non in eadem substantia mortificationis in Adam, viuificatio concurrat in Christo. a 1. Cor. 15. 21. b Ibid. 22

12. *Resurrectio toti homini debetur, qui totus in Adam periit, ne praualeat Christo diabolus. De resurr. cap. 33. in f. & 34. per totum.*

ET nunc eò pergimus, vti corporalitatem propriè carnalem demonstremus à Domino significari in omni resurrectionis mentione, saluâ animali, quam & ipsam pauci receperunt. Imprimis, cùm [a] *ad hoc venisse se dicit, vti quod perijt, saluum faciat*, quid dicas perisse? hominem sine dubio. Totumne; an ex parte? Vtique totum. Siquidem transgressio, quæ perditionis humanæ causa est, tam animæ instinctu ex concupiscentia, quàm & carnis actu ex degustatione commissa, totum hominem elogio transgressionis inscripsit, atque exinde merito perditionis impleuit. Totus itaque saluus fiet, qui perit totus delinquendo. nisi si & ouis illa sine corpore amittitur, & sine corpore reuocatur. Nam si caro quoque eius cum anima (quod pecus totum est) humeris boni pastoris aduehitur, ex vtraque vtique substantia restituendi hominis exemplum est. aut quàm indignum Deo, dimidium hominem redigere in salutem? penè minùs facere. cùm etiam sæcularium principum plena semper indulgentia vindicetur. Diabolus validior in hominis iniuriam intelligitur, totum eum elidens: Deus infirmior renuntiabitur, non totum eum releuans? Atquin & Apostolus suggerit, [b] *Vbi delictum abundauerit, illic gratiam superabundasse.* Quomodo denique saluus habebitur; qui poterit & perditus dici? carne scilicet perditus; animâ verò saluus. nisi quòd iam & anima in perdito constituatur necesse est, vt salua effici possit, id enim saluum effici oportebit, quod perditum fuerit. Porrò autem recipimus animæ immortalitatem, vt perdita non in interitum credatur, sed supplicium, id est, in gehennam. Et, si ita est, iam non animam spectabit salus: saluam scilicet suâ naturâ per immortalitatem; sed carnem potiùs, quam interibilem constat apud omnes. Aut si & anima interibilis, id est, non immortalis; quod & caro; iam & carni forma illa ex æquo proficere debebit, proinde mortali & interibili; quia id quod perit, saluum facturus est Dominus. Nolo nunc contentioso fune deducere, hac an illac hominem perditio depostulet, dum vtrimque eum salus destinet, in ambas substantias peræquata. Ecce enim ex quacumque substantia hominem perisse præsumpseris, ex altera non perit. Salus ergo erit iam ex qua non perit, & salus nihilominùs fiet ex qua perit. Habes totius hominis restitutionem; dum & quodcumque eius perit, saluum facturus est Dominus; & quodcumque non perit, vtique non erit perditurus. Quis vltrà de vtriusque substantiæ securitate dubitabit, quum altera salutem consecutura sit altera amissura eam non sit? Et tamen adhuc sensum rei exprimit Dominus, [c] *Ego*, dicens, *veni; non vt meam, sed vt Patris qui misit me, faciam voluntatem.* Quam, oro te? *Vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo quicquam, sed resuscitem illud in nouissima die.* Quid à Patre Christus acceperat, nisi quod & induerat? hominem sine dubio, carnis animæque texturam. Neutrum ergo eorum quæ accepit, perire patietur: immò nec quicquam vtriusque; immò nec modicum. quòd si modicum caro, ergo nec carnem; quia nec modicum: nec quicquam, quia nec quicquam. Atquin, si non & carnem resuscitabit nouissimâ die, iam non modicum patietur perire de homine; sed, pro tanta dixerim parte, propè totũ ingerens ampliùs. [d] *Hæc est Patris voluntas, vt omnis* a Luc. 19. 10. CAP. XXXIV. Luc. 15. 4. b Rom. 5. 20. c Io. 6. 38. d Ibid. 40.

qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & suscitem illum nouissimâ die. plenitudinem exstruit resurrectionis. distribuit enim vtrique substantiæ per officia propriam mercedem salutis; & carni per quam filius aspiciebatur, & animæ per quam credebatur. Ergo, dices, illis erit promissa res, à quibus Christus videbatur. Sit planè ita, vt & ad nos eadem spes inde manauerit. Nam si videntibus, & idcircò credentibus, fructuosa tunc fuerunt opera carnis atque animæ, multò magis nobis. [c] *Feliciores enim*, inquit, *qui*
c Io. 20. 29. *non viderunt, & credunt:* quando etsi illis negaretur carnis resurrectio, certè felicioribus competisset. Quomodo enim felices, si ex parte perituri?

13. *Resurrectio debetur carni ob meritum mortuæ carnis Christi, & Verbum eius viuificans. De resurr. cap. 37. in med. ad finem.*

CONuersus ad recogitatus illorum; quia senserat dispergendos, [a] *Caro, ait, nihil pro-*
a Io. 6. 64. *dest.* Quid hoc ad destruendam carnis resurrectionem? Quasi non liceat esse aliquid, quod etsi nihil prosit, aliud tamen ei prodesse possit. Spiritus prodest, viuificat enim. Caro nihil prodest, mortificatur enim. Itaque, secundum nos magis collocauit vtriusque propositionem. Ostendens enim quid prosit, & quid non prosit; pariter illuminauit quid cui prosit: spiritum scilicet carni mortificatæ viuificatorem. [b] *Veniet enim hora*, inquit, *quum*
b Io. 5. 25. *mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent.* Quid mortuum, nisi caro? Et quid vox Dei, nisi Sermo? Et quid Sermo, nisi spiritus? meritò carnem resuscitaturus, quod factus est ipse; & ex morte, quam passus est ipse; & ex sepulcro, quo illatus est ipse. Denique quum dicit, [c] *Ne miremini, quòd veniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, au-*
c Io. 5. 25. 28. 29. *dient vocem filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt, in vitam resurrectionem, qui mala, in resurrectionem iudicij:* nemo iam poterit aliud mortuos interpretari, qui sint in monumentis, nisi corpora & carnem: quia nec ipsa monumenta aliud, quam cadauerum stabula. siquidem & ipsi homines veteres: id est, peccatores: id est, mortui per ignorantiam Dei, quos monumenta intelligendos argumentantur hæretici: de monumentis processuri in iudicium, apertè prædicantur. ceterùm, quomodo de monumentis monumenta procedent?

RESVRRECTIO CARNIS. 11. 12. 13. SCHOL.

PER HOMINEM MORS 1. *Cor.* 15. 21. Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. HIC CHRISTI CORPVS. *Quidquid dicat Marcion, hîc per nomen hominis, corpus Christi, quod verum fuisse negat, Paulus intellexit, in quo & verè mortuus, vt filius Adæ in quo omnes moriuntur: sed quia sine peccato mortuus est, & propriâ virtute surrexit, in eo & ipse Adam, & omnes eius posteri viuificantur.* IN EADEM SVBSTANTIA. *veræ carnis.*

XII. VTI, *vt.* CORPORALITATEM. *Veram carnem propriè surrecturam in omnibus, absque præiudicio resurrectionis spiritalis animæ quam valdè pauci à Christo sunt consecuti.* IMPRIMIS. *In primis: primò quidem cùm dixit Christus Luc.* 19. 10. Venit filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat: *cùm totus homo, non tantùm anima, sed etiam carne mortuus sit, vtrumque venit suscitare.* ELOGIO. *Nota & titulo criminis.* OVIS ILLA, *quæ aberrauit ab ouili Pastoris.* VBI DELICTVM. *Rom.* 5. 17. Si vnius delicto mors regnauit per vnum: multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum, &c. vbi autem abundauit delictum, superabundauit gratia. Vt sicut regnauit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam, per Iesum Christum Dominum nostrum. RECIPIMVS IMMORTALITATEM. *Non quasi quid superueniens, sed innatum.* SALVAM. *incorruptibilem.* INTERIBILEM. *mortalem.* FORMA ILLA. *modus loquendi.* CONTENTIOSO FVNE. *sicut hinc inde a pueris aut viris trahentibus ad probationem & ostentationem virium.* HAC AN ILLAC. *an perditio sibi hominem vindicet ex parte animæ vel corporis.* DVM, *dummodo eum mansurum ex vtraque salus.* OMNE QVOD DEDIT MIHI. *scilicet naturam humanam ex anima & carne contextam, quam inter ho-*

A *mines integram assumendo, & animas saluas iustificando, & corpora suscitando.* PRO TANTA PARTE. *quæ longè visibilior est anima, & in omnibus cooperatur animæ, extra quam denique anima nullius Sacramenti, nullius meriti capax est.* PROMISSA RES. *de qua agebatur, nempe resurrectio.* FELICIORES. *Luc.* 11. 28. Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, &c. *Et expressius Ioan.* 20. 29. Beati qui non viderunt, & crediderunt. ETSI ILLIS, *qui viderunt.* SI EX PARTE, *carnis scilicet.*

XIII. CONVERSVS AD RECOGITATVS. *Io.* 6. 62. Sciens autem Iesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis, hoc vos scandalizat? si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius. *Syr. à principio*, Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam: verba quæ locutus sum vobis spiritus & vita sunt, &c. Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant. QVID HOC. *quid hunc locum obiiciunt nobis resurrectionis aduersarij?* ILLVMINAVIT.
B *clarè docuit.* SERMO, *verbum Dei.* NISI SPIRITVS, *Deus. Io.* 4. Deus spiritus est, *Et Io.* 1. Deus erat Verbum. FACTVS IPSE, *Io.* 1. Verbum caro factum est. STABVLA, *hospitia vsque ad iudicium.* DE MONVMENTIS MONVMENTA. *Sultè Valentiniani & Marcionitæ negantes, vel in alia carne resurrectionem asserentes, per monumenta intelligunt spiritaliter mortuos. Quis enim dicat monumenta, de monumentis procedere: quanquam Christus Pharisæos figuratè dixerit;* Sepulcra dealbata, *& Paulus Pontifici, quem ignorabat;* Percutiet te Deus, paries dealbate, *Ioannis locos hîc citatos, habes explicatos alibi; vnum hîc attingam iuxta Paulum, & Tertulliani scopum, nempe præualuisse Christum Adamo, vtrumque hominem, animam & carnem trahente in mortem, vt vtrumque in vitam & resurrectionem repararet. Ita ergo scribit to. 4. lib. exposit. quarumdam proposit. in epist. ad Rom. proposit.* 29 Quod, inquit, ait sed non sicut delictum, ita est & donatio: duobus modis donatio præcellit;

vel quòd multò magis abundet gratia, quâ vtique in æternum viuitur, *etiam carne ad immortalitatem suscitandâ.* temporaliter autem per mortem Adæ mors regnauit, Vel quod vnius delicti condemnatione, mors multorum facta est per Adam: Per Dominum autem nostrum Iesum Christum, multorum delictorum donatione data gratia, in vitam æternam. Aliam verò differentiam sic explicans dicit: & non sicut per vnum peccantem, ita est & donum. Nam iudicium quidem ab vno, in condemnationem; gratia autem ex multis delictis, ad iustificationem. Ex vno ergo, quod dictum est, subauditur delictum: quia sequitur; gratia autem ex multis delictis. Ergo hæc differentia est, quòd in Adam vnum delictum damnatum est; à Domino autem multa donata sunt. Quod ergo sequitur, ambas istas differentias tenet; vt explicetur sic: si enim ob vnius delictum mors regnauit per vnum: multò magis qui abundantiam gratiæ & iustitiæ accipiunt, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum. Quod autem dixit; multò magis regnabunt; ad vitam æternam pertinet. Quod autem dixit; abundantiam gratiæ accipient; *quod idem est ac si diceret quod ex ipso retulit Tertullianus, vbi abundauit delictum superabundauit gratia.* Ad donationem multorum pertinet delictorum. *Et ep. 89. ad Hilarium vbi de morte & peccato regnante ab Adam vsque ad Moysem, post quem & rei facti sunt homines legis violatæ.* Lex, inquit, non erat quâ arguente peccatum demonstraretur, siue lex rationis in paruulo, siue lex literæ in populo Sed regnauit, inquit, mors ab Adam. *Scilicet peccati originalis tantùm* vsque ad Moysen. *Etiam inclusiuè, & deinceps in omnes, vnà cum actualibus contra legem commissis.* Quia nec lex data per Moysen potuit regnum mortis auferre, *tam animæ quam corporis.* Quod sola Christi abstulit gratia, &c. *Et rursum ibidem*, regnum mortis, in eis tantùm non est, qui Christi gratiâ renati, ad eius regnum pertinent. Quoniam mors temporalis, quamquam & ipsa de originali delicto propagata sit, corpus in eis interimat, animam verò ad pœnam non trahit; vbi voluit regnum mortis intelligi: vt anima renata per gratiam, iam non moriatur in gehennam, id est à vita Dei non alienetur, non separetur. Temporalis autem mors corporis, etiam in iis qui Christi morte redimuntur, relinquitur interim ad exercitationem fidei, & agonem pręsentis luctationis, in quo & martyres certauerunt: absumetur verò & ipsa in renouatione corporis, quam resurrectio pollicetur: ibi enim penitus absorbebitur mors in victoriam, cui modò gratia Christi adimit regnum, ne suorum animas ad pœnas tartari trahat. Quamuis ergo Adã futuri forma sit à contrario, *vt scilicet sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes viuificabuntur.* Tamen plus præstat Christus regeneratis, quàm eis nocuerat ille generatis: & non sicut per vnum peccatum ita est & donum, &c. vt intelligatur non in magis multos, cùm iniqui magis multi sint qui damnabuntur, sed magis abundabit: quòd in iis qui per Christum redimuntur, temporaliter valet forma mortis ex Adam; in æternum autem valebit vitæ forma per Christum. *De vtraque per Christum animæ & carnis resurrectione, lib. 20. de Ciuit. cap. 6. ex Ioannis 5.* Venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent: sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & filio habere vitam in semetipso. Nondum de secunda resurrectione, id est corporum, loquitur, quæ in fine futura est, sed de prima quæ nunc est. Hanc quippe vt distingueret, ait: venit hora & nunc est. Non autem ista corporum, sed animarum est. Habent enim & animæ mortem suam in impietate atque peccatis. Secundùm quam mortem mortui sũt, de quibus idem Dominus ait: sinite mortuos sepelire mortuos suos: vt scilicet in anima mortui, in corpore mortuos sepelirent, &c. omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, siue in originalibus, siue etiam voluntate additis: vel ignorando, vel sciendo, nec faciendo quod iustum est: & pro omnibus mortuis viuus mortuus est vnus, id est nullum habens omnino peccatum: vt qui per remissionem peccatorum viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro omnibus mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram; vt credentes in eum qui iustificat impium, ex impietate iustificati, tanquam ex morte viuificati, ad primam resurrectionem quæ nunc est, pertinere possimus. *Perseuerando vsque in finem.* Ad hanc enim primam non pertinẽt, nisi qui beati erunt in æternum: ad secundam verò, de qua mox locuturus est, & beatos pertinere docebit, & miseros. Ista est misericordiæ, illa iudicij, &c. Nolite, inquit, mirari hoc, quia veniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei: & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij, id est damnationis. Resurgat ergo in prima, qui non vult in secunda resurrectione damnari, &c. sicut ergo duæ sunt regenerationes, vna secundùm fidem, quæ nunc fit per baptismum: alia secundùm carnem, quæ fiet in eius incorruptione, atque immortalitate per iudicium magnum atque nouissimum: ita sunt & resurrectiones duæ; vna prima, quæ & nunc est, & animarum est, quæ venire non permittit in mortem secundam: alia secunda, quæ nunc non est, sed in sæculi fine futura est, nec animarum, sed corporum est; quæ per vltimum iudicium alios mittit in secundam mortem; alios in eam vitam quæ non habet mortem. *Et ser. 64. qui est vltimus de verbis Dom.* Veniet hora in qua hi qui sunt in monumentis, &c. quomodo, inquit, expressit carne mortuos? qui sunt in monumentis, quorum iacent sepulta cadauera, quorum fauillæ sunt tectæ, quorum ossa dispersa sunt, quorum caro iam non est, & tamen Deo integra est. Veniet hora, &c. boni sint, mali sint, audient vocem, & exient. Rumpentur omnia vincula inferorum: omne quod periit, imò perisse putatur, restituetur. Si enim Deus fecit hominem qui non erat, non reparare potest quod erat? puto quia cùm dicitur, Deus mortuos suscitaturus est, non res incredibilis dicitur: quia de Deo, non homine dicitur. *Et ser. 162. de temp.* Vera, inquit, est de resurrectione corporum promissa veritas: quia veritas quæ mentiri non nouit, totum necesse est vt impleat quod promisit, &c. Nosse debemus duas esse mortes, & duas esse resurrectiones. Dicitur enim mors prima, dicitur & secunda. Porrò primæ mortis duæ sunt partes: vna quâ peccatrix anima per culpam discessit à Creatore suo: altera quæ iudicante Deo, exclusa est per pœnam de corpore suo. Mors autem secunda, ipsa est corporis & animæ punitio sempiterna. Per mortem verò secundam anima solius mali hominis in æternum cum corpore suo cruciatur. Vtraque ergo mors omnem hominem tenebat obstrictum, quia naturæ transgressio vnumquemq; peccatis propagat obnoxium. Venit autem Dei filius immortalis & iustus, vt moreretur pro nobis; in qua carne, *quæ sola quidem prodest sine spiritu viuificante, quo de Mariâ Virgine concepta est*, quia nullum potuit habere peccatum, sine reatu pertulit peccati supplicium. Secundam itaque primæ mortis partem, id est solius corporis mortem, Dei filius pro nobis accepit, per quam à nobis & dominationem peccati, & pœnam

æternæ punitionis exclusit: hoc ergo Christus in A suis fidelibus misericorditer operatur, vt hic eos primò in anima resuscitet, donans eis fidem, vt rectè credant, tribuens charitatem, vt bonis operibus libenter insistant. In nouissimo verò die, ad hoc eis corpora resuscitare dignabitur, vt eis æternam beatitudinem largiatur. Resuscitati ergo in anima per fidem, dilectissimi fratres, cum iustitia viuamus, vt etiam corpore ad æternam lætitiam resurgamus.

14. *Resurrectio nostra fundatur in exemplo Resurrectionis Christi. De Resur. cap. 48. à p.*

a 1. Cor. 15. 16. ibid. 14. 17. & 18. SI [a] *mortui non resurgunt, nec Christus resurrexit. Si Christus non Resurrexit, vana est fides vestra; quia adhuc in delictis vestris estis, & qui in Christo dormierunt, perierunt.* Per hæc, cui nos rei credendæ videtur exstruere? Resurrectioni, inquis, mortuorum, quæ negabatur. Certè sub exemplo Dominicæ resurrectionis volens eam credi. Certè, inquis. Exemplum porro ex diuersitate, an ex parilitate componitur? Vtique, inquis, ex parilitate. Quomodo autem Christus resurrexit? in carne, an non? sine dubio, si mortuum, si sepultum audis secundùm scripturas, non aliàs quàm in carne; æquè resuscitatum in carne concedis. Ipsum enim quod cecidit in morte, quod jacuit in sepultura, hoc & resurrexit; non tam Christus in carne, quàm caro in Christo. Igitur, si ad exemplum Christi resurgemus, qui resurrexit in carne jam non ad exemplum Christi resurgemus, si non in carne & ipsi resur-
b ibid. 21. gemus: quia [b] *per hominem*, inquit, *mors, & per hominem resurrectio*: vt separaret quidem auctores; mortis, Adam; Christum, resurrectionis; ejusdem autem constitueret substantiæ resurrectionem, cujus & mortem, per ipsorum auctorum in nomine hominis compa-
c ibid. 22. rationem. [c] *Si enim sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*; carne viuificabuntur in Christo, sicut in Adam carne moriuntur.

15. *Et de Resur. cap. 51. in. p.*

SEd pro omnibus jam stabit, quod in clausulam reseruauimus, etiam pro Apostolo ipso, reuera maximæ inconsiderantiæ reuincendo, si tam abruptè, vt quidam volunt, clausis (quod aiunt) oculis, sine distinctione, sine conditione, omnem passim carnem & san-
a Marc. 16.19. guinem à regno Dei extrusit; vtique & ab ipsa regia cœlorum: quum illic adhuc [a] *sedeat Iesus ad dexteram Patris*; homo, etsi Deus; Adam nouissimus, etsi Sermo primarius; caro & sanguis, etsi nostris puriora, idem tamen & substantia & forma qua ascendit, talis etiam
Act. 1. 11. descensurus, vt angeli adfirmant; agnoscendus scilicet eis qui illum conuulnerauerunt.
Io. 19. 37. Hic sequester Dei atque hominum appellatus, ex vtriusque partis deposito commisso sibi,
1. Tim. 2. 5. carnis quoque depositum seruat in semetipso, arrabonem summæ totius. Quemadmodum enim nobis arrabonem spiritus reliquit, ita & à nobis arrabonem carnis accepit; & vexit
2. Cor. 5. 5. in cœlum pignus totius summæ illuc quandoque redigendæ. Securæ estote, caro & sanguis; vsurpastis & cœlum & regnum Dei in Christo. Aut si negent vos in Christo, negent & in cœlo Christum, qui vobis cœlum negauerunt.

RE VRRECTIO NOSTRA. 14. & 15. SCHOL.

SI MORTVI. 1. *Cor.* 15. 16. Si mortui non resurgunt, B neque Christus resurrexit: Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris Ergo & qui dormierunt in Christo perierunt. *Hæc ab initio iam dicta & exposita consule.* EXTRVERE, *instruere, informare.* EIVSDEM SVBSTANTIÆ. *Carnis, quæ ideo propriè resurgit, quia propriè moritur.* NOMINE HOMINIS. *Quia supra dixit*, per hominem mors & per hominem resurrectio. *Vide dicta præcedenti Scholio.*

15. PRO OMNIBVS STABIT. *Iudæis & Gentibus, de quibus egerat capite præcedenti.* PRO APOSTOLO. *quem tuetur à calumnia inconsiderationis si omnem omnino substantiam carnis, & non solam eius corruptionem à regno Dei exclusisset; cùm in eadem carnis substantia idem homo Christus, in eadem carne sedeat in regno ad dexteram Patris.* SERMO PRIMARIVS. *Primum & principale verbum, per quod omnia facta sunt, & ipse primus Adam.* VT ANGELI ADFIRMANT, hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum sic veniet. &c. CONVVLNERAVERVNT. Videbunt in quem confixerunt. SEQVESTER. Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. DEPOSITO COMMISSO. *Pater enim gloriam suam in manu eius, & homo salutem in sinu eius deposuit.* DEPOSITVM SERVAT. *Inde Paulus*: Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem. SERVAT ARRABONEM. *Arram, in seipso, in carne sua primo suscitata & transuecta in cælum; donec summam omnium corporum electorum secum rapiat ad gloriam. Vnde Augustinus* cœlestibus regnis arram nostræ conditionis imposuit. S. Aug. ARRABONEM SPIRITVS. 2. *Cor.* 5. 4. nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est à vita qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, *Syr. qui parauit nos ad hoc ipsum, Deus est*, qui dedit nobis pignus Spiritus Syr. arrabonem Spiritus sui. SI NEGENT, *hæretici. De merito & exemplo mortis & resurrectionis Christi cum Augustino* S. Aug. *dicamus, Ser.* 162. *de temp.* resurrexit inquit Christus, vt resurrecturum se non dubitet Christianus. Quod enim præcessit in capite, sequetur in corpore, *Et to.* 9. *tract.* 10 *in Io.* 2. Diximus, inquit, Adam vnum ho- S. Aug. C minem fuisse, & ipsum esse totum genus humanum. Quasi fractus est, & sparsus colligitur: & quasi conflatus in vnam societatem atque concordiam spiritalem, & gemit vnus pauper modo ipse Adam, sed in Christo innouatur: quia sine peccato venit Adam, vt peccatum Adam solueret in carne sua, & vt redintegraret sibi Adam imaginem Dei. Adam ergo caro Christi de Adam: ergo de Adam templum quod destruxerunt Iudæi & suscitauit Dominus triduò:

resuscitauit enim carnem suam; &c. quid ergo sibi vult numerus quadragenarius, senarius? *quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc.* Interim ipse Adam, quia per totum orbem terrarum est, *in quatuor literis Græcis quatuor orbis partes exprimentibus quæ vt alibi vidimus 46. faciunt numerum*, habet enim Adam, alpha, quod est vnum. Habet delta, quod sunt quatuor, habes quinque. Habet iterum alpha, quod est vnum, habes sex. Habet & mi, quod est quadraginta, habes quadraginta sex, &c. Et quia Dominus noster Iesus Christus de Adam corpus accepit, non de Adam peccatum traxit, templum corporeum inde traxit, non iniquitatem quæ de templo pellenda est. *Sicut caro & sanguis corruptibiles à regno*, ipsam autem carnem quam traxit de Adam, Maria enim de Adam, & Domini caro de Maria, Iudæi crucifixerunt, & ille resuscitaturus erat carnem triduò, quam illi in cruce erant occisuri: illi soluerunt templum quadraginta sex annis ædificatum, & ille triduò resuscitauit illud, &c. modò gaudium nostrum fratres mei in spe sit, nemo gaudeat quasi in re præsenti, ne hæreat in via. Totum gaudium de spe futura sit. *Vnde dicebat suprà; dicit Dominus, à quatuor ventis collecturum electos suos cùm venerit ad iudicium.* S. Aug. Totum desiderium vitæ æternæ sit. Omnia suspiria in Christo anhelent, ille vnus pulcherrimus, qui & fœdos dilexit, vt pulchros faceret, desideretur. *Et tract. 12. de cap. 3. Ioan. vbi de serpente exaltato, & Christi morte, mortuos suscitante.* Quis est serpens exaltatus? mors Domini in S. Aug. cruce. Quia enim à serpente mors, per serpentis effigiem figurata est mors. Morsus serpentum lethalis, mors Domini vitalis. Attenditur serpens vt nihil valeat serpens. Quid est hoc? attenditur mors, vt nihil valeat mors. Sed cuius mors? mors vitæ: si dici potest mors vitæ, imò quia dici potest, mirabiliter dicitur. Sed numquid non erit dicendum quod fuit faciendum? ego dubitem dicere, quod Dominus pro me dignatus est facere? nonne vita Christus? & tamen in cruce Christus. Nonne vita Christus? & tamen mortuus est Christus: sed in morte Christi, mors mortua est, quia vita mortua occidit mortem; plenitudo vitæ deglutiuit mortem: absorpta est mors in Christi corpore. Sic & nos dicemus in resurrectione, quando iam triumphantes cantabimus: vbi est mors contentio tua? &c. hoc interest inter figuratam imaginem, & rem ipsam: figura præstabat vitam temporalem: res ipsa cuius illa figura erat, præstat vitam æternam. S. Aug. *Et alibi rursum, vbi de Verbo vitæ & carne spiritu eius viuificatâ:* S. Aug. inter Verbum suscipiens, & carnem susceptam, media mors consumpta est. *Et in Psal. 61. in f.* Occisa est, inquit, caro mortalis interficiens mortem morte, præbens patientiæ documentum, præmittens resurrectionis exemplum. *Et to. 7. lib. 1.* S. Aug. *de peccatorum meritis cap. 4. ex Rom. 8.* Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum; spiritus autem vita est, propter iustitiam. Si ergo spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis; qui suscitauit Christum Iesum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra per

A inhabitantem spiritum eius in vobis. Puto quod non expositorem, sed tantùm lectorem opus habet tam clara & aperta sententia, &c. quia illa in resurrectione futura mutatio, non solùm nullam mortem quæ facta est propter peccatum, sed nec mortalitatem habitura est, quam corpus animale habuit ante peccatum, non ait: qui suscitauit Christum Iesum à mortuis, viuificabit & mortua corpora vestra, cùm supra dixisset, corpus mortuum: sed viuificabit, inquit, & mortalia corpora vestra: vt scilicet iam non solùm non sint mortua, sed nec mortalia, cùm animale resurget in spiritale, & mortale hoc induet immortalitatem, & absorbebitur mortale à vita. *Et cap. 7.* Ne humana, inquit, ignorantia de resurrectione corporis nihil speraret, etiam ipsum quod S. Aug. B propter meritum peccati, in præsenti sæculo, dixerat mortuum, in futuro propter meritum iustitiæ dicit viuificandum; nec sic vt tantùm ex mortuo viuum fiat, verùm etiam ex mortali immortale, &c. Ne ideo putarent homines, vel nullum, vel paruum se habere beneficium de gratia Christi, quia necessariò morituri sunt corpore. Attendere quippe debent, corpus quidem adhuc peccati meritum gerere, quod conditioni mortis obstrictum est; sed iam spiritu cœpisse viuere propter iustitiam fidei, qui & ipse in homine quadam fuerat morte infidelitatis extinctus. Non igitur, inquit, vobis parum muneris putetis esse collatum, per id quod Christus in vobis est; quod in corpore propter peccatum mor-C tuo, iam propter iustitiam, vester spiritus viuit: nec ideo de vita quoque ipsius corporis desperetis: Si enim spiritus eius qui suscitauit Christum à mortuis, habitat in vobis; qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, per inhabitantem spiritum eius. Quid adhuc tantæ luci fumus contentionis offunditur? &c. dicit etiam quemadmodum fiat, vt vitam in se mortem mortificando conuertat. Ergo fratres, inquit, debitores sumus non carni, vt secundùm carnem viuamus: si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quid est aliud, quàm hoc: si secundùm mortem vixeritis, totum morietur: si autem secundùm vitam viuendo, mortem mortificaueritis, totum viuet. *De loco autem Pauli 1. Cor. 15. 21.* Per hominem mors & D per hominem resurrectio mortuorum: *sic habet ibidem. cap. 8.* Quid aliud, inquit, quam de morte cor- S. Aug. poris intelligi potest, quando vt hoc diceret, de resurrectione corporis loquebatur, eamque instantissimâ & acerrimâ intentione suadebat? &c. hanc illi mortem non corporis, sed animæ intelligi volunt, quasi aliud dictum sit ad Corinthios *quàm quod Rom. 5. per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* Per hominem mors: vbi omnino animæ mortem accipere non sinuntur, quia de resurrectione corporis agebatur, quæ morti est contraria. Ideo etiam sola mors ibi per hominem facta commemorata est, non etiam peccatum; quia non agebatur de iustitia, quæ contrariatur peccato, sed de corporis resurrectione, quæ contraria est corporis morti.

RESVRRECTIONIS GLORIA, ET CORPORVM BEATORVM DOTES.

1. *Resurget caro, absque infirmitatibus prioribus. De resur. cap. 57. in p. ad m.*

Hinc iam illa vulgaris incredulitatis argutia est: Si, inquiunt, ipsa eademque substantia reuocatur cum sua forma, linea, qualitate; ergo & cum insignibus suis reliquis: Itaque & cæci, & claudi, & paralytici, & vt quis insignis excesserit, ita & reuertetur. Quid nunc? etsi ita dedigneris tantam gratiam qualiscunque à Deo consequi. Non enim & nunc animæ solius admittens salutem, dimidiatis hominibus can-

dem adſcribis? Quid eſt, credere reſurrectionem, niſi integram credere? Si enim caro de diſſolutione reparabitur, multò magis de vexatione reuocabitur. Minoribus maiora præſcribunt. Cuiuſcunque membri detruncatio, vel obtuſio, nonne mors membri eſt? ſi vniuerſalis mors reſurrectione reſcinditur, quid portionalis? Si demutamur in gloriam, quantò magis in incolumitatem? Vitiatio corporum, accidens res eſt, integritas propria eſt. in hac naſcimur. etiamſi in vtero vexemur, iam hominis eſt paſſio. Prius eſt genus, quàm caſus. Quomodo vita confertur à Deo, ita & refertur. Quales eam accipimus, tales & recipimus. Naturæ, non iniuriæ reddimur. quod naſcimur, non quod lædimur, reuiuiſcimus. Si non integros Deus ſuſcitat, non ſuſcitat mortuos. Quis enim mortuus integer, etſi integer moritur? Quis incolumis, qui exanimis? quod corpus inlæſum, quum interemptum? quum frigidum? quum expallidum? quum edurum? quum cadauer? Quando magis homo debilis, niſi quum totus? quando magis paralyticus, niſi quum immobilis? Ita, nihil aliud eſt mortuum reſuſcitari, quàm integrum fieri; ne ex ea parte mortuus adhuc ſit, ex qua non reſurrexerit. Idoneus Deus reficere quod fecit. Hanc ſuam & poteſtatem & liberalitatem ſatis iam in Chriſto ſpopondit, immò & oſtendit non tantùm reſuſcitatorem carnis, verùm etiam redintegratorem. Atque adeò &
a 1. Cor. 15. 52. Apoſtolus: [a] *Et mortui*, inquit, *reſurgent incorrupti.* Quomodo? niſi integri, qui retrò corrupti, tam vitio valetudinis, quàm & ſenio ſepulturæ? Nam & ſuprà, vtrumque propo-
b Ibid. 53. nens, [b] *oportere & corruptiuum iſtud induere incorruptelam, & mortale iſtud immortalitatem*, non iterauit ſententiam, ſed differentiam demandauit. Immortalitatem enim ad reſciſionem mortis; incorruptelam, ad obliterationem corruptelæ diuidendo; alteram ad reſurrectionem, alteram ad redintegrationem temperauit.

2. *Reſurrectio totum hominem integrum reddet. De reſur. cap. 47. in f.*

a 1. Theſſ. 5. 23. AGe iam, quod ad Theſſalonicenſes ipſius Solis radio putem ſcriptum; ita claret; qualiter accipient lucifugæ iſti ſcripturarum: [a] *Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos totos.* Non ſufficit, ſed ſequitur: *Et integrum corpus veſtrum, & anima, & ſpiritus ſine querela conſeruentur in præſentia Domini.* Habes omnem ſubſtantiam hominis ſaluti deſtinatam, nec alio tempore quàm in aduentu Domini, qui clauis eſt reſurrectionis.

RESVRRECTIONIS GLORIA. 1. 2. SCHOL.

EADEM SVBSTANTIA REVOCATVR. *Caro eadem ſuſcitatur.* INSIGNIBVS *Notis infirmitatis.* INSIGNIS EXCESSERIT. *Sic notatus obierit.* TANTAM GRATIAM. *Vt à mortuis reſurgas etiam cum iiſdem infirmitatibus & deformitatibus, parua gratia non eſſet.* ANIMÆ SOLIVS. *Immortalitatem & quaſi dimidiam ſalutem hominis tu hæretice Marcionita agnoſcis.* MAIORA PRÆSCRIBVNT. *Argumentando à maiori ad minus, ſi à tota corruptione Deus carnem excitat, multò magis ab aliqua infirmitate.* IAM HOMINIS. *Iam homo eſt exiſtens, cui accidit alicuius membri vexatio.* QVOD NASCIMVR, *id eſt, ſicut homines naſcimur, homines renaſcemur.* EDVRVM. *Durum ac rigidum.* IAM IN CHRISTO. *In exemplum noſtræ reſurrectionis ſuſcitato.* DEMANDAVIT. *Profundè inculcauit.* TEMPERAVIT, *adaptauit vocem & dotem immortalitatis, abſolutæ reſurrectioni, ad reparandam vitam contra mortem: incorruptionem autem ad delendam & auferendam omnem corruptionem, vitium & deformitatem.*

2. LVCIFVGÆ, *quaſi Noctuæ euidentiſſimæ lucis refugæ. Locum alibi expoſui quo Paulus totos, & integros, in ſpiritu, anima, & corpore ſuſcitandos promittit.* CLAVIS *Tunc enim iudex veniens ad iudicandum, claui potentia ſua aperiet monumenta mortuorum. De integris corporibus reddendis abſque vlla deformitate ſæpius Auguſtinus. ſer. 139. de temp.* Cùm, inquit, eſſemus in pœnis, ad quas venimus de peccatis Dominus noſter Ieſus Chriſtus voluit eſſe in pœnis noſtris ſine peccatis ſuis: ſuſtinendo ſine culpa pœnam, & culpam ſoluit & pœnam. Culpam ſoluit, peccata donando, pœnam ſoluit à mortuis reſurgendo. Hoc promiſit, & nos in ſpe ambulare voluit: perſeueremus & ad rem perueniemus. Caro reſurget incorruptibilis, caro reſurget ſine vitio, ſine deformitate, ſine mortalitate, ſine onere, ſine pondere. Quæ nunc tibi facit tormentum, poſteà tibi erit ornamentum. *Et lib. 13. de Ciuit. cap. 18.* Itanè, inquit, Deo ſummo concedere dubitabimus, &c. vt de carne hominis, cui donat immortalitatem, corruptionem auferat, naturam relinquat, cõgruentiam figuræ membrorumque detineat, detrahat ponderis tarditatem. *Et ep. 146. ad Conſentium.* Valet, inquit, diuina prouidentia de iſta viſibili atque tractabili natura corporum quibuſdam manentibus auferre quas voluerit qualitates, ac per hoc valet etiam membra mortalia formæ lineamentis manentibus, corruptione verò mortalitatis emortuâ, ſtabili vigore firmare, vt abſit labes, adſit effigies: adſit motio, abſit fatigatio: adſit veſcendi poteſtas, abſit eſuriendi neceſſitas. *Et libro 22. de Ciuit. cap. 20.* Neſcio, inquit, quo modo ſic afficimur amore Martyrum beatorum, vt velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quæ pro Chriſti nomine pertulerunt, & fortaſſe videbimus. Non enim deformitas in eis, ſed dignitas erit: & quædam quamuis in corpore, non corporis, ſed virtutis pulchritudo fulgebit: nec ideo tamen ſi aliqua Martyribus amputata & ablata ſunt membra, ſine ipſis membris erunt in reſurrectione mortuorum: quibus dictum eſt capillus capitis veſtri non peribit. Sed ſi hoc decebit in illo nouo ſæculo, vt indicia glorioſorum vulnerum in illa immortali carne cernantur, vbi mẽbra, vt præciderentur, percuſſa vel ſecta ſunt, ibi cicatrices ſed tamẽ eiſdem mẽbris redditis non perditis, apparebũt. Quãuis itaq; omnia quæ acciderũt corpori vitia tunc nõ erũt. Non ſunt tamẽ deputanda vel appellãda vitia, virtutis indicia. Abſit

autem vt ad resuscitanda corpora, vitæque reddenda, non possit omnipotentia Creatoris omnia reuocare quæ vel bestia, vel ignis absumpsit, vel in puluerem cineremve collapsum, vel in humorem solutum, vel in auras est exhalatum. Absit vt sinus vllus, secretumque naturæ ita recipiat aliquid subtractum sensibus nostris, vt omnium Creatoris, aut effugiat potestatem, &c. Absit omnis deformitas, omnis infirmitas, omnis tarditas, omnisque corruptio: & si quid aliud illud non decet regnum, in quo resurrectionis & promissionis filij, æquales erunt Angelis Dei, si non corpore, non ætate, certè fœlicitate. *De gloria corporum Martyrum futura in resurrectione præclarè Aug. to. 10. ser. 1. de Natali S. Perpetuæ & Felicitatis Martyrum:* Sicut, inquit, plurimùm distat inter lætitias miseriasve somniantium & vigilantium: ita multùm interest inter tormenta vel gaudia mortuorum & resurgentium: non quòd spiritus defunctorum, sicut dormientium necesse sit falli, *somnis ludificantibus*, sed quòd alia est animarum sine vllis corporibus requies, alia cum corporibus cœlestibus, *incorruptibilibus, agilibus, claris, & suâ claritate penetrantibus*, claritas & fœlicitas Angelorum, quibus æquabitur resurgentium multitudo filiorum: in qua gloriosissima Martyres præcipua sui honoris luce fulgebunt: ipsaque corpora, in quibus indigna tormenta perpessi sunt, eis digna in ornamenta vertentur, &c. Non parua pars imitationis est, meliorum congaudere virtutibus. Illi magni, nos parui: sed benedixit Dominus pusillos cum magnis. Præcesserunt, præeminuerunt. Si eos sequi non valemus actu, sequamur affectu: si non gloriâ certè lætitiâ: si non meritis, votis: si non passione, compassione, si non excellentiâ, connexione. Non nobis parum videatur, quòd corporis membra sumus, cuius & illi. Æquiparari possumus; *particeps ego sum omnium timentium te, &c.* quia si vnum membrum patitur, compatiuntur omnia membra: ita cùm glorificatur vnum membrum, congaudent omnia membra: gloria capiti, vnde consulitur & superioribus manibus, *Martyrum pugnantium, & manum mittentium ad fortia cum muliere forti*, & infimis pedibus. *Simpliciter ambulantibus in lege Domini, immaculatis in via, & viam mandatorum currentibus. Et de Christi cicatricibus in Psal. 74. sic inducit Christum dicentem*, Ego, inquit, confirmaui columnas eius: resurrexi, ostendi mortem non esse metuendam, ostendi timentibus, nec ipsum corpus perire in morientibus. Terruerunt eos vulnera, firmauerunt cicatrices, &c. habebat potestatem vnde illud etiam sine cicatrice sanaret, sed habere voluit vnde nutantes columnas firmaret. *De anima tandem & corporis perfectione, in Psal. 88.* Sedes eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, &c. Et si perficitur Luna ista quam nouimus, alio die incipit minui, &c. sic perficietur sedes eius, *membra, inquit, nostra sedes sunt capitis nostri:* tanquam Luna, sed Luna in æternum perfecta, &c. similis est ergo caro ista Lunæ, quæ omni tempore, & omni mense patitur augmenta & decrementa: sed erit caro ista nostra in resurrectione perfecta, &c. si in solo animo perficeremur, tantummodò Soli nos compararet. Rursus si in solo corpore perficeremur, tantummodò Lunæ nos compararet. Sed quia perficiet nos Deus in animo & in corpore, secundùm animam dictum est, sicut Sol in conspectu meo, quia animum non videt nisi Deus: & sicut Luna iam caro perfecta in æternum, in resurrectione mortuorum. Et testis in cœlo fidelis, quia vera dicebantur omnia de resurrectione mortuorum, &c. & ipse carnem suam resuscitauit, vt obuiam iret contradictori: & qui posset membra sua sic sanare, vt ea vulnerata fuisse non appareret, cicatrices seruauit in corpore, vt vulnus dubitationis sanaret in corde.

S. Aug. S. Aug. S. Aug.

3. *Resurrectio ad vitam immortalem, probatur ex mortuis suscitatis, iterum morituris. De Resur. cap. 38. per totum.*

POst dicta Domini, facta etiam eius quid sapere credamus, de capulis, de sepulcris, mortuos resuscitantis? Cui rei istud? Si ad simplicem ostentationem potestatis, aut ad præsentem gratiam redanimationis, non adeò magnum illi, denuò morituros suscitare. Enimverò, si ad fidem potiùs sequestrandam futuræ resurrectionis, ergo & illa corporalis præscribitur, de documenti sui forma. Nec sustinebo dicentes, idcircò tunc resurrectionem animæ soli destinatam, in carnem quoque præcucurrisse, quia non potuisset aliter ostendi resurrectio animæ inuisibilis, nisi per visibilis substantiæ resuscitationem. Malè Deum norunt, qui non putant illum posse, quod non putant; & tamen sciunt potuisse, si instrumentum Ioannis norunt. Qui enim animas adhuc solas Martyrum sub altari quiescentes, conspectui subdidit, posset vtique & resurgentes oculis exhibere sine carne. At ego Deum malo decipere non posse, de fallacia solummodò infirmum, ne aliter documenta præmisisse, quàm rem disposuisse videatur. Immò, ne si exemplum resurrectionis sine carne non valuit inducere, multò magis plenitudinem exempli in eadem substantia exhibere non possit. Nullum verò exemplum maius est eo, cuius exemplum est. Maius est autem, si animæ cùm corpore resuscitabuntur in documentum sine corpore resurgendi, vt tota hominis salus dimidiæ patrocinaretur: quando exemplorum conditio illud potiùs expeteret, quod minus haberetur; animæ dico solius resurrectionem, velut gustum, carnis etiam resurrecturæ suo in tempore. Atque adeò, secundùm nostram verò æstimationem, exempla illa mortuorum à Domino suscitatorum, commendabant quidem & carnis, & animæ resurrectionem; ne cui substantiæ negaretur hoc donum: quæ tamen exempla, eò minùs aliquid edebant (non enim in gloriam, nec in incorruptibilitatem; sed in mortem aliam suscitabantur) quàm ediderit Christus.

Matth. 9. 25. Luc. 7. 15. Io. 11. 11. Apoc. 6. 9.

RESVRRECTIO AD VITAM. 3. SCHOL.

POST DICTA. *Post prolata verba Christi de resurrectione corporum, etiam eius miracula circa mortuos videamus, & quid credere sapienter & rationabiliter ex exemplis ab eo suscitatorum mortuorum videamus.* DE CAPVLIS. *Loculis, feretris, sicut tacto loculo excitauit filium viduæ Naim, & Lazarum de sepulcro.* CVI REI. *Ad quid hoc fecit? non enim Christo Deo magnum fuisset, vitam rursum morituram, his præstitisse mortuis, si ad præsens tantùm tempus animas eis restituisset.* SEQVESTRANDAM. *Quasi à communi fide diuinæ potestatis, quà adeò potentem credimus, vt qui rursum morituros aliquos suscitauit, in nouissimo die possit suscitare semper victuros.* ILLA CORPORALIS *futura scilicet, non iam animarum quæ nunc est, sed corporum expectatur, ex præcedentibus exemplis etiam corpore suscitatorum.* NEC SVSTINEBO DICENTES. *Hæreticos non patiar, ex his exemplis animæ tantum resurrectionem augurantes, quæ huiusmodi temporanea resurrectione præcedenti figurata est.* QVOD NON PVTANT, *non credunt possibile. Habes hanc sententiam alibi explicatam.* PLENITVDINEM EXEMPLI. *Rem exemplo figuratam.* RESVSCITABVNTVR. *Vtitur futuro, pro præterito. Agit enim de corporibus suscitatis, quorum & animas vt probabile est, etiam iustificando suscitauit.* TOTA SALVS, *reunio animæ cum corpore, siue integri hominis restitutio faueat animæ solius resurrectioni, eam repræsentando. Cum exemplum semper minus sit re exemplificata, animæ solius resurrectio, quæ iam ex natura sua immortalis est, deberet potius poni in exemplum resurrectionis corporis mortalis & mortui, in vitam immortalem; quam vt resurrectio totius hominis, solius animæ resurrectionem portenderet.* QVAM EDIDERIT CHRISTVS. *Seipsum ad vitam immortalem propria virtute suscitando. De quo Paulus:* Christus semel pro peccatis mortuus, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel. *Videamus quid de his sentiat Augustinus. in Psal.* 129.

S. Aug. Sustinuit anima mea in verbum tuum, sperauit anima mea in Dominum. Nemo, inquit, sustinet, nisi qui nondum accepit quod promissum est: Nam qui iam accepit, quid sustinet? Accepimus remissionem peccatorum, *hæc est animæ resurrectio*, sed promissum est nobis regnum cœlorum. *Hæc est resurrectio corporum.* Qui dedit veniam, ipse promisit vitam æternam, &c. securi ergo speramus in verbis eius qui fallere non potest. A vigilia matutina vsque ad noctem. Quid est quod ait? vna die sperauit in Domino, & finita est tota spes ipsius? &c. Quid ergo, fratres, putatis hoc esse, a vigilia matutina, &c? quia Dominus per quem nobis dimissa sunt peccata, in vigilia matutina resurrexit a mortuis, vt hoc speremus in nobis futurum, quod præcessit in Domino, &c. quid præcessit in capite nostro? quia & caro ipsius capitis resurrexit. Spiritus illius capitis numquam mortuus est. Sed quod in eo mortuum est, resurrexit, &c. quodammodo hoc nobis dixit Dominus: quod in me vidistis, sperate in vobis, &c. in resurrectione innouauit illud quod occisum est, & tanquam primitias tuas dedit Deo, & ait tibi: consecrata sunt iam omnia tua, quando tales primitiæ tuæ de te datæ sunt Deo. Spera ergo & in te futurum, quod præcessit in primitiis tuis. Ergo ille quia vigilia matutina resurrexit, cœpit anima nostra ex hoc sperare. Et quo vsque? vsque ad noctem, quousque moriamur. *Hinc Psaltes: in pace in idipsum dormiam & requiescam, quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Quis ergo sic incipit à vigilia matutina sperare? qui hoc sperat de Domino, quod cœpit ostendere à vigilia matutina in qua resurrexit. Anteà enim nemo resurrexerat semper victurus. Intendat charitas vestra. Resuscitati sunt iam mortui ante aduentum Domini. Nam Elias resuscitauit mortuum, & Helisæus, sed resurrexerunt: iterùm morituri. Dominus ipse quos resuscitauit, morituri resurrexerunt: siue ille iuuenis filius viduæ, siue illa puella duodecim annorum filia Archisynagogi, siue Lazarus. Aliter resuscitati, sunt omnes morituri. Semel nati sunt, sed bis mortui sunt. Nemo resurrexit nunquam moriturus, nisi Dominus. Quando autem resurrexit Dominus nunquam moriturus? à vigilia matutina. Hoc spera & tu de Domino, resurrecturum te. non quomodo Lazarus resurrexit, non quomodo filius viduæ, & Archisynagogi filia resurrexerunt, non quomodo quos suscitauerũt antiqui Prophetæ; sed resurrecturum te spera quomodo Dominus: vt post resurrectionem quà resurrexeris, non te iam timeas moriturum. Et cœpisti sperare à vigilia matutina. Spera autem vsque ad noctem, quousque finiatur hæc vita, quousque sit nox vniuersi generis humani in occasu sæculi. *Et to. 3. lib. 4. de Trinit. cap.* 3 Propter hoc, inquit, exemplum futuræ nostræ resurrectionis in corpore quod præcessit in Domino, dicit Apostolus: initium Christus; *primitiæ*, deinde qui sunt Christi. De corporis enim resurrectione illo loco agebatur. 1. Cor. 15. propter quam etiam dicit Philipp. 3. transfigurabit corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ. Vna ergo mors nostri Saluatoris, duabus mortibus nostris saluti fuit; Et vna eius resurrectio, duas nobis resurrectiones præstitit, cùm corpus eius in vtraque re, id est in morte & in resurrectione, & Sacramento interioris hominis nostri, *animæ suscitandæ*, & exemplo exterioris, *corpori iam non morituro*, medicinali quadam conuenientià ministratum est. *Et ep. 49. ad Deogratias quæst. 1. qua quæritur, quæ resurrectio, Christi an Lazari, meliùs futuram in fine sæculi repræsentet.* Respondetur, inquit, ideo non Lazari resurrectionem, sed potiùs Christi congruere promissæ resurrectioni, quia Lazarus ita resurrexit, vt iterùm moreretur: Christus autem sicut de illo scriptum est, surgens à mortuis iam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur. Quod etiam promissum est resurrecturis in fine sæculi, & cum illo regnaturis in æternum. *Et ep. 99. ad Eundum:* Scio, inquit, quibusdam videri morte Domini Christi iam talem resurrectionem præstitam iustis, qualis nobis in fine promittitur: quoniam scriptum est illo terræ motu quo in eius passione petræ scissæ, & monumenta aperta sunt, multa corpora resurrexisse iustorum, & visa cum illo, quando resurrexit, in sancta ciuitate: qui vtique si non iterùm repositis corporibus dormierunt, videndum est quemadmodum intelligatur Christus primogenitus à mortuis, si eum in illa resurrectione tot præcesserunt. Quòd si respondetur, hoc dictum esse per anticipationem, vt monumenta quidem illo terræ motu aperta intelligãtur, cùm Christus in cruce penderet, resurrexisse autem iustorum corpora, non tunc, sed cùm ille prior resurrexisset: quamuis tunc, vt dixi, anticipando fuisset adiunctum: vt & Christus primogenitus a mortuis sine ambiguitate credatur, & illis iustis continuò concessum, vt ipso præeunte in æternam incorruptionem atque immortalitatem, resurgerent: illud adhuc restat quod moueat; quomodo a Petro dici potuerit, quod vtique verissimè dictum est,

quando per illam Prophetiam: non de Dauid, sed de Christo asserit fuisse prædictum, carnem eius non vidisse corruptionem: & quod adiunxit de Dauid Act. 1. 29. apud eos esse monumentum eius: Vnde illos vtique non conuincebat, si corpus eius ibi iam non erat: quia & si antè in recenti sua morte resurrexisset, nec caro eius vidisset corruptionem, posset nihilominùs, illud monumentum manere: durum autem videtur, vt Dauid non fuerit in illa resurrectione iustorum, si eis iam æterna donata est, cuius Christus ex semine tam crebrò, & tantâ euidentiâ, tantâque honorificentiâ commendatur. Pe-

A ticitabitur etiam illud quod ad Hebræos. 11. 40. de iustis antiquis dicitur, quia pro nobis meliora prouiderunt, ne sine nobis perfecti persicerentur, si iam in illa resurrectionis incorruptione constituti sunt, quæ nobis perficiendis in fine, promittitur. *Vnde liquet, & post Christum, Sanctorum corpora surrexisse, vt esset primogenitus & primitiæ, siue initium resurgentium, & hos suscitatos rursum in Domino obdormisse, ne sine nobis consummarentur & Christum solum simul & causam meritoriam, & exemplarem nostræ resurrectionis futuræ fuisse.*

4. *Resurrectio restaurabit corpora nostra vasa Dei pro Christo mortificata, & superinduet iam non moritura incorruptionis vestimento. 5. cont. Marc. cap. 11. in f. & 12. in p.*

QVòd si hæc sunt fictilia vasa, in quibus tanta nos pati dicit, [a] *in quibus etiam mortificationem circumferimus Domini*; satis ingratus Deus & injustus, si non & hanc substan- a 2. Cor. 4. 10.
tiam resuscitaturus est, in qua pro fide eius tanta tolerantur, in qua & mors Christi circumfertur, in qua & eminentia virtutis consecratur. Sed enim proponit, [b] *Vt & vita* b Ibid. 11.
Christi manifestetur in corpore nostro, scilicet sicut & mors eius circumfertur in corpore. De qua ergo Christi vita dicit? quâ nunc viuimus in illo? Et quomodo in sequentibus non ad visibilia, nec ad temporalia, sed ad inuisibilia & ad æterna; id est, non ad præsentia, sed ad futura exhortatur? Quod si de futura vita dicit Christi, in corpore eam dicens apparituram, manifestè carnis resurrectionem prædicauit [c] *exteriorem quidem hominem nostrum* c Ibid. 16.
corrumpi dicens, & non quasi æterno interitu post mortem, verùm laboribus & incommodis, de quibus præmisit, adjiciens, *Et non deficiemus.* Nam *& interiorem hominem nostrum renouari de die in diem* dicens, hîc vtrumque demonstrat, & corporis corruptionem ex vexatione tentationum, & animi renouationem ex contemplatione promissionum. Terreni Cap. XII.
domicilij nostri: Non sic ait [d] *habere nos domum æternam, non manu factam in cœlis*; quia quæ d 2. Cor.
manu facta sit Creatoris, intereat, in totum dissoluta post mortem. Hæc enim ad mortis 5. 1.
metum, & ad ipsius dissolutionis contristationem consolandam retractans etiam per sequentia manifestiùs, quum subjicit, [e] *Ingemiscere nos de isto tabernaculo corporis terreni, quod de* e Ibid. 2.
cœlo est superindui cupientes; siquidem & despoliati non inueniemur nudi; id est, recipiemus quod despoliati sumus, id est corpus. Et rursus, [f] *Etenim qui sumus in isto tabernaculo corporis, inge-* f Ibid. 4.
mimus quod grauemur, nolentes exui, sed superindui. Hîc enim expressit, quod in prima epistola strinxit, [g] *Et mortui resurgent incorrupti*, qui iam objerunt; *& nos mutabimur*, qui in carne g 1. Cor.
fuerimus deprehensi à Deo. *Et illi enim resurgent incorrupti*, recepto scilicet corpore, & qui- 15. 52.
dem integro, vt & hoc sint incorrupti: & hi propter temporis vltimum iam momentum, & propter merita vexationum Antichristi, compendium mortis, sed mutati consequentur, superinduti magis quod de cœlo est, quàm exuti corpus. Ita si hi super corpus induent cœleste illud, vtique & mortui recipient corpus, super quod & ipsi induant incorruptelam de cœlo; quia & de illis ait, [h] *Necesse est corruptiuum istud induere incorruptelam, & mor-* h 1. Cor.
tale istud immortalitatem. Illi induunt, cùm receperint corpus; isti superinduunt, quia non 15. 53.
amiserint corpus. & ideo non temerè dixit, [i] *Nolentes exui corpore, sed superindui*; id est, i 2. Cor. 5.
nolentes mortem experiri, sed vita præueniri; *vti deuoretur mortale hoc à vita*, dum eripi- Ibid.
tur morti per superindumentum demutationis.

RESVRRECTIO RESTAVRABIT. 4.

SI HÆC SVNT *corpora nostra fictilia. 2. Cor. 4. 7.* habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur *Syr. non suffocamur*, aporiamur, *pauperes & inopes sumus*, sed non destituimur. *Syr. corripimur, at non condemnamur*, persecutionem patimur, sed non perimus: semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corpore nostro &c. Scientes quoniam qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit & constituet vobiscum. &c. Propter quod non deficimus: sed licet is qui foris est noster homo corrumpatur: tamen is qui intus est renouatur de die in diem. *Hæc & sequentia habes alibi relata & exposita.* COMPENDIVM MORTIS *suprà explicui, vel de modico corruptionis momento, vel morte per immutationem in immortali-*

B *tatem, lucrifacta.* NECESSE EST CORRVPTIVVM. *1. Cor. 15. 53.* Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale induere immortalitatem. *De vestimento & domo cœlesti & immutatione, præter alibi dicta, hic nouum aliquid quæro: cùm Christus sit exemplar gloriæ resurgentium, an in cœlo sit indutus.* S. Aug.
Augustinus Ep. 146. ad Consentium. Quæris vtrùm nunc corpus Domini ossa & sanguinem habeat, aut reliqua carnis lineamenta. Quid si adderes, vtrùm etiam vestimenta: Nonne augeretur quæstio? &c. Si vestis Israëlitarum per tot annos in eremo sine tritura esse potuit, si morticina pellis calciamentorum tam diu sine labe durauit, potest vbique Deus quorumlibet corporum per quantum voluerit tempus, incorruptam protendere qualitatem. Ego proinde Domini corpus ita in cœlo esse credo, vt erat in terra quando ascendit in cœlum. Dixerat enim

Discipulis de sua resurrectione dubitantibus, & illud quod videbant, non corpus, sed spiritum esse putantibus, videte manus meas. &c. Sic eorum cùm esset in terra contrectatus est manibus, sic eorum est cùm iret in cœlum deductus aspectibus. Ibi vox Angelica sonuit: sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. *Vide sequens Scholium; & interim crede, quòd si in statu innocentiæ nudi erant primi parentes, nec confundebantur, multò minus in statu gloriæ nudos confundendos, de immutatione autem sic in eadem*

S. Aug. *Epistola post medium.* Omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur. &c. istam, inquit, commutationem in melius sine dubitatione oportet intelligi, quia omnes iusti & iniusti resurrecturi sunt. Sed sicut Dominus in Euangelio loquitur, qui benè fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui malè egerunt in resurrectionem iudicij: Iudicium appellans pœnam sempiternam. Proinde illi qui in iudicium resurrecturi sunt, non commutabuntur in illam incorruptelam: quæ nec doloris corruptionem pati potest. Illa namque fidelium est atque sanctorum: isti verò perpetuâ corruptione cruciabuntur; quia ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur. Quid sibi ergo vult ista distinctio. & mortui resurgent incorrupti, & nos commutabimur: Nisi quia omnes incorrupti resurgent? Sed ex his etiam iusti immutabuntur in illam incorruptelam, cui omnino nulla possit nocere corruptio: ac per hoc qui in ea non commutabuntur, incorrupti quidem resurgent integritate membrorum, sed tamen corrumpendi dolore pœnarum, cùm audierint, ite maledicti in ignem æternum. *De fœlici & beata immutatione in vitam æternam. to. 9. lib. 2. de Symbolo ad*

S. Aug. *Cathec. cap. 12.* Non, inquit, nostri jam nominabitur corruptio immortaliter viuentibus. & cum ipsa æterna vita manentibus. Neque enim indigebimus illic vestimento, vbi erimus immortalitate vestiti; nec cibus nobis deerit, quando ipse panis viuus, qui propter nos de cœlo ad terras vsque descendit, sui præsentiâ nostras animas satiabit: nec potus nobis deerit præsente fonte vitæ Saturabit enim nos ab vbertate domus suæ, & torrente deliciarum suarum corda nostra rigabit. Æstus illic non patiemur: illic enim est refrigerium nostrum, qui nos sub vmbra alarum suarum protexit. & proteget. Frigus illic non patiemur, est enim ibi Sol iustitiæ, qui suo amore calefaciens corda nostra radiis diuinitatis suæ illuminet oculos nostros, vt videant diuinitatem, æqualitatemque Patris. &c. Et quid illic acturi sumus? fortasse illud quod scriptum est: vacate & videte &c. vacuitas ista contemplationis, erit opus nostræ actionis: vt contemplantes delectemur, & delectabiliter contemplemur videre. Quid videre? bona Domini. Quæ bona? possumus exprimere illud quod nec oculus vidit. &c? possumus explicare quomodo Deus erit omnia in omnibus? &c. possumus explicare quemadmodum sponsa Ecclesia, quæ ex viris & fœminis constat, omnis conuertatur in virum perfectum, atque ita dignitatem virilem accipiat, vt tamen sponsæ nomen non perdat? possumus explicare sanctorum corpora resuscitata, ex qua gloria, in quam gloriam transeant? possumus explicare, quò Christum sequantur virgines, quò eum sequi nequeant, non virgines: atque illas nescio quò vbique manens, *secundùm diuinitatem*, secum ducat, nec tamen eas, quæ non sunt virgines, deserat? quis audet de his rebus positus in hac mortalitate quæ aggrauat animam, aliquid dicere: cùm Paulus Apostolus hoc non valuit explicare, qui in isto positus corpore, vsque in tertium cœlum gratiâ operante valuit ascendere? &c. Certè ex me nemo scire quærat quod me nescire scio, nisi fortè vt nescire discat, quod sciri non posse sciendum est. *De omnibus autem dotibus simul gloriosi corporis infrà singillatim explicandis ita Ser. 99. de temp. qui est de virga Aaron; quæ Christi summi Sacerdotis corpus in tabernaculo sepulcri aridum depositum, & in resurrectione floridum iuxta Origenem expressit:* Quia, inquit, Sacramentum Sacerdotale est virga nucis, *amigdalinæ*. S. Aug. Idcircò arbitror etiam Ieremiam, qui erat vnus ex Sacerdotibus, ex Anathot, vidisse virgam nuceam, & prophetasse. &c. in virga nucea esse vitam, & in lebete succensa esse mortem. Vita enim & mors ponitur ante faciem nostram, & vita quidem Christus, in Sacramento nucis: mors autem diabolus in figura lebetis accensæ. Si ergo peccaueris, portionem tuam pones cum olla succensa; si autem iustè egeris. Efficietur portio tua in virgam nuceam, cum magno Pontifice. Sed & in Canticis Canticorum sponsa dicitur descendisse in hortum nucis; vbi etiam pariter cum nucibus Sacerdotalium quodammodo pomorum copiam perscribitur inuenisse. Diligenter attendite, fratres, quia vnum promisit Deus futurum in virga, sed plura dedit. &c. semper enim maiora tribuit quam promittit. &c. Vide quanta adduntur. Ait enim Scriptura: Num. 17. Ecce Germinauit virga Aaron in domo Leui Hoc est vnum illud sine dubio, quod fuerat repromissum, sed adduntur alia, & dicitur: & produxit frondes, & protulit flores, & germinauit nuces. &c. quid igitur est, quod ex his colligi & contemplari posse videamus? Primum omnium resurrectionis ex mortuis Sacramentum in his euidenter agnoscimus. Virga enim arida germinat, cùm corpus extinctum cœperit reuiuiscere. Quæ sunt autem quatuor ista quæ resurgenti corpori præstabuntur? vt seminatum in corruptionem, surgat in incorruptione; *de qua hoc loco diximus*, & seminatum in infirmitatem, surgat in virtute: seminatum in ignominiam, surgat in gloria: & seminatum corpus animale, resurgat corpus spiritale. Ista sunt quatuor, quæ virga arida corporis nostri in resurrectione germinabit.

5. *Resurrectio corpora nostra configurabit Christo, differentia sicut stellæ in claritate, & rapta in aëra. 5. cont. Marc. cap. 20. in f.*

NOster, inquit, *municipatus in cœlis*. Agnosco veterem ad Abraham promissionem Creatoris, [b] *Et faciam semen tuum tanquam stellas in cœlo.* Ideo [c] *& stella à stella differt in gloria.* Quod si [d] *Christus adueniens de cœlis, transfigurabit corpus humilitatis nostræ, conformale corpori gloriæ suæ*, resurget ergo corpus hoc nostrum, quod humiliatur in passionibus, & in ipsa lege mortis in terram dejectum. Quomodo enim transfigurauerit, si nullum erit? Aut si de eis dictum, qui in aduentu Dei deprehensi in carne deputari habebunt, quid facient qui primi resurgent? Non habebunt de quo transfigurentur? Atquin, Cum illis, dicit. [e] *simul rapiemur in nubibus obuiam Domino.* Si cum illis sublati, vtique cum illis & transfigurati.

a Philipp. 3. 20. b Gen. 22. 17. c 1. Cor. 15. 42. d Philipp. 3. 21. e 1. Thess. 4. 17.

RESVRRECTIO CORPORA NOSTRA, &c. 5. SCHOL.

NOSTER MVNICIPATVS. Conuersatio nostra in cœlis est. AGNOSCO VETEREM. *Paulus in hoc respondet veteri testamento, in quo Deus promisit Abrahæ numerosam sicut stellas posteritatem; maximè cùm dixit* 1. *Cor.* 15. 41. Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum. *Syr. gloria:* sic & resurrectio mortuorum. TRANSFIGVRABIT CORPVS. *Philipp.* 3. 21. Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. TRANSFIGVRAVERIT. *Transfigurabit: si in nihilum redactum sit.* DEPREHENSI IN CARNE. *Qui ex inopinato Christi iudicis aduentu adhuc viui fuerint, inuenti in suo corpore, quid dicendum erit de mortuis prius in Christo? de quibus Paulus* 1. *Thess.* 4. 17. Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi, *Syr. primùm*, deinde nos qui viuimus qui relinquimur, &c. *De diuersa claritate syderum Aug. to.* 3. *lib.* 2. *de Gen. ad lit. cap.* 16. Quæri, inquit, solet vtrùm cœli luminaria ista conspicua, id est Sol, & Luna, & Stellæ, æqualiter fulgeant: sed quòd diuersis interuallis distent à terra propterea diuersa claritate magis minúsque nostris oculis appareant. Et de Luna quidem qui hæc dicunt, non dubitant minùs eam lucere, quàm Solem, à quò etiam perhibent illam illustrari. Multas autem stellas, vel æquales Soli, vel etiam maiores audent dicere, sed longiùs positas paruas videri. Et nobis quidem potest fortasse sufficere, qui quoquo modo se ista res habeat, scimus artifice Deo condita sydera: quamquam teneamus authoritate Apostolicâ dictum, alia gloria Solis, alia gloria Lunæ, & alia gloria Stellarum: Stella enim à stella differt in gloria. Sed quia possunt adhuc dicere, etiam si non resistant Apostolo, differunt quidem in gloria, sed ad oculos terrenorum: aut quia hoc propter resurgentium similitudinem dicebat Apostolus, qui non vtique ad oculos aliter erunt, & in se aliter: differunt quidem in seipsis sydera in gloria, sed tamen nonnulla sunt etiam sole maiora, ipsi viderint quemadmodum Soli tam magnum tribuant principatum, vt eum radijs suis quasdam stellas, & eas quidem principales, quibus ampliùs isti quàm cæteris supplicant, & tenere dicant, & retroagere à cursu proprio. Non enim fit verisimile maiores aut etiam æquales, violentiâ radiorum eius posse superari. &c. Sed dicant quod volunt de cœlo, alieni a Patre qui est in cœlis. Nobis autem de interuallis, & magnitudine syderum subtilius aliquid quærere, talique inquisitioni rebus grauioribus & melioribus necessarium tempus impendere, nec expedit, nec congruit. Et meliùs credimus ea esse cæteris maiora luminaria, quæ Sancta Scriptura ita commendat. Et fecit Deus duo luminaria magna, quæ tamen non sunt æqualia. Nam consequenter dicit, cùm ea cæteris præposuerit, inter seipsa differre. Ait enim luminare maius in inchoationem diei, *aliæ versiones, vt præessent, vel in principatum.* Et luminare minus in inchoationem noctis. Certè enim vel hoc concedant oculis nostris, vt ea manifestum sit ampliùs cæteris lucere super terram: Nec diem clarere nisi luce Solis; nec noctem tot stellis apparentibus ita lucere si Luna desit, quemadmodum præsentiâ illius illustratur. *Differt ergo Christus* Sol qui cognouit occasum suum, *& seipsum post eum excitauit à tenebris*, primitiæ dormientium, *cæteros illustrans sui corporis claritate*, amictus lumine sicut vestimento. *Differt Maria quasi Luna, quæ exemplo filij iuxta Athanasium triduò post mortem suscitata*, permanet ad primitias vitæ immortalis. *Differunt aliorum sanctorum corpora pro gradu meritorum, in dote claritatis. De quibus Christus:* Fulgebunt iusti sicut Sol in regno Patris eorum. *Et libro de Spiritu & litera cap.* 28. Sicut in regno Dei velut stella ab stella differunt sancti: sic & in damnatione pœnæ sempiternæ tolerabilius Sodomæ quàm alteri ciuitati, & erunt quidam duplo ampliùs quibusdam gehennæ filij. Ita nec illud in iudicio Dei vacabit, quòd in ipsa impietate damnabili alius alio magis minusue peccauerit. *Et to.* 6. *lib. de sancta virginitate cap.* 26. Oportet, inquit, corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Hic est ille denarius, *minus magisue laborantibus in vinea*, merces omnium: Stella tamen à Stella differt in gloria, sic & resurrectio mortuorum. Hæc sunt merita diuersa sanctorum. Si enim cœlum significaretur illo denario, nonne in cœlo esse, omnibus est commune syderibus? & tamen alia est gloria Solis. &c. Si denarius ille pro sanitate corporis poneretur, nonne cùm rectè valemus, omnibus membris communis est sanitas, & ipsa si vsque ad mortem permaneat, pariter & æqualiter omnibus inest? & tamen posuit Deus mēbra, singulum quodque eorum in corpore prout voluit, vt nec totū sit oculus, nec totū auditus, nec totū odoratus; & quidquid est aliud, habet suam proprietatem, quamuis habeat æqualiter cum omnibus sanitatem: Ita quia ipsa vita æterna pariter erit omnibus sanctis, æqualis denarius omnibus attributus est. Quia verò in ipsa vita æterna distinctè fulgebunt lumina meritorum, multæ sunt mansiones apud Patrem: ac per hoc in denario quidem non impari, non viuet alius alio prolixiùs, *quia eadem æterna eiusdem Dei visio clara, & vita:* in multis autem mansionibus honoratur alius alio clariùs. *De claritate corporum rursus lib.* 22. *de Ciuit. cap.* 19. Omnis, inquit, corporis pulchritudo est partium congruentia cum quadam suauitate coloris. Vbi autem non est partium congruentia, aut ideo quid offendit: quia paruum est, aut ideo quia nimium. Proinde nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium, vbi & quæ praua sunt corrigentur, & quod minùs est quàm decet, vnde Creator nouit, inde supplebitur: & quod plus est quàm decet, materiæ seruatâ integritate, detrahetur. Coloris porrò suauitas quanta erit, vbi iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris sui? quæ claritas in Christi corpore, cùm resurrexit, ab oculis Discipulorum potiùs abscondita fuisse, quàm defuisse credenda est. Non enim eam ferret humanus atque infirmus aspectus, quando ille à suis, ita deberet attendi, vt posset agnosci. *Quò referri potest illud Euangelij quod habet Aug. Ep.* 46. *ad Consentium circa f.* Si fœnum agri, inquit, *Christus de lilijs gloriosiùs Salomone vestitis agebat*, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur Deus sic vestit. &c. *& ibid. nonne corpus plusquam vestimentum:* nisi fortè credendum est fœnum à Deo vestiri, & à Deo corpora non formari? cùm enim dixit, vestit: non de præterita ordinatione, sed de præsenti operatione satis indicat. *Quid erit, cùm Reges omnes induet luce corporis gloriosi? Et lib.* 11. *cont. Faust. cap.* 3. Ne quisquam, inquit, putaret, non illud quod sepultum fuerit resurrecturum, sed tanquam alia tunica ponatur, alia melior accipiatur, volens apertissimè declarare, quia hoc ipsum in melius commutabitur: sicut vestimenta Christi in monte non sunt posita & alia sumpta, sed ipsa quæ fuerant, in meliùs clarificata sunt, *& resplenduit facies eadem sicut Sol.* &c. tanquam digito ostendit vnde loqueretur, & subiecit dicens, oportet enim incorruptibile hoc. &c. *& Ser.* 143. *de temp.* Dicit

Discipulis de sua resurrectione dubitantibus, & illud quod videbant, non corpus, sed spiritum esse putantibus, videte manus meas. &c. Sic eorum cùm esset in terra contrectatus est manibus, sic eorum est cùm iret in cœlum deductus aspectibus. Ibi vox Angelica sonuit: sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. *Vide sequens Scholium; & interim crede, quòd si in statu innocentiæ nudi erant primi parentes, nec confundebantur, multò minùs in statu gloriæ nudos confundendos, de immutatione autem sic in eadem*

S. Aug. *Epistola post medium.* Omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur. &c. istam, inquit, commutationem in melius sine dubitatione oportet intelligi, quia omnes iusti & iniusti resurrecturi sunt. Sed sicut Dominus in Euangelio loquitur, qui benè fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui malè egerunt in resurrectionem iudicij: Iudicium appellans pœnam sempiternam. Proinde illi qui in iudicium resurrecturi sunt, non commutabuntur in illam incorruptelam: quæ nec doloris corruptionem pati potest. Illa namque fidelium est atque sanctorum: isti verò perpetuâ corruptione cruciabuntur; quia ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur. Quid sibi ergo vult ista distinctio. & mortui resurgent incorrupti, & nos commutabimur: Nisi quia omnes incorrupti resurgent? Sed ex his etiam iusti immutabuntur in illam incorruptelam, cui omnino nulla possit nocere corruptio: ac per hoc qui in ea non commutabuntur, incorrupti quidem resurgent integritate membrorum, sed tamen corrumpendi dolore pœnarum, cùm audierint, ite maledicti in ignem æternum. *De fœlici & beata immutatione in vitam æternam. to. 9. lib. 2. de Symbolo ad*

S. Aug. *Cathec. cap. 12.* Non, inquit, nostri jam nominabitur corruptio immortaliter viuentibus, & cum ipsa æterna vita manentibus. Neque enim indigebimus illic vestimento, vbi erimus immortalitate vestiti; nec cibus nobis deerit, quando ipse panis viuus, qui propter nos de cœlo ad terras vsque descendit, sui præsentiâ nostras animas satiabit: nec potus nobis deerit præsente fonte vitæ. Saturabit enim nos ab vbertate domus suæ, & torrente deliciarum suarum corda nostra rigabit. Æstus illic non patiemur: illic enim est refrigerium nostrum, qui nos sub vmbra alarum suarum protexit. & proteget. Frigus illic non patiemur, est enim ibi Sol iustitiæ, qui suo amore calefaciens corda nostra radiis diuinitatis suæ illuminet oculos nostros, vt videant diuinitatem, æqualitatemque Patris. &c. Et quid illic acturi sumus? fortasse illud quod scriptum est: vacate & videte &c. vacuitas ista contemplationis, erit opus nostræ actionis: vt contemplantes delectemur, & delectabiliter contemplemur videre. Quid videre? bona Domini. Quæ bona? possumus exprimere illud quod nec oculus vidit. &c? possumus explicare quomodo Deus erit omnia in omnibus? &c. possumus explicare quemadmodum sponsa Ecclesia, quæ ex viris & fœminis constat, omnis conuertatur in virum perfectum, atque ita dignitatem virilem accipiat, vt tamen sponsæ nomen non perdat? possumus explicare sanctorum corpora resuscitata, ex qua gloria, in quam gloriam transeant? possumus explicare, quò Christum sequantur virgines, quò eum sequi nequeant, non virgines: atque illas nescio quò vbique manens, *secundùm diuinitatem*, secum ducat, nec tamen eas, quæ non sunt virgines, deserat? quis audet de his rebus positus in hac mortalitate quæ aggrauat animam, aliquid dicere: cùm Paulus Apostolus hoc non valuit explicare, qui in isto positus corpore, vsque in tertium cœlum gratiâ operante valuit ascendere? &c. Certè ex me nemo scire quærat quod me nescire scio, nisi fortè vt nescire discat, quod sciri non posse sciendum est. *De omnibus autem dotibus simul gloriosi corporis infrà singillatim explicandis ita Ser. 99. de temp. qui est de virga Aaron; quæ Christi summi Sacerdotis corpus in tabernaculo sepulcri aridum depositum, & in resurrectione floridum iuxta Origenem expressit:* Quia, inquit, Sacramentum Sacerdotale est virga nucis, *amigdalinæ*. S. Aug. Idcircò arbitror etiam Ieremiam, qui erat vnus ex Sacerdotibus, ex Anathot, vidisse virgam nuceam, & prophetasse. &c. in virga nucea esse vitam, & in lebete succensa esse mortem. Vita enim & mors ponitur ante faciem nostram, & vita quidem Christus, in Sacramento nucis: mors autem diabolus in figura lebetis accensæ. Si ergo peccaueris, portionem tuam pones cum olla succenta; si autem iustè egeris. Efficietur portio tua in virgam nuceam, cum magno Pontifice. Sed & in Canticis Canticorum sponsa dicitur descendisse in hortum nucis; vbi etiam pariter cum nucibus Sacerdotalium quodammodo pomorum copiam perscribitur inuenisse. Diligenter attendite, fratres, quia vnum promisit Deus futurum in virga, sed plura dedit. &c. semper enim maiora tribuit quam promittit. &c. Vide quanta adduntur. Ait enim Scriptura: Num. 17. Ecce Germinauit virga Aaron in domo Leui Hoc est vnum illud sine dubio, quod fuerat repromissum, sed adduntur alia, & dicitur: & produxit frondes, & protulit flores, & germinauit nuces. &c. quid igitur est, quod ex his colligi & contemplari posse videamus? Primum omnium resurrectionis ex mortuis Sacramentum in his euidenter agnoscimus. Virga enim arida germinat, cùm corpus extinctum cœperit reuiuiscere. Quæ sunt autem quatuor ista quæ resurgenti corpori præstabuntur? vt seminatum in corruptionem, surgat in incorruptione; *de qua hoc loco diximus*, & seminatum in infirmitatem, surgat in virtute: seminatum in ignominiam, surgat in gloria: & seminatum corpus animale, resurgat corpus spiritale. Ista sunt quatuor, quæ virga arida corporis nostri in resurrectione germinabit.

5. *Resurrectio corpora nostra configurabit Christo, differentia sicut stellæ in claritate, & rapta in aëra. 5. cont. Marc. cap. 20. in. f.*

N*Oster*, inquit, *municipatus in cœlis.* Agnosco veterem ad Abraham promissionem Creatoris, [b] *Et faciam semen tuum tanquam stellas in cœlo.* Ideo [c] *& stella à stella differt in gloria.* Quod si [d] *Christus adueniens de cœlis, transfigurabit corpus humilitatis nostræ, conformale corpori gloriæ suæ*, resurget ergo corpus hoc nostrum, quod humiliatur in passionibus, & in ipsa lege mortis in terram dejectum. Quomodo enim transfigurauerit, si nullum erit? Aut si de eis dictum, qui in aduentu Dei deprehensi in carne deputari habebunt, quid facient qui primi resurgent? Non habebunt de quo transfigurentur? Atquin, Cum illis, dicit, [e] *simul rapiemur in nubibus obuiam Domino.* Si cum illis sublati, vtique cum illis & transfigurati.

[a] Philipp. 3. 20. [b] Gen. 22. 17. [c] 1. Cor. 15. 42. [d] Philipp. 3. 21. [e] 1. Thess. 4. 17.

RESVRRECTIO CORPORA NOSTRA, &c. 5. SCHOL.

NOSTER MVNICIPATVS. Conuersatio nostra in A cœlis est. AGNOSCO VETEREM. *Paulus in hoc respondet veteri testamento, in quo Deus promisit Abrahæ numerosam sicut stellas posteritatem; maximè cùm dixit* 1. *Cor.* 15. 41. Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum. *Syr. gloria:* sic & resurrectio mortuorum. TRANSFIGVRABIT CORPVS. *Philipp.* 3. 21. Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. TRANSFIGVRAVERIT. *Transfigurabit, si in nihilum redactum sit.* DEPREHENSI IN CARNE. *Qui ex inopinato Christi iudicis aduentu adhuc viui fuerint, inuenti in suo corpore, quid dicendum erit de mortuis priùs in Christo? de quibus Paulus* 1. *Thess.* 4. 17. Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi, *Syr. primùm*, deinde nos qui viuimus qui relinquimur, &c. *De diuersa claritate syderum* B
S. Aug. *Aug. to.* 3. *lib.* 2. *de Gen. ad lit. cap.* 16. Quæri, inquit, solet vtrùm cœli luminaria ista conspicua, id est Sol, & Luna, & Stellæ, æqualiter fulgeant: sed quòd diuersis interuallis distent à terra propterea diuersa claritate magis minùsque nostris oculis appareant. Et de Luna quidem qui hæc dicunt, non dubitant minùs eam lucere, quàm Solem, à quo etiam perhibent illam illustrari. Multas autem stellas, vel æquales Soli, vel etiam maiores audent dicere, sed longiùs positas paruas videri. Et nobis quidem potest fortasse sufficere, qui quoquo modo se ista res habeat, scimus artifice Deo condita sydera: quamquam teneamus authoritate Apostolicâ dictum, alia gloria Solis, alia gloria Lunæ, & alia gloria Stellarum: Stella enim à stella differt in gloria. C Sed quia possunt adhuc dicere, etiam si non resistant Apostolo, differunt quidem in gloria, sed ad oculos terrenorum: aut quia hoc propter resurgentium similitudinem dicebat Apostolus, qui non vtique ad oculos aliter erunt, & in se aliter: differunt quidem in seipsis sydera in gloria, sed tamen nonnulla sunt etiam sole maiora, ipsi viderint quemadmodum Soli tam magnum tribuant principatum, vt eum radijs suis quasdam stellas, & eas quidem principales, quibus ampliùs isti quàm cæteris supplicant, & tenere dicant, & retroagere à cursu proprio. Non enim fit verisimile maiores aut etiam æquales, violentiâ radiorum eius posse superari. &c. Sed dicant quod volunt de cœlo, alieni à Patre qui est in cœlis. Nobis autem de interuallis, & magnitudine syderum subtilius aliquid quærere, talique inquisitioni rebus grauioribus & melioribus necessarium tempus impendere, nec expedit, nec congruit. Et meliùs credimus ea esse cæteris maiora luminaria, quæ Sancta Scriptura ita commendat. Et fecit Deus duo luminaria magna, quæ tamen non sunt æqualia. Nam consequenter dicit, cùm ea cæteris præposuerit, inter seipsa differre. Ait enim luminare maius in inchoationem diei, *aliæ versiones, vt præessent, vel in principatum.* Et luminare minus in inchoationem noctis. Certè enim vel hoc concedant oculis nostris, vt ea manifestum sit ampliùs cæteris lucere super terram: Nec diem clarere E nisi luce Solis; nec noctem tot stellis apparentibus ita lucere si Luna desit, quemadmodum præsentiâ illius illustratur. *Differt ergo Christus* Sol qui cognouit occasum suum, *& seipsum post eum excitauit à tenebris*, primitiæ dormientium, *cæteros illustrans sui corporis claritate*, amictus lumine sicut vestimento. *Differt Maria quasi Luna, quæ exemplo filij iuxta Athanasium triduò post mortem suscitata*, permanet ad primitias vitæ immortalis. *Differunt aliorum sanctorum corpora pro gradu meritorum, in dote claritatis. De quibus Christus:* Fulgebunt iusti sicut Sol in regno Patris eorum. *Et libro. de Spiritu & litera cap.* 28. Sicut in S. Aug. regno Dei velut stella ab stella differunt sancti: sic & in damnatione pœnæ sempiternæ tolerabilius Sodomæ quàm alteri ciuitati, & erunt quidam duplo ampliùs quibusdam gehennæ filij. Ita nec illud in iudicio Dei vacabit, quòd in ipsa impietate damnabili alius alio magis minusue peccauerit. *Et to.* 6. *lib. de sancta virginitate cap.* 26. Oportet, inquit, Aug. corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Hic est ille denarius, *minus magisue laborantibus in vinea*, merces omnium: Stella tamen à Stella differt in gloria, sic & resurrectio mortuorum. Hæc sunt merita diuersa sanctorum. Si enim cœlum significaretur illo denario, nonne in cœlo esse, omnibus est commune syderibus? & tamen alia est gloria Solis. &c. Si denarius ille pro sanitate corporis poneretur, nonne cùm rectè valemus, omnibus membris communis est sanitas, & ipsa si vsque ad mortem permaneat, pariter & æqualiter omnibus inest? & tamen posuit Deus mēbra, singulum quodque eorum in corpore prout voluit, vt nec totū sit oculus, nec totū auditus, nec totū odoratus; & quidquid est aliud, habet suam proprietatem, quamuis habeat æqualiter cum omnibus sanitatem: Ita quia ipsa vita æterna pariter erit omnibus sanctis, æqualis denarius omnibus attributus est. Quia verò in ipsa vita æterna distinctè fulgebunt lumina meritorum, multæ sunt mansiones apud Patrem: ac per hoc in denario quidem non impari, non viuet alius alio prolixiùs, *quia eadem æterna eiusdem Dei visio clara, & vita:* in multis autem mansionibus honoratur alius alio clariùs. *De claritate corporum rursus lib.* 22. *de Ciuit. cap.* 19. S. Aug. Omnis, inquit, corporis pulchritudo est partium congruentia cum quadam suauitate coloris. Vbi autem non est partium congruentia, aut ideo quid offendit: quia prauum est, aut ideo quia minium. Proinde nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium, vbi & quæ praua sunt corrigentur, & quod minùs est quàm decet, vnde Creator nouit, inde supplebitur: & quod plus est quàm decet, materiæ seruatâ integritate, detrahetur. Coloris porrò suauitas quanta erit, vbi iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris sui? quæ claritas in Christi D corpore, cùm resurrexit, ab oculis Discipulorum potius abscondita fuisse, quàm defuisse credenda est. Non enim eam ferret humanus atque infirmus aspectus, quando ille à suis, ita deberet attendi, vt posset agnosci. *Quò referri potest illud Euangelij quod habet Aug. Ep.* 46. *ad Consentium circa f.* Si fœnum agri, inquit, *Christus de lilijs gloriosius Salomone vestitis agebat*, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur S. Aug. Deus sic vestit. &c. *& ibid. nonne corpus plusquam vestimentum?* nisi fortè credendum est fœnum à Deo vestiri, & à Deo corpora non formari? cùm enim dixit, vestit: non de præterita ordinatione, sed de præsenti operatione satis indicat. *Quid erit, cùm Reges omnes induet luce corporis gloriosi? Et lib.* 11. *cont. Faust. cap.* 3. Ne quisquam, inquit, putaret, non il- S. Aug. lud quod sepultum fuerit resurrecturum, sed tanquam alia tunica ponatur, alia melior accipiatur, volens apertissimè declarare, quia hoc ipsum in melius commutabitur: sicut vestimenta Christi in monte non sunt posita & alia sumpta, sed ipsa quæ fuerant, in meliùs clarificata sunt, *& resplenduit facies eadem sicut Sol.* &c. tanquam digito ostendit vnde loqueretur, & subiecit dicens, oportet enim incorruptibile hoc. &c. *& Ser.* 143. *de temp.* Dicit

S. Aug. Apostolus & corpora cœlestia, & corpora terrestria: & sequitur; alia gloria cœlestium, alia & terrestrium. Et rursus dicens de gloria cœlestium corporum Apostolus adiunxit, & ait: alia gloria Solis, A &c. Videtis quia promissa est Sanctorum corporibus claritas, & diuersa species claritatis, quia diuersa sunt merita charitatis.

6. *Resurrectio agilem reddet carnem, iuxta vtramque legem. 5. cont. Marc. cap. 15. in. m.*

a 1. Thess. 4. 17. b Gal. 4. 26. c Esa. 60. 8. d Amos 9. 6.

AIt, [a] *Eos qui remaneant in aduentum Christi, cum eis qui mortui in Christo primi resurgent, quod in nubibus auferentur in aërem obuiam Domino.* Agnosco his iam tunc prospectis, mirari substantias cœlestes ipsam, [b] *Hierusalem quæ sursum est*; & per Esaïam pronuntiare, [c] *Quinam hic velut nubes volent, tanquam columbæ cum pullis ad me?* Hunc ascensum si Christus nobis præparauit, erit ille Christus, de quo Amos; [d] *Qui ascensum suum ædificat in cœlos*, vtique sibi & suis: Exinde, à quo sperabo nunc, nisi à quo hæc audiui?

RESVRRECTIO AGILEM REDDET. 6. SCHOL.

QVI REMANEANT. 1. *Thess.* 4. 15. *& seq.* Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui viuimus, qui residui sumus in Aduentum Domini, *vsque ad Aduentum*, non præueniemus eos *in raptu in aëra*, qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo: & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus. IAM TVNC PROSPECTIS. *Dudum à veteri lege angelos præuidentes hanc corporum beatorum agilitatem, per Esaiam exclamasse cap. 60. 8* qui sunt isti qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas. *Tertullianus ad verbum secutus est 70.* ILLE CHRISTVS. *Filius Creatoris & Dei Prophetarum.* DE QVO AMOS. *Correxi quod in omnibus codicibus habebatur erroneè, Osee, miro lapsu memoriæ Authoris; cùm his alibi hunc locum citauerit ex Amos.* 9. 6. qui ædificat in cœlo ascensionem suam, & fasciculum suum super terram fundauit: qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen eius. *Sanct. Pagn. ex Hebr. magis fauet ascensionibus corporum beatorum, plurali vtens*: Qui ædificat in cœlo ascensiones suas, & peculium suum super terram fundauit, &c. 70. *autem.* Qui ædificat in cœlo ascensionem suam, & promissionem suam super terram fundat. *Hoc est in merito & exemplo humanitatis suæ de terra sumptæ, in qua totum eius peculium, & iuxta Paulum,* plenitudo diuinitatis inhabitat corporaliter. De cuius plenitudine omnes accepimus; In quo sunt omnes thesauri. &c. *Locos Tertullianus referre iubet libro 3. cont. Marc. cap. vlt.* Est porta quæ recipit, & quæ perducit, strata iam à Christo, de quo Amos: qui ædificat in cœlum ascensum suum; vtique non sibi soli, sed & suis, qui cum illo erunt. Et circumdabis enim illos tibi, inquit, *Esaia* 49. tanquam ornamentum sponsæ. Ita per illum ascensum ad cœlestia regna tendentes, miratur spiritus, dicens: volant velut qui sunt milui. *Esa. cap. 31. ὀρνεά. Non tantum aues, sed & accipitres significant; milui autem ex Plinio sunt species accipitrum*, vt nubes volant: & velut pulli columbarum ad me; scilicet simpliciter vt columbæ auferemur in nubibus obuiam Domino. *Et 4. cont. Marc. cap. 34. inf. nullo Propheta expressè citato recolit adhuc*, ædificantem illis ascensum suum in cœlum. *Et contra Gnosticos cap. 10.* Quas mihi, inquit, potestates Ianitrices adfirmas iuxta Romanam superstitionem, Cardeam quandam & Forculum, & Limentinum; quas à cancellis, *ab introitu*, ordinas potestates? Si vnquam legisti apud Dauid, auferte portas principes vestras, & subleuentur portæ æternæ, & intrabit rex gloriæ. Si item audisti apud Amos, qui ascensum suum ædificat in cœlos, & profusionem suam fundat in terras: *vel pluuiam vo-* B *luntariam donorum & liberalitatum spiritus: vel communicationem terræ graui corporum nostrorum, agilitatis suæ.* Scito & ascensum illum exinde complanatum vestigijs Domini, & introitum exinde reseratum viribus Christi; nec vllam moram, aut quæstionem in limine Christianis occursuram, qui non dinosci habeant illic, sed agnosci: Nec interrogari, sed admitti. *De corporum agilitate, pro libito animæ mirâ facilitate mobilium. Aug. lib. 22. de Ciuit. cap. 30.* Certè, inquit, vbi volet spiritus, ibi protinus erit corpus: nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritum possit decere nec corpus. *Et lib. 20. cap. 20. vbi locum 1. Thess. 4. præcitatum exponit; quærit.* Vtrùm, inquit, illi quos hîc viuentes inuenturus est Christus, quorum personam in se, atque illos qui tunc secum viuebant, transfigurabat Apostolus, numquam omnino morituri sint, an ipso temporis puncto, quo cum resurgentibus rapientur in nubibus obuiam Christo in aëra, ad immortalitatem per mortem mirâ celeritate transibunt? Neque enim dicendum est, fieri non posse, vt dum per aëra in sublime portantur, in illo spatio & moriantur & reuiuiscant. *Et libro 22. de Ciuit. cap. 4.* Cur, inquit, volente Deo qui fecit hoc animal, non poterit terrenum corpus, in cœleste corpus attolli, si animus omni, ac per hoc etiam cœlesti corpore præstantior, terreno corpori potuit alligari? An terrena particula tam exigua potuit aliquid cœlesti corpore melius apud se tenere, vt sensum haberet & vitam: & eam sentientem atque viuentem dedignabitur cœlum suscipere, aut susceptam non poterit sustinere, cùm de re sentiat & viuat ista meliore, quàm est corpus omne cœleste? &c. Profectò sobria ratione consulta, mirabilioris esse diuini operis reperitur, incorporalibus corporalia quodammodo attexere, quàm licet diuersa, quia illa cœlestia, ista terrestria, tamen corpora, & corpora copulare. *Et cap. 11.* In terreno ergo quid facit corpore? in hac mole quid agit subtilior omnibus? In hoc pondere quid agit leuior omnibus? in hac tarditate quid agit celerior omnibus? *agit contra Platonicos decentes quod super omnia sit animæ natura.* Itane per huius tam excellentis naturæ meritum non poterit effici, vt corpus eius leuetur in cœlum? Et cùm valeat nunc natura corporum terrenorum deprimere animas deorsum, aliquando & animæ leuare sursum terrena corpora non valebunt. *Deinde subdit argumentum ad hominem petitum ab aqua Tyberis in cribro Vestalis suspensa vi diuina*: Si Deus minor, inquit, vel Angelus vel dæmon potuit pondus humidi elementi sic suspendere, vt aquarum videatur mutata fuisse natura: Itane Deus omnipotens, qui ipse creauit elementa, terreno corpori graue pondus auferre non poterit, vt in eodem elemento habitet viuificatum corpus, in quo voluerit viuificans spiritus? &c. Sicut nullam putant vel esse,

Margin markers: C (beside "uebant, transfigurabat"), D (beside "susceptam non poterit"), E (beside "cœlum? Et cùm valeat"); S. Aug. (beside "Certè, inquit"; "Vtrùm, inquit"; "Cur, inquit"; "In terreno ergo").

vel esse, vel futuram esse terræ particulam in cœlo, ita nullam particulam videre debuimus ignis in terra. Nunc verò non solùm in terris, verùm etiam sub terris ita est, vt eum eructent vertices montium &c. Nec tamen corrumpit montes in quibus iugitèr æstuat, cauernasque terrarum. *Et lib.* 13. *de Ciuit. cap.* 18. Potest, inquit, molibus præstare terrenis, vt nullo in ima pondere deprimantur. *Retulerat exemplum artificum, vasa etiam metallica in aqua natare efficientium.* Ipsisque animis perfectissimè beatis, vt quamuis terrena, tamen incorruptibilia iam corpora, vbi volunt, ponant, & quò volunt, situ motuque facillimo. An verò si hoc Angeli faciant *qui non sunt formæ informantes, sed tantùm assistentes, & mouentes extrinsecus, sicut Philippum rapuit ad baptizandum Eunuchum, & alter Habacuc per* S. Aug.

A *capillum ad Danielem pascendum.* Vt quælibet animalia terrestria rapiant vnde libet, constituantque vbi libet; aut eos sine labore non posse, aut onera sentire credendum est? cur ergo Sanctorum perfectos atque beatos diuino munere spiritus, sine vlla difficultate posse ferre quò voluerint, & sistere vbi voluerint, sua corpora non credamus? Nolo quærere cur non credant terrenum posse esse corpus in cœlo, cùm terra vniuersa libretur in nihilo. *Et Ser.* 147. *de temp. vbi rursùm agit contra trutinatores elementorum.* Credere debemus talia corpora nos habituros, vt vbi velimus, quando voluerimus, ibi simus. &c. Vbi volueris, eris; sed à Deo non recedes: vbi volueris, eris; sed quocumque ieris Deum tuum habebis, de quo beatus eris, semper cum illo eris. S. Aug.

7. Resurget corpus spiritale, vel ob qualitatem spiritalem, vel ob reditum spiritus, id est animæ gloriosæ: vt sicut à primo Adam habemus corpus animale, sic à secundo habeamus spiritale. De Resur. cap. 53. in. m. ad. f.

HVnc ordinem Apostolus disponens, in Adam quoque & in Christo eum meritò distinguit, vt in capitibus distinctionis ipsius. Et quum Christum, nouissimum Adam appellat, hinc eum recognosce ad carnis, non ad animæ resurrectionem omnibus doctrinæ viribus operatum. Si enim & primus homo Adam caro, non anima, qui denique in animam viuam factus est; & nouissimus Adam Christus, ideo Adam, quia homo: ideo homo, quia caro, non quia anima: atque ita subiungit, [a] *Non primum quod spiritale, sed quod animale, posteà quod spiritale*, secundùm vtrumque Adam. Et quid tibi videtur corpus animale, & corpus spiritale in eadem carne distinguere, cuius distinctionem in vtroque Adam, id est, in vtroque homine præstruxit? Ex qua enim substantia pariant inter se Christus & Adam? Scilicet ex carne. licet & ex anima. Sed carnis nomine homo vterque sunt. Prior enim caro homo. Ex illa & ordinem admittere potuerunt, vt [b] *alter primus, alter nouissimus homo, id est Adam*, deputarentur. Cæterùm, diuersa in ordinem disponi non possunt; de substantia duntaxat. de loco enim, aut tempore, aut conditione, forsitan possint. Hîc autem de substantia carnis, primus & nouissimus dicti sunt: sicut & rursus *primus homo de terra, & secundus de cœlo.* quia etsi de cœlo secundùm spiritum, sed homo secundùm carnem. Itaque, cùm carni conueniat ordo in vtroque Adam, non animæ; vt *primus homo in animam viuam, nouissimus in spiritum viuificantem*, distincti sint; æquè distinctio eorum, carni distinctionem præiudicauit; vt de carne sit dictum, *Non primum quod spiritale, sed quod animale, posteà quod spiritale*: atque ita eadem sit & suprà intelligenda, & quæ seminetur corpus animale, & quæ resurgat corpus spiritale; quia *non primum quod spiritale, sed quod animale: quia primus Adam in animam, nouissimus Adam in spiritum.* totum de homine, totum de carne, quando de homine. Quid ergo dicemus? nonne & nunc habet caro spiritum ex fide? vt quærendum sit, quomodo corpus animale dicatur seminari. Planè accepit & hîc spiritum caro, sed arrabonem; animæ autem non arrabonem, sed plenitudinem. Itaque etiam propterea maioris substantiæ nomine animale corpus nuncupata est, in qua seminatur; futura proinde per plenitudinem spiritus insuper spiritale, in qua resuscitatur. Quid mirum, si magis inde vocitata est, vnde conferta est, quàm vnde respersa?

1. Cor. 15. 22. — a Ibid. 46. — b Ibid. 47. — Ibid.

8. Et 5. cont. Marc. cap. 10. à p.

PRoinde & si [a] *seritur animale, resurgit spiritale.* Et si habet aliquod proprium corpus anima vel spiritus, vt possit videri, corpus animale, animam significare, & corpus spiritale, spiritum; non ideo animam dicit in Resurrectione spiritum futurum, sed corpus, quod cum anima nascendo & per animam viuendo, animale dici capit, futurum spiritale, dum per spiritum surgit in æternitatem. Denique, si non anima, sed caro seminatur in corruptela dum dissoluitur in terram, iam non anima erit corpus animale, sed caro, quæ fuit corpus animale. Siquidem de animali efficitur spiritale, sicut & infrà dicit, [b] *Non primum quod spiritale.*

a 1. Cor. 15. 44. — b 1. Cor. 15. 46.

RESVRGET CORPVS SPIRITALE. 7. & 8. SCHOL.

HVNC ORDINEM. *Cùm Marcionitæ, aliique similes, vt negarent resurrectionem carnis, locum Pauli de corpore animali seminato, & spiritali resurgente, non de carne animata prius, sed de anima stultè*

exponerent: dicit Apostolum sic disposuisse ordinem formationis, & reformationis hominis, adductis exemplis, primi & secundi Adam, qui fuerunt capita generis humani; in quibus manifestè patet prius carnem, quàm animam fuisse dispositam; vt totis rationis viribus egerit, vt persuaderet se hoc cap. 1. Cor. 15. non de animæ, sed de carnis resurrectione tractasse. PRIMVS HOMO, CARO. *Adam prius homo dictus est vt patet ex textu Genesis, ex parte carnis facta de limo, quàm fieret in animam viuentem. Nec appellatus est anima, sed caro & homo ab humo. Sic Christus nouissimus Adam dictus est, & homo ob carnem quam sumpsit ex humo:* dum veritas de terra orta

S. Aug. est, *hoc est ex Aug.* Christus ex Maria suscepit de terra terram. *Et licet naturam humanam perfectam* B *assumpserit, proindéque animam rationalem; tamen sicut Adam non dicitur factus anima, sed homo de terra: sic de Christo dictum:* Et Verbum caro factum est. ITA SVBIVNGIT. 1. *Cor.* 15. 46. Factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem. *Syr. vitam largientem.* Sed non prius quod spiritale est, *Syr. sed non fuit primùm spirituale*, sed quod animale; Deinde quod spirituale. Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœlestis, tales & cœlestes. IN EADEM CARNE. *Dum Paulus non de anima, sed carne distinctionem posuit, inter animalem, & spiritalem, & gradus similiter distinxit, prius & posterius factâ, in vtroque homine, siue Adam primo & nouißimo, præmisit distinctio-* C *nem iuxta eandem carnem. Neque enim quæ diuersæ substantiæ sunt, inter se ordinem admittunt.* PARIANT. *Comparantur, vt similes inter se quoad naturam humanam.* SECVNDVM SPIRITVM. *In quantum Deus, & spiritus est.* ATQVE ITA EADEM. *&c. Vnde concludit de eadem carne Paulum dixisse non verò de anima*, seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale. *Quia dixit Paulus* non prius quod spiritale, sed quod animale; *quia prius Adam homo fuit ex humo, quàm fieret in animam viuentem; & secundus Adam prius item fuit homo, hoc est, carnem habuit animalem, proindéque mortalem, quàm fieret in spiritum viuificantem; hoc est, in carnem spiritalem, & dote gloriosa penetrationis, illæso tumulo eiusque signaculo, resurgentem, cæterisque beatorum corporibus vitam largientem. Adeò vt non simpliciter de nouißimo Adam sentiendum sit, quòd sit factus in spiritum viuificantem, cùm de Spiritu sancto conceptus; iuxta Euangelium quod in eo natum est de carne virginis matris, caro fuerit, quod natum de Spiritu, spiritus, & illæsa matre penetrando egressus per portam clausam principis: quod nulli alteri concessit: sed insuper factus est in spiritum viuificantem, siue vitam largientem; cum corpus eius nostris simile præter corruptionem vermium, in terra seminatum est animale prius, vt posterius surgeret spiritale, & hanc spiritalem qualitatem nostris corporibus imprimeret. Vnde Chrysol. ser. 59. à medio. Iuxta granum frumenti in ter-* E *ra mortuum & multum fructum afferens*: vt, inquit, ex illius semine corporis, omnis humanorum corporum satio vitalem surgeret & leuaretur in messem. SPIRITVM EX FIDE. *Non intelligit animam rationalem, sed carnem spiritalem, quam nos iam animalem seminamus, sperantes & credentes nos eam recepturos spiritalem. Licet enim & in hac vita pignus Spiritus accipiamus, hoc est cum eo, dona spiritalia, & sacramenta per carnem suscipiamus, vitam verò animalem, plenè ac totaliter caro poßideat; Ideo caro propter hanc plenitudinem vitæ animalis & sensitiuæ quàm hic possidet, propriè corpus animale dicitur, & portare dum viuit, & in terra seminare dum moritur. Sed in resurrectione dicetur corpus spiritale, acceptâ plenitudine spiritus, vt vbi voluerit, spiret, euolet, penetret, illæsa,*

A *incorruptibilis. &c. Cuius arras accepit in Christo capite suo, in verbo Dei quod & spiritus & vita est, per auditum suscepto: & per Sacramenta, signa sensibilia, quibus per carnem anima Spiritum sanctum vnà cum eius donis accipit.* INDE VOCITATA. *dicta est caro potius corpus animale, quòd tota ex sensibus animalibus & corruptibilibus constata sit; quam corpus spiritale; quia iam in hac vita tantùm foris aspergitur aliquo rore Spiritus sancti, quo tota replebitur in resurrectione, facta corpus spiritale.*

8. PROPRIVM CORPVS. *alibi dixit*, sui generis corpus, *iuxta errorem suum. Vnde & subijcit, etiam in resurrectione animam non dicendam spiritum, sed corpus. Melius tamen ad propositum resurrectionis, per* animam *intelligendo corpus animale, hoc corpus animale, & sensitiuum, quòd simul cum anima in vtero matris seritur & nascitur, (vt & alibi dicit, & à nobis refellitur error eius de anima ex traduce;) dici quidem potest animale, eo quòd per animam viuat, non est futurum in resurrectione spiritus, ita vt amittat substantiam suam corpoream; sed erit per nouam qualitatem, corpus spiritale, dum per qualitatem spiritalem, ex corruptibili animalitate, resurget in spiritalem incorruptibilitatem; & agilitatis dote ascendet in mansionem æternam; & ex dura & resistenti opacitate mutabitur in spiritalem penetrabilitatem. Duo cum Augustino differenda sunt, in his duobus textibus à Tertulliano constricta, & ad mentem Pauli de resurrectione exponenda. Et primò quidem, quòd primus homo sit factus in animam viuentem. &c. Itaque Ep. 146. ad Consentium:* Siue, inquit, intelligatur primus Adam qui de puluere antè formatus est; nouissimus autem Adam qui de Virgine procreatus est: siue in vnoquoque homine vtrumque compleatur, vt primus Adam sit in corpore mortali, nouissimus Adam idem ipse in corpore immortali: tamen inter animam viuentem & spiritum viuificantem hoc interesse voluit, vt illic sit corpus animale, hîc spiritale. Anima quippe in corpore animali viuit quidem, sed non viuificat vsque ad auferendam corruptionem. In corpore verò spiritali, quoniam perfectè adhærens Domino, vnus spiritus est 1. D Cor. 6. 17. Sic viuificat, vt spiritale corpus efficiat, absumens omnem corruptionem, nullam metuens separationem. Proinde sequitur, sed non prius quod spiritale est, sed quod animale, posteà quod spiritale. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cœlestis: qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœlestis, tales & cœlestes. Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem eius qui de cœlo est. Quid est, qualis terrenus, tales & terreni: nisi mortales ex mortali? Et quid est, qualis cœlestis, tales & cœlestes; nisi immortales per immortalem? illud per Adam, hoc per Christum. Dominus enim ad hoc terrenus factus est, cùm esset cœlestis; vt eos qui terreni erant, faceret cœlestes. Hoc est, ideo ex immortali mortalis factus est assumendo serui formam, non Domini mutando naturam; vt eos qui mortales erant, faceret immortales, impertiendo Dominicam gratiam, non seruilem iniuriam retinendo. *Et lib. 13. de Ciuit. cap. 23.* Sicut ista, inquit, quæ habent animam viuentem, *agit de corporibus nostris iam mortalibus*, nondum spiritum viuificantem, animalia dicuntur corpora: nec tamen animæ sunt, sed corpora: ita illa, spiritalia vocantur corpora. *Scilicet resuscitata*, absit tamen vt spiritus ea credamus futura, sed corpora, carnis habitura substantiam, sed nullam tarditatem, corruptionemque carnalem spiritu viuificante passura. Tunc iam non terrenus, sed cœlestis homo erit,

S. Aug.

S. Aug.

non quia corpus de terra factum est non ipsum erit; sed quia dono cœlesti iam tale erit, vt etiam cœlo incolendo, non amissa natura, sed mutata qualitate conueniat. Primus autem homo de terra terrenus in animam viuentem factus est, non in spiritum viuificantem, quod ei ei per obedientiæ meritum seruabatur, &c. *Subijcit deinde ex Rom. 8.* Si spiritus eius qui suscitauit Christum à mortuis habitat in vobis, qui suscitauit Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem spiritum eius in vobis. Tunc ergo erit corpus in spiritum viuificantem, quod nūc est in animam viuentem, &c. volens ab spiritali quod in resurrectione futurum est, hoc quod nunc est animale discernere: Seminatur, inquit, in corruptione, &c. seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Deinde vt hoc probaret, si est, inquit, corpus animale, est & spiritale. Et vt quid esset corpus animale ostenderet, sic, inquit, scriptum est: factus est primus homo in animam viuentem, &c. Spiritale autem quemadmodum intelligendum esset, ostendit addendo: nouissimus autem Adam in spiritum viuificantem: proculdubio Christum significans, qui iam ex mortuis ita surrexit, vt mori omnino deinceps non possit. Deinde sequitur & dicit: sed non primùm quod spiritale est, &c. vbi multò apertiùs declarauit, se animale corpus insinuasse in eo quod scriptum est: factum esse primum hominem in animam viuentem: spiritale autem in eo quod ait, nouissimus Adam in spiritum viuificantem. Priùs est enim animale corpus: quale habuit primus Adam, quamuis non moriturum nisi peccasset: quale nunc habemus & nos, &c. quale pro nobis etiam Christus primitùs habere dignatus est, non quidem necessitate, sed potestate. Postea verò spiritale, quale iam præcessit in Christo tanquam in capite nostro: secuturum est autem in membris eius vltimâ resurrectione mortuorum, &c. *Tum verò prosequitur de terrenæ, & cœlestis imagine induta, & induenda:* hoc, inquit, Apostolus ita posuit, vt nunc quidem in nobis secundùm Sacramentum regenerationis fiat: sicut alibi dicit: quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis: re autem ipsa tunc perficietur, cùm & in nobis quod est animale nascendo, spiritale factum fuerit resurgendo. *De Christo tandem homine cœlesti sic fatur:* cœlestem, inquit, hominem vult intelligi, quia de cœlo venit, vt terrenæ mortalitatis corpore vestiretur, quod cœlesti immortalitate vestiret. Cœlestes verò, ideo appellat & alios quia fiunt per gratiam membra eius: vt cum illis sit vnus Christus, velut caput & corpus. *Spiritalia porrò & cœlestia corpora nostra erunt, non mutatâ substantiâ corporali, sed nouâ spiritali qualitate assumptâ. Ita Aug. lib. 13. de Ciuit. cap. 20.* Sicut, inquit, spiritus carni seruiens, non incongruè carnalis; ita caro spiritui seruiens rectè appellabitur spiritalis; non quia in spiritum conuertetur, sicut nonnulli putant, eò quòd scriptum est: seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale: sed quia spiritui summâ & mirabili obtemperandi facilitate subdetur, vsque ad implendam immortalitatis indissolubilis securissimam voluntatem, omni molestiæ sensu, omni corruptibilitate, & tarditate detractâ. *Adde & massali dura, resistente, locali quantitate subducta; & penetrabilitatis qualitate inducta; ob quam Christus velut spiritus egressus de tumulo, & ianuis clausis in cœnaculo stans, pro phantasmate & spiritu habitus est, nisi palpandum se dedisset Apostolis. Quâ tandem dote, motus Paulus Hebr. 4. 12. vbi Verbum Dei viuum & efficax & penetrabilius omni gladio ancipiti dixisset; versu 14. concludit: habentes ergo Pontificem magnum qui penetrauit cœlos Iesum filium Dei, teneamus confessionem.* Non solùm enim non erit tale quale nunc est in quauis optima valetudine: sed nec tale quidem quale fuit in primis hominibus ante peccatum. Qui licet morituri non essent antequam peccassent, alimentis tamen vt homines vtebantur, nondum spiritalia, sed adhuc animalia corpora terrena gestantes. *Et cap. 22.* Spiritalia, inquit, erunt non quia corpora esse desistent, sed quia spiritu viuificante subsistent. *Et to. 3. lib. de fide & symbolo. cap. 6.* Surget corpus spiritale. Non ita dictum est quasi corpus vertatur in spiritum, & spiritus fiat: quia & nunc corpus nostrum quod animale dicitur, non in animam versum est, & anima factum. Sed spiritale corpus intelligitur, quia ita coaptatum est, vt cœlesti habitationi conueniat, omni fragilitate & labe terrena, in cœlestem puritatem & stabilitatem mutata atque conuersa. Hæc est immutatio, de qua iterum dicit Apostolus, omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur: quam immutationem non in deterius, sed in melius fieri docet idem cùm dicit, & nos immutabimur. *Et ser. 147. de temp.* Dabit, inquit, Deus miram facilitatem, *in penetrando*, miram leuitatem. Non sine causa illa corpora spiritalia nuncupata sunt: non ideo dicta sunt spiritalia, quia erunt spiritus, non corpora. Nam ista quæ modò habemus, dicuntur animalia corpora, & tamen animæ non sunt, sed corpora, &c. quare dicitur spiritale corpus, charissimi, nisi quia ad nutum spiritus seruiet? nihil tibi contradicit ex te, nihil in te rebellat aduersus te. Non ibi erit quod Apostolus gemit; caro concupiscit, &c. Video aliam legem in membris meis, &c. hæc bella ibi non erunt, pax ibi erit, pax perfecta ibi erit. Vbi volueris eris, sed à Deo non recedes.

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

9. *Resurrectio homines æquabit Angelis. 3. cont. Marc. cap. 9. in f.*

HÆreticis renuntiemus, eius esse promissum, homines in angelos reformandi quandoque, qui angelos in homines formarit aliquando. Matth. 22. 30. Gen. 18. 2.

10. *Et 3. cont. Marc. cap. 24. circa m.*

TVnc & mundi destructione, & iudicij conflagratione commissa, demutati in atomo, in angelicam substantiam, scilicet per illud incorruptelæ superindumentum, transferemur in cœleste regnum. 1. Cor. 15. 52. Matth. 22. 30.

11. *Resurrectio homines reddet immortales & innubos vt Angelos. De Resur. cap. 36. à m.*

a Luc.20. 34. 35. Matth.22 30. SI nupturos tunc negauit, ideo nec resurrecturos demonstrauit. Atquin [a] *filios resurrectionis* appellauit, per eam quodammodo nasci habentes; postquam non nubent, sed resuscitati: *similes enim erunt Angelis*; quà non nupturi, quia nec morituri; sed quà transituri in statum Angelicum, per indumentum illud incorruptibilitatis, per substantiæ, resuscitatæ tamen, demutationem. Cæterùm nec quæreretur, nupturi, siue morituri, necne, rursus essemus, si non eius vel maximè substantiæ restitutio in dubium vocaretur, quæ propriè & morte & nuptiis fungitur; id est carnis.

12. *Resurrectio nuptias non admittit, sed hominem beatum æquat Angelis. 1. ad vxo. cap. 1. in. m. ad. f.*

Matth.22 30. Ibid. Vers. 25. CHristianis seculo digressis, nulla restitutio nuptiarum in die resurrectionis repromittitur, translatis scilicet in angelicam qualitatem & sanctitatem. Proinde sollicitudo nulla quæ de carnis zelo venit, etiam illam septem maritorum resurrectionis dies offendet, nec quisquam illam confusurus expectat. Quæstio Sadducæorum cessit sententiæ Domini. Nec me putes propter carnis tuæ integritatem mihi perseruandam, de contumeliæ dolore suspectum, insinuare iam hinc tibi consilium viduitatis. Nihil tunc inter nos dedecoris voluptuosi resumetur. Non enim tam friuola, tam spurca Deus suis pollicetur. Sed an tibi, vel cuicumque alij feminæ ad Deum pertinenti, proficiet quod suademus, licet pertractare.

V. Verbum: caro hominis, per totum; maximè in ordine ad gloriam.

RESVRRECTIO HOMINES ÆQVABIT ANGELIS. 9. 10. 11. 12. SCHOL.

RENVNTIEMVS. *Respondeamus Marcionitis, eundem ipsum Deum Creatorem esse qui promisit se aliquando, hoc est in consummatione sæculi, homines Angelis conformandos, in æternum cum eis beatè immortaliterque victuros; qui olim Angelos hominibus conformauit, vt cum hominibus conuersarentur, & viuerent.*

10. CONFLAGRATIONE COMMISSA. *Facta, cùm* elementa calore soluentur: Ignis in conspectu eius exardescet, ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. IN ATOMO. 1. *Cor.* 15. 52. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. &c. *Syr. verò*: subitò, quasi ictu oculi, per extremam tubam. IN ANGELICAM SVBSTANTIAM. *Non per transubstantiationem, aut immutationem substantiæ humanæ in Angelicam, sed qualitatis grauis, & densæ, & obscuræ, ac mortalis, in claram, subtilem, agilem, incorruptibilem; ob quas suprà diximus corpus spiritale futurum.*

11. TVNC NEGAVIT. *Cùm contra Sadducæos ageret Christus, vt non semel exposuimus suprà.* ATQVIN. Quinimo. FILIOS RESVRRECTIONIS. *Luc.* 20. 34. *& seq.* Filij huius sæculi nubunt, & traduntur ad nuptias: Illi verò qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis, *Syr. quæ est à domo mortuorum*, neque nubent, neque ducent vxores: *vt successores post mortem suam generent, & velut in posteris renati viuant*, neque enim vltra mori poterunt: æquales enim Angelis sunt, & filij sunt Dei, cùm sint filij Resurrectionis. DEMVTATIONEM, *accidentalem, non substantialem.* EIVS SVBSTANTIÆ, *corporeæ enim proprium est, nubere siue generare, & mori, quod non conuenit Angelis, nec carni tunc futuræ simili substantiæ Angelicæ, ingenerabili & immortali.*

12. SÆCVLO DIGRESSIS. *Mortuis.* DE CARNIS ZELO, *æmulatione nuptiali, quâ sponsa carnem sponsus zelatur sibi soli seruari.* ETIAM ILLAM. *Scilicet carnem septem maritorum, successiuè eandem vxorem ducentium.* ILLAM CONFVSVRVS. *toties nuptam.*

A QVOD SVADEMVS. *Continentiæ & monogamiæ obseruantiam, quam tibi vt vxori persuadeo. Toties inculcata resurrectionis gloria Angelica similis causas lubet acriùs indagari; ac primò quidem Angelicam fore resurrectionem aduerto, quòd iuxta Paulum. 1. Thess. 4. 16.* Ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo. *Vel vt hic habet Tertullianus*, Demutati in atomo &c. *de quo Augustinus Ep. 49. ad Deogratias. q. 1.* Vt radius oculi nostri non citiùs peruenit ad propinquiora, quàm ad longinquiora, sed vtraque interualla parili celeritate contingit: Ita cùm in ictu oculi, sicut Apostolus dicit, fit resurrectio mortuorum, omnipotentiæ Dei, & ineffabili nutui tam facilè est, quæque recentia, quàm diuturno tempore dilapsa cadauera suscitare. *Et Ep. 146. ad Consentium.* In atomo, inquit, hoc est in puncto temporis quod diuidi non potest. In ictu oculi, hoc est in summa celeritate. In nouissima tuba, hoc est in nouissimo signo quod dabitur, vt ista compleantur. *Et lib. 1. de Ciuit. cap.* B 12. Ipsius carnis, & membrorum omnium reformatio, non solùm ex terra, verùm etiam ex aliorum elementorum secretissimo sinu, quò dilapsa cadauera recesserunt in temporis puncto reddenda & redintegranda promittitur. *Secundò quia ministris Angelis, vt pote cinerum collectoribus, resurrectio fiet. Aug. ser. 180. de temp.* Dies erit tremendi iudicij, descensus Angelorum, resurrectio mortuorum. Descendent Angeli, & quodam digito tubæ sonantis, tangent sepulchra terræ trementis, vt pignora restituant throno igneo iudicantis. *Tertiò quia iuxta Psaltem, de hominibus gloriosis, Deus implebit ruinas Angelorum, Aug. to. 3. in Enchyr. ad Laur. cap. 29.* Placuit vniuersitatis Creatori atq; moderatori Deo, vt quoniam non tota multitudo Angelorum Deum deserẽdo perierat, ea quæ perierat, in perpetua perditione remaneret: quæ autem cum Deo, illa deserente persliterat, de sua certissimè cognita semper futura fœlicitate secura gauderet: alia verò creatura rationalis quæ in

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

hominibus erat; quoniam peccatis atque suppliciis, & originalibus & propriis tota perierat, ex eius parte reparata, quod Angelicæ societati ruina illa diabolica minuerat, suppleret. Hoc enim promissum est resurgentibus sanctis, quod erunt æquales Angelis Dei. Itaque superna illa Ierusalem mater nostra ciuitas Dei, nulla ciuium suorum numerositate fraudabitur, sed vberiore etiam copiâ fortasse regnabit. Neque enim numerum aut Sanctorum hominum, aut immundorum dæmonum nouimus, in quorum locum succedentes filij matris Ecclesiæ quæ sterilis apparebat in terris, in ea pace de qua illi ceciderunt, sine vllo temporis termino permanebunt. Sed illorum ciuium numerus, siue qui est, siue qui futurus est, in contemplatione est eius artificis, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, atque in mensura, & numero, & pondere, cuncta disposuit. *Non ergo mirum est si innubis & immortalibus spiritibus æqualia erunt corpora beatorum. Vnde Aug. lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 35.* Cùm hoc

S. Aug. corpus iam non animale, sed per futuram commutationem spiritale receperit, *supple anima hominis,* Angelis coæquata, perfectum habebit naturæ suæ modum, obediens & imperans, *Deo, & corpori,* viuificata, & viuificans, tam ineffabili facilitate, vt sit ei gloriæ, quod sarcinæ fuit. *De Angelis innubis, & numero electorum qui in resurrectione futuri sunt æquales Angelis; rursus idem to. 3. lib. 9. de Gen. ad*

S. Aug. *lit. cap. 3.* Si quæritur, inquit, ad quam rem fieri oportuerit adiutorium homini secundùm ipsum; nihil aliud probabiliter occurrit, quam propter filios procreandos: sicut adiutorium semini terra est, vt virgultum ex vtroque nascatur, &c. quanquam iam emissi de paradiso conuenisse & genuisse commemorentur, tamen non video quid prohibere potuerit, vt essent eis in paradiso honorabiles nuptiæ, & thorus immaculatus: hoc Deo præstante fideliter iustéque viuentibus, eique obedienter sanctéque seruientibus, vt sine vllo inquieto ardore libidinis, sine vllo labore ac dolore pariendi, fœtus ex eorum semine gignerentur: non vt morientibus parentibus filij succederent, sed vt illis qui genuissent in aliquo formæ statu manentibus, & ex ligno vitæ quod ibi plantatum est corporalem vigorem sumentibus, & illi qui gignerentur, ad eundem perducerentur statum: donec certo numero impleto, si iustè omnes obedienterque viuerent, tunc fieret illa commutatio, vt sine vlla morte, animalia corpora conuersa in aliam qualitatem, eo quòd ad omnem nutum regenti spiritui deseruirent, *sicut cœli intelligentiis motricibus, & corpora assumpta Angelis:* & solo spiritu viuificante, sine vllis alimentorum corporalibus substentaculis viuerent, spiritalia vocarentur. *Et libro de agone Christiano, cap. 32.*

S. Aug. Nec eos, inquit, audiamus qui carnis resurrectionem futuram negant, & commemorant quod ait Apostolus, caro & sanguis regnum Dei non possidebunt: non intelligentes quòd ipse dicit Apostolus; oportet corruptibile hoc, induere incorruptionem, &c. Cùm enim hoc factum fuerit, iam non erit caro & sanguis, *corruptibilis scilicet, vt nunc est.* sed cœleste corpus. Quod & Dominus promittit, cùm dicit, neque nubent, neque vxores ducent, sed erunt æquales Angelis Dei. Non enim iam hominibus, sed Deo viuent, cùm æquales Angelis facti fuerint. Immutabitur ergo caro & sanguis, & fiet corpus cœleste & Angelicum. Et mortui enim

A resurgent incorrupti, & nos immutabimur: vt & illud verum sit, quòd resurget caro; & illud verum sit, quòd caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. *Aliam ex Aug. subiicio cum Angelis paritatem. Pinguntur alati propter agilitatem, similia erunt corpora beatorum: de quibus to. 6. lib. de bono coniugali.* S. Aug.

cap. 2. Corpus non spiritale illis hominibus, sed primò animale factum erat, vt obedientiæ merito postea fieret spiritale, ad immortalitatem capessendam, non post mortem quæ inuidiâ diaboli intrauit in orbem terrarum, & facta est pœna peccati: sed per illam commutationem quam significat Apostolus, vbi ait; Deinde nos viuentes qui reliqui sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Christo

B in aëra. *Omnes tandem dotes, quibus æquales erimus Angelis, agilitatem, claritatis gloriam, subtilitatis virtutem, immortalitatis vigorem, vno simul loco cum Apostolo complexus est to. 9. lib. 2. de Symb. ad Catech.* S. Aug.

cap. 11. Qualia, inquit, futura sunt nostra corpora Paulus Apostolus dicit: seminatur in corruptione, resurget in incorruptione; seminatur in infirmitate, resurget in virtute: seminatur in contumelia, surget in gloria: seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Incorruptio hæc, virtus, & gloria, & spiritus viuificans, faciet nos, sicut ipse Dominus promittere dignatus est, æquales Angelis Dei: vt viuamus cum ipsis in æterna vita, in vna immortalitate, ac sempiterna patria. In qua patria vita nostra æterna ipse Christus erit. Ipse enim est ve-

C rus Deus & vita æterna. *Nec silentio premam quod de claritate faciei & vestimenti Angelici ad Christi tumulum, iuxta Euangelia refertur in rem resurrectionis aptissimum. Nam præterquam Dan. 10. 6. de Gabriele dicitur:* corpus eius quasi chrysolithus, & facies eius velut species fulguris, & oculi eius vt lampas ardens: *Et Luc. 2. 9. vbi de Pastoribus Bethlehem.* Ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas, *Syr. gloria,* Dei circumfulsit eos. *De Angelo sanctis mulieribus apparente legitur Matth. 28. 3. Christo iam suscitato:* erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimenta eius sicut nix. *Luc. 24.* Ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. *Translat. Syr.* Quorum coruscabat vestimentum. *Chrysol. de veste niuea. ser. 77. à medio.* Quid, inquit, facit vestis, vbi

D nulla est nuditas? quid indumentum, vbi tegendi necessitas non habetur? sed Angelus, fratres, nostrum habitum in resurrectione taliter præfigurat; vbi homo ipsâ corporis sui claritate vestitur: dicente Domino Matth. 13. tunc iusti fulgebunt sicut Sol. *Tandem de terræ motu facto. Matth. 28. 2.* Et ecce terræ motus factus est magnus, Angelus enim Domini descendit de cœlo. *Quod sic pensat idem Chrysol. ser. 74. à p.* Tremuit, inquit, terra; non quia Angelus descendit de cœlo, sed quia ab inferis dominator ascendit, &c. mouetur chaos, dissiliunt ima terrarum: addicitur mors, *condemnatur ipsa morti;* quæ in reos tendens, incurrit in iudicem. Dominata seruis, exarsit in Dominum: sæuiens in ho-

E mines, prosiliuit in Deum. Meritò ergo perit lex tartari, remota sunt inferni iura, potestas mortis ablata est, & in pœnam temeritatis, suscitauit mortuos cognitoris iniuria. *Et hæc prolixè de resurrectione, iuxta Scripturam, & Patres, contra infideles pro fide & spe fidelium, non modò necessaria, sed iucundissima commentabar. Accipite Lectores Paulum sic claudentem cap. 4. 1. Thess.* Sic semper cum Domino erimus. Itaque consolamini inuicem in verbis istis.

REX ET REGNVM.

1. *Regni fœlicitas Deo vero tribuenda Apol. cap. 26. in p.*

VIdete igitur ne ille regna dispenset, cuius est & orbis qui regnatur, & homo ipse qui regnat: ne ille vices dominationum ipsis temporibus in sæculo ordinauerit, qui ante omne tempus fuit, & seculum corpus temporum fecit: ne ille ciuitates extollat aut deprimat, sub quo fuit aliquando sine ciuitatibus gens hominum.

REX ET REGNVM. 1. SCHOL.

VIDETE IGITVR. *Aduertite Gentiles non vestri Iouis, Saturni, vel Martis, aut alterius Dei, sed vnius summi veri Dei nutu & prouidentiâ regna terræ diuidi & dispensari, ad quem terrarum orbis pertinet, cuius partibus Reges imperant, & ipsi qui imperant.* VICES DOMINATIONVM. *Sicut patet Dan. 2. in statua, cuius aureum erat caput, & regnum Babylonis significabat; pectus & brachia de argento, Persarum; venter & femora ex ære, Græcorum; tibiæ ferreæ, Romanorum, repræsentabat.* SÆCVLVM, *mundum siue eius durationem ordinauit esse velut corpus temporum, cui vices temporum imperarent: centies Scriptura Deum orbis Dominum dixit*, cuius in manu potestas & imperium. *Qui dixit Prouerb.* 8. 15. Per me Reges regnant & legum conditores iusta decernunt. *Translat.* 70. Et Dynastæ scribunt iustitiam. *Et Eccli.* 10. 8. Regnum a gente in gentem transfertur, propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos. *Et Prouerb.* 8. 31. Ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum. *Hæ sunt vices de quibus hic Tertullianus: vt quæ in orbe & rota elata sunt, deprimat; quæ depressa extollat, hic ludus æternæ sapientiæ:* hunc humiliat & hunc exaltat. *Augustinus lib.* 1. *de consensu Euang. cap.* 12. Solebant, inquit, Romani Deos Gentium quas subiugabant colendos propitiare, & eorum sacra suscipere. Hoc de Deo gentis Hebrææ, cùm eam vel oppugnauerunt vel vicerunt, facere noluerunt. Credo quod videbant, si eius Dei sacra reciperent, qui se solum, deletis etiam simulachris coli iuberet, dimittenda esse omnia quæ priùs colenda susceperant, quorum religionis imperium suum creuisse arbitrabantur. In quo eos plurimum fallacia dæmonum decipiebat: nam vtique intelligere debebant, occultâ Dei veri voluntate, penes quem rerum summa potestas est, sibi datum, & auctum regnum, non illorum Deorum fauore: qui si aliquid in hac re potestatis habuissent, suos potiùs protexissent, ne à Romanis superarentur, aut ipsos eis Romanos edomitos subiugassent, &c. Quin potiùs nec illos deserendo presserunt, nec ad istos transeundo, eos aliquid adiuuerunt, quia non habent in potestate, regnum dare & auferre; sed Deus vnus & verus hoc agit occulto iudicio: non continuò beatos facturus, quibus terrenum regnum dederit; nec continuò miseros quibus ademerit: sed beatos vel miseros propter aliud, & aliunde faciens, temporalia regna atque terrena quibus voluerit, & quandiu voluerit, secundùm prædestinatum ordinem sæculorum, vel sinendo, vel donando distribuit. *Et libro* 18. *de Ciuit. cap.* 2. Factum est, inquit, vt non sine Dei prouidentia, in cuius potestate est, vt quisque bello aut subiugetur, aut subiuget, quidam essent regnis præditi, quidam regnantibus subditi. Sed inter plurima regna terrarum, in quæ terrenæ vtilitatis, vel cupiditatis est diuisa societas; duo regna cernimus longè cæteris prouenisse clariora: Assyriorum primum, deinde Romanorum; vt temporibus, ita locis, inter se ordinata atque distincta. Nam quo modo illud priùs, hoc posterius: eo modo illud in Oriente, hoc in Occidente surrexit. Denique in illius fine, huius initium confestim fuit. Regna cætera cæterosque reges velut appendices istorum dixerim.

(Margin: A; S. Aug.; B; S. Aug.)

2. *Regibus & Magistratibus, quis timor & obedientia debeatur. Scorp. cap. 14. per totum.*

a Rom. 13. 1. & seq. PLanè monet Romanos [a] *omnibus potestatibus subiici, quia non sit potestas nisi à Deo, quia non sine causa gladium gestet, & quia ministerium sit Dei; sed & vltrix*, inquit, *in iram ei qui malum fecerit.* Nam & præmiserat, *Principes enim non sunt timori bono operi, sed malo. Vis autem non timere potestatem? fac bonum, & laudem ab ea referes. Dei ergo ministra est tibi in bonum. Si verò malum facias, time.* Ita, non in occasione frustrandi martyrij iubet te subiici potestatibus, sed in prouocatione benè viuendi, etiam sub illarum respectu, quasi adiutricum iustitiæ, quasi ministrarum diuini iudicij, hîc etiam de nocentibus præiudicantis. Dehinc & exequitur quomodo velit te subiici potestatibus, reddere iubens, [b] *cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal*; id est, [c] *quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ Dei Deo*; solius autem Dei homo. Condixerat, scilicet Petrus, [d] *Regem quidem honorandum*, vt tamen tunc rex honoretur, quum suis rebus insistit, quum à diuinis honoribus longè est; quia & pater & mater diligentur; cum Deo non comparabuntur. Ceterùm, super Deum diligi nec animam licebit.

b Rom. 13. 7. c Matth. 22. 21. d 1. Pet. 2. .. Luc. 14. ..

3. *Rex & Princeps honorandus absque excessu & idololatria. De idol. cap. 15. circa f.*

Rom. 13. 1. & seq. QVod attineat ad honores Regum vel Imperatorum, satis præscriptum habemus, in omni obsequio esse nos oportere, secundùm Apostoli præceptum subditos magistratibus & principibus & potestatibus; sed intra limites disciplinæ, quousque ab idololatria separamur. Propterea enim & illud exemplum trium fratrum præcucurrit, qui Dan. 3. 18 aliàs obsequentes erga Regem Nabuchodonosor, honorem imaginis eius constantissimè

respuerunt, probantes idololatriam esse quicquid humani honoris modum ad instar diuinæ sublimitatis extollit. Sic & Daniel cetera Dario subnixus, tamdiu fuit in officio, quamdiu à periculo disciplinæ vacaret. Nam id ne subiret, non magis leones regios timuit, quàm illi regios ignes. *Vide verbum Imperator.* Daniel.6.16.

REGIBVS ET MAGISTRATIBVS. 2. & 3. SCHOL.

MONET ROMANOS. *Rom.* 13. 1. *& seq.* Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. *Syr. iudices enim non sunt terrori bonis operibus, sed malis.* Vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram, ei qui malè agit. Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis. *Syr. pecuniam capitatim datis.* Ministri enim B Dei sunt, in hoc ipsum seruientes. *Syr. super huiusmodi rebus constituti.* Reddite ergo omnibus debita; Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. FRVSTRANDI MARTYRII. *Dum Paulus iubet nos subiici potestatibus sæculi, non id præcipit, vt coronam Martyrij oblatam recusemus, idololatriæ consentientes, & contra Deum summum iudicem & Regem, hominibus parentes; sed vt etiam spe laudis & timore pœnæ, in rebus iustis eis obtemperemus, quæ & ante Christi iudicium, vt Dei præministra potestates pœnas nocentibus imponunt à Deo ordinatæ.* CONSIXERAT PETRVS. *Paulo suffraganeus.* 1. *Pet.* 2. 13. Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: C siue Regi quasi præcellenti; siue ducibus tanquam à Deo missis ad vindictam malorum, laudem verò bonorum: quia sic est voluntas Dei, vt benè facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. *Syr. qui non norunt Deum, &c.* Et versu 17. Deum timete, Regem honorificate. SVIS REBVS. *Humanis, quæ regnum spectant.* LONGE EST. *Cùm secundùm hominem sapit, nec diuinos sibi honores arrogat. Et parentes quidem iubemur honorare, sed nec ipsos, nec propriam animam, id est vitam honori Deo debito comparare.*

3. AB IDOLOLATRIA SEPARAMVR. *Ne vel ipsos Reges pro Dijs habeamus, vel eorum iussu, Deorum, ipsorumuè simulachra colamus.* TRIVM FRATRVM. *Germanitate fidei & constantiæ.* PRÆCVCVRRIT. *Præluxit exemplum.* CÆTERA DARIO SVBNIXVS. *In cæteris subditus.* DISCIPLINÆ, *fides & morum gentis Hebrææ.* REGIOS IGNES. *Fornacem Babyloniam iussu Regis succensam.*

De locis Scripturæ à Tertulliano relatis circa Dei potestatem, cuius nutu Regum potestas ordinatur. Augustinus to. 6. libro de natura boni cont. Manich. c. 32. Quia, inquit, etiam nocentium potestas, non est nisi à Deo, sic scriptum est loquente Sapientiâ: per me Reges regnant, & tyranni, per me tenent terram. S. Aug. *Per me magnates magnificantur: & tyranni per me tenent terram. Sic enim legunt 70.* Dicit & Apostolus, E non est potestas nisi à Deo. Dignè autem fieri in libro Iob scriptum est: qui regnare facit, inquit, hypocritam hominem propter peruersitatem populi. Et de populo Israël dicit Deus; *Osee* 13. 11. dedi eis Regem in ira mea. Iniustum enim non est, vt improbis accipientibus nocendi potestatem, & bonorum patientia probetur, & malorum iniquitas A puniatur. Nam per potestatem diabolo datam, & Iob probatus est, vt iustus appareret; & Petrus tentatus est, ne de se præsumeret. Et Paulus colaphizatus, ne se extolleret; & Iudas damnatus, vt se suspenderet. Cùm ergo per potestatem quam diabolo dedit, omnia iustè ipse Deus fecerit, non tamen pro his iustis factis, sed pro iniqua nocendi voluntate quæ ipsius diaboli fuit, ei reddetur in fine supplicium, cùm dicetur impiis qui eius nequitiæ consentire perseuerauerint, Ite in ignem æternum, quem parauit Pater meus diabolo, & Angelis eius. *Quatenus autem sit debita subiectio potestatibus, docet ep. 50. ad Bonifacium Comitem.* Sicut dicit Apostolus S. Aug. *Gal.* 6. infatigabiles cùm tempus habemus, operemur bonum ad omnes; qui possunt Catholicorum B præceptorum sermonibus: qui possunt, Catholicorum Principum legibus; partim per eos, qui diuinis admonitionibus, partim per eos qui iussis Imperialibus parent, omnes ad salutem vocentur, omnes à pernicie reuocentur. Quia & Imperatores, quando pro falsitate contra veritatem constituunt malas leges, probantur benè credentes, & coronantur perseuerantes. Quando autem pro veritate, contra falsitatem constituunt bonas leges, terrentur sæuientes, *quales erant circumcelliones in seipsos crudeles*; & corriguntur intelligentes. Quicumque ergo legibus Imperatorum quæ contra veritatem feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium. Quicumque autem legibus Imperatorum, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium. Nam & temporibus Prophetarum, omnes Reges qui in populo Dei non prohibuerunt, nec euerterunt quæ contra Dei præcepta fuerant instituta, culpantur; & qui prohibuerunt & euerterunt super aliorum merita, laudantur. Et Rex Nabuchodonosor, cùm esset seruus idolorum, constituit sacrilegam legem, vt simulachrum adoraretur; sed eius impiæ constitutioni qui obedire noluerunt, piè fideliterque fecerunt. Idem tamen Rex diuino correctus miraculo, piam & laudabilem legem pro veritate constituit, vt quicumq; diceret blasphemiam in Deum verum Sidrach, Misach, & Abdenago, cum domo D sua penitus interiret. *Et paulò suprà de Daniele sic fatur:* hoc contigit Donatistis, quod accusatoribus S. Aug. S. Danielis. Sicut enim in illos leones, sic in istos conuersæ sunt leges, quibus innocentem opprimere voluerunt, nisi quod propter misericordiã Christi, magis pro eis sunt istæ leges, quæ illis videntur aduersæ: quoniam multi per illas correcti sunt, & quotidie corriguntur, & se esse correctos atque ab illa furiosa pernicie liberatos, *qua suorum ipsorum homicida, gloriam captabant Martyrij*; gratias agunt. *To. autem 6. lib. 1. cont. ep. Parmeniani. cap. 10. contra eosdem relato toto loco Pauli præcitato à nobis, sic concludit:* hoc ergo, inquit, iam restat, vt istis dispu- S. Aug. tationibus suis, prohibeant Christianos tributa persoluere: cùm & Dominus talia sentientibus Pharisæis, quos imitantur isti, nummo inspecto responderit, reddite Cæsari, &c. Hi verò in vtroque inobedientes atque impij, nec Deo reddunt Christianum amorem, neque Regibus humanum timorem: ita cæci & insani, vt cùm Schismaticos suos Maximianistas, per potestates à Catholicis

Imperatoribus Missas de Basilicis excluserint, & vi magnâ iussionum, & auxiliorum cedere sibi compulerint; arguant Catholicam si pro ea Catholici principes tale aliquid fieri præceperint. *Talis est mos hæreticorum.*

SABBATVM.

1. *Sabbatum otio & cibo quidam colunt in honorem Saturni. V. verbum Sol num. 1.*

2. *Sabbato ieiunium interdictum. 4. cont. Marc. cap. 2. à p. V. numero 6. infrà.*

3. *Sabbatum voluntarium odiosum. 4. cont. Marc. cap. 12. à p.*

a Esa. 1. 14. DE odio quoque sabbati professus, Creatorem, vt Christus ipsius, sequebatur, exclamantem ore Esaiæ, [a] *Neomenias & sabbata vestra odit anima mea.* Sed & hæc quoquo modo dicta sint, scimus adhibendam tamen in hac specie etiam abruptam defensionem aduersus abruptam prouocationem.

4. *Et ibid. à m.*

a Esa. 1. 14. b Esa. 29. 13. c Esa. 58. 13. Esa. 56. 2. SEd & si odium alicubi sabbatorum professus est, [a] *vestra sabbata* dicendo, hominum ea deputans, non sua, quæ sine Dei timore celebrat populus plenus delictis; [b] *labiis, Deum diligens, non corde*; suis sabbatis, id est, quæcunque disciplinâ eius agerentur, alium statum fecit, quæ per eundem posteà Propheten [c] *vera, & delicata*, & non prophananda pronuntiat.

SABBATVM. 3. & 4. SCHOL.

DE ODIO SABBATI. *Christus se hoc ipso filium Dei Creatoris professus est Sabbata Iudæorum perperam intellecta & vana superstitione, iuxta cuiusque voluntatem, celebrata, odio prosequens; in hoc vestigia relegens, Dei Creatoris, qui per Isaïam, vt alibi vidimus, ea se odisse proclamabat. Sic autem respondendum pro tempore duximus Marcionitis hæreticis, qui abruptè, omni datâ occasione contra Creatorem insurgentes, hinc Christum eius filium abnegabant, quòd ab eo Sabbatum institutum, violaret, & vilipenderet.*

4. DISCIPLINA EIVS. *Creatoris institutione & præcepto celebranda.* ALIVM STATVM FECIT. *Distinxit ordinem Sabbati sui, ab hominum Sabbatis.* DELICATA. *Adeò vt qui ea tangeret, pupillam oculi sui delicatam, aut cibum eius Regium & electum temerariè decerpsisse videretur. Esa. 58. 13.* Si auerteris à Sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam, 70. *vt non facias voluntates tuas*, in die sancto meo, & vocaueris Sabbatum delicatum, *Sanct. Pagn. ex Hebr. delicias*, & sanctum Domini gloriosum; & glorificaueris eum, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris sermonem: 70. *non tolles pedem tuum ad opus: neque loqueris verbum in ira de ore tuo*, tunc delectaberis super Domino: 70. *& eris confidens super Dominum*, & sustollam te super altitudines terræ, 70. *& eleuabit te super bona terræ.* Et cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Os enim Domini locutum est. NON PROPHANANDA. *Isa. 56. 2.* Beatus vir qui facit hoc, & filius hominis qui apprehendet istud; custodiens manus suas ne faciat omne malum. 70. *verò*, & custodit Sabbata, vt non prophanet ea. *Sabbatum Iudæorum explosit Seneca vt aduertit Augustinus lib. 6. de Ciuit. cap. 11.* S. Aug. Hic, inquit, inter alias ciuilis Theologiæ superstitiones, reprehendit etiam Sacramenta Iudæorum, & maximè Sabbata: inutiliter id eos facere affirmans, quòd per illos singulos septem interpositos dies, septimam ferè partem ætatis suæ perdant, vacando, & multa in tempore vrgentia non agendo, lædantur. *Quale autem sit Sabbatum delicatum, amicum Deo; vel voluntarium Iudæo, ideoque exosum Deo; sic docet, tract. 3. in cap. 1. Io.* Legite, inquit, vetus testamentum, & videte, quia carnali adhuc populo ea quidem præcipiebantur, quæ nobis; nam vnum Deum colere, & nobis præcipitur. Non accipies in vanum Domini Dei tui; & nobis præcipitur, quod est secundum præceptum. Obserua diem Sabbati: magis nobis præcipit, quia spiritaliter obseruandum præcipitur: Iudæi enim seruiliter obseruabant diem Sabbati ad luxuriam, ad ebrietatem. Quantò meliùs fœminæ eorum lanam facerent, quàm illo die in Neomeniis saltarent. Absit, fratres, vt illos dicamus obseruare Sabbatum. Spiritaliter obseruat Sabbatum Christianus, obseruans se ab opere seruili. Quid est enim ab opere seruili? à peccato. Et vnde probamus? Dominum interroga; omnis qui facit peccatum seruus est peccati, &c. sed quære mercedem, & inuenies ibi dici, vt expellantur hostes à facie tua, & accipiatis terram quam promisit Deus Patribus vestris. *Vt suprà ex Esaia, sustollam te super altitudines & bona terræ.* Quia non poterant capere inuisibilia, per visibilia tenebantur. Quare tenebantur? ne penitus interirent, & ad idola laberentur, &c. Quibus ergo modis teneretur populus talis, nisi promissis carnalibus? ea ibi iubentur in Decalogo legis, quæ & nobis, sed non ea promittuntur quæ nobis. Nobis quid promittitur? vita æterna: hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te vnum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Cognitio Dei promittitur, ipsa est gratia pro gratia.

5. *Sabbatum opera necessitatis non excludit. 4. cont. Marc. cap. 30. in p.*

a Luc. 13. 15. Leuit. 23. 5. QVæstionem rursus de curatione sabbato facta, quomodo discussit? [a] *Vnusquisque vestrûm sabbatis non soluit asinum aut bouem suum à præsepi, & ducit ad potum*, Ergo secundùm conditionem legis operatus, legem confirmauit, non dissoluit, iubentem nullum opus fieri, nisi quod fieret omni animæ, quantò potius humanæ?

6. *Sabbato*

6. Sabbato ſpicas vellentes diſcipulos ob neceßitatem, Chriſtus excuſauit. 4. cont. Marc. cap. 12. à p.

ESurierant diſcipuli; eâ die ſpicas decerptas manibus effrixerant, cibum operati ferias ruperant. Excuſat illos Chriſtus, & reus eſt ſabbati læſi: accuſant Phariſæi, Marcion captat ſtatus controuerſiæ (vt aliquid cludam cum mei Domini veritate) ſcripti, & voluntatis. de ſcriptura enim ſumitur Creatoris, & de Chriſti voluntate color, quaſi de exemplo Dauid introgreſſi ſabbatis templum, & operati cibum, audenter fractis panibus propoſitionis. Meminerat enim & ille hoc priuilegium donatum ſabbato à primordio, quo dies ipſe compertus eſt; veniam ieiunij dico. Quum enim prohibuiſſet Creator in biduum legi manna, ſolummodò permiſit in Paraſceue, vt ſabbati ſequentis ferias, pridiana pabuli paratura ieiunio liberaret. Benè igitur, quòd & cauſam eandem ſecutus eſt Dominus in ſabbati, ſi ita volunt dici, deſtructione. Benè, quòd & adfectum Creatoris expreſſit, in ſabbato non ieiunandi honore. Denique tunc demum ſabbatum deſtruxiſſet, etiam ipſum Creatorem, ſi diſcipulos ſabbato ieiunare mandaſſet, aduerſus ſtatum ſcripti, & voluntatis Creatoris. Sed quoniam diſcipulos non conſtanter tuebatur, ſed excuſat, quoniam humanam opponit neceſſitatem, quaſi deprecatricem; quoniam potiorem honorem ſabbati ſeruat non contriſtandi, quàm vacandi; quoniam Dauid comiteſque eius, cum diſcipulis ſuis æquat in culpa, & in venia; quoniam placet illi quia Creator indulſit; quoniam de exemplo eius, ipſe tam bonus eſt; ideo alienus eſt à Creatore.

Luc.6.1. Ibid. 4. & 1.Reg. 21 6. Exo.16. 26.

SABBATVM OPERA NECESSITATIS. 5. 6. SCHOL.

QVÆSTIONEM DISCVSSIT. *Imò & repercuſſit Chriſtus in obtrectatores ſuos; ſicut habetur Luc. 13. 15.* Archiſynagogus indignans quia ſabbato curaſſet Ieſus: dicebat turbæ: ſex dies ſunt in quibus operari oportet: in his ergo venite & curamini, & non in die ſabbati. Reſpondens autem ad illum Dominus dixit: Hypocritæ, vnuſquiſque veſtrûm ſabbato non ſoluit bouem ſuum, aut aſinum à præſepio, & ducit adaquare? hanc autem filiam Abrahæ quam alligauit ſathanas ecce decem & octo annis, non oportuit ſolui à vinculo iſto die ſabbati? OMNI ANIMÆ. *Viuenti etiam tantùm animâ ſenſitiuâ.* SECVNDVM CONDITIONEM. *Animam, intentionem, finem legis, operatus fuerat Chriſtus, non animæ irrationabili, ſed creaturæ rationali opem ferens.*

A

6. EA DIE. *Sabbati ſcilicet.* SPICAS DECERPTAS. *Luc. 6. 1.* Factum eſt autem in ſabbato ſecundo primo cùm tranſiret per ſata, vellebant diſcipuli eius ſpicas, & manducabant confricantes manibus. Quidam autem Phariſæorum dicebant illis: quid facitis quod non licet in ſabbatis? & reſpondens Ieſus ad eos, dixit: nec hoc legiſtis, quod fecit Dauid, cùm eſuriſſet ipſe & qui cum illo erant? quomodo intrauit in domum Dei, *non quidem templum quod longè poſt fuit extructum à Salomone; ſed tabernaculum vel domum ſacerdotis intellige.* Et panes propoſitionis ſumpſit, & manducauit, & dedit his qui cum ipſo erant: quos non licet manducare niſi tantùm Sacerdotibus? hæc dicebat illis: quia Dominus eſt filius hominis, etiam ſabbati. CAPTAT STATVS. *Occaſionem impugnandi legem veterem, & Deum eius authorem, cuius ſabbatum Chriſtus ſpernit.* CONTROVERSIÆ SCRIPTI, *Scripturæ ſacræ, & voluntatis Chriſti; qui hoc facto voluit oſtendere, quàm vana eſſet obſeruatio ſabbati. Qui quidem ſecutus exemplum Dauid ſabbato locum ſanctum ingreßi, & cibum de ſacris panibus ſumentis, Apoſtolos excuſauit ſpicas vellentes ſabbato causâ neceßitatis.* CLVDAM, *concludam iuxta veritatem ſcripturæ. Quæ à mundi exordio, & in prima ſabbati dedicatione, hominem ieiunio non obligauit. Creatus quippe ſexto die, & in paradiſo poſitus vt operaretur; ſequente ſabbato, nec vacare ab opere, nec operi vacans ieiunare iuſſus eſt. Præterea cum Exodi 16. 26. de manna colligendo duplici, ſiue pro duobus diebus, in paraſceue ſiue vigilia ſabbati.*

B

C

Sex diebus colligite: in die autem ſeptimo ſabbatum eſt Domini, idcirco non inuenietur. Venitque ſeptima dies: & egreſſi de populo vt colligerent, non inuenerunt. ADFECTVM CREATORIS. *Induit vt filius viſcera pietatis Patris, ab onere ieiunij liberans Apoſtolos.* HONORE. *Quaſi Chriſtus deferens honorem exemplo Patris ſui.* ADVERSVS STATVM. *Contra ordinem, & inclinationem eius.* SED QVONIAM NON CONSTANTER, *apertè & audacter non defendebat. Hæc ad finem vſque ironicè dicta.* NON CONTRISTANDI, *quòd parcat leniter, vt Dei videlicet boni & clementis, digni denique Dei Marcionis filius, & temperat à cenſuris murmurantium.* QVONIAM PLACET ILLI. *Approbat Chriſtus & confirmat ſua lenitate indulgentiam etiam Dei Creatoris.* IDEO ALIENVS. *Ironicè. Ideo, inquit, ô Marcion, Chriſtum abnuis filium Creatoris, quem tamen propter imitationem Patris, & ſcripta eius exemplaque ſequentem, filium eius agnoſcere deberes. De obſeruatione ſabbati perperam à Phariſæis intellecta. Aug. to. 6. lib. 1. contra Adimantum Manich. diſcipulum cap. 2.* De eo quod ſcriptum eſt: & conſummauit Deus die ſexto omnia opera quæ fecit, & in ſeptimo requieuit, &c. Huic etiam loco Manichæi calumniam mouent, & dicunt nouo Teſtamento aduerſari, quòd in Geneſi ſcriptum eſt Deum ſeptimo die, &c. quoniam Dominus in Euangelio dicit: Pater meus vſque nunc operatur; quod nullo modo contrarium eſt; Dominus enim Iudæorum refellit errorem, qui putabant Deum ſic requieuiſſe die ſeptimo, vt ex illo prorſus nihil operaretur. Requieuit autem ab omnibus operibus quæ fecit, vt iam vltra non faceret mundum, cum omnibus quæ in eo ſunt: non tamen vt etiam à mundi adminiſtratione requieſceret, &c. Sabbati autem obſeruationes non intelligebant Iudæi, qui putabant ab iis etiam operibus, quæ ad ſalutem hominum valent, oportere ceſſari. Vnde illos Dominus etiam aliis locis, de boue qui in puteum cecidit, & iumento quod ſoluendum eſt vt ad aquam ducatur, mirificâ comparatione redarguit. Sabbatum autem non repudiatum, ſed intellectum à Chriſtianis deſtitit quidem carnaliter obſeruari, ſed ſpiritaliter retinetur à Sanctis, qui intelligunt vocem Domini vocantis ad requiem, & dicentis: venite ad me omnes qui laboratis, &c. ſed quem-

S. Aug.

admodum illa requies Dei post fabricatū mundum insinuatur: sic requiem quæ nobis promittitur post opera quæ in hoc mundo habemus, si iusta fuerint, consequemur; septima scil. eademque vltima parte sæculi. *Et lib. 6. cont. Faust. Manich. cap. 2. Iudæos simul & Manichæos carpit acriùs, Iudæos irridentes.* Iudæi, inquit, sabbato suo quod adhuc carnaliter sapiunt, non solùm in agro fructum nullum decerpunt, sed nec in domo concidunt aut coquunt. Vos autem cessantes quidem, expectatis quis auditorum vestrorum propter vos pascendos, cultello vel falciculâ armatus in hortum prosiliat, homicida cucurbitarum, quarum vobis afferat, mirum dictu, viua cadauera, &c. Nunc autem eis conterendis dentes incubant, minutatim, si hoc palato placuerit, conciduntur à vobis, quibus tam crebris vulneribus carū, quomodo vos non estis rei? &c. Iam quid in igne cucurbitæ patiuntur, vbi certè non reformatur vita quæ in eis est? non enim feruens olla sancto ventri comparari potest; & tamen irridetis tanquam superfluam sabbati cessationem. *Libro autem 16. cont. Faust. cap. 28. vbi de spicas vellentibus Apostolis.* Si illi, inquit, restiterunt Christo, non intelligentes verum sabbatum vos ei nolite resistere, & intelligite veram innocentiam. Nam eo ipso loco, vbi præcipuè destructor sabbati putatur Iesus, cùm discipuli eius per segetem transeuntes, & esurientes vellerent spicas, & ederent, innocentes eos dixit respondens Iudæis: si sciretis quid sit, misericordiam malo quàm sacrificium, numquam condemnassetis innocentes. Magis enim esurientium misereri debuerunt, quia hoc illi coacti fame fecerunt. A vobis autem quisquis vulserit spicas, non ex traditione Christi qui hanc innocentiam vocat, sed ex traditione Manichæi, homicida deputatur. An fortè misericordiam eisdem spicis exhibuerunt Apostoli, vt inde membra Dei manducando purgarent, sicut vestra fabula est? vos ergo crudeles, qui hoc non facitis. Sed videlicet nouit Faustus destruere sabbatum, quia scit virtutem Dei semper atque infatigabiliter operari. Illi hoc dicant, qui intelligunt Deum sine temporali voluntate vniuersa tempora facientem. Hoc ad vos mulsum est, qui Dei vestri requiem rebellione gentis tenebrarum perhibetis excussam, & hostium repentino impetu perturbatam. An ex æterno prauidens hoc futurum, numquam habuit requiem, quia numquam securus fuit, qui se cogitabat tam graue bellum, cum tanta membrorum suorum, *id est creaturarum*, labe damnóque gesturum? *Sic ridet Augustinus aui sui hæreticos, velut Tertullianus Martionitas suos. De Dauid præcuato panes propositionis edente sic breuiter dicit fuisse figuram Christi Regis simul & Sacerdotis, & Domini sabbati in Psal. 51. titulum.* Cùm Saül, inquit, persequeretur virum sanctum Dauid, confugit Dauid vbi tutum putauit esse locum, transiens per Sacerdotem quendam Abimelech, accepit ab eo panes, vbi figurauit etiam personam, non tantùm Regis, sed & Sacerdotis, quia manducauit panes propositionis, sicut dicit Dominus in Euangelio, non licebat manducare nisi solis Sacerdotibus. *Et lib. 12. cont. Faustum cap. 33.* Nonne, inquit, ipse Dauid cùm panes propositionis manducauit, quos non licebat manducare nisi solis Sacerdotibus, in vna persona vtrumque futurum, id est in vno Domino Iesu Christo regnum & Sacerdotium figurauit? *Tandem de manna die sabbati non pluente Iudæis, manna autem Verbi diuini & pane Eucharistico Dominicâ die hoc est Christianorum sabbato pluente. Ita ser. 91. de temp.* Illud aduertite, fratres, quòd Iudæorum sabbato die manna numquam omnino pluerit, nec meruerunt Iudæi, vt eorum sabbato gratia illis de cœlo descenderet. In nostra autem Dominica die, *de qua dicitur in Actis Apost. vna sabbati cùm conuenissemus ad frangendum panem. Hoc est post sabbatum primâ die. Vel primâ die septimanæ, die lunis, siue Solis* non solùm semper venit manna, sed etiam ab ipso die veniendi initium fuit.

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

7. *Sabbatum non violatum est Arcâ circumductâ, Machabæisque pugnantibus. cont. Iud. cap. 4. à m. ad f.*

Ios. 6. 1. & seq. ADeo non in vacatione sabbati, id est, diei septimi, hæc solennitas celebranda est, vt Iesus Naue, eo tempore quo Hiericho ciuitatem debellabat, præceptum sibi à Deo diceret, vti populo mandaret, vt sacerdotes arcam testamenti Dei septem diebus circunferrent in circuitu ciuitatis, atque ita septimi diei circuitu peracto, sponte ruerent muri ciuitatis. Quod ita factum est, & finito spatio diei septimi, sicut prædictum erat, ruerunt muri ciuitatis. Ex quo manifestè ostenditur, in numero istorum dierum septem incurrisse diem sabbati. Septem enim dies vndecunque initium acceperint, sabbati diem secum concludant necesse est, quo die non tantùm sacerdotes sint operati, sed & in ore gladij præda facta sit ciuitas ab omni populo Israël. Nec dubium est opus seruile eos operatos, 1. Mach. 2. 41. cùm prædas belli agerent ex Dei præcepto. Nam & temporibus Maccabæorum sabbatis pugnando fortiter fecerunt, & hostes Allophylos expugnauerunt, legemque paternam ad pristinum vitæ statum pugnando sabbatis reuocauerunt. Nec putem aliam legem eos defendisse, nisi in qua de die sabbatorum meminerant esse præscriptum. Vnde manifestum est ad tempus & præsentis causæ necessitatem huiusmodi præcepta valuisse; & non ad perpetui temporis obseruationem huiusmodi legem eis Deum antè dedisse.

8. *Sabbati cultus, opera humana prohibet, non diuina.* *V. Verbum, Dei immutabilitas. num. 1.*

9. *Et 4. cont. Marc. cap. 12. à p.*

Iosue 6. 1. & seq. CEtera de sabbato ita dirigo: Si sabbatum Christus interuertit, secundùm exemplum fecit Creatoris. Si quidem in obsidione ciuitatis Hierichuntis, circumlata per muros arca testamenti septem diebus, etiam sabbato, ex præcepto Creatoris, sabbatum operatione destruxit, vt putant qui hoc & de Christo existimant; ignorantes neque

Christum sabbatum destruxisse, neque Creatorem, vt mox docebimus. Et tamen per Iesum tunc quoque concussum est sabbatum, vt & hoc in Christum renuntiaretur, etiam si odio insecutus est solennissimum Iudæorum diem, vt Christus non Iudæorum.

10. *Et ibid. à m.*

a Dominus sabbati dictus, quia sabbatum, vt rem suam, tuebatur. Quod etiam si destruxisset, meritò, quà dominus magis, ille qui instituit. Sed non omnino destruxit, quà dominus; vt hinc iam apparere possit, nè tum quidem in arcæ circumlatione apud Hierichuntem, sabbatum à Creatore destructum. Nam & illud opus Dei erat, quod ipse præceperat, & quod propter animas disposuerat hominum suorum, in discrimine belli constitutas. a Luc. 6. 5. Iosue 6. 1. & seq.

Et ibid. circa f.

ITa nec Christus omnino sabbatum rescindit, cuius legem tenuit & suprà in causa discipulorum pro anima operatus; esurientibus enim solatium cibi indulsit; & nunc manum aridam curans, factis vbique ingerens, a *Non veni dissoluere legem, sed adimplere*; nec Marcion hac voce os ei obstruxit. Adimpleuit enim & hîc legem, dum conditionem interpretatur eius, dum operum differentiam illuminat, dum facit quæ lex de sabbati feriis excipit, dum ipsum sabbati diem benedictione Patris à primordio sanctum, benefactione sua efficit sanctiorem; in quo scilicet diuina præsidia ministrabat, quod aduersarius aliis diebus præstitisset, nè sabbatum Creatoris ornaret, ne opera debita sabbato redderet. Luc. 6. 1. Luc. 13. 15. Luc. 6. 1. Luc. 6. 6. a Matth. 5. 17.

11. *Et 4. cont. Marc. cap. 12. in m.*

CVm de die sabbati dicit, a *Omne opus tuum non facies in ea*; dicendo, *tuum*, de humano opere definiit, quod quisque ex artificio, vel negotio suo exequitur, non de diuino. Opus autem salutis & incolumitatis, non est hominis, sed Dei proprium. Sicut & rursus in lege b *non facies, inquit, omne opus in ea*, nisi quod fiet omni animæ; id est, in causa animæ liberandæ. Quia opus Dei etiam per hominem fieri potest in salutem animæ; à Deo tamen quod facturus fuerat & Christus homo, quia & Deus. In hunc ergo sensum legis inducere volens illos per manus arefactæ restitutionem, interrogat, c *Licetne sabbatis benefacere an non? Animam liberare an perdere?* vt id operis promittens, quod pro anima facturus esset, admoneret eos, quæ opera sabbati lex prohiberet; humana scilicet; & quæ præciperet, diuina scilicet, quæ fierent animæ omni. a Exo. 20. 10. b Leuit. 23. 3. c Luc. 6. 9.

SABBATVM NON VIOLATVM. 7. 9. 10. ibid. & 11. SCHOL.

NON IN VACATIONE. *Cessando prorsus ab omni opere etiam necessario vitæ, eiusque iusta defensione, vel inimicorum reipublicæ expugnatione.* IESVS NAVE. *Iosue, de quo dicta alibi consule.* VTI MANDARET. *Vt præciperet.* SACERDOTES OPERATI. *Non tantùm tubis clangentes, & humeris arcam fœderis baiulantes; sed & gladio deleta fit ciuitas Ierico. Iosue 6. 13.* Tulerunt Sacerdotes Arcam Domini; & septem ex eis, septem buccinas quarũ in Iubilæo vsus est: præcedebantque Arcam Domini, ambulantes atque clangentes: & armatus populus ibat ante eos, vulgus autem reliquum sequebatur Arcam, & buccinis personabat. 70. *& Sacerdotes clanxerunt tubis.* Circuieruntque ciuitatem secundo die semel, & reuersi sunt in castra. Sic fecerunt sex diebus. Die autem septimo, diluculo consurgentes, circuierunt vrbem sicut dispositum erat, septies. Cúmque septimo circuitu clangerent buccinis Sacerdotes, dixit Iosue ad omnem Israel: vociferamini: tradidit enim vobis Dominus ciuitatem, &c. Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerũt: & ascendit vnusquisque per locum qui contra se erat: ceperuntque ciuitatem, & interfecerunt omnia quæ fuerunt in ea, &c. MACHABÆORVM TEMPORIBVS. *Primi Machab. 2. 38. Cùm exercitus Antiochi Machabaeos aggrederetur, ob sabbati exactiorem obseruationem præsumentibus hostibus, non restituros Hebræos:* constituerunt aduersus eos prælium in die sabbatorum, & dixerunt ad eos: A resistitis & nunc adhuc? exite & facite secundùm verbum Regis Antiochi, & viuetis. Et dixerunt, non exibimus, neque faciemus verbum Regis, vt polluamus diem sabbatorum. Et concitauerunt aduersus eos prælium. Et non responderunt eis, nec lapidem miserunt in eos, nec oppilauerunt loca occulta, dicentes: moriamur omnes in simplicitate nostra, &c. & intulerunt illis bellum sabbatis: & mortui sunt ipsi, & vxores eorum, &c. Et cognouit Mathatias, &c. & dixit vir proximo suo: si omnes fecerimus sicut fratres nostri fecerunt, & non pugnauerimus aduersus gentes pro animabus nostris, & iustificationibus nostris, nunc citiùs disperdent nos à terra. Et cogitauerunt in die illa dicentes: omnis homo quicumque venerit ad nos in bello die sabbatorum, pugnemus aduersus eum, &c. B & collegerunt exercitum, & percusserunt peccatores in via sua, &c. AD PRISTINVM STATVM. *Delineatum supra in Iosue.* MEMINERANT. *Scriptum est enim:* Memento vt diem sabbati sanctifices. AD TEMPVS. *Sabbati vacatio prudenter intelligenda fuit, nec obligauit semper, maximè in tempore necessitatis.*

9. ITA DIRIGO. *Sic prosequor.* INTERVERTIT, *non vacando ab omni opere, maximè vtili hominibus, & ad gloriam Dei proficiente.* DESTRVXIT, *violauit, Iosue scilicet, Sacerdotes, & populus, ipso Deo Creatore eius authore iubente.* PER IESVM. *Iosue, Christum in hoc etiam figurante.* CHRISTVS NON IVDÆORVM. *Tanquam non fuisset Christus filius Dei Creatoris, natione Iudæus, & in Iosue Iudæo, sabbato bella operante delineatus.*

10. DOMINVS SABBATI. *Sic supra ex Luc.6.5.* Dominus filius est hominis, etiam sabbati; *Quod vnà cum Patre instituerat. Quod quidem sabbatum, in quantùm eius Dominus, conseruauit, & honorauit potiùs, quàm destruxit, illud mirandis operibus exornans.*

ET IBID. LEGEM TENVIT. *De qua supra Luc.13.15. dum curam egit animæ, siue vitæ animalium.* MANVM ARIDAM. *Luc. 6.6.* Factum est autem & in alio sabbato vt intraret in Synagogam, & doceret. Et erat ibi homo, & manus eius dextra erat arida, &c. Interrogo vos si licet benè facere, an malè: animam saluam facere, an perdere? & circumspectis omnibus dixit homini: extende manum tuam. Et extendit: & restituta est manus eius. *Translat. Syr. addit:* sicut socia ipsius, *id est sinistra.* INGERENS. *Confirmans.* ILLVMINAT. *Docet.* BENEFACTIONE. *Bono opere.* ADVERSARIVS. *Si Christus fuisset filius Dei Marcionis, aduersarij Creatoris.* DEBITA SABBATO. *Die enim festo bonis operibus maximè incubandum. De manu arida sanata Augustinus. tom. 6. lib. cont. Adimantum Manich. Discip. cap. 22.* De homine, inquit, quem lapidari Deus, iussit, qui sabbato inuentus est ligna colligere: Dominus in Euangelio vbi hominis manum aridam sanauit die sabbati, diuinum opus fecit, non humanum: nec ab otio recessit, *à requie, quâ imperturbata, omnia operatur solo iussu,* qui iussit & factum est. Et ideo non est simile hoc factum ligna colligenti, quod facere cùm inuentus esset homo die sabbati, iussu Dei lapidatus est, &c. sicut enim tempore charitatis bonitas; sic tempore timoris, seueritas Dei maximè commendatur. Et cùm adhuc non oporteret ante aduentum Domini, nudare populo legitimarum Sacramenta figurarum, non inuitabantur significata intelligere, sed iussa cogebantur implere: nondum enim Deo inhærebant per spiritum, sed per carnem legi seruiebant. Miror autem quod isti, *Manichæi,* plangunt lapidatum hominem Dei præcepto, quia contra iussa legis ligna collegit; & non plangunt arefactam ficulneam Verbo Christi, quæ contra nullum præceptum fecerat; cùm talem animam arboris esse credant, qualem hominis. *Et in Psal. 37. de muliere curua erecta die sabbati, de qua supra numero 5. in versum,* Miseriis afflictus sum, & curuatus sum vsque in finem. Vnde, inquit, curuatus est? quia elatus erat. Si fueris humilis, erigeris: si fueris elatus, curuaberis; non enim deerit Deo pondus, vnde te curuet. Illud erit pondus fascis peccatorum tuorum. Hoc replicabitur in caput tuum, & curuaberis. Quid est autem curuari? non se posse erigere. Talem inuenit Dominus mulierem per decem & octo annos curuam: non se poterat erigere. Tales sunt qui in terra cor habent. At verò quia inuenit mulier illa Dominum, & sanauit eam, audiat, sursum cor. In quantùm tamen curuatur, adhuc gemit. Curuatur enim ille qui dicit: corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. In his gemat, vt illud accipiat. Recordetur sabbatum, *quo Dominus curuam erexit,* vt ad sabbatum peruenire mereatur. *Christum veram requiem, & immortalitatem. Aduerte titulum Psalmi habere,* Psalmus ipsi Dauid in recordationem sabbati. *Vbi inter cætera sic habet.* Quid sibi vult istâ recordatio sabbati, fratres mei? quæ anima sic recordatur sabbatum? quod est hoc sabbatum? cum gemitu enim recordatum, &c. sed fœlix est, qui sic miser est. Vnde & Dominus in Euangelio beatos appellauit quosdam lugentes. Vnde beatus, si lugens? vnde beatus, si miser? imò miser esset, si lugens non esset. Talem ergo & hîc accipiamus sabbatum recordantem, nescio quem lugentem; & vtinam nos simus ipse nescio quis. Est enim quidam dolens, gemens, lugens, recordans sabbatum. Sabbatum requies est, &c. Ipsa recordatio sabbati, & nondum retentio, facit me nondum gaudere, & agnoscere, nec sanitatem esse in ipsa carne, neque dici debere; cùm comparo istam sanitatem, illi sanitati quam habebo in requie sempiterna: vbi corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem: & video quia in illius sanitatis comparatione, ista sanitas morbus est. *Nec comparabilis est manus aridæ laxatio, paralitici curatio, mulieris curuæ erectio, vbis Hiericuntinæ depradatio, hostium Machabæorum expugnatio, diebus sabbati factæ, nouissimæ inimicæ mortis, & omnis infirmitatis in immortalitatem & beatitudinem immutationi faciendæ in quietis æternæ sabbato. Tandem de Ierico sabbato expugnata sic fatur ser. 106. de temp. in fine.* Septem, inquit, diebus sicut Scriptura dicit, muri Ierico Sacerdotalibus tubis circumdati ceciderunt. Vnde nos spiritalibus spiritalia comparantes, dicimus quòd septenario numero nunc per Sacerdotes Dei, non tam vna ciuitas destruitur, quàm totius mundi iniquitas dissipatur. Nam sicut in singularis vrbis nuncupatione, vniuersi mundi habitus figuratur; *quia Ierico significat Lunam, & mundus stultus vt Luna mutatur, & teste Paulo, velut Luna, ita præterit figura huius mundi.* Ita septem dierum circulo totius mundi spatia distinguuntur, per quæ Sacerdotalium prædicationum tubæ, ipsi sæculo excidium annunciant, & iudicium comminantur: sicut scriptum est. 1. Io. 2. quoniam mundus peribit, & omnia quæ in mundo sunt, qui autem facit voluntatem Dei manet in æternum, sicut & Christus in æternum manet. *Et ep. 119. ad Ianuarium.* Cùm de regno Domini Psalmus cantaret, orietur, inquit, in diebus eius iustitia & abundantia pacis, donec interficiatur Luna: id est, abundantia pacis, in tantùm crescet, donec omnem mutabilitatem mortalitatis absumat. Tunc nouissima inimica destruetur mors, & quidquid nobis resistit ex infirmitate carnis, vnde nobis perfecta pax nondum est, consumetur omnino, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc, &c. Vnde & illius ciuitatis muri, quæ Ierico appellatur, quæ in Hebræo eloquio Luna interpretari dicitur, septimo circuitu circumactâ testamenti Arcâ corruerunt. Quid enim nunc aliud agit annuntiatio regni cœlorum, quam circuitio arcæ significauit, nisi vt omnia munimenta mortalis vitæ, id est omnis spes huius sæculi, quæ resistit spei futuri sæculi, in dono septenario Spiritus sancti, per liberum arbitrium destruatur? ob hoc enim circumeunte arcâ, non impulsu violento, illi muri ceciderunt, sed sponte.

11. DEFINIIT. *Abstinendum esse ab opere seruili artificij, vel negotij.* INCOLVMITATIS, *quo salus & vita homini restituitur aut conseruatur.* DEI PROPRIVM. *In quantùm vel ordinaria prouidentia creaturæ omni, & maximè rationali consulit, vel extraordinaria, salutem miraculosè restituendo.* PROMITTENS *quasi enim præambula erat miraculo faciendo restitutionis manus aridæ, interrogatio facta.* QVÆ FIERENT ANIMÆ OMNI. *Nullibi reperi quòd hic hoc loco, & rursum alibi repetit circa exceptionem legis de his quæ sabbato fieri licent in causa animæ liberandæ, nihil enim tale additur in Exodo, Leuitico, vel Deuteronomio in vlla versione, sed sic & Hieronymus in cap. 28. Esaiæ.* Lege, inquit, præceptum est, ne in sabbatis opus seruile faciamus, ne accendamus ignem, vt in vno sedeamus loco; vt illa tantùm faciamus quæ ad animæ salutem pertinent. *Non video cur ita se torserit Va-*

meliùs; neque enim hoc credo Tertullianum velut expressum in scriptura, referre, sed potiùs, ut hic fecit Hieronymus exposuisse legem, ideo corporalia opera A *prohibentem, vt spiritalibus vacaretur. De manna arida, dixi Scholio præcedenti.*

12. *Sabbatum spiritale æternum est. Et Sabbatum temporale legis, & omne opus seruile peccati ablegauit. cont. Iud. cap. 4. in p. ad vltra. m.*

SEquitur itaque, vt quatenus circuncisionis carnalis, & legis veteris abolitio expuncta suis temporibus demonstratur, ita sabbati quoque obseruatio temporaria fuisse demonstretur. Dicunt enim Iudæi, quòd à primordio [a] *sanctificauerit Deus diem septimum, requiescendo in eo ab omnibus operibus suis quæ fecit*, & inde etiam Moysem dixisse ad populum: [b] *Mementote diem sabbatorum: sanctificate eum. Omne opus seruile non facietis in eo;* præterquam quod ad animam pertinet. Vnde nos intelligimus, magis sabbatizare nos ab omni opere seruili semper debere, & non tantùm septimo quoque die, sed per omne tempus. Ac per hoc quærendum nobis, quod sabbatum nos Deus vellet custodire. Nam sabbatum æternum, & sabbatum temporale scripturæ designant. Dicit enim Esaïas propheta: [c] *Sabbata vestra odit anima mea.* Et alio loco dicit: [d] *Sabbata mea profanastis.* Vnde dignoscimus sabbatum temporale esse humanum, & sabbatum æternum censeri diuinum, de quo per Esaïam prædicat: [e] *Et erit, inquit, mensis ex mense, & dies de die, & sabbatum de sabbato, & veniet omnis caro adorare in Hierusalem, dicit Dominus.* Quod intelligimus adimpletum temporibus Christi, quando omnis caro, id est omnis gens, adorare in Hierusalem venit Deum patrem, per Iesum Christum filium eius, sicut per Prophetam prædicatum est: [f] *Ecce proselyti per me ad te ibunt.* Sic igitur ante hoc sabbatum temporale, erat & sabbatum æternum præostensum & prædictum, quomodo & ante circuncisionem carnalem, fuit & spiritalis circuncisio præostensa. Denique doceant, sicuti iam præloquuti sumus, Adam sabbatizasse: aut Abel hostiam Deo sanctam offerentem, sabbati religione placuisse: aut Enoch translatum, sabbati cultorem fuisse: aut Noë arcæ fabricatorem propter diluuium immensum, sabbatum obseruasse: aut Abraham in obseruatione sabbati Isaac filium suum obtulisse, aut Melchisedech in suo sacerdotio legem sabbati accepisse. Sed dicturi sunt Iudæi, ex quo hoc præceptum datum est per Moysen, exinde obseruandum fuisse. Manifestum est itaque, non æternum, nec spiritale, sed temporale fuisse præceptum, quod quandoque cessaret.

a Gen. 2. 3. b Exod. 20. 10. & seq. Leuit. 23. 3. c Esa. 1. 14 d Ezech. 22. 8. e Esa. 66. 23. f Esa. 54. 15. Gen 4. 4. Gen. 5. 24. Gen 6. 8. Gen 22. 2 Gen. 14. 18.

SABBATVM SPIRITALE ÆTERNVM. 12. SCHOL.

EXPVNCTA SVIS TEMPORIBVS, *impleta tempore legis nouæ.* A PRIMORDIO. *Gen. 2. 2.* Compleuitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat. 70 *ab omnibus operibus suis quæ fecit*, & benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo quod creauit Deus vt faceret. 70. *verò.* Ab omnibus operibus suis, quæ inchoauit Deus facere. MEMENTOTE. *Exodi. 20. 8.* Memento vt diem Sabbati, 70. *Sabbatorum*, sanctifices. Sex diebus operaberis & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui est intra portas tuas. 70. *& Proselytus qui incolit in te.* Sex enim diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt: & requieuit in die septimo: Idcircò benedixit Dominus diei Sabbati, & sanctificauit eam. AD ANIMAM PERTINET. *sic supra exceptione vsus est numero 10. sicut exposuimus.* OPERE SERVILI. *peccati scilicet.* SABBATVM ÆTERNVM. *quo semper à peccato abstinendum est.* PER PROPHETAM. *hic nullum nominatim citauit, quia passim per Prophetas dictum est, per Christum, mittentem Apostolos suos, venturos Gentiles ad Dei cultum. Sicut ipse ait*: nemo venit ad Patrem nisi per me. *Deo gratias, quòd diu quæsitum & frustra hu*s*, magnâ licet diligentiâ à Pamelio viro doctissimo humillimoque inuestigatum, dum & caput 4. contra Iudæos & 21. libri tertij cont. Marcionem exponeret; magnâ Dei misericordiâ inueni. Et cùm Tertullianus contra Iudæos scribens, Prophetam non nominasset; contra Marcionem autem Esaiam expressisset dicens.* Ecce, inquit, Esaias, A Proselyti per me accedent ad te: *illud Apud Esaiam reperi cap. 54. 15. vbi vulgata legit*, Ecce accola veniet, qui non erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi: 70. *sic habent*: Ecce Proselyti accedent ad te per me; & coloni erunt tui, & ad te confugient. *Proselyti autem propriè erant qui natione Gentiles, ad Iudæorum sacramenta, ceremonias, legemque transibant.* SABBATVM ÆTERNVM PRÆOSTENSVM. *Figuratum in Sabbato, vespera carente, inter omnes dies. De sabbato nostro spiritali subtiliter aduertit Augustinus to. 3. lib. de spiritu & lit. ad Marcellinum. Cap. 15. vbi de Moyse latente sub velamine.* Fortasse, inquit, ad illud ipsum eius latibulum pertinet, quod in eo decalogo qui datus est in monte Sina, hoc solum præceptum figuratè occultatum est quod ad Sabbatum pertinet. Sabbatum autem dies sanctificationis est. Nec vacat quod inter omnia opera quæ fecit Deus, illic C primò sanctificatio sonuit, vbi ab omnibus operibus requieuit &c. Non frustrà illo die populus ab omni opere seruili abstinere præceptus est, quo significatur peccatum, nisi quia non peccare, sanctificationis est, hoc est, muneris Dei per spiritum sanctum; quod in lege, quæ duabus lapidæis tabulis conscripta est, solum inter cætera in vmbra figuræ positum est, in qua Iudæi Sabbatum obseruant: vt hoc ipso significaretur tempus tunc fuisse occultandæ gratiæ quæ nouo Testamento fuerat per Christi passionem, tanquam scissionem veli reuelanda. Cùm enim transierit, inquit, *Paulus 2. Cor. 3.* ad Christum, auferetur velamen. Deus autem spiritus est, vbi autem spiritus Domini, ibi libertas. *A seruitute peccati.* Hic autem spiritus Domini, cuius dono iustificamur, quo fit in nobis vt non peccare de- S. Aug.

lectet, vbi libertas est; Sicut præter hunc spiritum peccare delectat, vbi seruitus, à cuius operibus abstinendum, id est spiritaliter sabbatizandum. Hic Spiritus sanctus per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ plenitudo legis est, etiam digitus Dei in Euangelio dicitur. Vnde quia & illæ tabulæ digito Dei conscriptæ sunt; & digitus Dei est Spiritus Dei per quem sanctificamur, vt ex fide viuentes per dilectionem operemur. *Et to. 4 lib. 2. in Exod. q. 172. Ex Exodi 36.* Ex decem præceptis, hoc solum populo præcepit, quod figuratè ibi dictum est: alia quippe nouem sicut præcepta sunt, etiam in nouo Testamento obseruanda minimè dubitamus. &c. In illa requie, vbi opera seruilia iubentur cessare, magna est altitudo gratiæ Dei. Tunc enim fiunt cum requie opera bona, cùm fides per dilectionem operatur: timor autem tormentum habet: & in tormento quæ requies? vnde timor non est in charitate: charitas autem diffusa est in cordibus nostris. &c. Ideo sabbatum requies sancta Domino dicitur, Dei scilicet gratiæ tribuenda, non nobis, velut ex nobis. Alioquin nostra opera sic erunt, vt sint humana, aut cum peccato, aut cum timore, non cum dilectione: Et ideò seruilia sine requie. Plenitudo autem Sabbati erat in requie sempiterna. Non enim frustrà institutum est sabbatum sabbatorum. *Tract. autem in Psal. 91. cuius titulus est.* Psalmus Cantici in die Sabbati. Ecce, inquit, & hodiernus dies sabbati est: hunc in præsenti tempore otio quodam corporaliter languido, & fluxo, & luxurioso celebrant Iudæi; vacant enim ad nugas: Et cùm Deus præceperit obseruari sabbatum, illi in his quæ Deus prohibet, exercent sabbatum. Vacatio nostra a malis operibus; vacatio illorum a bonis operibus est. Melius est enim arare, quam saltare. Illi à bono opere vacãt, ab opere nugatorio non vacant. Nobis sabbatum indicit Deus. Quale? primo vbi sit videte. Intus est. In corde est Sabbatum nostrum: multi enim vacant membris, & tumultuantur conscientiâ, omnis homo malus sabbatum habere non potest: nusquam enim illius conquiescit conscientia, & necesse est vt in perturbationibus viuat. Cui autem bona est conscientia, tranquillus est, & ipsa tranquillitas sabbatum est cordis. Attendite enim promissorem Dominum: & si laborat, *is iustus*, in præsenti, extenditur spe futuri, & serenatur omne nubilum tristitiæ, sicut dicit Apostolus, spe gaudentes. Ipsum autem gaudium in tranquillitate spei nostræ, sabbatum nostrum est. &c. *Pergit, in quo sit ponendum Sabbatum verum cordis?* Primum est, inquit, vt tu ipse, si aliquid profecisti, Deo confitearis ex eo quod profecisti, quia munera ipsius sunt, non merita tua. Hinc incipe sabbatum, non tibi tribuendo quasi non acceperis quod accepisti: *te quasi vacantem & seruum inutilem reputando, & ex te aliquid non sufficientem*: neque excusando te ab eo quod facis mali, quia ipsa sunt tua. Peruersi enim homines, & perturbati, quia non agunt sabbatum, mala sua Deo tribuunt, bona sua sibi. &c. Quid ergo nos docet Psalmus iste? bonum est confiteri Domino. Quid est confiteri Domino? in vtraque re, & in peccato tuo quia tu fecisti: & in bono facto confiteri Domino, quia ipse fecit. Tunc psalles nomini Dei altissimi, quærens gloriam Dei, non tuam, nomen ipsius, non tuum. Si enim tu quæris nomen Dei, quærit & ipse nomen tuum: si autem tu neglexeris nomen Dei, delet & ipse nomen tuum. *Subdit de Apostolis gloriantibus de eiectione dæmonum. Quibus Christus ait*: Nolite gaudere in hoc; gaudete autem quòd nomina vestra scripta sunt in cœlo. Ecce, inquit, vbi habes nomen, si tu nomen Dei non negligas. Psalle ergo nomini Dei, vt fixum sit apud Deum nomen tuum. *Et tract. 20. in cap. 5. Io.* Ideo, inquit, dictum est Deum requieuisse, quia iam creaturam nullam condebat, postquam perfecta sunt omnia. Quietem verò propterea appellauit scriptura, vt nos admoneret post bona opera quieturos: &c. Vt tu homo cùm attendis ipsum Deum post bona opera requieuisse, non tibi speres requiem, nisi cùm bona fueris operatus. Et quemadmodum Deus posteaquam fecit hominem ad imaginem & similitudinem suam sexto die, & in illo perfecit omnia opera sua bona valde, requieuit septimo die; sic & tibi requiem non speres, nisi cùm redieris ad similitudinem Dei, in qua factus es, quam peccando perdidisti. *De Sabbato denique æterno. Ep. 119. ad Iannarium.* Quære, inquit, septem dies Genesim legens, inuenies septimum sine vespera, quia requiem sine fine significat. &c. Nusquam legimus in Genesi sanctificationem per omnes priores dies, sed de solo sabbato dictum est; & sanctificauit Deus diem septimum &c. quia ergo charitas Dei diffusa est. &c. Ideo sanctificatio in septimo die commemorata est, vbi requies commendatur. Quia verò nec benè operari possumus nisi dono eius adiuti, sicut dicit Apostolus: Deus enim est qui operatur in nobis, & velle, & operari pro bona voluntate; Nec requiescere poterimus post omnia bona opera nostra quæ in hac vita gerimus, nisi eius dono ad æternitatem sanctificati atque perfecti. &c. Sicut enim cùm benè operamur, ipse dicitur operari in nobis, cuius munere operamur: ita cùm requiescimus, ipse requiescere dicitur, quo donante requiescimus. &c. quia ergo sanctificauit Deus diem septimum in quo requieuit, tertio præcepto legis insinuatur quod scriptum est de obseruatione Sabbati, non vt in ista vita nos quiescere existimemus, sed vt omnia quæ benè operamur non habeant intentionem nisi in futuram requiem sempiternam. *Et libro. 22. de Ciuit. cap. vlt.* Dies septimus, inquit, etiam nos ipsi erimus, quando eius fuerimus benedictione & sanctificatione pleni atque refecti. Ibi vacantes videbimus, quoniam ipse est Deus, quod nobis ipsi esse voluimus quando ab illo cecidimus, audientes a seductore, eritis sicut Dij: & recedentes à vero Deo quo faciente Dij essemus eius participatione, non desertione. Quid enim sine illo fecimus, nisi quod in ira eius defecimus? A quo refecti, & gratiâ maiore perfecti vacabimus in æternum, videntes quia ipse est Deus, quo pleni erimus quando ipse erit omnia in omnibus. Nam & ipsa bona opera nostra, quando ipsius potiùs intelliguntur esse quàm nostra, tunc nobis ad hoc Sabbatum adipiscendum imputantur: quia si nobis ea tribuerimus, seruilia erunt, cùm de sabbato dicatur: omne opus seruile in eo non facietis. Propter quod & per Ezechielem Prophetam dicitur: & Sabbata mea dedi eis, in signum inter me & inter eos, vt scirent quia ego Dominus qui sanctifico eos. Hoc perfectè tunc sciemus, cùm perfectè vacabimus, & perfectè videbimus quia ipse est Deus &c. *Deinde sex mundi ætatibus per sex primos dies creationis expositis, sic concludit:* Post hanc, inquit, *sextam ætatem*, tanquam in die septimo requiescet Deus, cùm eumdem septimum diem, quod nos erimus, in seipso Deus faciet requiescere. &c. Hæc septima erit Sabbatum nostrum, cuius finis non erit vespera, sed Dominicus dies, velut octauus æternus, qui Christi resurrectione sacratus est, æternam non solùm spiritus, verùm etiam corporis requiem præfigurans. Ibi vacabimus & videbimus; videbimus & amabimus; amabimus & laudabimus. Ecce quod erit in fine sine fine. Nam quis alius noster est finis, nisi peruenire ad regnum, cuius nullus est finis?

SACERDOS.

1. *Sacerdotes etiam diaboli, casti, qui & suos tam virtute, quàm vitio perimit. 1°. ad Vxo. cap. 6. in f. V. castitatis custod. 1. in. f.*

2. *V. Viduitas. num. 9.*

3. *Sacerdotio imbuendum, Christus prohibet sepelire patrem. 4. cont. Marc. cap. 23. circa f.*

ILli caussato patris sepulturam, quum respondet, [a] *Sine, mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuntia regnum Dei*; vtramque legem Creatoris manifestè confirmauit, & de sacerdotio in Leuitico prohibentem sacerdotes supremis etiam parentum interesse: [b] *Super omnem, inquit, animam defunctam sacerdos non introibit, & super parentem suum non contaminabitur.* Et de deuotione in Arithmis, [c] *Nam & illic, qui se Deo vouerit, inter cetera iubet, ne super vllam animam introeat defunctam, ne super patris quidem, aut matris, aut fratris.* Puto autem & deuotioni & sacerdotio destinabat, quem prædicando regno Dei imbuerat. Aut si non ita est, satis impius pronuntiandus, qui nullâ ratione legis intercedente, sepulturas parentum despici à filiis imperabat.

a Luc. 9. 59. 60.
b Leuit. 21. 1. & 11.
c Num. 6. 6. & 7.

SACERDOS ET SACERDOTIVM. 3. SCHOL.

ILLI CAVSSATO, *Discipulo prætexenti primùm sepelire patrem. Luc. 9. 59.* Ait autem ad alterum, sequere me. Ille autem dixit: Domine permitte mihi primùm ire, & sepelire patrem meum. Dixitque ei Iesus: sine vt mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade & annuntia regnum Dei. IN LEVITICO. *cap. 21. 1.* Dixit quoque Dominus ad Moysen loquere ad Sacerdotes filios Aaron, & dices ad eos: Ne contaminetur Sacerdos in mortibus ciuium suorum, nisi tantùm in consanguineis, *Sanct. Pagn. ex Hebr. sed super carne sua & 1. 70. nisi in propinquo, qui proximus est eis*, id est super patre & matre, & filio & filia, fratre quoque & sorore virgine quæ non est nupta viro: sed nec in principe populi sui contaminabitur. &c. *Versu autem vndecimo:* Ad omnem mortuum non ingredietur omnino. Super patre quoque suo & matre non contaminabitur. Nec egredietur de sanctis, ne polluat sanctuarium Domini: quia oleum sanctæ vnctionis Dei sui super eum est. *Vbi aduerte Tertullianum deceptum, & quod de vnico summo Pontifice dicitur, omnibus Sacerdotibus tribuisse. Cum enim lex permisisset cæteris Sacerdotibus contaminari super propinquis, de summo Pontifice subiecit:* Pontifex, id est Sacerdos maximus inter fratres suos, super cuius caput fusum est vnctionis oleum, & cuius manus in Sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet: & ad omnem mortuum, 70. *ad omnem animam mortuam*, non ingredietur omnino. &c IN ARITHMIS, *in libro Numerorum. Vnde Arithmetica dicta à numeris. Numerorum 6. vbi de voto Nazaræorum:* omni tempore consecrationis suæ, super mortuum non ingredietur, nec super patris quidem & matris, & fratris sororisque funere contaminabitur, quia consecratio Dei sui super caput eius. SATIS IMPIVS. *Agit contra Marcionem, qui si Christum Dei sui filium velit esse, impietatis accusat, qui nec parentum pietati satisfieri permittat. Probat autem Creatoris filium, quòd vetet imbuendum Sacerdotio suo, super mortuis etiam parentibus contaminari, exemplo Patris sui Dei Creatoris. Aug. certè restringit hanc super mortuis parentibus contaminationem ad summum Sacerdotem, in hoc quoque Tertulliano obseruantior. to. 4. lib. 3 quæstionum in Leuit. quæst. 79. & seq* Sacerdos magnus, inquit, coram fratribus suis, id est qui inter fratres suos magnus est, ille scilicet vnus magnus Sacerdos, cui fusum est super caput ex oleo Christo. Ipsum oleum appellat Scriptura Christum. Et consummatus manus induere vestimenta illa vtique quæ in veste Sacerdotali operosissimè describuntur: Caput non reteget cidari, & vestimenta sua non scindet, *tam pretiosa & sancta*, & super omnem animam mortuam non introibit, intelligitur ea quæ supra dixit in luctu facere eum prohibitum, id est caput nudare cidari, & vestimenta scindere, vestimenta enim scindere, lugentium erat antiquorum: sicut de Iob scriptum est, cùm ei filij eius ruinâ nuntiarentur oppressi. Nudare autem caput cidari, propterea lugentis esse potuit, quia detractio est ornamenti. Quod vero ait, super omnem animam mortuam non introibit; quomodo dicat animam mortuam corpus mortuum difficile est intelligere; & tamen Scripturarum est vsitata locutio, quæ nobis inusitatissima est. Nomen ergo rectricis suæ, etiam corpus accepit animâ destitutum, *quoniam iuxta Paulum, seminatur corpus animale, licet animâ priuatum.* Quoniam reddendum illi est in resurrectione: sicut ædificium quod appellatur Ecclesia, etiam cùm inde exierit Ecclesia, *id est conuentus & cœtus populi, sumpto continente pro contento*, qui homines sunt; Nihilominus Ecclesia dicitur. &c. vetuit ergo Scriptura summum Sacerdotem etiam super patris, vel matris funus intrare; quod secundum non prohibuit. *Id est secundum, tertium, & deinceps alios Sacerdotes:* sequitur enim, super patrem suum & super matrem suam non inquinabitur. *Prosequitur textum de summo Sacerdote, de quo dicitur:* & de Sanctis non exibit, eo proculdubiò tempore, quo suorum funera celebrantur. &c. *Sic igitur intelligendus est Tertullianus ad mentem Pauli de Christo dicentis de* Sacerdotibus pluribus factis, eo quòd morte prohiberentur permanere, Iesum autem eo quòd maneat in æternum, sempiternum habere Sacerdotium: *Omnes proinde Sacerdotes eius ministros eumque repræsentantes summum Sacerdotem, non debere contaminari super cura mortuorum parentum. Vnde & adolescentem quem Sacerdotio suo induebat, cuius & ad munus prædicationis regni Dei pertinet, dicente Petro*, regale Sacerdotium, *& Ioanne in Apoc.* Fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes. *Patrem sepelire prohibuit. De quo singulariter Augustinus sermone septimo de Verbis Domini.* Fides, inquit, cordis eius Domino se ostendebat, sed pietas differe-

S. Aug.
S. Aug.

bat. Dominus autem Christus, quando parat homines Euãgelio nullam excusationem vult interponi carnalis huius temporalisque pietatis. &c. Volebat ergo iste iuuenis obtemperare Deo, *iubenti honorare patrem*, & sepelire patrem suum: sed est locus, & est tempus, & est res quæ huic rei, huic tempori, huic loco seruiat. Honorandus est pater, sed obediendum est Deo, amandus est generator, sed præponendus est Creator. Ego, inquit, ad Euangelium te voco, ad aliud opus mihi necessarius es; maius est hoc, quàm quod vis facere. Sine mortuos sepelire mortuos suos. Pater tuus mortuus est; sunt alij mortui qui sepeliant mortuos. Mortui sepelientes mortuos qui sunt? potestne mortuus à mortuis sepeliri? Quomodo inuoluunt, si mortui sunt? quomodo portant, si mortui sunt? quomodo plangunt, si mortui sunt? quia infideles sunt. Docuit nos quod scriptum est in Cant. Cantic. dicente Ecclesiâ; ordinate in me charitatem. Quid est ordinate in me charitatem? facite gradus & cuique quod debetur, restituite. Nolite anteriora posterioribus subdere. Amate parentes; sed præponite Deum parentibus. Attende matrem Machabæorum. Filij, inquit, nescio quomodo apparuistis in ventre; concipere vos potui, parere potui, formare vos non potui. Illum ergo audite, illum mihi præponite. Nolite attendere ne sine vobis remaneam. Præcepit & secuti sunt. Quod docuit mater filios, hoc docebat Dominus noster Iesus Christus, istum cui dicebat sequere me. *Et to. 3. lib. 4. de Trin. cap. 3.* De morte animæ, inquit, a morte corporis distinguenda, quid plura documenta commemorem? cùm Dominus in vna sententia Euangelica vtramque mortem cuiuis facilè discernendam posuerit, vbi ait; sine mortuos sepelire mortuos suos. Sepeliendum quippe corpus mortuum erat, sepultores autem eius per infidelitatis impietatem in anima mortuos intelligi voluit; quales excitantur, cùm dicitur: surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. *Et libro 20. de Ciuit. cap. 6.* Habent, inquit, & animæ mortem suam in impietate, atque peccatis. Secundùm quam mortem mortui sunt, de quibus idem Dominus ait, sine mortuos sepelire mortuos suos: vt scilicet in anima mortui, in corpore mortuos sepelirent. S. Aug. S. Aug.

* 4. *Sacerdotij immunitates laici gratulantes suscipiunt, dum scriptura fideles omnes latè vocat Sacerdotes: sed onera Sacerdotij detrectant. De Monog. cap. 12. in m.*

CVm extollimur, & inflamur aduersus Clerum, tunc vnum omnes sumus, tunc omnes Sacerdotes, quia [a] *Sacerdotes nos Deo & Patri fecit*: quum ad peræquationem disciplinæ Sacerdotalis prouocamur, deponimus infulas, & impares sumus.

a Apoc. 1. 6.

SACERDOTII. 4. SCHOL.

CVM EXTOLLIMVR. *Non intendit ordinem Hierarchicum Ecclesiæ confundere, sed hic agit, iuxta errorem suum, quo secundas nuptias damnat, & omnes etiam Laicos vult legibus Monogamiæ adstringere. Dicit itaque Laicos, dum se æquare volunt, per tumorem & superbiam, Clericis, abuti Petro & Ioanne: isto quidem dicente:* fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes: *illo verò omnibus fidelibus gratulante:* vos autem gens sancta, genus electum, regale Sacerdotium. *Cùm autem æquali debito strictioris disciplinæ, vt puta Monogamiæ, obstringuntur Laici, tum verò eos deponere infulas, & renunciare Sacerdotali dignitati. Sic ipse Tertull. lib. de exhort. castitatis cap. 7.* Nonne & Laici Sacerdotes sumus? scriptum est, regnum quoque nos & Sacerdotes Patri suo fecit. Apoc. 1. & 5. *Et Ambr. lib. 4. de Sacramentis cap. 1.* Vnusquisque vngitur, *in baptismo scilicet dum baptizati vertex vngitur*, in Sacerdotium, in regnum: sed spiritale regnum est & sacerdotium. *Et Aug. lib. 20. de Ciuit. cap. 10. in verba Apoc. 20.* Erunt Sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum eo mille annis: non vtique, inquit, de solis Episcopis & Presbyteris dictum est, qui propriè iam vocantur in Ecclesia Sacerdotes; sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma: sic omnes Sacerdotes; quoniam membra sunt vnius Sacerdotis; de quibus Apostolus Petrus. 1. 2. plebs, inquit, sancta, regale sacerdotium; sanè licet breuiter atque transeunter, insinuauit Deum esse Christum, dicendo Sacerdotes Dei & Christi, hoc est Patris & Filij: quamuis propter formam serui sicut filius hominis, ita etiam Sacerdos Christus effectus sit in æternum secundùm ordinem Melchisedech. S. Aug.

SACRAMENTVM.

1. *Sacramentum arcanum, & mysterium Religionis significat, & longè digniùs de Christianis mysteriis vsurpatur, quàm de Ethnicis.*

Apol. cap. 47. in f.

ELysii campi fidem occupauerunt. Vnde hæc oro vos, Philosophis aut Poëtis tam consimilia? non nisi de nostris Sacramentis. Si de nostris Sacramentis, vt de prioribus, ergo fideliora sunt nostra, magisque credenda, quorum imagines quoque fidem inueniunt.

Et lib. 1. ad nationes cap. 16. in f.

De Sacramentis nostræ religionis opinor intentatis. Et sunt paria vestris etiam non Sacramentis.

Et libro 4. contra Marc. cap. 17. in p.

Cui competent secundùm boni existimationem, quam proposuerit in Sacramento voluntatis suæ, &c.

Libro aduersus Iudaeos cap. 11. circa m.

Dominicam crucem intentabat, quâ serpens diabolus publicabatur, & læso cuique ab eiusmodi colubris; id est Angelis eius, à delictorum peccantia, ad Christi crucis Sacramenta intento, salus efficiebatur. Nam qui in illam tunc respiciebat, à morsu serpentium liberabatur.

Et ibid. cap. 13. in m.

Hæc fuerant Sacramenta, quæ temporibus Christi perficienda seruabantur: Et Isaac cum ligno reseruatus est, ariete oblato in vepre cornibus hærente.

Et cont. Iudaeos cap. 13. circa m.

Hoc lignum tunc in Sacramento erat, quo Moyses aquam amaram indulcauit.

Et lib. de Anima cap. 9. à p.

Est hodie soror apud nos &c. inter Dominica solemnia conuersatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino, & videt, & audit Sacramenta, & quorumdam corda dignoscit.

Et de Ieiuniis cap. 7. à m.

Sacramentorum agnitionem ieiunia de Deo merebuntur. Adspice Danielis exemplum circa somnium Regis Babylonis.

Et ibid. cap. 9. à p.

Quà hoc ipsum quoque saperet, quibus modis de Deo impetraretur agnitio Sacramentorum.

Et de Anima, cap. 18. in m.

Sapientes virgines intellectualium virium notam expresserint, hæreticarum idearum Sacramenta: hoc enim sunt & Æones, & genealogiæ illorum.

Et libro 1. cont. Marc. cap. 13. in f.

Aridæ & ardentis naturæ Sacramenta Leones Mithræ philosophantur.

Et 5. contra Marc. cap. 1. in m.

Hæc figurarum Sacramenta si tibi displicent. &c.

Et ibid. cap. 5. à p.

Euangelizator bonorum. &c. Hæc cùm à Deo patre nostro & Domino Iesu adnuntians, communibus nominibus vtatur, competentibus nostro quoque Sacramento, non puto dispici posse quis Deus Pater, & Dominus Iesus prædicetur nisi ex accidentibus cui magis competunt.

Libro cont. Iudaeos cap. 14. circa m.

Sic & apud Zachariam in persona ipsius, immò & in ipsius nominis Sacramento, verus summus Sacerdos Patris Christus Iesus, duplici habitu in duos aduentus delineatur. *Et contra Prax. cap. 28. à p.* Christus ab vnctionis Sacramento.

Et cont. Iud. cap. 9. à m. cont. Valent. c. 39. in m. & 3. cont. Marc. c. 7. in m. & c. 16. à m.

Angelum dixit ob magnitudinem virtutum &c. Iesum autem ob nominis sui futurum Sacramentum.

Et libro de Resur. cap. 23. in m.

Vtique crediderat, & omnia Sacramenta cognouerat vas electionis, Doctor nationum

Et de præscript. cap. 26. in p.

Dominus palam edixit, sine vlla significatione alicuius tecti Sacramenti.

Et 5. cont. Marc. cap. 15. à m.

Futura prænuntiet, & occulta cordis reuelet, & Sacramenta edisserat.

admodum illa requies Dei post fabricatũ mundum A insinuatur: sic requiem quæ nobis promittitur post opera quæ in hoc mundo habemus, si iusta fuerint, consequemur; septima scil. eademque vltima parte sæculi. *Et lib. 6. cont. Faust. Manich. cap. 2. Iudæos simul & Manichæos carpit acrius, Iudæos irridentes.* Iu-
S. Aug. dæi, inquit, sabbato suo quod adhuc carnaliter sapiunt, non solùm in agro fructum nullum decerpunt, sed nec in domo concidunt aut coquunt. Vos autem cessantes quidem, expectatis quis auditorum vestrorum propter vos pascendos, cultello vel falciculâ armatus in hortum prosiliat, homicida cucurbitarum, quarum vobis afferat, mirum dictu, viua cadauera, &c. Nunc autem eis conterendis dentes incubant, minutatim, si hoc palato placuerit, conciduntur à vobis, quibus tam crebris vulneribus cæsi, quomodo vos non estis rei? &c. Iam quid in igne cucurbitæ patiuntur, vbi certè non reformatur vita quæ in eis est? non enim feruens olla sancto ventri comparari potest; & tamen irridetis tanquam superfluam sabbati cessationem. *Libro autem 16. cont. Faust. cap. 28. vbi de spicas vellentibus Apostolis.* Si il-
S. Aug. li, inquit, restiterunt Christo, non intelligentes verum sabbatum vos ei nolite resistere, & intelligite veram innocentiam. Nam eo ipso loco, vbi præcipuè destructor sabbati putatur Iesus, cùm discipuli eius per segetem transeuntes, & esurientes vellerent spicas, & ederent, innocentes eos dixit respondens Iudæis: si sciretis quid sit, misericordiam malo quàm sacrificium, numquam condemnassetis C innocentes. Magis enim esurientium misereri debuerunt, quia hoc illi coacti fame fecerunt. A vobis autem quisquis vulserit spicas, non ex traditione Christi qui hanc innocentiam vocat, sed ex traditione Manichæi, homicida deputatur. An fortè misericordiam eisdem spicis exhibuerunt Apostoli, vt inde membra Dei manducando purgarent, sicut vestra fabula est? vos ergo crudeles, qui hoc non facitis. Sed videlicet nouit Faustus destruere sabbatum, quia scit virtutem Dei semper atque infatigabiliter operari. Illi hoc dicant, qui intelligunt Deum sine temporali voluntate vniuersa tempora facientem. Hoc ad vos multum est, qui Dei vestri requiem rebellione gentis tenebrarum perhibetis excussam, & hostium repentino impetu perturbatam. An ex æterno præuidens hoc futurum, nunquam habuit requiem, quia nunquam securus fuit, qui se cogitabat tam graue bellum, cum tanta membrorum suorum, *id est creaturarum*, labe damnoque gesturum? *Sic videt Augustinus eos sui hæreticos, velut Tertullianus Marcionitas suos. De Dauid prætiuato panes propositionis edente sic breuiter dicit fuisse figuram Christi Regis simul & Sacerdotis, & Domini sabbati in* B *Psal. 51. titulum.* Cùm Saül, inquit, persequeretur S. Aug.
virum sanctum Dauid confugit Dauid vbi tutum putauit esse locum, transiens per Sacerdotem quendam Abimelech, accepit ab eo panes, vbi figurauit etiam personam, non tantùm Regis, sed & Sacerdotis, quia manducauit panes propositionis, sicut dicit Dominus in Euangelio non licebat manducare nisi solis Sacerdotibus. *Et lib. 12 cont. Faustum cap. 33* Nonne, inquit, ipse Dauid cùm panes pro-
positionis manducauit, quos non licebat manduca- S. Aug.
re nisi solis Sacerdotibus, in vna persona vtrumque futurum, id est in vno Domino Iesu Christo regnum & Sacerdotium figurauit? *Tandem de manna die sabbati non pluente Iudæis, manna autem Verbi diuini & pane Eucharistico Dominicâ die hoc est Christianorum sab-*
C *bato pluente. Ita ser. 91. de temp.* Illud aduertite, fra- S. Aug.
tres, quòd Iudæorum sabbato die manna numquam omnino pluerit, nec meruerunt Iudæi, vt eorum sabbato gratia illis de cœlo descenderet. In nostra autem Dominica die, *de qua dicitur in Actis Apost. vna sabbati cùm conuenissemus ad frangendum panem. Hoc est post sabbatum primâ die. Vel primâ die septimanæ, die lucis, siue Solis* non solùm semper venit manna, sed etiam ab ipso die veniendi initium fuit.

7. *Sabbatum non violatum est Arcâ circumductâ, Machabæisque pugnantibus. cont. Iud. cap. 4. à m. ad f.*

Ios. 6. 1. & seq. ADeo non in vacatione sabbati, id est, diei septimi, hæc solennitas celebranda est, vt Iesus Naue, eo tempore quo Hiericho ciuitatem debellabat, præceptum sibi à Deo diceret, vti populo mandaret, vt sacerdotes arcam testamenti Dei septem diebus circunferrent in circuitu ciuitatis, atque ita septimi diei circuitu peracto, sponte ruerent muri ciuitatis. Quod ita factum est, & finito spatio diei septimi, sicut prædictum erat, ruerunt muri ciuitatis. Ex quo manifestè ostenditur, in numero istorum dierum septem incurrisse diem sabbati. Septem enim dies vndecunque initium acceperint, sabbati diem secum concludant necesse est, quo die non tantùm sacerdotes sint operati, sed & in ore gladij præda facta sit ciuitas ab omni populo Israël. Nec dubium est opus seruile eos operatos,
1. Mach. 2. 41. cùm prædas belli agerent ex Dei præcepto. Nam & temporibus Maccabæorum sabbatis pugnando fortiter fecerunt, & hostes Allophylos expugnauerunt, legemque paternam ad pristinum vitæ statum pugnando sabbatis reuocauerunt. Nec putem aliam legem eos defendisse, nisi in qua de die sabbatorum meminerant esse præscriptum. Vnde manifestum est ad tempus & præsentis causæ necessitatem huiusmodi præcepta valuisse; & non ad perpetui temporis obseruationem huiusmodi legem eis Deum antè dedisse.

8. *Sabbati cultus, opera humana prohibet, non diuina.* *V. Verbum, Dei immutabilitas. num. 1.*

9. *Et 4. cont. Marc. cap. 12. à p.*

CEtera de sabbato ita dirigo: Si sabbatum Christus interuertit, secundùm exemplum fecit Creatoris. Si quidem in obsidione ciuitatis Hierichuntis, circumlata per mu-
Iosue 6. 1. & seq. ros arca testamenti septem diebus, etiam sabbato, ex præcepto Creatoris, sabbatum operatione destruxit, vt putant qui hoc & de Christo existimant; ignorantes neque

Christum sabbatum destruxisse, neque Creatorem, vt mox docebimus. Et tamen per Iesum tunc quoque concussum est sabbatum, vt & hoc in Christum renuntiaretur, etiam si odio insecutus est solennissimum Iudæorum diem, vt Christus non Iudæorum.

10. *Et ibid. à m.*

ᵃDOminus *sabbati* dictus, quia sabbatum, vt rem suam, tuebatur. Quod etiam si de- a Luc.6.
struxisset, meritò, quà dominus magis, ille qui instituit. Sed non omnino destru- 5.
xit, quà dominus; vt hinc iam apparere possit, nè tum quidem in arcæ circumlatione
apud Hierichuntem, sabbatum à Creatore destructum. Nam & illud opus Dei erat, Iosue 6.1.
quod ipse præceperat, & quod propter animas disposuerat hominum suorum, in discri- & seq.
mine belli constitutas.

Et ibid. circa f.

ITa nec Christus omnino sabbatum rescindit, cuius legem tenuit & suprà in causa dis- Luc. 6. 1.
cipulorum pro anima operatus; esurientibus enim solatium cibi indulsit; & nunc ma- Luc.13.15
num aridam curans, factis vbique ingerens, ᵃ *Non veni dissoluere legem, sed adimplere*; nec Luc. 6. 1.
Marcion hac voce os ei obstruxit. Adimpleuit enim & hîc legem, dum conditionem in- Luc. 6. 6.
terpretatur eius, dum operum differentiam illuminat, dum facit quæ lex de sabbati fe- a Matth.
riis excipit, dum ipsum sabbati diem benedictione Patris à primordio sanctum, benefa- 5. 17.
ctione sua efficit sanctiorem; in quo scilicet diuina præsidia ministrabat, quod aduersarius
aliis diebus præstitisset, nè sabbatum Creatoris ornaret, ne opera debita sabbato redderet.

11. *Et 4. cont. Marc. cap. 12. in m.*

CVm de die sabbati dicit, ᵃ *Omne opus tuum non facies in ea*; dicendo, *tuum*, de hu- a Exo.20.
mano opere definiit, quod quisque ex artificio vel negotio suo exequitur, non de 10.
diuino. Opus autem salutis & incolumitatis, non est hominis, sed Dei proprium. Sicut
& rursus in lege ᵇ *non facies, inquit, omne opus in ea*, nisi quod fiet omni animæ; id est, in b Leuit.
causa animæ liberandæ. Quia opus Dei etiam per hominem fieri potest in salutem ani- 23.3.
mæ; à Deo tamen quod facturus fuerat & Christus homo, quia & Deus. In hunc ergo sen-
sum legis inducere volens illos per manus arefactæ restitutionem, interrogat, ᶜ *Licetne* c Luc.6.9.
sabbatis benefacere an non? Animam liberare an perdere? vt id operis promittens, quod
pro anima facturus esset, admoneret eos, quæ opera sabbati lex prohiberet; humana sci-
licet; & quæ præciperet, diuina scilicet, quæ fierent animæ omni.

SABBATVM NON VIOLATVM. 7. 9. 10. ibid. & 11. SCHOL.

NON IN VACATIONE. *Cessando prorsus ab omni opere etiam necessario vitæ, eiusque iusta defensione, vel inimicorum reipublicæ expugnatione.* IESVS NAVE. *Iosue, de quo dicta alibi consule.* VTI MANDARET. *Vt præciperet.* SACERDOTES OPERATI. *Non tantùm tubis clangentes, & humeris arcam fœderis baiulantes; sed & gladio deleta sit ciuitas Ierico. Iosue 6. 13.* Tulerunt Sacerdotes Arcam Domini; & septem ex eis, septem buccinas quarũ in Iubilæo vsus est: præcedebantque Arcam Domini, ambulantes atque clangentes: & armatus populus ibat ante eos, vulgus autem reliquum sequebatur Arcam, & buccinis personabat. 70. *& Sacerdotes clanxerunt tubis.* Circuieruntque ciuitatem secundo die semel, & reuersi sunt in castra. Sic fecerunt sex diebus. Die autem septimo, diluculo consurgentes, circuierunt B vrbem sicut dispositum erat, septies. Cúmque septimo circuitu clangerent buccinis Sacerdotes, dixit Iosue ad omnem Israel: vociferamini: tradidit enim vobis Dominus ciuitatem, &c. Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerunt: & ascendit vnusquisque per locum qui contra se erat: ceperuntque ciuitatem, & interfecerunt omnia quæ fuerunt in ea, &c. MACHABÆORVM TEMPORIBVS. *Primi Machab. 2 38. Cum exercitus Antiochi Machabæos aggrederetur, ob sabbati exactiorem obseruationem præsumentibus hostibus, non restituros Hebræos:* constituerunt aduersus eos prælium in die sabbatorum, & dixerunt ad eos: A resistitis & nunc adhuc? exite & facite secundùm verbum Regis Antiochi, & viuetis. Et dixerunt, non exibimus, neque faciemus verbum Regis, vt polluamus diem sabbatorum. Et concitauerunt aduersus eos prælium. Et non responderunt eis, nec lapidem miserunt in eos, nec oppilauerunt loca occulta, dicentes: moriamur omnes in simplicitate nostra, &c. & intulerunt illis bellum sabbatis: & mortui sunt ipsi, & vxores eorum, &c. Et cognouit Mathatias, &c. & dixit vir proximo suo: si omnes fecerimus sicut fratres nostri fecerunt, & non pugnauerimus aduersus gentes pro animabus nostris, & iustificationibus nostris, nunc citiùs disperdent nos à terra. Et cogitauerunt in die illa dicentes: omnis homo quicumque venerit ad nos in bello die sabbatorum, pugnemus aduersus eum, &c. & collegerunt exercitum, & percusserunt peccatores in via sua, &c. AD PRISTINVM STATVM. *Delineatum supra in Iosue.* MEMINERANT. *Scriptum est enim:* Memento vt diem sabbati sanctifices. AD TEMPVS. *Sabbati vacatio prudenter intelligenda fuit, nec obligauit semper, maximè in tempore necessitatis.*

9. ITA DIRIGO. *Sic prosequor.* INTERVERTIT, *non vacando ab omni opere, maximè vtili hominibus, & ad gloriam Dei proficiente.* DESTRVXIT, *violauit, Iosue scilicet, Sacerdotes, & populus, ipso Deo Creatore eius authore iubente.* PER IESVM. *Iosue, Christum in hoc etiam figurante.* CHRISTVS NON IVDÆORVM. *Tanquam non fuisset Christus filius Dei Creatoris, natione Iudæus, & in Iosue Iudæo, sabbato bella operante delineatus.*

10. DOMINVS SABBATI. *Sic supra ex Luc.6.5.* Dominus filius est hominis, etiam sabbati; *Quod vnà cum Patre instituerat. Quod quidem sabbatum, in quantùm eius Dominus, conseruauit, & honorauit potiùs, quàm destruxit, illud mirandis operibus exornans.*

ET IBID. LEGEM TENVIT. *De qua supra Luc.13 15. dum curam egit animæ, sine vita animalium.* MANVM ARIDAM. *Luc.6.6.* Factum est autem & in alio sabbato vt intraret in Synagogam, & doceret. Et erat ibi homo, & manus eius dextra erat arida, &c. Interrogo vos si licet benè facere, an malè: animam saluam facere, an perdere? & circumspectis omnibus dixit homini: extende manum tuam. Et extendit: & restituta est manus eius. *Translat. Syr. addit:* sicut socia ipsius, *id est sinistra.* INGERENS. *Confirmans.* ILLVMINAT. *Docet.* BENEFACTIONE. *Bono opere.* ADVERSARIVS. *Si Christus fuisset filius Dei Marcionis, aduersarij creatoris.* DEBITA SABBATO. *Die enim festo bonis operibus maximè incubandum. De manu arida sanata Augustinus. tom. 6. lib. cont. Adimantum Manich. Discip. cap. 22.*

S. Aug. De homine, inquit, quem lapidari Deus, iussit, qui sabbato inuentus est ligna colligere: Dominus in Euangelio vbi hominis manum aridam sanauit die sabbati, diuinum opus fecit, non humanum: nec ab otio recessit, *à requie, quâ imperturbata, omnia operatur solo iussu,* qui iussit & factum est. Et ideo non est simile hoc factum ligna colligenti, quod facere cùm inuentus esset homo die sabbati, iussu Dei lapidatus est, &c. sicut enim tempore charitatis bonitas; sic tempore timoris, seueritas Dei maximè commendatur. Et cùm adhuc non oporteret ante aduentum Domini, nudare populo legitimarum Sacramenta figurarum, non inuitabantur significata intelligere, sed iussa cogebantur implere: nondum enim Deo inhærebant per spiritum, sed per carnem legi seruiebant. Miror autem quod isti. *Manich: i,* plangunt lapidatum hominem Dei præcepto, quia contra iussa legis ligna collegit; & non plangunt arefactam ficulneam Verbo Christi, quæ contra nullum præceptum fecerat; cùm talem animam arboris esse credant, qualem hominis. *Et in Psal. 37. de muliere curua*

S. Aug. *erecta die sabbati, de qua supra numero 5. in versum,* Miseriis afflictus sum, & curuatus sum vsque in finem. Vnde, inquit, curuatus est? quia elatus erat. Si fueris humilis, erigeris: si fueris elatus, curuaberis; non enim deerit Deo pondus, vnde te curuet. Illud erit pondus fascis peccatorum tuorum. Hoc replicabitur in caput tuum, & curuaberis. Quid est autem curuari? non se posse erigere. Talem inuenit Dominus mulierem per decem & octo annos curuam: non se poterat erigere. Tales sunt qui in terra cor habent. At verò quia inuenit mulier illa Dominum, & sanauit eam, audiat, sursum cor. In quantùm tamen curuatur, adhuc gemit. Curuatur enim ille qui dicit: corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. In his gemat, vt illud accipiat. Recordetur sabbatum, *quo Dominus curuam erexit,* vt ad sabbatum peruenire mereatur. *Christum veram requiem, & immortalitatem. Aduerte titulum Psalmi habere,* Psalmus ipsi Dauid in recor-

S. Aug. dationem sabbati. *Vbi inter cætera sic habet.* Quid sibi vult ista recordatio sabbati, fratres mei? quæ anima sic recordatur sabbatum? quod est hoc sabbatum? cum gemitu enim recordatum, &c. sed fœlix est, qui sic miser est. Vnde & Dominus in Euangelio beatos appellauit quosdam lugentes. Vnde beatus, si lugens? vnde beatus, si miser? imò miser esset, si lugens non esset. Talem ergo & hîc accipiamus sabbatum recordantem, nescio quem lu-

A gentem; & vtinam nos simus ipse nescio quis. Est enim quidam dolens, gemens, lugens, recordans sabbatum. Sabbatum requies est, &c. Ipsa recordatio sabbati, & nondum retentio, facit me nondum gaudere, & agnoscere, nec sanitatem esse in ipsa carne, neque dici debere; cùm comparo istam sanitatem, illi sanitati quam habebo in requie sempiterna: vbi corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem: & video quia in illius sanitatis comparatione, ista sanitas morbus est. *Nec comparabilis est manus aridæ laxatio, paralitici curatio, mulieris curuæ erectio, vrbis Hiericuntinæ*

B *depredatio, hostium Machabæorum expugnatio, diebus sabbati factæ, nouissimæ inimicæ mortis, & omnis infirmitatis in immortalitatem & beatitudinem immutationi faciendæ in quietis æternæ sabbato. Tandem de Ierico sabbato expugnata sic fatur ser. 106. de temp. in fine.* Septem, inquit, diebus sicut Scriptura dicit, muri Ierico Sacerdotalibus tubis circumdati ceciderunt. S. Aug.

Vnde nos spiritalibus spiritalia comparantes, dicimus quod septenario numero nunc per Sacerdotes Dei, non tam vna ciuitas destruitur, quam totius mundi iniquitas dissipatur. Nam sicut in singularis vrbis nuncupatione, vniuersi mundi habitus figuratur; *quia Ierico significat Lunam, & mundus stultus vt Luna mutatur, & teste Paulo, velut Luna, ita præterit figura huius mundi.* Ita septem dierum circulo

C totius mundi spatia distinguuntur, per quæ Sacerdotalium prædicationum tubæ, ipsi sæculo excidium annunciant, & iudicium comminantur: sicut scriptum est. 1. Io. 2. quoniam mundus peribit, & omnia quæ in mundo sunt, qui autem facit voluntatem Dei manet in æternum, sicut & Christus in æternum manet. *Et ep. 119. ad Iannarium.* Cùm de regno Domini Psalmus cantaret, orietur, inquit, in diebus eius iustitia & abundantia pacis, donec interficiatur Luna: id est, abundantia pacis, in tantùm crescet, donec omnem mutabilitatem mortalitatis absumat. Tunc nouissima inimica destruetur mors, & quidquid nobis resistit ex infirmitate carnis, vnde nobis perfecta pax nondum est, con- S. Aug.

D sumetur omnino, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc, &c. Vnde & illius ciuitatis muri, quæ Ierico appellatur, quæ in Hebræo eloquio Luna interpretari dicitur, septimo circuitu circumactâ testamenti Arcâ corruerunt. Quid enim nunc aliud agit annuntiatio regni cœlorum, quam circuitio arcæ significauit, nisi vt omnia munimenta mortalis vitæ, id est omnis spes huius sæculi, quæ resistit spei futuri sæculi, in dono septenario Spiritus sancti, per liberum arbitrium destruatur? ob hoc enim circumeunte arcâ, non impulsu violento, illi muri ceciderunt, sed sponte.

11. DEFINIIT. *Abstinendum esse ab opere seruili artificij, vel negotij.* INCOLVMITATIS, *quo salus & vita hominum restituitur aut conseruatur.* DEI PRO-

E PRIVM. *In quantùm vel ordinaria prouidentia creaturæ omni, & maximè rationali consulit, vel extraordinaria, salutem miraculosè restituendo.* PROMITTENS *quasi enim præambula erat miraculo faciendo restitutionis manus aridæ, interrogatio facta.* QVÆ FIERENT ANIMÆ OMNI. *Nullibi reperi quod bis hoc loco, & rursum alibi repetit circa exceptionem legis de his quæ sabbato fieri licent in causa animæ liberandæ, nihil enim tale additur in Exodo, Leuitico, vel Deuteronomio in vlla versione, sed sic & Hieronymus in cap. 28. Esaiæ.* Lege, inquit, præceptum est, ne in sabbatis opus seruile faciamus, ne accendamus ignem, vt in vno sedeamus loco; vt illa tantùm faciamus quæ ad animæ salutem pertinent. *Non video cur ita se torserit Pa-*

melius ; neque enim hoc credo Tertullianum velut expressum in scriptura, referre, sed potius, vt hic fecit Hieronymus exposuisse legem, ideo corporalia opera A *prohibentem, vt spiritalibus vacaretur. De manu arida, dixi Scholio præcedenti.*

12. *Sabbatum spiritale æternum est. Et Sabbatum temporale legis, & omne opus seruile peccati ablegauit. cont. Iud. cap. 4. in p. ad vltra. m.*

SEquitur itaque, vt quatenus circuncisionis carnalis, & legis veteris abolitio expuncta
suis temporibus demonstratur, ita sabbati quoque obseruatio temporaria fuisse de-
monstretur. Dicunt enim Iudæi, quòd à primordio [a] *sanctificauerit Deus diem septimum,* a Gen. 2.
requiescendo in eo ab omnibus operibus suis quæ fecit, & inde etiam Moysem dixisse ad populum: 3.
[b] *Mementote diem sabbatorum: sanctificate eum. Omne opus seruile non facietis in eo ;* præter- b Exod.
quam quod ad animam pertinet. Vnde nos intelligimus, magis sabbatizare nos ab omni 20. 10. &
opere seruili semper debere, & non tantùm septimo quoque die, sed per omne tempus. seq.
Ac per hoc quærendum nobis, quod sabbatum nos Deus vellet custodire. Nam sabba- Leuit. 23.
tum æternum, & sabbatum temporale scripturæ designant. Dicit enim Esaïas propheta : 3.
[c] *Sabbata vestra odit anima mea.* Et alio loco dicit : [d] *Sabbata mea profanastis.* Vnde dignos- c Esa. 1. 14
cimus sabbatum temporale esse humanum, & sabbatum æternum censeri diuinum, de d Ezech.
quo per Esaïam prædicat : [e] *Et erit, inquit, mensis ex mense, & dies de die, & sabbatum de* 22. 8.
sabbato, & veniet omnis caro adorare in Hierusalem, dicit Dominus. Quod intelligimus ad- e Esa. 66.
impletum temporibus Christi, quando omnis caro, id est omnis gens, adorare in Hieru- 23.
salem venit Deum patrem, per Iesum Christum filium eius, sicut per Prophetam prædi-
catum est : [f] *Ecce proselyti per me ad te ibunt.* Sic igitur ante hoc sabbatum temporale, erat f Esa. 54.
& sabbatum æternum præostensum & prædictum, quomodo & ante circuncisionem car- 15.
nalem, fuit & spiritalis circuncisio præostensa. Denique doceant, sicuti iam præloquuti Gen 4. 4.
sumus, Adam sabbatizasse : aut Abel hostiam Deo sanctam offerentem, sabbati religione Gen. 5.
placuisse : aut Enoch translatum, sabbati cultorem fuisse : aut Noë arcæ fabricatorem 24.
propter diluuium immensum, sabbatum obseruasse : aut Abraham in obseruatione sabba- Gen 6. 8.
ti Isaac filium suum obtulisse, aut Melchisedech in suo sacerdotio legem sabbati accepisse. Gen 22. 2
Sed dicturi sunt Iudæi, ex quo hoc præceptum datum est per Moysen, exinde obseruan- Gen. 14.
dum fuisse. Manifestum est itaque, non æternum, nec spiritale, sed temporale fuisse præ- 18.
ceptum, quod quandoque cessaret.

SABBATVM SPIRITALE ÆTERNVM. 12. SCHOL.

EXPVNCTA SVIS TEMPORIBVS, *impleta tempore legis nouæ.* A PRIMORDIO. *Gen.* 2. 2. Compleuitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat. 70 *ab omnibus operibus suis quæ fecit*, & benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo quod creauit Deus vt faceret. 70. *verò.* Ab omnibus operibus suis, quæ inchoauit Deus facere. MEMENTOTE. *Exodi.* 20. 8. Memento vt diem Sabbati, 70. *Sabbatorum*, sanctifices. Sex diebus operaberis & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est : non facies omne opus in eo, tu & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui est intra portas tuas. 70. *& Proselytus qui incolit in te.* Sex enim diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt : & requieuit in die septimo : Idcircò benedixit Dominus diei Sabbati, & sanctificauit eam. AD ANIMAM PERTINET. *sic supra exceptione vsus est numero* 10. *sicut exposuimus.* OPERE SERVILI. *peccati scilicet.* SABBATVM ÆTERNVM. *quo semper à peccato abstinendum est.* PER PROPHETAM. *hic nullum nominatim citauit, quia passim per Prophetas dictum est, per Christum, mittentem Apostolos suos, venturos Gentiles ad Dei cultum. Sicut ipse ait* : nemo venit ad Patrem nisi per me. *Deo gratias, quòd diu quæsitum & frustra hu, magnâ licet diligentiâ à Pamelio viro doctissimo humillimoque inuestigatum, dum & caput 4. contra Iudæos & 21. libri tertij cont. Marcionem exponeret ; magnâ Dei misericordiâ inueni. Et cum Tertullianus contra Iudæos scribens, Prophetam non nominasset ; contra Marcionem autem Esaiam expressisset dicens.* Ecce, inquit, Esaias,

A Proselyti per me accedent ad te : *illud Apud Esaiam reperi cap. 54. 15. vbi vulgata legit*, Ecce accola veniet, qui non erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi. 70. *sic habent:* Ecce Proselyti accedent ad te per me ; & coloni erunt tui, & ad te confugient. *Proselyti autem propriè erant qui natione Gentiles, ad Iudæorum sacramenta, ceremonias, legemque transibant.* SABBATVM ÆTERNVM PRÆOSTENSVM. *Figuratum in Sabbato, vespera carente, inter omnes dies. De sabbato nostro spiritali subtiliter aduertit Augustinus to. 3. lib. de spiritu & lit. ad Marcellinum. Cap. 15. vbi de Moyse latente sub velamine.* Fortasse, inquit, ad illud ip- S. Aug. sum eius latibulum pertinet, quod in eo decalogo qui datus est in monte Sina, hoc solum præceptum figuratè occultatum est quod ad Sabbatum pertinet. Sabbatum autem dies sanctificationis est. Nec va- C cat quod inter omnia opera quæ fecit Deus, illic primò sanctificatio sonuit, vbi ab omnibus operibus requieuit &c. Non frustrà illo die populus ab omni opere seruili abstinere præceptus est, quo significatur peccatum, nisi quia non peccare, sanctificationis est, hoc est, muneris Dei per spiritum sanctum ; quod in lege, quæ duabus lapidæis tabulis conscripta est, solum inter cætera in vmbra figuræ positum est, in qua Iudæi Sabbatum obseruant : vt hoc ipso significaretur tempus tunc fuisse occultandæ gratiæ quæ nouo Testamento fuerat per Christi passionem, tanquam scissionem veli reuelanda. Cùm enim transierit, inquit, *Paulus* 2. *Cor.* 3. ad Christum, auferetur velamen. Deus autem spiritus est, vbi autem spiritus Domini, ibi libertas. *A seruitute peccati.* Hic autem spiritus Domini, cuius dono iustificamur, quo fit in nobis vt non peccare de-

lectet, vbi libertas est; Sicut præter hunc spiritum peccare delectat, vbi seruitus, à cuius operibus abstinendum, id est spiritaliter sabbatizandum. Hic Spiritus sanctus per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ plenitudo legis est, etiam digitus Dei in Euangelio dicitur. Vnde quia & illæ tabulæ digito Dei conscriptæ sunt; & digitus Dei est Spiritus Dei per quem sanctificamur, vt ex fide viuentes per dilectionem operemur. *Et to. 4. lib. 2. in Exod. q. 172. Ex Exodi 36.* Ex decem præceptis, hoc solum populo præcepit, quod figuratè ibi dictum est: alia quippe nouem sicut præcepta sunt, etiam in nouo Testamento obseruanda minimè dubitamus. &c. In illa requie, vbi opera seruilia iubentur cessare, magna est altitudo gratiæ Dei. Tunc enim fiunt cum requie opera bona, cùm fides per dilectionem operatur: timor autem tormentum habet: & in tormento quæ requies? vnde timor non est in charitate: charitas autem diffusa est in cordibus nostris. &c. Ideo sabbatum requies sancta Domino dicitur, Dei scilicet gratiæ tribuenda, non nobis, velut ex nobis. Alioquin nostra opera sic erunt, vt sint humana, aut cum peccato, aut cum timore, non cum dilectione: Et ideò seruilia sine requie. Plenitudo autem Sabbati erit in requie sempiterna. Non enim frustrà institutum est sabbatum sabbatorum. *Tract. autem in Psal. 91. cuius titulus est.* Psalmus Cantici in die Sabbati. Ecce, inquit, & hodiernus dies sabbati est: hunc in præsenti tempore otio quodam corporaliter languido, & fluxo, & luxurioso celebrant Iudæi; vacant enim ad nugas: Et cùm Deus præceperit obseruari sabbatum, illi in his, quæ Deus prohibet, exercent sabbatum. Vacatio nostra a malis operibus: vacatio illorum a bonis operibus est. Melius est enim arare, quam saltare. Illi à bono opere vacant, ab opere nugatorio non vacant. Nobis sabbatum indicit Deus. Quale? primo vbi sit videte. Intus est. In corde est Sabbatum nostrum: multi enim vacant membris, & tumultuantur conscientiâ, omnis homo malus sabbatum habere non potest: nusquam enim illius conquiescit conscientia, & necesse est vt in perturbationibus viuat. Cui autem bona est conscientia, tranquillus est, & ipsa tranquillitas sabbatum est cordis. Attendite enim promissorem Dominum: & si laborat, si tristis est, in præsenti, extenditur spe futuri, & serenatur omne nubilum tristitiæ, sicut dicit Apostolus; spe gaudentes. Ipsum autem gaudium in tranquillitate spei nostræ, sabbatum nostrum est. &c. *Pergit, in quo sit ponendum Sabbatum verum cordis:* Primum est, inquit, vt tu ipse, si aliquid profecisti, Deo confitearis ex eo quod profecisti, quia munera ipsius sunt, non merita tua. Hinc incipe sabbatum, non tibi tribuendo quasi non acceperis quod accepisti: *te quasi vacantem & seruum inutilem reputando, & ex te aliquid non sufficientem:* neque excusando te ab eo quod facis mali, quia ipsa sunt tua. Peruersi enim homines, & perturbati, quia non agunt sabbatum, mala sua Deo tribuunt, bona sua sibi. &c. Quid ergo nos docet Psalmus iste? bonum est confiteri Domino. Quid est confiteri Domino? in vtraque re, & in peccato tuo quia tu fecisti: & in bono facto confitere Domino, quia ipse fecit. Tunc psalles nomini Dei altissimi, quærens gloriam Dei, non tuam, nomen ipsius, non tuum. Si enim tu quæris nomen Dei, quærit & ipse nomen tuum: si autem tu neglexeris nomen Dei, delet & ipse nomen tuum. *Subiicit de Apostolis gloriantibus de eiectione dæmonum. Quibus Christus ait:* Nolite gaudere in hoc; gaudete autem quòd nomina vestra scripta sunt in cœlo. Ecce, inquit, vbi habes nomen, si tu nomen Dei non negligas. Psalle ergo nomini Dei, vt fixum sit apud

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

Deum nomen tuum. *Et tract. 20. in cap. 5. Io.* Ideo, inquit, dictum est Deum requieuisse, quia iam creaturam nullam condebat, postquam perfecta sunt omnia. Quietem verò propterea appellauit scriptura, vt nos admoneret post bona opera quieturos. &c. Vt tu homo cùm attendis ipsum Deum post bona opera requieuisse, non tibi speres requiem, nisi cùm bona feceris operatus. Et quemadmodum Deus posteaquam fecit hominem ad imaginem & similitudinem suam sexto die, & in illo perfecit omnia opera sua bona valde, requieuit septimo die; sic & tibi requiem non speres, nisi cùm redieris ad similitudinem Dei, in qua factus es, quam peccando perdidisti. *De Sabbato denique æterno. Ep. 119. ad Ianuarium.* Quære, inquit, septem dies Genesim legens, inuenies septimum sine vespera, quia requiem sine fine significat. &c. Nusquam legimus in Genesi sanctificationem per omnes priores dies, sed de solo sabbato dictum est; & sanctificauit Deus diem septimum &c. quia ergo charitas Dei diffusa est. &c. Ideo sanctificatio in septimo die commemorata est, vbi requies commendatur. Quia verò nec benè operari possumus nisi dono eius adiuti, sicut dicit Apostolus: Deus enim est qui operatur in nobis, & velle, & operari pro bona voluntate; Nec requiescere poterimus post omnia bona opera nostra quæ in hac vita gerimus, nisi eius dono ad æternitatem sanctificati atque perfecti. &c. Sicut enim cùm benè operamur, ipse dicitur operari in nobis, cuius munere operamur: ita cùm requiescimus, ipse requiescere dicitur, quo donante requiescimus. &c. quia ergo sanctificauit Deus diem septimum in quo requieuit, tertio præcepto legis insinuatur quod scriptum est de obseruatione Sabbati, non vt in ista vita nos quiescere existimemus, sed vt omnia quæ benè operamur non habeant intentionem nisi in futuram requiem sempiternam. *Et libro. 22. de Ciuit. cap. vlt.* Dies septimus, inquit, etiam nos ipsi erimus, quando eius fuerimus benedictione & sanctificatione pleni atque refecti. Ibi vacantes videbimus, quoniam ipse est Deus, quod nobis ipsi esse voluimus quando ab illo cecidimus, audientes a seductore, eritis sicut Dij: & recedentes à vero Deo quo faciente Dij essemus eius participatione, non desertione. Quid enim sine illo fecimus, nisi quod in ira eius defecimus? A quo refecti, & gratiâ maiore perfecti vacabimus in æternùm, videntes quia ipse est Deus, quo pleni erimus quando ipse erit omnia in omnibus. Nam & ipsa bona opera nostra, quando ipsius potiùs intelliguntur esse quàm nostra, tunc nobis ad hoc Sabbatum adipiscendum imputantur: quia si nobis ea tribuerimus, seruilia erunt, cùm de sabbato dicatur: omne opus seruile in eo non facietis. Propter quod & per Ezechielem Prophetam dicitur: & Sabbata mea dedi eis, in signum inter me & inter eos, vt scirent quia ego Dominus qui sanctifico eos. Hoc perfectè tunc sciemus, cùm perfectè vacabimus, & perfectè videbimus quia ipse est Deus. &c. *Deinde sex mundi ætatibus per sex primordiales creationis expositis, sic concludit:* Post hanc, inquit, *sextam ætatem*, tanquam in die septimo requiescet Deus, cùm eumdem septimum diem, quod nos erimus, in seipso Deus faciet requiescere. &c. Hæc septima erit Sabbatum nostrum, cuius finis non erit vespera, sed Dominicus dies, velut octauus æternus, qui Christi resurrectione sacratus est, æternam non solùm spiritus, verùm etiam corporis requiem præfigurans. Ibi vacabimus & videbimus; videbimus & amabimus: amabimus & laudabimus. Ecce quod erit in fine sine fine. Nam quis alius noster est finis, nisi peruenire ad regnum, cuius nullus est finis?

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

SACERDOS.

1. *Sacerdotes etiam diaboli, casti, qui & suos tam virtute, quàm vitio perimit.* 1°. *ad vxo. cap.* 6. *in f. V. castitatis custod.* 1. *in. f.*

2. *V. Viduitas. num.* 9.

3. *Sacerdotio imbuendum, Christus prohibet sepelire patrem.* 4. *cont. Marc. cap.* 23. *circa f.*

ILli caussato patris sepulturam, quum respondet, [a] *Sine, mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuntia regnum Dei;* vtramque legem Creatoris manifestè confirmauit, & de sacerdotio in Leuitico prohibentem sacerdotes supremis etiam parentum interesse: [b] *Super omnem*, inquit, *animam defunctam sacerdos non introibit, & super parentem suum non contaminabitur.* Et de deuotione in Arithmis, [c] *Nam & illic, qui se Deo vouerit, inter cetera iubet, ne super vllam animam introeat defunctam, ne super patris quidem, aut matris, aut fratris.* Puto autem & deuotioni & sacerdotio destinabat, quem prædicando regno Dei imbuerat. Aut si non ita est, satis impius pronuntiandus, qui nullâ ratione legis intercedente, sepulturas parentum despici à filiis imperabat.

a Luc. 9. 59. 60.
b Leuit. 21. 1. & 11.
c Num. 6. 6. & 7.

SACERDOS ET SACERDOTIVM. 3. SCHOL.

ILLI CAVSSATO, *Discipulo prætexenti primùm sepelire patrem. Luc.* 9. 59. Ait autem ad alterum, sequere me. Ille autem dixit: Domine permitte mihi primùm ire, & sepelire patrem meum. Dixitque ei Iesus: sine vt mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuntia regnum Dei. IN LEVITICO. *cap.* 21. 1. Dixit quoque Dominus ad Moysen loquere ad Sacerdotes filios Aaron, & dices ad eos: Ne contaminetur Sacerdos in mortibus ciuium suorum, nisi tantùm in consanguineis, *Sanct. Pagn. ex Hebr. sed super carne sua & L. 70. nisi in propinquo, qui proximus est eis*, id est super patre & matre, & filio & filia, fratre quoque & sorore virgine quæ non est nupta viro: sed nec in principe populi sui contaminabitur. &c. *Versu autem vndecimo:* Ad omnem mortuum non ingredietur omnino. Super patre quoque suo & matre non contaminabitur. Nec egredietur de sanctis, ne polluat sanctuarium Domini: quia oleum sanctæ vnctionis Dei sui super eum est. *Vbi aduerte Tertullianum de optimo, & quod de vnico summo Pontifice dicitur, omnibus Sacerdotibus tribuisse. (num enim lex permisisset cæteris Sacerdotibus contaminari super propinquis, de summo Pontifice subiecit:* Pontifex, id est Sacerdos maximus inter fratres suos, super cuius caput fusum est vnctionis oleum, & cuius manus in Sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet: & ad omnem mortuum, 70. *ad omnem animam mortuam*, non ingredietur omnino. &c. IN ARITHMIS, *in libro Numerorum. Vnde Arithmetica dicta à numeris. Numerorum* 6. *vbi de voto Nazaræorum:* omni tempore consecrationis suæ, super mortuum non ingredietur, nec super patris quidem & matris; & fratris sororisque funere contaminabitur, quia consecratio Dei sui super caput eius. SATIS IMPIVS. *Agit contra Marcionem, qui si Christum Dei sui filium velit esse, impietatis accusat, qui nec parentum pietati satisfieri permittat. Probat autem Creatoris filium, quòd vetet imbuendum Sacerdotio suo, super mortuis etiam parentibus contaminari, exemplo Patris sui Dei Creatoris. Aug. certè restringit hanc super mortuis parentibus contaminationem ad summum Sacerdotem, in hoc quoque Tertulliano obseruantior. to.* 4. *lib.* 3 *quæstionum in Leuit. quæst.* 79. *& seq* Sacerdos magnus, inquit, coram
S. Aug. fratribus suis, id est qui inter fratres suos magnus est, ille scilicet vnus magnus Sacerdos, cui fusum

A est super caput ex oleo Christo. Ipsum oleum appellat Scriptura Christum. Et consummatus manus induere vestimenta illa vtique quæ in veste Sacerdotali operosissimè describuntur: Caput non reteget cidari, & vestimenta sua non scindet, *tam pretiosa & sancta*, & super omnem animam mortuam non introibit, intelligitur ea quæ supra dixit in luctu facere eum prohibitum, id est caput nudare cidari, & vestimenta scindere, vestimenta enim scindere, lugentium erat antiquorum: sicut de Iob scriptum est, cùm ei filij eius ruinâ nuntiarentur oppressi. Nudare autem caput cidari, propterea lugentis esse potuit, quia detractio est ornamenti. Quod vero ait, super omnem animam mortuam non introibit; quomodo dicat animam mortuam corpus mortuum difficile est intelligere; & tamen Scripturarum est visitata locutio, quæ nobis inusitatissima est.
B Nomen ergo rectricis suæ, etiam corpus accepit animâ destitutum, *quoniam iuxta Paulum, seminatur corpus animale, licet animâ priuatum.* Quoniam reddendum illi est in resurrectione: sicut ædificium quod appellatur Ecclesia, etiam cùm inde exierit Ecclesia, *id est conuentus & cœtus populi, sumpto continente pro contento*, qui homines sunt; Nihilominus Ecclesia dicitur. &c. vetuit ergo Scriptura summum Sacerdotem etiam super patris, vel matris funus intrare; quod secundum non prohibuit. *Id est secundum, tertium, & deinceps alios Sacerdotes:* sequitur enim, super patrem suum & super matrem suam non inquinabitur. *Prosequitur textum de summo Sacerdote, de quo dicitur:* & de Sanctis non exibit, eo
C proculdubiò tempore, quo suorum funera celebrantur. &c. *Sic igitur intelligendus est Tertullianus ad mentem Pauli de Christo dicentis de* Sacerdotibus pluribus factis, eo quòd morte prohiberentur permanere, Iesum autem eo quòd maneat in æternum, sempiternum habere Sacerdotium: *Omnes proinde Sacerdotes eius ministros eumque repræsentantes summum Sacerdotem, non debere contaminari super cura mortuorum parentum. Vnde & adolescentem quem Sacerdotio suo induebat, cuius & ad munus prædicatio regni Dei pertinet, dicente Petro*, regale Sacerdotium, *& Ioanne in Apoc.* Fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes. *Patrem sepelire prohibuit. De quo singulatim Augustinus* S. Aug.
sermone septimo de Verbis Domini. Fides, inquit, cordis eius Domino se ostendebat, sed pietas differe-

Libro aduersus Iudaeos cap. 11. circa m.

Dominicam crucem intentabat, quâ serpens diabolus publicabatur, & læso cuique ab eiusmodi colubris; id est Angelis eius, à delictorum peccantia, ad Christi crucis Sacramenta intento, salus efficiebatur. Nam qui in illam tunc respiciebat, à morsu serpentium liberabatur.

Et ibid. cap. 13. in m.

Hæc fuerant Sacramenta, quæ temporibus Christi perficienda seruabantur: Et Isaac cum ligno reseruatus est, ariete oblato in vepre cornibus hærente.

Et cont. Iudaeos cap. 13. circa m.

Hoc lignum tunc in Sacramento erat, quo Moyses aquam amaram indulcauit.

Et lib. de Anima cap. 9. à p.

Est hodie soror apud nos &c. inter Dominica solemnia conuersatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino, & videt, & audit Sacramenta, & quorumdam corda dignoscit.

Et de Ieiuniis cap. 7. à m.

Sacramentorum agnitionem ieiunia de Deo merebuntur. Adspice Danielis exemplum circa somnium Regis Babylonis.

Et ibid. cap. 9. à p.

Quà hoc ipsum quoque saperet, quibus modis de Deo impetraretur agnitio Sacramentorum.

Et de Anima, cap. 18. in m.

Sapientes virgines intellectualium virium notam expresserint, hæreticarum idearum Sacramenta: hoc enim sunt & Æones, & genealogiæ illorum.

Et libro 1. cont. Marc. cap. 13. in f.

Aridæ & ardentis naturæ Sacramenta Leones Mithræ philosophantur.

Et 5. contra Marc. cap. 1. in m.

Hæc figurarum Sacramenta si tibi displicent. &c.

Et ibid. cap. 5. à p.

Euangelizator bonorum. &c. Hæc cùm à Deo patre nostro & Domino Iesu adnuntians, communibus nominibus vtatur, competentibus nostro quoque Sacramento, non puto dispici posse quis Deus Pater, & Dominus Iesus prædicetur nisi ex accidentibus cui magis competunt.

Libro cont. Iudaeos cap. 14. circa m.

Sic & apud Zachariam in persona ipsius, immò & in ipsius nominis Sacramento, verus summus Sacerdos Patris Christus Iesus, duplici habitu in duos aduentus delineatur. *Et contra Prax. cap. 28. à p.* Christus ab vnctionis Sacramento.

Et cont. Iud. cap. 9. à m. cont. Valent. c. 39. in m. & 3. cont. Marc. c. 7. in m. & c. 16. à m.

Angelum dixit ob magnitudinem virtutum &c. Iesum autem ob nominis sui futurum Sacramentum.

Et libro de Resur. cap. 23. in m.

Vtique crediderat, & omnia Sacramenta cognouerat vas electionis, Doctor nationum

Et de praescript. cap. 26. in p.

Dominus palam edixit, sine vlla significatione alicuius tecti Sacramenti.

Et 5. cont. Marc. cap. 15. à m.

Futura prænuntiet, & occulta cordis reuelet, & Sacramenta edisserat.

Et Apol. 19. in p.

Ipsos Deos vestros, ipsa templa, & oracula, & sacra, vnius interim Prophetæ scrinium sæculis vincit, in quo videtur thesaurus collocatus totius Iudaici Sacramenti, & inde etiam nostri. Si quem audistis interim Moysem. &c.

Et contra Iudæos cap. 13. in m.

Huius ligni Sacramentum in regnorum legimus celebratum, &c. Quid manifestius huius ligni Sacramento? Quòd duritia huius sæculi mersa in profundo erroris, & à ligno Christi, id est passionis eius, in baptismo liberatur, vt quod perierat olim per lignum in Adam, id restitueretur per lignum Christi.

Et ibid. cap. 10. in f.

Sacramentum passionis ipsius figurari in prædicationibus oportuerat.

Et ibid. cap. 11. in m.

Huius signi Sacramentum variis modis prædicatum est, in quo vita hominibus præstruebatur, in quod Iudæi non essent credituri.

Et 3. cont. Marc. cap. 16. in p.

Nec enim si nos per Dei gratiam intellectum consecuti Sacramentorum eius, hoc quoque nomen agnoscimus Christo destinatum, ideo & Iudæis quibus adempta est sapientia, nota erit res.

Et lib. de Resur. cap. 21. à p.

Verisimile non est, vt ea species Sacramenti, in quam fides tota committitur, in quam disciplina tota connititur, ambiguè annuntiata, & obscurè proposita videatur.

Et 2. cont. Marc. cap. 27. circa f.

Totum Dei mei penes vos dedecus, Sacramentum est humanæ salutis.

Et libro 5. cont. Marc. cap. 4. in m.

Manifestauit & Christianismi generositatem in filio Abrahæ ex liberâ nato, allegoriæ habere Sacramentum; sicut & Iudaismi seruitutem legalem in filio ancillæ.

Et libro de pudic. cap. 9. circa m.

Vbi de prodigo Ethnicum figurante, non Christianum. Iam non mœchi & fornicarij, sed idololatræ, & blasphemi, & negatores, & omne Apostatarum genus, hac parabolâ Patri satisfacient, & elisa est verissime hoc magis modo tota substantia Sacramenti.

SACRAMENTVM EST MILITARE IVSIVRANDVM, &c.

2. *Sacramentum, est militare iusiurandum, quod semel datum Christo retractare non licet, nec alteri militare.*

De corona militis cap. 11. à p.

Credimusne humanum Sacramentum diuino superduci licere, & in alium Dominum respondere post Christum? Et eierare patrem ac matrem, & omnem proximum, quos lex honorari, & post Deum diligi præcipit, quos & Euangelium solo Christo pluris non faciens, sic quoque honorauit.

Et lib. de Idolol. cap. 6. in p.

Si nulla lex prohibuisset Idola fieri à nobis, si nulla vox Spiritus sancti fabricatoribus Idolorum, non minùs quàm cultoribus comminaretur, de ipso Sacramento nostro interpretaremur nobis, aduersas esse fidei eiusmodi artes. Quomodo enim renuntiauimus diabolo & Angelis eius, si eos facimus?

Et ibid. cap. 13. circa f.

Coronæ omnes alienæ, prophanæ, illicitæ, semel iam in Sacramenti testatione eieratæ. Hæc enim erant pompæ diaboli, & Angelorum eius.

Et ibid. cap. 14. in f.

Sicubi tentatus fuerit de Sacramento, statim creditur mithræ miles, si deiecerit coronam.

Et libro de pudicitia cap. 14. à m.

Maledici eam *carnem deditam Satanæ* sequebatur, quæ diabolo proijciebatur, vt Sacramento benedictionis exauctoraretur, nunquam in castra Ecclesiæ reuersura.

Et de Idol. cap. 19. in m.

Non conuenit Sacramento diuino & humano, signo Christi, & signo diaboli, castris lucis, & castris tenebrarum.

Et de Testim. Animæ cap 2. circa m.

Etiam quod penes Deum bonitatis & benignitatis omnis, benedictio inter nos summum sit disciplinæ & conuersationis Sacramentum, benedicat te Deus, tam facilè pronuntias, quàm Christiano necesse est.

SACRAMENTVM SVMITVR, &c.

3. Sacramentum sumitur pro symbolo & mysterio fidei.

Libro de baptismo cap. 13. in p.

ABraham nullius aquæ, nisi fidei Sacramento, Deo placuit, &c. At vbi fides aucta est credendi in natiuitatem, &c. Addita est ampliatio Sacramento, obsignatio baptismi.

Et Apol. 15. in f.

Hoc prius capite, & omnem hinc Sacramenti nostri ordinem haurire.

Et de Præscript. cap. 20. in f.

Est illis *Ecclesiis* communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis. Quæ iura non alia ratio regit, quàm eiusdem Sacramenti vna traditio.

Et 4. cont. Marc. cap. 5. à p.

Dico apud vniuersas *Ecclesias*, quæ illis de societate Sacramenti confœderantur.

4. Sacramentum significat signum Rei sacræ, quale est quodcumque ex septem Ecclesiæ Sacramentis.

Libro 3. cont. Marc. cap. 22. in f.

Cùm in te quoque deprehendantur, & signaculum frontium, & Ecclesiarum Sacramenta, & munditiæ sacrificiorum, &c.

Et de exhort. cast. cap. 7. in f.

Omnes nos Deus ita vult dispositos esse, vt vbique Sacramentis eius obeundis apti simus.

Et ibid. cap. 13. à p.

Cùm Dei Sacramenta Satanas adfectat, prouocatio est nostra, immò suffusio, si pigri sumus ad continentiam Deo exhibendam.

Et de Bapt. c. 1. in p.

Fœlix Sacramentum aquæ nostræ.

Et ibid. cap. 12. circa m.

Hæc est probatio exerta aduersus illos qui adimunt Apostolis etiam Ioannis Baptismum, vt destruant aquæ Sacramentum.

Et ibid cap. 4. à m.

Omnes aquæ de pristina originis prærogatiua Sacramentum sanctificationis consequuntur inuocato Deo.

Et lib, de Anima cap. 1. in m.

Cui Spiritus sanctus accommodatus sine fidei Sacramento.

Et 3. cont. Marc. cap. 19. à p.

Mittamus lignum in panem eius. Vtique in corpus. Sic enim Deus in Euangelio quoque vestro reuelauit, panem corpus suum appellans &c. ipso Domino hoc Sacramentum posteà interpretaturo.

Et 4. cont. Marc. cap. 40. in p.

In hoc Sacramentum pronuntiarat Moyses, *Pascha est Domini.* &c. Figuram sanguinis sui salutaris implere concupiscebat, &c Acceptum panem & distributum discipulis corpus illum suum fecit, &c. Si propterea panem corpus sibi finxit quia corporis carebat veritate, ergo panem debuit tradere pro nobis, &c. non intelligens *Marcion* veterem fuisse istam figuram corporis Christi dicentis per Ieremiam, *Venite conjiciamus lignum in panem eius.*

Et Apol. 7. in p.

Dicimur sceleratissimi de Sacramento infanticidij, & pabulo inde.

Et libro de Monogamia cap. 11.

Vt Domino nubas secundùm legem & Apostolum, si tamen vel hoc curas; qualis es id matrimonium postulans, quod eis à quibus postulas, non licet habere; ab Episcopo Monogamo, à Presbyteris & Diaconis eiusdem Sacramenti?

Et de Ieiuniis cap. 3. à p.

Acceperat à Deo legem non gustandi de arbore agnitionis boni & mali, moriturus si gustasset. Verùm & ipse tunc in Psychicum reuersus post ecstasim spiritalem, in qua magnum illud Sacramentum in Christum & Ecclesiam prophetauerat.

SACRAMENTVM. 1. 2. 3. & 4. SCHOL.

CVm singulos textus præcitatos suis locis excusserimus, vnum hic nobis superest dicendum, hoc nomen SACRAMENTVM *quadrifariam apud Tertullianum significationem esse sortitum. In prima enim sectione omnibusque ei subiectis textibus, pro arcano siue mysterio, allegoria vel figura mysterium adumbrante vsurpatur. In secunda sumitur pro militari iusiurando. In tertia pro fidei symbolo siue militari tessera vel voce tesseraria. In quarta pro signo rei sacra, quale est quodlibet ex septem Ecclesiæ Sacramentis. Sacramentum item apud Iurisconsultos dicitur, ea pecunia quæ in iudicium venit in litibus. Sacramentum enim a sacro dicitur. Qui petebat, & qui infitiabatur, vterque quingentos æris apud Pontificem deponebat: De aliis item rebus, certo alio assium numero. Qui iudicio vicerat, suum Sacramentum a sacro auferebat: victi autem depositum ad ærarium redibat. Legendus Varro lib. 4. de lingua Latina. Sacramentum item militare iusiurandum Græcis ὅρκος στρατιωτικὸς dicitur, ad quod adigebantur milites qui nomina militiæ dabant. De quo agitur in l. 8. C. de leg. l. 3. C. Th. de immun. concess. Soluti autem Sacramento dicebantur milites, qui ab onere militiæ liberabantur. l. 2. §. miles. ff. de his qui not. infam. l. 14. de his quibus vt indign. l. fin. ff de re milit. Quia igitur per Sacramenta nos Christo sacramus, & penitus addicimus, militia Christiana Sacramenti nomen vsurpat. In qua quidem oblatione nostra duplex iuramentum intercedit, ex parte Dei, & nostra. Dei quidem, qui se in Scriptura iuramento obstrinxit, se daturum filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Ex parte autem nostra velut milites in baptismo & Confirmatione Christo velut duci nostro, eiusque militiæ nomen damus, arma spiritalia sumimus, castris Satanæ renuntiamus, & contra eum & mundi vitia, propriamque concupiscentiam ad mortem vsque pugnaturos iuramus. Symbolum item militare, & tesseram fidei non tantùm corde, sed & ore, & manu, hoc est voce, & opere profitemur. Omnia veteris legis Sacra-* A *menta & mysteria per Christum in nouo Testamento adimpleta credimus & confitemur; longè melioris Testamenti per Christum mediatorem facti participes & hæredes, non tam bona terræ promissæ pro vili stipendio militiæ nostræ, sed* immarcessibilem gloriæ coronam *expectantes. Hinc Cyprianus lib. 3. ep. 8.* Quòd in Iudaica circuncisione carnali octauus dies obseruabatur, Sacramentum est in vmbra atque in imagine ante præmissum, sed veniente Christo, veritate completum. Nam qui octauus dies, id est post sabbatum primus dies futurus erat, quo Dominus resurgeret, & nos viuificaret, & circuncisionem nobis spiritalem daret. *Ambr. lib. 1. de Sacramentis cap. 4. & de initiandis cap 8.* Illud præmitto, quòd diuiniora & priora sunt Sacramenta Christianorum, quàm Iudæorum.

Augustinus magnam inter vtraque Sacramenta distantiam aduertit. in Psal. 73. Præcepta, inquit, eadem, Sacramenta non eadem, promissa non eadem. Videamus quare præcepta eadem, quia secundùm hæc Deo seruire debemus. Sacramenta non eadem, quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Saluatorem. Sacramenta noui Testamenti dant salutem, Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Saluatorem, &c. Mutata sunt Sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, fœliciora. Promissa quare non eadem? Quia promissa est terra Chanaam, terra copiosa fructuosa, affluens lacte & melle, promissum regnum temporale, promissa fœlicitas sæculi, promissa fœcunditas filiorum, promissa subiectio inimicorum. Hæc omnia ad terrenam fœlicitatem pertinent. Sed quare ista primò promitti oportebat? quia non primò quod spiritale est, sed quod animale, postea, inquit, spiritale. 1. Cor. 15. Primus homo de terra terrenus, &c. Ad imaginem terreni pertinet vetus Testamentum, ad imaginem

S. Aug.

A cœlestis nouum Testamentum. Sed ne quisquam putaret ab alio factum hominem terrenum, ab alio cœlestem, ideo Deus ostendens se esse vtriusque Creatorem, etiam vtriusque testamenti se esse voluit authorem, vt & terrena promitteret in veteri Testamento & cœlestia in nouo Testamento, &c. Veruntamen tu ipse dedisti filio tuo & nuces paruulo, & codicem grandi; non ergo quia illa quasi ludrica puerorum, Deus per nouum Testamentum excussit de manibus filiorum, vt aliquid vtilius daret grandescentibus, propterea priora illa non ipse dedisse putandus est. Ipse vtrumque dedit. Sed lex ipsa per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Gratia, quia impletur per charitatem, quod per literam iubebatur: veritas, B quia redditur quod promittebatur. *Et in Psal. 77.*

S. Aug. Sacramentum regni cœlorum velabatur in veteri Testamento, quod in plenitudine temporis reuelaretur in nouo. Nolo enim vos, ait Apostolus. 1. Cor. 10. ignorare fratres, quoniam omnes Patres nostri sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes per Moysen baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eundem cibum spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt, &c. Idem in mysterio, *Sacramento*, cibus & potus illorum qui noster, sed significatione idem, non specie: quia idem ipse Christus illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus est. Sed non, inquit in omnibus illis beneplacitum est Deo, &c. Cùm essent omnia communia Sacra- C menta, non communis erat omnibus gratia, quæ Sacramentorum virtus est. Sicut & nunc iam reuelatâ fide quæ tunc velabatur, omnibus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizatis, commune est lauacrum regenerationis, sed ipsa gratia, cuius ipsa sunt Sacramenta, quâ membra corporis Christi cum suo capite regenerata sunt, non communis est omnibus. Nam & hæretici habent eundem baptismum & falsi fratres in communione Catholici nominis. Ergo & hîc rectè dicitur, sed non in omnibus illis beneplacitum est Deo. *Et lib. 19. contra Faustum cap. 13 cum præcedenti capite de Sacramento Arcæ Noë baptismum præfiguran-* D

S. Aug. *te dixisset:* Proinde, inquit, prima Sacramenta quæ obseruabantur & celebrabantur ex lege prænuntiatiua erát Christi venturi; quæ cùm suo aduentu Christus impleuisset, ablata sunt, & ideo ablata, quia impleta: non enim venit soluere legem, sed adimplere: & alia sunt instituta, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam iustitiâ fidei reuelatâ, & in libertatem vocatis filiis Dei, iugo seruitutis ablato, quod duro, & carni dedito populo congruebat. *Et cap. 14. hortatur ad martyrium subeundum pro defensionem Sacramentorum.*

S. Aug. Si ergo, inquit, antiqui iusti pro illis prænuntiatiuis Sacramentis, & rerum nondum impletarum figuris, omnia dura & horrenda perpeti pa- E rati fuerunt, & plerique perpessi sunt: si tres pueros, Danielemque prædicamus, quia de mensa Regis contaminari noluerunt, quod erat contra illius temporis Sacramentum: si Machabæos cum ingenti admiratione præferimus, quia escas, quibus nunc Christiani licitè vtuntur, attingere noluerunt, quia tunc pro tempore Prophetico non licebat: quanto magis nunc pro baptismo Christi, pro Eucharistia Christi, pro signo Christi, ad omnia perferenda paratior debet esse Christianus, cùm illæ fuerint promissiones rerum complendarum, hæc sint indicia completarum? Quod enim adhuc promittitur Ecclesiæ, id est corpori Christi, & in manifestatione prædicatur, & in ipso capite corporis Saluatore, id est in ipso mediatore Dei & homi- A num, homine Iesu Christo, iam vtique completum est. Quid enim promittitur, nisi vita æterna ex resurrectione à mortuis? Hoc iam completum est in illa carne, quod Verbum caro factum est, &c. & quod fidelibus promittitur in iudicio, iam completum est in exemplo.

Cæterùm Sacramenta omnia commemorat Tertullianus. Baptismi quidem & Eucharistia simul quæ Marcionitæ nobiscum admittebant lib. 4. cont. Marc. c. 34. à p. Si omnino negas permitti diuortium à Christo, quomodo tu nuptias dirimis, nec coniungens marem & fœminam, nec alibi coniunctos, ad Sacramentum Baptismatis & Eucharistiæ admittens, nisi inter se coniurauerint aduersus fructum nuptiarum, B vt aduersus ipsum Creatorem? *De matrimonio suprà numero 4. duabus extremis sententiis. De Confirmatione ibidem sententia prima sub signaculo frontium. Et libro de Præscr. cap. 40. in p. vbi de mysteriis & Sacramentis Mithræ in quibus sex Sacramenta Ecclesia à diabolo mysteriorum nostrorum æmulo imitata notat.* Ipsas quoque res Sacramentorum diuinorum, *id est cæremonias* idolorum mysteriis æmulatur. Tingit, & ipse quosdam, vtique credentes & fideles suos. *En baptisma.* Expositionem delictorum de lauacro repromittit. *En pœnitentia post baptismum secunda tabula, in qua & exponuntur, accusantur, deponunturque peccata.* Et si adhuc memini, Mithra signat illic in frontibus milites suos. *En Confirmatio.* Celebrat & panis oblationem. *En Eucharistia.* Quid quod C & Summum Pontificem vnius nuptiis statuit. *En & Ordinem, cuius in summo reliquos omnes, quatuor scilicet minores, Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum comprehendit. Dionysius Areopagita Eccl. Hierarch. cap. 1. vbi de Apostolis certa Sacramenta edoctis a Christo.* Necessariò, inquit, primi illi nostri Sacerdotalis ordinis duces, cùm ex summa supersubstantialique deitate ipsi sancti muneris plenitudinem percepissent, & idipsum deinceps proferre, & propagare à diuina bonitate missi essent, ipsique, vt qui transissent in Deum, pòsteros ad diuina prouehere paulatim, cuperent, visibilibus signis cœlestia Sacramenta texerunt. *De quibus Tertull. de* D *Præscript. 40. in m.* Ipsas res de quibus Sacramenta Christi administrantur, tam æmulanter affectauit exprimere. *De quibus rursum Augustinus Epist. 118. ad Ianuarium cap. 1.* Primò, inquit, tenere te volo S. Aug. quod est huius disputationis caput, Dominum nostrum Iesum Christum, sicut ipse in Euangelio loquitur, leni iugo suo nos subdidisse, & sarcinæ leui. Vnde Sacramentis numero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem noui populi colligauit, sicuti est baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio Corporis & Sanguinis ipsius, & si quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur, exceptis iis, quæ seruitutem populi veteris pro congruentia cor- E dis eorum, & Prophetici temporis onerabant, quæ & in quinque libris Moysi leguntur. Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quòd Domini Passio & Resurrectio, & Ascensio in cœlum, & aduentus de cœlo Spiritus sancti anniuersariâ solemnitate celebrantur. Et si quid aliud tale occurrerit quod seruatur ab vniuersa quacumque se diffundit Ecclesia. Alia verò quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est quòd alij ieiunant Sabbato, alij verò non: alij quotidie communicant Corpori & Sanguini Dominico, alij certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur quo non

offeratur, alibi Sabbato tantùm & Dominico, alibi tantùm Dominico, & si quid aliud huiusmodi animaduerti potest, totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes. Nec disciplina vlla est in his melior graui prudentique Christiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quancumque fortè deuenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores iniunguntur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos viuitur societate seruandum est.

S. Aug. *Matrimonij Sacramentum asserit Augustinus libro de bono coniugali cap. 24.* Ad Sacramenti, inquit, sanctitatem illud attinet vxorem à viro non discedere,

S. Aug. &c. *Et ibid.* Hæc omnia bona sunt, propter quæ A nuptiæ bonæ sunt, proles, fides, Sacramentum. *Et lib. 2. de peccato originali cap. 34.* Bonum sunt nuptiæ in omnibus quæ sunt propria nuptiarum. Hæc autem sunt tria, generandi ordinatio, fides pudicitiæ, connubij Sacramentum. Propter generationem ordinandi scriptum est, volo iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse. Propter fidem pudicitiæ: vxor non habet potestatem sui corporis, sed vir: similiter, &c. Propter connubij Sacramentum: quod Deus coniunxit, homo non separet. *De quatuor alijs Sacramentis, Confirmatione, Ordine, Pœnitentiâ, & Extrema Vnctione, vide sub propriis titulos.* S. Aug.

SACRIFICIA VETERA.

1. *Sacrificia vetera & carnalia, ab exordio, in Caïn primogenito, postposita sunt sacrificiis minoris. cont. Iud. cap. 5. in p.*

Sic & sacrificia terrenarum oblationum, & spiritualium sacrificiorum prædicata ostendimus. Et quidem à primordio maioris filij, id est Israël, terrena fuisse in Caïn præostensa sacrificia: & minoris filij Abel, id est populi nostri, sacrificia diuersa demonstrata. Namque maior natu Caïn de fructu terræ obtulit munera Deo: minor verò filius Abel de fructu ouium suarum. [a] *Respexit Deus in Abel & in munera eius: in Caïn autem & in munera eius non respexit. Et dixit Deus ad Caïn: Quare concidit vultus tuus? nonne si rectè quidem offeras, non rectè autem diuidas, peccasti? quiesce. ad te enim conuersio tua, & ipse tui dominabitur. Et tunc dixit Caïn ad Abel fratrem suum: Eamus in campum. & abiit cum eo illic, & interfecit eum. Et tunc dixit Deus ad Caïn: Vbi est Abel frater tuus? Et dixit: Nescio. nunquid custos fratris mei sum ego? Et dixit ei Deus: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. propter quod, maledicta terra quæ aperuit os suum ad excipiendum sanguinem fratris tui: gemens & tremens eris super terram. Et dixit Caïn ad Dominum: Maius delictum meum, quàm vt remittatur mihi, & eiicies me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero gemens & tremens super terram, & omnis qui me inuenerit, occidet* Ex hoc igitur duplicia duorum populorum sacrificia præostensa iam tunc à primordio animaduertimus.

a Gen. 4. 4. & 5.

SACRIFICIA VETERA. 1. SCHOL.

PRÆDICATA. *Prophetata & figurata.* ISRAEL. *Populi Hebræi qui Israël dictus est à Patriarcha Iacob, cui nomen in Israël mutatum est. Huius porrò populi sacrificia ab initio mundi figurata sunt in primogenito Adæ Caïn; sicut sacrificia populi iunioris, siue gentilis à Deo prælecti, præsignata sunt in sacrificio Abel. Vide alibi dicta, vbi textum retulimus, tam iuxta vulgata, quàm secundùm translationem Septuaginta. Interea duos aduerte post Tertullianum, cum Augustino populos, siue duas ciuitates, Ierusalem scilicet & Babylonis, in Abel & Caïn primò fundatas. De quibus sic fatur Augustinus lib. 15. de Ciuit. cap 5* Primus, inquit, fuit terrenæ ciuitatis conditor fratricida: nam suum fratrem ciuem ciuitatis æternæ in hac terra peregrinantem inuidentiâ victus occidit Vnde mirandum non est, quòd tantò post in ea ciuitate condenda, quæ fuerat huius terrenæ ciuitatis; de qua loquimur, caput futura. & tam multis gentibus regnatura, huic primo exemplo, & vt Græci appellant ἀρχετύπῳ, quædam sui generis imago respondit. Nam & illic, sicut ipsum facinus quidam Poëta commemorauit illorum: *fraterno primi maduerunt sanguine muri.* Sic enim condita est Roma, quando occisum Remum à fratre Romulo Romana testatur historia; nisi quòd isti terrenæ ciuitatis ciues ambo erant, & ambo gloriã de Romanæ Reipublicæ institutione quærebant. Sed ambo eam tantam, quantam si vnus esset habere non poterant. Qui enim volebat gloriando dominari, minus vtique dominaretur, si eius potestas viuo consorte minueretur. Vt ergo totam dominationem haberet vnus, ablatus est socius, & scelere creuit in peius, quod innocentiâ minus esset in melius. Hi autem fratres Caïn & Abel, non habebant ambo inter se similem rerum terrenarũ cupiditatem: nec in hoc alter alteri inuidit, quòd eius dominatus fieret angustior qui alterum occidit, si ambo dominarentur: Abel quippe non quærebat dominationem in ea ciuitate quæ condebatur à fratre, sed inuidentia illa diabolica, quâ inuident bonis mali, nulla alia causa est, nisi quia illi boni sunt, illi mali. Nullo enim modo fit minor, accedente, seu permanente consorte possessio bonitatis: Imò possessio bonitatis tantò fit latior, quantò concordior eam indiuidua sociorum possidet charitas. Non habebit denique istam possessionem, qui eam noluerit habere communem: & tantò eam reperiet ampliorem, quantò amplius ibi potuerit amare consortem. *De sacrificiis verò amborum fratrum ita prosequitur cap. 7.* Cùm, inquit, Sacrificia discreuisset amborum in illius respiciens, huius despiciens, quod non dubitãdum est potuisse cognosci, *ab offerentibus,* signo aliquo attestante visibili: & hoc ideo fecisset Deus, quia mala erant opera huius, fratris verò eius bona, contristatus est Caïn valde, & concidit facies eius. *Hiero. in tradit. Hebr. in Gen. signum hoc vult fuisse, iuxta sensum Hebræorum, ignem repente de cœlo missum, qui intacta prorsus oblatione Caïn, consumpsit hostiam Abel. De eo autem quod scriptum est,* Nonne si rectè offeras, &c. *Aug. ibidem:* rectè, inquit, offertur sacrificium, cùm offertur Deo vero, cui vni tantummodò sacrificandum est. Non autem rectè diuiditur, dum non discernuntur rectè vel loca, vel tempora, vel res ipsæ quæ offeruntur, vel qui offert, vel cui offertur, vel hi quibus ad vescendum

S. Aug. (margins)

distribuitur quod oblatum est: vt diuisionem intelligamus hîc discretionem: siue cùm offertur vbi non oportet, aut quod non ibi, sed alibi oportet: *de quo sequenti Scholio.* Siue cùm offertur quando non oportet aut quod non tunc, sed alias oportet: siue cùm id offertur quod nusquam & nunquam penitus debuit: siue cùm electiora sibi eiusdem generis rerum tenet homo, quàm sunt ea quæ offert Deo: siue cùm eius rei quæ oblata est, fit particeps prophanus, aut quilibet quem fas non est fieri. In quo autem horum Deo displicuerit Caïn, facilè non potest inueniri: sed quoniam Ioannes Apostolus, cùm de his fratribus loqueretur: non sicut Cain, inquit, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et cuius rei gratiâ occidit eum? quia opera illius maligna fuerunt, fratris autem eius iusta: datur intelligi, propterea Deum non respexisse in munera eius, quia hoc ipso malè diuidebat, dans Deo aliquid suum, sibi autem seipsum. Quod omnes faciunt, qui non Dei, sed suam sectantes voluntatem, id est non recto sed peruerso corde viuentes, offerunt tamen Deo munus, quo putant eum redimi, vt eorum non opituletur sanandis prauis cupiditatibus, sed explendis, &c. *Et to. 6. lib. 12. cont. Faust. cap. 9.* Sicut Cain sacrificium ex terræ fructibus reprobatur, Abel autem sacrificium ex ouibus & earum adipe suscipitur: ita noui Testamenti fides ex innocentia gratiæ Deum laudans, veteris Testamenti terrenis operibus anteponitur: quia etsi Iudæi ante rectè illa fecerunt; in eo tamen infidelitatis rei sunt: quia Christo veniente iam tempus noui Testamenti, à tempore veteris Testamenti non distinxerunt: dixit enim Deus ad Caïn, si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti. Qui si obtemperasset Deo dicenti, quiesce, ad te enim conuersio eius, & tu dominaberis illius: ad se conuertisset peccatum suum, sibi hoc tribuens, & confitens Deo; ac sic adiutus indulgentiæ gratiâ, ipse peccato suo dominaretur: non illo sibi dominante seruus peccati, fratrem occideret innocentem. Sic & Iudæi, in quorum hæc figura gerebantur, si quiescerent à sua perturbatione, &c. per spem gratiæ liberi dominarentur. S.Aug.

2. *Sacrificia veteris legis in vna terra promissa fieri debebant, spiritalia autem carnalibus meliora, in noua lege vbique offeruntur. Cont. Iud. cap. 5. in m. ad f.*

CVm per Moysen in Leuitico lex Sacerdotalis conscriberetur, inuenimus præscriptum populo Israëli, vt sacrificia nullo in loco offerrentur Deo, quàm in terra repromissionis, quam Dominus Deus daturus esset populo Israëli & fratribus eorum; vt introducto Israël, illic celebrarentur sacrificia & holocausta, tam pro peccatis quàm pro animabus, & nusquam alibi nisi in terram sanctam. Cur itaque posteà per Prophetas prædicat Spiritus futurum, vt in omni terra, aut in omni loco offerantur sacrificia Deo, sicut per Malachiam angelum vnum ex duodecim Prophetis dicit: [a] *Non recipiam sacrificium de manibus vestris; quoniam ab oriente Sole vsque ad Occidentem nomen meum clarificatum est in omnibus gentibus, dicit Dominus omnipotens. Et in omni loco offeruntur sacrificia munda nomini meo.* Item in Psalmis Dauid dicit: [b] *Adferte Deo patriæ gentium:* Indubitatè quòd in omnem terram exire habebat prædicatio Apostolorum. *Adferte Deo claritatem & honorem, adferte Deo sacrificia nomini eius: Tollite hostias, & introite in atria eius.* Namque quod in terrenis sacrificiis, sed spiritalibus Deo litandum sit, ita legimus vt scriptum est: [c] *Cor contribulatum & humiliatum hostia Deo est.* Et alibi: [d] *Sacrifica Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* Sic itaque sacrificia spiritalia laudis designantur, & cor contribulatum acceptabile sacrificium Deo demonstratur. Itaque quomodo carnalia sacrificia reprobata intelliguntur, de quibus & Esaïas loquitur, dicens, [e] *Quò mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum? dicit Dominus*; ita sacrificia spiritalia accepta prædicantur, vt Prophetæ annuntiant. Quoniam *etsi attuleritis*, inquit, *mihi similam, vanum supplicamentum, execramentum mihi est.* Et adhuc dicit: *Holocaustomata & sacrificia vestra, & adipem hircorum, & sanguinem taurorum nolo: nec si veniatis videri mihi. quis enim exquisiuit hæc de manibus vestris?* De spiritalibus verò sacrificiis addit, dicens: [f] *Et in omni loco sacrificia munda offerentur nomini meo, dicit Dominus.*

Deut. 12. 5. & 6. & 13.
a Malac. 1. 10. 11.
b Psal. 95. 7.
c Psal. 50. 18.
d Psal. 49 15.
e Esa. 1. 11. & seq.
f Malach. 1. 11.

Et 4. contra Marc. cap. 1. à m.

SI alias leges, aliosque sermones, & nouas testamentorum dispositiones à Creatore dixit futuras, vt etiam ipsorum sacrificiorum alia officia potiora, & quidem apud nationes destinarit, dicente Malachiâ, [a] *Non est voluntas mea in vobis, inquit Dominus, & sacrificia vestra non excipiam de manibus vestris; quoniam à solis ortu vsque ad occasum glorificatum est in nationibus nomen meum, & in omni loco sacrificium nomini meo offertur; & sacrificium mundum*, scilicet simplex oratio de conscientia pura. a Malach 1. 10. 11.

4. *Sacrificium Christi duplex, cruentum & incruentum, crucis & altaris, reale & mysticum. cont. Iud. cap. 14. V. Verbum Christi aduentus duplex num. 1.*

5. *Et v. Verbum Christi aduentus duplex num. 9. in m. 3. cont. Marc. cap. 7.*

6. *Sacrificium Missæ pro Imperatoribus oblatum. V. Verbum Christianus. num. 15.*

V. Verbum, Elogia Christi num. 30. 31. 32.

SACRIFICIA VETERIS LEGIS. 2. & 3. SCHOL.

IN LEVITICO. *Memoriâ lapsus hic est Tertullianus, & Leuiticum sumpsit pro Deuteronomio. Vbi sic cap.* 12. 1. Hæc sunt præcepta & iudicia quæ facere debetis in terra quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi, vt possideas eam cunctis diebus quibus super humum gradieris, &c. *Et paucis interiectis; quibus iussit Gentilium aras, templa, idola subuerti; ita versu.* 5. Ad locum quem elegerit Dominus Deus vester, de cunctis tribubus vestris, vt ponat nomen suum ibi, 70. *in vna ciuitatum vestrarum, vt adnominetur nomen eius ibi, & inuocetur, & exquiretis, & venietis illuc,* & habitet in eo: venietis, & offeretis in loco illo holocausta, & victimas vestras, decimas, & primitias manuum vestrarum, & vota atque donaria, 70. *& spontanea vestra, & confessiones vestras,* primogenita boum & ouium, &c. *& versu* 13. *alibi offerri prohibet:* caue ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris: sed in eo quem elegerit Dominus in vna tribuũ tuarũ offeres hostias, & facies quæcũq; præcipio tibi. ANGELVM VNVM. *Malach.* 3. 1. Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. *Cæteros locos Scripturæ habes iam alibi.*

3. OFFICIA POTIORA. *Acceptiora sibi apud Gentiles conuersos per orbem sparsos. Quod repetit ex Malachia. Vbi per sacrificium intelligit orationem puram & simplicem. Augustinus de sacrificio Eucharistico exponit. Libro* 18. *de Ciuit.* 35. Malachias, inquit, Prophetans Ecclesiam, quam per Christum iam cernimus propagatam, Iudæis apertissimè dicit ex persona Dei; non est voluntas mihi in vobis: & munus non suscipiam de manu vestra, &c. & in omni loco sacrificabitur, & offeretur nomini meo oblatio munda: quia magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus. Hoc sacrificium per Sacerdotium Christi secundùm ordinem Melchisedech, cùm in omni loco à solis ortu vsque ad occasum, Deo iam videamus offerri: sacrificium autem Iudæorum, quibus dictum est: non est mihi voluntas in vobis, nec accipiam de manibus vestris munus, cessasse negare non possunt. Quid adhuc expectant alium Christum, cùm hoc quod prophetatum legunt, & impletum vident, impleri non potuerit nisi per ipsum. *Et to.* 6. *lib.* 1. *cont. Aduersarium legis. cap.* 20. Ecclesia, inquit, ab Apostolorum temporibus, per Episcoporum successiones certissimas, vsque ad nostra & deinceps tempora perseuerat, & immolat Deo in corpore Christi sacrificium laudis, ex quo Deus Deorum locutus vocauit terram, à Solis ortu vsque ad occasum, &c. Nouerunt qui legunt quid protulerit Melchisedech quando benedixit Abraham, & iam sunt participes eius, vident tale sacrificium nunc offerri toto orbe terrarum, &c. Alius Propheta dicit, *Malachias scilicet*, ad eum qui carnaliter est Israël; non est mihi voluntas in vobis, &c. ecce quod est secundùm ordinem Melchisedech. Incensum enim quod est Græcè thymiama sicut exponit Ioannes in Apoc. orationes sunt sanctorum. Deus quippe ille, sicut canitur in Psalmo, qui vocauit terram, &c. cui terræ, id est cui populo diffuso à Solis ortu vsque ad occasum diceret, non accipiam de domo tua vitulos, immola Deo sacrificium laudis: ipse per hunc Prophetam quod certissimè futurum erat, iam velut factum prædicans ait: ab ortu Solis vsque ad occasum, &c. & in omni loco, *non in vnius Ierusalem templo*, incensum, *orationes vt Tertulliano consentit Augustinus* offertur nomini meo, & hostia pura, *secundum ordinem Melchisedech*, *qui & à Tertulliano dicitur præputiati Sacerdotij Antistes.* Quia magnum est nomen meum

S. Aug.

S. Aug.

A in Gentibus. *Quod attinet ad locum Psaltis à Tertulliano relatum numero* 2. *Psal.* 95. 7. Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius. Tauros, inquit, allaturi sumus, hircos vel oues? Absit, *inquit. Aug. ibidem*, si voluisses sacrificium dedissem vtique, ille nobis hostiam commendat, quam offerre debemus: videte ne illud sit hostia, de quo iam dudum dixit. Confessio & pulchritudo in conspectu eius; confessio hostia est Deo. O ergo gentes si vultis intrare in atria eius, nolite vacuè intrare, tollite hostias. Quas hostias nobiscum portaturi sumus? Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Cum humili corde intra in domum Dei, & cum ho-

S. Aug.

B stia intrasti. *Intra cum oue mansuetudinis, & cum hostia intrasti; intra cum columba simplicitatis, & cum hostia intrasti. Intra cum simplici intentione cœlestia petendi, & orationis hostiam obtulisti, iuxta mentem Tertulliani.* Si autem superbus es, inanis intras. *Prohibet autem Deus: non apparebis in conspectu meo vacuus.* Nam vnde superbires, nisi inanis esses? nam si plenus esses, non inflareris. Quomodo plenus esses? si tecum tolleres hostiam, quam portares ad atria Domini? &c.

Malachiæ locum Eucharistico sacrificio veteres Patres applicauerunt. Ita enim Clemens Rom. lib. 7. *Constit. Apost. cap.* 31. Sacrificium vestrum reprehensione careat, sitque Deo acceptum, qui de Ecclesia sua Oecumenica in omni loco offertur mihi thymiama, & sacrificium mundum, quia ego sum Rex ma-

C gnus, Dominus omnipotens, & nomen meum admirabile in Gentibus. *Expressiùs Iustinus Martyr Dial. cùm Tryphone:* de nostris verò gentium quæ in omni loco offeruntur sacrificiis, hoc est pane Eucharistiæ, & poculo similiter Eucharistiæ, iam tum locutus per Malachiam prædixit, nos quidem glorificare nomen eius, vos autem prophanare. *Irenæus libro* 4. *contra hæreses cap.* 32. Eum, qui ex creatura panis est, accepit & gratias egit dicens: hoc est corpus meum; & Calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundùm nos, suum sanguinem confessus est, & noui Testamenti nouam docuit oblationem. Quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat primitias suorum munerum in nouo Testa-

D mento. De quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificauit: non est mihi voluntas in vobis, &c.

Non minùs lucidè ac splendidè Chrysostomus in Psal. 95. Ecclesia, inquit, quæ vbique Christum in se circumfert, à nullo prohibetur loco, sed in omni loco sunt altaria, in omni loco doctrina. Hoc prædixit Deus per Prophetam. Nam & Ecclesiasticam exprimens sinceritatem, & alterius populi ingratitudinem traducens, ad illos loquitur: non est mea voluntas in vobis, dicit Dominus. Et vide quàm luculenter, quámque dilucidè mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia: Thymiama verò purum appellat, sacras preces, quæ post hostiam offeruntur, &c. vides vt vbique locorum concessum est, Angelicum illud sacrificium inclarescere?

Augustinum subiiciam in orat. cont. Iudæos cap. 9.

E Aperite, inquit, oculos tandem aliquando, & videte ab Oriente Sole, vsque ad Occidentem. Non in vno, sicut vobis fuerat constitutum, sed in omni loco offerri sacrificium Christianorum, non cuilibet Deo, sed ei qui ista prædixit, Deo Israël.

S. Aug.

Nec

Nec prætereo Theodoretum in cap. 1. Malach. Victimas quas offertis, execror, quarum loco, vniuersum orbem terrarum, me summâ religione colentem habeo: nam omnes habitatores terrarum, quas Sol exoriens & occidens illustrat radiis, cùm incensum vbique offerent, tum etiam sacrum, purum, & mihi gratum conficient.

Esaias quoque cap. 19. 19. In die illa, erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini iuxta terminum eius. *Hebr. 13. 10.* Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt. *Act. 13. 2.* Ministrantibus, *in Græco sacrificantibus*, illis Domino & ieiunantibus, &c. *1. Cor. 16.* Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? &c. *Et versu 21.* Non potestis Calicem Domini bibere, & Calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. *Et quidem quod verum sit sacrificium Eucharisticum, in gratiarum actionem patet ex Matth. 26. 26.* Cœnantibus eis, accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite; hoc est corpus meum. Et accipiens Calicem, gratias egit: & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur, *Syr. effunditur. Vt idem sit incruentè fusus in Cœna Dominica, qui cruentè crucis in ara.* Ita & Marci. 14. 24. *Syr. pariter ponit, effunditur. & notanter & cum magna emphasi:* hoc est ipsum corpus meũ. *Luc. 22. 19.* Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicẽs: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & Calicem postquam cœnauit, dicens: hic est Calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. *Syr.* effunditur. *Similiter & 1. Cor. 11. 24. vbi Syr. versu 23.* Ego enim accepi à Domino nostro illud ipsum quod tradidi vobis, &c. *Et quid rerum Dominici Corporis & Sanguinis diceret, quid tantam probationem offerentis & sumentis exigeret, si corpus & sanguis Christi operatorio Christi sermone verè non esset?*

Id omnes veteres Liturgiæ testantur. Prima quidem quæ Missa Apostolorum siue S. Petri refertur à Clemente Romano tam ep. 2. quàm lib. 8. constit. Apost. cap. 16. 17. & seq. vbi inter cætera: in primis, quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, &c. tua ex tuis offerimus venerandæ maiestati tuæ, de tuis donis & charismatibus, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, panem sanctam vitæ æternæ, & Calicem salutis perpetuæ. *Liturgia Ierosolym. à S. Iacobo Minore conscripta, & approbata à sexta Synodo generali, siue 3. Constantinop. can. 32.* O Deus respice in nos, & ad nostrum hoc rationabile obsequium intuere, idque aspice, vt Abel dona accepisti, Noë sacrificia, Mosis & Aaronis Sacerdotis, Samuelis pacifica, Dauidis pœnitentiam, Zachariæ incensum. *Liturgia S. Matthæi, linguâ Æthyopicâ & Latinâ conscripta, ducta à verbo* corbon *quod Hebræi dicunt:* Missach. *& nobis idem quod oblatio. Vbi inter cætera legitur:* quando Sacerdos offert Hostiam super altare. Domine Deus noster, qui suscepisti sacrificium Abel in deserto, & Noë in Arca, & Abrahæ in summitate montis, & Heliæ in monte Carmeli, & Dauid in area Iebusæi, & oblationem pauperculæ in templo sancto, sic oblationem meam, & omnium famulorum, famularumque tuarum offerentium in monte sancto tuo suscipe, & pro meis, & eorum peccatis sit redemptio. *Liturgia item Alexandriæ à sancto Marco præscripta:* purga cor nostrum ab omni inquinamento, vt corde puro, & purâ conscientiâ tibi hoc thymiama offeramus in odorem suauitatis, & in remissionem peccatorum nostrorum, & totius populi, &c. per quem offerimus rationabilem & incruentam oblationem, hanc quam offerunt tibi Domine omnes gentes ab ortu Solis vsque ad occasum, à Septentrione ad meridiem, quia magnum nomen tuum in omnibus gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini sancto tuo, & sacrificium, & oblatio. *Mediolanensis item primùm à S. Barnaba instituta, dehinc à sancto Ambrosio restituta. Cappadocum & Syriorum Basilio attributa:* offerimus tibi venerandum & incruentum sacrificium pro sanctis Ecclesiis quæ sunt ab vno extremo terræ vsque ad aliud. *Constantinopolitana quæ est Chrysostomi:* offerimus tibi cultum spiritualem & immaculatum & inuocamus, & suppliciter oramus, vt mittas super nos & super proposita dona Spiritum sanctum tuum, & fac hunc panem pretiosum corpus Iesu Christi filij tui, transmutans illum per Spiritum sanctum tuum.

Prioris æui Patres testes aduoco veri sacrificii nostri. Clemens Rom. lib. 7 constit. Apost. cap. 23. Pro sacrificio, inquit, cruento, rationale & incruentum ac mysticum sacrificium instituit, quod in mortem Domini per Symbola Corporis & Sanguinis sui celebratur. *Et epist. 3. ad Iacobum fratrem Domini.* Non vtique missas sine Episcopi iussu quisquam Presbyterorum in sua parœcia agat, &c. quoniam in aliis locis sacrificare, & Missas celebrare non licet, nisi in his in quibus Episcopus proprius iusserit, aut ab Episcopo regulariter ordinato, tenente videlicet ciuitatem consecratus fuerit. Aliter enim non sunt hæc agenda, nec ritè celebranda, docente nos nouo & veteri Testamento. Hæc Apostoli à Domino acceperunt & tradiderunt.

Et quidem in Actu passionis S. Andreæ scriptis per Presbyteros & Diacones Achaiæ. Omnipotenti Deo, qui vnus & verus est, ego omni die sacrifico, non thuris fumum, non taurorum mugientium carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum quotidie in altari sacrifico: cuius carnes posteaquam omnis populus credentium manducauerit, & eius sanguinem biberit, agnus qui sacrificatus est, integer perseuerat, & viuus. *Dionysius Areopagita in lib. Eccl. Hierarch. cap. 3. omnes penè Missæ ceremonias decurrit quas & prædicta Liturgia habent, orationes, circumaltare incensum, Psalmodiam, lectiones, ablutionem manuum, pacis donationem, eleuationem Hostiæ & adorationem eius, communionem & receptionem Sacramenti. Inter cætera hic verbis:* itaque religiosè simul, & vt Pontificem decet, post sacras diuinorum operum laudes de sacrificio quod ipsius dignitatem superat, se purgat, dum primò ad eum clamat. Tu dixisti: hoc facite in meam commemorationem, &c. Pontifex perfecto precum sacro, ad Dei altare, cùm ab eo incendendi odores initium fecit, sacrum obit locum. Reuersus autem ad diuinam aram, sacros Psalmos canere incipit, canuntque cum eo omnes Ecclesiastici ordines. Deinde à ministris sanctorum librorum lectio ordine recitatur, &c. præcipui porrò atque selecti ordinis eius qui ministrat, cum Sacerdotibus, in diuino altari proponunt panem, benedictionisque Calicem, cùm antea Ecclesiastici omnes laudem hymnumque generalem Deo tribuerint: cum quibus Pontifex sacras preces rectè perficit, sanctamque pacem omnibus nuntiat, cùm omnes se inter se salutauerunt, mystica sanctorum recitatio fit. Cúmque manus aquâ abluerunt & Pontifex & Sacerdotes, Pontifex quidem in medio altari collocatur, circunstant autem eum soli cum Sacer-

doctibus ministri selecti. Pontifex laudatis sacris Dei operibus, ea quæ diuinissima sunt, ritè perficit, oculisque subiicit ea quæ propositis ritè signis laudata sunt. Donis diuinorum operum monstratis, ad sacram eorum communionem & venit ipse, & inuitat cæteros. Acceptâ datâque diuinâ communione, in sacram gratiarum actionem desinit.

Ignatius in Epist. ad Smirnenses citata à Theodoreto Dial. 3. Scribens contra hæresim Simonianorum & Saturnianorum: Eucharistias, inquit, & oblationes reiiciunt, quia negant Eucharistiam corpus esse Saluatoris qui passus est pro iniquitatibus nostris, & verè passus, & non putatiuè sicut & resurrexit. *Irenæus lib. 4. contra hæreses cap. 34. ex potentia Creatoris arguit Eucharistici sacrificij veritatem & panis & vini mutationem.* Quomodo, inquit, constabit eis, eum panem in quo gratiæ actæ sint, corpus esse Domini sui, & Calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant? *Et lib. 5. cap. 2. ex eiusdem sacrificij participatione infert carnis nostræ resurrectionem.* Quemadmodum, inquit, lignum vitis depositum in terra suo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram, & dissolutum, multiplex surgit per Spiritum Dei qui continet omnia, quæ deinde per sapientiam in vsum hominibus veniunt, & percipientia Verbum Dei, Eucharistia fiant, quod est Corpus, & Sanguis Christi: sic & nostra corpora ex ea nutrita, & reposita in terram, & resoluta in eam, resurgent in suo tempore; Verbo Dei resurrectionem eis donante, in gloriam Dei Patris, qui huic mortali immortalitatem circundat, & corruptibili incorruptelam gratuitò donat.

Cyrillus Ierosf. Catechesi 5. Mystag. Deum benignissimum oramus, vt super illa proposita S. Spiritum emittat, vt panem quidem faciat corpus Christi, vinum verò sanguinem Christi. Omnino enim quod attigerit Spiritus sanctus, hoc sanctificatur & transmutatur. Deinde verò postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis Hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis & afflictis, & in summa pro iis omnibus qui egent auxilio, &c.

Nazianzenus orat. 4. quæ est 2. in Iulianum: non iam in nostras sacras ædes prauos oculos iniicient, non iam aras à purissimo & incruento sacrificio nomen habentes scelesto sanguine contaminabunt, loca non adeunda, per impia altaria probro & dedecore afficient. *Et Orat. 19. funebri in laudem patris sui.* Cùm numquam non dolore premeretur, & quidem persæpè singulis diebus, atque interdum etiam horis, ex sola Liturgia robur concipiebat, ac morbus tanquam ex edicto, & imperio fugatus se subducebat.

Chrysost. orat. 24. in 1. Cor. Hic in eo quod est longè admirabilius & magnificentius, sacram constituit operationem, vt qui & ipsum mutarit sacrificium, & pro cæde brutorum seipsum offerri iussit. *Et lib. 6. de Sacerdotio.* Cùm ille & Spiritum sanctum inuocauerit, sacrificiumque illud horrore ac reuerentiâ plenissimum perfecerit, communi omnium Domino assiduè manibus pertractato, quæro ex te, quoto illum in ordine collocabimus? *Et homil. 2. mor. in 2. Tim.* Sacra ipsa oblatio, siue illam Petrus, siue illam Paulus, siue cuiusuis meriti Sacerdos offerat, eadem est quam dedit ipse Christus discipulis, quamque Sacerdotes modo quoque conficiunt.

Ex Latinis Patribus duos aut tres proferam ne mul- A *titudine Lectorem obruam. Ambr. ep. 33. ad sororem Marcellinam.* Ego, inquit, mansi in munere, Missam facere cœpi, dum offero, raptum agnoui à populo Castulum quendam, &c. amarissimè flere, & orare in ipsa oblatione Deum cœpi vt subueniret. *Et in Psal. 38.* Vidimus principem Sacerdotum ad nos venientem, vidimus, & audiuimus offerentem pro nobis sanguinem suum. Sequamur vt possumus Sacerdotes, vt offeramus pro populo sacrificium, etsi infirmi merito, tamen honorabiles Sacerdotio: quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur. Immò ipse offerre manifestatur B in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium quod offertur. *Rursum libro 4. de Sacram. cap. 6.* Offerimus tibi hanc immaculatam Hostiam, rationabilem Hostiam, incruentam Hostiam, hunc panem sanctum, & Calicem vitæ æternæ.

Hiero. cont. Vigilant. cap. 3. cont. Pelagianos cap. 5. Sic docuit Christus Apostolos suos, qui quotidie in corporis illius sacrificio, credentes audeant loqui, Pater noster qui es in cœlis. *Et epist. 150. ad Hedibiam. q. 11.* Dominus dedit nobis panem verum, ipse conuiua, & conuiuium, ipse comedens, & qui comeditur. Illius bibimus sanguinem, & sine ipso potare non possumus. Et quotidie in sacrificiis eius, de genimine vitis veræ rubentia mu- C sta calcamus.

Augustinus agmen claudet Patrum, qui sæpè mentionem facit sacrificij corporis & sanguinis Christi lib. 9. Confess. cap. 12. & 13. Et lib. de hæresibus hæresi 53. quæ alibi retulimus, cùm ageremus de oblationibus pro defunctis. Lib. autem 10. de Ciuit. c. 20. Verus, inquit, ille verus mediator, in quantùm formam serui accipiens, mediator effectus est Dei & hominum homo Christus Iesus, cùm in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo & vnus Deus est: tamen in forma serui, sacrificium maluit esse, quàm sumere; ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturæ. Per hoc & Sacerdos est ipse offerens, ipse & oblatio. Cu- D ius rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium; quæ cùm ipsius capitis corpus sit, seipsam per ipsum dicit offerre. Huius sacrificij multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum, cùm ob hoc vnum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res vna diceretur, vt sine fastidio multum commendaretur. Huic veroque sacrificio, cuncta sacrificia falsa cesserunt. *Et lib. 22. de ciuit. cap. 8. vbi de infestatione malignorum spirituum abacta Missæ sacrificio.* Vir, inquit, tribunitius Hesperitius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Zubedi appellatum, vbi cùm afflictione animalium & seruorum suorum domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogauit nostros me absente Presbyteros vt aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtu- E lit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantùm potuit vt cessaret illa vexatio; Deo protinus miserante cessauit. *Tandem lib. 20. cont. Faustum cap. 21.* Nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificamus, quamuis in memorias Martyrum constituamus altaria. Quis enim Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: offerimus tibi Petre aut Paule, aut Cypriane? sed quod offertur, offertur Deo qui Martyres coronauit, &c. quod frequentissimè facimus illo duntaxat ritu, quo sibi sacrificari, noui Testamenti manifestatione præcepit. *Cyrillus Alex. in Concilio Oecumenico Ephesino sub Celestino primo,*

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

pro eo præsidens sic fatur. Nos operamur in Ecclesiis A sanctum, viuificum, & incruentum sacrificium. Nec credimus corpus quod ibi ante nos ponitur corpus esse commune vel vt alterius hominis vt nec sanguinem sed vtrumq; sumimus tanquam factum corpus & sanguinem Verbi quod viuificat omnia.

Salutatio in via vtraque lege vetita, ne mora fiat operi diuino. 4 cont. Marc. cap. 24. à p.

[a] NEminem, inquit, *per viam salutaueritis.* O Christum destructorem Prophetarum, à quibus hoc quoque accepit: Helisæus, quum Giezin puerum suum mitteret in viam ad filium Sunamitidis resuscitandum de morte, puto sic ei præcepit; [b] *Accinge lumbos tuos, & sume bacillum meum in manum, & vade: quemcunque conueneris in via, ne benedixeris eum*; id est, *ne salutaueris: & qui te benedixerit, ne responderis ei, id est, ne resalutaueris.* Quæ est enim inter vias benedictio, nisi ex occursu mutua salutatio?

a Luc. 10. 4.
b 4. Reg. 4. 28.

SANCTORVM MORS PRETIOSA.

V. Verbum, mors. Num. 15. 16. 17.

SALVTATIO. SCHOL.

O CHRISTVM DESTRVCTOREM. *Ironicè dictum contra Marcionem iactantem Christum Dei sui venisse vt legem & Prophetas Dei Creatoris destrueret; cùm per omnia illorum verba & facta impleat, cuius exemplum refert ex eo quod Christus mittens discipulos suos ad gentes instruendas, eos quemquam per viam salutare prohibuit, in quo & Helisæum secutus est 4. Reg. 4. 28.* Tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum: & si salutauerit te quispiam non respondeas illi. 70. *verò*, Accinge lumbum tuum, & sume baculum meum in manu tua, & vade. Quemcumque inueneris virum, non benedices eum: & si benedixerit vir, non respondebis ei: & impones baculum meum super faciem pueri. *In quantùm autem sit prohibita per viam salutatio discipulis, præclarè disserit Augustinus ser. 42. de Sanctis, qui primus est de Apostolis.* Quid, inquit, tibi videtur? itane placet vt iter agentes occurramus charis nostris, & eos non salutemus maiores, *honore, vt decet, præuenientes*: non resalutemus minores? iamne Euangelium imples, quia salutaris & taces? hic verò non viatori iter agenti, sed milliario, *id est Mercurio vel termino muto & immobili iter digito ostendenti*, similis erit iter ostendenti. Ergo stoliditatem deponamus, & verba Domini intelligamus, & in via neminem salutemus. Non enim sine causa hoc iubemur, aut nollet nos facere. Quid ergo est, neminem salutetis in via? potest quidem & simpliciter sic accipi; quia iussit nos festinanter agere iniuncta, & hoc ita dixit, neminem per viam salutaueritis, tanquam diceret, omnia prætermittatis, dum quod iniunctum est, peragatis: eâ locutione quâ solent dicta exaggerari consuetudine sermocinandi, &c. Ita currite, sic agite quod iniunxi, vt ne minimum quidem vos retardent agentes, sed omnia contemnentes, ad finem propositum festinate. Sed est aliud quod hîc magis recogitem non dissimile intelligere, quod plus pertinet ad me, & ad omnes dispensatores, sed & ad vos auditores. Qui salutat, salutem dicit. *Quod & infrà repetit feria 4. Paschæ* nam & antiqui in epistolis suis sic scribebant, ille illi salutem. Salutatio a salute nomen accepit. Quid ergò est, neminem in via salutaueritis? qui salutant in via, per occasionem salutant, &c. non ad eum ibat quem salutat. Aliud agebat, aliud occurrit: aliud petebat, aliud transuersò, quod ageret, inuenit. Quid est ergo per occasionem salutare? per occasionem salutem annuntiare. Quid est autem aliud salutem annuntiare, quàm Euangelium prædicare? Si ergo prædicas, hoc age per dilectionem, non per occasionem. Sunt ergo homines qui sua quærentes, non aliud prædicant Euangelium *falsum vel hæreticum, sed verum & sincerum, sed non animo casto.* De quibus Apostolus gemens dicit, omnes enim sua quærunt, non quæ Iesu Christi. Et hi salutabant, hoc est, salutem annuntiabant, Euangelium prædicabant; sed aliud quærebant, & ideo per occasionem salutabant, &c. Si talis fueris, non facis, sed fit de te. Nam & tales admisit Apostolus, &c. Quid enim? dum omnimodo siue occasione, siue veritate Christus annuntietur, & in hoc gaudeo, &c. Quid quærat annuntiator ne cures; quod annuntiat, tenere velis. *De Helisæo autem sermone de eo inscripto, qui est 206. de temp. circa f.* Hoc loco, fratres, videte ne alicui surrepat impia cogitatio, & dicat, quòd augurium B. Helisæus obseruare voluerit, & ideo iusserit puero suo, vt salutantem se in via non resalutaret. Frequenter hoc in scripturis legimus: sed pro celeritate est dictum, non pro aliqua sacrilega obseruatione præceptum. Ac si diceret, ita velociter ambula, vt nullis fabulis, in via occupari, aut retardari præsumas. *Et quamuis extra rem Tertulliani, ratione tamen mysterij eximij quod subiicit, prosequar.* Abiit, inquit, puer, & misit baculum super faciem pueri, & penitus non surrexit. Puer iste, *Giezi seruus Helisæi*, typum habuit B. Moysi: Misit enim eum Deus cum baculo in Ægyptum: sed baculus sine Christo flagellare Ægyptum potuit, de originali verò, vel actuali peccato liberare, vel resuscitare non potuit. Nihil enim dicente Apostolo, ad perfectum adduxit lex. Opus erat, vt qui baculum miserat, ipse descenderet, baculus sine Helisæo nihil valebat, quia crux sine Christo nihil poterat. Venit ergo B. Helisæus, & ascendit in cœnaculum; quia venturus erat Christus, & ascensurus crucis patibulum. Inclinauit se Helisæus, vt puerum resuscitaret; humiliauit se Christus, vt mundum in peccatis iacentem erigeret. Misit Helisæus oculos super oculos, manus super manus. Videte fratres quantùm se vir ille perfectæ ætatis contraxit, vt paruulo mortuo & iacenti congrueret. Quod enim Hælisæus in puero præfigurauit, hoc in toto genere humano Christus impleuit. Audi Apostolum dicentem, humiliauit semetipsum, &c. quia paruuli eramus, paruulum se fecit: quia mortui iacebamus, pius se Medicus inclinauit. Quia & reuera, fratres, nemo potest iacentem erigere, si se noluerit inclinare. Quod autem puer oscitauit septies, septiformis gratia Sancti Spiritus ostenditur, quæ humano generi, vt resuscitetur in Aduentu Christi, tribuitur, &c. Ipsum etiam Spiritum Dominus dedit discipulis, quando insufflauit & dixit: Accipite Spiritum sanctum. Os enim quodammodo super os posuit, quando insufflando spiritum dedit.

S. Aug.
S. Aug.
S. Aug.
S. Aug.

SANGVIS HVMANVS.

1. *Sanguinis pabulo Gentiles fœdera inibant. Apol. cap. 9. circa m.*

DE ſanguinis pabulo, & eiuſmodi tragicis ferculis legite necubi relatum ſit (eſt apud Herodotum, opinor) defuſum brachiis ſanguinem ex alterutro deguſtatum nationes quaſdam federi comparaſſe. neſcio quid & ſub Catilina tale deguſtatum eſt. aiunt & apud quoſdam gentiles Scytharum defunctum quemque à ſuis comedi. Longè excurro. Hodie iſtic Bellonæ ſacratus ſanguis de femore proſciſſo in palmulam exceptus eſui datus ſignat.

2. *Sanguinis humani, tam impij quàm innocentis, dij gentium auidi. Apol. cap. 9. à p.*

MAior ætas apud Gallos Mercurio proſecabatur. Remitto Tauricas fabulas theatris ſuis. Ecce in illa religioſiſſima vrbe Æneadarum piorum eſt Iupiter quidam, quem ludis ſuis humano proluunt ſanguine. Sed beſtiarij, inquitis. Hoc opinor minùs, quàm hominis. an hoc turpius, quod mali hominis? certè tamen de homicidio funditur. ô Iouem Chriſtianum, & ſolum patris filium de crudelitate. Sed quoniam de infanticidio nihil intereſt, ſacro, an arbitrio perpetretur, licet de parricidio interſit, conuertar ad populum. Quot vultis ex his circunſtantibus, & in Chriſtianorum ſanguinem hiantibus, ex ipſis etiam vobis iuſtiſſimis & ſeueriſſimis in nos præſidibus apud conſcientias pulſem, qui natos ſibi liberos enecent? Siquidem & de genere necis differt, vtique crudelius in aqua ſpiritum extorquetis, aut frigori, & fami, & canibus exponitis. ferro enim mori ætas quoque maior optauerit.

3. *Sanguis humanus comitiali morbos medetur. Ibid. circa m.*

ITem illi, qui munere in arena noxiorum iugulatorum ſanguinem recentem auida ſiti comitiali morbo medentes auferunt, vbi ſunt? *Et lib. 1. ad nat. cap. 15.*

SANGVIS HVMANVS. 1. 2. 3. SCHOL.

DE SANGVINIS PABVLO. *Retorquet in Gentiles quod ipſi in Chriſtianos calumniabantur de infanticidio, & carnis humanæ, vel ſanguinis eſu, & ad fercula tragica ipſorum carpenda conuertitur, qui humani ſanguinis erant auidi: ſiue eum in fœderibus conciliandis, ſiue in morbis curandis, ſiue Diis placandis, ſiue ferculis ſumendis effuſum impenderent.* NECVBI. *Ne fortè alicubi, id retulit Herodotus.* DEFVSVM. *Alij legunt*, diffuſum. APVD HERODOTVM. *Non reperi apud illum; & ex alicuius manuſcripti margine irrepſit in textum. Licet enim Plinius lib. 7. cap. 2. referat Scythas veſci humanis corporibus, nullam tamen facit Herodoti mentionem. Sed nec ipſe Stoeſthus in obſeruat. lib. 3. cap. 10. Et Lipſius lib. 12. Annal. Taciti, citantes hunc locum Tertulliani; Tacitus autem lib. 12. Annal. non tacuit hunc fœderis ſanciendi morem.* Mos eſt, inquit, Regibus, quoties in ſocietatem coëant, implicare dexteras, polliceſque inter ſe vincire, nodoque perſtringere. Mox vbi ſanguis in artus extremos ſe effuderit, leui ictu cruorem eliciunt, atque inuicem lambunt, id fœdus arcanum habetur, quaſi mutuo cruore ſacratum. *Et Toxaris apud Lucianum:* ſimulatque inciſis digitis ſanguinem in calicem diſtillauerimus, ſummiſque, aut intinctis gladiis ambo pariter admouentes biberimus, non eſt quidquam quod deinde nos queat dirimere. SVB CATILINA. *Minutius Felix, vbi de Saturno* ipſum, inquit, credo docuiſſe ſanguinis fœdere coniurare Catilinam. *De quo Saluſtius:* fuere, inquit, eâ tempeſtate qui dicerent Catilinam oratione habitâ, cùm ad iuſiurandum populares ſceleris ſui adigeret, humani corporis ſanguinem vino permixtum in pateris circumtuliſſe; inde cùm poſt execrationem omnes deguſtaſſent, aperuiſſe conſilium ſuum; atque eo dictitare feciſſe, quo inter ſe fidi magis forent, alius alij tanti facinoris conſcij. GENTILES SCYTHARVM. *Lucianus de amicitia*, patres ſuos, inquit, defunctos deuorant. BELLONÆ

A SACRATVS. *Sacerdos Deæ Belli. Lactantius lib. 1. cap. 21. de eius Sacerdotibus loquens:* ipſi Sacerdotes, inquit, non alieno, ſed proprio cruore ſacrificant. Sectis namque humeris, & vtraq manu, diſtrictos gladios exerentes, efferuntur, inſaniunt. SIGNAT. *Conſecrat.*

2. MAIOR ÆTAS. *Non tam infantilis, ſed prouecta, diſcindebatur olim apud Gallos in honorem Mercurij. Minutius:* Mercurio, *inquit*, Gallos humanas vel inhumanas victimas cædere. *Quòd ſi malis intelligere caſtratos, habes Cyprianum.* euirantur, inquit, mares, omnis honor & vigor ſexus euirati corporis dedecore emollitur, pluſq; illic placet, quiſquis magis virũ in fœminam fregerit. REMITTO, *prætermitto.* TAVRICAS FABVLAS. *Scythiæ populos. De quibus Lact. lib. 1. cap. 21.* Erat lex apud Tauros, inhumanam & feram Gen-
B tem, vti Dianæ, hoſpites immolarentur: & id ſacrificium multis temporibus celebratum eſt. FABVLAS THEATRIS. *Quia veras hiſtorias tantæ crudelitatis, repræſentabant in theatro.* VRBE ÆNEADARVM. *Romà.* IVPITER QVIDAM. *Dictus Romæ Latiaris. De quo Athanaſius in Orat. cont. Gentiles:* Priſci, inquit, quoque Latini Iouem Latiarium cædibus venerati ſunt. BESTIARII. *Damnati ad beſtias.* O IOVEM CHRISTIANVM. *Pulchrè exclamat contra Gentiles exprobrantes Chriſtianis infanticidia iuſſa ab ipſorum Deo: quaſi Gentilium Iupiter hoc ipſo poſſit Chriſtianus dici, quòd Deum Chriſtianorum imitetur.* PATRIS FILIVM. *Saturni ſcilicet; cuius crudelitatem imitatur, qui proprios filios deuorare dicitur. Vnde Minutius Felix:* hodie, inquit, à
C Romanis Latiaris Iupiter homicidio colitur, & quod Saturni filio dignum eſt, mali & noxij hominis ſanguine ſaginatur. SACRO AN ARBITRIO, *vel Deo aliquo exigente, vel ſponte commiſſo.* LICET DE PARRICIDIO INTERSIT, *grauius enim eſt facinus, Patrem filios iugulare, quàm ſimplex homicidium perpetrare, quod & torquet in pleroſque Gentiles, ſuffocantes filios natos, in aquis, &c.* FERRO MORI. *In bello, vel iuſta defenſione.*

3. MVNERE, *eius scilicet, qui spectaculum exhibebat populo.* COMITIALI MORBO. *Plinius id quoque sensit huic morbo remedium. Libro. 28. c. 1.* Sanguinem quoque gladiatorum bibunt, vt viuentibus poculis *propter calentem adhuc sanguinem & viuidum*, comitiales morbi. *Id est morbidi.* Quod spectare facientes in eadem arena feras quoque horror est. At Hercule illi ex homine ipso sorberi efficacissimum putant calidum spirantemque, & vnà ipsam animam ex osculo vulnerum; cùm plagis, ne ferarum quidem, admoueri ora fas sit humana. *De sacrificio humani sanguinis non prorsus siluit Augustinus. lib. 7. de Ciuit. cap. 19. Vbi de Saturno, iuxta Varronem.* Ideo, inquit, dicit, à quibusdam pueros ei solitos immolari; sicut à Pœnis: *Carthaginensibus*, & à quibusdam etiam maiores; sicut à Gallis, quia omnium seminum, *quæ sacra erant Saturno satorum Deo*, optimum est genus humanum. *Meliùs tamen Cæsar. lib. 6. de bello Gallico, inter Gallorum Deos Saturnum non recenset. Sed præ cæteris Mercurium à Gallis cultum fuisse testatur; cui dicit ipsos solitos* pro victimis homines immolare, aut se immolandos vouere. *Vt vt sit de prophanis istis sacrificiis & fœderibus; Christus suum sanguinem in fœdus æternum, in comitialis morbi, & casus lethalis, & mortis animæ & corporis remedium protulit; eumque primò suis Apostolis, deinde toti Ecclesiæ in poculum simul & lauacrum obtulit: Patri se offerens sacrificium perfectum; sed à suis confœderatis exigens, vt vsque ad sanguinem, vti fecere martyres calicem eius accipientes, pro eius causa certemus. De quo sic Augustinus. lib. 1 . de Ciuit. cap. 6.* Profectò, inquit, efficitur, vt tota ipsa redempta ciuitas, hoc est congregatio societasque Sanctorum, vniuersale Sacrificium offeratur Deo per Sacerdotem magnum, qui etiam seipsum obtulit in passione pro nobis, vt tanti capitis corpus essemus; secundùm formam serui; hanc enim obtulit, in hac oblatus est, quia secundùm hanc mediator est: in hac Sacerdos, in hac Sacrificium est. &c. Hoc est sacrificium Christianorum: multi vnum corpus sumus in Christo: quòd etiam Sacramento altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia; vbi eidem demonstratur, quòd in ea oblatione quam offert, ipsa offeratur. *Expressiùs autem de sanguine testamenti, quo debitum omne & delictum solutum est. to. 3. lib. 13. de Trin. cap. 15.* Sanguis ille, inquit, quoniam eius erat, qui nullum habuit omnino peccatum, ad remissionem nostrorum fusus est peccatorum: vt quia eos diabolus meritò tenebat, quos peccati reos conditione mortis obstrinxit, hos per eum meritò dimitteret, quem nullius peccati reum immeritò pœna mortis affecit. &c. In hac redemptione, tanquam pretium pro nobis datus est sanguis Christi, quo accepto, diabolus non ditatus est, sed ligatus: vt nos ab eius nexibus solueremur; nec quemquam secum eorum quos Christus ab omni debito liber, indebitè fuso suo Sanguine redemisset, peccatorum nexibus inuolutum traheret ad secundæ ac sempiternæ mortis exitium. *Fœdus porrò cum eo initum belli contra diabolum, & pacis cum Deo fuit, vt quotquot saluandi forent & vitam æternam accepturi, ipsius sanguinem oblatum in pretium, redempti omnes sumerent in poculum. Vnde & ipsos infantes primis sæculis, & adhuc tempore Augustini, Christi carnem & sanguinem sumpsisse fit certum. Adeò vt sicut diabolus sub Saturni vel Mercurii nomine, non tantùm maiorem ætatem, sed & minorem sibi immolari iubebat, totius humani sanguinis auidus: sic Christus humanæ sitiens salutis, non tantùm pro maiore, sed & minore ætate conciliandæ Patri, sanguinem suum fuderit, & ab vtraque fusum bibere voluerit. Ita Augustinus. lib. 1. de pec. meritis, cap. 20. vbi refert illud Ioannis 6.* Nisi manducaueritis carnem filij hominis &c. An quisquam, inquit, etiam dicere audebit, quod ad paruulos hæc sententia non perueniat, possintque sine participatione corporis huius & sanguinis, in se habere vitam; quia non ait, qui non manducauerit; sicut de baptismo, qui non renatus fuerit: sed ait, si non manducaueritis; velut eos alloquens, qui audire & intelligere poterant quod vtique non valent paruuli? sed qui hoc dicit, non attendit, quia nisi omnes ista sententia teneat, vt sine corpore & sanguine filij hominis vitam habere non possint; frustrà etiam ÆTAS MAIOR id curat. Potest enim, si non voluntatem, sed verba loquentis attendat, eis solis videri dictum, quibus tunc Dominus loquebatur; quia non ait, qui non manducauerit; sed si non manducaueritis. Et vbi est quod eodem loco de hac ipsa re ait, panis quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita? secundùm hoc enim etiam ad nos pertinere illud Sacramentum intelligimus, qui tunc nondum fuimus, quando ista dicebat; quia non possumus dicere, ad sæculum nos non pertinere, pro cuius vita Christus suam carnem dedit. &c. Ac per hoc etiam pro paruulorum vita caro data est, quæ data est pro sæculi vita, etsi non manducauerint carnem filij hominis nec ipsi habebunt vitam. *Et cap. 24.* Optimè, inquit, Punici Christiani baptismum ipsum nihil aliud quàm salutem, & Sacramentum Corporis Christi, nihil aliud quàm vitam vocant; Vnde, nisi ex antiqua, vt existimo, & Apostolica traditione, quâ Ecclesiæ Christi insitum tenent, præter Baptismum & participationem Dominicæ mensæ, non solùm non ad regnum Dei, sed nec ad salutem, & vitam æternam posse quemquam hominem peruenire? hoc enim & scriptura testatur; nam quid aliud tenent qui Baptismum nomine salutis appellant, nisi quod dictum est, saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis; & quod Petrus ait, sic & vos simili formâ, saluos facit baptisma. Quid aliud etiam qui Sacramentum mensæ Dominicæ vitam vocant, nisi quod dictum est ego sum panis vitæ. &c. Et panis quem ego dedero. &c Si non manducaueritis &c. Si ergo, vt tot & tanta diuina testimonia concinunt; nec salus, nec vita æterna sine Baptismo, & Corpore & Sanguine Domini cuiquam speranda est; frustrà sine his, promittitur paruulis. Porrò si a salute ac vita æterna hominem nisi peccata non separant; per hæc Sacramenta, non nisi peccati reatus in paruulis soluitur, de quo reatu scriptum est, neminem esse mundum, nec si vnius diei fuerit vita eius. &c. Non itaque dubitemus etiam pro infantibus baptizatis sanguinem fusum, qui priusquam funderetur, sic in Sacramento datus, & commendatus est, vt diceretur, hic est sanguis meus. &c. *quo sensu sumenda sint hæc. V. to. 1. p. 2.*

S. Aug. (margin notes)

Et libro. 1. ad nat. cap. 15. LITAMVS. *Liturgiam de infantibus immolatis offerimus.* INITIAMVR. *Per infanticidia Christianæ disciplinæ mysteriis imbuimur & consecramur.* NON ALITER VOS. *Non minùs infanticidæ habendi estis.* NON RITV, *sicut nos creditis in ritibus nostris in Dei saltem nostri honorem infantes immolare, quos vos tot periculis exponitis.* ADICITE, *adijcite.* DICIMVR, *supple Antropophagi, vel crudeles* ILLA IMPVDICA EST. *Vos non tantùm crudeles, sed & voluptuosi, qui ideo vestros infantes vel enecatis, vel exponitis, vt statim mulier vacans ab onere nutricis, liberiùs indulgeat libidini.* CONIVNGIMVR. *Dicimur enim & nos infanticidiis incestus miscere in tenebris.* FVTVRVM SANGVINEM. *Prematurè præfocando, abortum procurando, semen dissoluendo.*

distribuitur quod oblatum est: vt diuisionem intelligamus hic discretionem: siue cùm offertur vbi non oportet, aut quod non ibi, sed alibi oportet: *de quo sequenti Scholio.* Siue cùm offertur quando non oportet aut quod non tunc, sed aliàs oportet: siue cùm id offertur quod nusquam & nunquam penitus debuit: siue cùm electiora sibi eiusdem generis rerum tenet homo, quàm sunt ea quæ offert Deo: siue cùm eius rei quæ oblata est, fit particeps prophanus, aut quilibet quem fas non est fieri. In quo autem horum Deo displicuerit Caïn, facilè non potest inueniri: sed quoniam Ioannes Apostolus, cùm de his fratribus loqueretur: non sicut Caïn, inquit, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et cuius rei gratiâ occidit eum? quia opera illius maligna fuerunt, fratris autem eius iusta: datur intelligi, propterea Deum non respexisse in munera eius, quia hoc ipso malè diuidebat, dans Deo aliquid suum, sibi autem seipsum. Quod omnes faciunt, qui non Dei, sed suam sectantes voluntatem, id est non recto sed peruerso corde viuentes, offerunt tamen Deo munus, quo putant eum redimi, vt eo- A rum non opituletur sanandis prauis cupiditatibus, sed explendis, &c. *Et to. 6. lib. 12. cont. Faust. cap. 9.* Sicut Caïn sacrificium ex terræ fructibus reprobatur, Abel autem sacrificium ex ouibus & earum adipe suscipitur: ita noui Testamenti fides ex innocentia gratiæ Deum laudans, veteris Testamenti terrenis operibus anteponitur: quia etsi Iudæi ante rectè illa fecerunt; in eo tamen infidelitatis rei sunt: quia Christo veniente iam tempus noui Testamenti, à tempore veteris Testamenti non distinxerunt: dixit enim Deus ad Caïn, si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti. Qui si obtemperasset Deo dicenti, quiesce, ad te enim conuersio eius, & tu dominaberis illius: ad se conuertisset peccatum suum, sibi hoc tribuens, & confitens Deo; ac sic adiutus indulgentiæ gratiâ, ipse peccato suo dominaretur: non illo sibi dominante seruus peccati, fratrem occideret innocentem. Sic & Iudæi, in quorum hæc figura gerebantur, si quiescerent a sua perturbatione, &c. per spem gratiæ liberi dominarentur. S.Aug.

2. *Sacrificia veteris legis in vna terra promissa fieri debebant, spiritalia autem carnalibus meliora, in noua lege vbique offeruntur. Cont. Iud. cap. 5. in m. ad f.*

CVm per Moysen in Leuitico lex Sacerdotalis conscriberetur, inuenimus præscriptum populo Israëli, vt sacrificia nullo in loco offerrentur Deo, quàm in terra repromissionis, quam Dominus Deus daturus esset populo Israëli & fratribus eorum; vt introducto Israël, illic celebrarentur sacrificia & holocausta, tam pro peccatis quàm pro animabus, & nusquam alibi nisi in terram sanctam. Cur itaque posteà per Prophetas prædicat Spiritus futurum, vt in omni terra, aut in omni loco offerantur sacrificia Deo, sicut per Malachiam angelum vnum ex duodecim Prophetis dicit: [a] *Non recipiam sacrificium de manibus vestris; quoniam ab oriente Sole vsque ad Occidentem nomen meum clarificatum est in omnibus gentibus, dicit Dominus omnipotens. Et in omni loco offeruntur sacrificia munda nomini meo.* Item in Psalmis Dauid dicit: [b] *Adferte Deo patriæ gentium:* Indubitatè quòd in omnem terram exire habebat prædicatio Apostolorum. *Adferte Deo claritatem & honorem, adferte Deo sacrificia nomini eius: Tollite hostias, & introite in atria eius.* Namque quod in terrenis sacrificiis, sed spiritalibus Deo litandum sit, ita legimus vt scriptum est: [c] *Cor contribulatum & humiliatum hostia Deo est.* Et alibi: [d] *Sacrifica Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* Sic itaque sacrificia spiritalia laudis designantur, & cor contribulatum acceptabile sacrificium Deo demonstratur. Itaque quomodo carnalia sacrificia reprobata intelliguntur, de quibus & Esaïas loquitur, dicens, [e] *Quò mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum? dicit Dominus;* ita sacrificia spiritalia accepta prædicantur, vt Prophetæ annuntiant. Quoniam *etsi attuleritis*, inquit, *mihi similam, vanum supplicamentum, execramentum mihi est.* Et adhuc dicit: *Holocaustomata & sacrificia vestra, & adipem hircorum, & sanguinem taurorum nolo: nec si veniatis videri mihi. quis enim exquisiuit hæc de manibus vestris?* De spiritalibus verò sacrificiis addit, dicens: [f] *Et in omni loco sacrificia munda offerentur nomini meo, dicit Dominus.*

Deut. 12. 5. & 6. & 13.
a Malac. 1. 10. 11.
b Psal. 95. 7.
c Psal. 50. 18.
d Psal. 49 15.
e Esa. 1. 11. & seq.
f Malach. 1. 11.

Et 4. contra Marc. cap. 1. à m.

SI alias leges, aliosque sermones, & nouas testamentorum dispositiones à Creatore dixit futuras, vt etiam ipsorum sacrificiorum alia officia potiora, & quidem apud nationes destinarit, dicente Malachiâ, [a] *Non est voluntas mea in vobis, inquit Dominus, & sacrificia vestra non excipiam de manibus vestris; quoniam à solis ortu vsque ad occasum glorificatum est in nationibus nomen meum, & in omni loco sacrificium nomini meo offertur; & sacrificium mundum*, scilicet simplex oratio de conscientia pura. a Malach 1. 10. 11.

4. *Sacrificium Christi duplex, cruentum & incruentum, crucis & altaris, reale & mysticum. cont. Iud. cap. 14.* *V. Verbum Christi aduentus duplex num. 1.*

5. *Et v. Verbum Christi aduentus duplex num. 9. in m. 3. cont. Marc. cap. 7.*

6. *Sacrificium Missæ pro Imperatoribus oblatum.* *V. Verbum Christianus. num. 15.*

V. Verbum, Elogia Christi num. 30 31. 32.

SACRIFICIA VETERIS LEGIS. 2. & 3. SCHOL.

IN LEVITICO. *Memoriâ lapsus hic est Tertullianus, & Leuiticum sumpsit pro Deuteronomio. Vbi sic cap.* 12. 1. Hæc sunt præcepta & iudicia quæ facere debetis in terra quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi, vt possideas eam cunctis diebus quibus super humum gradieris, &c. *Et paucis interiectis; quibus iussit Gentilium aras, templa, idola subuerti; ita versu.5.* Ad locum quem elegerit Dominus Deus vester, de cunctis tribubus vestris, vt ponat nomen suum ibi, 70. *in vna ciuitatum vestrarum, vt adnominetur nomen eius ibi, & inuocetur, & exquiretis, & venietis illuc,* & habitet in eo: venietis, & offeretis in loco illo holocausta, & victimas vestras, decimas, & primitias manuum vestrarum, & vota atque donaria, 70. *& spontanea vestra, & confeßiones vestras,* primogenita boum & ouium, &c. *& versu 13. alibi offerri prohibet:* caue ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris: sed in eo quem elegerit Dominus in vna tribuũ tuarũ offeres hostias, & facies quæcũq; præcipio tibi. ANGELVM ▪ V M. *Malach.* 3. 1. Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. *Cæteros locos Scripturæ habes iam alibi.*

3. OFFICIA POTIORA. *Acceptiora sibi apud Gentiles conuersos per orbem sparsos. Quod repetit ex Malachia. Vbi per sacrificium intelligit orationem puram & simplicem. Augustinus de sacrificio Eucharistico exponit. Libro 18. de Ciuit.* 35. Malachias, inquit, Pro-

S. Aug. phetans Ecclesiam, quam per Christum iam cernimus propagatam, Iudæis apertissimè dicit ex persona Dei; non est voluntas mihi in vobis: & munus non suscipiam de manu vestra, &c. & in omni loco sacrificabitur, & offeretur nomini meo oblatio munda: quia magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus. Hoc sacrificium per Sacerdotium Christi secundùm ordinem Melchisedech, cùm in omni loco a solis ortu vsque ad occasum, Deo iam videamus offerri: sacrificium autem Iudæorum, quibus dictum est: non est mihi voluntas in vobis, nec accipiam de manibus vestris munus, cessasse negare non possunt. Quid adhuc expectant alium Christum, cùm hoc quod prophetatum legunt, & impletum vident, impleri non potuerit

S. Aug. nisi per ipsum. *Et to.6. lib. 1. cont. Aduersarium legis. cap.20.* Ecclesia, inquit, ab Apostolorum temporibus, per Episcoporum successiones certissimas, vsque ad nostra & deinceps tempora perseuerat, & immolat Deo in corpore Christi sacrificium laudis, ex quo Deus Deorum locutus vocauit terram, à Solis ortu vsque ad occasum, &c. Nouerunt qui legunt quid protulerit Melchisedech quando benedixit Abraham, & iam sunt participes eius, vident tale sacrificium nunc offerri toto orbe terrarum, &c. Alius Propheta dicit, *Malachias scilicet*, ad eum qui carnaliter est Israël; non est mihi voluntas in vobis, &c. ecce quod est secundùm ordinem Melchisedech. Incensum enim quod est Græcè thymiama sicut exponit Ioannes in Apoc. orationes sunt sanctorum. Deus quippe ille, sicut canitur in Psalmo, qui vocauit terram, &c. cui terræ, id est cui populo diffuso à Solis ortu vsque ad occasum diceret, non accipiam de domo tua vitulos, immola Deo sacrificium laudis: ipse per hunc Prophetam quod certissimè futurum erat, iam velut factum prædicans ait: ab ortu Solis vsque ad occasum, &c. & in omni loco, *non in vnius Ierusalem templo*, incensum, *orationis vt Tertulliano consentit Augustinus* offertur nomini meo, & hostia pura, *secundùm ordinem Melchisedech. qui & à Tertulliano dicitur præputiati Sacerdotij Antistes.* Quia magnum est nomen meum in Gentibus. *Quod attinet ad locum Psaltis à Tertulliano relatum numero 2. Psal.95.7.* Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius. Tauros, inquit, allaturi sumus, hircos vel oues? Absit, *inquit. Aug. ibidem*, si voluisses sacrificium dedis- S. Aug.
sem vtique, ille nobis hostiam commendat, quam offerre debemus: videte ne illud sit hostia, de quo iam dudum dixit. Confessio & pulchritudo in conspectu eius; confessio hostia est Deo. O ergo gentes si vultis intrare in atria eius, nolite vacue intrare, tollite hostias. Quas hostias nobiscum portaturi sumus? Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Cum humili corde intra in domum Dei, & cum hostia intrasti. *Intra cum oue mansuetudinis, & cum hostia intrasti; intra cum columba simplicitatis, & cum hostia intrasti. Intra cum simplici intentione cælestia petendi, & orationis hostiam obtulisti, iuxta mentem Tertulliani.* Si autem superbus es, inanis intras. *Prohibet autem Deus: non apparebis in conspectu meo vacuus.* Nam vnde superbires, nisi inanis esses? nam si plenus esses, non inflareris. Quomodo plenus esses? si tecum tolleres hostiam, quam portares ad atria Domini? &c.

Malachiæ locum Eucharistico sacrificio veteres Patres applicauerunt. Ita enim Clemens Rom. lib. 7. Constit. Apost. cap. 31. Sacrificium vestrum reprehensione careat, sitque Deo acceptum, qui de Ecclesia sua Oecumenica in omni loco offertur mihi thymiama, & sacrificium mundum, quia ego sum Rex magnus, Dominus omnipotens, & nomen meum admirabile in Gentibus. *Expreßius Iustinus Martyr Dial. cùm Tryphone:* de nostris verò gentium quæ in omni loco offeruntur sacrificiis, hoc est pane Eucharistiæ, & poculo similiter Eucharistiæ, iam tum locutus per Malachiam prædixit, nos quidem glorificare nomen eius, vos autem prophanare. *Irenæus libro 4. contra hæreses cap. 32.* Eum, qui ex creatura panis est, accepit & gratias egit dicens: hoc est corpus meum; & Calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundùm nos, suum sanguinem confessus est, & noui Testamenti nouam docuit oblationem. Quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat primitias suorum munerum in nouo Testamento. De quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificauit: non est mihi voluntas in vobis, &c.

Non minùs lucidè ac splendidè Chrysostomus in Psal. 95. Ecclesia, inquit, quæ vbique Christum in se circumfert, à nullo prohibetur loco, sed in omni loco sunt altaria, in omni loco doctrina. Hoc prædixit Deus per Prophetam. Nam & Ecclesiasticam exprimens sinceritatem, & alterius populi ingratitudinem traducens, ad illos loquitur: non est mea voluntas in vobis, dicit Dominus. Et vide quàm luculenter, quámque dilucidè mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia: Thymiama verò purum appellat, sacras preces, quæ post hostiam offeruntur, &c. vides vt vbique locorum concessum est, Angelicum illud sacrificium inclarescere?

Augustinum subiiciam in orat. cont. Iudæos cap. 9. Aperite, inquit, oculos tandem aliquando, & vide- S. Aug.
te ab Oriente Sole, vsque ad Occidentem. Non in vno, sicut vobis fuerat constitutum, sed in omni loco offerri sacrificium Christianorum, non cuilibet Deo, sed ei qui ista prædixit, Deo Israël.

Nec prateribo Theodoretum in cap. 1. Malach. Victimas quas offertis, execror, quarum loco, vniuersum orbem terrarum, me summâ religione colentem habeo: nam omnes habitatores terrarum, quas Sol exoriens & occidens illustrat radiis, cùm incensum vbique offerent, tum etiam sacrum, purum, & mihi gratum conficient.

Esaias quoque cap. 19. 19. In die illa, erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini iuxta terminum eius. *Hebr. 13. 10.* Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt. *Act. 13. 2.* Ministrantibus, *in Græco sacrificantibus*, illis Domino & ieiunantibus, &c. *1. Cor. 16.* Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? &c. *Et versu 21.* Non potestis Calicem Domini bibere, & Calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. *Et quidem quod verum sit sacrificium Eucharisticum, in gratiarum actionem patet ex Matth. 26. 26.* Cœnantibus eis, accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite; hoc est corpus meum. Et accipiens Calicem, gratias egit: & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur, *Syr. effunditur. Vt idem sit incruentè fusus in Cœna Dominica, qui cruentè crucis in ara.* Ita & Marci. 14. 24. *Syr. pariter ponit, effunditur. & notanter & cum magna emphasi:* hoc est ipsum corpus meũ. *Luc. 22. 19.* Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicẽs: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & Calicem postquam cœnauit, dicens: hic est Calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. *Syr.* effunditur. *Similiter & 1. Cor. 11. 24. vbi Syr. versu 23.* Ego enim accepi à Domino nostro illud ipsum quod tradidi vobis, &c. *Et quid reum Dominici Corporis & Sanguinis diceret, quid tantam probationem offerentis & sumentis exigeret, si corpus & sanguis Christi operatorio Christi sermone verè non esset?*

Id omnes veteres Liturgiæ testantur. Prima quidem quæ Missa Apostolorum siue S. Petri refertur à Clemente Romano tam ep. 2. quàm lib. 8. constit. Apost. cap. 16. 17. & seq. vbi inter cætera: in primis, quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, &c. tua ex tuis offerimus venerandæ maiestati tuæ, de tuis donis & charismatibus, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, panem sanctam vitæ æternæ, & Calicem salutis perpetuæ. *Liturgia Ierosolym. à S. Iacobo Minore conscripta, & approbata à sexta Synodo generali, siue 3. Constantinop. can. 32.* O Deus respice in nos, & ad nostrum hoc rationabile obsequium intuere, idque aspice, vt Abel dona accepisti, Noë sacrificia, Mosis & Aaronis Sacerdotis, Samuelis pacifica, Dauidis pœnitentiam, Zachariæ incensum. *Liturgia S. Matthæi, linguâ Æthyopicâ & Latinâ conscripta, ducta à verbo* corbon *quod Hebræi dicunt:* Missach. *& nobis idem quod oblatio. Vbi inter cætera legitur:* quando Sacerdos offert Hostiam super altare. Domine Deus noster, qui suscepisti sacrificium Abel in deserto, & Noë in Arca, & Abrahæ in summitate montis, & Heliæ in monte Carmeli, & Dauid in area Iebusæi, & oblationem pauperculæ in templo sancto, sic oblationem meam, & omnium famulorum, famularumque tuarum offerentium in monte sancto tuo suscipe, & pro meis, & eorum peccatis sit redemptio. *Liturgia item Alexandriæ à sancto Marco præscripta:* purga cor nostrum ab omni inquinamento, vt corde puro, & purâ

A conscientiâ tibi hoc thymiama offeramus in odorem suauitatis, & in remissionem peccatorum nostrorum, & totius populi, &c. per quem offerimus rationabilem & incruentam oblationem, hanc quam offerunt tibi Domine omnes gentes ab ortu Solis vsque ad occasum, à Septentrione ad meridiem, quia magnum nomen tuum in omnibus gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini sancto tuo, & sacrificium, & oblatio. *Mediolanensis item primùm à S. Barnaba instituta, dehinc à sancto Ambrosio restituta. Cappadocum & Syriorum Basilio attributa:* offerimus tibi venerandum & incruentum sacrificium pro sanctis Ecclesiis quæ sunt ab vno extremo terræ vsque ad aliud. *Constantinopolitana*
B *quæ est Chrysostomi:* offerimus tibi cultum spiritualem & immaculatum & inuocamus, & suppliciter oramus, vt mittas super nos & super proposita dona Spiritum sanctum tuum, & fac hunc panem pretiosum corpus Iesu Christi filij tui, transmutans illum per Spiritum sanctum tuum.

Prioris æui Patres testes adduco veri sacrificii nostri. Clemens Rom. lib. 7 constit. Apost. cap. 23. Pro sacrificio, inquit, cruento, rationale & incruentum ac mysticum sacrificium instituit, quod in mortem Domini per Symbola Corporis & Sanguinis sui celebratur. *Et epist. 3. ad Iacobum fratrem Domini.* Non vtique missas sine Episcopi iussu quisquam Presbyterorum in sua parœcia agat, &c. quoniam in aliis locis sacrificare, & Missas celebrare non licet, nisi
C in his in quibus Episcopus proprius iusserit, aut ab Episcopo regulariter ordinato, tenente videlicet ciuitatem consecratus fuerit. Aliter enim non sunt hæc agenda, nec ritè celebranda, docente nos nouo & veteri Testamento. Hæc Apostoli à Domino acceperunt & tradiderunt.

Et quidem in Actis passionis S. Andreæ scriptis per Presbyteros & Diaconos Achaiæ. Omnipotenti Deo, qui vnus & verus est, ego omni die sacrifico, non thuris fumum, non taurorum mugientium carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum quotidie in altari sacrifico: cuius carnes posteaquam omnis populus credentium manducauerit, & eius
D sanguinem biberit, agnus qui sacrificatus est, integer perseuerat, & viuus. *Dionysius Areopagita in lib. Eccl. Hierarch. cap. 3. omnes penè Missæ cerimonias decurrit quas & prædicta Liturgia habent, orationes, circumaltare incensum, Psalmodiam, lectiones, ablutionem manuum, pacis donationem, eleuationem Hostiæ & adorationem eius, communionem & receptionem Sacramenti. Inter cætera his verbis:* itaque religiosè simul, & vt Pontificem decet, post sacras diuinorum operum laudes de sacrificio quod ipsius dignitatem superat, se purgat, dum primò ad eum clamat. Tu dixisti: hoc facite in meam commemorationem, &c. Pontifex perfecto precum sacro, ad Dei altare, cùm ab eo incendendi odores
E initium fecit, sacrum obit locum. Reuersus autem ad diuinam aram, sacros Psalmos canere incipit, canuntque cum eo omnes Ecclesiastici ordines. Deinde à ministris sanctorum librorum lectio ordine recitatur, &c. præcipui porrò atque selecti ordinis eius qui ministrat, cum Sacerdotibus, in diuino altari proponunt panem, benedictionisque Calicem, cùm antea Ecclesiastici omnes laudem hymnumque generalem Deo tribuerint: cum quibus Pontifex sacras preces rectè perficit, sanctamque pacem omnibus nuntiat, cùm omnes se inter se salutauerunt, mystica sanctorum recitatio fit. Cúmque manus aquâ abluerunt & Pontifex & Sacerdotes, Pontifex quidem in medio altari collocatur, circunstant autem eum soli cum Sacer-

dotibus ministri selecti. Pontifex laudatis sacris Dei operibus, ea quæ diuinissima sunt, ritè perficit, oculisque subiicit ea quæ propositis ritè signis laudata sunt. Donis diuinorum operum monstratis, ad sacram eorum communionem & venit ipse, & inuitat cæteros. Acceptâ datâque diuinâ communione, in sacram gratiarum actionem desinit.

Ignatius in Epist. ad Smirnenses citata à Theodoreto Dial. 3. Scribens contra hæresim Simonianorum & Saturnianorum: Eucharistias, inquit, & oblationes reiiciunt, quia negant Eucharistiam corpus esse Saluatoris qui passus est pro iniquitatibus nostris, & verè passus, & non putatiuè sicut & resurrexit. *Irenæus lib. 4. contra hæreses cap. 34. ex potentia Creatoris arguit Eucharistici sacrificij veritatem & panis & vini mutationem.* Quomodo, inquit, constabit eis, cum panem in quo gratiæ actæ sint, corpus esse Domini sui, & Calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant? *Et lib. 5. cap. 2. ex eiusdem sacrificij participatione infert carnis nostræ resurrectionem.* Quemadmodum, inquit, lignum vitis depositum in terra suo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram, & dissolutum, multiplex surgit per Spiritum Dei qui continet omnia, quæ deinde per sapientiam in vsum hominibus veniunt, & percipientia Verbum Dei, Eucharistia fiant, quod est Corpus, & Sanguis Christi: sic & nostra corpora ex ea nutrita, & reposita in terram, & resoluta in eam, resurgent in suo tempore; Verbo Dei resurrectionem eis donante, in gloriam Dei Patris, qui huic mortali immortalitatem circundat, & corruptibili incorruptelam gratuitò donat.

Cyrillus Ierosl. Catechesi 5. Mystag. Deum benignissimum oramus, vt super illa proposita S. Spiritum emittat, vt panem quidem faciat corpus Christi, vinum verò sanguinem Christi. Omnino enim quod attigerit Spiritus sanctus, hoc sanctificatur & transmutatur. Deinde verò postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis Hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis & afflictis, & in summa pro iis omnibus qui egent auxilio, &c.

Nazianzenus orat. 4. quæ est 2. in Iulianum: non iam in nostras sacras ædes prauos oculos iniicient, non iam aras à purissimo & incruento sacrificio nomen habentes scelesto sanguine contaminabunt, loca non adeunda, per impia altaria probro & dedecore afficient. *Et Orat. 19. funebri in laudem patris sui.* Cùm numquam non dolore premeretur, & quidem persæpè singulis diebus, atque interdum etiam horis, ex sola Liturgia robur concipiebat, ac morbus tanquam ex edicto, & imperio fugatus se subducebat.

Chrysost. orat. 24. in 1. Cor. Hic in eo quod est longè admirabilius & magnificentius, sacram constituit operationem, vt qui & ipsum mutarit sacrificium, & pro cæde brutorum seipsum offerri iussit. *Et lib. 6. de Sacerdotio.* Cùm ille & Spiritum sanctum inuocauerit, sacrificiumque illud horrore ac reuerentiâ plenissimum perfecerit, communi omnium Domino assiduè manibus pertractato, quæro ex te, quoto illum in ordine collocabimus? *Et homil. 2. mor. in 2. Tim.* Sacra ipsa oblatio, siue illam Petrus, siue illam Paulus, siue cuiusuis meriti Sacerdos offerat, eadem est quam dedit ipse Christus discipulis, quamque Sacerdotes modo quoque conficiunt.

Ex Latinis Patribus duos aut tres proferam ne multitudine Lectorem obruam. Ambr. ep. 33. ad sororem Marcellinam. Ego, inquit, mansi in munere; Missam facere cœpi, dum offero, raptum agnoui à populo Castulum quendam, &c. amarissimè flere, & orare in ipsa oblatione Deum cœpi vt subueniret. *Et in Psal. 38.* Vidimus principem Sacerdotum ad nos venientem, vidimus, & audiuimus offerentem pro nobis sanguinem suum. Sequamur vt possumus Sacerdotes, vt offeramus pro populo sacrificium, etsi infirmi merito, tamen honorabiles Sacerdotio: quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur. Immò ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium quod offertur. *Rursum libro 4. de Sacram. cap. 6.* Offerimus tibi hanc immaculatam Hostiam, rationabilem Hostiam, incruentam Hostiam, hunc panem sanctum, & Calicem vitæ æternæ.

Hiero. cont. Vigilant. cap. 3. cont. Pelagianos cap. 5. Sic docuit Christus Apostolos suos, qui quotidie in corporis illius sacrificio, credentes audeant loqui, Pater noster qui es in cœlis. *Et epist. 150. ad Hedibiam. q. 11.* Dominus dedit nobis panem verum, ipse conuiua, & conuiuium, ipse comedens, & qui comeditur. Illius bibimus sanguinem, & sine ipso potare non possumus. Et quotidie in sacrificiis eius, de genimine vitis veræ rubentia musta calcamus.

Augustinus agmen claudet Patrum, qui sæpè mentionem facit sacrificij corporis & sanguinis Christi lib. 9. Confess. cap. 12 & 13. Et lib. de hæresibus hæresi 53. quæ alibi retulimus, cùm ageremus de oblationibus pro defunctis. Lib. autem 10. de Ciuit. c. 20. Verus, inquit, ille verus mediator, in quantùm formam serui accipiens, mediator effectus est Dei & hominum homo Christus Iesus, cùm in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo & vnus Deus est: tamen in forma serui, sacrificium maluit esse, quàm sumere; ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturæ. Per hoc & Sacerdos est ipse offerens, ipse & oblatio. Cuius rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium; quæ cùm ipsius capitis corpus sit, seipsam per ipsum dicit offerre. Huius sacrificij multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum, cùm ob hoc vnum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res vna diceretur, vt sine fastidio multum commendaretur. Huic veroque sacrificio, cuncta sacrificia falsa cesserunt. *Et lib. 22. de Ciuit. cap. 8. vbi de infestatione malignorum spirituum abacta Missæ sacrificio.* Vir, inquit, tribunitius Hesperitius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Zubedi appellatum, vbi cùm afflictione animalium & seruorum suorum domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogauit nostros me absente Presbyteros vt aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantùm potuit vt cessaret illa vexatio; Deo protinus miserante cessauit. *Tandem lib. 20. cont. Faustum cap. 21.* Nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificamus, quamuis in memorias Martyrum constituamus altaria. Quis enim Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: offerimus tibi Petre aut Paule, aut Cypriane? sed quod offertur, offertur Deo qui Martyres coronauit, &c. quod frequentissimè facimus illo duntaxat ritu, quo sibi sacrificari, noui Testamenti manifestatione præcepit. *Cyrillus Alex. in Concilio Oecumenico Ephesino sub Celestino primo,*

pro eo præsident sic fatur. Nos operamur in Ecclesiis A sanctum, viuificum, & incruentum sacrificium. Nec credimus corpus quod ibi ante nos ponitur corpus esse commune vel vt alterius hominis vt nec sanguinem sed verumq; sumimus tanquam factum corpus & sanguinem Verbi quod viuificat omnia.

Salutatio in via vtraque lege vetita, ne mora fiat operi diuino. 4 cont. Marc. cap. 24. à p.

[a] Neminem, inquit, *per viam salutaueritis.* O Christum destructorem Prophetarum, à quibus hoc quoque accepit: Helisæus, quum Giezin puerum suum mitteret in viam ad filium Sunamitidis resuscitandum de morte, puto sic ei præcepit; [b] *Accinge lumbos tuos, & sume bacillum meum in manum, & vade: quemcunque conueneris in via, ne benedixeris eum*; id est, *ne salutaueris: & qui te benedixerit, ne respondeas ei, id est, ne resalutaueris.* Quæ est enim inter vias benedictio, nisi ex occursu mutua salutatio? a Luc. 10. 4. b 4. Reg. 4. 28.

SANCTORVM MORS PRETIOSA.

V. Verbum, mors. Num. 15. 16. 17.

SALVTATIO. SCHOL.

O CHRISTVM DESTRVCTOREM. *Ironicè dictum contra Marcionem iactantem Christum Dei sui venisse vt legem & Prophetas Dei Creatoris destrueret; cum per omnia illorum verba & facta impleat, cuius exemplum refert ex eo quod Christus mittens discipulos suos ad gentes instruendas, eos quemquam per viam salutare prohibuit, in quo & Helisæum secutus est 4. Reg. 4. 28.* Tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum: & si salutauerit te quispiam non respondeas illi. 70. *verò*, Accinge lumbum tuum, & sume baculum meum in manu tua, & vade. Quemcumque inueneris virum, non benedices eum: & si benedixerit vir, non respondebis ei: & impones baculum meum super faciem pueri. *In quantùm autem sit prohibita per viam salutatio discipulis, præclarè disserit Augustinus ser. 42. de Sanctis, qui primus est de Apostolis.* Quid, inquit, tibi videtur? itane placet vt iter agentes occurramus charis nostris, & eos non salutemus maiores, *honore, vt decet, præuenientes:* non resalutemus minores? iamne Euangelium imples, quia salutaris & taces? hic verò non viatori iter agenti, sed milliario, *id est Mercurio vel termino muto & immobili iter digito ostendenti*, similis erit iter ostendenti. Ergo stoliditatem deponamus, & verba Domini intelligamus, & in via neminem salutemus. Non enim sine causa hoc iubemur, aut nollet nos facere. Quid ergo est, neminem salutetis in via? potest quidem & simpliciter sic accipi; quia iussit nos festinanter agere iniuncta, & hoc ita dixit, neminem per viam salutaueritis, tanquam diceret, omnia prætermittatis, dum quod iniunctum est, peragatis: ea locutione quâ solent dicta exaggerari consuetudine sermocinandi, &c. Ita currite, sic agite quod iniunxi, vt ne minimum quidem vos retardent agentes, sed omnia contemnentes, ad finem propositum festinate. Sed est aliud quod hîc magis recogitem non dissimile intelligere, quod plus pertinet ad me, & ad omnes dispensatores, sed & ad vos auditores. Qui salutat, salutem dicit. *Quod & infrà repetit feria 3. Paschæ* nam & antiqui in epistolis suis sic scribebant, ille illi salutem. Salutatio a salute nomen accepit. Quid ergo est, neminem in via salutaueritis? qui salutant in via, per occasionem salutant, &c. non ad eum ibat quem salutat. Aliud agebat, aliud occurrit: aliud petebat, aliud transuersò, quod ageret, inuenit. Quid est ergo per occasionem salutare? per occasionem salutem annuntiare. Quid est autem aliud salutem annuntiare, quàm Euangelium prædicare? Si ergo prædicas, hoc age per dilectionem, non per occasionem. Sunt ergo homines qui sua quærentes, non aliud prædicant Euangelium *falsum vel hæreticum, sed verum & sincerum, sed non animo ca-* B *sto.* De quibus Apostolus gemens dicit, omnes enim sua quærunt, non quæ Iesu Christi. Et hi salutabant, hoc est, salutem annuntiabant, Euangelium prædicabant; sed aliud quærebant, & ideo per occasionem salutabant, &c. Si talis fueris, non facis, sed fit de te. Nam & tales admisit Apostolus, &c. Quid enim? dum omnimodo siue occasione, siue veritate Christus annuntietur, & in hoc gaudeo, &c. Quid quærat annuntiator ne cures; quod annuntiat, tenere velis. *De Helisæo autem sermone de eo inscripto, qui est 206. de temp. circa f.* Hoc loco, fratres, videte ne alicui surrepat impia cogitatio, & dicat, quòd augurium B. Helisæus obseruare voluerit, & ideo iusserit puero suo, vt salutantem se in C via non resalutaret. Frequenter hoc in scripturis legimus: sed pro celeritate est dictum, non pro aliqua sacrilega obseruatione præceptum. Ac si diceret, ita velociter ambula, vt nullis fabulis, in via occupari, aut retardari præsumas. *Et quamuis extrà rem Tertulliani, ratione tamen mysterij eximij quod subiicit, prosequar.* Abiit, inquit, puer, & misit baculum super faciem pueri, & penitus non surrexit. Puer iste, *id est famulus Helisæi*, typum habuit B. Moysi: Misit enim eum Deus cum baculo in Ægyptum: sed baculus sine Christo flagellare Ægyptum potuit, de originali verò, vel actuali peccato liberare, vel resuscitare non potuit. Nihil enim dicente Apostolo, ad perfectum adduxit lex. Opus erat, vt qui D baculum miserat, ipse descenderet, baculus sine Helisæo nihil valebat, quia crux sine Christo nihil poterat. Venit ergo B. Helisæus, & ascendit in cœnaculum; quia venturus erat Christus, & ascensurus crucis patibulum. Inclinauit se Helisæus, vt puerum resuscitaret; humiliauit se Christus, vt mundum in peccatis iacentem erigeret. Misit Helisæus oculos super oculos, manus super manus. Videte fratres quantùm se vir ille perfectæ ætatis contraxit, vt paruulo mortuo & iacenti congrueret. Quod enim Hælisæus in puero præfigurauit, hoc in toto genere humano Christus impleuit. Audi Apostolum dicentem, humiliauit semetipsum, &c. quia paruuli eramus, paruulum se fecit: quia mortui iacebamus, pius se Medicus inclinauit. E Quia & reuera, fratres, nemo potest iacentem erigere, si se noluerit inclinare. Quod autem puer oscitauit septies, septiformis gratia Sancti Spiritus ostenditur, quæ humano generi, vt resuscitetur in Aduentu Christi, tribuitur, &c. Ipsum etiam Spiritum Dominus dedit discipulis, quando insufflauit & dixit: Accipite Spiritum sanctum. Os enim quodammodo super os posuit, quando insufflando spiritum dedit.

S. Aug. (margin notes beside the passages from Augustine, three times)

SANGVIS HVMANVS.

1. *Sanguinis pabulo Gentiles fœdera inibant. Apol. cap. 9. circa m.*

DE sanguinis pabulo, & eiusmodi tragicis ferculis legite necubi relatum sit (est apud Herodotum, opinor) defusum brachiis sanguinem ex alterutro degustatum nationes quasdam federi comparasse. nescio quid & sub Catilina tale degustatum est. aiunt & apud quosdam gentiles Scytharum defunctum quemque à suis comedi. Longè excurro. Hodie istic Bellonæ sacratus sanguis de femore proscisso in palmulam exceptus eius datus signat.

2. *Sanguinis humani, tam impij quàm innocentis, dij gentium auidi. Apol. cap. 9. à p.*

MAior ætas apud Gallos Mercurio prosecabatur. Remitto Tauricas fabulas theatris suis. Ecce in illa religiosissima vrbe Æneadarum piorum est Iupiter quidam, quem ludis suis humano proluunt sanguine. Sed bestiarij, inquitis. Hoc opinor minùs, quàm hominis. an hoc turpius, quod mali hominis? certè tamen de homicidio funditur. ô Iouem Christianum, & solum patris filium de crudelitate. Sed quoniam de infanticidio nihil interest, sacro, an arbitrio perpetretur, licet de parricidio intersit, conuertar ad populum. Quot vultis ex his circunstantibus, & in Christianorum sanguinem hiantibus, ex ipsis etiam vobis iustissimis & seuerissimis in nos præsidibus apud conscientias pulsem, qui natos sibi liberos enecent? Siquidem & de genere necis differt, vtique crudelius in aqua spiritum extorquetis, aut frigori, & fami, & canibus exponitis. ferro enim mori ætas quoque maior optauerit.

3. *Sanguis humanus comitiali morbo medetur. Ibid. circa m.*

ITem illi, qui munere in arena noxiorum iugulatorum sanguinem recentem auida siti comitiali morbo medentes auferunt, vbi sunt? *Et lib. 1. ad nat. cap. 15.*

SANGVIS HVMANVS. 1. 2. 3. SCHOL.

DE SANGVINIS PABVLO. *Retorquet in Gentiles quod ipsi in Christianos calumniabantur de infanticidio, & carnis humanæ, vel sanguinis esu, & ad fercula tragica ipsorum carpenda conuertitur, qui humani sanguinis erant auidi: siue eum in fœderibus conciliandis, siue in morbis curandis, siue Diis placandis, siue ferculis sumendis effusum impenderent.* NECVBI. *Ne fortè alicubi, id retulit Herodotus.* DEFVSVM. *Alij legunt,* diffusum. APVD HERODOTVM. *Non reperi apud illum; & ex alicuius manuscripti margine irrepsit in textum. Licet enim Plinius lib. 7. cap. 2. referat Scythas vesci humanis corporibus, nullam tamen facit Herodoti mentionem. Sed nec ipse Scotthus in obseruat. lib. 3. cap. 10. Et Lipsius lib. 12. Annal. Taciti, citantes hunc locum Tertulliani; Tacitus autem lib. 12. Annal. non tacuit hunc fœderis sanciendi morem.* Mos est, inquit, Regibus, quoties in societatem coëant, implicare dexteras, pollicesque inter se vincire, nodoque perstringere. Mox vbi sanguis in artus extremos se effuderit, leui ictu cruorem eliciunt, atque inuicem lambunt, id fœdus arcanum habetur, quasi mutuo cruore sacratum. *Et Toxaris apud Lucianum:* simulatque incisis digitis sanguinem in calicem distillauerimus, summisque, aut intinctis gladiis ambo pariter admouentes biberimus, non est quidquam quod deinde nos queat dirimere. SVB CATILINA. *Minutius Felix, vbi de Saturno* ipsum, inquit, credo docuisse sanguinis fœdere coniurare Catilinam. *De quo Salustius:* fuere, inquit, eâ tempestate qui dicerent Catilinam oratione habitâ, cùm ad iusiurandum populares sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse; inde cùm post execrationem omnes degustassent, aperuisse consilium suum; atque eo dictitare fecisse, quo inter se fidi magis forent, alius alij tanti facinoris conscij. GENTILES SCYTHARVM. *Lucianus de amicitia,* patres suos, inquit, defunctos deuorant. BELLONÆ

A SACRATVS. *Sacerdos Deæ Belli. Lactantius lib. 1. cap. 21. de eius Sacerdotibus loquens:* ipsi Sacerdotes, inquit, non alieno, sed proprio cruore sacrificant. Sectis namque humeris, & vtraq; manu, districtos gladios exerentes, efferuntur, insaniunt. SIGNAT. *Consecrat.*

2. MAIOR ÆTAS. *Non tam infantilis, sed prouecta, discindebatur olim apud Gallos in honorem Mercurij. Minutius:* Mercurio, *inquit*, Gallos humanas vel inhumanas victimas cædere. *Quòd si malis intelligere castratos, habes Cyprianum.* euirantur, inquit, mares, omnis honor & vigor sexus euirati corporis dedecore emollitur, plusq; illic placet, quisquis magis virũ in fœminam fregerit. REMITTO, *prætermitto.* TAVRICAS FABVLAS. *Scythiæ populos. De quibus Lact. lib. 1. cap. 21.* Erat lex apud Tauros, inhumanam & feram Gen-
B tem, vti Dianæ, hospites immolarentur: & id sacrificium multis temporibus celebratum est. FABVLAS THEATRIS. *Quia veras historias tantæ crudelitatis, repræsentabant in theatro.* VRBE ÆNEADARVM. *Româ.* IVPITER QVIDAM. *Dictus Romæ Latiaris. De quo Athanasius in Orat. cont. Gentiles:* Prisci, inquit, quoque Latini Iouem Latiarium cædibus venerati sunt. BESTIARII. *Damnati ad bestias.* O IOVEM CHRISTIANVM. *Pulchrè exclamat contra Gentiles exprobrantes Christianis infanticidia iussa ab ipsorum Deo; quasi Gentilium Iupiter hoc ipso possit Christianus dici, quòd Deum Christianorum imitetur.* PATRIS FILIVM. *Saturni scilicet; cuius crudelitatem imitatur, qui proprios filios deuorare dicitur. Vnde Minutius Felix:* hodie, inquit, à
C Romanis Latiaris Iupiter homicidio colitur, & quod Saturni filio dignum est, mali & noxij hominis sanguine saginatur. SACRO AN ARBITRIO, *vel Deo aliquo exigente, vel sponte commisso.* LICET DE PARRICIDIO INTERSIT, *grauius enim est facinus, Patrem filios iugulare, quàm simplex homicidium perpetrare, quod & torquet in plerosque Gentiles, suffocantes filios natos, in aquis, &c.* FERRO MORI. *In bello, vel iusta defensione.*

3. MVNERE, *eius scilicet, qui spectaculum exhibebat populo.* COMITIALI MORBO. *Plinius id quoque sensit huic morbo remedium. Libro. 28. c. 1.* Sanguinem quoque gladiatorum bibunt, vt viuentibus poculis *propter calentem adhuc sanguinem & viuidum*, comitiales morbi. *Id est morbidi.* Quod spectare facientes in eadem arena feras quoque horror est. At Hercule illi ex homine ipso sorberi efficacissimum putant calidum spirantemque, & vna ipsam animam ex osculo vulnerum; cùm plagis, ne ferarum quidem, admoueri ora fas sit humana. *De sacrificio humano sanguinis non prorsus siluit Augustinus. lib. 7. de Ciuit. cap. 19. Vbi de Saturno; iuxta Varronem.* Ideo, inquit, dicit, à quibusdam pueros ei solitos immolari; sicut à Pœnis: *Carthaginensibus*, & à quibusdam etiam maiores; sicut à Gallis, quia omnium seminum, *quæ sacra erant Saturno satorum Deo*, optimum est genus humanum. *Meliùs tamen Cæsar. lib. 6. de bello Gallico, inter Gallorum Deos Saturnum non recenset. Sed præ cæteris Mercurium à Gallis cultum fuisse testatur; cui dicit ipsos solitos* pro victimis homines immolare, aut se immolandos vouere. *Vt vt sit de prophanis istis sacrificiis & fœderibus; Christus suum sanguinem in fœdus æternum, in comitialis morbi, & casus lethalis, & mortis animæ & corporis remedium protulit; eumque primò suis Apostolis, deinde toti Ecclesiæ in poculum simul & lauacrum obtulit; Patri se offerens sacrificium perfectum; id à suis confœderatis exigens, vt vsque ad sanguinem, uti fecere martyres calicem eius accipientes, pro eius causa certemus. De quo sic Augustinus. lib. 10. de Ciuit. cap. 6.* Profectò, inquit, efficitur, vt tota ipsa redempta ciuitas, hoc est congregatio societasque Sanctorum, vniuersale Sacrificium offeratur Deo per Sacerdotem magnum, qui etiam seipsum obtulit in passione pro nobis, vt tanti capitis corpus essemus; secundùm formam serui; hanc enim obtulit, in hac oblatus est, quia secundùm hanc mediator est; in hac Sacerdos, in hac Sacrificium est. &c. Hoc est sacrificium Christianorum: multi vnum corpus sumus in Christo: quod etiam Sacramento altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia; vbi eidem demonstratur, quòd in ea oblatione quam offert, ipsa offeratur. *Expressiùs autem de sanguine testamenti, quo debitum omne & delictum solutum est. to. 3. lib. 13. de Trin. cap. 15.* Sanguis ille, inquit, quoniam eius erat, qui nullum habuit omnino peccatum, ad remissionem nostrorum fusus est peccatorum: vt quia eos diabolus meritò tenebat, quos peccati reos conditione mortis obstrinxit, hos per eum meritò dimitteret, quem nullius peccati reum immeritò pœna mortis affecit. &c. In hac redemptione, tanquam pretium pro nobis datus est sanguis Christi, quo accepto, diabolus non ditatus est, sed ligatus: vt nos ab eius nexibus solueremur; nec quemquam secum eorum quos Christus ab omni debito liber, indebitè fuso suo Sanguine redemisset, peccatorum nexibus inuolutum traheret ad secundæ ac sempiternæ mortis exitium. *Fœdus porrò cum eo initum belli contra diabolum, & pacis cum Deo fuit, vt quotquot saluandi forent & vitam æternam accepturi, ipsius sanguinem oblatum in pretium, redempti omnes sumerent in poculum. Vnde & ipsos infantes primis sæculis, & adhuc tempore Augustini, Christi carnem & sanguinem sumpsisse sit certum. Adeò vt sicut diabolus sub Saturni vel Mercurii nomine, non tantùm maiorem ætatem, sed & minorem sibi immolari iubebat, totius humani sanguinis auidus; sic Christus humana sitiens salutis, non tantùm pro maiore, sed & minore ætate concilianda Patri, sanguinem suum fuderit, & ab vtraque fusum bibere voluerit. Ita Augustinus. lib. 1. de pec. meritis, cap. 20. vbi refert illud Ioannis 6.* Nisi manducaueritis carnem filij hominis &c. An quisquam, inquit, etiam dicere audebit, quod ad paruulos hæc sententia non perueniat, possintque sine participatione corporis huius & sanguinis, in se habere vitam; quia non ait, qui non manducauerit; sicut de baptismo, qui non renatus fuerit: sed ait, si non manducaueritis; velut eos alloquens, qui audire & intelligere poterant quod vtique non valent paruuli? sed qui hoc dicit, non attendit, quia nisi omnes ista sententia teneat, vt sine corpore & sanguine filij hominis vitam habere non possint; frustrà etiam ÆTAS MAIOR id curat. Potest enim, si non voluntatem, sed verba loquentis attendat, eis solis videri dictum, quibus tunc Dominus loquebatur; quia non ait, qui non manducauerit; sed si non manducaueritis. Et vbi est quod eodem loco de hac ipsa re ait, panis quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita? secundùm hoc enim etiam ad nos pertinere illud Sacramentum intelligimus, qui tunc nondum fuimus, quando ista dicebat; quia non possumus dicere, ad sæculum nos non pertinere, pro cuius vita Christus suam carnem dedit. &c. Ac per hoc etiam pro paruulorum vita caro data est, quæ data est pro sæculi vita, etsi non manducauerint carnem filij hominis nec ipsi habebunt vitam. *Et cap. 24.* Optimè, inquit, Punici Christiani baptismum ipsum nihil aliud quàm salutem, & Sacramentum Corporis Christi, nihil aliud quàm vitam vocant; Vnde, nisi ex antiqua, vt existimo, & Apostolica traditione, quà Ecclesiæ Christi insitum tenent, præter Baptismum & participationem Dominicæ mensæ, non solùm non ad regnum Dei, sed nec ad salutem, & vitam æternam posse quemquam hominem peruenire? hoc enim & scriptura testatur; nam quid aliud tenent qui Baptismum nomine salutis appellant, nisi quod dictum est, saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis; & quod Petrus ait, sic & vos simili formâ, saluos facit baptisma. Quid aliud etiam qui Sacramentum mensæ Dominicæ vitam vocant, nisi quod dictum est ego sum panis vitæ. &c. Et panis quem ego dedero. &c. Si non manducaueritis &c. Si ergo, vt tot & tanta diuina testimonia concinunt; nec salus, nec vita æterna sine Baptismo, & Corpore & Sanguine Domini cuiquam speranda est; frustrà sine his, promittitur paruulis. Porrò si a salute ac vita æterna hominem nisi peccata non separant; per hæc Sacramenta, non nisi peccati reatus in paruulis soluitur, de quo reatu scriptum est, neminem esse mundum, nec si vnius diei fuerit vita eius. &c. Non itaque dubitemus etiam pro infantibus baptizatis sanguinem fusum, qui priusquam funderetur, sic in Sacramento datus, & commendatus est, vt diceretur, hic est sanguis meus. &c. *quo sensu sumenda sint hæc. V. to. 1. p. 2.*

Et libro. 1. ad nat. cap. 15. LITAMVS. *Liturgiam de infantibus immolatis offerimus.* INITIAMVR. *per infanticidia Christianæ disciplinæ mysteriis imbuimur & consecramur.* NON ALITER VOS. *Non minùs infanticidæ habendi estis.* NON RITV, *sicut nos creditis in ritibus nostris in Dei saltem nostri honorem infantes immolare, quos vos tot periculis exponitis.* AMICITE, *adijcite.* DICIMVR, *supple Antropophagi, vel crudeles* ILLA IMPVDICA EST. *Vos non tantùm crudeles, sed & voluptuosi, qui ideo vestros infantes vel enecatis, vel exponitis, vt statim mulier vacans ab onere nutricis, liberiùs indulgeat libidini.* CONIVNGIMVR. *Dicitis enim & nos infanticidiis incestus miscere in tenebris.* FVTVRVM SANGVINEM. *Prematurè præfocando, abortum procurando, semen dissoluendo.*

SATISFACTIO.

1. *Satisfactio pars pœnitentiæ pœnalis, communis baptizato & cathecumeno; Confessio autem discreta: illorum enim publica, horum secreta. V. Verbum confessio. num. 6.*

2. *Satisfactio & pœnitentia pro peccatis, in deliciis vestium & ciborum fieri non debet. De pœnit. cap. 11. in. p.*

QVid, si præter pudorem, quem potiorem putant, etiam incommoda corporis reformident, quòd inlotos, quòd sordulentos, quòd extra lætitiam oportet deuersari, in asperitudine sacci, & horrore cineris, & oris de ieiunio vanitate? Num ergo in coccino, & Tyrio pro delictis supplicare nos condecet. Cedo acum crinibus distinguendis, & puluerem dentib. elimandis, & bisulcum aliquid ferri vel æris vnguibus repastinandis: si quid ficti nitoris, si quid coacti ruboris, in labia aut genas vrgeat: prætereа, exquirito balneas lætiores hortulani maritimiue secessus: adjicito ad sumptum: conquirito altilium enormem saginam, defæcato senectutem vini: cùmque quis interrogarit, cuinam ea largiaris? Deliqui dicito in Deum, & periclitor in æternum perire: itáque nunc pendeo, & macеror, & excrucior, vt Deum reconciliem mihi quem delinquendo læsi.

3. *Satisfactio, facienda in ijsdem in quibus peccauimus. De pœnit. cap. 9. V. pœnitentia. 6.*

4. *Ad satisfactionem inducit æternitas pœnæ, & gloriæ. V. Verbum. Æternitas. num. 5.*

5. *Satisfactio exigit, vt qui peruertit Animas, eas reducat, vt iussum est Marcioni. De præscr. cap. 30. à ſ. V. Verbum Marcion. vlt.*

SATISFACTIO 2. SCHOL.

PRÆTER PVDOREM *subeundum in confessione peccati, vel in publica & externa pœnitentia; cuius habitus, in sacco. & cinere, cæterisque actibus, quibus conscientia graui peccato onerata, foris manifestatur,* INLOTOS. *Illotos, & sordidos.* DEVERSARI. *In secessu, & exilio quodam omnis lætitiæ versari in solitudine.* DE IEIVNIO. *Propter ieiunium.* CEDO ACVM. *Ironicè. Insultat vanitati mulierum; & ego, inquit, tibi do acum distinguendis & discriminandis crinibus; & puluerem pretiosum dentibus expoliendis, & odore suaui perfundendis.* BISVLCVM REPASTINANDIS, *scalpellum, in duas cuspides bipartitum, ad instar repastina instrumenti agriculturæ, quo fodias, & refodias, & purges vngues.* COACTI RVBORIS. *Purpurissi, & fuci, quo genæ & labia tincta turgeant, emineant speciosius, & ad libidinem vrgeant.* BALNEAS, *pro sordibus cineris eluendis, vel in horto, vel in maritimo recessu gratiores.* ENORMEM SAGINAM. *Absque mensura sumptus, vt carnem tuam lautiùs impingues. Vinum item vetus à fæce omni expurga, & colatissimum bibe.* CVINAM EA LARGIARIS. *alij legunt:* Cur animæ largiaris. *Cur indulgeas vitæ, & ventri tot delicias. Responde te* B *versari in periculo æternæ damnationis, propter enormitatem peccatorum in Deum; cuius vt satisfacias iræ & iustæ vindictæ, & Christo pro te passo te conformes, sic carnem tuam in equuleo mortificationis, & pœnitentiæ cruce vexare. Certè tota vita in sacco & cinere, ieiunio, lacrymis, pro vno peccato lethali agere debemus pœnitentiam, & singula membra huic salutari sacrificio immolare; vestes pretiosas exuere. &c. Pudeat hîc proferre prophani verba. Liuius. lib. 34.* Quid, inquit, aliud in luctu, quam purpuram aut aurum deponunt? Quòd cùm eluxerunt, sumunt. *Saluianus describit habitum Dauid pœnitentis, libro. 2. de gubernatione.* Agnoscit scilicet reus culpam, humiliatur, compungitur, confitetur, luget, pœnitet. Gemmas Regias abdicat, crepantia auro textili indumenta deponit, purpurâ exuitur, diademate exhonoratur, cultu & corde mutatur: totum Regem cum ornatibus suis abijcit, prouidum pœnitentem cum patrocinio ambitiosi squaloris A assumit: Ieiunio absumitur, ariditate siccatur, *hoc est Xerophagiis, crudis & aridis escis,* fletu effunditur, solitudine carceratur. *Et lib. 4.* Gemens, clausus, sacco squalidus, fletu madidus, cinere sordidatus. *Ita Cyp. de lapsis:* agite inquit pœnitentiam plenam, dolentis ac lamentantis animæ probate mœstitiam. *Post peccatum, Deo satisfaciendum esse in laboriosa pœnitentia, nec viuendum esse in deliciis, docuit Deus, cùm hominem pelle incultâ vestiuit, & eiectum paradisi deliciis, terræ maledictæ, spinas & tribulos germinaturæ, excolendæ addixit, idque toto vitæ tempore. De quo pulchrè sic Augustinus. to. 7. lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 34.* Statuit, inquit, Deus, vt post eius peccatum propagata caro peccati, ad recipiendam iustitiam, laboribus & molestiis niteretur. Propter hoc etiam de paradiso eiectus Adam, contra Eden habitauit; *Ex aduerso, & loco prorsus contrario, arido, inculto, & squalenti solo,* id est contra sedem deliciarum: vt significaret, quòd in laboribus, qui sunt deliciis contrarij, erudienda esset caro peccati; quæ in deliciis obedientiam non seruauit, antequam esset caro peccati. Sicut ergo illi primi homines postea iustè viuendo, vnde meritò creduntur per Domini sanguinem ab extremo supplicio liberati, non tamen in illa vita meruerunt ad paradisum reuocari: sic & caro peccati, etiam si remissis peccatis homo in ea iustè vixerit, non continuò meretur eam mortem non perpeti, quam traxit de propagine peccati. *Subijcit exemplum Dauid etiam post confessionem & veniam, pro peccato satisfacientis. De pœna porrò tota vita pro peccato etiam originali in baptismo remisso, subeunda. tract. 124. in caput 21. Io.* Productior, inquit, est pœna, quam culpa; ne parua putaretur culpa, si cum illa finiretur, & pœna. Ac per hoc, vel ad demonstrationem debitæ miseriæ; vel ad emendationem labilis vitæ; vel ad exercitationem necessariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem iam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa. Hæc est istorum dierum quos in hac mortalitate agimus malos, quamuis in

S. Aug.

ea diligamus videre dies bonos, flenda quidem, sed non reprehendenda conditio. Venit enim de ira Dei iusta; De qua scriptura loquens, homo, inquit, natus de muliere, breuis vitæ, & plenus iræ. Cùm ira Dei non sit, vt hominis, id est perturbatio concitati animi, sed tranquilla iusti supplicij constitutio. *Præter labores autem & tentationes huius vitæ, quas iustè à nobis exigit Deus in satisfactionem peccatorum; opera præterea satisfactoris subeunda sunt nobis, ex castigatione vel imposita à Confessore, vel voluntariè suscipienda. Ita idem Aug. hom. 50. de pœnitentiæ vtilitate & necessitate*: Non, inquit, ea dimitti
S. Aug. precamur, quæ iam in baptismo dimissa sunt, & nisi dimissa credimus, de ipsa fide dubitamus: sed vtique de quotidianis peccatis hoc dicimus: *scilicet dimitte nobis debita nostra: &c.* Pro quibus etiam sacrificia eleemosynarum, ieiuniorum, & ipsarum orationum ac supplicationum quisque pro viribus suis offerre non cessat. Quisquis itaque se diligenter attendens, nullâ seipsum adulatione seducit, satis intelligit, cum quanto periculo mortis æternæ. *Ita supra Tertull. delinquo, dicito, in Deum, & periclitor in æternum perire.* Et cum quanta penuria perfectæ iustitiæ peregrinetur à Domino, quamuis iam in Christo, hoc est in via constitutus, redire conetur. *Aberrauimus per delectamenta, redeamus per lamenta. Et rursum ibidem.* Quisquis hoc tempore per merita obedientiæ, & satisfactionem pœnitentiæ non sibi prouidit locum in corpore Sacerdotis, *de cuius capite sic Bernardus: pudeat sub spinoso capite membrum videre delicatum: de cuius membris Paulus: qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt, cum vitiis & concupiscentiis suis*; quâ fronte impudentiæ, tunc volet auerti faciem Dei à peccatis suis, qui nunc toto corde non dicit, *exul voluntarius à paradiso deliciarum contra Edem positus*, quoniam facinus meum ego agnosco, & peccatum meum ante me est semper? Quo pacto quæso Deus dignetur ignoscere, quod in seipso homo dedignatus est agnoscere? *Et iterum ibid.* Quisquis, inquit, post baptismum, aliquorum pristinorum
S. Aug. malorum opere obligatus tenetur, vsque adeo sibi inimicus est vt adhuc dubitet vitam mutare dum tempus est, cùm ita peccat & viuit. &c. Thesaurizat sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij, &c. Iudicet ergo seipsum homo in istis, voluntate, dum potest, & mores conuertat in melius; ne cùm

A iam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino iudicetur. Et cùm in se protulerit seuerissimæ medicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claues ministrantur; & tanquam bonus incipiens iam esse filius maternorum membrorum, ordine custodito, à præpositis sacrorum accipiat satisfactionis suæ modum, vt in offerendo sacrificio cordis contribulati deuotus & supplex, id tamen agat, quod non solùm illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum. *Satisfactionem non infimam pœnitentiæ partem, sed commendatissimam habuit S. Ambrosius lib. 2. de pœnit. cap.* 10. Illa, inquit, mulier, *Babylon Apocalypsis* 17. quæ cùm esset in peccatis, & deberet flere, gaudebat, & veste purpureâ atque coccineâ operiebatur, & auro se multo, & pretiosis lapidibus ornabat, æterni fletus nunc luget ærumnam. *Et lib. 1. cap. 7.*
B *Vbi contra Nouatianos, remissionem quidem in baptismo concedentes, sed pœnitentia lauacrum negantes*: quid ergo inquit? vbi vultis, vendicatis vobis Dei gratiam, vbi vultis repudiatis? Sed hoc insolentis arrogantiæ, non sancti timoris est: vt fastidio vobis sint qui volunt agere pœnitentiam. Perpeti videlicet flentium lacrymas non potestis. Non ferunt oculi vestri vilia vestimentorum, illuuiem sordidatorũ, superbo oculo, & tumido corde delicati mei, arroganti voce dicentes singuli: noli me tangere, quia mundus sum Esa. 65. dixit quidem Dominus ad Mariam Magdalenam: noli me tangere: sed non dixit, quia mundus sum, qui mundus erat. Tu audes Nouatiane te dicere, qui & si operibus mundus esses, hoc solo verbo fieres immundus. *Idem ad virginem lapsam*
C *cap.* 8. Lugubris tibi accipienda est vestis, & mens ac membra singula dignâ castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt. Defluant oculis lacrymæ, qui masculum non simpliciter aspexerunt. Pallescat facies quæ quondam viruit impudicè. Denique totum corpus iniuriis, & ieiuniis maceretur, cinere aspersum, & opertum cilicio perhorrescat: quia malè sibi de pulchritudine placuit. Cor verò sit liquescens sicut cera, ieiuniis inquietans seipsum, & cogitationibus ventilans, quare sit ab inimico subuersum. Sensus etiam crucietur, quia in membra corporis cùm haberet dominationem, malo cessit imperio. &c.

SATVRNVS.

Saturnus Deorum primus, homo fuisse conuincitur, nummi signator & Ærarij præses. Apol. cap. 10. *V. Verbum. Dij Gentium num.* 3.

SCANDALVM.

1. *Scandalum quid sit: & non de bono, verbi gratiâ velatæ virginis, sed de malo sumendum. De vel. virg. cap.* 3. *à p.*

AMbiunt virgines hominum aduersus virgines Dei, nudâ planè fronte in temerariam audaciam excitatæ. Et virgines videntur, quæ aliquid à viris petere possunt, nedum tale factum, vt scilicet æmulæ earum, tantò magis liberæ, quantò Christi solius ancillæ, dedantur illis. Scandalizamur, inquiunt, quia aliter aliæ incedunt: & malunt scandalizari, quàm prouocari. Scandalum, nisi fallor, non bonæ rei, sed malæ exemplum est, ædificans ad delictum. Bonæ res neminem scandalizant, nisi malam mentem. Si bonum est modestia, verecundia, fastidium gloriæ soli Deo captans placere, agnoscant malum suum, quæ de tali bono scandalizantur. Quid enim si & incontinentes dicant se à continentibus scandalizari, continentia reuocanda est? & ne multinubi scandalizentur, monogamia recusanda est? Cur non magis hæ querantur scandalo sibi esse petulantiam, impudentiam ostentatitiæ virginitatis?

2. Scandalum non sumendum ex lapsu eorum, qui firmi videbantur. De præscr. cap. 3. in p.

SOlent quidem isti infirmiores etiam de quibusdam personis ab hæresi captis, ædificari in ruinam. Quare ille vel ille fidelissimi, prudentissimi, & vsitatissimi in Ecclesia, in illam partem transierunt? Quis hoc dicens, non ipse sibi respondet, Neque prudentes,
neque fideles, neque vsitatos æstimandos, quos hæreses potuerint demutare? Et hoc mi-
1. Reg. 9. 2. rum (opinor) vt probatus aliqui retrò, postea excidat? Saül bonus præ cæteris: liuore
1. Reg. 10. 6. postea euertitur. Dauid vir bonus secundùm cor Domini; postea cædis & stupri reus est.
Solomon omni gratia & sapientia donatus à Domino, ad idololatriam à mulieribus indu-
Act. 13. 22 citur. Soli enim Dei filio seruabatur sine delicto permanere. Quid ergo si Episcopus, si
2. Reg. 12. 9. diaconus, si vidua, si virgo, si doctor, si etiam martyr lapsus à regula fuerit, ideo hæreses
veritatem videbuntur obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas?
3. Reg. 11. 4. & 14.

3. Scandalum, & blasphemia peruersè data & dicta nos moneant; iniustè accepta, consolentur. De idol. cap. 14. in p.

PLerique iam induxerunt animo, ignoscendum esse, si quando, quæ ethnici, faciunt,
ne nomen blasphemetur. Porrò blasphemia quæ nobis omnino deuitanda est, hæc
opinor est, Si quis nostrum ad iustam blasphemiam ethnicum deducat, aut fraude, aut
iniuria, aut contumelia, aliave materia dignæ querelæ, in qua nomen meritò percutitur,
a Esa. 52. 5 Rom. 2. 24. vt meritò irascatur & Dominus. Cæterùm si de omni blasphemia dictum est, [a] *Vestri causa nomen meum blasphematur*, perimus vniuersi; cùm totus circus scelestis suffragiis nullo
merito nomen lacessit. desinamus, & non blasphemabitur. Immò blasphemetur, dum
sumus in obseruatione non in exorbitatione disciplinæ; dum probamur, non dum reprobamur. O blasphemiam martyrij affinem! quæ tunc me testatur Christianum, cùm propter eam detestatur. benedictio est nominis, maledictio custoditæ disciplinæ.

4. Scandali dati Christi minimis, pupillæ instar dilectis, vltor est Deus. 4. contra Marc. cap. 35. in p.

a Luc. 17. 1. 2. COnuersus ibidem ad discipulos, [a] *Væ*, dicit, auctori scandalorum: *expedisse ei si natus non fuisset, aut si molino saxo ad collum deligato præcipitatus esset in profundum, quàm vnum ex illis modicis, vtique discipulis eius, scandalizasset.* Æstima quale supplicium comminetur illi. Nec enim alius vlciscetur scandalum discipulorum eius. Agnosce igitur & iu-
b Zach. 2. 8. dicem; & illo adfectu pronuntiantem de cura suorum, quo & Creator retrò: [b] *Qui tetigerit vos, ac si pupillam oculi mei tangat.* Idem sensus eiusdem est.

SCANDALVM. 1. 2. 3. 4. SCHOL.

A AMBIVNT, VIRGINES HOMINVM. *Opponit innuptas adhuc virgines Gentilium, virginibus Christianis, quas conantur & moliuntur omnimodò exemplo suo ad inuerecundiam prouocare, dum sine velo, nudâ & impudenti fronte procedunt.* VIRGINES VIDENTVR, *quasi dicat; cùm proprium sit veræ virginitatis, verecundè & pudicè velari; Gentilium puellæ videntur esse virgines, non sunt tamen, vt potè quæ viris in propatulo expositæ, eorum connubium ipso habitu exposcere noscuntur, quibus forma sua reuelata placere student.* NEDVM TALE FACTVM. *Actum coniugalem, quem modestiâ tacet; vel suffragium petunt à viris contra Christi virgines, vt eas quoque sine velo in publicum procedere procurent. Quod est factum de quo hic agebatur. Quid ergo à viris petunt? vt videlicet Christianæ virgines, quæ se*
B *Christi ancillas, eique soli viro cui placere volunt subditæ, ipso velo quasi signo subiectionis suæ, vt & potestatis Christi super se, testantur: quo habitu se ab omnium hominum & virorum dominatione ereptas gloriantur;* DEDANTVR SIBI, *quasi ancillæ, secum mancipentur hominum seruituti. Vno verbo, vt abiecto velo, solutâ & nudâ fronte, pari secum impudentia incedant.* SCANDALIZAMVR, INQVIVNT. *Hæc dicunt viris mundi virgines, scandalum se pati à modestia virginum Christianorum velatarum.* QVAM PROVOCARI. *Bono exemplo ad modestiam.* ÆDIFICANS AD DELICTVM. *Malo*

A *exemplo turris & vrbs Babel & reproborum ciuitas extruitur in malo.* FASTIDIVM GLORIÆ, *quam captabant virgines sæculi reuelatâ facie, quâ singulari nota discernebantur à nuptis, à nubendo, seu velando capite, dictis.* REVOCANDA EST. *Pœnitentiâ propositi deserendâ.* MVLTINVBI, *poligami.* HÆ QVERANTVR. *Christianæ conquerantur de Gentilibus & mundanis; de ostentatione virginitatis reuelatæ.*

2. ISTI INFIRMIORES. *Minùs in fide & doctrina fundati. Pusillorum enim esse scandalum docuit Christus, Luc. 17. 2. vt infrà videbimus, qui scandalum sumunt ex aliquorum ruina; qui cùm firmiores cæteris in Ecclesia stare viderentur, prolapsi tamen sunt in hæresim.* IN ILLAM PARTEM. *Verbi gratiâ Montani, vel Marcionis.*
B *Contra partem Donati sæpiùs habes agentem Augustinum, maximè in Psalmos, & to. 7. cuius media pars est contra Donatistas. Qui à tota Catholica & vniuersali Ecclesia recedunt.* ET HOC MIRVM. *Quasi inusitatum, & non frequens sit humanæ inconstantiæ; vt qui priùs stabat, postea ruat. Quod probat exemplo Saülis, Dauidis, Salomonis.* SOLI DEI FILIO. *Qui solus sine peccato*, inter mortuos liber. Ad quem vsque vnum omnes declinauerunt: *Qui solus dicere potuit:* quis ex vobis arguet me de peccato? SI MARTYR. *Vi tormentorum, aut humana fragilitate à fidei regula & Symbolo defecit.* OBTINERE. *Præualere.* EX PERSONIS. *Fides est ab hominum*

hominum mutabilitate independens; manet inconcussa Ecclesiæ veritas, nec fides ex personarum dignitate pensanda est, sed personæ iuxta fidem æstimandæ sunt.

3. SI QVANDO FACIVNT. *Valdè errant plurimi, qui putant se venialiter peccare, si fortè aliquando facta gentilium imitentur, & inter Ethnicos versantes, ethnicè viuant; ne si mores Christianos sectentur coram ipsis, eos irritent, & ad Christi nomen blasphemandum prouocent.* AD IVSTAM BLASPHEMIAM. *Hæc vna cauenda est blasphemia, ne malo exemplo, & deprauatis moribus dent Ethnicis occasionem blasphemandi contra fidem Christianam: sic enim dignè & iustè quererentur de nobis Ethnici, & murmurarent de vita nostra scandalosa, & læderent nomen Dei, qui inde iustè irasceretur nobis.* 1. *Petri* 4. 15. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius Spiritus super vos requiescit. Nemo autem vestrûm patiatur, vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor *Syr. aut facinorosus*; Si autem vt Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine. VESTRI CAVSA. *Esa.* 52. 5. Dominatores eius iniquè agunt, dicit Dominus, & iugiter totâ die nomen meum blasphematur. 70 *verò*. Propter vos semper nomen meum blasphematur in Gentibus. *Et Rom.* 2. 24. *cum multus inueheretur contra Doctores legis, factis verba destruentes; concludit*. Qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis non mœchandum, mœcharis; qui abominaris Idola, sacrilegium facis: qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis, Deum inhonoras. Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est. TOTVS CIRCVS, *conuentus gentilium; vel in circo, & Amphitheatro, cùm à gentilibus communiter Christianum nomen conuitiis appetitur iniustè, & solo nomine rei, ad bestias damnari exposcuntur fideles.* DESINAMVS. *Cessemus à disciplina, fidem deseramus. Ironicè dicta.* DVM PROBAMVR. *Vt aurum in fornace.* MARTYRII AFFINEM. *Proximum enim est martyrio, cum* Apostolis ire gaudentes à conspectu concilij, & pro nomine Iesu contumeliam pati. PROPTER EAM. *Blasphemiam & persecutionem, Christianus execrationi est gentilibus.* BENEDICTIO EST, *sic exultat cum Isaie Christianus:* maledicent illi & tu benedices; qui insurgunt in me, confundantur; seruus autem tuus lætabitur, induantur qui detrahunt mihi pudore. &c.

4. VÆ DICIT. *Luc.* 17. 1. Et ait ad Discipulos suos: impossibile est, vt non veniant scandala: væ autem illi per quem veniunt. Vtilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum eius, & proiiciatur in mare, quàm vt scandalizet vnum de pusillis istis. *Vel vt habetur Math.* 18. 7. Væ mundo à scandalis. Necesse est enim vt veniant scandala: verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit. SI NATVS NON FVISSET. *Cùm hic textus contra Marcionem agat, qui solum Lucam admittebat, cuius proinde tantum textum contra Marcionem torquere solet; Lucas tantùm hoc habet de Iuda. cap.* 22. 22. Et quidem filius hominis, secundùm quod definitum est, vadit: verumtamen væ homini illi per quem tradetur. *Siue vt habet Syriaca translatio*, Cuius manu proditur. *Math. autem* 26. 24. *additur*: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. *Vel secundùm Syr.* Præstaret homini illi &c. ÆSTIMA. *Quasi diceret, ex pœna temporali, pensa æternam, qualis infligetur Babyloni. illi prostitutæ, scandalum mittenti, & voluptuosæ*, quæ præcipitata est velut impetu molæ in stagnum ignis & sulphuris. NEC ENIM ALIVS. *Quam Chri-*

A *stus agnus futurus Leo; & minas suas executurus; quidquid Marcion sibi de lenitate Dei & Christi sui blandiatur.* PRONVNTIANTEM. *Ferentem sententiam, eodem prorsus Zelo & solicitudine Discipulorum suorum, quo olim Creator per Zachariam dixit, cap.* 2. 8. Hæc dicit Dominus exercituum: post gloriam, *assumptæ humanitatis meæ ad gloriam resurrectionis*, misit me ad Gentes, *fidem meam per Apostolos meos notam fecit Gentibus*. Quæ spoliauerunt vos. *Sic loquitur Apostolis nudatis & flagellatis.* Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. *Translat.* 70. Quasi qui tangat pupillam oculi eius.

Ex his quatuor Tertulliani textibus circa scandalum; colligo primò, virginem, pro scandalo & exemplo malo virginum, siue Gentilium, siue Christianarum reuelatarum, modestiam & pudorem non debere deserere. Secundò nec fideles ob scandala, & hæreses, fi-
B *dem & Ecclesiam nusquam oportere derelinquere. Tertiò nec desiciendum esse à bonis operibus propter detractiones, & blasphemias; quæ tria eodem recidunt, vt suadeant cedendum non esse scandalis, & malis exemplis. Quartò cauendum maximè, ne proximorum & paruulorum, siue infirmorum oculos exemplo malo & scandaloso offendamus; ne Dei zelum in nos, iustamque vindictam prouocemus, cuius oculi pupillam sic lædimus. Quod postremum primò illustro loco Pauli.* 1. *Cor.* 9. *vbi de Idolothytis versu* 10. Si enim, inquit, viderit eum qui habet scientiam, in Idolio recumbentem, *id est qui scit, nihil inquirendum propter conscientiam, manducans omne quod in macello venit, oblatum necne sit Idolis.* Nonne conscientia
C eius, *qui videt edentem*, cùm sit infirma, *scrupulosa circa Idolothyta*, ædificabitur ad manducandum Idolothyta? & peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. *Quid hoc est, nisi quia Christus in membris? Et vt dixit Saulo*; Quid me persequeris? *sic quoque iuxta Zach. supra*, tangit pupillam oculi mei. *Quod sic exaggerat Augustinus, Ser. 6. de verbis Do. vbi hunc locum Pauli totum profert, & sic inducit dantem scandalum.* Nouit, inquit, Deus cor meum. Sed frater tuus, non nouit cor tuum. Si infirmus es, caue maiorem ægritudinem. Sin firmus es, cura
D infirmitatem fratris. Qui vident ista, ædificantur ad Idolia, & non tantùm ibi manducare, sed & sacrificare desiderant. Ecce perit infirmus in tua scientia frater. Audi, frater, si contemnebas infirmum, etiam fratrem contemnis. Expergiscere. Quid in ipsum Christum peccas? attende enim, quod nullo pacto possis contemnere. Sic autem peccantes, inquit, in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Eant nunc qui ista contemnunt, & recumbant in Idolio; nonne erunt prementes, non tangentes? *agebat de muliere, fide tangente fimbriam Christi in turba premente*: & cùm recubuerint in Idolio, veniant & impleant Ecclesiam, non salutem accepturi, sed pressuram facturi. Sed timeo,
E inquies, ne offendam maiorem. Times prorsus, ne offendas maiorem. Et non times ne offendas Deum? &c. Quid plura fratres Christiani? Audistis quia peccantes in fratres & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Nolite contemnere, si non vultis deleri de libro vitæ. &c. Quid facis de conscientia infirma quam percutis? quid facis de pretio? si contemnis quod emptum est, vide quanti emptum est. Peribit, inquit, infirmus in tua scientia quam te dicis habere, vt scias quia nihil est Idolum, & animo cogites Deum, & sic recumbas in Idolio, in hac

S. Aug.

scientia perit infirmus. Et ne contemnas infirmum, A addidit: propter quem Christus mortuus est. Quem vis contemnere? pretium eius attende, & cum morte Christi totum mundum appende. Et ne adhuc putares in infirmum peccare, & leue duceres peccatum, ac paruipenderes; in Christum, inquit, peccatis. Solent enim homines dicere, in hominem pecco; numquid in Deum? &c. Audeas negare Christum Deum. &c. *Non esse autem sumendum scandalum a malo exemplo aliorum, nec bonum propterea opus, & multò minus fidem, ac societatem Sanctorum, & Ecclesiam; docuit sæpiùs* S. Aug. *Augustinus. Epistola 199. ad Edictam, vbi eam arguit, quòd nupta cum esset, inconsulto viro, infirmæ conscientia, habitu viduæ incederet, & sua, absque eius consensu, bona pauperibus elargita fuisset; quâ causâ scandalizatus, propositum continentiæ rupit, quod ambo ex consensu mutuo conceperant. Vbi inter cætera:* Scriptum est quidem, inquit, mulieres esse debere in habitu ornato: aurique circumpositio, & intorsio crinium, & cætera huiusmodi, quæ vel ad inanem pompam, vel ad illecebram ferme, *alij legunt, formæ*, adhiberi solent, meritò reprehensa sunt. Sed est quidam pro modulo personæ, habitus matronalis à viduali veste distinctus qui potest fidelibus coniugatis, saluâ Religionis obseruantiâ, conuenire. Hunc te maritus, si deponere noluit, ne te velut viduam illo viuente iactares, puto quia non fuerat in hac re vsque ad dissensionis scandalum perducendus. Magis inobedientiæ malo, quàm vllius abstinentiæ bono. Quid enim est absurdius, quàm mulierem de humili veste viro superbire, cui te potiùs expediret obtemperare candidis moribus, quàm in nigellis vestibus repugnare? Quia & si te indumentum monachæ delectabat, etiam hoc gratius posset marito obseruato exoratoque sumi, quàm illo inconsulto contemptoque præsumi. Quod si omnino non sineret, quid de tuo proposito deperiret? Absit, vt hinc displiceres Deo, quòd coniuge tuo nondum defuncto, non indueretis sicut Anna, sed sicut Susanna. Neque enim & ille qui tecum iam cœperat custodire tam magnum continentiæ bonum, etiam si coniugale, non viduale voluisset vt acciperes indumentum, ad indecentem quoque te compulisset ornatum: quò & si aliquâ durâ conditione cogereris, posses habere in superbo cultu, cor humile. &c. *En vt arcet à scandalo dando. Non tamen hæc dicit, vt propter aliorum scandalum perperam acceptum, vel detractiones linguarum malarum, a bonis operibus sit cessandum.* S. Aug. Nonne, *inquit, ibid.* Si ampliorem misericordiam cogitans, ideo pauperibus res tuas erogare differres, ne scandalizatus maritus tuus, Deo periret; vberiores tibi eleemosynas Deus computaret? Proinde si recolis, quid acquisieras, quando lucrata fueras virum tuum, vt tecum Christo sanctiore castitate seruiret; intellige per illas eleemosynas tuas, quibus cor eius euersum est, quanto grauiore damno percussa fueris, quàm sunt illa lucra, quæ cœlestia cogitabas. Si enim habet ibi magnum locum panis fractus esurienti, quantum locum ibi credenda est habere misericordia, quâ homo eripitur diabolo tanquam leoni rugienti, & quem deuoret inquirenti. Neque hoc ita dicimus, vt si quisquam scandalizatus fuerit de bonis operibus nostris, ab eis desistendum putemus: sed alia causa est alienarum, alia necessariarum in societate aliqua personarum: alia fidelis, alia infidelis: alia parentum erga filios, alia filiorum erga parentes: alia postremò ea quæ in his maximè rebus intuenda est, viri & vxoris; vbi mulierem coniugatam non licet dicere, facio quod volo de meo: cùm & ipsa non sit sua, sed capitis sui, hoc est viri sui. Nam sic quædam, vt commemorat Apostolus Petrus, mulieres sanctæ quæ in Deum sperabant, ornabant se, *vt & Paulus ait, mulierem nuptam cogitare quæ sunt mundi, quomodo placeant viris*; subiectæ suis viris, sicut Sara obsequebatur Abrahæ, Dominum eum vocans, cuius, inquit, factæ estis filiæ; cùm ad Christianas, non ad Iudæas fœminas loqueretur. *Denique propter scandala, relinquenda quidem affectu & corde esse, mala exempla non imitando, fidem tandem & Religionem non esse deserendam, sicut schismatici & hæretici faciunt; docuit Sermone 18. de Verbis Domini.* B *Vbi, obijcientibus illud Esa. 52.* Ecce, inquiunt, dicit Propheta, recedite, exite inde, & immundum ne tetigeritis. S. Aug. Quomodo ergo malos pro pace tolerabimus, à quibus exire & recedere iubemur, ne tangamus immundum? nos istam recessionem spiritaliter intelligimus, illi corporaliter. &c. Clamamus & nos, & dicimus vobis, recedite. &c. Sed contactu cordis, non corporis. Quid est enim tangere immundum, nisi consentire peccatis? &c. Displicuit tibi quod quisque peccauit, non tetigisti immundum. Redarguisti, corripuisti, monuisti, adhibuisti etiam, si res exigit, congruam, & quæ vnitatem non violet, disciplinam, existi inde. &c. Clamauit ista Moy-C ses, clamauit Esaias, clamauit Ieremias, clamauit Ezechiel: videamus si hoc ipsi fecerunt, si dimiserunt populum Dei, & se ad gentes alias transtulerunt. Quàm multa, & quàm vehementer Ieremias increpauit in peccatores & sceleratos populi sui, inter eos tamen erat; vnum cum illis templum intrabat, eadem Sacramenta celebrabat, in ea hominum sceleratorum congregatione viuebat, sed clamando exibat inde, &c. *Et concludit sub finem Sermonis.* Obiurgando inquit, exiit liber in conspectu Dei, cui neque sua S. Aug. Deus peccata imputat, quia non fecit; neque aliena, quæ non approbauit: neque negligentiam, D quia non tacuit; neque superbiam, quia in vnitate permansit. Sic ergo fratres mei, quotquot habetis inter vos qui amore sæculi prægrauantur, auaros, periuros, adulteros, spectatores nugarum, consultores Mathematicorum, Phanaticorum, augurum, auspicum; ebriosos, luxuriosos, quidquid inter vos malorum esse nostis, quantùm potestis, improbate, vt corde recedatis: & redarguite, vt exeatis inde; & nolite consentire, vt immundum non tangatis. *Expressiùs autem de fide & Ecclesia non relinquenda propter scandala; quidquid mali exempli dent mali etiam Doctores, & prælati deficientes, non tantùm à bonis moribus, sed etiam ab Ecclesiæ vnitate. Idem August. to. 7. lib. 3. contra Ep. Parmeniani. cap. 4. vbi de Cypriano cùm præfatum locum Esa. exposuisset, & Psalmi 52. non sedi cum concilio vanitatis, &c.* E *Quod Donatistæ obijciebant pro sui Schismatis defensione:* An non erat, *inquit*, conuenticulum vanitatis in eis, qui esurientibus in Ecclesia fra- S. Aug. tribus largissimo argento nitere cupiebant? an non erant facinorosi, qui fundos insidiosè fratribus rapiebant? An nequissimi & impij non erant, qui vsuris multiplicantibus fœnus augebant? Ille verò lauabat manus suas cum innocentibus, & circumdabat altare Domini. Ideo quippe tolerabat nocentes, ne desereret innocentes. &c. nec propter vasa quę erant in contumeliam, se à magna domo separabat, sed eos in vnitate illius domus arguens, tolerabat

à quibus se, non imitando mundabat. *Et cap. 5. circa f.* Patimur inquit, in congregatione Catholica toto orbe diffusa, donec transeat iniquitas, donec tempore messis zizania colligantur: donec vltimo ventilabro à frumento palea separetur, donec pisces boni à piscibus malis, cum quibus inter eadem retia congregati sunt, in littore eligantur; Donec hœdi ab ouibus cum quibus sub vno pastore, in eisdem pascuis, tandiu pauerunt, in vltimo ad sinistram segregentur. &c. Inconcussum igitur firmumque teneamus, nullos bonos ab ea se posse diuidere, *pace & vnitate Ecclesiæ*, id est nullos bonos, etiam si cognitos sibi malos patiantur, vbicumque versantur, propter eos se à longè positis, & incognitis bonis, temerario schismatis sacrilegio separare. *Dicunt enim boni cum Psalte:* Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo graui laudabo te. *Psalmo 34. Esto, paleas abripiat ventus, firmus stabo cum tritico, nil me mouebunt scandala. Accipe Augustinum ibidem.* Fit, inquit, confessio in omni multitudine, sed non in omnibus Deus laudatur: Tota multitudo audit confessionem nostram, sed non in omni multitudine laus est Dei. In ista enim omni multitudine, id est in Ecclesia, quæ in toto orbe terrarum diffusa est, palea est & frumentum. Palea volat, frumentum manet. Ideo in populo graui laudabo te. In populo graui, quem ventus tentationis non aufert; in his Deus laudatur. Nam in palea blasphematur semper. Quando palea nostra attenditur, quid dicitur, ecce quomodo viuunt Christiani, ecce quid faciunt Christiani. Et fit quod scriptum est, quoniam nomen meum per vos blasphematur in Gentibus. Inique, inuide, aream inspicis qui totus in palea es, non tibi facilè grana occurrunt: quære, & inuenies populum grauem, in quo Dominum laudes. Vis inuenire? Esto talis. Nam si non fueris talis, difficile est vt non omnes tales tibi videantur, qualis es. Et comparantes, ait Apostolus, semetipsos sibimetipsis, non intelligunt, in populo graui laudabo te.

S. Aug.

S. Aug.

SCORPIVS.

Scorpius licet paruus grauiter lædit, caudâ pungens; æstate, & Austro & Africo flante: cuius remedia naturalia sunt, sed præcipua fides cum signo crucis. Scorp. cap. 1. in p.

MAgnum de modico malum, Scorpios terra suppurat. tot venena, quot genera; tot pernicies, quot & species; tot dolores, quot & colores Nicander scribit & pingit. & tamen vnus omnium violentiæ gestus, nocere de cauda; quæ cauda erit, quodcunque de postumo corporis propagatur, & verberat. proinde scorpij series illa nodorum, venenatâ intrinsecus venulâ subtilis, arcuato impetu surgens, hamatile spiculum in summo tormenti ratione stringit. vnde & bellicam machinam, retractu tela vegetantem, de scorpio nominant. Id spiculum, & fistula est, patula tenuitate in vulnus & virus, quà figit effundit. familiare periculi tempus æstas, Austro & Africo sæuitia velificat. In remediis naturalia plurima. aliquid & magia circumligat. medicina cum ferro & poculo occurrit. Nam & præbibunt quidam, festinando tutelam; sed concubitus exhaurit, & denuò sitiunt. Nobis fides præsidium, si non & ipsâ percutitur diffidentiâ signandi statim & adjurandi, & vrgendi bestiæ calcem. Luc. 10. 19.
hoc denique modo etiam ethnicis sæpè subuenimus; donati à Deo ea potestate, quam Apostolus dedicauit, quum morsum viperæ spreuit. Act. 28. 5.

SCORPIVS. SCHOL.

MALVM SCORPIOS. *Per appositionem.* MAGNVM DE MODICO. *Ingens & mortale virus ex paruo animali.* TERRA SVPPVRAT. *Producit quasi exsudando venenum. Vel ad differentiam marini scorpij, qui & iuxta Plinium piscis venenatus est libro 32. cap. 5. Ex eodem autem libro 10. c. 72. vbi de Scorpionibus terræ.* Scorpiones, inquit, terrâ viuunt, *quibus idem est alimentum, quod elementum.* NICANDER, SCRIBIT. *Hunc Cicero de Oratore Nicandrum vocat, adeo eloquentem, vt quasi pictor oculis subijciat totum agriculturæ negotium. Suidas refert, fuisse colophonium Grammaticum, Poëtam, & Medicum, aut Attali, qui Gallogræcos vicit. Scripsit & de Theriacis Alexipharmacis, Agricultura; & præter hæc collationes curationum, & pronostica Hypocratis, aliaque quamplurima metro edidit.* VIOLENTIÆ GESTVS. *Gestiens enim caudâ lædit Scorpius cuiuscumque sit generis. Cauda porrò eius dicitur, quidquid à corpore eius extremo porrectum extenditur, ex pluribus contextum nodis.* ARCVATO IMPETV. *Caudam enim inflectit in modum arcus, & tormenti bellici, ab eo sumentis nomen; spiculum suum vibrat in figuram hami compositum.* RETRACTV. *Sic enim contrahitur hæc machina bellica quæ instar arcus retracta maiori impetu & vegetiori tela stringit. 1. Mach. 6. 51. Vbi de Eupatore Rege suffecto Antiocho patri mortuo obsidente Bethsuram.* Statuit illic balistas, & machinas, & ignis iacula, & tormenta ad lapides iactandos, & spicula, & scorpios ad mittendas sagittas. TEMPVS ÆSTAS, *alij legunt* æstus. SÆVITIA VELIFICAT. *Sæuit quasi laxatis velis, vel alludit ad alatos Scorpiones; qui Austro maximè & Africo flante acrius pungunt.* MAGIA CIRCVMLIGAT, *vel plaga & vulnere, circumposita incantatione curata.* CVM FERRO ET POCVLO. *Praciso vulneris loco, & potione cordiali sumptâ. Aliqui priùs bibunt antequam scindant, vt sic accelerent remedium.* CONCVBITVS EXHAVRIT. *An vim veneni, an eius remedium frustratur? vel ad scorpium referendum, cuius venenum in coitu cum femella exhauritur; quo sitis ei procreetur. V. infrà Ælianum* DENVO SITIVNT. *Post concubitum, rursum bibendum est.* NOBIS FIDES. *Vtantur ethnici, vel magicis vel naturalibus remediis, nobis Christianis sola fides contra omnia venena sufficit Christo dicente:* Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur, in nomine meo dæmonia eiicient. &c. serpentes tollent. Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. SI NON PERCVTITVR

DIFFIDENTIA. *Modo tamen fides ipsa, non pungatur scorpio notentiori diffidentia, & statim recurrat ad signum crucis, quo se signet. & venenum adimet per virtutem eius, & candam ipsam, & scorpionem conterat. Sic enim sæpè nos fideles scorpionum ictibus impressis Gentilium corporibus medemur, iuxta potestatem quam Paulus expertus est circa viperam, quamque expressè Christus dedit Apostolis & Discipulis contra scorpiones. Luc. 10. 19.* Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. *De Paulo autem naufragio erepto. Act. 28. 3.* Cùm congregasset autem Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem, & imposuisset super ignem, vipera a calore cùm processisset, inuasit manum eius. Vt verò viderunt barbari, *incolæ insulæ melitensis*, pendentem bestiam de manu eius, ad inuicem dicebant: vtique homicida est homo hic, qui cùm euaserit de mari, vltio non sinit eum viuere. Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est. At illi existimabant eum in tumorem conuertendum, & subitò casurum, & mori. Diu autem illis expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri, conuertentes se. *Syr. mutarunt sermones suos*, dicebant eum esse Deum. *Nunc de scorpio, eius veneno, & remediis; quæ ex Plinio sumpsit iuxta Nicandrum, videamus; Et quæ carptim author noster, vno contextu nos ex Plinio describamus. Sic ille lib. 11. nat. hist. c. 25.* Scorpiones, inquit, terrestres, vermiculos ouorum specie pariunt, similiterque pereunt. *Velut aranei, sic perimuntur, de quibus dixerat cap. præcedenti.* Pestis importuna veneni serpentium, nisi quòd grauiore supplicio, lentâ per triduum morte conficiunt, virginibus lethali semper ictu, & fœminis ferè in totum. Viris autem matutinò, exeuntes cauernis priusquam aliquo fortuito ictu, ieiunum egerant venenum. Semper cauda in ictu est. *Quâ scilicet pungit & nocet*, nulloque momento u editari cessat, nequando desit occasioni. *Et hic est gestus bestiæ, de quo Tertull. semper gestienti in virus.* Ferit & obliquo ictu & inflexo. *Author dixit arcuato impetu.* Venenum ab iis candidum fundi. Apollodorus author est. *Idem scribit Auicenna sect. 6. 4.* In nouem genera descriptis, *idem docet cum Auicenna Ælianus lib. 8.* Per colores maximè superuacuos, quoniam non est scire quos minimè exitiales prædixerit. Geminos quibusdam aculeos esse, maresque sæuissimos. Nam coitum ijs tribuit. Intelligi autem, *discerni à feminis*, gracilitate & longitudine. Venenum omnibus medio die cùm incanduere Solis ardoribus. *Quod dixit Author noster familiare periculi tempus, siue æstum, siue æstatem.* Itemque cùm sitiunt, inexplebiles potu. Constat & septena caudæ internodia sæuiora esse. *Consule Aristotelem lib. 8. hist. cap. 29. Tertullianus dixit senem nodorum, &c.* Pluribus enim sena sunt. Hoc malum Africæ voluere, etiam Austri faciunt pandentibus brachia, vt remigia subleuantes. *Inde & Tertullian. Austro & Africo sæuitia velificat.* Apollodorus idem planè quibusdam inesse pennas tradit. Sæpè Psylli. *Ex eodem Plin lib. 7. cap. 2. Populi Libyæ prope Garamantas, à Psyllo Rege sic dicti quorum corpori ingenitum virus exitiale serpentibus. Hi liberos mox genitos sæuissimis serpentibus exponebant, vt castitatem probarent coniugum, si serpentes statim expositos fugerent. Ex Plutarcho Cato per deserta Libyæ transiens Psyllos duxit medentes serpentum morsibus partim cantu, partim ore trahentes venenum.* Sæpè, inquit, Psylli qui reliquarum venena terrarum inuehentes, quæstus sui causa, peregrinis malis implenere Italiam, hos quoque importare conati

sunt: sed viuere intra Siculi cœli regionem non potuere. Visuntur tamen aliquando in Italia, sed innocui, &c. Quidam & ab ipsis fœtum deuorari arbitrantur, vnum modò, *solum*, relinqui solertissimum, & qui se ipsius matris clunibus imponendo, tutus & à cauda & à morsu loco fiat. Hunc esse reliquorum vltorem, qui postremo genitores supernè conficiat. Pariuntur autem vndeni. *Iam de remediis aliquid ex eodem dicamus. Libro. 22. cap 15.* Ex argumento nomen accepit scorpius herba. Semen enim habet ad similitudinem caudæ scorpionis, folia pauca. Valet & aduersus animal nominis sui. Est & alia eiusdem nominis effectusque, sine folijs Asparagi caule, in cacumine aculeum habens, & inde nomen. *Alia dat remedia lib. 11 cap. 25.* Homini icto putatur esse remedio ipsorum cinis potus in vino. Magnam aduersitatem oleo mersis & stellionibus putant esse, innocuis dumtaxat iis, qui & ipsi carent sanguine, lacertarum figura. Atque scorpiones in totum nullis nocere, quibus non sit sanguis. *Liquet autem quotidiano experimento scorpium in oleo demersum ac suffocatum, remedium esse præsentissimum, si teratur, & vulneri ab eo inflicto imponatur. Augustinus quoque Ser. 19. de Sanctis.* Solent, S. Aug. inquit, medicinæ periti ægritudines quas curandas suscipiunt, aliquando curare per contraria, aliquando per similia: hoc fecit Dominus noster, Iesus Christus, suâ paupertate nos ditans, suâ humilitate nos subleuans, suâ infirmitate nos sanans, suâ morte nos viuificans. Sic ratione medicinæ sicca humidis, humida siccis, calida frigidis opponuntur, & minùs fortia contraria, à fortioribus, contrariis superuenientibus superantur. Simili ratione similia similibus apponuntur, cùm secundùm quantitatem vulnerum, vel tumorum, mensuratur longitudo vel latitudo epithematum. Sic scorpionum carnes oleo coctæ percussionibus medentur, scorpionum. Sic theriaca de serpentis carne confecta, morsibus serpentinis occurrit, & potiones veneno infectas, in potu sumpta expellit. Ad hanc similitudinem Medicus noster mortem carnis nostræ de serpente venientem, carnis suæ morte sanauit, & ad immortalitatis suæ speciem in tempore restitutionis complendam reformauit. Vbi diligentiùs attendendum est, quòd mors quæ per lignum venit, per lignum superata est. Et ipsa ligni forma, longitudini, & latitudini, & altitudini humani corporis configurata est: quorum sicut totum corpus motum est, vt manus ad vetitum extenderetur, ita corpus per omnia membra sua in cruce extenderetur: & totum quod reatu paterni delicti confractum fuerat, hoc emplastri malaxatione consolidaretur. Sed huic medicamento per similia composito, admixtum est & medicamentum factum per oppositum. Nam hîc sanauit obedientia, quod ibi corruperat inobedientia. Et quod ibi contaminauit gulæ oblectamentum, hic reformat crucis tormentum. *De scorpio autem cauda pungente sermone 29. de verbis Do. Vbi de patre pro ouo non dante scorpionem, per ouum, spem pulli explicat, qui non videtur; quod spei futurorum inuisibilium applicat.* S. Aug. Expecta, inquit, sustine, noli retrò respicere, ouo tuo scorpium time. Vide quia de cauda percutit, quam retro habet. Non ergo scorpius perimat ouum tuum, mundus iste spem tuam, vt ita dicam veneno ouo contrario. Quo contrario? quanta tibi loquitur mundus? quanta post dorsum strepit, vt retrò respicias, id est vt in rebus præsentibus, nec præsentibus; non enim dicenda sunt præsentia, numquam stantia, spem tuam ponas, & ab eo quod promisit Christus, & nondum dedit,

sed quia fidelis est dabit, auertas animum tuum, & requiescere velis in mundo pereunte, &c. Ego si habeo spem, si teneo spem, ouum meum non est à scorpione percussum, &c. Si benedico quando benè est, & blasphemo quando malè est, suscepi scorpionis aculeum, compunctus respexi retrò, &c. Quid ponimus cor in terra, cùm videamus quia euertitur terra? &c. nemo vos murmurando auertat ab expectatione futurorum. Omnes qui propter istas aduersitates blasphemant Christum nostrum, cauda scorpionis sunt. Nos ouum nostrum sub alis illius gallinæ ponamus, Euangelicæ gallinæ, quæ clamat Ierusalem illi falsæ ac perditæ; quoties, volui, &c. Animaduertistis fortè quomodo gallina concidat scorpionem. Vtinam ergo & istos blasphemantes; *& hæreticos, quales erant Gno-* A *stici contra quos scripsit scorpiacum Tertullianus.* In terra reptantes, de cauernis prodeuntes, & malè pungentes illa gallina concidat & deuoret, in corpus suum traiiciat, & in ouum vertat, &c. Isti blasphematores terrena sectantes, terrena desiderantes, in terrenis spem ponentes, *quid aptius terreno scorpio.* Cùm ista, velint, nolint, perdiderint, quid tenebunt? vbi remanebunt? foris nihil, intus nihil: inanis arca, inanior conscientia. Vbi requies? vbi salus? vbi spes? veniant ergò, desinant blasphemare, discant adorare. Scorpij pungentes à gallina comedantur, in corpus traiicientis conuertantur, in terra exerceantur, in cœlo coronentur. *O præclara contra scorpionem remedia, fides, & spes in Christum; refugium sub alas gallinæ!* S. Aug.

SCRIPTVRA SACRA, VETVS, EIVSQVE ANTIQVITAS, ET AVTHORITAS.

1. *Scriptura Sacra antiquitas, veritas, & maiestas, ex Septuaginta interpretibus hausta; omnium Gentilium scriptorum vetustate maior, & Prophetiarum euentu verior conuincitur. Apol. cap. 18. à p. 19. & 20. ad vltra m.*

QVos diximus prædicatores, prophetæ de officio præfandi vocantur. voces eorum, itemque virtutes, quas ad fidem diuinitatis edebant, in thesauris literarum manent, nec istæ nunc latent. Ptolemæorum eruditissimus, quem Philadelphum supernominant, & omnis literaturæ sagacissimus, cum studio bibliothecarum Pisistratum, opinor, æmularetur, inter cetera memoriarum, quibus aut vetustas aut curiositas aliqua ad famam patrocinabatur, ex suggestu Demetrij Phalerei grammaticorum probatissimi, cui præfecturam mandauerat, libros à Iudæis quoque postulauit, proprias atque vernaculas literas, quas soli habebant. ex ipsis enim & ad ipsos semper prophetæ perorauerant, scilicet ad domesticam Dei gentem ex patrum gratia. Hebræi retrò, qui nunc Iudæi. Igitur & literæ Hebrææ, & eloquium. Sed ne notitia vacaret, hoc quoque Ptolemæo à Iudæis subscriptum est, septuaginta & duobus interpretibus indultis, quos Menedemus quoque Philosophus prouidentiæ vindex de sententiæ communione suspexit. Affirmauit hæc vobis etiam Aristæus. ita in Græcum stilum exapertò monumenta reliquit. Hodie apud Serapeum, Ptolemæi Bibliothecæ cum ipsis Hebraicis literis exhibentur. Sed & Iudæi palam lectitant. vectigalis libertas. vulgò aditur sabbatis omnibus. qui adierit, inueniet Deum. qui etiam studuerit intelligere, cogetur & credere. Primam instrumentis istis auctoritatem summa antiquitas vindicat. apud vos quoque religionis est instar, fidem de temporibus asserere. Omnes itaque substantias, omnesque materias, origines, ordines, venas veterani cuiusque stili vestri, gentes etiam plerasque, & vrbes insignes, & canas memoriarum, ipsas denique effigies literarum indices custodesque rerum, & puto adhuc minùs dicimus, ipsos inquam deos vestros, ipsa templa, & oracula, & sacra, vnius interim prophetæ scrinium seculis vincit, in quo videtur thesaurus collocatus totius Iudaici Sacramenti, & inde etiam nostri. Si quem audistis interim Moysem, Argiuo Inacho pariter ætate est. quadringentis penè annis, nam & septem minùs, Danaum & ipsum apud vos vetustissimum præuenit, mille circiter cladem Priami antecedit. possem etiam dicere quingentis ampliùs & Homerum, habens quos sequar. ceteri quoque prophetæ, etsi Moysi postumant, extremissimi tamen eorum non retrosiores deprehenduntur primoribus vestris sapientibus, & legiferis, & historicis. Hæc quibus ordinibus probari possint, non tam difficile est nobis exponere, quàm enorme; nec arduum, sed interim longum. multis instrumentis cum digitorum supputariis gesticulis adsidendum est. reseranda antiquissimarum etiam gentium archiua, Ægyptiorum, Chaldæorum, Phœnicum aduocandi municipes eorum, per quos notitia subministrata est, aliqui Manethon Ægyptius, & Berosus Chaldæus, sed & Iromus Phœnix Tyri Rex; sectatores quoque eorum, Mendesius Ptolemæus, & Menander Ephesius, & Demetrius Phalereus, & Rex Iuba, & Appion, & Thallus, & qui istos aut probat aut reuincit Iudæus Iosephus antiquitatum Iudaicarum vernaculus vindex; Græcorum etiam censuales conferendi, & quæ quando sint gesta, vt concatenationes temporum aperiantur, per quæ luceant annalium numeri. peregrinandum est in historias, & literas orbis. Et tamen quasi partem iam probationis intulimus, cùm per quæ probari possint, aspersimus verùm differre præstat, ne vel minùs prosequamur festinando, vel diutiùs euagemur persequendo. Plus iam offerimus pro ista dilatione, maiestatem scripturarum, si non vetustatem. diuinas probamus, si dubitatur, antiquas. nec hoc tardius, aut aliunde discendum. coram sunt quæ docebunt,

Cap. XIX.

Cap. XX.

Matth. 24. 6. 7. mundus, & seculum, & exitus. quicquid agitur, prænuntiabatur. quicquid videtur, audiebatur. quòd terræ vorant vrbes, quòd insulas maria fraudant, quòd externa atque interna bella dilaniant, quòd regnis regna compulsant, quòd fames, & lues, & locales quæque clades, & frequentiæ pleraque montium vastant, quòd humiles sublimitate, sublimes humilitate mutantur, quod iustitia rarescit & iniquitas increbrescit, bonarum omnium disciplinarum cura torpescit, quòd etiam officia temporum, & elementorum munia exorbitant, quòd & monstris & portentis naturalium forma turbatur prouidenter scripta sunt. dum patimur, leguntur; dum recognoscimus, probantur. idoneum, opinor, testimonium diuinitatis veritas diuinationis.

2. *Scriptura Sacra, tempore pracedit omnes prophanas literas. De testim. ani. cap. 5 in f. & 6. in p.*

ET vnde ordo ipsis literis contingit, nosse, & in vsum loquelæ disseminare, quæ nulla vnquam mens conceperat, aut lingua protulerat, aut auris exceperat? Atenim cùm diuinæ scripturæ, quæ penes nos, vel Iudæos sunt, [a] *in quorum olea, & oleastro insiti sumus*, multò secularib. literis, non modica tantùm ætate aliqua, antecedant, vt loco suo edocuimus, ad fidem earum demonstrandam; & si hæc eloquia de literis vsurpauit anima, vtique de nostris credendum erit, non de vestris: quia potiora sunt ad instruendam animam priora, quàm postera, quæ & ipsa à prioribus instrui sustinebant; cùm etsi de vestris instructam concedamus, ad originem tamen principalem traditio pertineat, nostrumque omnino sit quodcunque de nostris sumpsisse & tradidisse contigit vobis. Quod cùm ita sit, non multum refert, à Deo formata sit animæ conscientia, an à literis Dei. Quid igitur vis homo, de humanis sententiis literarum tuarum exisse hæc in vsus communis callositatem? Crede itaque tuis, & de commentariis nostris tantò magis crede diuinis. sed de animæ ipsius arbitrio perinde crede naturæ. Elige quam ex his fideliùs sororem obserues veritatis.

a Rom. 11. 17. 24.

Cap. VI.

3. *Et de Pallio cap. 2. à m.*

QVoties & ista mutauerunt, iam inde à Nino Beli progenie? si tamen Ninus regnare primus, vt autumat superiorum profanitas. Fermè apud vos vltra stilus non solet. Ab Assyriis, si forte, æui historiæ patescunt. Qui verò diuinas lectitamus, ab ipsius mundi natalibus compotes sumus.

4. *Scriptura Sacra, fons est, vnde humana sapientia hausit quidquid habet sanum quod tamen in multis corrupit, & miscuit fabulis ad exauthorandam fidem. Apol. 47. per totum.*

MIhi proficit antiquitas præstructa diuinæ literaturæ, quo facilè credatur thesaurum eam fuisse posteriori cuique sapientiæ. Et si non onus iam voluminis temperarem, excurrerem in hanc quoque probationem. Quis poëtarum, quis sophistarum, qui non de prophetarum fonte potauerit? Inde igitur & Philosophi sitim ingenij sui rigauerunt. Inde & à quibusdam quoque eiecta Philosophia, à Thebanis dico, à Spartiatis & Argiuis, dum ad nostra contaminantur. Sed homines gloriæ (vt diximus) & eloquentiæ solius libidinosi, si quid in sanctis offenderunt digestis, exinde regestum pro instituto curiositatis ad propria verterunt, neque satis credentes diuina esse, quò minùs interpolarent., neque satis intelligentes vt adhuc tunc subnubila, etiam ipsis Iudæis obumbrata, quorum propria videbantur Nam & si qua simplicitas erat veritatis, eo magis scrupulositas humana fidem aspernata nutabat, per quod in incertum miscuerunt etiam quod inuenerant certum. Inuentum enim solummodò Deum, non vt inuenerant disputauerunt. vt & de qualitate, & de natura eius, & de sede disceptent. Alij incorporalem asseuerant, alij corporalem, quà Platonici & Stoici: alij ex atomis, alij ex numeris, quà Epicurus & Pythagoras: alij ex igne, quà Heraclito visum est. Et Platonici quidem curantem rerum; contra Epicurei otiosum. & inexercitum, & vt ita dixerim, neminem humanis rebus. positum verò extra mundum Stoici, qui figuli modo extrinsecus torqueat molem hanc. intra mundum Platonici. qui gubernatoris exemplo intra illud maneat, quod regat. Sic & de ipso mundo, natus innatusve sit, decessurus mansurusve sit, variant. Sic & de animæ statu, quam alij diuinam & æternam, alij dissolubilem contendunt, vt quis sensit, ita & intulit, aut reformauit. Nec mirum si vetus instrumentum ingenia philosophorum interuerterunt. Ex horum semine etiam nostram hanc nouitiolam paraturam viri quidam suis opinionibus ad philosophicas sententias adulterauerunt, & de vna via obliquos multos & inexplicabiles tramites sciderunt. Quod ideo suggesserim, ne cui nota varietas sectæ huius in hoc quoque nos philosophis adæquare videatur, & ex varietate defensionum iudicet veritatem. Expeditè autem præscribimus adulteris nostris, illam esse

regulam veritatis, quæ veniat à Christo, transmissa per comites ipsius, quibus aliquantò posteriores diuersi isti commentatores probabuntur. Omnia aduersus veritatem de ipsa veritate constructa sunt, operantibus æmulationem istam spiritibus erroris. Ab iis adulteria huiusmodi salutaris disciplinæ subornata: ab his quædam etiam fabulæ immissæ, quæ de similitudine fidem infirmarent veritatis, vel eam sibi potiùs euincerent, vt quis ideo non putet Christianis credendum, quia nec Poëtis nec Philosophis: vel ideo
magis Poëtis & Philosophis existimet credendum, quia non Christianis. Itaque ridemur Matth.
Deum prædicantes iudicaturum: sic enim & Poëtæ & Philosophi tribunal apud inferos 25. 31.
ponunt, & gehennam si comminemur, quæ est ignis arcani subterraneus ad pœnam Matth. 5.
thesaurus, proinde decachinnamur: sic enim & Pyriphlegeton apud mortuos amnis est 22.
& si paradisum nominemus locum diuinæ amœnitatis recipiendis sanctorum spiritibus Gen. 2. 8.
destinatum, maceriâ quadam igneæ illius zonæ à notitia orbis communis segregatum, Gen. 3. 24.
Elysij campi fidem occupauerunt. Vnde hæc, oro vos, Philosophis aut Poëtis tam consimilia? non nisi de nostris Sacramentis. Si de nostris Sacramentis, vt de prioribus. Ergo fideliora sunt nostra magisque credenda, quorum imagines quoque fidem inueniunt. Si de suis sensibus, iam ergo Sacramenta nostra imagines posteriorum habebuntur, quod rerum forma non sustinet. nunquam enim corpus vmbra, aut veritatem imago præcedit. *Vide libr. 2. ad nationes cap. 2.*

5. *Scripturæ sanctæ restaurator Esdras 1°. De cultu fœm. cap. 3. in m.*

Hierosolymis Babyloniâ expugnatione deletis, omne instrumentum Iudaïcæ literaturæ per Esdram constat restauratum. 1. Esdræ 7. 6.

6. *Scripturæ Sacræ authores inter se concordant. De pudic. cap. 19. à p.*

Benè autem quod Apostolis, & fidei, & disciplinæ regulis conuenit. * *Sine enim ego*, inquit, *siue illi, sic prædicamus*. Totius itaque Sacramenti interest, nihil credere ab Ioanne concessum, quod à Paulo sit denegatum. Hanc æqualitatem Spiritus sancti qui obseruauerit, ab ipso deducetur in sensus eius. *1. Cor. 15. 11.*

SCRIPTVRA SACRA.

SCRIPTVRÆ ANTIQVITAS TRANSLATIO 70. ET AVTHORITAS CONSENSVS RESTAVRATIO. 1. 2. 3. 4. 5. 6. SCHOL.

PROPHETÆ. *A procul fando dicti.* VIRTVTES. *Signa & prodigia.* AD FIDEM. *Suadendam, vt Deo & sibi conciliarent.* IN THESAVRIS. *Bibliothecis. Hic Lagi filius Ægypti Rex tertius post Alexandrum.* PISISTRATVM. *Iste primus dicitur Bibliothecam publicam instituisse Athenis.* EX SVGGESTV. *Demetrius enim hanc mentem induxit Ptolomæo qui vt habet Diogenes Laertius, inuidiâ pulsus Athenis, exceptus est à Ptolomæo, & eius Bibliothecæ Præfectus.* EX IPSIS. *Oriundi Prophetæ ex Hebræis.* PATRVM GRATIA. *Propter Abraham, Isaac, & Iacob.* HEBRÆI RETRO, *qui prius ab Heber, & Abraham, Hebræi dicebantur, postea à Iuda, dicti sunt Iudæi.* NE NOTITIA VACARET. *Ne frustra codices Hebræos in sua Bibliotheca haberet, & lateret rerum in eis contentarum cognitio, Iudæi addiderunt ad gratiam & fauorem Ptolemæi, Septuaginta duos interpretes, Hebraicæ & Græcæ linguæ peritißimos, quos admiratus est Menedemus Philosophus vel ex eo assertor diuinæ Prouidentiæ, de Schola Socratis, Phædonis filius, & raptus est admiratione tam vnanimem videns in tot hominum expositione consensum.* ARISTÆVS. *In libro de Septuaginta interpretibus, in Proœmio. Cuius & meminit Iustinus, Epiphanius, Eusebius.* ITA IN GRÆCVM, *sic factum est vt Hebræa monumenta in Græcum translata clarißimè reliquerit Ptolemæus.* APVD SERAPEON. *Etiamnum in templo Serapidis leguntur sacri libri, Hebraicis & Græcis literis, quin & Iudæi per singula Sabbata, palam apertè, & liberè lectitant libros suos, tributarij Gentilium, in vectigal deducta eorum libertate.* INVENIET DEVM. *Qui voluerit adire Synagogas Iudæorum, vt cuilibet ex plebe peruium est, Deum verum poterit audire ex libris, intellectisque cre-*

A *dere compelletur.* INSTRVMENTIS ISTIS, *libris, & Scripturis sacris, maximè Moysi Antiquißimi scriptoris.* STILI VESTRI. *Scripturæ vestræ prophanæ.* VNIVS PROPHETÆ. *Moysi Pentateucum, in quo velut scrinio & thesauro condidit Deus omnia mysteria fidei, non tantum Hebræorum, sed & Christianorum, quorum ista figuræ erant.* ARGIVO INACHO. *Moyses antiquitate contendit ex pari, cum* INACHO *antiquißimo Rege Argiuorum. Eusebius in Chronico facit Iacob Patriarcham Inachi coætaneum, ex quo nata est Io, quæ fuit Dea Ægyptiorum Isis. Danao inde quadringentis penè annis prior si septem excipias.* DANAVS *quoque Rex Argiuorum qui anno 32. exitus Israel de Ægypto Argis imperauit expulso Stenelo Rege. Fuit 50. filiarum pater, à quo dictæ Danades. Troiæ excidium, & Priami cladem mille*
B *circiter annis antecessit. Possem & dicere cum Theopompo, & Euphotio scriptoribus, Moysem præuixisse Homero, plusquam quingentis annis.* POSTVMANT, *post Moysem. Posteriores Moyse.* RETROSIORES. *Posteriores, quasi diceret licet Moyse inferiores sint tempore, tamen nouissimi Prophetæ antiquiores sunt antiquißimis vestris Doctoribus, Iurisperitis & sapientibus.* ARCHIVA. *Tabularia, siue thesauri instrumentorum.* ALIQVI, *aliquis.* MANETHON, *huius meminit Porphyrius. Et Suidas. Et hic Ægyptius fuit, ortus vrbe Diospoli, qui de Astrologia iudiciaria carmen scripsit, item de Physiologia, & de Archaismo, & regno.* BEROSVS CHALDÆVS. *Astrologiæ peritißimus, cui ob mirandam prædicendi artem, iuxta Plinium libro 7. cap. 37. Athenienses dedicauere statuam lingua aurea.* IROMVS PHŒNIX. *Alij legunt Hieronymus. Sed non ex Phœnicia, sed Ægypto fertur oriundus à Iosepho, libro 1. Antiq. cap. 4. Hiram*

quidem Phænix, Hyeronymus appellatur à Theophylo lib. 3. fuit & alius Hieronymus cuius meminit Plutarchus in Demetrio, historicus Rhodius. TYRI REX. Alij legunt cum Heraldo. Syriæ rector. Idque iuxta Iosephum libro 1. cont. Appionem vbi ait: Hieronymus Syriam procurauit, rexitque. Pensitet Lector num pro Iromo vt legit Rigaltius: Iramus siue Hiramus, id est Hiram, Rex Tyri Salomonis Coætaneus, legendum sit. MENDESIVS De hoc Clem. Alex. libro 1. Strom. Fuit quidem Sacerdos: Regum autem Ægypti res gestas tribus libris exponens, dicit tempore Amosis Ægypti Regis, Mose duce Iudæos exisse ex Ægypto. MENANDER. Hunc historicum citat de his qui regnauerunt in Tyro, Iosephus & Theophilus Antioch. Is singulorum Regum actus scripsit apud Græcos & Barbaros, qui vt ait Iosephus lib. 1. cont. Appionem, studuit ex prouincialibus vniuscuiusque loci literis historiæ veritatem pandere. DEMETRIVS. Iste fuit Theophrasti discipulus, qui ob egregias virtutes annis decem præfuit Atheniensibus, & ab eis 360. Statuis Æreis est honoratus. De quo Cicero in Bruto. eruditissimus, inquit, ille processerat in Solem & puluerem, non è militari tabernaculo, sed vt è Theophrasti doctissimi hominis vmbraculis. Monebat autem Ptolemæum Regem, vt de regno imperioque libros sibi compararet atque perlegeret. Quæ enim amici non audent monere Reges, hæc in libris scripta sunt. Ita Plutarchus. ET REX IVBA. Suidas eum facit Lybiæ & Maurusiæ Regem. Tacianus narrat eum scripsisse historiam de Assyriis. ET APION. Contra hunc scripsit Ioseph, qui ex Taciano vir fuit Grammaticus celeberrimus, & plures libros scripsit de historia Ægypti; de quo & Clem. Alex. 1. Strom. ET THALLVS. Alter historicus, de quo nihil hactenus apud Authores reperi post exactam requisitionem. CENSVALES Tabelliones, Scribæ, Librarii Censualis ministerij, qui operam suam locant magistro Census in vrbe, & Acta Senatus conficiunt. l. 2 & 4. C. de Prin. ag. in reb. lib. 12. & apud Capitolinum in Gordianis. Senatusconsultum, inquit, tacitum fieret, itaut non serui publici, non Scribæ, non Censuales illis actibus interessent. Item mentio fit de Censuali ministerio l. 2. C. de tabul. Scrib. lib. 10. LVCEANT. Innotescant. ASPERSIMVS, quasi rorem, & principia cognitionis eruendæ. EXITVS. Euentus rerum prædictarum in diuinis scripturis. TERRÆ, motus, tremores, hyatus. FRAVDANT. Indequaque corradunt & absorbent. COMPVLSANT. Bellico collisu. FREQVENTIÆ MONTIVM. Alij legunt, feruescentiæ, propter conceptos intrinsecus ignes. Alij legunt, frequentiæ mortium. MVNIA EXORBITANT, à suis qualitatibus deficiunt. PROVIDENTER SCRIPTA. Deo sic prouidente præscripta sunt in codicibus sacris vt viam fidei sternerent. IDONEVM TESTIMONIVM. Prophetiæ euentus, veram Dei diuinitatem probat. Ita & libro de anima cap. 28. vbi de Moyse loquitur. Satis, inquit, probans diuinitatem operis ex diuinatione vocis.

2. VNDE ORDO LITERIS. Vnde series & contextus literarum processit, ex quibus verba & voces contexta sunt. PENES NOS. Apud nos Christianos, in nouo Testamento, sicut apud Iudæos in veteri. Vel vnde, quo tempore, primi scriptores apparuerunt, qui antiquiores sacri vel prophani? OLEA, domestica Deo & fideli trunco, ex oleastro siluestri gentilitati inserti sumus. SÆCVLARIBVS. Gentilium literis. AD FIDEM. Ipsis debitam pro reuerentia antiquitatis. HÆC ELOQVIA. Vel quomodolibet legendo & pronunciando, vel maximè vera loquendo de Deo & rebus diuinis. DE NOSTRIS. Sacris. SVSTINEBANT, expectabant tanquam posteriora vt à prioribus instruerentur. INSTRVCTAM. Facultatem loquendi, siue eloquentiam, non inficior ex vestris gentilibus libris & literis edoctam qua de Deo sanè aliquid loqui didicistis, sed vestri Doctores, nostri Moysi, & A Prophetarum sunt discipuli. VIS HOMO. Gentilem alloquitur. VSVS CALLOSITATEM. Modum inueteratum & quasi callosum sentiendi & loquendi de Deo. DE COMMENTARIIS, libris diuinis. DE ANIMÆ ARBITRIO, ex sensu communi rationis. SORORIM VERITATIS, quasi à Deo totius veritatis parente & origine, tam ipsa naturalis ratio, quam veritas, siue in sacris, siue in prophanis libris scripta legatur, à Deo vero perinde dictata est.

3. ISTA MVTAVERVNT. Regna scilicet, quoties iuxta scripturam, de gente in gentem translata sunt. A NINO, Rege Assyriorum primo. PROPHANITAS. Scriptura prophana priorum temporum STILVS, historia siue scriptura. PATESCVNT. Ordiuntur scribere historici, à B Regno Assyriorum. De his iam alibi, cum Augustino diximus. COMPOTES SVMVS. Adeò antiqua est historia sacra, vt per eam fruamur cognitione temporum, rerumque gestarum ab initio mundi.

4. ANTIQVITAS PRÆSTRVCTA, multum prodest fidelibus ad stabiliendam veritatem fidei, quod prius quasi fundamentum ponamus, Scripturæ sacræ antiquitatem. Vnde quasi ex thesauro & fonte omnis humana doctrina hauserit quidquid veri continet. ANTIQVIOR OMNIBVS. Ergone verum est Scripturam sacram antiquiorem esse libris & scripturis omnibus? itane planè. EIECTA PHILOSOPHIA, quasi surculus, aut riuus, quia tamen subiicit. AD NOSTRA CONTAMINANTVR. Quasi ex suo fonte proprio vel ingenio, non à nobis desumpta, protulerunt sapientiæ suæ sæcularis oracula, & corrupta, mixtaque fabulis suis discipulis propinarunt C vel vanâ gloriâ ducti, vel ignorantia rerum obscurarum scripturæ, quæ & ipsos Iudæos propter vmbras figuræ latebant, & quæ stilo simpliciori conscripta erant, asperniti mutauerunt, & certa dubiis miscuerunt. NVTABAT. Aptius legitur quàm, mutabat, propter incertitudinem. DEVM DISPVTAVERVNT. De natura diuina. ALII INCORPORALEM; sicut Platonici, &c. De his sectis & diuersis circa Deum Philosophorum sensibus habes à nobis dicta iuxta Augustinum propriis locis. MOLEM HANC. Velut rotam. QVOD REGAT. Velut gubernator & Nauta ciuitatem & Nauim. VARIANT. Diuersimodè sentiunt. DISSOLVBILEM. mortalem. VETVS INSTRVMENTVM. Vetus Testamentum corruperunt Philosophi, ex quibus exorti hæretici, corruperunt scripturam & ex vnica via veritatis, in varias sectas aber-D rauerunt. VARIETAS SECTÆ HVIVS. Id est diuersitas sententiæ inter hæreticos qui vnum Deum & Christum sectari se iactant, suadeat Ethnicis, nos quoque fideles Christianos in hoc similes esse Philosophis, & iudicium ferat circa veritatem vnicæ fidei iuxta varietatem opinionum diuersarum. ADVLTERIS NOSTRIS. Nouellis hæreticis quorum vtique sententia à prima, antiqua, & vnica veritate defecerunt. PER COMITES, per Apostolos. DE IPSA VERITATE. Hæretici enim argumenta sumunt ex sacra Scriptura, vt fidei veritatem impugnent, id procurante arte spirituum malignorum de quibus Paulus 2. Thess. 2. Mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio. Et 1. Tim. 4. 1. Spiritus E autem manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum. 1. Io. 4. 6. Qui nouit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris. SVBORNATA. Ingeniosè adinuenta, & structa, ad decipiendas animas. contra habes alibi iam exposita.

Et lib. 2. ad nat. cap. 2. MANCIPVM SAPIENTIÆ. A Festo, manceps dicitur qui manu capit: quidquid à populo emit, conducitur, quia manu sublatâ significat se authorem emptionis esse; qui idem præs dicitur, qui iam debet præstare populo quod promisit. Itaque Philosophi dicti sapientiæ mancipes & prædes,

prædes, quòd eam populis præstare promittant quasi eam præ cæteris tenentes. PATROCINATVR, *fauet Deorum cultui.* SANE MERA. *Ironicè.* VARIETAS. *infirmitatem scientiæ Philosophorum probat primò diuersitas & dissensio opinionum.* INITIVM. *Hunc locum Sapiens habet & Eccli. primo 16. & Prou. 9. 10.* Principium sapientiæ timor Domini, & scientia Sanctorum prudentia. *Iuxta sept.* Initium sapientiæ timor Domini, & consilium Sanctorum in-

S. Aug. telligentia. *De quo Augustinus, libro 83. quæst. q. 36.* Ad sapientiam, inquit, tenditur, & nihil verius eo quod dictum est, initium sapientiæ timor Domini. Nemo est quippe qui non magis dolorem fugiat, quàm appetat voluptatem. Quandoquidem videmus etiam immanissimas bestias, à maximis voluptatibus absterreri, dolorum metus quod cùm in earumdem consuetudinem venerit, domitæ & mansuetæ vocantur. Quapropter quoniam inest homini ratio, quæ cùm seruit cupiditati peruersione miserabili, vt homines non timeantur, suggerit latere posse commissa, & ad tegenda occulta peccata, astutissimas fallacias comparat: eò fit, vt homines quos nondum delectat pulchritudo virtutis, nisi pœnis à peccando deterreantur, quæ verissimè per sanctos & diuinos viros prædicantur, & quod celant hominibus, Deo celari non posse, constituant, difficiliùs domentur quàm feræ. Vt autem timeatur Deus, diuinâ Prouidentiâ regi vniuersa persuadendum est, non tam rationibus, quas quis potest inuenire, potest enim & pulchritudinem sentire virtutis: quam exemplis vel recentibus, si qua occurrunt, vel de historia, & ea maximè quæ ipsâ diuinâ Prouidentiâ procurante, siue in vetere, siue in nouo Testamento excellentissimam authoritatem religionis recepit. Simul autem agendum est & de pœnis peccatorum, & de præmiis rectè factorum. *Hoc timoris initio fit initium sapientiæ, & Deus verus incipit animæ rationali innotescere. Quo timore Gentiles vacui, verè sapientes esse non possunt. Quis enim rationabiliter timeat homines mortuos, frigidas & inanimes Deorum etiam vitiosissimorum statuas? hinc & ipsos Gentiles nec à iocis in Deos iactatis abstinuisse notat Augustinus lib. 1. de Ciuit. cap. 6.* Fabius,

S. Aug. *inquit*, Tarentinæ euersor Vrbis, à simulacrorum deprædatione se abstinuisse laudatur. Nam cùm ei scriba suggessisset quid de signis Deorum quæ multa capta fuerant fieri iuberet, continentiam suam etiam iocando condiuit: quæsiuit enim cuiusmodi essent, & cùm ei non solùm multa grandia, verùm etiam renuntiarentur armata: relinquamus, inquit, Tarentinis Deos iratos. *Non sic Paulus de Deo vero.* Deus, inquit, non irridetur. *quid ita? quia nempe*, horrendum est incidere in manus Dei viuentis, *& dicentis*: si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea; reddam vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam. *Deut. 32. 41.* INCVRSASSE. *Fortuitò incidisse.* ANTIQVIORIBVS. *Vide alibi dicta de antiquitate Scripturæ sacræ præ omnibus literis.* QVALITATIS EIVS. *Qualis sit Deus, vbi sit & regnet.* COMMEATVS, *spatium temporis.* COGVNT, *conflant, violenter interpretantur.* AMPHIARAVM. *Hic Argiuum Lini, & Hypermnestræ filius, augur futurorum peritissimus, qui cùm præuideret se in bello Thebano moriturum, diu latuit, tandem ab vxore proditus, inuitus à Polynice pertractus ad bellum, cùm fortiter pugnaret, vnà cum curru suo, terræ hiatu absorptus est. Vide Statium fusè describentem.*

A EXTANT TESTIMONIA. *De Philosophorum circa Deos dubitatione alibi diximus. Quibus hæc ex Augustino superaddimus lib. 6. de Ciuit. cap. 5. vbi* S. Aug.
contra Varronem: secundum genus est, *inquit*, quod demonstraui, de quo multos libros Philosophi reliquerunt; in quibus est, dij qui sint, vbi, quod genus, quale, ex quonam tempore, an à sempiterno fuerint, an ex igne sint, vt credit Heraclitus: an ex numeris, vt Pythagoras: an ex atomis, vt Epicurus. Sic alia, quæ faciliùs intra parietes in schola, quàm extra in foro ferre possunt aures. Nihil in hoc genere culpauit, quod phy-

B sicon vocauit, & ad Philosophos pertinet: tantùm quòd eorum inter se controuersias commemorauit, per quos facta est dissidentium multitudo sectarum. Remouit autem hoc genus à foro, id est a populis: Scholis verò & parietibus clausit. Illud autem primum mendacissimum atque turpissimum à ciuitatibus non remouit. O religiosas aures populares, atque in his etiam Romanas! quod de Diis immortalibus Philosophi disputant, ferre non possunt: quod verò Poetæ canunt, & histriones agunt, quia contra dignitatem ac naturam immortalium ficta sunt: quia non modò in hominem, sed etiam in contemptissimum hominem cadere possunt, non solùm ferunt, sed etiam libenter audiunt. Neque id tan-

C tùm sed diis quoque ipsis hæc placere, & per hæc eos placandos esse decernunt.

5. DELETIS. *Hierosolymâ captâ & euersâ, post incensum templum à Chaldæis, simulque post libros veteris Testamenti redactos in cinerem, Deo inspirante restituit Esdras. Et quidem Clem. Alex. libro primo. Strom. Theodor. in Præfat. Psalmorum. Irenæus lib. 3. cap. 25. Hieron. contra Heluidium Scriptorum sacrorum restaurator censetur. Alij tradunt scripturas ex variis locis collectas in vnum corpus conflasse, & vt erat eruditissimus in lege, Scribarum errata correxisse. Ita censet Athanasius in Synopsi. Chrysost. homil. 8. ad Hebr. Hilarius Præfat. in Psalmos. De quo Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 36.* Post hos, S. Aug.

D inquit, tres Prophetas, Aggæum, Zachariam, Malachiam, per idem tempus liberationis populi ex Babylonica seruitute, scripsit etiam Esdras, qui magis rerum gestarum scriptor est habitus quàm Propheta: sicuti est liber qui appellatur Esther, &c. *Libro autem 20. cap. 25.* Propheta, in- S. Aug.
quit, Malachias, siue Malachi, qui & Angelus dictus est, qui etiam Esdras Sacerdos, cuius alia in Canonem recepta sunt, ab aliquibus creditur: nam de illo hanc esse Hebræorum opinionem dicit Hieronymus, *in Proemio Malach. & in prologo duodecim Prophetarum refert hanc sententiam fuisse veterum Hebræorum, cui & ipse, sicut & Rupertus postea subscripsit, estque communior sententia. Et Raby Dauid recentior eam confirmat*, iudicium nouis- S. Aug.
simum prophetauit, dicens: ecce venit dicit Do-

E minus omnipotens, & quis sustinebit diem introitus eius?

6. BENE AVTEM QVOD CONVENIT. *Notat hîc consensum Pauli cum scriptis aliorum Apostolorum, & fidei Symbolo, & omni Disciplina Christiana ab Apostolis indicta, locum Pauli alibi retulimus.* HANC ÆQVALITATEM. *Vniformitatem, conspirationem eiusdem veritatis in Scriptura seruata à Spiritu sancto. De hoc consensu Scripturæ sacræ, diuersitati sectarum Philosophicarum præualente pulchrè D. Aug. lib. 18. de Ciuit. cap. 41.* Ipsi, *in-* S. Aug.
quit, Philosophi qui non videntur laborasse in studiis suis, nisi, vt inuenirent quomodo viuen-

dum esset accommodatè ad beatitudinem capessendam, cur dissenserunt, & a Magistris Discipuli, & inter se condiscipuli; nisi quia vt homines humanis sensibus, & humanis ratiocinationibus ista quæsierunt? vbi quamuis esse potuerit, & studium gloriandi, *quod supra notauit Author noster*, S. Aug. quo quisque alio sapientior & acutior videri cupit, nec sententiæ quodammodo addictus alienæ, sed sui dogmatis & opinionis inuentor: tamen vt nonnullos, vel etiam plurimos eorum fuisse concedam, quos à suis doctoribus, vel discendi sociis amor veritatis abruperit, vt pro ea certarent, quam veritatem putarent, siue illa esset, siue non esset; quid agit, aut quò, vel quà, vt ad beatitudinem perueniatur, humana se porrigit infelicitas, si diuina non ducit authoritas? Denique authores nostri, in quibus non frustra sacrarum Literarum figitur & terminatur Canon, absit vt inter se aliquâ ratione dissentiant. Vnde non immeritò, cùm illa scriberent, eis Deum, vel per eos locutum, non pauci in Scholis atque Gymnasiis litigiosis disputationibus garruli, sed in agris atque in vrbibus, cum doctis atque indoctis, tot tantique populi crediderunt. Ipsi sanè pauci esse debuerunt, ne multitudine vilesceret, quod charum religione esse oporteret; nec tamen ita pauci, vt eorum non sit miranda consensio. Neque enim in multitudine Philosophorum qui labore etiam literario monumenta suorum dogmatum reliquerunt, facilè quis inuenerit, inter quos cuncta quæ sensere conueniant, S. Aug. &c. *Quod probat ex diuersitate sectarum Philosophorum: & concludit:* vt non frustrà, inquit, talis ciuitas mysticum vocabulum Babylonis acceperit, &c. Nec interest diaboli Regis eius, quam contrariis inter se rixentur erroribus, quos meritò multæ variæque impietatis pariter possidet. At verò gens illa, ille populus, illa ciuitas, illa Respublica, illi Israëlitæ quibus credita sunt eloquia Dei, nullo modo Pseudoprophetas cum veris Prophetis, pari licentiâ confuderunt, sed concordes inter se atque in nullo dissentientes sacrarum Literarum veraces ab eis agnoscebantur & tenebantur Authores. Ipsi eis erant Philosophi hoc est amatores sapientiæ, ipsi sapientes, ipsi Theologi, ipsi Prophetæ, ipsi Doctores pietatis atque probitatis. Quicumque secundùm illos sapuit, & vixit, non secundùm homines, sed secundum Deum qui per eos locutus est, sapuit & dixit. Ibi si prohibitum est sacrilegium, Deus prohibuit. Si dictum est honora Patrem, &c. Deus iussit. Si dictum est, non mœchaberis, non homicidium facies, non furaberis, &c. huiusmodi: non hæc ora humana, sed oracula diuina fuderunt.

Quod attinet ad consensum Authorum Scripturæ diuinæ, nihil vtique mirabilius quàm quod idem Augustinus retulit de concordia 70. interpretum in translatione veteris Testamenti Hebraici in Græcum. De his sic habet epist. 8. ad Hieron. S. Aug. 70. inquit, quorum est grauissima Authoritas &c. satis nequeo admirari si aliquid adhuc in Hebræis exemplaribus inuenitur, quod tot interpretes illius linguæ peritissimos fugerit, &c. de quorum vel consilij, vel spiritus maiore concordiâ, quàm si vnus homo esset, non audeo in aliquam partem certam ferre sententiam, nisi quod eis præeminentem authoritatem in hoc munere sine controuersia tribuendam existimo. *Et ep. 19. ad eundem:* S. Aug. hi qui me inuidere putant vtilibus laboribus tuis, tandem aliquando si fieri potest intelligant, propterea me nolle tuam ex Hebræo interpretationem in Ecclesiis legi, ne contra 70. authoritatem tanquam nouum aliquid proferentes, magno scandalo perturbemus plebes Christi, quarum aures & corda illam interpretationem audire consueuerunt, quæ etiam ab Apostolis approbata est. *Paulò supra sic eidem scribebat.* S. Aug. De interpretatione tua iam mihi persuasisti quâ vtilitate scripturas volueris transferre de Hebræis; vt scilicet ea quæ a Iudæis prætermissa, vel corrupta sunt, proferres in medium, &c. qui propterea putari possunt aliqua de codicibus Græcis vel subtraxisse, vel magis corrupisse ne illis testimoniis, de Christiana fide conuincerentur. *Quod & iam dixerat sub finem Epistolæ 10. vbi querebatur de corrupta versione Græca 70. interpretum. Et tom. 3. lib. 2. de doctrina Christiana cap. 15.* S. Aug. Septuaginta. Interpretum, inquit, quod ad vetus Testamentum attinet, excellit authoritas: qui iam per omnes peritiores Ecclesias, tantâ præsentiâ Spiritus sancti interpretati esse dicuntur, vt os vnum tot hominum fuerit. Qui si vt fertur multique non indigni fide prædicant, singuli cellis etiam singulis separati cùm interpretati essent, nihil in alicuius eorum codice inuentum est, quod non iisdem verbis eodemque verborum ordine, inueniretur in cæteris: quis huic authoritati conferre aliquid, nedum præferre audeat? Si autem contulerunt, vt vna omnium communi tractatu iudicioque vox fieret, nec sic quidem quemquam vnum hominem qualibet peritiâ, ad emendandum tot seniorum doctorumque consensum aspirare oportet, aut decet. Quamobrem etiam si aliquid aliter in Hebræis exemplaribus inuenitur, quàm isti posuerint, cedendum esse arbitror diuinæ dispensationi quæ per eos facta est: vt libri quos gens Iudæa cæteris populis, vel religione, vel inuidiâ prodere nolebat, credituris per Dominum Gentibus, ministrâ Regis Ptolomæi potestate tanto ante proderetur, &c. *De eorumdem vnanimi ac mirabili consensu rursum loquitur tom. 4. libro 1. quæst. in Gen. q. 149.* S. Aug. Septuaginta Interpretum authoritas, quæ tanto etiam diuinitus facto miraculo commendatur, tantâ in Ecclesiis vetustate firmatur. *Lege eumdem lib. 2. de consensu Euang. cap. 66. libro autem 18. de Ciuit. cap. 42.* S. Aug. Has, inquit, sacras literas etiam vnus Ptolemæorum Regum Ægypti nosse studuit & habere. *Dehinc narrat quomodo post Alexandrum magnum qui superata Asia Iudæam obtinuit, diuisis eius regnis & dissipatis inter comites eius:* Ptolemæos Reges habere cœpit Ægyptus. Quorum primus Lagi filius, multos ex Iudæa captiuos in Ægyptum transtulit. *Et sub hoc factam fuisse translationem 70. refert Irenæus libro 3. cap. 28. & Clem. Alex. 1. Strom. sed cum Augustino Aristæus in hist. Iosephus lib. 12. Antiq. c. 2. & lib. 2. cont. Apionem. Philo. lib. 2. de vita Moysi Tertull. Apol. 18 Athan. in Synopsi. Epiph. lib. de mensuris & pond. sub Ptolemæo Philadelpho dicti Lagi successore.* Huic autem succedens alius Ptolomæus qui est appellatus Philadelphus, omnes quos ille adduxerat subiugatos, liberos redire permisit: insuper & dona Regia in templum Dei misit, petiuitq; ab Eleazaro tunc Pontifice, dari sibi Scripturas, quas profectò audierat famâ prædicante diuinas: & ideo concupiuerat habere in Bibliotheca quam nobilissimam fecerat. Has ei cùm idem Pontifex misisset Hebræas: post etiam ille interpretes postulauit, & dati sunt ei 72. de sin-

gulis duodecim tribubus sein-homines, linguæ A vtriusque doctissimi, Hebrææ scilicet atque Græcæ, &c. traditur sanè tam mirabilem ac stupendum, planéque diuinum in eorum verbis fuisse consensum, vt cùm ad hoc opus separatim singuli sederint; ita enim eorum fidem Ptolemæo Regi placuit explorare; *Id quoque sentit Iustinus Martyr. orat. Parænetica ad gentes & cellarum vestigia se propriis oculis vidisse, non longè ab Alexandria, & incolarum traditione rem certissimè didicisse. Philo quoque de vita Mosis. Clem. Alex. suprà. Et Iren. Cyril. Ierosol. Catech. 4. Epiph. verò. supra, singulas cellas binis datas num. 36. vt & Iustinianus Nouella 146. Hiero. autem Præfat. 1. in Paralip. & in Pentateuch. Et ep. 104. & 107. & in Apol. cont. Ruff. istas cellas fabulosas dixit, sed pluribus contra credendum est:* B

S. Aug. In nullo verbo, quod idem significaret, & tantumdem valeret, vel in verborum ordine, alter ab altero discreparet: sed tanquam si vnus esset interpres, ita quod omnes interpretati sunt vnum erat; quoniam reuerà spiritus vnus erat in omnibus. 70. *dicuntur breuitatis causâ, cùm essent 70. sicut & discipuli 72. Ne autem res conficta dici posset à Christianis circa Prophetias de Christo & Ecclesia, Deo sic prouidente, longè ante Christum interpretati sunt. Ita enim Hilarius in Psal. 2.* Perfecta, inquit, horum interpretum autoritas manet, quòd ante aduentum corporalem Christi transtulerunt, nec adulatio interpretandi tempori adhibita arguitur tantò anterioris interpretationis ætate. *Rationem porrò reddit, cur 70. differant in multis ab Hebræis, eodem libro* C

S. Aug. *18. de Ciuit. cap. 43.* Quidquid, inquit, est in Hebræis codicibus & non est apud interpretes 70. noluit hoc per istos, sed per illos Prophetas, Dei spiritus dicere. Quidquid verò est apud 70. in Hebræis autem codicibus non est, per istos maluit, quam per illos, idem spiritus dicere; sic ostendens, vtrosque fuisse Prophetas. Isto enim modo, alia per Esaiam, alia per Ieremiam, alia per alium, atque alium Prophetam; vel aliter eadem per hunc, ac per illum dixit, vt voluit. *Quod & notauit proprio*

S. Aug. *loco de consensu Euangelistarum.* Quidquid porrò apud vtrosque inuenitur, per vtrosque dicere voluit vnus atque idem Spiritus: sed ita, vt illi præcederent prophetando, isti sequerentur, prophetice illos interpretando; quia sicut in illis, vera & concordantia dicentibus vnus spiritus pacis fuit; sic & in istis non secum conferentibus, & tamen tanquam vno ore cuncta interpretantibus, idem spiritus vnus apparuit. D *Nec prætereibo quod Hieronymus libro 2. contra Ruffinum, & præfatione in Pentateuchum, recenset multa loca omissa à 70. interpretibus, quæ tamen inueniuntur in codicibus Hebræis. In eadem autem Præfatione, sicut & sua in Esaiam ex Hebr. translat. rationem assignat huius omissionis; quòd Regi Alexandriæ Ptolemæo mystica quadam prodere noluerint, & ea maximè quæ Aduentum Christi promittebant; ne viderentur Iudæi alium Deum colere præter vnum, quem Rex ipse Platonicus colebat, & ideò Iudæos magni faciebat, quia Deum vnum colere dicebantur.* E *Restat iam vt de Moyse primo Scripturæ authore, & eiusdem veneranda præ cunctis scriptoribus antiquitate, iuxta Augustinum dicamus. Lib. 18. de Ciuit. cap. 37.* Tempore,

S. Aug. inquit, nostrorum Prophetarum, quorum iam scripta ad notitiam ferè omnium gentium peruenerunt, Philosophi gentium nondum erant, qui hoc etiam nomine vocarentur, quod cœpit à Samio Pythagora, in eo tempore quò Iudæorum soluta est captiuitas, cœpit excellere atque cognosci. *Captiuitatem Babylonicam intellige, & aduerte ex Eusebio floruisse Pythagoram Olympiade 62. vel 64. Ex Tatiano, cùm esset Pontifex Iesus Iosedech, & Princeps Zorobabel, & vltimi prophetarent Aggæus, Zach. & Malach.* Ipse Socrates Atheniensis, magister omnium qui tunc maximè claruerunt, tenens in ea parte quæ moralis vel actiua dicitur, principatum, post Esdram in Chronicis inuenitur. *Scribit Laërtius natum anno 4. Olymp. 77, mortuum Anno ætatis suæ* 70. non multò post etiam Plato natus est, qui longè cæteros Socratis discipulos anteiret. *Ex eodem Laërt. iuxta Apollodorum natus est Olymp. 88. mortuus agens annum 81.* quibus si addamus etiam superiores, *ætate*, qui nondum Philosophi vocabantur, septem scilicet sapientes, ac deinde Physicos qui Thaleti successerunt, in perscrutanda natura rerum, studium eius imitati, Anaximandrum scilicet & Anaximenem, & Anaxagoram, aliosque nonnullos antequam Pythagoras se Philosophum primus profiteretur; nec illi Prophetas nostros vniuersos temporum antiquitate præcedunt: quandoquidem Thales, post quem cæteri fuerunt, regnante Romulo eminuisse fertur, quando de fontibus Israël, in eis literis quæ toto orbe manarent, Prophetiæ flumen erupit. Soli igitur illi Theologi Poetæ, Orpheus, Linus, Musæus, & si quis alius apud Græcos fuit, his Prophetis Hebræis, quorum scripta in authoritate habemus, annis reperiuntur priores. *Ex Euseb. in Chron. Orpheus Thrax, & Musæus eius discipulus, sub Gedeone; Linus, sub Othoniele, Hebræos gubernante.* Sed nec ipsi verum Theologum nostrum Moysem, qui vnum verum Deum veraciter prædicauit, cuius nunc scripta in authoritatis Canone prima sunt, tempore præuenerunt: ac per hoc, quantùm ad Græcos attinet, in qua lingua literæ huius sæculi maximè ferbuerunt, nihil habent vnde sapientiam suam iactent, quo religione nostra, vbi vera sapientia est, si non superior, saltem videatur antiquior. Verùm quod fatendum est, non quidem in Græcia, sed in Barbaris gentibus, sicut in Ægypto, iam fuerat ante Moysem nonnulla doctrina, quæ illorum sapientia diceretur: alioquin non scriptum esset in libris sanctis, Moysen eruditum fuisse, omni sapientia Ægyptiorum, *Clem. Alex. 1. Strom. Arithmeticam, Geometriam, Rythmicam, Harmonicham, Musicam, Medicinam, Hieroglyphicam edoctus est.* Tunc vtique quando ibi natus est, & à filia Pharaonis adoptatus atque nutritus, etiam liberaliter educatus est. Sed nec sapientia Ægyptiorum, sapientiam Prophetarum nostrorum tempore antecedere potuit, quandoquidem & Abraham Propheta fuit. *Acceptis à Deo tot visionibus & reuelationibus de benedictione sui seminis, & Christo venturo, qui de ipso dixit: Abraham exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est.* Quid autem sapientiæ esse potuit in Ægypto, antequam eis Isis, quam mortuam tanquam magnam Deam colendam putauerunt, literas traderet? Isis porrò Inachi filia fuisse proditur, qui primus regnare cœpit Argiuis, quando Abrahæ iam nepotes reperiuntur exorti. *Eusebius initio Chronici.* Regnum, inquit, Argiuorum simul cum Abrahæ nepotibus ortum est, vbi primus regnauit Inachus. *Aug. ibid. cap. 40. ridet iactantes antiquam Ægyptiorum sapientiam.* Frustrà, inquit, vanissimâ præsumptione garriunt quidam dicentes, ex quo S. Aug. rationem syderum comprehendit Ægyptus, amplius quàm centum annorum millia numerari. In quibus enim libris istum numerum collegerunt, qui non multum ante annorum duo millia, literas magistrâ Iside didicerunt? non enim paruus author est in historia Varro qui hoc prodidit, quod à literarum etiam diuinarum veritate non dissonat. Cùm enim ab ipso primo homine qui appellatur

est Adam, nondum sex millia annorum complecantur, quomodo non isti ridendi potiùs, quàm refellendi sunt, qui de spatio temporum tam diuersa, & huic exploratæ veritati tam contraria persuadere conantur? Cui enim narranti meliùs præterita credimus, quàm qui etiam futura prædixerit, quæ præsentia iam videmus? Nam & ipsa historicorum inter se dissonantia, copiam nobis præbet, vt ei potiùs credere debeamus, qui diuinæ, quam tenemus, non repugnat historiæ. Portò autem ciues impiæ ciuitatis, diffusi vsquequaque per terras, cùm legunt doctissimos homines, quorum nullius contemnenda videatur authoritas, inter se de rebus gestis ab ætatis nostræ memoria remotissimis discrepantes, cui potiùs credere debeant, non inueniunt. *Quàm prædicto Varroni.* Nos verò in nostræ religionis historia, fulti authoritate diuinâ, quidquid ei resistit, non dubitamus esse falsissimum, quomodolibet sese habeant cætera in sæcularibus literis: quæ siue vera, seu falsa sint, nihil momenti afferunt quô rectè beatéque viuamus. *Et lib. 2. contra Cresc. cap. 31.* Neque sine causa, inquit, tam salubri vigilantiâ Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertineant, quos omnino non iudicare debeamus, & secundùm quos de cæteris literis fidelium, vel infidelium liberè iudicemus. *De eadem authoritate Scriptura sic fatur lib. 11. cont. Faust. c. 5.* Excellentia, inquit, Canonicæ authoritatis veteris, & noui Testamenti, quæ Apostolorum confirmati temporibus, per successiones Episcoporum, & propagationes Ecclesiarum, tanquam in sede quadam sublimiter constituta est, *unde & in Concilio Ephesino, & Chalcedon. iidem libri in sublimi throno positi sunt*, cui seruiat omnis fidelis & pius intellectus. *Tandem vt breuiter concludam: lib. 12. Confess. cap. 23.* Discedant, inquit, à me longè omnes qui ea quæ falsa sunt, Moysem dixisse arbitrantur. *Et lib. 2. de Gen. ad lit.* Maior certè est huius Scripturæ autoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas. *Et l. 2. de doctrina Christ. cap. 42.* Quidquid, inquit, homo extra didicerit, si noxium est, ibi damnatur, si vtile est, ibi inuenitur. Et cùm ibi quisque inuenerit omnia quæ vtiliter alibi didicit, multò abundantiùs ibi inueniet ea quæ nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodo scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate discuntur.

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

Ad Scripturas Canonicas quod attinet, librorum omnium seriem immediatè habemus à Concilio Tridentino in Decreto de Scripturis Canonicis, quod præfixi in calce huius tomi ante indicem Scripturæ sanctæ. Quem Canonem prior ediderat Eugenius quartus in Concil. Florentino ad Armenos. Rursum Eugenius 4. acceperat à Gelasio in Concilio Romano. Gelasius ab Augustino lib. 2. de doct. Christiana cap. 8. his verbis; Totus, inquit, Canon Scripturarum, in quo istam considerationem versandam dicimus, his libris continetur, quinque Moyseos, &c. In his omnibus libris, timentes Deum & pietate mansueti quærunt voluntatem Dei. Cuius operis & laboris prima obseruatio est, vt diximus, nosse istos libros, & si nondum ad intellectum, legendo tamen, vel mandare memoriæ, vel omnino incognitos non habere. Deinde illa vt in eis apertè posita sunt, vel præcepta viuendi, vel regulæ credendi, solertiùs, diligentiúsque intelligenda sunt. Quæ quantò quisque plura inuenit, tantò est intelligentiâ capacior. In iis enim quæ apertè in Scriptura posita sunt, inueniuntur illa omnia quæ continent fidem, moresque viuendi, spem scilicet atque charitatem, de quibus libro superiore tractauimus. Tum verò factâ quadam familiaritate cum ipsa lingua diuinarum Scripturarum, in ea quæ obscura sunt aperienda, & discutienda pergendum est, vt ad obscuriores locutiones illustrandas, de manifestioribus sumantur exempla: & quædam certarum sententiarum testimonia, dubitationem de incertis auferant. In qua re memoria valet plurimùm quæ si defuerit, non potest his præceptis dari. Duabus autem causis non intelliguntur quæ scripta sunt, si aut ignotis, aut ambiguis signis obteguntur.

S. Aug.

Augustinus porrò Canonem accepit à Concilio Carthaginensi tertio, quod alij quintum, alij sextum vocant. Canone 47. Placuit vt præter Scripturas Canonicas, nihil in Ecclesia legatur sub nomine diuinarum Scripturarum. Sunt autem Canonicæ Scripturæ. Genesis, &c. Hoc etiam fratri & consacerdoti nostro Bonifacio, vel aliis earum partium Episcopis pro confirmando isto Canone innotescat, quia a Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda. Liceat etiam legi passiones Martyrum, cùm Anniuersarij dies eorum celebrantur.

Rursum in Concilio Laodiceno Canone 16. Sabbatis Euangelia cum aliis scripturis legenda esse censemus. *Et Canone 59.* Quæ autem oporteat legi & in authoritatem recipi, hæc sunt, Genesis, &c. *Vbi nota non ibi poni Sapientiam, neque Ecclesiasticum, Tob. Iudith, Esdram, Apocalypsim.*

Aduertendum etiam Canonem 85. Apostolorum, subreptitium esse, & falsum; tum quòd recenseat inter libros Canonicos, Constitutiones, & Epistolas Apochryphas Clementis; tum quòd inter Scripturas Canonicas non recenseat libros Esdræ, Iudith, Tobiæ, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Apocalypsis.

Tandem Concil. Carthaginense præfatum accepit Canonem ab Innocentio I. ep. 3, ad Exuperium Episc. Tolosanum Canone 7. Qui verò, inquit, libri recipiantur in Canone sanctarum Scripturarum, breuis annexus ostendit. Hæc sunt ergo quæ desiderata moneri voce voluisti. Moysi libri quinque &c. Cætera autem quæ vel sub nomine Matthiæ siue Iacobi Minoris, vel sub nomine Petri & Ioannis, quæ à quodam Leucio scripta sunt, vel sub nomine Andreæ, quæ à Nexocharide, & Leonide Philosophis, & sub nomine Thomæ, & si qua sunt alia, non solùm repudianda, verùm etiam noueris esse damnanda. Datum decimo Kal. Martij Stilicone 2. & Antemio viris clarissimis Consulibus. *Ante annum itaque 402. quo viuebat Innocentius; nil de fide definitum erat quantùm ad libros Canonicos. Vnde Patres aliqui aliquos pro libito admittebant, aut reiiciebant.*

7. Scripturâ veteris testamenti Iudæorum propriâ vtimur: quibus repulsis, nos Gentiles suffecti sumus, relictis eorum ceremoniis, eiusdem Dei cultu seruato. Apol. cap. 21.
V. Verbum Iudæi. num. 8.

8. Scriptura Sacra obscura est, vt intellectum, & humilitatem exerceat. 3. cont. Marc. cap. 18 à p.

VTique vel maximè sacramentum istud figurari in prædicatione oportebat, quantò incredibile, tantò magis scandalo futurum, si nudè prædicaretur: quantoque magnificum, tantò magis obumbrandum, vt difficultas intellectus gratiam Dei quæreret. *Et de Resur. c. 28. circa f.* Sunt & quædam ita pronuntiata, vt allegoriæ quidem nubilo careant, nihilominus tamen ipsius simplicitatis suæ sitiant interpretationem. Quale est apud Esaiam. [a] *Ego occidam, & viuificabo.* Certè posteaquam occiderit, viuificabit.

1. Cor. 1. 23.
a Esa. 38. 16.
Deut. 32. 39.

SCRIPTVRA VETERIS TESTAMENTI. 7. 8. SCHOL.

SACRAMENTVM ISTVD *mysterium redemptionis debuit priùs per figuras prophetari obscurè, ne si clarè prædicaretur à Prophetis, plus scandali quàm ædificationis pareret, quantò enim magis gloriosum fuit, tantò amplius obtegendum erat, vt obscuritate sua intellectum humanum exerceret, qui imparem se luci inaccessibili expertus humiliaretur, & humilitate sua gratiam fidei & intelligentiæ scripturarum mereretur.*

ET DE RESVR. SVNT QVÆDAM. *Scripta in sacris codicibus in nuda & plana litera, absque allegoriis & figuris, quæ tamen desiderant expositionem; sicut illud Esa. Et hic errat; nusquam enim sic legitur, sed cap. 38. 16.* corripies me & viuificabis me, *quod tamen apud 70. non habetur, sed simpliciter* Domine: De ipsa enim, *anima*, annuntiatum est tibi, & suscitasti spiritum meum. *Sed legitur Deuteronomij 32. 39.* Ego occidam & ego viuere faciam. *Siue in præsenti apud 70.* Ego occido, & viuere faciam. *Quod Tertullianus interpretatur de Resurrectione corporum. Quàm vtilis sit scripturæ obscuritas, docuit Augustinus, to. 3. lib. 2. de doct. Christ. cap. 5. vbi de confusione linguarum facta merito superbiæ, cap. præcedenti dixerat:* Ex quo, inquit, factum est, vt etiam Scriptura diuina, quâ tantis morbis humanarum voluntatum subuenitur, ab vna lingua profecta, quâ opportunè potuit per orbem terrarum disseminari, per varias interpretum linguas longè lateque diffusa innotesceret Gentibus ad salutem, quam legentes, nihil aliud appetunt, quam cogitationes voluptatemque illorum à quibus conscripta est, inuenire; & per illas, voluntatem Dei, secundum quam tales homines locutos esse credimus. Sed multis, & multiplicibus obscuritatibus & ambiguitatibus decipiuntur qui temerè legunt, aliud pro alio sentientes: quibusdam autem locis, quid vel falsò suspicentur, non inueniunt: ita obscurè quædam dicta, densissimam caliginem obducunt. Quod totum prouisum diuinitus esse non dubito, ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio renouandum, cui facilè inuestigata plerumque vilescunt. &c. *Et cap. 6.* Nemo ambigit, inquit, & per similitudines libentius quæque cognosci, & cum aliqua difficultate quæsita, multò gratius inueniri. Qui enim prorsus non inueniunt quod quærunt, fame laborant. Qui autem non quærunt, quia in promptu habent, fastidio sæpè marcescunt. In vtroque autem languor cauendus est. Magnificè igitur & salubriter Spiritus sanctus ita Scripturas sanctas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur. *Et lib. 15. de Trinit. cap. 17.* Spiritus sanctus secundum Scripturas sanctas, nec Patris solius est, nec filij solius, sed amborum, & ideo communem quâ inuicem se diligunt Pater & filius, nobis insinuat charitatem. Vt autem nos exerceret Sermo diuinus, non res in promptu sitas, sed in abdito scrutandas, & ex abdito eruendas, maiore studio fecit inquiri. Non itaque dicit Scriptura, Spiritus sanctus charitas est: quod si dixisset, non paruam partem quæstionis istius abstulisset: sed dixit, Deus charitas est: vt incertum sit, & ideo requirendum vtrùm Deus Pater sit charitas, an Deus filius, an Deus Spiritus sanctus, an Deus ipsa Trinitas. *Et præfatione in Psal. 140.* Sunt, inquit, in Scripturis sanctis profunda mysteria, quæ ad hoc absconduntur, ne vilescant; ad hoc quæruntur, vt exerceant; ad hoc aperiuntur, vt pascant. &c. Ideo multipliciter dicta sunt, vt veritas locutionis, fastidium tolleret varietatis. &c. *Et rursum ibid.* Si nusquam aperta esset, non te pasceret: si nusquam occulta, non te exerceret.

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

9. Scriptura Sacra futura pro transactis narrat: quia nihil Deo eius authori futurum est, sed omnia certa vt iam facta, quin & præsentia. 3. cont. Marc. cap. 5. à p.

DVas causas prophetici eloquii adlego agnoscendas abhinc aduersariis nostris, Vnam, quâ futura interdum pro iam transactis enuntiantur. Nam & diuinitati competit, quæcunque decreuerit, vt perfecta reputare, quia non sit apud illam differentia temporis, apud quam vniformem statum temporum dirigit æternitas ipsa, & diuinationi propheticæ magis familiare est, id quod prospiciat, dum prospicit, iam visum, atque ita iam expunctum, id est, omni modo futurum demonstrare, sicut per Esaiam, [a] *Dorsum meum posui in flagella, maxillas autem meas in palmas, faciem meam verò non auerti à sputaminibus.* Siue enim Christus iam tunc in semetipsum secundum nos, siue Propheres de semetipso secundum Iudæos pronuntiabat, nondum tamen factum, pro iam transacto sonabat.

a Esa. 50. 6.

SCRIPTVRA SACRA. 9. SCHOL.

DIVINITATI COMPETIT. *Nihil sic congruum est Deo æterno & immutabili, qui æternitate suâ indiuisibili & vniformi omnia metitur, regit, & dirigit tempora, quàm vt quæcumque futura decreuit, iam pro factis & transactis habeantur. Hinc Prophetis Dei præscientiæ participibus frequens est, vt ea quæ prauident, quasi iam impleta enuntient; quale est illud Esa. 50. 6. vbi siue de se, siue de Christo eum repræsentans loquatur, quasi iam factum & præteritum narrat certitudine prophetiæ quod futurum erat.* Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus & cōspuentibus in me. *Iuxta 70.* Dorsum meum dedi ad flagella, & genas meas ad alapas; & faciem meam non auerti à confusione sputorum. *De hoc loquendi modo in Scriptura frequenter Augustinus sic in Psal. 3.* Animaduertendum est, inquit, quemadmodum in vna sententia, & præteriti temporis verbum posuit, & futuri. Et exurrexi enim dixit, quod est de præterito, & suscipiet, quod est de futuro: cùm resurgere vtique, nisi illâ susceptione non posset. *Ita enim legit Augustinus: Ego dormiui & somnum cepi, quoniam Dominus suscipiet me.* Sed in prophetia benè miscentur futura præteritis, quo vtrumque significetur. Quia ea quæ ventura prophetantur, secundum tempus futura sunt: secundum scientiam verò prophetantium, iam pro factis habenda. *Et in Psal. 43.* Saluos fecisti nos ex affligentibus nos. Et hoc figurâ præteriti, de futuro dicitur, sed ideo tanquam præteritum dicitur, quia tam certum est, quàm si factum sit. Intendite quare pleraque Prophetæ ita dicunt tanquam præterita sint, cùm prænuntientur futura, non facta. Nam & de ipso Domino, futura passio prænuntiabatur, & tamen, foderunt, inquit, manus meas. &c. Non dixit, fodient, & dinumerabunt: Ipsi verò considerauerunt. &c. Non dixit considerabunt. &c. diuiserunt sibi vestimenta mea; non dixit diuident. Omnia ista tanquam præterita dicuntur, cùm futura sint, quia Deo & futura tam certa sunt, tanquam

(S. Aug.) (S. Aug.)

A præterita sint. Nobis enim ea quæ præterierunt, certa sunt; quæ futura, incerta sunt. Nouimus enim aliquid accidisse, & non potest fieri, vt non acciderit, quod accidit. Da Prophetam, cui tam certum sit futurum, quam tibi præteritum; Et quàm tibi quod meministi factum non potest fieri, vt non sit factum; tam illi quod nouit futurum, non potest fieri, vt non fiat. Ideo de securitate dicuntur tanquam præterita, quæ adhuc futura sunt. *Et in Psal. 84.* Ibi, inquit, Propheta videbat futura nobis, iam verò facta in illius prouidentia & prædestinatione certissima. &c. tanquam facta dicit quæ futura erant. *Et ibidem in versum.* Auertisti captiuitatem Iacob. &c. quoniam, inquit, de futuro ista dicuntur, quamuis verba præterita sonent, sequitur & dicit auerte iracundiam tuam à nobis, nonne iam dudum dicebat, auertisti captiuitatem Iacob. &c. Quomodo hîc & auerte iracundiam tuam à nobis? Respondet tibi Propheta: illa dico quasi facta, quia video futura: quia verò nondum facta sunt, B oro vt veniant, quæ iam vidi. *Multa alia similia prætereo. Sic & Ser. 20. de Verb. Apost. ex Io. 15.* Omnia quæ audiui a Patre meo, nota feci vobis. Puto quia in spe dixit hoc, nondum in re: puto quod facturus erat, non quod iam fecerat. Et vnde probatur, cùm ille dicat, nota vobis feci; non dicat, nota vobis faciam? quia dicuntur quædam de Scripturis de præterito, quæ intelliguntur de futuro. *Subijcit exemplum Psalmi 21. foderunt manus meas. &c.* Spe salui facti sumus &c. non nisi de præterito dicimus: & quoniam spe salui facti sumus, nondum re, adhuc futurum est quod speramus. &c. propter certam ergo spem, quâ sine dubio sciebat id fuisse futurum, apud illum tanquam factum computabatur: & ideo dicebat, nota feci vobis. *Quanquam vt ibidem notat, si hoc iam factum erat, quare alio loco, Io. 16. dicit illis,* adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo? &c. differt, non aufert.

(S. Aug.) (S. Aug.) (S. Aug.)

SCRIPTVRA NOVI TESTAMENTI CERTÒ TENENDA EST VT DIVINA.

1. *Scripturam Actuum Apostolorum qui non admittit, incunabula Ecclesiæ nescit; & ad Spiritum Sanctum non pertinet. De præscr. cap. 22. in f. Vide. V. Acta. Apostolorum. num. 1. & 2.*

2. *Scriptura noui Testamenti, parabolicè loqui credenda non est, nisi cùm præmittit ipsum parabolæ nomen. De Resur. cap. 33. à p.*

AD Euangelia nunc prouoco, hîc quoque occursurus prius eidem astutiæ eorum, qui proinde & Dominum omnia in parabolis pronuntiasse contendunt, quia scriptum est, [a] *Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis, & sine parabola non loquebatur ad illos,* scilicet ad Iudæos. nam & discipuli, [b] *Quare*, aiunt, *in parabolis loqueris?* & Dominus; *Propterea in parabolis loquor ad eos, vt videntes non videant, & audientes non audiant*, secundùm Esaïam. Quod si ad Iudæos in parabolis, iam non ad omnes: si non ad omnes in parabolis, iam non semper, nec omnia parabolæ; sed quædam, cùm ad quosdam. ad quosdam autem, dum ad Iudæos. nonnunquam planè & ad discipulos. Sed quomodo referat scriptura considera: [c] *Dicebat autem & parabolam ad eos*: ergo & non parabolam dicebat, quia non notaretur quum parabolam loquebatur, si ita semper loquebatur. Et tamen nullam parabolam non aut ab ipso inuenias edissertatam, vt de seminatore, in verbi administratione; aut à commentatore Euangelij præluminatam, vt iudicis superbi, & viduæ instantis, ad perseuerantiam orationis; aut vltro conjectandam, vt arboris fici, dilatæ in spem, adinstar Iudaïcæ infructuositatis.

a Math. 13. 34.
b Ibid. 10.
c Luc. 18. 9.
Math. 13. 3. & seq. Luc. 18. 2. & seq. Luc. 13. 6. & seq.

3. *Scriptura sensum literalem allegoria euertere non debet, sed præsupponere. Cont. Hermog. cap. 34. in. m.*

QVæ omnia etsi alter putauerit spiritaliter interpretanda, non tamen poterit auferre veritatem ita futurorum, quomodo scripta sunt. Si quæ enim figuræ sunt, ex rebus consistentibus fiant necesse est, non ex vacantibus: quia nihil potest alij similitudinem de suo præstare, nisi sit ipsum quod tali similitudine præstet.

4. *Scripturæ parabolæ, sæpè detorquentur in alium sensum: Vbi & de parabola duorum filiorum, prodigi & frugi, Iudæum & Gentilem exprimentium. De pudic. cap. 8. per totum. & 9. in. p.*

SEdenim plerosque interpretes parabolarum, idem exitus decipit, quem in vestibus purpurâ oculandis sæpissimè euenire est; quum putaueris rectè conciliasse temperamenta colorum, & credideris comparationes eorum inter se animasse, erudito mox vtroque corpore, & luminibus expressis, errorem omnem traducta diuersitas euomet. Eadem Luc. 15. 11. itaque caligine circa filiorum quoque duorum parabolam quibusdam ad præsens concolorantibus figuris, à vero lumine exorbitant eius comparationis, quam parabolæ materia prætexit. Duos enim populos in duobus filiis collocant, Iudaïcum maiorem, Christianum minorem. Nec enim possunt exinde Christianum peccatorem in filio minore dispo- Rom 9. 4 nere veniam consecuturum, nisi in maiore Iudaïcum expresserint. Porrò, si Iudaïcum ostendero deficere à comparatione filij maioris, consequenter vtique nec Christianus admittetur ad configurationem filij minoris. Licet enim filius audiat & Iudæus, & maior, quia prior in adoptione; licet & Christiano reconciliationem Dei Patris inuideat, quod vel maximè diuersa pars carpit, sed non erit Iudæi dictum ad Patrem, [a] *Ecce quot annis tibi seruio, & præceptum tuum nunquam præterii.* Quando enim non transgressor legis Iudæus, [b] *aure audiens, & non audiens?* [c] *odio habens traducentem in portis, & aspernamento sermonem sanctum?* Sic nec Patris ad Iudæum erit vox, [d] *Tu semper mecum es, & omnia mea, tua sunt.* Iudæi enim apostatæ filij pronuntiantur; generati quidem, & in altum elati, sed qui [e] *non computauerint Dominum, & qui dereliquerint Dominum, & in iram prouocauerint Sanctum Israëlis.* Omnia planè Iudæo concessa dicemus, cui etiam conditio gratior quæque de gula erepta est, nedum ipsa terra paternæ promissionis. Atque adeo non minùs hodie Iudæus, quàm minor filius prodactâ substantiâ Dei in aliena regione mendicat, seruiens vsque adhuc principibus eius, id est, sæculi huius. Quærant igitur alium Christiani suum fratrem; Iudæum enim parabola non recipit. Multò aptiùs Christianum maiori, & Iudæum minori filio adæquassent secundùm fidei comparationem, si ordo vtriusque populi ab vtero Rebeccæ designatus, permitteret demutationem, nisi quod & clausula refragaretur. Christianum enim de restitutione Iudæi gaudere, & non dolere conueniet; siquidem tota spes nostra cum reliqua Israëlis exspectatione coniuncta est. Ita, & si quædam faciant, sed aliis contrà sapientibus interimitur exemplorum peræquatio. Quanquam etsi omnia ad speculum respondere possint, vnum sit præcipuum periculum interpretationum, ne aliorsum temperetur felicitas comparationum, quàm quò parabolæ cuiusque materia mandauit. Meminimus enim & histriones cùm allegoricos gestus adcommodant canticis, alia longè à præsenti, & fabula, & scena, & persona, & tamen congruentissimè exprimentes. Sed viderit ingenium extraordinarium. Nihil enim ad Andromacham. Sic & hæretici easdem parabolas quò volunt tribuunt, non quò debent, aptissimè excludunt. Quare aptissimè? quoniam à primordio secundùm occasiones parabolarum, ipsas materias confinxerunt doctrinarum. Vacauit scilicet illis solutis à regula veritatis, ea conquirere atque componere, quorum parabolæ videntur. Nos autem, quia non ex parabolis materias commentamur, Cap. 1x. sed ex materiis parabolas interpretamur, nec valdè laboramus omnia in expositione torquere, dum contraria quæque caueamus. quare centum oues? & quid vtique decem Luc. 15. 4. drachmæ? & quæ illæ scopæ? Necesse erat, qui vnius peccatoris salutem gratissimam Deo volebat exprimere, aliquam numeri quantitatem nominaret, de quo vnum quidem perisse describeret; necesse erat vt habitus requirentis drachmam in domo, tam scoparum quàm lucernæ adminiculo adcommodaretur. Huiusmodi enim curiositates, & suspecta faciunt quædam, & coactarum expositionum subtilitate plerunque deducunt à veritate. Sunt autem quæ & simpliciter posita sunt ad struendam, & disponendam, & texendam parabolam, vt illuc perducantur, cui exemplum procuratur. Et duo vtique filii illuc spectabunt, quò & drachma, & ouis. Quibus enim cohærent, eandem habent causam, eandem vtique mussitationem Pharisæorum, erga commercium Domini, ethnicorum. *Et lib. 2. ad Nat. cap. 2.*

Marginal references: a Luc. 15. 29. — b Esa. 6. 10. — c Esa. 29. 21. — d Luc 15. 31. — e Esa. 1. 4. — Luc. 15. 13. 14. — Gen. 25. 22. — Luc. 15. 28. — Rom 11. 5. 12. 25.

5. Scriptura parabolæ, vtiliori saluti sensu interpretanda: vt patet in parabola prodigi. De pudic. cap. 9. à p.

Luc. 15. 13. 14. NVnc de filio prodigo id priùs considerandum est quod vtilius. Non enim admittetur exemplorum adæquatio, licet imagini congruentissima, si fuerit saluti nocentissima.

SCRIPTVRA NOVI TESTAMENTI PARABOLICA. 2. 3. 4. 5. SCHOL.

AD EVANGELIA PROVOCO. *Sistit hîc Author hæreticos Resurrectionem carnis realem negantes, & eam spiritaliter siue allegoricè intelligentes, ad tribunal Euangelij; in quo vt vidimus tractatu speciali, fit expressa mentio resurrectionis corporum. Et hîc quidem, inquit, præueniam eorum astutiam, quâ dicunt Christum omnia parabolicè locutum; cùm enim hoc dixit, de Iudæis loquebatur, quos iuxta Esaiam excæcauerat, iusto eos deserens iudicio, ne à se dicta intelligerent. Aduertit autem Christum tantùm parabolicè locutum, quando præmittebat hæc verba:* dicebat autem & parabolam. EDISSERTATAM, *expositam sicut parabolam seminis, exposuit de Verbo Dei.* A COMMENTATORE, *Scriptore, Euangelistâ.* PRÆLVMINATAM. *Præuio lumine instructam, sicut parabolam iudicis iniqui. Luc. 18. 1. in qua est hæc præfatio:* Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare, & non deficere; Dicens: iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur. Vidua autem quædam erat in ciuitate illa, & veniebat ad eum dicens vindica me de aduersario meo, & nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se; Etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor: tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens sugillet me. *Syr. ne omni tempore veniens, negotium mihi facessat.* Ait autem Dominus; audite quid iudex iniquitatis dicit: Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte? patientiam habebit in illis? *Syr. Protrahet spiritum suum in eos?* Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum. VLTRO CONIECTANDAM, *facilè præcognoscendam. Qualis fuit parabola fici, cuius præcisio dilata fuit in spem fructus; cuius sterilitas, apertè figurabat Iudæorum sterilitatem. De qua Luc. 13. 6.* Dicebat autem & hanc similitudinem: *Syr. parabolam hanc,* arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit. &c.

3. QVÆ OMNIA. *Scriptura loca, quibus probauerat omnia dissoluenda in nihilum, quæ ex nihilo à Deo sine præiacente materia creata sunt; vbi de cælo & terra perituris. &c. iuxta Prophetas tractauerat. Quæ, inquit, omnia licet Hermogenes parabolicè, siue allegoricè interpretari velit, tamen non poterit euertere veritatem rerum, quæ ita futura sunt, sicut prædicta sunt. Figuræ enim non possunt duci ex rebus inanibus & non existentibus, sed ex solidis. Quidquid enim alteri rei præstat, vt sibi sit similis, ipsum debet esse, ex quo ducatur similitudo; vnde semper præsupponi debet sensus literalis, vt ex eo educatur allegoricus.*

4. IDEM EXITVS. *Finis & euentus. Aptè hîc comparat eos qui perperam parabolas interpretantur, tapetum, vestiumque polymitarum structoribus imperitis, qui cùm lumina, & oculos suis coloribus aptè expressisse, & inuicem comparatos velut flores animatos repræsentasse putauerint, mox vt eruditum ac perfectum opus fuerit, diuersitas in medium producta, manifestabit omnibus, quantùm errauerit opifex, ab expressione & repræsentatione colorum & rerum quas sibi proposuerat acu pingere, siue in vestibus, siue in tapetibus. Alij referunt ad duas vestes in eadem purpura tinctas, quæ inspectæ diuersæ apparent.* ANIMASSE. *Alij,* amasse, *conuenisse, similes esse.* EADEM CALIGINE. *Eodem errore; similiter, inquit, à lumine veritatis aberrant, qui parabolam duorum filiorum, propter quandam præsentem apparentiam, & quasi colorum concordantiam, eorum figuras comparant rebus à parabola materia alienis;* DVOS ENIM POPVLOS. *Quia, inquit, intelligit in maiore natu filio, priorem populum Iudæum; in minore Christianum. Sequentia habes alibi exposita, quæ hîc superuacaneum duxi repetere. Vide Verbo Iudæi num. 9* IVDÆVM NON RECIPIT. *Aptè non conuenit parabola Iudæo; Christianus enim meliùs per filium maiorem intelligitur, vt pote qui maiori fide præ Iudæo pollet; maximè si vtriusque populi, Gentilis Christiani, & Iudæi, in duobus Rebeccæ filiis designatis, permitteret mutari benedictionem vnius pro altero, vt prior egressus de vtero, Esaü, posteriùs natus diceretur.* CLAVSVLA REFRAGARETVR. *Vel quâ conclusum est,* maior seruiet minori. *Vel, vt sequentia notant; Christianum minorem populum natu, de maioris natu Iudæi restitutione gaudere; cùm potiùs iuxta parabolam maior natu inuiderit minori. Vnde & pater dixit inuidenti. Luc. 15. 32.* Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit. SIQVIDEM TOTA SPES. *secundùm Psaltem:* dispersiones Israëlis congregabit. *Rom. 9. 27.* Si fuerit numerus filiorum Israël tanquam arena maris, reliquiæ saluæ fient. *Rom. 11. 5.* Reliquiæ secundùm electionem gratiæ saluæ factæ sunt. *Et versu 25. ibid.* Nolo vos ignorare fratres mysterium hoc, vt non sitis vobis ipsis sapientes; quia cecitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fieret, sicut scriptum est; veniet ex Sion, qui eripiat & auertat impietatem à Iacob. *Et Rom. 11 12.* Si delictum illorum, diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum, diuitiæ Gentium: quantò magis plenitudo eorum? *Tota igitur & consummata spes in resurrectione futura, cùm pendeat à conuersione populi Iudæi, iunior populus Christianus ei inuidere non debet. Proinde à parabolæ veritate errant, qui mutant eius ordinem, & minori tribuunt, quod maiori dare debuerant: nec enim minor maiori, sed maior minori inuidit; quamquam maior in fide factus sit, qui natu minor erat, sicut Iacob prælatus est fratri.* SI QVÆDAM FACIANT, *si aliqua in parabola contenta congruant, cùm tamen alia multa longè diuersè sapiant, extinguitur & perit allatorum exemplorum comparatio.* AD SPECVLVM, *ænigmati, parabolæ, allegoriæ respondeant; vel, sicut duo inuicem apposita specula, vel obiecta opposita speculo, omnia lineamentaq; ad vnguem exprimunt. Vnum tamen metuendum est parabolarum interpreti ne detorqueat in rem prorsus aliam, materiam & scopum parabolæ; licet fœliciter per omnia videatur sensus & expositio interpretis respondere parabolæ.* ALLEGORICOS GESTVS. *Quibus scilicet Pantomimi in scenis saltibus suis & gesticulationibus licet cantilenarum, & Cytharœdorum modulis perfectè responderent, suosque gestus artificiosissimè formarent, tamen eorum gestus & saltus*

& saltus erant alienißimi à sensu cantici, siue chori; & multò longiùs aberrabant a præcipua tragœdiæ materia & persona; verbi gratiâ, Andromachæ quæ virago erat, & à virili, & pugnaci, militarique, animo nomen sortita erat: Hæc fuit Ætionis Regis Thebarum in Cilicia filia, Hectoris Troiani vxor, mater Astianactis; Quam Hectore mortuo ductam Pyrrhus in Græciam aduexit, Et ex ea Molossum filium suscepit. Deinde eam Heleno Vati Priami filio, vnà cum portione regni vxorem tradidit. INGENIVM EXTRAORDINARIVM. *Quia histrionum ars in theatro, extra ordinem est materia tragœdiæ; & nihil facit ad Andromachæ historiam per Actores repræsentatam.* APTISSIME EXCLVDVNT. *Tanquam pullos ex ouis. Confert hæreticos histrionibus, quia parabolas Scripturæ non secundùm scopum earum, & iuxta materiam, & causam propter quam allegantur, sed pro libito disertissimè explicant: Et ideo aptissimè, quia ab initio quo sua dogmata in lucem edere volunt, eà confingunt arte, vt exactissimè possint respondere literæ parabolarum.* VACAVIT SCILICET. *Licuit illis, potuerunt facilè hæretici, excusso vinculo & iugo veritatis, & solutiores animo & calamo, quàm histriones corporis gestu, dogmata sua sic fingere & componere, tam artificiosè elaborare, vt ipsæ parabolæ ad nihil aliud significandum scriptæ videantur.* MATERIAS COMMENTAMVR, *occasiones hæresеon fingendarum non excogitamus, sed ex causis, & iuxta materias, de quibus tum scriptura tractat, relatas ibidem parabolas exponimus, nobis sufficit diligenter cauere ne quid contrarium causæ & scopo parabolæ interpretemur; nec multùm laboramus, sicut hæretici faciunt, singula quæque in parabola contenta, quasi vi redigere & coarctare, vt expositio nostra in omnibus cohæreat expressis in parabola circumstantiis. Verbi gratiâ, cur in parabola pastoris boni, narrentur centum oues. Similiter cur decem drachmæ, & quæ fuerint scopa illa mulieris drachmam perditam requirentis, & verrentis domum.* DEDVCVNT, *abducunt.* ILLVC PERDVCANTVR. *Ad eum scopum tendant, cuius causâ parabola & similitudo profertur.* QVIBVS COHÆRENT. *Connexa sunt enim omnes istæ parabolæ eodem capite 15. Luc. duorum filiorum, ouis, & drachmæ, quas Christus retulit vt murmur Pharisæorum compesceret; qui cùm Christo gratulari deberent quòd commercium haberet cum Ethnicis, Publicanis scilicet & peccatoribus Deo Patri lucrandis, inuidebant, & indignè ferebant. Et hic tantùm scopus parabolæ attendendus est, non verò quid significet filius natu maior, vel minor. Cætera enim velut ornamenta sunt orationis.*

5. EXEMPLORVM ADÆQVATIO. *similium inter se comparatio recipienda non est, licet secundùm artem eloquentiæ perfectè respondeat interpretatio per singula membra parabolæ, si saluti animarum maximè noceat. Vide autem Tertullianum iuxta errorem suum, Christianum post baptisma lapsum non recipiendum ad veniam, nec significatum fuisse in filio prodigo recepto ad veniam, sed ethnicum potiùs in eo delineatum. Vide dicta, Verbo,* Remissio peccati, *in Alphabeto errorum. Superest hîc vt cum Augustino videamus iuxta Tertullianum quomodo hæretici torqueant scripturas, & quomodo Christus in parabolis loqueretur tum ad discipulos instruendos, tum ad Iudæos excæcandos, quæ summa est quatuor textuum expositorum hoc Scholio. Quantùm ad primum. ep. 174. ad Pascentium contra Arrianos, de scripturis ab eis malè intellectis circa vnitatem substantiæ diuinæ, in tribus personis.* Homines, inquit, minùs intelligentes, quid, propter quid dicatur; potentes volunt habere sententias; & scripturis non diligenter scrutatis, cùm arripiunt defensionem cuiusque opinionis, & ab ea vel nunquam vel difficilè inflectuntur, dum docti atque sapientes magis putari, quàm esse concupiscunt; ea quæ propter formam serui dicta sunt, volunt transferre ad formam Dei. Et rursus quæ dicta sunt vt ad se inuicem personæ referantur, volunt nomina esse naturæ atque substantiæ. *Et lib. 3. de bapt. cont. Donat. cap. vlt.* Ne ipsorum, inquit, putentur esse illa quæ seductores habent integra, & de veritatis doctrina venientia, per quæ seducunt ad falsitates dogmatum & dissentionum suarum, &c. Addidit continuò, *Osée scil. 2. vbi dixerat secta hæretica, ibo post amatores meos; cum quibus, inquit, August. siue per fidei corruptionem, siue per elationem superbiæ turpiter fornicatur,* Et hæc non cognouit quod ergo ei dederim frumentum, & vinum, & oleum, & pecuniam multiplicaui illi, *scilicet scripturam, eiusque sacramenta, parabolas, allegorias, &c.* Ipsa verò fecit vasa aurea & argentea Baal &c. Vt error eorum veritas appelletur, & scelus eorum iustitia putetur, propter Sacramenta, & scripturas, quas tenent ad speciem, non ad salutem. Ideoque & per Ezechielem, cap. 16. Eidem fornicariæ dicitur; & protulisti de vasis gloriæ tuæ, de auro meo, & de argento meo, ex quibus dedi tibi, & fecisti tibi imagines masculinas; *transformando parabolas & similitudines ad sensum hæreticum & adulterinum:* Et fornicata es in eis. Et accepisti vestem meam versicoloriam, *quam aptè ad similitudinem Tertulliani, quâ supra numero 4. huiusmodi parabolarum interpretes, tinctoribus vel acupingentibus comparauit.* Et cooperuisti idola tua; *phantasmata commentorum & errorum,* & oleum meum, & incensum meum, *scripturæ liquorem lucidissimum & fragrantissimum,* posuisti ante faciem idolorum tuorum, & panes meos, *scripturæ textus, melle intinctos,* quos dedi tibi; & similagine, & melle, & oleo cibaui te, & posuisti hæc ante faciem idolorum tuorum, in odorem benè olentem. Et perfecisti hæc. Ad imagines enim phantasmatum suorum, cum quibus volutari carnalis animus delectatur, conuertit omnia Sacramenta & verba librorum Sanctorum. Nec tamen quia illæ imagines falsæ sunt, *parabolæ falsè expositæ,* & doctrinæ dæmoniorum sunt, in hypocrisi mendaciloquorum; propterea & illa Sacramenta, & diuina eloquia sic exhonoranda sunt, vt illorum esse putentur; cùm Dominus dicat, de auro meo, & de argento meo, & de veste mea versicoloria, & oleo meo, & incenso, & panibus meis. &c. Non enim dixit eam non habuisse ista, quia fornicaria erat, sed habuisse dicitur; & non sua, nec amatorum suorum, sed Dei, cuius vnius ista sunt. *Tum ibidem sic contra Scribas & Pharisæos etiam scripturis abutentes hæc torquet.* Si hæc, inquit, de Iudæa gente figurabantur, vbi Scribæ & Pharisæi reiiciebant mandatum Dei, vt traditiones suas constituerent, vt cum plebe Deum relinquente, sic quodammodo fornicarentur: nec tamen talis illius temporis in populo fornicatio, quam Dominus arguendo prodebat, effecit vt eorum essent Sacramenta, quæ non erant eorum, sed Dei, qui loquens ad fornicariam dicit illa omnia sua esse. Vnde ipse Dominus etiam quos mundauit à lepra, ad eadem Sacramenta

misit, *allegoricè figurantia, vt & omnia in veteri testamento contenta figuræ erant nostrorum mysteriorum*, vt offerrent pro se Sacrificium, Sacerdotibus, *per Sacerdotes*, quia nondum eis successerat sacrificium, quod ipse post in Ecclesia voluit celebrari pro illis omnibus, quia illis omnibus ipse prænuntiabatur: quantò magis nos Sacramenta noui testamenti, *& scriptura figuras & parabolas*, apud quoslibet hæreticos, vel schismaticos inuenientes, non debemus ipsis tribuere, *præter solam eorum corruptionem.* Nec quasi non agnita reprobare; sed quamuis apud fornicariam mulierem, dona viri legitimi agnoscere, & verbo veritatis illam fornicationem emendare, quæ propria est impudicæ mulieris, non illa dona culpare, quæ propria sunt Domini miserantis. *Et to. 4. lib. quæstionum ex Matth. q. 15. vbi refert locum Matth. 13. 34. quem suprà Tertullianus numero. 1. sibi ab hæreticis obtrudi dixit*; Sine parabolis non loquebatur eis. Non quia, inquit, nihil propriè locutus est, sed quia nullum ferè sermonem explicauit, vbi non aliquid per parabolam significauit: quamuis in eo aliqua & propriè dixerit: Ita vt sæpè inueniatur totus sermo eius parabolis explicatus, totus autem propriè dictus, nullus inueniatur. Explicatos autem sermones dico, quando ex aliqua occasione rerum incipit loqui, quousque terminet quidquid ad ipsam rem pertinet, & transeat ad aliud. *Quæstione autem 14. de excæcatis Iudæis iuxta Esaiam & Euangelia.* Sic Marcus hoc dicit: Nequando conuertantur & dimittantur eis peccata Vbi intelliguntur, peccatis suis meruisse vt non intelligerent, & tamen hoc ipsum misericorditer eis factum, vt peccata sua cognoscerent, & conuersi veniam mererentur. Quod autem Ioannes hunc locum ita dicit; propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias. cap. 6. Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & intelligant corde, & conuertantur & sanem eos. Aduersari videtur huic sententiæ, & omnino cogere, vt quod dictum est, nequando oculis videant; non accipiatur, ne vel sic aliquando oculis videant: sed prorsus, vt non videant: quandoquidem apertè ita dicit, vt oculis non videant. Et quod ait, propterea non poterant credere: satis ostendit, non ideo factam illam excæcationem, vt eâ commoti & dolentes se non intelligere, conuerterentur aliquando per pœnitentiam. Non enim possent hoc facere, nisi priùs crederent, vt credendo conuerterentur, conuersione sanarentur, sanitate intelligerent. *Scilicet mysteria, parabolis, & allegoriis occultata, quarum literam videntes & sonum eius audientes, non videbant neque intelligebant Christum in eis latentem, ad quem proinde non conuertebantur.* Sed ideo potiùs excæcatos, vt non crederent. Dicit enim apertissimè: propterea non poterant credere: quod si ita est, quis non exurgat in defensionem Iudæorum, vt eos extra culpam fuisse proclamet, quod non crediderunt? propterea enim non poterant credere, quia excæcauit oculos eorum. Sed quoniam potiùs Deus extra culpam debet intelligi, cogimur fateri, aliis quibusdam peccatis ita eos excæcari meruisse, quâ tamen excæcatione non poterunt credere. Verba enim Ioannis ista sunt: propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, excæcauit oculos eorum. Frustra itaque conamur intelligere, ideo fuisse cæcatos vt non conuerterentur; cùm ideo conuerti non pote-

S.Aug.

S. Aug.

A rant, quia non credebant, & ideo credere non poterant, quia excæcati erant. An fortè non absurdè dicimus quosdam Iudæorum fuisse sanabiles: sed tanto tamen superbiæ tumore periclitatos, vt eis expedierit primò non credere, & ad hoc fuisse cæcatos, vt non intelligerent Dominum loquentem per parabolas, quibus non intellectis, non in eum crederent, non credentes autem cum cæteris desperatis crucifigerent eum: Atque ita post eius resurrectionem conuerterentur, quando iam de reatu mortis Domini ampliùs humiliati vehementiùs diligerent, à quo sibi tantum scelus dimissum esse gauderent. B Quoniam tanta erat eorum superbia, vt tali humiliatione esset deiicienda. Quod incongruè dictum esse quilibet arbitretur, si non ita contigisse in Actibus Apostolorum manifestissimè legerit. Non ergo abhorret quod ait Ioannes: propterea non poterant credere, quia excæcauit oculos eorum, vt non videant; ab ea sententia, quâ intelligimus, ideo excæcatos, vt conuerterentur: hoc est, ideo eis per obscuritates parabolarum occultatas sententias Domini, vt post eius resurrectionem salubriore pœnitentiâ resipiscerent: quia per obscuritatem sermonis excæcati, dicta Domini non rectè intellexe- C runt, & ea non intelligendo, non in eum crediderunt, non credendo, crucifixerunt eum: atque ita post eius resurrectionem miraculis quæ in eius nomine fiebant, exterriti, maiore criminis reatu compuncti sunt, & prostrati ad pœnitentiam. Deinde acceptâ indulgentiâ, ad obedientiam flagrantissimâ dilectione conuersi. Nam quibus non profuit illa cæcitas ad conuersionem, quæ per linguam parabolarum fiebat; ita de illis Propheta alio loco dicit. Esa. 28. quod etiam Apostolus commemorauit. 1. Cor. 14. cùm de obscuritate linguarum ageret: in aliis linguis, & in aliis labiis loquar populo huic, & nec sic me exaudient, dicit Dominus. Non enim diceretur, nec sic me exaudient, nisi ad D hoc fieret, vt vel sic exaudirent: id est, vt eis ad humilem confessionem, & solicitam inquisitionem, & obedientem conuersionem, & feruentem dilectionem valeret. Est verò etiam ista ratio medicinæ corporalis. Nam & pleraque medicamenta priùs affligunt, vt sanent: & ipsa collyria quæ ad oculos pertinent, si ita opus est, intrinsecùs infundi, nisi sensum videndi priùs claudant & perturbent, prodesse non possunt. *De Apostolis tandem in parabolis intelligentibus Christum loquentem mysterium regni Dei, idem August. to. 7. lib. de dono perseuerantia cap. 14. vbi locum Ioannis 12. & Esa. 6. præcitatum reperis. Vbi de Tyriis, & Sidoniis, qui credere potuissent, si verba Dei audire, & signa videre potuissent, concludit.* Audiunt, *inquit*, hæc & fa- E ciunt, quibus datum est; non autem faciunt, siue audiant, siue non audiant, quibus non datum est. Quia vobis, inquit, datum est nosse mysterium regni cœlorum, illis autem non est datum: quorum alterum ad misericordiam, alterum ad iudicium pertinet illius, cui dicit anima nostra, misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Nec prædestinationis igitur prædicatione, impedienda est prædicatio fidei perseuerantis, & proficientis; vt quod oportet, audiant, & quibus datum est, vt obediant. Quomodo enim audient sine prædicante? nec rursus prædicatione fidei proficientis, & vsque ad vltimum permanentis impedienda est prædicatio

S. Aug.

prædestinationis ; vt qui fideliter & obedienter viuit, *supra ex Paulo dixerat iuxta Esa. non enim omnes obediunt Euangelio, sicut non omnium est fides.* Non de ipsa obedientia, tanquam de suo non accepto bono extollatur, sed qui gloriatur, in Domino glorietur.

SCRIPTVRÆ SENSVS LITERALIS ET SPIRITALIS.

1. *Scriptura sensus literalis apertior est, mysticus latens, & cautè intelligendus, ne eo ad subuersionem abutantur hæretici. Lib. de Resur. cap. 3. in. f. & 4. in. p.*

COmmunes sensus simplicitas ipsa commendat, & compassio sententiarum, & familiaritas opinionum ; eóque fideliores existimantur, quia nuda & aperta & omnibus nota definiunt. Ratio autem diuina, in medulla est, non in superficie ; & plerunque æmula manifestis. Itaque hæretici, inde statim incipiunt, & inde præstruunt; Cap. IV. dehinc interstruunt, vnde sciunt facilè capi mentes, de communione fauorabili sensuum.

2. *Scriptura litera, cùm manifesta est, tenenda est : licet nunc figuratè, nunc ad litteram debeat intelligi. De Resur. cap. 20. à p. ad f.*

ADeò non omnia imagines, sed & veritates : nec omnia vmbræ, sed & corpora : vt in ipsum quoque Dominum insigniora quæque luce clariùs prædicarentur. Nam & [a] *virgo concepit* in vtero, non figuratè, & *peperit Emmanuelem nobiscum Deum* Iesum, non obliquè ; & si obliquè [b] *accepturum virtutem Damasci, & spolia Samariæ* ; Sed manifestè [c] *venturum in iudicium cum presbyteris & archontibus populi.* Nam & [d] *tumultuata sunt gentes*, in persona Pilati, *& populi meditati sunt inania*, in persona Israël. *Astiterunt Reges terræ* ; Herodes : *& archontes congregati sunt in vnum*, Anna & Caïphas, *aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Qui & [e] *tanquam ouis ad iugulationem adductus est, & tanquam agnus ante tondentem*, scilicet Herodem, *sine voce, sic non aperuit os suum : dorsum suum ponens ad flagella, & maxillas ad palmas ; & faciem non auertens à sputaminum iaculis : deputatus etiam inter iniquos ; perfossus manus & pedes, sortem passus in vestimento ; & potus amaros, & capitum irridentium nutus ; triginta argenteis adpretiatus à proditore.* Quæ hîc figuræ apud Esaiam ? quæ imagines apud Dauid ? quæ ænigmata apud Ieremiam ? Nè virtutes quidem eius per parabolas profatos. Aut numquid nec [f] *oculi patefacti sunt cæcorum ? nec inclaruit lingua mutorum ? nec manus arida, & genua dissoluta reualuerunt ? nec claudi salierunt vt ceruus ?* Quæ etsi ipsi spiritaliter quoque interpretari solemus, sęcundùm comparationem animalium vitiorum à Domino remediatorum ; cùm tamen & carnaliter adimpleta sunt, ostendunt Prophetas in vtramque speciem prædicasse ; saluo eo, quo plures voces eorum nudæ & simplices, & ab omni allegoriæ nubilo puræ defendi possint : vt cùm exitus gentium & vrbium resonant, Tyri, & Ægypti, & Babylonis, & Idumææ, & Carthaginiensium nauium : vt cùm ipsius Israëlis plagas aut venias, captiuitates, restitutiones, vltimæque dispersionis exitum perorant. Quis hæc interpretabitur, magis quàm recognoscet ? res in litteris tenentur, vt litteræ in rebus legantur. Ita non semper, nec in omnibus allegorica forma est prophetici eloquij, sed interdum, & in quibusdam.

[a] Esa. 7. 14.
[b] Esa. 8. 4.
[c] Esa. 3. 14.
[d] Psal. 2. 1. 2.
[e] Esa. 53. 7. Luc. 23. 9. Esa. 53. 7. Esa 50. 6. & seq. Esa. 53. 12. Zach. 11. 13.
[f] Esa. 35. 5. 6.

3. *Scriptura in multis, non literaliter, sed spiritaliter intelligenda. Cont. Iud. cap. 9. à p.*

POrrò, inquiunt, iste qui venit, neque sub eiusmodi nomine est editus, neque re bellicâ functus. At nos è contrario, admonendos eos existimauimus, vti cohærentia quoque huius capituli recognoscant. subiuncta est enim & interpretatio [a] *Emmanuel, Nobiscum Deus*, vti non solum sonum nominis spectes, sed & sensum. Sonus enim Hebraïcus, quod est *Emmanuel*, suæ gentis est. Sensus autem eius, quod est, *Deus nobiscum*, ex interpretatione communi est. Quæro ergo, an ista vox, *Nobiscum Deus, quod est Emmanuel*, exinde quo Christus inluxit, agitetur in Christo ? Et puto ex toto non negabis. Nam qui ex Iudaismo credunt Christo, ex quo in eum credunt, *Emmanuel* cùm volent dicere, *nobiscum Deum esse* significant. Atque ita constat iam venisse illum qui prædicabatur *Emmanuel*, quia quod significat *Emmanuel, venit, id est Nobiscum Deus.*

[a] Esa. 7. 14.

Et de præscr. cap. 9. in. p.

a Matth. CEdo nunc sponte de gradu isto. omnibus dictum sit ; [a] *Quærite & inuenietis* ; tamen
7.7. & hîc expedit sensu certare cum interpretationis gubernaculo. Nulla vox diuina ita
dissoluta est & diffusa, vt verba tantùm defendantur, & ratio verborum non constituatur.

5. *Et 3. cont. Marc. cap. 5. in. m. ad f. & 6. in. p.*

ALia species erit, quâ pleraque figuratè portenduntur per ænigmata & allegorias,
b Ioël. 3. & parabolas, aliter intelligenda quàm scripta sunt. Nam [b] *& montes* legimus, *distil-*
18. *laturos dulcorem* ; non tamen vt sapam de petris, aut defrutum de rupibus speres : &
c Exo.3 8. [c] *terram* audimus *lacte & melle manantem* ; non tamen vt de glebis credas te vnquam pla-
& 13.5. centas & samias coacturum : quia nec statim aquilicem & agricolam se Deus repromisit,
d Esa. 43. dicens ; [d] *Ponam flumina in regione sitienti*, [e] *& in solitudine cedrum & buxum.* Sicut & præ-
20. dicans de Nationum conuersione : [f] *Benedicent me bestiæ agri*, *sirenes*, *& filiæ passerum* ;
e Esa. 41. 18. 19. non vtique ab hirundinum pullis, & vulpeculis, & illis monstruosis fabulosisque cantri-
f Esa. 43. cibus fausta omina relaturus est. Et quid ego de isto genere ampliùs ? quum etiam hære-
20. ticorum Apostolus, ipsam legem indulgentem bubus terentibus os liberum ; non de bu-
1. Cor. 9. bus, sed de nobis interpretetur : & petram potui subministrando comitem, Christum ad-
9.10. leget fuisse ; docens proinde & Galatas, duo argumenta filiorum Abrahæ allegoricè cu-
1.Cor.10. currisse ; & suggerens Ephesiis, quod in primordio de homine prædicatum est, relicturo
4. Gal.4.22. patrem & matrem, & futuris duobus in vnam carnem, id se in Christum & Ecclesiam
24. agnoscere. Si satis constat de istis interim duabus proprietatibus Iudaïcæ litteraturæ ; CAP. VI.
Ephes. 5. memento, lector, constitisse, vt quum tale quid adhibuerimus, non retractetur de
32. forma scripturæ, sed de statu causæ.

6. *Scripturæ sensus pensandus est, nec ipsa est temerè applicanda.* *V. Verbum, fuga in perseq. num. 7.*

SCRIPTVRÆ SENSVS LITERALIS, ET SPIRITALIS. 1. 2. 3. 4. 5. SCHOL.

COMMVNES SENSVS. *Sic interpretor : cùm sensus communes, id est vulgaria & omnibus vsitata proloquia, & dicendi formæ, simplicitate suâ, quasi vera ab omnibus habeantur ; & nullam expectent probationem ; satisque persuadeantur, dum nudè & simpliciter enuntiantur. Ideo hæretici negantes resurrectionem, solent ex huiusmodi opinionibus communibus, & sententiis* compassiuis, *id est simpathiam habentibus cum sensu communi vulgi, hæreses suas fulcire ; quæ tantò fideliores reputantur, quantò asserunt ea quæ omnibus nota sunt.* RATIO AVTEM DIVINA. *Fides, siue sensus scripturæ, vt plurimum latet, & aduersatur manifestis vulgi opinionibus. Ex quo fit vt hæretici prima hæresis suæ fundamenta iaciant & collocent in huiusmodi humanis opinionibus ; vel scripturæ literâ apertâ simplices decipiunt animas, vel literæ scripturæ interponunt suas interpretationes carnali sensui fauorabiles. Quòd sic intelligendus sit Author, immediatè præcedentia testantur. Dixerat enim,* aufer hæreticis quæ cum ethnicis sapiunt, *hæc est communio sensuum, & compaßio sententiarum, dum concordant simul in suis opinionibus contra fidem resurrectionis.* Vt de scripturis solis, *sine interstructione & glossa peruersa,* quæstiones suas sistant, *proponant & tueantur,* & stare non poterunt.

2. IMAGINES. *Figuræ.* CORPORA. *Res ipsæ.* OBLIQVE. *Indirectè, allegoricè* ARCHONTIBVS. *Principibus.* IEREMIAM. *aliàs monui amnistiâ interdum laborasse Tertullianum, & de pretio Christi triginta argenteis adpretiati scribentem, Ieremiam pro Zacharia sumpsisse.* ANIMALIVM VITIORVM. *per infirmitates corporeas à Christo curatas ad literam, intelligendo in sensu morali animarum vitia.* VTRAMQVE SPECIEM. *Tam literaliter, quàm allegoricè ventura prædixisse.* INTERPRETABITVR. *Tanquam obscurè dictum, sensum eius quasi latentem rimando, quod per se patet adeo vt res ipsa quasi scripta legatur in propheticis litteris. Sic fit vt plurimum ad litteram, in quibusdam autem, & interdum, secundùm allegoriam scriptura Prophetica accipienda sit. Scripturæ locos, hîc positos & alibi expositos, non retexam.*

3. PORRO INQVIVNT. *Habes iam expositum Verbo Christi Aduentus primus num. 2. à m.*

4. CEDO DE GRADV. *Esto, inquit, vltro concedo hæretico, dictum esse omnibus à Christo ;* Quærite & inuenietis. *Et non solis, quibus tunc loquebatur, Iudæis.* HIC EXPEDIT. *Alij legunt :* hic expetit sensus certæ interpretationis gubernaculum. *Sed nihil mutat sensum. Postulat ; inquit, expedit, expetit huiusmodi sensus interpretationem quasi ductricem, vt non de omnibus omnino dictum sit, & promiscuè sit libitum quibuscumque rimari & scrutari scripturas. Omnibus enim doctis id licet, modò humiliter inquirant.* NVLLA VOX. *nullum scripturæ verbum sic solutè, vt verba sonant, sumendum est, vt ratio & sensus ipsorum verborum non quæratur, siue scopus & mens scriptoris.*

5. FIGVRATE PORTENDVNTVR, *allegoricè, prophetantur. In quibus non litera, sed sensus mysticus attendendus est.* MONTES DISTILLATVROS. *Ioël. 3. 18* Et erit in die illa : stillabunt montes dulcedinem & colles fluent lacte, & per omnes riuos Iuda ibunt aquæ : & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum. *Vel vt legunt 70.* funiculorum. SAPAM DE PETRIS. *à sapiditate & sapore dictam*

vinum, ex musto decocto ad tertiam partem confectum. De quo Plin. lib. 14. cap. 9. Siræum, quod alij, Hepsema, nostri Sapam appellant ingenij, *artis*, non naturæ opus est, musto vsque ad tertiam partem mensuræ decocto. DEFRVTVM. *Ex Palladio à deferuendo dictum, ex Plinio vinum decoctum vsque ad mediam partem. Allegoricè item siue metaphoricè de abundantia terræ promissæ: Deut. 32. 13.* Constituit eum super excelsam terram; vt comederet fructus agrorum. *70. ascendere fecit eos super fortitudinem terræ.* Vt sugeret mel de petra oleumque de saxo durissimo. SAMIAS COACTVRVM. *Conflaturum. Alij legunt* Psomias, siue psomia. *Io. 13.* Buccellam intinctam *insculo agni interpretantur. Meminit Athenæus lib. 14. Dypnosoph. cap. 19. placentarum Samiarum quæ à Samo artifice excogitatæ, in delitiis erant.* AQVILICEM, *elicientem aquas ex terra, & rupibus, Plin. aduertit peritos artis fontium rimandorum. lib. 26. cap. 6. vbi & de Tussilagine siue remedio tussis.* Duo, inquit, eius genera, syluestris; vbi nascitur, subesse aquas credunt: & hoc habent signum Aquileges. *Festo autem, libro primo. Aqualicium dicitur, cum aqua pluuia remediis quibusdam elicitur. Apud Iurisconsultos l. si de iure immun. Aquilices numerantur inter eos qui immunes habentur.* REPROMISIT. *Esa. 43. 19.* Ponam in deserto viam, & in inuio flumina; glorificabit me bestia agri, Dracones & Struthiones; quia dedi in deserto aquas, flumina in inuio, vt darem potum populo meo, electo meo. *70.* Sirenes, & filiæ Struthionum. *Nullus præter Tertullianum meminit passerum, sed vox Græca στρουθίον & passeres, & struthiones significat.* CEDRVM ET BVXVM. *Esa. 41. 18.* Ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum. Dabo in solitudinem Cedrum & spinam, & myrtum & lignum Oliuæ: ponam in deserto abietem, vlmum & buxum simul. *70. vero* ponam in terram absque aqua, Cedrum & buxum, Myrtum, & Cypatissum, & populum. OMINA RELATVRVS, *more gentium, qui ex garritu auium, Sirenum cantu, vel vulpeculis auguria fausta sumebant. Et quidem notante Plinio. lib. 8. cap. 28. vbi de prognosticis animalium.* In Thracia, *inquit*, locis rigentibus, & vulpes animal alioqui solerti auditu, amnes gelatos, lacusque, nonnisi ad pastus ituræ redituræque transeunt. Obseruatum, eam aure ad glaciem appositâ coniectare crassitudinem gelu. DE ISTO GENERE. *Speciem initio dixit, siue loquendi formam allegoricam, in scriptura frequentem.* HÆRETICORVM APOSTOLVS. *Paulus, quem Marcionitæ Dei sui & Christi noui Apostolum, sibi arrogant.* BVBVS. Numquid de bobus cura est Deo? &c. *De hoc vide alibi dicta.* PETRAM COMITEM. Bibebant de consequente eos petra; petra autem erat Christus. ALLEGORICE CVCVRRISSE. Quæ, inquit, sunt per allegoriam dicta. DVABVS PROPRIETATIBVS. *Scriptura sacra, præter literam siue sensum literalem, & mysticum habere.* NON RETRACTETVR. *Non dubitetur; vel, opus non sit iterum inculcare modum loquendi scripturæ, vt tantùm supersit, scopum, & finem, siue causam inquirere, cur sic scriptura loquatur.*

Omnibus his Scholiis, & menti Tertulliani plenè hic respondebit Augustinus, primò quidem multiplices scripturæ sensus adnotans, to. 3. lib. de Gen. ad lit. imperfecto cap. 2. Quatuor, inquit, modi à quibusdam Scripturarum tractatoribus traduntur legis exponendæ: secundùm Historiam, secundùm Allegoriam, secundum Analogiam, secundum Ætiologiam. Historia est, cùm siue diuinitùs, siue humanitùs res gesta commemoratur. Allegoria, cùm figuratè dicta intelliguntur. Analogia cùm veteris & noui Testamentorum congruentia demonstratur. Ætiologia cùm dictorum factorumque causæ redduntur. Hoc ergo quod scriptum est; in principio fecit Deus cœlum & terram, quæri potest, vtrùm tantummodò secundùm historiam accipiendum sit, an etiam figuratè aliquid significet, & quomodo congruat Euangelio, & quâ causâ liber iste sic inchoatus sit. *Et to. 6. lib. de vtilitate credendi contra Manich. cap. 3. eadem repetit, & concludit:* his, inquit, omnibus modis Dominus noster Iesus Christus & Apostoli vsi sunt. Nam de historia illud sumptum est, cùm obiectum esset, quòd die Sabbati discipuli eius spicas euulsissent: non legistis inquit, quod fecit Dauid cùm esuriret, & qui cum eo erant, quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis manducauit, quos non licebat ei manducare, neque eis qui cum eo erant, nisi solis Sacerdotibus? Ad Ætiologiam verò illud pertinet, quod cùm Christus prohibuisset vxorem abiici, nisi fornicationis causa, relatumque esset ab interrogantibus, Moysen libello dato repudij permisisse licentiam: hoc, inquit, Moyses fecit propter duritiam cordis vestri. Hîc enim causa reddita est, cur illud à Moyse pro tempore benè permissum sit, vt hoc quod Christus præcipiebat, alia iam tempora demonstrare videretur, &c. Iam porrò analogiâ, quâ vtriusque testamenti congruentia perspicitur, quid ego dicam vsos fuisse omnes, quorum authoritati, illi, *Manichæi*, cedunt: cùm secum ipsi considerare possint quam multa soleant dicere immissa esse Scripturis diuinis à nescio quibus corruptoribus veritatis, *quod Manich. dicebant factum fuisse ab iis, qui Iudæorum legem Euangelio miscere cupiebant, &c.* Ipse liberator noster in Euangelio allegoriâ vtitur ex veteri Testamento: generatio, inquit, hæc, signum quærit, & non dabitur ei nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim Ionas, &c. Nam quid ego de Apostolo Paulo dicam? qui etiam ipsam Exodi historiam, futuræ Christianæ plebis allegoriam fuisse significat, ad Corinthios epistola prima, *cap. 10. per totum, vbi inter cætera; post nubem, mare, escam spiritalem, cum Tertulliano tam de petra, quàm de duobus testamentis sic fatur:* bibebant autem de spiritali consequente petrâ, petra autem erat Christus, &c. Est item apud Apostolum allegoria quædam sanè ad causam *Ætiologam, finem, scopum, & rationem*, maximè pertinens; ideo quod ea ipsi in disputando proferre, atque ostentare consueuerunt. Idem enim Paulus dixit ad Galatas 4. scriptum est enim quod Abraham duos filios habuit, &c. quæ sunt per allegoriam dicta; nam hæc sunt duo testamenta, &c. *Multa autem ad literam non esse exponenda sed mysticè notat, sub finem capitis, in verba Pauli Gal. 4. 24.* Lex, inquit, Pedagogus noster erat in Christo. Ille igitur, *Deus idem vtriusque testamenti*, Pedagogum dedit hominibus, *Moysem & legem*, quem timerent; qui magistrum postea, *Christum, & legem nouam*, quem diligerent. In quibus tamen legis præceptis atque mandatis, quibus nunc Christianos vti fas non est, quale vel Sabbatum est, vel circumcisio, vel sacrificia; & si quid huiusmodi est; tanta mysteria continentur, vt omnis pius intelligat nihil esse perniciosius, quàm quidquid ibi est, accipi ad literam: id est ad Verbum: nihil autem salubrius, quàm spiritu reuelari. Inde est litera occidit, spiritus autem viuificat. Inde est: idipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet, quod non reuelatur; *ex proprio sensu*; quoniam in Christo euacuatur. Euacuatur namque in Christo, non vetus Testamentum, sed velamen eius, vt per Christum intelligatur; & quasi denudetur, quod sine Christo obscurum atque adopertum est. Statim quippe idem Apostolus, subiicit: cùm autem transieris ad Christum, auferetur velamen. Non

enim ait, auferetur lex, aut testamentum vetus. A Non igitur per Domini gratiam tanquam inutilia ibi tegerentur, ablata sunt, sed tegmen potiùs quo vtilia tegebantur. Hoc modo agitur cum iis qui studiosè ac piè, non turbidè atque improbè scripturarum illarum sensum requirunt; demonstraturque sedulò, & ordo rerum, & causæ factorum atque dictorum, & veteris Testamenti ad nouum tanta congruentia, vt apex nullus qui non consonet, relinquatur; & figurarum tanta secreta, vt omnia quæ interpretando eruuntur, miseros esse cogant fateri, qui hæc volunt antè condemnare quam discere. *Secundò de inuestigatione Scripturæ, de qua scriptum est Scholio 4.* Quærite & inuenietis. *Ita idem Aug. to. 1. lib. 2. de Gen. contra Manich. cap. 2. vbi de* S. Aug. *gestis in paradiso.* Hæc, inquit, secreta verborum si B non reprehendentes & accusantes, sed quærentes & reuerentes Manichæi mallent discutere, non essent vtique Manichæi, sed daretur petentibus, & quærentes inuenirent, & pulsantibus aperiretur. Plures enim quæstiones in hunc sermonem proponunt, qui diligentiâ piâ quærunt, quàm isti miseri, atque impij. Sed hoc interest, quòd illi quærunt vt inueniant; isti nihil laborant nisi non inuenire quod quærunt. Hic ergo totus sermo primò secundùm historiam discutiendus est, deinde secundùm Prophetiam. Secundùm historiam, facta narrantur; secundùm Prophetiam, futura prænuntiantur. Sanè quisquis voluerit omnia quæ dicta sunt, secundùm literam accipere, id est non aliter intelligere quàm litera sonat, & potuerit euitare blasphemias, C & omnia congruentia fidei Catholicæ prædicare, non solùm ei non est inuidendum, sed præcipuus, multúmque laudabilis intellector habendus est. Si autem nullus exitus datur, vt piè & dignè de Deo quæ scripta sunt intelligantur, nisi figuratè atque in Ænigmate proposita ista credamus, habentes authoritatem Apostolicam, à quibus tam multa de libris veteris Testamenti soluuntur Ænigmata; modum quem intendimus teneamus, adiuuante illo qui nos petere, quærere, & pulsare adhortatur: vt omnes istas figuras rerum secundùm Catholicam fidem, siue quæ ad historiam, siue quæ ad Prophetiam pertinent, explicemus. *Tertiò quòd literæ semper hærendum non sit, docuit to. 4. lib. qq. ex Matth.* D S. Aug. *q. 16.* Fortassè, istâ similitudine vltimâ patrisfamilias, proferentis de thesauro suo noua & vetera, ostendere voluit, eum doctum habendum esse in Ecclesia, qui etiam Scripturas veteres parabolis explicatas intellexerit, ab istis nouis accipiens regulas: quia & ista Dominus per parabolas enuntiauit, quamuis ipse Christus esset finis illorum: id est, vt in eo illa vetera complerentur, vt si ipse in quo ista complentur, & manifestantur, per parabolas adhuc loquitur, donec eius passio velum discindat, vt nihil sit occultum quod non reueletur: multò magis illa quæ ad commendandam

tantam eius salutem, tam longè de illo scripta sunt, parabolis operta esse nouerimus: quæ cùm Iudæi ad literam acciperent, noluerunt esse docti in regno cœlorum, neque transire ad Christum, vt auferretur velamen quod supra cor eorum positum est. *Denique de scopo quærendo multa sæpè; pauca excerpo. libro 1. de Gen. ad lit. cap. vltimo.* Cùm, *inquit*, S. Aug. diuinos libros legimus, in tanta multitudine verorum intellectuum qui de paucis verbis eruuntur, & sanitate Catholicæ fidei muniuntur, id potissimum eligamus, quod certum apparuerit eum sensisse quem legimus. Si autem hoc latet, id certè quod circumstantia Scripturæ non impedit, & cum sana fide concordat. Si autem & scripturæ circumstantia pertractari ac discuti non potest, saltem id solum quod fides sana præscribit. Aliud est enim quid potissimùm scriptor senserit, non dignoscere, aliud autem à Regula pietatis errare. Si vtrumque vitetur, perfectè se habet fructus legentis: si verò vtrumque vitari non potest, etiam si voluntas scriptoris incerta sit, sanæ fidei congruam non inutile est tenuisse, *alij legunt eruisse,* sententiam. *Superaddam & quod idem Augustinus habet ser. 29. de verbis Apostoli vbi de iudice controuersiarum circa fidem.* Omnis homo, *inquit*, vult intelligere: nemo est qui nolit; S. Aug. credere non omnes volunt: dicit mihi homo, intelligam, vt credam. Respondeo, crede vt intelligas. *Dicit enim Esaias nisi credideritis non intelligetis.* Cùm ergo nata inter nos sit controuersia talis quodammodo, vt ille mihi dicat, intelligam, vt credam: ego ei respondeam, imò, crede vt intelligas: cum hac controuersia veniamus ad iudicem, neuter nostrûm præsumat pro sua parte sententiam. Quem iudicem inuenturi sumus? *Non compassiuos & communes sensus de quibus supra Tertullian. vt faciunt hæretici.* Discussis omnibus, nescio vtrùm meliorem iudicem inuenire possimus, quàm hominem per quem loquitur Deus. Non eamus ergo in hac re, & in hac controuersia ad literas sæculares, non inter nos iudicet Poëta, sed Propheta. *Subiicit Petrum post auditam vocem de cælo iubentem audiri filium; quia dicere potuissent infideles arte magicâ vocem allatam, certiorem dixisse sermonem propheticum* cùm dixisset, *inquit*, hanc vocem nos audiuimus de cœlo delatam: subiunxit atque ait, & habemus certiorem propheticum sermonem. Sonuit illa vox de cœlo, certior est propheticus sermo, &c. vox de cœlo, quâ fideles admoneantur: Propheticus sermo, quo infideles conuincantur, &c. Petrus iste qui sic loquitur, piscator fuit: & modò magnam laudem habet orator, si potuerit ab illo intelligi piscator, &c. Da mihi ergo ad illam controuersiam iudicem Prophetam. Quid inter nos agebatur? tu dicebas intelligam vt credam, &c. iudicet Propheta, imò verò Deus iudicet per Prophetam. Ambo taceamus. Quid ambo dixerimus auditum est, &c. Respondeat Propheta: nisi credideritis non intelligetis.

SEMEN.

Semen, sanguis est calidissimus & igneus. De Car. Chri. cap. 19. circa f.

a Io. 1. 13. NEgans autem [a] *ex carnis quoque voluntate natum*, cur non negauit etiam ex substantia carnis? neque enim quia ex sanguine negauit, substantiam carnis renuit, sed materiam seminis, quam constat sanguinis esse calorem, vt despumatione mutatum in coagulum sanguinis feminæ. Nam ex coagulo in caseo vis est substantiæ, quam medicando constringit, id est lactis.

SENATORES.

Senatores & Togati, plùs Rempublicam, læserunt, quàm milites, quibus gulâ, luxu, crudelitate fuere priores. De Pall. cap. 5. V. Verbum Pallium. num. 3.

SEMEN. SCHOL.

NEGANS. *Ioannes 1. 13. Licet non dicat expreßè de Verbo Incarnato, sed de adoptiuis Dei filiis*: quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt: *tamen à fortiori, de filio Dei, licet ex vera Virginis carne & sanguine nato, intellexit eum non esse natum ex voluntate, & opera viri, & materia seminis, quæ est calor seminis, qui sanguis despumatione mutatur in coagulum sanguinis fœminæ. Sic enim caseus qui coagulum lactis est, copia est & vis substantiæ, quod constringitur quadam medicatione & beneficio. Aduerte porrò ex Aristotele, naturam seminis esse spumosam, & Deam quæ rei venereæ præest, ab hac ipsa facultate nominatam Aphroditim. Ἀφρὸς enim spuma dicitur. Et Galenus lib. 14. de vsu partium cap. 9.* Ipsum semen spirituosum est, ac spumosum. *Et cap. 10.* In prædictis flexibus, sanguine succus spermatis congeritur. *De semine Augustinus to. 1. libro de vera Religione cap. 40.* S. Aug. *vbi de alimentis.* Corrupta, inquit, id est amittentia formam suam in membrorum istorum fabricam migrant, & corrupta reficiunt, in aliam formam per conuenientiam transeuntia: & per vitalem motum diiudicantur quodammodo, vt ex eis in structuram huius visibilis pulchri, quæ apta sunt, assumantur, non apta verò per congruos meatus eiiciantur. Quorum aliud fœculentissimum redditur terræ, ad alias formas assumendas; aliud per totum corpus exhalat; aliud totius animalis latentes numeros accipit, & inchoatur in prolem: *hoc est semen quod è cerebro fluit*: & siue conuenientiâ duorum corporum, siue tali aliquo phantasmate commotum, per genitales vias ab ipso vertice defluit in infima voluptate. Iam verò in matre, per certos numeros temporum, in locorum numerum coaptatur, vt suas regiones quæque membra occupent, & si modum parilitatis seruauerint, luce coloris adiunctâ, nascitur corpus, quod formosum vocatur, & à suis dilectoribus amatur acerrimè: non tamen in eo plus placet forma quæ mouetur, quam vita quæ mouet. Nam illud animal si nos amet, allicit violentiùs, si oderit autem, succensemus, & ferre non possumus, etiam si formam ipsam præbeat frueni. Hoc totum est voluptatis regnum, & ima pulchritudo, subiacet enim corruptioni: quod si non esset, summa putaretur. Sed adest diuina A Prouidentia, quæ hanc ostendat & non malam, propter tam manifesta vestigia primorum numerorum, in quibus sapientiæ Dei non est numerus: & extremam tamen esse: miscens ei dolores, & morbos, & distortiones membrorum, & tenebras coloris, & animorum simultates ac dissensiones; vt ex his admoneamur incommutabile aliquid esse quærendum. *Quantùm ad Christum ex* pulcherrima inter mulieres, speciosum formâ præ filiis hominum, vidimus eum plenum gratiæ & veritatis, *verè de Virgine natum* non ex sanguinibus, non ex semine viri, sed de Spiritu sancto conceptum, *sicut de terra virgine credimus Adam formatum sine semine. Et licet non cognouerit Euam in paradiso vt ex semine filios gigneret; sicut tamen arbores & animalia in paradiso* B *erant cum semine sui generis posita; sic & homo ante peccatum vim seminandi habuit in paradiso, in quo & genuisset si innocens mansisset; sicut post peccatum & exilium non amisit. Ita Aug. lib. 22. de Ciuit. cap. 24.* S. Aug. Benedictionem illam quam protulerat ante peccatum dicens, crescite & multiplicamini, &c. nec post peccatum voluit inhibere: mansitque in stirpe damnata donata fœcunditas, nec illam vim mirabilem seminum, imò etiam mirabiliorem quâ efficitur & semina, *per alimentum versum in sanguinem, & ex eo in spumosum semen*, inditam corporibus humanis, & quodammodo intextam, peccati vitium potuit auferre; quo nobis impacta est etiam necessitas mortis: sed vtrumque simul currit isto quasi fluuio atque torrente generis humani malum quod C à parente trahitur, & bonum quod à creante tribuitur, &c. Si non concubuissent homines, & nihilominus Deus vellet implere terras hominibus; quomodo creauit vnum sine commixtione maris & fœminæ, sic posset omnes. *Sicut & Christum de Virgine.* Concumbentes verò, nisi illo creante, generantes esse non possunt. Sicut ergo ait Apostolus de institutione spiritali, quâ homo ad pietatem iustitiamque formatur: neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus: ita etiam hîc dici potest, nec qui concumbit, nec qui seminat, est aliquid, sed qui informat Deus. nec mater quæ conceptum portat, & partum nutrit est aliquid, sed qui incrementum dat Deus. *Quòd si de omnibus hominibus viâ naturæ genitis hoc dicitur, quantò magis de Christo sine viri semine, ex Spiritu sancto concepto, & de Virgine nato?*

SENSVS INTERNVS ET EXTERNVS.

1. *Sensus, intellectui quatenus prælatus. De Ani. cap. 18. in f.*

SIt nunc & potior sensu intellectus, & potior cognitor Sacramentorum, dummodo & ipse propria vis animæ, quod & sensus. nihil mea interest, nisi cùm idcirco præfertur sensui intellectus, vt ex hoc quoque separatior habeatur, quo potior adfirmatur. Tunc mihi post differentiam, etiam prælatio retundenda est, peruenturo vsque ad potioris Dei persuasionem. Sed de Deo, suo quoque campo experiemur cum hæreticis. Nunc de anima titulus, & intellectu non insidiosè præferendo locus. Nam etsi potiora sunt quæ intellectu attinguntur, vt spiritalia, quàm quæ sensu, vt corporalia, rerum erit prælatio, sublimiorum scilicet aduersùs humiliores, non intellectus aduersùs sensum. Quomodo enim præferatur sensui intellectus, à quo informatur ad cognitionem veritatum? Si enim veritates per imagines adprehenduntur, id est inuisibilia per visibilia noscuntur, quia & Apostolus nobis scribit,[a] *Inuisibilia enim eius à conditione mundi de factitamentis intellecta visuntur,* & Plato hæreticis, Facies occultorum, ea quæ apparent; & necesse est omnino hunc mundum imaginem quandam esse alterius alicuius. Videtur intellectus duce vti sensu, & auctore, & principali fundamento; nec sine illo veritates posse contingi: quomodo ergò potior erit eo per quem est, quo eget, cui debet totum quod attingit? Ita vtrumque

a Rom. 1. 20.

concluditur; neque præferendum sensui intellectum. per quem enim quid constat, inferius ipso est: neque separandum à sensu; per quod enim quid est, cum ipso est.

2. *Sensu licet intellectus sit potior; vtrumque tamen cum anima identificatur. De ani. cap. 18. Vide suprà num. 1.*

SENSVS INTELLECTVI Ꝝ SCHOL.

SIT NVNC. *Esto, inquit, demum sensum intellectu esse præstantiorem, & sagaciùs agnoscere res mysticas & occultas, modò mihi concedatur intellectum esse vim propriã animæ quâ intelligit. sicut & sensus vis eiusdem est quâ intellecta sentit. Nihil enim mihi curæ est nisi vt sensus ab anima non separetur eo ipsoquòd intellectu melior habetur.* POST DIFFERENTIAM. *Cùm iam refutauerimus & exploserimus inducentes differentiam inter sensum & intellectum: (suprà enim dixeras, non enim & sentire intelligere, & intelligere sentire est? Ad quid erit sensus, nisi eius rei quæ sentitur intellectus? &c. & rursum de anima: dum intelligit, sentit: quia si non sentit, nec intelligit.) Etiam mihi refutanda est sensus supra intellectum prælatio.* AD POTIORIS DEI. *Tum, inquit, progrediar contra Marcionitas & Gnosticos qui plures Deos inducebant, & vnum alteri postponebant, malum scilicet bono.* SVO CAMPO EXPERIEMVR. *Digladiabimur, disputabimus speciali tractatu contra eos.* TITVLVS. *Materia nobis inscripta de anima. Et iam locus est agendi contra eos qui subdolè præferunt sensum intellectui. Nos enim simpliciter intellectum præferimus sensui in eo quòd nobiliora sunt quæ intellectu percipiuntur vtpote spiritalia, quàm quæ sensu tanguntur, quæ sunt corporalia. In quo quidem non ipsarum virium animæ prælatio est vnius supra alteram, sed obiectorum earum.* QVOMODO PRÆFERATVR. *Cæterùm, inquit, non præcedit nec præcellit intellectus sensui, sed magis eum sequitur, à quo dirigitur & informatur circa veritatis cognitionem, quæ veritas per rerum imagines & phantasmata apprehenditur dicente Paulo Rom. 1. 20.* Inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. *Sunt & Plato, quem alibi dixit Patriarcham hæreticorum, qui in Timæo & Parmenide dicit, ea quæ foris apparent, faciem esse rerum occultarum, & hunc mundum visibilem imaginem esse alterius mundi inuisibilis. De sensu interno multò nobiliore externo, de quibus sequenti Scholio dicturi sumus, subtiliter & doctè Augustinus lib. 11. de Ciuit. cap. 26. vbi de imagine Trinitatis in homine.* S. Aug. Sumus, *inquit*, & nos esse nouimus, & nostrum esse ac nosse diligimus. In his autem tribus quæ dixi, nulla nos falsitas verisimilis turbat. Non enim ea, sicut illa quæ foris sunt, vllo sensu corporis tangimus, velut colores videndo, sonos audiendo, odores olfaciendo, sapores gustando, dura & mollia contrectando sentimus, quorum sensibilium etiam imagines eis simillimas, nec iam corporeas, cogitatione versamus, memoriâ tenemus, & per ipsas in istorum desideria concitamur: sed sine vlla phantasiarum, vel phantasmatum imaginatione ludificatoria, mihi esse me, idque nosse & amare certissimum est. *Et id intelligit sentiendo anima, & sentit intelligendo. Vnde & dicitur iuxta Aug. alibi citatum à nobis animi siue intellectus sententia: quæ omnia ab anima inseparabilia sunt iuxta doctrinam Tertulliani. De cuius viribus rursum capite sequenti.* Quæ, *inquit*, vis magna atque mirabilis mortalibus, præter homines, animantibus nulla est, licet eorum quibusdam, ad lucem istam contuendam, multò quam nobis sit acrior sensus oculorum; sed lucem illam incorpoream contingere nequeunt, quâ mens nostra quodammodo irradiatur, vt de his omnibus rectè iudicare possimus, &c. verumtamen inest sensibus irrationalium animantium, & si scientia nullo modo, at certè quædam scientiæ similitudo: cætera autem rerum corporalium, non quia sentiunt, sed quia sentiuntur, sensibilia nuncupata sunt. Quorum in arbustis hoc simile est sensibus, quod aluntur & gignuntur. Verumtamen & hæc, & omnia corporalia latentes in natura causas habent, sed formas suas quibus mundi huius visibilis structura formosa est, sentiendas sensibus præbent, vt pro eo quod nosse non possunt, quasi innotescere velle videantur. *Vt ex ipsis inuisibilia Dei Creatoris eorum intelligantur.* Sed nos ea sensu corporis ita capimus, vt de his non sensu corporis iudicemus. Habemus enim alium interioris hominis sensum isto longè præstantiorem quo iusta & iniusta sentiamus, iusta per intelligibilem speciem, iniusta, per eius priuationem. Ad huius sensus officium, non acies pupillæ, non foramen auriculæ, non spiramen narium, non gustus faucium, non vllus corporeus tactus accedit. Ibi me & esse, & hoc nosse certus sum, & hoc amo, atque amare me similiter certus sum.

3. *Sensus externi quomodo dicantur fallere & falli; & quatenus excusentur à fallacia. De Ani. cap. 17. per totum.*

CONtingit nos illorum etiam quinque sensuum quæstio, quos in primis litteris discimus, quoniam & hinc aliquid hæreticis procuratur. Visus est, & auditus, & odoratus, & gustus, & tactus. Horum fidem Academici duriùs damnant; secundùm quosdam, & Heraclitus, & Diocles, & Empedocles; certè Plato in Timæo, irrationalem pronuntians sensualitatem, & opinioni coimplicitam. Itaq; mendacium visui obiicitur, quod remos in aqua inflexos vel infractos adseuerat aduersùs conscientiam integritatis, quòd turrem quadrangulatam de longinquo rotundam persuadeat, quòd æqualissimam porticum angustiorem in vltimo infamet, quòd cœlum tantâ sublimitate suspensum mari iungat. Perinde auditus fallaciæ reus. vt cùm cœleste murmur putamus, & plaustrum est; vel tonitru meditante, pro certo de plaustro credimus sonitum. Sic & odoratus & gustus arguuntur, siquidem eadem vnguenta, eademque vina, posteriore quoque vsu depreciantur. Sic & tactus reprehenditur; siquidem eadem pauimenta manibus asperiora, pedibus leuiora creduntur, & in lauacris, idem calidæ lacus feruentissimus primò, dehinc temperatissimus renuntiatur. Adeò inquiunt, sic quoque fallimur sensibus, dum sententias vertimus. Moderantiùs Stoici, non omnem sensum, nec semper, de mendacio onerant.

Epicurei

Epicurei constantiùs, parem omnibus atque perpetuam defendunt veritatem, sed aliâ viâ. non enim sensum mentiri, sed opinionem. sensum enim pati, non opinari. animam enim opinari. Absciderunt & opinionem à sensu, & sensum ab anima. Et vnde opinio, si non à sensu? Denique nisi visus rotundam senserit turrem, nulla opinio rotunditatis. Et vnde sensus, si non ab anima? Denique carens animâ corpus, carebit & sensu. Ita & sensus ex anima est, & opinio ex sensu, & anima totum. Ceterùm, optimè proponetur, esse vtique aliquid, quod efficiat aliter quid à sensibus renuntiari, quàm sit in rebus. Porrò si potest id renuntiari quod non sit in rebus, cur non perinde possit per id renuntiari quod non sit in sensibus, sed in eis rationibus quæ interueniant suo nomine? Atque adeo licebit eas recognosci. Nam vt in aqua remus inflexus vel infractus appareat, aqua in causa est. Denique extra aquam integer visui remus. Teneritas autem substantiæ illius, quâ speculum ex lumine efficitur, prout icta seu mota est, ita & imaginem vibrans, euertit lineam recti. Item vt turris habitus eludat, interualli conditio compellit in aperto. æqualitas enim circumfusi aëris, pari luce vestiens angulos, oblitterat lineas. Sic & vniformitas porticus acuitur in fine, dum acies in concluso stipata, illic tenuatur quò & extenditur. Sic & cœlum mari vnitur, vbi visio absumitur, quæ quamdiu viget, tamdiu diuidit. Auditum verò quid aliud decipiet, quàm sonorum similitudo? Et, si postea minus spirat vnguentum, & minus sapit vinum, & minus lacus feruet, in omnibus fermè prima vis tota est. Ceterùm, de scabro ac læui, meritò manus ac pedes, tenera scilicet, & callosa membra dissentiunt. Igitur hoc modo, nulla sensuum frustratio causa carebit. Quod si causæ fallunt sensus, & per sensus opiniones, iam nec in sensibus constituenda fallacia est, qui causas sequuntur, nec in opinionibus, quæ à sensibus diriguntur, sequentibus causas. Qui insaniunt, alios in aliis vident, vt Orestes matrem in sorore, & Aiax Vlyssem in armento, vt Athamas & Agaue in filiis bestias. Oculisne hoc mendacium exprobrabis, an furiis? Qui redundantiâ fellis auruginant, amara sunt omnia. Num ergo gustui præuaricationem exprobrabis, an valetudinem? Omnes itaque sensus euertuntur, vel circumueniuntur ad tempus, vt proprietate fallaciæ careant Immò iam ne ipsis quidem causis adscribendum est fallaciæ elogium. Si enim ratione hæc accidunt, ratio fallacia perhiberi non meretur. Quod sic fieri oportet, mendacium non est. Itaque si & ipsæ causæ infamiâ liberantur, quantò magis sensus, quibus iam & causæ liberè præeunt: cùm hinc potissimum & veritas, & fides, & integritas sensibus vindicanda sit, quòd non aliter renuntient, quàm quod illa ratio mandauit, quæ efficiat aliter quid à sensibus renuntiari, quàm sit in rebus. Quid agis, Academia procacissima? totum vitæ statum euertis, omnem naturæ ordinem turbas, ipsius Dei prouidentiam excæcas, qui cunctis operibus suis intelligendis, incolendis, dispensandis, fruendisque, fallaces & mendaces dominos præfecerit sensus. An non istis vniuersa conditio subministratur? An non per istos secunda quoque mundo instructio accessit? tot artes, tot ingenia, tot studia, negotia, officia, commercia, remedia, consilia, solatia, victus, cultus, ornatusque omnia? totum vitæ saporem condierunt, dum per hos sensus solus omnium homo animal rationale dignoscitur, intelligentiæ capax, & ipsius Academiæ. Sed enim Plato, ne quod testimonium sensibus signet, propterea & in Phædro ex Socratis persona negat se cognoscere posse semetipsum, vt monet Delphica inscriptio. Et in Theæteto adimit sibi scire, atque
sentire. Et in Phædro, post mortem differt sententiam, veritatis postumam scilicet: & ta- Luc. 10.
men nondum mortuus, philosophabatur. Non licet, non licet nobis in dubium sensus 18.
istos deuocare, ne & in Christo de fide eorum deliberetur. ne fortè dicatur, quòd falsò Matth. 3.
Satanam prospectarit de cœlo præcipitatum: aut falsò vocem Patris audierit de ipso testi- 17
ficatam: aut deceptus sit cùm Petri socrum tetigit: aut alium postea vnguenti senserit Matth. 8.
spiritum, quod in sepulturam suam acceptauit: alium postea vini saporem, quod in sangui- 15.
nis sui memoriam consecrauit. Sic enim & Marcion phantasma eum maluit credere, to- Matth. 26.7.
tius corporis in illo dedignatus veritatem. Atquin ne in Apostolis quidem eius ludificata Matth. 17
natura est. Fidelis fuit & visus & auditus in monte: fidelis & gustus vini illius, licet aquæ 2. 6.
antè, in nuptiis Galilææ: fidelis & tactus, exinde creduli Thomæ. Recita Ioannis testa- Io. 2. 8.
tionem. [a] *Quod vidimus*, inquit, *quod audiuimus, oculis nostris vidimus, & manus nostræ con-* Io. 20. 29.
trectauerunt, de Sermone vitæ. Falsa vtique testatio, si oculorum, & aurium, & manuum, a 1. Io. 1.
sensus natura mentitur. 1.

4. *Quinque sensus corporei deceptibiles, sunt Gnosticis quinque fatuæ Virgines. De Ant. cap. 18. V. Plato 1.*

SENSVS EXTERNI. 3. & 4. SCHOL.

CONTINGIT NOS. *Non est aliena à nostro de anima tractatu quæstio de quinque corporis sensibus, quorum numerum à pueritia & primis rudimentis nouimus, maximè quia ex his moliuntur aliquid hæretici contra nos.* HORVM FIDEM. *Propter errorem & deceptionem sensuum, & infidelem renuntiationem, Academici*

omnia in dubium vocabant, & nihil certum esse dicebant. SECVNDVM QVOSDAM. *Aug. tres ex professo libros scripsit contra Academicos quos habes to. 1. ad Romanianum quem inuitat ad veram Philosophiam de quibus libro retract. cap. 1. vbi statim ab exordio institutum vitæ*
S. Aug. *sua Monasticæ non obscurè attigit*, Cùm, *inquit*, reliquissem, vel quæ adeptus fuerã in cupiditatibus huius mundi, vel quæ adipisci volebam, & me ad Christianæ vitæ otium contulissem nondum baptizatus, *vt relictis curis & negotiis sæculi Deo vacarem & viderem quàm suauis est Dominus*, contra Academicos, vel de Academicis primùm scripsi, vt argumenta eorum, quæ multis ingerunt veri inueniendi desperationem, & prohibent cuiquam rei assentiri, & omnino aliquid tanquam manifestum certumque sit approbare sapientem, cùm eis omnia videantur obscura & incerta, ab animo meo, quia & me mouebant, quantis possem rationibus amouerem. Quod miserante atque adiuuante Deo factum est. *Lib. autem 2. cap. 6. de nouis & veteribus Academicis disserit quò remitto lectorem. Et lib. 19. de Ciuit. cap. 1. eorumdem etiam meminit, & iuxta Varronem ducentis octoginta & octo sectis Philosophorum relatis, eorumque opi-*
S. Aug. *nionibus circa bonum.* Quomodo, *inquit*, refutatis cæteris vnam eligat, quam vult esse Academicorum veterum, quos à Platone institutos vsque ad Polemonem qui ab illo quartus eius Scholam tenuit, quæ Academia dicta est, habuisse certa dogmata vult videri: & ob hoc distinguit ab Academicis nouis, quibus incerta sunt omnia, quod Philosophiæ genus ab Archesila cœpit successore Polemonis: eamque sectam, id est veterum Academicorum, sicut dubitatione, ita omni errore carere arbitretur, longum est per omnia demonstrare. ET HERACLITVS. *Alij legunt, Heraclides & Empedocles. Plutar. lib. 4. de placitis cap. 9. tractat an sensus veri sint, & iungit Heraclidem Empedocli. Laërtius lib. 9. vbi de Heraclito*, opinionem, *inquit*, dicebat Heraclitus morbum comitialem, & visionem mentiri. *Quin & ipse Heraclitus hanc pronuntiauit sententiam*, mali testes hominibus oculi. *Empedocles verò iuxta Aristotelem lib. 2. de Anima c. 5. & lib. 3. cap. 3. errorem sensibus tribuit.* PLATO IN TIMÆO. *Vbi motus animæ perturbationesque eius, opinionumque inconstantiam sensuum errori attribuit, vbi inter cætera.* Propterea, *inquit*, errant in eiusdem diuersique generis contemplatione, cùm quod diuersum idem: & quod idem est, diuersum, imbecillitate discernendi autumant. Estque hæc earum, *animarum*, plena erroris & falsitatis opinio, orta ex depratatione sensuum: nec habet vllum certum ducem talis peragratio. Cùmque extra positi sensus pulsarint animam vehementiùs omnemque eam possederint, tunc illa subiugata & seruiens, Pontificium aliquod retinere falsò putatur; eadem passionibus ægra, & initio cùm incorporata est, & quamdiu perinde afficietur amens erit. INFAMET. *Alij*, informet. *Sed melius retineo; quid hæc deceptio sensus infamet.* TONITRV MEDITANTE, *murmurante, & quasi reuoluente se in nube. Aug. to. 1. lib. de vera Religione cap.*
S. Aug. *33.* Si, *inquit*, corpora mentiuntur, non est credendum mentientibus, ne incidamus in vanitates vanitantium: sed quærendum potiùs est, cùm ideo mentiuntur, quia eam videntur, *vnitatem veritatis*, ostendere oculis carneis, cùm illa mente pura videatur; vtrùm in tantùm mentiantur, in quantùm ei similia sunt, an in quantùm eam assequuntur. Nam si assequerentur, quod imitantur, implerent. Si autem implerent, omnino essent similia. Si omnino essent similia nihil inter illam naturam, & istam interesset. Quod si ita esset, non eam mentirentur: id enim essent quod illa est. Nec tamen mentiuntur diligentiùs considerantibus: quia ille mentitur

A qui vult videri quod non est. Quod autem non volens aliud putatur quàm est, non mentitur, sed fallit tantùm. Nam ita discernitur mentiens à fallente, quòd inest omni mentienti voluntas fallendi, etiam si non ei credatur: fallens autem esse non potest, qui non fallit. Ergo corporea species, quia nullam voluntatem habet, non mentitur. Si verò etiam non putetur esse quod non est, nec fallit. Sed ne ipsi quidem oculi fallunt; non enim renuntiare possunt animo nisi affectionem suam. Quod si non solùm ipsi, sed etiam omnes corporis sensus, ita renuntiant, vt afficiuntur, quid ab eis amplius exigere debeamus, ignoro. Tolle itaque vanitantes, & nulla erit vanitas. Si quis remum frangi in aqua opinatur, & cùm inde aufertur integrari, non malum habet internuntium, sed malus est iudex. Nam ille
B pro sua natura non potuit aliter in aqua sentire, nec aliter debuit: Si enim aliud est aër, aliud aqua, *diuersitas medij errorem inducit.* Iustum est, vt aliter in aëre, aliter in aqua sentiatur. Quare oculus rectè videt: ad hoc enim factus est, vt tantùm videat: sed anima peruersè iudicat, cui ad contemplandam summam pulchritudinem mens, non oculus factus est. Ille autem vult mentem conuertere ad corpora, oculos ad Deum. Quærit enim intelligere carnalia, & videre spiritalia, quod fieri non potest. *Pulchrè autem & moraliter concludit cap. sequenti*: Quare, *inquit*, ista peruersitas corrigenda S. Aug.
est; quia nisi fecerit quod sursum est, deorsum; & quod deorsum est, sursum; regno cœlorum aptus non erit. Non ergo summa quæramus in infimis; nec ipsis infimis inhæreamus. Iudicemus ea,
C ne cum ipsis iudicemur, *inter infima, abominabiles facti sicut ea quæ diligimus.* Id est, tantum eis tribuamus, quantum species meretur extrema, ne cùm in nouissimis prima quærimus, à primis inter nouissima numeremur. MODERANTIVS STOICI. *Iungit eis Epicureos Plutarchus lib. 4. præcitato cap. 9.* ONERANT, *quod suprà dixeras*, infamant. EPICVREI CONSTANTIVS. *Quia cùm Stoici, non semper, neque omnem sensum falli & fallere dicerent; Epicurei constanter eos nunquam mentiri, sed solam opinionem animæ iudicantis asserebat. Aug. lib. 8. de Ciuit. cap. 7. cùm de Platonicis ageret*: Absit, *inquit*, vt his S. Aug.
comparandi videantur, qui posuerunt iudicium veritatis in sensibus corporis, *quod iam refutaueras*
D *suprà citato loco de vera Religione*, eorumque infidis & fallacibus Regulis, omnia quæ discuntur, metienda esse censuerunt vt Epicurei, & quicumque alij tales, vt etiam ipsi Stoici. Qui cùm vehementer amauerint solertiam disputandi, quam Dialecticam nominant, à corporis sensibus eam ducendam putarunt. Hinc asseuerantes animum concipere notiones quas appellant *ἐννοίας* earum rerum scilicet quas definiendo explicant, hinc propagari atque connecti totam discendi docendique rationem. Vbi ego multum mirari soleo, cùm pulchros dicant non esse nisi sapientes, quibus sensibus corporis istam pulchritudinem viderint, qualibus oculis carnis, formam sapientiæ de-
E cusque conspexerint. Hi verò quos meritò cæteris anteponimus discreuerunt ea quæ mente conspiciuntur, ab iis quæ sensibus attinguntur: nec sensibus adimentes quod possunt, nec eis dantes vltra quàm possunt. Lumen autem mentium esse dixerunt ad discenda omnia, eundem ipsum Deum à quo facta sunt omnia. SED OPINIONEM. *Epicurei dicebant sensus tantummodo pati ab obiectis, siue eorum species ab ipsis recipere, nec proinde mentiri, sed solam æstimationem, animæ. Itaque diuidunt & separant Epicurei opinionem à sensu, & sensum ab anima.* ESSE VTIQVE ALI-

QVID. *Vel organi morbum, vel obiecti distantiam, vel medij differentiam. Quod expreßit verbis sequentibus* quæ interueniant suo nomine. *Accidentia sunt enim & circumstantiæ speciales, quæ impediunt quò minùs externi sensus nuntient animæ res perceptas, quales sunt in seipsis, vnde anima fallitur; exempla subiicit de quibus consulendi sunt Optici, & inter eos Scaliger exercit. 73. Diuersitas autem medij densi vel rari facit vt contrahantur, vel dissipentur lineæ. Quia omne agens per lineam rectam operatur, sed mutato medio contingit vt infringatur.* TENERITAS SVBSTANTIÆ. *Aquæ vel aëris raritas.* IMAGINEM VIBRANS, *speciem obiecti mittens.* TVRRIS HABITVS, *forma quadrata. Quæ illudit sensui apparens rotunda.* IN APERTO. *In aëre & cælo libero, sub Dio.* ACIES IN CONCLVSO STIPATA. *Densatæ sub tecto aciei visus, in extremitate, porticus fit tenuior, radiusque acutior, vnde & videtur porticus sensim vsque ad extremum extenuari.* SENSVVM FRVSTRATIO. *Deceptio. Senecam præterea lib. 1. natur. quæst. quæstione 6. & 3. vni Augustino hæreo. lib. 3. cont. Academicos cap. 11.* Credo, *inquit*, sensus non accusari, vel quòd imaginationes falsas furentes patiuntur, *quorum exempla subiicit Tertull.* Vel quòd falsa in somnis videmus. Si enim vera vigilantibus atque sanis renuntiarunt, nihil ad eos, quid sibi animus dormientis, insanientisque confingat. Restat vt quæratur, vtrùm cùm ipsi renuntiant, verum renuntiant. Age, si dicat Epicureus quispiam, nihil habeo quod de sensibus conquerar, iniustum est enim ab eis exigere plusquam possunt: quidquid autem possunt, videre oculi, verum vident. Ergone verùm est, quod de remo in aqua vident? prorsus verum. Nam causâ accedente quare ita videretur, si demersus vndâ remus rectus appareret, magis oculos meos falsæ renuntiationis arguerem. Non enim viderent, quod talibus existentibus causis videndum fuit. Quid multis opus est? hoc de turrium motu, hoc de pennulis auium, *pennulis versicoloribus in collo columbarum*, hoc de cæteris innumerabilibus dici potest. Ego tamen fallor, si assentiar, ait quispiam. Noli plùs assentiri, quàm vt ita tibi apparere persuadeas, & nulla deceptio est. Non enim video quomodo refellat Academicus eum qui dicit; hoc mihi candidum videri scio, hoc mihi iucundè olere scio; hoc auditum meum delectari scio, hoc mihi sapere dulciter scio, hoc mihi esse frigidum scio. Dic potiùs, vtrùm per se amaræ sint oleastri frondes quas caper tam pertinaciter appetit? ô hominem improbum: nonne est caper ipse modestior? nescio quales pecori sint, mihi tamen amaræ sunt. Quid quæris ampliùs? sed est fortasse aliquis etiam hominum, cui non sint amaræ. Tendis enim in molestiam; numquidnam amaras esse omnibus dixi? mihi dixi, & hoc non semper affirmo. Quid si enim aliàs aliâ causâ, nunc dulce quippiam, nunc amarum in ore sentiatur? illud dico posse hominem cùm aliquid gustat, bonâ fide iurare, se scire palato suo illud suaue esse, vel contra; nec vllâ calumniâ Græcâ, *Academicâ*, ab ista scientia posse deduci. Quis enim tam impudens sit, qui mihi cum delectatione aliquid ligurienti dicat: fortasse non gustas, sed hoc somnium est? Numquidnam resisto? sed me tamen illud in somnis etiam delectaret. Quare illud quod me scire dixi, nulla confundit similitudo falsorum. ORESTES. *De hoc Euripides in Oreste, & Sophocles in Electra. Hic fuit Agamemnonis Clytemnestræ filius. Cui cùm soror eius Electra necem ab Ægistho parari videret, qui patrem interfecerat, & matrem construpauerat; clam ad Strophium Principem Phocensium patris sui sororis virum misit, apud quem 12. annis commoratus, reuersus Argos, Ægisthum & Clytemnestram occidit, deinde Pyrrhum riualem suum in templo Apollinis interfecit. Propter quæ crimina in furias actus est, quibus turbatus vnam personam pro altera sumebat.* AIAX VLYSSEM. *De hoc & Sophocles. Hic, cùm Agamemnon Vlyssem sibi iudicasset præferendum in capessendis Achyllis armis, in furorem versus, insiluit in porcorum gregem tanquam in Græcos, & maximos duos sues captos flagellauit suspensos in trabe; putans cædere se Vlyssem & Agamemnonem.* ATHAMAS ET AGAVE. *De his vide Plutarchum lib. de superstitione. De Athamante Apollodorum lib. 2. Biblioth.; de Agaue Euripidem in Bacchis. Hæc filium Pentheum, illa Learchum, feras putantes interfecerunt.* QVI AVRVGINANT. *Ictericì aureo colore laborant, siue fellis exundantia; omnibus amara sunt.* ELOGIVM. *Nota & macula mendacij.* QVID AGIS ACADEMIA? *habes suprà similiter Augustinum Academicis insultantem.* EXCÆCAS. *Cæcitatis arguis.* VNIVERSA CONDITIO. *Totus mundus à Deo conditus.* SVBMINISTRATVR. *Ab homine Dei Prorege & Vicario administratur.* SECVNDA INSTRVCTIO. *Post naturam, artes omnes & inuentiones per sensus exercentur.* TOTVM SAPOREM. *Sine artibus enim non plenè saperet & gustaretur vita præsens.* IPSIVS ACADEMIÆ. *Pungit rursum Academicos, & Philosophos sensuum fallaciam arguentes.* PLATO. *Academiæ Princeps, ne testimonium suum in fauorem sensuum subsignet.* IN PHŒDRO. *Vbi Socratem inducit sic loquentem:* Nondum queo secundùm Delphicum præceptum meipsum cognoscere. Ridiculum igitur puto, cùm mea ipse ignorem, aliena perscrutari velle. *Subiicit nescire se an sit furiosum aliquod animal, an mite & rationis particeps.* IN THEÆTETO, *in quo Dialogo sic Socrates Theætetum alloquitur.* Millies diximus hæc; cognoscimus, non cognoscimus: scimus, nescimus. Aliquid inuicem intelligamus, cuius interim ignoremus scientiam? &c. quin etiam quod obstetricibus, idem & mihi accidit, sterilis sum & sapientiâ vacuus, &c. parturientibus succurrere Deus me cogit, generare prohibuit. Interrogo singulos, respondeo nulli. ET IN PHŒDRO, *vbi notat de animabus post hanc vitam, veritatem in altißimo cælo spectantibus.* POSTVMAM. *Quia veritas oritur certa animabus post mortem, priùs mole corporis impeditis.* DE FIDE DELIBERETVR. *De fideli relatione certitudine dubitetur. Alij legunt,* delibetur, *quasi de cortice eius velut arbore detrahatur iuxta Columellam. Cauendum est, inquit, Tertull. sensibus fallaciam imponere, ne & Christi Dei hominis sensus fallaces, totumque eius corpus, iuxta Marcionem, phantasma esse dicamus, vt decepti sint oculi eius videndo Sathanam sicut fulgur de cælo cadentem; aures circa Patris vocem in Iordane & Thabor; tactus circa ægros, quibus manus imposuit; odoratus circa vnguentum Magdalenæ; gustus circa vinum quod in memoriam suæ passionis, & in signum cruenti sacrificij consecrauit & bibit, gustauitque, postquam vinum commune in cœna vsuali & legali sumpserat.* EIVS LVDIFICATA NATVRA. *Sensus scilicet in Apostolis deceptus non est, neque in audita Patris voce, nec in visione Christi transfigurati, Moysi & Eliæ, nec gustus vini ex aqua facti in nuptiis Canæ, nec tactus Thomæ ex incredulo fidelis, nec Ioannis testimonium falsum, cùm ait 1. Io. 1. 1.* Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.

Hactenus iuxta Physicos de quinque sensibus externis; iam moraliter de eorum custodia à concupiscentiis

S. Aug.

prauis. Certè Augustinus to. 7. lib. 4. contra Iulianum Pelagianum, eorum ex parte naturæ, innocentiam & vtilitatem tuetur, solamque damnat anima iis abutentis concupiscentiam. Ita enim cap. 14. vbi contra hæreticum inferre volentem, propter concupiscentiam carnis, sensus à diabolo homini collatos. Sic, inquit, ignoras, S. Aug. vel ignorare te fingis, per quemlibet corporis sensum, aliud esse sentiendi viuacitatem, vel vtilitatem, vel necessitatem, aliud sentiendi libidinem. Viuacitas sentiendi est, quâ magis alius, alius minùs, in ipsis corporalibus rebus, pro earum modo atque natura, quod verum est percipit, atque id à falso magis minùsue discernit. Vtilitas sentiendi est, per quam corpori vitæque quam gerimus, ad aliquid approbandum, vel improbandum, B sumendum, vel reiiciendum, appetendum vitandumue consulimus. Necessitas sentiendi est, quando sensibus nostris, etiam quæ nolumus, ingeruntur. Libido autem sentiendi est, de qua nunc agimus, quæ nos ad sentiendum, siue consentientes mente, siue repugnantes, appetitu carnalis voluptatis impellit. Hæc est contraria dilectioni sapientiæ, hæc virtutibus inimica. Hoc malo, quantùm attinet ad eam partem quâ sibi sexus vterque miscetur, benè vtuntur nuptiæ, cùm coniuges procreant filios per illam, nihilque faciunt propter illam, &c. Non ait Dominus, qui viderit mulierem, sed qui viderit ad concupiscendam illam. Ecce sensum videndi à libidine sentiendi, si peruicax non sis, breuiter apertéque discreuit. Illud Deus C condidit instruendo corpus humanum, illud diabolus seminauit persuadendo peccatum. Laudent ergo cœlum, & terram, & omnia quæ in eis sunt, homines pij & ex his omnibus Deum, consideratione pulchritudinis, non ardore libidinis. Sicut auri decus aliter laudat Religiosus, aliter auarus. Iste cum pietate venerandi Creatorem, ille cum libidine possidendi creaturam. Mouetur certè animus ad pietatis affectum, diuino cantico audito: tamen etiam illic si sonum, non sensum, libido audiendi desideret, improbatur. Quantò magis si cantiunculis inanibus, vel etiam turpibus delectatur? *Et sic de cæteris sensibus, quæ portæ sunt mortis & fenestræ, vel vitæ, pro intentione vtentis, vel libidine abutentis. Vnde Augustinus libro* 10. *Confess. cap. 31. de gustus illecebris cap. 32. de olfactus, cap. 33. de auditus, cap. 34. de visus, multa curiosè tractat. Hinc* D *Psalmo 9.* Qui exaltas me de portis mortis, vt an- S. Aug. nuntiem vniuersas laudes tuas in portis filiæ Sion. Propterea, *inquit, Aug. ibidem*, cupiditas porta mortis est: quia mortua est vidua quæ in deliciis viuit. Ad quas delicias per cupiditates tanquam per portas mortis peruenitur. Sunt autem portæ filiæ Sion omnia optima studia per quæ venitur ad visionem pacis in sancta Ecclesia, &c. An fortè portæ mortis sunt corporales sensus, & oculi, qui aperti sunt homini, cùm de ligno vetito gustasset, à quibus exaltantur, quibus dicitur vt quærant, non quæ videntur, sed quæ non videntur: quia E quæ videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt? & portæ sunt filiæ Sion, Sacramenta, & initia fidei, quæ pulsantibus aperiuntur, vt perueniatur ad occulta filij. *Aduerte titulum Psalmi 9. esse* in finem pro occultis filij. *Quæ* S. Aug. *occulta quærebat Augustinus cùm diceret Dei filio:* quid amo cùm te amo, lucem quandam, vocem, saporem, odorem, amplexum interioris hominis, &c. *Sic filiæ Sion id est speculantes inuisibilia & æterna, portas vitæ aperiunt. Aduerte Euam à serpente seductam, omnes portas mortis aperuisse; aures suggestui, oculos visui ponis, nares odoratui, manus tactus, gustum sapori; & hinc* corrupta est sub arbore genitrix nostra, *perdidit integritatem innocentiæ, & inde virginitatem, pruriens libidine. Augustinus in Psal. 49. vbi de quinque virginibus fatuis, totidemque prudentibus:* Quinque, inquit, virgines admittuntur, quin- S. Aug. que excluduntur. Vbilibet intellige virgines, siue in castitate atque in integritate cordis, vbi debet Virgo, esse tota Ecclesia, cui dicitur; desponsaui vos vni viro virginem castam exhibere Christo: siue in his fœminis quæ etiam integritatem carnis dicatam habent Deo. Numquid in tot millibus solæ quinque sunt? sed in quinario numero intelligitur continentia quinque sensuum carnis. Etenim multis venit corruptio per oculos, multis per aurem, multis per illicitum olfactum, multis per nefarium gustum, multis per adulterinum amplexum. Ab his omnibus quinque ianuis corruptionis, quicumque se continent; & sic continent, vt in sua conscientia gloriam habeant, non laudem ab hominibus expectent, quinque sunt virgines sapientes, habentes oleum secum. Quid est oleum habentes secum? 2. Cor. 1. gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. *Et ep. 120. ad Honoratum cap. 31.* Timore casto inhæreat Deo, qui eam à pro- S. Aug. pria immunditia, quâ inordinatè bona inferiora dilexit, velut à quadam fornicatione spiritali mundauit: nec humanis laudibus, *addo nec amore proprio*, extollatur, nec sit in virginibus stultis, alienâ laude lætantibus, & propter ipsam inanem laudem, non propter conscientiam suam, vbi illis testis est Deus bona operantibus; sed sit in virginibus sapientibus, vbi dicat quod ait Apostolus: nam gloriatio nostra hæc est, &c. hoc est enim oleum secum ferre, non à vendentibus emere, hoc est adulantibus: adulatores namque laudem suam tanquam oleum venditant stultis. *An non stultam diceres, vilißimo mancipio placere magis, quàm Regi volentem? &c. & ser. 33. de ver. Do. qui est de parabola cœnæ magnæ; vbi de iugis quinque boum:* quinque, inquit, iuga S. Aug. boum, sensus huius carnis quinque numerantur, &c. Alba & nigra, & quoquo modo colorata, lucida & obscurata sentimus, videndo. Rauca, & canora audiendo sentimus. Suaueolentia & graueolentia odorando sentimus. Dulcia, & amara gustando sentimus, dura & mollia, lenia & aspera, calida & frigida, grauia & leuia tangendo sentimus. Quinque sunt, & iuga sunt. Sed quia iuga sunt, in tribus prioribus sensibus faciliùs apparet: *Sunt & apud medicos dictæ coniugationes neruorum.* Duo sunt oculi, duæ sunt aures, geminæ nares. Ecce tria iuga. In faucibus id est sensu gustandi, geminatio quædam inuenitur, quia nihil gustando sapit, nisi lingua & palato tangatur. Voluptas carnis quæ ad tactum pertinet occultiùs geminatur. Est enim & forinsecùs, & intrinsecùs: ergo & ipsa gemina est. Quare boum dicuntur iuga? quia per sensus istos carnis terrena requiruntur. *Adde & rerum terrenarum seruituti hominum colla subduntur,* boues enim terram versant. Sunt autem homines remoti à fide, terrenis dediti, carnalibus occupati: *nolunt ad cœnam agni venire, vbi gustatur & videtur in virga mellita Ionatha quàm suauis est Dominus: probare volunt quinque iugis boum quæ solâ mente sentiuntur.* Nolunt credere aliquid nisi ad quod sui corporis sensu quinquepartito perueniunt. *Et sapere secundùm carnem mors est. Nisi Deus exaltet de portis mortis. Hinc fidem perdidit Thomas & Magistro suscitato, mortuus est.* In eis S. Aug. quinque sensibus totius voluntatis sibi regulas ponunt. Non, inquit, credo ego nisi quod video. Ecce quod noui, ecce quod scio. Album est, nigrum est, rotundum est, quadratum est, sic vel sic coloratum est: noui, sentio, teneo: natura ipsa me docet. Non cogor credere, quod mihi non potes ostendere, vox

est, sentio, quia vox est, benè cantat, malè cantat, suauis est, rauca est, &c. Quid mihi plùs monstraturus es? tali impedimento tenebatur Apostolus noster Thomas, qui de Domino Christo, id est, de Christi resurrectione, nec solis oculis credere voluit, nisi misero, inquit, digitos &c. Et Dominus qui posset sine vllo signo vulneris resurgere, seruauit cicatrices, quæ à dubitante tangerentur, & cordis vulnera sanarentur: Et tamen vocaturus ad cœnam contra excusationem quinque iugorum boum, beati, inquit, qui non vident & credunt. Nos fratres mei, ad cœnam vocati, ab istis quinque iugis non sumus impediti. Non enim carnis faciem Domini videre in hoc tempore concupiuimus, aut vocem ex ore carnis illius procedentem auribus admittere desiderauimus; nullum in illo temporalem odorem quæsiuimus. Perfudit eum quædam mulier pretiosissimo vnguento, domus illa odore impleta est, sed nos ibi non fuimus. Ecce non olfecimus, & credimus. Cœnam manibus suis consecratam Discipulis dedit: sed nos in conuiuio non discubuimus, & tamen ipsam cœnam fide quotidie manducamus. &c. Tamen quia ipsa est quæ nunc præparatur, quàm multi etiam nunc in ipsa cœna iudicium sibi manducant & bibunt. Vnde autem tanquam occasio nata est Domino, vt de ista cœna loqueretur? dixerat vnus de discumbentibus, in conuiuio enim erat quò fuerat inuitatus: B. qui manducant in regno Dei panem. Quasi in longinqua iste suspirabat, & ipse panis ante illum discumbebat. Quis est panis de regno Dei, nisi qui dicit, Ego sum panis viuus? &c. Noli parare fauces, sed cor. Inde commendata est ista cœna. Ecce credimus in Christum quem fide accepimus. In accipiendo, nouimus quid cogitemus. Modicum quid accipimus, & in corde saginamur. Non ergo quod videtur, sed quod creditur, pascit. &c. Vt noueritis fratres istorum quinque sensuum non delectationem quæ permulcet & ingerit voluptatem, sed curiositatem quandam notatam fuisse? non ait, quinque iuga boum emi, eo pascere illa: sed eo probare illa. Qui vult probare per iuga boum, vult dubitare. Quomodo S. Thomas per iuga voluit dubitare. Videam, tangam, digitos mittam. &c. *Et in fine concludit*: Cogi nolunt, inquit; voluntate, inquiunt, nostra intremus. Non hoc Dominus imperauit. Coge, inquit, intrare, *clausis portis mortis*, foris inueniatur necessitas, nascitur intus voluntas. S. Aug. *Et vt reuertar ad fatuas virgines, suis sensibus abutentes. Relictis Gnosticis contra quos Tertullianus numero 4. Augustinus to. 4. lib. 83. qq. q. 59. qua tota est de hac parabola. Inter cætera hæc habet.* Videntur, inquit, mihi S. Aug. quinque virgines significare quinquepartitam continentiam à carnis illecebris. Continendus est enim animi appetitus à voluptate oculorum &c. sed quia ista continentia partim coram Deo fit, vt illi placeatur in interiori gaudio conscientiæ; *Vnde subiicit ipsam, inquit, lætitiam olei significari arbitror: propterea vnxit te Deus oleo exultationis &c.* partim coram hominibus, tantùm vt gloria humana capiatur; Quinque dicuntur sapientes, & quinque stultæ: vtræque tamen virgines, quia vtraque continentia est, quamuis diuerso fomite gaudeant. &c. Quæ paratæ erant, id est quibus bonum coram Deo testimonium conscientia perhibebat, intrauerunt cum eo ad nuptias: id est vbi munda anima puro & perfecto, sempiternoque Dei Verbo fœcundata copulatur. *Et homil. 35.* Cum grandi, inquit, timore ac tremore, S. Aug. ante oculos habeamus illud quod de dracone Apostolus nos admonet, 2. Cor. 11. vt eum omni sollicitudine caueamus. Aptaui vos, inquit, vni viro, virginem castam exhibere Christo: sed timeo ne sicut serpens seduxit Euam astutiâ suâ, ita & sensus vestri corrumpantur à simplicitate quæ est in Christo Iesu. &c. Si virginitatem animæ integram seruare desideras, quantùm potes obserua blandimenta draconis: Ne fortè si incautus fueris, quinque sensus qui in te sunt, quasi quinque virgines permittas à serpente corrumpi. Quidquid enim pulcrescit visu, quidquid dulcescit gustu, quidquid blanditur auditu, quidquid lenocinatur odoratu, quidquid mollescit attactu, in his omnibus, si incauti fuerimus, surrepentibus concupiscentiis malis, animæ virginitatem corrumpi permittimus: Et impletur in nobis illud quod per Prophetam dictum est, *Ier. 9.* intrauit mors per fenestras vestras. Per hos enim quinque sensus, quasi per quasdam ianuas, aut mors, aut vita ad animam nostram ingreditur. Simus ergo auxiliante Domino de illis quinque virginibus sapientibus, & quantùm possumus obseruemus ne inter illas stultas inueniamur, quæ sibi de sola corporis integritate plaudentes, virginitatem animæ per corruptionem quinque sensuum perdiderunt. &c. Ergò stultæ illæ dictæ sunt, quæ forinsecus quærebant laudem, non intus in conscientia habebant, ideo non portabant oleum secum, id est quia laudem in aliena lingua, non in conscientia sua volebant habere. *Deo iudice & renumeratore non contentæ. Quanta stultitia! Et hæc de quinque sensibus in vtramque partem sufficienter.*

SEPVLTVRA.

1. *Sepulturâ priuatis vel immaturè mortuis infernum claudi, animasque eorum hic vagari, donec integrum vitæ tempus impleuerint, stultè Gentiles crediderunt. De Ani. cap. 56. à p. ad f. & 57. in. p.*

CReditum est, insepultos non antè ad inferos redigi quàm iusta perceperint, secundùm Homericum Patroclum funus in somnis de Achille flagitantem, quòd non aliàs adire portas inferûm posset, arcentibus eum longè animabus sepultorum. Nouimus autem, præter poëtica iura, pietatis quoque Homericæ industriam. Tantò magis enim curam sepulturæ collocauit, quantò etiam moram eius iniuriosam animabus inculauit; simul & ne quis defunctum domi detinens ipse ampliùs cum illo maceretur enormitate solatij dolore nutriti. Ita querelas animæ insepultæ ad vtrumque confinxit; vt instantia funeris, & honor corporum seruetur, & * mœror adfectuum temperetur. Ceterùm, quàm vanum vt anima corporis iusta sustineat, quasi aliquid ex illis ad inferos auehat! Multò vanius, si iniuria deputabitur animæ, cessatio sepulturæ, quam pro gratia deberet amplecti. Vtique enim tardiùs ad inferos abstrahi mallet, quæ nec mori voluit. Amabit impium heredem; per quem adhuc pascitur luce: aut si qua pro certo iniuria est, tardiùs sub terram

* memoria.

detrudi, titulus autem iniuriæ cessatio est sepulturæ perquàm iniquum eam iniuriâ adfici, cui non imputabitur cessatio sepulturæ, ad proximos scilicet pertinens. Aiunt & immaturâ morte præuentas eousque vagari isthic, donec reliquatio compleatur ætatum, quas tum peruixissent, si non intempestiuè obiissent. Porrò, aut constituta sunt tempora vnicuique, & constituta præripi posse non credam: aut si constituta sunt quidem, Dei tamen voluntate, vel aliquâ potestate mutilantur, frustra mutilantur, si iam impleri sustinentur: aut si non sunt constituta, nulla erit reliquatio temporum non constitutorum. Adhuc addam. Ecce obiit (verbi gratiâ) infans sub vberum fontibus, putâ nunc puer inuestis, putâ vesticeps, qui tamen octoginta annos victurus fuisset: hos præreptos, vt anima eius hîc post mortem transigat, quale est? Ætatem enim non potest capere sine corpore; quia per corpora operantur ætates. Nostri autem, illud quoque recogitent, corpora eadem recepturas in resurrectione animas, in quibus decesserunt. Iidem ergo sperabuntur & corporum modi, & eædem ætates quæ corporum modos faciunt. Quo ergo pacto potest infantis anima hîc transigere prærepta tempora, vt octogenaria resurgat in corpore mensis vnius? Aut si hîc necesse erit ea tempora impleri quæ fuerant destinata, num & ordinem vitæ, quem sortita sunt tempora pariter cum illis hîc destinatum, pariter hîc anima decurret, vt & studeat ab infantia, pueritiæ delegata; & militet ab adolescentia, iuuentæ excitata; & censeat à iuuenta, senectæ ponderata; & fœnus exprimat, & agrum vrgeat, nauiget, litiget, nubat, laboret, ægritudines obeat; & quæcunque illam cum temporibus manebant tristia ac læta? Sed hæc sine corpore quomodo transigentur? vita sine vita? Sed vacua erunt tempora, solo decursu adimplenda. Quid ergo prohibet apud inferos ea impleri, vbi perinde nullus est vsus illorum? Ita dicimus omnem animam quaqua ætate decesserit, in ea stare ad eum diem, vsque quò perfectum illud repromittitur ad angelicæ plenitudinis mensuram temperatum. Proinde nec extorres inferûm habebuntur, quas vi ereptas arbitrantur, præcipuâ atrocitate suppliciorum, crucis dico, & securis, & gladii, & feræ nec isti porrò exitus violenti, quos iustitia decernit, violentiæ vindex. Et ideo, inquies, scelestæ quæque animæ inferis exulant. Alterum ergo constituis compello, aut bonos inferos, aut malos. Si malos placet, & iam præcipitari illuc animæ pessimæ debent. si bonos, cur idem, animas immaturas, & innuptas, pro conditione ætatis puras & innocuas, interim indignas inferis iudicas? Aut optimum est hîc retineri, secundùm aoros, aut pessimum, secundùm biæothanatos, vt ipsis iam vocabulis vtar, quibus auctrix opinionum istarum Magia sonat, Hostanes, & Typhon, & Dardanus, & Damigeron, & Nectabis, & Berenice. Publica iam littera est, quæ animas etiam iustâ ætate sopitas, etiam probâ morte disjunctas, etiam promptâ humatione dispunctas, euocaturam se ab inferûm incolatu pollicetur.

CAP. LVII.

SEPVLTVRA PRIVATIS. &c. 1. SCHOL.

CREDITVM EST. *Receptum est opinione Gentilium, animas eorum, quorum corpora insepulta iacebant, non priùs inferorum sinu quieto recipi, quàm iusta cadaueribus persoluta fuissent. Quod probat, apud Homerum, Anima Patrocli, ab Achille dormiente supplicans sepulturam, quòd non aliter portas regni Plutonis intrare posset, opponentibus se sibi animabus aliorum sepultorum, quæ suam ipsis iungi, hoc honore priuatam, prohibebant. Quod Homerus Iliade 23. non solùm licentiâ Poëticâ fingendo, sed innatâ ergà mortuos pietate scripsit. Patroclus vnà cum Achille apud Chyronem educatus, postea cum eodem ad expeditionem Troianam profectus Achillis armis indutus ab Hectore occisus est, cuius mortem Achilles vltus est armis à Vulcano fabrefactis.* MACERETVR ENORMITATE. *Ne viuus ac superstes amicus, corpus defuncti diutius apud se inhumatum retinens, ab anima defuncti vexetur cum illa, ingrauescente dolore dilati solatii sepulturæ; quod ideo finxit Homerus, vt instanter & absque mora corpora sepulturæ mandanda doceret; & mæror viuentium ac mortuorum moderatior esset. Lact. lib. 2. cap. 2.* Vulgus, *inquit*, existimat mortuorum animas circa tumulos, & corporum suorum reliquias oberrare. *Quid quod & Theodosius & Valentinianus Imperatores, in libro leg. nouell. tit. 5 dicunt animas amare sedes corporum relictorum, & nescio quâ forte ratione occulta sepulchri honore lætari.* QVAM VANVM. *Quàm stultum est credere animam expectare suam requiem, donec honor iustus & debitus reddatur corpori, quasi aliquid ex corporibus animæ secum ad inferos trahant.* PRO GRATIA, *tantùm abest vt anima separata debeat de viuis ac superstitibus pro hac defraudatione conqueri, quin potiùs quasi de accepta gratia gratulari. Cùm enim per mortem à corpore separari noluerit, morique restiterit, debet potiùs gaudere de dilatione, vel omnimoda frustratione sepulturæ, ne ad inferorum carcerem detrudatur, & hîc potiùs liberè vagetur. Maximè porrò iniustum est credere animas aliquo honore mulctari, vel iniuriâ affici, cùm id superstitibus proximis, & non ipsis debeat imputari.* RELIQVATIO. *residuum vitæ quod egissent istic apud viuos. Vox iuris significans reliquorum debitionem. Ita Paulus Iurisconsul. l. 44. ff. de administr. tut.* Si pupillus post pubertatem rationibus à tutore acceptis, reliquationem eius secutus vsuras acceptauerit, &c. *Ita & in l. 53. ff. de manumissis testam. Vnde reliquatores dicti*, qui quod alicui debent ex asse, ex integro non persoluunt: sed alicuius partis debitores adhuc remanent *Vlpianus in l. rescripto. §. sed eos. ff. de muner. & honor. & l. 102. §. Valer. ff. de solut. l. 9. §. reliquatores. ff. de publican.* CONSTITVTA PRÆRIPI. Constituisti terminos eius qui præteriri non poterunt, Numerus mensium eius apud te est. &c. *ait S. Iob. cui Psaltes accinit:* Ecce mensurabiles posuisti dies meos. &c. *Quam mensuram siue Deus, siue fatum constituerit, vt præteriri, sic præripi non poterit. Vnde quàm stultum est credere tandiu sustinere, & expectare animas ad portas inferi, donec com-*

pleatur numerus annorum, quos in corpore exegissent, si immaturà morte prærepta non fuissent; cùm decreta Dei, vel fati sint ineluctabilia & inevitabilia. PVER INVESTIS. *Imberbis, impubes, mento adhuc barbà non vestito.* VESTICEPS, *qui cœpit primà lanugine vestiri.* SINE CORPORE. *Quia anima cum sit immortalis, & indiuisibilis, æuiternitatem habet pro mensura propriæ durationis, & mensuram temporis solùm patitur, dum moratur in corpore.* CORPORA EADEM. *Quoad substantiam, non quoad imbecillitatem vel infantilis, vel senilis ætatis. Vide fusè dicta Verbo, Resurrectio, per plures numeros.* NOSTRI AVTEM. *Christiani.* IIDEM SPERABVNTVR. *Quoad substantiam; nam si velit strictim accipi eosdem corporis, & ætatis modos expectare defunctorum animas, in quibus decesserunt, sibi ipsi contradiceret; sed vult tamdiu in loco meritis congruo stare, & expectare, donec occurrant in virum perfectum & in mensuram ætatis plenitudinis Christi, vel plenitudinis Angelicæ, id est in qua Angeli communiter apparuerunt hominibus in assumptis corporibus perfectæ ætatis.* VT OCTOGENARIA. *Hanc ætatem bis hic attigit, propter illud Dauidicum: Psal. 89. 10.* Dies annorum nostrorum, in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus, *Sanct. Pagn. & Hebr. in fortitudinibus,* octoginta anni: & ampliùs eorum labor & dolor. MENSIS VNIVS. *Quem tantùm attigerat, cùm excessit corpore.* PVERITIÆ DELEGATA. *Quæ ad pueritiam vsque extenditur. Hic percurrit sex hominis ætates, & propria cuiusque studia, & labores decurrit, infantiam, pueritiam, adolescentiam, perfectam iuuentutem, posteriorem, quæ virilis ætas dicitur, & senectutem.* EXCITATA, *promota vsque ad iuuentam.* CENSEAT. *Iudicia, & præfecturas exerceat, maturitate graui vsque ad senectam, in quam vsque naturali pondere & affectu tendit.* FOENVS EXPRIMAT. *Propriè. Extorquent enim, & vi exprimunt vsuras fœneratores, & agrum vrgent auari, nec sinunt quiescere & vacare.* SINE VITA. *Operibus vitæ assuetis.* EXTORRES INFERVM, *eliminatæ ab inferis. Agit de nocentum & reorum animabus, quæ, insepultis earum corporibus, non debent priuari inferis, tum quod iusta vindicta, quæ eas tormentis ex hac vita excussit, violentia dici non debet; tum quia, si mali sunt inferi, & loca pœnalia, statim debent post mortem illuc præcipitari: si autem boni sunt, & receptacula iustorum, cur innocentium puerorum animæ immaturà morte functorum non statim quietis loco donantur?* HIC RETINERI. *Apud inferos non recipi, sed hic retineri Aoros, id est præter horam, scilicet immaturè præreptos, sicut infantes, & pueri; donec impleuerint numeros annorum, quos vixissent: aut optimum est, biaothanatos, hoc est vi oppressos, seu morte atroci & violenta præreptos, excludi tandiu ab inferis.* HOSTANES. *alij legunt* Sostenes *Insignes magos hîc notat. De hoc primo, Augustinus libro 6. de bapt.*

S. Aug. *cont. Donatistas. cap. vltimo.* Sanctus, inquit, Cyprianus talibus aduersùs ethnicos vtitur testibus. Nam cùm de Magis loqueretur, quorum tamen, inquit, præcipuus Hostanes, & formam veri Dei negat conspici posse, & Angelos veros sedi eius dicit assistere. In quo & Plato pari ratione consentit, & vnum Deum seruans, cæteros Angelos vel dæmones dicit. Hermes quoque Trismegistus, vnum Deum loquitur, & eum incomprehensibilem atque inæstimabilem confitetur. Si ergo isti venissent ad percipiendam Christianam salutem, non vtique eis diceretur, hoc malum habetis, vel falsum habetis: sed planè meritò diceretur, hoc vobis quamuis integrum & verum, nihil tamen prodesset, nisi ad Christi gratiam veniretis. *Plinius lib 30. cap. 1. duos Hostanes notat, vnum qui adhæserit Xerxi Persarum Regi, alterum eiusdem nominis, qui Alexandro Magno.* TYPHON, *huius meminit Synesius lib. 1. de prouid.* DARDANVS, *de quo Clem. Alex. Eusеb. 2. de proper.*

Arnob. lib. 1. Hic aceruos tritici aliorum, in horrea sua arte magicà traducebat. Hinc in iure Dardanarij dicuntur, qui annonam, mercesue coëmptas tantisper supprimunt, dum eas vendendi cariùs occasio se præbeat. Vlpianus. l. 6. ff. de extraord. crimin. Et l. 37. ff. de pœnis. Cuiacius lib. 19. obseruationum. Dardanarij, *inquit*, ijdem sunt, & Pantapolæ, & Seplasiarij, si glossis veterum credimus, quæ & Seplasiarios, & Dardanarios, Pantapolos exponunt, & Pantametabolos: quo genere hominum nihil est fraudulentius, nil iniquius in oneranda annona mercium quarumlibet, & ideo variis constitutionibus, fraudes, calliditates, stellionatus eorum coërcentur. DAMIGERON. *de isto Arnobius lib. 1.* NECTABIS. *Rex Ægypti temporibus Platonis qui ex Plin. lib. 36. cap. 19. insignem obeliscum posuit in honorem Arsinoës coniugis simul & sororis suæ.* BERENICE. *Ægypti Regina Ptolemæi Philadelphi, & Arsinoës filia, cuius crines ex voto detonsos Conon Mathematicus inter sidera in septem stellas caudæ leonis versos suasit Regi Ptolemæo euergeti, cui nupserat, & post votum pro eius reditu ex Asiatica expeditione, disparuit.* PVBLICA LITERA. *Iam docetur publicè, vel liber extat magiæ, quo docetur ars quà animæ etiam iusta ætate & plena defunctorum, nec morte nocentum vi tormentorum excussæ, quarum etiam corporibus debitus honor sepulturæ statim exolutus est, etiam ab inferis euocari possint: Quoniam hic textus maximè tangit honorem sepulturæ, quam defunctis nimis apud Gentiles sollicitè curasse, Tertullianus hîc notat, aliquid in rem hanc ex Augustino subtexto. to. 4. lib. de cura pro mortuis cap. 8. & 9.* Debuerunt, *inquit*, & ista permitti, *insepulta cadauera martyrum*, vt etiam post hæc tanti honoris exempla, martyres in Christi confessione feruentes, huius quoque testes fierent veritatis, in qua didicerant, eos a quibus sua corpora interficerentur, postea nihil habere quod facerent: quoniam quidquid mortuis corporibus facerent, vtique nihil facerent: quando in carne omni vita carente, nec aliquid sentire posset qui inde migrauerit, nec aliquid inde perdere qui creauit. Sed inter hæc quæ fiebant de corporibus occisorum, cùm martyres ea non metuentes magnâ fortitudine paterentur, tamen apud fratres luctus ingens erat: quòd nulla dabatur potestas sanctorum funeribus iusta persoluere, nec occultè subtrahere aliquid, sicut eadem testatur historia, *De qua Euseb. lib. 5. hist. cap. 1.* Crudelium custodum vigiliæ permittebant. Ita cùm illos qui occisi fuerant, in dilaceratione membrorum suorum, in conflagratione ossium, in dispersione cinerum, miseria nulla contingeret, istos tamen qui nihil eorum sepelire poterant, magna miseria cruciabat; quia nullo modo istis sentientibus, ipsi quodammodo sentiebant; & vbi iam illorum nulla erat passio, erat istorum misera compassio. Secundùm istam, quam dixi miserandam compassionem, laudantur illi, & à Rege Dauid benedicuntur, qui Saülis & Ionathæ ossibus aridis sepulturæ misericordiam præstiterunt. Quæ tandem misericordia præstatur nihil sentientibus? An fortè hoc reuocandum est ad illam opinionem quòd inferni fluuium insepulti non poterant transmeare? Absit hoc à fide Christiana. Alioquin pessimè actum est cum tanta martyrum multitudine, quorum non potuerunt corpora sepeliri, & fallaciter eis veritas dixit: nolite timere eos qui corpus occidunt, & postea non habent quid faciant: Si eis tanta mala facere potuerunt, quibus impedirentur ad loca exoptata transire. Sed quia hoc sine vlla dubitatione falsissimum est, nec aliquid obest fidelibus negata eorum corporibus sepultura: nec aliquid si exhibeatur infidelibus, prodest. Cur ergo illi qui Saülem &

filium eius sepelierunt, misericordiam fecisse dicuntur, & ob hoc à Rege pio benedicuntur: nisi quia benè afficiuntur corda miserantium, quando ea dolent in mortuorum corporibus alienis, quæ illo affectu quo nemo vnquam carnem suam odio habet, nolunt fieri post mortem suam corporibus suis: & quod sibi exhiberi volunt, quando sensuri non sunt, aliis non sentientibus curant exhibere, dum ipsi sentiunt? *Hinc & frequenter mortui apparuerunt viuis idipsum obsequium flagitantes, vt patet ex Epistola Auiti Presbyteri de Inuentione reliquiarum B. Protomartyris Stephani, & epistola Luciani Presbyteri de eadem materia, quæ habentur to. 10. D. August.*

S. Aug. *Et expreßiùs libro de cura pro mortuis cap* 10. Narrantur, *inquit*, visa quædam, quæ huic disputationi non negligendam videantur inferre quæstionem. Feruntur quippe mortui nonnulli, vel in somnis, vel alio quocumque modo appparuisse viuentibus, atque vbi eorum corpora iacerent, inhumata nescientibus, locisque monstratis admonuisse vt sibi sepultura quæ defuerat, præberetur. Hæc si falsa esse responderimus, contra quorumdam scripta fidelium, & contra eorum sensus qui talia sibi accidisse confirmant, impudenter venire videbimur. &c. Angelicis igitur operationibus fieri crediderim, siue permittatur desuper, siue iubeatur, vt aliquid dicere de sepeliendis corporibus suis, videantur in somnis; cùm id penitus nesciant, quorum illa sunt corpora. Id autem aliquando vtiliter fit, siue ad viuorum qualecumque solatium, ad quos pertinent illi mortui quorum apparent imagines somniantibus: siue vt his admonitionibus generi humano sepulturæ commendetur humanitas: quæ licet defunctis non opituletur, culpandâ tamen irreligione negligitur. Aliquando autem fallacibus visis, *arte dæmonum fictis*, homines in magnos mittuntur errores, quos talia perpeti iustum est. Velut si quisquam videat in somnis quod Æneas vidisse apud inferos poëticâ falsitate narratur: Et vt ei cuiuspiam non sepulti appareat imago, & loquatur, qualia fertur illi locutus fuisse Palinurus: & cùm euigilauerit, ibi corpus eius inueniat vbi iacere inhumatum, cùm somniaret, audiuit, admonitus & rogatus vt sepeliret inuentum: Et quia id verum esse comperit, credat ideo mortuos sepeliri, vt eorum animæ ad loca transeant, vnde insepultorum animas infernâ prohiberi lege somniauit. Nonne ista credens plurimum à tramite veritatis exorbitat? sic autem infirmitas humana sese habet, vt cùm mortuum in somnis quisque viderit, ipsius animam se videre arbitretur: cùm autem viuum similiter somniauerit, non eius animam, neque corpus, sed hominis similitudinem sibi apparuisse non dubitet: quasi non possent & mortuorum hominum eodem modo nescientium, non animæ, sed similitudines apparere dormientibus. *Quod totum fit hominis dormientis imaginariâ viuacitate, mortuorum, aut viuorum phantasmata repræsentante. Vt vt sit, pia semper & commendata fuit sepultura mortuorum, & à iustis circa propria cadauera facienda curata dum viuerent. Quod*

S. Aug. *nec præteriit Augustinus lib. 1. de Ciuit. cap. 13.* Antiquorum, *inquit*, & iustorum funera officiosa pietate curata sunt, & exequiæ celebratæ, & sepultura prouisa. Ipsique dum viuerent, de sepeliendis, vel etiam transferendis suis corporibus, filiis mandauerunt: Et Tobias sepeliendo mortuos, Deum promeruisse, teste Angelo commendatur. Ipse quoque Dominus die tertio resurrecturus, religiosæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandumque commendat, quòd vnguentum pretiosum super membra eius effuderit, atque hoc ad eum sepeliendum fece-

A rit. Et laudabiliter commemorantur in Euangeliò, qui corpus eius de cruce acceptum diligenter atque honorificè tegendum, sepeliendumque curarunt. Verùm istæ authoritates non hoc admonent quòd insit vllus cadaueribus sensus, sed ad Dei prouidentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significant, propter fidem resurrectionis adstruendam. Vbi & illud salubriter dicitur, quanta possit esse remuneratio pro eleemosynis quas viuentibus & sentientibus exhibemus, si neque hoc apud Deum perit, quod exanimis hominum membris officii diligentiæque persoluitur. Sunt quidem & alia quæ Sancti Patriarchæ de corporibus suis vel condendis, vel transferendis,

B prophetico spiritu dicta intelligi voluerunt. *Prophetice autem significabant peccata sua sepelienda esse, in loco vbi Christus ipse fuso pro eis sanguine in terra Chanaam sepeliretur, vt notat ipse Aug. q. 162. in Gen. vbi de Iacob mandante corpus transferri ex Ægypto.* Quid sibi, *inquit*, velit à tanto viro tam solicita corporis commendatio, vt non in Ægypto sepeliatur, sed in terra Chanaam iuxta patres suos: mirum videtur & quasi absurdum, nec conueniens tantæ excellentiæ mentis Propheticæ, si hoc ex hominum consuetudine metiamur. Si autem in his omnibus Sacramenta quærantur, maioris admirationis gaudium ipsi, qui inuenerit, orietur. Cadaueribus quippe mortuorum peccata significari in lege, non dubium est, cùm iubentur homines post eorum contrecta-

C tionem, siue qualemcumque contactum, tanquam ab immunditia purificari. Et hinc illa sententia ducta est: qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lauatio eius? sic & qui ieiunat super peccata sua, & iterum ambulans hæc eadem facit Sepultura ergo mortuorum, remissionem significat peccatorum, eò pertinens quod dictum est: B. quorum remissæ sunt iniquitates. &c. Vbi ergo sepelienda erant hoc significantia cadauera Patriarcharum, nisi in ea terra vbi ille crucifixus est, cuius sanguine facta est remissio peccatorum? mortibus enim Patriarcharum peccata hominum figurata sunt. Dicunt autem ab eo loco quod Abrahamium

D vocatur, vbi sunt ista corpora, abesse locum vbi crucifixus est Dominus ferè triginta millibus, vt etiam ipse numerus significare intelligatur, qui in baptismo apparuit ferè triginta annorum, & si quid aliud de re tanta vel hoc modo, vel sublimius intelligi potest, dum tamen non frustra arbitremur tales ac tantos homines Dei, tantam gessisse curam pro sepeliendis corporibus suis, cùm sit, atque esse debeat fidelium ista securitas, quòd vbicumque corpora eorum sepeliantur, vel insepulta etiam inimicorum rabie relinquantur, aut pro eorum libidine dilacerata absumantur, non ideo vel minùs integra, vel minus gloriosa in eorum resurrectione futura. *In quo quidem stupenda fides B. Matris Monicæ enituit, de qua*

E *Augustinus lib. 9. confess. cap. 11.* Cùm ægrotaret, *inquit*, quodam die, defectum animæ passa est, & paululum subtracta à præsentibus. Nos concurrimus, sed citò reddita est sensui, & aspexit astantes me & fratrem meum, & ait nobis quasi quærenti similis, vbi eram? Deinde nos intuens mœrore attonitos: ponetis hic, *inquit*, matrem vestram; ego silebam, & fletum frænabam, Frater autem meus quiddam locutus est, quo eam non peregrè, sed in patria defungi tanquam fœliciùs optaret. Quo audito, illa vultu anxio reuerberans eum oculis, quòd talia saperet, atque inde me intuens, vide ait, quid dicit: & mox ambobus, ponite, inquit, hoc corpus vbicumque, nihil vos eius cura conturbet; tantùm illud vos rogo, vt ad Domini altare memineritis mei, vbi fueritis. &c. S. Aug.

recolens

S. Aug. recolens quod noueram quanta cura semper æstuasset de sepulcro quod sibi prouiderat & præparauerat iuxta corpus viri sui; quia enim valde concorditer vixerant, id etiam volebat, vt est animus humanus minùs capax diuinorum, adiungi ad illam fœlicitatem, & commemorari ab hominibus, concessum sibi esse, post transmarinam peregrinationem, vt coniuncta terra amborum coniugum, terrâ tegeretur. Quando autem ista inanitas plenitudine bonitatis tuæ cœperat in corde eius non esse, nesciebam, & lætabar admirans quod sic mihi apparuisset: quanquam & illo sermone nostro A ad fenestram, cùm dixit: iam quid hic facio? non aperuit desiderare in patria mori. Audiui etiam postea, quòd iam cùm Ostiis essemus, cum quibusdam amicis meis maternâ fiduciâ loquebatur quôdam die de contemptu vitæ huius, & de bono mortis, vbi ipse non aderam: illisque stupentibus virtutem fœminæ, quam tu dederas ei, quærentibus verùm non formidaret tam longè à sua ciuitate corpus relinquere; Nihil, *inquit*, longè est Deo: neque timendum est, ne ille non agnoscat in fine sæculi, vnde me resuscitet. *Atque hæc plenius de cura sepulturæ, iuxta Augustinum dicta sufficiunt.*

2. *Apud sepulcra mortuorum oracula capta à Paganis, , arte dæmonum illusorum. De Ani. cap. 57. circa. f.*

SI & de nocturnis imaginibus opponitur, sæpè non frustra mortuos visos, (nam & Nasammonas propria oracula apud parentum sepulcra mansitando captare, vt Heraclides scribit, vel Nymphodorus, vel Herodotus: & Celtas apud virorum fortium busta eadem de causa abnoctare, vt Nicander adfirmat) non magis mortuos verè patimur in somnis, quàm viuos, sed eadem ratione mortuos quà & viuos, & omnia quæ videntur. Non enim quia videntur, vera sunt, sed quia adimplentur. Fides somniorum de effectu, non de conspectu renuntiatur.

APVD SEPVLCRA. 2. SCHOL.

SI OPPONITVR. *A Magicis, maximè necromantiæ deditis si obiicitur, pro tuenda mortuorum apparitione, sæpè eorum imagines noctu visas, non frustra, sed euentu ab ipsis futurarum rerum probatas; dicam somniorum mera esse ludibria, meramque imaginationis viuacitatem, quâ tam viuos, quàm mortuos sibi fingis vel apparere, vel colloqui, vel quidlibet aliud sibi repræsentari, vel se tractare imaginatur. Quæcumque enim sic videntur in somnis, in tantum vera sunt, in quantum implentur, non quatenus conspiciuntur & videntur.* NASAMMONAS. *De magico illorum ritu videndus Herodotus, libro 4. Et Eustathius in Dionysium.* HERACLIDES. *Hunc iam citauerat supra cap. 46. scribentem in politiis.* NYMPHODORVS. *Historicum scilicet Syracusanum qui citatur à Plinio & Athenæo. Et librum scripsit de mirabilibus Siciliæ.* HERODOTVS. *Ita in Melpomene:* Diuinant, *inquit*, ad suorum accedentes monumenta, & illis, vbi preces peregerunt, indormiunt: vbi, quodcumque per quietem insomnium viderunt, eo vtuntur. NICANDER. *Colophonius medicus fuit, qui scripsit tres libros de oraculis, vt Suidas & Athenæus referunt.* CELTAS. *Forum generositatem adnotauit Valerius Maximus. (qui iuxta Plin. lib. 3. cap. 1. Celtiberi dicti, à Celtis Gallis, in Iberiam profectis, libro 2. cap. 6.* Auara & fœneratoria Gallorum Philosophia; alacris & fortis Cymbrorum & Celtibærorum, qui in acie exultabant, tanquam gloriosè & fœliciter vita excessuri: lamentabantur in morbo, quasi turpiter & miserabiliter perituri. Celtiberi etiam nefas esse ducebant prælio superesse, cùm is occidisset, pro cuius salute spiritum deuouerunt. *Ideo pernoctabant ad busta & cineres virorum fortium, fausta inde à mortuis expectantes oracula. Duo hic ab Augustino decerpo. Primò iuxta præcedens Scholium, & hunc Tertulliani textum, non magis verè, mortuos apparere quàm viuos dormientibus. Libro de cura pro mortuis cap. 11. narrat, cùm esset Mediolani, de anima parentis, filio suo apparente, & Chirographum, quo solutum fuerat debitum, ostendente. Alind præterea refert exemplum de seipsô, qui cùm Mediolani versaretur, & nihil omnino de Eulogio Carthagine Rhetoricam docente cogi-* B *taret, noctu ei apparuit, & perplexum Ciceronis locum exposuit, & concludit:* Quomodo, *inquit*, fiant ista nescio: sed quomodolibet fiant, cur non eodem modo fieri credimus, vt in somnis quisque videat mortuum, quomodo fit vt videat & viuum? ambobus vtique nescientibus, neque curantibus, quis, vel vbi, vel quando eorum imagines somniet. Similia sunt autem somniis nonnulla etiam visa vigilantium, qui turbatos habent sensus, sicut phrenetici, vel quocumque furentes modo. Nam & ipsi loquuntur secum, quasi verè præsentibus loquantur: Et tam cum absentibus, quàm cum præsentibus, quorum C imagines cernunt, siue viuorum, siue mortuorum, &c. Huic rei simile est etiam illud, cùm homines altiùs quàm si dormirent, subtrahuntur corporis sensibus, & occupantur talibus visis. Et his enim apparent imagines viuorum atque mortuorum: sed cùm fuerint sensibus redditi, quoscumque mortuos vidisse se dixerint, verè cum eis fuisse creduntur: nec attendunt qui hæc audiunt, similiter ab eis absentium atque nescientium quorumdam etiam imagines visas esse viuorum. &c. Visa sunt igitur ista, quæ non præstantur in ipsis rebus vt sunt, sed in quibusdam rerum imaginibus adumbrantur. *Secundò, ad sepulcra fortium nostrorum, hoc est Martyrum, longè faustiora edita oracula, & miracula, tota testatur Ecclesiastica historia, & August. sæpè. Vno aut altero* D *loco contentus ero. Libro retract. cap. 13.* Quod dixi, *inquit*, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne anima semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum nouitate flagrauit, vetum est idem: *hæc dixerat libro de vera religione cap. 25.* Non enim nunc vsque, cùm manus imponitur baptizatis, sic accipiunt Spiritum sanctum, vt loquantur linguis omnium gentium: aut nunc vsque ad vmbram transeuntium prædicatorum Christi, sanantur infirmi: & si qua talia tunc facta sunt, quæ postea cessasse manifestum est. Sed non sic accipiendum est quod dixi, vt nunc in Christi nomine fieri miracula nulla credantur. Nam ego ipse quando istum ipsum librum scripsi, ad Mediolanensium cor- S. Aug. S. Aug. S. Aug.

pora martyrum, in eadem ciuitate cæcum illuminatum fuisse iam noueram, & alia nonnulla, qualia tam multa etiam istis temporibus fiunt, vt nec omnia cognoscere, nec ea quæ cognoscimus, enumerare possimus. *Et Epist. 137. ad Clerum Hipponensem, vbi de stupro à quodam iuuene imposito Presbytero suo Bonifacio: & vtroque compulso probationis defectu, pergere ad sepulchrum Felicis martyris, vt indicium miraculo transigeretur*: Elegi, *inquit*, aliud medium, vt certo placito, se ambo constringerent, ad locum sanctum se peregrinaturos, vbi terribiliora opera Dei non sanam cuiusque conscientiam multò facilius aperirent, & ad confessionem, vel pœnâ, vel timore compellerent. Vbique quidem Deus est, & nullo continetur, vel clauditur loco, qui condidit omnia, & eum a veris adoratoribus in spiritu & veritate oportet adorari; vt in occulto exaudiens, in occulto etiam iustificet & coronet. Verumtamen ad ista quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest consilium eius perscrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant? Multis enim notissima est sanctitas loci, vbi Beati Felicis Nolensis corpus conditum est, quò volui vt pergerent, quia inde nobis facilius fideliusque scribi potest quidquid in eorum aliquo fuerit diuinitùs propalatum. Nam & nos nouimus Mediolani apud memoriam Sanctorum, *sepulchrum, quod alibi dixit vocari, monumentum, siue memoriam, quod admoneat mentem, & reficeet memoriam viuentium, circa mortuos*, vbi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur; furem quemdam, qui ad eum locum venerat vt falsum iurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum, & quod abstulerat, reddere: Numquid non & Africa Sanctorum martyrum operibus plena est? Et tamen nusquam hîc scimus talia fieri. Sicut enim, quod Apostolus dicit, non omnes Sancti habent dona curationum, nec omnes habent diiudicationem spirituum; ita nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit ille, qui diuidit propria vnicuique prout vult.

SERVVS DEI.

1. *Seruus Dei, eius debet, non suæ seruire voluntati; nec iussa tantùm implere, sed & placita. De Ieiun. cap. 13. à p.*

QVale est autem, vt tuo arbitrio permittas, quod imperio Dei non das? plus humanæ licebit voluntati, quàm diuinæ potestati? Ego me seculo, non Deo liberum memini: sic meum est vltro officium facere Domino, sicut indicere illius est. non tantùm obsequi ei debeo, sed & adulari: illud enim imperio eius, hoc arbitrio meo præsto.

SERVVS DEI. 1. SCHOL.

QVALE EST. *Quàm absurdum, quantâ in Deum irreuerentiâ plenum.* ME SÆCVLO LIBERVM. *Sic iuxta Paulum. Rom. 6. 20.* Cùm enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ &c. Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo. &c. *De quo sic Aug. tract. 41. in Io. 8.* Non, *inquit*, dicat Christianus, liber sum, in libertatem vocatus sum: seruus eram, sed redemptus sum, & ipsa redemptione liber effectus sum; faciam quod volo, nemo me prohibeat a voluntate mea; si liber sum: sed si ista voluntate peccatum facis, seruus es peccati. Noli ergo libertate abuti ad liberè peccandum, sed vtere ad non peccandum: erit enim voluntas tua libera, si fuerit pia. Eris liber, si fueris seruus: liber peccati, seruus iustitiæ; dicente Apostolo, cùm serui essetis peccati. &c. *Sed Tertullianus exigit à Dei seruo, vt præter iussum quod implere debet, spontaneum etiam præstet officium iuxta Psaltem*; Voluntariè sacrificabo tibi. &c. *Supererogatoria igitur opera, qualia sunt ieiunia, exigit à Dei seruo Tertullianus. De quibus Aug. to. 6. lib. 1. de adulterinis coniugiis. cap. 14.* Hæc sunt, *inquit*, quæ amplius erogantur saucio, qui curandus ad stabulum, Samaritani illius miseratione perductus est. Et ideo dicuntur non à Domino præcipi, quamuis à Domino moneantur offerri, vt tantò intelligantur esse gratiora, quantò magis ostenduntur indebita.

2. *Seruum Dei pudeat ipsi non obedire, qui de seruis, & bestiis sibi à Deo subiectis, obsequium exigit. De Pat. cap. 4. in m.*

NOs non de hominibus modo seruitute subnixis, vel quolibet alio iure debitoribus obsequii, verùm etiam de pecudibus, etiam de bestiis obedientiam exprimimus, intelligentes vsibus nostris à Domino prouisas traditasque. Meliora ergo nobis erunt in obsequii disciplina, quæ nobis Deus subdit? Agnoscunt denique quæ obediunt. nos cui soli subditi sumus, Domino scilicet, auscultare dubitamus? At quàm iniustum est, quàm etiam ingratum, quod per alterius indulgentiam de aliis consequaris, idem illi per quem consequeris de temetipso non rependere? Nec pluribus de obsequij exhibitione debita à nobis Domino Deo. Satis enim agnitio Dei quid sibi incumbat, intelligit.

SERVVM DEI. 2. SCHOL.

SVBNIXIS. *subiectis.* ALIO IVRE. *Sicut regni, patriæ, & virilis potestatis, in subditos, filios, vxores.* DE PECVDIBVS. *Animalibus domesticis.* DE BESTIIS, *agrestibus cicuratis.* EXPRIMIMVS, *elicimus, extorquemus.* A DOMINO, *dicente Ada*, Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram. AVSCVLTARE. *Aurem præbere obedientem; iuxta illud*, ausculta fili mi disciplinam patris tui. AGNITIO DEI *non tantùm lumine naturali sed & fidei, nos impellit vt Deo summo Regi, Domino, Creatori, Patri, vero animæ viro, & capiti Christo, obedientiam præbeamus. Augustinus to. 9. lib. de decem chordis. cap. 10.* Seruum, *inquit*, si haberes, velles vt seruiret tibi seruus tuus: serui tu meliori Domino Deo tuo. Seruum tuum non tu fecisti; & te, & seruum tuum ille fecit. Vis vt tibi seruiat, cum quo factus es; & non vis seruire ei à quò factus es? Ergo cùm vis vt seruiat tibi seruus tuus homo, & tu non vis seruire Domino Deo tuo, facis Deo, quod tu pati non vis.

Seruus ille, quòd tibi seruit indigno dignè, id est quòd indigno tibi benè seruit, & fideliter seruit, & purè te diligit; Deo debet, non tibi. Iustum est ergo, vt & tu attendas, quia sub Domino es; ad quem & ille attendit vt seruiat tibi. *Et libro Soliloq. cap. 19. & 20. prælatum se & præfectum cunctis creaturis agnoscit, & hinc magis obstrictum diuinæ seruituti.* S. Aug. Post beneficium, *inquit*, creationis, quando in principio de nihilo ad imaginem tuam creasti me, honorificans & exaltans me inter eas creaturas quas fecisti, & nobilitans lumine vultus tui, quo signasti superliminare cordis mei, quo ab insensibilibus pariter, & sensibilibus brutis discreuisti me, & paulominus ab Angelis minuisti: parum hoc fuit ante conspectum diuinitatis tuæ: quoniam quotidianis, & singularibus, maximisque donariis tuorum beneficiorum, me sine intermissione nutriuisti, & quasi A filium tuum paruulum tenellum vberibus tuæ consolationis lactasti, & confortasti me. Vt enim tibi totus seruirem, omnia quæcumque fecisti, in meum seruitiū tradidisti. Omnia sub pedibus hominis subiecisti, vt solus homo totus tibi subiiceretur. Et vt tuus totus homo esset, super omnia opera tua dominatus est homo. Exteriora nempe pro corpore cuncta creasti, ipsum verò corpus pro anima, animam verò pro te, vt tibi soli vacaret, & te solum amaret, possidens te ad solatium, inferiora verò ad seruitium. Quidquid enim cœli ambitu continetur, inferius animâ humanâ est, quæ facta est, vt summum bonum superius possideret, cuius possessione beata fieret: cui si adhæserit, cunctorum mutabilium inferiorum vicissitudines supergrediens, illius summæ maiestatis, cuius æmulatur speciem æternæ immortalitatis faciem cum serenitate videbit.

3. *Seruus Dei, & vidua perseuerans, solâ in Deum fiduciâ diues est. 1°. ad vxo. cap. 4. inf.*

PRæsume, oro te, nihil tibi opus esse, si Domino appareas: imò omnia habere, si habeas Dominum, cuius omnia. Cœlestia recogita, & terrena despicies. Nihil viduitati apud Deum subsignatæ necessarium est, quàm perseuerare.

SERVVS DEI. 3. SCHOL.

NIHIL TIBI OPVS ESSE. *Psal. 33.* Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum. *In quem locum Augustinus.* Time Deum; *inquit*, sed si timuero Deum, non habeo vnde viuam. S. Aug Timete Dominum. &c. copiam promittit: trepidat & dubitat, ne si fortè timuerit Dominum, desideret ille superflua. Pascebat te Dominus contemnentem se, & deseret te timentem se? &c. *Deinde inducit obsurentem prosperantes impios, & Deum timentes omnibus bonis imminutos:* quotidie ad basilicam surgo, S. Aug. quotidie genuflecto, quotidie inquiro Dominum, & nihil boni habeo, iste non inquisiuit Dominum, & inter tanta bona defunctus est. Sic cogitantem suffocat laqueus scandali. Escam enim mortalem quærit in terra, & veram mercedem non quærit in cœlo, & mittit caput in laqueum diaboli, constringuntur ei fauces, & tenet diabolus ad maleficiendum, & sic imitatur illum diuitem quem videt in tanta copia defunctum. &c. cùm repletus fueris spiritualibus diuitiis, pauper eris? & ille diues ideo fuit, quia habebat lectum eburneum, & tu pauper es cuius cubiculum cordis plenum est tantis gemmis virtutum, iustitiæ, veritatis, charitatis, fidei, patientiæ, & tolerantiæ? Explica diuitias tuas, habes illas, & compara diuitiis diuitum. At ille in mercato inuenit multas pretiosas, & emit eas. Si fidem inuenires venalem, quantum pro illa dares, quam te voluit Deus gratis habere, & ingratus es? Egent ergo illi diuites, egent, & quod est grauius, pane egent. Ne fortè putetis, quia auro egent & argento, quanquam & hoc egeant. Quantum habuit quidam, & quis eum satiauit? Sic mortuus est egens, quia plura volebat acquirere, quàm tenebat. Egent & pane. Quare egent & pane? si intelligas panem, ille enim dixit, ego sum panis viuus. &c. Et beati qui esuriunt. &c. Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Sed quo bono? iam dixi. *De quo Moyses dixit:* Veni. & ostendam tibi omne bonum. SI DOMINO APPAREAS. *Vox iuris. Ex Budæo idem est in forensibus, quod officii & obsequii exhibendi gratia, præsto esse. Et apparitio est officium & actus apparendi; & aliquando sumitur pro ipsis Apparitoribus, siue ministris magistratuum, qui eorum iussa exequuntur. Vlp.* B *l. finali. §. finali. ff. quod metus causa. l. 1. C. de locat. præd. sic Psaltes:* Mane adstabo tibi. &c. sic in sancto apparui tibi. OMNIA HABERE. *August. to. 9. lib. Soliloq. cap. 20.* Et corpori, *inquit*, nostro, licet adhuc corruptibili, & ignobili, vt videret, dedisti cœli claritatem per manum ministrorum tuorum indefessorum; Solis, & Lunæ, qui præcepto tuo iugiter die ac nocte deseruiunt filiis tuis. Vt spiraret, largitus es aëris puritatem: vt audiret, sonorum varietates; vt odoraret, odorum suauitates: vt gustaret, saporum qualitates: vt contrectaret, dedisti corpulentorum omnium grossitates. S. Aug. Adiumenta suis necessitatibus dedisti iumenta, volucres quoque cœli & pisces maris, & fructus terræ ad reficiendum impendisti. C Medicinas de terra propter singulas quasque corruptelas creasti, singula solatia singulis malis obuiantia præparasti: quoniam es misericors & miserator, & nouisti figmentum nostrum figulus noster, & nos omnes quasi lutum in manu tua. COELESTIA RECOGITA. *Sic ea recogitabat Augustinus ibidem cap. 21. Et ea ex terrenis iam datis, expectabat.* Ex his, *inquit*, S. Aug. minimis tua magna, & ex his visibilibus, tua inuisibilia comprehendimus, Domine Deus sancte, & bone creator noster. Si enim, mi Domine, pro hoc corpore ignobili & corruptibili, tam magna & innumera beneficia præstas à cœlo, & aëre, à terra & mari, à luce & tenebris, à calore & vmbra, rore & imbre, D ventis & pluuiis, volucribus & piscibus, bestiis & arboribus, & multiplicitate herbarum & germinum terræ, cunctarum creaturarum tuarum ministerio nobis successiuè per sua tempora ministrantium, vt alleues fastidium nostrum: qualia quæso, & quàm magna, & innumerabilia erunt bona quæ præparasti diligentibus te, in illa cœlesti patria, vbi te videbimus facie ad faciem? Si tanta facis nobis in carcere, quid ages in palatio? &c. Cùm enim sint hæc omnia valde bona & delectabilia, quæ bonis pariter malisque communia tradidisti; qualia futura sunt illa quæ solis bonis recondisti? &c. Si tanta solatia in hac die lacrymarum, quanta conferes in

die nuptiarum, &c oculus non vidit Deus absque A te, quæ præparasti diligentibus te. Secundùm enim magnam multitudinem magnificentiæ tuæ, est etiam multitudo magna dulcedinis tuæ, quam abcondisti timentibus te. VIDVITATI SVBSIGNATÆ: *Voto, Deo obstrictæ; vel etiam post virum defunctum, cum Deo contracta.*

4. *Seruus Christi succinctus, & cum lampade ardente redeuntem expectet Dominum.*
4 *cont. Marc. cap. 29. à p.*

a Luc. 12. 35. SVmus serui, dominum enim habemus Deum. a *Succingere debemus lumbos*, id est, expediti esse ab impedimentis laciniosæ vitæ & implicitæ: Item, *lucernas ardentes* habere, id est, mentes à fide accensas, & operibus veritatis relucentes; atque ita *expectare Dominum*, id est Christum. Vnde redeuntem? si *à nuptiis*, Creatoris est, cuius nuptiæ. Si non Creatoris, nec ipse Marcion inuitatus ad nuptias isset, Deum suum intuens detestatorem nuptiarum. Defecit itaque parabola in persona Domini, si non esset, cui nuptiæ competunt.

SERVVS CHRISTI. 4. SCHOL.

SVCCINGERE LVMBOS. *Sic iubet Dominus. Luc. 12.* 35. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptiis. LACINIOSÆ. *Sinuosæ, flexuosæ, multisque ambagibus impedita.* CREATORIS EST. *Christus commendando nuptias, probat contra Marcionem nuptias detestantem, se filium esse Dei Creatoris, qui ab initio nuptias instituit in paradiso terrestri.* NEC MARCION INVITATVS. *Sicut Christus filius Creatoris inuitatus fuit ad nuptias in Cana Galilaa.* DEFECIT PARABOLA. *Frustra Christus se comparasset Domino eunti ad nuptias, si ipse non fuisset aptus his contrahendis. Sed ipse de seipso sic apud Ioannem fatur:* qui habet sponsam, sponsus est; amicus sponsi stat & audit eum. *Et Paulus de Corinthiorum Ecclesia:* Despondi vos vni viro. *Et viros hortatur:* viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam. *De hac parabola simul & virginum sponsarum Agni, Augustinus sermone 23. de verbis Domini:* Parum est, *inquit*, quia virgines sunt, S. Aug. & lampades habent. Virgines propter abstinentiam ab illicitis sensibus. Lampades habent, propter opera bona. De quibus operibus Dominus dicit, luceant opera vestra coram hominibus, &c. Item discipulis dicit, sint lumbi vestri accincti, & lucernæ ardentes, &c. In lumbis accinctis virginitas, in lucernis ardentibus opera bona. Non solet dici virginitas vtique in coniugatis: tamen etiam ibi est fidei virginitas, quæ exhibet pudicitiam coniugalem. Nam vt nouerit sanctitas vestra, non importunè secundùm animam, & secundum integritatem fidei quâ etiam ab illicitis abstinetur, & bona opera fiunt, vnumquemque, vel vnamquamque animam virginem dici. Tota Ecclesia quæ constat ex virginibus, & pueris, & maritatis fœminis, & vxoratis viris, vno nomine Virgo est appellata. Vnde hoc probamus? Apostolum audi dicentem non solis sanctimonialibus, sed vniuersæ prorsus Ecclesiæ: desponsaui vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Et quia huius virginitatis corruptor diabolus cauendus est, continuò ipse Apostolus cùm dixisset, desponsaui vos, &c. Adiunxit, & ait, timeo autem ne sicut serpens Euam seduxit versutiâ suâ, sic & vestri sensus corrumpantur à castitate, quæ est in Christo. In corpore virginitatem pauci habent, in corde omnes habere debent, &c. Si & Virgo est, & lampades fert, & tamen non admittitur; *loquitur de fatua, oleum secum charitatis non habente vsque ad finem, sicut infra exponit*; vbi se S. Aug. videt, qui nec virginitatem ab illicitis seruat, nec bona opera volens habere, in tenebris ambulat? *Et ser. 39. de verb. Do. qui est de loco Lucæ 12. prœcitato.* Dominus, *inquit*, noster Iesus Christus, & venit ad S. Aug. homines, & abscessit ab hominibus, & venturus est ad homines. *Quando reuertetur à nuptiis.* Et tamen hic erat quando venit, nec recessit quando abscessit, & ad eos venturus est, quibus dixit, ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi, &c. de hoc audistis modo Euangelium quod monuerit nos, cautos nos faciens, & volens esse expeditos & paratos ad expectanda nouissima: vt post nouissima quæ sunt in hoc sæculo metuenda, succedat requies quæ non habet finem, &c. Ab amore sæculi huius vocati sumus, vt aliud sæculum speremus, & diligamus. In hoc abstinere nos debemus ab omnibus illicitis concupiscentiis, hoc est lumbos accinctos habere debemus: & feruere, & lucere in operibus, hoc est lucernas ardentes habere, &c. Quid est, lumbos accinctos? declina à malo. Quid est lucere? quid est lucernas ardentes habere? hoc est, & fac bonum. Quid est quod adiunxit, & ait, & vos similes estote hominibus expectantibus Dominum suum? &c. nisi quod in illo Psalmo sequitur, inquire pacem, & sequere eam? Hæc tria, hoc est abstinentia à modo, & operatio boni, & spes præmij æterni, commemorata sunt in Actibus Apostolorum vbi scriptum est, quia docebat eos Paulus de continentia, de iustitia, & spe vitæ æternæ. Ad continentiam pertinet, sint lumbi vestri accincti; ad iustitiam pertinet, & lucernæ ardentes: ad expectationem Domini pertinet, quæ est spes vitæ æternæ. Ergo declina à malo, hæc est continentia: hi sunt lumbi accincti: & fac bonum, hæc est iustitia, hæ sunt lucernæ ardentes: quære pacem & sequere eam, hæc est expectatio futuri sæculi. Ergo similes estote hominibus expectantibus Dominum suum quando veniat à nuptiis.

SEVERVS IMPERATOR.

Seueri Imperatoris tempus felix. De Pallio cap. 2. circa f.

QVantum reformauit orbis seculum istud? quantùm vrbium aut produxit, aut auxit, aut reddidit præsentis imperij triplex virtus? Deo tot Augustis in vnum fauente, quot census transcripti? quot populi repurgati? quot ordines illustrati? quot bar-

bari exclusi? Reuerà orbis, cultissimum huius imperij rus est, eradicato omni aconito hostilitatis, & cacto, & rubo subdolæ familiaritatis, consultus & amœnus super Alcioni pometum, & Midæ rosetum.

SEVERVS IMPERATOR. SCHOL.

A QVANTVM ORBIS. *Quot partes orbis sæculum hoc quo viuimus florentissimum, mutauit in melius? quot vrbes aut erexit de nouo, aut euersas reparauit, aut extructas ampliauit.* TRIPLEX VIRTVS. *Explicat trinam hanc virtutem dum subiicit* DEO TOT AVGVSTIS IN VNVM FAVENTE, *Deo scilicet propitio, in quo sicut fide certa creditur personarum Trinitas in vnitatem essentiæ & summi dominij concurrere, sic Imperium Romanum à tribus Augustis simul vnanimiter regi; à Seuero scilicet, & duobus filiis eius Antonino, & Geta. Hinc Xiphilinus, sic Plautiano fatur, ex parte populi:* Quid tremis? quid palles? plusquàm tres habes. Dicebant autem tres, Seuerum, & filios eius, Antoninum, & Getam. *Alij pro Antonino Baßianum ponunt.* CENSVS TRANSCRIPTI *in tabulis censualibus descripti, sicut Augustus fecerat sub Christi natalem.* REPVRGATI. *Alij legunt,* propaginati. *Nouis coloniis productis.* ORDINES ILLVSTRATI. *Pristino splendori redditi magistratus, habito delectu personarum.* BARBARI EXCLVSI. *Obfirmatis Imperij limitibus.* ORBIS. *Vel Romanus, vel totus orbis, hodie videtur excultum esse Imperij rus. Vel Imperium Romanum est totius mundi pars excultißima.* ACONITO HOSTILITATIS, *planta venenata est, quâ exprimit partes Pescennij & Albini.* CACTO. *Alij legunt Carecto, species est cardui frequens in Sicilia. Et intelligit subdolam familiaritatem Plautiani. Vide Plinium, Theocritum, Theophrastum, & Athenæum. De Cacto, Plin. lib. 21. c. 16.* Cactos, *inquit*, in Sicilia tantùm nascitur suæ proprietatis & ipsa, cuius in terra serpunt caules, à radice emissi, lato folio & spinoso. Caules vocant cactos: nec fastidiunt in cibis inueteratos quoque. CONSVLTVS ET AMŒNVS. *Supple orbis. Alij legunt.* Consitum & amœnum *scilicet* rus. ALCINOI POMETVM. *In Corsica insula. Pomariorum huius Regis meminit Plinius libro 19. c. 4. Et Homerus libro 7. Odyssea, cuius verba refert Iustin. Mart. Aduersus gentes. De Mida Roseto ipse Tertull. lib. de Cor. mil. & Herodot. lib. 8. Quidquid hic blandiatur Seuero Tertullianus, & Antonino Pio, sub quo pacem fuisse scribit in Apol. cap. 5. ad quem Antoninum Iustinus Martyr scribit Apologiam pro Christianis; tamen sub ipsis, licet non expresso ipsorum mandato, sed furore gentilium, & Presidum sententia, Christiani vexati sunt. Augustinus libro 18, de Ciuit. c. 52. vbi recenset decem persecutiones Ecclesiæ, & quintam Seuero imputat, non ex sua, sed historicorum mente.* Primam computant à Nerone quæ facta est, secundam à Domitiano, tertiam à Traiano, quartam ab Antonino, quintam à Seuero, sextam à Maximino, septimam à Decio, octauam à Valeriano, nonam ab Aureliano, decimam à Diocletiano & Maximiano. Plagas enim Ægyptiorum, quoniam decem fuerunt, antequam inde exire inciperet populus Dei, putant ad hunc intellectum esse referendas, vt nouissima Antichristi persecutio similis videatur vndecimæ plagæ, quâ Ægyptij, dum hostiliter persequerentur Hebræos, in mari rubro, populo Dei per siccum transeunte, perierunt. Sed ego illâ re gestâ in Ægypto, istas persecutiones propheticè significatas esse non arbitror: quamuis ab eis qui hoc putant, exquisitè & ingeniosè illa singula his singulis comparata videantur, non prophetico spiritu, sed coniecturâ mentis humanæ, quæ aliquando ad verum peruenit, aliquando fallitur. *Hic pungit Orosium, qui libro 7. cap. 27. Hebræos cum Christianis, Ægyptios cum Romanis, decem plagas cum decem persecutionibus comparat. Cæterùm Spartianus meminit edicti à Seuero lati, Anno Christi 204. Imperij sui decimo, quo sub graui pœna vetuit Christianos fieri. Euseb. in Chron. & libro 6. hist. Eccl. cap. 1. & 2. Hiero. lib. de Script. Eccl. in Orig.* Generali, *inquit*, Edicto generalis persecutio contra Christianos indicta à Seuero; ac præterea speciale Rescriptum Romam misit, vt Præfectus vrbis cognosceret de illicitis collegiis, nempe de Christianis conuentibus, ne cogi eos sineret. *Sic ergo frigidus Aquilo prohibuit hortum conclusum Ecclesiæ nouis rosis, liliis, violis pullulare; qui supra Alcinoi pometum, & Midæ rosetum florescere, & fructificare debuerat.*

SILENTIVM.

Silentio productus est Deus Nus Monogenes, iuxta Valentinianos: quia ipsi mysteria sua silentio velant. Cont. Valent. cap. 7. in m. V. Valentiniana fabula. num. 4. à p. & ibid. cap. 9. à p. & num. 2.

SIMONIA.

Simonia omnis interdicta. Apol. cap. 39. à p.

PRæsident probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti; neque enim pretio vlla res Dei constat. Etiam si quod arcæ genus est, non de honoraria summa, quasi redemptæ religionis congregatur.

V. Verbum. Templum. num. 2.

SIMONIA. SCHOL.

PRÆSIDENT. *Presbyteri & Episcopi. Hi enim Seniores. Vnde & Cyprianus de vnitate Ecclesiæ.* Quam, *inquit*, vnitatem tenere firmiter & vindicare debemus, maximè Episcopi qui in Ecclesia præsidemus. PROBATI. *Idem Cypr. in Ep. ad Felicem.* Quod & ipsum videmus diuina authoritate D descendere, vti Sacerdos plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio & testimonio comprobetur. NEQVE VLLA RES DEI. *Omnem hic excludit Simoniam, siue in emendis beneficiis, siue in Sacramentis, aliisque rebus sacris.* SI QVOD ARCÆ GENVS. *Gazophilacium intel-*

ligit, in quo reponebantur collecta, de quibus 1. *Cor.* 16. A De collectis quæ fiunt in sanctos, sicut ordinaui Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite. HONORARIA SVMMA. *Alij legunt*, oneraria, vel ordinaria. *Vel quòd excluderet, vt alibi notaui, persecutionis tempore, pecuniâ redimendam esse vexationem, quàm vltro sine fuga sustinere volebat: vel quod Christianam discipliplinam longè à Gentili more separaret, cuius dixit religionem* venalem seu redemptam, *cùm de idolis emptis & venditis loqueretur, auaritiâ Ethnicorum Sacerdotum. Et hæc est, ni fallor, de qua hic loquitur* honoraria summa redemptæ religionis. *Quod ironicum est. Quasi honoris causa idola emerentur ad cultum.* Oneraria autem vel ordinaria *diceretur, si quasi onus ordinarium imponeretur, & quasi vectigal exigeretur. Inde enim subiecit, quod alio loco retulimus*, modicam B vnusquisque stipem menstruâ die *sicut Paulus suprà, per vnam sabbati, hoc est Dominica die collectam fieri iussit.* Vel cùm velit, & si modo velit, & si modo possit, apponit; nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt. *Impietas autem esset Simoniaca, si nomen, aut Sacramentum Christiani venale esset; & acquirendi huius tituli honorandissimi causa, summa honoraria reponeretur in arca à quibuscumque fidem profitentibus. Et sic columba Spiritus sancti, & pennæ eius deargentata, emerentur & venderentur, iuxta Simonis negotium. De quo pulchrè Aug. in Psal.* 130. *in versum.* (S. Aug.) Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me. Non fui, *inquit*, superbus, nolui quasi in mirabilibus innotescere hominibus: nec quæsiui aliquid C supra vires meas, vnde me apud imperitos iactarem. Intendat charitas vestra, magna res commendatur; quomodo Simon ille magus in mirabilibus ingredi volebat super se, propterea plus illum delectauit potentia Apostolorum quam iustitia Christianorum. At vbi vidit per manus impositionem Apostolorum, & per orationes eorum, Deum dare fidelibus Spiritum sanctum; & quia tunc per miraculum demonstrabatur aduentus Spiritus sancti, vt linguis loquerentur quas non didicerant, omnes super quos veniebat Spiritus sanctus; &c. Ideo tunc oportebat vt linguis loquerentur, vt significarent, omnes linguas Christo credituras: vbi impletum est quod significabatur, miraculum ablatum est: cùm ergo hoc videret Simon magus, voluit talia D facere, non talis esse: & nostis quia etiam pecuniâ putauit comparandum Spiritum sanctum. Erat ergo de talibus, qui in templum intrant ad emendum & vendendum: emere volebat, quod vendere disponebat. Dominus illos expulit de templo qui columbas vendebant. Columba autem Spiritum sanctum significabat. Volebat ergo Simon emere columbam & vendere. Accessit Dominus Iesus qui habitabat in Petro, & flagello resticulæ expulit foras malum mercatorem. *Et to.* 9. *tract.* 6. *in caput* 1. *Io. vbi dicit eum in Samaria conuersum Prædicatione Philippi Diaconi, vel Apostoli, & baptizatum: cùm autem Petrus & Ioannes venissent in Samariam, & impositione manuum vidisset dari Spiritum sanctum, sic de Simone subiicit:* (S. Aug.) Simon ille, *inquit*, qui non erat in Ecclesia columba sed coruus, quia ea quæ sua sunt quærebat, non quæ Iesu Christi, vnde in Christianis potentiam magis amauerat quàm iustitiam; vidit per impositionem manuum Apostolorum dari Spiritum sanctum, non quia ipsi dabant, sed quia ipsis orantibus datus est: & ait Apostolis: quid vultis à me accipere pecuniæ, vt & per impositionem manuum mearum, detur Spiritus sanctus? & ait illi Petrus, pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei putasti pecuniâ comparandum, &c. Iam baptisma habebat, sed columbæ visceribus non hærebat. Audi quia non hærebat. Verba ipsa Petri Apostoli aduerte; sequitur enim: non est tibi pars neque sors in hac fide. In felle enim amaritudinis video te esse. Columba fel non habet; Simon habebat, ideo separatus erat à columbæ visceribus. Baptisma illi quid proderat? &c. *Et tract.* (S. Aug.) 10. *in cap.* 2. *Io.* Simon ille, *inquit*, ideo volebat emere Spiritum sanctum, quia vendere volebat Spiritum sanctum: & putabat Apostolos mercatores esse, quales Dominus de templo flagello eiecit. Talis enim ipse erat, & quod venderet, emere volebat. De illis erat qui columbas vendunt. Etenim in columba apparuit Spiritus sanctus. Qui ergo vendunt columbas, fratres? qui dicunt, nos damus Spiritum sanctum. Quare enim hoc dicunt, & quo pretio vendunt? pretio honoris sui. Accipiunt pretium Cathedras temporales, vt videantur ipsi vendere columbas. Caueant à flagello de resticulis. *Fiat mensa eorum, quorum mensas euertit* (S. Aug.) *numulariorum scilicet, coram ipsis in laqueum.* Columba non est venalis. Gratis datur, quia gratia vocatur. Ideo fratres mei quomodo videtis eos qui vendunt, propolariosos: quisque quod vendit, laudat, &c. *Tale beneficium habeo, talem Canonicatum, Prioratum, Abbatiam, &c. tanti est redditus. Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Sic crucifixum vendunt, & columbam Ecclesiam, & Spiritum sanctum.* Circumit ergo aliquis emere columbam, vnusquis- (S. Aug.) que ad propositum suum laudat quod vendit. Auertatur illius cor ab omni vendente, veniat vbi gratis accipitur, &c. Qui verò ipsis scripturis fallunt populos, à quibus quærunt honores, vendunt boues, vendunt & oues, id est, ipsas plebes. Et cui vendunt nisi diabolo? *Suprà dixerat:* boues intelliguntur qui nobis Scripturas sanctas dispensauerunt. Boues erant Apostoli, boues erant Prophetæ. Vnde dicit Apostolus: boui trituranti os non infrænabis, &c. *Rursum homil.* 23 *vbi dicit eundem Philippum fuisse qui baptizauit Simonem, & postea Eunuchum Candacis Reginæ, Diaconum scil.* (S. Aug.) Tunc sic dabatur Spiritus sanctus, vt etiam appareret datus. Qui enim eum accipiebant, linguis omnium Gentium loquebantur. Vt significarent Ecclesiam in Gentibus linguis omnium locuturam. Acceperunt ergo Spiritum sanctum, & in eis euidenter apparuit. Quod cùm vidisset Simon, putans hoc esse hominum, voluit esse & suum. Quod hominum putauit, ab hominibus emere voluit. Quantam, *inquit*, vultis à me pecuniam sumere? &c. *De Philippo autem sic loquitur ibid.* Cùm quidam in Samaria Euangelizati essent, & baptizati à Philippo Euangelista, vno de 7. Diaconis primitus electis, &c.

SIMPLICITAS.

Simplicitas columbæ, & fidei Christianæ, prudentiam serpentis comitem habet: Ecclesia autem columba in editis est, hæresis serpens in adytis. Contra Valent. cap. 2. *per totum &* 3. *in p.*

SImplices notamur apud illos, vt hoc tantùm, non etiam sapientes: quasi statim deficere cogatur à simplicitate sapientia, Domino vtramque jungente: [a] *Estote prudentes vt serpentes, & simplices vt columbæ.* Aut si nos propterea insipientes, quia simplices; num

a Matth. 10.16.

ergo & illi propterea non simplices, quia sapientes? Nocentissimi autem, qui non sim-
plices, sicut stultissimi, qui non sapientes. Et tamen malim in eam partem meliori sumi
vitio. Si fortè præstat minùs sapere, quàm peius; errare, quàm fallere. Porrò, facies Dei Sap. 1. 1.
spectat in simplicitate quærentes, vt docet ipsa Sophia, non quidem Valentini, sed Sa-
lomonis. Deinde infantes testimonium Christi, sanguine litauerunt. Pueros vocem, qui
crucem clamant? nec pueri erant, nec infantes, id est simplices non erant. Repueras-
cere nos & Apostolus iubet secundùm Deum, vt malitiâ infantes per simplicitatem, ita 1. Cor. 14.
demum sapientes sensibus; simul dedi in sapientiæ ordinem de simplicitate manantis. 20. Matth. 3.
In summa, Christum columba demonstrare solita est, serpens verò tentare. Illa & à pri- 16.
mordio diuinæ pacis præco: Ille à primordio diuinæ imaginis prædo. Ita faciliùs simpli- Gen. 3. 1.
citas sola Deum & agnoscere poterit, & ostendere, prudentia sola concutere potius, & 4.
prodere. Abscondat itaque se serpens quantùm potest, totamque prudentiam in late- Gen. 8. 11.
brarum ambagibus torqueat, altè habitet, in cæca detrudatur, per amfractus seriem suam Gen. 3. 4.
euoluat, tortuosè procedat, nec semel totus, lucifuga bestia. Nostræ columbæ etiam Cap. 11.
domus simplex, in editis semper, & apertis, & ad lucem. Amat figura Spiritus sancti Orien- Zach. 3. 8
tem, Christi figuram. Nihil veritas erubescit, nisi solummodò abscondi: quia nec pu- & 6. 12.
debit vllum aures ei dedere, eum Deum recognoscere, quem iam illi natura commisit,
quem quotidie in operibus omnibus sentit, hoc solo minus notum, quòd vnicum non
putauit, quòd in numero nominauit, quòd in aliis adorauit.

SIMPLICITAS. SCHO[LIA]

SIMPLICES NOTAMVR. *Christiani Romanæ Ecclesiæ, à Valentinianis vilipenduntur propter simplicitatem, quasi sint tantummodò simplices, & non etiam sapientes. Quasi eo ipsò prudentiâ careant, quod simplicitati studeant: cùm Christus serpentis prudentiam iunxerit columbæ simplicitati.* MELIORI SVMI VITIO. *Si quid vitij sit in alterutro, eligerem potiùs haberi simplex, quàm* supra sobrietatem sapiens, *& potius in simplicitate mea falli, quàm astutiâ & calliditate alios fallere.* VT DOCET SOPHIA. *Opponit hîc sapientiam Salomonis, commentitiæ Valentini Sophiæ. Sic ergo Salomon Sap. 1. 1.* Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum: quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum: apparet autem eis qui fidem habent in illum. INFANTES. *Innocentes pueri pro Christo ab Herode occisi.* TESTIMONIVM LITAVERVNT. *Testimonio Christi, & eius honori sanguinem suum immolauerunt. Sic de patientia cap. 10. idem verbum accusatiuo iungit:* quem honorem litabimus Domino? &c. PVEROS VOCEM. *Pungit Iudæos, quos illi pueri non malitiâ, sed ætate sola paruuli, clamantes Helisæo:* Ascende calue, ascende calue: *iuxta Augustinum figurabant, dicturos,* tolle tolle, crucifige eum. APOSTOLVS IVBET. 1. *Cor.* 14. 20. Fratres nolite pueri effici sensibus, *Syr. mentibus vestris,* sed malitiâ paruuli estote: sensibus autem perfecti estote. SIMVL DEDI, *coniunxi duas has virtutes, & direxi in ordinem sapientiæ. Siue ostendi, qualis sit ordinata sapientia & bona, illa videlicet quæ manat de fonte simplicitatis, quam Deus respicit, in quam suam sapientiam infundit. Alij legunt,* ita demum sapientes sensibus simus, diuinæ sapientiæ ordinem de simplicitate amando. COLVMBA SOLITA EST. *Insolitum tamen est, solitum dicere quod est rarum. Semel enim in Iordane columba Christi insedit capiti, nisi velit, eam quam infra vocat,* diuinæ pacis præconem, *quæ reuersa est ad Arcam, rostro gerens oliuæ ramum, Christum figurare ore pacem nuntiantem Apostolis, post diluuium passionis. Sicut & serpens Euam tentauit recens, vt Christum antiquus, & Ecclesiam in muliere vestitam Sole, draco vetustissimus in fine temporum.* DEVM CONCVTERE ET PRODERE. *Eius membra vexando, & ad proditionem fidei fideles inducendo.* ALTE HABITET. *In profundo & obscuro. In Bytho & Syge Valentini, hoc est profundo silentio, quem suis inducebat discipulis: cùm simplicitas fidei à Spiritu sancto infusa, sit in Ecclesiæ domo, in ciuitate supra montem*

A *posita, in lucerna super candelabrum aureum.* FIGVRA SPIRITVS, *columba, amat orientem, id est Christum, de quo Zach. 3. 8.* Ecce ego adducam seruum meum Orientem. *Vbi Sanct. Pagn. ex Hebr. vertit:* Seruum meum germen: *oliua scilicet & pacis Et rursum ibid. Versu 12.* Ecce vir, Oriens nomen eius. *Esa. autem 46. 11.* Vocans ab Oriente auem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ. *Quam auem, nisi columbam?* AVRES DEDERE. *Aperire ad fidem.* Fides enim ex auditu. NATVRA COMMISIT. *Quasi fideicommissum & depositum credidit. Lumen naturæ, ex effectis persuasit authorem omnium rerum.* VNICVM NON PVTAVIT. *Agit non de recto naturæ lumine, quo saniores Philosophi Deum vnum cognouerunt, sed de corrupto quo vulgus plures Deos credidit, &* B *in creaturis pro Diis habitis, Deum in turba vnicum minus notum, confusè proinde adorauit. Aug. to. 3. lib. 2. de doct. Christ. cap. 16. Aduertit notitiam proprietatum animalium necessariam esse ad intelligentiam Scripturæ sacræ, & profert exemplum loci hîc à Tertulliano citati de serpente & columba:* Rerum, *inquit,* ignorantia, facit obscuras figuratas locutiones, cùm ignoramus, vel animantium, vel lapidum, vel herbarum naturas, aliarumue rerum, quæ plerumque in Scripturis similitudinis alicuius gratiâ ponuntur. Nam & de serpente quod notum est, totum corpus eum pro capite obiicere ferientibus, quantùm illustrat sensum illum, quo Dominus iubet astutos esse sicut serpentes: vt scilicet pro capite nostro quod est Christus, corpus potius persequentibus offeramus, C ne fides Christiana tanquam caput necetur in nobis, si parcentes corpori, negemus Deum: vel illud quod per cauernæ angustias coarctatus, depositâ veteri tunicâ vires nouas accipere dicitur, quantum concinit ad imitandam ipsius serpentis astutiam, exuendumque ipsum veterem hominem sicut Apostolus dicit, vt induamur nouo: & exuendum per angustias, dicente Domino; intrate per angustam portam. *Et to. 4. lib. qq. Euang. q. 8.* Estote, *inquit,* prudentes sicut serpentes, ad cauendum malum, in capite custodiendo quod est Christus. Nam serpens totum corpus pro capite obiicit persequenti. Vel quod per angustias se coarctans, veteri tunicâ exutus innouetur, &c. *Quod & repetit enarratione in Psal. 57. in versum, furor illis in similitudinem serpentis, &c. circa f.* Nam si cauendum malum ita moneret, vt violenter resistendum esset

S. Aug.
S. Aug.
S. Aug.

malis, non suprà dixisset, mitto vos sicut oues in A medio luporum. Simplices autem sicut columbas esse voluit ad nulli nocendum. Nam hoc genus auis, nullum omnino animalium necat, non solùm grandium, contra quæ vires non habet, sed etiam minutissimorum, quibus etiam perparui passeres aluntur. Est autem omnibus irrationalibus animantibus, vna quædam inter se societas, sicut etiam rationalibus sua, id est hominibus, non solùm secum, sed etiam cum Angelis. Discunt ergo ex similitudine columbarum, nulli prorsus nocere ad societatem suam pertinenti participatione rationis. *Quod autem supra Tertullianus in textu figuram Spiritus sancti vel Christi dixit esse columbam, eamque pacis esse symbolum, concinit Augustinus to. 9. tract. 6. in primum caput Io. vbi de apparitione Spiritus sancti in columba super Christum.* Si, *inquit*, gemitus columbæ est, quod omnes nouimus, gemunt autem columbæ in amore: audite quid dicat Apostolus, & nolite mirari, quia in columbæ specie voluit demonstrari Spiritus sanctus. Quid enim oremus sicut oportet inquit, nescimus: sed ipse Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quid ergo fratres mei? hoc dicturi sumus, quia Spiritus gemit, vbi perfecta & æterna beatitudo est ei cum Patre & filio? &c. Non ergo Spiritus sanctus in semetipso, apud semetipsum in illa Trinitate, in illa beatitudine, in illa æternitate substantiæ gemit, sed in nobis gemit, quia gemere nos facit. Nec parua res C est, quod nos docet Spiritus sanctus gemere, insinuat enim nobis quia peregrinamur, & docet nos in patriam suspirare, & ipso desiderio gemimus. Cui benè est in hoc sæculo, imò qui putat, quod ei benè sit, qui lætitia rerum carnalium, & abundantia temporalium, & vana fœlicitate exultat, habet vocem corui: vox enim corui clamosa est, non gemebunda, &c. *Subiicit in Arca columbam fuisse & coruum:* Qui sunt corui? inquit, qui sua quærunt. Qui columbæ? qui ea quæ Christi sunt, quærunt. *Quæ sursum sunt sapiunt, qui simplex vnum summum bonum cum simplici columba quærunt, qui a sponso audire merentur, vna est columba mea, perfecta mea. Cuius oculi columbarum, iuxta Euangelij simplicem oculum.* Propterea ergo cùm mitteret Spiritum sanctum, duobus modis eum ostendit visibiliter, per columbam, & per ignem. Per columbam, super Dominum baptizatum; per ignem, super discipulos congregatos, &c. Ibi simplicitas, hîc feruor ostenditur. Sunt enim qui dicuntur simplices, & pigri sunt: vocantur simplices, sunt autem segnes.

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

Non talis erat Stephanus plenus Spiritu sancto. Simplex erat, quia nemini nocebat; feruens erat, quia impios arguebat. Non enim tacuit Iudæis, cuius sunt verba illa flammantia: durâ ceruice, &c. Magnus impetus, sed columba sine felle sæuit. Nam vt noueritis, quia sine felle sæuiebat, illi auditis his verbis, qui corui erant, ad lapides statim aduersus columbam cucurrerunt: cœpit Stephanus lapidari, & qui paulò ante fremens & feruens spiritu, tanquam in inimicos impetum fecerat, & tanquam violentus inuectus erat in verbis igneis, atque ita flammantibus, vt audistis, durâ ceruice, &c. vt qui ea verba audiret, putaret Stephanum, B si ei liceret, statim illos velle consumi: venientibus in se lapidibus ex manibus eorum, genuflexo ait, Domine ne statuas illis, &c. *Memini coruos lapides in vas mittentis vt aquâ sursum ascenderet. Et de vasi gratiæ non aqua sed oleum surgit, vt sugerent corui mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Quid mirum? columba rostro depromit oliuam, dum corui laniant eius carnem.* Inhæserat vnitati columbæ. Prior enim illud fecerat magister, super quem descendit columba qui pendens in Cruce ait, Pater ignosce illis, &c. ergo ne Spiritu sanctificati dolum habeant, in columba demonstratum est: ne simplicitas frigida remaneat, in igne demonstratum est. Nec moueat quia linguæ diuisæ sunt, &c. distant inter se linguæ, sed linguarum distantiæ non sunt schismata. In linguis diuisis noli dissipationem timere, vnitatem cognosce in columba. Sic ergo, sic oportebat demonstrari Spiritum sanctum venientem super Dominum, vt intelligat vnusquisque si habeat Spiritum sanctum, simplicem se esse debere sicut columbam: habere cum fratribus, veram pacem, quam significant oscula columbarum, &c. osculantur corui, sed laniant: A laniatu innocens est natura columbarum, &c. Illi habent veram pacem, qui Ecclesiam non laniauerunt. Nam corui de morte pascuntur. Hoc columba non habet, de frugibus terræ viuit, innocens eius victus est: quod verè, fratres, mirandum est in columba. Sunt passeres breuissimi, qui vel muscas occidunt: nihil horum columba: non enim de morte pascitur. *Et lib. 2. de doct. Christ. cap. 16.* Nec aliam, *inquit*, ob causam facilè est intelligere pacem perpetuam significari oleæ ramusculo, quem rediens ad arcam columba pertulit, nisi quia nouimus & olei lenem contactum non facilè alieno humore corrumpi, & arborem ipsam frondere perenniter.

S. Aug.

S. Aug.

SOCIETAS MALA.

1. *Societas mala, vt leprosi, fugienda est. 4. cont. Marc. cap. 9. à p.*

Luc. 5. 13. Num. 5. 2. & seq. 1. Cor. 5. 11.

QVoniam attentiùs argumentatur apud illum suum nescio quem συνταλαίπωρον, id est commiseronem, & συμμισούμενον, id est, coodibilem, in leprosi purgationem, non pigebit ei occurrere, & in primis figuratæ legis vim ostendere; quæ in exemplo leprosi non contingendi, immo ab omni commercio submouendi, communicationem prohibebat hominis delictis commaculati: cum qualibus & Apostolus cibum quoque vetat sumere: participari enim stigmata delictorum, quasi ex contagione, si quis se cum peccatore miscuerit.

* 2. *Societas mala, maximè fornicatoris, auersanda. De Pudic. cap. 18 à p. V. Remissio mœchiæ neganda. In Alphabeto Errorum. num. 14 in m.*

1. Cor. 5. 9. a 1. Tim. 5. 22. b Ephes. 5. 7. 8.

M*Odicum fermentum totam desipit conspersionem.* Item ad Timotheum, a *Manus nemini citò imponas, neque communices delictis alienis.* Item ad Ephesios, b *Nolite ergo participes esse eorum. Fuistis enim aliquando tenebræ* Et adhuc pressiùs, *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, immo & reuincite ea. Quæ enim in occulto ab eis fiunt, turpe est edicere.*

Quid

Quid turpius impudicitiis? Si autem & [c] *ab otiosè incedente fratre denuntiat subduci* Thessalonicensibus, quantò magis & à fornicatore? Hæc enim consultata sunt Christi [d] *Ecclesiam diligentis, qui se pro ea tradidit vti eam sanctificet, emundans lauacro aquæ in verbo, vt sistat sibi Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam aut rugam*, vtique post lauacrum; *sed sit sancta & sine opprobrio*, exinde scilicet *sine ruga* vetustatis, vt virgo; *sine macula* fornicationis, vt sponsa; *sine probro* vilitatis, vt emundata. Ibid. c 2. Thess. 3. 6. d Ephes. 5. 25. 26. 27.

[a] 3. *Societas, vel opinio malorum deseritur, absque elogio leuitatis. De Pudic. cap. 1. circa m.*

ERit igitur & hic aduersus Psychicos titulus, aduersus meæ quoque sententiæ retro penes illos societatem, quò magis hoc mihi in notam leuitatis obiectent. Nunquam societatis repudium, delicti præiudicium est: quasi non faciliùs sit errare cum pluribus, quando veritas cum paucis ametur. Atenim me non magis dedecorabit vtilis leuitas, quàm ornarit nocens. Non suffundor errore quo carui, quia caruisse delector, quia meliorem me & pudiciorem recognosco. Nemo proficiens erubescit. Habet & in Christo scientia ætates suas, per quas deuolutus est & Apostolus. [a] *Quum paruulus*, inquit, *essem tanquam paruulus loquebar, tanquam paruulus sapiebam. At vbi vir sum factus, ea quæ paruuli fuerant, euacuaui.* Adeo diuertit à sententiis pristinis, nec idcirco deliquit, quòd æmulator factus est non paternarum traditionum, sed Christianarum; optans etiam vt præciderentur, qui circumcisionem detinendam suadebant. a 1. Cor. 13. 11.

SOCIETAS MALA. 1. 2. 3. SCHOL.

NEscio qvem. *Marcionitam intelligit quem vocat* commilitonem & coodibilem, id est socium & participem miseriæ & odij quo digni sunt Marcionitæ. In leprosi pvrgationem. *Quem Christus curauit de quo alibi diximus, cuius causâ Marcion causam argumentandi captauerat, quem tacitè mordet, hæreticos leprosis comparans, à societate Catholicorum arcendos, ne eorum stigmata & notas, maculasque leprosas homines sanæ fidei contrahant ex commercio errantium. Vnde* 1. *Cor.* 5. 11. Nunc autem scripsi vobis, non commisceri; si is qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere. *De hoc loco vide alibi dicta.*

2. Conspersionem desipit. *Massam corrumpit.* Revincite ea. Magis autem redarguite. Edicere, *& dicere.* Otiose incedente. 2. *Thess.* 3. 6. Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundùm traditionem quam acceperunt a nobis. *Translat. Syr.* Vt recedatis ab omni fratre qui in deterius ambulat.

3. Notam levitatis. *Quòd ab ipsorum societate transierim ad Montanistas.* Societatis repvdivm. *Malæ scilicet.* Qvando veritas. *Dummodo. Hi duo postremi loci excerpti sunt ex locis erroneis Authoris, hic autem positi quòd his benè vti fas sit ad malæ societatis fugam. Apostoli locos etiam hic citatos pro suo schismate tuendo Donatistæ proferebant quos & retulit Augustinus libro* 2. *contra Epistolam Parmeniani. cap.* 18. *ex* 2. *Cor.* 6. Nolite iungi cum infidelibus, quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? &c. quæ verba, *inquit*, isti carnaliter sentientes per tot diuisiones seipsos minutatim in ipsa vna Africa conciderunt. Non enim intelligunt, neminem coniungi cum infidelibus, nisi qui facit peccatum paganorum, vel talia facientibus fauet: nec quemquam fieri participem iniquitatis, nisi qui iniqua vel agit, vel approbat, &c. *Et cap.* 20. *locum Ephes.* 5. Nolite communicare infructuosis operibus tenebrarum, &c. Non communicare, *inquit*, est non consentire. Quod propter Ecclesiæ disciplinam parum est, nisi etiam redarguantur, vt corrigi possint. Sed hæc saluâ pace facienda sunt, & quantùm admittit officium conseruandæ vnitatis, ne simul eradicetur & triticum. *Et cap.* 21. *Ex.* 1. *Tim.* 5. Ne communicaueris peccatis alienis, teipsum castum custodi. Docuit ex sequenti, quemadmodum quod priùs dixit intelligendum sit: qui enim seipsum castum custodit, non communicat peccatis alienis. Si enim communicat, consentit: si consentit, corrumpitur: si corrumpitur, castum se non seruat, &c. *Et cap.* 22. *Ex* 1. *Cor.* 5. 9. Modicum fermentum totam massam corrumpit. Dixit hoc Parmenianus, atque abiit. Nec ei nunc ostendi potest, in parte Donati, non solùm modicum fermenti, sed multum veneni, ex illis ouis aspidum ruptis, & præualidis iam serpentibus, &c. Et Ticonius quidem multa dixit, quæ illis temporibus, & sicut interior nouerat, quam non modico, sed multo fermento totam suam massam nollent fateri corruptam, qui totum orbem terrarum peccatis Afrorum fermentatum esse criminarentur, &c. Quod si vel hoc concedunt, quàm magnam putant esse massam suam, vt non potuerit tota corrumpi, &c. *Quod potest torqueri in Montanistas, Nouatianos, Tertullianistas, aliosque Schismaticos se ab vnitate & societate sanctæ Ecclesiæ, propter aliquorum exempla mala & scandala diuidentes. Porro quantum periculi sit in societate & amicitia colloquiisque malorum. Ipse docuit Aug. libro* 2. *Confess. cap.* 9. *vbi de furto pomorum.* Solus, *inquit*, non facerem furtum illud, in quo me non libebat id quod furabar, sed quia furabar; quod me solum facere prorsus non liberet, nec facerem. O nimis inimica amicitia, seductio mentis inuestigabilis, ex ludo & ioco nocendi auiditas, & alieni damni appetitus, nullâ lucri mei, nullâ vlciscendi libidine: sed cùm dicitur, eamus, faciamus, & pudet non esse impudentem. *Sed longè damnosiorem societatem suam fuisse fatetur cuidam amico suo libro* 4. *cap.* 4. In illis, *inquit*, annis quo primùm tempore in municipio quo natus sum, docere cœperam, comparaueram amicum societate studiorum nimis charum, coæuum mihi, & conflorentem flore adolescentiæ. Mecum puer creuerat, & pariter in scholam ieramus, pariterque luseramus. Sed nondum sic erat amicus, quanquam nec tunc quidem sicuti est vera amicitia, quia non est vera nisi cùm eam tu adglutinas inter inhærentes tibi charitate diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Sed tamen dulcis erat nimis, cocta feruore parilium studiorum. Nam & à fide vera, quam non germanitùs & penitus adolescens tenebat, deflexeram eum in superstitiosas fabellas, & perniciosas, propter quas plan-

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

gebat me mater. Mecum iam errabat in animo homo ille, & non poterat anima mea sine illo, &c. cùm laboraret ille febribus, jacuit diu sine sensu in sudore lethali. Et cùm desperaretur, baptizatus est nesciens, me non curante, & præsumente id retinere potiùs animam eius, quod à me acceperat, non quod in nescientis corpore fiebat. Longè autem aliter erat, nam recreatus est, & saluus factus. Statimque vt primùm cum eo loqui potui: potui autem mox vt ille potuit, quoniam non discedebam, & nimis pendebamus ex inuicem. Tentaui apud illum irridere, tanquam & illo irrisuro mecum baptismum quem acceperat, mente atque sensu absentissimus, sed tamen iam se accepisse didicerat. At ille me exhortuit vt inimicum; admonuitque mirabili & repentinâ libertate, vt si amicus esse vellem, talia sibi dicere desinerem. Ego autem stupefactus, atque turbatus, distuli omnes motus meos, vt conualesceret priùs, essetque idoneus viribus valetudinis, cum quo agere possem quod vellem. Sed ille abreptus dementiæ meæ, vt apud te seruaretur consolationi meæ. post paucos dies me absente repetitur febribus, & defungitur. Quo dolore contenebratum est cor meum, & quidquid aspiciebam mors erat, & erat mihi patria supplicium, & paterna domus mira infelicitas, & quidquid cum illo communicaueram, sine illo in cruciatum immanem vertebatur. *Sermone autem 81. de diuersis monet filios lucis baptizatos recedere a filiis tenebrarum.* Diuisit Deus inter lucem & tenebras: & vocauit Deus lucem diem, &c. Si ergo Deus vocauit diem lucem, sine dubio illi quibus dicit Apostolus Paulus, fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino; dies erant: quoniam ille qui iussit de tenebris lumen clarescere, illuminauit eos. Infantes isti quos cernitis exteriùs dealbatos, interiùsque mundatos, qui candore vestium splendorem mentium præfigurant, cùm peccatorum suorum nocte premerentur, tenebræ fuerunt. Nunc autem quia mundati sunt lauacro indulgentiæ, quia irrigati fonte sapientiæ; quia perfusi luce iustitiæ: hic est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in eo, &c. Audite ergo nos, ô nouelli filij castæ matris: in vno audite nos, filij virginis matris. Quoniam fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino; vt filij lucis ambulate, filiis lucis adhærete, &c. bonis fidelibus adhærete. Sunt enim quod peius est, fideles mali: sunt fideles, qui vocantur, & non sunt. Sunt fideles, in quibus Sacramenta Christi patiuntur iniuriam: qui sic viuunt, vt & ipsi pereant, & alteros perdant. Pereunt quippe ipsi, malè viuendo; perdunt verò alios, malè viuendi exempla præbendo. Vos ergo dilectissimi nolite talibus iungi, bonos quærite, bonis adhærete, boni estote. S. Aug.

SOCRATES.

1. *Socrati Pædagogus dæmon à puero adhæsit. De Ani. cap. 1. in m.*

SAnè Socrates faciliùs diuerso spiritu agebatur. Siquidem aiunt dæmonium illi à puero adhæsisse, pessimum reuera pædagogum, etsi post deos, & cum deis dæmonia deputantur penes Poëtas, & Philosophos.

2. *Et V. Verbum Philosophus num. 6.*

SOCRATES. SCHOL.

FACILIVS. *Ob propensionem naturæ in malum curiositatis & scientiæ, cuius appetitu Eua primo seducta est, a serpente.* DIVERSO SPIRITV. *Malo, & diabolico. Prius enim immediatè dixerat.* Cui veritas comperta sine Deo, cui Deus cognitus sine Christo, cui Christus exploratus sine Spiritu sancto, cui Spiritus sanctus accommodatus sine fidei Sacramento? *Vnde miror Iustinum Martyrem Apolog. 2. Socratem inter Martyres computantem, quòd eadem causa fuerit accusatus, quâ Christiani vexabantur: & eundem, sicut & Heraclitum, aliosque Græcos Philosophos, componere cum Abrahamo, Anania, Misaële, aliisque Dei seruis, per fidem in Christum iustificatis. Sanius post Tertullianum Augustinus libro 8. de Ciuit. cap. 27.* Absit, *inquit, de hominibus transcriptis in Deos loquebatur,* vt eos quamuis Deos habeant, sanctis Martyribus nostris, quos tamen Deos non habemus, vlla ex parte audeant comparare. Sic enim non constituimus Sacerdotes, nec offerimus sacrificia Martyribus nostris: quia incongruum, indebitum, illicitum est, atque vni Deo tantummodò debitum: vt nec criminibus suis, nec ludis eos turpissimis oblectemus, vbi vel flagitia isti celebrant Deorum suorum, si, cùm homines essent, talia commiserunt, vel conficta delectamenta dæmoniorum noxiorum, si homines non fuerunt. *Tum statim de Socratis dæmonio ad Tertulliani mentem:* Ex isto, *inquit*, genere dæmonum, Socrates non haberet Deum, si haberet Deum. *Id est si in Deum verum crederet, & spiritu Dei ageretur vt Dei filius & fidelis.* sed fortasse homini, ab illa arte faciendi Deos, alieno & innocenti, illi importauerint imputauerint, imposuerint, talem Deum, qui eâdem arte excellere voluerunt. *De dæmonibus autem cum Diis habitis à Philosophis & Poetis subiecit:* Quid ergo plura? non esse spiritus istos colendos propter vitam beatam, quæ post mortem futura est, *aduerte Tertullianum prius egisse de æquanimitate Socratis cicutam bibituri, de immortalitate securi.* Nullus vel mediocriter prudens ambigit. Sed fortassè dicturi sunt Deos quidem esse omnes bonos, dæmones autem alios bonos, alios malos: & eos per quos ad vitam in æternum beatam perueniamus, colendos esse censebunt, quos bonos opinantur. Quod quale sit iam in volumine sequenti videndum est. *Et libro 9. cap. 1.* Et bonos & malos Deos esse quidam opinati sunt: quidam verò de diis meliora sentientes, tantum eis honoris laudisque tribuerunt, vt nullum Deorum malum credere auderent. Sed illi qui Deos quosdam bonos, quosdam malos esse dixerunt, dæmones quoque appellauerunt nomine Deorum: quanquam & Deos, sed rariùs, nomine dæmonum: itaut ipsum Iouem quem volunt esse Regem ac Principem cæterorum, ab Homero fateantur dæmonem nuncupatum. *Legendus Eugubinus lib. 8. de perenni Philosophia cap. 2. Hesychius in Lexico. Budæus in Comment. &c. de dæmonio Socratis videndus Cyprianus lib. quòd idola non sint dij. Clem. Alex. 1. Strom. Lact. lib. 2. cap. 15. Plato in Apolog. Apuleius de Deo Socratis.*

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

SOL.

1. *Solem cum Persis Christiani non colant, licet die Solis vacent, & orent ad Orientem.* *Apol. cap. 16. circa f.*

ALij planè humaniùs & verisimiliùs Solem credunt Deum nostrum, ad Persas si fortè deputabimur, licet Solem non in linteo depictum adoremus, habentes ipsum vtique in suo clypeo. denique inde suspicio, quòd innotuerit nos ad orientis regionem precari. sed & plerique vestrûm affectatione aliquando & cœlestia adorandi, ad Solis ortum labia vibratis. Æquè si diem Solis lætitiæ indulgemus, aliâ longè ratione, quàm religione Solis, secundo loco ab eis sumus, qui diem Saturni otio & victui decernunt, exorbitantes & ipsi ab Iudaico more, quem ignorant. *Et lib. 1. ad Nat. cap. 13. Et lib. 2. ad Nationes cap. 5. & 6.*

SOL. 1. SCHOL.

ALII, *ex Gentilibus, meliùs de nobis sentientes, nos* A *æquant Persis, & cum eis computant qui Solem adorant, & in scuto suo, siue armis & stemmatibus, siue in clypeis, vel linteis depictum habent. Geminâ autem coniectura fundantur; siue quòd videant nos vacare Dominica die, qui dies est Solis; siue quòd aspiciant nos versis vultibus ad Orientem orare.* RELIGIONE SOLIS. *Non quòd Solem tanquam Deum colamus.* SECVNDO LOCO. *Post Persas numinis cultores æstimamur, qui non quidem vt Iudæi ex Dei præscripto, sed Gentilitio more diem Sabbati Saturno sacrum, otio, gula, lascivia celebrabant:* HABENTES IPSVM VTIQVE. *Alij legunt,* vbique, *id est in quacumque orbis plaga versemur: non pictum & fictum in linteo, sed ipsummet in proprio & suo clypeo, id est orbe & circulo: quem tamen non adoramus vt Gentiles, nec sub eo quasi Deo* B *potenti, & clypeo suo protegente militamus; sed in tabernaculo sub rotunda specie sanctissimi Sacramenti, medios inter Solis aureos radios positum adoramus, de quo Psaltes,* In Sole posuit tabernaculum suum

S. Aug. *Psalmo 18. in quem locum Aug.* Dominus, *inquit*, vt aduersus regna temporalium errorum belligeraret, non pacem sed gladium missurus in terram, in tempore, vel in manifestatione, *quod fit maximè dum exponitur publicè sanctissimum Sacramentum, quo velut clypeo contra Saracenos B. Clara pugnauit;*

S. Aug. tanquam militare habitaculum suum, hoc est dispensationem Incarnationis suæ. *Et vbi dispensatur, nisi in Eucharistiæ Sacramento? de quo idem Aug. lib. 9. Conf. cap. vlt. vbi de matris desiderio.* Imminente, C *inquit*, die resolutionis suæ, non cogitauit suum

S. Aug. corpus sumptuosè contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupiuit, aut curauit sepulchrum patrium: non ista mandauit nobis, sed tantummodò memoriam sui ad altare tuum fieri desiderauit, cui nullius diei prætermissione seruierat, vnde sciret dispensari victimam sanctam, quâ deletum est Chirographum quod erat contrarium nobis, quâ triumphatus est hostis, computans delicta nostra, & quærens quid obiiciat, & nihil inueniens in illo in quo vincimus. Quis ei refundet innocentem sanguinem? quis ei restituet pretium quo nos emit, vt nos auferat ei? ad cuius pretij nostri Sacramentum, *tanquam ad ancile, siue scutum*, ligauit ancilla tua animam suam D vinculo fidei. Nemo à protectione tua, *clypeo tuo, de quo Psaltes, iuxta Malac. de Sole iustitiæ, & sanitas in pennis eius, dixit; sub vmbra alarum tuarum protege nos*, dirumpat eam. Non se interponat nec vi nec insidiis leo vel draco. *Cui adde illud Psaltis;* transibo in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei. *Domum in qua verè habitat;* Scuto circumdabit te veritas eius, *qui dixit*, caro

A mea verè est cibus. *De quo;* verè non est hic aliud nisi domus Dei: non timebis à timore nocturno, *non columna nubis & ignis, sed Sole protectus* à sagitta volante in die. *Hoc clypeo munitus, non in linteo depicto Sole, sed* ipsummet vtique habentes in suo clypeo. *De oratione versus orientem facienda, Clem. Alex. Stromate 7.* versus orientem preces fiunt. *Dion. de Eccl. Hierar. cap. 2.* Ad occasum inuersus Satanam abiurabis, rursusque ad ortum te conuertens, Deum confiteberis. *Rationes diuersas afferunt Patres. Primò quòd nobiliora Deo sacrentur. Vnde Iustin. Martyr. quæst. ad Orthodox.* Eam, *inquit*, ob rem precationis tempore, ad orientem omnes conuertimur. *Secundò ex Damasc. libro 4. Orthodoxæ fidei, cap. 13.* Dominus, *inquit*, cùm in cru- B ce penderet, ad occasum prospiciebat, eoque nomine ita adoramus, vt eum obtueamur. *Tertiò quid ex Hiero in cap. 6. Amos:* in mysteriis primùm renuntiamus ei qui in occidente est, nobisque moritur cum peccatis: & sic versi ad Orientem, pactum inimus cum Sole iustitiæ, & ei nos seruituros esse promittimus. *Augustinus autem to. 4. lib. 2.* S. Aug.

de Ser. Do. in Monte cap. 5. Cùm, *inquit*, ad orationes stamus, ad orientem conuertimur, vnde cœlum surgit: non tanquam ibi, *quasi in loco determinato corporaliter situs*, sit Deus, & quasi cæteras mundi partes deseruerit, qui vbique præsens est, non locorum spatiis, sed maiestate potentiæ: sed vt admoneatur animus, ad naturam excellentio- C rem, *quin & mundi partem præstantiorem*, se conuertere, id est ad Dominum: cùm ipsum corpus eius quod est terrenum, ad corpus excellentius, id est ad corpus cœleste conuertitur. Conuenit etiam gradibus religionis & plurimùm expedit, vt omnium sensibus, & paruulorum, & magnorum benè sentiatur de Deo. Et ideo qui visibilibus adhuc pulchritudinibus dediti sunt, nec possunt aliquid incorporeum cogitare, quoniam necesse est vt cœlum præferant terræ, tolerabilior est opinio eorum, si Deum quem adhuc corporaliter cogitant, in cœlo potiùs credant esse quàm in terra. *Aliam addo rationem ex Psalmista; iuxta eiusdem Aug. expositionem in Psal. 67.* Psallite Deo qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem. In his, *inquit*, verbis ille S. Aug.

D non intelligit Christum, qui eius resurrectionem ascensionemq; non credit. Ad orientem verò quod addidit, nonne etiam ipsum locum, quoniam in partibus orientis est vbi resurrexit, & vnde ascendit, expressit? Ergo super cœlum cœli sedet ad dexteram Patris, &c. Et quoniam inde venturus est ad iudicandos viuos & mortuos, attende quod sequitur: ecce dabit vocem suam, vocem virtutis. Ille qui sicut agnus coram tondente se fuit sine voce, ecce dabit

vocem suam; nec vocem infirmitatis tanquam iudicandus, sed vocem virtutis tanquam iudicaturus. *Rectè ergo oraturi aduocatum & iudicem, qui ascendit ad orientem id est Patrem, ex plaga Orientali, ad quam venturus est iudex, ad orientem vertimur. Quartam rationem profero ex Basilio libro de Spiritu sancto, cap.* 27. Omnes, *inquit*, spectamus ad Orientem, cùm precamur, pauci tamen nouimus, quòd id facientes antiquam requiramus patriam, videlicet paradisum, quem construxit Deus in Eden, ad Orientem. *Orientem tandem, & Solem iustitiæ Christum colimus, non illum quem Platonici extollunt iuxta Aug. lib.* 10. *de Ciuit. cap.* 29. Solem *inquit* istum, & cætera sidera, non solùm in libris vestris corpora esse fatemini, &c. verùm etiam altiore vt putatis peritiâ, hæc esse animalia beatissima perhibetis, & cum his corporibus sempiterna. *Arguit deinde quod beatorum corpora exemplo Christi immortalia futura negat.* Futura, *inquit*, sempiterna minimè dubitamus, & talia futura quale resurrectionis suæ Christus demonstrauit exemplo, &c. Nihiloque animæ contemplationem quâ in Deum figitur, impedientia. *Nec nos quidem Anaxagoræ discipuli, sed tamen Christum Solem credimus, & ignitum lapidem.* Petra enim erat Christus. Ignem venit mittere in terram. *August. lib.* 18. *de Ciuit. cap.* 31. Miror, *inquit*, cur Anaxagoras reus factus sit, *ab Atheniensibus ex Diogene Laërtio lib.* 2. *& Iosepho lib.* 2. *cont. Apionem, morte damnatus est*, quia Solem esse dixit lapidem ardentem, negans vtique Deum: cùm in eadem ciuitate gloriâ floruerit Epicurus, vixeritque securus, non solùm Solem, sed vllum siderum Deum esse non credens, sed nec Iouem, nec vllum Deorum omnino in mundo habitare contendens, ad quem preces hominum, supplicationesque perueniant. *Nos credimus ad Christum, & per eum ad Patrem nostras peruenire, eique vt parenti lucis Dominicam diem Solis, vt filij lucis primam & vltimam mundi diem consecratam colimus. Aug. ser.* 15. *de verb. Apost.* Completis, *inquit*, septem diebus redditur ad primum. Finitur septimus, Dominus sepultus; redditur ad primum, Dominus resuscitatus. Domini enim resuscitatio, promisit nobis æternum diem, & consecrauit nobis Dominicum diem. Qui vocatur Dominicus, ipse videtur propriè ad Dominum pertinere, quia eo die Dominus resurrexit. *Et ser.* 251. *de temp.* Dominicum diem Apostoli & Apostolici viri, ideo Religiosâ solemnitate habendum sanxerunt, quia in eodem redemptor noster à mortuis resurrexit. Quique ideo Dominicus appellatur: vt in eo à terrenis operibus, vel mundi illecebris abstinentes, tantùm diuinis cultibus seruiamus: dantes scilicet diei huic honorem & reuerentiam, propter spem resurrectionis nostræ quam habemus in illa. Nam sicut ipse Dominus Iesus Christus & Saluator resurrexit à mortuis: ita & nos resurrecturos in nouissimo die speramus. Apparet autem hunc etiam in Scripturis sanctis esse solemnem. Ipse enim est primus dies sæculi, in ipso formata sunt elementa mundi, in ipso creati sunt Angeli, in ipso quoque à mortuis resurrexit Christus, in ipso de cœlis Spiritus sanctus super Apostolos descendit, manna in eodem in eremo primùm de cœlo datum est, &c. Ac ideo sancti Doctores Ecclesiæ decreuerunt omnem gloriam Iudaici Sabbatismi in illam transferre, vt quod ipsi in figura, nos celebraremus in veritate: quia tunc erit requies nostra vera, quando resurrectio fuerit perpetrata, & remuneratio in anima & corpore simul perfecta. *Ep. autem* 119. *ad Ianuarium.* Animæ, *inquit*, omnium Sanctorum ante resurrectionem corporis, sunt quidem in requie, sed in ea non sunt actione quâ corpora recepta vegetatur. Talem quippe actionem significat dies octauus qui & primus, quia non aufert illam requiem, sed glorificat: non enim redit cum corpore difficultas ex corpore, *mentis requiem turbans*, quia nec corruptio. *Tandem idem primus dies mundi qui & vltimus, dies lucis, quo* fulgebunt iusti sicut Sol. *De quo paucis Augustinus. lib.* 22. *de Ciuit. cap. vltimo* septima erit Sabbatum nostrum, cuius finis non erit vespera, sed Dominicus dies, velut octauus æternus, qui Christi resurrectione sacratus est, æternam non solùm spiritus, verùm etiam corporis requiem præfigurans.

Et libro 1. *ad Nationes cap.* 13. HVMANIVS, *quàm qui nobis cultum asinini capitis imputant.* ETIAM COELESTIA. *Qui terrena plurimùm, vilia, lutea opera manuum hominum colitis.* LABIA VIBRATIS. *Erecto in cælum ore quasdam orationes eiaculantes.* IN LATERCVLVM, *album septem dierum cuiusque Hebdomadis. Sic dictum, quòd in eo laterent arcana. Vnde & dicti laterculenses præfecti laterculis. De quo & idem Tertull. contra Valent. cap.* 29. Ex eorum ergo laterculo, & in Reges & in Sacerdotes allegere consueuerunt. *Laterculum porrò duplex fuit; minus, sub cura Quæstoris; maius sub cura Primicerij Notariorum; vt notat Marianus; qui & subiicit dictos codices dignitatum, & administrationum ciuilium, vel militarium, & mandatorum principalium, & promotionum, & consuetudinum notitiam continentes. Sigibertus de laterculo Paschali scribens:* Theophilus, *inquit*, Alexandriæ Episcopus, Cyclum de obseruatione Paschæ per certum annos digestum, quem laterculum vocauit, ab hoc anno inchoauit. *Alij dictum volunt, quasi quadrum; quòd quatuor fuerint sacri laterculi scrinia, vt constat ex Nouella* 8. *De maiori laterculo agitur l.* 1. *C. de Offic. Præfect. Prat. Afric. de minori l.* 1. *&* 2. *de Offic. Quæst. de scrinio sacro laterculi l. vltima. C. de Offic. Magistr. Offic. Cuiacius item testatur se habere librum Victurij de ratione Paschali, in cuius extremo per indictem consulum dies Paschalis subnotatur, qui codex*, laterculus Paschalis *inscribitur.* IVDAEI, *Iudaeus festis, cerimonias alienas ab antiquo Deorum cultu, vos Gentiles obseruatis.* COENA PVRA, *sine fermentato pane, absque præuio balneorum apparatu, cum abstinentia à cibis immundis.* ORATIONES LITERALES. *In litatione & sacrificiis adhibita. Vel in principio, &, fine quasi Liturgiæ littoribus, haberi solita. Oratio quippe excellentiori modo à Tertulliano vocatur, lib. de Orat.* Sacrificiorum orationes. *Et libro ad Scapulam dicit;* Christianos sacrificare Deo purâ prece. AB EXCESSV, *digressione ad cerimonias vestras, Iudaicis similes, vel à transgressione religionis vestra antiquæ, ad alienas.* DIEM SIVE. *Dominicam.*

Et libro 2. *ad Nat. cap.* 5. AD HVMANIOREM. *Rationi propiorem.* CON. *Conuertimur.* COG. *Cognitione.* SVFFRAGIO. *Cooperatione.* CIRCVLORVM. *Orbium Cælestium, & Zonarum habitabilium.* ENORMITAS, *excessus & intemperies.* STATIONIBVS, *Solstitiis, vel in singulis signorum domibus, singulis mensibus commorando.* PATROCINIVM MENSIVM, *Luna enim velut Domina & patrona gubernat mensem. Vnde & Eccli.* 43. 6. Luna in omnibus in tempore suo ostensio temporis & signum æui. à Luna signum diei festi, luminare quod minuitur in consummatione. Mensis secundùm nomen eius est, crescens mirabiliter in consummatione. SIGNACVLA QVAEDAM. *Sic Gen.* 1. 14. Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem, & sint in signa & tempora, & dies & annos. FIDEM CONVENIRE. *Conciliare fidem, quâ elementa dij esse credantur, tam ob beneficia, quàm ob incommoda ab eis manantia.* REBVS IPSIS.

Non sunt tam stulti homines, vt ipsis elementis vel gratias agant, vel maledicta ingerant. MALAGMATIS. *Emplastris & fomentis mollientibus.* ET QVOS, *supple tecta obruunt.* OFFICIA, *ministeria, instrumenta.* LICENTIA PASSIVITATIS, *vsus communis, quo licet omnibus passim vti elementis, quasi ex effusa bonitate.* FIDE OPERVM. *Constantiâ, & tenore.*

Nos verò Catholica fides docet, mundum non esse Deum, neque elementa vel cœli luminaria, quæ à Deo facta sunt vt docuit Augustinus libro contra Origenistas & Priscillianistas cap. 8. Factum, *inquit*, mundum credimus Dei bonitate, magnum, bonum, a summo, & non facto bono, in quo fierent omnia bona valde secundùm naturam, & aliis alia meliora, à summis creaturis, vsque ad infima distinctis gradibus ordinata, vt eo modo essent omnia, dum non essent sola potiora, & haberent eius numeri terminum, quem constituendum apud se vidit omnium naturarum creaturarumque conditor Deus, qui ea non facta didicit, sed nouerat esse facienda. *Et libro. 1. retract. cap. 3.* Nec Plato, *inquit*, in hoc errauit, quia esse mundum intelligibilem dixit, si non vocabulum quod Ecclesiasticæ consuetudini in re illa non vsitatum est, sed ipsam rem velimus attendere. Mundum quippe intelligibilem nuncupauit ipsam rationem sempiternam atque incommutabilem, quâ fecit Deus mundum. Quam qui esse negat, sequitur vt dicat, irrationabiliter Deum fecisse quod fecit: aut cùm faceret, vel antequam faceret, nescisse quid faceret, si apud eum ratio faciendi non erat. Si verò erat, sicut erat, ipsam videtur Plato vocasse intelligibilem mundum. Nec tamen isto nomine nos vteremur, si iam satis essemus litteris Ecclesiasticis eruditi. *Et libro 5. de Gen. ad litt. cap. 20.* Sunt, *inquit*, qui arbitrantur tantummodò mundum ipsum factum à Deo, cætera iam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinauit & iussit, Deum autem ipsum nihil operari. Contra quos profertur illa sententia Domini Io. 5. Pater meus vsque modò operatur. &c. Deinde quia non solùm magna atque præcipua, verum etiam ista terrena, & extrema ipse operatur, ita dicit Apostolus. 1. Cor. 15. non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, & cæt. Deus autem dat illi corpus quomodo voluerit, & vnicuique seminum proprium corpus. Sic ergo credamus, vel si possimus, etiam intelligamus, vsque nunc operari Deum, vt si conditis ab eo rebus, operatio eius subtrahatur, intereant. *Et lib. 3. de Trinit. cap. 9.* Sicut matres grauidæ sunt fœtibus, sic ipse mundus grauidus est causis nascentium: quæ in illo non creantur nisi ab illa summa essentia, vbi nec oritur, nec moritur aliquid, nec incipit esse, nec desinit.

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

Et lib. 2. ad nat. cap. 6. SERVILITER CVRRERE. *Alludit ad præmissa de dies à currendo dictis. Concluditque elementa, cœlos, sydera, homini seruire, vt de ipso Sole cecinit Psaltes:* Exultauit vt gygas ad currendam viam. *Et rursum:* Ordinatione tuâ perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi. INTEGRE STARE. *Prorsus immutabilem esse.* MAIORA DETRIMENTA. *Præter menstruos defectus, eclypses integras.* MAGI. *Astrologi.* CONIECTANDI ARTIFICIO. *Augurandi peritiâ.* SVB ALIQVO. *Supple rectore sunt.* DILIGENTER, *affectato studio, & inuestigatione curiosâ.* AD MYTICH. *Mythicos, si ad Poëtas fabulosos conuersus, de diuinitate eos interroges, tolerabilior erit error quo cælestia corpora, situ, magnitudine, virtute supereminent homini, vt Deos esse credant, quam quis à Poëtis fabulosè finguntur. Deum & Christum eius, lumen inextinguibile & immutabile nos colimus, qui ortum nescit, nec occasum. De quo Psal. 71.* Et permanebit cum Sole & ante Lunam? *Vbi Augustinus*: Quid, *inquit*, magnum est permanere cum Sole, ei per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil, nisi quia hæc Prophetia præmissa est propter eos qui putant religionem nominis Christiani, vsque ad certum tempus in hoc sæculo victuram, & postea non futuram? Permanebit ergo cum Sole, quamdiu Sol oritur & occidit, hoc est quamdiu tempora ista voluentur, non deerit Ecclesia Dei, id est Christi corpus in terris. & cæt. Quod ergo tempus antecedit, æternum est. Et hoc verè habendum est æternum, quod nullo tempore variatur, sicut in principio erat Verbum. Sed per Lunam significare maluit incrementa defectusque mortalium. & cæt. tanquam diceret, ante Lunam, id est ante generationes generationum, quæ transeunt decessione & successione mortalium, tanquam incrementis, decrementisque Lunaribus: Ac per hoc quid meliùs intelligitur permanere ante Lunam, nisi omnia mortalia immortalitate precedere? *Idem Aug. lib. 10. confess. c. 6.* Non dubiâ, sed certâ conscientiâ Domine amo te. Percussisti cor meum verbo tuo, & amaui te. Sed & cœlum & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce vndique mihi dicunt, vt te amem: Nec cessant dicere omnibus, vt sint inexcusabiles. & cæt. Et quid est hoc? interrogaui terram, & dixit, non sum. Et quæcumque in eadem sunt, idem confessa sunt. Interrogaui mare & abyssos, & reptilia animarum viuarum, & responderunt, non sumus Deus tuus. Quære super nos. Interrogaui auras flabiles, & inquit vniuersus aër cum incolis suis: fallitur Anaximenes, non sum Deus tuus. Interrogaui cœlum, Solem, Lunam, stellas, neque nos sumus Deus tuus quem quæris, inquiunt. Et dixi omnibus his quæ circumstant fores carnis meæ: dicite mihi de Deo meo quod vos non estis, dicite mihi de illo aliquid: Et exclamauerunt voce magnâ, ipse fecit nos. Interrogatio mea, intentio mea; & responsio eorum, species eorum. *Tandem & res mutabiles & defectibiles quales sunt lucidissima creatura Sol & Luna, & quælibet terrena & cælestia Deos esse non posse, per se clamant apud Augustinum lib. 11. Confess. cap. 4.* Ecce, *inquit*, sunt cœlum & terra, clamant quòd facta sint, mutantur enim atque variantur. Quidquid autem factum non est, & tamen est, non est in eo quicquam quod ante non erat, quod est mutari, atque variari. Clamant etiam, quod seipsa non fecerint: ideo sumus, quia facta sumus. Non ergo eramus antequam essemus: vt fieri possemus à nobis. Et vox dicentium est ipsa euidentia.

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

2. *Solis eclypsis prodigia in conuentu Vticensi, visa ad Scap. cap. 3. in m.*

SOl ille in conuentu Vticensi extincto penè lumine adeo portentum fuit, vt non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati, positus in suo hypsomate & domicilio. Habetis Astrologos.

3. Solis eclypsis in morte Christi, notata est in Gentilium Arcanis. Apol. cap. 21. à m.

SVffixus spiritum cum verbo sponte dimisit, præuento carnificis officio. Eodem momento dies, medium orbem signante Sole, subducta est. deliquium vtique putauerunt, qui id quoque super Christo prædicatum non scierunt: ratione non deprehensa, negauerunt. & tamen eum mundi casum relatum in arcanis vestris habetis.

SOLIS ECLYPSIS. 2. & 3. SCHOL.

SOL ILLE, *visibilis, portentoso & extraordinario defectu luminis laborare visus est.* IN CONVENTV VTICENSI. *Vtica oppidum est Africum vicinum Carthagini, de quo Plin. lib. 5. cap. 4.* Catonis, *inquit*, morte nobilis. *Per conuentum autem intelligit contractam in vnum locum ex compluribus hominum generibus multitudinem, cùm à magistratibus iudicii causa populus colligitur, iuxta Brissonium. Et conuentum agere seu habere dicebatur Proconsul, cùm statuto anni tempore in celebri aliqua Prouinciæ cui præerat, ciuitate, iudiciorum exercendorum gratiâ considebat: quo loci Prouinciales de controuersiis suis disceptaturi conueniebant. Ita præfatus Brissonius. Alij intelligunt non de iuridico conuentu, sed de peculiari quodam; cùm Seuerus misit legiones ad Africam*, ne, *vt refert Spartianus*, per Lybiam, & Ægyptum, Niger Africam occuparet, ac populum Romanum penuriâ rei frumentariæ, perurgeret. HYPSOMATE, *vox Græca deriuata à verbo ὑψόω extollo, eleuo. Vnde & Plutarchus, τὰ ὑψώματα τῶν ἀστέρων dixit, eleuationes siue ascendentia Astrorum.* DOMICILIO, *Domo.* HABENTIS ASTROLOGOS. *Hi referunt, naturalem eclypsim Solis non posse accidere dum Sol est in sua altitudine & domo, sed necessarium esse vt fit in capite, vel cauda draconis.*

3. SVFFIXVS. *Crucifixus Christus, cùm magna voce clamasset, iuxta Lucam 23. 46.* Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram vsque in horam nonam. Et obscuratus est Sol, & velum templi scissum est medium Et clamans voce magnâ Iesus ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens expirauit. *Vel vt Matthæus habet. 27. 50.* Iesus autem iterum clamans voce magnâ emisit spiritum PRÆVENTO CARNIFICIS OFFICIO. *Crurifragium intelligit, de quo vide alibi dicta, ex Aug. Lactantio, & Isidoro, excerpta ex notis Philologicis Edmundi Merillii Iurisconsulti Doctissimi Magistri mei.* Crurifragium, *inquit*, ex more Romanorum, non Hebræorum. Nam cùm quidam vitaciores in cruce manerent, crurifragio mortem accelerabant. *Ioannis autem. 19. 39.* Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum illo: ad Iesum autem cùm venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lanceâ latus eius aperuit. *In quem locum Aug. to. 9. lib. de Cataclysmo cap. 4.* Percussit latus lanceâ persequutor, & fudit pretium Redemptor. S. Aug. *Ex eodem Merillio num. 40. iuxta Orig. tract. 35. in Math. more Romano satellites lanceas gestabant, & crucifixorum latus lanceâ fodiebant, siue vt citiùs morerentur, siue vt deprehenderent an essent mortui. Dicit autem non esse improbabile hunc militem fuisse Centurionem qui ex more renunciaret Pilato, factum quod imperauerat iuxta Tacitum libro 3. Annal.* Nuntianti Centurioni, vt mos militiæ, factum esse quod imperasset. SPONTE. *Sicut dixerat,* Nemo tollit animam meam, sed ego pono eam. MEDIVM ORBEM. *Ipsa meridie, Sole in medio cœli posito.* DELIQVIVM. *Defectum, eclypsim naturalem.* PRÆDICATVM *Prophetatum Am. 1. 8. 9.* Et erit in die illa dicit Dominus Deus, occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis. RATIONE

A NON DEPREHENSA. *Quæ porrò ratio in tam portentoso deliquio? quo, in plenilunio quo Agnus Paschalis edebatur, Luna proinde à Sole remotissima, ei coniuncta foret, tribus horis motu festina, per totum orbem factis tenebris, cùm tantulum lunæ corpus, magnum Solis orbem omni terræ obducere non posset.* IN ARCANIS. *Alij legunt,* Archiuis. *Lact. lib. 4. cap. 19. tradit has tenebras à Sybilla prædictas. Orosius lib. 7. cap. 4. dicit id testari Græcorum libros. Dyonis. Areop. in Ep. ad Policarpum. Baro. ad Annum Chr. 746. sub Constantino Copronymo in Oriente, Palestina, & tota Syria, horrendas tenebras, & terræ motus factos narrat à die quarta Augusti vsque ad kal. Octobris. Sed non vniuersales tenebras, sicut in morte Christi, quales notat Origenes lib. 2. cont. Celsum, & Euseb. in Chron. ex testimonio ipsius Phlegontis, Hadriani Imperatoris liberti, insignis Chronographi. Dyonis.* B *Areop. in Ep. ad Apollophanem. Idem Baro. ad An. Chri. 203. dicit hoc anno, Scapulam accepto mandato à Plautiano, penes quem absente Seuero, erat summa rerum occidentalium, suffectum Saturnino Africæ Proconsuli, mouisse persecutionem contra Christianos. Vnde eum Tertullianus multis rationibus, & maximè supra memorato portentoso Solis defectu deterruit. Anno item Chri. 393. iuxta Hiero. in Ep. ad Pammach. cont. Ioannem Hierosol. Epis. circa Pentecosten. 4. hora diei Sole deficiente mirificè, tantas tenebras factas esse, vt omnes iam venturum iudicem formidarent. Id etiam referunt Socrates lib. 5. cap. 24. Prosper & Marcellinus in Chron. Anno Theodosii decimoquinto. Alias præterea duas narrat post necem* C *Constantini filii Irenes, Anno 797. num. 1. & sub Io. Papa 20. Anno. 1033. num. 1. Augustinus præter alibi citatam eius Epistolam 80. Vbi de defectu Solis in Christi passione; duas simul retulit lib. 3. de Ciuit. cap. 15. vbi de Romulo, iuxta quosdam scriptores à Senatu discerpto, propter ferocitatem;* Acciderat, *inquit*, Solis defectio, S. Aug. quam certâ ratione sui cursus, effectam imperita nesciens multitudo, meritis Romuli tribuebat. Quasi verò, si luctus ille Solis fuisset, non magis ideo credi deberet occisus, ipsumque scelus auersione etiam diurni luminis iudicatum: sicut reuerà factum est, cùm Dominus crucifixus est crudelitate atque impietate Iudæorum. Quam Solis obscurationem, non ex canonico syderum cursu accidisse D satis ostendit, quia tunc erat Pascha Iudæorum: Nam plenâ Lunâ solemniter agitur. Regularis autem Solis defectio non nisi Lunæ fine contingit. Satis & Cicero illam inter Deos Romuli receptionem, putatam magis significat esse, quàm factam: quando & laudans eum in libris de Republica Scipionisque sermone, tantum est, inquit, consecutus, vt cùm subitò Sole obscurato, non comparuisset, Deorum in numero collocatus putaretur. *Quod verè in Christo impletum. Statim quippe eo è viuis sublato, factis tenebris, vidensait Lucæ. 23. 47. Centurio quod factum fuerat glorificauit Deum dicens verè hic homo iustus erat. Matth. verò 27. 54. Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valde; dicentes, verè filius Dei erat iste:* Quam opinionem nemo vnquam mortalis assequi S. Aug. potuit, sine eximia virtutis gloria. Quod autem di-

cit eum subitò non comparuisse, profectò ibi intelligitur, aut violentia tempestatis, aut cædis facinorisque secretum. Nam & alij scriptores eorum, defectioni Solis addunt etiam subitam tempestatem, quæ profectò aut occasionem sceleri præbuit, aut

A Romulum ipsa consumpsit, &c. In Hortensio verò Dialogo, cùm de Solis canonicis defectionibus loqueretur, vt easdem, *inquit*, tenebras efficiat quas effecit in interitu Romuli, qui in obscuratione Solis est factus.

4. Solem suum materialem & visibilem lucere facit pariter super bonos & malos, sicut illuminat omnem hominem lumine naturali, licet non omnem lumine supernaturali fidei.

De Resur. cap. 26. à m.

SAtis vanum, vt ad obsequium Deus, fructibus agri, & cibariis vitæ huius inuitet, quæ etiam irreligiosis, & blasphemis, semel homini addictâ conditione, communicat; *pluens super bonos & malos, & Solem suum emittens super iustos & iniustos.* Matth. 5. 45.

Et lib. 2. contra Marc. cap. 17. Bonitatem in suo statu puram nolunt Marcionitæ in eodem Deo agnoscere, *pluentem super bonos & malos, & Solem suum oriri facientem super iustos & iniustos.* Ibid.

Et libro 4. cont. Marc. cap. 17. in m. Ille & ingratos suggillauit, qui gratos experiri merebatur: cuius Soles & imbres tu quoque Marcion ingratus habuisti.

Et lib. 4. cont. Marc. cap. 36. à p. Vtique optimus, *qui pluit super iustos & iniustos, & Solem suum oriri facit super bonos & malos*, sustinens, & alens, & iuuans etiam Marcionitas. Ibid.

Et cont. Praxeam. cap. 12. à m. In antecedentibus operibus mundi, quomodo scriptum est? Primùm quidem nondum filio apparente, *Et dixit Deus, fiat lux, & facta est:* Ipse statim; *Sermo lux vera quæ illuminat hominem venientem in hunc mundum*, & per illum mundialis quoque lux. Gen. 1. 3. Io. 1. 9.

SOLEM SVVM MATERIALEM. 4. SCHOL.

SATIS VANVM. *Vanus esset cultus Dei, si eum exigeret à nobis sub spe temporalium.* SEMEL ADDICTA. *Rebus conditis, ab initio hominis dominio subiectis.* SOLEM SVVM. *Visibilem à se creatum.*

BONITATEM PVRAM. *Simplicem? imò verò integram: hoc est iustitiæ coniunctam, quâ plectit ingratos bonitati suæ.* IN EODEM. *Quia Marcionitæ duos innexerunt Deos, suum bonum, nostrum iustum & malum ac sæuum.*

CVIVS SOLES ET IMBRES. *Cùm tu, ô Marcion sis in Deum Creatorem blasphemus, Solem suum tamen & pluuiam largitur tibi.*

VTIQVE OPTIMVS. *Qui tuum Deum bonum censes, nostrum verò malum, attende tamen eum non bonum tantum, sed & optimum; qui Creator Solis, & pluuiæ dator, hæc etiam indignis & blasphemis bona sua largitur.*

IN ANTECEDENTIBVS. *Iuxta sapientem.* Antequam quidquam faceret à principio; ab initio creata sum. *Late sumptâ voce creationis, & facturæ, pro Generatione.* NONDVM FILIO APPARENTE. *Nullâ adhuc expressâ mentione factâ filij, in scriptura, nisi sub nomine principij,* In principio creauit. &c.

S. Aug. IPSE STATIM SERMO. *Quia, vt ait Aug. si dixit,* per Verbum dixit. LVX VERA. *Io. 1. 9. Verbum* erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. MVNDIALIS. *Lux illa visibilis quæ cælum & totum mundum illuminat.*

Augustinus lib. 1. de Gen. cont. Manichæos. cap. 3.

S. Aug. Tenebræ erant super abyssum; quod Manichæi reprehendunt, dicentes: In tenebris ergo erat Deus antequam faceret lucem? Verè ipsi sunt in tenebris ignorantiæ, & ideo non intelligunt lucem, in qua Deus erat antequam faceret istam lucem. Non enim norunt isti lucem, nisi quam carneis oculis vident, & ideo istum Solem quem pariter non solùm cum bestiis maioribus sed etiam cum muscis & vermiculis cernimus, illi sic colunt vt particulam dicant esse lucis illius, in qua habitat Deus. Sed nos intelligimus aliam lucem esse in qua Deus habitat, vnde est illud lumen de quo in Euangelio legitur erat lu-

B men verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; nam Solis istius lumen non illuminat omnem hominem, sed corpus hominis, & mortales oculos in quibus nos vincunt aquilarum oculi, qui Solem istum multò meliùs quàm nos dicuntur aspicere. Illud autem lumen, non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum & temporalium, se ad eius præcepta seruanda conuertunt: quod omnes homines possunt si velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum. *Si omnem, certè de rationis luce constat, quòd vita rationalis est lux hominum seu vita propria hominis quâ à pecudibus discernitur, est lux rationis ob quam à Verbo filio Dei & imagine Patris,* Dei Spiritu, & Dei ratione, *participatam,*

C *est factus homo ad Dei imaginem. Sed non omnis homo participat supernaturale fidei lumen, sed iuxta Paulum, hi solùm*, quibus partitur mensuram fidei: quibus potestatem dedit filios Dei fieri: non enim omnium est fides: *Et damnati in inferno dolent, non quòd Solem visibilem non viderint oculis, aut lumen rationis non acceperint, sed sortem suam miseram lugent:* Sol intelligentiæ non est ortus nobis. *Hinc Augustinus, cui satis erat cum Manichæis agenti errorem eorum conuincere, vetus testamentum irridentium circa creationem mundi, & statum hominis integri conditi; hunc locum retractauit, lib. 1. retract. cap. 10.* Quod dixi, *inquit*; illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum qui Deo credunt. &c. S. Aug.

D Quod omnes homines possunt si velint, non existiment noui hæretici Pelagiani secundùm eos esse dictum; verum est enim omnino omnes homines hoc posse si velint, sed præparatur voluntas à Domino: *nemo quippe nisi volens credit, nec quisquam gratiâ fidei vllâ coactione vel necessitate vrgetur credere, sed ex nolente fit volens Deo per fidem illuminante cor & molliente*, & tantùm augetur munere charitatis vt possint. S. Aug.

Quod hîc ideo dictum non est, quoniam præsenti necessarium non erat quæstioni: *Vnde factum est vt deinceps sic hunc Ioannis locum exponeret vt illud 1. Tim. 2.*

S. Aug. *in Enchyr. ad Laur. c.* 103. Qui vult omnes homines saluos fieri: tanquam diceretur, nullum hominem fieri saluum, nisi quem saluum fieri ipse voluerit: non quòd nullus sit hominum nisi quem saluum fieri velit; sed quòd nullus fiat, nisi quem velit, & ideo sit rogandus vt velit, quia necesse est fieri si voluerit: de orando quippe Deo agebat Apostolus vt hoc diceret. Sic enim intelligimus id quod in Euangelio scriptum est: qui illuminat omnem hominem: non quia nullus est hominum qui non illuminetur, sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur.

S. Aug. *Sicut & in Ep.* 107. *ad Vitalem*: illud quod dictum 1. Cor. 15. Omnes in Christo viuificabuntur cùm tam multi æternâ morte puniantur, ideo dictum est, quia omnes quicumque vitam æternam percipiunt, non percipiunt nisi in Christo: ita quod dictum est omnes homines vult saluos fieri, &c. *Et lib.* 1. *de*

S. Aug. *peccat. meritis cap.* 25. Illud quod in Euangelio positum est erat lumen verum, &c. ideo dictum est, quia nullus hominum illuminatur, nisi illo lumine veritatis quod Deus est: ne quisquam putaret ab eo se illuminari à quo aliquid audit vt discat, non dico si quemquam magnum hominem, sed nec si Angelum ei contingat habere doctorem, &c. Audit quippe homo dicentem vel hominem vel Angelum, sed vt sentiat & cognoscat verum esse quod dicitur, illo lumine intus mens eius aspergitur, quod æternum manet, quod etiam in tenebris lucet. Sed sicut Sol iste à cæcis non videtur, quamuis eos suis radiis quodammodo vestiat, sic à stultitiæ tenebris non comprehenditur. *Subiicit & per lumen intelligi*

S. Aug. *rationem.* Verumtamen, *inquit*, etiam ipse, *mentis & rationis*, creatus oculus necesse est vt in tenebris maneat, si non credat in eum qui dixit Io. 12. ego lux in sæculum veni, vt omnis qui credit in me non maneat in tenebris: quod per Sacramentum baptismatis in paruulis fieri non dubitat mater Ecclesia. *Sed heu nec omnes fidelium & sanctorum paruuli illuminantur, sine baptismo decedentes quam plurimi.*

D. Thomas. Augustinum imitatus, nè locum daret deceptioni, seipsum in hac causa, & similitudine Solis & lucis explicauit. lib. 3. *contra Gentiles. Vbi cùm capite* 159: *dixisset*; Licet aliquis per motum liberi arbitrii diuinam gratiam nec promereri, nec acquirere possit: potest tamen seipsum impedire ne eam recipiat. Dicitur enim de quibusdam Iob 21. Dixerunt Deo: recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus. Iob. 24. Ipsi fuerunt rebelles lumini. Et cùm hoc sit in potestate liberi arbitrii, impedire diuinæ gratiæ receptionem, vel non impedire; non immeritò in culpam imputatur ei qui impedimentum præstat gratiæ receptioni. Deus enim, quantùm in se est, paratus est omnibus gratiam dare: vult enim omnes homines saluos fieri. &c. vt dicitur. 1. Tim. 2. *antecedenter scilicet, vt ibidem dicit, hoc est antequam homo impedimentum ponat.* Sed illi soli gratiâ priuantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant: Sicut Sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur: licet videre non possit, nisi lumine Solis præueniatur. *Cùm, inquam, hoc dixisset, ne in errorem induceret incautos, qui etiam quæ scripserat hoc loco, darent naturæ lapsæ in Adam, & proinde posito in omnibus posteris gratiæ impedimento: aduertens omnem hominem iam cæcum nasci, nec posse nisi restituto oculo Solem licet præsentem cernere, & eius luce ad agendum dirigi; statim sequenti capite* 160. *se explicauit his verbis*: Quod autem dictum est, in potestate liberi arbitrii esse ne impedimentum gratiæ præstet, competit his in quibus naturalis potentia integra fuerit: Si autem per inordinationem præcedentem declinauerit ad malum, non erit omnino in potestate eius nullum impedimentum gratiæ præstare. Etsi enim ad aliquod momentum ab aliquo peccati actu particulari possit abstinere propriâ potestate; si tamen diu sibi relinquitur, in peccatum cadet, per quod gratiæ impedimentum præstatur. Cùm enim mens hominis à statu rectitudinis declinauerit, manifestum est quòd recessit ab ordine debiti finis. Illud ergo quod deberet esse in affectu præcipuum tanquam vltimus finis, efficitur minùs dilectum illo ad quod mens inordinatè conuersa est sicut in vltimum finem. Quandocumque igitur occurrerit aliquid conueniens inordinato fini, repugnans fini debito, eligetur, nisi reducatur ad debitum ordinem, vt finem debitum omnibus præferat, quod est gratiæ effectus. Dum autem eligitur aliquid quod repugnat vltimo fini, impedimentum præstat gratiæ quæ dirigit in finem. Vnde manifestum est, quod post peccatum non potest homo abstinere ab omni peccato, antequam per gratiam ad debitum ordinem reducatur. *Vbi Franciscus de Syluestris Ferrariensis Doctor Theologus, Ordinis Prædicatorum Generalis iussu Clementis 7. Gymnasij Bononiensis Magister Regens & huius operis D. Thomæ perspicacissimus interpres, citato in margine capitis.* 160. *eiusdem D. Thomæ loco.* 1. 2. *q.* 109. *a.* 8. *notat vel naturam integram siue potentiam naturalem intellexisse, qualis erat in Adam innocente; vel considerasse naturam in se abstrahendo à statu innocentiæ, vel peccati, secundùm ea quæ naturæ rationali congruunt. Integritas autem naturalis hominis in quantum homo est, habet vt appetitus sensitiuus, à ratione tanquam domina reguletur. Vnde Aristot. lib.* 3. *de anima dicit quòd sicut sphæra mouetur à sphærâ, sic appetitus sensitiuus à rationali. Sed nunc corrupta natura impedimentum ponit gratiæ; quam Deus nulli nunc debet, sed eam ex mera misericordia donat. Similiter & exponendum est quod habet D. Thomas in quæstionibus disputatis, quæstione de fide. art.* 11. *in respons. ad.* 1. *vbi ait*: Si aliquis nutritus in syluis, ductum naturalis rationis, sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissimè est tenendum, quòd ei Deus vel per internam inspirationem reuelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium. &c. Et si nos fecerimus quod in nobis est, vt scilicet ductum naturalis rationis sequamur, Deus non deficiet nobis ab eo quod nobis est necessarium. Cui ex ipso D. Thoma respondetur. 1. 2. q. 109. a. 6. ad. 2. illud non esse intelligendum de faciente quod in se est viribus naturæ: ita vt sic ex se facienti, tribuatur primum auxilium gratiæ; sed de faciente quod in se est ex auxilio supernaturali, & in ordine ad acquirendam gratiam supernaturalem: ita vt sit sensus; Deum non denegare gratiam iustificantem, facienti quod in se est, ex auxilio gratiæ actualis, quæ illum excitat & vocat ad conuersionem, cui respondet & voluntatem suam submittit. Talis fuit Cornelius Centurio, qui non ex naturæ viribus, sed ex Dei gratia, & inspiratis initiis fidei, sine qua Deum inuocare non poterat, quod in se erat, faciens præsupposito illo auxilio supernaturali, orabat, & eleemosynas erogabat, quibus per Angelum ad Deum transuectis, quem iam fide cognouerat, per eundem Angelum ad Petrum missus est, per quem, in Deum de Deo, lumen de lumine, filium inquam crederet ad quem peruenit, tractus à Patre, & priùs instructus de fide Trinitatis, est ab Apostolo baptizatus. *De syluis gentium plurimos à Deo vocatos, ad seipsum venisse, Deo excitante, narrat Augustinus in Psal.* 134. *in versum* 14. In seruis suis S. Aug. aduocabitur. Quibus? *inquit*, à gentibus. Quantæ enim gentes credendo venerunt? Quanti fundi, quanta loca deserta modò veniunt? Veniunt inde nescio quanti credere volunt, & dicimus eis: quid vultis?

vultis? respondent, nosse volumus gloriam Dei. Credite, fratres, mirari nos, & gaudere ad talem vocem rusticanorum. Veniunt nescio vnde excitati, à nescio quo. Quid dicam à nescio quo? Imò, scio à quo: quia nemo, inquit, venit ad me nisi quem Pater traxerit. Veniunt citò de sylua, de deserto, de remotissimis & arduis montibus ad Ecclesiam, & hanc vocem habent plerique, & penè omnes eorum; vt videamus verè intus docentem Deum. Impletur scriptura Prophetica, quâ dictum est. Erunt omnes docibiles Deo. Esa. 54. Quid desideratis? dicimus illis: & illi; videre gloriam Dei: Omnes enim peccauerunt, & egent gloriâ Dei. Rom. 3. Credunt, consecrantur, clericos sibi ordinari exigunt. Nonne impletur, & in seruis suis aduocabitur? *Sed non merito boni vsus liberi arbitrii, sed ex Dei gratiâ vocantur.*

SOLITARIVS ET SOLITVDO.

1. *Solitarij, priuati hominis, & Religiosi vita, quieta est, & melior publicâ, publicoque vtilior. De Pallio cap. 5. V. Verbum Pallium. num. 3.*

2. *Solitudo, locus Christo familiaris, in lege, & in Euangelio 4. cont. Marc. capite 8. circa f.*

IN solitudinem procedit. Solemnis & huiusmodi regio Creatoris. Oportebat sermonem illic quoque videri in corpore, vbi egerat aliquando & in nube. Competebat & Euangelio habitus loci, qui placuerat & Legi. [a] *Capiat itaque iucunditatem solitudo*, hoc Esaïas promiserat. Luc 4.42 Exod. 19. 16. a Esa.35.1. & 41.19.

SOLITARIVS ET SOLITVDO. 2. SCHOL.

IN SOLITVDINEM. *Luc.* 4. 42. Factâ autem die egressus ibat in desertum locum. SOLEMNIS REGIO. *In hoc Christus Patrem suum Deum Creatorem sequitur, desertum Sinai incolentem.* SERMONEM IN CORPORE. *Verbum in carne, in deserto agere conuenit qui olim in deserto apparuit in nube. Sic Psaltes 98.* In columna nubis loquebatur ad eos. *In quem locum Aug.* Dixit, *inquit*, superiùs, exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est; commendans quendam id est Dominum nostrum Iesum Christum cuius scabellum pedum adorandum est, quia carnem assumpsit, in qua appareret generi humano. Et volens nobis ostendere, & antiquos Patres ipsum prædicasse, quia ipse est verus Sacerdos, commemorauit istos, *dicens*, *Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius*; quia in columna nubis loquebatur ad eos Deus. *Filius scilicet.* Quid est in columna nubis? loquebatur per figuras. &c. Qui primò loquebatur in columna nubis, ipse nobis locutus est in scabello pedum suorum, id est in terra, assumptâ carne, vnde adoramus scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. Ipse de nube loquebatur, quod tunc non intelligebatur: locutus est in scabello pedum suorum, & intellecta sunt verba nubis eius. EVANGELIO. *Quia octo beatitudines Euangelicas in monte prædicauit*, HABITVS LOCI, *species & forma, respondens legi datæ in monte Sinai.* CAPIAT IVCVNDITATEM. *Si præsentiâ Christi, in noua lege lætificatur solitudo, id quoque Esaias Propheta Creatoris prædixerat 35. 1.* Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. *Sine vt habent 70.* Lætare desertum sitiens: Exultet solitudo & floreat quasi lilium. Et efflorebunt, & exultabunt deserta Iordanis. &c. *Sic & Psaltes 64.* Pinguescent speciosa deserti, & colles exultatione accingentur. *August. ibid. vertit*; Pinguescent fines deserti. Fines deserti omnes Gentes. Quare fines deserti? deserti erant, nullus ad eos Propheta missus erat, sic erant illi quomodo eremus, quà non transit homo. Nullum verbum Dei missum erat ad Gentes, soli populo Israël prædicauerunt Prophetæ. &c. Antea ergo desertum erat, sed pinguescent fines deserti. Ecce vbi Prophetæ non sonuerant, Dominus Prophetarum acceptus est. *Et in Psal. 62.* In terra deserta. &c. Malum desertum, *inquit*, horribile & timendum, & tamen Deus misertus est nostri, & fecit nobis viam in deserto ipsum Dominum nostrum Iesum Christum. &c. *Et in Psal. 101.* Similis factus sum pelicano solitudinis. &c. Sicut passer singularis in tecto. Puto hîc intelligi Christum natum de virgine. Solus enim sic, ideo solitudo. In solitudine natus est, quia solus ita natus. *Solitudinem quoque initio conuersionis suæ quærebat Augustinus; sed postea Deo sic meliùs prouidente, Cœnobitarum Pater effectus, vt fusè probaui in vindiciis nostris quadripartitis. Sic enim claudit caput vltimum lib. 10. confessionum*; Conterritus peccatis meis, & mole peccatorum, & miseriæ meæ, agitaueram in corde, meditatusque fueram fugam in solitudinem, sed prohibuisti me, & confirmasti me dicens; *Voce Pauli 2. Cor. 5.* Ideo pro omnibus Christus mortuus est, vt qui viuunt iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est. &c. Cogito pretium meum, & manduco, & bibo, & erogo: *Hoc egit & scripsit iam Episcopus & dispensator Sacramentorum.* Et pauper cupio saturari eo, inter illos qui edunt, & saturantur, & laudant Dominum qui requirunt eum. *Et in Psal. 54.* Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? Ecce elongaui fugiens & mansi in solitudine. Columba, *inquit*, à molestiis quærit auolationem, sed non amittit dilectionem. &c. Vnde, putatis seruis Dei impleta esse deserta? si benè illis esset inter homines, recederent ab hominibus? & tamen quid faciunt & ipsi? Ecce elongant fugientes, manent in deserto. Sed numquid singillatim tenet eos charitas, vt cum multis maneant, & de ipsis multis, existant qui exerceant? quia in omni congregatione multitudinis, necesse est vt inueniantur mali. Deus enim qui nouit exercendos nos, *viden vt communem cum fratribus vitam agebat?* miscet nobis

& non perseueraturos, aut certè ita simulatos, vt nec inchoauerint, in quo perseuerare debeant: A Nouit enim necessarium esse nobis vt feramus malos, & proficiat quod boni sumus.

SOMNVS NATVRALIS, ET ECSTATICVS.

1. *Somnus, pro morte habitus, Hermotimum rogo iniecit.* *De Anim. cap. 44. in p.*

CEterùm, de Hermotimo; Animâ, vt aiunt, in somno carebat, quasi per occasionem vacaturi hominis proficiscente de corpore. vxor hoc prodidit. inimici dormientem nacti pro defuncto cremauerunt. regressa anima tardiùs, credo, homicidium sibi imputauit. ciues Clazomenii Hermotimum templo consolantur. mulier non adit, ob notam vxoris. Quorsum istud? Ne quia facilè est vulgò existimare secessionem animæ esse somnum, hoc quoque Hermotimi argumento credulitas subornetur. Genus fuerat grauioris aliquanto soporis, vt de incubone præsumptio est, vel valetudinis, quam Soranus opponit, excludens incubonem, aut tale quid vitij, quod etiam Epimenidem in fabulam impegit, quinquaginta penè annos somniculosum.

SOMNVS 1. SCHOL.

DE HERMOTIMO. *Id hausit ex Plut. lib. de Socratis genio, & Plin. lib. 7. c. 57.* Reperimus, *inquit*, inter exempla, Hermotimi Clazomenij animam relicto corpore errare solitam, vagamque è longinquo multa annuntiare, quæ nisi à præsenti nosci non possent, corpore interim semianimi: donec cremato eo inimici, qui cantharidæ vocabantur, remeanti animæ velut vaginam ademerunt. MVLIER NON ADIT. *Nulla mulier, sed soli viri templum Hermotimo extructum frequentant, in odium vxoris Hermotimi, quæ secretum hoc reuelauerat inimicis.* QVORSVM ISTVD. *vt quid hæc fabula profertur in medium? An fortè quia difficilè vulgus sibi persuadet, somnum nihil aliud esse quàm animæ à sensibus corporis, in seipsam secessum quendam recollectionem, vt huius Hermotimi exemplo, capietur huiusmodi credulitas, & opinio suadeatur? Cæterum credam potiùs Hermotimum grauiori sopore solitum obdormire, vt exanimis putaretur.* DE INCVBONE. *Aliqui putant eum laborasse morbo, quo aliqui per phantasiam afficiuntur, & videntur insidere aliquid suo pectori graue. Qui morbus efficit crapulâ, vel indigestione vexatum; de quo morbo Marcellus lib. de medicamentis. cap. 20.* SORANVS. *Et hic Medicus, inualetudinem & morbum ex succubo maluit esse, quàm incubone, vt refert in libris causarum; iuxta Cælium Aurelianum lib. 1. Chron. cap. 3.* EPIMENIDEM. *Plin. Et Laert. referunt hunc dormiisse. 57. annis; & Plutarchus post 50. annos euigilasse iam senem. De quo Maximus Tyrius. ser. 28.* Cretensis quidam Athenas olim venit Epimenides nomine, qui Atheniensi populo mira quædam, nec admodum creditu facilia adferebat; se, cùm aliquando clarâ luce in Dictæi Iouis antrum secessisset, multos ibi annos profundè dormiisse, deosque in somnis, vocesque eorum vsurpasse, atque ita veritati litasse & iustitiæ. Quâ fabulâ nihil aliud videtur mihi indicare voluisse Epimenides, quàm vitam hanc, animæ humanæ respectu, nihil aliud quàm longùm, multorumque annorum esse somnium. *Cæterùm ex Plin. lib. 10. c. 75.* Est somnus nihil aliud, quàm animi in medium sese recessus. *De Hermotimo nihil apud Augustinum reperi: De Epimenide Poëta Cretensi, de quo hîc Tertullianus in fabulam & Prouerbium dato, vt ex Luciano in Timone dictum sit in perpetuum otium diffluentes:* Vltra Epimenidis somnum dormisti: *fabularum concinnatorem & mendacem vt pote Cretensem, ex mente Pauli notauit Augustinus to. 6. lib. 2. cont. Aduers. legis & Prophet.* S. Aug. *cap. 4.* Non miror, *inquit*, quòd homo ineruditus, de Prophetis Iudæorum existimat dictum quod ait Apostolus ad Titum. 1. dixit quidam ex ipsis proprius eorum Propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri: testimonium hoc verum est: ignorans dictum esse de quodam Epimenide qui Cretensis fuit, in cuius libris hoc inuenitur. &c. Ideo non commemorauit Apostolus nomen eius, sicut solet commemorare Prophetas Dei. &c. *Quod attinet ad Tertulliani mentem qui vult Hermotimum,* dormientem pro defuncto crematum, *siue somnum pro morte habendum propter animæ secessum, Augustinus totâ scripturâ contestante in veteri & nouo testamento, confirmat. Sic enim Psaltes,* Dormierunt somnum suum &c. cùm dederit dilectis suis somnum. *Et in Euangelio.* Dormitauerunt omnes & dormierunt. Lazarus amicus noster dormit. *Et Paulus.* Nolumus, *inquit*, vos ignorare de dormientibus. &c. *Hinc cœmeteria dormitoria. Et toties in Martyrologio.* Obdormiuit in Domino. *August. to. 5. lib. 17. de Ciuit. cap. 18.* Quid est aliud, *inquit*, quod in Psal. 3. Ex persona eius, *Christi scilicet*, canitur: Ego dormiui & somnum cœpi, & exurrexi? &c. An fortè quisquam ita desipit, vt credat, velut aliquid magnum nobis indicare voluisse Prophetam quòd dormierit, & exurrexerit, nisi somnus iste mors esset, & euigilatio resurrectio, quam de Christo sic oportuit prophetari? &c. Nam & in quadragesimo Psalmo multò manifestiùs id ostenditur, quando ex persona mediatoris. &c. Inimici, *inquit*, mei dixerunt mala mihi, quando morietur, & peribit nomen eius? &c. Verbum iniquum disposuerunt aduersum me: numquid qui dormit, non adiiciet vt resurgat? Hæc certè ita posita sunt verba, vt nihil aliud dixisse intelligatur, quàm si diceret: Numquid qui moritur, non adiiciet vt reuiuiscat? Superiora quippe demonstrant, mortem ipsius cogitasse, & disposuisse inimicos eius. & hoc actum esse per eam qui ingrediebatur vt videret, & egrediebatur vt proderet. Cui autem hîc non occurrat ex discipulo eius factus traditor Iudas. &c. velut si diceret: quid agitis vani? quod vestrum est scelus, meus somnus erit. *Et to. 8. in Psal 3.* Ego dormiui & somnum cœpi, Non ergo, *inquit*, vos me tanquam inuitum cœpistis & occidistis, sed ego dormiui. &c. Somnum autem pro morte positum innumerabiliter scripturæ continent; sicut Apostolus dicit 1 Thes. 4. Nolo vos ignorare fratres de iis qui dormitionem acceperunt, &c. Dormitio morientis, somnus autem mortui accipi potest: vt dormitio sit quâ transitur ad somnum, veluti est expergefactio quâ trâsitur ad vigilationem. *Et in Psal. 87.* Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber. Sicut vulnerati dormientes in sepulchro quorum non meministi adhuc.

S. Aug. S. Aug. S. Aug.

Vbi, *inquit*, est Domini Christi à cæteris mortuis animaduertenda discretio. Primò, vt supra dixerat, inter peccatores solus sine peccato. Secundò quia in potestate habebat ponere animam suam, & iterum sumere eam; qui etiam carnem suam tanquam templum ab eis solutum resuscitare poterat cùm volebat. Tertiò quia & ipse vulneratus est, & mortuus positus in sepulchro; sed illi qui nesciebant quid faciebant, quis esset vtique nescientes, similem illum putauerunt aliis vulnere occisis, & dormientibus in sepulchro, quorum Deus adhuc non meminit, id est quorum nondum tempus resurgendi aduenit. Ideo namque mortuos consueuit scriptura dicere dormientes; quia euigilaturos, id est resurrecturos vult intelligi. Sed hic vulneratus & dormiens in sepulchro die tertio euigilauit, & factus est sicut passer singularis in tecto, id est ad dexteram Dei Patris in cœlo: Nec iam moritur, & mors ei vltra non dominabitur, vnde longè distat ab eis quorum ad talem resurrectionem Deus non meminit adhuc. Quod enim præcedere oportebat in capite, corpori seruatur in finem. Tunc autem dicitur Deus meminisse, quando facit: tunc obliuisci, quando non facit: Nam neque obliuio cadit in Deum, quia nullo modo mutatur: neque recordatio, quia non obliuiscitur.

2. Somnus quid sit, quàm naturalis & vtilis, & quomodo in primo homine præcesserit omne opus. De Anima cap. 43. in p. ad m.

DE somno priùs disputemus; post mortem qualiter anima decurrat. Non vtique extra naturale est somnus, vt quibusdam Philosophis placet, cùm ex his eum deputant causis, quæ præter naturam haberi videntur. Stoici somnum; resolutionem sensualis vigoris affirmant. Epicurei diminutionem spiritus animalis, Anaxagoras cum Xenophane defetiscentiam, Empedocles & Parmenides, refrigerationem, Strato segregationem consati spiritus, Democritus indigentiam spiritus, Aristoteles marcorem circumcordialis caloris. Ego me numquam ita dormisse præsumo, vt ex his aliquid agnoscam. Neque enim credendum est, defetiscentiam esse somnum, contrarium potiùs defetiscentiæ, quam scilicet tollit. Si quidem homo somno magis reficitur, quàm fatigatur. Porrò nec semper ex fatigatione concipitur somnus, & tamen cùm ex illa est, illa iam non est. Sed nec refrigescentiam admittam, aut marcorem aliquem caloris, cùm adeò corpora somno calescant; & dispensatio ciborum per somnum non facilè procederet calore properabili & rigore tardabili, si somno refrigeraremur. Plus est, quòd etiam sudor, digestionis æstuantis est index. Denique concoquere dicimur, quod caloris, non frigoris operatio est Proinde deminutionem animalis spiritus, aut indigentiam spiritus, aut segregationem consati spiritus, immortalis anima non sinit credi. Perit anima si minoratur. Superest, si fortè cum Stoicis, resolutionem sensualis vigoris somnum determinemus, quia corporis solius salutem procuret, non & animæ. Animam enim vt semper mobilem, & semper exercitam nunquam succidere quieti, alienæ scilicet à statu immortalitatis: nihil enim immortale finem operis sui admittit, somnus autem finis est operis. Denique corpori, cui mortalitas competit, ei soli quies finem operis adulatur. Qui ergo de somni naturalitate dubitabit, habet quidem Dialecticos in dubium deducentes totam naturalium, & extranaturalium discretionem, vt & quæ putauerit citra naturam esse, naturæ vindicari sciat posse, à qua ita esse sortita sunt, vt citra eam haberi videantur. Et vtique aut natura omnia, aut nulla natura. Apud nos autem id poterit audiri, quod Dei contemplatio suggerit, auctoris omnium de quibus quæritur. Credimus enim; si quid est natura, rationale aliquod opus Dei esse. Porrò somnum ratio præit, tam aptum, tam vtilem, tam necessarium, vt absque illo nulla anima sufficiat, recreatorem corporum, redintegratorem virium, probatorem valetudinum, pacatorem operum, medicum laborum. Cui legitimè fruendo dies cedit, nox legem facit, auferens rerum etiam colorem. Quod si vitale, salutare, auxiliare, somnus; nihil eiusmodi non rationale, nihil non naturale. Sic & Medici omne contrarium vitali, salutari, auxiliari, extra naturæ cardines relegant. Nam & æmulas somno valetudines, phreneticam atque cardiacam, præter naturam iudicando, naturalem somnum præiudicauerunt: Etiam in lethargo non naturalem notantes, testimonio naturali respondent, cùm in suo temperamento est. Omnis enim natura aut defraudatione, aut enormitate rescinditur, proprietate mensuræ conseruatur. Ita naturale erit statu, quod non naturale effici potest decessu vel excessu. Quid si & esum & Gen.2.21. potum de naturæ sortibus eximas? Nam & in his plurima somni præparatura est. Certè his à primordio naturæ suæ homo imbutus est: si apud Deum discas, ille fons generis Adam, antè ebibit soporem, quàm sitiit quietem; antè dormiit quàm laborauit; immo quàm & edit, immo quàm & profatus est; vt videant naturalem indicem somnum omnibus naturalibus principaliorem.

SOMNVS QVID SIT. 2. SCHOL.

POST MORTEM. *Priùs disquirendum quid sit somnus, postea videbimus quid sit mors, cuius imago somnus est; Et dicemus quomodo anima excedens corpore, cum sit mortem eius; Non enim ipsa mortem incurrit.* EXTRA NATVRALE. *Somnus non est extra naturam humanam imo nihil tam naturale est homini quàm somnum capere,*

quidquid dicant Philosophi qui somnum oriri volunt ex causis naturæ aduersis. Vide Plutarchum lib. 5. de Philosophorum placitis cap. 24. & 25. & Galenum in hist. Philosophica. STOICI. *Sic Plutarch. cap. 24. loco præcitato;* Plato, & Stoici somnum fieri putant remissione sensitiui spiritus, quemadmodum super terram consedente flatu: sed cùm is ad interuallum superciliorum, id est partem principem fertur, &c. EPICVREI. *Idem Plutarchus cap. 25. Empedocli tribuit. De Epicuro Laërtius lib. 10. vbi iuxta sententiam Epicuri dicit;* Somnum fieri, cùm partes animæ, quæ per omnem concretionem disseminatæ sunt, aut continentur, aut euacuantur, deinde poris incidunt. *Plutarchus, iuxta Empedoclem, dicit,* somnum alij, ignis interni segregationem esse. ANAXAGORAS DEFETISCENTIAM, *defatigationem & defectum. Hinc Plutarchus. cap. 25.* Anaxagoras, *inquit,* somnum corporalis functionis esse, corporalem eum esse, non animalem, *id est ad corpus non ad animam pertinere. Aristoteles quoque libro de somno & vigilia cap. 3. refellit hanc sententiam.* EMPEDOCLES. *teste Suidâ hanc opinionem sumpsit à Magistro suo Parmenide. Plutarchus cap. 24.* Empedocles, moderatâ caloris, qui in sanguine inest refrigeratione, somnum: perfectâ, mortem accidere. ARISTOTELES, *de hoc Plutarchus ibidem:* Somnum, *inquit,* corpori cum anima facit communem; esse enim euaporationem humidi è pectore in caput, & refrigerationem caloris in corde ab alimento subiecto. Mortem esse absolutam refrigerationem, soliusque corporis esse, animam esse immortalem. STRATO. *Hic Epicuro & Empedocli annuit, dicentibus somnum induci,* secretione siue segregatione naturæ igneæ. CONSATI. *Consiti.* SVCCIDERE, *succumbere somno, qui non conuenit animæ immortali.* FINEM ADVLATVR, *de fine blanditur.* NATVRALITATE. *Conuenientiâ cum natura.* DIALECTICOS. *Philosophos supra citatos; qui quod naturale est, præter naturam esse in dubium vocant; quos qui sequitur, sciat à nobis & discat, nos asserere posse ea naturæ congrua esse, quæ ipsi præter naturam esse senserunt.* APVD NOS. *Christianos.* SOMNVM RATIO PRÆIT. *Id est non sine rationabili & naturali causa somnus venit.* NVLLA ANIMA. *Dum corpori coniuncta est, eius organis somno reficiendis, sine somno sufficit diu in corpore subsistere.* ETIAM COLOREM. *Cuius visu somnus impeditur.* VITALE SOMNVS. *Est res vitæ congruens.* ÆMVLAS VALETVDINES, *morbos contrarios somno.* CARDIACAM. *Cornelius Celsus lib. 3. cap. 19. cùm de phrenesi, capite præcedente tractasset:* Huic, *inquit,* morbo præcipuè contrarium est id genus quod χαρδιακὸν à Græcis nominatur, quamuis sæpè ad eum Phrenetici transeunt: Si quidem mens in illis labat, in hoc constat. *Id est stupet.* Id autem nihil aliud est, quàm nimia imbecillitas corporis, quod stomacho languente immodico sudore digeritur. Licetque protinus scire id esse, vbi venarum exigui imbecillique pulsus sunt, sudor autem supra consuetudinem, & modo, & tempore, ex toto thorace & ceruicibus, atque etiam capite prorumpit, pedibus tantummodo & cruribus siccioribus atque frigentibus. TESTIMONIO NATVRALI. *Medici nostræ sententiæ suffragantur, dum somnum naturalem esse probant ex morbis naturæ & somno contrariis.* DEFRAVDATIONE, *defectu.* ENORMITATE. *Excessu, corrumpitur; conseruatur autem, dum in propria mensura & modo perseuerat.* STATV. *Consistentiâ in modo & mensurâ propriâ.* DECESSV. *Diminutione & defectu.* DE NATVRÆ SORTIBVS. *An etiam tu Philosophe esum & potum è naturæ limitibus ablegabis? quæ tamen & hominis naturæ reparandæ congrua sunt, & plurimam somno materiam & causam parant.* APVD DEVM. *In Sacra Scriptura.* EBIBIT SOPOREM. *Ante ipsam necessitatem, & ex ea appetitum somni, dormiuit ipse plusquam somnifero poculo, somno à Deo infuso consopitus. Ex quo patet, somnum præ cibo, & potu & sermone, à natura homini inditum; de somno quo feriatur anima, & vires corporis & sensuum lapsus reparat, August. to. 1. libro de quantitate animæ cap. 33.* Intendit, [S. Aug.] *inquit,* se anima intactum, & eo calida, frigida, aspera, lenia, dura, mollia, leuia, grauia sentit atque discernit. Deinde innumerabiles differentias saporum, odorum, sonorum, formarum; gustando, olfaciendo, audiendo, videndoque diiudicat. Atque in iis omnibus, ea quæ secundùm naturam sui corporis sunt, asciscit atque appetit, reiicit fugitque contraria. *Et quia eius organa corruptibilia lassantur, & somno indigent, subiicit,* remouet se ab his sensibus certo interual- [S Aug.] lo temporum, & eorum motus quasi per quasdam ferias reparans, imagines rerum quas per eos hausit, secum cateruatim & multipliciter versat, & hoc totum est somnus, & somnia. *Et eodem libro cap. 22. vbi de somno, eiusque effectu, defectu, excessu.* [S. Aug.] Nutus, *inquit,* animæ ad mouendum corporis pondus, neruis quasi tormentis vtitur. Neruos autem vegetat mobilioresque efficit siccitas calorque moderatus; contra, eos laxat atque infirmat humidus rigor. Itaque somno, quia eum frigidum & humidum dicunt Medici, & probant; membra languescunt, atque ipse expergefactorum conatus multò est debilior, ideoque nihil est fractius & eneruius lethargicis. At quosdam phreneticos, quibus vigiliæ, & vini vis & acutæ febres, id est tot calidæ, plus nimio neruos tendunt atque durant, maioribus viribus quàm integrâ valetudine reluctari, & multa facere manifestum est, cùm eorum corpus sit ægritudine attenuatius & exilius. *Et in Psal. 62. vbi de somno duplici, & vigilia, somni naturalis necessitatem probat in versum.* [S. Aug.] Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Quid est, *inquit,* vigilare? Vtique non dormire. Quid est dormire? Est somnus animæ, est somnus corporis. Somnum corporis omnes habere debemus: quia si non habeatur somnus corporis, deficit homo, deficit ipsum corpus. Non enim potest diu sustinere corpus nostrum fragile animam vigilantem, & intentam in actionibus. Si diu fuerit intenta anima in actionibus, corpus fragile & terrenum non illam capit, non illam sustinet perpetuò agentem; Ideo deficit & succumbit. Ideo Deus donauit somnum corpori, quo reparantur membra corporis, vt possint vigilantem animam sustinere. Illud autem cauere debemus, ne ipsa anima nostra dormiat: malus enim est somnus animæ. Bonus somnus corporis quo reparatur valetudo corporis, somnus autem animæ est obliuisci Deum. &c. Ideo dicit Apostolus quibusdam oblitis Deum suum, & tanquam in somno agentibus deliramenta culturæ Idolorum, &c. Si autem euigilet anima ipsorum, intelligit à quo facta est. & non colit quæ ipsa facit: dicit ergo quibusdam Apostolus, surge qui dormis & exurge à mortuis, & cæt.

3. Somnus primi hominis, imago mortis, & Resurrectionis Christi; vt & noster eadem repræsentat. De Ani. cap. 43. à m. ad f.

INde deducimur, etiam imaginem mortis iam tunc eum recensere. Si enim Adam de Christo figuram dabat, somnus Adæ mors erat Christi dormituri in mortem, vt de Io. 19. 30. iniuria perinde lateris eius; vera mater viuentium figuraretur Ecclesia. Ideo & somnus tam salutaris, tam rationalis, etiam in publicæ & communis iam mortis effingitur exemplar. Voluit enim Deus, & aliàs nihil sine exemplaribus in sua dispositione molitus, paradigmate Platonico pleniùs, humani vel maximè initij ac finis lineas quotidie agere nobiscum, manum porrigens fidei, facilius adiuuandæ per imagines & parabolas, sicut sermonum, ita & rerum. Proponit igitur tibi corpus amicâ vi soporis elisum, blandâ quietis necessitate prostratum, immobile situ, quale ante vitam iacuit, & quale post vitam iacebit, vt testationem plasticæ, & sepulturæ, expectans animam, quasi nondum collatam, & quasi iam ereptam. Sed & illa sic patitur, vt alibi agere videatur, dissimulatiotione præsentiæ futuram absentiam ediscens; & tamen interim somniat, nec quiescit, nec ignauescit omnino, nec naturam immortalitatis seruam sopori addicit. probat se mobilem semper; terrâ, mari, peregrinatur, negotiatur, agitatur, laborat, ludit, dolet, gaudet, licita atque inlicita persequitur; ostendit quòd sine corpore etiam plurimùm possit, quod & suis instructa sit membris, sed nihilominùs necessitatem habeat rursus corporis agitandi. Ita cùm euigilauerit corpus, redditum officiis eius, resurrectionem mortuorum tibi adfirmat. Hæc erit somni, & ratio naturalis, & natura rationalis. Etiam per imaginem mortis, fidem initiaris, spem meditaris, discis mori & viuere, discis vigilare, dum dormis.

SOMNVS PRIMI HOMINIS. 3. SCHOL.

INDE DEDVCIMVR. *Hinc, id est ex somno Adæ suademur, vel progredimur, vt iam ab initio mundi censeamus somnum hunc fuisse mortis imaginem & repræsentationem, & quidem mortis Christi. de quo Consule Scholium primum suprà.* DE INIVRIA LATERIS. *Quâ etiam corpori eius mortuo insultauit miles,* mucrone diro lanceæ *latus eius aperiens.* VERA MATER, *cùm Eua nouerca magis fuerit, & interempto suasione viro, filiorum omnium per eius peccatum interemptrix.* A muliere enim initium peccati. *Sed magè virago,* quia de viro sumpta est: *hoc est de Christo Ecclesia.* SINE EXEMPLARIBVS. *Figuris, præmissis in veteri lege. Vel ideis, longè plenioribus quàm Platonicis.* IN SVA DISPOSITIONE. Disponit enim omnia suauiter, *& non tantùm verbis sed & rebus figuratiuis, quasi manu erexit, fidem nostram, eique viam strauit, vt ab ipso initio creationis humani generis, vsque ad finem reparationis eius, ab Adam primo ad nouissimum deduceremur in agnitionem mortis Christi, & communis omnium, cuius somnus est imago, ad fidem resurrectionis, quâ* Christus primitiæ dormientium *euigilauit è somno mortis, vt nos pariter euigilaturos esse confidamus.* PARADIGMATE PLATONICO. *Ideas Platonis intellige; ita enim Dionysius lib. de diuinis nominibus cap. 5. & Iustinus in exhort. ad Græcos dixit,* singularum rerum quæ creantur paradigma. *Id est exemplar. Pleniùs autem dixit. Quia vnica idea exemplar & forma siue paradigma rerum omnium, non tantùm factarum, & faciendarum, sed etiam possibilium vnicum Patris est Verbum. Puto tamen vel alludere ad Dialogum nonum Platonis de republica, vbi in principio docet quomodo suauis somnus possit euenire, quem hic descripsit Author, vel ad paradigma quod habet in Phædone, vbi somnum & vigiliam facit exemplaria & imagines mortis & vitæ.* TESTATIONEM PLASTICÆ. *Testatur & repræsentat corpus somnô sepultum quale fuerit corpus Adæ de terra plasmatum à Deo.* ILLA SIC PATITVR. *Agitatur in somnis, & sopito omni motu & actione sensuum & membrorum, videtur anima quasi dissimulans se adesse corpori, cùm imaginatione vndequaque vagatur, & videtur addiscere* A *absentiam suam à corpore futuram post mortem, vsque ad resurrectionem.* AGITATVR, *alij legunt,* aginatur. *Quasi vtrinque versatilis; Metaphora sumpta à scapo trutinæ, in quo ipsa agitur & vertitur. Vnde aginatores dicti aurigæ, qui in ludis circensibus curruli certamine exercebantur. Vel ex Festo aginor, & aginator, dicitur qui paruulo lucro mouetur, & minimo pondere huc atque illuc flectitur.* SVIS MEMBRIS. *Hic errorem suum insinuat de animæ corporalitate & effigie de quo vide Alphabetum Errorum.* NECESSITATEM HABEAT. *Quia non est sicut intelligentia separata, sed est actus corporis, & ordinem habet ad suam materiam.* FIDEM INITIARIS. *Habes initia fidei & spei resurrectionis delineata in somno & vigilia. Vel sublimiori sensu, in baptismo fidei Sacramento, & trinâ eius mer-*B*sione, iuxta Paulum* consepulti Christo in baptismo, *resurrectionem ediscimus, ex figura mortis & sepulturæ triduanæ eius, postquam resurrexit, vt proprio loco diximus.* DISCIS VIGILARE. *Quia vt speras de somno surgere, sic de morte & sepulcro, cum Psalte dicens:* In pace in idipsum dormiam & requiescam. Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. *Et rursum,* Caro mea, requiescet in spe. *Pulchrè Chrysol. ser. 59. à m.* Crede, *inquit,* homo de morte resurgere te posse, quia antequam viueres, nihil fuisti. *Adde, terra inanimus fuisti:* aut quare dubitas quod resurgas, cùm tibi totum quod in rebus est quotidie sic resurgat? Sol occidit & resurgit; dies sepelitur, & redit, &c. & vt resurrecturum te, iugi & vernaculo instruaris exemplo, quoties dor- S. Aug. C mis & vigilas, toties moreris & resurgis. *Aug. in Psal. 15.* Caro mea requiescet in spe. Caro mea, *inquit,* non deficiet in interitum, sed in spe resurrectionis obdormiet. Quoniam non derelinques animam meam in inferno. Quoniam neque animam meam inferis possidendam dabis. Neque dabis sanctum tuum videre corruptionem. Neque sanctificatum corpus, per quod alij sanctificandi sunt, corrumpi patieris. Notas mihi fecisti vias vitæ. Notas fecisti per me humilitatis vias, *humiliauit enim semetipsum factus obediens vsque ad mortem, &c.* Vt

quidquid dicant Philoſophi qui ſomnum oriri volunt ex cauſis naturæ aduerſis. Vide Plutarchum lib. 5. de Philoſophorum placitis cap. 24. & 25. & Galenum in hiſt. Philoſophica. STOICI. *Sic Plutarch. cap. 24. loco præcitato*; Plato, & Stoici ſomnum fieri putant remiſſione ſenſitiui ſpiritus, quemadmodum ſuper terram conſedente flatu: ſed cùm is ad interuallum ſuperciliorum, id eſt partem principem fertur, &c. EPICVREI. *Idem Plutarchus cap. 25. Empedocli tribuit. De Epicuro Laërtius lib. 10. vbi iuxta ſententiam Epicuri dicit*; Somnum fieri, cùm partes animæ, quæ per omnem concretionem diſſeminatæ ſunt, aut continentur, aut euacuantur, deinde poris incidunt. *Plutarchus, iuxta Empedoclem, dicit*, ſomnum alij, ignis interni ſegregationem eſſe. ANAXAGO- B RAS DEFETISCENTIAM, *defatigationem & defectum. Hinc Plutarchus. cap. 25.* Anaxagoras, *inquit*, ſomnum corporalis functionis eſſe, corporalem eum eſſe, non animalem, *id eſt ad corpus non ad animam pertinere. Ariſtoteles quoque libro de ſomno & vigilia cap. 3. refellit hanc ſententiam.* EMPEDOCLES. *teſte Suidâ hanc opinionem ſumpſit à Magiſtro ſuo Parmenide. Plutarchus cap. 24.* Empedocles, moderatâ caloris, qui in ſanguine ineſt refrigeratione, ſomnum: perfectâ, mortem accidere. ARISTOTELES, *de hoc Plutarchus ibidem:* Somnum, *inquit*, corpori cum anima facit communem; eſſe enim euaporationem humidi è pectore in caput, & refrigerationem caloris in corde ab alimento ſubiecto. Mortem eſſe abſolutam refrigerationem, ſoliuſque corporis eſſe, animam eſſe immortalem. C STRATO. *Hic Epicuro & Empedocli annuit, dicentibus ſomnum induci*, ſecretione ſiue ſegregatione naturæ igneæ. CONSATI. *Conſiti.* SVCCIDERE, *ſuccumbere ſomno, qui non conuenit animæ immortali.* FINEM ADVLATVR, *de fine blanditur.* NATVRALITATE. *Conuenientiâ cum natura.* DIALECTICOS. *Philoſophos ſupra citatos; qui quod naturale eſt, præter naturam eſſe in dubium vocant; quos qui ſequitur, ſciat à nobis & diſcat, nos aſſerere poſſe ea naturæ congrua eſſe, quæ ipſi præter naturam eſſe ſenſerunt.* APVD NOS. *Chriſtianos.* SOMNVM RATIO PRÆIT. *Id eſt non ſine rationabili & naturali cauſa ſomnus venit.* NVLLA ANIMA. *Dum corpori coniuncta eſt, eius organis ſomno reficiendis, ſine ſomno ſufficit diu in corpore ſubſiſtere.* ETIAM COLOREM. *Cuius viſu ſomnus impeditur.* VITALE SOMNVS. *Eſt res vitæ congruens.* D ÆMVLAS VALETVDINES, *morbos contrarios ſomno.* CARDIACAM. *Cornelius Celſus lib. 3. cap. 19. cùm de phreneſi, capite præcedente tractaſſet:* Huic, *inquit*, morbo præcipuè contrarium eſt id genus quod καρδιακὸν à Græcis nominatur, quamuis ſæpè ad eum Phrenetici tranſeunt: Si quidem mens in illis labat, in hoc conſtat. *Id eſt ſtupet.* Id autem nihil aliud eſt, quàm nimia imbecillitas corporis, quod ſtomacho languente immodico ſudore digeritur. Licetque protinus ſcire id eſſe, vbi venarum exigui imbecillique pulſus ſunt, ſudor autem ſupra conſuetudinem, & modo, & tempore, ex toto thorace & ceruicibus, atque etiam capite prorumpit, E pedibus tantummodo & cruribus ſiccioribus atque frigentibus. TESTIMONIO NATVRALI. *Medici noſtræ ſententiæ ſuffragantur, dum ſomnum naturalem eſſe probant ex morbis naturæ & ſomno contrariis.* DEFRAVDATIONE, *defectu.* ENORMITATE. *Exceſſu, corrumpitur; conſeruatur autem, dum in propria menſura & modo perſeuerat.* STATV. *Conſiſtentiâ in modo & menſurâ propriâ.* DECESSV. *Diminutione & defectu.* DE

A NATVRÆ SORTIBVS. *An etiam tu Philoſophe eſum & potum è naturæ limitibus ablegabis? quæ tamen & hominis naturæ reparandæ congrua ſunt, & plurimam ſomno materiam & cauſam parant.* APVD DEVM. *In Sacra Scriptura.* EBIBIT SOPOREM. *Ante ipſam neceſſitatem, & ex ea appetitum ſomni, dormiuit ipſe plusquam ſomnifero poculo, ſomno à Deo infuſo conſopitus. Ex quo patet, ſomnum præ cibo, & potu & ſermone, à natura homini inditum; de ſomno quo feriatur anima, & vires corporis & ſenſuum lapſas reparat, Auguſt. to. 1. libro de quantitate animæ cap. 33.* Intendit, *inquit*, ſe anima intactum, & eo calida, frigida, aſpera, lenia, dura, mollia, leuia, grauia ſentit atque diſcernit. Deinde innumerabiles diffe- S. Aug.
B rentias ſaporum, odorum, ſonorum, formarum; guſtando, olfaciendo, audiendo, videndoque diiudicat. Atque in iis omnibus, ea quæ ſecundùm naturam ſui corporis ſunt, aſciſcit atque appetit, reiicit fugitque contraria. *Et quia eius organa corruptibilia laſſantur, & ſomno indigent, ſubiicit*, remouet ſe ab his ſenſibus certo interuallo temporum, & eorum motus quaſi per quaſdam ferias reparans, imagines rerum quas per eos hauſit, ſecum cateruatim & multipliciter verſat, & hoc totum eſt ſomnus, & ſomnia. S Aug. *Et eodem libro cap. 22. vbi de ſomno, eiuſque effectu, defectu, exceſſu.* Nutus, *inquit*, animæ ad mouendum corporis pondus, neruis quaſi tormentis vtitur. Neruos autem vegetat mobilioreſque efficit ſiccitas calorque moderatus; contra, eos S. Aug.
C laxat atque infirmat humidus rigor. Itaque ſomno, quia eum frigidum & humidum dicunt Medici, & probant; membra langueſcunt, atque ipſe expergefactorum conatus multò eſt debilior, ideoque nihil eſt fractius & eneruius lethargicis. At quoſdam phreneticos, quibus vigiliæ, & vini vis & acutæ febres, id eſt tot calida, plus nimio neruos tendunt atque durant, maioribus viribus quàm integrâ valetudine reluctari, & multa facere manifeſtum eſt, cùm eorum corpus ſit ægritudine attenuatius & exilius. *Et in Pſal. 62. vbi de ſomno duplici, & vigilia, ſomni naturalis neceſſitatem probat in verſum.* Deus Deus meus, ad te de S. Aug.
luce vigilo. Quid eſt, *inquit*, vigilare? Vtique non dormire. Quid eſt dormire? Eſt ſomnus animæ, eſt ſomnus corporis. Somnum corporis om-
D nes habere debemus: quia ſi non habeatur ſomnus corporis, deficit homo, deficit ipſum corpus. Non enim poteſt diu ſuſtinere corpus noſtrum fragile animam vigilantem, & intentam in actionibus. Si diu fuerit intenta anima in actionibus, corpus fragile & terrenum non illam capit, non illam ſuſtinet perpetuò agentem; Ideo deficit & ſuccumbit. Ideo Deus donauit ſomnum corpori, quo reparantur membra corporis, vt poſſint vigilantem animam ſuſtinere. Illud autem cauere debemus, ne ipſa anima noſtra dormiat: malus enim eſt ſomnus animæ. Bonus ſomnus
E corporis quo reparatur valetudo corporis, ſomnus autem animæ eſt obliuiſci Deum. &c. Ideo dicit Apoſtolus quibuſdam oblitis Deum ſuum, & tanquam in ſomno agentibus deliramenta culturæ Idolorum, &c. Si autem euigilet anima ipſorum, intelligit à quo facta eſt, & non colit quæ ipſa facit: dicit ergo quibuſdam Apoſtolus, ſurge qui dormis & exurge à mortuis, & cæt.

* 3. *Somnus primi hominis, imago mortis, & Resurrectionis Christi; vt & noster eadem repræsentat. De Ani. cap. 43. à m. ad f.*

INde deducimur, etiam imaginem mortis iam tunc eum recensere. Si enim Adam de Christo figuram dabat, somnus Adæ mors erat Christi dormituri in mortem, vt de Io. 19. 30. iniuria perinde lateris eius; vera mater viuentium figuraretur Ecclesia. Ideo & somnus tam salutaris, tam rationalis, etiam in publicæ & communis iam mortis effingitur exemplar. Voluit enim Deus, & aliàs nihil sine exemplaribus in sua dispositione molitus, paradigmate Platonico pleniùs, humani vel maximè initij ac finis lineas quotidie agere nobiscum, manum porrigens fidei, facilius adiuuandæ per imagines & parabolas, sicut sermonum, ita & rerum. Proponit igitur tibi corpus amicâ vi soporis elisum, blandâ quietis necessitate prostratum, immobile situ, quale ante vitam jacuit, & quale post vitam jacebit, vt testationem plasticæ, & sepulturæ, expectans animam, quasi nondum conlatam, & quasi iam ereptam. Sed & illa sic patitur, vt alibi agere videatur, dissimulatione præsentiæ futuram absentiam ediscens; & tamen interim somniat, nec quiescit, nec ignauescit omnino, nec naturam immortalitatis seruam sopori addicit. probat se mobilem semper; terrâ, mari, peregrinatur, negotiatur, agitatur, laborat, ludit, dolet, gaudet, licita atque inlicita persequitur; ostendit quòd sine corpore etiam plurimùm possit, quò l & suis instructa sit membris, sed nihilominùs necessitatem habeat rursus corporis agitandi Ita cùm euigilauerit corpus, redditum officiis eius, resurrectionem mortuorum tibi adfirmat. Hæc erit somni, & ratio naturalis, & natura rationalis. Etiam per imaginem mortis, fidem initiaris, spem meditaris, discis mori & viuere, discis vigilare, dum dormis.

SOMNVS PRIMI HOMINIS. 3. SCHOL.

INDE DEDVCIMVR. *Hinc, id est ex somno Adæ suademur, vel progredimur, vt iam ab initio mundi censeamus somnum hunc fuisse mortis imaginem & repræsentationem, & quidem mortis Christi. de quo Consule Scholium primum suprà.* DE INIVRIA LATERIS. *Quâ etiam corpori eius mortuo insultauit miles,* mucrone diro lanceæ *latus eius aperiens.* VERA MATER, *cùm Eua neuerca magis fuerit, & interempto suasione viro, filiorum omnium per eius peccatum interemptrix* A muliere enim initium peccati. *Sed magè virago,* quia de viro sumpta est: *hoc est de Christo Ecclesia.* SINE EXEMPLARIBVS. *Figuris, præmissis in veteri lege. Vel ideis, longè plenioribus quàm Platonicis.* IN SVA DISPOSITIONE. Disponit enim omnia suauiter, *& non tantùm verbis sed & rebus figuratiuis, quasi manu erexit, fidem nostram, eique viam strauit, vt ab ipso initio creationis humani generis, vsque ad finem reparationis eius, ab Adam primo ad nouissimum deduceremur in agnitionem mortis Christi, & communis omnium, cuius somnus est imago, ad fidem resurrectionis, quâ* Christus primitiæ dormientium *euigilauit è somno mortis, vt nos pariter euigilaturos esse confidamus.* PARADIGMATE PLATONICO. *Ideam Platonis intellige; ita enim Dionysius lib. de diuinis nominibus cap. 5. & Iustinus in exhort. ad Græcos dixit,* singularum rerum quæ creantur paradigma. *Id est exemplar. Pleniùs autem dixit. Quia vnica idea exemplar & forma siue paradigma rerum omnium, non tantùm factarum, & faciendarum, sed etiam possibilium vnicum Patris est Verbum. Puto tamen vel alludere ad Dialogum nonum Platonis de republica, vbi in principio docet quomodo suauis somnus possit euenire, quem hic descripsit Author, vel ad paradigma quod habet in Phædone, vbi somnum & vigiliam facit exemplaria & imagines mortis & vitæ.* TESTATIONEM PLASTICÆ. *Testatur & repræsentat corpus somno sepultum quale fuerit corpus Adæ de terra plasmatum à Deo.* ILLA SIC PATITVR. *Agitatur in somnis, & sopito omni motu & actione sensuum & membrorum, videtur anima quasi dissimulans se adesse corpori, cùm imaginatione vndequaque vagatur, & videtur addiscere*

A *absentiam suam à corpore futuram post mortem, vsque ad resurrectionem.* AGITATVR, *alij legunt,* aginatur. *Quasi vtrinque versatilis; Metaphora sumpta à scapo trutinæ, in quo ipsa agitur & vertitur. Vnde aginatores dicti aurigæ, qui in ludis circensibus curruli certamine exercebantur. Vel ex Festo aginor, & aginator, dicitur qui paruulo lucro mouetur, & minimo pondere huc atque illuc flectitur.* SVIS MEMBRIS. *Hîc errorem suum insinuat de animæ corporalitate & effigie de quo vide Alphabetum Errorum.* NECESSITATEM HABEAT. *Quia non est sicut intelligentia separata, sed est actus corporis, & ordinem habet ad suam materiam.* FIDEM INITIARIS. *Habes initia fidei & spei resurrectionis delineata in somno & vigilia. Vel sublimiori sensu, in baptismo fidei Sacramento, & trinâ eius mer-* B *sione, iuxta Paulum* consepulti Christo in baptismo, *resurrectionem ediscimus, ex figura mortis & sepulturæ triduanæ eius, post quam resurrexit, vt proprio loco diximus.* DISCIS VIGILARE. *Quia vt speras de somno surgere, sic de morte & sepulcro, cum Psalte dicens:* In pace in idipsum dormiam & requiescam. Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. *Et rursum,* Caro mea, requiescet in spe. *Pulchrè Chrysol. ser. 59. à m.* Crede, *inquit,* homo de morte resurgere te posse, quia antequam viueres, nihil fuisti. *Adde, terra inanimis fuisti:* aut quare dubitas quod resurgas, cùm tibi totum quod in rebus est quotidie sic resurgat? Sol occidit & resurgit; dies sepelitur, & redit, &c. & vt resurrecturum te, iugi & vernaculo instruaris exemplo, quoties dor- S. Aug. C mis & vigilas, toties moreris & resurgis. *Aug. in Psal. 15.* Caro mea requiescet in spe. Caro mea, *inquit,* non deficiet in interitum, sed in spe resurrectionis obdormiet Quoniam non derelinques animam meam in inferno. Quoniam neque animam meam inferis possidendam dabis. Neque dabis sanctum tuum videre corruptionem. Neque sanctificatum corpus, per quod alij sanctificandi sunt, corrumpi patieris. Notas mihi fecisti vias vitæ. Notas fecisti per me humilitatis vias, *humiliauit enim semetipsum factus obediens vsque ad mortem, &c.* Vt

S. Aug. ad vitam redirent homines, vnde per superbiam ceciderant; in quibus quia ego sum, *vt caput in membris*, notas mihi fecisti. *De Adam somno sopito, figura Christi dormientis in cruce velut paradiso deliciarum suarum, vbi, & Nazarenus, id est floridus dormiens, latere percusso Euam suam, hoc est Ecclesiam fudit; praeclare idem Aug. in Psal.* 56. Dormiui conturbatus.
S. Aug. Expressit, *inquit*, Christus mortem suam, &c. turbatum se dixit secundùm opinionem frementium, non secundùm cedentis conscientiam. Putauerunt se illum turbasse, putauerunt vicisse; ille autem dormiuit conturbatus. Tam placatus iste turbatus, vt quando vellet dormiret. Nemo dormit turbatus. Omnes qui perturbantur, aut à somno excitantur, aut in somnum vergi non permittuntur. Ille autem turbatus est, & dormiuit. Magna humilitas perturbati, magna potestas dormientis. De qua potestate veniebat quod dormiuit? de qua ipse dicit: potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo tollit animam à me, sed ego eam pono, & iterum sumo eam. Turbauerunt illi, & dormiuit ipse: cuius typum gerebat Adam, quando immisit ei Deus soporem, vt de latere illi coniugem faceret. Non enim poterat vxorem facere primo homini etiam de latere vigilantis? aut propterea voluit eum dormire, ne sentiret cùm sibi costa detraheretur? postremò, quis ita dormit, vt osse sibi conuulso non expergiscatur? Qui potuit sine dolore auferre costam dormienti, potuit & vigilanti. Sed quare voluit dormienti facere? quia dormienti Christo in Cruce, facta est coniux de latere. Percussum est enim latus pendentis de lancea, & profluxerunt Ecclesiae Sacramenta. Dormiui, *inquit*, conturbatus. Et in alio Psalmo manifestat hoc, vbi ait; ego dormiui & somnum coepi, ibi expressit potestatem suam. Poterat & illic dicere, dormiui, sicut dixit hic. Quid est autem, ego dormiui? id est, quia volui, dormiui. Non illi me in somnum nolentem compulerunt, sed meâ voluntate ego dormiui. *De spe autem resurrectionis nostrae post somnum mortis, & quietem aeternam quam sitimus post labores huius vitae, fusè idem Aug. in Psal.* 62. Multipliciter tibi sitit & caro mea, quia carni nostrae promittitur resurrectio, quomodo animae nostrae promittitur beatitudo. *De qua supra dixerat, sitiuit tibi anima mea.* Modò, *inquit*, ex corruptione fragilitatis, si non manducemus, deficimus, & esurimus: si non bibamus, deficimus & sitimus: si diu vigilamus, deficimus & dormimus, &c. Videte quia nullus est carnis nostrae status; quoniam infantia auolat in pueritiam, &c. Et ipsa migrat, in adolescentiam, &c. Adolescens fit iuuenis, quaeris adolescentem & non est. Iuuenis fit senex, quaeris iuuenem, & non iuuenis. Et senex moritur. Quaeris senem & non inuenis. Non stat ergo aetas nostra, vbique fatigatio est, vbique lassitudo, vbique corruptio. Attendentes qualem nobis spem resurrectionis promittat Deus, in istis omnibus multiplicibus defectionibus nostris sitimus illam incorruptionem, &c. S. Aug. S. Aug.

4. *Somnus Adae ecstasis fuit. De Ani. cap.* 45. *in m.*

a Gen. 2. 21. IN primordio, somnus cum ecstasi dedicatus, [a] *Et misit Deus ecstasin in Adam, & obdormiuit.* somnus enim, corpori prouenit in quietem; ecstasis, animae accessit aduersus quietem; & inde iam forma, somnum ecstasi miscens, & natura de forma.

5. *Somnus Adae cum spiritu prophetico, non innatus, sed immissus à Deo; vt spiritus erroris insufflatus est à diabolo. De Ani. cap.* 21. *in p.*

SI vniformis natura animae ab initio in Adam, ante tot ingenia: ergo non multiformis, per tot ingenia; nec quâ triformis, vt adhuc trinitas Valentiniana caedatur, quae nec ipsa in Adam recognoscitur. Quid enim spiritale in illo? Si quia prophetauit magnum
a Gen. 2. 23. illud Sacramentum in Christum & Ecclesiam: [a] *Hoc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea, vocabitur mulier; propterea relinquet homo patrem & matrem, & adglutinabitur mulieri suae, & erunt duo in carnem vnam*; hoc postea obuenit, quum in illum Deus amentiam immisit,
Gen. 3. 6. spiritalem vim quâ constat prophetia. Si & malum in eo apparuit transgressionis admissum, nec hoc naturale deputandum est, quod instinctu serpentis operatus est; tam non naturale, quàm nec materiale; quia & materiae fidem iam exclusimus. Quod si nec spiritale, nec quod dicitur materiale, proprium in illo fuit (nam sic ex materia fuisset mali semen) superest vt solum in illo & vnicum fuerit naturale, quod censetur animale; quod statu simplex, & vniforme defendimus.

6. *Et de Anima cap.* 11. *à m.*

a Ephes. 5. 32. Gen. 2. 23 ETsi Adam statim prophetauit magnum illud Sacramentum in Christum & Ecclesiam, [a] *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adglutinabit se vxori suae. & erunt duo in carnem vnam*, accidentiam spiritus passus est. cecidit enim ecstasis super illum, sancti Spiritus vis, operatrix prophetiae, nam & malus spiritus accidens res est. Denique Saülem tam Dei spiritus postea vertit in
b 1. Reg. 10. 12. alium virum, id est in propheten, cùm dictum est, [b] *Quid hoc filio Cis? an & Saül in Prophetis?* quàm & malus spiritus postea vertit in alium virum, in apostatam scilicet.

SOMNVS ADAE ECSTATICVS. 4. 5. 6. SCHOL.

DEDICATVS. *Coepit ecstasis eodem momento quo somnus. Anastasius Sinaita in Hexa. libro* 9. Pro ecstasi, *inquit*, alius interpres dixit torporem, alius veternum, alius somnum. Torpor autem, veternus & somnus sunt vitae & mortis participes. Vt si diceret: priùs immortalis & insomnis Deus verbum,

in excessu & exitu è cœlis, carne susceptâ, carne etiam gustauit somnum mortis factus homo. 70. *porrò sic legunt Gen.* 2. 21. Et immisit Deus ecstasim in Adam, & obdormiuit. ADVERSVS QVIETEM. *Vt non sopitus esset animus, sed vigilans, & sopito corpore in ecstasim raptus.* INDE IAM FORMA. *Hinc origo & modus prodiit, quo deinceps ex tacti, somno sopito corpore, ecstasim paterentur; & ducta natura ecstasis ex prima illa forma & exemplo Adæ.*

5. VNIFORMIS. *Si in Adamo non multæ & diuersæ animæ fuerunt, sed vnica, iam multiformis nobis non est, quidquid tot ingenia, & artes, & commenta Valentinianorum dicant.* CADATVR. *Arguatur, & vt duo surculi, siue animarum superfluitas succidatur.* ADHVC, *hîc subnotat librum cont. Valentinianos scriptum fuisse ante librum de Anima.* NEC QVA TRIFORMIS. *Nec etiam in quantùm triformis anima fingitur à Valentinianis.* QVID SPIRITALE. *Aduerte Valentinianos Trinitatem animæ agnouisse, seu triformem animæ naturam in Adamo; nempe spiritalem, siue Propheticam, choicam siue limaceam; materialem, & animalem. Quibus obiicit, nihil spiritale & Propheticum fuisse in eo cùm primò creatus est ex limo; nec cùm factus est in animam viuentem; sed postea translato in paradisum, immissum spiritum Propheticum, quo dicens* hoc nunc os ex ossibus meis, &c. Sacramentum magnum in Christo & Ecclesia, *prophetauit.* AMENTIAM, *excessum mentis, de qua alibi diximus. Iam si peccauit Adam, naturali ipsius & materiali limo non est imputanda culpa; nec in Creatorem bonum refundenda: peccauit enim tantùm Adam postquam creatus, & in paradisum translatus, serpenti suadenti credidit.* MATERIÆ FIDEM. *Iam, inquit, contra Hermogenem, & libro de censu animæ, ostendimus, non esse credendum, Deo necessariam fuisse cœuam sibi materiam, ad creanda omnia; nec animam rationalem ex materia productam. Et suprà, hoc libro de Anima cap.* 11. Aduersus Hermogenem, *inquit*, qui eam ex materia non ex Dei flatu contendit, flatum propriè tuemur. *Proinde igitur nec materiale, nec spiritale fuit semen ingenitum & inditum animæ Adami. Superest ergo, vt vnica fuerit illi anima, siue anima vniformis & simplex, cuiusmodi in ea statum tuemur & defendimus.*

6. STATIM, *non simul ac creatus est, sed statim atque euigilauit ex somno.* ACCIDENTIAM SPIRITVS. *Vt hic ei non fuerit naturalis somnus, sed accidentalis; sicut factum est in Saüle, quem primò Spiritus sanctus mutauit in virum alterum, fic & postea diabolus & spiritus nequam eumdem mutauit in abreptitium, & in Apostatam à fide, Pythonissam consulentem. Vel Iudam, in quem introiuit satanas. Sed clarum est de eodem Saüle, non de Iuda in hac sententia locutum; cùm subiiciat statim;* Iudam quoque aliquando cum electis deputatum, vsque ad loculorum officium, & si iam fraudatorem, traditorem tamen nondum, postea diabolus intrauit. *Saüli autem* 1. *Reg.* 10. 6. *sic Samuel fatur:* insiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium, &c. *Et versu* 11. Videntes autem omnes qui nouerant eum heri & nudiustertius, quòd esset cum Prophetis, & prophetaret; dixerunt ad inuicem: quænam res accidit filio Cis? num & Saül inter Prophetas. *Iam quid Augustinus, prater iam dicta, de Adæ somno ecstatico suggerat referamus to.* 1. *lib.* 2. *de Gen. cont. Manichæos cap.* 12. Illa, *inquit*, est difficilis ratio, quâ intelligit. *homo*, in seipso, aliud esse rationale quod regit, aliud animale quod regitur. Et quoniam hæc secretiore sapientiâ videt, ipsam visionem secretam nomine soporis significari arbitror, quem immisit Deus in Adam, quando ei mulier facta est. Vt enim hoc videatur, non est opus oculis istis corporeis, sed quantò quisque ab istis visibilibus rebus, in interiora intelligentiæ secesserit, hoc est autem quasi obdormiscere, tantò meliùs & sinceriùs illud videt. Ipsa enim cognitio, quòd intelligitur in nobis aliud esse quod ratione dominetur, aliud quod rationi obtemperet: ipsa ergo cognitio, veluti effectio mulieris est de costa viri, propter coniunctionem significandam. Deinde vt quisque huic parti rectè dominetur, & fiat quasi coniugalis in seipso, vt caro non concupiscat aduersus spiritum, sed spiritui subiugetur: id est, concupiscentia carnalis non aduersetur rationi, sed potiùs obtemperando desinat esse carnalis, opus habet perfectâ sapientiâ. Cuius contemplatio quia interior est & secretior, & ab omni sensu corporis remotissima, conuenienter etiam ista soporis nomine intelligi potest. Tum enim ordinatissimè caput mulieris vir est, cùm caput viri est Christus, qui sapientia est Dei. *Et paulò infra:* Etsi visibilis fœmina secundùm historiam de corpore viri primò facta est à Domino Deo; non vtique sine causa ita facta est, nisi vt aliquod secretum intimaret. Num enim aut limus defuit, vnde fœmina formaretur; aut si vellet Dominus, homini vigilanti costam sine dolore detrahere non posset? siue ergo ista figuratè dicta sunt, siue etiam figuratè facta sunt, non frustrà hoc modo dicta vel facta sunt, sed sunt planè mysteria & Sacramenta. *Capite autem sequenti:* Tota, *inquit*, Prophetia est, cuius Apostolus meminit dicens: propter hoc relinquet homo, &c. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo Iesu, & in Ecclesia. *Et lib.* 22. *de Ciuit. cap.* 17. Vt, *inquit*, in exordio generis humani de latere viri dormientis costâ detractâ, fœmina fieret, Christum & Ecclesiam tali facto iam tunc prophetari oportebat. Sopor quippe ille viri, mors erat Christi, cuius exanimis in cruce pendentis latus lanceâ perforatum est, atque inde sanguis & aqua profluxit: quæ Sacramenta esse nouimus, quibus ædificatur Ecclesia. Nam hoc etiam verbo scriptura vsa est, vbi non legitur, formauit, aut finxit, sed ædificauit eam in mulierem. Vnde & Apostolus Ephes. 4. ædificationem dicit corporis Christi, quod est Ecclesia. Creatura est ergo Dei fœmina sicut vir; sed vt de viro fieret, vnitas commendata est. Vt autem illo modo fieret, Christus, vt dictum est, & Ecclesia figurata est. *Et* 2. *de Gen. cont. Manich. cap.* 24. Dicit Apostolus Sacramentum magnum esse quod dictum est, propter hoc relinquet homo, &c. quod ipse interpretatur subiiciendo, ego autem dico, &c. Ergo quod per historiam impletum est in Adam, *non, quòd reliquerit patrem, quem non habebat, sed in posteris eius factum est. Impletum est autem quod fuerint duo in carne vna. Sed vtrumque in Christo perfectum est.* Per Prophetiam significans Christum, qui reliquit Patrem cùm dicit: ego à Patre exiui, &c. Apparendo hominibus in homine, cùm Verbum caro factum est, &c. Ad hoc valet etiam quod dicitur, semetipsum exinaniuit: quia non in ea dignitate apparuit hominibus, in qua est apud Patrem, blandiens eorum infirmitati, qui cor mundum nondum habebant vnde videretur Verbum in principio Deus apud Deum. Quid est ergo quod diximus, reliquit Patrem; nisi reliquit apparere hominibus, sicut est apud patrem? item reliquit & matrem, id est Synagogæ veterem atque carnalem obseruantiam, quæ illi mater erat ex semine Dauid secundùm carnem, & adhæsit vxori suæ, id est Ecclesiæ, vt sint duo in carne vna. *Caput & corpus.* Dicit enim Apostolus ipsum esse caput Ecclesiæ, & Ecclesiam corpus eius. Ergo & ipse soporatus est dormitione passionis, vt ei coniunx Ecclesia formaretur: quam dormitionem canens

per Prophetam dicens, ego dormiui, &c. formata est ergo coniunx Ecclesia de latere eius, id est de fide passionis & baptismi. Nam percussum latus eius lanceâ sanguinem & aquam profudit. *Subiicit & de limo terra virginea, vnde ipse formatus est, vt etiam hanc matrem pro sponsa Ecclesia dimitteret.* Factus autem ex semine Dauid secundùm carnem,
S. Aug. sicut Apostolus dicit, id est tanquam de limo terræ, cùm homo non esset, *Sanctum Ioseph intellige*, qui operaretur in terra, quia nullus homo operatus est in Virgine, de qua natus est Christus. Fons autem ascendebat de terra, & irrigabat omnem faciem terræ. Facies terræ, id est dignitas terræ, Mater Domini Virgo Maria rectissimè accipitur, quam irrigauit Spiritus, qui fontis & aquæ nomine in Euangelio significabatur, vt qualis de limo terræ, talis homo ille fieret, qui constitutus est in paradiso, vt operaretur ibi & custodiret, *portam clausam, & paradisum, de quo, ipsa dicit, fecit mihi magna qui potens est*, id est in voluntate Patris, vt eam impleret, atque seruaret. *Semper virginem & fœcundam. Sed & propter hoc, propter Ecclesiam, reliquit patrem & matrem. Vide quæ habet in Psal. 56. & in 1 sal. 103.* In magno mysterio dictum est, in figura dictum S. Aug.
Ecclesiæ futuræ, factæ de latere viri sui, & hoc dormientis. Erat autem Adam quædam forma futuri, hoc Apostolus dicit; qui est forma futuri.

SOMNIVM.

1. *Somnium animam agitat sine merito, & peccato. De Anima. c. 45. in m.*

OBlectamur, & contristamur, & conterremur in somniis, quàm adfectè, & anxiè, & passibiliter; cùm in nullo permoueremur, à vacuis scilicet imaginibus, si compores somniaremus. Denique & bona facta gratuita sunt in somnis, & delicta secura: non magis enim ob stupri visionem damnabimur, quàm ob martyrij coronabimur.

2. *Somniant omnes, etiam infantes; quòd autem Atlantes & alij non somnient, aut fabula est, aut ars dæmonum. De Ani. cap. 49. per totum.*

INfantes qui non putant somniare, cùm omnia animæ pro modo ætatis expungantur in vita, animaduertant succussus & nutus, & renidentias eorum per quietem, vt ex re comprehendant, motus animæ somniantis facilè per carnis teneritatem erumpere in superficiem. Sed & quòd Libyca gens Atlantes cæco somno noctem transigere dicuntur, animæ vtique natura taxatur. Porrò, aut Herodoto fama mentita est, nonnunquam in Barbaros calumniosa, aut magna vis eiusmodi dæmonum in illo climate dominatur. Si enim & Aristoteles heroem quendam Sardiniæ notat, incubatores fani sui visionibus priuantem, erit & hoc in dæmonum libidinibus, tam auferre somnia quàm inferre, vt Neronis quoque seri somniatoris, & Thrasimedis insigne inde processerit. Sed & à Deo deducimus somnia. Quid ergo, nec à Deo Atlantes somniarent, vel quia nulla iam gens Dei extranea est, in omnem terram & in terminos orbis Euangelio coruscante? Num ergo aut fama mentita est Aristoteli, aut dæmonum adhuc ratio est, dum ne animæ aliqua natura credatur immunis somniorum?

Et de Anima cap. 44 in m.

NEronem Suetonius, & Thrasimedem Theopompus, negant vnquam somniasse: nisi vix Neronem, in vltimo exitu, post pauores suos. Quid si & Hermotimus ita fuit, vt otium animæ nihil operantis in somnis, diuortium crederetur? omnia magis coniectes, quàm illam licentiam animæ sine morte fugitiuæ, & quidem ex forma continuam. Si enim tale quid semel accidere dicatur, vt deliquium Solis, aut Lunæ, ita & animæ; sanè persuaderet diuinitùs factum; congruere enim hominem seu moneri, seu terreri à Deo, velut fulgure rapido, momentaneæ mortis ictu, si non magis in proximo esset somnium credi, quòd vigilanti potiùs accidere deberet.

3. *Somniorum duæ portæ. De Ani. cap. 46. à p.*

HOmerus duas portas diuisit somniis, corneam veritatis, fallaciæ eburneam. Respicere est enim, inquiunt, per cornu, ebur autem cæcum est. Aristoteles, maiore sententiam mendacio recitans, agnoscit & veram.

4 *Somnia puriora, & certiora creduntur esse sub finem noctis, verno tempore; & procedunt ex situ apto corporis, & ciborum delectu. De Ani. cap. 48. in p.*

CErtiora & colatiora somniari affirmant sub extimis noctibus, quasi iam emergente animarum vigore, prodacto sopore. ex temporibus autem anni, verno magis quieta; quòd æstas dissoluat animas, & hyems quodammodo obduret; & autumnus, tentator aliàs valetudinum, succis pomorum vinosissimis diluat. Item ex ipsius quietis situ; si neque

neque resupina, neque dextero latere decumbat, neque confesupinatis internis, quasi refusis loculis, statio sensuum fluitet, aut compressa jecoris, angina sit mentis. Sed hæc ingeniosè æstimari, potiùs, quàm constanter probari putem; etsi Plato est qui ea æstimauit; & fortassean casu procedant. Alioquin ex arbitrio erunt somnia, si dirigi poterunt.

5. *Somniorum recordatio, probat mentem vi somni non esse prorsus exterminatam. De Ani. cap. 45. in f.*

ET quomodo, inquis, memor est somniorum anima, scilicet quam compotem esse non licet? hoc erit proprietas amentiæ huius, quia non fit ex corruptela bonæ valetudinis, sed ex ratione naturæ. nec enim exterminat, sed auocat mentem. Aliud est concutere, aliud mouere; aliud euertere, aliud agitare. Igitur quod memoria suppetit, sanitas mentis est; quod sanitas mentis saluâ memoriâ stupet, amentiæ genus est. Ideo non dicimur furere, sed somniare. ideo & prudentes, si quando sumus: sapere enim nostrum licet obumbretur, non tamen extinguitur. nisi quòd & ipsum potest videri vacare tunc; ecstasin autem hoc quoque operari de suo proprio, vt sic nobis sapientiæ imagines inferat, quemadmodum & erroris.

6. *Somniorum curam nullam habuit Epicurus, prouidentiam negans, & casui omnia referens. De Ani. cap. 46. à p.*

VAna in totum somnia Epicurus iudicauit, liberans à negotiis diuinitatem, & dissoluens ordinem rerum, & in passiuitate omnia spargens, vt euentui exposita, & fortuita. Porrò, si ita est, ergo erit aliquis & veritatis euentus, quia non capit solam eam, euentui omnibus debito eximi.

7. *Somniis licet omnibus hærendum non sit, aliqua tamen interdum vera fuisse, insignes euentus probant. De Ani. cap. 46. à p. ad vltra m.*

TElmessenses, nulla somnia euacuant, imbecillitatem coniectationis incusant. Quis autem tam extraneus humanitatis, vt non aliquam aliquando visionem fidelem senserit? Pauca de insignioribus perstringens, Epicuro pudorem imperabo. Astyages Medorum regnator, quòd filiæ Mandanæ adhuc virginis vesicam in diluuionem Asiæ fluxisse somnio viderit, Herodotus refert. Item anno post nuptias eius ex hisdem locis vitem exortam toti Asiæ incubasse. Hoc etiam Charon Lampsacenus Herodoto prior tradit. Qui filium eius tanto operi interpretati sunt, non fefellerunt. Siquidem Asiam Cyrus & mersit & pressit. Philippus Macedo nondum pater, Olympiadis vxoris naturam obsignasse viderat anulo. leo erat signum. crediderat præclusam genituram. opinor quia leo semel pater est. Aristodemus vel Aristophon coniectans, immò nihil vacuum obsignari: filium, & quidem maximi impetus, portendi. Alexandrum qui sciunt, leonem anuli recognoscunt: Ephorus scribit. Sed & Dionysij Siciliæ tyrannidem Himeræa quædam somniauit: Heraclides prodidit. Et Seleuco regnum Asiæ Laodice mater nondum eum enixa præuidit: Euphorion prouulgauit. Mithridatem quoque ex somnio, Ponti potitum à Strabone cognosco. Et Balaridem Illyricum à Molossis vsque Macedoniam ex somnio dominatum de Callisthene disco. Nouerunt & Romani veritatis huiusmodi somnia. Reformatorem imperij, puerulum adhuc, & priuatum loci, & Iulium Octauium tantùm, & sibi ignotum Marcus Tullius iam & Augustum, & ciuilium turbinum sepultorem de somnio norat: In Vitellij commentariis conditum est. Nec hæc sola species erit, summarum prædicatrix potestatum, sed & periculorum & exitiorum; vt cùm Cæsar in prœlio perduellium Bruti & Cassij, Philippis æger, maius tamen aliàs discrimen, Artorij visione, destituto tabernaculo, euadit: vt quum Polycrati Samio filia crucem prospicit de Solis vnguine & lauacro Iouis. Reuelantur & honores & ingenia per quietem, præstantur & medelæ, produntur & furta, conferuntur & thesauri. Ciceronis denique dignitatem, paruuli etiam nunc, gerula iam sua inspexerat. Cycnus de sinu Socratis, demulcens homines, discipulus Plato est. Cleonymus pyctes, ab Achille curatur in somnis. Coronam auream quum ex arce Athenæ perdidissent, Sophocles tragicus somniando redinuenit. Neoptolemus tragœdus, apud Rheteum Troiæ, sepulcrum Ajacis, monitus in somnis ab ipso, ruina liberat; & quum lapidum senia deponit, diues inde auro redit. Quanti autem commentatores & adfirmatores in hanc rem? Artemon, Antiphon, Strato, Philochorus, Epicharmus, Serapion, Cratippus, & Dionysius Rhodius, Hermippus, tota seculi litteratura. Solum, si fortè, ridebo, qui se existimauit persuasurum quòd prior omnibus Saturnus somniarit: nisi si & prior omnibus vixit Aristoteles: ignosce ridenti.

8. *Somnia sancta à Deo bonis & malis immittuntur; à diabolo autem inquieta. De Ani. cap. 47. in p. ad m.*

DEfinimus à dæmoniis plurimùm incuti somnia, etsi interdum vera & gratiosa, sed, de qua industria diximus, affectantia atque captantia: quantò magis vana, & frustratoria, & turbida; ludibriosa, & immunda. Nec mirum si eorum sunt imagines, quorum & res. A Deo autem, pollicito scilicet & gratiam Spiritus sancti in omnem carnem,
Ioël. 2. 8. & sicut prophetaturos, ita & somniaturos seruos suos & ancillas suas, ea deputabuntur, quæ ipsi gratiæ comparabuntur, si qua honesta, sancta, prophetica, reuelatoria, ædificatoria, vocatoria; quorum liberalitas soleat & in prophanos destillare: imbres etiam &
Dan. 2. 1. soles suos peræquante Deo iustis & iniustis. Siquidem & Nabuchodonosor diuinitùs somniat: & maior penè vis hominum ex visionibus Deum discunt. Sicut ergo dignatio Dei & in ethnicos, ita & tentatio Mali & in sanctos, à quibus nec interdiu absistit, vt vel dormientibus obrepat quà potest, si vigilantibus non potest.

9. *Somnia alia, ab ipsa anima formantur, vel exstasi imputantur. De Ani. cap. 47. à m. ad f.*

TErtia species erunt somnia, quæ sibimet ipsa anima videtur inducere ex intentione circunstantiarum. Porrò, quoniam non est ex arbitrio somniare, (nam & Epicharmus ita sentit) quomodo ipsa erit sibi causa alicuius visionis? Num ergo hæc species naturali formæ relinquenda est, seruans animæ etiam in ecstasi res suas perpeti? Ea autem quæ neque à Deo, neque à dæmonio, neque ab anima videbuntur accidere, & præter opinionem, & præter interpretationem, & præter enarrationem facultatis, ipsi propriè ecstasi & rationi eius separabuntur.

10. *Somniorum interpretatio summa diuinationis est, sed & naturalis oraculi, iuxta Stoicos. De Ani. cap. 46. à m.*

CEterùm, Epicharmus etiam summum apicem inter diuinationes somniis extulit, cum Philochoro Atheniensi Nam & oraculis hoc genus, stipatus est orbis; vt Amphiarai apud Oropum, Amphilochi apud Mallum, Sarpedonis in Troade, Trophonij in Bœotia, Mopsi in Sicilia, Hermionæ in Macedonia, Pasiphaes in Laconica. Cetera cum suis & originibus & ritibus & relatoribus, cum omni deinceps historia somniorum, Hermippus Berytensis quinione voluminum satiatissimè exhibebit. Sed & Stoici, Deum malunt, prouidentissimum humanæ institutioni, inter cetera præsidia diuinatricum artium & disciplinarum, somnia quoque nobis indidisse, peculiare solatium naturalis oraculi. Hæc quantùm ad fidem somniorum à nobis quoque consignandam, & taliter interpretandam.

SOMNIVM. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. SCHOL.

QVAM ADFECTE, *supple oblectamur in somniis latis, quibus vehementer afficimur.* VACVIS IMAGINIBVS. *Phantasmatibus nocturnis.* SI COMPOTES. *Nempe rationis essemus, & plenè excitati.* DELICTA SECVRA, *quia non timemus propter delicta somniando commissa, puniri, nisi præcesserit causa voluntaria, vtpote ebrietas, tactus, aut visus impudicus.*

2. INFANTES, &c. *Quicumque putant, somniis carere infantes, colligant ex motibus corpusculorum, & notent in iis animarum infantium somnia, cùm quietem capiunt.* RENIDENTIAS, *applausus & subrisus eorum* ATLANTES CÆCO SOMNO. *Quòd Atlantes Libya populi, altè dormiant, & sine visionibus & somniis totas noctes transigant; id dicitur ad arguendum huiusmodi animarum stuporem.* HERODOTO. *Sic ille in Melpomene, Solinus cap. 44. & Plin. lib. 5. cap. 8.* Atlantes, *inquit*, degeneres sunt humani ritus, si credimus. Nam neque nominum vllorum inter eos appellatio est, & Solem orientem occidentemque dirâ imprecatione contuentur, vt exitialem ipsis agrisque; nec insomnia visunt qualia reliqui mortales. FAMA MENTITA EST. *Deceptus est Herodotus famâ communi, quæ in extraneos*

A *& barbaros maximè contumeliosa esse solet; aut in illa plaga, circa montem Atlantem, magna est multitudo dæmonum; quorum proprium est etiam somnum quietiorem inducere.* ARISTOTELES. *Hic quidem scripsit de insomniis, sed cùm multa eius opera perierint, istud quoque exemplum intercidit. Pausanias in Achaicis & Phocicis, meminit quidem Iolai Sardiniæ Herois. Sed & fani eius mentionem facit, siue aræ, in Atticis.* IN DÆMONVM LIBIDINIBVS, *studiis & ludis, quorum proprium est homini illudere. Iuxta fabellam Caducei, siue virga Mercurij; de qua Virgilius.* Dat somnos adimitque. SERI SOMNIATORIS. *Sic de eodem Nerone cap. 44.* Sed & Neronem Suetonius, & Thrasimedem Theo-
B pompus, negant vnquam somniasse, nisi vix Neronem in vltimo exitu post pauores suos. A DEO DEDVCIMVS. *Vt patet ex tota Scriptura, ex somniis Iacob, Ioseph, Pharaonis, Nabuchodonosor, &c.* DÆMONVM RATIO. *Ars diabolica, quæ dat & tollat somnia.*

ET DE ANIMA. *cap. 44. in m.* NERONEM SVETONIVS. *Suet. in Nerone cap. 46.* Terrebatur, *inquit*, euidentibus portentis somniorum, & auspiciorum, & hominum, tum veteribus, tum nouis, numquam

antea somniare solitus. Occisâ demum matre, vidit per quietem, nauem sibi regenti, extortum gubernaculum, trahique se ab Octauia vxore in arctissimas tenebras. Hæc modò pennatarum formicarum multitudine oppleri, modò à simulacris Gentium ad Pompeij theatrum dedicatarum circuiri, arcerique progressu. THRASIMEDEM. *Idem etiam refert Plutarchus lib. de defect. orac. Cæterùm Greg. Turon. libro de gloria Martyr. narrat etiam à Nerone visum D. Paulum & digna criminibus suis supplicia minitantem.* HIRMOTIMVS. *Ironicè dicit, contra dicentes aliquos numquam somniasse; quibus & iungit fabulam supra citatam Hermotimi.* NIHIL OPERANTIS, *nec somnia fingentis.* DIVORTIVM, *separatio potiùs à corpore æstimaretur ad tempus, donec euigilaret à somno.* LICENTIAM EX FORMA CONTINVAM. *Quidnis aliud potiùs suspicandum est, quàm censendum, modum & formam talem seruatam ab anima eius, quoties ipse dormiret, vt anima eius quasi valediceret corpori, & licentiam sibi daret toto somni tempore circumuagandi. Nec præteribo quod habet Plinius lib. 10. cap. 75. quod est de somno animalium;* homo genitus premitur somno per aliquot menses: deinde longior in dies vigilia. Somniat statim infans. Nam & pauore expergiscitur, & luctum imitatur. Quidam verò numquam: quibus mortiferum fuisse signum contra consuetudinem somnium, inuenimus exempla.

3. HOMERVS. *Habet hoc Odyss. 19. Virg. Æneid. 6.* RESPICERE EST. *Potest respici per cornu translucidum cùm ebur sit opacum.* MAIORE MENDACIO. *Aristoteles lib. de diuinatione per somnia, licet hanc Homeri sententiam recitet, vt plurimùm tamen vana & mendacia esse somnia dicit, licet interdum vera ea fateatur. Ex quibusdam autem somniis diuinationem esse, non putat incredibile.*

4. COLATIORA, *puriora sub finem noctis.* PRODACTO: *Alij legunt,* producto. *Ad extremum vsque somno. Plin. lib. 10. cap. 75.* A cibis proxima, atque in redormitione vana esse visa propè conuenit. *Et lib. 28. cap. 4.* Aristoteles, *inquit*, & Fabianus plurimum somniari circa vernum & autumnum tradunt, magisque supino cubitu, ac prono nihil Theophrastus celerius concoqui dextri lateris incubitu, difficilius à supinis. *Vide Plut. lib. 8. Sympos. q. 10.* TENTATOR VALETVDINVM. *Quia autumnali tempore varia ægritudines valetudinem inuadendo somniorum quietudinem turbant. Sicut & fructus noui succo vinoso & turbido. Vide Plutarchum suprà quæst. vltima.* CONRESVPINATIS. *Simul cum externis partibus supinis. Tunc enim loculi & organa laborare videntur, & sensuum statio fluitare.* COMPRESSA IECORIS. *Supplestatio. Alij legunt* compressu. *Angitur enim & voluti comprimitur mens ex compressione iecoris.* PLATO EST. *Legendus, dialogo 3. de Republica. Item nono. Vbi de somniandi ratione disserit, & in Theæteto vbi somnia comparat cum opinione.* FORTASSEAN. *Forsitan.* SI DIRIGI. *produci ex cuiuslibet voluntate, & pro arbitrio haberi poterunt somnia.*

5. NON LICET. *Non potest anima libera esse & sui compos, cùm dormit & somniat.* AMENTIÆ HVIVS. *Ecstasis Adæ, de qua supra.* EX RATIONE NATVRÆ. *Supponit Ecstasim non procedere ex infirma sed bona valetudine, & tunc maximè naturale, siue rationale, & ecstaticum fieri somnium quod non turbat mentem, sed eam in puriorem cogitatum euocat.* QVOD STVPET. *Quod in ecstasi mens sana in admirationem suspenditur.* PRVDENTES. *Tum maximè sumus.* SAPERE NOSTRVM. *Ratio nostra licet per tenebras noctis & fuliginem somni obnubiletur, non tamen prorsus extinguitur.* ET ERRORIS. *Benè est, quod cùm ipse*

A *librum de ecstasi scripserit, & in somnia Montanistarum factus hæreticus inciderit, falsis prophetiis eorum credens, errorem quoque, sicut & sapientiam ecstasi tribuerit.*

6. VANA EPICVRVS. *Sic Eumolpus apud Petronium ex hac Epicuri sententia omnia somnia reiiciens.* Hinc scias, *inquit*, Epicurum hominem diuinum, qui eiusmodi somnia, faustissima ratione condemnet. LIBERANS A NEGOTIIS. *Prouidentiam Dei negans & omnia tribuens casui.* IN PASSIVITATE. *Promiscuâ & confusâ rerum omnium turbatione. Vel ex mutuo atomorum concursu fortuito omnia fieri. Vel denique promiscuam & liberam absque Dei timore sensibus indulgendi licentiam.* SI ITA EST. *Si omnia ex mente Epicuri, etiam somnia fortuitò accidunt,* B *contra eius sententiam, omnia somnia vana non erunt, sed aliquando mendacia, aliquando vera.* NON CAPIT. *Dici non potest, solam veritatem numquam euenire, cùm omnia casu accidant quæcumque tandem illa fuerint.*

7. TELMESSENSES, *nulla somnia vacua esse putant, & singula exponunt, vt mysteriis plena, & alios imperitia coniectationis & diuinationis accusant, si ea non possint exponere. Cicero. 1. de diuinatione.* Telmessus, *inquit*, in Caria est, qua in vrbe excellit Aruspicum disciplina. *Et Tatianus* probatissimi apud Telmisseos diuinationem ex somnis, inuenerunt. ASTYAGES. *Vide Iustin. lib. primo, & Herodot. lib. 1.* CHARON, *in Persicis hoc scripsit. De quo videndus Athenæus, Plutarchus, & Suidas.* TANTO OPERE. C *Ad tantum opus.* VIDERAT. *In somnis. Ita Plutarchus in principio vitæ Alexandri.* ERAT SIGNVM. *Leonis figura sculpta erat in annulo eius.* LEO SEMEL PATER. *Sic Plin. lib. 8. cap. 16.* Semel edi partum, lacerato vnguium acie vtero in enixu, vulgum credidisse video. *Contrarium tamen docent. Aristot. & Ælianus. qui lib. 4. cap. 23. ait Leænam quinquies parere. Primò quinos, secundò quatuor, deinde binos, tandem vnicum.* ARISTODEMVS, *vel* ARISTOPHON. *Plutarchus eum vocat Aristandrum. Hi fuere interpretes somnij, rati arcam vacuam non solere obsignari, coniecerunt Alexandrum Leone significari.* EPHORVS. *Quem citat Clem. Alex. primo Strom. vbi tractat de augurio. Strabo lib. 7. Suidas, &c.* HIMERÆA, *vide Valer. Max. lib. 1. c. 7. vrbs fuit Siciliæ; de hac femina scribit Heraclides, in Polit.* SELEVCO. D *Vide Iustinum lib. 25. hist. Fulgos. lib. 1. cap. 16.* EVPHORION. *Ex Suida edidit sex libros de oraculis.* A STRABONE. *Lib. 7. & Appianus in principio libri de bello Mithridatico.* BALARIDEM. *Apud Pausaniam in Phocaicis Corsi Balaros vocant exules. Et hic fortè exul Illiricus.* DE CALLISTHENE. *Hic & à Plutarcho citatur in parallelis minoribus cap. 15.* PRIVATVM LOCI. *Carentem honoris loco.* IAM AVGVSTVM. *Sueto. in Vitellio meminit somnij Ciceronis, & Plutarchus in Cicerone. Et ipse Cicero aliquid de somnio suo delibat in ep. ad Octauium, quem fore Augustum viderat in somniis cathenis aureis suspensum è cælo in Capito-* E *lium pendere, eique flagellum à Ioue datum esse.* PRÆDICATRIX. *Somnia non tantùm præsaga fuere imperiorum, sed & periculorum.* ARTORII VISIONE. *Rem narrat Plutarchus in Bruto. Lactantius lib. 2. cap. 28. Sueto. cap. 19. Sic Lactantius:* Illud, *inquit*, somnium non minoris fuit admirationis, quo Cæsar Augustus dicitur esse seruatus. Nam cùm bello ciuili Brutiano implicitus, graui morbo abstinere prælio statuisset: Medico eius Artorio Mineruæ species obseruata est, monens ne propter corporis imbecillitatem castris se contineret Cæsar. Itaque in aciem lecticâ perlatus est & eadem die à Bruto castra capta sunt. DESTITVTO SAPIE-

ANGVLO. *Relicto Papilione, suo, vel ablato.* ALIAS DISCRIMEN. *Alij legunt.* Alias maiestatem, alias discrimen ab hostibus relaturus. *Quod significat anceps discrimen certaminis. Nam inde castra Cæsaris, inde Cassij capta sunt.* POLYCRATI, *Samiorum tyranno, de quo Plin. lib. 33. cap. 1. vbi de annulis:* videmur posse in externis authoritatem eius rei intelligere circa Polycratem Sami tyrannum, cui dilectus ille annulus in mare abiectus capto relatus est pisce ipso circiter 230. anno vrbis nostræ interfecto. *Strabo libro 14. Herodotus lib. 3. Cicero. 5. de finibus, alijque eum interfectum referunt, in crucem actum ab Oronte Persarum Satrapâ. Herodotus in Thalia refert filiam eius, quantùm potuit, dehortatam, ne ad Orontem pergeret, deterritam somnio, quo viderat patrem à Ioue perplui, & à Sole inungi, quo intellexit patrem crucifixum Soli & plunijs exponendum.* REVELANTVR ET HONORES. *Exemplum subiicit dignitatis Ciceronis, de quo Plutarchus in vita Ciceronis. Nam nutrix eius spectro monita est se virum magnum & vtilem Reipublicæ nutrire. Notat item editum facili partu sine dolore matris, tertio Nonas Ianuarias.* Quo, *inquit*, die Magistratus nunc vota faciunt & sacrificant pro salute Imperatoris. ET INGENIA PER QVIETEM. *In somnis reuelantur ingenia magna; quale fuit somnium Socratis. De quo Laërtius, interpretatum est enim, cygnum quem viderat in somnis esse Platonem, qui postridie ipsi commendatus est vt discipulus.* PRÆSTANTVR ET MEDELÆ. *Exemplum refert Cleonymi Pyctis id est pugilis. Putant alij legendum Leonymum. De quo Pausanias in Laconicis, hic Dux Crotoniatarum, qui in prælio vulneratus in pectore, consulto oraculo Delphico Leucem insulam Achylli sacram adiisse, vbi ab Achille curatus est.* PRODVNTVR, *& furta. Vt patet ex corona aurea Sophoclis. Vide Fulgosium lib. 1. cap. 5. & Ciceronem lib. 2. de diuinatione. Nisi quòd pro corona legit pateram auream, quæ cùm ab Herculis æde subrepta esset, Sophocles doctissimus Poeta & diuinus, sæpius in somnis ab Hercule monitus de nomine furis, rem ad Areopagum detulit, à quo fur propter ore conuictus est, & inde templum istud, Herculis Indicis est vocitatum.* CONSERVNTVR ET THESAVRI. *Subdit exemplum Neoptolemi cùm sepulcrum Aiacis iuxta Rhœteum restaurarit. Teste Plin. lib. 5. c. 30.* Extra sinum sunt Heroe Rhœtea littora, &c. fuit & Achylleon oppidum iuxta tumulum Achyllis conditum à Mitylenæis, &c. LAPIDVM SENIA. *Veteres lapides dum demolitur vt reædificet, thesaurum multum ibi reconditum reperit. Authores porrò infra citati, insignes fuere historici & qui vt plurimùm conscriptores, de somniis & diuinatione scripserunt.* PRIOR SATVRNVS. *Hoc torquet in melancholicos, qui multiplici visionum genere pollent. Ita enim scripsit Aristoteles lib. de diuinatione per somnum. Pungit & Aristotelem, quòd scripserit hoc de Saturno. Quasi cum viderit & coæuus Saturno fuerit.*

8. DE QVA INDVSTRIA. *Nempe vt fallant. Id enim maximè affectant.* VANA: *Mendacia, vel superstitiosa.* TVRBIDA, *obscura, vel inquietantia.* IMMVNDA, *per quæ nocturnis illusionibus corpora polluunt.* EORVM SVNT IMAGINES. *Iidem dæmones authores sunt Phantasiarum turpium & malarum, qui & ad facta talia homines vigilantes impellunt.* SOMNIATVROS SERVOS. *Ioël. 2. 28.* Et erit post hæc: effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ: Senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt. EA DEPVTABVNTVR. *Somnia quæ respondebunt, & conformia erunt gratia Dei, sancta nempe & pudica, à Deo immitti credenda erunt, quæ Deus liberaliter etiam immittit, sicut & pluuiam & Solem pariter tribuit iustis & iniustis, quod patet in Nabuchodonosore, Pharaone, & aliis.* MAIOR PENE VIS, *vt plurimùm per somnia & visiones, conuertuntur ad Deum homines. Sic Iustinus in Dialogo cum Triphone, narrat se mirâ visione conuersum. Legendi Authores historiæ Ecclesiasticæ, Sozomenus, Socrates, Theodoretus, Palladius, Nicephorus, &c.* TENTATIO MALI. *Diaboli, à quo omne malum. Hinc Christus monet:* vigilate & orate vt non intretis in tentationem.

9. TERTIA SPECIES. *Duas supra assignauerat, à Deo, & diabolo. Tertiam subiicit, quæ ab ipsa anima producitur, dum circumstantes rerum imagines inspicit & intendit. Greg. lib. 8. Moral.* Aliquando, *inquit*, somnia ex ventris plenitudine, vel inanitate: aliquando illusione, aliquando verò, & illusione, & cogitatione simul: aliquando reuelatione, aliquando cogitatione & reuelatione simul. *Nyssenus autem de hominis opificio. cap. 13. Causas somniorum tribuit his quæ circumstant hominem:* Est, *inquit*, aliud quoddam somniorum genus, quod pro morum cuiusque varietate formatur. *Hæ sunt circumstantiæ Tertulliani.* Sunt enim aliæ hominis fortis, aliæ timidi imaginationes nocturnæ: alia temperantis, alia intemperantis somnia: alia homini auaritiâ inexplebili, alia liberali per somnium obiiciuntur, atque visa hæc, nequaquam mens, sed expers illa rationis, in animo affectio informat. Nam quibus quis adsueuit diurno studio, eorum in somniis etiam simulacra finxit. NON EST EX ARBITRIO. *Cùm non possit anima pro libito somnia sibi fingere, vt & versatissimus in hac causa censuit Epicharmus Philosophus Syracusanus, Pythagoræ discipulus, Author Comediæ, qui scripsit de natura rerum, & medicina; de quo Cicero lib. 1. Tuscul. Suidas, &c. hinc est quod anima sibiipsi sola non potest esse causa alicuius visionis in somnis.* HÆC SPECIES. *Tertia scilicet de qua hic agit.* NATVRALI FORMÆ. *Hæc tribuenda est modo naturali, quo anima in somnis ecstasim patiens, & à sensibus in seipsam secedens, species rerum in vigilia haustas, collectas sibi repræsentat.* SEPARABVNTVR. *Seorsim & singillatim, tribuenda erunt ecstasi & eius proprietati, quæ nec enarrari ab ipsa anima poterunt stupefacta, neque interpretari.*

10. SOMNIIS EXTVLIT. *Præcellentiam attribuit.* HOC GENVS, *huius generis oraculis plenus est orbis, quibus per somnium oracula captabantur. Ex Strabone lib. 6. templum fuit in Monte Gargano in quo somnia obiectabantur. Vide Bulegerum lib. 5. de ratione vigilationis. Athenæum lib. 8. &c. In Delo Dea quædam colebatur diuinationis magistra, dicta Brizo, à verbo βρίζειν. dormire. Esaiæ autem cap. 65. 3.* Populus qui ad iracundiam prouocat me, ante faciem meam semper: qui immolant in hortis, & sacrificant super lateres. Qui habitant in sepulcris, & in delubris idolorum dormiunt. 70. *verò:* Adolent incensum super laterem dæmonibus, qui non sunt, *Dij*, in sepulchris & specubus dormiunt propter somnia. AMPHIARAI. *De hoc Pausanias in Atticis. Philostratus lib. 4. de vita Apollonij. cap. 8. Clem. Alexand. ad Gentes, & 1. Strom. hic in agro Oropio, siue vrbe sic dicta, ad mare sita, propter diuinationem somniorum, in diuos est relatus.* AMPHILOCHI. *Huius Amphiarai filij, in Mallo vrbe Ciliciæ, est Oraculum. Et apud Athenienses ara, huius meminit Origenes lib. 3. cont. Celsum, & Clemens Alex. supra Iustin. Mart. Apol. 2.* SARPEDONIS. *Hic fuit Rex Lyciæ, & auxilium Troianis daturus, multa de belli euentu somniauit. Consulendus*

A Strabo lib. 14. Zozimus lib. 1. historiæ. Philostratus in Heroicis. TROPHONII. Apollinus filius fuit. De quo Pausanias in Bœoticis. Et lib 8. de vita Apollonij cap. 8. Euseb. lib. 5. de præpar. Euang. cap. 8. MOPSI. Clem. Alex. 1. Strom. Et hunc Apollinis filium inter vates recenset. HERMIONÆ. Ex Strabo lib. 8. vrbs est non obscura apud Dryopas Hermisuenses. Herodotus in Vrania duas distinguit. Vide Pausan. in Corinth. Vbi & memorat imaginem Hermionæ filiæ Menelai. PASIPHAE. Videndus Cicero. 1. de diuinatione, & Plutarchus in vita Agidis, & Cleomenis. Sic Cicero. Qui, inquit, præerant Lacedæmoniis, non contenti vigilantibus curis, in Pasiphae fano, quod est in agro propter vrbem, somniandi causâ excubabant, quia vera quietis oracula ducebant. Filia Solis credita Pasiphae, vxor B Minois Regis Cretæ. HERMIPPVS. Vide Suidam. Hic multa composuit sub Adriano principe, & fuit discipulus Philonis Byblii. Berytus autem vrbs Phœniciæ, Iustiniani temporibus, legum studiis celeberrima. Alia est vrbs Troica, alia Arabiæ, dicta olim Diospolis. Iste porrò quinque voluminibus abundantissimè scripsit de somniis. SERET STOICI. Hos opponit Epicureis, prouidentiam Dei negantibus, & somnia omnia reiicientibus, cùm Stoici vtrumque admitterent. Videndus Plutar. lib. 5. de Philosophorum placitis, & Cicero lib. 1. de diuinatione.

De somniis & ceteris visis, quid scripserit Aug. videamus. Iuxta Tertullianum, tres quoque distinxit somniorum species; Primam quæ fit ab anima circunstantes in memoria species speculante, vbi & aliquid de ecstasi mis- C tuit. Secundā quæ immittitur à Diabolo phantasmata disponente vel turbante. Tertiam quæ à Deo fit, vt euentura reuelet. De singulis ordine singula ex eo decerpam. Epistola itaque centesima prima ad Euodium. Vbi sic de anima somniante; In eis, inquit, visis demoratur in somnis, S. Aug. cùm abest à sensu præsentiaque cernendi quam præbet oculis vigilans: hanc autem ab oculis, hoc est tanquam à luminaribus corporis animæ absentiam, quæ fit cùm dormimus, si vis maior augeat, vt totum quod est, inde subtrahatur, mors est. Sicut ergo à cernendi sensu, ad visa somniorum, non cum aliquo corpore abscedit, nisi fortè illa quæ videntur in somnis corporea, nosque ipsos inter illa D hac atque illac ferri ac referri cum aliquo corpore existimabimus, quod iam tibi arbitror, meliùs à me instructo, non videri: Ita si tota penitus abstrahatur atque absit, quod fit in morte, non secum putanda est auferre aliquod corpus ex corpore. Quod tamen errans censuit Tertullianus, animam corpoream & effi- S. Aug. giatam existimans. Nam si auferret, profectò etiam cùm dormimus & abscedit ab oculis in quantùm eos relinquit, in tantùm oculos secum auferret quàm libet subtiliores, corporeos tamen, quod non facit. Verumtamen aufert secum quosdam simillimos, sed non corporeos, quibus visa simillima cernit in somnis, sed nec ipsa corporea. Porrò si E aliquis concedat etiam visa somniorum, quæ similia corporibus apparent, non esse nisi corporea, videtur sibi aliquid dicere, nec ista ingenii tarditas facilè conuincitur, multorum quippe est etiam non mediocriter acutorum, quoniam parum attendunt, quantùm valeant imagines corporum quæ fiunt in spiritu, nec omnino sunt corpora. Cùm vero ea coguntur intueri, si rectè aduerterint atque comperetint, non eas esse corporeas, sed corporum simillimas, rationem tamen de his non continuò valent reddere, quibus causis, & quemadmodum fiant, quâ denique naturâ suâ subsistant, vel in quo subiecto sint, vtrùm ita in animo fiant, vt in membrana ex attramento literæ, vbi vtraque substantia est, membrana scilicet & attramentum: An sicut sigillum in cera, vel figura qualibet cui cera subiecta est, illa in subiecto: an vtroque modo fiant ista in spiritu nostro, aliquando sic, aliquando autem sic. Mouent enim, non solùm vt cogitemus ea quæ absunt à sensibus corporis, & in nostra reperiuntur memoria, vel quæ nos ipsi vt libitum est, facimus, disponimus, augemus, minuimus: sed etiam situ, habitu, motu, innumerabilibus qualitatibus formisque variamus: talia sunt fortassis etiam illa, somnia quibus deludimur dormientes, quando non diuinitus admonemur, per somnia à Deo immissa nisi quod hæc, quæ in mente vigilantes disponimus, volentes agimus; Illa præter arbitrium patimur. &c. At to. 3. lib. 11. de Trinit. cap. 4. vim imaginationis, in somnis in species circumstantes intentæ, sicut & vigilantis B animæ, pulchrè describit. Tanta, inquit, offenditur si- S. Aug. militudo speciei corporalis expressa ex memoria, vt nec ipsa ratio discernere sinatur, vtrùm foris corpus ipsum videatur, an intus tale aliquid cogitetur: Nam interdum homines nimiâ cogitatione rerum visibilium vel illecti, vel territi, etiam eiusmodi repentè voces ediderunt, quasi reuera in mediis talibus actionibus siue passionibus versarentur. &c. Tantum habet virium anima in corpus suum, & tantùm valet ad indumenti qualitatem vertendam atque mutandam, quomodo afficiatur indutus qui cohæret indumento suo. Ex eodem genere affectionis etiam illud est quòd in somnis per imagines illudimur. Sed plurimùm differt, vtrùm sopitis sensibus corporis, sicuti sunt dormientium, aut ab interiore C compage turbatis, sicut sunt furentium; aut alio quodammodo alienatis, vt putà per ecstasim, sicuti sunt diuinantium, vel prophetantium, animi intentio quadam necessitate, quod non fit in vigilantibus, in quibus est libertas, & plena voluntas, incurrat in eas quæ occurrunt imagines, siue ex memoria, siue alia aliqua occulta vi, per quasdam spiritales mixturas similiter spiritalis substantiæ, angelicæ, vel diuinæ, sicut præcitata epistola notat de Angelo qui loquebatur in S. Aug. Propheta. An sicut sanis atque vigilantibus interdum contingit, vt cogitatione occupatâ, voluntas se auertat à sensibus, atque ita formet animi aciem variis imaginibus sensibilium rerum, tanquam ipsa D sensibilia sentiantur. Multùm verò differt, nam nisi voluntas in hac vigilantis insistat, nec meritum est in istis visionibus, nec peccatum, vt rectè supra Tertullianus admonuit. Quòd autem siue vigilanti, siue dormienti res accidant pro diuersitate dominantium passionum, sic sub infert Augustinus: Non tantùm autem cùm appetendo S. Aug. in talia voluntas intenditur, vel appetitus dormientis sensibilis rapitur, fiunt istæ impressiones imaginum, sed etiam cùm deuitandi & cauendi causâ rapitur animus in ea contuenda, quæ fugiat. Vnde non solùm cupiendo, sed etiam metuendo infertur, vel sensus ipsis sensibilibus, vel acies animi formanda imaginibus sensibilibus. Itaque aut metus, aut cupiditas quantò vehementior fuerit, tantò expressiùs E formatur acies, siue sentientis ex corpore, quod in loco adiacet, siue cogitãtis ex imagine corporis quæ memoriâ continetur. Et lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 2. S. Aug. vbi de ecstasi Pauli: Cùm, inquit, vel in somnis, vel in ecstasi corporum exprimuntur imagines, non discernuntur omnino à corporibus, nisi cùm homo redditus sensibus corporis, recognoscit se fuisse in illis imaginibus quas, non per sensum corporis hauriebat. &c. Quanquam mihi accidisse scio. &c. Vt in somnis videns, in somnis me videre sentirem illasque imagines quæ ipsam nostram consuetudinem ludificare consueuerunt, non esse vera corpora, sed in somnis ea præsentari firmissimè etiam dormiens tenerem atque sentirem. &c. In ecstasi autem vnum audire potui, & eum rusticanum virum, valentem quod sentiebat exprimere, qui & vigilare se sciret,

& videre quiddam non oculis corporeis. Nam vt eius verbis vtar quantùm recolere possum, anima, *inquit*, mea videbat eum, non oculi mei. Ac per hoc si paradisum Paulus ita vidit, vt apparuit Petro ille discus submissus è cœlo, vt Ioanni, quidquid in Apocalypsi se vidisse conscripsit, vt Ezechieli campus ille cum ossibus mortuorum, & illa eorum resurrectio, vt Esaiæ sedens Deus, & in conspectu eius Seraphim, & ara vnde carbo assumptus Prophetæ labia mundauit, manifestum est eum ignorare potuisse vtrùm in corpore an extra corpus ea viderit.

S. Aug. *De ludificatione autem dæmonum in somnis sic Augustinus lib.* 18. *de Ciuit. cap.* 18. Phantasticum, *inquit*, hominis quod etiam cogitando, siue somniando, per rerum innumerabilia genera variatur, & cùm corpus non sit, corporum tamen similes mirâ celeritate formas capit, sopitis, aut oppressis corporeis hominis sensibus. &c. *Vbi de arte dæmonũ phantasiam immutante tractat. Et libro* 22. *cap.* 22. Ipse, *inquit*, S. Aug. somnus, qui propriè quietis nomen accepit, quis verbis explicet, sæpè somniorum visis, quàm sit inquietus: & quàm magnis licet falsarum rerum terroribus quas ita exhibet, & quodammodo exprimit, vt à veris eas discernere nequeamus, animam miseram sensusque perturbet? Quâ falsitate visorum etiam vigilantes in quibusdam morbis & venenis mirabiliùs agitentur, quamuis multimodâ varietate fallaciæ, homines etiam sanos, maligni dæmones nonnunquam decipiant talibus visis, vt etiam si eos per hæc ad sua traducere non potuerint, sensus tamen eorum solo appetitu qualitercumque persuadendæ falsitatis illudant. *Hæc somniorum ludibria expertum se confitetur. lib.* 10. *confess. cap.* 30. *Vbi & ante Presbyteratum triplici se Religionis voto obstrictum Deo* S. Aug. *se consulenti paruisse apertè notat.* Iubes certè, vt contineam à concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & ambitione sæculi. Iussistiá concubitu, & de ipso coniugio melius aliquid, quàm concessisti, monuisti. Et quoniam dedisti, factum est, & antequam dispensator Sacramenti tui fierem. Sed adhuc viuunt in memoria mea talium rerum imagines quas ibi consuetudo mea fixit, & occursant mihi vigilanti quidem carentes viribus, in somnis autem non solùm vsque ad consensionem factumque simillimum. Et tantùm valet imaginis illusio in anima mea, & in carne mea, vt dormienti falsa visa persuadeant, quod vigilanti vera non possunt. &c. Et vnde sæpè etiam in somnis resistimus, nostrique propositi memores, atque in eo castissimè permanentes, nullum talibus illecebris adhibemus assensum? Et tamen tantùm interest, vt cùm aliter accidit, euigilantes ad conscientiæ requiem redeamus, ipsaque distantiâ reperiamus nos non fecisse, quod tamen in nobis quoquo modo factum esse doleamus. *Non curandas tamen huiusmodi ludificationes, siue arte dæmonum, siue naturaliter contingentes, quia sunt absque peccato; sicut sancta somnia absque merito,* S.Aug. *docet to.* 3. *lib.* 12. *De Gen. ad lit. cap.* 14. Aut aliquid, *inquit*, obest omnibus hominibus, quòd cùm dormiunt, vera corpora esse arbitrantur, quorum similitudines in somnis vident; Aut aliquid obfuit Petro, quo solùto se a vinculis, seque Angelo deducente factum est repentino miraculo, vt putaret se visum videre; vel cùm illa ecstasi respondit, nequaquam Domine, quia numquam manducaui omne commune & immundum, putans ea ipsa quæ in disco demonstrabantur, tanquam vera animalia. &c. Quapropter & cùm visis corporalibus diabolus fallit, nihil obest quòd ludificantur oculi, si non erratur in veritate fidei. Aut si ludificet animam spiritali visione imaginibus corporum, vt putet corpus esse quod non est, non aliquid obest animæ, si perniciosè suasioni non consentiat. Vnde aliquando fit quæstio de consensionibus somniantium, cùm etiam concumbere sibi videntur, vel contra propositum suum, vel etiam contra licitos mores. &c. Porrò ipsa phantasia quæ fit in cogitatione sermocinantis, cùm ita expressa fuerit in visione somniantis, vt inter illam, & veram commixtionem corporum non discernatur, continuò mouetur caro, & sequitur quod eum motum sequi solet: cùm hoc tam sine peccato fiat, quàm sine peccato à vigilante dicitur. &c.

De bonis somniis à Deo immissis scriptura plena est, pauca perstringam quæ aduertit Augustinus. Et quidem sermone 40. *de verbis Domini, ex Gen.* 28. *de scala visa in somnis à Iacob.* Somnium, *inquit*, hominis non S. Aug. scriberetur, nisi magnum in illo aliquando figuraretur mysterium, & magnum aliquid prophetatum in illa visione intelligeretur. Denique ipse Iacob quia intellexit quid viderit, *scilicet in scala Christum cælum deitate, terram humanitate tangentem, mediatorem Dei & hominum, &c.* Posuit ibi lapidem, & perfudit oleo. Agnoscitis chrisma, agnoscite & Christum. *Et ser.* 81. *de somnio Ioseph, vbi de manipulis fratrum, suum adorantibus, sicut & seipsum, Sole, Lunâ, vndecim stellis.* Hoc, *inquit*, in illo Ioseph tunc S. Aug. impletum est, quando eum in Ægypto adorauerunt fratres sui. Et non incongruè coacti sunt steriles manipuli fructuosum manipulum adorare, per quem de famis periculo liberandi erant. *De secundo autem somnio sic subiicit:* Hoc in illo Ioseph impleri non potuit, quia iam mater ipsius, *antequam Iacob descenderet in Ægyptum*, de hac luce migrauerat. In nostro verò Ioseph, id est Domino Iesu Christo, somnii illius Sacramenta cõpleta sunt. &c. Quando post resurrectionem Sancta Maria quasi Luna, & beatus Ioseph, *suscitatus inter multa sanctorum corpora quæ surrexerunt Christo resurgente.* Velut Sol, cum S. Aug. vndecim stellis, id est beatis Apostolis, incuruati & prostrati sunt ante eum. Et impleta est prophetia quæ dixerat; Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes stellæ & lumen. *De more tandem sanctorum, quo Deum per somnia consulebant duo exempla refert. Vnum quidem lib.* 6. *confess. cap.* 13. *vbi de solicitudine matris sua abstrahentis se ab illicita voluptate.* Cùm, *inquit*, & rogatu meo, & deside- S. Aug. rio suo, forti clamore cordis abs te deprecaretur quotidie, vt ei per visum ostenderes aliquid de futuro matrimonio meo, numquam voluisti, & videbat quædam vana & phantastica, quò cogebat impetus de hac re satagentis humani spiritus, & narrabat mihi, non cum fiducia quâ solebat, cùm tu demonstrares ei, sed contemnens ea. Dicebat enim discernere se nescio quo sapore, quem verbis explicare non poterat, quid interesset, inter reuelantem te, & animam suam somniantem. *Alludit ad veram visionem, quam de conuersione sua habuerat. De qua lib.* S. Aug. 3. *cap.* 11. Vnde illud somnium, quo eam consolatus es, vt viuere me secum crederet, & habere secum eandem mensam in domo, quod nolle cœperat, auersans & detestans blasphemias erroris mei? Vidit enim stantem se in quadam regula lignea, & aduenientem ad se iuuenem splendidum, hilarem, atque arridentem sibi, cùm illa esset mœrens, & mœrore confecta. Qui cùm causas quæsisset ab ea mœstitiæ suæ. &c. atque illa respondisset, perditionem meam se plangere, iussisse illum, quò secura esset &c. Vt attenderet & videret, vbi esset illa, ibi esse & me: quod illa vbi attendit, vidit me iuxta se in eadem regula stantem. &c. Cùm mihi narrasset ipsum visum, & ego ad id trahere conarer, vt illa se potiùs non desperaret futuram esse quod eram:

continuò sine aliqua hæsitatione: Non, *inquit*, A non enim mihi dictum est; vbi ille, ibi & tu: sed vbi tu, ibi & ille, &c. tam vicinâ interpretationis falsitate turbata non est, & tam citò vidit, quod videndum fuit, quod ego certè, antequam dixisset, non videram. *Hæc de somnio matris, eiusque sagacitate, & animi constantia Augustinus.*

SPECTACVLA CVIVSVIS GENERIS IDOLOLATRIAM SAPIVNT ET CHRISTIANO CAVENDA SVNT.

1. *Spectacula Agonum, aut Diis, aut mortuis sacra, in gladiatorum, & ferarum sanguine. De Spectac. cap. 11. 12. 13. per totum.*

VT ordo peragatur, ineamus etiam agonum retractatum. Origo istis de ludorum propinquitate est. Inde & ipsi sacri vel funebres instituti, aut diis nationum, aut mortuis fiunt. Proinde tituli. Olympia Ioui, quæ sunt Romæ Capitolina, Apollini Pythia; item Herculi Nemea, Neptuno Isthmia, ceteri mortuarii agones. Quid ergo mirum, si apparatus agonum idololatria conspurcat de coronis profanis, de sacerdotalibus præsidibus, de collegiariis ministris, de ipso postremò boum sanguine. Vt de loco suppleam, ac de loco communi, pro collegio artium Musicarum, & Minerualium, & Apollinarium, etiam Martialium, per duellum, per tubam, stadio Circum æmulantur, quod vtique templum est, & ipsum eius idoli cuius solennitates agit. Sed & gymnicas artes Castorum & Herculum & Mercuriorum disciplinæ prodiderunt. Superest illius insignissimis CAP.XII. spectaculi acceptissimi recognitio. Munus dictum est ab officio: quoniam officium etiam muneris nomen est. Officium autem mortuis hoc spectaculo facere se veteres arbitrabantur, posteaquam illud humaniore atrocitate temperauerunt. Nam olim quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captiuos vel mali status seruos mercati in exequiis immolabant. Postea placuit impietatem voluptate adumbrare. Itaque quos parauerant, armis quibus tunc & qualiter poterant eruditos, tantùm vt occidi discerent; mox edicto die Inferiarum apud tumulos erogabant: Ita mortem homicidiis consolabantur. Hæc muneri origo, sed paulatim prouecti ad tantam gratiam, ad quantam & crudelitatem, quia * ferrum voluptati satis non fiebat, nisi & feris humana corpora dissiparentur. Quod ergo mortuis litabatur, vtique parentationi deputabatur. Quæ species proinde idololatria est, quoniam & idololatria parentationis est species. Tam hæc quàm illa mortuis ministrat. In mortuorum autem idolis dæmonia consistunt, vt & titulos consideremus: licet transierit hoc genus editionis ab honoribus mortuorum ad honores viuentium, quæsturas dico & magistratus, & flaminia & sacerdotia: cùm tamen nominis dignitas idololatriæ crimine teneatur, necesse est quidquid dignitatis nomine administratur, communicet etiam maculas eius, à qua habet causas. Idem de apparatibus interpretabimur in ipsorum honorum suggestu deputandis, quòd purpuræ, quòd fasciæ, quòd vittæ, quòd coronæ, quòd denique conciones & edicta, & pultes pridianæ sine pompa diaboli, sine inuitatione dæmonum non sunt. Quid ego de horrendo loco perorem, quem nec periuria sustinent? Pluribus enim & asperioribus nominibus amphitheatrum consecratur, quàm capitolium. Omnium dæmonum templum est. Tot illic immundi spiritus considunt, quot homines capit. Vt & de artibus concludam, Martem & Dianam vtriusque ludi præsides nouimus. Satis, opinor, impleuimus ordinem, quot & qui- CAP.XIII. bus modis spectacula idololatriam committant, de originibus, de titulis, de apparatibus, de locis. De sacrificiis quidem, certi sumus nulla ex parte competere nobis ea, qui idolis renuntiauimus. [a] *non quòd idolum sit aliquid* (vt Apostolus ait) *sed quòd quæ faciunt, dæmoniis faciunt*, consistentibus scilicet in consecrationibus idolorum siue mortuorum, siue (vt putant) deorum. Propterea igitur, quoniam vtraque species idolorum conditionis vnius est, dum mortui, & dii, vnum sunt, vtraque idololatria abstinemus: nec minùs templa, quàm monumenta despuimus neutram aram nouimus, neutram effigiem adoramus: non sacrificamus, non parentamus, sed neque de sacrificato, & parentato edimus, quia [b] *non possumus cœnam Dei edere, & cœnam dæmoniorum.* Si ergo gulam & ventrem ab inquinamentis liberamus, quantò magis augustiora nostra, oculos & aures ab idolothytis & necrothytis voluptatibus abstinemus, quæ non intestinis transiguntur, sed in ipso spiritu & anima digeruntur: quorum munditia magis ad Deum pertinet, quàm intestinorum.

* aliàs, ferarum.

a 1. Cor. 8. 4.

b Ibid.

2. *Spectacula Cæstus, & Leonum odiosa Deo. De Spectac. cap. 23. in f.*

SAnè & ille artifex pugnorum impunitus ibit? Tales enim cicatrices cæstuum, & callos pugnorum, & aurium fungos à Deo cum plasmaretur accepit. Ideo illos oculos

Deus commendauit, vt vapulando deficiant. Taceo de illo, qui hominem leoni præ se opponit, ne parum sit homicida qui eundem postmodum iugulat.

SPECTACVLA AGONVM. 1. & 2. SCHOL.

VT ORDO PERAGATVR. *Cùm præcedentibus capitibus, de spectaculis non ineundis, ob eorum originem idololatram, de eorum apparatibus, loco, artibusque tractasset, quæ nos aliter distribuimus; iam per ordinem singula spectacula describit. Et quidem hic de agone tractat, cuius originem dicit proximam esse origini Scenæ & Circi. Per ludos enim, intellige Scenicos & Circenses.* SACRI, *dicati diis & in eorum honorem instituti.* FVNEBRES. *In mortuorum honorem celebrati sunt agones.* TITVLI. *Insigniti nomine idololatriæ, vel ab Ioue, cui sacrata sunt Olympia certamina à Græcis, vt Capitolina à Romanis quæ quidem erant Scenica. Ex Plin. lib. 7. cap. 56.* Hercules Olympiæ Athleticam instituit ab his quòd quinto quoque anno fierent Olympiades. APOLLINI PYTHIA. *In memoriam serpentis Pythonis ab Apolline occisi.* HERCVLI NEMEA. *Quòd in hac sylua leonem occiderit.* NEPTVNO ISTHMIA. *Strabo lib. 8.* In Isthmo Neptuni, quem Isthmium vocant, templum eminet, picearum arborum luce circumclusum, vbi ludos Isthmios Corinthii celebrare solent. MORTVARII. *Alij legunt,* mortuorum varij. *Id est sacri mortuis.* DE CORONIS. *Quòd in his sit vsus coronarum, Sacerdotum, præsidum, ministrorum, Collegiorum. Et Romæ quidem Pontifices, in prouinciis autem Sacerdotes ludos administrabant. Collegiorum meminit Tullius contra Verrem, Plutarchus, Suetonius, Pædianus.* DE BOVM SANGVINE. *Qui inibi fundebatur à Sacerdotibus & ministris coronatis, sicut & erant ipsæ victimæ.* VT DE LOCO SVPPLEAM. *Vt tractatum agonum de ipso loco compleam, & eum infamem probem, quòd agonum locus sit communis Scenæ & Circo. Collegia enim in his sunt artium musicarum, Mineruallum, & Apollinarium, sic sua sunt etiam agonibus Collegia Martialium. Vt quemadmodum in Scena res agitur per organa musica & cantilenas, sic in agone & stadio agones perficiuntur bellicis rebus, tubâ, & duello; Adeo vt stadium Circum æmulari videatur; Et ipsum certè stadium non secus ac Circus templum est idoli, & Dei, cuius solemnitas in eo agitur. Vnde & Tertullianus cap. 8.* Singula ornamenta Circi, singula templa sunt. *Vbi templum sumitur pro loco in quo numen aliquod colitur.* GYMNICAS ARTES. *Quibus nudi certabant quos instituit in Arcadia Lycaon. ex Plin. lib. 7. cap. 56. ex Isid. quinque erant genera ludorum Gymnicorum. Saltus, cursus, iactus, virtus, atque luctatio. Deinde Gymnasia sumpta sunt pro ludis literariis, & omni loco in quo fit aliqua exercitatio.* CASTORVM. *&c. humanæ disciplinæ nos docuerunt Autores, & præcipuos in arte Gymnica fuisse Castorem, Herculem, & Mercurium. Saluianus lib. 6. de Gubern.* Colitur, *inquit,* & honoratur Minerua in Gymnasiis, Venus in Theatris, Neptunus in Circis, Mars in Arenis, Mercurius in Palestris. *Proinde hæ artes idololatriam sapiunt.* INSIGNISSIMIS. *viris scilicet mortuis principibus viris gratissimi, quibus Manes placabantur.* RECOGNITIO. *Tractatio, vel examen, quo & Christiano indignum recognoscatur.* MVNVS DICTVM. *Ludus hic, siue spectaculum dictum est munus, & qui hoc spectaculum publicò dabat, munerarius siue munerator dicebatur ab officio quod mortuis; hoc spectaculo præbebatur. Hi erant ludi funebres quibus captiui, vel gladiatores in defunctorum honorem mactabantur. Vel serui empititij inutiles.* MALI STATVS. *alij legunt,* malo ingenio. POSTEA PLACVIT. *Cùm prius ad virorum fortium busta vel sepulcra captiui crudeliter necarentur, placuit hanc crudelitatem voluptate spectaculi gladiatorij temperare, qui à busto bustuarij dicti sunt. Alexander ab Alexandro lib. 6. genial. dierum, notat apud Athenienses vità functo Imperatore duodecim captiuos ad sepulchrum eius iugulari solitos, & simul tumulari.* INFERIARVM DIB. *Ex Festo,* inferiæ erant, sacrificia quæ diis Manibus inferebant. EROGABANT. *In rogum mittebant cremandos.* AD TANTAM GRATIAM. *Vt tantò gratiora essent gladiatorum munera defunctis, quantò crudeliora essent.* FERRVM VOLVPTATI. *Non satis erat ad implendam voluptatem spectaculi, gladiatores cernere, ferro se inuicem & gladio occidentes, nisi & cum feris dimicantes ab eis laniarentur.* PARENTATIONI. *Officio funebri humani sanguinis effusio defunctis oblata censebatur.* MORTVIS MINISTRAT. *Sacrificat & litat tam parentatio, quàm idolorum cultus, vtrumque enim mortuis dedicatum est, tam idolum scilicet, quàm huiusmodi inferiarum officium. Proindeque dæmoniis id omne offertur.* VT ET TITVLOS. *Nomina scilicet deorum, vel causas ob quas inferiæ institutæ sunt. quanquam hæc idololatriæ species, quâ gladiatorum, ferarumque munera edebantur, ab honore mortuorum translatum sit ad honorem & munus magistratuum & sacerdotum, quæ omnia idololatriæ seruiebant, eiusque maculis inquinabantur. Nam e Tacito libro 11. Annal.* Spectaculum gladiatorium celebratum, pecuniâ eorum, qui quæsturam adipiscerentur. *Et Spartianus in Geta.* Filium Papiniani, quà ante triduum Quæstor opulentum munus ediderat, interemit. *Vide Lipsium lib. 1. Satur. cap. 9. vbi de Quæstoribus, Ædilibus, Prætoribus, Consulibus, Sacerdotibus; huiusmodi munera edere solitis.* SVGGESTV. *Pompà.* QVOD FASCIÆ. *Alij legunt,* fasces, *quæ Consulibus, & Prætoribus præibant lictore præferente. Fasciæ autem & vittæ synonima. Nisi quòd Vittæ capitis, fasciæ crurum obligamenta erant. Vlpianus l. argumento in pr. ff. de aur. & arg. leg. crurales dixit. Sumuntur etiam pro zonis.* CONCIONES ET EDICTA. *Perorabant enim & edicta pronuntiabant Magistratus ante ludos.* PVLTES PRIDIANÆ. *Sacræ epulæ & liba quæ in omni re sacra diis offerebantur pridie ante munus. De quibus Arnob. lib. 7.* Quid fritilla? quid frumen? quid africia? quid gratilla? &c. Ex quibus duo quæ prima sunt pultium nomina. QVEM NEC PERIVRIA SVSTINENT, *id est Amphitheatrum, nulla mendacia & periuria à quocumque eius defensore & amatore pronunciata, ab infamia liberabunt, licet enim Capitolium omnium dæmonum templum sit, tamen tot scelerati non solùm actores, sed & spectatores, in quibus dæmones habitant, eò confluunt, vt plus infame sit theatrum quàm Capitolium.* VT DE ARTIBVS CONCLVDAM. *Quæ ibi exercentur, nempe sanguinolenta certamina, & venatica, Martem & Dianam magistros habent.* NECROTHYTIS. *In honorem mortuorum editis.* MVNDITIA MAGIS. *Oculi & aures, religionis, & diuini cultus organa, digitora gulâ & intestinis, magis abstinere debent à spectaculis, quibus Gentilium sensus pasci delectantur.*

2. ARTIFEX PVGNORVM. *accipe Xisticum, & Palestritam, qui exercetur in stadio, & pugnis certat, & à Deo punietur, quòd corpus suum, eius opus, ictibus contundi, deturpari, & deformari quasi ludens patiatur.* AVRIVM FVNGOS. *Tuberes ex cæstu instar fungi in auribus exurgentes. &c.* ACCEPIT. *Ironicè dicta.* COMMENDAVIT. *Alij legunt,* Plasmauit. DEFICIANT. *Sæpè enim pugnorum ictibus execulantur, vel turbantur.* TACEO DE ILLO. *Non enim hæc cæstus res est, nec ad stadium, sed amphitheatrum pertinet, qui ante se, pro Antagonista opponit hominem leoni, vt pugnet*

cum bestiâ. Vel qui obiicit corpus hominis leoni deuorandum, ne alter postea qui cum leone homine pasto certauerit eundem iugulando, sit parui reus homicidij. Alij intelligunt de eo qui eligit ferocem bestiam cum qua certet; ne minùs sit homicida quàm ipse leo, qui hominem postea jugulat.

Augustinus de Spectaculis agonum mortuis exhibitis hæc refert lib. 8. de Ciuit. cap. 26. vbi sic in Gentiles inuehitur. S. Aug. Tantâ, *inquit*, homines impij cæcitate in montes quodammodo offendunt, resque oculos suos ferientes nolunt videre, vt non attendant in omnibus literis paganorum, aut non inueniri, aut vix inueniri Deos qui non homines fuerint, omnibus tamen honores studeant exhibere diuinos, quasi nihil vnquam humanitatis habuerint. Omitto quod Varro dicit, omnes ab his mortuos existimari Manes Deos; & probat per ea sacra quæ omnibus ferè exhibentur mortuis: vbi & ludos commemorat funebres, tanquam hoc sit maximum diuinitatis indicium, quòd non soleant ludi nisi numinibus celebrari. *Sed pro ludis funebribus, vel hominibus ad sepulcra virorum fortium occisis apud Gentiles, nos ad sepulcra martyrum, victimam incruentam vni vero Deo offerimus, in gratiarum actionem, & pro aliis fidelibus defunctis ad placationem. Idem Aug. cap. 27.* S. Aug. Vt, *inquit*, nec criminibus suis, nec ludis eos turpissimis oblectemus, vbi vel flagitia isti celebrant Deorum A suorum, *maximè Martis crudelitatem*, si cùm homines essent, talia commiserunt, vel conficta delectamenta dæmonum noxiorum, si homines non fuerunt. *Et lib. 20. cont. Faust. cap. 21.* S. Aug. Populus Christianus, *inquit*, memorias martyrum religiosâ solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur: ita tamen vt nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum sacrificemus, quamuis in memoriis martyrum constituamus altaria. Quis enim Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit; offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane, *eadem habet lib. 8. de Ciuit. cap. 27. in p.* S. Aug. sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronauit, apud memorias eorum quos coronauit B &c. Tantò deuotiùs, quantò securiùs post certamina superata, quantò etiam fideliore laude prædicamus; iam in vita fœliciore victores, quàm in ista adhuc vsque pugnantes. *Illis applaudimus, qui iuxta Paulum*, contra peccatum pugnantes vsque ad sanguinem restiterunt, qui non in incertum cum Paulo in stadio cucurrerunt, sed brauium acceperunt, quibus lucta fuit non aduersùs carnem & sanguinem tantùm, sed aduersùs rectores & potestates tenebrarum harum; qui sic pugnauerunt, non quasi aërem verberantes, sed castigantes corpus suum, &c.

3. *Spectacula Circensia, compositiora cæteris. De Spectac. cap. 7. à p. ad f.*

CIrcensium paulò pompatior suggestus, quibus propriè hoc nomen, pompa præcedens, quorum sit, in semetipsa probat, de simulacrorum serie, de imaginum agmine, de curribus, de thensis, de armamaxis, de sedibus, de coronis, de exuuiis. quanta præterea sacra. quanta sacrificia præcedant, intercedant, succedant, quot collegia, quot sacerdotia, quot officia moueantur, sciunt homines illius vrbis in qua dæmoniorum conuentus consedit. Ea si minore curâ per prouincias pro minoribus viribus administrantur, tamen omne vbique Circenses illuc deputandi, vnde & petuntur; inde inquinantur vnde sumuntur. Nam & riuulus tenuis ex suo fonte, surculus modicus ex sua fronde, qualitatem originis continet. Viderit ambitio, siue frugalitas eius. Deum offendit qualiscunque pompa Circi. & si pauca simulacra circunferat, in vno idololatria est; & si vnam thensam trahat, Iouis tamen plaustrum est: quæuis idololatria sordidè instructa, vel modicè, locuples & splendida est censu criminis sui.

4. *Spectaculorum Circensium locus, Soli maximè sacer, plenus idololatriâ. De Spectac. cap. 8. in p. ad m.*

ET vt de locis secundùm propositum exequar, Circus Soli principaliter consecratur: cuius ædes medio spatio, & effigies de fastigio ædis emicat, quod non putauerunt sub tecto consecrandum, quem in aperto habent. Qui spectaculum primum à Circe habent, Soli patri suo editum adfirmant: ab ea & Circi appellationum argumentantur. Planè venefica eis vtique negotium gessit hoc nomine, quorum sacerdos erat, dæmoniis, & angelis scilicet. Quot igitur in habitu loci ipsius idololatrias recognoscis? singula ornamenta Circi. singula templa sunt. Oua honori Castorum adscribunt, qui illos ouo editos credendo, de cycno Ioue, non erubescunt. Delphinos Neptuno vomunt columnæ: Sessias à sementationibus, Messias à messibus, Tutelinas à tutela fructuum, sustinent. ante has, tres aræ trinis diis parent, magnis, potentibus, valentibus. Eosdem Samothracas existimant. Obelisci enormitas, vt Hermateles adfirmat, Soli prostituta: scriptura eius, vnde eius & census, de Ægypto superstitio est. Frigebat dæmonum concilium sine sua Matre magna; ea itaque illic præsidet euripo. Consus, vt diximus, apud metas sub terra delitescit Murcias. has quoque idolum fecit. Murciam enim deam marcoris volunt, cui in illa parte ædem vouêre. Animaduerte Christiane, quot nomina immunda possederint Circum. Aliena est tibi religio, quam tot diaboli spiritus occupauerunt.

5. Spectacula Circensia equis & curribus circumuectis in Deûm honorem. De Spectac. cap. 9. per totum.

NVnc de artificio quo Circenses exhibentur. Res equestris retrò simplex de dorso agebatur, & vtique communis vsus reus non erat. Sed cùm ad ludos coactus est, transiit à Dei munere ad dæmoniorum officia. Itaque Castori & Polluci deputatur hæc species, quibus equos à Mercurio distributos Stesichorus docet. Sed & Neptunus equestris est, quem Græci Hippion appellant. Quadrigas Soli, Bigas Lunæ sanxerunt. Sed &, *Primus Erichthonius currus, & quatuor ausus iungere equos, rapidisque rotis insistere victor.* Erichthonius Mineruæ & Vulcani filius, & quidem de caduca in terram libidine, portentum est dæmonicum, imò diabolus ipse, non coluber. Si verò Trochilus Argiuus auctor est currus, patriæ Iunoni id opus suum dedicauit. Si Romæ Romulus quadrigam primus ostendit, puto & ipse inter idola conscriptus est, si idem est Quirinus. Talibus auctoribus quadrigæ productæ, meritò & aurigas coloribus idololatriæ vestierunt. Nam equi initio duo soli fuerunt, albus & russeus. Albus hyemi, ob niues candidas: russeus æstati, ob Solis ruborem voti erant. Sed postea tam voluptate, quàm superstitione prouectâ, russeum alij Marti, alij album Zephyris consecrauerunt: prasinum vero Terræ matri, vel verno: venetum Cœlo & Mari, vel autumno. Cum autem omnis species idololatriæ damnata sit à Deo, vtique etiam illa damnatur, quæ elementis mundialibus profanatur.

SPECTACVLA CIRCENSIA. 3. 4. & 5. SCHOL.

POMPATIOR SVGGESTVS. *Apparatus spectaculorum Circensium maiori pompâ præcedente geruntur.* QVORVM SIT. *in quorum deorum honorem instituta sint.* PROPRIE. *Vnde Varro etymologiam Circi referens*, quod ibi, *inquit*, circa metas feratur pompa. *Et Cicero lib. 1. offic.* Cauendum, *inquit*, ne tarditatibus vtamur in gressu mollioribus, vt pomparum ferculis similes esse videamur. SIMVLACRORVM. *Idolorum.* IMAGINVM. *Gentilitium & auorum eius qui edebat ludos, vt patet ex Sueto. & Tacito.* DE CVRRIBVS. *Pilenta intelligit, vehiculi genera, quo matronæ vehebantur, ab Hispanis inuenta, pensilia. Liuius quinto ab vrbe condita*, honorem ferunt matronis habitum, vt pilento ad sacra ludosque vterentur. DE THENSIS. *Ex Asconio*, sunt sacra vehicula cum pompa ordinum & officiorum: *sic dicta quòd ante eas linthea tenduntur quas tenent manibus qui eas trahunt. Et erant vehicula argentea, & eburnea.* HARMAMAXIS. *teste Valla, virorum est vehiculum. Apud Suet. sunt sella gestatoria, apud Senecam lectica, quæ humeris tolluntur ab hominibus. Plutarchus in Themistocle sumit pro tabernaculis vndique clausis; quo curru vehuntur mulieres.* DE SEDIBVS. *Aureas sedes & coronas, exuuiasque, in diuos relatis mortuis, in Circo apponebant, teste Appiano lib. 3. Ciuil.* Instabant spectacula, quæ Critonius Ædilis exhibiturus erat, ac Cæsar, *de Octauiano loquitur*, ad ea spectacula, tum auream sedem, tum coronam Patri præparauerat, *Iulio scilicet iam in diuos transcripto*, quemadmodum illi in omnibus spectaculis apponi decreuerant. DE EXVVIIS, *singillatim Apul. lib. 11.* Antistites potentissimorum deorum præferebant insignes exuuias. COLLEGIA. *Intelligit conuentus ministrorum.* ILLIVS VRBIS. *Romæ.* ILLVC DEPVTANDI. *referendi ad originem Romanam.* EX FRONDE. *suo caudice. quod de vite notanter dixit; non enim ex aliarum arborum frondibus, sed ex radice vel trunco surculi nascuntur.* VIDERIT AMBITIO, *nil refert, an Romæ vel alibi, maiori vel minori pompâ spectacula edantur.* CENSV CRIMINIS. *Ob originem ab idololatria sumptam. vel propter multa in his flagitia commissa.*

4. CIRCVS SOLI. *Ex Floro in Epit. Liuij, minor Circus Romæ fuit, dictus Flaminius à Flaminio Censore. Alter Maximus à Tarquinio Prisco in-* A *stitutus, teste Liuio; de quo hîc Tertullianus.* ÆDES. Cui est vetus ædes apud Circum. *ait Tacitus lib. 15. Annal. circa f.* SVBTECTO. *Videndus Vitruuius de templorum situ subdiuali*, horum deorum & species & effectus in aperto mundo & lucenti præsentes videmus. A CIRCE. *Isidorus lib. 18. Etym. cap. 28. ait, Circum dictum à Græcis à Circe Solis filia, à Romanis, à circuitu equorum.* VENEFICA. *Maga fuit, dæmonum Sacerdos. Vide Tullium lib. 2. de natura deorum, Arnob. lib. 4. cont. Gentes, de Sole Circes patre. Aug. lib. 18. de Ciuit. cap. 17.* Hoc, *inquit*, Varro vt astruat, *scilicet socios Diomedis versos in volucres*, commemo- S. Aug. B rat alia non minùs incredibilia de Maga illa famosissima Circe, quæ socios quoque Vlyssis mutauit in bestias. IN HABITV LOCI. *in forma & modo Circi.* OVA HONORI CASTORVM. *quòd Castor & Pollux domandis equis excellerent. Et ex eodem ouo à Ioue in cygnum mutato in sinum Leda demisso pregnati essent. Ex Alciato lib. 4. Parergon cap. vlt. iuxta Liuium, Dionem, & Cassiod. in Circo spatia curriculorum ouis notata sunt.* NON ERVBESCVNT. *Aug. lib. 4. de Ciuit. cap. 27.* Iouem ipsum conuerti in bouem aut S. Aug. Cygnum, vt cum aliqua concumbat. *Et Greg. Naz. orat. 2. in Iulian.* Iupiter ob libidinem & impuritatem quiduis efficitur, ille deorum Consiliarius & Princeps. *Nec ipse erubuit, cum Iliad. 14. Ipse commemoret* C *amores suos, & adulteria cum mulieribus adamatis. In Deos relatos Castores, meminit idem Aug. lib. 18. de Ciuit. cap. 14. vbi de Ino & Melicerte*: Opinione hominum in Deos relati sunt: sicut & alii homines eo- S. Aug. rum temporum, inter quos fuerunt Castor & Pollux. *Ambos Castores dictos testantur Capitolinus, & Arnobius.* Tindaridæ, *inquit*, Castor est, vnus equos domitare consuetus, alter pugillator bonus. DELPHINOS VOMVNT. *Quòd vndique exculpti prodirent ex columnis in Circo erectis, Quos ex Hygino Neptuno sacros & iuxta eum apponi solitos legimus. Alij legunt*, Delphinos Neptuno vouent. Columnas Sessias. &c. *Augustinus 4. de Ciuit. cap. 8.* Nec saltem potuerunt vnam segetiam talem inue- D nire, cui semel segetes commendarent: sed sata S. Aug. frumenta quàm diu sub terra essent, præpositam voluerunt habere Deam Seiam: cùm verò iam sub terram essent, & segetem facerent, Deam Segetiam: frumentis verò collectis atque

reconditis vt tutò seruarentur Deam Tutilinam præposuerunt: cui non sufficere videretur illa Segetia, quandiu segetes ab initiis herbidis, vsque ad aristas aridas perueniret. DIIS PARENT. *Prasto sunt vt in eorum honorem oblata excipiant.* MAGNIS POTENTIBVS. *&c. Macrobius lib. 3. Satur. c. 4. vocat magnos bonos potentes. In singulis aris erant tria simulacra, cum inscriptione:* Diis Magnis, Potentibus, Valentibus. SAMOTHRACAS. *Ex Pausan. in Achaicis deuastatâ Samo quæ Iunonem colebat, eius incola fugerunt in insulam quandam Thraciæ olim dictam Dardaniam, quæ postea vocata est à Samiis & Thracibus, Samothracia. Varro lib. 4. de lingua latina*, terra, *inquit*, & cœlum, vt Samothracum initia docent, sunt Dei Magni, & hos quos dixi multis nominibus. OBELISCI ENORMITAS. *Eius proceritatem describit Plin. lib. 36. cap. 9.* Is, *inquit*, obeliscus, quem B diuus Augustus in Circo magno statuit, excisus est à Rege Semneserteo, quo regnante Pythagoras in Ægypto fuit, centum viginti quinque pedum, & Dodrantis, præter basim eiusdem lapidis. Is verò qui est in campo Martio, nouem pedibus minor à Sesostride inscripti ambo, rerum naturæ interpretationem Ægyptiorum, opera Philosophiæ continent. *Et Cassiod. lib. 3. ep. 51.* Obeliscorum quoque prolixitates ad cœli altitudinem subleuantur: sed potior Soli, inferior Lunæ dicatus est. Vbi sacra priscorum Chaldaicis signis, quasi literis indicantur. HERMATELES. *Alij legunt*, Thermateles. PROSTITVTA. *dedicata, in propatulo statuta, vel vsu scriptura, ad fornicationem idololatria posita.* CENSVS. C *Origo ex superstitione Ægyptiaca.* FRIGEBAT CONSILIVM. *Licet stipatim tanta idolorum caterua, in Circo esset, tanto tamen in cætu friguisset superstitio, nisi & idolum Cybeles, id est Telluris dictæ magnæ matris, statutum fuisset circa Euripum, id est fossam circumuallentem Circum. Ex Cassiod. lib. 3. ep. 51.* Euripus maris vitrei reddit imaginem. Vnde illuc Delphini equoris aquas interfluunt. *Et Plin. lib. 8. c. 7.* Cæsar Dictator postea simile spectaculum editurus, Euripis arenam circumdedit. CONSVS. *August. lib. 4. de Ciuit. cap. 11.* Deus Consus præbendo consilia. *De quo Cypr. lib. de idol. vanit.* Con- S. Aug. sus, *inquit*, quem Deum fraudis velut consiliorum Deum Romulus coli voluit, postquam in raptum fœminarum perfidiâ prouenit. *Et Varro lib. 5.* D Consualia dicta à Conso, quòd tum feriæ publicæ ei Deo, & in Circo ad aram eius, ab Sacerdotibus fiunt ludi illi, quibus virgines Sabinæ raptæ. APVD METAS MVRCIAS. *Alij legunt*, Murtias. *quibus præsides Venus Murtia, siue Myrtea, de qua Plin. lib. 15. cap. 29.* DEAM MARCORIS, *alij legunt*, Amoris. *& hæc marcidum facit & languidum. De* S. Aug. *hac Aug. lib. 4. de Ciuit. c. 16.* Vocauerunt, *inquit*, Deam Murciam, quæ præter modum non moueret, ac faceret hominem, vt ait Pomponius, murcidum, id est nimis desidiosum & inactuosum.

5. RES EQVESTRIS. *Priùs quidem ad equites circumagere equos communi & innocenti vsu spectabat, vt non* A *iam in curru iuncti regerentur à sedentibus in sellis, sed dorso equorum equitabant. Sed postea quam vsus ad ludos prophanos redactus est, Castori & Polluci sacros, tunc idololatria commissa est.* STESICHORVS. *Poëta insignis, de quo Quintil. lib. 10. c. 1.* NEPTVNVS EQVESTRIS. *Equitationis inuentor fingitur. Vnde & Hippios, ab equis domandis. Vide Pausan. in Achaicis & Arcadicis, Diodorum Siculum, &c.* QVADRIGAS SOLI, *ob quatuor tempora, bigas Lunæ quòd gemino cursu cum Sole contendat, eique equum nigrum albo iungunt, quòd nocte & die appareat; Vide Isid. lib. 18. c. 36.* ERICTHONIVS, *hi versus ex 3. Georgicon. Plin. lib. 7. c. 56.* Bigas primum iunxit Phrygum natio, quadrigas Ericthonius. *In quem Virgilij locum sic Seruius.* Vulcanus, *inquit*, impetrato B à Ioue Mineruæ coniugio, illa reluctante, effectum libidinis proiecit in terram. Inde natus est puer draconteis pedibus, qui appellatus est Ericthonius, quasi de terra & luto procreatus. Hic ad tegendam pedum fœditatem iunctis equis vsus est curru. *August. lib. 18. de Ciuit. cap. 12. vbi de* S. Aug. *ludis musicis exhibitis Apollini.* In Attica Rex Ericthonius, *ex Isid. Rex Atheniensium*, ei ludos primus instituit, nec ei tantùm, sed etiam Mineruæ, vbi præmium victoribus oleum ponebatur, quòd eius fructus inuentricem Mineruam, sicut vini Liberum tradunt. TROCHIEVS. *de hoc Euseb. in Chron. dictus à rota, Græcis τροχός.* SI IDEM, *Vt verè Quirinus dictus est.* COLORIBVS IDOLOLATRIÆ, *quia elementa, vt hic concludit, idololatriâ prophanata, id est consecrata cultui profano* C *elementorum, quæ pro diis habebant. Isid. lib. 18. c. 48.* Circa caussas quoque elementorum iidem Gentiles etiam colores equorum iunxerunt. *Per aurigas auctor intellexit equos aurigantes*, roseos Soli, id est igni, albos aëri, Prasinos terræ, Venetos mari, assimilantes. *Per Prasinos, colorem viridem intellige, per Venetos Cæruleum. Cassiod. lib. 3. ep. 51.* Colores in vicem temporum quadrifariâ diuisione funduntur: Prasinus virenti verno, Venetus nubilo Autumno, russeus æstati flammeæ, albus pruinosæ hyemi dicatus est. *Augustinus huc alludit, cùm de aurigis agerit libro 9. de Ciuit. capite 7. vbi & de diis inter se factiones agentibus, & certantibus pro hominibus:* Quos, *inquit*, hominibus si- S. Aug. mili motu cordis, & talo mentis, per omnes co- D gitationum æstus fluctuare testatur, vt possent amores, & odia, non pro iustitia, sed sicut populus similis eorum, in venatoribus & aurigis, secundùm suarum studia partium, pro aliis, aduersus alios exercere. *Id ex Apuleio Platonico refert. Et alludit ad Circum. de quibus Naz. orat. 36.* Videtis, *inquit*, hos qui cursibus equestribus studium atque operam posuerunt, qui à coloribus nominantur, atque à partibus quibus aggregati sunt. *Cassiod. lib. 3. ep. 51.* Transit Prasinus, pars populi mœret: præcedit Venetus, & potior turba ciuitatis affligitur. *Nero teste Spartiano, factioni Prasinæ fauit. Sic pars vna huic, altera isti colori, quo equi vel aurigæ induti erant, fauebat, sicut fit in omni ludo, & spectaculo.*

6. *Spectacula scenica Veneri & Baccho sacra, turpia, ex sola musica idololatriam resonant. De Spectac. cap. 10. in p. ad vltra m.*

TRanseamus ad scenicas res, quarum & originem communem, & titulos pares, secundùm ipsam ab initio ludorum appellationem & administrationem coniunctam cum re equestri iam ostendimus. Apparatus etiam ex ea parte consortes, qua ad scenam. nam à templis, & aris, & illa infelicitate turis & sanguinis inter tibias, & tubas itur, duobus inquinatissimis arbitris, funerum & sacrorum, designatore, & haruspice. Ita cùm de originibus ludorum ad Circenses transimus, inde nunc ad scenicos ludos diri-

gimus, à loci initio. Theatrum propriè sacrarium Veneris est. Hoc denique modo id genus operis in sæculo euasit. Nam sæpè Censores nascentia cummaximè theatra destruebant, moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens de lasciuia prouidebant, vt iam hinc ethnicis in testimonium cedat sententia ipsorum nobiscum faciens, & nobis in exaggerationem disciplinæ, etiam humanæ prærogatiua. Itaque Pompeius Magnus, solo theatro suo minor, cùm illam arcem omnium turpitudinum extruxisset, veritus quandoque memoriæ suæ censoriam animaduersionem, Veneris ædem superposuit, & ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum, sed Veneris templum nuncupauit, Cui subjecimus, inquit, gradus spectaculorum. ita damnatum & damnandum opus templi titulo prætexit, & disciplinam superstitione delusit. sed Veneri & Libero conuenit, duo ista dæmonia conspirata & coniurata inter se sunt, ebrietatis & libidinis. Itaque theatrum Veneris, Liberi quoque domus est. Nam & alios ludos scenicos Liberalia propriè vocabant, præterquàm Libero deuotos, quod sunt Dionysia penes Græcos, etiam à Libero institutos. Et est planè in artibus quoque scenicis, Liberi & Veneris patrocinium. Quæ priuata & propria sunt scenæ, de gestu & flexu corporis, mollitiæ Veneris & Liberi immolant; illi per sexum, illi per luxum, dissolutis. quæ verò voce, & modis, & organis, & lyris transiguntur, Apollines, & Musas, & Mineruas, & Mercurios mancipes habent. Oderis Christiane, quorum auctores non potes non odisse.

7. *Spectacula scenica, & Comœda libidinis incentiua; Tragœda autem, vt cruenta, Christiano fugienda sunt.* *De Spectac. cap. 17. per totum. & 18. in p.*

SImiliter impudicitiam omnem amoliri iubemur. Hoc igitur modo etiam à theatro separamur, quod est priuatum consistorium impudicitiæ, vbi nihil probatur, quàm quod alibi non probatur. Ita summa gratia eius de spurcitia plurimum concinnata est, quam Atellanus gesticulatur, quam mimus, etiam per mulieres repræsentat, sexum pudoris exterminans, vt faciliùs domi, quàm in scena erubescant; quam denique pantomimus à pueritia patitur in corpore, vt artifex esse possit. Ipsa etiam prostibula publicæ libidinis hostiæ in scena proferuntur, plùs miseræ in præsentia feminarum, quibus solis latebant, perque omnis ætatis, omnis dignitatis ora transducuntur, locus, stipes, elogium, etiam quibus opus non est, prædicatur. Taceo de reliquis, etiam quæ in tenebris & in speluncis suis delitescere decebat, ne diem contaminarent. Erubescat senatus, erubescant ordines omnes. Ipsæ illæ pudoris sui interemptrices, de gestibus suis ad lucem & populum expauescentes, semel anno erubescant. Quòd si nobis omnis impudicitia execranda est,
a Ephes. 5. 4. cur liceat audire quæ loqui non licet, cum etiam [a] *scurrillitatem & omne vanum verbum indicatum à Deo sciamus?* Cur æquè liceat videre, quæ facere flagitium est? Cur quæ ore
Matth. 12. 36. prolata [b] *communicant hominem*, ea per oculos & aures admissa non videantur hominem
b Marc. 7. 20. communicare: cùm spiritui appareant aures & oculi, nec possit mundus præstari, cuius apparitores inquinantur? Habes igitur & theatri interdictionem, de interdictione impu-
CAPVT XVIII. dicitiæ. Sin & doctrinam sæcularis literaturæ, vt stultitiæ apud Deum deputatam, asper-
1. Cor. 3. 19. namur, satis præscribitur nobis, & de illis speciebus spectaculorum, quæ sæculari literatura, lusoriam, vel agonisticam scenam, dispungunt.

SPECTACVLA SCENICA. 6. & 7. SCHOL.

SCENICAS RES, *quæ in scena apud theatrum aguntur.* ORIGINEM COMMVNEM. *Ab idololatria.* TITVLOS. *Nomine deorum insignitos.* CVM RE EQVESTRI, *Circensi, quæ equis, & curribus agebatur.* QVO AD SCENAM. *Alij legunt:* quæ ad scenam spectat, *apparatus scenæ, similes sunt Circi apparatibus. Itur enim ad scenam sicut ad Circum, à templis & aris, perfusis infœlici & maledicto thure, & sanguine. Hinc enim tubâ ad Circum, & tibiis vtuntur ad scenam; & adsunt impurissimi arbitri funerum & sacrorum; Designator, & Haruspex in ludis, qui causâ deorum aut funerum edebantur. Designator quidem, iuxta Plautum spectatoribus sua loca distribuebat & assignabat. Martialis Locarium vocat. Horatius lib. 1. ep. 7. Pompæ funebri designatorem præficit. Haruspex autem, qui ab aris inspicienidis, præerat vt populo deorum voluntatem indicaret. Vlp. l. Athletas ff. de his qui notantur infamid. Designatores vocat, qui distribuebant brauia: vnde & Brabeuta dicti.* SACRARIVM VENERIS. *Saluia. lib. 6.* Colitur & honoratur Minerua in gym- A nasiis, Venus in theatris. *Donatus in prolog. Hecyræ:* Ideo theatrum, ideo Actores, ideo spectatores, quia maior pars in gestu est, quàm in verbis. CENSORES. *Alibi id exposui.* EXAGGERATIONEM DISCIPLINÆ, *quia tantò magis obligamur detestari theatra & res scenicas, quo etiam ethnici compescuerunt eorum licentiam.* POMPEIVS MAGNVS. *Sequentia exposita sunt verbo*, luxuria coniuncta gulæ. LIBERALIA, *eadem quæ Græcis Dionysia, siue Bacchanalia, instituta à Baccho, & ei sacra.* PATROCINIVM. *Ludi scenici patronos habent Liberum & Venerem. Hinc Cyprianus de spectaculis*, ludi scenici & Cereri & Libero dicati. *Pro Cerere, mallem legere*, Veneri. FLEXV, *alij legunt*, fluxu, *alij*, luxu. B MANCIPES HABENT. *Hi dicebantur quasi paruuli dij, qui has sibi artes arrogabant. Ex Festo dicitur manceps qui manu capit quidquid à populo emit, conducit-ue, & sumitur pro appropriare: & mancipes erant, qui decimas redimebant, & publicanorum principes de quibus Papian. l. 53. ff. locati. Aug. vno loco de ludis Liberalibus*

S. Aug. *& musicis simul libro 18. de Ciuit. cap. 12. supra prolibato.* His temporibus Dionysium, qui etiam Liber pater dictus est, & post mortem Deus habitus vitem ferunt ostendisse in Attica terra hospiti suo. Tunc Apollini Delphico instituti sunt ludi musici, vt placaretur ira eius, quâ putabant afflictas esse sterilitate Græciæ Regiones, quia non defenderit templum eius, quod Rex Danaüs cùm easdem terras bello inuasisset, incendit. Hos autem ludos vt instituerent, oraculo sunt admoniti. In Attica verò Rex Ericthonius ei ludos primus instituit: nec ei tantùm, sed etiam Mineruæ, &c. *De Mercurio constat eum artium inuentorem. Vide Giraldum de Apolline & Musis Syntagm. 7. de Mercurio, 9. de Minerua, 11.*

7. SEPARAMVR. *Excludimur.* PRIVATVM CONSISTORIVM, *vbi impudicitia specialiter consistit, & dominatur. Vnde Aug. ep. 5. vocat* Theatrica dedecora. (S. Aug.) *Et lib. 3. Confess. c. 1.* Rapiebant me spectacula theatrica, plena imaginibus miseriarum mearum, & fomitibus ignis mei. (S. Aug.) *Et Minutius:* in Scenicis etiam non minor furor, turpitudo prolixior; nunc enim mimus vel exponit adulteria, vel monstrat. Nunc eneruis est histrio, amorem dum fingit, infligit. ATELLANVS. *Histrio ex* ATELLA *Oscorum oppido, vnde prodibant excellentißimi huius artis. Hinc Hiero. ep. ad Sabinianum.* Repertum est facinus, quod nec Mimus fingere, nec scurra ludere, nec Atellanus possit effari. *Atella fuit Cumanorum in Campania faliæ oppidum.* SERVM PVDORIS. *Mulierum scilicet, quas nudas in theatro exponebant.* PANTOMIMVS. *Omnia repræsentans. De quo Cassiod. lib. 4. ep. 51.* Cui à multifaria imitatione nomen. Idem corpus Herculem designat & Venerem, fœminam præsentat & marem: Regem facit & militem: senem reddit & iuuenem: vt in vno credas esse multos, tam variâ imitatione discretos. PATITVR IN CORPORE. *Etiam fractis renibus, & membris ad gestum quemlibet à tenero inflexis. Vel respicit pæderastiam. Malim ad gesticulationes referri. Augustinus to. 4. lib. 1. de consensu Euang. cap. 33. de Roscio famosissimo histrione.* (S. Aug.) Nonne, *inquit*, Cicero eorum, cùm Roscium quendam laudaret Histrionem, ita peritum dixit, vt solus esset dignus, qui in scenam deberet intrare: ita virum bonum, vt solus esset dignus, qui eò non deberet accedere? Quid aliud apertissimè ostendens, nisi illam scenam esse tam turpem, vt tantò minùs ibi esse homo debeat, quantò fuerit magis vir bonus; & tamen dij eorum tali dedecore placabantur, quale à viris bonis remouendum esse censebat. ARTIFEX, *magister huius artis, in qua à puero discipulus fuerat.* HOSTIÆ. *Quæ pudorem suum in theatro exponunt & immolant.* SOLIS LATEBANT. *Solis viris cognita priùs in lupanaribus, nunc in Theatro etiam nota fœminis.* ELOGIVM. *Quantâ formâ præstent, vel intelligit titulum libidinis vt exponit Brissonius. In quo titulo nomen erat meretricis & pretium libidinis.* QVIBVS OPVS NON EST. *Mulieribus astantibus spectaculo, vel viris id iam scientibus. Vel quòd publicè à præcone in theatro id publicaretur.* TACEO DE RELIQVIS. *Quòd publicè mœchabantur; cùm fornicibus suis & antris contentæ esse deberent.* SEMEL ANNO ERVBESCANT. *Scilicet in ludis Floralibus, semel in anno publicâ libidine celebratis, quod fiebat iuxta Varronem & Plinium 4. Kalendas Maij. Arnob. lib. 7.* Existimat se tractari honorificè Flora, si suis in ludis flagitiosas conspexerit res agi, & migratum à lupanaribus in theatra. *Et lib. 4.* Flora illa genitrix & sancta, obscœnitate ludorum benè curat vt arua florescant. S. Aug. *Aug. vbi suprà.* Est etiam, *inquit*, eiusdem ipsius Ciceronis aperta confessio, vbi ait, *Act. 5. in Verrem*, sibi Floram matrem ludorum celebritate placandam. In quibus ludis tanta exhiberi turpitudo consueuit, vt in eorum comparatione cæteri honesti sint, à quibus tamen etiam ipsis agendis viri boni prohibentur. Quæ ista est Flora mater, qualis Dea est, quàm celebrior, & habenis effusioribus laxata conciliat & propitiat turpitudo? quantò iam honestiùs in scenam Roscius intrabat, quàm Cicero Deam talem colebat? si diminutâ rerum copiâ, quæ in hæc celebranda funduntur, Dij Gentium offenduntur, apparet quales sint, qui talibus delectantur. Si autem ipsi irati ista minuunt, *copiam scilicet rerum temporalium*, vtiliùs irascuntur, quàm placantur. Quapropter, aut Philosophos suos arguant, qui talia in luxuriosis hominibus reprehenderunt: aut Deos suos frangant, qui talia de suis cultoribus exegerunt, si tamen iam inueniunt, vel quos frangant, vel quos abscondant: Christianorum verò temporibus, defectum rerum secundarum, quibus in turpia & noxia defluebant, blasphemando imputare desistant, ne magis nos, vnde ampliùs Christi potestas laudetur, admoneant. *Qui auferat superflua, quibus ad idololatriam & luxum Gentiles abutebantur.* SCVRRILITATEM. *Ephes. 5. 4.* Omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, *Christianam*, sed magis gratiarum actio. VANVM VERBVM. *Matth. 12. 36.* Dico autem vobis: quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. COMMVNICANT HOMINEM. *Communem & immundum reddunt, siue coinquinant. Marc. 7. 20.* Quæ de homine exeunt, illa communicant hominem. Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, &c. *Et similiter verba.* APPAREANT. *Vt ministri sensus præcipui ad operandum malum; qui si immundi fuerint, hominis spiritum coinquinant.* SÆCVLARIS LITERATVRÆ. *Philosophia Gentilis, de qua Paulus. 1. Cor. 3. 19.* Sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum. LVSORIAM, VEL AGONISTICAM. *Intelligit Comœdiam, & Tragœdiam. Comœdia quidem lasciua & prodiga, fomentum est libidinis, Tragœdia autem quæ cruenta est, & agonisticas cædes repræsentat, fouet crudelitatem.* DISPVNGVNT. *Implent spectacula Scenica, quidquid sæcularis literatura de ludis, & agonibus, suis in libris retulit.*

8. *Spectacula scenica, &, quibus luctator prælusit diabolus in serpente, quàm indigna Christiano, De Spectac. cap. 18. à p. ad f.*

QVòd si Tragœdiæ & Comediæ, scelerum, & libidinum actrices, cruentæ & lasciuæ, impiæ & prodigæ, nullius rei, aut atrocis, aut vilis commemoratio melior est. quod in facto reiicitur, etiam in dicto non est recipiendum. Quòd si & stadium contendas in scripturis nominari, sanè obtinebis. sed quæ in stadio geruntur, indigna conspectu tuo non negabis, pugnos, & calces, & colaphos, & omnem petulantiam manus, & quamcunq; humani oris, id est diuinæ imaginis, depugnationem. Non probabis vsquam vanos 1. Cor. 9. 24.

cursus, & jaculatus, & saltus vaniores. nusquam tibi vires aut iniuriosæ, aut vanæ placebunt, sed nec cura factitij corporis, vt plasticam Dei supergressa. Et propter Græciæ otium altiles homines oderis. Et palæstrica diaboli negotium est. Primos homines diabolus elisit. Ipse gestus colubrina vis est, tenax ad occupandum, tortuosa ad obligandum, liquida ad elabendum. Nullus tibi coronarum vsus est. quid de coronis voluptates aucuparis?

Gen. 3. 1. 4.

9. *Spectaculi omne genus auersandum, licet Sol, & Deus id spectet innocens: quia quod ibi spectatur, & auditur, ab ipsis Gentilibus alibi fieri omnino prohibetur: qui licet scenicos laudent in theatro, vt infames tamen honoribus arceat in foro. De Spectac. cap. 20. à p. 21. & 22. per totum.*

NOuam proximè defensionem suauiludij cuiusdam audiui. Sol (inquit) immò etiam ipse Deus de cœlo spectat, nec contaminatur. Sanè sol & in cloacam radios suos defert, nec inquinatur. Vtinam autem Deus nulla flagitia hominum spectaret, vt omnes iudicia euaderemus. Sed spectat & latrocinia, spectat & falsa, & adulteria, & fraudes, & idololatrias, & spectacula ipsa. Et idcirco ergo nos non spectabimus, ne videamur ab illo qui omnia spectat. Comparas homo reum & iudicem: reum, qui quia videtur reus est: iudicem, qui quia videt, iudex est. Nunquid ergo & extra limites circi furori studemus, & extra cardines theatri impudicitiæ intendimus, & insolentiæ extra stadium, & immisericordiæ extra amphitheatrum, quòd Deus etiam extra cameras, & gradus, & apulias oculos habet? Erramus, nusquam & nunquam excusatur quod Deus damnat. Nusquam & nunquam licet, quod semper & vbique non licet. Hæc est veritatis integritas, & quæ ei debetur disciplinæ plenitudo, & æqualitas timoris, & fides obsequij, non immutare sententiam, nec variare iudicium. Non potest aliud esse, quod verè quidem est bonum seu malum. Omnia autem penes veritatem Dei fixa sunt. Ethnici quos penes nulla est veritatis plenitudo, quia nec doctor veritatis Deus, malum ac bonum pro arbitrio ac libidine interpretantur, alibi bonum quod alibi malum, & alibi malum quod alibi bonum. Sic ergo euenit, vt qui in publico vix necessitate vesicæ tunicam leuet, idem in circo aliter non exultet, nisi totum pudorem in faciem omnium intentet. & qui filiæ virginis ab omni spurco verbo aures tuetur, ipse eam in theatrum ad illas voces gesticulationesque deducat. & qui in plateis litem manu agentem aut compescit, aut detestatur, idem in stadio grauioribus pugnis suffragium ferat. & qui ad cadauer hominis communi lege defuncti exhorret, idem in amphitheatro derosa & dissipata, & in suo sanguine squalentia corpora patientissimis oculis desuper incumbat. immò qui propter homicidæ pœnam probandam ad spectaculum veniat, idem gladiatorem ad homicidium flagellis & virgis compellat inuitum. & qui insigniori cuique homicidæ leonem poscit, idem gladiatori atroci petat rudem & pileum. illum verò confectum, etiam oris spectaculo repetat, libentiùs recognoscens de proximo, quem voluit occidere de longinquo: tantò durior si non voluit. Quid mirum inæquata ista hominum, miscentium & commutantium statum boni & mali per inconstantiam sensus & iudicij varietatem? Etenim ipsi auctores & administratores spectaculorum, quadrigarios, scenicos, xysticos, arenarios illos amantissimos, quibus viri animas; feminæ, aut illi etiam, corpora sua substernunt; propter quos in ea committunt quæ reprehendunt; ex eadem arte, qua magnifaciunt, deponunt; immò manifestè damnant ignominia & capitis minutione, arcentes curia, rostris, senatu, equite, ceterisque honoribus omnibus simul ac ornamentis quibusdam. Quanta peruersitas! Amant quos multant, depreciant quos probant. artem magnificant, artificem notant. Quale iudicium est, vt ob ea quis offuscetur, per quæ promeretur? immò quanta confessio est malæ rei, cuius auctores, quum acceptissimi sint, sine nota non sunt.

Cap. XXI.

Caput XXII.

10. *Spectacula licet aliquid honesti misceant, eò magis cauenda sunt, quò venenum dulce propinant. De Spectac. cap. 27. à m. ad f.*

SInt dulcia licet, & grata, & simplicia etiam honesta quædam. Nemo venenum temperat felle & elleboro, sed conditis pulmentis, & benè saporatis, & plurimùm dulcibus id mali iniicit: ita & diabolus lethale quod conficit, rebus Dei gratissimis & acceptissimis imbuit. omnia illic seu fortia, seu honesta, seu sonora, seu canora, seu subtilia, proinde habe, ac si stillicidia mellis de *libacunculo venenato: nec tanti gulam facias voluptatis, quanti periculum per suauitatem.

* ranunculo.

SPECTACVLA SCENICA, ET ALIA, INDIGNA SVNT CHRISTIANIS, QVI NEC EORVM LOCA ADIRE DEBENT. 8. 9. 10. SCHOL.

SCELERVM ACTRICES. *Alij legunt*, auctrices. *Tragœdiæ quidem cruenta & impia, hominum & Deorum certamina & crudelitates repræsentando docent; sicut comediæ lasciua & prodiga, in tapetibus, vestibus, epulis, libidinem & luxum.* VILIS. *Vox congrua arti lusoriæ & comicæ. Vnde Cypr. de spectaculis;* quid loquar comicas & inutiles curas? Quid illas magnas tragicæ vocis insanias? MELIOR EST. *Supple facto turpi aut scelerato, verbum huiusmodi nihilo tolerabilius est.* STADIVM; *sicut Paulus.* 1. *Cor.* 9. 24. Nescitis quod ij qui in stadio currunt? &c. CONTENDAS. *Ad defensionem ludorum.* DEPVGNATIONEM. *Deformationem. In stadio quinque ludorum genera exercebantur, quæ vnum verbum capit*, Penthatlon. *cæstus, cursus, saltus, discus, aut jaculatio, lucta. Quod supra Isid. lib.* 18. *cap.* 18. *virtutem inter hæc quinque ponit, cæstum intelligit, in quo virtute, id est viribus agebatur, in cadendo pugnis aduersario.* Genera, *inquit*, gymnicorum quinque, saltus, cursus, jactus, virtus, atque luctatio. VANOS CVRSVS. *Cypr. supra dicit spectacula*, vanitatis & leuitatis monstra. *Quæ & Paulus risit.* Sic curro non quasi in incertum. Sic pugno non quasi aërem verberans. INIVRIOSÆ. *Qualis fuit jaculatus disci, quo Apollo puerum Hyacinthum occidit: quoque homines cæstibus ignominiosè tunduntur.* CVRA FACTITII CORPORIS. *Vel alludit ad gladiatores, ante certamen saginatos; vel ad histriones, corpora sua gesticulationibus elaborantes, qui omnes, corpus à Deo plasmatum corrumpebant. & quasi ipsum opificem supergredi tentabant.* PROPTER GRÆCIÆ OTIVM. *Vt Græcos otiosos pasci solitos spectaculis, pungat, hæc contra Actores altiles torquet, qui saginabantur ad spectacula edenda. Vnde Seneca ep.* 8. *sic de Athleta fatur:* illi multo cibo, multâ potione opus est, multo oleo. *Et Cypr. scribens ad Donatum:* Impletur, *inquit*, ad succum cibis fortioribus, & Aruinæ toris, membrorum moles robusta pinguescit, vt saginatus in penam carius pereat. PALÆSTRICA. *Ars quæ docet in Palæstra & loco Athletarum proprio, omni in ludo exerceri, quâ ipse cùm homine colluctatus diabolus, eum prostrauit.* GESTVS. *Luctæ scilicet, quâ antagonista complexu illigatur serpentis instar lubrici, quò delibutus oleo & inunctus, lubrico lapsu stringentem frustret.* NVLLVS CORONARVM VSVS. *Quem interdictum Christiano probat toto libro de Corona militis. Et Paulus* 1. *Cor.* 9. 25. *ridet abstinentes se etiam à luxuriis quæ corpus emolliunt, propter coronam.* Omnis qui in agone contendit ab omnibus se abstinet, & illi quidem, *Syr. addit qui currunt*, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. *Aug. aptissimè in rem Tertulliani, de nominato stadio & agone in Scriptura, in Psal.* 57. *vbi de*

S. Aug. *Marso incantatore aspidum.* Non vndequaque, *inquit*, datur similitudo à Scripturis, laudatur ipsa res, sed tantùm inde similitudo trahitur. Non enim laudauit iniquum iudicem, qui nolebat audire illam viduam, &c. nec illum laudauit pigrum, qui tres panes, non propter amicitiam dedit petenti, sed tædio victus: & inde tamen similitudinem dedit. Et de rebus ergo non laudandis trahuntur secundùm quendam modum nonnullæ similitudines. Aut si propterea putatis eundum esse ad Marsos, quia hoc audistis in Scriptura Dei: *Marsi porrò dicti sunt à Marso Circes filio, populi Italiæ, qui saliuâ suâ morsibus serpentum medentur.* Eundum est & ad

S. Aug. spectacula theatri, quia dicit Apostolus: non sic pugillor, quasi aërem cædens. Pugillari enim est pancratium facere. *Id est certamen gymnicum iuxta*

A *Hermolaum, secundùm Plinium autem Quinquertium, vel Pentathlon;* Iam quia hinc data est similitudo, spectacula ista delectare nos debent? aut quia dixit, qui in agone contendit, ab omnibus abstinens est, *quæ ipsum possunt impedire à victoria*, propterea agonostica ista vana & ludicra debet affectare Christianus? attende quid tibi dicatur in similitudinem, quid prohibeatur ad admonitionem. S. Aug.

9. SVAVILVDII. *Spectaculi ludorum suauiter aures & oculos demulcentis.* VTI OMNES. *Vt omnes.* ET SPECTACVLA IPSA. *Immundiora cloacis. Irridet obiectionem defendentium spectacula, qui se Soli & Deo comparant mundo oculo immunda videnti. Et reum supponit, vt verè est, spectaculorum spectatorem. Eo enim ipso quo aliquis spectat in theatro, reus tenetur, & iam*

B *in eum iustus iudex sententiam pronuntiat.* NVMQVID EXTRA LIMITES, &c. *Sic confundit spectaculorum defensores, & explodit futilem eorum defensionem. Ergone, inquit, & furori vacabit extra Circum, & impudicitiæ extra theatrum, & insolentiæ extra stadium, & crudelitati extra amphitheatrum, quia Deus intus, & foris hæc omnia cernit innoxius? Plenè ergo vbique, & æqualiter Dei præsentiam credere verè & integrè, eique timorem constanter præbere debemus. Nec enim loca res variant, sed vbique bonæ vel malæ sunt iuxta naturam suam. Fixa enim & immutabilia sunt omnia apud veram fidem.* APVLIAS. *Cameras, iuxta Lipsium intellige porticum theatri, siue fornicem tectum. Gradus quatuordecim in circo fuerunt. Apulias autem dixit, quasi* Apluuias, vnde & Apulia, pars Italiæ,

C pluuiis ferè caret. Alij, quòd Solem non admittant, ab vmbra & tecto. Quale erat stadium opertum, maximè hyemale. Alij ab. ἀ. priuante & πύλη quasi extra portas & columnas; nam vtrumque vox Græca significat. NEC DOCTOR DEVS. *Ethnici non audiunt Deum Doctorem integræ veritatis, sed diabolum mendacij patrem.* NECESSITATE VESICÆ. *Ad mingendum.* ILLAS VOCES, *turpiloquia & gestus impudicos.* LITEM MANV AGENTEM. *Mos Romanis iniectâ manu aduersarium in ius trahere, vel simpliciter, non verbis, sed pugnis in compitis litigare. Credo tamen ob suffragium datum in theatris, hic detestationis formam in iure, proferre. Si enim aduersarius sequi nollet trahentem, trahens rogabat aliquem ex circumstantibus, vt apprehensâ eius auriculâ antestaret: quòd si renuisset, po-*

D *terat iniuriarum accusari. Fiebat autem frequenter vt is qui non poterat compescere vocantem in ius, detestaretur, id est, refugeret hoc officium antestandi. Sic intelligenda sunt verba Caij l. plebs* 237. § 1. *ff. de verb. sign.* DEROSA, *corrosa & laniata dentibus bestiarum.* HOMICIDÆ PŒNAM. *Iusta quidem hæc erat, vt morti dederetur, qui mortem intulerat; sed iniustum est, seruum inuitum virgis & flagris cogere, vt gladiatoris munus exerceat. Iniustum item leoni obiicere homicidam iniustum, crudeliori & exercitatiori gladiatori, pro præmio, conferre libertatem, cuius indicia erant, rudis, id est vastus & grandior baculus, & pileus.* ILLVM VERÒ. *Scilicet gladiatorem atrocem, vult etiam de propinquo, etiam ex ore & vultu recognoscere, vt feritatem suam pascat. Qui tantò erit barbarior, si oculos suos, ex propin-*

E *quo velit exsatiare tali spectaculo, si priusquàm caderet, noluerat eum mori.* INÆQVATA. *Inæqualis & inconstans hominum sententia.* AVCTORES. *Qui leges spectaculorum tulerunt. Vel Poëtæ Comœdiarum & Tragœdiarum authores.* ADMINISTRATORES. *Editores ludorum, scilicet Magistratus; propter eandem artem quam magni faciunt vt excellentem; vel ex eadem arte, id est inconstantia animi, nunc eleuant, nunc depri-*

munt; nunc honorant, nunc honore mulctant; quadrigarios, in Circo; scenicos, in theatro; Xysticos, in stadio: arenarios, in amphitheatro. AMANTISSIMOS. *Quia proh pudor, vident corpora speciosa nuda plerumque certare, quorum impuro amore depereunt.* OFFVSCETVR, *ignominiâ notetur.* IN EA COMMITTVNT, *offendunt & peccant.* VIRI ANIMAS, *alij legunt*, viles animas fœminæ, aut illis etiam sua corpora substernunt. CAPITIS MINVTIONE. *Triplex erat; minima scilicet, cùm familia tantùm amittitur: media cùm ciuitas tantùm, non libertas; maxima, cùm familia, ciuitas, & libertas amittitur.* CVRIA ET ROSTRIS, *arcebantur qui causam pro rostris ampliùs agere non sinebantur. Sueto. in Nerone cap. 8.* Quæstorium virum, quòd gesticulandi saltandique studio teneretur, mouit Senatu. *Inconstantiam Gentilium carpsit & Augustinus lib. 2. de Ciuit. cap. 13. Sic inducit Scipionem loquentem apud Tullium.* Cùm, *inquit*, artem ludicram totamque scenam probro ducerent, genus id hominum non modò honore ciuium reliquorum carere, sed etiam tribu moueri notatione censoriâ voluerunt. Præclara sanè, *ait Augustinus*, & Romanis laudibus annumeranda prudentia, sed vellem se ipsa sequeretur, se imitaretur. Ecce enim rectè quisquis ciuium Romanorum esse scenicus elegisset, non solùm ei nullus ad honorem dabatur locus, verùm etiam Censoris nota tribum tenere propriam minimè sinebatur. O animum ciuitatis laudis auidum, germanéque Romanum! Sed respondeatur mihi, quâ consentaneâ ratione homines scenici ab omni honore pelluntur, & ludi scenici Deorum honoribus admiscentur? illas theatricas artes diu virtus Romana non nouerat: quæ si ad oblectamentum voluptatis humanæ quærerentur, vitio morum irreperent humanorum? dij eas sibi exhiberi petiuerunt? quomodo ergo abijcitur scenicus, per quem colitur Deus, & theatricæ illius turpitudinis quâ fronte notatur actor, si adoratur exactor? In hac controuersia Græci Romanique concertant. Græci putant rectè se honorare homines scenicos, cùm colant ludorum scenicorum flagitatores Deos. Romani verò hominibus scenicis nec plebeiam tribum; quantò minùs Senatoriam Curiam dehonestari sinunt? in hac disceptatione, huiuscemodi ratiocinatio summam quæstionis absoluit. Proponunt Græci: si dij tales colendi sunt, profectò etiam tales homines honorandi sunt. Assumunt Romani: sed nullo modo tales homines honorandi sunt. Concludunt Christiani: nullo igitur modo dij tales colendi sunt. *Et cap. sequenti sic prosequitur eandem materiam.* Quâ, *inquit*, ratione rectum est vt Poëticorum figmentorum, & ignominiosorum Deorum infamentur actores, honorentur authores? &c. Illi honori suo deposcunt ludos scenicos, isti ab honoribus omnibus repellunt homines scenicos, &c.

10. HONESTA QVÆDAM, *sicut cursus & ars iaculatoria.* NEMO VENENVM. *Quasi diceret artem diaboli esse, vt escâ dulci & blandâ alliciat ad hauriendum virus admixtum spectaculis.* REBVS DEI. *Creaturæ enim pulchræ sunt & bonæ, quibus abutitur diabolus in spectaculis.* FORTIA, *sicut ars gladiatoria, & agonistica.* HONESTA. *Vt iaculatoria.* SONORA. *Ob instrumenta musica Scenarum.* SVBTILIA, *vt acumen Poëticum tragœdorum.* LIBACVNCVLO. *Vasculo à libando dicto.* GVLAM VOLVPTATIS. *Pro gulæ voluptatem. Augustinus se olim captum hac escâ venenata fatetur, & de mellito poculo venenum bibisse lib. 3. Confess. c. 2.* In theatris, *inquit*, congaudebam amantibus, cùm sese fruebantur per flagitia, quamuis hæc imaginariè gererentur in ludo spectaculi. Cùm autem sese amittebant, quasi misericors contristabar, & vtrumque delectabat tamen. Nunc verò magis misereor gaudentem in flagitio, quàm velut dura perpessum detrimento perniciosæ voluptatis, & amissione miseræ fœlicitatis, &c. Atque ego tunc miser dolere amabam, *ex compassione doloris amantis alicuius in scena*, & quærebam vt esset quod dolerem, quando mihi in ærumnâ alienâ, & falsâ, & saltatoriâ, ea magis placebat actio histrionis, meque alliciebat vehementius, quâ mihi lacrymæ excutiebantur. Quid autem mirum cùm infœlix pecus aberrans à grege tuo, & impatiens custodiæ tuæ turpi scabie fœdarer? & inde erant dolorum amores, non quibus altiùs penetrarer, non enim amabam talia perpeti, qualia spectare: sed quibus auditis & fictis, tanquam in superficie raderer: quos tamen quasi vngues scalpentium, feruidus tumor & tabes, & sanies horrida consequebatur.

11. *Spectaculorum locus & artificium Amphitheatri, omnium Deorum templum, & negotium, præ omni idololatria fugiat Christianus. De Spectac. cap. 12. in f.*

Vide suprà num. 1. in m.

12. *Spectaculorum locus Amphitheatrum, ipsâ feritate odibilis & fugiendus. De Spectac. cap. 19. per totum & 20. in p.*

EXpectabimus nunc & amphitheatri repudium de scripturis. Si sæuitiam, si impietatem, si feritatem permissam nobis contendere possumus, eamus in amphitheatrum. Si tales sumus quales dicimur, delectemur sanguine humano. Bonum est cùm puniuntur nocentes. Quis hoc nisi nocens negabit? Et tamen innocens de supplicio alterius lætari non potest, cùm magis competat innocenti dolere, quòd homo, par eius, tam nocens factus est, vt tam crudeliter impendatur. Quis autem mihi sponsor est, nocentes semper, vel ad bestias, vel ad quodcunque supplicium decerni, vt non innocentiæ quoque inferatur, aut vltione iudicantis, aut infirmitate defendentis, aut instantiâ quæstionis? Quàm meliùs ergo est nescire cùm mali puniuntur, ne sciam & quum boni pereunt; si tamen bonum sapiunt. Certè quidem gladiatores innocentes in ludum veniunt, vt publicæ voluptatis hostiæ fiant. Etiam qui damnantur in ludum, quale est vt de leuiore delicto in homicidas emendatione proficiant? Sed hæc ethnicis respondi. ceterùm absit vt de istius spectaculi auersione diutius discat Christianus: quamquam nemo hæc omnia plenius exprimere potest, nisi qui adhuc spectat. malo non implere, quam meminisse. Quàm vana igitur, immò desperata argumentatio eorum, qui, sine dubio tergiuersatione amittendæ

tendæ voluptatis, obtendurit, Nullam eius abstinentiæ mentionem specialiter in scripturis determinari, quæ directò prohibeat eiusmodi conuentibus inseri seruum Dei.

13. Spectaculorum loca adiri possunt sine scrupulo, alio quàm spectaculi tempore. De Spectac. cap. 8. à m. ad f.

DE locis quidem locus est retractandi ad præueniendam quorundam interrogationem. Quid enim, inquis, si alio in tempore Circum adiero, periclitabor de inquinamento? Nulla est præscriptio de locis. nam non sola ista conciliabula spectaculorum, sed etiam templa ipsa sine periculo disciplinæ adire seruus Dei potest vrgente causâ simplici dumtaxat, quæ non pertineat ad proprium eius loci negotium vel officium. ceterùm & plateæ, & forum, & balneæ, & stabula, & ipsæ domus nostræ sine idolis omninò non sunt. totum seculum satanas & angeli eius repleuerunt. non tamen, quòd in seculo sumus, à Deo excidimus, sed si quid de seculi criminibus attigerimus. Proinde si Capitolium, si Serapeum sacrificator vel adorator intrauero, à Deo excidam, quemadmodum circum vel theatrum spectator. Loca nos non contaminant per se, sed quæ in locis fiunt, à quibus & ipsa loca contaminari altercati sumus: de contaminatis contaminamur. Propterea autem commemoramus quibus eiusmodi loca dicentur, vt eorum demonstremus esse quæ in his locis fiunt, quibus ipsa loca dicantur.

SPECTACVLORVM LOCVS. 11.12.13. SCHOL.

Primum habes supra expositum numero 1. in medio.

A

12. DE SCRIPTVRIS. *Alij addunt*, vt & de scripturis petamus. *Quasi diceret non opus est vt Christiano scriptura prohibeat adire amphitheatrum, cùm satis omnis sauitia, impietas & feritas in scriptura sit prohibita.* SI TALES SVMVS. *Infanticidæ, quales censemur ab Ethnicis & incesti.* BONVM EST. *Sic inducit obijcientem.* IMPENDATVR. *Mactetur, immoletur, vt Paulus dicebat* libenter impendar. *Lactant. lib. 6. c.* 20. Qui hominem, quamuis ob merita damnatum, in conspectu suo jugulari pro voluptate computat, conscientiam suam polluit, tam scilicet, quàm si homicidij quod fit occultè. spectator & particeps fiat. IN TANTIA QVÆSTIONIS. *Violentia torturæ, quâ plerumque etiam falsum exprimitur.* SI BONVM SAPIVNT *Vix enim gladiator bonus. Nec hi quidem qui non damnati ob crimen, sed vltrò in arenam descendunt, vt fiant victimæ publicæ voluptatis. Augustinus in Psal.* 101. *comparat peccatorem de venia desperantem gladiatori:* Nonne attendis quam licentiosâ crudelitate viuant gladiatores? vnde hoc? nisi iam tanquam ad ferrum & victimam destinati, explere volunt libidinem, antequam fundant sanguinem? nonne hoc & tu tibi diceres, iam peccator sum, iam iniquus, iam damnandus, nulla veniæ spes est. Cur iam non faciam quidquid libet, & si non licet? cur non impleam quantùm possum quæcumque desidero, si post hæc non restant nisi tormenta? nonne hoc tibi diceres, & desperatione ipsâ peior fieres? potiùs ergo te corrigit qui indulgentiam promittit & dicit, redite præuaricatores ad cor; nolo mortem impij: tantùm vt reuertatur & viuat: hoc proculdubio portu proposito, deponis vela iniquitatis, conuertis proram, velificas ad iustitiam: & sperans vitam, non negligis medicinam. *Cypr. in ep. ad Donatum.* Paratur gladiatorius ludus, vt libidinem crudelium luminum sanguis oblectet, &c. homo occiditur in hominis voluptatem. *Et Saluianus lib. 6. de Spectaculis loquens:* summum deliciarum genus est, mori homines, &c. cum circumstantium lætitia, conspicientium voluptate. IN HOMICIDAS PROFICIVNT: *Quàm iniustè rei damnantur ad ludum gladiatorium; vt cùm pœna debeat esse emendatio delicti, qui pro furto, verbi gratiâ, aut leniore delicto ad amphitheatrum damnatur, in eo discat homicidium, & quotidie in eo citiùs perpetrando proficiat.* ABSIT VT DIVTIVS DISCAT. *Satis est Christianum sui nominis recordari, & olei Christi, & mansuetudinis agni, vt tragica spectacula fugiat. Non multis proinde rationibus hinc deterrendus est. Quanquam nec ego qui spectacula non frequento, plenè eorum crudelitatem exprimere valeam, meliùs est enim vel olim visa, vel lecta, vel audita prorsus obliuisci, quàm eorum memorem, ea pleniùs oratione describere. Sic imitatus est Tertullianum Cyprianus lib. de Spectaculis in f.* Auocandus est animus ab istis, &c. plerumque in præceptis quædam vtiliùs tacentur: admonent sæpè, dum interdicuntur. *Vide Aug. sequenti numero.*

S. Aug.

B

13. PERICLITABOR. *An fortè inquinabor si extra tempus spectaculi adiero Circum?* PRÆSCRIPTIO. *Prohibitio.* STABVLA. *Diuersoria.* SINE IDOLIS, *quia vbique non solùm circumfusi sunt in aëre dæmones, sed creaturæ omnes eorum artificio in idola conuersæ sunt.* A DEO EXCIDIMVS. *Fidem amisimus.* SERAPEON. *Templum magnificentissimum Serapis. Augustinus pluribus in locis librorum de Ciuitate, omnia à Gentilibus, idolis repleta dixit, de quibus sparsim in hoc nostro opere. Ambr. ep. 31.* Plateæ occupatæ simulacris, &c. non illis satis sunt lauacra, non porticus, &c. *Apul. lib. 3.* Respicio pilæ mediæ quæ stabuli trabes sustinebat, in ipso ferè meditullio. Hipponæ Deæ simulacrum residens ædiculæ quod accuratè corollis roseis, & quidem recentibus fuerat ornatum. *De periculo adeuntium amphitheatrum & ludos gladiatorios Aug. lib. 6. Confess. cap. 8. vbi de Alipio Romam pergente:* Non sanè relinquens incantatam sibi à terrenis parentibus viam, Romam præcesserat, vt ius disceret, & ibi gladiatorij spectaculi inhiatu incredibili, & incredibiliter abreptus est. Cùm enim auersaretur, & detestaretur talia, quidam eius amici & condiscipuli, cùm fortè de prandio redeuntibus obuius esset, recusantem vehementer & resistentem, familiari violentiâ duxerunt in amphitheatrum; crudelium & funestorum ludorum diebus, hæc dicentem: si corpus meum in illum locum trahitis, & ibi constituitis, nunquid & animum & oculos meos in illa spectacula potestis intendere? adero itaque absens, ac sic & vos, & illa superabo. Quibus auditis illi nihilo segniùs eum adduxerunt secum, idipsum fortè ex-

C

S. Aug.

plorare cupientes, verùm posset efficere. Quò vbi ventum est, & sedibus quibus potuerunt, locati sunt, feruebant omnia immanissimis voluptatibus. Ille clausis foribus oculorum, interdixit animo ne in tanta mala procederet: atque vtinam aures obturauisset. Nam quodam pugnæ casu, cùm clamor ingens totius populi vehementer eum pulsasset, curiositate victus, & quasi paratus, quidquid illud esset etiam visum contemnere & vincere, aperuit oculos, & percussus est grauiore vulnere in anima, quàm ille in corpore, quem cernere concupiuit. Ceciditque miserabiliùs, quàm ille, quo cadente factus est clamor qui per aures eius intrauit, & reserauit eius lumina, vt esset qua feriretur & deiiceretur audax adhuc potiùs quàm fortis animus, & eò infirmior quo de se præsumpserat, qui debuit de te. Vt enim vidit illum sanguinem, immanitatem simul ebibit, & non se auertit, sed fixit aspectum, & hauriebat furias, & nesciebat, & delectabatur scelere certaminis, & cruentâ voluptate inebriabatur. Et non erat iam ille qui venerat, sed vnus de turba ad quam venerat, & verus eorum socius, à quibus adductus erat. Quid plura? spectauit, clamauit, exarsit, abstulit inde secum insaniam quâ stimularetur redire, non tantùm cum illis à quibus priùs abstractus erat, sed etiam præ illis & alios trahens. *Hoc exemplo docemur, quantùm periculi sit præsumere de se, occasioni se dare, malos frequentare, spectacula adire. De scrupulo autem loci extra tempus spectaculi non adeundi ob periculum idololatriæ, legendus Augustinus ep. 154. ad Publicolam, vbi pluribus simili in causa quæstionibus satisfacit vbi hæc inter alia.* Fontibus, *inquit*, vtimur de quibus hauriri aquam ad vsum sacrificiorum, certissimè scimus esse. Eadem est etiam ratio lauacrorum. *In quibus idola coluntur.* Neque enim spiritum deducere de aëre dubitamus in quem scimus ire fumum ex aris omnibus & incensis dæmoniorum, &c. Non ideo vtique solis huius luce non vtimur, quia ei sacrilegi vbi possunt, sacrificare non cessant. Sacrificatur etiam ventis, quibus tamen vtimur ad tantas nostras commoditates, cùm eorumdem sacrificiorum fumum ipsi quodammodo haurire & vorare videantur, &c. Quid plura commemorem, &c? quid enim est in vsu hominum bono ac licito, vnde non possit etiam perniciem irrogari?

(Margin: S. Aug. — A — B — S. Aug.)

14. *Spectacula iustè damnat Deus, quorum artifices Senatus infamat. De Spectac. cap. 23. in p.*

QVum humana recordatio, etiam obstrepente gratiâ voluptatis, damnandos eos censeat, ademptis bonis dignitatum in quendam scopulum famositatis; quantò magis diuina iustitia in eiusmodi artifices animaduertit? An Deo placebit auriga ille tot animarum inquietator, tot furiarum minister, tot statuarum; velut sacerdos coronatus, vel coloratus vt leno, quem curru rapiendum diabolus aduersùs Heliam exornauit? Placebit qui vultus suos nouaculâ mutat? infidelis erga faciem suam, quam non contentus Saturno, & Isidi, & Libero, proximam facere, insuper contumeliis alaparum sic obiicit, quasi de præcepto Domini ludat? Docet scilicet & diabolus [a] *verberandam maxillam patienter offerre.* sic & tragœdos cothurnis extulit, quia [b] *nemo potest adiicere cubitum vnum ad staturam suam.* mendacem facere vult Christum.

(Margin: 4. Reg. 2. 11. — a Matth. 5. 39. Luc. 12. 25. — b Matth. 6. 27)

15. *Spectacula propter laruas & mendacia condemnata. De Spectac. cap. 23. à m.*

IAm verò ipsum opus personarum, quæro an Deo placeat, qui omnem similitudinem vetat fieri, quantò magis imaginis suæ? Non amat falsum auctor veritatis: adulterium est apud illum omne quod fingitur. Proinde vocem, sexus, ætates mentientem, amores, iras, gemitus, lacrymas adseuerantem non probabit, qui omnem hypocrisin damnat. Ceterùm cùm in lege præscribit, [a] *maledictum esse qui muliebribus vestietur,* quid de pantomimo iudicabit, qui etiam muliebribus curatur?

(Margin: Exo. 20. 4. — a Deut. 22. 5.)

16. *Spectacula saltem implicitè scriptura vetat. De Spectac. cap. 3. per totum.*

HAc conscientia instructi aduersùs opinionem ethnicorum, conuertamur magis ad nostrorum retractatus. Quorundam enim fides aut simplicior, aut scrupulosior, ad hanc abdicationem spectaculorum de scripturis auctoritatem exposcit, & se in incertum constituit, quòd non significanter neque nominatim denuntietur seruis Dei abstinentia eiusmodi. Planè nusquam inuenimus quemadmodum apertè positum est, [a] *Non occides: Non idolum coles, non adulterium, non fraudem admittes:* ita expertè definitum, Non ibis in circum, non in theatrum: agonem, munus non exspectabis. Sed inuenimus ad hanc quoque speciem pertinere illam primam vocem Dauid, [b] *Felix vir, inquit, qui non abiit in concilium impiorum, & in via peccatorum non stetit, nec in cathedra pestium sedit.* Nam etsi iustum illum videtur prædicasse, quòd in concilio & in sessu Iudæorum de necando Domino consultantium non communicauit, latè tamen semper scriptura diuina diuiditur, vbicunque secundùm præsentis rei sensum etiam disciplina munitur, vt hîc quoque non sit aliena vox à spectaculorum interdictione. Si enim pauculos tunc Iudæos impiorum concilium vocauit

(Margin: a Exo. 20. 13. — b Psal. 1. 1.)

quantò magis tantum conuentum ethnici populi? minùs impij ethnici, minùs peccatores, minùs hostes Christi, quàm tunc Iudæi? Quid quòd & cetera congruunt. Nam apud spectacula & in via statur. Vias enim vocant & cardines baltheorum per ambitum, & discrimina popularium per procliuum. Cathedra quoque nominatur ipse in anfractu ad consessum situs. Itaque contrariò infelix qui in quodcunque concilium impiorum abierit, & in quacunque via peccatorum steterit, & in quacunque cathedra pestium sederit. Psal. 1. 1. Generaliter dictum intelligamus, cùm quid etiam specialiter interpretari capit. Nam & specialiter quædam pronuntiata, generaliter sapiunt. Cùm Deus Israëlitas admonet disciplinæ, vel obiurgat, vtique ad omnes habet: cùm Ægypto & Æthiopiæ exitium comminatur, in Exo. 12. 12. omnem gentem peccatricem præiudicat. Sic omnis gens peccatrix, Ægyptus, & Æthiopia, à specie ad genus. Esa. 19. 1. & seq. quemadmodum etiam de origine spectaculorum omne spectaculum *concilium* vocat *impiorum*, à genere ad speciem.

17. *Spectacula prohibet baptismi professio, quasi pompam diaboli & idololatriam, à qua fluxisse testantur tituli & nomina Deorum. De Spectac. cap. 4. 5. & 6. per totum & 7. in p.*

NE quis argumentari nos putet, ad principalem auctoritatem conuertar ipsius signaculi nostri. Cùm aquam ingressi Christianam fidem in legis suæ verba profitemur, renuntiasse nos diabolo & pompæ & angelis eius ore nostro contestamur. Quid erit summum atque præcipuum, in quo diabolus & pompæ & angeli eius censeantur, quàm idololatria? ex qua omnis immundus & nequam spiritus, vt ita dixerim, quia nec diutiùs de hoc. Igitur si ex idololatria vniuersam spectaculorum paraturam constare constiterit, indubitatè præiudicatum erit etiam ad spectacula pertinere, renuntiationis nostræ testimonium in lauacro, quæ diabolo & pompæ & angelis eius sint mancipata, scilicet per idololatriam. Commemorabimus origines singulorum, quibus in cunabulis in seculo adoleuerint: exinde titulos quorundam, quibus nominibus nuncupentur: exinde apparatus, quibus superstitionibus instruantur: tum loca, quibus præsidibus dicentur: artes, quibus auctoribus deputentur. Si quid ex his non ad idolum pertinuerit, id neque ad idololatriam, neque ad nostram eierationem pertinebit. De originibus quidem, vt secretioribus & Cap. V. ignotis penes plures nostrorum, altiùs, nec aliunde inuestigandum fuit, quàm de instrumentis ethnicalium literarum. Exstant auctores multi, qui super ista re commentarios ediderunt. Ab his ludorum origo sic traditur. Lydos ex Asia transvenas in Hetruria consedisse Timæus refert, duce Tyrrheno, qui fratri suo cesserat, regni contentione. Igitur in Hetruria inter ceteros ritus superstitionum suarum, spectacula quoque religionis nomine instituunt. Inde Romani accersitos artifices mutuantur, tempus, enunciationem, vt ludi à Lydis vocarentur. Sed & si Varro ludos à ludo, id est à lusu interpretatur, sicut & Lupercos ludos appellabant, quòd ludendo discurrant: tamen eum lusum iuuenum & diebus festis, & templis, & religionibus reputat. Nihil iam de causa vocabuli, dum rei causa idololatria sit. Nam & cùm promiscuè ludi liberalia vocarentur, honorem Liberi patris manifestè sonabant. Libero enim à rusticis primò fiebant, ob beneficium quod ei adscribunt, demonstratâ gratiâ vini. Exinde ludi Consualia dicti, qui initio Neptunum honorabant. Eundem enim & Consum vocant. Dehinc Equiria quis Marti Romulus dixit: quamquam & Consualia Romulo defendunt, quòd ea Conso dicauerit, deo, vt volunt, consilij: eius scilicet, quo tunc Sabinarum virginum rapinam militibus suis in matrimonia excogitauit. Probum planè consilium, & nunc quoque inter ipsos Romanos iustum & licitum, ne dixerim penes Deum. Facit enim & hoc ad originis maculam, ne bonum existimes, quod initium à Malo accepit, ab impudentia, à violentia, ab odio, à fratricida institutore, à filio Martis: & nunc ara Conso illi in Circo defossa est ad primas metas sub terra, cum inscriptione huiusmodi, CONSVS CONSILIO, MARS DVELLO, LARES COMITIO POTENTES. Sacrificant apud eam nonis Iuliis sacerdotes publici, XII. Kalend. Septembres flamen Quirinalis, & virgines. Dehinc idem Romulus Ioui Feretrio ludos instituit in Tarpeio, quos Tarpeios dictos & Capitolinos Piso tradit. Post hunc Numa Pompilius Marti & Robigini. Nam & Robiginem deam finxerunt. Dehinc Tullus Hostilius. Dehinc Ancus Martius, & ceteri. Qui, quotque, per ordinem, & quibus idolis ludos instituerunt, positum est apud Suetonium Tranquillum, vel à quibus Tranquillus accepit. Sed hæc satis erunt ad originis de idololatria reatum. Cap. VI. Accedit ad testimonium antiquitatis subsecuta posteritas, formam originis de titulis huius quoque temporis præferens, per quos signatum est cui idolo, & cui superstitioni vtriusque generis ludi notarentur, Megalenses enim & Apollinaros, item Cereales & Neptunales, & Latiares, & Florales in commune celebrantur: reliqui ludorum, de natalibus & solennibus regum, & publicis prosperitatibus, & municipalibus festis superstitionis causas habent. inter quos etiam priuatorum memoriis legatariæ editiones parentant: id quoque secundùm institutionis antiquitatem. Nam & à primordio bifariam ludi censebantur, sacri & funebres, id est diis

Nationum, & mortuis. Sed de idololatria nihil differt apud nos sub quo nomine & titulo, dum ad eosdem spiritus perueniat, quibus renuntiamus, licet mortuis. licebit diis suis faciant, proinde mortuis faciunt. vna conditio partis vtriusque est, vna idololatria, vna
CAP. VII renuntiatio nostra aduersùs idololatriam. Communis origo ludorum vtriusque generis, communes & tituli, vt de communibus causis, perinde apparatus communes habeant necesse est de reatu generali idololatriæ conditricis suæ.

18. *Spectaculorum paraturam omnem, vt diaboli pompam, in baptismo ejerauimus. De Spectac. cap. 24. 25. per totam & 26. in p.*

QVot adhuc modis perorabimus, nihil ex his quæ spectaculis deputantur, placitum Deo esse, aut congruens seruo Dei, quod Deo placitum non sit. Si omnia propter diabolum instituta, & ex diaboli rebus instructa monstrauimus: (nihil enim non diaboli est, vel quidquid Dei non est, vel Deo displicet.) hoc erit pompa diaboli, aduersùs quam in signaculo fidei ejeramus. Quod autem eieramus, neque facto, neque dicto, neque visu, neque prospectu participare debemus. Ceterùm nonne eieramus & rescindimus signaculum, rescindendo testationem eius? Nunquid ergo superest, vt ab ipsis ethnicis responsum flagitemus? Illi iam nobis renuntient, an liceat Christianis spectaculo vti. Atquin hinc vel maximè intelligunt factum Christianum, de repudio spectaculorum. Itaque negat manifestè, qui per quod agnoscitur, tollit. Quid autem spei superest in huiusmodi homine? nemo in castra hostium transit nisi proiectis armis suis, nisi destitutis signis
CAP. XXV. & sacramentis principis sui, nisi pactus simul perire. An ille recogitabit eo tempore de Deo, positus illic vbi nihil est de Deo? pacem opinor habebit in animo, contendens pro auriga? pudicitiam ediscet, attonitus in mimos? immò in omni spectaculo nullum magis scādalum occurret, quàm ille ipse mulierum & virorum accuratior cultus. ipsa consensio, ipsa in fauoribus aut conspiratio, aut dissensio inter se, de commercio scintillas libidinum conflabellant. Nemo denique in spectaculo ineundo priùs cogitat, nisi videri & videre. Sed tragœdo vociferante, exclamationes ille alicuius prophetæ retractabit? & inter effeminati histrionis modos, psalmum secum comminiscetur? & cum athletæ agent, ille dicturus est repercutiendum non esse? poterit & de misericordia moueri defixus in morsus vrsorum, & spongias retiariorum? Auertat Deus à suis tantam voluptatis exitiosæ cupiditatem.
[a] Addit. Rigalt. εἰς αἰῶνας. Quale est enim de Ecclesia Dei, in diaboli ecclesiam tendere? de cœlo (quod aiunt) in cœnum? illas manus quas ad Deum extuleris, postmodum laudando histrionem fatigare? ex ore quo Amen in sanctum protuleris, gladiatori testimonium reddere? εἰς αἰῶνας alij
CAPVT XXVI. omnino dicere nisi Deo & Christo? Cur ergo non huiusmodi, etiam dæmoniis penetrabiles fiant? Nam & exemplum accidit Domino teste, eius mulieris quæ theatrum adiit, & inde cum dæmonio rediit. itaque in exorcismo cùm oneraretur immundùs spiritus, quòd ausus esset fidelem adgredi; constanter, & iustissimè quidem (inquit) feci, in meo eam inueni. Constat & alij linteum in somnis ostensum eius diei nocte, qua tragœdum audierat, cum exprobratione nominatim tragœdi, nec vltra quintum diem eam mulierem in sæculo fuisse.

19. *Et ibid. cap. 26. in f. & 27. in p.*

QVot vtique & alia documenta cesserunt de his qui cum diabolo apud spectacula communicando à Domino exciderunt? [a] *Nemo enim potest duobus dominis seruire.* [b] *Quid luci cum tenebris?* quid vitæ & morti? Odisse debemus istos conuentus & cœtus ethnicorum, vel quòd illic nomen Dei blasphematur, illic in nos quotidiani leones expostulantur, inde persecutiones decernuntur, inde tentationes emittuntur. Quid facies in illo suffragiorum impiorum æstuario deprehensus? non quasi aliquid illic pati possis ab hominibus. nemo te cognoscit Christianum. sed recogita quid de te fiat in cœlo. Dubitas enim illo momento, quo diabolus in ecclesiam furit, omnes angelos prospicere de cœlo, & singulos denotare, quis blasphemiam dixerit, quis audierit, quis linguam, quis aures diabolo aduersùs Deum ministrauerit? Non ergo fugies sedilia hostium Christi, illam [c] *cathedram pestilentiarum*, ipsumque aërem qui desuper incubat scelestis vocibus constupratum?

[a] Matth. 6. 24. [b] 2. Cor. 6. 15. 16. Eccli. 33. 15. CAPVT XXVII. [c] Psal. 1. 1.

20. *Spectaculorum fuga, Christianum à Gentili discriminat. De Spectac. cap. 24. Vide supra num. 18. à princip.*

21. *Spectacula in peccatum & errorem inducunt. De pudic. cap. 7. in m.*

PErit igitur & fidelis elapsus in spectaculum quadrigarij furoris, & gladiatorij cruoris, & scenicæ fœditatis, & xysticæ vanitatis, inlusus, in conuiuia secularis solennitatis, in

officium, in ministerium alienæ idololatriæ; aliquas artes adhibuit curiositatis; in verbum ancipitis negationis, aut blasphemiæ impegit; ob tale quid extra gregem datus est; vel & ipse fortè irâ, tumore, æmulatione, quod denique sæpè fit, dedignatione castigationis abrupit; debet requiri atque reuocari.

22. *Spectacula omnia fugienda, absque vlla scriptura prohibitione, ob varias animi perturbationes, ibi frustra regnantes. De Spectac. cap. 14. 15. & 16. per totum.*

NVnc interposito * nosse idololatriæ, quod solum subiectum sufficere debet ad abdicationem spectaculorum, aliâ iam ratione tractemus ex abundanti: propter eos maximè qui sibi blandiuntur, quòd non nominatim abstinentia ista præscripta sit, quasi parum etiam de spectaculis pronuntietur, cùm [a] *concupiscentiæ sæculi* damnantur. Nam sicut pecuniæ, vel dignitatis, vel gulæ, vel libidinis, vel gloriæ: ita & voluptatis concupiscentia est. Species autem voluptatis etiam spectacula. Opinor generaliter nominatæ concupiscentiæ, continent in se & voluptates. æquè generaliter intellectæ voluptates, specialiter & in spectacula disseruntur. Ceterùm retulimus supra de locorum conditione, quòd non per semetipsa nos inquinent, sed per ea quæ illic geruntur, per quæ simul inquinamentum combiberint, & tum alterò respuunt. Viderit ergo, vt diximus, principalis titulus, idololatria. reliquas ipsarum rerum qualitates contra Dei omnes, feramus. Deus præcepit, Spiritum sanctum, vtpote pro naturæ suæ bono, tenerum & delicatum, tranquillitate & lenitate, & quiete, & pace tractare: non furore, non bile, non irâ, non dolore inquietare. Huic quomodo cum spectaculis poterit conuenire? Omne enim spectaculum sine concussione spiritus non est. Vbi enim voluptas, ibi & studium, per quod scilicet voluptas sapit. Vbi studium, ibi & æmulatio, per quam studium sapit. Porrò & vbi æmulatio, ibi & furor, & bilis, & ira, & dolor, & cetera ex his, quæ cum his non competunt disciplinæ. Nam & si qui modestè & probè spectaculis fruitur, pro dignitatis, vel ætatis, vel etiam naturæ suæ conditione: non tamen immobilis animi est, sine tacita spiritus passione. Nemo ad voluptatem venit sine affectu, nemo affectum sine casibus suis patitur. Ipsi casus incitamenta sunt affectus. Ceterùm si cessat affectus, nulla est voluptas, & est reus iam ille vanitatis, eò conueniens, vbi nihil consequitur. Puto autem etiam vanitas extranea est nobis. Quid quòd & ipse se iudicat, inter eos positus, quorum se similem nolens, vtique detestatorem confitetur. Nobis satis non est, si ipsi nihil tale faciamus, nisi & talia facientibus non conferamur. [b] *Si furem*, inquit, *videbas*, *concurrebas cum eo*. Vtinam ne in seculo quidem simul cum illis moraremur: sed tamen in secularibus separamur, quia seculum Dei est. secularia autem diaboli. Cùm ergo furor interdicitur nobis, ab omni spectaculo auferimur, etiam à Circo, vbi propriè furor præsidet. Aspice populum ad spectaculum iam cum furore venientem, iam tumultuosum, iam cæcum, iam de sponsionibus concitatum. Tardus est illi prætor. semper oculi in vrna eius cum sortibus volutantur. Dehinc ad signum anxij pendent. vnius dementiæ vna vox est. Cognosco dementiam de vanitate: Misit, dicunt, & nuntiant inuicem quod simul ab omnibus visum est. Teneo testimonium cæcitatis. Non vident missum quid sit. mappam putant: sed est diaboli ab alto præcipitati gula. Ex eo itaque itur in furias, & animos, & discordias, & quidquid non licet sacerdotibus pacis. Inde maledicta, conuicia, sine iustitia odij; etiam suffragia sine merito amoris. Quid enim suum consecuturi sunt qui illic agunt, qui sui non sunt? nisi fortè hoc solum, per quod sui non sunt. de aliena infelicitate contristantur, de aliena felicitate lætantur. Quidquid optant, quidquid abominantur, extraneum ab illis est. ita & amor apud illos otiosus, & odium iniustum. An fors sit, tam sine causa amare liceat, quàm sine causa odisse? Deus certè etiam cum causa prohibet odisse, qui inimicos diligi iubet. Deus etiam cum causa maledicere non sinit, qui maledicentes benedici præcipit. Sed Circo quid amarius, vbi ne principibus quidem aut ciuibus suis parcunt? Si quid horum quibus Circus furit alicubi competit sanctis, etiam in Circo licebit: si verò nusquam, ideo nec in Circo.

* nomine
a 1. Io. 2. 16.
Cap. xv.
Ephes. 4. 30.
b Psal. 49. 18.
Cap. xvi.
Matth. 5. 44.
Marc. 7. 10.
Rom. 13. 1.9.

23. *Spectaculorum voluptas, licet ex creaturis bonis constet, à diabolo tamen contra Deum conuertuntur. De Spectac. cap. 2. in p. ad vltrà m.*

IAm verò nemo est, qui non hoc quoque prætendat, Omnia à Deo instituta, & homini attributa, sicut prædicamus, & vtique bona, vt omnia boni auctoris. inter hæc deputari vniuersa ista, ex quibus spectacula instruuntur, Equum verbi gratiâ, & leonem, & vires corporis, & vocis suauitates. Igitur neque alienum videri posse, neque inimicum Deo, quod de conditione constet ipsius: neque culpæ deputandum, quod Dei non sit inimicum, quia nec alienum. Planè & ipsæ extructiones locorum, quòd saxa. quòd cæmen-

Gen. 1. 28

ta, quòd marmora, quòd columnæ, Dei res sunt, qui ea ad instrumentum terræ dedit: sed & ipsi actus sub cœlo Dei transiguntur. Quàm sapiens argumentatrix sibi videtur ignorantia humana: præsertim cùm aliquid eiusmodi de gaudiis & fructibus seculi metuit amittere. Plures denique inuenias, quos magis periculum voluptatis quàm vitæ, auocet ab hac secta. Nam mortem, etiam stultus, vt debitam non extimescit, voluptatem etiam sapiens, vt tantam, non contemnit: cùm alia non sit & stulto & sapienti vitæ gratia, nisi voluptas. Nemo negat, quia nemo ignorat quod vltrò natura suggerit, Deum esse vniuersitatis conditorem, eamque vniuersitatem, tam bonam, quàm homini mancipatam. Sed qui non penitùs Deum norunt, nisi naturali iure, non etiam familiari, de longinquo non de proximo, necesse est ignorent, qualiter administrari iubeat, cùm instituit: simul quæ vis æmula ex aduerso adulterandis vsibus diuinæ conditionis: quia neque voluntatem, neque aduersarium noueris eius, quem minùs noueris. Non ergo hoc solùm respiciendum est à quo omnia sint instituta, sed à quo conuersa. Ita enim apparebit cui vsui sint instituta si appareat cui non. Multùm interest inter corruptelam, & integritatem, quia multum est inter institutorem & interpolatorem. Ceterùm omnes species malorum, quæ etiam ethnici vt indubitata & prohibent & defendunt, ex operibus Dei constant. Vis homicidium ferro, veneno, magicis deuinctionibus perfici. Tam ferrum Dei res est, quàm herbæ, quàm angeli. Nunquid tamen in hominis necem, auctor ista prouidit? Atquin omnem homicidij speciem vno & principali præcepto interimit: [a] *Non occides*. Proinde aurum, æs, argentum, ebur, lignum, & quæcunque fabricandis idolis materia captatur, quis in seculo posuit, nisi seculi auctor Deus? Nunquid tamen, vt hæc aduersùs ipsum adorentur? Atquin summa offensa penes illum idololatria. Quid non Dei est, quod Deum offendit? sed cùm offendit, Dei esse desiit; & cùm desiit, offendit. Ipse homo omnium flagitiorum auctor, non tantùm opus Dei, verumetiam imago est: & tamen & corpore & spiritu desciit à suo institutore. Neque enim oculos ad concupiscentiam sumpsimus, & linguam ad maliloquium, & aures ad exceptaculum maliloquij, & gulam ad gulæ crimen, & ventrem ad gulæ societatem, & genitalia ad excessus impudicitiæ, & manus ad vim, & gressus ad vagam vitam: aut spiritus ideo insitus corpori, vt insidiarum, vt fraudium, vt iniquitatum cogitatorium fieret. non opinor. Nam si omnem malignitatem, & si tantùm malitiam excogitatam, Deus exactor innocentiæ odit, indubitatè quæcunque condidit, non in exitum operum constat condidisse, quæ damnat, licet eadem opera, per ea quæ condidit, administrentur, quando hæc sit tota ratio damnationis, peruersa administratio conditionis à conditis.

Exo. 20. 13.

24. *Spectaculorum artes à dæmonibus inspiratæ, vt in artificibus deificatis, ipsi pro diis colerentur. De Spectac. cap. 10. in f.*

IAm nunc volumus suggerere de artibus, & de his, quorum auctores in nominibus execramur. Scimus nihil esse nomina mortuorum, sicut & ipsa simulacra eorum. Sed non ignoramus, qui sub istis nominibus, institutis simulacris, operentur, & gaudeant, & diuinitatem mentiantur, nequam spiritus scilicet dæmones. Videmus igitur etiam artes eorum honoribus dicatas esse, qui nomina incolunt auctorum, nec ab idololatria vacare, quarum institutores etiam propterea dij habentur. Imò quod ad artes pertinet, altiùs præscripsisse debemus, dæmonas ab initio prospicientes sibi inter cetera idololatriæ etiam spectaculorum inquinamenta, quibus hominem à Deo auocarent, & suo honori obligarent, eiusmodi quoque artium ingenia inspirasse. neque enim ab aliis procuratum fuisset, quod ad illos peruenturum esset. nec per alios tunc homines edidissent, quàm per ipsos, in quorum nominibus, & imaginibus & historiis, fallaciam, consecrationis sibi negotium acturi constituerant.

25. *Spectacula adeuntes, vel possessi à dæmone, vel morte puniti sunt. De Spectac. cap. 26.*

Vide suprà num. 18. circa finem.

SPECTACVLA IVSTE DAMNAT DEVS. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. SCHOL.

HVMANA RECORDATIO. *Cùm Censores Gentilium aduerterint mulctandos ludorum artifices, quidquid propria etiam in Spectaculis voluptas contradiceret, adeo vt eos etiam fama mulctarent; quanto magis eos iustitià diuina suà censura perstringet, & aurigas Circi, qui tot aduersarum partium, de quibus suprà, inquietant animos.* TOT STATVARVM, *quas item in Circo annotauimus. Alij legunt* statuum *alij* fatuorum.

A COLORATVS VT LENO. *Qui affectabat colores amatorum. Vel alludit ad quatuor colores, de quibus suprà.* ADVERSVS HELIAM. *Nota diabolum Dei simium, qui vt æmularetur Heliam raptum curru in cœlum, sic suos rapiebat aurigas in Circum. De Helia Aug. lib. 9. lib. 2. de Symbolo ad Catech.* Si te pompa illa, *inquit,* figura ea equorum, compositio curruum, ornatus & aurigæ superstantis, *coronam & colores intellige,* S. Aug.

equos regentis, vincere cupientis; si hæc te, vt dixi, pompa delectat: nec hanc tibi denegauit, qui pompis diaboli renuntiare præcepit. Habemus & nos spiritalem nostrum aurigam sanctum Prophetam Heliam, qui quadrigæ igneæ superimpositus tantùm cucurrit, vt metas prenderet cœli. Et si aduersarios quos vera virtus vicit, & quos ille volando transiit, atque ex quorum victoria palmam supernæ celsitudinis accepit, videre desideras: currus Pharaonis, & omnem virtutem eius proiecit in mare. NOVACVLA MVTAT. *Histrio & Comœdus, Saturno, Isidi, & Libero, repræsentatis imberbibus, affectant similari. Fingitur Saturnus castratus à filio Ioue, Isis fœmina, Bacchus in perenni iuuenta. Vnde Clemens Alex. 3. Pædag. c.3* Pecti, deglabrari, genas depilari, an non muliebre? & certè nisi quis eos nudos viderit, mulieres esse suspicabitur. *Et hoc proprium erat scenicorum, mentiri vultus. Sicut & tragœdorum, quos & hîc carpit, ad staturam adiicere, assumptis grandibus cothurnis. Vnde Seneca ep. 76.* Præsente populo elati incesserunt, & cothurnati: simul exierunt, excalceantur, & ad staturam suam redeunt. *Tandem de stadio & pugilum alapis, Cyprianus de Spectaculis.* Ictibus infœlix facies locatur.

15. OPVS PERSONARVM. *Quo in theatro laruati & personati procedunt scenici, Deo displicet; qui cùm in lege vetuerit omnem animalium similitudinem fieri; multò magis hominem prohibet transformari.* VOCEM. *Quam mutat masculus, eam molliens in femellam.* SEXVS. *Mutato viri in fœminam habitu, quod Deut. 22. 5. inhibetur;* non induetur mulier veste virili, nec vir vtetur veste fœmineâ: 70. *non erunt vasa viri super mulierem, neque induetur vir stolam muliebrem:* abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc. *Vnde Synodus Trullana, Canone 62. vbi de comicis.* Vir nemo muliebri veste induatur, nec mulier veste viris habili. ÆTATES MENTIVNTVR. *Cùm barbam radunt, vt iuuenes appareant, & mulieres vetulæ in theatro in iuuenes componuntur.* AMORES, IRAS, &c. *quia fingunt passiones, vnde histriones verè hypocritæ. Tam aptè porrò fingunt lacrymas, vt & eas moueant spectatoribus. de qua vanitate sic Aug lib. 3. Confess. cap. 2.* Quid est, *inquit*, quod homo ibi vult dolere, (S. Aug.) cùm spectat luctuosa atque tragica, quæ tamen pati ipse nollet? & tamen pati vult ex eis dolorem spectator, & dolor ipse est voluptas eius. Quid enim est, nisi miserabilis insania? nã eò magis eis mouetur quisque, quò minùs à talibus sanus est affectibus: quanquam cùm ipse patitur, miseria; cum aliis compatitur, misericordia dici solet. Sed qualis tandem misericordia in rèbus fictis & scenicis? non enim ad subueniendum, *quod est misericordiæ*, prouocatur auditor, sed tantùm ad dolendum inuitatur. Et auctori eorum imaginum, *actori, cui Deus id prohibet fingere*, ampliùs fauet, cùm ampliùs dolet. Et si calamitates illæ hominum, vel antiquæ, *quæ olim de facto acciderunt*, vel falsæ, sic agantur, vt qui spectat, non doleat, abscedit inde fastidiens & reprehendens. Si autem doleat, manet intentus, & gaudens lacrymatur. Ergo amantur & dolores? certè omnis homo gaudere vult. An cùm miserum neminem esse libeat, libet tamen esse misericordem? quod quia non sine dolore est, hac vnâ causâ amantur dolores. Et hoc de illa vena amicitiæ est. Sed quò vadit, quò fluit? vt quid decurrit in torrentem picis bullientis æstus immanes tetrarum libidinum, in quo ipsa mutatur & vertitur per nutum proprium de cœlesti serenitate detorta atque deiecta? *Prosequitur de gaudio quo congaudetur actori, & de condolentia cum histrione de quo iam supra. De histrionibus hypocritis & mentientibus, Augustinus iuxta Psaltem dixit:* (S. Aug.) Narrauerunt mihi iniqui delectationes, *fabulationes*, sed non vt lex tua. *Et illud rursum;* Beatus qui non respexit in vanitates, & insanias falsas. *Sed quàm differat cultus Dei veri hæc mendacia odientis, à diis Gentium falsis, mendaciis quoque histrionum lætantibus. Libro 2. de Ciuit. cap. 10.* Maligni, *inquit*, spiritus (S. Aug.) quos isti Deos putant, etiam flagitia quæ ipsi non admiserunt, de se dici volunt, dum tamen humanas mentes his opinionibus velut retibus induant, & ad prædestinatum supplicium secum trahant: siue homines ista commiserint, quos Deos haberi volunt, qui humanis erroribus gaudent, pro quibus etiam se colendos, mille nocendi fallendique artibus interponunt. Siue etiam nullorum hominum illa crimina vera sint, quæ tamen de numinibus fingi libenter accipiunt fallacissimi spiritus, vt ad scelesta ac turpia perpetranda, velut ab ipso cœlo traduci in terras, satis idonea videatur authoritas. *Tum de Græcis histriones honorantibus:* ad hanc conuenientiam pertinet, quòd etiam scenicos acto- (S. Aug.) res earumdem fabularum, non paruo ciuitatis honore dignos existimarunt. Siquidem, quod in eodem quoque, *Ciceronis* 4. de Republica libro commemoratur, Æschines Atheniensis, vir eloquentissimus, cùm adolescens tragœdias actitauisset, Rempublicam capessiuit. Et Aristodemum tragicum item actorem, maximis de rebus pacis ac belli, legatum ad Philippum Athenienses sæpè miserunt. Non enim consentaneum putabatur, cùm easdem artes, eosdemque scenicos ludos etiam diis suis acceptos viderent, illos per quos agerentur, infamium loco ac numero deputare.

16. HAC CONSCIENTIA. *Doctrinam intellige quam in fine secundi capitis pro fundamento detestationis omnis spectaculi, posuerat: nempe à diabolo omnem Dei creaturam ad prauos vsus eius arte mutatam. In hoc iam ad Christianos se conuertit instruendos.* SCRVPVLOSIOR. *Religiosior.* SE INCERTVM CONSTITVIT, *protestatur se dubitare de prohibitione spectaculorum, nisi id in scriptura expressè prohibitum esse probetur. Fatetur Tertullianus non ita apertè & expressè inhibitum, sicut vetitum est non facies sculptile, &c. sed tamen implicitè contentam hanc prohibitionem versu primo Psalmi:* Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, &c. QVIDQVOD, *alij legunt*, quò & cætera congruunt, *ad eandem rem comprobandam concurrunt.* CARDINES BALTHEORVM, *cingula & repagula quædam, quibus subsellia equitum cingebantur, qui balthei erant quibusdam cardinibus innixi, & discernebant equites à plebe viæ istæ. Vitruuius vocat itinera & diazomata. Per* popularia loca, *intelligit ea vnde spectabat populus discretus ab equestribus, quæ in procliui erant, ad commodius spectaculum viæ. Viæ igitur propriè erant inter cardines baltheorum, discernentes equites à plebe.* CATHEDRA QVOQVE, &c. *locum intelligit in quo sedebant spectatores, quem ponit in anfractu, quod subselliorum forma non esset continua, sed interrupta, ad commodiorem ingressum, & egressum. Concinit Tertulliano Clemens Alex. lib. 3. Pædag. cap. 11.* Nec nos igitur ad spectacula Pædagogus ducet, nec incõcinnè stadia & theatra pestilentiæ cathedram quis vocauerit. Nam hîc quoque est scelestum Concilium, sicut aduesùrs iustum, *Christum*, & ideo maledictis deuouetur quæ ibi fit congregatio. *Aug. in Psal. 1. vbi de cathedra pestilentiæ.* (S. Aug.) Pestilentia, *inquit*, est morbus latè peruagatus, & omnes, aut penè omnes inuoluens. *Et licet de superbia id dicat, tamen referri potest ad spectacula quorum curiositate omnes penè insaniunt.* Quanquam accõmodatiùs accipiatur cathedra pestilentiæ, perniciosa doctrina, cuius sermo vt cancer serpit. *Quod fit maximè in scena & theatro. de amphitheatro autem sic in Psal. 25.* (S. Aug.) Non sedi cum concilio vanitatis. Aliquando, *inquit*, non

es in concilio, & ibi ſedes; verbi gratiâ, in theatro non ſedes, ſed cogitas theatrica; ibi ſedes corde, quamuis non ſis ibi corpore. Contingat autem vt tenearis ab aliquo, & ibi colligeris, aut aliquod officium pium faciat te ibi ſedere. Quomodo poteſt hoc euenire? contingit ex officio pietatis, vt ſeruo Dei ſit neceſſitas in amphitheatro eſſe; liberare volebat neſcio quem gladiatorem, fieri poſſet vt ſederet, & expectaret donec ille exiret quem liberare cupiebat. Ecce non ſedit in concilio vanitatis, quamuis illic corpore ſedere videretur. Quid eſt ſedere? conſentire cum his qui ibi ſedent. Quòd ſi præſens non feceris, non ibi ſediſti. Si abſens feceris, ſediſti ibi. CAPIT. *Poteſt.* SAPIVNT. *Dici videntur.* AD OMNES HABET. *Pertinet, vel Deus habet ſermonem ad omnes; vt quod genericè dicitur, etiam ſpecificè dictum intelligatur; & viceuerſâ.*

17. ARGVMENTARI. *Sophiſticè & captioſè agere.* SIGNACVLI NOSTRI. *Characteris baptiſmalis. Vel crucem intelligit, Dion. cap. 5. Eccl. Hierarch. vbi de baptiſmo; meminit ſignaculi in formam crucis.* AQVAM INGRESSI. *Trinâ immerſione.* EX QVA OMNIS. *Supple paſcitur, & colitur.* EIERATIONEM. *Abiurationem factam in baptiſmo.* DE INSTRVMENTIS. *Libris Gentilium.* TIMÆVS, *hiſtoricus Siculus de quo Cicero, Plutarchus, Diodorus.* LYDOS EX ASIA. *Vnde ludos à Lydiis deriuatos volunt.* REGNI CONTENTIONE. *Alij legunt* contemptione *id eſt contemptu. Sic Euſtathius in Dionyſium,* Tyrrheni nominantur à Tyrrheno Lydo, Atyos filio. *Velleius autem libro primo:* Lydus, *inquit,* & Tyrrhenus fratres, cùm regnarent in Lydia, ſterilitate frugum compulſi, ſortiti ſunt, vter cum parte multitudinis patriâ decederet: ſors Tyrrhenum contigit. RELIGIONIS NOMINE. *In honorem Deorum.* INDE ROMANI. *Ita Heſychius:* Ludiones ex Etruria acciti. TEMPVS ENVNTIATIONEM. *Temporis ſucceſſu factum eſt, vt ludi à Lydis vocarentur.* LVPERCOS LVDOS. *Lupercalia, quibus nudi iuuenes diſcurrentes celebrabant ludos, primò ex inſtituto Arcadum, deinde in honorem Lupæ nutricis Romuli. Vide Plutarchum in Cæſare.* RELIGIONIBVS REPVTAT. *Imputat cultibus Deorum. De liberalibus & conſualibus iam alibi dixi.* EQVIRIA. *Varro ab equorum curſu in campo Martio. Cætera habes & alibi.* AB ODIO. *Ex Plutarcho, quòd contra Sabinos, non tam connubia quàm bellum quæreret.* DEFOSSA EST. *Plutarchus in vita Romuli.* CONSVS CONSILIO. *Potens conſilio, Mars duello & bello, Lares comitio præſiderent. Templum Larium ab Æmilio Rugillo Prætore dedicatum fuit in campo Martio in quo fiebant comitia, id eſt cœtus & conuentus populi. Alij legunt,* compitalitio *quòd Lares publici compitis & vicis præſiderent. Sacra porro Conſi bis in anno fiebant. Nonis ſcilicet Iunij, & 12. Kal. Septembris. Quorum miniſtri & Sacerdotes publici erant, Conſi quidem Sacerdotes publici, flamen Quirinalis ſiue Romuleus Marti, virgines Veſtales Laribus ſacrificabant.* IOVI FERETRIO. *Plin. ſæpè citat Piſonis Annales.* FERETRIO *vox deducta à feretro quo in pompis ſpolia hoſtium ferebantur, vnde ex Dionyſio Halicar. lib. 2. hiſt. Romulus extructo templo in vertice montis Tarpei ſiue Capitolij, Ioui Feretrio, poſt pompam triumphi ſpolia Regis Ceninenſium ſuâ manu interfecti conſecrauit.* NVMA ROBIGINI. *Plin. lib. 18. c. 29.* Rubigalia Numa conſtituit anno regni ſui 11. quæ nunc aguntur ad 7. Kal. Maij, quoniam tunc ferè ſegetes rubigo occupat. *De Rubigine Dea Aug. 4. de Ciuit. cap. 21.* (S. Aug.) Nec Deus Spinenſis vt ſpinas ex agris eradicaret, nec Dea Rubigo vt non accederet rogaretur. *Hinc Dea ex Ouidio canis immolabatur.* TVLLVS HOSTILIVS. *De hoc rurſum Plin. lib. 28. cap. 2. Et hic quidem ex Aug. lib. 3. de Ciuit. cap. 15.* (S. Aug.) Tertius à Romulo. Rex victor & euerſor Albæ cum tota domo

A ſua fulmine concrematus eſt. ANCVS MARTIVS. *De hoc ibidem Auguſtinus.* Cæteri Reges populi Romani, (S. Aug.) excepto Numâ Pompilio & Anco Martio, qui morbo interierunt, quàm horrendos exitus habuerunt. *Euſeb. in Chron. & Eutrop. contra Plutarchum cum Auguſtino de Anco Martio conſentiunt.* SVBSEQVVTA POSTERITAS. *Conſulum ſcilicet, qui Regibus ſucceſſerunt.* DE TITVLIS. *Supple Deorum à quibus appellati ſunt.* VTRIVSQVE GENERIS. *Circenſes ſcil. & theatrales.* MEGALENSES. *Qui erant ſacri Cybeli magnæ matri Deorum. Et hi quidem erant ludi ſcenici, de quibus Auguſtinus, lib. 2. de Ciuit. cap. 4.* (S. Aug.) Veniebamus, *inquit*, nos etiam aliquando adoleſcentes (B) ad ſpectacula ludibriaque ſacrilegiorum: ſpectabamus arreptitios, audiebamus ſymphoniacos, ludis turpiſſimis, qui diis deabuſque exhibebantur, oblectabamur. Cœleſti virgini, & Berecynthiæ matri Deorum, *Tertull. Apol. 24. Africæ cœleſtis meminit,* (S. Aug.) omnium, ante eius lecticam die ſolemni lauationis eius, *pridie idus Aprilis*, talia per publicum cantitabantur à nequiſſimis ſcenicis, qualia non dico matrem Deorum, ſed matrem qualiumcunque Senatorum, vel quorumlibet honeſtorum virorum, imò verò qualia nec matrem ipſorum ſcenicorum deceret audire, &c. quæ ſunt ſacrilegia, ſi illa erant ſacra? aut quæ inquinatio, ſi illa lauatio? Et hæc fercula appellabantur, quaſi celebraretur (C) conuiuium quo velut ſuis epulis immunda dæmonia paſcerentur. APOLLINARES. *Circenſes in honorem Apollinis, ſicut & Cereales in honorem Cereris, & Neptunales, Neptuni. Videndus Liuius lib. 26.* (S. Aug.) *in quibus omnibus, equis in Circo certabatur curſu.* LATIARES, *Ioui Latiari, de quibus Suetonius in Caligula. In quibus ſanguis gladiatorum fundebatur. Non quòd verè ludus hic ſit gladiatorius, ſed quòd etiam in ludo ſcenico vilis aliqua victima humana caderetur. De quo Tertull. Apol. cap. 8.* Iupiter quidam, quem ludis ſuis humano proluunt ſanguine. *Ludus autem hic ex Feſto oſcillatio dicebatur; quòd eo ludentes, os & vultum celarent, propter verecundiam. Origo autem ex eo ducta, quòd Rex Latinus à Meſentio Rege victus, nuſquam* (D) *poſtea apparuerit, vnde creditus eſt factus Iupiter Latiaris. Inde feſtum celebatur per ſex dies; quibus tam liberi, quàm ſerui, cum ſic delaruati requirebant, quòd latuiſſet. Sanguinis admixti ludo ſcenico, Author Cyprianus lib. de Spectaculis;* Inter quæ, *inquit*, nonnumquam & homo fit hoſtia latrocinio Sacerdotis, dum cruor etiam de iugulo calidus exceptus paterâ, dum adhuc feruet, & quaſi ſitienti idolo in faciem iaculatus crudeliter propinatur, & inter voluptates ſpectantium, quorumdam mors erogatur. ET FLORALES. *Aduerte ex Plin. lib. 18. cap. 29. pridie Kal. Maias celebratum feſtum Floræ, & Veſtæ, Apollinis & Auguſti. De Flora Auguſtinus lib. 2. de Ciuit. cap. 27.* Vir grauis & Philoſophus Tertullius Ædilis futurus, clamabat in auribus ciuitatis, inter cætera ſui Magiſtratus officia, (S. Aug.) ſibi Floram matrem ludorum celebritate placandam: qui ludi tantò (E) deuotiùs, quantò turpiùs celebrari ſolent. *Et ep. 202. ad Nectarium.* Hæc, *inquit*, mala dedecoris impietatiſque pleniſſima, ſi nemine prohibente in (S. Aug.) populis ferueant, adorentur in templis, rideantur, in theatris: cùm his victimas immolant, vaſtetur pecus etiam pauperum; cum hæc hiſtriones agunt & ſaltant, effundantur patrimonia diuitum; ciuitates florere dicuntur? Horum planè florum, non terra fertilis, non aliqua opulens virtus, ſed illa Dea Flora digna mater inuenta eſt cuius ludi ſcenici tam effuſiore & licentiore turpitudine celebrantur, vt quiuis intelligat, quale dæmonium ſit, quod placari aliter non poteſt, niſi illic non aues, non quadrupedes, non denique ſanguis humanus,

ſed

sed multò scelestiùs pudor humanus tanquam immolatus intereat. Hæc dixi propter quod scripsisti: quantùm tibi ætas fini proxima est, cupere te, vt patriam tuam incolumem ac florentem relinquas. Tollantur iam ista omnia vana & insana, conuertantur homines ad verum Dei cultum moresque castos & pios: tunc patriam tuam florentem videbis, non opinione stultorum, sed veritate sapiētum, cùm hæc patria carnalis generationis tuæ portio fuerit, illius patriæ, cui non corpore, sed fide nascimur: vbi omnes sancti & fideles Dei post labores velut hyemales vitæ huius, interminatâ æternitate florebunt. SOLEMNIBVS. *Inaugurationis.* PVBLICIS PROSPERITATIBVS. *Victoriis, &c.* MVNICIPALIBVS. *Alij legunt* fastis. *Ludorum municipalium origo repetenda est à fastis. Municipia enim capta, festa & ludos plerumque imperabant ad rei memoriam.* MEMORIIS. *Sunt ludi editi ab hæredibus in defunctorum memoriam, vt constat ex ipsorum defunctorum legatis.* BIFARIAM CENSEBANTVR, *in duo genera diuidebantur.* LICET MORTVIS, *id est ex mortuis in diuos transcriptis, in quibus dæmones coluntur.* DE REATV GENERALI. *Quicumque ludi & spectacula, originem habent ab idololatria, cui renunciauimus.*

18. PROPTER DIABOLVM. *Ob diaboli cultum.* EX DIABOLI REBVS. *Non quòd sit rei alicuius author; sed quòd res Dei, in pompam suam transferat.* SIGNACVLO FIDEI, *baptismo. Sicut de Abraham circumcisio dicitur, in figuram baptismi;* Accepit signaculum iustitiæ fidei. RESCINDIMVS SIGNACVLVM, *soluimus, cassamus. Vox iuris,* rescindere rem iudicatam *l. 10. C. de procur.* Rescindere quæ pronuntiauerunt. *l. 27. ff. de pœnis.* Rescindere testamentum. *l. 36. ff. de statuliberis. De signaculo Sacramenti. August. libro de catechis. rudibus, vbi inter cætera, baptizandum hortatur ad fugienda spectacula, cap. 25.* Coniungere bonis, *inquit,* quos vides amare tecum
S. Aug. Regem tuum. Multos enim inuenturus es, si & tu talis esse cœperis. Nam si in spectaculis cum illis esse cupiebas, & eis inhærere, qui tecum vel aurigam vel venatorem, vel aliquem histrionem simul amabant. *Alludit ad partes quibus spectatores fauebant in*
S. Aug. *spectaculis, de quibus suprà.* Quantò magis te delectare debet eorum coniunctio, qui tecum amant Dominum, de quo nunquam erubescet amator eius, quia non solùm ipse non potest vinci, sed etiam dilectores suos reddet inuictos. *Tum sequenti capite:*
S. Aug. his dictis, *inquit,* interrogandus est, an hæc credat, atque obseruare desideret. Quod cùm responderit, solemniter, vtique signandus est, & Ecclesiæ more tractandus. TESTATIONEM. *Insinuandum, quo diabolo & pompis eius renuntiauimus.* NEGAT, *se esse Christianum.* PACTVS SIMVL PERIRE. *Cum diabolo damnari. Sicut hi quos apud Prophetam;* pepigerunt fœdus cum morte, & cum inferno fecerunt pactum. CONTENDENS. *Faciens sponsionem pro hoc vel illo actore.* IN MIMOS, *raptus gestibus eorum impudicis.* IN FAVORIBVS. *Quia fauent illi, vel isti parti, & visu inuicem ornatum, & colloquio, & consensu, suas mutuò libidines inflammant.* EFFŒMINATI HISTRIONIS, *alij legunt* effœminationis. REPERCVTIENDVM. *Non cogitabit verba Euangelij:* si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbo illi & alteram. DESIDVS. *Attentè considerans in amphitheatro vrsos gladiatorem laniantes.* SPONGIAS. *Plin. lib. 31. cap. 11.* Fractura & vulnera spongiis vilissimè fouentur, &c. conglutinant vulnera. RETIARIORVM. *Gladiatorum, qui retibus laxatis capita inimicorum implicabant, & sic postea confodiebant. Vide Isidorum.* FATIGARE. *Frequenter plaudendo.* IN SANCTVM. *Corpus Christi accipiendo, vel in sancto Sacrificio respondendo. εἰς αἰῶνας. In sæcula, in æuum. Quod in acclama-*

A *tionibus, vel Imperatori adstanti, vel actoribus dicebatur; soli Deo, & Christo in Ecclesia canitur* in sæcula, per omnia sæcula sæculorum Amen. DÆMONIIS PENETRABILES. *Quid mirum, inquit, si interdum huiusmodi spectatores ludorum dæmones inuadant.* CVM ONERARETVR. *Additis imprecationibus.* LINTEVM, *vel spectaculi velum intellige quod expandebatur in theatro. Vel in tabula pictam tragœdiam, quâ fuerat delectata, vel linteum sepulturæ, cui post quintum diem addicta erat.*

19. CESSERVNT. *Plura accesserunt exempla, quibus edocemur, multos in spectaculis communicando cum dæmone, à Dei gratia & fide recidisse.* LEONES EXPOSTVLANTVR. *Gentiles quippe oderant Christianos spectaculorum contemptores, & in his ad bestias Christianos damnari vociferando petebant.* TENTATIONES. *Contra fidem & bonos mores.* SVFFRAGIORVM ÆSTVARIO. *Duo innuit. Primò Circum, theatrum, amphitheatrum, & stadium, loca esse mari simillima, ob varios æstus passionum, fluxus & refluxus Actorum, feruorem & zelum impium Gentilium in Christianos, de quibus Propheta:* impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest; *vnde & vel à spectatoribus suffragia pro Actoribus, vel contra Christianos feruntur. Secundò pungit Christianum ibi à Deo cuncta vidente deprehensum. Vnde licet nihil pati possit inibi Christianus simul cum ethnicis spectator factus, tamen ab Angelis horrentibus & vindictam à Deo petentibus aspicitur. quòd eum non pudeat etiam tunc adesse, cùm diabolus insanit, per*
C *ethnicos postulans Christianos ad leones damnari, vt spectatores pascat sanguine Christianorum; vel cùm scenici contra Deum blasphemant, & sacra eius mysteria histriones ludunt in theatro.*

21. PERIT. *Excidit à fide & probis moribus, dum spectat quadrigas furentes in Circo, gladiatores pugnantes in amphitheatro, scenicos lasciuientes in theatro, pugiles, & agonistas, vel currentes in stadio; dum ludos & conuiuia Gentilium ingreditur, dum officia & ministeria subit idololatriæ propria, & à Christiana Religione aliena, dum magicas artes curiosus exercet, dum interrogatus de fide, verbo ancipiti vtitur & dubio.* EXTRA GREGEM. *Aberrat ab ouili Christi, relictis nonaginta nouem; vel ideo excommunicatur est.*
D FORTE IRA. *A grauibus criminibus ad leuiora descendit, motus iræ, dissimulationem correctionis, quam superiores debent subditis, imò & æquales æqualibus:* vnicuique mandauit Deus de proximo suo. DEBET REQVIRI. *Vt Christus ouem perditam quæsiuit, & retulit humeris in ouile.*

22. INTERPOSITO NOSSE. *Alij legunt.* Nomine idololatriæ. *Licet sufficeret inter affectum humanum ad vana & turpia spectacula auersanda interponere, & ponere ob oculos idololatriam, quæ in his omnibus aspergitur; tamen vt eos conuincam abundantiori ratione, qui sibi ad ea frequentanda blandiuntur, quòd scriptura id non prohibeat, asserunt mundum & concupiscentiam eius nobis per Ioannem interdictam. 1. Io.*
E *2. 15.* Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo: quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit & concupiscentia eius. *In quem locum Aug. tract. 2.* Vis, *inquit,* habere dilectionem Patris, vt sis hæres filij, noli diligere mundum, exclude malum amorem mundi, vt implearis amore Dei, &c. Quomodo ibi radicatur charitas inter tanta syluosa amoris mundi? extirpate syluas, magnum semen posituri estis: non sit in agro quod suffocet semen, &c. quare non amem quod fecit Deus? quid vis? vtrùm amare temporalia & transire cum tempore, an mundum S. Aug.

non amare, & in æternum viuere? DISSERVNTVR, alij differuntur. *Distribuuntur, diuiduntur, tanquam in species suas.* ALTERÒ RESPVVNT. *Alio renuunt. Alij legunt* in alteros, *scilicet spectatores.* PRINCIPALIS TITVLVS. *Quasi dicat; quis adeo cæcus, vt non videat, ex præcipuo titulo & capite præsidentis idololatriæ spectaculis, ipso hoc titulo & nomine, singillatim & in primo decalogi præcepto, non facies tibi sculptile, esse prohibita?* CONTRA DEI. *Supple qualitates, res, præcepta, esse spectacula. Alij legunt,* contrariis omnes feramus: *dicamus & pronunciemus, feramus sententiam contra spectacula, contrariis eis testimoniis.* SPIRITVM SANCTVM. *Ephes.* 4. 30. Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollantur à vobis cum omni malitia. *Locum infra exponemus vbi de Spiritu sancto non contristando.* CONCVSSIONE. *Commotione, perturbatione affectuum.* STVDIVM. *Ardor affectus.* SAPIT, *grata est & sapida.* FVROR, *in Circo.* BILIS, *in stadio.* IRA. *In amphitheatro.* DOLOR, *in theatro.* DISCIPLINÆ, *Christianæ. Cæterùm de scenicis à Salomone dictum:* Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. SINE CASIBVS. *Circumstantiis, vel lapsibus, & peccatis, quæ ex diuersis exitibus, & euentis ludorum proueniunt. Vnde Aug lib. 6. Confess.*

S. Aug. *cap. 8. de Alipio suprà memorato;* Quodam pugnæ casu, &c. cecidit miserabiliùs, quàm ille, quo cadente factus est clamor. *Et capite præcedenti narrat eiusdem Alipij conuersionem ab insania ludorum Circensium.* Gurges, *inquit*, morum Carthaginiensium, quibus nugatoria feruent spectacula, absorbuerat eum in insania Circensium, &c. compereram quòd Circum exitialiter amaret, &c *Tum narrat, inter docendum, licet nihil de Alipio audiente cogitaret; contra spectacula, vel ex his similitudine sumptâ, eius animam prorsus ab his auocasse, Deo sic sermonem dirigente.* Fortè, *inquit*, lectio in manibus

S. Aug. erat, quam dum exponerem, opportunè mihi videbatur adhibenda similitudo Circensium, quò illud quod insinuabam & planius fieret, cum irrisione mordaci eorum quos illa captiuasset insania. Tu scis Deus noster, quòd tunc de Alipio ab illa peste sanando non cogitauerim. At ille in se rapuit, meque illud non nisi propter se dixisse credidit. Et quod alius acciperet ad succendendum mihi, accepit honestus adolescens ad succendendum sibi, & ad me ardentiùs diligendum, &c. etenim ille post illa verba proripuit se ex fouea tam alta quâ libenter demergebatur, & cum miserabili voluptate cæcabatur; & excussit animum forti temperantiâ, & resiluerunt omnes Circensium sordes ab eo, amplhiúsque illuc non accessit. REVS *vanitatis. Cùm fidelis nihil debeat frustra agere, & sine fine.* IPSE SE IVDICAT. *Alludit ad Paulum dicentem*, eadem agis quæ iudicas, &c. NOLENS, *æstimari ethnicus, cuius opera facit.* SI FVREM. *Psal.* 49. 18. Si videbas furem currebas cum eo. DE SPONSIONIBVS. *Quia pignora & sponsiones deponebant, quis aurigarum victor esset.* TARDVS PRÆTOR. *Huius duplex officium erat in Circo. Primò enim certaturorum nomina & sortes versatas educebat ex vrna. Secundò mappam in signum certaminis ex alto mittebat. Cassiod. lib. 3. ep. 51. originem mittendæ mappæ tradit.* Mappa, *inquit*, quæ signum dare videtur Circensibus, tali casu fluxit in morem. Cùm Nero prandium protenderet, & celeritatem, vt assolet, auidus spectandi populus flagitaret, ille mappam quâ tergendis manibus vtebatur, iussit abiici per fenestram, vt libertatem daret certaminis

A postulanti. *Antiquior tamen eius vsus patet ex Tullio libro 1. diuinat. vbi versus Ennij citat* veluti Prætor cùm mittere signum vult, omnes auidi spectant ad carceris oras, quam mox emittat pictis e faucibus currus. VNIVS DEMENTIÆ. *Totius populi spectantis vna eademque stultitiæ vox est, vt exclament simul,* misit; *supple Prætor* mappam, *in signum cursus.* DE VANITATE. *Ex vana & frustranea voce, quâ inuicem se admonent, quasi de re ignota, quæ ab omnibus est visa.* TENEO TESTIMONIVM. *Suprà dixit cæcum furorem regnare in Circo. Et hoc, inquit, habeo cæcitatis huius testimonium, quod cùm putent simplicem mappam esse missam, non intelligunt ipsam esse diaboli de cælo præcipitati è curru superbiæ, figuram. Sic enim pro*, gula, *legunt alij;* figuram. *Malim ego legere*, gulam. *Vt alludat ad præcitatam Neronis mappam. Vel ad delicatas diaboli epulas. Hæc enim eius est gula & auiditas, vt dum oculos suos pascunt homines spectaculis, ipse pascat se eorum peccatis & ruinis.* EX EO. *Statim atque mappa missa est.* SACERDOTIBVS PACIS. *Quia Christiani sunt, iuxta Petrum*, gens sancta, Regale Sacerdotium. *Nec decet filios Dei pacificos, spectaculum certaminis, & tanta passionum perturbatio. Porrò vox iuris est. Vnde & dicuntur Sacerdotes iuris, siue Antistites. Bud. l. 1. de Iust. & iur. Ita Arcadius & Honorius sacræ legis primarium Doctorem, appellarunt; sicut & Diocletianus liberalium studiorum Antistitem l. 1. C. de Decret. decur.* SINE IVSTITIÀ, *sine causa; quia hunc volunt premiari sine iusto amore,*

C *hunc vinci absque iusto odio.* AGVNT. *Qui sibi versantur ad spectandum.* SVI NON SVNT. *Quia abripiuntur passionibus rectæ rationi aduersis.* EXTRANEVM. *Non ad eos pertinet; proinde otiosus & vanus est.* AN FORS SIT. *Alij legunt*, & forsitan sine causa amare liceat, &c. *Subaudi, magis fortè liceat amare sine causa & gratis, quàm sine causa odisse.* NEC PRINCIPIBVS. *Quia dum principes aut ciues aurigabant & currebant, sæpè contra eos spondebant pro extraneis quos vincere cupiebant.* COMPETIT SANCTIS. *Fidelibus, vox frequens in scriptura.* Filij sanctorum sumus, sicut decet sanctos. Vocatis sanctis. Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.

Quantum perturbent animos spectacula, & quàm proinde sint indigna sanctis; vel ex eo colligitur, quod de

D *se fatetur Augustinus lib. 10. Confess. cap. 35.* Quando, *inquit*, audeo dicere, cùm circumquaque quotidianam vitam nostram tam multa huius generis circumstrepant, quando audeo dicere, nulla re tali me intentum fieri ad spectandum, & vanâ curâ capiendum? sane me iam theatra non rapiunt; nec curo nosse transitus syderum, nec anima mea vnquam responsa quæsiuit vmbrarum, omnia sacrilega sacramenta detestor, &c. canem currentem post leporem iam non specto cùm in Circo fit: at verò in agro si casu transeam, auertit me fortassis ab aliqua magna cogitatione, atque ad se conuertit illa venatio, non deuiare cogens corpore iumenti, sed cordis inclinatione. S. Aug.

E Et nisi iam mihi demonstratâ infirmitate meâ, citò admoneas, aut ex ipsa visione per aliquam considerationem in te assurgere, aut totum contemnere atque transire, vanus hebesco. Quid cùm me domi sedentem stellio muscas captans, vel aranea retibus suis irruentes implicans, sæpe intentum facit? Num quia parua sunt animalia, ideo non res eadem geritur? *Quòd si innocentia hæc spectacula animos turbant, & à seriis auocant, quid Circensia, &c? Lib. autem 14. de Ciuit. cap. 9. vbi contra Stoicos volentes hominem sapientem omni passione & perturbatione carere. Inducit Paulum velut athletam in spectaculum*

positum, & sapienter variis animi affectibus motum. Illum, *inquit*, virum instruxit, virum beatum Paulum athletam Christi, doctum ab illo, vnctum de illo, crucifixum cum illo, gloriosum in illo, in theatro huius mundi, cui spectaculum factus est, & Angelis, & hominibus, legitimè magno agone certantem, & palmam supernæ vocationis in anteriora sectantem, oculis fidei libentissimè spectantē, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, foris habentem pugnas, intus timores, cupientem dissolui & esse cum Christo: desiderantem videre Romanos, vt aliquem fructum habeat in illis, sicut & in cæteris gentibus: æmulantem Corinthios, & ipsa æmulatione metuentem, ne seducantur eorum mentes à castitate quæ in Christo est, &c. Hi motus, hi affectus de amore boni, & de sancta charitate venientes, si vitia vocanda sunt, sinamus, vt ea quæ vera vitia sunt, virtutes vocentur. Sed cùm rectam rationem sequantur istæ affectiones, quando vbi oportet adhibentur, quis eas tunc morbos seu vitiosas passiones audeat dicere? Quamobrem etiam ipse Dominus, in forma serui agere vitam dignatus humanam, sed nullum habens omnino peccatum, adhibuit eas, vbi adhibendas eas iudicauit. Neque enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falsus erat humanus affectus. Cùm ergo eius in Euangelio ista referuntur, quòd super duritia cordis Iudæorum cum ira constristatus sit, *Marci 3.* quòd dixerit, gaudeo propter vos vt credatis: quòd Lazarum suscitaturus lacrymas fuderit: quòd concupierit cum discipulis suis manducare Pascha: quòd propinquante passione tristis fuerit anima eius vsque ad mortem, non falsò vtique referuntur. Verùm ille hos motus certæ dispensationis gratiâ, ita cùm voluit suscepit animo humano, vt cùm voluit, factus est homo. *Non igitur iustè & secundùm rectam rationem producti affectus, sed animum perturbantes, vt fit in spectaculis, vitiosi & prohibiti sunt.*

S. Aug.

23. EQVVM. *Quo vtuntur in Circo currentes.* LEONEM. *Qui contra Christianum vel gladiatorem ex cauea educitur in amphitheatro.* VOCIS SVAVITATES. *Quæ personant in theatro.* VIRES CORPORIS. *Quibus certatur in Xisto & Stadio.* DE CONDITIONE. *Conflatur ex re a Deo condita.* AD INSTRVMENTVM. *Vsum hominis.* IPSI ACTVS. *Ludorum scilicet, sicut & cæteri omnes.* AB HAC SECTA. *Christiana disciplina.* VITÆ GRATIA. *Vita enim dolore mixta, & sine voluptate, nulli est grata.* NON PENITVS. *Profundè ex fide, & non tantum ex lumine naturali.* CVM INSTITVIT. *Cùm creauit ad gloriam suam. Siquidem* omnia propter semetipsum operatus est Dominus. QVÆ VIS ÆMVLA. *Nesciunt Gentiles quâ arte diabolus Dei aduersarius res à Deo conditas bonas in malum vsum transferat. Cùm enim Deum non plenè cognoscant, non est mirum, quòd eius aduersarium ignorent.* CONVERSA. *In malum vsum.* INTERPOLATOREM. *Pulchrè dæmonem confert exornatori & expolitori seruorum, vt eos venaliores reddat.* DEVINCTIONIBVS, *pactis, characteribus, incantationibus, ligaturis.* GVLAM. *Fauces.* EXITVM OPERVM. *In finem malorum operum, & abusiuorum vsuum.* A CONDITIS. *Ab hominibus creatis a Deo, qui cæteris creaturis abutuntur.*

24. SVGGERERE. *Referre vobis.* DE ARTIBVS. *Ludorum, eorumque artificibus, quorum nomina Deificata detestamur.* NIHIL ESSE. *Iuxta Paulum alibi expositum;* quia idolum nihil est. QVI SVB ISTIS. *Nempe dæmones sub his nominibus, vt putà Apollinis, Mercurij, Castorum, inuentorum ludorum.* NOMINA INCOLVNT. *Latent sub his nominibus, & in eorum simulacris.* INGENIA. *Inuentiones.* QVAM PER IPSOS, *supple inuentores, in quibus negotium idololatriæ sibi versuti dæmones procurauerunt. Aug. lib. 1. de Ciuit. cap. 32. dæmones horum spectaculorum authores dixit.* Ludi, *inquit* scenici, spectacula turpitudinum, & licentia vanitatum, non hominum vitiis, sed Deorum vestrorum iussis Romæ instituti sunt, &c. *Et cap. 26. ibid.* Quis alius spiritus occulto instinctu nequissimas agitans mentes, & instat faciendis adulteriis, & pascitur factis, nisi qui etiam sacris talibus oblectatur constituens in templis simulacra dæmonum, amans in ludis simulacra vitiorum. *Vt nos auertat Aug. à Spectaculis sæcularibus & prophanis ad sancta. Sic fatur in Psal. 39. in versum.* Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias mendaces. Quid ergo facimus fratres? dimissuri sumus sine spectaculo? morietur, non subsistet, nos non sequetur. Quid ergo facimus? demus pro spectaculis spectacula, &c. ecce auersus fuerit a Circo, à theatro, ab amphitheatro, quærat quid spectet, prorsus quærat, non eum relinquimus sine spectaculo. Quid pro illis dabimus? audi quid sequitur. Multa fecisti tu Domine Deus mirabilia tua. Miracula hominum intuebatur, intendat mirabilia Dei, &c. Aurigam laudas regentem quatuor equos, & sine lapsu atque offensione currentes. Fortè alia miracula spiritalia non fecit Dominus. Regat luxuriam, regat ignauiam, regat iniustitiam, regat imprudentiam, motus istos qui nimium lapsi hæc vitia faciunt, regat & subdat sibi, & teneat habenas, & non rapiatur, ducat quò vult, non trahatur quò non vult. Aurigam laudabat, aurigam laudabit. Clamabat, vt auriga veste cooperiretur, immortalitate vestietur. Hæc munera, *scilicet gladiatorum*, hæc spectacula dedit Deus. Clamat de cœlo, specto vos, luctamini, adiuuabo: vincite, coronabo. Multa fecisti, &c. nunc specta histrionem. Didicit enim homo magno studio in fune ambulare, & pendens te suspendit. Illum attende editorem maiorum spectaculorum. Didicit iste in fune ambulare, nunquid fecit in mari ambulare? obliuiscere theatrum tuum, attende Petrum nostrum, non funambulum, sed vt ita dicam mariambulum. Ambula & tu non in illis aquis vbi Petrus aliquid significans ambulauit: sed in aliis; quia hoc sæculum mare est. Habet amaritudinem noxiam, habet fluctus tribulationum, tempestates tentationum: Habet homines velut pisces de suo malo gaudentes, *id est esca tegente hamum*, & tanquam se inuicem deuorantes. Hic ambula, hoc calca. Spectare vis, esto spectaculum. Ne deficias, vide præcedentem & dicentem, spectaculum facti sumus, &c. calca mare, ne mergaris in mari. Non ibis, non calcabis, nisi ille iusserit qui prior in mari ambulauit. Sic enim ait Petrus; si tu es, iube me venire ad te super aquas, &c. vocauit ambulantem, erexit mergentem, &c. non sinit ille perire, qui iussit eo ambulare. Quia enim iam in petra ambulas, nec in mari times: si sine petra fueris, in mare mergeris, quia in tali petra ambulandum est, quæ in mari mersa non est. Vide mirabilia Dei, &c. Sic gaudebit, *in spectaculis sanctis*, vt non timeat, ne vincatur quem amat: *pro quo spopondit cuius parti fauet.* Amat enim aurigam, quo victo insultationes ferat. Quando vincit auriga, ipse vestitur, *non spectator & sponsor*, nunquid pauper ille qui clamat? *applaudens vincenti quem veste dignum clamat*, victor ipse vestitur, pro victo illi insultatur. Quare pro illo percipis reprehensionem, cum quo non diuidis vestem? Hic aliud in spectaculis nostris. Omnes quidem currunt, Paulus Apostolus dixit, in illo stadio, in illo

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

spectaculo vnus tamen accipit brauium. Cæteri victi discedunt, & perseuerauerunt in currendo. Sed cùm acceperit vnus, remanent cæteri qui similiter laborauerunt. Hîc non sic. Quotquot currunt, perseueranter currant, omnes accipiunt: & qui prior venerit, expectat vt cum posteriore coronetur. Agonem quippe iustum non cupiditas, sed charitas facit: omnes currentes amant se, & ipse amor cursus est. *Et in fine Psalmi* 80. Ista, *inquit*, sunt spectacula vtilia, salubria, ædificantia, non destruentia: imò, & destruentia, & ædificantia: destruentia recentes Deos, ædificantia fidem in verum & æternum Deum. Etiam in crastinum diem inuitamus charitatem vestram. Cras illi habent, vt audiuimus, mare in theatro: nos habeamus portum in Christo. *Et to.9. libro de decem chordis cap. 9.* In illis spectaculis non idem est venator quod cytharista: aliud agit venator, aliud cytharista: in spectaculo Dei vnum est, &c. Et chordas tangis, & bestias occidis, id est & cytharista es, & venator. Nos delectent spectacula, vbi non promeremur oculos Editoris, sed oculos Redemptoris. *Reproborum damnis & pœnis, eorumque spectaculo sanctos pasci & delectari censuit Psaltes dicens:* Lætabitur iustus cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris. *Et Augustinus to. 1. lib. de vera Relig. cap.* 22. Nulli, *inquit*, victo ludi agonistici placent, sed tamen cum eius dedecore, decori sunt. Et hæc enim quædam imitatio veritatis est. Nec ob aliud à talibus prohibemur spectaculis, nisi ne vmbris rerum decepti, ab ipsis rebus, quarum illæ vmbræ sunt, aberremus. Ita vniuersitatis huius conditio atque administratio solis impiis animis, damnatisque non placet: sed etiam animabus sanctis cum miseria earum, multisque vel in terra victricibus, vel in cœlo sine periculo spectantibus placet. Nihil enim iustum displicet iusto. *Talis autem est Dei prouidentia in gubernatione mundi, maximè circa electos & reprobos, victoriosos & victos. Et libro 2. de Symbolo ad Catech. cap. 2.* Fugite dilectissimi spectacula, fugite caueas turpissimas diaboli, ne vos vincula teneant maligni. Sed si oblectandus est animus, & spectare delectat, exhibet vobis sancta mater Ecclesia veneranda ac salubria spectacula, quæ & mentes vestras oblectent suâ delectatione, & in vobis non corrumpant, sed custodiant fidem. Amator est quispiam Circi? Quid delectat in Circo? Aurigas videre certantes, populos insanâ furiâ anhelantes, quemlibet celerem præcedentem, aduersarij sui equum frangentem. Ista est omnis delectatio, clamare quia vicit, quem diabolus vicit: exultare, & insultare, quòd aduersa pars perdiderit equum, cùm is qui tali spectaculo delectatur, iam perdiderit animum. Vide è contra nostra sancta, sana, suauissima spectacula. Intuere in libro Actuum Apostolorum, claudum ex vtero matris, numquam ambulantem, quem Petrus fecit currentem, &c. & si in te est sanitas mentis, si in te fulget ratio æquitatis, ac delectatio salutis, vide quid debeas spectare, vide vbi debeas exclamare: illic vbi equi sani franguntur; an hîc vbi homines fracti saluantur? *Quadrigis deinde opponit Eliam in curru igneo triumphantem de quo suprà iam diximus. Tum pergit ad theatrum.* In theatris, *inquit*, labes morum, discere turpia, audire inhonesta, videre perniciosa, &c. singula singulis comparemus. Illic intuentur spectatores propositum nescio quem confictum Deum Iouem, & adulterantem, & tonantem: hîc respicimus Deum verum Christum castitatem docentem, immunditiam destruentem, salubria prædicantem. Illic fingitur quod idem Iouis Iunonem habeat sororem & coniugem: hîc prædicamus sanctam Mariam matrem simul & virginem. *Deinde de histrionibus & saltatoribus subiicit.* Illic stupor ingeritur visui, ex vsu hominem in fune ambulantem. *Supple cernere,* hîc magnum miraculum, Petrum mare pedibus transeuntem. *Adde & populum Israël in mari rubro.* Illic per mimicam turpitudinem castitas violatur: hîc per castam Susannam, castumque Ioseph libido comprimitur, mors contemnitur, Deus amatur, castitas exaltatur. Chorus illic & cantio pantomimi illicit auditu, sed expugnat sanum affectum. Et quid tale nostro cantico comparandum sit, in quo dicit qui amat & cantat, narrauerunt mihi peccatores delectationes suas, sed non vt lex tua Domine. Omnia mandata tua veritas. Nam illic, vniuersa fingit vanitas. SCANDALISTARVM, *à scando dictum, & scandalo*, quis illic fortè peritiam admiretur; videre paruulos in aëra ludentes, diuersas historias exhibentes *Puteum & imagunculas ab histrionibus in aëre motas & ludentes.* Sed videte nostrorum lusus infantum, in vtero Rebeccæ duo certant infantes: procedente maiore, minoris manu emissa ex vtero, planta maioris apprehensa est. In quorum certamine, magni Sacramenti figura monstrata est, vt minor supplantaret maiorem, eique postmodum primatum & benedictionem auferret. In quibus paruulis quasi ludentibus, &c. Et reprobi in Esaü demonstrantur Iudæi, & prædestinati, in Iacob apparent Christiani. Ille enim Iacob vnus paruulus sic gestiens, multos in se prædestinatos etiam paruulos demonstrabat, infantes qui ex vtero matris suscipiuntur manibus fidelium, nec eos sic excutiunt, vt in aëre pendeant, sed vt renati in cœlo viuant, &c. *Nec amphitheatrum præterit. Adiicis enim de spectaculis eius.* Nec amphitheatri certamina seducant aut pertrahant Christianum: ad quod quidem tantò auidiùs curritur, quantò tardiùs exhibetur. Sed etiam ibi quid non periculosum ingeritur aspectibus, quid non cruentum? vbi, vt ait beatissimus Cyprianus, voluntas noxia ad feras homines nullo crimine damnat. Non ergo vos dilectissimi illud spectaculum crudele inuitet intueri nouem vrsis duos altercantes venatores. Sed delectet videre vnum nostrum Danielem orando superantem septem leones. Discerne spiritalis amator certamina: vide duos noxios voluntate; vide vnum innocentem ac plenum fide. Vide illos pro præmio terreno suas animas bestiis obtulisse: vide istum in oratione clamantem, ne tradideris bestiis animas confitentes tibi. In illo spectaculo contristatur Editor, si venator euadat illæsus, qui ei plures bestias interemit: in isto nostro, sine ferro pugnatur, nec Daniel læditur, nec fera occiditur; & sic vincitur, vt Rex miretur atque mutetur, & populi pertimescant & inimici dispereant. Admirabile spectaculum nostrum, planè mirabile, in quo Deus adiuuat, fides vires imperat, innocentia pugnat, sanctitas vincit, præmium consequitur tale, quod & ille qui vicerit, accipiat, & qui donauerit non amittat. Ista spiritalia munera concupiscite, ad hæc intuenda & cum omni securitate expectanda alacriter ad Ecclesiam conuenite, &c. vt aduersarius reuereatur, nihil in vobis inueniens suum: vosque illum repudiantes, eiusque pompis renuntiantes, posteaquam ab eius insidiis vestra fuerit eruta libertas, ne vos inueniat vacuos ille nefarius, quem nouimus etiam non suos tenere cupientem. *Satis superque de Spectaculis fugiendis. Ad alia conuertamur.*

SPES.

1. *Spes, & gloria in homine ponenda non est.* 3. *cont. Marc. cap.* 6.

[a] ERgo, inquit, *nemo glorietur in homine.* Et hoc secundùm Creatoris disciplinam, [b] *Miserum hominem, qui spem habet in hominem*; &, [c] *Bonum est fidere in Deo, quàm fidere in homine*: ita & gloriari. a 1. Cor. 3. 21. b Hier. 17. 5. c Psal. 117. 8.

SPES. 1. SCHOL.

NEMO GLORIETVR. 1. *Cor.* 3. 20. Dominus nouit cogitationes sapientium quoniam vanæ sunt. Nemo itaque glorietur in hominibus. *Aug. in Psal.* 93. Tu nescis cogitationes Dei quoniam iustæ sunt: ille scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt, &c. relinquite ergo cogitationes hominum quæ vanæ sunt, vt comprehendatis cogitationes Dei quæ sapientes sunt. SECVNDVM CREATORIS DISCIPLINAM. *Hinc Paulus se probat Deum veteris testamenti colere, cuius Prophetas sequitur. Nam Ieremia* 17. 5. Maledictus homo qui confidit in homine & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. *Quo loco vtitur Augustinus to.* 3. *in Enchir. ad Laur. cap.* 114. Maledictus est omnis, sicut diuina testantur eloquia, qui spem ponit in homine, ac per hoc in semetipso qui spem ponit, huius maledicti vinculo innectitur. Ideò non nisi à Domino Deo petere debemus, quidquid speramus nos vel benè operaturos, vel pro bonis operibus adepturos. *Et to.* 7. *libro de Gratia & libero arbit. cap.* 4. Metuendum est, *inquit*, ne ista omnia diuina testimonia & quæcumque alia quæ sine dubitatione sunt plurima, in defensione liberi arbitrij sic intelligantur, vt ad vitam piam, & bonam conuersationem cui merces æterna debetur, adiutorio & gratiæ Dei locus non relinquatur: & audeat miser homo quando benè viuit & benè operatur, vel potiùs benè viuere, & benè operari sibi videtur, in seipso non in Domino gloriari, & spem rectè viuendi in seipso ponere, vt sequatur eum maledictum Ieremiæ Prophetæ, dicentis: maledictus homo qui spem habet in homine, & firmat carnem brachij sui, & à Domino discedit cor eius. Intelligite fratres, &c. vt ostenderet sic se admonuisse hominem, vt nec in seipso haberet spem, propterea cùm dixisset, maledictus homo qui spem habet in homine: mox addidit; & firmat carnem brachij sui: brachium pro potentia posuit operandi. In nomine autem carnis intelligenda est humana fragilitas: ac per hoc, firmat carnem brachij sui, qui potentiam fragilem atque inualidam, id est humanam sibi sufficere ad benè operandum putat, nec adiutorium sperat à Domino. Propter hoc enim subiecit: & à Domino discedit cor eius. BONVM EST. *Psal.* 117. Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. Nec, *inquit Aug.* quisquis secundùm quemdam modum dici potest Angelus bonus, si à me cogitetur, vt in eo confidere debeam: nemo enim bonus, nisi solus Deus. Et cùm videntur adiuuare homo vel Angelus, cùm hoc verâ dilectione faciunt; ille per eos facit, qui eos pro modo eorum bonos fecit. Bonum est ergo sperare in Domino, quàm sperare in principibus. Nam & Angeli dicti sunt principes, sicut in Daniele legimus, Michaël princeps vester.

2. *Spes cœlestium confirmatur, ex iam possessis terrenis, & impletis Dei promissis.* 3. *cont. Marc. cap.* 24. *circa f.*

EGo quidem, etiam si nullam spei cœlestis manum mihi toties scripturâ porrigente, satis haberem huius quoque promissionis præiudicium, quòd iam terrenam gratiam teneam, expectarem aliquid & de cœlo, à Deo cœli, sicut & terræ: ita crederem Christum sublimiora pollicentem, eius esse, qui & humiliora promiserat; qui experimenta maiorum, de paruulis fecerat; qui hoc inauditi si fortè regni præconium soli Christo reseruauerat; vt per famulos quidem terrena gloria, cœlestis verò per ipsum Deum annuntiaretur.

3. *Et* 4. *cont. Marc. cap.* 14. *circa m.*

ET si putas, Creatoris quidem terrenas promissiones fuisse, Christi verò cœlestes: benè quòd cœlum nullius alterius vsque adhuc Dei apparet, nisi cuius & terra. benè quòd Creator vel minora promisit, vt faciliùs illi & de maioribus credam, quàm qui nunquam de minoribus priùs fidem liberalitatis suæ struxit.

SPES COELESTIVM. 2. & 3. SCHOL.

MANVM, *abundantiam.* PRÆIVDICIVM. *Ex bonis terræ à Deo iam concessis, præsenti & præsumo, expectare me debere à Deo bona cœlestia, qui cœli & terræ conditor est.* EIVS ESSE. *ad eundem Deum Creatorem pertinere, eiusdem esse filium, qui ex paruulis terræ bonis, se & maiora posse conferre experimento docuerat; qui quidem si fortè in veteri lege regni cœlestis bona non promiserat, sed per Prophetas suos rudiori populo, terrestria tantùm pollicitus fuerat, soli Christo Deo regnum cœli prædicandum seruauerat.*

3. SI PVTAS. *O Marcion, ideo vilipendere Deum Creatorem, quòd terrena tantùm suis seruis promiseris, Christus verò cœlestia; vel ex hoc disce, Deum tuum hactenus ex nullo opere probasse se rei cuiusquam conditorem, vt ab eo cœlestia sperare non debeamus; sed à Deo Creatore cœli & terræ; qui ex minoribus bonis terræ pro*

missis & datis, fundamenta iecis in cordibus nostris, maioris & cœlestis liberalitatis. Augustinus ep. 120. de gratia noui testamenti ad Honoratum. Ex Psalmo 21. de corpore Christi, quod est Ecclesia, pro qua loquitur Psaltes; Orans aduerte quid dicat: & tu inquit, extraxisti me de ventre, spes mea ab vberibus matris meæ: in te iactatus sum ex vtero de ventre matris meæ Deus meus es tu. Tanquam diceret, de alia re, & ab alia re, in aliam rem me traiecisti, vt tu sis mihi bonum, pro terrenis bonis mortalitatis huius, quam in matris ventre sortitus sum, cuius vbera suxi. Hæc enim vetustas est, *bona terræ promissa in veteri Testamento*, de qua me tu extraxisti: & illa carnalis natiuitatis bona sunt, à quibus, *iam susceptus, & spe maiorum contemptis*, tu spes mea es. Inde enim ad te conuersus sum ex vtero, id est ex iis quæ in vtero inchoaui: in te iactatus sum, ad te scilicet transiens, totum me tibi committens. Ideoque de ventre matris meæ; id est de bonis carnis, quæ sumpsi in ventre matris meæ, Deus meus es tu; vt de his tu sis bonum meum: eâ locutione dictum est, ac si diceretur, verbi gratiâ; de terra, cœlum habito: hoc est, hinc, illò migraui. Et ista nostra in illum transfiguratio est, qui per gratiam testamenti noui mutamus vitam, transeuntes. Nam ille hanc rem Sacramento suæ passionis resurrectionisque significans, carnem mutauit, de mortalitate in immortalitatem, &c. Ideo dixit de ventre matris meæ Deus meus es tu. Ac si diceret; ex quo factus sum homo, Deus meus es tu. *De spe autem bonorum cœlestium, ex iam impletis in Christo promissis idem Augustinus, ser. 23. de verbis Apostoli.* Ipse qui

S. Aug.

S. Aug.

A spes nostra est in terra viuentium, iubet vt vos alloquamur in hac terra morientium: vt non respiciatis quæ videntur, sed quæ non videntur, &c. sed quia mundus quod pollicetur, hic videtur daturus, id est in hac terra morientium in qua nunc sumus; Deus autem quod pollicetur, in terra viuentium nobis daturus est: multi fatigantur expectare veracem, & non erubescunt amare fallacem, &c. Docuit nos exemplo passionis, cum quanta patientia in illo ambulemus, & firmauit nos exemplo suæ resurrectionis, quid ab illo patienter sperare debeamus, &c. corpus sumus illius capitis, in quo iam perfectum est quod speramus, &c. legant eam, *Ecclesiam*, ante tot sæcula vni homini promissam, qui contra spem, in spem credidit, vt fieret Pater

B multarum gentium. Quod ergo vni Abrahæ credenti promissum est, iam videmus impletum: & quod vniuerso orbi promittitur credenti, desperamus esse venturum? &c. A vobis verò, *mundanis & infidelibus*, temporalia nec sperari aliquando desinunt, & tamen crebro sperata vos fallunt: nec cessant vos inflammare ventura, corrumpere venientia, torquere transeuntia. Nonne ipsa sunt quæ concupita inardescunt, adepta vilescunt, amissa vanescunt? vtimur eis & nos secundùm peregrinationis nostræ necessitatem, sed non in eis gaudia nostra figimus, ne illis labentibus subruamur. Vtimur enim hoc mundo tanquam non vtentes, vt veniamus ad eum qui fecit hunc mundum, *cœlum, & terram, & bonorum omnium authorem, promissorem, & datorem*; & in eo maneamus, eius æternitate perfruentes.

SPIRITVS SANCTVS.

1. *Spiritus sancti persona, distincta est à Patre & filio.* Contra Prax. cap. 25. in p.

Io. 14. 9. 10. POst Philippum, & totam substantiam quæstionis istius, quæ in finem Euangelij perseuerant in eodem genere sermonis, quo pater & filius in sua proprietate distinguntur, paracletum quoque à patre se postulaturum, quum ascendisset ad patrem, & mis-

Ibid. 16. sum repromittit, & quidem alium; sed iam præmisimus quomodo alium. Ceterùm,

a Io. 16. 14. [a] *de meo sumet*, inquit, sicut ipse de patris. Ita connexus patris in filio, & filij in paracleto,

b Io. 10. 30. tres efficit cohærentes, alterum ex altero, qui tres vnum sint, non vnus. quomodo dictum est, [b] *Ego & pater vnum sumus*; ad substantiæ vnitatem, non ad numeri singularitatem.

SPIRITVS SANCTVS DISTINCTVS. 1. SCHOL.

POST PHILIPPVM. *Post Philippi petitionem, petentis à Christo videre Patrem; & cætera, quæ in Euangelio Ioannis sequuntur circa eandem quæstionem: vbi Patris & filij persona, suâ proprietate distincta ostenduntur; Christus promittit se missurum à Patre etiam distinctum & alium à se, & Patre, Paracletum. Io 16.* 10. Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, &c. QVOMODO ALIVM. *Non substantiâ, sed personâ. Augustinus in hunc locum tract. 74.* Hic est vtique in Trinitate Spiritus sanctus, quem Patri & filio consubstantialem & coæternum fides Catholica confitetur. Ipse est de quo dicit Apostolus, charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, &c. iam habebant Spiritum discipuli, quem Dominus promittebat, sine quo eum Dominum non dicebant. *Dixerat autem Philippus, Domine ostende nobis Patrem. Et Aug. supra ex Paulo, nemo dicit Dominus Iesus nisi in Spiritu sancto.* Nec tamen eum adhuc habebant, sicut eum Dominus promittebat. DE MEO SVMET. *Io. 16. 14.* Non loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæ-

S. Aug.

S. Aug.

C cumque habet Pater, mea sunt. *Vt possim sicut & ille producere cum illo Spiritum sanctum, & de facto producto, & de meo simul, sicut & de Patris vno eodemque thesauro, indistinctâ scilicet voluntate atque vnico principio accipit.* Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. *Augustinus mira in hunc locum refert.* Simile est, *inquit, Aug. tract. 99.* hoc ei quod de semetipso dixit, non possum à meipso facere quidquam, sicut audio iudico. Sed illud cùm exponeremus, secundùm hominem posse accipi diximus, &c. Sed numquid de Spiritu sancto, quod dictum est, non enim loquetur à semetipso, &c. secundùm hominem, vel secundum assumptionem cuiusquam creaturæ dictum esse, audebimus opinari? &c. il-

D lud enim quod sicut columba Spiritus sanctus apparuit specie corporali, visio fuit ad horam facta atque transacta: sicut etiam quando super discipulos venit, visæ sunt illis linguæ diuisæ velut ignis, qui & insedit super vnumquemque eorum. Qui ergo dicit columbam ad vnitatem personæ Spiritui sancto fuisse coniunctam, vt ex illa & Deo, quia Spiritus sanctus Deus est, vna Spiritus sancti persona constaret, *sicut dixit Tertullianus à nobis in vl-*

timo errore refutatus: & hoc etiam de illo igne compellitur dicere, vt intelligat nihil horum debere se dicere, &c. Cùm igitur Spiritus sanctus nullâ susceptione hominis sit homo factus, nulla susceptione Angeli sit Angelus factus, nullâ susceptione creaturæ cuiusquam, creatura sit factus; quomodo de illo intelligendum est quod Dominus ait, non enim loquetur à semetipso sed quæcumque audiet loquetur? &c. Non est ista, *mens nostra*, substantia verissimè simplex, cui non hoc est esse, quod nosse: potest enim esse, nec nosse. Atqui illa diuina non potest: quia id quod habet, est: ac per hoc, non sic habet scientiam, vt aliud illi sit scientia, quâ scit, aliud essentia quâ est, sed vtrumque: nec vtrumque dicent omnes, quod simpliciter vnum est. Sicut Pater habet vitam in semetipso: nec aliud est ipse, quàm vita quæ in ipso est: & dedit filio habere vitam in semetipso, hoc est genuit filium qui & ipse vita esset. Sic itaque debemus accipere quod de Spiritu sancto dictum est, non enim loquetur, &c. vt intelligamus eum non esse à semetipso. Pater quippe solus de alio non est, &c. nec ideo sanè aliqua disparilitas in summa illa Trinitate cogitationi occurrat humanæ; nam & filius ei de quo natus est, & Spiritus sanctus ei de quo procedit æqualis est, &c. Non ergo loquetur à semetipso, quia non est à semetipso; sed quæcumque audiet loquetur, ab illo audiet à quo procedit; à quo illi est essentia, ab illo scientia; ab illo igitur audientia, à quo nihil est aliud quàm scientia. Nec moueat quòd verbum futuri temporis positum est; non enim dictum est, quæcumque audiuit, aut quæcumque audit, sed quæcumque audiet, loquetur: illa quippe audientia sempiterna est, quia sempiterna est scientia: in eo autem quod sempiternum est, sine initio & sine fine, cuiuslibet temporis verbum ponatur, siue præteriti, siue præsentis, siue futuri non mendaciter ponitur. *Hac ex tract. 99. in Io. De clarificatione autem, & verbis sequentibus tract.* 100. Ille me clarificabit, tanquam diceret, ille vobis auferet timorem, & dabit amorem, quo me ardentiùs prædicantes, *Deum, per Spiritum sanctum cognitum, & non tantùm hominem*, gloriæ meæ per totum mundum dabitis odorem, commendabitis honorem. Quod enim facturi fuerant in Spiritu sancto, hoc eundem Spiritum dixit esse facturum. Quale est etiam illud, non estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. *De postremis autem verbis, sic circa tractatus finem.* De meo accipiet, &c. Catholicis, inquit, audite auribus, Catholicis percipite mentibus: non enim propterea, sicut quidam hæretici putauerunt, minor est filio Spiritus sanctus, quia filius accipiat à Patre, & Spiritus sanctus à filio, quibusdam gradibus naturarum. Absit hoc credere, absit hoc dicere, absit à Christianis cordibus cogitare. Denique continuò soluit ipse Dominus quæstionem, & cur hoc dixerit, explanauit. Omnia, *inquit*, quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis. Quid vultis ampliùs? ergo à Patre accipit Spiritus sanctus, vnde accipit filius, quia in hac Trinitate de Patre natus est filius, de Patre procedit Spiritus sanctus: qui autem de nullo natus sit, de nullo procedit, Pater, solus est. *Eadem habet to. 6. lib. cont. ser. Arrianorum c. 23.* Ideo, *inquit*, de ipso, quia omnia quæ habet Pater ipsius sunt. Hæc autem non est diuersitatis naturæ, sed vnius principij commendatio.

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

2. *Spiritus sanctus missus Vicarius filij, & magister noster.* De Vel. virg. cap. 1. in m.

QVale est, vt diabolo semper operante, & adiiciente quotidie ad iniquitatis ingenia, opus Dei aut cessauerit, aut proficere destiterit? cùm propterea paracletum miserit Dominus, vt quoniam humana mediocritas omnia semel capere non poterat, Io. 16. 12. paulatim dirigeretur, & ordinaretur, & ad perfectum perduceretur disciplina, ab illo Vicario Domini Spiritu sancto.

Et ibid. circa f.

SIc & iustitia (nam idem Deus iustitiæ & creaturæ) primò fuit in rudimentis, naturâ Deum metuens: dehinc per legem & Prophetas promouit in infantiam: dehinc per Euangelium efferbuit in iuuentutem: nunc per paracletum componitur in maturitatem. Hic erit solus à Christo magister & dicendus & verendus. [a] *Non enim ab se loquitur, sed quæ mandantur à Christo.* Hic solus antecessor, quia solus post Christum. Hunc qui receperunt: veritatem consuetudini anteponunt. a Io. 16. 14.

Et de Præscr. cap. 13. in p.

Regula fidei est, &c. in cœlos ereptum sedisse ad dexteram Patris. Misisse Vicariam vim Spiritus sancti, qui credentes agat.

Et de Præscr. cap. 20. in m.

Consecuti promissam vim Spiritus sancti ad virtutes, & eloquium.

3. *Spiritus sanctus columbam hypostaticè, sicut filius carnem assumpsit.* De Car. Chri. c. 3. in f.

Vide V. Spiritus sanctus, in Alphab. Errorum.

4. *Spiritus S. Architectus Ecclesiæ.* 3. cont. Marc. c. 23. à p. *Vide V. Iudæi. num. 7. à p.*

5. *Spiritus sanctus, vestit fidem & Ecclesiam.* De Præscr. cap. 36. circa f.

Aquâ signat, sancto Spiritu vestit, Eucharistiâ pascit.

QVALE EST. *Quis credat Deum cessare à perficiendis operibus suis per Spiritum suum missum de cœlis; cùm non cesset diabolus nouis artibus proficere in regno suo, & tyrannide in peccatores exercendâ?* CAPERE NON POTERAT. *Io. 16. 12.* Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. S. Aug. *Translat. Syr.* Non potestis capere nunc. *Aug. tract. 98. in Io. 16.* Hæc est quæstio, vtrùm spiritales homines habeant aliquid in doctrina, quod carnalibus taceant, & spiritalibus dicant, quod dicebat Apostolus scribens ad Cor. Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, &c. nondum enim poteratis, &c. VICARIO DOMINI. *Quia Christi vices subire debebat, vt esset sponsus Ecclesiæ, Pater orphanorum, aduocatus noster.* S. Aug. *Aug. tract. 74. in Io. 14* Rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis. Ostendit, *inquit*, & seipsum esse paracletum, paracletus enim Latinè dicitur, aduocatus: & dictum est de Christo, aduocatum habemus apud S. Aug. Patrem Iesum Christum iustum. *Et tract. 75.* Post promissionem Spiritus sancti, ne quisquam putaret, quòd ita eum Dominus daturus fuerit, velut pro seipso, *& hic est Vicarius, vis vicaria de qua infra Tertullianus*; vt non & ipse, *inuisibiliter, vsque ad* S. Aug. *consummationem sæculi*, cum eis esset futurus, adiecit, atque ait, non relinquam vos orphanos, veniam ad vos, &c. Quamuis ergo nos filius Dei suo Patri adoptauerit filios, & eundem Patrem nos voluerit habere per gratiam, qui eius Pater est per naturam; tamen etiam ipse circa nos paternum affectum quodammodò demonstrat, cùm ait: non relinquam vos orphanos, &c. hinc est quod etiam sponsi filios nos appellat, vbi ait, veniet hora vt auferatur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt filij sponsi. Quis autem sponsus nisi Dominus Christus? *Vicarium pro se sponsum misit Spiritum sanctum, alium paracletum, de quo Psaltes 67.* Iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi. Exultate in conspectu eius, turbabuntur à facie eius Patris orphanorum, &c. S. Aug. *Aug. ibid.* De his, *inquit*, orphanis & viduis, id est spei sæcularis societate destitutis, Dominus sibi templum fabricat, de quo consequenter dicit: Dominus in loco sancto suo: *Et quis inhabitat hoc templum, nisi spiritus, ædificatam costam in mulierem, de latere Christi Ecclesiam?*

Et ibid. circa f. IN RVDIMENTIS *Probat Ecclesiæ profectum ab initio rudimentorum natura, in qua virtus & iustitia crassior erat, deinde per legem Moysi & Prophetas, crescere cœpit, donec per legem gratiæ primò quidem per Christum, deinde pleniùs per Spiritum sanctum in plenam perduceretur maturitatem.* NVNC. *hic subodoror errorem eius circa Montanum, quem paracletum credi voluit, pleniùs Apostolis Spiritu sancto repletum.* A CHRISTO MAGISTER, *vel quòd ab ipso missus sit, vel post Christum; sed longè veriùs, cum Christo amandus & timendus.* SOLVS ANTECESSOR. *Magistros alios honore & auctoritate antecedens, Doctor, & Iuris diuini consultissimus.* SOLVS POST CHRISTVM. *Non quòd inferior sit Christo, sed quòd post Christum non sit alius magister expectandus.* CONSVETVDINI, *quæ tunc inualuerat, vt virgines sine velo procederent. De profectu in Spiritu sancto, & abundantiore eius receptione, Augustinus tract. 74. in cap. 14. Io.* S. Aug. Iam, *inquit*, habebant Spiritum discipuli, quem Dominus promittebat, sine quo eum Dominum non dicebant, nec tamen eum adhuc habebant, sicut eum Dominus promittebat. Et habebant ergo, & non habebant, qui quantùm habendus fuerat, nondum habebant. Habebant itaque minùs, dandus

A erat ampliùs: habebant occultè, accepturi fuerant manifestè, quia & hoc ad maius donum Spiritus sancti pertinebat, vt eis innotesceret, quod habebant, &c. Et ipsam manifestam impertitionem Spiritus sancti, non semel, sed bis numero Dominus egit. Mox enim vt resurrexit à mortuis, insufflans ait, accipite Spiritum sanctum. Numquid igitur, quia tunc dedit, ideo non misit etiam postea quem promisit? &c. propter duo præcepta dilectionis, hoc est proximi & Dei: vt commendaretur ad Spiritum sanctum pertinere dilectio, hæc eius gemina est in manifestatione facta donatio, &c. & id nos posse atque agere tanto minùs, quantò illum percipimus minùs; tantò autem ampliùs, quantò illum percipimus ampliùs, &c. Nam nisi ab alio ampliùs, B ab alio minùs haberetur, sanctus Helisæus sancto Heliæ non diceret, Spiritus qui est in te, duplex sit in me. Quando autem ait Ioannes Baptista; non enim ad mensuram dat Deus Spiritum; de ipso Dei filio loquebatur, cui non est datus Spiritus ad mensuram, quia in illo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis, &c. cæteris autem ad mensuram datur, & datus additur, donec vnicuique pro modo suæ perfectionis propria mensura compleatur. Vnde & monet Apostolus, non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad temperantiam, vnicuique sicut Deus partitus est mensuram fidei. Neque enim ipse diuiditur Spiritus, sed dona per Spiritum: nam diuisiones donationum sunt, idem autem Spiritus.

C *Et de Præscr. cap. 13.* REGVLA FIDEI. *Sæpiùs dixi hanc esse Symbolum Apostolorum.* IN CŒLOS EREPTVM. *Nube suscipiente Christum ab oculis discipulorum.* VICARIAM VIM. *Vide suprà dicta.* QVI CREDENTES AGAT. *Moueat & impellat in bonum, vt ventus & gubernator nauim, magister discipulos; &c. Iuxta Paulum & Augustinum alibi relatos à nobis in Verba Rom. 8.* Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. Spiritus, *inquit*, Dei qui te agit, agentibus adiutor est: ipsum nomen adiutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis. S. Aug. Agnosce quid poscas, agnosce quid confitearis, quando dicis, Adiutor meus esto, ne derelinquas me. Adiutorem vtique inuocas Deum. Nemo adiuuatur si ab illo non agatur, &c. D *Sic apud Ezech.* Spiritus vitæ erat in rotis. Et vbi erat Spiritus impetus, illuc gradiebantur, *Animalia mystica.*

Et de Præscr. cap. 20. PROMISSAM VIM. *Virtutem Spiritus sancti, de quo dixit:* Luc. 24. 49. Et ego mitto promissum Patris in vos: vos autem sedete in ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto. *Quò referenda sunt Tertulliani alibi expositi, quæ infra habet numero 4.* Sancto Spiritu vestit. AD VIRTVTES ET ELOQVIVM. *Ad miracula, & varietatem linguarum. De quibus donis sic Paulus: 1. Cor. 12. 28.* Deinde virtutes, exindę gratias curationum, &c. genera linguarum, &c. *Spiritum sanctum virtutem appellari notauit Augustinus tract. 99. in Io. 16. vbi de curatione hæmorroissæ.* S. Aug. Quid, *inquit*, aliud significauit illa insufflatio, nisi quòd procedat Spiritus E sanctus & de ipso? Ad hoc pertinet etiam aliud quod de muliere quæ fluxum sanguinis patiebatur, ait, tetigit me aliquis: ego enim sensi de me virtutem exisse. Nam virtutis nomine appellari etiam Spiritum sanctum, & eo loco clarum est, vbi Angelus dicens Mariæ quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco: respondit; Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Et ipse Dominus promittens eum discipulis ait, vos sedete in ciuitate, quoadusque induamini

virtute

virtute ex alto. *Et iterum Act. 1.* Accipietis, *inquit*, virtutem Spiritus sancti superuenientem in vos, & eritis mihi testes. De hac virtute credendus est dicere Euangelista, virtus de illo exibat & sanabat omnes. Si ergo & de Patre & filio procedit Spiritus sanctus, cur filius dixit, de Patre procedit? cur putas, nisi quemadmodum ad eum solet referre, & quod ipsius est, de quo & ipse est? vnde illud est quod ait, mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me, &c. A quo autem habet filius, vt sit Deus, est enim de Deo Deus; ab illo habet vtiq; vt etiam de illo procedat Spiritus sanctus, ac per hoc Spiritus sanctus vt etiam de filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre.

S. Aug.

A

6. Spiritus Christi, Spiritus promissionis dicitur; quia per Ioëlem & Esaiam à Creatore promissus est. 5. cont. Marc. cap. 17. à p.

[a] *Signati estis spiritu promissionis eius sancto.* Cuius promissionis? factæ per Ioëlem, [b] *In nouissimis diebus effundam de meo spiritu in omnem carnem*; id est, & in Nationes. Ita & Spiritus, & Euangelium in eo erit Christo, qui præsperabatur, dum prædicabatur. Sed & Pater gloriæ ille est, cuius Christus *rex gloriæ* canitur in Psalmo ascendens, [c] *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Ab illo spiritus sapientiæ optatur, apud quem hæ quoque spiritalium species enumerantur, inter septem spiritus per Esaiam. Ille dabit illuminatos cordis oculos; qui etiam exteriores oculos luce ditauit; cui displicet cæcitas populi. [d] *Et quis cæcus, nisi pueri mei? &, Excæcati sunt famuli Dei.*

a Ephes. 1. 13.
b Ioël. 2. 28.
c Psal. 23. 10.
Ephes. 1. 17. 18.
Esa. 11. 2.
d Esa. 42. 19.

SPIRITVS CHRISTI. 6. SCHOL.

SPIRITV PROMISSIONIS *Ephes. 1. 13.* In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, & qui est pignus hæreditatis nostræ. *Translat. Syr.* Qui promissus fuerat. *Ioëlis scil. 2. quem & Petrus citat Act. 2. 17.* Dictum est per Prophetam Ioël: & erit in nouissimis diebus, dicit Dominus: effundam de Spiritu meo super omnem carnem, &c. NATIONES, *Gentiles.* SPIRITVS IN EO CHRISTO. *Non nono Marcionis, sed in eo qui cum Patre olim vnus Deus, & Rex gloriæ. A quo Spiritus sanctus optatur à fidelibus. in cuius antiqua Scriptura per Esaiam septem Spiritus dona in Christum plenissimè infundenda prænuntiabantur.* ILLE DABIT. *Non alius quam Deus Creator interiora corda illuminabit, quàm qui de luto corporis oculos finxit, & eos Solis luce perfudit.* ET QVIS CAECVS. *Esa. 42. 19.* Quis cæcus, nisi seruus meus? & surdus, nisi ad quem nuntios misi? quis cæcus nisi qui venundatus est? & quis cæcus nisi seruus Domini? *70. secutus est Tertullianus. Pulchrè Spiritus sanctus à Paulo dictus est Spiritus promissionis, quod sæpiùs inculcat Augustinus. Velut sermone 2. de missione Spiritus sancti, & 184. de temp.* Promisit, *inquit*, Apostolis suis quod Spiritum sanctum ad eos mitteret, quando ad Deum Patrem ipse remeasset, &c. Impleta est, charissimi fratres, promissio Saluatoris; ascendit Dominus Iesus Christus, descendit Spiritus sanctus. Superest vt vtrumque hoc impleatur in vobis, id est vt habeatis Spiritum sanctum qui descendit, & per bonam vitam Christum sequamini qui ascendit. *Et ser. 185.* In hac die, iuxta Verbum suum, sanctum Spiritum donauit, de quo iam Apostolis suis dixerat, & ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. Alium vtique, non minorem. Alium Paracletum, id est similis gloriæ, vel naturæ, eiusdemque substantiæ; vt discipulorum fides veridica sponsione, ad expectationem tanti muneris præparata, illum quem sibi à Domino in locum Dei promissum esse meminisset, verum Deum esse cognosceret. Et alium, *inquit*, Paracletum; maiestatis intellige socium, quem maiestati prospicis comparatum. &c. quam benè sub titulo promissionis, distinctionem applicuit Trinitatis: Pater est qui indicatur rogandus: filius est qui intelligitur rogaturus, Spiritus sanctus qui promittitur à Patre mittendus. Quanta & quàm ineffabilis pietas redemptoris! hominem portauit ad cœlum, & Deum misit ad terras. Quanta est authori cura pro instauratione facturæ suæ! ecce iterùm noua de supernis medicina mittitur, ecce iterum infirmos suos per seipsam maiestas visitare dignatur. Ecce iterùm humanis diuina miscentur, id est Vicarius Redemptoris: vt beneficia quæ Saluator Dominus inchoauit, peculiari Spiritus sancti virtute consummet, & quod ille redemit, iste sanctificet; quod ille acquisiuit, iste custodiat; ac sic vnitas Deitatis per vnitatem gratiæ ac muneris approbatur: vt Spiritus sanctus Deus, in substantia vnus, in persona alius, æquali miseratione vnicus, æquali reuerentiâ sit colendus. Ergo Spiritus sanctus in hac die ad præparata sibi Apostolorum suorum templa, velut imber sanctificationis illapsus est, non iam visitator subitus, sed perpetuus consolator & cohabitator æternus, &c *vt maneat vobiscum in æternum.* Affuit ergo in hac die fidelibus suis, non iam per gratiam visitationis & operationis, sed per ipsam præsentiam maiestatis: atque in vasa non iam odor balsami, sed ipsa substantia sacri defluxit vnguenti, ex cuius fragrantia latitudo totius orbis impleretur, & appropinquantes ad eorum doctrinam, Dei fierent capaces atque participes. *Vides iuxta Ioëlem effusum toto orbe Spiritum, nec modo pluuiam voluntariam, sed & balsameum imbrem quo Gentium Apostolus bonum se Christi odorem in omni loco dixit. Et ne quid desit ad Tertulliani mentem, & cordis oculos, illuminatos cœlesti luce, & corda succensa calore musti, subiicit, ibid. Aug.* Ipse, *inquit*, Apostolos suos viuæ lucis fonte perfudit, vt ipsi postmodum vniuersum mundum tanquam duodecim Solis radij, ac totidem lampades veritatis illuminent, & inebriati nouo vino repleant atque irrigent sitientium corda populorum. *Et ser. 186.* Vtres noui erant, vinum nouum de cœlo, *promissum*, expectabatur, & venit. Iam enim fuerat magnus botrus ille calcatus & glorificatus. Legimus enim in Euangelio, Spiritus enim nondum erat datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus. *Et ibidem de impleto promisso Christi* Quid est, *inquit*, quod Ecclesia ista magna à Solis ortu vsque ad occasum linguis omnium gentium loquitur? modò impletur, quod tunc promittebatur. Audiuimus, videmus, *sicut audiuimus, sic vidimus in Ciuitate Dei nostri, &c.* Audi filia & vide; ipsi Reginæ dictum est. Audi filia & vide. Audi promissum, vide completum. Non te fefellit Deus tuus, non te fefellit sponsus tuus, non te fefellit qui suo sanguine te dotauit; non te fefellit qui de fœda pulchram, de immunda virginem fecit. Tu tibi promissa es, sed promissa in paucis, *duodecim Apostolis,*

B
S. Aug.
S. Aug.
C
S. Aug.
D
S. Aug.
S. Aug.

impleta in multis, *Quam rectè igitur iuxta Paulum, Tertullianus dixit:* signati estis Spiritu promissionis sancto. *Cùm sponsæ olim in Canticis, in figuram promissionis Spiritus sancti, cor Ecclesiæ regentis, & vir-* A *tutem operum dirigentis,* & ponentis vt actum æneum brachium eius, *diceret;* pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.

7. *Spiritus gratiæ, & Spiritus sanctus, non naturaliter, sed accidentaliter, in animam iam spirantem venit. De Ani. cap. 11. in m. ad f.* *V. Verbum somnus. num. 6.*

NEc diutius de isto, nisi propter hæreticos, qui nescio quod spiritale semen infulciunt animæ, de Sophiæ matris occulta liberalitate conlatum, ignorante factore; quum Scriptura factoris magis Dei sui conscia, nihil amplius promulgauerit, quàm
a Gen. 2. 7. [a] *Deum flantem in faciem hominis flatum vitæ, & hominem factum in animam viuam,* per quam exinde & viuat & spiret: satis declarans differentias spiritus, & animæ, in sequentibus
b Esa. 57. 16. instrumentis, ipso Deo pronuntiante: [b] *Spiritus ex me prodiuit, & flatum omnem ego feci.* Et anima enim flatus factus ex spiritu. Et rursus, [c] *Qui dedit flatum populo super terram, & spi-*
c Esa. 42. 5. *ritum calcantibus eam.* Primò enim anima, id est flatus, populo in terra incedenti, id est in
d 1. Cor. 15. 46. carne carnaliter agenti; postea spiritus, eis qui terram calcant, id est opera carnis subigunt: quia & Apostolus, [d] *non primùm quod spiritale est, sed quod animale, posteà spiritale.*

SPIRITVS GRATIÆ. 7. SCHOL.

NEc DIVTIVS. *Supple disputabimus.* PROPTER HÆRETICOS, *Valentinianos.* INFVLCIVNT. *Infundi & subministrari volunt, velut ad eam fulciendam, spiritale quoddam semen, collatum ei à Sophia; de qua suo loco dicemus in fabulosis Valentinianorum Æonibus.* IGNORANTE FACTORE. *Creatore nesciente. Cùm tamen Scriptura sacra, cui melius innotuit Deus, quàm Valentino; non meminerit in creatione hominis, huiusmodi seminis spiritalis; sed nudè & simpliciter referat, quòd Deus* insufflauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem, *vt per eandem animam & viuat, & spiret, absque alio superaddito semine spiritali.* IN SEQVENTIBVS INSTRVMENTIS. *In aliis scripturæ libris. Locos alibi iam exposui, quibus scriptura distinguit spiritum ab anima. Sed non sic distinxit quando formatus est homo. Eo enim ipso quod Deo inspirante & afflante, fecit hominem, in animam viuam, fecit eam flatum & spiritum. Esa. porrò. 42. 5. vbi Deus dicit;* Dans flatum populo 70. *spirationem*, qui est super eam, *terram* & spiritum calcantibus eam; *distinguit flatum, id est animam, vitæ animalis & rationalis principium, à spiritu gratiæ, per quam homo subigit, & edomat carnem; de qua Paulus sic fatur & Aug. ser.*
S. Aug. *13. de verb. Apost. ex Rom. 8. 13.* Si secundùm carnem vixeritis moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Hoc est opus vestrum in hac vita, actiones carnis spiritu mortificare, &c. hæc est actio nostra, hæc est militia nostra. In hoc agone cùm confligimus, Deum habemus spectatorem: in hoc agone cùm laboramus, Deum poscimus adiutorem. Si enim nos ipse non adiuuat, non dico vincere, sed nec pugnare poterimus. Cùm ergo dixisset Apostolus, si autem spiritu actiones carnis mortificaueritis, viuetis, id est, illas concupiscentias carnis morbidas, & de morte habentes contentionem, quibus non consentire magna laus est, quas non habere perfectio est; hîc iam metuendum est, ne quisquam rursus ad mortificandas actiones carnis, de spiritu suo audeat præsumere. Non solùm enim Deus spiritus est, sed & anima tua spiritus est, & mens tua spiritus est. Et cùm dicis, mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati: quia spiritus concupiscit aduersus carnem, & caro aduersùs Spiritum; Ergo ne ad carnis actiones mortificandas, de spiritu tuo præsumas, & superbiâ pereas, & tibi superbo resistatur, non humili gratiâ concedatur; Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Ne fortè ergo sub-

B oriretur tibi ista superbia, vide quid sequatur: cùm enim dixisset, si spiritu, &c. Ne hîc se extolleret humanus spiritus, & ad hoc opus se idoneum firmumque iactaret, subiecit, & ait, quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. *Et ser. 43. de verb. Domini.* In bonis, *inquit*, caro concupiscit aduersùs spiritum, *aduerte hîc non intelligere hominis, sed sanctum Dei Spiritum.* Nam in malis non habet, contra quem concupiscere. Ibi enim concupiscit aduersus Spiritum, vbi est Spiritus. Quod enim ait caro concupiscit, &c. & Spiritus, &c. Noli putare spiritui hominis tantùm datum. Spiritus Dei est qui pugnat in te aduersùs te, aduersùs illud quod est in te contra te. Noluisti enim stare ad Dominum, *in Adam in quo eramus omnes*, cecidi- S. Aug.
C sti. Fractus es quomodo vas quando de manu hominis cadit in terram, fractus es. Et quia fractus es, ideo aduersus es tibi: ideo es contra te: nihil sit in te contra te, & integer stabis. Nam vt noueris ad Spiritum sanctum hoc officium pertinere, alio loco dicit Apostolus, si enim secundum carnem, &c. si autem spiritu facta carnis, &c. in his verbis se iam extollebat homo, quasi spiritu suo facta carnis possit mortificare, &c. expone nobis Apostole quo spiritu? habet enim & homo spiritum ad naturam propriam pertinentem, quo homo est, &c. & de ipso spiritu hominis dictum est, *à seipso. 1. Cor. 2. 11.* nemo scit quæ sunt hominis, nisi hominis spiritus qui in ipso est. Video ergo & ipsum hominem habere spiritum suum pertinentem ad naturam suam, & audio te dicentem, S. Aug.
D si autem Spiritu, &c. quæro quo spiritu, meo, an Dei? &c. & pecoris spiritus dicitur, & hominis spiritus dicitur, aliquando & ventus spiritus dicitur, &c. Cùm ergo multis modis dicatur spiritus; quo spiritu dixisti, ô Apostole, facta carnis mortificanda, meo, an Dei? audi quod sequitur, & intellige. Sublata est quæstio sequentibus verbis, &c. continuò addidit, quotquot enim Spiritu Dei aguntur, &c. agis, si agaris: & benè agis, si a bono agaris, &c. in sequentibus verbis intellige præceptorem, agnosce redemptorem, etenim ille redemptor tibi Spiritum dedit, quo mortifices facta carnis. Quotquot enim Spiritu Dei, &c. non sunt filij Dei, si non aguntur Spiritu Dei. Si autem Spiritu Dei aguntur, *sicut Christus Spiritu Dei agebatur in desertum, vt tentatus vinceret diabolum*, pugnant: quia magnum habent adiutorem. Non enim Deus sic nos spectat pugnantes, quomodo spectat populus venatores

in amphitheatro contra bestias pugnantes populus venatori fauere potest, periclitantem adiuuare non potest. *Et hæc aptißimè ad illustrandum Tertulliani locum, quo Spiritum sanctum ab hominis spiritu discernit, sine quo prædominante Spiritu, spiritus homi-*

A *nis peccati seruus factus, iacet in terra, nec terram calcare, & opera eius subigere, quin nec eis reluctari potest, sine superueniente adiutorio Spiritus sancti. Vide dicta verbo, somnus, numero 6.*

8. *Spiritus sancti dona in vtraque lege. V. Verbum, Christi elogia. num. 24. & 25.*

9. *Spiritus sanctus dat verba responsuris horâ interrogationis. 4. cont. Marc. cap. 28. in m.*

PErductos ad potestates, prohibet ad interrogationem cogitare de responsione:[a] *Sanctus enim*, inquit, *Spiritus docebit vos ipsâ horâ quid eloqui debeatis.* Si eiusmodi documentum Creatoris est, eius erit & præceptum, cuius præcessit exemplum. Balaam prophetes in Arithmis arcessitus à rege Balach, ad maledicendum Israëlem, cum quo prœlium inibat, simul spiritu implebatur; non ad quam venerat maledictionem, sed quam illi ipsâ horâ spiritus suggerebat, benedictionem pronuntiabat, antè professus apud nuntios regios, mox etiam apud ipsum, id se pronuntiaturum quod Deus ori eius indidisset. Hæ sunt nouæ doctrinæ noui Christi, quas olim famuli Creatoris initiauerunt.
V. Verbum, Martyres num. 5.

[a] Luc. 12. 11. 12. Num. 22. 12. & 23. 5. & seq. & 24. 2. & seq.

10. *Spiritus sanctus non patitur in nobis, sed pati dat nobis. Cont. Prax. cap. 29. in f.*

NEc quisquam negabit, quando & nos pati pro Deo non possumus, nisi spiritus Dei sit in nobis, qui & loquitur de nobis, quæ sunt confessionis; non ipse tamen patiens, sed pati posse præstans.

SPIRITVS SANCTVS. 9. & 10. SCHOL.

PERDVCTOS, *imò vi raptos ad tribunalia iudicum Luc. 12. 11.* Cùm autem inducent vos in Synagogas, *Syr. cùm sisterint vos in Synagogis coram principibus, & præsidibus, ne soliciti sitis quomodo depromatis spiritum.* Et ad magistratus & potestates, noliti soliciti esse qualiter, aut quid respondeatis, aut quid dicatis: Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere. EIVS ERIT. *Ab eodem Deo vtriusque testamenti authore, probatur Spiritus sanctus horâ oportunâ suggeßisse Prophetæ Balaam, vt etiam contra propositum suum benediceret Israëli.* IN ARITHMIS. *In libro Numerorum.* ANTE PROFESSVS. *Num. 22. 38.* Numquid potero aliud nisi quod Deus posuerit in ore meo? *vel, vt habent 70.* Potens ero loqui quippiam? verbum quodcumque iniecerit Deus in os meum, hoc loquar. C *Et cap. 24. 13.* Respondit Balaam ad Balac: nonne nuntiis tuis, quos misisti ad me, dixi; *suprà cap. 22. 18.* Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri, non potero præterire sermonem Domini Dei mei, vt vel boni quid, vel mali proferam ex corde meo, sed quidquid Dominus dixerit, hoc loquar. HÆ SVNT NOVÆ, *&c. ironicè. Illudit Marcioni quasi Christus aliud docuerit Apostolos, quàm quod olim Pater eius Creator noster antea docuerat Prophetas suos. De Balaam vide Augustinum to. 4. lib. 2. ad Simplicianum q. 1. vbi de Spiritu Prophetiæ ad tempus dato Saüli, & ser. 103. de Temp. lib. autem 4. super Numeros q. 47. quærit de nuntiis Balac.* Quid est quod scriptum est, & diuinationes in manibus eorum, &c? Numquidnam ipsi diuinabant? an aliqua ferebant, vnde faceret Balaam, quo posset diuinare, tanquam aliqua quæ in sacrificiis incenderentur, aut quoquo modo impenderentur, & ideo dictæ sunt diuinationes, quia per hæc ille poterat diuinare? &c. potest mouere, quomodo cum homine pessimo Deus locutus sit, &c. ne quisquam glorietur quod ei loquitur Deus, eo modo quo talibus loquendum esse nouit, quando potest hoc & reprobis fieri. *Et q. 48* Ire permissus est dicere, vt iam per ipsum prophetia clarissima proferretur. Non omnino permissus non est dicere quod vole-

S. Aug.

S. Aug.

B bat, sed quod virtute Spiritus cogebatur. *Quòd si per malos Prophetas loquitur Deus, quantò magis per Apostolos, de quibus Christus, non solùm apud Lucam, sed & Matth. 10. 19.* Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Si ergo loquitur in eis Spiritus sanctus, qui persequentibus traduntur pro Christo: cur non & in eis qui tradunt, *docent & prædicant auditoribus*, discentibus Christum? *vnde colligit Augustinus implorandum esse Spiritum sanctum.* Pietate, *inquit*, magis orationum, quam oratorum facultate, non dubitet, vt orando pro se ac pro illis quos est allocuturus, sit orator antequam doctor. Ipsa horâ iam vt dicat accedens, priusquam exerat proferentem linguam, ad Deum leuet animam sitientem, vt eructet quod biberit, vel quod impleuerit fundat. Cùm enim de vnaquaque re quæ secundùm fidem, delectationemque tractanda sunt, *vt verè & delectabiliter prædicet, & persuadeat*, multa sint quæ dicantur, & multi modi quibus dicantur ab eis qui hæc sciunt, quis nouit quid ad præsens tempus vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, nisi qui corda omnium videt? *præmonuerat tamen accuratè præmeditandum esse congruum & aptum sermonem. Non sic de locuturis coram tyrannis, nam ser. 2. de Apostolis vbi hunc locum rursus tractat:* Meditari, *inquit*, vetuit, & confiteri præcepit: maluit enim auferre D præsumptionem humanam, & gratiam dare diuinam, vt in semetipsis timidi, & mundo essent audaces.

S. Aug.

S. Aug.

10. PATI NON POSSVMVS. *Plùs enim est pati pro fide, quam simpliciter credere.* Vobis datum est, non solùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro ipso patiamini. *Hoc autem præstat Spiritus Dei qui est in nobis.* LOQVITVR DE NOBIS *In nobis, vel tanquam ex cathedra, de ore nostro, dum coram tyranno confitemur.* NON IPSE PATIENS. *Impaßibilis enim & immutabilis est natura Spiritus sancti, sed dat nobis patientiam. Ita idem Tertullianus in Scorpiaco. cap. 8. à p.* Qui, *inquit*, Spiritu Dei agebantur, ab ipso

in martyria dirigebantur, vt & iam patiendo quæ A prædicassent. *Sic Augustinus lib. 13. Confess. cap. 31. vbi omnia bona, cogitata, scita, visa, & dicta, & amata, Spiritui sancto tribuit.* Qui per Spiritum tuum S. Aug. vident ea, *opera tua*, tu vides in eis. Ergo cùm vident, quia bona sunt; & quæcumque propter te placent, tu in eis complaces, & quæ per Spiritum tuum placent nobis, tibi placent in nobis. Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? sic quæ Dei sunt, nemo scit nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, &c. Sicut enim rectè dictum est, non enim vos estis qui loquimini, eis qui in Spiritu Dei loquerentur: B sic rectè dicitur, non vos estis qui scitis, eis qui in Dei Spiritu sciunt, &c. Non vos estis qui videtis, eis qui in Spiritu Dei vident. Itaque quidquid in Spiritu vident, quia bonum est, non ipsi, sed Deus videt, quia bonum est, &c. Aliud est, vt quod bonum est videat homo, quia bonum est; sicut multis tua creatura placet, quia bona est, quibus tamen non tu places in ea; vnde frui magis ipsâ quam te, volunt. Aliud autem, vt cùm aliquid videt homo quia bonum est, Deus in illo videat quia bonum est, vt scilicet ille ametur in eo quod fecit, qui non amaretur nisi per Spiritum sanctum quem dedit: quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Per quem videmus, quia bonum est, quidquid aliquo modo est. Ab illo enim est, qui non aliquo modo est, sed quod est, est. *Quantò magis necessarius est Spiritus sanctus eiusque fortis vt mors dilectio, vt omnia quæ in illo bona cognoscimus, pro illo à nobis auferri, vsque ad ipsam vitam patiamur; vt fidem eius & confessionem fortiter teneamus. Accipite rursum Augustinum ser. 85. de temp.* Inquiramus, *inquit*, post S. Aug. resurrectionem & Ascensionem Domini, quid adhuc adiici possit Apostolorum perfectioni, per participationem Spiritus sancti. Erat quidem in eis fides, sed fidei constantia deerat. Iam quidem Christum per vniuersa poterant prædicare, sed adhuc pro Christo vsque ad mortem certare non poterant. Vsqueadeò vt nullum ex discipulis coronauerit palma Martyrij ante aduentum Spiritus sancti, &c. sub ipso Dominicæ Crucis tempore, alij ex discipulis effugantur, alij vnius ancillæ voce terrentur, & metu corda trepida penetrante, Dominum suum negare coguntur. Post illustrationem verò Spiritus sancti, & confirmationem, custodiis excruciati, verberibus afflicti, ibant gaudentes à conspectu concilij, &c. Operante in se Spiritu sancto, parum putant esse quod pro Christi amore patiuntur. Et qui antè verbis deterrebantur, nunc pœnis & cruciatibus roborantur; & Christum Dominum non iam vocibus, sed moribus confitentur; & dilectionis magnitudinem, sanguinis effusione testantur. Et inter hæc calefacti, & accensi mero Dominicæ charitatis exclamant, non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.

11. *Spiritus sanctus, est Spiritus adoptionis, quo filij Dei efficimur, & quo inspirante nobis spiritum orationis, clamamus, Abba Pater.* 5. *cont. Marc. cap. 4. à p.*

a Gal. 4. 6. b Ioël. 2. 28.

VT certum esset *nos filios Dei esse* [a] *misit Spiritum suum in corda nostra, clamantem Abba Pater.* [b] *In nouissimis enim, inquit, diebus, effundam de meo Spiritu in omnem carnem.* Cuius gratia, nisi cuius & promissio gratiæ? Quis Pater, nisi qui & factor?

SPIRITVS SANCTVS. 11. SCHOL.

VT CERTVM ESSET. *Non quòd aliquis certâ scientiâ cognoscere possit se* amore vel odio dignum: *sed quantùm in hac caligine potest dignosci, filios nos esse Dei coniicimus ex fiducia filiali, qua ad Deum accedimus, vt eum tanquam Patrem oremus, Spiritu adoptionis nos excitante ad orandum: quem Ioële teste effusurus erat in omnem carnem, id est non solùm populum Iudæum, sed & Gentilem toto orbe dispersum.* NOS FILIOS. *Gal. 4. 6.* Quoniam autem estis filij Dei, misit Deus Spiritum filij sui in corda vestra clamantem Abba Pater. *vbi D. Tho. lect. 3.* Quia Iudæi possent dicere, Galatas non esse adoptatos in filios Dei, cùm Christus ex eis carnem non sumpserit, nec eis prædicauerit; vnde non videbantur in aliquo, Christo coniungi; ideo Apostolus modum huius adoptionis demonstrans dicit, quòd & si non fuerunt coniuncti Christo secundùm carnem, scilicet quantùm ad gentem, neque secundùm prædicationem, tamen coniuncti fuerunt per Spiritum: & ex hoc adoptati sunt in filios Dei. Vnde conuersio Gentilium specialiter ei attribuitur. Et ideo Petrus quando fuit reprehensus quòd à Iudæis iuisset prædicare Gentilibus, excusauit se per Spiritum sanctum, dicens: Act. 11. 17. non posse resistere Spiritui sancto cuius instinctu hoc fecerat. *Quærentibus enim Iudæis ibid. versu. 3.* Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis? *post multa Petrus de linteo pleno animalibus immundis, concludit:* Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, sicut & nobis, qui credidi- C mus in Dominum Iesum Christum; ego quis eram, qui possem prohibere Deum? *subiicit D. Thomas.* Et ideo, quia misit Deus Pater, *qui infra à Tertull. factor dicitur & Creator, implens in noue, quod de Spiritu per Ioëlem promiserat in veteri Testamento:* Spiritum filij sui in corda nostra, Iudæorum scilicet, & Gentilium; coniungimur Christo, & per hoc adoptamur in filios Dei. *Quia sicut Rom. 1. de Christo, vt homo est assumptus à Verbo ad vnigeniti dignitatem dicitur,* Prædestinatus filius Dei secundùm Spiritum sanctificationis, factus ei ex semine Dauid secundùm carnem: qui de Spiritu sancto conceptus est: quo ductus est Spiritu in desertum, *cùm specie columbæ eius capiti incubasset in Iordane baptizato corpore, cuius membra nos quoque efficimur in baptismo,* D *renati ex aqua & Spiritu sancto: quemadmodum, inquam, Spiritu sancto in eo sedente vox Patris de nube inclarauit dicens:* hic est filius meus dilectus; *& rursum eadem vox de nube in Thabor intonuit: ita & nos in nube & mari, hoc est, ex aqua & Spiritu sancto renati, ex auditu fidei vocem Patris nos in Spiritu sancto adoptantis audiamus singuli baptizati:* hic est filius meus dilectus. *Porrò D. Tho. ibid. supra notat, interdum Patrem & filium expressè nominari: vt Spiritus ab vtroque procedere cognoscatur. Hic autem Paulus dicit,* misit Deus Spiritum filij sui. Spiritus sanctus, *inquit*, dicitur Spiritus filij, sicut mittentis, & sicut à quo procedit, & sicut à quo habet Spiritus sanctus quicquid habet sicut & à Patre Io. 15. ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Dicit autem in

corda, quia duplex est generatio, vna carnalis, quæ fit per semen carnale missum in locum generationis: quod quidem semel licet sit quantitate paruum, tamen virtute continet totum. Alia est spiritalis, quæ fit per semen spiritale transmissum in locum spiritalis generationis: qui quidem locus est mens seu cor hominis; quia in filios Dei generamur per mentis renouationem. Semen autem spirituale est gratia Spiritus sancti 1. Io. vltimo. Qui natus est ex Deo, non peccat, quoniam generatio Dei conseruat eum, &c. Et hoc semen est virtute continens totam perfectionem beatitudinis. *Si enim filij, & hæredes. Et gratia Dei vita æterna.* Vnde dicitur pignus & arrha beatitudinis. Addit clamantem, id est clamare facientem, non magnitudine vocis, sed magnitudine & feruore affectus. Tunc enim clamamus Abba Pater, quando per affectum accendimur calore Spiritus sancti ad desiderium Dei, &c. Quòd si filius, & hæres per Deum; quia Spiritus clamat in nobis, Pater; iam à tempore gratiæ, non est aliquis nostrum qui in Christum credimus, seruus: in timore scilicet seruiens. Io. 15. Iam non dicam vos seruos, sed amicos. Rom. 8. Ipse Spiritus testimoniũ reddit spiritui nostro quòd sumus filij Dei, &c. Dicit autem per Deum: quia sicut Iudæi hæreditatem adepti sunt per Dei repromissionem, & iustitiam: ita & Gentiles per Deum, id est per Dei misericordiam. Rom. 15. Gentes autem super misericordia honorare Deum: *Syr. vt gentes laudibus celebrent Deum pro miserationibus quæ in ipsas extiterunt:* vel per Deum id est per Dei operationem, vt dicit Esaias: omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. *Hactenus D. Thomas. Quòd si Spiritus postulare facit sicut oportet, & adiuuat infirmitatem: infirmi, hoc est insufficientes ex nobis sumus, tanquam ex nobis, orare sicut oportet sine gratia Spiritus actualiter adiuuante. Quis enim orat sine cogitatione & voluntate bona orandi? & vnde cogitatio & voluntas bona, nisi à Deo præparante & excitante? Accipe Augustinum lib. de correpț. & grat.* S. Aug. *c. 1. & 2.* Hanc fidem quæ sine dubio VERA, ET PROPHETICA, ET APOSTOLICA FIDES EST, etiam in fratre nostro Floro inuenisse me gaudeo. Vnde hi potiùs corrigendi sunt quos quidem propitio Deo correctos esse iam existimo, qui eum non intelligebant. Intelligenda est enim gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, quâ solâ homines liberantur à malo; *ab omni autem malo liberari postulamus oratione Dominicâ, ad quam recitandam ex motu pietatis, excitamur à Spiritu sancto:* & sine qua nullum prorsus, siue cogitando, siue volendo & amando, siue agendo, faciunt bonum: non solùm vt monstrante ipsâ quid faciendum sit, sciant, verùm etiam vt præstante ipsâ faciant cum dilectione quod sciunt. *Et certè frustra oraret Ecclesia, de ipsa oratione, vt & de quacumque pia actione loquens:* Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præueni, & adiuuando prosequere, VT CVNCTA NOSTRA ORATIO, & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur; *si proximè, & efficaciter, sine Dei gratia orare possemus. Hinc sanctus Innocentius primus in ep. ad Patres Carthag. quæ est 91. apud Aug.* Pelagius, *inquit*, & Cælestius suasuros se aliquibus esse confidunt, nos adiutorium Dei nec debere quærere, nec egere, cùm omnes sancti nihil se sine hoc agere posse testentur. *Ergo nec orare proximè, sicut oportet, quod est opus optimum agere, quòque & bona omnia opera agere, & mala vitare impetramus.* CVIVS GRATIA? *quasi diceret Spiritus gratiæ & orationis, non à Deo Marcionis nouo, datus esse credendus est, qui nullum habuit Prophetam, qui illum suis filiis dandum promitteret: sed à Deo Creatore mis-*

A *sum certò credimus filiis suis in lege noua, qui illum in veteri per suos Prophetas promiserat.* QVIS PATER? *Deus certè Marcionis frustra nomen Patris vsurpat, qui nos nec fecit, nec genuit. Sed ille verè Pater & dator Spiritus est orandus in noua lege, qui in veteri Creator & Pater est dictus. Vnde Moyses:* nonne ipse est Pater tuus, qui fecit te & creauit te?

Hoc loco subiiciendum non inutile duxi, quòd sicut Christus de Spiritu sancto conceptus, sic eodem Spiritu in specie columbæ gemebunda volucris, super caput eius in Iordane sedente, vnigenitus voce Patris filius agnitus est. Huic Propheta præcinuerat: Iste est puer meus quem B elegi, posui super eum Spiritum meum. *Et in cruce cruciatus vt nos pareret eodem Spiritu* clamans, Abba Pater ignosce illis, &c. cum clamore valido & lacrymis exauditus pro sua reuerentia, *de reis gehennæ, fecit adoptiuos filios*, tribus in terra testimonium perhibentibus: Spiritu scilicet, aquâ, & sanguine. *Spiritu, quem emisit, moriens vt nos mortuos peccato, ad vitam gratiæ excitaret: aqua, & sanguine, quem fudit ex latere.*

Porrò vt eodem Spiritu viueremus adoptionis filij, quæ fit in similitudinem naturæ, quo renati sumus; vt malignis spiritibus incessanter insidiantibus vita nostra, nos semper vigilare & orare volens, & numquam deficere, ne in tentationem induceremur, misit C Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus, Abba Pater, *& iuxta Zachariam, promissa sua complet in nobis: ita enim cap. 12. 10.* Et effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem Spiritum gratiæ & precum: & aspicient ad me quem confixerunt: & plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti. *Vbi nota primò spiritum orationis cum planctu iungi, vt consonet Paulo tribuenti Spiritui sancto orationis authori, & motori, gemitus inenarrabiles. Secundò planctum columbæ in foraminibus petræ clauis & lanceâ confixæ, vt vnigenitum Patris & primogenitum omnis creaturæ, primogenitum mortuorum pro peccatis nostris mortuum orando lugeamus, & cum clamore valido & lacrymis exauditum imi*-D *tantes, & per mortem eius Patrem orantes, gratiam impetremus. Tertiò in Hebræo haberi loco* gratiæ, *vocem*, chen, *quæ significat gratiam, quâ gratiosi & & amabiles sumus. De qua Ephes. 1. 5.* Prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo. *Chaldæus vertit:* Spiritum misericordiæ, & miserationum. *Arias Montanus*, spiritum compassionis & deprecationis. *Oratio quippe & deprecatio ex compassione plerumque nascitur. Quartò, loco* precum, 70. *transferunt* misericordiæ, *Chald.* miserationum. *Clarius.* Propitiationis. *Radix enim* chauan *significat misereri, & inde precari. Sanctus Remigius in glossa citatus, notat in effusione largitatem Spiritus, in Spiritu precum* quos Spiritus sanctus replet, eos statim ad orationem accendit. E *Vbi nota tres effectus præcipuos Spiritus sancti. Primò enim dat gratiam per quam grati sumus Deo. Secundò dat spiritum orationis & precum per quas miserias omnes & tentationes euadamus, & omnia bona impetremus. Tertiò eleuans oculos nostros ad Iesum Christum crucifixum per eius merita quidlibet impetremus. Adeò autem Spiritus sancti donum est vt teste Paulo, nemo dicere possit & dignè, corde vel ore pronuntiare* Dominus Iesus nisi in Spiritu sancto.

Sicut autem non omnes Deus adoptat in filios, sed fideles tantùm, quibus potestatem dedit filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius. *Ita nec omnibus dat spiritum gratiæ & precum. Nam vt alibi diximus ex S. Prospero lib. 1. respons. ad Capitula Gallorum cap. 4.* Nec possumus dicere quòd ibi sit gratiæ voca-

tio, vbi matris Ecclesiæ adhuc nulla est regeneratio. *Et ex ep. Synodica 265. Episcoporum Africa exulum in Sardinia.* De gratia non dignè sentit quisquis eam putat omnibus hominibus dari: *gratiam non quamcumque, sed veram adoptionis gratiam intelligit;* cùm non solùm non omnium sit fides 2. Thess. 3. 2. Sed adhuc nonnullæ gentes inueniantur ad quas fidei prædicatio non peruenit. B. autem Apostolus dicit Rom. 10. quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? non itaque gratia omnibus datur, quandoquidem ipsius gratiæ participes esse non possunt, qui fideles non sunt; nec possunt credere, ad quos inuenitur ipse fidei auditus minimè peruenisse. *Donum Dei proprium, & adoptiuus filius ab eo effusum docet Augustin, Ambrosium etiam referens, libro de dono perseuerantia cap. 23. vbi orationem dicit esse potentissimum ad conuersionem infidelium, & perseuerantiam in fide & gratia, contra omnes tentationes medium.*

S. Aug Quando, *inquit*, non oratum est in Ecclesia pro infidelibus, atque inimicis eius, vt crederent? quando fidelis quisquam, amicum, proximum, coniugem habuit infidelem, & non ei petiuit à Domino mentem obedientem in Christianam fidem: Quis autem sibi vnquam non orauit vt in Domino permaneret? aut quis Sacerdotem super fideles Dominum inuocantem; si quando dixit, da illis Domine in te perseuerare vsque in finem non solùm voce ausus est, sed saltem cogitatione reprehendere, ac non potiùs super talem benedictionem, & corde credente, & ore confitente respondit amen? cùm aliud in oratione Dominica non orent fideles, dicentes maximè illud; ne nos inferas in tentationem, nisi vt in sancta obedientia perseuerent? sicut ergo in his orationibus, ita & in hac fide nata est, & crescit, & creuit Ecclesia, quâ fide creditur gratiam Dei non secundùm fidem accipientium dari: quandoquidem non oraret Ecclesia, vt daretur infidelibus fides, nisi Deum crederet, & auersas, & aduersas hominum ad se conuertere voluntates: nec oraret Ecclesia, vt perseueraret in fide Christi, non decepta vel victa tentationibus mundi, nisi crederet Dominum sic in potestate habere cor nostrum, vt bonum quod non tenemus nisi propriâ voluntate, non tamen teneamus, nisi ipse in nobis operetur & velle. Nam si hæc ab ipso quidem poscit Ecclesia, sed à seipsa sibi dari putat, *aduerte quomodo vrgeat, nec totam Ecclesiam habere à seipsa, sed à Deo orationis donum, à quo habet & fidem, quâ fidelis est facta sponsa, de Iudæis & Gentilibus ab infidelitate conuersa:* non veras sed perfunctorias orationes, habet, quod absit à nobis. Quis enim veraciter gemat, *vero gemitu columbæ, cuius Spiritu ductus est Iesus in desertum vt tentaretur à diabolo, quem oratione indefessa, & Scriptura sacræ allegatione trina deuicit:* desiderans accipere quod oret a Domino, si hoc à seipso se sumere existimet, non ab illo? præsertim quoniam quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus, ait Apostolus Rom. 8. 26. interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui enim scrutatur corda scit quid sapiat Spiritus, quia secundùm Deum interpellat pro sanctis. Quid est, ipse Spiritus interpellat, nisi interpellare facit gemitibus inenarrabilibus, sed veracibus, quoniam veritas est Spiritus? ipse est enim de quo alio loco dicit: *Gal. 4. 6* misit Deus Spiritum filij sui in corda nostra clamantem. Abba Pater. Et hîc quid est, clamantem, nisi clamare facientem, tropo illo quo dicimus lætum diem qui lætos facit? quod alibi manifestat, vbi dicit: *Rom. 8. 15.* non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis

A Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. Ibi dixit clamantem, hîc verò in quo clamamus: aperiens videlicet quomodo dixerit clamantem, quod est, sicut iam exposui, clamare facientem. Vbi intelligimus, & hoc ipsum esse donum Dei, vt veraci corde & spiritaliter clamemus ad Deum.

Vbi concludit præcisè in rem nostram: Attendant ergo quomodo falluntur, qui putant esse à nobis, non dari nobis, vt petamus, quæramus, pulsemus: & hoc esse dicunt, quòd gratia præceditur meritò nostro, vt sequatur illa cùm accipimus petentes, & inuenimus quærentes, aperiturque pulsantibus: NEC VOLVNT INTELLIGERE, ETIAM HOC DIVINI MVNERIS ESSE, VT OREMVS: hoc est petamus, quæramus, atque pulsemus. Accipimus enim spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Quod vidit B. Ambrosius: ait enim: *in commentario scil. super Esaiam:* ET ORARE DEVM, GRATIÆ SPIRITALIS EST: SICVT SCRIPTVM EST. 1. *Cor.* 12. 3. NEMO DICIT DOMINVS IESVS, NISI IN SPIRITV SANCTO. *eam porrò verum est sine inspiratione actuali Spiritus sancti iustum non posse proximè orare sicut oportet, vt de oratione sicut & de cæteris actibus piis cum Concil. Trident. sancitum sit. sess. 6. can. 3. & Concil. Arausic. 2. can. 6. Concludit ibidem Augustinus:* hæc igitur quæ poscit, esse à Domino, & semper ex quo esse cœpit, poscit Ecclesia; ista Deus vocatis suis daturum se esse præsciuit, vt in ipsa prædestinatione iam dederit; quod Apostolus sine ambiguitate declarat. Scribens ad Timotheum 2. *Tim.* 1. 8. & *seq.* Collabora, *inquit*, Euangelio secundùm virtutem Dei saluos nos facientis, & vocantis vocatione suâ sanctâ, non secundum opera nostra, sed secundùm suum propositum, & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora æterna, &c. Ille itaque dicat Ecclesiam aliquando in fide sua non habuisse veritatem prædestinationis huius & gratiæ, quæ nunc contra nouos hæreticos curâ diligentiori defenditur: ille, inquam, hoc dicat, qui dicere audet aliquando eam non orasse, vel veraciter non orasse, siue vt crederent infideles, siue vt perseuerarent fideles. Quæ bona si semper orauit, semper ea Dei dona esse vtique credidit, nec ab illo esse præcognita, vnquam ei negare fas fuit. Ac per hoc prædestinationis huius fidem, quæ contra nouos hæreticos nouâ solicitudine nunc defenditur, numquam Ecclesia Christi non habuit.

Iubet memoratum orationis donum ex Ambrosio ab Augustino præcitato confirmare lib. 3. de Spiritu sancto cap. 12. vbi de adoratione Patris in Spiritu & veritate Io. 4. Non solùm, *inquit*, hoc exemplo diuinitatem sancti Spiritus vultis negare, sed etiam in Spiritu adorare Deum, tanquam ad subiectionem Spiritus deriuatis. Cui loco respondebo breuiter, quia spiritus plerumque ponitur pro gratia spiritali, sicut & Apostolus dixit: quia ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, HOC EST GRATIA SPIRITALIS: nisi fortè gemitus vos sancti Spiritus audire potuistis. Ergo & hîc adoratur Deus, non in malitia cordis, sed in gratia spiritali. In animam enim maleuolam non intrat sapientia; quia nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto. Statimque subdidit: diuisiones verò gratiarum sunt. Non igitur hoc ad plenitudinem, nec ad portionem SPIRITVS potest pertinere; quia neque humana mens eius plenitudinem capit, neque in vllas sui diuiditur sectiones, sed donum gratiæ spiritalis infundit, in quo non adorat, nisi qui veritatem diuinitatis eius pio haurit affectu. *Et lib. 6. Epistolarum ep. 40. ad Horontianum quærentem quis*

sit spiritus postulans pro nobis, &c. Moueri te indicasti, de quo spiritu dictum sit; qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Superiora igitur repetamus, vt lectio manifestet quod quærimus. Similiter, *inquit*, & spiritus adiuuat infirmitatem nostræ orationis. Nonne tibi videtur Spiritus sanctus qui adiutor nobis est, sicut ille cui dicitur, adiutor meus esto ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus? quis enim alius spiritus qui possit docere Paulum, quid oraret? docet autem Spiritus Christi, sicut & Christus orare discipulos suos. Quis autem post Christum doceret nisi Spiritus eius, quem ipse misit vt doceret & dirigeret orationes nostras? oramus enim Spiritu, oramus & mente, vt benè mens possit orare, præcedit Spiritus, & deducit eam in viam rectam, ne obrepant carnalia, ne minora, ne etiam maiora viribus. Vnicuique enim datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem. Denique scriptum est, petite magna, & parua adiicientur vobis: petite cœlestia, & terrena adiiciuntur. Ergo vult nos maiora petere, non in terrenis morari. Ille autem scit quid tribuat, diuidens singulis prout vult. Dicite enim interdum, sciens mensuram quam nos ignoramus, non potestis hoc modò accipere. Peto mihi passionem martyrij. Spiritus promptus est: sed videns infirmum carnis meæ, ne dum maiora cupio, minora amittam, dicit: non potes hæc accipere. Quales occasiones habui? & de ipso propè fine reuocatus sum, &c. Ergo quia nos nescimus quid oremus, & quomodo oporteat, postulat pro nobis Spiritus sanctus: est enim Spiritus aduocati nostri Iesu: & postulat gemitibus ineffabilibus. Dolet enim pro nobis & Christus Esa. 53. & Deus Pater dicit Ierem. 4. ventrem meum doleo. Et frequenter indignantem eum legimus, & dolentem. Gemit autem, vt auferat peccata nostra, doceat nos agere pœnitentiam. Est enim pius gemitus, & plenus authoritatis, de quo dicit Propheta, & gemitus meus non est absconditus à te. Non enim latebat vt Adam, sed dicebat: 1. Par. 21. Ecce ego Pastor: & grex iste quid deliquit? ego peccaui; in me vindica. Ex hoc igitur gemitus Spiritus Dei, & ille Prophetæ gemitus benè ineffabilis, quia cœlestis. Etenim quæ in cœlo audiuit Paulus, ineffabilia audiuit, vt fari ea homines non debeant; sed quæ occulta hominibus, Deo nota sunt. Nouit enim omnia qui scrutator est cordis, sed illa scrutatur quæ mundauit Spiritus. Nouit ergo Deus quid postulet Spiritus, & quæ spiritus sapientia sit, quia interpellat pro sanctis, sicut habes, *scriptum*: quia & spiritus interpellat pro nobis. Pro quibus enim passus est, *in quo iuxta Tertullianum Deus Spiritum suum cum tota patientia collocauit*, & quos sanguine mundauit suo, pro iis interpellat & spiritus.

S. Aug.

Eadem doctrina confirmatur à B. Gregorio. lib. 2. Mor. cap. 21. in primum caput Iob. Vbi de Iob in terram cadente & adorante, Christumque incarnatum exprimente sic fatur. Mediatori, *inquit*, in terra quasi corruisse, est nullis signis præcurrentibus, inopinatè ad gentes venisse. Benè autem dicitur, quòd corruens adorauit, quia dum ipse humilitatem carnis suscepit, in se credentibus vota humilitatis infudit. Fecit enim, quia fieri docuit: sicut & de eius spiritu dicitur: ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Neque enim petit qui æqualis est, sed postulare dicitur, quia nimirum quos repleuerit, postulantes facit. *Et homil. 30. in Euang. in verba* paracletus autem Spiritus sanctus. Idcirco, *inquit*, Paracletus dicitur, quia pro errore delinquentium apud iustitiam Patris interuenit. Qui vnius substantiæ cum Patre & Filio, exorare pro delinquentibus perhibetur, quia eos quos repleuerit, exorantes facit. Vnde & Paulus dicit: & ipse enim Spiritus postulat pro nobis, &c. sed diceret quis: minor est qui postulat, quàm qui postulatur: quomodo ergo Spiritus postulare dicitur, qui minor non est? sed ipse spiritus postulat, quia ad postulandum eos quos repleuerit inflammat. Consolator autem idem Spiritus vocatur, quia de peccati perpetratione mœrentibus, dum spem veniæ præparat, ab afflictione tristitiæ mentem leuat. *Et lib. 8. Indict. 3. ep. 50. ad Dominicum Domitianum*: Omnipotens Deus sua vos protectione circuntegat; gressusque vestros in timoris sui tramite conseruet, vosque pro me ad orandum excitet, vt & vestris intercessionibus mea studia in viam vitæ dirigantur. *Et lib. 11. Indict. 6. ep. 49. ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum.* Omnipotens Deus cordi beatitudinis vestræ aspiret, vt pro me orare assiduè curetis.

Subiicio & Fulgentium nostrum ep. 4. ad Probam de oratione cap. 2. Quia, *inquit*, frequenter Deus à nobis offenditur, necessarium est vt frequenti oratione, & iugi cordis compunctione mitigetur. Compunctio enim cordis excitat orationis affectum: oratio humilis diuinum promeretur auxilium. Compunctio cordis vulnera sua respicit, oratio verò medelam sanitatis exposcit. Et ad hæc quis idoneus? Quis enim vel orare competenter valeat, nisi medicus ipse nobis initium desiderij spiritalis infundat? aut quis perseueranter in oratione queat, nisi Deus in nobis hoc quod cœpit augeat, quod seminauit enutriat & quod misericordiâ præcedente gratis donauit indignis, ad effectum perfectionis misericordiâ subsequente perducat? sic enim à nobis poterit boni operis meritum non perire, si Deus auctor atque adiutor semper glorificetur in opere. *Didicerat Fulgentius ipsum orationis donum à Deo nobis esse ex epistola 121. Augustini ad aliam Probam cap. 15.* Est, *inquit*, in nobis quædam, vt ita dicam, docta ignorantia, sed docta Spiritu Dei qui adiuuat infirmitatem nostram. Quid enim oremus, sicut oportet nescimus. Sed ipse spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quis Spiritus sapiat, quia secundùm Deum interpellat pro sanctis. Quod non sic est intelligendum, vt existimemus sanctum Spiritum Dei, qui in Trinitate incommutabilis Deus est, & cum Patre & Filio vnus Deus, tanquam aliquem qui non sit quod Deus est, interpellare pro sanctis. Dictum quippe est, interpellat pro sanctis, quia interpellare sanctos facit, sicut dictum est Deut. 13. tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat si diligatis eum, id est vt scire vos faciat. Interpellare vtique sanctos facit gemitibus inenarrabilibus, inspirans eis desiderium, etiam adhuc incognitæ tantæ rei, quam per patientiam expectamus. Quomodo enim narratur, quando desideratur quod ignoratur? non vtique si omnimodò ignoraretur, non desideraretur: & rursus, si videretur, non desideraretur, nec gemitibus quæreretur. *Et libro contra sermonem Arrianorum cap. 25. eundem locum Pauli retexens:* Apostolus, accepistis, *inquit*, Spiritum adoptionis filiorum, &c. & alibi eundem commemorans Gal. 4. misit, inquit, Deus Spiritum filij sui, &c. quomodo ibi in quo clamamus, quomodo hîc clamantem, nisi quia clamantem hîc ait clamare facientem? &c. non ergo scimus per nos ipsos quid oremus sicut oportet, sed ipse Spiritus interpellat, id est interpellare nos facit quæ sunt secundùm Deum? Quod nisi faciat, non oramus, nisi secundùm istum mundum, *alludit ad illud Iacobi: petitis & non accipitis, eo quod malè petatis, vt*

S. Aug.

S. Aug.

in concupiscentiis vestris insumatis: ad explendam concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum, & ambitionem sæculi, quæ non sunt à Patre, sed ex mundo sunt. *V. locum integrum Schol. 13.*

Rursum differentiam notat veteris & nouæ legis in Spiritu timoris & charitatis. Vt enim bona temporalia veteres petebant, & mala à se pelli poscebant, nunc nos æterna deprecamur. Hinc Augustinus ep. 120. ad Honoratum cap. 21. Fidelibus, *inquit*, ad nouum Testamentum pertinentibus quamuis dicat Apostolus (S. Aug.) non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis, &c. id est vt fides in nobis sit, quæ per dilectionem operatur, non tam timendo pœnam, quam amando iustitiam: tamen quia non fit anima iusta nisi participatione melioris qui iustificat impium, quid enim habet quod non accepit? non debet sibi tribuendo quod Dei est, ita gloriari tanquam non acceperit. Ob hoc enim dictum est, noli altum sapere sed time. *Quid timeat? subiicit*, timet anima ne amittat ipsam gratiam quâ in illa factum est, vt eam non peccare delectet, qua timet ne Deus eam deserat, etiam si nullis dolorum cruciatibus puniat, &c. Timet adultera ne vir infestus adueniat: timet casta, ne offensus abscedat. *Timet ne suâ negligentiâ, amore proprio, vel aliquâ occultâ superbiâ Spiritus gratiæ & orationis, orandi inspirationes subtrahat, vnde suprà dixit Ambrosius de spiritu adiuuante infirmitatem*, Adiutor meus esto, ne derelinquas me. *Instat & Psaltes*, Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. *Hinc orat Ecclesia* da nobis Spiritum cogitandi quæ recta sunt. Excita Domine corda nostra. *Quod vtique non oraret, si semper etiam in iustis orandi facultas actualis esset. Si enim ex Augustino ad Vitalem:* (S. Aug.) scimus gratiam ad singulos actus dari, *Profectò negandum non est etiam ad orationis actus necessariam esse cogitationem piam & inspirationem actualiter orandi, quantumuis habeamus in nobis fidei habitum, & orandi principium, cuius defectu infideles orare non possunt. Licet enim præcipiatur nobis vt oremus, non semper de hoc præcepto cogitamus, nec ad orandum actu excitamur. Pulchrè Augustinus lib. 1. ad Simplicianum q. 2. circa f.* (S. Aug.) Præcipitur, *inquit*, vt credamus, vt dono accepto Spiritus sancti per dilectionem benè operari possimus. Sed quis potest credere, nisi aliquâ vocatione, hoc est aliquâ rerum testificatione tangatur? Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo eius voluntas moueatur ad fidem? *hinc sæpius Augustinus repetit illud Scripturæ:* (S. Aug.) *non est in potestate nostra cor nostrum & viæ nostræ:* quis autem animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? aut quis habet potestatem, vt vel occurrat quod eum delectare possit, vel delectet, cùm occurrerit? cùm ergo ea nos delectant quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc & præbetur gratiâ Dei, non nutu nostro, & industriâ aut operum merito comparatur: quia vt sit nutus voluntatis, vt sit industria, vt sint opera charitate feruentia, ille tribuit, ille largitur. Propterea petere iubemur vt accipiamus, & quærere vt inueniamus, & pulsare vt aperiatur nobis. Nonne aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potiùs frigida, & penè nulla, imò omnino interdum ita nulla, vt neque hoc in nobis cum dolore aduertamus, quia si vel hoc dolemus, iam oramus. Quid ergo aliud ostenditur nobis, nisi quia & petere & quærere, & pulsare ille concedit, qui vt hæc faciamus iubet. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei: quandoquidem nec velle, nec currere, NISI EO MOVENTE ATQVE EXCITANTE POTERIMVS.

Hinc Venerabilis Beda in cap. 8. Rom. Omnes prætatos Apostoli locos per Augustinum expositos & alios in rem nostram congerit ex ep. ad Sixtum, libro 1. cont. Manichæos. lib. cont. Maximinum. 1. & 2. in ep. ad Probam. Ex tract. Euang. secundùm Io. 6. ex lib. de dono perseuerantiæ ex tract. Psalmi 53. Quibus omnibus constat nos non benè orare nisi Spiritu sancto excitante, de quo rursum Augustinus ep. 105. ad Sixtum. (S. Aug.) Quapropter, *inquit*, ne se vel ipsius orationis meritum extollat, etiam ad vincendas temporalium cupiditates, & diligenda bona æterna, atque ipsum fontem omnium bonorum DOMINI ADIVTORIVM DATVR ORANTI, fides erat, quæ data est non oranti quæ vtique nisi data esset, orare non posset. Quomodo enim inuocabunt in quem non crediderunt, &c. vt autem habitet Spiritus sanctus, nonne vbi vult spirat, & charitas Dei, sine qua nemo benè viuit, diffunditur in cordibus nostris, non à nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis, &c. Sicut enim non haberet homo sapientiam, intellectum, consilium, fortitudinem, &c. nisi secundùm Propheticum eloquium accepisset Spiritum sapientiæ & intellectus, &c. sicut non haberet virtutem, charitatem, continentiam, nisi accepto spiritu, de quo dicit: non accepistis spiritum timoris, sed virtutis & charitatis, & continentiæ: ita non haberet fidem, nisi accepisset spiritum fidei, de quo idem ipse dicit: habentes autem eundem spiritum fidei, secundùm quod scriptum est: credidi propter quod, &c. Non autem meritò accepisse sed misericordiâ eius qui cuius vult miseretur, manifestissimè ostendit, vbi de seipso ait: misericordiam consecutus sum, vt fidelis essem. Si dixerimus meritum præcedere orationis, vt donum gratiæ consequatur; impetrando quidem oratio quicquid impetrat, euidenter DONVM DEI ESSE OSTENDIT, ne homo existimet à seipso sibi esse, quod si in potestate haberetur, non vtique posceretur: *posceretur autem ab Ecclesia dicente Dominicâ nonâ post Pent. Pateant aures misericordiæ tuæ Domine precibus supplicantium: & vt petentibus desiderata concedas, fac nos quæ tibi sunt placita postulare. Et Dominicâ 22. Præsta vt quod fideliter petimus, efficaciter consequamur, & Dominica 12. de cuius munere venit, vt tibi à fidelibus tuis dignè & laudabiliter seruiatur:* (S. Aug.) Veruntamen ne saltem orationis putarentur præcedere merita, quibus non gratuita daretur gratia, sed iam nec gratia esset, quia debita redderetur, ETIAM IPSA ORATIO INTER GRATIÆ MVNERA REPERITVR. Quid enim oremus, ait Doctor Gentium, sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quid est autem interpellat, nisi interpellare nos facit, nobisque interpellandi & gemendi inspirat affectum, sicut illud in Euangelio; non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Neque enim & hoc ita fit de nobis, tanquam nihil facientibus nobis. Adiutorium igitur Spiritus sancti sic expressum est, vt ipse facere diceretur, quod vt faciamus, facit. Nam non esse intelligendum spiritum nostrum, de quo dictum est, interpellat, &c. Sed Spiritum sanctum, quo nostra infirmitas adiuuatur, satis ipse demonstrat Apostolus. Inde enim cœpit: Spiritus, *inquit*, adiuuat infirmitatem nostram, &c. sicut ergo nemo rectè sapit, rectè intelligit, rectè consilio ac fortitudine præualet, nemo scienter pius est, vel piè sciens nemo timore casto Deum timet, nisi acceperit spiritum sapientiæ & intellectus, consilij & fortitudinis, scientiæ, & pietatis, & timoris Dei: nec habet quisquam virtutem veram, charitatem sinceram, continentiam religiosam, nisi per Spiritum virtutis, & charitatis, & continentiæ: ita sine spiritu fidei,

fidei, non est rectè quispiam crediturus, NEC SINE SPIRITV ORATIONIS SALVBRITER ORATVRVS. Non quia tot sunt spiritus, sed omnia hæc operatur vnus atque idem Spiritus diuidens propria vnicuique prout vult: quia Spiritus vbi vult spirat: sed quod fatendum est, aliter adiuuat, nondum inhabitans, aliter inhabitans. Nam nondum inhabitans, adiuuat vt sint fideles, inhabitans adiuuat iam
S. Aug. fideles. *Et in ep. ad Vitalem circa f.* Gratias ei non immeritò agimus de iis quibus ei non credentibus, & eius doctrinam voluntate impiâ persequentibus, misericordiam prærogauit, eosque ad seipsum omnipotentissimâ facilitate conuertit, ac volentes ex nolentibus fecit, &c. nemo est tam imperitus, tam carnalis, tam tardus ingenio, qui non videat Deum facere, quod rogari se præcepit vt faciat, &c. Homines qui erant auersi & aduersi, conuertuntur ad Dominum, & velle incipiunt, quod nolebant, & habere fidem quam non habebant, quod vt fiat in eis, oratur pro eis, quamuis non oretur ab eis. Ipsi enim quomodo inuocabant, in quem non crediderunt? cùm verò factum fuerit quod oratur, ei qui fecit aguntur gratiæ, & pro eis, & ab eis.

Atque ex dictis patet orationem quâ cætera dona impetrantur, magnum esse Spiritus sancti donum, propter quod magnæ sunt Deo gratiæ referendæ, sicut agebat Dauid cùm diceret Psalmo 65. Benedictus Deus qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me. *Quæ duo sic inter se connexa sunt, vt quandiu oratio perseuerat, tandiu misericordia perduret. Vnde Augustinus ibidem.* Quandiu, *inquit*, hic
S. Aug. sumus, hoc rogemus Deum, vt non à nobis amoueat deprecationem nostram, & misericordiam suam: id est, vt perseueranter oremus, & perseueranter misereatur. Multi enim languescunt in orando, & in nouitate suæ conuersionis feruenter orant, posteà languidè, postea frigidè, posteà negligenter. *Postea vt suprà dixit, nulliter. Et sic gradatim post desertum Deum, deseritur à Deo, & tepidus euomitur, & subtrahitur ab eo orationis Spiritus.* Quasi securi sunt. Vigilat hostis, dormis tu.
S. Aug. Ipse Dominus præcepit in Euangelio Luc. 18. quia oportet semper orare & numquam deficere, &c. ergo non deficiamus in oratione. Ille quod concessurus est, & si differt, non aufert. Securi de pollicitatione ipsius, non deficiamus orando, ET HOC EX BENEFICIO IPSIVS EST. Propterea dixit: benedictus Deus meus, qui non amouit deprecationem meam, & misericordiam suam à me. Cùm videris non à te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est amota misericordia eius. *Vnde & Hugo Card. ibid.* Ponit, *inquit*, duas causas. Prima quia facit nos perseuerare in oratione. Vnde dicit, qui non amouit, &c. amouetur oratio quæ non perseuerat: quæ autem perseuerat, non amouetur. Secunda causa est, quia quod suggerit vt petamus, largitur petentibus. Vnde addit, & misericordiam suam hoc enim petendum est, scilicet misericordia Dei. Si nos primum amoueamus, scilicet orationem: timere possumus, ne Deus amoueat misericordiam. *Sed aliam statim suggerit Hugo causam propter quam Deus priùs desertus, ita deserit hominem vt etiam amoueat ab eo orationem, & misericordiam: ex loco Esaiæ 57. 10.* Viam manus tuæ inuenisti, propterea non rogasti. 70. *autem* confortata quia fecisti hæc: propterea non rogasti me. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Requiem viarum tuarum inuenisti, propterea non ægrotasti. *Vt enim infirmus & miser non fidit in viribus suis, nec in via manus suæ nititur, qui ægritudinem suam agnoscit, rogat medicum, & instanter exclamat, ex aduerso superbus &*

A *suis fidens viribus non rogat, ita orationem deserit, & meretur vt ab eo Deus auferat misericordiam & gratiam. Vnde Psaltes hoc valde timens, vt supra diximus: instanter orabat:* Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. *Et rursum Psal.* 118. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque. *Vbi Aug. Concione* 13. Hoc est non omnino ex ore Petri, *quem Christus vigilare & orare monuerat, quo monito & inspiratione neglectâ corruit de se præsumendo*, in quo erat typus Ecclesiæ, verbum veritatis ablatum est: qui etsi ad horam negauit timore turbatus, tamen flendo est reparatus: & confitendo est posteà coronatus. Totum itaque corpus Christi loquitur, id est Ecclesiæ sanctæ vniuersitas. In quo toto corpore, siue quia negantibus plurimis remanserunt fortes qui vsque ad mortem pro veritate certarent; siue quia & ex iis qui negauerunt, multi reparati sunt, non est ablatum ex eius ore verbum veritatis vsque valde. *Id est vsque in finem.* Quod autem ait, ne auferas: intelligendum est, ne auferri sinas: propter quod orando dicimus: ne nos inferas in tentationem. Et ait ipse Dominus ad Petrum. Rogaui inquit, pro te, ne deficiat fides tua, hoc est ne auferatur de ore tuo verbum veritatis vsque valde. S. Aug.

B

Defecerat ad tempus humanâ fragilitate, vigilantia, fides, humilitas, oratio Petri. Vnde iusto Dei iudicio in negationem incidit, nec donec respexit Iesus Petrum interiori clementiæ oculo, pro peccato suo Petrus, nec orauit, nec fleuit. Respexit Iesus, & fleuit amarè Petrus, & exaudiuit Dominus vocem fletus eius. De orationis quippe gratia actuali sicut & de cæteris Spiritus sancti donis, idem sentiendum est quod ait Augustinus in ep. 107. ad Vitalem, vbi cùm de gratia adoptionis habituali dixisset, cuius soli sunt capaces infantes baptizati; Quoniam ergo propitio Christo Christiani Catholici sumus, scimus gratiam Dei nec paruulis nec maioribus secundùm merita nostra dari: *statim subiicit de actuali:* scimus maioribus ad singulos actus dari. *Tum verò subdit.* Scimus non omnibus hominibus dari, &c. scimus eis quibus datur, misericordiâ Dei gratuitâ dari. Scimus eis quibus non datur iusto iudicio Dei non dari. *Et quidem de Gentilibus apertum est iustum Dei iudicium, quod præter originale peccatum, multa voluntaria crimina addiderint quibus à Deo iustè reprobantur. Sed de adoptionis filiis de fide esse sæpè diximus, eos quantum ad gratiam habitualem non deseri à Deo nisi Deum priùs deserant peccato mortali; nec gratiâ actuali necessariâ, maximè Spiritu adoptionis postulante, hoc est postulare faciente, nisi ipsi priùs Deum deserant, vel suâ superbiâ, vel inspirationum negligentiâ. Concludamus pro hac orationis gratia cum Doctore Angelico lect. 5. in caput 8. Rom. circa f.* Ponit, *inquit*, modum auxilij Spiritus sancti, dicens quod ipse Spiritus postulat, &c. quod videtur suffragari errori Arrij & Macedonij qui posuerunt Spiritum sanctum esse creaturam, & minorem Patre & Filio. Postulare enim est minoris. Sed si ex eo quod dicit eum postulare intelligamus eum esse passibilem creaturam, & Patre minorem. Consequens est etiam quod ex eo quod dicit eum gemitibus postulare, intelligimus eum esse passibilem creaturam beatitudine carentem, quod nullus hæreticus vnquam dixit; nam gemitus ex dolore est, qui ad miseriam pertinet: & ideo exponendum est, postulat, id est, facit nos Spiritus S. postulare, in quantùm in nobis recta desideria causat, nam postulatio est desideriorum explicatio. Desideria autem recta ex amore charitatis proueniunt, quam in nobis facit Spiritus sanctus Rom. 5. Charitas Dei diffusa, &c. Spiritu autem sancto dirigente & instigante cor nostrum, & nostra desideria non possunt esse nisi nobis vtilia. Esa. 4. Ego Dominus do-

A Labia dolosa si in hominum quibuscumque serCens te vtilia. Eius autem quod multum desideramus & desideranter petimus dilationem cum dolore & gemitibus patimur: & ideo subdit, gemitibus. Quos Spiritus sanctus in corde nostro causat: in quantum scilicet nos facit cœlestia desiderare quæ differuntur. Iste est gemitus columbæ quem Spiritus S. in nobis facit Nahum 2. minabantur gementes vt columbæ. Dicit autem, inenarrabilibus: aut quia sunt propter rem inenarrabilem, scilicet cœlestem gloriam. 2. Cor. 12. Audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui. Aut quia ipsi motus cordis sufficienter enarrari non possunt secundùm quod à Spiritu sancto procedunt. Iob. 38. quis enarrabit cœlorum rationem. Deinde cùm dicit: qui autem scrutatur corda scit quid desideret Spiritus, quia secundùm Deum postulat pro sanctis: OSTENDIT EFFICACIAM AVXILII quo Spiritus sanctus nos adiuuat, dicens: qui autem scrutatur corda: Id est Deus cui proprium est corda scrutari. Psalmus: scrutans corda & renes Deus. Dicitur autem Deus scrutari corda, non quod inquirendo, occulta cordis cognoscat: sed quia manifesta sunt ei quæ in corde latent. Deus, inquam, scrutans corda, scit id est approbat: secundùm illud. 2. Tim. 2. Nouit Dominus qui sunt eius. Quid desideret Spiritus: id est QVID DESIDERARE TE FACIAT. *Et quid aliud orat Ecclesia? Deus à quo sancta desideria?* Psalmus: Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Ideo autem desideria Spiritus quæ in sanctis facit Spiritus sanctus, sunt Deo accepta quia postulat pro sanctis, id est postulare facit eos secundùm Deum, id est quod conuenit diuino placito. Prou. 10. desiderium iustorum omne bonum. In cuius exemplum Dominus Patri dicebat, non sicut ego volo, sed sicut tu. *Et Concil. Arausicanum. 2. canone 9.* Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum vt operemur, operatur. Diuini est muneris, cùm & rectè cogitamus. *Et canone 10.* Adiutorium Dei etiam renatis ac sanctis est semper implorandum, vt ad finem bonum peruenire, vel in bono possit opere perdurare. *Et canone 25. sub finem, orationes Cornelij & fidem eius gratiæ imputat.* Manifestissimè credendum est, quòd & illius latronis quem Dominus ad paradisi patriam reuocauit, & Cornelij Centurionis ad quem Angelus Domini missus est, & Zachæi qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, SED DIVINÆ LARGITATIS DONVM. *Concludamus itaque cum Augustino totaque Scriptura & Patribus, nec nos orare posse nisi Deus cor nostrum leuet ad se, nec labia ad orationem aperire, nisi ille aperiat, cui dicimus:* Domine labia mea aperies: *Nec pro nutu nostro sufficientes nos esse vt de oratione facienda cogitemus,* cùm non sit in potestate nostra cor nostrum: *nec minùs ad orationis actum, quam ad singulos alios bonos actus necessariam esse gratiam actualem efficacem: quam iustè negligentibus, aut superbis amouet Deus secundùm ? saltem: & gratias ei agendas cùm non amouit: cum eo canendo:* Benedictus Deus qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me.

S. Aug. *Exertè namque cum Augustino fatendum est ep. 107. ad Vitalem à p.* Non fallamus homines, nam Deum fallere nos valemus. Prorsus non oramus Deum, sed orare non fingimus, si nosipsos, non illum credimus facere quod oramus. Prorsùs non gratias Deo agimus, sed nos agere fingimus, si vnde illi gratias agimus, ipsum facere non putamus.

monibus sunt, saltem in orationibus non sint. Absit vt quod facere Deum rogamus oribus & vocibus nostris, eum facere negemus cordibus nostris. Et quod est grauius ad alios etiam decipiendos hoc non taceamus disputationibus nostris: & dum volumus apud homines defendere liberum arbitrium, apud Deum PERDAMVS ORATIONIS AVXILIVM: & gratiarum actionem non habeamus veram, dum veram non agnoscimus gratiam. Si verè volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus vnde fit liberum. Nam qui oppugnat gratiam, quâ nostrum ad declinandum à malo, & faciendum bonum, liberatur arbitrium, ipse arbitrium suum adhuc vult esse captiuum. B *Et quis neget etiam acceptâ adoptionis gratiâ, à terrena habitatione impediri, & à corpore corruptibili animam teneri captiuam, intellectum passionibus perturbari, imaginationem phantasmatibus inquietari, voluntatem concupiscentiis & desideriis illicitis abstrahi, captiuari denique libertatem, nec posse sine actuali Spiritus adoptionis gratia clamante, hoc est clamare faciente, sicut oportet orari?*

Idem August. serm. de verbis Apostoli. Si te Deus fecit hominem, & tu te fecisti bonum hominem, quod tu fecisti, melius est. *Et quidem si homo solâ suâ libertate, oblatam à Deo gratiam sufficientem orandi, per seipsum facit efficacem, & actu orat, sicut oportet, quod facit, melius est.* Noli te extollere super Deum, subde te, Deum adora, prosternere, confitere illi qui fecit te, quia nemo C recreat nisi qui creat; nemo reficit, nisi qui fecit. Hoc & in alio Psalmo 99. ipse fecit nos & non ipsi nos. Sanè quando te fecit, quod tu faceres, non habebas: quando autem iam es, habes & tu ipse quid facias: ad medicum curras, medicum implores, qui vbique est. *Et quomodo implorabis nisi Spiritus adiuuet infirmitatem?* & vt implorares, excitauit cor tuum, & posse implorare donauit tibi. Deus est enim, *inquit*, qui operatur in vobis, & velle, & operari pro bona voluntate. Philip. 2. Quia vt haberes bonam voluntatem, illius vocatio præcessit. Clama Psal. 58. Deus meus, misericordia eius præueniet me. Vt esses, vt sentires, vt audires, vt consentires, præuenit te misericordia eius. Præuenit te in omnibus, præueni & tu in aliquo iram eius. In D quo inquis? in quo? confitere ista omnia à Deo te habere quicquid boni habes. A te quicquid mali. Ne in bonis tuis illum contemnas, te laudes: ne in malis tuis illum accuses, te excuses. Ipsa est vera confessio.

S. Aug. S. Aug.

Concludamus ergo, & sic cum Ecclesia, orationem verum Dei donum esse fateamur, nec nos quantumuis iustos & sanctos, sine actuali Spiritus sancti Ecclesiæ, sponsi motione eo quo par est affectu oraturos esse confiteamur; sicut ipsa profitetur feria secunda post Dominicam 4. Quadragesimæ ad vesperas: Deprecationem nostram quæsumus Domine benignus exaudi; ET QVIBVS SVPPLICANDI PRÆSTAS AFFECTVM, E tribue defensionis auxilium. *Vbi docet Ecclesia; & se actualiter orare, dum ait,* deprecationem nostram benignus exaudi; *& Deum tribuere actu & de facto gratiam efficacem siue affectum supplicandi. Denique & effectum orationis, postulat, vt à malis & tentationibus, liberetur; dum ait;* tribue defensionis auxilium. *Similiter & fer. 4. hebdom. Pass. ad laudes.* Tuorum corda fidelium miserator illustra: & quibus DEVOTIONIS PRÆSTAS AFFECTVM, præbe supplicantibus pium benignus auditum.

12. *Spiritus sanctus delicatè tractandus, nec passione turbandus. De Spectac. cap. 15. à p.*

DEus præcepit, Spiritum sanctum, vtpote pro naturæ suæ bono, tenerum & delicatum, tranquillitate & lenitate, & quiete & pace tractare: non furore, non bile, non irâ, non dolore inquietare. Huic quomodo cum spectaculis poterit conuenire? Omne enim spectaculum sine concussione spiritus non est. Vbi enim voluptas, ibi & studium, per quod scilicet voluptas sapit. Vbi studium, ibi & æmulatio, per quam studium sapit. Porrò & vbi æmulatio, ibi & furor & bilis, & ira & dolor, & cetera ex his quæ cum his non competunt disciplinæ.

13. *Spiritus sanctus non contristandus, qui vinctis condescendit in carcerem. Ad Mart. cap. 1. à p.*

IN primis, benedicti, [a] *nolite contristare Spiritum sanctum*, qui vobiscum introiit carcerem. Si enim non vobiscum nunc introisset, nec vos illic hodie fuissetis. Et ideò date operam vt illic vobiscum perseueret: ita vos inde perducat ad Dominum.

[a] Ephes. 4. 30.

SPIRITVS SANCTVS DELICATE. 12. 13. SCHOL.

A PRO NATVRÆ SVÆ BONO. *Quia procedit vt amor, & in columba apparuit ane lenis & sine felle.* NON FVRORE, NON BILE. *Idem ipse Tertull. libro de Oratione cap. 10. cùm ex Ephes. 4. 26. dixisset* si irascendum est, *id est si fragilitas erumpere cogit in aliquem iræ motum* non vltra Solis receptum, vt Apostolus admonet, &c. nec ab ira solummodo, sed omni omnino confusione animi, libera debet esse orationis intentio, de tali spiritu emissa, qualis est Spiritus ad quem mittitur. Neque enim agnosci poterit à Spiritu sancto spiritus inquinatus, aut tristis à læto, aut impeditus à libero. Nemo aduersarium recipit, nemo nisi comparem suum admittit. SINE CONCVSSIONE. *Perturbatione animi. Proinde spectacula omnino repugnant Spiritui sancto, & Christianæ disciplinæ.*

B 13. NOLITE CONTRISTARE. *Cùm Paulus Ephes. 4. 26. dixisset*, Irascimini & nolite peccare: Sol non occidat super iracundiam vestram, nolite locum dare diabolo: *tanquam iracundiæ principi, & Spiritui sancto*, auræ lenis spiritui, *contrario, subiecit versu 30.* Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei: in quo signati estis in diem redemptionis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia. VOBISCVM INTROIIT. *Ita de Ioseph scriptum est:* descenditque cum eo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum. NEC HODIE. *Notanter dixit, vt nec per diem, imò nec momento quidem, sine Spiritus sancti gratia bonum aggredi, aut in eo tantillum perseuerare possimus: maximè cùm actus Martyrij sit perfectio* charitatis, quæ

C diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. *Vnde Aug. in ep. 107. ad Vitalem vbi de gratia Spiritus sancti ad singulos actus necessaria.* Scimus maioribus ad singulos actus dari. Scimus non omnibus hominibus dari, & quibus datur, non solùm secundum merita operum non dari, sed nec secundùm merita voluntatis eorum quibus datur, &c. *Quantò minus igitur sine magna Spiritus sancti gratia perseuerare poterant in carcere, & inde per extremum supplicium migrare ad Dominum? De non contristando & non extinguendo Spiritu, Aug. ep. 23. ad Bonifacium vbi de parentibus filios suos paruulos obligantibus sacrilegiis dæmoniorum.* Rectè illis, *inquit*, dicitur, quando ab hoc scelere prohibentur, nolite occidere paruulos vestros. Dicit enim & Apostolus, Spiritum nolite extinguere: non quia ille extingui potest, sed quantum in ipsis est, extinctores eius meritò dicuntur, qui sic agunt vt extinctum velint. *Et in Psal. 76. in versum:* Deum exquisiui manibus meis, nocte coram eo, & non

S. Aug. — S. Aug. — S. Aug.

A sum deceptus. Vultis, *inquit*, videre quia nox est? nisi lucernam hîc haberemus, in tenebris permaneremus. Petrus enim dicit, 2. *Pet.* 1. Et nos habemus certiorem Propheticum sermonem, cui benefacitis intendentes, velut lucernæ lucenti in obscuro loco, donec dies lucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. Venturus est ergo dies post hanc noctem: interim in hac nocte lucerna non desit: & hoc est fortasse quod nunc facimus. Has literas exponendo, lucernam inferimus, vt in hac nocte gaudeamus. Quæ quidem debet accensa esse semper in domibus, *alij legunt in cordibus* vestris. Talibus enim dicitur: nolite Spiritum extinguere. Et tanquam exponens quid diceret, secutus ait, Prophetiam nolite spernere, id est lucerna in vobis semper

B luceat. Et hæc quidem lux in comparatione cuiusdam ineffabilis diei nox dicitur. Nam ipsa vita fidelium, in comparatione vitæ infidelium dies est. *Teste quidem Paulo*, Prophetiæ cessabunt, & scientia destruetur, & cùm venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est: *Sed nunc tamen, qui Verbum Dei vel Spiritus sancti inspirationes contemnit, Spiritum extinguit*, & qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat. Et via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruunt. Quoties lucerna impij extinguitur? *Quomodo tandem Spiritus contristetur ex naturæ suæ proprietate lætus, cuius* fructus est pax & gaudium *Paulo teste, docuit Aug. to. 3. lib. 4. de Gen. ad lit. cap.* 9. Videamur, *inquit*, ita dicere requiescere Deum, cùm nos requiescere facit, sicut dicitur cognoscere,

C cùm efficit vt cognoscamus, &c. & hoc locutionis modo arbitror dictum illud ab Apostolo: nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis: *non vt pecudes in cute, vel Iudæi in Circumcisione, sed signati in baptismate charactere & gratia, idque vt in die resurrectionis gloriam assequamur. Quasi oues & milites tesserati.* Neque enim ipsa Spiritus sancti quæ est, quidquid ipse est, substantia contristari potest, cùm habeat æternam atque incommutabilem beatitudinem, magisque sit ipsa æterna & incommutabilis beatitudo: sed quia ita in sanctis habitat, vt eos impleat charitate, quâ necesse est, vt homines ex tempore gaudeant profectu fidelium & bonis operibus; & ideo necesse est etiam contristentur lapsu vel peccatis eorum, de quorum fide ac pietate gaudebant, quæ tristitia laudabilis est, quia venit ex dilectione quam Spiritus sanctus infundit: propterea ipse Spiritus dicitur contristari ab eis qui sic agunt, vt eorum factis contristentur sancti, non ob aliud, nisi quia Spiritum sanctum habent, quo dono tam boni

S. Aug. — S. Aug.

sunt, vt eos mali mœstificent, hi maximè quos bonos fuisse, siue nouerunt, siue crediderunt. *Et in 6. libro contra sermonem Arrianorum specialiter inscripto cap. 25.* Interpellat, *inquit*, Spiritus sanctus Rom. 8. dictum est, quia interpellare nos facit, sicut Deus dicit, nunc cognoui, &c. feci vt cognoscas. Vnde est & illud Apostoli nunc cognoscentes Deum, imò cogniti à Deo; ne sibi tribuerent quòd cognouerunt Deum. Sic ergo ait, cogniti à Deo, vt intelligerent quod illos gratiâ suâ Deus fecit cognitores suos, secundùm istum locutionis modmu dictum est: & nolite contristare Spiritum sanctum Dei, hoc est, nolite nos contristare, qui secundùm Spiritum Dei contristamur ex vobis. Charitate quippe contristabantur quam diffundebat Spiritus sanctus in cordibus eorum, & per hoc eos de malis fratrum tristes ipse faciebat. Denique idem Apostolus, accepistis, inquit, Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Et alibi, *Gal. 4. 4.* eundem sensum commemorans: mi- A sit, inquit, Deus Spiritum filij sui in corda vestra clamantem, Abba Pater, &c. clamare facientem, non ergo scimus per nosipsos quid oremus, sicut oportet, sed ipse Spiritus interpellat, id est interpellare nos facit quæ sunt secundum Deum, quod nisi faciat, non oramus nisi secundum istum mundum, ad explendam concupiscentiam carnis; & concupiscentiam oculorum, & ambitionem sæculi, quæ non sunt à Patre, sed ex mundo sunt. *Et hæc extinguunt Spiritum, suffocant semen, contristant cor, quod gratiâ & præsentiâ Spiritus destitutum, manet in tenebris & tristitia. Quidquod, & de facto modum realem præsentia specialis, & præ cæteris grata, & propriæ Spiritui sancto, prorsus extinguit; qui mortaliter* B *peccat, & in vacuum gratiam eius recipit, qui eam perdit? Cessat enim tunc præsens esse animæ, & eam inhabitare desinit, quæ ipsum throno suo expellit. Et velut corruptis speciebus, præsentia corporis Christi corrumpitur; ita Spiritus sancti præsentia sanctificans extinguitur, corrupta per peccatum gratia.*

S. Aug

STATIO.

Statio significat statuta ieiunia, quæ communione corporis Christi claudebantur, ad lætitiam militum eius. De orat. cap. 14. à m.

STationum diebus, non putant plerique sacrificiorum orationibus interueniendum, quòd statio soluenda sit accepto corpore Domini. Ergo deuotum Deo obsequium Eucharistia resoluit? an magis Deo obligat? Nonnè solemnior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris? Accepto corpore Domini, & reseruato, vtrumque saluum est, & participatio sacrificij, & executio officij. Si statio de militari exemplo nomen accipit (nam & militia Dei sumus) vtique nulla lætitia, siue tristitia obueniens castris, stationes militum rescindit. Nam lætitia libentius, tristitia solicitius administrabit disciplinam.

2. Cor. 10. 4
1. Tim. 1. 18.

STATIO. SCHOL.

STATIONVM DIEBVS. *Hæc vox, à stando, vel statuendo dicta. Sumitur pro vigilia, vt apud Modestum de re militari. l. desertorem.* Qui Stationis, *inquit*, munus reliquit. *Et Stationarij dicti sunt apparitores certis locis per vias vrbis dispositi, vel per prouincias, qui magistratibus renuntiarent, si quid commissum esset. Vlp. l. 1 §. quies. ff. de offic. Præf. vrb.* Debet enim dispositos milites Stationarios habere ad tuendam popularium quietem. *L. si quis 31. C. Theod. de Episc. & Cler. Stationarij milites apud Paulum in l. 4 ff. de fugitiu. qui in portuum præsidiis locati sunt.* Limenarchæ, *inquit*, & stationarij fugitiuos deprehensos rectè in custodiam retinent. *Statio autem dicitur, vbi naues tutò stare possunt. Et portus est statio conclusa. Vlp. l. 1. §. non autem in fine. ff. de fluminibus. & l. 59. de verborum significatione. Tertullianus sæpè stationes sumit pro locis in quibus Christiani die Dominico stantes orabant; quod nomen sumit à re militari. Et generaliter est locus, quo frequenter homines conuenire solent, audiendi, vel confabulandi, vel recitandi aliquid, vel reficiendi animi causâ, qui dicitur circulus, de quo Vlp. l. item apud 15. §. conuitium. ff de iniur. Sumit item Tertullianus pro ieiunio. Translatione factâ à re militari. Cùm enim milites erant in statione, abstinebant ab omni cibo. Vnde apud Tertull.* Solui stationem, *id est ieiunium frangi. Sic intelligendus libro de ieiuniis, dum ait:* quartæ, sextæque feriæ stationes. *Et hæ quidem prohibitæ erant die Dominico; vt testatur idem lib. de corona militis.* Stationes, aut alij magis faciet quàm Christo: aut & Dominico die, quando nec Christo. *Ambr. ser. 25.* Stationes, *inquit*, vocantur ieiunia, quod stantes & commorantes in eis, inimicos insidiantes repellimus. *Et ser. 24. dicit deriuatas Ecclesiæ stationes ab exemplo populi Israel liberati de seruitute Ægypti, dum per quadraginta stationes siue mansiones in* C *deserto ad terram promißionis peruenit.* Sic & nos numero quadraginta dierum, quæ mansiones nostræ sunt, ad optatum Paschatis festum perueniamus. *Stationes igitur, statuta erant & solemniora ieiunia.* ACCEPTO CORPORE DOMINI. *Putabant multi solui ieiunium sumptâ Eucharistiâ, quos sic arguit Tertullianus.* DEVOTVM OBSEQVIVM. *Sacrificium ieiunij ne putetis impediri à sacrificio corporis Christi; tantò solemnius erit ieiunium tuum si stes deuotè & ieiunus ad altare Dei. Quòd si quis te angat scrupulus, quòd Eucharistiâ ore sumptâ & manducatâ, solui putes ieiunium; acceptam manu, reuerenter asserua, & si lubet vsque ad Solis occasum protrahere ieiunium, vtrique debito satisfacere poteris, seruatam sero sumendo Eucharistiam. Hanc manu olim sumi solitam alibi ex Aug.* D *probaui. Cypr. in Epistola ad Thibaritanos, eos adhortans ad Martyrium subeundum.* Armemus, *inquit*, dexteram gladio spiritali, vt sacrificia funesta fortiter respuat, & Eucharistiæ memor quæ Domini corpus accepit. *Et ser. de lapsis sic fatur laico:* Quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini sanguinem bibat, Sacerdotibus sacrilegus irascitur. *Et Ruffinus lib. 6. hist. Eccl. cap. 33. sic de Nouato loquitur.* Sacramenta diuidens populis, accipientium manus teneret, nec priùs permitteret sumere, *manducare*, quàm sibi per ea quæ vnusquisque tenebat in manibus, iuraret. *Hic aduerte duplex soluendi ieiunij tempus apud veteres; vel ad nonam teste Epiph. lib. de hæresibus, Prudentio in sancto Fructuoso, & Ruffino lib. 3. Ad vesperam autem siue Solis occasum; Testis est Athanasius in vita S. Antonij, Hieronymus, Hilarionis; Ruffinus in vitis Patrum.* RESERVATO. *Mos erat corpus Christi ferre domum, vt habet Tertull. lib. 2. ad Vxorem. Et Cypr. de Spectaculis.* Qui festinans ad spectaculum dimissus,

S. Aug.

& adhuc gerens vt assolet Eucharistiam, inter corpora obscœna meretricum tulit, plus damnationis meritus de spectaculi voluptate. *Et lib. de lapsis:* cùm quædam arcam suam in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. *Tertullianus lib. 2. ad Vxor. cap. 5.* Non sciet maritus quid secretò ante omnem cibum gustes, & si sciuerit, panem non illum credit esse qui dicitur, &c. *Basilius quoque in ep. ad Cæsaream Patriciam, huius moris meminit in persecutionis tempore. Et Ambrosius de obitu fratris Satyri notat eum in tempestate Eucharistiam habuisse è collo suspensam.* NVLLA LÆTITIA. *Quidquid nuntij læti vel tristis obueniat castris, stant immoti in excubiis milites, nec stationes suas deserunt; sic fideles læta ieiunia, hoc est statuta & solemnia, vt puta quatuor temporum, & Quadragesima, læti decurrunt; indicta autem siue extraordinaria ab Episcopis præscripta, vrgente persecutione, vel aliquâ publica necessitate, maiori solicitudine implent; de quibus postremis vide Tertull. lib. de fuga in perseq. cap. 1. & lib. de ieiuniis cap. 13. Per lætitiam intelligit Dominicum conuiuium, cuius sumptione, statio non soluitur, imò solemnius consecratur.* MILITIA DEI SVMVS. *Ambr. ser. 25.* Castra nobis sunt nostra ieiunia, quæ nos a diabolica impugnatione defendunt. *Chrysol. ser. 8.* Est, *inquit*, ieiunium vitiorum mors, vita virtutum, &c. est ieiunium castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, ciuitas sanctitatis, &c. est ieiunium inuictus Christianæ militiæ principatus. Sed in his virtutibus ieiunium tunc viget, tunc vincit, tunc triumphat, cùm duce misericordiâ pugnat. *Licet ex Augustino multa & præclara habeas relata in verbo ieiunia hæretici. Num. 1. vbi de lætis, & tristibus, &c. & de ieiunio vsque ad serotinum num. 7. fusè, hic tamen adiicio de statione & ieiunio quæ doctè coniunxit Aug. ser. 63. de temp. inscripto de necessitate ieiunij.*

S. Aug. Quamuis, *inquit*, ædificium nostrum sine ope sui non subsistat artificis, nec fabrica nostra possit esse incolumis, nisi ei protectio profuerit conditoris: tamen quia rationabiles lapides sumus, & viua materies, sic nos autoris nostri extruxit manus, vt cum opifice suo etiam is qui reparatur, operetur. Gratiæ Dei igitur obedientia se humana non subtrahat, nec ab illo bono, sine quo non potest bona esse, deficiat: aut si quid impossibile, *non ex parte mandantis, aut mandati, sed naturæ corruptæ, quæ sine gratia non potest legem perficere seu perfectè implere:* aut arduum in mandatorum effectibus experitur,

S. Aug non in se remaneat, sed ad adiuuantem recurrat, qui ideo præceptum dat, vt excitet desiderium, & præstet auxilium &c. Omnes sibi intelligant delictorum indulgentiam, & reparationis necessariam esse medicinam. Quando autem dilectissimi ad remedia diuina aptius recurrimus, quàm cùm ipsa nobis Sacramenta redemptionis nostræ, temporum lege reserantur? *hoc est quadragesimalium ieiuniorum, & stationum tempore.* Quæ vt digniùs celebremus, saluberrimè nos quadraginta dierum ieiunio præparemus. Non enim hi tantùm qui per mortis Christi, resurrectionisque mysterium in nouam vitam baptismo sunt regenerante venturi, sed omnes populi renatorum, vtiliter & necessariè præsidium sibi huius sanctificationis assumunt: illi, vt quæ nondum habent, accipiant; isti, vt accepta custodiant: dicente Apostolo. QVI STAT, caueat ne cadat. Nemo tantâ est firmitate suffultus, vt de stabilitate sua debeat esse securus. *Et ser. de Decollatione Ioannis:*

S. Aug. Vt Apostolus instruebat, cùm gaudium & coronam suam diceret, quos iubebat. SIC STARE IN DOMINO, & ego vobis dico: gaudium meum, & corona mea, SIC STATE in Domino. *Stationem ieiunij Quadragesimalis, vt portum tenete, ibi contra procellas totius anni naues vestras reparantes.* Si procella tempestatum fremuerit, STABILES estote in Domino. Nolite ab ipso cadere qui semper stat, & pugnantem expectat, & adiuuat nos, vt STANDO & pugnando vincamus, & tunc demum ad illum coronandi veniamus. *Moraliter autem in*

S. Aug. *Psal. 12.* Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero. Diabolus, *inquit*, & angeli eius non exultauerunt de iusto viro Iob tùm eum tribularent, quia non est motus, id est DE STABILITATE fidei non recessit. Ego autem in tua misericordia speraui. Quia idipsum quod non mouetur homo, & FIXVS IN DOMINO PERMANET, non sibi debet tribuere, ne cùm se gloriatur non esse motum, ipsâ superbiâ moueatur. Exultabit cor meum in salutari tuo, in Christo, in sapientia Dei. Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, bona spiritalia, non ad humanum diem pertinentia. Et psallam nomini Domini altissimi, id est, cum gaudio gratias ago, & ordinatissimè vtor corpore. *Quod per ieiunium, & stationem, in seruitutem redigo, nec membra arma facio seruire peccato, sed exhibita priùs iniquitati facio seruire iustitiæ. Rursum nihil in hoc mundo stare, præter Deum probat, in quo vno standum est; bonis operibus & ieiuniis* STANDO *in atriis Ierusalem, spe, fide, charitate perseuerando, idipsum quod est æternum bonum promerendo. Sic in Psal. 121.*

S. Aug. STANTES erant pedes nostri in atriis tuis Ierusalem. Quid est, *inquit*, idipsum? Quid est ergo idipsum, nisi quod est? quid est quod est? quod æternum est. Nam quod semper aliter, atque aliter est, non est, quia non manet. Non omnino non est, sed non summè est. Et quid est quod est? nisi ille qui quando mittebat Moysen, dixit illi, ego sum qui sum, &c. & dixit Dominus ad Moysen quasi expauescenti nomen quod est, EST: ego sum Deus Abraham, &c. noli de te desperare, quia dixi, ego sum qui sum, &c. quia tu modò fluctuas, & mutabilitate rerum, & varietate mortalitatis humanæ percipere non potes, quid est idipsum, ego descendo; quia tu venire non potes. Ego sum Deus Abraham, &c. in semine Abraham spera aliquid, vt confirmari possis ad videndum qui venit ad te in semine Abraham. Ergo hoc est idipsum de quo dictum est, mutabis ea, & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient, &c. Ipsius stabilitatis participat illa ciuitas, cuius participatio est in idipsum. Meritò ergo, quia illius stabilitatis fit particeps, dicit iste qui illuc currit, stantes erant pedes nostri, &c. omnia enim ibi stant, vbi nihil transit. Vis & tu ibi stare, & non transire? illuc curre: idipsum nemo habet ex se. Intendite fratres: corpus habet, non est idipsum, quia non in se stat. Mutatur per ætates, mutatur per mutationes temporum & locorum, mutatur per morbos & defectus carnales: non ergo in se stat. Corpora cœlestia non in se stant, habent quasdam mutationes suas, & si occultas: certè de locis in loca mutantur, ascendunt ab oriente in occidentem, & rursus circumeunt ad orientem. Non ergo stant, non sunt idipsum. Anima humana, nec ipsa stat. Quantis enim mutationibus, & cogitationibus variatur, quantis voluptatibus immutatur, quantis cupiditatibus diuerberatur atque discinditur? mens ipsa hominis quæ dicitur rationalis mutabilis est, non est idipsum. Modò vult, modò non vult: modò scit, modò non scit: modò meminit, modò obliuiscitur. Ergo idipsum nemo habet ex se. Qui voluit ex se habere idipsum, vt quasi ipse sibi esset idipsum, lapsus est. Cecidit angelus, & factus est diabolus. Propinauit homini superbiam, deiecit secum inuidentiâ eum qui stabat. Isti sibi voluerunt idipsum esse, sibi princi-

pari, sibi dominari voluerunt. Noluerunt habere A verum Dominum qui verè est idipsum, &c. Iam ergo post tantum languorem, post tantos morbos, difficultates, labores, redeat anima humiliata ad idipsum, & sit in illa ciuitate, cuius participatio eius in idipsum. Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini. Ergo illuc ascenditur, in Ierusalem. Homo autem qui descendebat de Ierusalem in Iericho, incidit in latrones. Si non descenderet, non incideret in latrones. Quia verò descendendo incidit in latrones, ascendendo veniat ad angelos. *Et dicat ei:* Ecce nunc benedicite Dominum, omnes serui Domini, qui STATIS in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. *V. eundem in Psal. 131.* Adorabimus in loco vbi steterunt eius.

STIGMATA SEV VVLNERA.

Stigmata, veritatem probant carnis Christi. 5. cont. Marc. cap. 4. in f.

a Gal. 6. 17. QVum verò adiicit, [a] *Stigmata Christi in corpore suo gestare se*, (vtique corporalia competunt) iam non putatiuam, sed veram & solidam carnem professus est Christi, cuius stigmata corporalia ostendit.

STIGMATA. SCHOL.

STIGMATA *Gal. 6. 17.* De cætero nemo mihi molestus sit, ego enim Stigmata Domini Iesu in corpore meo porto. *Stigmata Græcis sunt notæ inusta seruis, quibus fugitiui à Dominis agnoscebantur. Erant item cicatrices militum vulneratorum qualia hic pro Christo suscepta iactabat Paulus iuxta Hiero. Chrysost. Ansel. & D. Thomam. Plautus literatum seruum vocat quibusdam literis in fronte inustum. Aug. ser. 20.* S. Aug. *de verb. Apost. in verba Esa. 53.* Vidimus & non habebat speciem neque decorem, sed vultus eius abiectus, & deformis positio eius. Hîc est virtus eius, homo in plaga positus, &c. Deformitas, inquit, Christi te format. Ille enim si deformis esse noluisset, tu formam quam perdidisti non recepisses. Pendebat ergo in Cruce deformis, sed deformitas illius pulchritudo nostra erat. In hac ergo vita deformem Christum teneamus. Quid est deformem Christum? Absit mihi gloriari, &c. hæc est deformitas Christi. Numquid dixi me scire in vobis aliquid nisi viam? hæc est via, credere in crucifixum. Huius deformitatis signum in fronte portamus. De ista deformitate Christi non erubescamus. *Et to. 4.* S. Aug. *in epist. ad Gal. cap. vlt.* Ego enim Stigmata, &c. habeo inquit alios conflictus & certamina cum carne mea, quæ in persecutionibus quas patior, mecum dimicant. Stigmata enim dicuntur notæ quædam pœnarum seruilium: vt si quis verbi gratiâ seruus in compedibus fuerit propter noxam, id est propter culpam huiusmodi aliquid passus fuerit, stigmata habere dicatur. Et ideo in iure manumissionis, inferioris est ordinis. Nunc ergo Apostolus stigmata voluit appellare quasi notas pœnarum ex persecutionibus quas patiebatur: propter culpam enim persecutionis quâ persecutus fuerat Ecclesias Christi hæc sibi retribui cognouerat, &c. Omnes B illæ tribulationes, non ei valebant ad perniciem, sed ad coronam victoriæ proficiebant. CORPORALIA COMPETVNT. *Congruit vt dicamus vulnera Pauli fuisse corporalia, vt Christi cicatrices non in corpore phantastico, vt voluit Marcion, sed in vera carne fuisse susceptas credamus. de qua fusè alibi diximus. Et item post resurrectionem seruauit ad firmandam veritatis eiusdem fidem, vt præter alia à nobis citata in hanc rem notat idem Augustinus ser. 18. de verb. Do.* Cica- S. Aug. trices, *inquit*, ostendebant eum, qui omnia vulnera in aliis sanauerat. Nunquid non poterat Dominus sine cicatricibus resurgere? sed in corde discipulorum vulnera nouerat, propter quæ sananda cicatrices in suo corpore seruauerat. *De recursu ad Stigmata Christi Augustinus to. 9. in Manuali cap. 21.* C Amore, *inquit*, Deus inuisibilis, seruis suis factus S. Aug. est similis. *Stigma tanquam seruus habere voluit, & dixit tanquam seruus in forma serui, aures autem perforasti mihi, vel corpus fodisti mihi.* Amore vulneratus est propter delicta nostra. Tuta & firma requies est infirmis & peccatoribus, in vulneribus Saluatoris. Securus illic habito: patent mihi viscera per vulnera. Quidquid ex me mihi deest, vsurpo mihi ex visceribus Domini mei: quoniam misericordiâ affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant. Per foramina corporis, patent mihi arcana cordis, patet magnum pietatis Sacramentum: patent viscera misericordiæ Dei nostri in quibus visitauit nos oriens ex alto, &c. Foderunt manus eius & pedes eius, & latus eius lancea perforauerunt. Per has rimas licet mihi gustare quàm suauis est Dominus, &c. copiosa redemptio data est nobis in vulneribus Iesu Christi. *Subiicit, in qualibet tentatione se refugium inuenire in his vulneribus.*

SVBSTANTIA.

Substantia nulla mala est, siue sit corporea qualis materia, siue incorporea vt anima. V. Verbum materia. num. 9. in m. cont. Hermog. cap. 35. in m. ad f.

TEMPLVM.

1. *Templorum Deorum violatio, per ipsos Æditnos & Sacerdotes. Apol. cap. 15. circa f.*

CEterùm si adiiciam, quæ non minùs conscientiæ omnium recognoscent, in templis adulteria componi, inter aras lenocinia tractari, in ipsis plerumque æditnorum & sacerdotum tabernaculis, sub iisdem vittis, & apicibus, & purpuris, thure flagrante libidinem expungi, nescio ne plus de vobis dij vestri, quàm de Christianis querantur. certè sacrilegi de vestris semper apprehenduntur. Christiani enim templa nec interdiu norunt. Spoliarent forsitan ea & ipsi, si & ipsi ea adorarent.

2. *A Templo, & sacris, quæstus abigendus. Apol. cap. 13. in m.*

Dij qui magis tributarij magis sancti, imò qui magis sancti magis tributarij maiestas quæstuaria efficitur. circuit cauponas religio mendicans. exigitis mercedem pro solo templi, pro aditu sacri. non licet deos nosse gratis: venales sunt.

TEMPLVM. 3. 1. SCHOL.

SI ADIICIAM. *Publicis, vtpotè scenicis impuritatibus Gentilium, quas palam exhibent, crimina, quæ conscientiæ singulorum conuicta non ignorant; vt non iam in theatro, sed etiam in templo, interque ipsas aras adulteria componant, & tractent lenocinia; & & ipsi Sacerdotes & Æditui, thure adhuc fumante, cum sacro capitis ornatu, in veste purpurea libidinem impleant.* NESCIO. *Certè non dubito, si Dij vestri sancti sunt, quin plus habeant causæ querimoniæ de vobis, quàm de Christianis. Quod vel ex eo liquet, quòd si qui templorum violatores & expilatores in iudicium trahuntur, Gentiles sunt: nec enim possunt esse Christiani, quibus tantum abest vt noctu, (quod furum est proprium,) sed nec deus quidem templa vestra adeant.* FORSITAN SPOLIARENT. *Acutè dictum in Gentiles. Quasi diceret, si Christiani templorum vestrorum cultores essent, eadem sacrilegia & furta committerent, quæ vestri admittunt, qui ea adorant; hoc est in ipsis Deos colunt. Suetonius in Tiberio cap. 44. cùm spectasset impudicè Tiberius adolescentem, ei postea stuprum intulit. Aug. lib. 2. de Ciuit. c. 26. vbi de sacris Vestæ virginis, & Deæ Floræ;*
S. Aug. Ante ipsum delubrum vbi simulacrum illud locatum erat conspiciebamus, vniuersi vndique confluentes, & vbi quisque poterat, stantes, ludos qui agebantur intentissimi spectabamus, intuentes alternante conspectu, hinc meretriciam pompam, *Flora à meretricibus culta*, illinc virginem Deam: illam suppliciter adorari, ante illam turpia celebrari. Nam ibi pudibundos mimos nullam verecundiorem scenicam vidimus: cuncta obscœnitatis implebantur officia. Sciebatur virginali numini quid placeret, & exhibebatur quod de templo domum matrona doctior reportaret. Nonnullæ pudentiores auertebant faciem ab impuris motibus scenicorum, & artem flagitij videre erubescentes, furtiuà intentione discebant. Hominibus namque verecundabantur, ne auderent impudicos gestus ore libero cernere, sed multò minus audebant sacra eius quam venerabantur, casto corde damnare. Hoc tamen palam discendum præbebatur in templo, ad quod perpetrandum saltem secretum quærebatur in domo. Mirum nimium, si ibi vllus erat pudor mortalium, quo humana flagitia non liberè homines committerent, quæ apud Deos etiam religiosè discerent; iratos habituri nisi etiam exhibere curarent. *Quod si Gentiles in templo veri Dei, adorarunt, vanitate potiùs, quàm veritate id fecerunt. Sic*
S. Aug. *notabit idem Aug. lib. 18. cap. 45.* Hostias sanè Alexander immolauit in Dei templo, non ad eius cultum verà pietate conuersus, sed impià vanitate; cum diis eum falsis colendum putans. *Et quidem non vanitas tantùm & hypochrisis, sed & sacrilega impietas & obscœnitas hodie à fidelibus, & quod nefas, etiam à Sacerdotibus in Dei veri templo exercetur, inter ipsa horrenda Angelis sacrosancta mysteria. Aug. to. 7. lib. 4. contra Cresconium cap. 10. Sacrilegij exag-*
S. Aug. *gerat grauitatem vno verbo;* Sacrilegium tantò est grauius peccatum, quantò committi non potest, nisi in Deum. *Et tract. 50. in caput 12. Io.* Ecce inter sanctos & Iudas, ecce fur est Iudas, & ne contem-
S. Aug. nas, *quasi furunculum,* fur sacrilegus, non qualiscunque fur, fur loculorum, sed dominicorum: loculorum, sed sacrorum. Si crimina discernuntur in foro qualiscumque furti, & peculatus: peculatus enim dicitur furtum de Republica: & non sic iudicatur furtum rei priuatæ, quomodo publicæ: quantò vehementius iudicandus est fur sacrilegus, qui ausus fuerit non vndecumque tollere, sed de Ecclesia tollere. Qui aliquid de Ecclesia furatur, Iudæ perdito comparatur.

2. DII MAGIS TRIBVTARII. *Pudore suffundit Gentiles, quòd dij eorum tantò sanctiores haberentur, quantò tributis maioribus obnoxij essent, cùm tamen tam agri quàm homines eò viliores censerent, quò pluribus tributis erant grauati. Sic enim præmiserat Tertullianus.* Sed enim agri tributo onusti, viliores: hominum capita stipendio censa, ignobiliora: nam hæ sunt notæ captiuitatis. Dii verò qui magis tributarij, &c. MAIESTAS *Deorum quæstui subiicitur. Sacerdotes circumeunt tabernas, mendicantes, & stipem exigentes, pro solo & habitu templi, &c. Quàm à turpi lucro alieni debeant esse Ecclesiæ ministri, docet Paulus, 1. Tim. 3. vbi inter cætera exigit Episcopum,* non cupidum, *Syr.* neque amatorem argenti. *Et versu 8. Diaconos.* Non turpe lucrum sectantes. *Et rursum Episcopum, ad Titum 1.7.* Non turpis lucri cupidum. *Et versu 11. arguit;* qui vniuersas domos subuertunt, docentes ea quæ non oportet, turpis lucri gratià. *Et 1. Pet. 5. 2.* Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum. Neque turpis lucri gratià, sed voluntariè, neque vt dominantes in Cleris, sed forma *Syr. bonum exemplar.* facti gregis ex animo. *Augustinus ep. 50. ad Bonifacium Comitem, bonorum Episcoporum animum à turpi lucro remotissimum induerat, cùm de Donatistis, Imperatorum legibus, suis bonis spoliatis;* Ipsi certè dicunt, S. Aug. & inuidiosissimè sibi conqueri videntur, quòd in nostram communionem violento legum Imperio coarctamus. Hoc vtique nullo modo faceremus, si res eorum possidere vellemus. Quis auarus quærit compossessorem? quis dominandi cupiditate inflammatus vel fastu dominationis elatus desiderat habere consortem? *de Episcopis Donatistis loquitur.* Ipsos certè attendant quondam suos, iam nostros socios, & fraternà nobis dilectione coniunctos, quemadmodum sua teneant, non solùm quæ habebant, sed etiam nostra quæ non habebant. Quæ tamen si pauperum compauperes sumus, & nostra sunt, & illorum. Si autem priuatim quæ nobis sufficiant, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis vsurpatione damnabili vendicamus. Quidquid ergo nomine Ecclesiarum partis Donati possidebatur, Christiani Imperatores legibus religiosis cum ipsis Ecclesiis ad Catholicam transire iusserunt. Cùm ergo nobiscum sint plebes earundem Ecclesiarum, nobiscum pauperes, qui ab eisdem possessiunculis alebantur, ipsi potiùs foris positi desinant concupiscere aliena, sed intrent in vnitatis societatem, vt pariter gubernemus, non illa tantùm quæ dicunt sua, verùm etiam quæ dicuntur & nostra. Scriptum est enim, omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. Sub illo capite, in vno eius corpore vnum

simus, & de istis talibus rebus faciamus quod scriptum est in Actibus Apostolorum; erat illis anima vna & cor vnum, & nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia. Amemus quod cantamus: Ecce quàm bonum, &c. vt sic experiantur, & sciant quam veraciter ad eos clamet mater Catholica, quod scribit B. Apostolus ad Corinthios; non quæro quæ sunt vestra, *hoc non* A *est vt Gentilium quæstuaria Religio*, sed vos. Si autem consideremus quod dictum est in libro Sapientiæ; ideò iusti tulerunt spolia impiorum: item quod legitur in Prouerbiis; thesaurizantur autem iustis diuitiæ impiorum; tunc videbimus, non esse quærendum, qui habeant res hæreticorum, sed qui sint in societate iustorum. *De Simonia, vide dicta proprio loco.*

3. *Templum Dei Creatoris, totus homo est, cuius violatorem vlturus est. 5. cont. Marc. cap. 6. circ. f.*

a 1. Cor. 3. 16. [a] N*Escitis quod templum Dei sitis, & in vobis inhabitet spiritus Dei?* Si homo, & res, & opus, & imago, & similitudo, & caro per terram, & anima per adflatum Creatoris est; totus ergo in alieno habitat Deus Marcionis, si non Creatoris sumus templum.
b Ibid. 17. [b] *Quod si templum Dei quis vitiauerit, vitiabitur*, vtique à Deo templi. Vltorem intentans, Creatorem intentabit.

TEMPLVM DEI. 3. SCHOL.

NESCITIS. 1. *Cor.* 3. 16. Nescitis quia templum Dei estis & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, *Syr. corrumpit*, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. IN ALIENO. *Tria ex Paulo contra Martionem hîc concludit primò Deum Creatorem, Dominum esse templi, id est hominis, cuius corpus ex terra sua finxit, animam ex nihilo afflatu suo creauit, & templum sibi consecrauit. Secundo Deum Marcionis vsurpatorem esse templi alieni, si illud sibi arroget quod alter condidit. Tertiò contra eundem probat Spiritum sanctum quem sibi tribuit, vltorem esse ac vindicem, proindéque non simpliciter bonum, qualem Deum esse volebat: pluries iam hunc Pauli textum Augustino interprete explicaui. Hæc rursum ab eo excipe, in Psal.* 10. Dominus in templo sancto suo. *Vbi cùm hunc locum Apostoli retulisset*, templum, *inquit*,
S. Aug. Dei violat, qui violat vnitatem. Non enim tenet caput, ex quo totum corpus connexum & compactum, &c. in hoc templo sancto suo Dominus est, quod constat multis membris suis, sua quæque officia gerentibus in vnam ædificationem charitatis constructis, quod violat quisquis causa principatus
S. Aug. sui à Catholica societate disjungitur. *Et in Psal.* 44. Adducentur in templum regis. Templum regis *inquit*, in vnitate est. Templum regis non est ruinosum, non discissum, non diuisum: iunctura
S. Aug. lapidum viuentium charitas est. *Et in Psal.* 64. *sanctitatem templi probat.* Sanctum est templum tuum mirabile in iustitia. Ista sunt, *inquit*, bona domus illius. Non dixit templum sanctum tuum mirabile B in columnis, mirabile in marmoribus, mirabile in tectis auratis, sed mirabile in iustitia, &c. & ipsum templum, fratres, nolite præter vos cogitate. Amate iustitiam, & vos estis templum Dei. *Et in Psal.* S. Aug.
78. Polluerunt templum sanctum tuum, non in lignis & lapidibus, sed in ipsis intelligatur hominibus, de quibus tanquam lapidibus viuis construi dicit Apostolus Petrus 1. 2. domum Dei. Vnde & Apostolus Paulus apertissimè templum, inquit, Dei sanctum est, quod estis vos. Hoc itaque templum persecutores in his vtique polluerunt, quos ad negandum Christum terrendo vel cruciando coegerunt, atque vt idolis supplicarent, vehementer instando fecerunt. *De cætero cùm templum sit domus orationis, audi quid idem tract. 15. in cap. 4. Io.*
C Si fortè, *inquit*, quæris aliquem locum altum, aliquem locum sanctum, intus exhibe te templum S. Aug.
Deo. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. In templo vis orare, in te ora. Sed priùs esto templum Dei, quia ille in templo suo exaudiet orantem. *Dic cum Psalte Psal.* 41. Apud me oratio Deo vitæ meæ. *In quem locum Aug.* Non enim *inquit*, vt supplicem Deo empturus sum de transmarinis locis, aut vt exaudiat me Deus meus, nauigabo vt de longinquo afferam thura & aromata, aut de grege adducam vitulum vel arietem. Apud me, &c. intus habeo victimam quam immolem, intus habeo thus quod imponam, intus habeo sacrificium quo flectam Deum meum. Sacrificium Deo spiritus contribulatus. S. Aug.

TEMPVS.

Temporum, & astrorum Creator Deus, & non otiosus Marcionis Deus: Creator autem tempus mittendi filij, iuxta Prophetam obseruauit. 5. cont. Marc. cap. 4. à p.

a Gal. 4. 4. [a] Q*Vum autem euenit impleri tempus, misit Deus filium suum*; vtique is, qui etiam ipsorum temporum Deus est, quibus seculum constat; qui signa quoque temporum
Gen. 1. 14 ordinauit, Soles, & Lunas, & sidera, & stellas; qui filij denique sui reuelationem in ex-
b Esa. 2. 2. tremitatem temporum & disposuit & prædicauit. [b] *In nouissimis diebus erit manifestus mons*
c Ioel. 2. 28. *Domini.* &, [c] *In nouissimis diebus effundam de spiritu meo in omnem carnem*, secundùm Ioëlem. Ipsius erat sustinuisse tempus impleri, cuius erat etiam finis temporis sicut initium. Ceterùm, Deus ille otiosus, nec operationis, nec prædicationis vllius; atque ita nec temporis alicuius; quid omnino egit quod efficeret tempus impleri? etiam implendum sustineri? Si nihil, satis vanum est vt Creatoris tempora sustinuerit seruiens Creatori.

TEMPVS. SCHOL.

IMPLERI TEMPVS. *Gal.* 4. At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, &c. VTIQVE IS. *Deus Creator scilicet, qui Dominus est omnium temporum:* qui tempora posuit in potestate sua. PRÆDICAVIT. *Prophetauit.* SVSTINVISSE. *Proprium fuit Dei Creatoris.*

ris expectare vt tempus impleretur, qui initium dedit temporí, quique per Angelum dicturus est iuraturum per viuentem in sæcula sæculorum, quia tempus non erit amplius. DEVS OTIOSVS, *quem colit Marcion, qui nullo opere vel prophetiâ, suam potentiam, scientiam, fidelitatem & veritatem promissorum comprobauit.* SATIS VANVM. *Stultè & frustra, imò & iniuriosè sibi, & ad contumeliam suam, expectauit quasi pendens, vt seruus à tempore Creatoris, vt filium suum mitteret. Psaltes orabat vt illud tempus beneplacitum veniret, cùm diceret Psalmo* 68. Egó autem ora-
S. Aug. tio mea ad te Domine. *Aug. ibidem.* Ego, *inquit*, ad te eram. Sed quomodo? ad te orando, &c. tempus beneplaciti Deus. De hoc tempore & Prophetæ dixerunt quod commemorauit Apostolus; ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Tẽpus beneplaciti Deus, in multitudine misericordiæ tuæ. Hoc est tempus beneplaciti, in multitudine misericordiæ tuæ. Nam si nõ esset multitudo misericordiæ tuæ, quid nos faceremus de multitudine iniquitatis nostræ? &c. Exaudi me in veritate salutis tuæ. Quia dixit misericordiam, subiunxit & veritatem, quia misericordia & veritas, vniuersæ viæ Domini. Quare misericordia? dimittendo peccata.
S. Aug. quare veritas? reddendo promissa. *Et in Psal.* 31. Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore oportuno. *Priùs dixerat Dauid* remisisti impietatem cordis mei. *Vnde sic interrogat Aug.* Pro qua hac? pro impietate, pro qua? pro ipsa venia peccatorum. Pro hac orabit ad te omnis sanctus, &c. inde orabit ad te omnis sanctus, quia dimisisti peccata. Nam si non dimitteres peccata, non esset sanctus qui ad te oraret. Pro hac, &c. in tempore oportuno, quando manifestabitur nouum testamentum, quando manifestabitur gratia Christi, quod est tempus oportunum. Cùm autem venit plenitudo temporis, misit Deus, &c. vt eos qui sub lege erant redimeret. Vnde redimeret? à diabolo, à perditione, à peccatis suis, ab eo cui se vendiderant, &c. sub lege erant, quia premebat eos lex, conditio eos premebat, *seruitus*, conuincendo de reatu, non saluando; & quidem mala prohibebat, sed quia illi vires non habebant, per seipsos iustificandi se, clamandum erat ad illum, quomodo clamabat qui captiuus ducebatur sub lege peccati. Rom. 7. miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? erant omnes homines sub lege, non in lege, iam illâ deprimente, illâ de reatu conuincente. Demonstrauit enim peccatum lex, illa fixit spinam, illa fecit cor compungi, ipsa admonuit vt reum se

A quisque cognosceret, & pro venia clamaret ad Deum. Pro hac orabit, &c. *Et tract.* 31. *in Io.*7. Nemo misit in illum manus, quia nondum venit hora S. Aug.
eius. Hoc est, *inquit*, quia nolebat. Quid est enim nondum venit hora eius? non enim Dominus sub fato natus est: hoc nec de te credendum est, quantò minus de illo per quem factus es, *per quem fecit & sæcula?* si tua hora voluntas est illius; illius hora quæ est, nisi voluntas sua? non ergo horam dixit quâ cogeretur mori, sed quâ dignaretur occidi: tempus enim expectabat quo moreretur, quia & tempus expectare voluit quo nasceretur. De hoc tempore Apostolus loquens ait: cùm autem venit plenitudo temporis, &c. Ideo multi dicunt: quare non ante venit Christus? quibus respondendum est,
B quia nondum venerat plenitudo temporis, moderante illo per quem facta sunt tempora. Sciebat enim quando venire deberet, primò per multam seriem temporum & annorum prædicendus fuit; non enim aliquid paruum venturum fuit, diu fuerat prædicendus, semper tenendus. Quantò maior iudex veniebat tantò præconum longior series præcedebat. Denique vbi venit plenitudo temporis, venit & ille qui nos liberaret a tempore: liberati enim à tempore venturi sumus ad æternitatem illam vbi non est tempus. Nec dicitur ibi, quando veniet hora, dies enim est sempiternus, nec præceditur hesterno, nec excluditur crastino, &c. Amare itaque debemus per quem facta sunt tempora,
C vt liberemur à tempore, & figamur in æternitate vbi iam nulla est mutabilitas temporum. Magna igitur misericordia Domini nostri Iesu Christi, factum esse eum propter nos in tempore, per quem facta sunt tempora: factum esse inter omnia, per quem facta sunt omnia: factum esse quod fecit. Factus est enim quod fecerat: factus est homo qui hominem fecerat, ne periret quod fecerat. *Eumdem Apostoli locum citat tract.* 104. *in caput* 17. *Io.* Absit vt S. Aug.
sydera cogerent mori sydérum conditorem. Non itaque Christum tempus vt moreretur impegit, sed tempus Christus quo moreretur elegit qui etiam tempus quo de virgine natus est, cum Patre constituit, de quo sine tempore natus est: secundùm quam veram sanamque doctrinam etiam Paulus Apostolus: cùm autem venit, inquit, plenitudo temporis, &c. & Deus per Prophetam, *Esa.* 49. tempore ait, accepto, exaudiui te; & in die salutis adiuui te. Et rursus Apostolus, 2. Cor. 6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.

TENTATIO, ET TRIBVLATIO.

1. *Tentatio & persecutio, non à diabolo, vel hoste venit, sed à Dei voluntate; qui hos probat, illos reprobat, & ad suam gloriam, & ad nostram vtilitatem. De fuga in perseq. cap. 1. à p. 2. & 3. per totum.*

COnsultationi tuæ ordinem quoque induimus, animaduertentes antè determinari oportere de statu ipsius persecutionis, vtrum à Deo obueniat, an à diabolo, quò faciliùs de obitu eius constare possit. Omnis enim rei inspectio, auctore cognito planior. Satis est quidem præscribere, Nihil fieri sine Dei voluntate. Sed non statim hac sententiâ ceteris retractatibus locum dabimus, ne à præsenti articulo auocemur, si quis responderit, Ergo & malum à Deo, & delictum à Deo; nihil iam in diabolo, nihil etiam in nobis ipsis. De persecutione nunc quæritur. Circa hanc interim dixerim, Nihil fieri sine Dei voluntate, respiciens eam in primis dignam Deo esse, &, vt ita dixerim, necessariam, ad probationem scilicet seruuorum eius, siue reprobationem. Quis est enim exitus persecutionis, quis effectus alius, nisi probatio & reprobatio fidei, quâ suos vtique Dominus examinauit? Hoc omne iudicium est persecutio, per quam quis aut probatus aut reprobatus Matth. 3. 12.
iudicatur. Porrò, iudicium soli Deo competit. Hæc pala illa, quæ & nunc Dominicam Gen. 28.
aream purgat, Ecclesiam scilicet, confusum aceruum fidelium euentilans frumentum mar- 12.
tyrum, & paleas negatorum. Hæc enim, scalæ quas somniat Iacob, aliis ascensum in supe- 1. Cor. 9.
riora, aliis descensum ad inferiora demonstrantes. Sic & agonem intelligi capit persecu- 25.

tionem. A quò certamen edicitur, nisi à quo corona & præmia proponuntur? Legis edi-
Apoc. 2. 10. ctum agonis istius in Apocalypsi, quibus præmiis ad victoriam inuitet, vel maximè illos
qui propriè vicerint in persecutione, vincendo [a] *luctati, reuerà non aduersus carnem & san-*
a Ephes. 6. 12. *guinem, sed aduersus spiritalia nequitiæ.* Ita agnosces ad eundem agonothetam pertinere cer-
taminis arbitrium, qui inuitat ad præmium. Totum quod agitur in persecutione, gloria Dei est probantis & reprobantis, imponentis & deponentis. Quod autem ad gloriam Dei pertinet, vtique ex voluntate illius eueniet. Sed quando Deus magis creditur, nisi cùm magis timetur? nisi in tempore persecutionis? Tunc Ecclesia in attonito est. Tunc & fides in expeditione sollicitior, & disciplinatior, in ieiuniis, & stationibus, & orationibus, & humilitate, in alterutra diligentia & dilectione, in sanctitate & sobrietate. Non enim vacatur nisi timori, & spei. Adeo & ex hoc ipso ostenditur nobis, non posse diabolo deputa-
Cap. II. ri eam, quæ meliores efficit Dei seruos. Si, quòd iniquitas à Deo non est, sed à diabolo, persecutio autem ex iniquitate consistit, (quid enim iniquius quàm veri Dei antistites, omnis sectatores veritatis, nocentissimorum more tractari?) ideo videtur persecutio à diabolo euenire, à quo iniquitas agitur, ex qua constat persecutio: scire debemus, quatenus nec persecutio est sine iniquitate diaboli, nec probatio fidei sine persecutione, propter probationem fidei necessariam iniquitatem, non patrocinium præstare persecutioni, sed ministerium. præcedere enim Dei voluntatem, circa fidei probationem, quæ est ratio persecutionis; sequi autem diaboli iniquitatem ad instrumentum persecutionis, quæ ratio est probationis. Nam & aliàs, inquantum iustitiæ iniquitas æmula est, intantum materia est
b 2. Cor. 12. 9. ad testimonia eius, cuius est æmula; vt sic iustitia in iniquitate perficiatur, quomodo [b] *vir-
tus in infirmitate perficitur.* [c] Nam *infirma mundi electa sunt à Deo, vt confundantur fortia; & stul-*
c 1. Cor. 1. 27. *ta eius, vt confundantur sapientia.* Ita & iniquitas adhibetur, vt iustitia probetur, confundēs iniquitatem. Igitur quod ministerium non est arbitrij, sed seruitij (arbitrium enim Domini,) persecutio, propter fidei probationem; ministerium autem iniquitas diaboli, propter persecutionis instructionem; ita eam per diabolum si fortè, non à diabolo euenire credimus. Nihil Satanæ in seruos Dei viui licebit, nisi permiserit Dominus, vt aut ipsum destruat per fidem electorum in tentatione victricem; aut homines eius fuisse traducat, qui defecerint ad illum. Habes exemplum Iob, cui diabolus nullam potuit incutere tentationem, nisi à Deo accepisset potestatem, nec in substantiam quidem eius, nisi Dominus,
d Iob. 1. 12. [d] *Ecce.* dixisset, *omnia quæ sunt ei, in manu tua do, in ipsum autem ne extenderis manum.* Denique nec extendit, nisi posteaquam & hoc postulanti Dominus, [e] *Ecce*, dixisset, *trado tibi il-*
e Iob. 2. 6. & seq. *lum, tantùm animam eius custodi.* Sic & in Apostolos facultatem tentationis postulauit, non habens eam nisi ex permissu. Siquidem Dominus in Euangelio ad Petrum, [f] *Ecce*, inquit,
f Luc. 22. 31. *postulauit Satanas vti cerneret vos velut frumentum: verùm ego rogaui pro te, ne deficeret fides tua;* id est, ne tantùm diabolo permitteretur, vt fides periclitaretur. Quò ostenditur, vtrumque apud Deum esse, & concussionem fidei, & protectionem, cùm vtrumque ab eo petitur, concussio à diabolo, protectio à filio. Et vtique cùm filius Dei protectionem fidei ha-
g Matth. 28. 18. bet in sua potestate, quam à Patre postulat, [g] *à quo omnem accipit potestatem in cælis & in terris*, quale est vt concussionem fidei diabolus in manu sua habeat? Sed in legitima Ora-
h Matth. 6. 13. tione cùm dicimus ad Patrem, [h] *Ne nos inducas in tentationem*, (quæ autem maior tentatio quàm persecutio?) ab eo illam profitemur accidere, à quo veniam eius deprecamur. hoc est enim quod sequitur, *Sed erue nos à maligno*; id est, *ne nos induxeris in tentationem*, permittendo nos maligno. Tunc enim eruimur diaboli manibus, cùm illi non tradimur in
Marc. 5. 12. tentationem. Nec in porcorum gregem diaboli legio habuit potestatem, nisi eam de Deo impetrasset. tantùm abest vt in oues Dei habeat. Possum dicere, porcorum quoque
Matth 10 30. setas tunc numeratas apud Deum fuisse; nedum capillos sanctorum. Habere videtur diabolus propriam iam potestatem, si fortè in eos qui ad Deum non pertinent, semel [i] *in stil-*
i Esa. 40. 15. *lam situlæ, & in puluerem areæ, & in saliuam Nationibus deputatis à Deo*, ac per hoc diabolo expositis in vacuam quodammodo possessionem. Ceterùm, in domesticos Dei nihil illi licet ex propria potestate; quia quando liceat; id est, ex quibus causis, exempla in scripturis signata demonstrant. Aut enim ex causa probationis conceditur ei ius tentationis, prouocato, vel prouocanti, vt in superioribus: Aut ex causa reprobationis traditur ei peccator
k 1. Reg. 16. 14. quasi carnifici in pœnam, vt Saül; Et [k] *abscessit*, inquit, *spiritus Domini à Saüle, & concutiebat eum spiritus nequam à Domino, & suffocabat eum.* Aut ex causa cohibitionis, vt Aposto-
l 2. Cor. 12. 7. lus refert [l] *datum sibi sudem angelum Satanæ vt colaphizetur*: Nec hanc speciem permitti diabolo in sanctos humiliandos per carnis vexationem, nisi simul *vt & virtus tolerantiæ sci-*
m 1. Tim. 1. 15. *licet in infirmitate perfici posset:* nam & ipse Apostolus [m] *Phigellum & Hermogenem tradidit Satanæ, vti emendentur, nè blasphement.* Vides iam & à seruis Dei facilius diabolum accipere
Cap. III. potestatem, tantò abest vt eam ex proprietate possideat. Cùm ergo & hæc exempla magis in persecutionibus eueniant, siquidem magis tunc probamur, vel reprobamur, &
n Esa. 45. 7. magis tunc humiliamur vel emendamur, ab eo permittatur vel imperetur necesse est catholicè fieri hæc, à quo & ex parte, scilicet ab illo qui dicit, [n] *Ego sum qui facio pacem, &*

condo mala; id est bellum. Hoc est enim contrarium paci. Nostræ autem paci quid est bellum, quàm persecutio? Si persecutionis vel maximè exitus aut vitam adferunt, aut mortem, aut plagam, aut sanationem, habes auctorem eiusdem, [o] *Ego percutiam, & sanabo; ego viuificabo, & mortificabo.* [p] *Vram*, inquit, *illos, sicut vritur argentum; & probabo*, inquit, *illos, sicut probatur aurum.* Cùm enim exurimur persecutionis ardore, tunc probamur de fidei tenore. Hæc erunt [q] *ignea iacula diaboli*, per quæ fidei vstio & conflatio administratur; ex Dei tamen voluntate. De isto quis dubitare possit ignoro, nisi planè friuola & frigida fides, deprehendens eos qui timidè conueniunt in Ecclesiam. Dicitis enim, quoniam inconditè conuenimus, simul conuenimus, & complures concurrimus in Ecclesiam, quærimur à Nationibus, & timemus ne turbentur Nationes. An non scitis quòd Deus omnium sit Dominus? Et si velit Deus, tunc persecutionem patieris; si verò noluerit, silebunt Nationes. Credas vtique; si tamen in eum Deum credis, [r] *sine cuius voluntate nec passer vnius assis cadit in terram. Nos autem puto multis passeribus antistamus.*

o Deut. 32. 39. p Zach. 13. 9. q Ephes. 6. 16. r Matth. 10. 29.

2. *Et de orat. cap. 8. V. verbum. diabolus, num. 19.*

TENTATIO ET TRIBVLATIO: 1. SCHOL.

CONSVLTATIONI TVÆ. *Quâ deliberandum putas vtrùm tempore persecutionis fugiendum sit necne.* ORDINEM INDVIMVS. *Hoc ordine sumpto respondemus vt primò disquiramus, an à Deo vel à diabolo persecutio veniat.* DE OBITV, *an subeunda sit, vel fugienda.* PLANIOR. *Clarior efficitur.* RETRACTATIBVS. *Tractatibus, quæstionibus* À PRÆSENTI ARTICVLO, *quo definimus* Nihil fieri sine Dei voluntate. *Nos enim intelligimus, hoc posito, nihil à diaboli vel hominis malitia procedere.* EXITVS *finis & scopus Dei.* HOC OMNE IVDICIVM. *Supple exercet & dirimit persecutio siue tentatio, vt electos discernat à reprobis.* PALA ILLA. *Ventilabrum, de quo alibi.* IN APOCALYPSI *Apoc. 2. 10.* Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, vt tentemini: & habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Qui habet aurem audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Qui vicerit, non lædetur à morte secunda. AGONOTHETAM. *Præfectum & iudicem Agonis siue certaminis.* IMPONENTIS *Extollentis & coronam ponentis in victorum capitibus.* IN EXPEDITIONE, *tempore angustiæ, in procinctu certaminis.* VACATVR TIMORI. Eius, qui potest animam & corpus perdere in gehennam. NECESSARIAM INIQVITATEM. *Diaboli & persecutorum; non quòd iniquitas non sit voluntaria, sed quia sine ea persecutio exerceri non potest.* NON PATROCINIVM. *Nec ideo suffragatur ei, vt iniquitatem persecutio ipsa defendat à crimine, sed iniquitas seruit tantùm persecutioni, cuius ministerio Deus vtitur, vt per eam probet & coronet electos.* PRÆCEDERE ENIM. *Supple dicimus.* ÆMVLA EST, *contraria.* AD TESTIMONIA. Sic mentita est iniquitas sibi, *quæ dum iustitiam opprimere & euertere conatur, eam magis perficit, & eius perfectionis testimonium reddit.* INSTRVCTIONEM, *compositionem. Sic per diabolum tanquam ministrum persecutionis Deus Author probationis coronat electos.* IPSVM DESTRVAT. *Euertat eius machinas, ipsumque confundat.* HOMINES EIVS. *Deus traducit, hoc est latentes è tenebris producit in medium, diaboli seruos*, qui in tempore tentationis recedunt, *& ad eius castra transfugæ à Christi militia deficiunt.* ECCE OMNIA. *Iob. 1. 12.* Dixit Dominus ad Satan: ecce vniuersa quæ habet in manu tua sunt: tantùm in eum ne extendas manum tuam. ECCE TRADO. *Iob. 2. 6.* Ecce in manu tua est, veruntamen animam illius serua. *Aug. to. 4. Annotationum in Iob.* Ecce trado illum tibi, tantùm animam eius custodi. Ne vitam eripere posse præsumeret. *Et ser. 224. de temp.* Aduersus Iob diabolus pugnam impetrauit, cuius filios ruina cùm extingueret, factus post diuitias inops, post familias solus, post numerosam sobolem nullius pater, patrimonio naufragus, in corpore edaces pœnas vno robore fidei sustinebat, diuitiæ in inopiam cedunt, &c. corporis sanitas vulneribus immutatur, gaudium in dolorem conuertitur, nullus artus qui in flagellis valetudinum non agitetur. Denique sub sterquilinio iacuit præclara iustitia, &c. Vndique circumuallantibus pœnis stetit: & vnde feruebat diaboli inuidia, inde sumpta est fatigati victoria. In corpore torquebatur, & spiritu probabatur. Vermibus corpus inquieti doloris tolerabat geminata supplicia, quæ fluxæ carnis putredinem prædurabat fœcunda calamitas, non noctibus quies, non diebus requies. Torquebatur, & orabat. Aliud postulabat hostis, aliud precabatur vociferatio confessoris. Dissolutis neruis saniei profluuium asperior testa radebat, atrox cruciatus mutabat, &c. in naufrago corpore incolumis iustitia tentatur, & periclitantibus membris authori vulnerum pectus seruatur. Omnia, excepto spiritu occupauerat hostis, &c. bellator mundi, in vno viro torquetur, dum torquet; & pœna reuertitur in authorem, &c. sic hostis furebat vt timeret, &c. Securè pugnat, qui hoste metuente, seruatur. Veruntamen animam eius serua: *ibidem de eius vxore:* Mercedibus, *inquit*, delicata matrona, in alienis domibus seruit, quæ imperare consueuerat; vbi post Solis occasum diurna supplicia durè transigebat, quietem expectabat, & fatigatis matronæ digitis, succedentem diem lacrymantibus oculis deducebat. Orbata in mœrore filiorum mulier locatur vt seruiat, nec ad lacrymas vacat: *adeò dura subiecta est seruituti, vt nec tempus ei detur liberum ad lacrymas.* Adhuc matrona iam vidua, vbique mercenaria, nusquam Domina, nec sterilis, nec mater, vteri sui laniatus deflet. Ecce, *inquit*, marite, quæ pateris: dic aliquid aduersus Deum, & morere. Peccauit sola, quæ viro misericordiam denegabat, &c. *Tum post probationem, Dei consolationem referens:* Pœnâ, *inquit*, fugatâ, reuertitur sanitas, & cicatricibus fœlicior redditur medicina. Celeriùs curat Dominus quàm vulnerat inimicus. In gaudia gemitus migrauere, & in fossis vulnerum numerabantur monumenta victoriæ. *Tandem de vxore subiicit:* propter Iob Regina, propter quem & mercenaria. Duplici regreditur fœnore, vt amissa possent duplò recipere. *Quid eloquentius? quid ad mentem Tertulliani illustrandam concinnius? ex quo vno exemplo liquet, nec nisi Deo volente diabolum quemquam posse tentare, & scopum Dei esse, vt tentando probet, & Iobi manifestet fidem & con-*

A C

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

stantiam, & uxoris eius fragilitatem. VTI CERNERET. *Vt discerneret sicut triticum à paleis. Luc. 22. 31.* Ait autem Dominus: Simon, Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret, *Syr. vt ventilet vos*, sicut triticum. Ego autem rogaui pro te vt non deficiat

S. Aug. fides tua. *Aug. lib. 1. de Ciuit. cap. 8.* Sicut, *inquit*, sub vno igne aurum rutilat, palea fumat; & sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur; nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem prœli pondere exprimitur: ita vna eademque vis irruens, bonos probat, purificat, eliquat: malos damnat, vastat, exterminat. Vnde in eadem afflictione, mali Deum detestantur atque blasphemant, boni autem precantur & laudant. CONCVSSIONEM, *tentationem*. IN LEGITIMA. *In qua leges præscriptæ sunt, quid & quomodo petere debeamus.* VENIAM EIVS, *ab ea liberationem, vel robur ad resistendum.* MALIGNO. *Diabolo*, IN VACVAM *quasi domum vacantem, Dei gratia & fide carentem.* PROVOCATO. *Vel dum eum Deus excitat ad tentandum, vt ex Psalte fiunt* immissiones per Angelos malos. *Vel vt à magnis peccatoribus, de quibus Iob.* Qui parati sunt suscitare Leuiathan. VEL PROVOCANTI *secundùm Psaltem*, Catuli leonum rugientes vt rapiant & quærant à Deo escam sibi. *Vt patet in prædictis exemplis circa Iob, & Apostolos.* CAVSA REPROBATIONIS. 1. *Reg.* 16. 14. Spiritus autem Domini recessit à Saül, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino. 70. *verò.* Suffocabat eum spiritus malignus à Domino. *De quo Augustinus to. 4.*

S. Aug. *lib. 2. ad Simplicianum q. 1.* Nec, *inquit*, mouere nos debent hæc alternantia in animo humano, hoc est in creatura mutabili præsertim eo tempore quo caro corruptibilis mortalisque portatur, &c. *quod probat ex Petro, primò ob confessionem Christi, meritò audire beatus es, &c. Deinde ob auersionem à Christi morte, vade Satana post me, &c. deinde de Saule, à Spiritu sancto primùm, dehinc à maligno, correpto.* Quod,

S. Aug. *inquit*, etiam malus appellatus est Spiritus Domini, sic intelligitur, quomodo dictum est, Domini est terra; tanquam creatura, & in eius posita potestate, &c. aut quòd ipse Saül iam reprobus, & sceleratus, atque ingratus sancto Dauid, persecutor etiam eius, cùm sæuissimæ inuidiæ facibus agitaretur, tamen adhuc Christus Domini dicebatur, sicut eum appellauit ipse Dauid, cùm vindicauit extinctum. Sed magis arbitror malignum spiritum à quo ipse vexabatur Saül, ideo dictum spiritum Domini, quòd occulto Domini iudicio Saülem vexabat. Vtitur enim Deus ministris etiam spiritibus malis ad vindictam malorum, vel bonorum probationem, alio modo ad illam rem, alio ad istam. Quamuis enim inde sit quisque malignus spiritus, quia malâ voluntate nocere appetit; tamen nocendi potestatem non accipit nisi ab illo, sub quo sunt omnia, certis & iustis meritorum gradibus ordinata: quia sicut non est mala voluntas à Deo, sic non est potestas nisi à Deo. Quanquam enim sit in cuiusque potestate quid velit, non est tamen in cuiusque potestate quid possit vel facere cuiquam, vel à quoquam pati. Nam & ipse filius vnicus Dei passurus ad tempus humiliter, homini superbè loquenti, & dicenti quòd potestatem haberet occidendi eum vel dimittendi; non haberes, inquit, in me potestatem, nisi data tibi esset desuper. Diabolus enim volens nocere iusto viro Iob, nocendi quidem voluntate diabolus erat, sed tamen à Domino Deo potestatem petebat dicens, mitte manum, & tange carnem eius; quamuis hoc esset, si permitteretur, ipse facturus, &c. manum Domini appellabat, permissam à Domino manum suam, id est potestatem quam volebat accipere. Cui congruit illud in Euangelio, quod Dominus discipulis suis ait, hac nocte postulauit Satanas vexare vos sicut triticum. Dictus est ergo Spiritus Dei malus, hoc est, minister Dei, *Tertull. dicit carnificem*, ad faciendum malum, *Tertull. in pœnam*, in Saül, quod eum pati iudex omnipotentissimus iudicabat: quoniam spiritus ille, quia malus erat, *voluntate quâ malus erat*, non erat Dei creatura vera quâ conditus fuerat; & potestas, quam non sua, sed Domini omnium æquitate acceperat, Dei erat, &c. Si enim iustè vindicat Deus, quemadmodum ipse dicit Apostolus, cùm tradit homines in concupiscentias cordis eorum, non mirum si nihilominùs iustè vindicans tradit eos etiam in concupiscentias aliorum nocere volentium, suâ semper incommutabili æquitate seruatâ. EX CAVSA COHIBITIO IS *vt cohibeat & comprimat peccata, maximè superbiæ.* SVDEM ANGELVM SATANÆ. *Stimulum carnis. Sudes enim pertica est, siue genus teli rustici, siue paxillus igni torridus. Ita quippe Paulus. 2. Cor. 12. 7.* Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui vt discederet à me: & dixit mihi: sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me, *Syr. obtegat me*, virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo: cùm enim infirmor, tunc potens sum. *Augustinus to. 7. libro de Natura & gratia cap. 27.* Hoc, *inquit*, agit vt sanet omnia, *vt dolor dolore tollatur sicut dixerat supra*, sed agit iudicio suo, nec ordinem sanandi accipit ab ægroto. Procul dubio quippe firmissimum Apostolum volebat efficere, cui tamen dixit, virtus in infirmitate perficitur. Et tamen non ei totiens oranti aufert nescio quem stimulum carnis, *vide alibi dicta de hoc stimulo*, quem sibi dicit datum, ne magnitudine reuelationum extolleretur. Cætera enim vitia tantùm in malefactis valent, sola autem superbia etiam in rectè factis cauenda est. Vnde admonentur illi, ne dona Dei suæ potestati tribuendo, seséque extollendo grauius pereant, quàm si nil operarentur boni, quibus dicitur, cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini: Deus enim est qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate, &c. quoniam ipsis est ille tumor sanandus doloribus. S. Aug.

Et libro de gratia Christi cap. 11. Quid, *inquit*, dicam S. Aug. de reuelatione sapientiæ? neque enim facilè quisquam sperauerit in hac vita posse peruenire ad magnitudinem reuelationum Apostoli Pauli; &c. Et tamen dicit, in magnitudine reuelationum mearum ne extollar, datus est mihi, &c. procul dubio si iam summa, & cui nihil esset addendum, charitas in Apostolo tunc fuisset, quæ omnino non posset inflari, nunquid necessarius esset Angelus Satanæ, quo colaphizante reprimeretur elatio, quæ in magnitudine reuelationum posset existere? Quid est autem aliud elatio, quàm inflatio? & vtique de charitate verissimè dictum est, charitas non æmulatur, non inflatur, &c. tunc autem mens eius adhuc erat, vbi inflaretur magnitudine reuelationis, donec impleretur solido ædificio charitatis: nondum enim perueniendo apprehenderat, quò proficiendo currebat. Ideoque nolenti perpeti molestiam, quâ eius cohiberetur elatio, *en ipsissima vox Tertullianica*; antequam esset in eo charitatis summa & vltima perfectio, rectissimè dicitur; sufficit tibi gratia mea, &c. Quocirca si virtus in infirmitate perficitur, quisquis se non fatetur infirmum, non perficitur. EX A. SERVIS DEI. *Non tantùm*

à Deo, sed & à seruis eius; imò & ancillis; adeo ligata est potestas diaboli, vt teste Iob. Illudatur ei, quasi aui, ligato ancillis eius. CATHOLICE. *Vniuersa-* A *liter.* EXITVS, *euentus & fines. Reliquos omnes locos alibi retuli & exposui.*

3. *Tentationibus opus est ad salutem, quas tamen cauet vigilans, incurrit otiosus & dormiens.*
De Bapt. cap. 20. à p.

a *Vigilate & orate*, inquit, *ne incidatis in tentationem.* Et ideo credo tentati sunt, quo- a Matth.
niam obdormierunt, vt adprehensum Dominum destituerint, & qui cum eo per- 26. 41.
stiterit, & gladio sit vsus, ter etiam negauerit: nam & præcesserat dictum, Neminem Matth.
intentatum regna cœlestia consecuturum. Ipsum Dominum post lauacrum statim ten- 26. 52.
tationes circunsteterunt, quadraginta diebus ieiuniis functum. Luc. 22. 28. Matth. 4. 1.

4. *Tentationi, à Martyrio & Deo, vel quocunque bono reuocanti, statim resistendum.*
Scorp. cap. 1. à m.

TV, fides si vigilat, ibidem Scorpio pro solea anathema inlidito, & relinquito in suo sopore morientem. Ceterùm, si plagam satiauerit, intimat virus, & properat in viscera; statim omnes pristini sensus retorpescunt, sanguis animi gelascit, carne spiritus exolescit, nausea nominis inacrescit. Iam & ipsa mens sibi quo vomat quærit. Atque ita semel infirmitas quæ percussa est, sauciatam fidem vel in hæresim, vel in seculum expirat.

TENTATIONIBVS. 3. 4. SCHOL.

VIGILATE. *Math.* 26. Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. DESTITVERIT. *Ibidem versu 56 tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt.* CVM EO PERSTITERIT. *Luc.* 22. 28 Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. *Et versu 50.* Et percussit vnus ex illis seruum principis sacerdotum, & amputauit auriculam eius dexteram. *Perstitit ergo Petrus donec Iesus comprehensus est, & ductus ad domum principis Sacerdotum, tunc enim dicit versu 54* Petrus verò sequebatur eum à longè, *& tunc ponit trinam eius negationem.* PRÆCESSERAT DICTVM. *Luc.* 22. 28. *Cùm enim dixisset de Apostolis.* vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis; *omnes proinde intentatos exclusit a regno, de quo subiecit*; & ego dispono vobis, *Syr. promitto vobis. prout promisit*, sicut disposuit mi- C hi Pater meus regnum, &c. *Disposuit autem Christo per tentationes & crucem, inde subdidit*: ait autem Dominus; Simon Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum. IPSVM DOMINVM. *De quo scriptum est, sicut ipse dixit*: oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. POST LAVACRVM. *Statim post baptismum, quo perfecto statim subiicit Matth.* 4. 1. Tunc Iesus ductus est in desertum a Spiritu, *qui super caput eius sicut columba sederat*; vt tentaretur à diabolo. *Quem vincendum vigiliis, oratione, & ieiunio, suo verbo & exemplo docuit.*

4. SI FIDES VIGILAT. *Dormiebat enim fides Apostolorum in tempestate, donec excitata, Christum etiam excitaret à somno.* SCORPIO PRO SOLEA. *Comparat deterrentem à Martyrio & auocantem à quo-* D *cunque bono opere. scorpioni, cuius calcanda & spernenda est statim suggestio, & ei dicendum Anathema, procul ab eo fugiendo. Si enim eius dormiat fides, dormiat, & moriatur; ipse videris, pereat, si velit, solus.* INLIDITO. *Illide, impinge calcem.* SI PLAGAM SATIAVERIT. *Id est plenè virus suum vsque ad intima fuderit, dum eum patienter audit. Tunc omnis animi vigor obriget & torpescit; & carne ad infirmitatem suam animum pertrahente languescit; nominis quoque Christiani confitendi nausea acrior stomacho insurgit, & in proximo est vt fides expuatur vt vel in hæresim Gnosticam, vel in Gentilium infidelitatem emortua trans-* B *mittatur.* Beatus ergo qui tenebit & allidet paruulos Babylonis ad petram. *Hoc est primò nascentes tentationes, maximè contra fidem; sic ad Christum veram petram conuertendo, & vigilando, & orando*, & ne nos inducas in tentationem. *Tentationum originem, vt suprà vidimus, non à Deo*, qui intentator malorum est, ipse autem neminem tentat, *nec inducit, sed permittit induci in tentationem, sed tam à diabolo, accepta a Deo tentandi potestate, quàm à concupiscentia, ex peccato originali procedente oriri notat Augustinus lib. 4. contra Iulianum cap. vltimo.* Non, *inquit*, aliquid diabolus, quod ad naturam hominis perti- S. Aug.
net, condidit, sed quod Deus benè condiderat peccati persuasione violauit, itaut illo vulnere quod factum est per duorum hominum liberum arbitrium, totum genus claudicaret humanum. Ecce circumstat sensus tuos miseria generis humani, &c. paruulos intuere, quot & quanta mala patiantur, in quibus vanitatibus, cruciatibus, erroribus, terroribus, crescant. Deinde iam grandes, etiam Deo seruientes, tentat error vt decipiat: tentat labor aut dolor, vt frangat: tentat libido, vt accendat; tentat mœror, vt sternat: tentat typhus, vt extollat: &c. huius euidentia miseriæ, gentium Philosophos nihil de peccato primi hominis, siue scientes, siue credentes compulit dicere, ob aliqua scelera in vita superiore, pœnarum luendarum causâ nos esse natos, & animos nostros corruptibilibus corporibus, eo supplicio, quò Hetrusci prædones captos affligere consueuerant, tanquam viuos cum mortuis esse coniunctos. Apostolus autem amputat opinionem, quâ creduntur singulæ animæ, pro meritis anteactæ vitæ, diuersis corporibus inseri: *cùm ait, per vnum hominem peccatum, & per hoc,* S. Aug.
mortem venisse in mundum. Quid igitur restat, nisi vt causa istorum malorum, *& tentationum*, sit aut iniquitas, vel impotentia Dei, aut pœna primi veterisque peccati? sed quia nec iniustus, nec impotens est Deus: restat quod non vis, sed cogeris confiteri; quòd graue iugum super filios Adam, à die exitus de ventre matris ipsorum vsque in diem sepulturæ in matrem omnium, non fuisset nisi delicti originalis meritum præcessisset. *Ex ignorantia eiusdem peccati, & vsitæ pœnæ eius factum est item, vt*

Gentiles Philosophi, vires libertatis eodem peccato infirmatas ignorantes, illud adhuc post statum naturæ corruptæ prorsus integrum & æquè pronum ad bonum & malum affirment. Inde etiam fit, vt parum aduertant libertatem ad bonum, tantò, iustâ pœnâ, ab eo eligendo remotam, quantò sponte in malum prolapsa est humana voluntas, & per se non sufficit nisi ad malum, nisi Dei gratiâ excitetur ad bonum. Vnde non potest tentatori, vel concupiscentiæ à bono retrahenti, vel in malum excitanti resistere, nisi, vt ait Augustinus ad Vitalem, S. Aug. *gratia efficax ad singulos actus detur. Hinc & vigilandum, & orandum est; quod rursum, si in nostra potestate esset, vt vigilare & orare possemus, de eo, vt habet in ep. 105. ad Sixtum, ex nobis cogitare possemus;* S. Aug. *quod tamen ex Apostolo non sufficientes ex nobis sumus.* B *Sed præparatur voluntas à Domino, qui & dormientes excitat, & interpellare facit gemitibus inenarrabilibus. Resistendum diabolo, & Pelagius iuxta Iacobi 4. censebat. De quo Aug. lib. de natura & gratia c. 58.* Hoc, *inquit*, interest inter nos & istos; quòd nos, etiam S. Aug. cùm diabolo resistitur, poscendum Dei adiutorium, non solùm non negamus, verùm etiam prædicamus: isti autem tantam tribuunt potestatem voluntati, vt pietati auferant orationem. Nam vtique vt diabolo resistamus, & fugiat à nobis, ideo precantes dicimus, ne nos inferas in tentationem. Ideo & admoniti sumus tanquam ab Imperatore milites exhortante & dicente, vigilate & orate, ne intretis in tentationem. *Idem habet lib. 4. ad Bonifacium cap. 9. ex Cypriano de oratione Dominica. Et libro de dono Perseuerantiæ cap. 6. eumdem Cyprianum* C S. Aug *repetit, & de suo hæc habet.* Quod dicimus Deo ne nos inferas in tentationem: quid dicimus, nisi ne nos inferri sinas, &c. tutiores igitur viuimus, si totum Deo damus. Non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus; quod vidit ille Venerabilis Martyr. Nam cùm eundem locum orationis exponeret, ait post cætera: quando autem rogamus, ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus; ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbè arroganterque aliquid assumat, ne quis aut confessionis, aut passionis, *de qua hic Tertullianus agebat contra Gnosticos*, gloriam suam ducat: S. Aug. cùm Dominus ipse humilitatem docens, dixerit; D vigilate & orate, &c. Spiritus quidem promptus est &c. vt dum præcedit humilis & submissa confessio, & datur totum Deo, quidquid suppliciter cum timore Dei petitur, ipsius pietate præstetur. *Hæc ex Cypriano Augustinus. Atque ne castra nostri Imperatoris deseramus, ne ad partes tentatoris transfugæ transeamus non in nostra est potestate, sed in adiutorio gratiæ; quæ post naturam corruptam maior esse debet, quàm requirebatur in integra. Vnde vehementius instandum in oratione, & clamandum*, & ne nos inducas in tentationem. *Audi quid rursum Augustinus ibid. cap. 7.* Si ergo, *inquit*, alia documenta non essent, hæc Dominica oratio nobis ad causam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret: quia nihil nobis reliquit, S. Aug. in quo tanquam in nostro gloriemur. Siquidem & vt non discedamus à Deo, non ostendit dandum esse, nisi à Deo, cùm poscendum ostendit à Deo. *Vt quid enim, vt alibi inculcat, peteremus nobis dari, quod iam haberemus, & in nostra esset potestate?* Qui S. Aug. enim non infertur in tentationem, non discedit à Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt: fuerat in homine, antequam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis, in illius primæ conditionis præstantia, quantùm valuerit, apparuit in Angelis, qui diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt, & ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certissimi sumus, peruenire meruerunt. Post casum autem hominis, *pondera maturè quàm infirma sit nunc libertas ad resistendum tentationi, & consentiendum bono*; non nisi S. Aug. ad gratiam suam Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad eum: neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, vt homo non recedat ab eo. *Quod fit cùm inducimur in tentationem, id est, dum sinit Deus nos induci in tentationem. Dehinc statim dicit hanc gratiam nobis merito mediatoris Christi conferri.* Hanc, *inquit*, gratiam posuit in illo, quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum eius qui vniuersa operatur; *velle scilicet & operari*, ac per hoc, sicut operatur vt accedamus, sic operatur, ne discedamus. Propter quod ei per Prophetam dictum est; fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis quem confirmasti tibi, & non discedimus à te. Iste certè non est Adam primus, in quo discessimus ab eo: sed Adam nouissimus, super quem, *& membra eius*, fit manus eius, vt non discedamus ab eo, &c. propter quod & posci à se voluit, ne inferamur in tentationem: quia si non inferamur, nulla ab eo ratione discedimus. Quod poterat nobis etiam non orantibus dari, sed oratione nostrâ nos voluit admoneri, à quo accipiamus hæc beneficia. A quo enim, nisi ab illo accipimus, à quo iussum est, vt petamus? Prorsus in hac re non operosas disputationes expectet Ecclesia, sed attendat quotidianas orationes suas, &c. contra istam veritatis tam claram tubam, quis homo sobriæ vigilantisque fidei, voces vllas admittat humanas? *Hinc Petrus clamat*; Sobrij estote & vigilate. *Hinc Christus monet.* Vigilate & orate. *Hinc monet Tertullianus, non modò contra diabolum, sed & quemlibet tentatorem auocantem à verâ fide, & sano & humili sensu*: tu si fides vigilat, ibidem Scorpio pro solea Anathema inlidito, & relinquito in suo sopore morientem.

5. *Tentatis quocumque modo, consolatio promissa est in vtraque lege.* 4. *cont. Marc. cap. 14. à m. ad f.*

a Luc. 6. 21. b Esa. 65. 12. & seq. [a] B*Eati plorantes, quia ridebunt.* Decurre sententiam Esaïæ, [b] *Ecce qui seruiunt mihi, exultabunt in jucunditate; vos autem confundemini. Ecce qui seruiunt mihi, oblectabuntur, vos autem clamabitis præ dolore cordis.* Et hæc contraria apud Christum recognosce. Certè oblectatio & exultatio in jucunditate illis promittitur, qui in diuersa conditione sunt, c Psal. 125. 6. mœstis, & tristibus, & anxiis, scilicet etiam Psal. cxxv. [c] *Qui seminant*, inquit, *in lacrymis, in exultatione metent.* Porrò, tam exultantibus & jucunditatem capientibus risus acd Esa. 61. 1. cedit, quàm mœrentibus & dolentib. fletus. Ita Creator, materias risus & fletus prædicans, risuros plorantes prior dixit. Igitur qui à consolatione pauperum, & humilium, & e Luc. 6. 20. esurientium, & flentium exorsus est, statim se illum repræsentare gestiuit, quem demonstrauerat per Esaïam: [d] *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me ad euangelizandum pauperibus.* f Esa. 61. 2 [e] *Beati mendici, quoniam illorum est regnum cælorum*; [f] *misit me curare obtritos*

corde. [g] *Beati qui esuriunt, quoniam ipsi saturabuntur*; [h] *aduocare languentes.* [i] *Beati qui plorant, quoniam ridebunt*; [k] *dare lugentibus Sionis gloriam, & pro cinere, vnguenti iucunditatem; & gloriæ habitum pro spiritu tædij.* Hæc si statim admissus Christus administrauit, aut ipse est, qui se ad hæc venturum prædicauit: aut si nondum venit qui prædicauit, ridiculè, sed necessariè dixerim, fortasse mandauerit Christo Marcionis: [l] *Beati eritis, quum vos odio habebunt homines, & exprobrabunt, & eiicient nomen vestrum, velut nequam, propter filium hominis.* Hac pronuntiatione sine dubio ad tolerantiam exhortatur. Quid minus Creator per Esaïam? [m] *Ne metueritis ignominiam ab hominibus, & nullificatione eorum ne minuamini.* Quæ ignominia? quæ nullificatio? quæ futura erat propter filium hominis. Quem istum? qui est secundùm Creatorem. Vnde probabimus? excidio in ipsum quoque prædicato sicut per Esaïam ad auctores odij Iudæos. [n] *Propter vos blasphematur nomen meum in Nationibus.* & alibi, [o] *Sancite eum qui circumscribit animam suam, qui aspernamento habetur à Nationibus, famulis, & magistratibus.* Si enim odium in illum filium hominis prædicabatur, qui secundùm Creatorem est, Euangelium autem, nomen Christianorum, vtique à Christo deductum, odio futurum contestatur propter filium hominis, quod est Christus; eum filium hominis in causa odij constituit, qui erat secundùm Creatorem, in quem odium prædicabatur. Et vtique si nondum venisset, non potuisset nominis odium, quod agitur hodie, personam nominis antecessisse. Nam & sancitur penes nos, & animam suam circumscribit, propter nos eam ponens; & aspernamento habetur à Nationibus. Et qui natus est, ipse erit filius hominis, propter quem & nomen nostrum recusatur.

g Luc. 6. 21.
h Esa. 61. 2.
i Luc. 6. 21.
k Esa. 61. 3.
l Luc. 6. 22.
m Esa. 51. 7.
n Esa. 52. 5.
o Esa. 49. 7.

TENTATIS CONSOLATIO PROMISSA. 5. SCHOL.

BEATI PLORANTES. Beati qui lugent. *Sive vt habet Lucas cap. 6. 21.* Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. *Omnes hic relatos textus sparsim alibi retuli, & exposui.* APVD CHRISTVM. *In nouo Testamento, quod per omnia consonat primo, vt idem vtriusque auctor agnoscatur esse Deus Creator.* QVI SEMINANT. *Psalmo 125. 6. Augustinus ibid.* Quia cum laboribus & ærumnis fiunt ista, in ista vita, nolite deficere, in lacrymis seminatis, in gaudio metetis. Quid enim fratres mei ipse agricola quando procedit cum aratro, & portat semen, nonne aliquando frigidus est ventus, & imber deterret? &c. timet ne cùm tristem diem attendit, & expectat diem lætum, ne tempus transeat, & non inueniat quod metat. Nolite differre fratres mei seminare in hyeme, seminate bona opera. & cùm ploratis, quia qui seminant in lacrymis in gaudio metent, &c. in illa enim resurrectione mortuorum, venientes venient cum exultatione, &c. id est, tunc recipiet quisque manipulos suos, id est, fructum seminis coronam gaudiorum, & exultationis. Tunc erit triumphus lætantium, & ipsi morti insultantium, in qua gemebatur. Tunc dicent morti, vbi est mors contentio tua? vbi est mors aculeus tuus? GESTIVIT. *Christus, inquit, statim ab initio sermonis sui in mente, continere se non potuit, quin loquelâ suâ, & formâ sermonis, probaret se esse filium Dei Creatoris, de quo cecinerat Esaias 61. 1.* Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis 70. *Euangelizare pauperibus,* misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem: 70. *& cæcis visum*; vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo nostro: vt consolarer omnes lugentes; vt ponerem lugentibus Sion: & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. 70. *paulò aliter:* vocare annum Domini acceptabilem, & diem retributionis, consolari omnes lugentes, vt detur lugentibus Sion gloria eis pro cinere, vnctio lætitiæ lugentibus, secundum stolam gloriæ pro spiritu mœroris. ADMISSVS CHRISTVS. *Agnitus & manifestatus, statim atque cœpit prædicare.* MANDAVERIT CHRISTO MARCIONIS. *Ironicè. Si Christus, inquit, ipse non est qui hæc facturus & prædicaturus ab Isaia prophetabatur, forsitan hæc prædixerat facturum Christum Marcionis, vt videlicet prædicaret beatos futuros discipulos eius persecutionem patientes. Sed aduertat idipsum prænuntiasse Esaiam 51. 7.* Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis. 70. Et contemptu eorum, ne vincamini. EXCIDIO IN IPSVM. *Quod ipse præsciuis deberet à terra viuentium, & nomen eius deleri, & blasphemari propter Iudæos & rideri, sicut ipse prædixerat, tradetur scilicet à Iudæis, ad illudendum Gentibus, vt priùs quidem fieret Iudæis scandalum & lapis offensionis in quem impingerent, deinde propter odium Iudæorum in ipsum crucifixum, esset & Gentibus stultitia.* SANCITE EVM. *Sanctificate, consecrate, sanctum habete Christum.* CIRCVMSCRIBIT. *Limites ponit, & finem vitæ suæ, moriens in flore ætatis propter hominem, sponte, & à seipso ponens animam suam. Vox iuris est quâ circumscriptus dicitur qui dolo alterius, vel ætatis infirmitate decipitur. L. item exigit 16. ff. de dolo malo. l. si ex causa 9 §. 1. ff. de minoribus. Tullius dixit circumscribere Senatum, pro authoritate priuare. Item circumscribere & abrogare sententiam. Sic Christus circumscripsit honorem suum & vitam, vt esset ludibrio gentibus, vilibus seruis, & potētibus. Frustrà quæsitum à Pamelio, Deo fauente reperi Esa. 49. 7. apud 70.* Sanctificate eum qui despicit animam suam, qui abominatur à Gentibus, seruis principum, &c. *pro quo vulgata,* hæc dicit Dominus redemptor Israel, sanctus eius ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad seruum dominorum. PERSONAM NOMINIS, *Christum ipsum qui nomen hoc priùs habiturus erat, quàm ab eo Christiani dicerentur: quod nomen à persecutoribus odio habebatur, sicut longè antea per Esaiam à Gentibus blasphemandum nuntiabatur.* SANCITVR PENES NOS. *A nobis sanctificatur, cum Psalte canentibus* sanctum & terribile nomen eius. RECVSATVR. *Non recipitur, tanquam malum exprobratur & eiicitur. De consolatione afflictorum & tentatorum Augustinus in Psal. 75. in versum.* Tu Domine adiuuisti me & consolatus es me. Adiuuisti me, *inquit,* in certamine, & consolatus es me in tristitia, &c. vtique regio ista scandalorum est, & tentationum, & malorum omnium vt gemamus hîc, & mereamur gaudere ibi. Hîc tribulari, & consolari ibi; & dicere; quoniam exemisti oculos meos à lacrymis, pedes meos à ruina; quoniam placebo Domino in regione viuo-

S. Aug.

S. Aug.

rum. Ista regio mortuorum est. Transit regio mortuorum venit regio viuorum. In regione mortuorum labor, dolor, timor, tribulatio, tentatio, gemitus, suspirium. Hîc falsi fœlices, veri infœlices, quia falsa fœlicitas, vera miseria est. Qui verò agnoscit in vera esse miseria, erit etiam in fœlicitate vera. Et tamen nunc quia miser es, Dominum audi dicentem, beati lugentes. O beati lugentes! nihil tam coniunctum miseriæ quàm luctus, nihil tam remotum & contrarium miseriæ quàm beatitudo. Tu dicis lugentes, & tu dicis beatos? intelligite quod dico: beatos dico lugentes: quare beati? in spe. Quare lugentes? in re. Etenim lugent in morte ista, in tribulationibus istis, in peregrinatione sua, &c. cùm autem transierit gemitus noster, omnes vnâ voce, in vno populo, in vna patria consolabimur: millia millium coniuncta psallentibus Angelis, choris cœlestium potestatum in vna ciuitate viuentium. Quis ibi gemit? quis ibi suspirat, quis ibi laborat? quis ibi eget? quis ibi moritur? quis ibi misericordiam præbet? quis ibi panem frangit esurienti, vbi omnes pane iustitiæ saginantur? nemo tibi dicet, hospitem suscipe, peregrinus ibi non erit. Omnes patriâ suâ viuunt. Nemo tibi dicit, concorda amicos tuos litigantes; in pace sempiterna, Dei vultu perfruuntur. Nemo tibi dicit, visita ægrotum: sanitas immortalitasque permanet. Nemo tibi dicit: sepeli mortuum: omnes in vita æterna erunt, &c. vbi necessitas non erit, nec miseria, opera necessitatis & misericordiæ non erunt. Quid ibi erit? quod negotium nostrum? quæ actio nostra? nulla actio, quia quies: sedebimus ergo & torpebimus, & nihil agemus? si refrigescit amor noster, refrigescit & actio nostra. Amor quietus in vultu Dei, quem modò desideramus, cui suspiramus, cùm ad eum venerimus, quomodo nos accendet, in quem nondum visum sic suspiramus? cùm ad eum venerimus, quomodo nos illuminabit? quomodo nos mutabit? quid de nobis faciet? *Audi sponsam:* exultabimus & lætabimur in te. *Audi & Psal.* 149. Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. *In quem locum Aug.* Non in theatris, *inquit*, non in amphitheatris, non in Circis, non in nugis, non in foris, sed in cubilibus suis. Quid est in cubilibus suis? in cordibus suis. Audi Apostolum Paulum exultantem in cubili suo 2. Cor. 1. Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, &c. est ergo quidam modus in conscientia gloriandi, vt noueris fidem tuam esse sinceram, noueris spem tuam esse certam, noueris charitatem tuam esse sine simulatione. Sed quoniam multa sunt adhuc fortè quæ possunt offendere oculos Dei, lauda eum qui tibi ista donauit, tunc perficiet quod donauit. Propterea cùm dixisset, lætabuntur in cubilibus suis, ne quasi sibi placentes viderentur, adiunxit statim; exultationes Dei in faucibus eorum. Sic lætabuntur in in cubilibus suis, vt non sibi tribuant quòd boni sunt, sed illum laudent à quò acceperunt quod sunt, à quo vocantur, vt perueniant ad id quod nondum sunt& à quò sperant perfectionem cui gratias agunt, quia inchoauit. *Ita Psaltes firmitatem suam in Deo, & robur Sanctorum exultantium in ipsis persecutionibus, & in luctu ipso gaudentium, Deo tribuebat cùm diceret:* Non est occultatum os meum à te quod fecisti in oc-

S. Aug.

A culto. *Os enim firmitas carnium est. Hîc suam Augustinus prodit humilitatem, dum vt plebi intelligibilis vult fieri, dispendio honoris, ossum pro osse sumens*, melius, *inquit*, est vt reprehendant nos Grammatici, quam non intelligant populi, &c. quod ergo, inquit, os dicit fratres? quæramus illud, in abscondito est, &c. inuenimus quid sit ossum huiusmodi. Firmitas quædam interior; quia in ossibus firmitas & fortitudo intelligitur. Est ergo quædam animæ interior vis, vbi firmitas non frangitur. Quælibet tormenta, quælibet tribulationes, quælibet huius sæculi aduersitates vndique sæuiant, illud quod Deus in abscondito fecit firmum in nobis, frangi non potest, non cedit. A Domino enim fa- B cta est quædam firmitas patientiæ nostræ, de qua dicitur in alio Psalmo: verumtamen Deo subiecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea. Et attende Paulum habentem intus hoc genus firmitatis. Quasi tristes, *inquit*, semper autem gaudentes. Vnde, quasi tristes? contumeliis, opprobriis, persecutionibus, flagellis, plagis, carceribus, catenis, lapidationibus. Quis non eos miseros tunc existimaret? nec illi ipsi persecutores sæuirent in eos, nisi putarent eos miseros fieri persecutionibus suis. Illi enim eos ex sua infirmitate coniiciebant, qui non habebant ossum absconditum interius: illi autem qui habebant, hominibus foris tristes videbantur, intus autem gaudebant Deo, cui non erat absconditum ossum ipsorum, quod fecerat in abscondito. Aperit autem hoc ossum in abscondito C factum à Deo idem Apostolus Paulus his verbis. Non solùm autem, inquit, sed & gloriamur in tribulationibus. Parum est quia non es tristis, sed & gloriaris? sufficiat tibi tristem non esse. Parum est, inquit, Christianis. Tale ossum mihi fecit in abscondito, vt parum sit non frangi, nisi etiam glorier. Vnde gloriaris? in tribulationibus: scientes quia tribulatio patientiam operatur. Vide quomodo formata sit illa firmitas intus in corde. Scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit: quoniam charitas Dei diffusa est, &c. Sic formatum atque firmatum est ossum illud absconditum, vt faciat nos etiam gloriari in tribulationibus, &c. & substantia mea in inferioribus terræ. D Ecce in carne est substantia mea: in inferioribus terræ est substantia mea: & tamen habeo ossum intrinsecus quod formasti, quod faciat me non cedere omnibus persecutionibus inferioris huius regionis, vbi est adhuc substantia mea. Quid enim magnum est si fortis est Angelus? magnum est si fortis est caro. Et vnde fortis est caro? vnde forte vas fictile? nisi quia factum est ibi ossum in abscondito. *Ex ex his Augustini in Tertullianum textibus, liquet, quàm sit gaudendum in tentationibus & tribulationibus, primò quòd, vt visum est Scholio primo, non nisi Deo volente, ad probationem, vlla possit nos tentare tribulatio. Secundò quòd exemplo Christi victo-* E *ris, & vinctoris diaboli, & pugnare, & vincere docemur. Tertiò monemur orationis & cautæ vigilantia armis esse pugnandum. Quartò carnis nostræ, & naturæ fragilitatem, esse fortitudinis & gratia à Deo danda, firmatam, & spe gloriæ & coronæ latam, etiam in lacrymis.*

TERRA.

Terra informis & inuisibilis in Genesi dicitur; non quòd omnino non esset, sed quòd aquâ operta esset. De materia autem Hermogenis intelligi omnino non potest, quæ visibilis facta non est, uti facta est terra emergens ex aqua. Cont. Hermog. cap. 23. 24. 25. 26. 27. 28. per totum.

EX sequentibus argumentatur; quia scriptum sit: [a] *Terra autem erat inuisibilis & incomposita.* Nam & terræ nomen redigit in materiam, quia terra sit quæ facta est ex illa. Et, *erat*, in hoc dirigit, quasi quæ semper retro fuerit innata & infecta. Inuisibilis autem & rudis, quia informem & confusam & inconditam vult fuisse materiam. Has quidem opiniones eius singillatim reuincam, sed interim volo sic ei respondere. Putamus his articulis materiam demonstrari. Nunquid tamen, quia erat ante omnia, & tale aliquid esse ex ea factum scriptura significat? Atquin nihil tale significat. Fuerit licet materia, quantum sibi licet, vel potius Hermogeni: potuit & fuisse, & tamen nihil Deus ex illa fecisse, vel quia non decebat Deum alicuius eguisse, certè quia nec ostenditur quicquam ex materia fecisse. Sine causa ergo esset, inquis. Non planè adeo sine causa. Nam etsi mundus non est factus ex illa, sed hæresis facta est, & quidem hoc impudentior, quòd non ex materia facta est hæresis, sed materiam ipsam potiùs hæresis fecit. Reuertor nunc ad singulos articulos, per quos putauit significatam esse materiam. Et primò de nominibus expostulabo. Horum enim alterum legimus, quod est terræ: alterum non inuenimus, quod est materiæ. Quæro ergo, Cùm materiæ nominatio non extet in scriptura, quomodo ei etiam terræ appellatio accommodetur in alio iam genere substantiæ nota? Quo magis materiæ quoque nominatio extitisse debuerat, consecuta etiam terræ appellationem, vt scirem terram commune cum materia esse nomen, ne illud ei soli substantiæ vindicarem, cuius & proprium, in qua magis notum est; vel ne illud in quamcunque aliam speciem, nec vtique omni materiæ communicare possem, si vellem. Cùm enim non extat proprium vocabulum eius rei cui commune vocabulum adscribitur, quantò non commpâret cui adscribatur, cuicunque alij poterit adscribi. Ita Hermogenes, etsi materiam ostenderet nominatam, deberet eandem probare terram quoque cognominatam, vt ita vtrumque illi vocabulum vindicaret. Vult igitur duas proponi terras in ista scriptura: vnam, quam in principio Deus fecit: aliam, materiam, ex qua fecit, de qua dictum sit: [b] *Terra autem erat inuisibilis, & rudis.* Vtique si quæram, ex duabus, quæ. cui nomen terræ accommodare debeat? dicetur, hanc quæ facta sit ex illa ex qua facta est, vocabulum deriuasse, quia verisimilius sit ab origine sobolem potius, quàm originem à sobole vocitari. Hoc si ita est, alia nobis obuoluitur quæstio; an competat, terram hanc quam Deus fecit, ex illa ex qua fecit, cognomentum deriuasse. Audio enim apud Hermogenem cæterosque Materiarios hæreticos, terram quidem illam informem & inuisibilem & rudem fuisse: hanc verò nostram proinde & formam, & conspectum, & cultum, à Deo consecutam. Aliud ergo factam, quàm erat ea ex qua facta est. Porrò aliud facta, non potuit cum ea de nominatione sociari, à cuius conditione desciuerat. Si nomen proprium materiæ illius fuit terra, hæc quæ non est materia, aliud scilicet facta, terræ quoque non capit nomen alienum, & statu suo extraneum. Sed materia facta, id est terra, habuit cum sua origine consortium nominis, sicut & generis. Non adeo. Nam & testam, licet ex argilla confectam, iam non argillam vocabo, sed testam: & electrum, licet ex auro & argento fœderatum, nec argentum tamen nec aurum appellabo, sed electrum. à cuius habitu quid diuertit, pariter & à vocatu eius recedit, appellationis, sicut & conditionis proprietate. Quàm autem transierit de statu terræ illius, id est materiæ, ista terra, vel eo palam est, quòd hæc apud Genesim testimonium boni accipit: [c] *Et vidit Deus quia bonum*: illa autem apud Hermogenem in originem & causam malorum deputatur. Postremò, si ideo hæc, terra; quia & illa; cur non & materia hæc quoque, quia illa? Immò iam & cœlum & omnia, si ex materia constant, & terræ & materiæ vocari debuerunt. Satis ista de terræ nomine (in quo materia intelligi voluit) quod nomen vnius elementi omnes sciunt, naturâ primùm, deinde scripturâ docente; nisi & Sileno illi apud Midam regem adseueranti de alio orbe, credendum est, auctore Theopompo. Sed & deos multos idem refert. [d] *Nobis autem vnus Deus* & vna est terra, quam in principio Deus fecit; cuius ordinem incipiens scriptura decurrere, primò factam eam edicit, dehinc qualitatem ipsius edisserit. sicut & cœlum primò factum professa, *In principio fecit Deus cœlum*, dehinc dispositionem eius superinducit: [e] *Et separauit inter aquam quæ erat infra firmamentum, & quæ super firmamentum, & vocauit Deus firmamentum cœlum*, ipsum quod in primordio fecerat. Proinde & de homine: [f] *Et fecit Deus hominem: ad imaginem Dei fecit illum.* Dehinc qualiter fecerit reddit: *Et finxit Deus hominem de limo terræ, & afflauit in faciem eius flatum vitæ, & factus*

a Gen. 1. 2

CAPVT XXIV.

CAPVT XXV.

b Gen. 1. 2.

c Gen. 1. 10.

CAPVT XXVI.

d 1. Cor. 8. 6.

e Gen. 1. & 7.

f Gen. 27.

est homo in animam viuam. Et vtique sic decet narrationem inire, primò præfari, postea prosequi, nominare, deinde describere. Alioquin vanum, si eius rei cuius nullam præmiserat mentionem, id est materiæ, ne ipsum quidem nomen, subito formam & habitum promulgauit: antè enarrat qualis esset, quàm an esset; ostendit figuram deformati, nomen abscondit. At quantò credibilius secundum nos, eius rei dispositionem scriptura subjunxit, cuius institutionem simulque nominationem præmisit. Quàm denique integer sensus est: g Gen. 1. 1. 2. [g] *In principio Deus fecit cœlum & terram, terra autem erat inuisibilis & rudis.* quàm Deus scilicet fecit, de qua, scriptura cummaximè ediderat. Nam *& autem* ipsum, velut fibula coniunctiuæ particulæ ad connexum narrationi appositum est, *Terra autem.* Hoc enim verbo reuertitur ad eam, de qua suprà dixerat, & alligat sensum. Adeo aufer hinc, *autem*, & soluta compago est, vt tunc possit de alia terra dictum videri, h Gen. 1. 2. [h] *Terra erat inuisibilis & rudis.* Sed tu supercilia capitis, nutu digiti accommodato, altiùs tollens, Caput xxvii. & quasi retrò jactans: Erat, inquis, quasi semper fuerit, scilicet innata & infecta, & idcirco materia credenda. At ego sine vllo lenocinio pronunciationis simpliciter respondebo, de omni re posse dici, Erat, etiam de ea quæ facta, quæ nata sit, quæ aliquando non fuerit, & quæ materia non sit. Omne enim quod habet esse, vndevnde habeat, siue per initium, siue sine initio, hoc ipso quod est, etiam Erat dicetur. Cui competit prima verbi positio in definitionem, eiusdem etiam declinatio verbi decurret in relationem. Est, definitionis caput; Erat, relationi facit. Hæ sunt argutiæ & subtilitates hæreticorum, simplicitatem communium verborum torquentes in quæstionem. Magna scilicet quæstio est, Si erat terra, quæ facta est. Sane discutiendum, an ei competat inuisibilem & rudem fuisse quæ facta est, an ei ex qua facta est. vt eiusdem sit *erat*, cuius & quod erat. Caput xxviii. Atquin non tantùm probabimus istum habitum huic terræ competisse, sed & illi alij non competisse. Nam si nuda materia Deo subjacebat, nullo scilicet elemento obstruente, si quidem nondum quicquam erat præter ipsam & Deum; vtique inuisibilis esse non poterat. Quia etsi tenebras volet in substantia fuisse materiæ, cui articulo respondere debebimus suo ordine, etiam homini tenebræ visibiles sunt; (hoc enim ipsum quod sunt tenebræ, videtur,) nedum Deo. Et vtique si inuisibilis esset, nullo modo cognosceretur qualitas eius. Vnde ergo compertus est Hermogenes informem & confusam & inconditam illam fuisse, quæ vt inuisibilis latebat: aut si hoc à Deo reuelatum est, probare debet. Sic & an rudis dici potuerit, expostulo. Certè enim rude illud est, quod imperfectum est. Certè imperfectum non potest esse, nisi quod factum est. Quod enim minus factum est, imperfectum est. Certè, inquis. Ergo materia quæ facta non erat in totum, imperfecta esse non potuit. Quæ imperfecta non fuit, etiam rudis non fuit. Initium non habens quia facta non fuit, caruit & rudimento. Initij enim accidens est, rudimentum. Terra verò quæ facta est, meruit & rudis dici. Statim enim vt facta est, habuit imperfectæ locum, ante perfectionem.

2. *Et cont. Hermog. cap. 29. à m. ad f.*

Non alia autem materia erat inuisibilis & rudis. Ergo materia erit postea visibilis & perfecta. Volo itaque videre materiam, visibilis enim facta est. Volo & perfectam eam recognoscere, vt ex illa etiam fœni herbam, & ex illa decerpam lignum fructuosum, & ex illa animalia vsui meo famulentur. Sed materia quidem nusquam: terra verò, hæc, id est coram. Hanc video, hac perfruor, ex quo inuisibilis & rudis esse desiit, de a Esa. 45. 18. qua manifestissimè Esaïas: [a] *Hæc dicit Dominus qui fecit cœlum. Iste Deus qui demonstrauit terram, & fecit illam.* Certè eandem demonstrauit, quam & fecit. Quomodo demonstrauit? b Gen. 1. 9. Vtique dicendo: [b] *Videatur arida.* Quare videri iubet, nisi quia retrò non videbatur? vt sic quoque eam non in vacuum fecisset, faciendo visibilem, & ita habilem. Et sic per omnia probatur nobis, hanc quam incolimus, eandem & factam esse à Deo, & ostensam; c Gen. 1. 2 nec aliam fuisse rudem & inuisibilem, quàm quæ & facta & ostensa est. atque ita, [c] *Terra autem erat inuisibilis & rudis*, ad eam pertinet, quam Deus cum cœlo separauit.

TERRA. 1. & 2. SCHOL.

ARGVMENTATVR. *More Platonico, de quo Iustinus Martyr Apol.* 1. Nec minus, *inquit*, eum, *Platonem*, in cœlo & terra lapsum esse liquet. Quia enim Moyses ita scripsit: in principio fecit Deus cœlum & terram: ac deinceps hæc adiungit, dicens: terra autem erat non aspectabilis, & incondita: existimauit hanc de qua ille ait, terra autem erat, præexistẽtem dici terram: quoniam Moyses dixerat: terra autem erat inaspectabilis & incondita. De qua verò dicit; fecit Deus cœlum & terram, eam illum designare A putauit, quæ iuxta præexistentem ideam, à Deo sensibilis est creata. *Hermogenes tamen in hoc distat à Platone, quòd hic tria rerum principia ponat, Deum, ideam, & materiam: Hermogenes autem duo tantùm, videlicet Deum & materiam.* REDIGIT. *Strictè vult applicari nomen terræ materiæ, quòd terra ex ipsa facta sit.* DIRIGIT. *Vult Moysem per hoc verbum,* erat, *indicasse materiam ante mundi creationem semper fuisse, quamquam rudem & informem.* PVTAMVS. *Esto, demus Hermogeni his Genesis verbis significatam esse materiam præexistentem*

mundo. TALE ALIQVID, *scilicet materiam.* NON PLANE, *&c. Alludit ad Apostolum dicentem*, oportet & hæreses esse: *vnde non frustra prorsus esset, iuxta mentem Hermogenis, materia ante mundum, licet ex ea terram, aut quodlibet aliud Deus non fecisset; quia ex ea Hermogenes hæresim suam finxit, vel potiùs eius hæresis finxit materiam Deo coæternam & necessariam.* EXPOSTVLABO. *Conqueror, quòd scripturâ abutatur, quæ nihil de materia habet, sed de sola terra creata loquitur; quæ proprio substantiæ suæ nomine nota est. Vt quid enim commune facit nomen & materia & terra; cùm terra solius mentio facta sit, nec eius nomen ignotæ substantiæ fuerit applicatum? nec conuenit, terram quam Deus primò fecit, nomen sumere ex secunda illa rudi & incomposita: sicut non congruit parentem à filio nomen sumere, sed filium à parente.* TERRAM ILLAM INFORMEM. *Hæretici materiæ infectæ & innatæ laudatores, in hoc grauiter errant, & sibi contradicunt: cùm enim velint primò nominatam terram, significare materiam primam, rudem & informem; facta à Deo & creata expressè dicitur. Præterea secundò nominatur, dicta est inuisibilis & incomposita, cùm tamen dicant hanc nostram terram à Deo formatam & excultam. Vnde sequitur, terram immutatam fuisse, & aliter dispositam quàm erat illa prima ex qua hæc secunda facta est. Si autem in aliam mutata est, & à primæ conditione defecit, non debuit eodem cum ipsa nomine vocari. Si igitur prima illa materia propriè nominata est terra, consequenter hæc secunda, quæ materia non est, vtpotè immutata, perperam terra vocabitur, cùm nomen terræ sit proprium primæ illius materiæ.* SED MATERIA FACTA. *Inducit Hermogenem obsistentem. Dices, inquit Hermogenes, materiam factam, de rudi excultam habere idem nomen cum materia illa, vt sicut idem genus, sic & idem nomen sortita sit.* NON ADEO. *Respondet Tertull. non ita probatur. Contrarium enim patet in testa quæ licet ex argilla facta sit, non tamen argilla vocatur, nec electrum quamuis ex auro & argento compositum, nomen sumit ab auro vel argento. Quidquid enim à statu primo mutatur in aliud, eius quoque nomine cessat appellari.* QVAM TRANSIERIT. *Quantùm mutauerit terra, quam nunc colimus, à statu illius terræ siue materia informis, vel ex eo patet, quod cùm terra ista exculta & ornata à Deo laudata sit quòd bona esset, Hermogenes primam illam terram siue materiam informem omnis mali causam & originem esse dixerit.* SI HÆC TERRA, *intelligit iuxta sensum Hermogenis. Si ideo hæc composita & exculta terra dicitur, quia de prima illa incomposita & inuisibili, materia scilicet facta est. Cur hæc quoque terra composita, materia vocabitur, quia illa prima incomposita, materia censetur? cur denique omnia quæ ex materia constant, & ex ea facta sunt, terræ nomen & materiæ non accipiant?* MATERIA VOLVIT. *Siue potiùs Hermogenes voluit materiam per nomen terræ intelligi.* SILENO, *libro de Pallio cap. 2. de eodem*, viderit si quis vspiam alius orbis ad Meropas, vt Silenus penes aures Midæ blatit, aptas sanè grandioribus fabulis. AVTHORE THEOPOMPO. *Duos inuenio scriptores huius nominis. Alter Chius orator & historicus. De quo Quintilianus; alter Atheniensis, antiquæ Comœdiæ scriptor, cuius fabulæ à Suida recensentur. De hoc postremo loquitur Tertullianus, qui plures Deos vt & mundos commentus est. Augustinus lib. 11. de Ciuit. cap. 5. vbi de Philosophorum erroribus circa mundi creationem.* Si, *inquit*, infinita spatia temporis ante mundum cogitant, in quibus eis non videtur Deus ab opere cessare potuisse: similiter ergo cogitent extra mundum infinita spatia locorum, in quibus, si quisquam dicat non potuisse vacare omnipotentem, nonne consequens erit, vt innumerabiles mundos cum Epicuro somniare cogatur? eâ tantùm diffe- S. Aug.

A rentiâ, quòd eos ille fortuitis motibus atomorum gigni asserit & resolui, isti autem opere Dei factos dicturi sunt, si eum per interminabilem immensitatem locorum extra mundum circumquaque patentium vacare noluerint; nec eosdem mundos, quod etiam de isto sentiunt, vllâ causâ posse dissolui. *Et libro de hæresibus. Non nominans authores, sit hæresi* 77. Alia, *inquit*, dicit, innumerabiles mundos, sicut opinati sunt quidam Philosophi Gentium. *Quales fuerunt, Metrodorus, Anaximander, Anaximenes, Archelaus, Aristarchus, Xenophanes, Diogenes, Leucippus, Anaxarchus. De quo postremo Plu-* S. Aug.

B *tarchus libro de tranquillitate animi.* Cùm, *inquit*, Alexander de mundorum infinitate disserentem audiuisset Anaxarchum, eum illacrymasse; rogantibusque amicis, num aliquid ei dignum lacrymis accidisset, respondisse, an indignum est nos flere, si cùm infiniti mundi esse perhibeantur, nondum vnius domini simus? ORANTEM DECVRRERE. *Describere quomodo priùs cœlum, terra, homo, simpliciter facta & creata sint, deinde quomodo disposita & ordinata fuerint.* ALIOQVIN VANVM. *Stultum est, & indignum est tanto scriptore, inuerso ordine tractare de forma & habitu materiæ qualis & quam composita fuerit, de qua nil omnino præmiserat, ne nomen quidem.* FIGVRAM DEFORMATI, *compositionem & ornatum materiæ à statu desormi, in formosum immutatæ.* AV-

C TEM IPSVM, FIBVLA. *Particula hæc connectionis est, quæ denotat hanc ipsam esse terram de qua dixerat, quod* in principio creauit Deus cœlum & terram. SVPERCILIA CAPITIS. *Describit gestum digiti & supercilij elati Hermogenis, & vrgentis verbum Genesis quo dictum est*, terra erat *quasi semper fuerit, & ante mundi creationem. Deo coæua materia.* VNDE VNDE. *Vndecumque.* RELATIONI FACIT. *Facit ad relationem, id est referri potest ad initium quo cœpit esse, vel à quo esse cœpit. Erat igitur terra, inuisibilis, quæ postea facta est visibilis, quæ erat priùs facta, cùm à Deo creata est cum cœlo.* AN EI EX QVA FACTA EST. *Scilicet materiæ illi Hermogenianæ qui eam vult vocari terram.* VT EIVSDEM SIT. *Quod scilicet dixit Moy-*

D *ses erat inuisibilis & incomposita, de qua primò dixit quod terra erat.* ISTVM HABITVM. *Incompositum & rudem.* ILLI ALII, *Hermogenianæ materiæ siue terræ.* NVDA MATERIA, *scilicet primâ Deo coæuâ & ante omne elementum existente, inuisibilis esse non poterat, & quidquid dicat Hermogenes tenebras innatas fuisse in substantia materiæ; cùm tenebras ipse homo esse videat & sentiat, multò magis Deo visibiles erant. Vnde sequitur materiam de qua agit Moyses id est terram, non fuisse illam Hermogenianam quæ Deo non erat inuisibilis.* COMPERTVS EST. *Pro, comperit.* IN TOTVM, *Quæ omnino non erat facta, quamque ipse dicit infectam.* ACCIDENS EST, *Proprietas.*

2. NON ALIA. *Prima scilicet.* VT EX ILLA. *Facta visibilis & fœcunda, herbam, ligna, animalia producta sumam.* CORAM. *Quæ ante oculos nostros vi-*

E *sibilis ponitur.* DE QVA ESAIAS. 45. 18. Quia hæc dicit Dominus creans cœlos, ipse Deus formans terram, & faciens eam, ipse Plastes eius: non in vanum creauit eam, vt habitaretur, formauit eam: ego Dominus, & non est alius. 70. *autem.* Sic dicit Dominus qui fecit cœlum: iste Deus qui ostendit terram, & fecit eam, iste distinxit eam: non in vacuum fecit eam, sed vt habitaretur, plasmauit eam. Ego sum Dominus, & non est vltra. VIDEATVR ARIDA. *Gen.* 1. 9. Dixit verò Deus: congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum vnum: & appareat arida. HABILEM. *Ad producendum, & habitabilem.* TERRA AVTEM ERAT *Gen.* 1. 2. Terra autem erat inanis & vacua. 70. inuisibilis & incomposita. *Chald.* deserta & vacua.

AD EANDEM. *De eadem terra dictum est, quam Deus à cœlo distinxit, cùm dictum est:* In principio creauit Deus cœlum & terram. *Augustinus lib. 12. Confess. c. 22. in f. Terram non esse materiam Deo coæternam asserit his verbis.* Si, *inquit*, aliquid Genesis tacuit Deum fecisse, quod tamen Deum fecisse, nec sana fides, nec certus ambigit intellectus, nec ideo vlla sobria doctrina dicere audebit, istas aquas coæternas Deo, quia in libro Geneseos commemoratas quidem audiuimus, vbi autem factæ sint, non inuenimus. Cur non informem quoque illam materiam, quam scriptura hæc terram inuisibilem & incompositam, tenebrosamque abyssum appellat, docente veritate intelligamus ex Deo factam esse de nihilo; ideoque illi non esse coæternam, quamuis vbi facta sit, omiserit enuntiare ista narratio? *(S. Aug.)*

(S. Aug.) *Et lib. 1. de Gen. cont. Manich. cap. 7.* Informis illa materia quam de nihilo Deus fecit, appellata est primò cœlum & terra; & dictum est, in principio fecit Deus cœlum & terram: non quia iam hoc erat, sed quia hoc esse poterat. Nam & cœlum scribitur postea factum. Quemadmodum si semen arboris considerantes, dicamus ibi esse radices & robur, & ramos, & fructus, & folia, non quia iam sunt, sed quia inde futura sunt. Sic dictum est, in principio fecit Deus cœlum & terram, quasi semen cœli & terræ, cùm in confuso adhuc esset cœli & terræ materia. Sed quia certum erat inde futurum esse cœlum & terram; iam & ipsa materia cœlum & terra appellata est, &c. hanc autem adhuc informem materiam, etiam terrā inuisibilem atque incompositam voluit appellare, quia inter omnia elementa mundi, terra videtur minus speciosa quam cætera. Inuisibilem autem dixit, propter obscuritatem; & incompositam, propter informitatem. Eamdem ipsam materiam etiam aquam appellauit, super quam ferebatur Spiritus Dei, sicut superfertur rebus fabricandis voluntas artificis, &c propterea verò non absurdè etiam aqua dicta est ista materia, quia omnia quæ in terra nascuntur, siue animalia, siue arbores vel herbæ, & si qua similia, ab humore incipiunt formari atque nutriri, &c.

A Dictum est ergo cœlum & terra, quia inde futurum erat cœlum & terra: dicta est terra inuisibilis & incomposita, & tenebræ super abyssum, quia informis erat, & nulla specie cerni aut tractari poterat, etiamsi esset homo qui videret atque tractaret. Dicta est aqua, quia facilis & ductilis subiacebat operanti, vt de illa omnia formarentur. Sed sub his omnibus nominibus materia erat inuisa & informis, de qua Deus condidit mundum. *Vide quæ habet idem Aug. to. 3. lib. de Gen. ad lit. imperfecto cap. 4. & lib. 1. de Gen. ad lit. cap. 13 & 14.* Quoniam, *inquit*, manifestum est, omne mutabile ex aliqua informitate formari, simulque illud & Catholica fides præscribit, & certissima ratio docet nullarum naturarum materiam esse potuisse, *(S. Aug.)* B nisi ab omnium rerum, non solùm formatarum, sed etiam formabilium inchoatore Deo atq; Creatore, de quo etiam dicit ei quædam scriptura, *Sap. 11. 18.* qui fecisti mundum ex materia informi; hanc materiam, illis verbis, quibus pro spiritali prudentia, tardioribus etiam lectoribus vel auditoribus congrueret, fuisse commemoratam, quibus ante dierum enumerationem dictum est, in principio fecit Deus cœlum & terram, &c. donec diceretur, & dixit Deus: vt deinceps formatarum rerum ordo consequeretur. Non quia informis materia formatis rebus tempore prior est, cùm sit vtrumque simul concreatum, & vnde factum est, & quod factum est. Sicut enim vox materia est verborum, C verba verò formatam vocem indicant: non autem qui loquitur, priùs emittit informem vocem, quàm possit postea colligere, atque in verba formare: ita Creator Deus, non priorem tempore fecit informem materiam, & eam posteà per ordinem quarumcumque naturarum, quasi secundà consideratione formauit, formatam quippe creauit materiam. Sed quia illud vnde fit aliquid, & si non tempore, tamen quadam origine prius est, quàm illud quod inde fit, potuit diuidere scriptura loquendi temporibus, quod Deus faciendi temporibus non diuisit.

TESTAMENTVM.

1. *Duo Testamenta, in duobus Abrahæ filiis.* 5. *cont. Marc. cap. 4. circa m.*

VT furibus solet aliquid excidere de præda in indicium, ita credo & Marcionem nouissimam Abrahæ mentionem dereliquisse nullam magis auferendam, etsi ex parte conuertit. Si enim [a] *Abrahum duos liberos habuit, vnum ex ancilla, & alium ex libera: sed qui ex ancilla, carnaliter natus est; qui verò ex libera, per repromissionem.* (*Quæ sunt allegorica,*) id est, aliud portendentia: *Hæc sunt enim duo testamenta*, siue duæ ostensiones, sicut inuenimus interpretatum; *Vnum à monte Sina*, in synagogam Iudæorum, secundùm legem, *generans in seruitutem; Aliud,* [b] *super omnem principatum generans, vim, dominationem, & omne nomen quod nominatur, non tantùm in hoc æuo, sed & in futuro; quæ est mater nostra*, in quam, repromisimus sanctam Ecclesiam: ideoque adiicit, [c] *Propter quod, fratres, non sumus ancillæ filij, sed liberæ.*

[a] Gal. 4. 22. & seq. [b] Ephes. 1. 20. [c] Gal. 4. vers. vlt.

2. *Testamentum vetus, nouum prædicens, licet ab eo diuersum, vnum tamen Deum habet authorem.* 4. *cont. Marc. cap. 1. à p. ad m.*

COnfiteor alium ordinem decucurrisse in veteri dispositione apud Creatorem, alium in noua apud Christum. Non nego distare documenta eloquij, præcepta virtutis, legis disciplinas; dum tamen tota diuersitas in vnum & eundem Deum competat: illum scilicet à quo constat dispositam, sicut & prædicatam Olim concionatur Esaïas, [a] *prodiuimam ex Sion legem, & sermonem Domini ex Hierusalem:* aliam vtique legem, aliumque sermonem. denique, [b] *iudicabit*, inquit, *inter nationes, & traducet populum plurimum*; scilicet non vnius gentis Iudæorum, sed nationum, quæ per nouam legem Euangelij, & no-

[a] Esa. 2. 3. [b] Esa. 2. 4

num sermonem Apostolorum iudicantur & traducuntur apud semetipsas de pristino errore, simul crediderunt, atque exinde [c] *concidunt macharas suas in aratra; & sibynas*, quod genus venabulorum est, *in falces*, id est, feros & sæuos quondam animos conuertunt in sensus probos, & bonæ frugis operarios. Et rursus, [d] *Audite me, audite me, populus meus; & reges auribus intendite in me, quoniam lex prodibit à me, & iudicium meum in lucem nationum*, quo iudicauerat atque decreuerat nationes quoque illuminandas per Euangelij legem atque sermonem. Hæc erit [e] *lex* apud Dauid *inuituperabilis*, quà perfecta, *conuertens animas*, vtique ab idolis, ad Deum. hic erit & sermo, de quo idem Esaïas: [f] *Quoniam*, inquit, *decisum sermonem faciet Dominus in terra*. Compendiatum est enim nouum Testamentum, & legis laciniosis oneribus expeditum. Sed quid pluribus? cùm manifestiùs, & luce ipsa clariùs nouatio prædicetur à Creatore per eundem: [g] *Ne rememineritis priorum, & antiqua ne cogitaueritis. Vetera transierunt, noua oriuntur. Ecce facio noua quæ nunc orientur.* Item per per Hieremiam, [h] *Nouate vobis nouamen nouum, & ne seueritis in spinas, & circumcidimini præputia cordis vestri.* & alibi, [i] *Ecce veniunt dies, dicit Dominus, & perficiam domui Iacob & domui Iuda Testamentum nouum, non secundum testamentum quod disposui patribus eorum in die qua arripui dispositionem eorum, ad educendos eos de terra Ægypti.* Adeo pristinum testamentum, temporale significat, dum mutabile ostendit, etiam dum æternum de postero pollicetur. Nam per Esaïam, [k] *Audite me, & viuetis, & disponam vobis testamentum æternum*: adiiciens, *Sancta & fidelia Dauid*; vt id testamentum in Christo decursurum demonstraret. eundem ex genere Dauid secundùm Mariæ censum, etiam in [l] *virga ex radice Iesse processura* figuratè prædicabat.

c Esa. 2. 4. d Esa. 51. 4. & 7. e Psal. 18. 8. f Esa. 10. 23. g Esa. 43. 18. h Hier. 4. 4. i Hier. 31. 31. k Esa. 55. 3 l Esa. 11. 1.

3. *Testamentum hominis si inuiolabile est, quantò magis illud quod Deus Christo, vero Abrahæ semini sanxit?* 5. *cont. Marc. cap. 4. à p.*

ILlud autem facit, quod quum [a] *secundùm hominem* dixisset, *tamen testamentum hominis nemo spernit aut superordinat.* Exemplo enim humani testamenti permanentis, diuinum tuebatur.

a Gal. 3. 15.

TESTAMENTVM. 1. 2. 3. SCHOL.

VT FVRIBVS. *Alibi furtum Marcionis adnotaui.* A CONVERTIT. *Alius verbis retulit.* NVLLAM MAGIS AVFERENDAM. *Quia expreßè Paulus duo Testamenta refert in duobus filijs Abrahæ repræsentata.* ABRAHAM DVOS LIBEROS. *Gal.* 4. 22. Scriptum est enim: quoniam Abraham duos filios habuit: vnum de ancilla, & vnum de libera: sed qui de ancilla secundùm carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem: quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta. *Syr. hæc autem, sunt allegoriæ duorum testamentorum.* Vnum quidem in monte Sina, in seruitutem generans, quæ est Agar: Sina enim mons est in Arabia, qui coniunctus est ei quæ nunc est Ierusalem; & seruit cum filiis suis. Illa autem quæ sursum est Ierusalem libera est, quæ est mater nostra, &c. Itaque fratres non sumus ancillæ filij, sed liberæ: quâ libertate Christus nos liberauit. ALIVD, *supple testamentum in libertatem generans, & filios faciens supernæ Ierusalem cuius caput est Christus, de quo Ephes.* 1. 20. Constituens ad dexteram suam in cœlestibus: supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius qui omnia in omnibus adimpletur. IN QVAM. *Supple matrem Ierusalem liberam intelligimus promissam Ecclesiam.* DVÆ OSTENSIONES. *Ita duo testamenta interpretatus erat Marcion, scripturæ corruptor.* VIM, *virtutem, supple generans super omnem vim, &c. De Christo Ecclesiæ capite super omnem ordinem euecto, Augustinus in titulum Psal.* 85. Nullum maius donum præstare Deus posset hominibus, quàm vt verbum suum per quod condidit omnia, faceret illis caput, & illos ei tanquam membra coaptaret, vt esset filius Dei, & filius hominis, & vnus Deus cum Patre, vnus homo cum hominibus; vt quando loquimur ad Deum deprecantes, non inde filium separemus; & quando precatur corpus filij, non a se separet caput suum, sitque vnus ipse Saluator corporis sui Dominus noster Iesus Christus filius Dei, qui & oret pro nobis, & oret in nobis, & oretur à nobis. Orat pro nobis, vt Sacerdos noster: orat in nobis, vt caput nostrum: oratur à nobis, vt Deus noster. *Generatum autem à Patre super omnem principatum, subiicit dum ait*, cùm eius sublimitatem diuinitatemque intuemur, quando audimus in principio erat Verbum, &c. intuentes hanc excelsam & supereminentissimam, & excedentem omnia creaturarum sublimia diuinitatem filij Dei, &c. *Ad quam B prouexit naturam nostram assumptam in quo velut Isaac filij liberæ geniti sumus. Quem locum exponit to. 4. lib. expos. ad Gal. cap.* 4. Ille de ancilla quæ Agar vocabatur, vetus Testamentum significat, id est populum veteris Testamenti, propter iugum seruile carnalium obseruationum, & promissa terrena, quibus irretiti, & quæ tantummodo sperantes de Deo, non admittuntur ad hæreditatem spiritalem cœlestis patrimonij. Non autem sufficit quòd de libera vxore natus est Isaac ad significandum populum hæredem noui Testamenti; sed plùs hic valet, quod secundùm promissionem natus est. *Et lib.* 15. *de Ciuit. cap.* 2. Inuenimus, *inquit*, in terrena ciuitate duas formas, vnam, suam præsentiam C demonstrantem, alteram cœlesti ciuitati significandæ suâ præsentiâ seruientem. Parit autem ciues terrenæ ciuitatis peccato vitiata natura; cœlestis verò ciuitatis ciues parit à peccato naturam liberans gratia: vnde ista vocantur vasa iræ, ista vasa misericordiæ. Significatum est hoc etiam in duobus filiis Abrahæ, quòd vnus de ancilla, quæ dicebatur Agar, secundùm carnem, &c. vterque quidem de semi-

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

ne Abrahæ: sed illum genuit demonstrans consuetudo naturam: istum verò dedit promissio significans gratiam. Ibi humanus vsus ostenditur, hîc diuinum beneficium commendatur. *Et cap. 3.* Natus est ergo Ismael sicut nascuntur homines, permixtione sexus vtriusque vsitatâ lege naturæ; ideo dictum est secundùm carnem: &c sed vbi significandum fuerat Dei donum, quod indebitum hominibus gratis gratia largiretur, sic oportuit dari filium, quemadmodum naturæ non debebatur excursibus, &c. quod ergo naturæ sic affectæ fructus posteritatis non debebatur, significat quòd natura generis humani peccato vitiata, ac per hoc iure damnata, nihil veræ fœlicitatis in posterum merebatur. Rectè igitur significat per repromissionem natus, filios gratiæ, ciues ciuitatis liberæ socios pacis æternæ; vbi sit, non amor propriæ ac priuatæ quodammodo voluntatis, sed communi, eodemque immutabili bono gaudens, atque ex multis vnum cor faciens, id est, perfectè concors obedientia charitatis.

S. Aug.

2. IN VETERI DISPOSITIONE. *Testamento, de quo Deus apud Psaltem.* Disposui testamentum electis meis. Quod disposuit ad Isaac, &c. IVDICABIT. *Esa. 2. 4.* Iudicabit gentes, 70. *inter gentes*, & arguet populos multos. TRADVCET, *vt ex occulto ignorantiæ producat in lucem veræ cognitionis & correctionis erroris pristini.* ET RVRSVS. *Esa. 51. 7.* Audite me qui scitis iustum, *quod iustum est*, populus meus, lex mea in corde eorum, &c. *Et supra versu 4.* Attendite ad me popule meus, & tribus mea me audite: quia lex à me exiet, & iudicium meum in lucem populorum requiescet. *Tertullianus secutus est 70. more suo.* NOVATIO, *lex noua. Cæteros scripturæ locos habes relatos alibi & expositos; de quibus consulendus est index Scripturæ. Diuersitatem vtriusque Testamenti, & vnum Authorem Deum, Tertulliano subscribit Aug. lib. de vera Religione cap. 17.* Quoniam, *inquit*, pietas timore inchoatur, charitate perficitur; populus timore constrictus tempore seruitutis in veteri lege, multis Sacramentis onerabatur. Hoc enim talibus vtile erat ad desiderandam gratiam Christi, quæ per Prophetas ventura canebatur. Quæ vbi venit, ab ipsa Dei sapientia homine assumpto, à quo in libertatem vocati sumus, pauca Sacramenta saluberrima instituta sunt, quæ societatem Christiani populi, hoc est, sub vno Deo liberæ multitudinis continerent. Multa verò quæ populo Hebræo, hoc est sub eodem vno Deo compeditæ multitudini erant imposita, ab actione remota sunt, in fide atque interpretatione remanserunt. Ita nunc nec seruiliter alligant, & exercent liberaliter animum. Quisquis autem ideo negat vtrumque Testamentum ab vno Deo esse posse, quia non eisdem Sacramentis tenetur populus noster, quibus Iudæi tenebantur, vel adhuc tenentur: potest dicere, non posse fieri, vt vnus pater familias iustissimus, aliud imperet eis quibus seruitutem duriorem vtilem iudicat, aliud eis quos in filiorum gradum adoptare dignatur. Si autem præcepta vitæ mouent, quòd in veteri lege minora sunt, in Euangelio maiora, & ideo putatur, non ad vnum Deum vtraque pertinere: potest qui hoc putat perturbari, si vnus Medicus alia per ministros suos imbecillioribus, alia per semetipsum valentioribus præcipiat, ad reparandam, vel obtinendam salutem. Vt enim ars Medicinæ cùm eadem maneat, neque vllo pacto ipsa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis est nostra valetudo: ita diuina prouidentia cùm sit omnino incommutabilis, mutabili tamen creaturæ variè subuenit, & pro diuersitate morborum alias

S. Aug.

A alia iubet aut vetat, vt à vitio, *morbo*, vnde mors incipit, & ab ipsa morte ad naturam suam & essentiam, ea quæ deficiunt, id est ad nihilum tendunt, reducat & firmet. *Et ep. 5. ad Marcellinum citato loco Ieremiæ 31 quem & hic protulit Tertullianus*; vt nouerint, *inquit*, homines quos hæc mouent iam hoc fuisse in ratione diuina, nec cùm ista noua constituerentur, subitò priora displicuisse, velut mutabili voluntate, sed hoc iam fixum & statutum fuisse in ipsa sapientia Dei, cui de maioribus etiam rerum mutationibus, eadem scriptura dicit, mutabis ea & mutabuntur, tu autem idem ipse es: insinuandum est eis, mutationem istam Sacramentorum Testamenti veteris & noui etiam prædictam fuisse propheticis vocibus. Ita enim videbunt, si poterunt, id quod in tempore nouum est, non esse nouum apud eum qui condidit tempora, & sine tempore habet omnia, quæ suis quibusque temporibus pro eorum varietate distribuit. *Subiicit locos Psaltis in hanc rem*; Legitur, *inquit*, ex persona Christi, non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus: hoc est pecorum victimis, quibus priùs congregabantur conuenticula Iudæorum. Et alibi dicit, non accipiam de manu tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Et alius Propheta, *Ieremia 31. 31.* Ecce inquit dies venient dicit Dominus, & confirmabo super domum Iacob Testamentum nouum, non sicut testamentum quod disposui patribus eorum, cùm eduxi eos de terra Ægypti: & alia multa sunt de hac re testimonia, quibus hoc Deum facturum esse prædictum est, quæ commemorare nunc longum est. Hîc iam si satis constitit, quod rectè alio tempore constitutum est, idem rectè alio tempore posse mutari, mutantis opere, non dispositione mutatâ, quam dispositionem intelligibilis ratio continet, vbi sine tempore simul sunt, quæ in temporibus simul fieri non possunt, quia tempora non simul currunt.

S. Aug.

B

S. Aug.

C

3. ILLVD FACIT. *Ad probandum vetus Testamentum eiusdem Dei Creatoris esse, cuius & nouum, in quo Paulus pro veteri tuendo loquitur.* SECVNDVM HOMINEM *Gal. 3.* Fratres, secundùm hominem dico, D *Syr. tanquam inter homines loquor*; tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat. *Syr. nemo reprobat, aut inuertit in eo quidquam*, Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit, & seminibus, quasi in multis: sed quasi in vno. Et semini tuo, qui est Christus. Hoc autem dico, Testamentum confirmatum à Deo. *Quasi diceret si certum, ratum, immutabile est hominis cuiusque testamentum, quod morte eius confirmatum est, nec reuocatum: quantò firmior Dei immutabilis fuit promissio facta Abrahæ de Christo nascituro de semine suo. D. Thomas in hunc locum.* Secundùm ea quæ humana ratio & consuetudo habet, hominis confirmatum testamentum nemo spernit, &c. quia nihil E humanum tantam firmitatem habet sicut vltima voluntas hominis, &c. Si ergo testamentum huiusmodi nemo spernit, dicens, non esse seruandum; aut spernit, aliquid mutando: multò magis testamentum Dei nullus spernere debet, aut superordinare, infringendo illud, vel addendo. *Apoc. vltimo.* Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in isto libro: & si quis diminuerit de verbis Prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de Ciuitate sancta, & de his quæ scripta sunt in libro isto. *Deut. 4.* non addetis ad verbum quod vobis loquor, neque auferetis, &c. Abrahæ dictæ sunt promissiones, quasi dicat, sicut testamentum hominis est firmum, ita promissiones diuinæ firmæ sunt. *Aug. in Psal. 144.* Fidelis Dominus in omnibus verbis suis. Quid

S. Aug.

enim promisit & non dedit? &c. possumus illi credere tantummodo dicenti. Noluit sibi credi dicenti, sed voluit teneri Scripturam suam sanctam, &c. etenim quia generatio vadit, & generatio venit, & sic transcurrunt ista sæcula, cedentibus succedentibusque mortalibus; Scriptura Dei manere debuit, vt quoddam Chirographum Dei, quod omnes transeuntes legerent, & viam promissionis eius tenerent. Et quanta sunt quæ reddidit ex isto Chirographo? &c. *recenset promißionem spiritus, gloriam martyrum, regum conuersionem, &c. impletam; inter quæ etiam;* in ipso Chirographo habes promissum vnicum filium, cui non peperci, sed pro vobis omnibus tradidi eum. Iam computa in S. Aug. redditis, lege Chirographum, &c. *Ertc. 4. in hunc locum Gal.3.* Etiam, *inquit*, testamenti humani mentionem facit, quod vtique multò est infirmius quàm diuinum. Tamen hominis confirmatum testamentum, *inquit*, nemo irritum facit, aut superordinat: quia cùm testator mutat testamentum, non confirmatum mutat: testatoris enim morte confirmatur; *Hebr. 9.15. Et ideo noui testamenti mediator est: vt morte intercedente, Syr. vt per mortem suam fieret redemptio iis qui transgreßi fuerant testamentum primum, vt illi promißionem consequantur, qui vocati sunt ad hæreditatem æternam. Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris, &c.* quod autem mors testatoris valet ad confirmandum testamentum eius, quia consilium mutare iam non potest: hoc incommutabilitas promissionis Dei valet ad confirmandam hæreditatem Abrahæ, cuius fides deputata est ad iustitiam. *Testamentum*

A *porrò fiue pactum æternum, pactum salis in Scriptura dicitur: sicut 2. Paral. 13. 5.* Num ignoratis quòd Dominus Deus Israel dederit regnum Dauid super Israel in sempiternum, ipsi & filiis eius in pactum salis? *vbi Hugo Cardinalis:* pactum salis id est pactum conditum, & firmum. *Vnde Hiero.* pactum, *inquit*, salis pro lege poni solet, quæ omnium condimentum est; & ideo hîc ponitur pro domo Dauid quæ vniuerso Israeli condimentum fuit. *Estius hoc loco:* Nota, *inquit*, fœdus Dei perpetuum, pactum salis vocauit. Nempe, quia sicut sal arcet corruptionem, ita pactum huiusmodi erit inuiolabile. Alij referunt ad sacrificium, cuius interuentu solebant olim fœdera percuti, seu sanciri. Ipsum autem sacrificium sine sale non peragebatur. Vide B Leuitici cap. 2. *Pagninus ex Hebr. legit:* pacto salis. 70. testamento salis. *Hinc & ignis æterni pœna & sacrificium iustitiæ sempiternæ sale etiam exprimitur. Marci 9. 48.* Omnis, *inquit*, igne salietur, & omnis victima sale salietur. *Et ibid. versu 49. fœdus pacis Christianorum æternum iungit sali.* Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos. *Cùm itaque Christus filius Dauid factus fuerit pax nostra & iustitia, Sacerdos & victima æterna, regnaturus in æternum in domo Iacob, cuius regni non erit finis, cui Deus statuit testamentum pacis, testamentum sempiternum; idem ipse sal terræ, ipse sapientia Patris est in quo statutum est nobis pactum salis. Vt cum illo si fideles fuerimus regnum pacis & gloriæ æternum habeamus: si autem pacti cum eo nostri prævaricatores fuerimus, vt victima saliendæ æterno igni deputemur.*

4. *Testamento temporalia magis quàm æterna commendare, pudeat Christianum.*
1. *ad Vxo. cap. 1. in p.*

DIgnum duxi, dilectissima mihi in Domino conserua, quid tibi sectandum sit post discessum de seculo meum, si prior te fuero vocatus, iam hinc prouidere, vt prouisum obserues, mandare fidei tuæ. Nam sæcularibus satis agentes sumus, & vtrique nostrûm consultum volumus. talibus tabulas ordinamus, cur non magis de diuinis atque cœlestibus posteritati nostræ prospicere debeamus, & legatum quodammodo prælegare, admonitionem & demonstrationem eorum, quæ ex bonis immortalibus & hæreditate cœlorum deputantur? Tu modo vt solidum capere possis hoc meæ admonitionis ac fideicommissum, Deus faciat, [a] *cui sit honor, gloria, claritas, dignitas, & potestas & nunc & in sæcula sæculorum.* a Apoc.5.13. & 7.12

TESTAMENTO TEMPORALIA. 4. SCHOL.

COnserva. *Non tantùm in matrimonij, sed & Christi seruitutis iugo socia.* Mandare. *Dignum duxi commendare fidei tuæ, vt obserues quod tibi prouideo bonum seruandæ continentiæ vidualis.* Satis agentes. *Satagentes, solliciti satis sumus, tam viri quam coniuges in prouidendis rebus temporalibus, mutuò legando bona terrena. Et tabulas testamentarias de huiusmodi friuolis inscribimus, cùm potiùs, vt potiora, bona cœlestia charioribus nobis, quasi anticipato legato, admonitionibus salutiferis scripto etiam relinquere deberemus.* Faciat Deus, *vtinam Deo inspirante, capias huius admonitionis opera de seruandâ post obitum meum continentiâ viduali, solidum ac plenum fidei commissum. Prælegatum autem dixit, quòd præ cæteris bonis hæreditate poßidendis, cæleste continentiæ bonum ei tradat, vt velut hæredem ex asse, hoc est in solidum, non ex semisse, triente, vel quadrante relinquat.* Fideicommissum est liberalitas quâ quid verbis precariis, vel alio quocumque indicio precariæ voluntatis, testamento, vel codicillis, vel epistola, vel quo alio genere vltimi iudicij confertur in aliquem. Ideo autem sic appellatur, quia nullo

C vinculo, sed tantùm pudore eorum qui rogabantur, continebatur. *Institut. de fideicom. hæred. in p. Vlpianus autem sic definit;* fideicommissum est, quod non ciuilibus verbis, sed precatiuè relinquitur, nec ex rigore Iuris ciuilis proficiscitur, sed ex voluntate datur relinquentis. *Fideicommissorum autem alia sunt vniuersalia, quibus patrimonium totum hæres alij restituere rogatur. Alia singularia, quæ sunt rerum particularium, quas huic, vel illi fideicommissarius restituere rogatur. In codicillis autem relictorum fideicommissorum, fauor magnus est, teste Cuiacio in notis ad libruus 2. instit. de fideicommiss. hæredit. in fine* adeò vt omnimodo præstentur ab hærede, qui fateatur se rogatum, etiamsi nullus sit adhibitus testis, vt inficiator iurare compellatur, & recusans iurare, pro confesso habeatur. *Solidum porrò capere non posse dicuntur, qui totum quod eis relinquitur, capere & acquirere non possunt. L. 6. ff. de vulgar. & pupil. l. 37. ff. de hæred. institut. &c. hinc non in rigore sumenda vox, quam subiicit Tertullianus hoc loco:* præcipio igitur tibi, quanta continentia potes, post excessum nostrum, renunties nuptiis, nihil mihi isto nomine

collatura, nisi quod tibi prodereis. *Cùm enim rogare deberet, videtur præcipere; sed præceptorem & magistrum docendo potiùs, quàm iubendo Dominum, in hac causa se præbet; vt potiùs sit consilium, quàm præceptum.* Porrò cùm teste Sapiente, non sit digna ponderatio continentis animæ, & nemo eam seruare possit, nisi Deus dederit, *iure Deum precatur hic Tertullianus, vt vxor solidum hoc bonum hæreditare possit. Sæpiùs iam ex Augustino tractatu de excellentia continentiæ; hæc ad abundantiam superadiicio, quæ habet to. 6. lib. 2. de adulterinis coniugiis ad Pollentium, cap. 18. vbi cùm de Eunuchis castrantibus se propter regnum cælorum, conclusisset cum Christo:* Qui potest capere

S. Aug. capiat. *Statim infert:* Ergo qui potest, capiat, quod non omnes capiunt. Possunt autem capere quibus hoc præstat Dei misericordia occulta, sed non iniusta, &c. sed qui post concubitum coniugum, seipsos castrant propter regnum cœlorum, aut morte amittunt coniuges, aut ex consensu cum eis continentiam profitentur, *vt fecerat Tertullianus factus Presbyter*, aut ex necessitate diuortiorum, ne viuis coniugibus, se aliis copulando adulteria perpetrent, castrant seipsos propter regnum cœlorum, non vt clariores ibi esse possint, sed quòd aliter ibi esse non possint; nam qui non istâ necessitate se continent, sed boni appetitione melioris, possent ibi esse, etiam seruatâ pudicitiâ coniugali, quamuis in præmiis minoribus, tamen intus, &c non eos terreat sarcina continentiæ: leuis erit si Christi erit: Christi erit, si fides aderit, quæ impetrat a iubente, quod iusserit. Non eos frangat, quod videtur eorum continentia necessitatis esse, non voluntatis; quia & illi qui eam voluntate delegerunt, fecerunt eam esse necessitatis, *ob vinculum voti*, quoniam iam sine damnatione ab illa deuiare non possunt: & qui in eam necessitate contrusi sunt, *diuortio propter adulterium, aut grauem infirmitatem*, faciunt eam esse voluntatis, si non de seipsis, sed de illo, à quo est bonum omne, confidunt. Illi ad eam conscenderunt causâ maioris gloriæ vt aliquid amplius inuenirent: isti ad eam confugerunt curâ salutis nouissimæ, ne perirent: vtrique permaneant: vtrique in quod peruenerunt ambulent vsque in finem: feruean studiis, supplicent votis: quia & illis salus cogitanda est; vt ab eo quod voluntas arripuit, cadere timeant: & istis gloria desperanda non est, si in eo quod necessitas intulit, persistere deligant. Fieri enim potest, vt Deo terrente & hortante, conuertente & implente, humanus in melius mutetur affectus: atque ita voueant sine coniugiis, & sine vllo concubitu, atque immundâ libidinis attrectatione perseuerantissimè viuere: vt etiam si separata coniugia locum ducendi alias, moriendi aperuerint, claudatur ex voto, quod pateret ex illicito, & quod erat necessitate cœptum, fiat charitate perfectum. Talibus profectò id retribuetur, quod illis, qui vel pari consensu cum coniugibus hoc vouerunt, vel nullis coniugiis alligati, propter maius bonum, continentiam delegerunt. *Hæreditatem quidem cælestem omnes electi possidebunt, sed gradu eminentiori continentes, vtpote* Eunuchi nomen melius à filiis & filiabus obtinentes. *Idem Aug. ser. 13. de ver. Domini in verba Pauli Rom. 8.* Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quia sumus filij Dei. Si autem filij & hæredes. Non enim, inquit, inaniter filij. *Sed vt ait Tertull. in solidum.* Hæc est merces; & hæredes. Quia medicus noster S. Aug. & sanitatem nobis donat, *refrigerans morbum concupiscentiæ dono continentiæ*, & mercedem insuper largiri dignatur. Quæ est illa merces? hæreditas: sed non quomodo est hominis patris hæreditas. Relinquit enim filiis suis, *vel vir vxori* non possidet cum filiis suis. Et tamen magnum se facit, & gratias sibi agi desiderat, quia voluit dare, quod non possit auferre. Moriens enim tolleret secum; puto, quia si posset, nihil hic filiis suis dimisisset. Hæredes Dei sic sunt, vt ipse Deus sit hæreditas nostra, cui dicit Psalmus, Dominus pars hæreditatis meæ. *Quæ in solidum datur viro & vxori continentibus. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Hæredes quidem Dei: *vnde idem Aug. alibi: possidebis totum, totus & integer.* Si parum vobis est, S. Aug. audite quo amplius gaudeatis; hæredes quidem Dei cohæredes autem Christi.

TESTIMONIVM ET TESTIS.

1. *Testimonium de seipso, nullum est.* 5. *cont. Marc. cap. 1. à p.*

PLanè profiteri potest semetipsum quiuis. Verùm professio eius alterius auctoritate conficitur: alius scribit, alius subscribit, alius obsignat, alius actis refert. Nemo sibi & professor, & testis est. Præter hæc vtique legisti, [a] *multos venturos qui dicant, Ego sum Christus.* Si est qui se Christum mentiatur, quantò magis qui se Apostolum prædicet Christi?

[a] Luc. 21. 8.

3. *Testes tres ad rei probationem, in vtraque lege.* 4. *cont. Marc. cap. 22. à p.*

V. Verbum. Christi magnalia. 6. circa m.

TESTIMONIVM ET TESTIS. SCHOL.

PROFITERI POTEST. *De seipso testimonium reddere, siue profiteri nomen & genus suum.* ACTIS REFERT. *Instrumentis publicis.* NEMO SIBI TESTIS. *Inde & ipse Christus Io. 5.* Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est ve-

S. Aug. rum. *De quo sic Aug. ser. 43. de verbis Domini.* Quomodo ergo non est verum testimonium veritatis? nonne ipse est qui dixit, ego sum via, veritas & vita? cui ergo credendum est si veritati non est credendum? profectò enim non vult credere nisi falsitati, qui non eligit credere veritati. Dictum ergo hoc secundum ipsos, vt sic intelligas, & ex his verbis hunc sensum concipias. Si ego testimonium, &c. id est sicut putatis. Ille enim nouerat verum esse de se testimonium suum: sed propter infirmos, propter incredulos, propter non intelligentes Sol lucernas quærebat. Fulgorem quippe Solis lippitudo eorum ferre non poterat. Ideo quæsitus est Ioannes qui testimonium perhiberet veritati, &c. ille erat lucerna ardens, &c. lucerna ista ad illorum confusionem parata est, quia de hoc dictum est ante tantum tempus in Psalmis, paraui lucernam Christo meo. Vt quid lucernam Soli? vt inimicos eius induam confusione, &c. Martyres nonne testes sunt Christi, & testimonium perhibent veritati? &c. audi vnum ex Martyribus ipsum Apostolum Paulum;

lum; nunquid experimentum vultis accipere eius qui in me loquitur Christus? dum perhibet ergo testimonium Ioannes, Christus sibi perhibet testimonium qui habitat in Ioanne. Perhibeat testimonium Petrus, perhibeat testimonium Paulus, perhibeant cæteri Apostoli, perhibeat Stephanus: ipse sibi perhibet testimonium, qui habitat in omnibus. *Quin & ipse Spiritus sanctus in Apostolis de Christo testimonium perhibuit, quia de illo acceperat.* SE APOSTOLVM PRÆDICET, *sicut facit Marcion. Hic locus torqueri potest contra superbos, seipsos iactantes, & laudis humanæ cupidos. De quib. Aug. lib. 12. de Ciuit. cap.* 8. Nec iactantia, *inquit*, vitium est laudis humanæ, sed animæ peruersè amantis laudari ab hominibus, spreto testimonio conscientiæ. *Et in Psal.* 144. *in versum*, generatio & generatio laudabit opera tua, & virtutem tuam annuntiabunt. Opera, *inquit*, celebrantur, de operatore tacetur. Ego in operibus volo laudare Creatorem, ingratum non amo laudatorem. Laudas quidquid fecit, taces de illo qui fecit? quasi verò nisi ille tantus esset, inuenires quod laudares. In eo quod vides quid ibi laudatur species, vtilitas, aliqua virtus, aliqua potentia rerum istarum. Si pulchritudo te delectat, quid pulchriùs faciente? si vtilitas laudatur, quid illo vtilius qui fecit omnia? si virtus laudatur, quid potentius à quo facta sunt omnia? à quo etiam facta non dimittuntur, sed reguntur & gubernantur omnia; non ergo quemadmodum quidam eloquentes muti, *de quibus in Confess.* 28. *væ, inquit, tacentibus de te, quoniam loquaces muti sunt.* Laudantes creaturam, obliuiscentes Creatorem. Non sic te laudat generatio & generatio in seruis tuis, cùm laudat opera tua. Sed quomodo laudat? & virtutem tuam annuntiabunt. In laudandis operibus tuis, virtutem tuam annuntiabunt. Laudatores isti

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

A sancti, & boni, & fideles, veri laudatores, non ingrati gratiæ, cùm laudant opera Dei, hæc atque illa, summa & ima, cœlestia & terrestria, inter ipsa opera Dei quæ laudant, & seipsos inueniunt, quia in operibus Dei & ipsi sunt. Qui enim fecit omnia, ipse nos fecit inter omnia. Proinde si laudes opera Dei, & te laudaturus es, quia & tu opus Dei es. Vbi est ergo, non te laudet os tuum? Prouerb. 27. 1. Ecce inuentum est, quomodo & te laudare possis, & arrogans non sis. Deum in te lauda, non te. *In Domino laudabitur anima mea*; non quia tu es talis, sed quia ille fecit te talem: non quia tu aliquid potes, sed quia potest in te ille, & per te: ac per hoc laudabunt te, & virtutem tuam annuntiabunt, non suam sed tuam. Discite ergo laudare. B Intuentes opera, miramini artificem, gratias agendo, non arrogando. Laudate quia ipse fecit, quia sic constituit, quia talia donauit. Denique vide quæ sequuntur: virtutem tuam, inquit, annuntiabunt, & magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt, & virtutem metuendorum tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt, &c. non nisi tuam. Iste operum considerator, vide si deflexus est ab operante ad opus: vide si decidit ab eo qui fecit, ad ea quæ fecit. Ab his quæ facta sunt, gradum sibi fecit ad eum, non ab illo ad ista casum. Si enim amaueris hæc plusquam illum, non habebis illum. Et quid tibi prodest abundare operibus, *rebus creatis à Deo*, si te deserit operator? *Ergo Deo & de nobis, & de omnibus creatis bonis, testimonium laudando perhibendum; nec sibi quid arrogando, iactandum; nec aliis nobis testimonium perhibentibus gloriandum.* Non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat.

TIMOR PROBROSVS.

1. *Timere persecutionem, eamque fugere ex confusione fidei, quodammodo probrosius est, quàm negare fidem vi tormentorum. De fuga in perseq. cap. 10. in p. ad m. V. verbum fuga in perseq. in Alphab. Errorum num. 6. & seq.*

TIMOR GEHENNÆ.

1. *Timorem Dei Creatoris Christus inculcat. 4. cont. Marc. cap. 28. à p.*

CONuersus ad discipulos; [a] *Dico autem*, inquit, *vobis amicis meis, nolite terreri ab eis qui vos solummodo occidere possunt, nec post hoc vllam in vobis habent potestatem.* sed iis erit Esaïas prædicens, [b] *Vide quomodo iustus aufertur, & nemo aduertit.* [c] *demonstrabo autem vobis quem timeatis. timete eum, qui postquam occiderit, potestatem habet mittendi in gehennam;* Creatorem vtique significans. *itaque dico vobis, hunc timete.* Et hoc in loco sufficeret mihi, si, quem timeri iubet, offendi vetat; & quem offendi vetat, demereri iubet; & qui hæc mandat ipsius est, cui timendo, & non offendendo, & demerendo procurat.

a Luc. 12. 4. *b* Esa. 57. 1. *c* Luc. 12. 5. *Ibid.*

2. *Timendus Deus, cuius timetur Apostolus, iudicium ponens in tribus testibus. 5. cont. Marc. cap. 12. in f.*

QVid & formam Legis adhuc tenet Galatarum castigator, [a] *in tribus testibus præfiniens staturum omne verbum*? Quid & non parsurum se peccatoribus comminatur, lenissimi Dei prædicator? Immò & ipsam duriùs agendi in præsentia potestatem à Domino datam sibi adfirmat. Nega nunc, hæretice, timeri Deum tuum, cuius Apostolus timebatur.

Gal. 1. 6. & 3. 1. *a* 2. Cor. 13. 1. Deut. 19. 15. 2. Cor. 13 10.

3. *Timor sanctus soli Deo consecrandus. V. verbum Martyrium num. 8.*

4. *Et ad Scap. cap. 5. circa f.*

[a] MAgistrum neminem habemus, nisi Deum solum. Hic ante te est, nec abscondi potest, sed cui nihil facere possis. Ceterùm quos putas tibi magistros, homines sunt, & ipsi morituri quandoque.

a Matth. 23. 8. 10.

TIMOR DEI. 1. 2. SCHOL.

NOLITE TERRERI. *Luc.* 12. 4. Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent ampliùs quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete. SED IIS, *eisdem Apostolis amicis Dei familiariter locutus est Deus per Esaiam cap.* 57. 1. *vt eos ad exemplum Christi, & ad mortis tolerantiam animaret*: iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo. 70. *autem*; videte quomodo iustus periit, & nemo suscipit corde. IPSIVS EST, *Dei scil.. Creatoris filius, cuius negotia procurat, & ad eius timorem & reuerentiam sicut ad amorem inuitat vtroque testamento.*

2. FORMAM LEGIS. *Vt alibi vidimus ex Deut.* 19. 15. *Si Paulus, inquit, Dei Creatoris Apostolus non esset, Galatas vt seuerus, non castigaret, nec iuxta formam veteris legis in tribus testibus omne verbum statutum diceret; nec minaretur peccatoribus, si lenißimi Dei Marcionis Apostolus esset; nec diceret,* 2. *Cor.* 13. 10. Ideo hæc absens scribo, vt non præsens duriùs agam, secundùm potestatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem. DEVM TVVM. *Authorem noui Testamenti, quem tuum esse vis; agnosce & eum timendum, cuius Apostolus sit timendus.*

4. MAGISTRVM. *Hinc Christus* vnus est Magister vester. ANTE TE. Non longè est ab vnoquoque nostrum, in ipso enim viuimus. Viuit Dominus in conspectu cuius sto. NEC ABSCONDI POTEST. Inuisibilia enim Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intelliguntur, &c. HOMINES SVNT. *Imperatores, qui vt magistri dominantur gentium, mortales sunt homines. Vnde hoc vnum concludere vult cum Paulo. Hebr.* 10. 31. Iudicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. *Vel vt habet Syriaca*, magna est formido incidere, &c. *De timore Dei iuxta suprà citatum locum Luc.* 12. *Aug. to.* 7. *lib. de gratia & lib. arbitrio. cap.* 18. *vbi eum non inter parua dona computat, adducto loco Pauli.* 2. *Tim.* 1. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & charitatis, & continentiæ. *Vbi statim admonet.* In quo sanè Apostoli testimonio, cauere debemus, ne nos arbitremur non accepisse spiritum timoris Dei, quod sine dubio magnum est Dei donum: de quo dicit Propheta Esaias, requiescet super eum spiritus timoris Domini: non quo timore Petrus Christum negauit; sed illius timoris spiritum accepimus, de quo dicit ipse Dominus Christus: eum timete, qui habet potestatem, &c. ita dico vobis, hunc timete. Hoc autem dixit, ne illo timore negaremus eum, quo turbatus est Petrus. Hunc enim auferri voluit à nobis, cùm priùs dixit, nolite timere eos qui corpus occidunt, &c. huius timoris non accepimus spiritum, sed virtutis, &c. de quo spiritu idem ipse ad Romanos ait: gloriamur in tribulationibus, &c. *Et ser.* 18. *de verb. Apost. ex Math.* 10. Nolite timere eos, &c. Ecce, *inquit*, quem times, & sub cuius comminationibus expallescis, non potest occidere animam tuam: vsque ad corpus sæuit, tu noli sæuire in animam tuam. Ab illo occidi non potest, à te potest; non lanceâ, sed linguâ. *Negante cum Petro*: inimicus qui te percutit, finit hanc vitam: os autem quod mentitur, occidit animam. Ex his ergo quæ in hoc tempore homines timent, coniiciant quæ timere debeant. Timet enim carcerem, & non timet gehennam? timet quæstionarios tortores, & non timet Angelos infernales? timet cruciatum temporalem, & non timet pœnas ignis æterni? postremò, timet ad modicum mori, & non timet in æternum mori? &c. Sæuiat igitur inimicus, minetur mortem, faciat si permittitur, excludat de carne animam tuam: anima tua non excludat à se vitam suam. *Deum scilicet & eius gratiam de qua Paulus*; gratia autem Dei vita æterna. *Et to.* 6. *libro* 14. *cont. Faustum cap.* 12. *vbi loquitur de homine coacto à Gentili Imperatore, sub pœna suspensionis Solem adorare.* Sicut mors est corporis in ligno pendere, ita mors animi est, Solem adorare. Eligendum est igitur maledictum in corporis morte, quo maledicto & ipsum corpus in resurrectione liberabitur: deuitandum autem maledictum in animæ morte, ne cum suo corpore in æterno igne damnetur. Hanc enim quæstionem nobis Dominus soluit dicens, nolite timere eos, &c. tanquam diceret, nolite timere maledictum corporalis mortis, quod temporaliter soluitur: sed timete maledictum spiritalis mortis, per quod anima in æternum cum suo corpore cruciatur.

S. Aug. S. Aug. S. Aug.

5. *Timor, salutis fundamentum est; præsumptio, perditionis.* 2. *de cult. fœm. cap.* 2. *à p. ad m.*

DEbemus quidem ita sanctè, & totâ fidei substantiâ incedere, vt confisæ & securæ simus de conscientia nostra, optantes perseuerare id in nobis, non tamen præsumentes. Nam qui præsumit, minùs iam veretur; qui minùs veretur, minùs præcauet; qui minùs præcauet, plùs periclitatur. Timor, fundamentum salutis est: Præsumptio, impedimentum timoris. Vtiliùs ergo si speremus nos posse delinquere, quàm si præsumamus non posse. sperando enim timebimus, timendo cauebimus, cauendo salui erimus: contrà si præsumamus, neque timendo, neque præcauendo salui erimus. Qui securus agit, non & sollicitus, non possidet tutam & firmam securitatem. At qui sollicitus est, is verè poterit esse securus. Et de suis quidem seruis Dominus pro misericordia sua curet: vt etiam præsumere illis de bono suo feliciter liceat.

6. *Timor Dei, vitam ordinat; defectus eius apud hæreticos laxat habenas peccatis. De Præscr. cap.* 43. *à p. ad f. &* 44. *in p.*

NEgant Deum timendum. Itaque libera sunt illis omnia & soluta. Vbi autem Deus non timetur, nisi vbi non est? Vbi Deus non est, nec veritas vlla est. Vbi veritas nulla est, meritò & talis disciplina est. At vbi Deus, ibi metus in Deum, qui est [a] *initium sapientiæ*. Vbi metus in Deum, ibi grauitas honesta, & diligentia attonita, & cura sollicita, &

a Ps. 110. 10.

adlectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & subiectio religiosa, & apparitio deuota, & processio modesta, & Ecclesia vnita, & Dei omnia. Proinde hæc pressioris apud nos testimonia disciplinæ ad probationem veritatis accedunt: à qua deuertere nemini expedit, qui meminerit futuri iudicij, quo [b] *omnes nos necesse est apud Christi tribunal astare, reddentes rationem*, in primis ipsius fidei. Quid ergo dicent qui illam stuprauerint adulterio hæretico, virginem traditam à Christo?

CAPVT XLIV. [b] 1. Cor. 5. 10.

7. Timoris habenâ carens, in omne scelus erumpit. 1. cont. Marc. cap. 27. in m.

AGe itaque, qui Deum non times quasi bonum, quid non in omnem libidinem ebullis? summum, quod sciam, fructum vitæ, omnibus qui Deum non timent: quid non frequentas tam solemneis voluptates circi furentis, & caueæ sæuientis, & scenæ lasciuientis? quid non & in persecutionibus statim oblata acerra, animam negatione lucraris? Absit, inquis, absit. Ergo iam times delictum, & timendo probasti illum timeri, qui prohibet delictum: Aliud est, si eadem Dei tui peruersitate, quem non times, obseruas, quâ & ille quod non vindicat, prohibet.

8. Sine timore Dei nulla emendatio. De Pœnit. cap. 2. in p.

SI Dei, ac per hoc rationis quoque compotes agerent, merita primò pœnitentiæ expenderent, nec vnquam eam ad argumentum peruersæ emendationis adhiberent: modum denique pœnitendi temperarent, quia & delinquendi tenerent, timentes Dominum scilicet. Sed vbi metus nullus, emendatio proinde nulla: vbi emendatio nulla, pœnitentia necessariò vana: quia caret fructu suo, cui eam Deus seuit, id est, hominis saluti.

TIMOR, SALVTIS, &c. 5. 6. 7. & 8. SCHOL.

TOTA FIDEI SVBSTANTIA. *De qua Paulus:* fides est substantia rerum sperandarum. *Sed etiam timendarum; vt sit plena fidei substantia.* CONFISÆ. *Induit personam mulierum castarum. Alij legunt,* confessæ, *quasi, professa.* DE CONSCIENTIA. *Quæ si verè casta sit, etiam erumpit in externum cultum moderatum.* PERSEVERARE ID. *Illud bonum castitatu & continentiæ.* NON PRÆSVMENTES. *Quia Dei donum est. Nec quisquam sibi illud arrogare potest.* MINVS VERETVR, *præsumptio inuerecundum facit, & minus timidum in seruanda continentia, vereri enim proprium est ingenuorum, qui honestatis gratiâ mouentur.* TIMOR FVNDAMENTVM. *Idem titulo sequenti habet alijs verbis;* Initium sapientiæ timor Domini. SI SPEREMVS. *Pro, timeamus, vel saltem dubitemus; vel simus cum aliqua formidine cadendi.* PRO MISERICORDIA. *Inculcat, non in natura iam corrupta, sed in Dei misericordia esse præsumendum de bono continentiæ,* vt qui gloriatur, in Domino glorietur: & beatus homo qui semper est pauidus.

6. NEGANT. *Supple hæretici.* DILIGENTIA ATTONITA. *Quasi adtonitus, cum tremis, & à voce Domini, & facie eius diligenter curritur; & sedulo vacatur bonis Christianæ disciplinæ operibus.* ADLECTIO EXPLORATA. *Id est assumptio ad sacros ordines fit cum diligenti examine. Ita & lib. de Idolo. cap. 7.* Adleguntur in ordinem Ecclesiasticum. *Quia tum nullus in clerum assumebatur nisi totius plebis consensu. Vnde Cypr. de Aurelij Ordinatione;* In ordinationibus, *inquit*, clericis solemus nos ante consulere, & mores ac merita singulorum communi consilio ponderare. COMMVNICATIO DELIBERATA. *Vt maturè consultetur, & deliberetur, an digni sint qui promouentur ad sacros ordines.* PROMOTIO EMERITA. *Emeriti dicuntur milites, qui sunt exauctorati, hoc est militiæ Sacramento soluti, quibus iam donatiuum est solutum. Vel qui impletis stipendiis, labore militiæ soluuntur. L. 1. ff. de excus. tut. l. vlt. C. de his qui non implet. stip. l. 2. §. 2. de his qui not. infam. Emeritum autem, præmium est & commodum finitæ militiæ, veteranis dari solitum. l. 3. §. 8. ff. de re milit. & §. 12. l. 3. §. 7. ibid. Promotio igitur dicitur eius qui ex inferiori* A *gradu in Episcopum assumitur, quod de solis emeritis in suis Ecclesiis Canones præcipiunt, cap.* nec emeritis 61. *dist. vnde Cypr. de Numidico sic fatur:* Et promouebitur quidem, cùm Deus permiserit, ad ampliorem gradum religionis suæ. *Communicationem deliberatam referre potest ad eam de qua Tertull. lib. de Præscr. cap. 32. vbi de hæreticis:* Nec recipiuntur, *inquit*, in pacem & communicationem ab Ecclesiis quoquomodo Apostolicis. APPARITIO DEVOTA. *Ad ministrandum scilicet, Episcopo; cum Religiosa submissione apparent, & seruiunt Episcopo, adstantes Diaconi Subdiaconi, &c. cum reliquo Clero, & præcedente Cruce, cum magna populi modesti frequentia, fit processio simul collecta Ecclesia. De qua processione intelligendus* B *Augustinus lib. 22. de Ciuit. cap. 8. circa f. vbi de miraculis Stephani, interque cætera de Paulo & Palladia sorore ad reliquias eiusdem, ab horribili tremore liberatis.* Inde, *inquit*, ad me curritur, vbi sedebam iam processurus, &c. procedimus ad populum, plena erat Ecclesia, personabat vocibus gaudiorum. PRESSIORIS, *exactioris.* VIRGINEM TRADITAM. *Incorruptam enim & integram fidem à Christo in baptismo accepimus.* S. Aug.

7. QVASI BONVM. *Marcionem pungit, gloriantem de Deo suo tantummodo bono, proindeque non timendo.* CIRCI FVRENTIS. *Vide dicta supra, de spectaculis Circi, de impetu currentium & equorum.* CAVEÆ SÆVIENTIS. *Amphitheatri, in quod è caueis feræ &* C *gladiatores certaturi educebantur.* SCENÆ LASCIVIENTIS. *In theatro, in quo mimi, & actores, verbis & gestibus impudicis libidinosorum oculos, aures, animosque pascebant.* ANIMAM LVCRARIS. *Vitam redimis, per negationem fidei, & thus offerens Idolis.* EADEM PERVERSITATE. *Tu Marcion, Dei tui præposteri peruersitatem imitaris; qui vt delicta prohibet, quæ non punit; sic tu eum colis quem non times: quod vtrimque peruersum est.*

8. SI DEI COMPOTES. *Si rationabile obsequium exhiberent Deo, qui pœnitentiam agunt; primò quidem nunquam eam sic peruersè agerent, vt eos actæ pœnitentiæ pœniteret; Secundò sic formarent sua pœnitentiæ modum, vt finem peccandi facerent, timore Dei ante*

AD EANDEM. *De eadem terra dictum est, quam Deus à cœlo distinxit, cùm dictum est:* In principio creauit Deus cœlum & terram. *Augustinus lib. 12. Confess. c. 22. in f. Terram non esse materiam Deo coæternam asserit his verbis.* S. Aug. Si, *inquit*, aliquid Genesis tacuit Deum fecisse, quod tamen Deum fecisse, nec sana fides, nec certus ambigit intellectus, nec ideo vlla sobria doctrina dicere audebit, istas aquas coæternas Deo, quia in libro Geneseos commemoratas quidem audiuimus, vbi autem factæ sint, non inuenimus. Cur non informem quoque illam materiam, quam scriptura hæc terram inuisibilem & incompositam, tenebrosamque abyssum appellat, docente veritate intelligamus ex Deo factam esse de nihilo; ideoque illi non esse coæternam, quamuis vbi facta sit, omiserit enuntiare ista narratio? *Et lib. 1. de Gen. cont. Manich. cap. 7.* S. Aug. Informis illa materia quam de nihilo Deus fecit, appellata est primò cœlum & terra; & dictum est, in principio fecit Deus cœlum & terram: non quia iam hoc erat, sed quia hoc esse poterat. Nam & cœlum scribitur postea factum. Quemadmodum si semen arboris considerantes, dicamus ibi esse radices & robur, & ramos, & fructus, & folia, non quia iam sunt, sed quia inde futura sunt. Sic dictum est, in principio fecit Deus cœlum & terram, quasi semen cœli & terræ, cùm in confuso adhuc esset cœli & terræ materia. Sed quia certum erat inde futurum esse cœlum & terram; iam & ipsa materia cœlum & terra appellata est, &c. hanc autem adhuc informem materiam, etiam terrã inuisibilem atque incompositam voluit appellare, quia inter omnia elementa mundi, terra videtur minus speciosa quàm cætera. Inuisibilem autem dixit, propter obscuritatem; & incompositam, propter informitatem. Eamdem ipsam materiam etiam aquam appellauit, super quam ferebatur Spiritus Dei, sicut superfertur rebus fabricandis voluntas artificis, &c propterea verò non absurdè etiam aqua dicta est ista materia, quia omnia quæ in terra nascuntur, siue animalia, siue arbores vel herbæ, & si qua similia, ab humore incipiunt formari atque nutriri, &c.

A Dictum est ergo cœlum & terra, quia inde futurum erat cœlum & terra: dicta est terra inuisibilis & incomposita, & tenebræ super abyssum, quia informis erat, & nulla specie cerni aut tractari poterat, etiamsi esset homo qui videret atque tractaret. Dicta est aqua, quia facilis & ductilis subiacebat operanti, vt de illa omnia formarentur. Sed sub his omnibus nominibus materia erat inuisa & informis, de qua Deus condidit mundum. *Vide quæ habet idem Aug. to. 3. lib. de Gen. ad lit. imperfecto cap. 4. & lib. 1. de Gen. ad lit. cap. 13 & 14.* Quoniam, *inquit*, manifestum est, omne mutabile ex aliqua informitate formari, simulque illud & Catholica fides præscribit, & certissima ratio docet nullarum naturarum materiam esse potuisse, S. Aug. B nisi ab omnium rerum, non solùm formatarum, sed etiam formabilium inchoatore Deo atq; Creatore, de quo etiam dicit ei quædam scriptura, *Sap. 11. 18.* qui fecisti mundum ex materia informi; hanc materiam, illis verbis, quibus pro spiritali prudentia, tardioribus etiam lectoribus vel auditoribus congrueret, fuisse commemoratam, quibus ante dierum enumerationem dictum est, in principio fecit Deus cœlum & terram, &c. donec diceretur, & dixit Deus: vt deinceps formatarum rerum ordo consequeretur. Non quia informis materia formatis rebus tempore prior est, cùm sit vtrumque simul concreatum & vnde factum est, & quod factum est. Sicut enim vox materia est verborum, C verba verò formatam vocem indicant: non autem qui loquitur, priùs emittit informem vocem, quàm possit postea colligere, atque in verba formare; ita Creator Deus, non priorem tempore fecit informem materiam, & eam posteà per ordinem quarumcumque naturarum, quasi secundâ consideratione formauit, formatam quippe creauit materiam. Sed quia illud vnde fit aliquid, & si non tempore, tamen quadam origine prius est, quàm illud quod inde fit, potuit diuidere scriptura loquendi temporibus, quod Deus faciendi temporibus non diuisit.

TESTAMENTVM.

1. *Duo Testamenta, in duobus Abrahæ filiis.* 5. *cont. Marc. cap. 4. circa m.*

VT furibus solet aliquid excidere de præda in indicium, ita credo & Marcionem nouissimam Abrahæ mentionem dereliquisse nullam magis auferendam, etsi ex parte conuertit. Si enim [a] *Abraham duos liberos habuit, vnum ex ancilla, & alium ex libera: sed qui ex ancilla, carnaliter natus est; qui verò ex libera, per repromissionem. (Quæ sunt allegorica,)* id est, aliud portendentia: *Hæc sunt enim duo testamenta*, siue duæ ostensiones, sicut inuenimus interpretatum; *Vnum à monte Sina*, in synagogam Iudæorum, secundùm legem, *generans in seruitutem; Aliud*, [b] *super omnem principatum generans, vim, dominationem, & omne nomen quod nominatur, non tantùm in hoc æuo, sed & in futuro; quæ est mater nostra*, in quam repromisimus sanctam Ecclesiam: ideoque adiicit, [c] *Propter quod, fratres, non sumus ancillæ filij, sed liberæ.*

a Gal. 4. 22. & seq.
b Ephes. 1. 20.
c Gal. 4. vers. vlt.

2. *Testamentum vetus, nouum prædicens, licet ab eo diuersum, vnum tamen Deum habet authorem.* 4. *cont. Marc. cap. 1. à p. ad m.*

COnfiteor alium ordinem decucurrisse in veteri dispositione apud Creatorem, alium in noua apud Christum. Non nego distare documenta eloquij, præcepta virtutis, legis disciplinas; dum tamen tota diuersitas in vnum & eundem Deum competat: illum scilicet à quo constat dispositam, sicut & prædicatam Olim concionatur Esaïas, [a] *prodituram ex Sion legem, & sermonem Domini ex Hierusalem:* aliam vtrique legem, aliumque sermonem. denique, [b] *iudicabit*, inquit, *inter nationes, & traducet populum plurimum;* scilicet non vnius gentis Iudæorum, sed nationum, quæ per nouam legem Euangelij, & no-

a Esa. 2. 3.
b Esa. 2. 4

num sermonem Apostolorum iudicantur & traducuntur apud semetipsas de pristino er-
rore, simul crediderunt, atque exinde [c] *concidunt macharas suas in aratra; & sibynas*, quod c Esa. 2.
genus venabulorum est, *in falces*, id est, feros & sæuos quondam animos conuertunt in 4.
sensus probos, & bonæ frugis operarios. Et rursus, [d] *Audite me, audite me, populus meus;* d Esa. 51.
& reges auribus intendite in me, quoniam lex prodibit à me, & iudicium meum in lucem natio- 4. & 7.
num, quo iudicauerat atque decreuerat nationes quoque illuminandas per Euangelij le-
gem atque sermonem. Hæc erit [e] *lex* apud Dauid *inuituperabilis*, quâ perfecta, *conuer-* e Psal. 18.
tens animas, vtique ab idolis, ad Deum. hic erit & sermo, de quo idem Esaïas: [f] *Quoniam*, 8.
inquit, *decisum sermonem faciet Dominus in terra.* Compendiatum est enim nouum Testa- f Esa. 10.
mentum, & legis laciniosis oneribus expeditum. Sed quid pluribus? cùm manifestiùs, 23.
& luce ipsa clariùs nouatio prædicetur à Creatore per eundem: [g] *Ne rememineritis prio-* g Esa. 43.
rum, & antiqua ne cogitaueritis. Vetera transierunt, noua oriuntur. Ecce facio noua quæ nunc 18.
orientur. Item per per Hieremiam, [h] *Nouate vobis nouamen nouum, & ne seueritis in spinas,* h Hier. 4.
& circumcidimini præputia cordis vestri. & alibi, [i] *Ecce veniunt dies, dicit Dominus, & perfi-* 4.
ciam domui Iacob & domui Iuda Testamentum nouum, non secundum testamentum quod dispo- i Hier. 31.
sui patribus eorum in die qua arripui dispositionem eorum, ad educendos eos de terra Ægypti. Adeo 31.
pristinum testamentum, temporale significat, dum mutabile ostendit, etiam dum æter-
num de postero pollicetur. Nam per Esaïam, [k] *Audite me, & viuetis, & disponam vobis* k Esa. 55. 3
testamentum æternum: adiiciens, *Sancta & fidelia Dauid;* vt id testamentum in Christo de-
cursurum demonstraret. eundem ex genere Dauid secundùm Mariæ censum, etiam in
[l] *virga ex radice Iesse processura* figuratè prædicabat. l Esa. 11. 1.

3. *Testamentum hominis si inuiolabile est, quantò magis illud quod Deus Christo, vero Abrahæ semini sanxit? 5. cont. Marc. cap. 4. à p.*

ILlud autem facit, quod quum [a] *secundùm hominem* dixisset, *tamen testamentum hominis* a Gal. 3.
nemo spernit aut superordinat. Exemplo enim humani testamenti permanentis, diui- 15.
num tuebatur.

TESTAMENTVM. 1. 2. 3. SCHOL.

VT FVRIBVS. *Alibi furtum Marcionis adnotaui.* CONVERTIT. *Aliis verbis retulit.* NVLLAM MAGIS AVFERENDAM. *Quia expreßè Paulus duo Testamenta refert in duobus filiis Abrahæ repræsentata.* ABRAHAM DVOS LIBEROS. *Gal.* 4. 22 Scriptum est enim: quoniam Abraham duos filios habuit: vnum de ancilla, & vnum de libera: sed qui de ancilla secundùm carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem: quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta. *Syr. hæc autem, sunt allegoriæ duorum testamentorum.* Vnum quidem in monte Sina, in seruitutem generans, quæ est Agar: Sina enim mons est in Arabia, qui coniunctus est ei quæ nunc est Ierusalem; & seruit cum filiis suis. Illa autem quæ sursum est Ierusalem libera est, quæ est mater nostra. &c. Itaque fratres non sumus ancillæ filii, sed liberæ: quâ libertate Christus nos liberauit. ALIVD, *supple testamentum in libertatem generans, & filios faciens supernæ Ierusalem cuius caput est Christus, de quo Ephes.* 1. 20. Constituens ad dexteram suam in cœlestibus: supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius qui omnia in omnibus adimpletur. IN QVAM. *Supple matrem Ierusalem liberam intelligimus promissam Ecclesiam.* DVÆ OSTENSIONES. *Ita duo testamenta interpretatus erat Marcion, scripturæ corruptor.* VIM, *virtutem, supple generans super omnem vim, &c. De Christo Ecclesiæ capite super omnem ordinem euecto, Augustinus in titulum Psal.* 85. S. Aug Nullum maius donum præstare Deus posset hominibus, quàm vt verbum suum per quod condidit omnia, faceret illis caput, & illos ei tanquam membra coaptaret, vt esset filius Dei, & filius hominis, & vnus Deus cum Patre, vnus homo cum hominibus; vt quando loquimur ad Deum deprecantes, non inde filium separemus; & quando precatur corpus filij, non a se separet caput suum, sitque vnus ipse Saluator corporis sui Dominus noster Iesus Christus filius Dei, qui & oret pro nobis, & oret in nobis, & oretur à nobis. Orat pro nobis, vt Sacerdos noster: orat in nobis, vt caput nostrum: oratur à nobis, vt Deus noster. *Generatum autem à Patre super omnem principatum, subiicit dum ait*, S. Aug. cùm eius sublimitatem diuinitatemque intuemur, quando audimus in principio erat Verbum, &c. intuentes hanc excelsam & supereminentissimam, & excedentem omnia creaturarum sublimia diuinitatem filij Dei, &c. *Ad quam prouexit naturam nostram assumptam in quo velut Isaac filij liberæ geniti sumus. Quem locum exponit to. 4. lib. expos. ad Gal. cap.* 4. S. Aug. Ille de ancilla quæ Agar vocabatur, vetus Testamentum significat, id est populum veteris Testamenti, propter iugum seruile carnalium obseruationum, & promissa terrena, quibus irretiti, & quæ tantummodo sperantes de Deo, non admittuntur ad hæreditatem spiritalem cœlestis patrimonij. Non autem sufficit quòd de libera vxore natus est Isaac ad significandum populum hæredem noui Testamenti; sed plùs hic valet, quod secundùm promissionem natus est. *Et lib.* 15. *de Ciuit. cap.* 2. S. Aug. Inuenimus, *inquit*, in terrena ciuitate duas formas, vnam, suam præsentiam demonstrantem, alteram cœlesti ciuitati significandæ suâ præsentiâ seruientem. Parit autem ciues terrenæ ciuitatis peccato vitiata natura; cœlestis verò ciuitatis ciues parit à peccato naturam liberans gratia: vnde ista vocantur vasa iræ, ista vasa misericordiæ. Significatum est hoc etiam in duobus filiis Abrahæ, quòd vnus de ancilla, quæ dicebatur Agar, secundùm carnem, &c. vterque quidem de semi-

ne Abrahæ: ſed illum genuit demonſtrans conſue- A tudo naturam: iſtum verò dedit promiſſio ſignificans gratiam. Ibi humanus vſus oſtenditur, hîc di- S. Aug. uinum beneficium commendatur. *Et cap. 3.* Natus eſt ergo Iſmael ſicut naſcuntur homines, permixtione ſexus vtriuſque vſitatâ lege naturæ; ideo dictum eſt ſecundùm carnem: &c ſed vbi ſignificandum fuerat Dei donum, quod indebitum hominibus gratis gratia largiretur, ſic oportuit dari filium, quemadmodum naturæ non debebatur excurſibus, &c. quod ergo naturæ ſic affectæ fructus poſteritatis non debebatur, ſignificat quòd natura generis humani peccato vitiata, ac per hoc iure damnata, nihil veræ fœlicitatis in poſterum merebatur. Rectè igitur ſignificat per repromiſſionem natus, B filios gratiæ, ciues ciuitatis liberæ ſocios pacis æternæ; vbi ſit, non amor propriæ ac priuatæ quodammodo voluntatis, ſed communi, eodemque immutabili bono gaudens, atque ex multis vnum cor faciens, id eſt, perfectè concors obedientia charitatis.

2. IN VETERI DISPOSITIONE. *Teſtamento, de quo Deus apud Pſaltem.* Diſpoſui teſtamentum electis meis. Quod diſpoſuit ad Iſaac, &c. IVDICABIT. *Eſa. 2. 4.* Iudicabit gentes, 70. *inter gentes*, & arguet populos multos. TRADVCET, *vt ex occulto ignorantiæ producat in lucem veræ cognitionis & correctionis erroris priſtini.* ET RVRSVS. *Eſa. 51. 7.* Audite me qui ſcitis iuſtum, *quod iuſtum eſt*, populus meus, lex mea in corde eorum, &c. *Et ſupra verſu 4.* C Attendite ad me popule meus, & tribus mea me audite: quia lex à me exiet, & iudicium meum in lucem populorum requieſcet. *Tertullianus ſecutus eſt 70. more ſuo.* NOVATIO, *lex noua. Cæteros ſcripturæ locos habes relatos alibi & expoſitos; de quibus conſulendus eſt index Scripturæ. Diuerſitatem vtriuſque Teſtamenti, & vnum Authorem Deum, Tertulliano* S. Aug. *ſubſcribit Aug. lib. de vera Religione cap. 17.* Quoniam, *inquit*, pietas timore inchoatur, charitate perficitur; populus timore conſtrictus tempore ſeruitutis in veteri lege, multis Sacramentis onerabatur. Hoc enim talibus vtile erat ad deſiderandam gratiam Chriſti, quæ per Prophetas ventura D canebatur. Quæ vbi venit, ab ipſa Dei ſapientia homine aſſumpto, à quo in libertatem vocati ſumus, pauca Sacramenta ſalubertima inſtituta ſunt, quæ ſocietatem Chriſtiani populi, hoc eſt, ſub vno Deo liberæ multitudinis continerent. Multa verò quæ populo Hebræo, hoc eſt ſub eodem vno Deo compeditæ multitudini erant impoſita, ab actione remota ſunt, in fide atque interpretatione remanſerunt. Ita nunc nec ſeruiliter alligant, & exercent liberaliter animum. Quiſquis autem ideo negat vtrumque Teſtamentum ab vno Deo eſſe poſſe, quia non eiſdem Sacramentis tenetur populus noſter, quibus Iudæi tenebantur, vel adhuc tenentur: poteſt dicere, non poſſe fieri, vt vnus pater fami- E lias iuſtiſſimus, aliud imperet eis quibus ſeruitutem duriorem vtilem iudicat, aliud eis quos in filiorum gradum adoptare dignatur. Si autem præcepta vitæ mouent, quòd in veteri lege minora ſunt, in Euangelio maiora, & ideo putatur, non ad vnum Deum vtraque pertinere: poteſt qui hoc putat perturbari, ſi vnus Medicus alia per miniſtros ſuos imbecillioribus, alia per ſemetipſum valentioribus præcipiat, ad reparandam, vel obtinendam ſalutem. Vt enim ars Medicinæ cùm eadem maneat, neque vllo pacto ipſa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis eſt noſtra valetudo: ita diuina prouidentia cùm ſit omnino incommutabilis, mutabili tamen creaturæ variè ſubuenit, & pro diuerſitate morborum alia

A alia iubet aut vetat, vt à vitio, *morbo*, vnde mors incipit, & ab ipſa morte ad naturam ſuam & eſſentiam, ea quæ deficiunt, id eſt ad nihilum tendunt, reducat & firmet. *Et ep. 5. ad Marcellinum citato loco Ieremiæ 31 quem & hic protulit Tertullianus*; vt nouerint, *inquit*, homines quos hæc mouent iam hoc S. Aug. fuiſſe in ratione diuina, nec cùm iſta noua conſtituerentur, ſubitò priora diſplicuiſſe, velut mutabili voluntate, ſed hoc iam fixum & ſtatutum fuiſſe in ipſa ſapientia Dei, cui de maioribus etiam rerum mutationibus, eadem ſcriptura dicit, mutabis ea & mutabuntur, tu autem idem ipſe es: inſinuandum eſt eis, mutationem iſtam Sacramentorum Teſtamenti veteris & noui etiam prædictam fuiſſe B propheticis vocibus. Ita enim videbunt, ſi poterunt, id quod in tempore nouum eſt, non eſſe nouum apud eum qui condidit tempora, & ſine tempore habet omnia, quæ ſuis quibuſque temporibus pro eorum varietate diſtribuit. *Subiicit locos Pſaltis in hanc rem*; Legitur, *inquit*, ex perſona Chriſti, non S. Aug. congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus: hoc eſt pecorum victimis, quibus priùs congregabantur conuenticula Iudæorum. Et alibi dicit, non accipiam de manu tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Et alius Propheta, *Ieremia 31. 31.* Ecce inquit dies venient dicit Dominus, & confirmabo ſuper domum Iacob Teſtamentum nouum, non ſicut teſtamentum quod diſpoſui patribus eorum, cùm eduxi eos de terra Ægypti: & alia multa ſunt C de hac re teſtimonia, quibus hoc Deum facturum eſſe prædictum eſt, quæ commemorare nunc longum eſt. Hîc iam ſi ſatis conſtitit, quod rectè alio tempore conſtitutum eſt, idem rectè alio tempore poſſe mutari, mutantis opere, non diſpoſitione mutatâ, quam diſpoſitionem intelligibilis ratio continet, vbi ſine tempore ſimul ſunt, quæ in temporibus ſimul fieri non poſſunt, quia tempora non ſimul currunt.

3. ILLVD FACIT. *Ad probandum vetus Teſtamentum eiuſdem Dei Creatoris eſſe, cuius & nouum, in quo Paulus pro veteri tuendo loquitur.* SECVNDVM HOMINEM *Gal. 3.* Fratres, ſecundùm hominem dico, D *Syr. tanquam inter homines loquor*; tamen hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit, aut ſuperordinat. *Syr. nemo reprobat, aut inuertit in eo quidquam*, Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius. Non dicit, & ſeminibus, quaſi in multis: ſed quaſi in vno. Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Hoc autem dico, Teſtamentum confirmatum à Deo. *Quaſi diceret ſi certum, ratum, immutabile eſt hominis cuiuſque teſtamentum, quod morte eius confirmatum eſt, nec reuocatum: quantò firmior Dei immutabilis fuit promiſſio facta Abrahæ de Chriſto naſcituro de ſemine ſuo. D. Thomas in hunc locum.* Secundùm ea quæ humana ratio & conſuetudo habet, hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit, &c. quia nihil E humanum tantam firmitatem habet ſicut vltima voluntas hominis, &c. Si ergo teſtamentum huiuſmodi nemo ſpernit, dicens, non eſſe ſeruandum, aut ſpernit, aliquid mutando: multò magis teſtamentum Dei nullus ſpernere debet, aut ſuperordinare, infringendo illud, vel addendo. *Apoc. vltimo.* Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in iſto libro: & ſi quis diminuerit de verbis Prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de Ciuitate ſancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto. *Deut. 4.* non addetis ad verbum quod vobis loquor, neque auferetis, &c. Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, quaſi dicat, ſicut teſtamentum hominis eſt firmum, ita promiſſiones diuinæ firmæ ſunt. *Aug. in Pſal. 144.* S. Aug. Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis. Quid

enim promisit & non dedit? &c. possumus illi credere tantummodo dicenti. Noluit sibi credi dicenti, sed voluit teneri Scripturam suam sanctam, &c. etenim quia generatio vadit, & generatio venit, & sic transcurrunt ista sæcula, cedentibus succedentibusque mortalibus; Scriptura Dei manere debuit, vt quoddam Chirographum Dei, quod omnes transeuntes legerent, & viam promissionis eius tenerent. Et quanta sunt quæ reddidit ex isto Chirographo? &c. *recenset promissionem spiritus, gloriam martyrum, regum conuersionem, &c. impletam; inter quæ etiam;* in ipso Chirographo habes promissum vnicum filium, cui non peperci, sed pro vobis omnibus tradidi eum. Iam computa in
S. Aug. redditis, lege Chirographum, &c. *Et to. 4. in hunc locum Gal.3.* Etiam, *inquit*, testamenti humani mentionem facit, quod vtique multò est infirmius quàm diuinum. Tamen hominis confirmatum testamentum, *inquit*, nemo irritum facit, aut superordinat: quia cùm testator mutat testamentum, non confirmatum mutat: testatoris enim morte confirmatur; *Hebr. 9. 15. Et ideo noui testamenti mediator est: vt morte intercedente, Syr. vt per mortem suam fieret redemptio iis qui transgressi fuerant testamentum primum, vt illi promissionem consequantur, qui vocati sunt ad hæreditatem æternam. Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris, &c.* quod autem mors testatoris valet ad confirmandum testamentum eius, quia consilium mutare iam non potest: hoc incommutabilitas promissionis Dei valet ad confirmandam hæreditatem Abrahæ, cuius fides deputata est ad iustitiam. *Testamentum*

A *porrò fine pactum æternum, pactum salis in Scriptura dicitur: sicut 2. Paral. 13. 5.* Num ignoratis quòd Dominus Deus Israel dederit regnum Dauid super Israel in sempiternum, ipsi & filiis eius in pactum salis? *vbi Hugo Cardinalis:* pactum salis id est pactum conditum, & firmum. *Vnde Hiero.* pactum, *inquit*, salis pro lege poni solet, quæ omnium condimentum est; & ideo hîc ponitur pro domo Dauid quæ vniuerso Israeli condimentum fuit. *Estius hoc loco:* Nota, *inquit*, fœdus Dei perpetuum, pactum salis vocauit. Nempe, quia sicut sal arcet corruptionem, ita pactum huiusmodi erit inuiolabile. Alij referunt ad sacrificium, cuius interuentu solebant olim fœdera percuti, seu sanciri. Ipsum autem sacrificium sine sale non peragebatur. Vide
B Leuitici cap. 2. *Pagninus ex Hebr. legit:* pacto salis. 70. testamento salis. *Hinc & ignis æterni pœna & sacrificium iustitiæ sempiternæ sale etiam exprimitur. Marci 9. 48.* Omnis, *inquit*, igne salietur, & omnis victima sale salietur. *Et ibid. versu 49. fœdus pacis Christianorum æternum iungit sali.* Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos *Cùm itaque Christus filius Dauid factus fuerit pax nostra & iustitia, Sacerdos & victima æterna, regnaturus in æternum in domo Iacob, cuius regni non erit finis, cui Deus statuit testamentum pacis, testamentum sempiternum; idem ipse sal terræ, ipse sapientia Patris est in quo statutum est nobis pactum salis. Vt cum illo si fideles fuerimus regnum pacis & gloriæ æternum habeamus: si autem pacti cum eo nostri præuaricatores fuerimus, vt victima saliendi æterno igni deputemur.*

4. *Testamento temporalia magis quàm æterna commendare, pudeat Christianum.*
1. ad Vxo. cap. 1. in p.

DIgnum duxi, dilectissima mihi in Domino conserua, quid tibi sectandum sit post discessum de seculo meum, si prior te fuero vocatus, iam hinc prouidere, vt prouisum obserues, mandare fidei tuæ. Nam sæcularibus satis agentes sumus, & vtrique nostrûm consultum volumus. talibus tabulas ordinamus, cur non magis de diuinis atque cœlestibus posteritati nostræ prospicere debeamus, & legatum quodammodo prælegare, admonitionem & demonstrationem eorum, quæ ex bonis immortalibus & hæreditate cœlorum deputantur? Tu modo vt solidum capere possis hoc meæ admonitionis ac fideicommissum, Deus faciat, [a] *cui sit honor, gloria, claritas, dignitas, & potestas & nunc & in sæcula sæculorum.* a Apoc. 5. 13. & 7. 13

TESTAMENTO TEMPORALIA. 4. SCHOL.

CONSERVA. *Non tantùm in matrimonij, sed & Christi seruitutis iugo socia.* MANDARE. *Dignum duxi commendare fidei tuæ, vt obserues quod tibi prouideo bonum seruandæ continentiæ vidualis.* SATIS AGENTES. *Satagentes, solliciti satis sumus, tam viri quam coniuges in prouidendis rebus temporalibus, mutuò legando bona terrena. Et tabulas testamentarias de huiusmodi friuolis inscribimus, cùm potiùs, vt potiora, bona cœlestia charioribus nobis, quasi anticipato legato, admonitionibus salutiferis scripto etiam relinquere deberemus.* FACIAT DEVS, *vtinam Deo inspirante, capias huius admonitionis meæ de seruanda post obitum meum continentia viduali, solidum ac plenum fidei commissum. Prælegatum autem dixit, quòd præ cæteris bonis hæreditate possidendis, cœleste continentiæ bonum ei tradat, vt velut hæredem ex asse, hoc est in solidum, non ex semisse, triente, vel quadrante relinquat.* Fideicommissum est liberalitas quâ quid verbis precariis, vel alio quocumque indicio precariæ voluntatis, testamento, vel codicillis, vel epistola, vel quo alio genere vltimi iudicij confertur in aliquem. Ideo autem sic appellatur, quia nullo

C vinculo, sed tantùm pudore eorum qui rogabantur, continebatur. *Institut. de fideicom. hæred. in p. Vlpianus autem sic definit;* fideicommissum est, quod non ciuilibus verbis, sed precatiuè relinquitur, nec ex rigore Iuris ciuilis proficiscitur, sed ex voluntate datur relinquentis. *Fideicommissorum autem alia sunt vniuersalia, quibus patrimonium totum hæres alij restituere rogatur. Alia singularia, quæ sunt rerum particularium, quas huic, vel illi fideicommissarius restituere rogatur. In codicillis autem relictorum fideicommissorum, fauor magnus est, teste Cuiacio in notis ad librum 2. instit. de fideicommiss. hæredit. in fine* adeò vt omnimodo præstentur ab hærede, qui fateatur se rogatum, etiamsi nullus sit adhibitus testis, vt inficiator iurare compellatur, & recusans iurare, pro confesso habeatur. *Solidum porrò capere non posse dicuntur, qui totum quod eis relinquitur, capere & acquirere non possunt. L. 6. ff. de vulgar. & pupil. l. 37. ff. de hæred. institut. &c. hinc non in rigore sumenda vox, quam subiicit Tertullianus hoc loco:* præcipio igitur tibi, quanta continentia potes, post excessum nostrum, renunties nuptiis, nihil mihi isto nomine

collatura, nisi quod tibi proderis. *Cùm enim rogare deberet, videtur præcipere; sed præceptorem & magistrum docendo potiùs, quàm iubendo Dominum, in hac causa se præbet; vt potiùs sit consilium, quam præceptum. Porrò cùm teste Sapiente*, non sit digna ponderatio continentis animæ, & nemo eam seruare possit, nisi Deus dederit, *iure Deum precatur hic Tertullianus, vt vxor solidum hoc bonum hæreditare possit. Sæpiùs iam ex Augustino tractaui de excellentia continentiæ; hæc ad abundantiam superadiicio, quæ habet to. 6. lib. 2. de adulterinis coniugiis ad Pollentium, cap. 18. vbi cùm de Eunuchis castrantibus se propter regnum cælorum, conclusisset cum Christo*: Qui potest capere

S. Aug. capiat. *Statim infert*: Ergo qui potest, capiat, quod non omnes capiunt. Possunt autem capere quibus hoc præstat Dei misericordia occulta, sed non iniusta, &c. sed qui post concubitum coniugum, seipsos castrant propter regnum cœlorum, aut morte amittunt coniuges, aut ex consensu cum eis continentiam profitentur, *vt fecerat Tertullianus factus Presbyter*, aut ex necessitate diuortiorum, ne viuis coniugibus, se aliis copulando adulteria perpetrent, castrant seipsos propter regnum cœlorum, non vt clariores ibi esse possint, sed quòd aliter ibi esse non possint; nam qui non istâ necessitate se continent, sed boni appetitione melioris, possent ibi esse, etiam seruatâ pudicitiâ coniugali, quamuis in præmiis minoribus, tamen intus, &c non eos terreat sarcina continentiæ: leuis erit si Christi erit: Christi erit, si fides aderit, quæ impetrat à iubente, quod iusserit. Non eos frangat, quod videtur eorum continentia necessitatis esse, non voluntatis; quia & illi qui eam voluntate delegerunt, fecerunt eam esse necessitatis, *ob vinculum voti*, quoniam iam sine damnatione ab illa deuiare non possunt: & qui in eam necessitate contrusi sunt, *diuortio propter adulterium, aut grauem infirmitatem*, faciunt eam esse voluntatis, si non de seipsis, sed de illo, à quo est bonum omne, confidunt. Illi ad eam conscenderunt causâ maioris gloriæ vt aliquid amplius inuenirent: isti ad eam confugerunt curâ salutis nouissimæ, ne perirent: vtrique permaneant: vtrique in quod peruenerunt ambulent vsque in finem: ferueant studiis, supplicent votis: quia & illis salus cogitanda est; vt ab eo quod voluntas arripuit, cadere timeant: & istis gloria desperanda non est, si in eo quod necessitas intulit, persistere deligant. Fieri enim potest, vt Deo terrente & hortante, conuertente & implente, humanus in melius mutetur affectus: atque ita voueant sine coniugiis, & sine vllo concubitu, atque immundâ libidinis attrectatione perseuerantissimè viuere: vt etiam si separata coniugia locum ducendi alias, moriendi aperuerint, claudatur ex voto, quod pateret ex illicito, & quod erat necessitate cœptum, fiat charitate perfectum. Talibus profectò id retribuetur, quod illis, qui vel pari consensu cum coniugibus hoc vouerunt, vel nullis coniugiis alligati, propter maius bonum, continentiam delegerunt. *Hæreditatem quidem cælestem omnes electi possidebunt, sed gradu eminentiori continentes, vtpote* Eunuchi nomen melius à filiis & filiabus obtinentes. *Idem Aug. ser. 13. de ver. Domini in verba Pauli Rom. 8.* Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quia sumus filij Dei. Si autem filij & hæredes. Non enim, inquit, inaniter filij. *Sed vt ait Tertull. in solidum.* Hæc est merces; & hæredes. Quia medicus noster S. Aug.
& sanitatem nobis donat, *refrigerans morbum concupiscentiæ dono continentiæ*, & mercedem insuper largiri dignatur. Quæ est illa merces? hæreditas: sed non quomodo est hominis patris hæreditas. Relinquit enim filiis suis, *vel vir vxori* non possidet cum filiis suis. Et tamen magnum se facit, & gratias sibi agi desiderat, quia voluit dare, quod non posset auferre. Moriens enim tolleret secum; puto, quia si posset, nihil hic filiis suis dimisisset. Hæredes Dei sic sunt, vt ipse Deus sit hæreditas nostra, cui dicit Psalmus, Dominus pars hæreditatis meæ. *Quæ in solidum datur viro & vxori continentibus. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Hæredes quidem Dei: *vnde idem Aug. alibi: possidebis totum, totus & integer.* Si parum vobis est, S. Aug.
audite quo amplius gaudeatis; hæredes quidem Dei cohæredes autem Christi.

TESTIMONIVM ET TESTIS.

1. *Testimonium de seipso, nullum est.* 5. *cont. Marc. cap. 1. à p.*

PLanè profiteri potest semetipsum quiuis. Verùm professio eius alterius auctoritate conficitur: alius scribit, alius subscribit, alius obsignat, alius actis refert. Nemo sibi
a Luc. 21. 8. & professor, & testis est. Præter hæc vtique legisti, [a] *multos venturos qui dicant, Ego sum Christus.* Si est qui se Christum mentiatur, quantò magis qui se Apostolum prædicet Christi?

3. *Testes tres ad rei probationem, in vtraque lege.* 4. *cont. Marc. cap. 22. à p.*

V. Verbum. Christi magnalia. 6. circa m.

TESTIMONIVM ET TESTIS. SCHOL.

PROFITERI POTEST. *De seipso testimonium reddere, siue profiteri nomen & genus suum.* ACTIS REFERT. *Instrumentis publicis.* NEMO SIBI TESTIS. *Inde & ipse Christus Io. 5.* Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est ve-
S. Aug. rum. *De quo sic Aug. ser. 43. de verbis Domini.* Quomodo ergo non est verum testimonium veritatis? nonne ipse est qui dixit. ego sum via, veritas & vita? cui ergo credendum est si veritati non est credendum? profectò enim non vult credere nisi falsitati, qui non eligit credere veritati. Dictum ergo hoc secundum ipsos, vt sic intelligas, & ex his verbis hunc sensum concipias. Si ego testimonium, &c. id est sicut putatis. Ille enim nouerat verum esse de se testimonium suum: sed propter infirmos, propter incredulos, propter non intelligentes Sol lucernas quærebat. Fulgorem quippe Solis lippitudo eorum ferre non poterat. Ideo quæsitus est Ioannes qui testimonium perhiberet veritati, &c. ille erat lucerna ardens, &c. lucerna ista ad illorum confusionem parata est, quia de hoc dictum est ante tantum tempus in Psalmis, paraui lucernam Christo meo. Vt quid lucernam Soli? vt inimicos eius induam confusione, &c. Martyres nonne testes sunt Christi, & testimonium perhibent veritati? &c. audi vnum ex Martyribus ipsum Apostolum Paulum;

lum; nunquid experimentum vultis accipere eius qui in me loquitur Christus? dum perhibet ergo testimonium Ioannes, Christus sibi perhibet testimonium qui habitat in Ioanne. Perhibeat testimonium Petrus, perhibeat testimonium Paulus, perhibeant cæteri Apostoli, perhibeat Stephanus: ipse sibi perhibet testimonium, qui habitat in omnibus. *Quin & ipse Spiritus sanctus in Apostolis de Christo testimonium perhibuit, quia de illo acceperat.* SE APOSTOLVM PRÆDICET, *sicut facit Marcion. Hic locus torqueri potest contra superbos, seipsos iactantes, & laudis humanæ cupidos. De quib. Aug. lib. 12. de Ciuit. cap. 8.* Nec iactantia, *inquit*, vitium est laudis humanæ, sed animæ peruersè amantis laudari ab hominibus, spreto testimonio conscientiæ. *Et in Psal. 144. in versum*, generatio & generatio laudabit opera tua, & virtutem tuam annuntiabunt. Opera, *inquit*, celebrantur, de operatore tacetur. Ego in operibus volo laudare Creatorem, ingratum non amo laudatorem. Laudas quidquid fecit, taces de illo qui fecit? quasi verò nisi ille tantus esset, inuenires quod laudares. In eo quod vides quid ibi laudatur species, vtilitas, aliqua virtus, aliqua potentia rerum istarum. Si pulchritudo te delectat, quid pulchrius faciente? si vtilitas laudatur, quid illo vtilius qui fecit omnia? si virtus laudatur, quid potentius à quo facta sunt omnia? à quo etiam facta non dimittuntur, sed reguntur & gubernantur omnia; non ergo quemadmodum quidam eloquentes muti, *de quibus in Confess. 28. væ, inquit, tacentibus de te, quoniam loquaces muti sunt.* Laudantes creaturam, obliuiscentes Creatorem. Non sic te laudat generatio & generatio in seruis tuis, cùm laudat opera tua. Sed quomodo laudat? & virtutem tuam annuntiabunt. In laudandis operibus tuis, virtutem tuam annuntiabunt. Laudatores isti sancti, & boni, & fideles, veri laudatores, non ingrati gratiæ, cùm laudant opera Dei, hæc atque illa, summa & ima, cœlestia & terrestria, inter ipsa opera Dei quæ laudant, & seipsos inueniunt, quia in operibus Dei & ipsi sunt. Qui enim fecit omnia, ipse nos fecit inter omnia. Proinde si laudes opera Dei, & te laudaturus es, quia & tu opus Dei es. Vbi est ergo, non te laudet os tuum? Prouerb. 27. 1. Ecce inuentum est, quomodo & te laudare possis, & arrogans non sis. Deum in te lauda, non te. *In Domino laudabitur anima mea*; non quia tu es talis, sed quia ille fecit te talem: non quia tu aliquid potes, sed quia potest in te ille, & per te: ac per hoc laudabunt te, & virtutem tuam annuntiabunt, non suam sed tuam. Discite ergo laudare. Intuentes opera, miramini artificem, gratias agendo, non arrogando. Laudate quia ipse fecit, quia sic constituit, quia talia donauit. Denique vide quæ sequuntur: virtutem tuam, inquit, annuntiabunt, & magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt, & virtutem metuendorum tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt, &c. non nisi tuam. Iste operum considerator, vide si deflexus est ab operante ad opus: vide si decidit ab eo qui fecit, ad ea quæ fecit. Ab his quæ facta sunt, gradum sibi fecit ad eum, non ab illo ad ista casum. Si enim amaueris hæc plusquam illum, non habebis illum. Et quid tibi prodest abundare operibus, *rebus creatis à Deo*, si te deserit operator? *Ergo Deo & de nobis, & de omnibus creatis bonis, testimonium laudando perhibendum; nec sibi quid arrogando, iactandum; nec aliis nobis testimonium perhibentibus gloriandum.* Non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat.

S. Aug. — S. Aug. — S. Aug.

TIMOR PROBROSVS.

1. *Timere persecutionem, eamque fugere ex confusione fidei, quodammodo probrosius est, quàm negare fidem vi tormentorum. De fuga in perseq. cap. 10. in p. ad m. V. verbum fuga in perseq. in Alphab. Errorum num. 6. & seq.*

TIMOR GEHENNÆ.

1. *Timorem Dei Creatoris Christus inculcat. 4. cont. Marc. cap. 28. à p.*

CONuersus ad discipulos; [a] *Dico autem*, inquit, *vobis amicis meis, nolite terreri ab eis qui vos solummodo occidere possunt, nec post hoc vllam in vobis habent potestatem.* sed iis erit Esaïas prædicens, [b] *Vide quomodo iustus aufertur, & nemo aduertit.* [c] *demonstrabo autem vobis quem timeatis. timete eum, qui postquam occiderit, potestatem habet mittendi in gehennam;* Creatorem vtique significans. *itaque dico vobis, hunc timete.* Et hoc in loco sufficeret mihi, si, quem timeri iubet, offendi vetat; & quem offendi vetat, demereri iubet; & qui hæc mandat ipsius est, cui timendo, & non offendendo, & demerendo procurat.

a Luc. 12. 4. b Esa. 57. 1. c Luc. 12. 5. Ibid.

2. *Timendus Deus, cuius timetur Apostolus, iudicium ponens in tribus testibus. 5. cont. Marc. cap. 12. in f.*

QVid & formam Legis adhuc tenet Galatarum castigator, [a] *in tribus testibus præfiniens staturum omne verbum?* Quid & non parsurum se peccatoribus comminatur, lenissimi Dei prædicator? Immò & ipsam duriùs agendi in præsentia potestatem à Domino datam sibi adfirmat. Nega nunc, hæretice, timeri Deum tuum, cuius Apostolus timebatur.

Gal. 1. 6. & 5. 1. a 2. Cor. 13. 1. Deut. 19. 15. 2. Cor. 13. 10.

3. *Timor sanctus soli Deo consecrandus. V. verbum Martyrium num. 8.*

4. *Et ad Scap. cap. 5. circa f.*

[a] MAgistrum neminem habemus, nisi Deum solum. Hic ante te est, nec abscondi potest, sed cui nihil facere possis. Ceterùm quos putas tibi magistros, homines sunt, & ipsi morituri quandoque.

a Matth. 23. 8. 10.

TIMOR DEI. 1. 2. SCHOL.

NOLITE TERRERI. *Luc.* 12. 4. Ne terreamini A ab his qui occidunt corpus, & posthæc non habent ampliùs quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete. SED IIS, *eisdem Apostolis amicis Dei familiariter locutus est Deus per Esaiam cap.* 57. 1. *vt eos ad exemplum Christi, & ad mortis tolerantiam animaret:* iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo. 70. *autem*; videte quomodo iustus periit, & nemo suscipit corde. IPSIVS EST, *Dei scil.. Creatoris filius, cuius negotia procurat, & ad eius timorem & reuerentiam sicut ad amorem inuitas vtroque testamento.*

2. FORMAM LEGIS. *Vt alibi vidimus ex Deut.* 19. 15. *Si Paulus, inquit, Dei Creatoris Apostolus non esset,* B *Galatas vt seuerus, non castigaret, nec iuxta formam veteris legis in tribus testibus omne verbum statutum diceret; nec minaretur peccatoribus, si lenissimi Dei Marcionis Apostolus esset; nec diceret.* 2. *Cor.* 13. 10. Ideo hæc absens scribo, vt non præsens duriùs agam, secundùm potestatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem. DEVM TVVM. *Authorem noui Testamenti, quem tuum esse vis; agnosce & eum timendum, cuius Apostolus sit timendus.*

4. MAGISTRVM. *Hinc Christus* vnus est Magister vester. ANTE TE. Non longè est ab vnoquoque nostrum, in ipso enim viuimus. Viuit Dominus in conspectu cuius sto. NEC ABSCONDI POTEST. Inuisibilia enim Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intelliguntur, &c. HOMINES C SVNT. *Imperatores, qui vt magistri dominantur gentium, mortales sunt homines. Vnde hoc vnum concludere vult cum Paulo. Hebr.* 10. 31. Iudicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. *Vel vt habet Syriaca*, magna est formido incidere, &c. *De timore Dei iuxta suprà citatum locum Luc.* 12. *Aug. to.* 7. *lib. de gratia & lib. arbitrio. cap.* 18. *vbi eum non inter parua dona computat, adducto loco Pauli.* 2. *Tim.* 1. Non enim dedit S. Aug. nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & charitatis, & continentiæ. *Vbi statim admonet.* In quo sanè Apostoli testimonio, cauere debemus, ne nos arbitremur non accepisse spiritum timoris Dei, quod sine dubio magnum est Dei donum: de quo dicit Propheta Esaias, requiescet super eum spiritus timoris Domini: non quo timore Petrus Christum negauit; sed illius timoris spiritum accepimus, de quo dicit ipse Dominus Christus: eum timete, qui habet potestatem, &c. ita dico vobis, hunc timete. Hoc autem dixit, ne illo timore negaremus eum, quo turbatus est Petrus. Hunc enim auferri voluit à nobis, cùm priùs dixit, nolite timere eos qui corpus occidunt, &c. huius timoris non accepimus spiritum, sed virtutis, &c. de quo spiritu idem ipse ad Romanos ait: gloriamur in tribulationibus, &c. *Et ser.* 18. *de verb. Apost. ex Math.* 10. Nolite timere eos, &c. Ecce, *inquit*, quem times, & sub cuius comminationibus expallescis, non potest occidere animam tuam: vsque ad corpus sæuit, tu noli sæuire in animam tuam. Ab illo occidi non potest, à te potest; non lanceâ, sed linguâ. *Negante cum Petro:* inimicus qui te percutit, finit hanc vitam: os autem quod mentitur, occidit animam. S. Aug. Ex his ergo quæ in hoc tempore homines timent, coniiciant quæ timere debeant. Timet enim carcerem, & non timet gehennam? timet quæstionarios tortores, & non timet Angelos infernales? timet cruciatum temporalem, & non timet pœnas ignis æterni? postremò, timet ad modicum mori, & non timet in æternum mori? &c. Sæuiat igitur inimicus, minetur mortem, faciat si permittitur, excludat de carne animam tuam: anima tua non excludat à se vitam suam. *Deum scilicet & eius gratiam de qua Paulus*; gratia autem Dei vita æterna. *Et to.* 6. *libro* 14. *cont. Faustum cap.* 12. *vbi loquitur de homine coacto à Gentili Imperatore, sub pœna suspensionis Solem adorare.* Sicut mors est corporis in ligno pendere, ita mors animi est, Solem adorare. S. Aug. Eligendum est igitur maledictum in corporis morte, quo maledicto & ipsum corpus in resurrectione liberabitur: deuitandum autem maledictum in animæ morte, ne cum suo corpore in æterno igne damnetur. Hanc enim quæstionem nobis Dominus soluit dicens, nolite timere eos, &c. tanquam diceret, nolite timere maledictum corporalis mortis, quod temporaliter soluitur: sed timete maledictum spiritalis mortis, per quod anima in æternum cum suo corpore cruciatur.

5. *Timor, salutis fundamentum est; præsumptio, perditionis.* 2. *de cult. fœm. cap.* 2. *à p. ad m.*

DEbemus quidem ita sanctè, & totâ fidei substantiâ incedere, vt confisæ & securæ simus de conscientia nostra, optantes perseuerare id in nobis, non tamen præsumentes. Nam qui præsumit, minùs iam veretur; qui minùs veretur, minùs præcauet; qui minùs præcauet, plùs periclitatur. Timor, fundamentum salutis est: Præsumptio, impedimentum timoris. Vtiliùs ergo si speremus nos posse delinquere, quàm si præsumamus non posse. sperando enim timebimus, timendo cauebimus, cauendo salui erimus: contrà si præsumamus, neque timendo, neque præcauendo salui erimus. Qui securus agit, non & sollicitus, non possidet tutam & firmam securitatem. At qui sollicitus est, is verè poterit esse securus. Et de suis quidem seruis Dominus pro misericordia sua curet: vt etiam præsumere illis de bono suo feliciter liceat.

6. *Timor Dei, vitam ordinat; defectus eius apud hæreticos laxat habenas peccatis. De Præscr. cap.* 43. *à p. ad f. &* 44. *in p.*

NEgant Deum timendum. Itaque libera sunt illis omnia & soluta. Vbi autem Deus non timetur, nisi vbi non est? Vbi Deus non est, nec veritas vlla est. Vbi veritas nulla est, meritò & talis disciplina est. At vbi Deus, ibi metus in Deum, qui est [a] *initium sapientiæ.* Vbi metus in Deum, ibi grauitas honesta, & diligentia attonita, & cura sollicita, &

a Ps. 110. 10.

adlectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & subiectio religiosa, & apparitio deuota, & processio modesta, & Ecclesia vnita, & Dei omnia. Proinde hæc pressioris apud nos testimonia disciplinæ ad probationem veritatis accedunt: à qua deuertere nemini expedit, qui meminerit futuri iudicij, quo [b] *omnes nos necesse est apud Christi tribunal astare, reddentes rationem*, in primis ipsius fidei. Quid ergo dicent qui illam stuprauerint adulterio hæretico, virginem traditam à Christo?

CAPVT XLIV.

[b] 1. Cor. 5. 10.

7. *Timoris habenâ carens, in omne scelus erumpit.* 1. *cont. Marc. cap.* 27. *in m.*

AGe itaque, qui Deum non times quasi bonum, quid non in omnem libidinem ebullis? summum, quod sciam, fructum vitæ, omnibus qui Deum non timent; quid non frequentas tam solemneis voluptates circi furentis, & caueæ sæuientis, & scenæ lasciuientis? quid non & in persecutionibus statim oblata acerra, animam negatione lucraris? Absit, inquis, absit. Ergo iam times delictum, & timendo probasti illum timeri, qui prohibet delictum: Aliud est, si eadem Dei tui peruersitate, quem non times, obseruas, quâ & ille quod non vindicat, prohibet.

8. *Sine timore Dei nulla emendatio. De Pœnit. cap.* 2. *in p.*

SI Dei, ac per hoc rationis quoque compotes agerent, merita primò pœnitentiæ expenderent, nec vnquam eam ad argumentum peruersæ emendationis adhiberent: modum denique pœnitendi temperarent, quia & delinquendi tenerent, timentes Dominum scilicet. Sed vbi metus nullus, emendatio proinde nulla: vbi emendatio nulla, pœnitentia necessariò vana: quia caret fructu suo, cui eam Deus seuit, id est, hominis saluti.

TIMOR, SALVTIS, &c. 5. 6. 7. & 8. SCHOL.

TOTA FIDEI SVBSTANTIA. *De qua Paulus:* fides est substantia rerum sperandarum. *Sed etiam timendarum; vt sit plena fidei substantia.* CONBISÆ. *Induit personam mulierum castarum. Alij legunt,* confessæ, *quasi, professa.* DE CONSCIENTIA. *Quæ si verè casta sit, etiam erumpit in externum cultum moderatum.* PERSEVERARE ID. *Illud bonum castitatis & continentiæ.* NON PRÆSVMENTES. *Quia Dei donum est. Nec quisquam sibi illud arrogare potest.* MINVS VERETVR, *præsumptio inuerecundum facit, & minus timidum in seruanda continentia, vereri enim proprium est ingenuorum, qui honestatis gratiâ mouentur.* TIMOR FVNDAMENTVM. *Idem titulo sequenti habet aliis verbis;* Initium sapientiæ timor Domini. SI SPEREMVS. *Pro, timeamus, vel saltem dubitemus; vel simus cum aliqua formidine cadendi.* PRO MISERICORDIA. *Inculcat, non in natura iam corrupta, sed in Dei misericordia esse præsumendum de bono continentiæ,* vt qui gloriatur, in Domino glorietur: & beatus homo qui semper est pauidus.

6. NEGANT. *Supple hæretici.* DILIGENTIA ATTONITA. *Quasi adsonitus, cum cernis, & à voce Domini, & facie eius diligentes curritur; & sedulo vacatur bonis Christianæ disciplinæ operibus.* ADLECTIO EXPLORATA. *Id est assumptio ad sacros ordines fit cum diligenti examine. Ita & lib. de Idolo. cap.* 7. Adleguntur in ordinem Ecclesiasticum. *Quia tum nullus in clerum assumebatur nisi totius plebis consensu. Vnde Cypr. de Aurelij Ordinatione;* In ordinationibus, *inquit,* clericis solemus nos ante consulere, & mores ac merita singulorum communi consilio ponderare. COMMVNICATIO DELIBERATA. *Vt maturè consulatur, & deliberetur, an digni sint qui promoueantur ad sacros ordines.* PROMOTIO EMERITA. *Emeriti dicuntur milites, qui sunt exauctorati, hoc est militiæ Sacramento soluti, quibus iam donatiuum est solutum. Vel qui impletis stipendiis, labore militiæ soluuntur. L.* 1. *ff. de excus. tut. l. vlt. C. de his qui non implet. stip. l.* 2. *§.* 2. *de his qui not. infam. Emeritum autem, præmium est & commodum finita militia, veteranis dari solitum. l.* 3. *§.* 8. *ff. de re milit. & §.* 12. *l.* 3. *§.* 7. *ibid. Promotio igitur dicitur eius qui ex inferiori* A *gradu in Episcopum assumitur, quod de solis emeritis in suis Ecclesiis Canones præcipiunt, cap.* nec emeritis 61. *dist. vnde Cypr. de Numidico sic fatur:* Et promouebitur quidem, cùm Deus permiserit, ad ampliorem gradum religionis suæ. *Communicationem deliberatam referre potest ad eam de qua Tertull. lib. de Præscr. cap.* 32. *vbi de hæreticis:* Nec recipiuntur, *inquit,* in pacem & communicationem ab Ecclesiis quoquomodo Apostolicis. APPARITIO DEVOTA. *Ad ministrandum scilicet, Episcopo; cum Religiosa submissione apparent, & seruiunt Episcopo, adstantes Diaconi Subdiaconi, &c. cum reliquo Clero, & præcedente Cruce, cum magna populi modesti frequentia, fit processio simul collecta Ecclesia. De qua processione intelligen-* B *dus Augustinus lib.* 22. *de Ciuit. cap.* 8. *circa f. vbi de miraculis Stephani, interque cætera de Paulo & Palladia sorore ad reliquias eiusdem, ab horribili tremore liberatis.* Inde, *inquit,* ad me curritur, vbi sedebam iam processurus, &c. procedimus ad populum, plena erat Ecclesia, personabat vocibus gaudiorum. PRESSIORIS, *exactioris.* VIRGINEM TRADITAM. *Incorruptam enim & integram fidem à Christo in baptismo accepimus.*

S. Aug.

7. QVASI BONVM. *Marcionem pungit, gloriantem de Deo suo tantummodo bono, proindéque non timendo.* CIRCI FVRENTIS. *Vide dicta supra, de spectaculis Circi, de impetu curruum & equorum.* CAVEÆ SÆVIENTIS. *Amphitheatri, in quod è caueis feræ &* C *gladiatores certaturi educebantur.* SCENÆ LASCIVIENTIS. *In theatro, in quo mimi, & actores, verbis & gestibus impudicis libidinosorum oculos, aures, animosque pascebant.* ANIMAM LVCRARIS. *Vitam redimis, per negationem fidei, & thus offerens Idolis.* EADEM PERVERSITATE. *Tu Marcion, Dei tui præposteram peruersitatem imitaris; qui vt delicta prohibet, quæ non punit: sic tu eum colis quem non times: quod vtrimque peruersum est.*

8. SI DEI COMPOTES. *Si rationabile obsequium exhiberent Deo, qui pœnitentiam agunt; primò quidem nunquam eam sic peruersè agerent, vt eos acta pœnitentiæ pœniteret; Secundò sic formarent suæ pœnitentiæ modum, vt finem peccandi facerent, timore Dei ante*

oculis posito, cuius fræno excusso, nulla emendatio sequitur. DEVS SEVIT, *quasi semen quoddam diuinum, ex quo salus hominis oritur. Timorem Dei frænum esse ad omne peccatum docuit Psaltes, cùm Psalmo 31. sic moneret;* nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. *Nec mirum si sine intellectu est, qui sine timore est, quia timor ad intellectum & sapientiam via est. Et quidem in hunc locum Augustinus;*

S. Aug. Equus, *inquit*, & mulus vis esse, vis non habere sessorem: constringetur os tuum, & maxillæ tuæ, in fræno & chamo, &c. Indomitum, *inquit*, animal esse cupiebat, domatur fræno & flagello. *Subiicit enim Psaltes, multa flagella peccatoris;* atque vtinam perdometur. Verendum est enim, ne nimium resistendo, indomitum relinqui mereatur, & ire in suam vagam licentiam. *Certè equus & mulus est, nec hominis nomine dignus, qui Deum non timet, qui solus timendus est. Quod sit timendus solus probat Aug. in Psal.*

S. Aug. 32. Timeat Dominum omnis terra; ab ipso autem commoueantur omnes qui inhabitant terram. Non timeant, *inquit*, alterum pro illo. Fera sæuit, Deum time. Serpens insidiatur, Deum time. Diabolus te impugnat, Deum time. Tota enim creatura sub illo est quem iuberis timere, &c. Quid formidaturus es aliquid de cœlo, aliquid de mari? ipse dixit & facta sunt. Cùm iubet, mouentur: cùm iubet, quiescunt, &c. cupiditatem nocendi potest homo habere propriam, potestatem autem si ille non dat, non habet. Non est enim potestas nisi à Deo. *Quòd homo non sit, sed equus & mulus, qui timoris habena caret, docuit & in Psal. 63.*

S. Aug. Conturbati sunt omnes qui videbant eos, & timuit omnis homo. Qui, *inquit*, non timuerunt, nec homines fuerunt: timuit omnis homo, id est omnis vtens ratione, ad intelligenda quæ facta erant. Vnde illi qui non timuerunt, pecora potiùs nominandi sunt, bestiæ potius immanes & truces, &c. at verò omnis homo timuit: id est qui credere voluerunt, qui iudicium venturum contremuerunt. Et timuit omnis homo. A timore inimici eruebatur, sed timori Dei subdebatur. Non timebat eos qui corpus occidunt, sed eum qui potestatem habet, &c quia ergo timuit omnis homo, non terruit homo. Et annuntiauerunt opera Dei. Si timet homo, non terreat homo: eum enim timere debet homo, à quo factus est homo. Quod supra homines est, time; & homines non te terrebunt. Mortem sempiternam time, & præsentem non curabis. Voluptatem illam incorruptam, & quietem sine labe concupisce, & promittentem dona ista temporalia, & totum mundum deridebis. Ama ergo & time. Ama quod promittit Deus, time quod minatur Deus: nec corrumperis ex eo quod promittit, nec terreberis ex eo quod minatur homo. *Frænum item timorem innuit in Psal. 127.*

S. Aug. Alius, *inquit*, non in hac terra, pati timet, sed gehennam timet, vnde terruit Dominus. Audistis cùm Euangelium legeretur: vbi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur. Audiunt hæc homines: & quia verè futura sunt impiis, timent, & continent se à peccato, &c. cùm autem per timorem continent se à peccato, fit consuetudo iustitiæ, & incipit quod durum erat, amari, & dulcescit Deus. *Et serm. 214. de temp.*

S. Aug. Cùm fortis ille dicatur, qui neminem timet, peruersè fortis est, qui primò Deum non vult timere, vt timendo audiat; *vnde Psaltes, venite filij audite me, timorem Domini docebo vos:* audiendo diligat, & diligendo non timeat. Tunc erit verè fortissimus, non superbâ duritiâ, sed securâ iustitiâ. Sic etiam scriptum est Prou. 14. Timor Domini, spes fortitudinis. Cùm enim timetur pœna quam minatur, discitur amari præmium quod pollicetur: at sic per timorem pœnæ, bona vita retinetur. Per bonam vitam bona conscientia comparatur, vt per bonam conscientiam, nulla pœna timeatur. Quapropter discat timere, qui non vult timere; discat ad tempus esse sollicitus, qui semper vult esse securus, &c. tantò minor fit timor quantò patria quò tendimus propior. Maior enim timor debet esse peregrinantium, minor propinquantium, nullus peruenientium. Sic & timor perducit ad charitatem, & perfecta charitas foras mittit timorem. *Quàm fortis timor qui frænat & domat equum indomitum, & Deo subiiciens, reducit ad hominem Dei seruum, & à seruo, mutat paulatim in amicum, filium & sponsum. Sed hoc primo gradu & initio Sapientiæ peruenitur ad summum. Idem Aug. lib. 1. de doctrina Christ. cap. 7.*

S. Aug. Ante omnia, *inquit*, opus est Dei timore conuerti ad cognoscendum eius voluntatem, quid nobis appetendum fugiendumque præcipiat. Timor autem iste cogitationem de nostra mortalitate, & de futura morte necesse est incutiat, & quasi clauatis carnibus, omnes superbiæ motus ligno Crucis affigat. *Et ser. 17. de Sanctis.*

S. Aug. Esaias, *inquit*, cùm septem illa dona notissima spiritalia commendaret, incipiens à Sapientia, peruenit ad timorem Dei, tanquam de sublimi descendens ad nos, vt nos doceret ascendere. Inde ergo cœpit quò volumus peruenire. Et illuc peruenit, vnde debemus incipere, &c. Sicut ergo ille non deficiendo, sed docendo, à sapientia vsque ad timorem descendit: sic nos non superbiendo, sed proficiendo, à timore vsque ad sapientiam oportet ascendere: initium enim sapientiæ timor Domini, &c. tanquam quærentibus vnde ad sapientiam veniretur, responderet: ab intellectu: vnde ad intellectum à consilio: vnde ad consilium, à fortitudine: vnde ad fortitudinem à scientia. Vnde ad scientiam, à pietate: vnde ad pietatem à timore. Ergo ad sapientiam a timore, quia initium sapientiæ timor Domini. *Et ser. 18. de verb. Apost.*

S. Aug. Time, *inquit*, vt ista formido custodiat te, vt perducat ad dilectionem. Timor enim iste quo gehennam times, & ideo mala non facis, continet te, & sic volentem peccare animum interiorem non sinit: est enim quidam custos timor quasi Pædagogus legis, litera est minans, nondum gratia iuuans. Custodiat tamen timor iste, dum non facis timendo, & veniat charitas, intret in cor tuum, & quantùm illa intrat, tantùm timor exit, &c. cùm illa tota intrauerit, nullus timor erit, quia perfecta charitas foras mittit timorem, &c. seruilis timor est, quo times cum diabolo ardere, timor castus est quo times Deo displicere, &c. *Et ep. 120. ad Honoratum, ex versu Psalmi*

S. Aug. qui timetis Dominum laudate eum, &c. ac si diceret, amate eum. Dixit enim homini, sicut scriptum est, ecce pietas est sapientia. Porrò pietas cultus Dei est, nec colitur ille nisi amando. Summa igitur & vera sapientia est in præcepto illo primo, diliges Dominum Deum tuum, &c. ac per hoc, sapientia est charitas Dei: nec diffunditur in cordibus nostris, nisi per Spiritum sanctum, &c. Initium autem sapientiæ, timor Domini. Et timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Proinde præmissus timor in cor nostrum, pellit inde consuetudinem malorum operum, & seruat charitati locum, quâ tanquam dominâ veniente, vt illa insideat, abscedit. Ergo qui timetis Dominum, laudate eum: vt Deum non seruiliter, sed liberè colatis. Eum amare discite quem timetis, & poteritis laudare quod amatis. *Acutè aduertit idem Sanctissimus Pater, quod Psaltes regius timoris iam dono suscepto, iterum nihilominus petit carnes suas timore*

confligi, dum ait Psal. 118. Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui. Si, inquit; iam timuerat, vel timebat, cur adhuc, vt à timore suo Deus crucifigeret carnes suas, orabat? an addi sibi volebat timorem, vt tantùm timeret, quantùm sufficeret crucifigendis suis carnibus, id est, concupiscentiis affectibusque carnalibus, &c. sed est hic alius altior sensus, &c. confige, inquit, clauis à timore tuo, &c. hoc est, timore tuo casto, qui permanet in sæculum sæculi, carnalia mea desideria comprimantur: à iudiciis enim tuis timui: cùm mihi lex minaretur pœnam, quæ mihi non poterat dare iustitiam. Sed hunc timorem quo pœna metuitur, consummata charitas foras mittit, quæ non timore pœnæ, seruos; sed delectatione iustitiæ liberos reddit, &c. timore casto, ipsa quæ hunc timorem foras mittit, peccare timet charitas, etiam si sequatur impunitas: quia nec impunitatem iudicat secuturam, quando amore iustitiæ peccatum ipsum deputat pœnam. *Et in eumdem Psalmum.* Statue seruo tuo eloquium tuum. Statutum est, inquit, eis in quibus immobile est. *Velut fundamentum salutis, de quo supra Tertull.* statuit itaque Deus eloquium suum in timore suo, eis quibus dat spiritum timoris sui. Timoris autem, non illius de quo dicit Apostolus, non enim accepistis spiritum seruitutis in timore: hunc enim consummata charitas foras mittit timorem: sed illius timoris, quem dicit Propheta Spiritum timoris Dei, timoris vtique casti, permanentis in sæculum sæculi; timoris quo timetur offendi qui amatur. Aliter quippe timet adultera virum suum, aliter casta: adultera ne veniat: casta ne deserat. *Et in eundem Psal. & versum:* iniquitatem odio habui & abominatus sum, legem autem tuam dilexi. Absit, inquit, vt timore pereat amor, vbi castus est timor. Sic Patres a filiis piis & timentur & amantur: sic pudica coniunx virum & timet, ne ab illo deseratur, & amat vt fruatur, &c. paterna ergo iudicia laudentur & in flagello, si promissa diliguntur in præmio. *Et tract. 9. in 1. Io. 4.* In hoc perfecta est in nobis dilectio. Quære in quo? vt fiduciam habeamus in die iudicij. *Ita Paulus, reposita est mihi corona iustitiæ, non solùm autem mihi, sed & his qui diligunt aduentum eius.* Quisquis fiduciam habet in die iudicij, perfecta est in illo charitas. Quid est habere fiduciam in die iudicij? non timere ne veniat dies iudicij, &c. cœpit ergo timere diem iudicij, timendo corrigit se, &c. timebat ne veniret Christus, & inueniret impium quem damnaret: desiderat vt veniat, quia inuentutus est pium, quem coronet, &c. timor non est in charitate, sed in qua charitate? non inchoata. In qua ergo? sed perfecta, inquit, charitas foras mittit timorem, &c. Qui autem timet, non est perfectus in charitate. Quare? quia timor tormentum habet, quomodo sectio Medici tormentum habet, &c. *Subiicit exemplum vt supra adulteræ & castæ vxoris.* Huic, inquit, non grata sed onerosa est mariti præsentia; & si fortè viuit nequiter, timet maritum ne veniat. Tales sunt qui timent ne veniat dies iudicij, &c. timet illa, timet & ista: interroga; quasi vnum tibi respondent: times virum? respondet timeo. Vna vox est, sed diuersus animus. Iam ergo interrogentur, quare? illa dicit timeo virum ne veniat: illa dicit timeo virum ne discedat. Illa dicit timeo ne damnet; illa dicit timeo ne deserat, &c. ille est timor quem charitas excludit: ille est timor permanens in sæculum sæculi.

S. Aug. · S. Aug. · S. Aug. · S. Aug. · S. Aug.

TORMENTVM LENTVM.

Tormenti lenti grauitas. & homicidij pœna. De Ani. cap. 33. à p. V. verbum metempsychosis. num. 4. in m.

TRADITIONVM AVTHORITAS.

1. *Traditio tenenda. De Cor. Chri. cap. 2. in m.*

Si tantùm Christianus es, crede quod traditum est.

2. *Traditionis authoritas iam viguit ab Enoch. 1°. de Cult. fœm. cap. 3. in p. ad m. V. Verbum. Mathusalem.*

3. *Traditionis authoritas. De ieiun. cap. 10. à p.*

PEtrum dicam ex vetere potius vsu nonam obseruasse, tertiò orantem supremæ orationis munere. Hæc autem propter illos, qui se putant ex forma Petri agere, quam ignorant; non quasi respuamus nonam, cui & quarta sabbati, & sexta plurimum fungimur: sed quia eorum quæ ex traditione obseruantur, tantò magis dignam rationem adferre debemus, quantò carent scripturæ auctoritate, donec aliquo cœlesti charismate aut confirmentur, aut corrigantur. Act. 3. 1.

4. *Et ibid. cap. 13. circa f.*

ADspice ad Iudaïcos fastos, & inuenies nihil nouum, si quæ patribus sunt præcepta, omnis deinceps posteritas hæreditariâ religione custodit.

5. *Traditio & consuetudo vim legis obtinuit in multis quæ scriptura non præscribit, vt patet exemplis ceremoniarum Baptismi, Eucharistiæ, dies Dominicæ, signi Crucis, &c. De Corona cap. 2. à m. ad f. & cap. 3. & 4. per totum.*

LAudo fidem, quæ antè credidit obseruandum esse, quàm didicit. Et facilè est statim exigere, vbi scriptum sit, ne coronemur. At enim vbi scriptum est, vt coronemur? Expostulantes enim scripturæ patrocinium in parte diuersa, præiudicant suæ quoque Esa. 7. 9.

parti scripturæ patrocinium adesse debere. Nam si ideo dicetur coronari licere, quia non prohibeat scriptura, æquè retorquebitur, ideo coronari non licere, quia scriptura non iubeat. Quid faciet disciplina? vtrumque recipiet? quasi neutrum prohibitum sit? An vtrumque reiiciet, quasi neutrum præceptum sit? Sed quod non prohibetur, vltrò permissum est. Immò prohibetur, quod non vltrò est permissum.

CAP. III. Et quamdiu per hanc lineam serram reciprocabimus, habentes obseruationem inueteratam, quæ præueniendo statum fecit? Hanc si nulla scriptura determinauit, certè consuetudo corroborauit, quæ sine dubio de traditione manauit. Quomodo enim vsurpari quid potest, si traditum priùs non est? Etiam in traditionis obtentu exigenda est, inquis, auctoritas scripta. Ergo quæramus, an & traditio nisi scripta non debeat recipi? Planè negabimus recipiendam, si nulla exempla præiudicent aliarum obseruationum, quas sine vllius scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, & exinde consuetudinis patrocinio vindicamus. Denique vt à baptismate ingrediar, A quam adituri, ibidem, sed & aliquanto priùs in ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, & pompæ, & angelis eius. dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quàm Dominus in Euangelio determinauit. inde suscepti, lactis & mellis concordiam prægustamus. exque ea die, lauacro quotidiano per totam hebdomadem abstinemus. Eucharistiæ Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quàm Præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annuâ die facimus. Die Dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paschæ in Pentecosten vsque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxiè patimur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum, ad calciatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quàcunque nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.

CAP. IV. Harum & aliarum eiusmodi disciplinarum si legem expostules scripturarum, nullam inuenies: traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix. Rationem traditioni, & consuetudini, & fidei patrocinaturam aut ipse perspicies, aut ab aliquo qui perspexerit disces. interim non nullam esse credes, cui debeatur obsequium. Adiicio vnum adhuc exemplum, quatenus & de veteribus docere conueniet. Apud Iudæos tam solenne est feminis eorum velamen capitis, vt inde noscantur. Quæro

1.Cor. 11. § 10. legem. Apostolum differo. Si Rebecca conspecto procul sponso velamen inuasit, priuatus pudor legem facere non potuit, aut causæ suæ fecerit. Tegantur virgines solæ, & hoc

Gen. 24. 64. nuptum venientes, nec antè quam cognouerint sponsos. Si & Susanna in iudicio reuelata argumentum velandi præstat, possum dicere, & hîc velamen arbitrij fuit. rea venerat,

Dan. 13. 32. & seq. erubescens de infamia sua, meritò abscondens decorem, vel quia timens iam placere. Ceterùm in stadio mariti, non putem velatam deambulasse, quæ placuit. Fuerit nunc velata semper. in ipsa quoque legem habitus requiro, vel in quacunque alia. Si legem nusquam reperio, sequitur vt traditio consuetudini morem hunc dederit, habiturum quandoque Apostoli auctoritatem ex interpretatione rationis. His igitur exemplis renuntiatum erit, posse etiam non scriptam traditionem in obseruatione defendi, confirmatam consuetudine, idonea teste probatæ tunc traditionis, ex perseuerantia obseruationis. Consuetudo autem etiam in ciuilibus rebus pro lege suscipitur, cùm deficit lex: nec differt, scriptura an ratione consistat, quando & legem ratio commendet. Porrò si ratione lex constat, lex erit omne iam quod ratione constiterit, à quocunque productum. An non putas, omni fideli licere concipere & constituere, dumtaxat quod Deo congruat,

a Luc. 12. 57. quod disciplinæ conducat, quod saluti proficiat, dicente Domino: [a] *Cur autem non & à vobis ipsis quod iustum est iudicatis?* & non de iudicio tantùm, sed de omni sententia rerum

b Philip. 3. 15. examinandarum. Dicit & Apostolus: [b] *Si quid ignoratis, Deus vobis reuelabit*: solitus & ipse consilium subministrare, cùm præceptum Domini non habebat: & quædam edicere à

1. Cor. 7. 40. semetipso, sed & ipse [c] *spiritum Dei habens deductorem omnis veritatis*. Itaque consilium &

c Io. 16. 13 edictum eius, diuini iam præcepti instar obtinuit, de rationis diuinæ patrocinio. Hanc nunc expostula, saluo traditionis respectu, quocunque traditore censetur: nec auctorem respicias, sed auctoritatem, & in primis consuetudinis ipsius; quæ propterea colenda est, ne non sit rationis interpres: vt si & hanc Deus dederit, tunc discas, non an obseruanda sit tibi consuetudo, sed cur maior efficitur ratio Christianarum obseruationum, cùm illas etiam natura defendit, quæ prima omnium disciplina est.

6. *Traditionis authoritas, in scriptura Canonica discernenda. De car. Chri. cap. 2. circa f.*

V. Verbum Marcion. num. 7.

7. Traditione Ecclesiæ habemus epistolam inscriptam ad Ephesios, cuius titulum Marcion posuit ad Laodicenos. 5. cont. Marc. cap. 17. in p.

ECclesiæ quidem veritate, epistolam istam ad Ephesios habemus emissam, non ad Laodicenos; sed Marcion ei titulum aliquando interpolare gestiit, quasi & in isto diligentissimus explorator. Nihil autem de titulis interest, cùm ad omnes Apostolus scripserit, dum ad quosdam: certè tamen eum Deum prædicans in Christo, cui competunt quæ prædicantur.

8. Traditioni Ecclesiæ debemus numerum Epistolarum Pauli. V. verbum Marcion num. 14.

9. Traditio erronea non est, de Præscript. c. 28. in f.

CÆterùm, quod apud multos, vnum inuenitur, non est erratum, sed traditum. Audeat ergo aliquis dicere eos errasse qui tradiderunt?

TRADITIONVM AVTHORITAS. 1.3.4.5.7.9. SCHOL.

SI TANTVM, &c. *Marcionem pungit qui se Apostolum & Prophetam dictitabat. Vnde immediatè antè dicebat:* Si Propheta es, renuntia aliquid, si Apostolus, prædica publicè; *non in angulis,* si Apostolicus, *quales fuerunt Apostolorum discipuli, Dionysius, Ignatius, Polycarpus;* si Christianus tantùm, *quod tamen non es, cùm à fide excideris,* crede quod traditum est. *Et quomodo Christianus à Christo dictus, qui Christi veram carnem vt negaret, duo prima Lucæ capita de eâ tractantia resciderat?*

3. NONAM OBSERVASSE. *Act. 3. 1.* Petrus autem & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. *Et cap. 10. 9.* Ascendit Petrus in superiora vt oraret circa horam sextam. & cùm esuriret, *scilicet factâ oratione,* voluit gustare. *Hic Tertull. sera & ad vesperam protracta ieiunia commendans, obiiciendum sibi prævidens exemplum Petri horâ nonâ, post prandium ascendentis ad orationem, nihil Montanistarum ieiuniis præiudicasse, sed tantùm veterem morem & traditionem obseruasse, quâ ad nonam vsque ieiunabatur; nec non etiam traditionem antiquam ter orandi, sicut faciebat Daniel vt habetur cap. 4.* SVPREMÆ ORATIONIS. *Extrema, nempe horâ nonâ.* CVI FVNGIMVR. *Ad quam vsque quintâ & sextâ feriâ ieiunamus.* DONEC CŒLESTI CHARISMATE. *Reuelatione diuinâ. vbi pondera authoritatem traditionis, quæ, scripturâ tacente, & nihil præscribente, inuiolabiliter obseruari debet, donec aliter Ecclesiæ Deus reuelauerit, & authoritate Pontificiâ, & Concilij, rescissa fuerit.* DIGNAM RATIONEM. *Sicut præmiserat,* solicitudinis Ecclesiasticæ causam, vel prouidentiam imminentium Ecclesiasticarum tentationum, siue mundialium plagarum, &c. putà nunc ad exercendam sobrietatis & abstinentiæ disciplinam.

4. IVDAICOS FASTOS. *Annales, vel Calendarium, siue dies Neomeniarum, aliorumue festorum, quæ inuiolabiliter obseruant.* NIHIL NOVVM. *Obiectum sibi supponit à Psychicis, quòd noua ieiunia præter traditionem Ecclesiæ, cum Montanistis seruaret.* Nihil obseruationis ampliùs adiiciendum ob illicitum innouationis. *Et respondet nihil nouum ipsos induxisse; cùm iuxta Iudæos, quæ antiqui Patres rationabiliter & deuotè innexerant, ipse iuxta maiorum instituta seruaret.*

5. LAVDO FIDEM. Nec enim fides habet meritum, vbi humana ratio habet experimentum. *Vnde Esaias sæpè ab Authore relatus cap. 7. 9.* Nisi credideritis, non intelligetis. VBI SCRIPTVM EST. *Sic quærunt increduli, & hæretici frequenter, nihil volentes credere, quàm quod expressè in scriptura continetur. Quod & libertini Christiani supra de Spectaculis*

A *expressè in scriptura non prohibitis; hîc quoque de coronarum vsu ibidem non vetito mussitant.* SERRAM RECIPROCABIMVS. *Vtrimque disceptantes, hinc non esse prohibitum, inde non esse concessum. Alludit ad lineam secantium ligna in longum rubrica notatam.* INVETERATAM. *Traditionem & consuetudinem quæ longo ante vsu ante has controuersias viguit, & firmum statum quasi statutum & legem posuit.* INSTRVMENTO. *Scripturæ libro authentico, & fidem faciente.* AQVAM ADITVRI, *Hæc vox ad sacra pertinet: hinc Cicero de legibus:* ad diuos adeunto castè. *Vox item est iuris, quâ dicitur quis* adire hæreditatem, id est, amplecti & admittere. *Quod quidem fit in baptismo, in quo recipimur in adoptionem filiorum Dei:* si autem filij & hæ-

B redes. *Vnde & Christo in Iordane baptizato, aperti sunt cœli, quasi parati hæreditatem adituris iure baptismi.* IBIDEM. *Ad ipsum fontem baptismatis.* RENVNTIAMVS, *præclara sunt verba Constantini Imperatoris, in edicto ad Syluestrum Papam:* per manus impositionem Clericorum, vsque ad ipsum Præsulem venit, ibique renuntians Satanæ, pompis & operibus eius, & vniuersis idolis manufactis, credere me in Deum Patrem, spontaneâ voluntate coram omni populo professus sum. TER MERGITAMVR. *Trinâ mersione lauamur. Habes dicta proprio loco de baptismi ceremoniis.* SVSCEPTI, *à patrinis, & sponsoribus, quos Augustinus ser. 116. 163. & 215.* Fideiussores. *Ep. autem 13. ad Bonifacium,* fidei doctores appellat. S. Aug. CONCORDIAM. *Simul, ante omnem cibum communem sumimus. Et de hoc habes loco citato. Et Tertull. lib. 1. cont. Marc.*

C *cap. 14.* Sed ille quidem vsque nunc, neque aquam reprobauit Creatoris, quâ suos abluit, nec oleum quo suos vngit, nec mellis & lactis societatem, quâ suos infantat. *Hiero. cont. Luciferianos. Infra videndus in appendice.* LAVACRO QVOTIDIANO, *balneo, vel lotione vultus & manuum, quapropter baptismi reuerentiam ista hebdomade abstinebant.* IN TEMPORE VICTVS. *Tum, inter cœnam, in memoriam vltimæ cœnæ Christi, & huius meminit Paulus 1. Cor. 11. vbi arguit excessus indecenter conuiuantium dum sumerent Eucharistiam,* tempore victus. OMNIBVS MANDATVM. *Io. 6.* Nisi manducaueritis. *Et Matth. 26. 27.* Bibite ex hoc omnes. ANTELVCANIS CŒTIBVS. *Quod fiebat tempore persecutionis.* PRÆSIDENTIVM, *Episcoporum & Sacerdotum. de communione ante omnem cibum habes alibi suo loco. Item de oblationibus pro defunctis, Verbo, Purgatorium.* PRO NATALITIIS. *Diebus festis Sanctorum Martyrum, vnde Cyprianus ep. 34.* Sacrificia pro eis semper, vt meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones & dies anniuersaria commemoratione celebramus. FACIMVS, *Sacrifi-*

camus. IEIVNIVM NEFAS. *Concilium Constantinop. in Trullo, c. 55.* Si quis Clericus inueniatur sancto die Dominico ieiunans, deponatur. Si autem Laicus, excommunicetur. *Præscriptum iam fuerat in Canon. Apost. 64.* DE GENICVLIS ADORARE. *Idem habet Hiero. cont. Luciferianos, Hilarius Præfat. in Psal. Ambr. ep. 119.* ETIAM NOSTRI, *communis scilicet & vsualis, ob reuerentiam prouidentiæ diuinæ, quâ nutrimur, maximè quòd in his Corpus & Sanguis Christi consecretur.* CRVCIS SIGNACVLO. *Hiero. ad Eustoch.* ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat crucem. PRÆTENDITVR. *Demonstrabitur.* NON NVLLAM. *Aliquam, eamque non modicam; cùm ei sit à longo tempore præstitum ab antiquis obsequium.* VNVM EXEMPLVM. *Ex veteri Testamento; cùm reliqua omnia præcedentia, sumpta sint ex noua lege; Mos enim fuit fœminis Iudæorum, velare caput; vt vel inde nuptæ ab innuptis discernerentur; quanquam Tertullianus sub nomine fœminæ, tam virginem, quàm nuptam intelligat; qui virgines libro proprio velandas esse contendit.* QVÆRO LEGEM, *scriptam, id præscribentem in veteri Testamento, & nullam inuenio. In nouo quidem id præscripsit Apostolus, sed testimonium eius in aliud tempus differo. Exemplum Rebeccæ, cùm sit particulare, legem inducere non potuit; quæ priuatâ causâ & pudore, statim vt vidit sponsum Isaac, velum suum inuasit. Proinde exemplum eius, virginibus solis, qualis adhuc erat Rebecca, imitandum proponatur, & illæ solæ velum accipiant, quæ venientes ad nuptias, ante conspectum sponsorum stant, ab eis postea cognoscendæ; tunc enim pudore suffusæ ob propinquiorem conspectum, velum assumant.* SI ET SVSANNA. *Aliud profert exemplum ex lege scripta, nempe Susannæ, de qua Dan. 13. 32.* Susanna erat delicata nimis & pulchra specie. At iniqui illi, *duo senes falsi testes,* iusserunt vt discooperiretur, erat enim cooperta, vt vel sic satiarentur decore eius. REA VENERAT. *Tanquam rea accusata adulterij.* IAM PLACERE. *Etiam in ipso lapidationis periculo metu mortis pallida, pudore rubicunda, proindéque formosa.* IN STADIO VIRI, *ambulacro frondoso pomarij.* QVÆ PLACVIT. *Oculis Senum.* EX INTERPRETATIONE, *quia ratio optima est legum interpres.* RENVNTIATVM. *Intimatum erit & persuasum.* DEFENDI. *Tueri possumus instam esse traditionis obseruantiam.* CONSVETVDO IN CIVILIBVS. *Consuetudinem sic Brissonius definit.* Ius non scriptum, moribus vtentium comprobatum. *L. 32. & seq. ff. de legibus. Vsus enim diuturnitas, eius iuris firmamentum est. Diuturnitas autem ex maiorum moribus repetenda est. Arg. l. more maiorum ff. de Iurisd. omn. iud. l. 1. §. 1. de offic. eius cui mandat. l. pœna 9. ff. de parrici. Consuetudo item legem imitatur §. ex non scripto inst. de iure nat. gent. & ciuil.* CVM DEFICIT LEX. *Cùm nulla circa rem talem faciendam, vel vitandam statuta est; tunc enim si lex viget, nec abrogata est, nulla ei consuetudo præualet.* NEC DIFFERT. *Nihil interest, vtrum consuetudo fundamentum habeat in scriptura, vel in ratione.* QVANDO, *quandoquidem.* A QVOCVMQVE PRODVCTVM. *Scilicet potestatem habente, duo enim ad valorem legis necessaria sunt; primò vt à Principe, Magistratu, superiore potestatem habente feratur: deinde vt rationabilis sit.* OMNI FIDELI. *Licet quidem cuicumque, sibi priuatam legem mortificationis præscribere: non licet autem in Ecclesia toti plebi, & cuicumq; priuato fideli; sed tantùm Prælatis & Pontificibus. Et perperam vtitur scripturæ locis si de lege publica, à priuatis personis ferenda intelligat; sicut est illud Lucæ 12. 57.* Quid autem & à vobis ipsis non iudicatis quod iustum est. *Dicebat enim id hypocritis seipsos non iudicantibus:* hypocritæ faciem cœli & terræ nostis probare: hoc autem tempus, *aduentus scilicet mei,* quomodo non probatis? ET APOSTOLVS. *Philipp. 3. 15.* Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus: & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit. CONSILIVM SVBMINISTRARE. *1. Cor. 7. 25.* De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do. *De viduis autem ibid. 40.* Beatior erit si sic permanserit secundùm meum consilium: puto autem quòd & ego Spiritum Dei habeam. INSTAR PRÆCEPTI, *& hoc crudum, sapit errorem eius de secundis nuptiis condemnandis, quasi consilium Pauli, licet rationabile, & de Spiritu sancto suggestum, vim præcepti habeat, quòd sit fundatū in ratione diuina.* SALVO RESPECTV. *Inquire quantumlibet rationem; modò tamen, dum eam quæris, id fiat sine præiudicio honoris & obsequij debiti traditioni, à quocumque tandem authore originem sumpserit. Plùs enim pensanda est authoritas traditionis, & vsus ipsius, quàm authoris. Qui quidem vsus, siue consuetudo, quâ seruatur traditio, ideo colendus est; quia aliàs frustra esset qui interpretaretur & doceret rationem traditionis. Magister enim ille & doctor rationis, propter quam traditio inducta est, supponit eam obseruari, & vigere. Stultè enim rationem eius quæreres, si illa non vigeret.* VT SI ET HANC, *&c. scilicet rationem te docuerit Deus per Magistrum & interpretem; tunc discas, non quidem vtrùm sit obseruanda consuetudo; sed rationem quâ strictiùs obligamur traditionibus, quæ ad disciplinam Christianam attinent. Maximè autem cùm eas ipsa magistra natura prima omnium disciplina docente eas obseruare docêamur. Alij aliter interpungunt, vt sic legant.* Sed cur maior exigitur ratio Christianarum obseruationum, cùm illas etiam natura defendat, quæ prima omnium disciplina est? ideoque hæc prima præscribet, coronam capiti non conuenire. *Quia videlicet, flores aut visui, aut odoratui natura prouidit.*

7. EPISTOLAM ISTAM. *Quam tum decurrebat, eius locos contra Marcionem torquens.* ECCLESIÆ VERITATE. *Traditione verâ.* EMISSAM. *Inscriptam.* INTERPOLARE. *Immutare.* DILIGENTISSIMVS. *Ironicè.* AD OMNES. *Licet Epistolarum tituli ad speciales populos inscripti sint, ad omnes tamen fideles toto orbe dispersos scripsisse censendus est, cùm ad quosdam nominatim scripsit, vt de eo dici possit:* quod vobis dico, omnibus dico. EVM DEVM IN CHRISTO, *Creatorem scilicet, Christi Patrem.*

9. CÆTERVM QVOD, *&c. Nec tamen crede erratum fuisse, quod apud tam multos vnum idemque traditum & obseruatum est?* AVDEAT ERGO. *Quis hæreticus adeo temerarius erit, vt audeat dicere Apostolos errasse, qui à Spiritu sancto edocti, hæc, vel illa fidelibus posteris seruanda tradiderunt?*

Traditionum antiquitatem authoritatemque commendant veteres Patres iuxta Paulum 2. Thess. 2. 14. Itaque fratres, state & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram. *Dion. Areop. cap. 1. Eccl. Hierarch. Irenæus lib. 3. contra Hæreses cap. 4. Clem. Alex. 5. Strom. cap. 2. & 7. Strom. cap. 9. Orig. hom. 5. super num. tract. 29. in Matth. in cap. 6. ad Rom. Athan. ep. ad Epictet. Basil. lib. de Spiritu S. cap. 27. lib. 1. cont. Eunom. hom. 28. cont. Sabellium Arium, & Anomæos. Cyril. Ierosol. Catech. 5. Epiph. hæres. 55. 61. 69. 75. Chrysost. orat. 4. in 2. Thess. in appendice ponendi. Ambr. lib. 3. de fide cap. 7. & ser. 31. Dom. 1. Quadrag. Hiero. contra Luciferianos cap. 4. & ep. 28. ad Luci. Hiero. in Isa. cap. 8. & ep. ad Algasiam 151. q. 10. Augustinus autem ep. 9. ad Hiero.* Non ideo Petrum emendauit quòd paternas traditiones obseruaret: quod si facere vellet nec mendaciter, nec incongruè faceret: S. Aug. quamuis enim iam superflua, tamen solita non nocerent. *Et ep. 86. ad Casulanum in p.* Quod, *inquit,* S. Aug. me consulis, vtrùm liceat Sabbato ieiunare, respondeo,

deo, si nullo modo liceret, profectò quadraginta continuos dies, nec Moyses, nec Elias, nec ipse Dominus ieiunasset. Verùm istâ ratione concluditur, etiam Dominico die non illicitum esse ieiunium. Et quisquis tamen hunc diem ieiunio decernendum putauerit, sicut quidam ieiunantes Sabbatum obseruant, non paruo scandalo erit Ecclesiæ; nec immeritò In his enim rebus, de quibus nihil certi statuit scriptura diuina, mos populi Dei, vel instituta maiorum pro lege tenenda sunt. De quibus si disputare voluerimus, & ex aliorum consuetudine, alios improbare, orietur interminata luctatio, quæ labore sermocinationis, cùm certa documenta nulla veritatis insinuet; vtique cauendum est, ne tempestate contentionis, serenitas charitatis, obnubiletur. *Et ep. 118. ad Ianuarium in p.*
S. Aug. *vbi de lege scripta, & non scripta.* Primò tenere te volo, quod est huius disputationis caput, Dominum nostrum Iesum Christum, sicut ipse in Euangelio loquitur, leni iugo nos subdidisse, & sarcinæ leui. Vnde Sacramentis, numero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem noui populi colligauit, sicuti est baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio Corporis & Sanguinis ipsius, & si quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur; exceptis iis quæ seruitutem populi veteris, pro congruentia cordis illorum, & Prophetici temporis, onerabant, quæ & in quinque libris Moysi leguntur. Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata atque statuta retineri; sicuti, quod Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio in cœlum, & aduentus de cœlo Spiritus sancti aniuersariâ solemnitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrerit, quod seruatur ab vniuersa, quacumque se diffundit, Ecclesia. Alia verò quæ per loca terrarum regionesque variantur; sicuti est, quòd alij ieiunant Sabbato, alij verò non: alij quotidie communicant Corpori & Sanguini Dominico, alij certis diebus accipiunt; alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur; alibi Sabbato tantùm & Dominico, alibi tantùm Dominico. Et si quid aliud huiusmodi animaduerti potest, totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes. Nec disciplina vlla est in his melior graui prudentique Christiano, quam vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcumque fortè deuenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos viuitur, societate, seruandum est. *Et circa finem pistola, vbi de oblatione Eucharistica, feria quinta in Cœna Domini, ab aliquibus manè ieiunis, & rursum vespere pransis; consuetudinem loci seruandam monet.* Ipsa, *inquit*, mutatio consuetudinis, etiam quæ adiuuat vtilitate, nouitate perturbat. Quapropter quæ vtilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est. S. Aug.
Causam autem mutationis ibidem ait; aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet quod perperam fiebat, vel institui quod non fiebat. S. Aug.
Et ibidem, ex 1. Cor. 11. Cætera autem cùm venero, ordinabo. *Sic colligit traditionem.* Inde, *inquit*, intelligi datur, quia multum erat, vt in epistola, totum illum agendi ordinem insinuaret, quem vni- S. Aug.

A uersa per orbem seruat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quod nullâ morum diuersitate variatur. *To. 7. lib. de natura & gratia contra Pelag. cap. 39. Et lib. 1. contra Cresconium Grammat. cap. 33. vbi contra Donatistas rebaptizantes:* Quamuis, *inquit*, hu- S. Aug.
ius rei certè de Scripturis Canonicis non profertur exemplum, earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas. Vt quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit huius obscuritate quæstionis,
B eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat. *Et libro 4. de bapt. cont. Donatistas cap. 23.* Quod tradi- S. Aug.
tum, *inquit*, tenet vniuersitas Ecclesiæ, cùm paruuli infantes baptizantur, qui certè nondum possunt corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem, quod latro potuit; quin etiam flendo, & vagiendo, cùm in eis mysterium celebratur, ipsis mysticis, *alias. ipsi mœstis*: vocibus obstrepunt; & tamen nullus Christianorum dixerit eos inaniter baptizari. Et si quisquam in hac re authoritatem diuinam quærat, quanquam quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur. *Tandem libro 7. de bapt.* S. Aug.
C *cont. Donatistas c. 53.* Nobis tutum est, in ea non progredi aliquâ temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata sunt: id autem fiduciâ securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri, & Saluatoris Iesu Christi, vniuersalis Ecclesiæ consensione roboratum est. *Nec prætereo quod speciatim aduertit Augustinus, ipsum Apostolorum Symbolum, certissimam fidei regulam, non ex Scriptura sacra, sed à traditione Apostolica nos hausisse. Ita enim ipse ser. 181. de tempore qui est primus in* S. Aug.
vigilia Pentecost. Sancti, *inquit*, Apostoli, certam regulam fidei tradiderunt, quam secundùm numerum Apostolicum duodecim sententiis compre-
D hensam, Symbolum vocauerunt, per quam credentes Catholicam tenerent vnitatem, & per quam hæreticam conuincerent prauitatem. Symbolum ergo tali ratione institutum, maiores nostri dixerunt. Tradunt enim, quòd post Ascensionem Domini & Saluatoris nostri ad Patrem, cùm per aduentum Spiritus sancti, discipuli eius inflammati linguis omnium loquerentur, ad singulas quasque nationes, vt verbum Dei prædicarent, ituri ac discessuri ab inuicem, normam priùs sibi futuræ prædicationis in commune statuerunt, ne localiter ab inuicem discedentes, diuersum vel dissonum prædicarent his qui ad fidem Christi inuitabantur. Omnes igitur in vno positi, & Spiritu sancto repleti, breue suæ prædicationis iudicium conferendo in vnum, quod sentiebat vnusquisque computabat, atque hanc ita credentibus dandam esse re-
E gulam instituerunt. Symbolum breue est verbis, sed magnum est Sacramentis, &c. *Et quod amplius notandum venit, contra hæreticos sæpiùs inculcandum, est, quòd Scripturam sanctam & Canonicam, à spuriis & apocryphis discretam, nullo alio quàm ipsius traditionis, & authoritatis Ecclesiæ iudicio accepimus. Vnde ipse Augustinus alibi relatus à nobis:* non crederem, *inquit*, Euangelio, nisi me Ecclesiæ moueret authoritas. S. Aug.

APPENDIX EX PATRIBVS DE TRADITIONVM authoritate.

HÆRETICI *in traditionibus reiiciendis similes sunt Sadducæis de quibus Iosephus lib. 13. Antiq. cap.* 18. Nunc, *inquit*, iudicandum est quòd multas constitutionum à maioribus per manus acceptas Pharisæi tradiderint populo, quæ non sunt scriptæ inter leges Mosaïcas; & ideo Sadducæi his authoritatem abrogant, dicentes eas oportere tantùm seruari, quæ scripto continentur. *Sic Athanasius notat Arrianos verbum* ὁμοούσιον *reiecisse, Epiphanius hæresi,* 73. Coessentialis, *inquit*, vocem penitus reiiciunt, nimirum velut alienam à diuina Scriptura. *Eadem de causa Basilius lib. de Spiritu S. cap. 25. & libro 1. contra Eunomium, Spiritui sancto, eundem honorem, cum Patre & Filio dandum negabat, Augustinus lib. 1. contra Maximinum Arrianorum Episcopum, sic eum* B

S. Aug. *inducit*: hæ verò voces quæ extra Scripturam sunt, nullo casu à nobis suscipiuntur. *Et libro de Nat. &*

S. Aug. *gratia cap. 39. contra Pelagianos.* Magna planè sententia conclusit hunc locum, cùm ait: credamus igitur quod legimus, & quod non legimus, nefas credamus astruere; quod de cunctis etiam dixisse sufficiat. Contra est, dico: nec omne quod legimus credere nos debere, propter illud quod Apostolus ait 1. Thess. 5. omnia legite, quæ bona sunt tenete: & astruere aliquid etiam quod non legimus, nefas non esse. Possumus enim aliquid bonâ fide testibus astruere quod experti sumus, etiamsi fortè non legimus. Hîc fortassè respondet: ego cùm hoc dicerem, de Scripturis sanctis agebam. O vtinam, non dico aliud quam in illis litteris legit, verùm C contra id quod legit, nihil vellet astruere; fideliter & obedienter audiret quod scriptum est: per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, &c. Rom. 5. & non infirmaret tanti Medici gratiam dum fateri non vult naturam humanam esse vitiatam. *&*

S. Aug. *epist. 174. ad Pascentium Comitem Arrianum vbi de homusion* vehementer, *inquit*, exigebas, vt hoc verbum tibi in scripturis ostenderemus, & statim nobis communicares. Respondebatur à nobis, quia nos Latinè loqueremur, & illud Græcum esset, priùs quærendum esset quid sit homusion, & tunc exigendum vt in libris sanctis ostenderetur. Tu contra verbum ipsum crebrò repetens, & inuidiosè ventilans, atque in Conciliis maiorum nostrorum con- D scriptum commemorans, vehementer vrgebas, vt ipsum omnino verbum quod est homusion, in sanctis libris ostenderemus: nobis etiam atque etiam reuocantibus, quia lingua nostra Græca non esset, priùs interpretandum & exponendum esse quid sit homusion; tum demũ in diuinis literis requirendum, quia etsi fortassè nomen ipsum non inueniretur; res tamen ipsa inueniretur. Quid est enim cõtentiosius, quàm vbi de re constat, certare de nomine? hæc ergo quia inter nos iam collocuti fueramus, posteaquam ad id vẽtum est, vt fidem tuam sicut commemoraui scriberes, quanquã nihil in eis verbis viderem nostræ fidei esse contrarium, & propterea me dicerem paratum esse subscribere, quæsiui vt dixi, vtrum scriptura Dei contineret hoc verbum, quòd Pater esset ingenitus: & cùm scriptum esse respondisses, E instantiùs quærebam vt ostenderes. Tunc vnus ex iis qui aderant, quantùm intelligi datur fidei tuæ socius, ait mihi: quid ergo? tu Patrem genitum dicis? respondi, non dico. Et ille: si ergo genitus non est, inquit, vtique ingenitus est. Cui ego, vides, inquam, fieri posse, vt etiam de verbo quod in

A scriptura Dei non est, reddatur tamen ratio, vnde rectè dici ostendatur: sic ergo & homusion, quod in authoritate diuinorum librorum cogebamur ostendere, etiam si vocabulum ipsum ibi non inueniamus, cui hoc vocabulum rectè adhibitum iudicetur.

Sic Nestoriani in Actis Concilij Ephesini & actione prima Chalcedonensis, tribuentes præter subsistentiam Verbi, hypostasin humanam Christo, beatam Virginem non θεοτόκον, *sed* χριστοτόκον *appellari volebant. Scriptura tamen ipsa nos ad Patrum traditionem mittit Deut. 32.* 7. Interroga Patrem tuum & annuntiabit tibi, maiores tuos & dicent tibi. *Prouerb. 1. 8.* Audi fili mi disciplinam Patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. *Eccli. 8. 11* non te prætereat narratio Seniorum, ipsi enim didicerunt à Patribus suis; quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum. *Sic & Psal. 43. 1.* Deus auribus nostris audiuimus, Patres nostri annuntiauerunt nobis, opus quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis. *Esa. 38. 19.* Pater filiis notam faciet veritatem tuam. *Ieremias 6. 16.* hæc dicit Dominus state super vias vestras, & videte & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris. *Quin & ipse Christus Io. 16.* Multa habeo vobis loqui, sed non potestis portare modò, cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim à seipso loquetur, sed quæcumque audiet loquetur. *Ergo præter scripta, etiam dicta credenda sunt Matth. 23. 2.* Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis, *non ait quæ scripta fuerint*, seruate & facite. *Quod & notauit Hilarius in Psal. 2.* Erat, *inquit*, iam à Mose ante institutum, in omni Synagoga septuaginta esse Doctores. Nã idem Moses, quamuis veteris Testamenti verba in litteris condidisset, tamen separatim quædam ex occultis legis secretiora mysteria, septuaginta senioribus, qui deinceps Doctores manerent, intimauerat: cuius doctrinæ etiam Dominus in Euangeliis meminit dicens, super Cathedram Moysi, &c. doctrina ergo horum in posterum ab ipso scriptore legis accepta, in hoc Seniorum, & numero, & officio conseruata est.

Paulus item 1. Cor. 11. 2. iuxta Epiphanium hæresi 61. & Chrysost. hoc ipso loco, & orat. 4. in 2. Thess. agebat de modo orationis faciendæ & sumendæ Eucharistiæ, qui non erat scriptus. Laudo, *inquit*, vos fratres mei, quòd per omnia mei memores estis: & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. *Vbi* τὸ tenetis, *in Græco* κατέχετε *magnam habet emphasim, & exactam summamque solicitudinem obseruantiæ sonat. Quod & inculcat 2. Thess. 2. 14.* Itaque fratres state, & tenete, *Syr. constanter tenete*, traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. *Ex quibus verbis octaua Synodus act. vltima, can. 1. probat ius non scriptum & traditionum authoritatem.*

Ex Patribus primùm Græcis dehinc Latinis id confirmemus. In primis Dionysius Areopagita de Eccl. Hierarch. cap. 1. Primi, *inquit*, illi nostri Sacerdotalis muneris duces, cùm ex summa substantialique deitate, ipsi sancti muneris, *Spiritus*, plenitudinem percepissent. Summa illa & supersubstantialia partim scriptis, partim non scriptis, in institutionibus suis, iuxta quod sacræ definiunt leges nobis tradiderunt.

Iren. lib. 3. contra hæres. cap. 4. Quid autem, *inquit*, si ne Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum qui in Christum credunt sine carta & attramento, scriptam habentes per Spiritum sanctum in cordibus suis salutem & veterum traditionem diligenter custodientes. *Clemens Alex. lib. 5. Strom. cap. 2. in f.* Cognitionis, *inquit*, ædificium in Epistola quoque ad Romanos tacitè significans inquit: desidero enim videre vos, vt aliquod vobis donum impertiar spirituale, vt vos confirmemini. Non poterant apertè litteris scribi eiusmodi dona *Et lib. 7. cap. 9. à princ.* Quomodo, *inquit*, si quis fiat bestia ex homine, similiter atque ij qui fuerant infecti venenis Circes: ita homo Dei esse, & Domino fidelis esse perdidit, qui aduersùs Ecclesiasticam recalcitrauit traditionē, & in humanarum hæresum desiluit opiniones. Qui autem ex errore reuersus obedijt scripturis, & vitam suam permisit veritati, Deus quodammodo ex homine efficitur. *De traditionum authoritate videndus Origenes in Proemio libri 1. de principiis:* illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat traditione. *Vide eumdem homil. 5. super Numeros. Et in cap. 6. ad Rom.* Ecclesia, *inquit*, ab Apostolis traditionem accepit, etiam paruulis baptismum dare. *Basil. de Spiritu sancto cap. 27.* Cùm signo Crucis eos qui spem collocarunt in Christum signamus, quis scripto docuit? & cùm ad orientem precamur, quæ docuit scriptura? *Et epist. 61. queritur de contemptu traditionum.* Dogmata Patrum contemnuntur, Apostolicæ traditiones annihilantur, recentiorum hominum inuenta Ecclesiis inferuntur. *Epiph. hæresi 55.* Termini nobis positi sunt, & fundamenta, & ædificatio fidei, & Apostolorum traditiones, & Scripturæ sanctæ, & successiones doctrinæ, & vndecumque veritas Dei munita est. Nemo igitur decipiatur nouis fabulis. *Et hæresi 61.* Oportet & traditione vti. Non enim omnia à diuina Scriptura possunt accipi: quapropter aliqua in scripturis, aliqua in traditione sancti Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit S. Apostolus. 1 Cor. 11. 2. sicut tradidi vobis. Et versu 23. quod & tradidi vobis. & 1 Cor. 15. 3. tradidi enim vobis in primis. *& hæresi 69. quærit ab Arrianis, vbi vox coëssentialis sit scripta. & hære. 75.* Ecclesia, *inquit*, necessariò hoc quod pro defunctis orat, perficit traditione à Patribus acceptâ. Quis autem poterit statutum matris dissoluere, aut legem Patris? velut Salomon dicit, audi fili mi disciplinam Patris tui, & ne repudies statuta matris tuæ. Ostendens per hoc in scripturis, & sine scripto docuit Pater, hoc est Deus, & vnigenitus, & Spiritus sanctus: mater autem nostra Ecclesia habet statuta in se posita indissolubilia. *Cyrill. autem Ierosol. Catech. 5.* Videte, *inquit*, fratres vt seruetis traditiones quas nunc accepistis, & in latitudine cordis eas describite, vt cum pietate eas custodiatis. *Cyrill. item Alexandrinus homil. 8.* Traditionem Ecclesiæ tanquam thesaurum quemdam in penetrali cordis recondens amplectere. *Chrysost. orat. 4. in 2. ad Thessal.* Hinc, *inquit*, est perspicuum, quòd non omnia per Epistolam tradiderunt, sed multa etiam sine scriptis, & ea quoque sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio, nihil quæras ampliùs.

Ad Patres Latinos transeamus. Ambrosius lib. 3. de fide cap. 7. Seruemus præcepta maiorum, nec hæreditaria signacula ausi rudis temeritate violemus. *Et ser. in Do. 1. Quadragesimæ 31.* Nonnulli Christianorum, existimantes se diuinitatis præcepta religiosiùs obseruare, prætermissa deuotione Quadragesimæ, cuius hodie curamus exordium, Quinquagesimam se facere mentiuntur, cùm id neque diuinis litteris iubeatur, neque traditum sit authoritate maiorum. *Et in 1. Cor. 11. in verba*, vos ipsi iudicate decet ne mulierem non velatam orare. Hinc est *inquit*, vnde superiùs illis per ironiam succenset, dicens, laudo quia omnia mea memoriâ retinetis: & quomodo vbique trado, traditiones meas tenetis. Cùm enim hæc esset traditionis ratio, vt velatæ essent mulieres in Ecclesia, illi contra reuelatas eas in Ecclesia patiebantur. Ideoque iam non authoritate traditionis quam neglexerant, sed per ipsam naturam suadere illis nititur veritatem dicens, nec ipsa natura docet vos? &c.

Hieronymus ep. 28. ad Lucinium. Traditiones Ecclesiasticæ, quæ fidei non officiunt, ita obseruandæ, vt a maioribus traditæ sunt. *Et lib. cont. Luciferianos cap. 4.* Etiamsi scripturæ authoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus, instar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis obseruantur, authoritatem sibi scriptæ legis vsurparunt: velut lauacro ter caput mergitare, deinde egressos, *baptismo*, lactis & mellis prægustare concordiam, ad infantiæ significationem: die Dominico, & per omnem Pentecosten, nec de geniculis adorare, & ieiunium soluere, multaque alia quæ scripta non sunt, rationalis sibi obseruatio vindicauit.

Augustinus lib. 1. de baptismo contra Donatistas S. Aug. *cap. 24.* Quod, *inquit*, vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur. *Et lib. 2 cont. Iulianum cap. 1. vbi de doctrina tradita à Patribus*, argumenta, *inquit*, ipsa vestra S. Aug. quibus agitis, ne hominum prima natiuitas originali peccato credatur obstricta, eloquiis sunt redarguenda sanctorum. Quos oportet, vt populi Christiani vestris prophanis nouitatibus anteponant, eisque potiùs eligant adhærere quàm vobis.

Certè si scriptura absolutè necessaria esset ad salutem quis ab Adam ad Moysem 2669. saluus fuisset. Et ab ipso Moyse ad Christum quot Gentiles extra Iudaismum positi absque scriptura in Deum crediderunt; vt notat Augustinus lib. 2. de pec. originali cap 24. Sine fide, S. Aug. *inquit*, Incarnationis, & mortis, & Resurrectionis Christi, nec antiquos iustos, vt iusti essent, à peccatis potuisse mundari, & Dei gratiâ iustificari, veritas Christiana non dubitat siue in eis iustis quos S. Scriptura commemorat, siue in eis iustis, quos quidem illa non commemorat, sed tamen fuisse credendi sunt, vel ante diluuium, vel inde vsque ad datam legem, vel ipsius legis tempore, non solùm in filiis Israel, sicut fuerunt Prophetæ, sed etiam extra eumdem populum, sicut fuit Iob. Et ipsorum enim corda eadem mundabantur mediatoris fide, & diffundebatur in eis charitas per Spiritum sanctum, qui vbi vult spirat, non merita sequens, sed etiam ipsa merita faciens. Non enim Dei gratia, gratia erit vllomodo, nisi grata fuerit omni S. Aug. modo. *Et lib. 18. de Ciuit. cap. 47.* Non incongruè creditur, fuisse & in aliis gentibus, homines quibus hoc mysterium reuelatum est, &c. homines autem quosdam non terrenâ, sed cœlesti societate ad veros Israelitas supernæ ciues patriæ pertinentes, etiam in aliis gentibus fuisse negare non possunt: quia si negant, facillimè conuincuntur de sancto & mirabili viro Iob, qui nec indigena, nec proselytus id est aduena populi Israël fuit: sed ex gente Idumæa genus ducens, ibi ortus ibidem mortuus est. *Ex Aristeo in Iudaica historia filius fuit Esau*,

incola Idumaea in Arabiae finibus. Vt ex hoc vno sciremus etiam per alias gentes esse potuisse qui secundùm Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad spiritalem Ierusalem. Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui reuelatus est vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui venturus in carne sic antiquis sanctis prænuntiabatur, quemamodum nobis venisse nuntiatus est: vt vna eademque fides per ipsum omnes in Dei ciuitatem, in domum Dei, in Dei templum prædestinatos perducat ad Deum. *Hi ergo Gentiles non iure scripto, sed traditione fidem acceperant.*

Ad hac Chrysost. homil. 7. in cap. 2. 1. Cor. Magna librorum copia periit, & pauca ex priori captiuitate volumina extiterunt, quod ex reliquis captiuitatibus plenè constat. Etenim, inquit Apostolus quod a Samuele, & qui secuti sunt Prophetæ, omnes locuti sunt de eo, tamen non certò feruntur. Paulum autem, vtpote legisperitum & à Spiritu locutum, credibile est omnia proculdubio cognouisse. Et quid ego captiuitatem memoro? nam etiam ante captiuitatem multa abolita sunt librorum volumina, cùm Iudæi in vltimam prolapsi sunt impietatem: quod in calce 4. Regum manifestè deprehenditur. *4 Reg. 22. 13. vbi de Iosia Rege & Elcia Pontifice: ite & consulite Dominum super me, & super populo, & super omni Iuda de verbis voluminis istius quod inuentum est.* Liber enim Deuteronomij vix maiorum nostrorum temporibus inuentus est in luto obrutus. Præterea multis in locis duplices sunt Prophetiæ, quæ facilè ab assuetioribus comprehendi possunt, ex quibus multa incerta inuenire possumus. Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas: & fuerunt carmina eius, *o. Cantica,* quinque mille. Et disputabit super ligna à cedro quæ est in Libano vsque ad hyssopum quæ egreditur de pariete, & disseruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus. 3. Reg. 4. 32. & 1. Paral. cap. vltimo, versu 29. gesta

A autem Dauid Regis priora & nouissima scripta sunt in libro Samuelis videntis, & in libro Nathan Prophetæ, atque in volumine Gad Videntis. Et 2. Paral. 9. 29. Reliqua autem operum Salomonis, priorum & nouissimorum, scripta sunt in verbis Nathan Prophetæ, & in libris Ahiæ Silonitis, in visione quoque addo *septuaginta Ioël; Pagninus ex Hebr. Iahaddi* Videntis, contra Ieroboam filium Nabat. & ad Coloss. 4. 16. cùm lecta fuerit apud vos Epistola hæc, facite vt & in Laodicensium Ecclesia legatur: & eam quæ Laodicensium est, *Syr. quæ scripta est Laodicea,* vos legatis. *Quidquid & Chrysostomus homil. 12. in ep. ad Coloss. Theod. in eandem initio, & Epiphanius citant Epistolam Pauli ad Laodicenses. Si ergo quæcumque fuit aliquando*

B *scriptura ad salutem necessaria est, quomodo & antequam scriberetur, scripta spargeretur, & postquam disseminata, intercepta est, donec inueniretur, & inuenta postea prorsus tam multa interiidit, fideles salui esse potuerunt? Respondeant nouatores vnde & ipsi & nos Scripturas, Dei scripturas esse teneamus? nonne traditione maiorum? Quis enim nobis dixit Moysen & Prophetas & Apostolos hunc vel illum librum edidisse?*

Et hæc quæ in commendationem traditionum scripsimus, nihil Scripturæ sacræ authoritati detrahunt, quibus præiuimus Augustinum lib. 18. de Ciuit. cap. 47. vbi dixerat Gentiles aliquos absque sancta Iudaica scriptura inter ciues sanctorum numeratos vtpote credentes in Christum, sic concludit, vetus commendans Iudaicum

C *instrumentum*; Quæcumque, *inquit*, aliorum Prophetiæ de Dei per Christum Iesum gratia proferuntur, possunt putari à Christianis esse confictæ. S. Aug. Ideo nihil est firmius ad conuincendos quoslibet alienos, si de hac re contenderint, nostrosque fulciendos, si rectè sapuerint, quàm vt diuina prædicta de Christo, ea proferantur, quæ in Iudæorum scripta sunt codicibus. *Quia testimonium sumptum ab aduersario fortissimum est.* Quibus auulsis de sedibus propriis, & propter hoc testimonium toto orbe dispersis, Christi vsquequaque creuit Ecclesia.

TRINITAS.

1. *Trinitatis, & Incarnationis fidem diabolus per Praxeam & Monarchianos, siue Patripassianos confundere voluit. Cont. Prax. cap. 1. in p. ad m.*

VAriè diabolus æmulatus est veritatem Adfectauit illam aliquando defendendo concutere. Vnicum Dominum vindicat omnipotentem mundi conditorem, vt & de vnico hæresim faciat. Ipsum dicit Patrem descendisse in virginem, ipsum ex ea natum, ipsum passum, denique ipsum esse Iesum Christum. Excidit sibi coluber; quia Iesum Christum post baptisma Ioannis tentans, vt filium Dei adgressus est; certus filium Deum habere, vel ex ipsis scripturis, de quibus tunc tentationem struebat, [a] *Si tu es filius Dei, dic vt lapides isti panes fiant: Item, si tu es filius Dei, deiice te hinc: Scriptum est enim, quod mandauit angelis suis super te*, vtique Pater, *vt te manibus suis tollant, necubi ad lapidem pedum tuum offendas.* Aut nunquid mendacium Euangeliis exprobrauit, dicens. Viderit Matthæus, Lucas: ceterùm, ego ad ipsum Deum accessi, ipsum omnipotentem cominus tentaui. Ideo & accessi, ideo & tentaui. Ceterùm, si filius Dei esset, nunquam illum fortasse dignarer. Sed enim ipse potiùs à primordio mendax est; & si quidem hominem de suo subornauerit, vt Praxeam.

[a] Matth. 4. 3. Psal. 90. 14. Ibid.

2. *Trinitatem personarum stultè confundunt Monarchiani, perperam dicentes nihil esse impossibile Deo. Cont. Prax. cap. 10. in m. ad f. & cap. 11. in p. ad circa f.*

NIhil Deo difficile. Quis hoc nesciat? & [a] *impossibilia apud seculum, possibilia apud Deum* quis ignoret? [b] *Et stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientiam.* Legimus omnia. Ergo, inquiunt, difficile non fuit Deo, ipsum se & patrem & filium facere, aduersùs traditam formam rebus humanis. nam & sterilem parere, contra naturam, difficile Deo non fuit, sicut nec virginem. Planè nihil Deo difficile. Sed si tam abruptè in

[a] Matth. 19. 26. [b] 1. Cor. 1. 27.

præsumptionibus nostris hac sententiâ vtamur, quidvis de Deo confingere poterimus, quasi fecerit, quia facere potuerit. Non autem quia omnia potest facere, ideo vtique credendum est illum fecisse, etiam quod non fecerit. Sed an fecerit, requirendum. Potuit, ita saluus sim, Deus pennis hominem ad volandum instruxisse, quod & miluis præstitit; non tamen quia potuit, statim & fecit. Potuit & Praxeam, & omnes pariter hæreticos statim extinxisse, non tamen quia potuit, extinxit. Oportebat enim & miluos esse, & hæreticos: oportebat & patrem crucifigi. Hac ratione erit aliquid & difficile Deo; id scilicet quodcunque non fecerit. non quia non potuerit, sed quia noluerit. Dei enim posse, velle est; & non posse, nolle. quod autem voluit, & potuit, & ostendit. Ergo quia si voluit semetipsum sibi filium facere, potuit; & quia si potuit, fecit: tunc probabis illum & potuisse & voluisse, si probaueris illum fecisse. Probare autem tam apertè debebis ex scripturis, quàm nos probamus illum sibi filium fecisse Sermonem suum. Si enim filium nominat, filius autem non alius erit quàm qui ex ipso prodiit. Non enim ipse prodiit ex semetipso. Porrò, qui eundem patrem dicis & filium, eundem & protulisse ex semetipso facis, & prodisse quod Deus est. Si potuit fecisse, non tamen fecit. Aut exhibe probationem quam expostulo meæ similem; id est, sic scripturas eundem filium & patrem ostendere, quemadmodum apud nos distinctè pater & filius demonstrantur; distinctè inquam, non diuisè. sicut ego profero dictum à Deo, [c] *Eructauit cor meum Sermonem optimum.* Sic tu contrà opponas, alicubi dixisse Deum, *Eructauit me cor meum Sermonem optimum*; vt ipse sit qui & eructauit, & quod eructauit; & ipse qui protulerit, & qui prolatus sit, si ipse est & Sermo, & Deus. Ecce ego propono patrem filio dixisse, [d] *Filius meus es tu, ego hodie generaui te.* Si velis vt credam ipsum esse patrem & filium, ostende sic pronuntiatum alibi, *Dominus dixit ad se, filius meus sum ego, ego hodie generaui me.* proinde &, [e] *Ante luciferum generaui me.* &, [f] *Dominus condidi me initium viarum in opera mea; ante omnes autem colles generaui me*; & si qua alia in hunc modum sunt. Quem autem verebatur Deus Dominus vniuersitatis. ita pronuntiare, si ita res erat; an verebatur ne non crederetur, si simpliciter se & patrem & filium pronuntiasset? Vnum tamen veritus est, mentiri. Veritus autem semetipsum & suam veritatem. Et ideo veracem Deum credens, scio illum non aliter quàm disposuit, pronuntiasse. nec aliter disposuisse quàm pronuntiauit. Tu porrò eum mendacem efficias, & fallacem & deceptorem fidei huius, si cùm ipse esset sibi filius, alij dabat filij personam, quando scripturæ omnes, & demonstrationem, & distinctionem Trinitatis ostendant. A quibus & præscriptio nostra deducitur, non posse vnum atque eundem videri qui loquitur, & de quo loquitur, & ad quem loquitur: quia neque peruersitas, neque fallacia Deo congruat; vt cùm ipse esset ad quem loquebatur, ad alium potiùs, & non ad semetipsum loquatur. Accipe igitur & alias voces patris de filio per Esaïam, [g] *Ecce filius meus quem elegi, dilectus meus in quem benè sensi. Ponam spiritum meum super ipsum, & iudicium Nationibus annuntiabit.* Accipe & ad ipsum, [h] *Magnum tibi est vt voceris filius meus ad statuendas tribus Iacob, & ad conuertendam dispersionem Israëlis. Posui te in lucem Nationum, vt sis salus in extremum terræ.* Accipe nunc & filij voces de patre, [i] *Spiritus Domini super me, quapropter vnxit me ad euangelizandum hominibus.* Item ad patrem in Psalmo, de eodem, [k] *Ne dereliqueris me, donec annuntiem brachium tuum natiuitati vniuersæ venturæ.* Item in alio, [l] *Domine, quid multiplicati sunt qui comprimunt me?* Sed & omnes penè Psalmi, Christi personam sustinent; filium ad patrem, id est, Christum ad Deum verba facientem repræsentant. Animaduerte etiam spiritum loquentem ex tertia persona, de patre & filio, [m] *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Item per Esaïam, [n] *Hæc dicit Dominus Domino meo Christo.* Item per eundem ad patrem de filio, [o] *Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? Annuntiauimus de illo, sicut puerulus, sicut radix in terra sitienti, & non erat forma eius, nec gloria.*

Marginalia: 1. Cor. 11. 19. — Cap. XI. — c Psal. 44. 1. — d Psal. 2. 7. — e Ps. 109. 4 — f Prou. 8. 22. — g Esa. 42. 1. — h Esa. 49. 6. — i Esa. 61. 1 — k Ps. 70. 19. 20. — l Ps. 3. 1. — m Ps. 109. 1. — n Esa. 45. 1. — o Esa. 53. 1. 2.

TRINITAS. 1. & 2. SCHOL.

ÆMVLATVS. *Siue eam in mysteriis Gentilium imitando, siue fabulis & mendaciis obnubilando, siue mille aliis artibus ei aduersando.* DEFENDENDO *Etiam eam tuendo dogmatibus hæreticorum. & adducit exemplum: quia enim veritas fidei docet vnicum esse Deum Creatorem omnipotentem, ex vnitate essentiæ diuinæ, vnicam personam esse, Praxea Patripassianorum Patriarchæ suasit, vt doceret ipsum Patrem Incarnatum in virgine, & ex ea factum, passum, & mortuum.* EXCIDIT SIBI, *oblitus est diabolus, se non patrem, sed filium in deserto tentasse, dum bis dixit:* Si filius Dei es, &c. VIDERIT MATTHÆVS, *&c. sic inducit Satanam loquentem. Nihil ad me, si errauerint Euangelistæ, filium Dei nominando; nam quantùm ad me spectat, scio me non alium quàm Deum Patrem omnipotentem de propinquo aggressum; dedignatus enim fuissem eius filium, si quis esset, aggredi & tentare.* SED ENIM, *&c. sic retorquet author in ipsum diabolum; non esse mentitos Euangelistas, cùm Dei filium dixerunt, sed ipsum, qui ab initio mendax fuit, cùm se dixit similem altissimo, & plures Deos esse Euæ suasit, dicens,* eritis sicut dij, &c. *sicut & Praxeam huius hæresis principem decepit.* DE SVO. *Quia* mendax est, & Pater eius. Et cùm mendacium loquitur, ex propriis loquitur.

2. NIHIL DIFFICILE. *Inducit Praxeanos scrip*

A turâ abutentes. ADVERSVS TRADITAM FORMAM. Sicut Deus potuit supra naturæ leges, plures steriles mulieres, & vnam virginem fœcundare, sic contra naturæ ordinem potuit Deus Pater seipsum filium facere. ABRVPTE, perperam & indiscretè. PATREM CRVCIFIGI. Vnde dicti Patripassiani, quorum ex opinione hæretica sic concludit. HAC RATIONE, opinione peruersa. OSTENDIT. Probauit opere & effectu. FILIVM FECISSE. Aduerte Lector, totum hunc tractatum de Trinitate contra Praxeam inscriptum, cautè legendum, ob cruda & obscura verba. Necdum enim per Nicenum Symbolum, & Athanasij, aliorumque Patrum & Conciliorum Canones, mysterium Trinitatis fuerat expositum. Frequenter vtitur verbo fecit, creauit, condidit, pro eo quod nos dicimus, genuit, & Sermonem, rationem, Sophiam, pro Verbo & filio ponit. NON IPSE. Pater scilicet. PRODISSE. Processisse Deum ipsum Patrem à semetipso. NON DIVISE, quia vnitate substantiæ ita sunt indiuisi, sicut sunt personarum proprietate distincti. ET DEVS, scilicet Pater, eructans Verbum, de quo alibi iam dixi. PER ESAIAM. 42. 1. Et hunc rursus expositus. MAGNVM TIBI. Esa. 49. 6. Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas. Ecce dedi te, &c. 70. Vt voceris puer meus, vt suscites tribus Iacob, & dispersionem Israel conuertas. Ecce dedi te in testamentum generis in lucem Gentium, &c. IN PSALMO 70. 18. Deus ne derelinquas me, &c. generationi omni quæ ventura est. COMPRIMVNT, qui tribulant me. SPIRITVM LOQVENTEM. Per os Dauid. Augustinus mille aliis scripturæ locis probat distinctionem personarum contra Sabellianos, siue Praxeanos,

S. Aug. personas confundentes. Sicut tractatu. 29. in cap. 7. Io. Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Intelliges, inquit, quia Christus Dei filius, qui est doctrina Patris, non est ex seipso, sed filius est Patris. Sabellianam hæresim sententia ista dissoluit. Sabelliani enim dicere ausi sunt, ipsum esse filium, qui est Pater; duo esse nomina, sed vnam rem. Si duo essent nomina, & res vna, non diceretur, mea doctrina non est mea. Vtique si tua doctrina non est tua, ô Domine cuius est, nisi alius sit, cuius sit? quod dixisti, Sabelliani non intelligunt, non enim Trinitatem viderunt, sed sui cordis errorem secuti sunt: nos cultores Trinitatis & veritatis, Patris & Filij, & Spiritus sancti, & vnius Dei, intelligamus de doctrina Christi, quomodo non est eius, & ideo dixit se non à seipso loqui: quoniam Christus Patris est filius, & Pater, Christi est Pater; & Filius de Deo Patre, Deus est: Pater autem Deus, non

S. Aug. de Filio Deo, Deus est. Et tract. 71. in Io. 14. vbi Sabellianos opponit Arrianis. Arriani, inquit, dicunt, ecce inæqualis est Patri Filius, à seipso non loquitur: dicunt Sabelliani contra, id est Patripassiani: ecce qui Pater est, ipse & Filius. Quid enim est, Pater in me manens ipse facit opera; nisi, in me maneo ego qui facio. Contraria dicitis, sed non eo modo, sicut est falsum contrarium vero, sed sicut sunt duo inter se falsa contraria, errando in diuersa itis; in medio est via quam relinquitis: inter vos ipsos longiore interuallo separati estis, quàm ab ipsa via, cuius desertores estis. Vos hinc, vos autem illinc, huc venite, alteri ad alteros transire nolite, sed hinc atque illinc ad nos veniendo, inuicem vos inuenite. Sabelliani, agnoscite quem prætermittitis: Arriani, æquate quem subditis, & in via vera nobiscum ambulabitis; est enim quod inuicem ex vobis alteri ex alteris admoneri vtrique debeatis. Audi Sabelliane, vsqueadeo non ipse Pater, sed alter est filius, vt eum Arrianus inæqualem asserat Patri. Audi Arriane, vsqueadeò filius æqualis est Patri, vt Sabellianus eundem dicat esse & Patrem: tu adde quem tollis, tu adimple quem minuis, & nobiscum ambo consistitis: quia nec tu tollis, nec tu minuis eum: qui & alter est à Patre, vt conuincas Sabellianum: & æqualis est Patri, vt conuincas Arrianum. Vtrisque enim clamat, ego & Pater vnum sumus. Quod ait vnum, audiant Arriani: quod ait, sumus, audiant Sabelliani: & nec illi æqualem, nec illi alterum negando, sint vani, &c. verùm quia sic æqualis est alter alteri, vt B tamen alter sit ex altero, ideo non loquitur à semetipso, quia non est a seipso: & ideo Pater in illo manens facit opera ipse, quia per quem facit, & cum quo facit non est nisi ab ipso, &c. & ibidem Si quoniam dixit, Pater in me manens ipse facit opera, propterea putatur non alius esse Pater, alius ipse: audiatur quod dixit, quæcumque Pater facit, hæc & filius similiter facit: & intelligatur, non bis vnus, sed duo vnum. Porrò, quòd supra in textu secundo, abutuntur Praxeani omnipotentia Dei; accipe Augustinum ex scriptura, duas personas eiusdem omnipotentiæ concludentem; libro 20. de Ciuit. cap. 30. Est, inquit, & alius locus apud Zachariam, qui hoc euidenter ostendit, quòd omnipotentem C misit omnipotens. Quis, quem, nisi Deus Pater, Deum filium? nam ita scriptum est Zach. 2. 8. hæc dicit Dominus omnipotens. Vulgata Dominus exercituum. Post gloriam misit me super gentes quæ spoliauerunt vos: quia qui tetigerit vos, quasi qui tangat pupillam oculi eius. Ecce ego infero manum meam super eos, & erunt spolia his qui seruierant eis, & cognoscetis quia Dominus omnipotens misit me. Ecce dicit Dominus omnipotens a Domino omnipotente se missum. Quis hic audeat intelligere nisi Christum loquentem scilicet ouibus quæ perierant domus Israel, &c. quas hîc comparauit pupillæ oculi Dei, propter excellentissimum dilectionis affectum, ex quo genere ouium, D etiam ipsi Apostoli fuerunt, sed post gloriam resurrectionis vtique suæ, &c. spolia ergo fient, sed in bonum, tanquam vasa erepta illi forti, sed fortius alligato. Et to. 9. libro de Symbolo ad Catechumenos cap. 1. Deus omnipotens est: & cùm sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest, & quod ait Apostolus, negare seipsum non potest. Quàm multa non potest, & omnipotens est, &c. Et cap. 2. Credimus in filium eius, id est Dei Patris omnipotentis, vnicum Dominum nostrum. Quando audis vnicum Dei filium, agnosce Deum. Non enim filius Dei vnicus posset esse non Deus. Quod est, hoc genuit: & si non est, quem genuit. Si verus est autem filius, hoc est quod Pater: si hoc non est quod Pater, non est verus filius. Mortales & terrenas creaturas attendite, E quod est res quæque, hoc generat, &c. tenete ergo fortiter, firmiter, fideliter, quia hoc genuit Deus Pater, quod est ipse omnipotens, &c. Non enim Deus Pater facit quod vult, & Deus filius non facit quod vult. Vna voluntas est Patris & Filij, quia vna natura, &c. Deus, & Deus, ambo vnus Deus, omnipotens, & omnipotens, ambo vnus omnipotens.

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

3. *Deus ante mundum solus, sed non solitarius, habens secum Rationem, & Sermonem, & Sapientiam de corde genitam, à se distinctam. cont. Prax. cap. 5. à p. 6. & 7. ad m.*

Aiunt quidem & Genesim in Hebraïco ita incipere, [a] *In principio Deus fecit sibi filium.* Hoc vt firmum non sit; alia me argumenta deducunt ab ipsa Dei dispositione, quâ fuit ante mundi constitutionem, adusque filij generationem. Ante omnia enim Deus erat solus, ipse sibi & mundus, & locus, & omnia. Solus autem; quia nihil aliud extrinsecùs præter illum. Ceterùm, ne tunc quidem solus; habebat enim secum, quam habebat in semetipso; Rationem suam scilicet. Rationalis enim Deus, & Ratio in ipso priùs; & ita, ab ipso omnia. Quæ Ratio, sensus ipsius est. Hanc Græci λόγον dicunt, quo vocabulo etiam Sermonem appellamus. Ideoque iam in vsu est nostrorum, per simplicitatem interpretationis, [b] *Sermonem dicere in primordio apud Deum fuisse*; cùm magis Rationem competat antiquiorem haberi; quia non sermonalis à principio, sed rationalis Deus etiam ante principium; & quia ipse quoque Sermo Ratione consistens, priorem eam vt substantiam suam ostendat. Tamen & sic, nihil interest. Nam etsi Deus nondum Sermonem suum miserat, proinde eum cum ipsa & in ipsa Ratione intra semetipsum habebat, tacitè cogitando & disponendo secum, quæ per Sermonem mox erat dicturus. Cum Ratione enim sua cogitans atque disponens, Sermonem eam efficiebat, quam Sermone tractabat. Idque quò faciliùs intelligas ex teipso ante recognosce, vt ex imagine & similitudine Dei, quam habeas & tu in temetipso Rationem, qui es animal rationale, à rationali scilicet artifice non tantùm factus, sed etiam ex substantia ipsius animatus. Vide quum tacitus tecum ipse congrederis, Ratione hoc ipsum agi intra te, occurrente eâ tibi cum sermone ad omnem cogitatus tui motum, & ad omnem sensus tui pulsum. Quodcunque cogitaueris, sermo est; quodcunque senseris, ratio est. Loquaris illud in animo necesse est; & dum loqueris, conlocutorem pateris sermonem, in quo inest hæc ipsa ratio, quâ cum eo cogitans loquaris, per quem loquens cogitas. Ita secundus quodammodo in te est sermo, per quem loqueris cogitando, & per quem cogitas loquendo. ipse sermo alius est. Quantò ergo pleniùs hoc agitur in Deo, cuius tu quoque imago & similitudo censeris, quòd habeat in se etiam tacendo Rationem, & in Ratione Sermonem? Possum itaque non temerè præstruxisse, & tunc Deum ante vniuersitatis constitutionem solum non fuisse, habentem in semetipso proinde Rationem, & in Ratione Sermonem, quem secundum à se faceret agitando intra se. Hæc vis & hæc diuini sensus dispositio, apud scripturas etiam in Sophiæ nomine ostenditur. Quid enim sapientius Ratione Dei, siue Sermone? Itaque Sophiam quoque exaudi, vt secundam personam conditam. Primò, [c] *Dominus creauit me initium viarum in opera sua, priusquam terram faceret, priusquam montes collocarentur: ante omnes autem colles generauit me*; in sensu suo scilicet condens & generans. Dehinc adsistentem eam ipsa separatione cognosce, [d] *Cùm pararet*, inquit, *cœlum, aderam illi simul; & cùm fortia faciebat super ventos quæ sursum nubila; & cùm tutos ponebat fontes eius quæ sub cœlo, ego eram cum illo compingens; ego eram ad quam gaudebat: quotidie autem oblectabar in persona ipsius.* Nam vt primùm Deus voluit ea quæ cum Sophiæ Ratione & Sermone disposuerat intra se, in substantias & species suas edere, ipsum primum protulit Sermonem, habentem in se indiuiduas suas, Rationem & Sophiam; vt per ipsum fierent vniuersa, per quem erant cogitata atque disposita, immò & facta iam, quantùm in Dei sensu. Hoc enim eis deerat, vt coràm quoque in suis speciebus atque substantiis cognoscerentur & tenerentur. Tunc igitur etiam ipse Sermo speciem & ornatum suum sumit, sonum & vocem, cùm dicit Deus, [e] *Fiat lux.* Hæc est natiuitas perfecta Sermonis, dum ex Deo procedit: conditus ab eo primùm ad cogitatum in nomine Sophiæ, [f] *Dominus condidit me initium viarum.* Dehinc generatus ad effectum: *Cùm pararet cœlum, aderam illi simul.* Exinde eum parem sibi faciens, de quo procedendo filius factus est, primogenitus, vt ante omnia genitus; & vnigenitus, vt solus ex Deo genitus: propriè de vulua cordis ipsius, secundùm quod & Pater ipse testatur, [g] *Eructauit cor meum Sermonem optimum.* Ad quem deinceps gaudens proinde gaudentem in persona illius, [h] *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* &, [i] *Ante luciferum genui te.* Sic & Filius ex sua persona profitetur Patrem in nomine Sophiæ, [k] *Dominus condidit me initium viarum in opera sua. Ante omnes autem colles generauit me.* Nam si hîc quidem Sophia videtur dicere conditam se à Domino, in opera & vias eius: alibi autem [l] *per Sermonem ostenditur omnia facta esse, & sine illo nihil factum*: sicut & rursum, [m] *Sermone eius cœli confirmati sunt, & Spiritu eius omnes vires eorum*; vtique eo Spiritu qui Sermoni inerat: apparet vnam eandemque vim esse nunc in nomine Sophiæ, nunc in appellatione Sermonis; quæ [n] *initium accepit viarum in Dei opera; & quæ cœlum confirmauit; per quam omnia facta sunt, & sine qua nihil factum est.* Nec diutius de isto, quasi non de ipso sit sermo, & in Sophiæ, & in Rationis, & in omnis diuini animi & spiritus nomine, qui filius factus est Dei, de quo prodeundo generatus est.

a Gen. 1. 1
b Io. 1. 1.
Gen. 1. 27
CAP. VI.
c Prou. 8. 22.
d Ibid. 27. & seq.
CAP. VII.
e Gen. 1. 3
f Prou. 8. 22.
Coloss. 1. 15.
Io. 1. 18.
g Ps. 44. 1.
h Psal. 2. 7.
i Ps. 109. 4.
k Prou. 8. 22.
l Io. 1. 3.
m Ps. 32. 6.
n Prou. 8. 22.
Ps. 32. 6.
Io. 1. 3.

TRINITAS. 3. SCHOL.

AIVNT QVIDEM. *Alij legunt*, quidam. *Hiero. Tertulliani locum citat & Hilarium, sic legentes in Hebræo haberi*; In filio fecit Deus cœlum & terram. *Sed* falsum, *inquit*, esse ipsius rei veritas comprobat. Nam & 70. interpretes, & Symmachus, & Theodotion: in principio, transtulerunt, & in Hebræo scriptum est Beresith, quod Aquila interpretatur, in capitulo, & non Deben, quod interpretatur in filio. Magis itaque secundùm sensum, quàm secundùm verbi translationem, de Christo accipi potest: qui tam in ipsa fronte Geneseos, quæ caput librorum omnium est, quàm etiam in principio Ioannis Euangelistæ, cœli & terræ conditor adprobatur. Vnde in Psalterio de seipso ait: in capite libri scriptum est de me, id est in principio Geneseos: & in Euangelio, omnia per ipsum facta sunt, &c. FIRMVM NON SIT. *Esto, non sit certum, sic in Hebræo legi; aliunde, nempe ex dispositione mundi apud Deum facta cum Verbo suo, antequam illud foras produceret dicendo fiat, adducor vt credam iam duas in diuinitate personas.* IN PRINCIPIO. *Id est in nomine principij intelligitur filius à Patre genitus, de quo Psaltes:* Tecum principium. *Et Christus de seipso:* Principium qui & loquor vobis. ADVSQVE FILII GENERATIONEM. *Non quòd fuerit aliquando Deus sine filio; hæc enim vox non denotat ordinem temporis, sed generationis. Dispositionem itaque siue œconomiam Monarchiæ sic deducit, vt ante mundi constitutionem, ita Deum vnicum & solum in substantia dicat, vt tamen Monarchiam, vnius essentiæ, per Trinitatem personarum disponat, & de filij quidem generatione, mundi constitutionem præcedente, sic loquitur:* ab ipsa Dei dispositione, adusque filij generationem. RATIO PRIVS. *Antequam mundum conderet, hoc est ab æterno Ratione, id est Verbo suo & Sapientiâ.* SERMONEM IN PRINCIPIO. In principio erat Verbum. NON SERMONALIS, *quia non exteriùs per Verbum quidquam operatus est, sed in seipso per Rationem, id est, Verbum omnia facienda disposuit.* ANTE PRINCIPIVM. *Temporis, & creationis mundi.* RATIONE CONSISTENS. *Non quòd Verbum sit quid constans & compositum ex Ratione & Sermone, sed quòd sit substantialiter ipsa Ratio rerum agendarum.* NONDVM MISERAT. *Protulerat, dicendo fiat, & actu creando.* SERMONEM EFFICIEBAT. *Generabat verum terminum conceptionis suæ, in quo velut omnium faciendorum & possibilium formas, & vnica idea, omnia futura, & non futura videbat & disponebat.* EX SVBSTANTIA IPSIVS. *Non quòd anima sit particula substantiæ Dei, sed quòd ex afflatu & spiraculo oris eius creata sit; & spiritu oris Dei, id est filio, & Spiritu sancto, vnius eiusdemque cum Patre substantiæ, tanquam ex causa efficiente, non autem materiali producta sit.* CONGREDERIS, *colloqueris.* SOLVM NON FVISSE, *quia filium semper habuit.* SECVNDVM. *Alium personâ, non essentiâ vel dignitate inferiorem gigneret.* CONDITAM. *Productam.* DOMINVS CREAVIT. *Consule indicem locorum Scripturæ, & inuenies alibi expositum. Hæc præterea ab Augustino excipe. to. 3. lib. 1. de Trinit. c. 12. vbi de Filio Dei secundùm vtramque naturam ex Scriptura sic disserit.* Secundùm formam Dei dictum est, ante omnes colles genuit me: id est ante omnes altitudines creaturarum, & ante Luciferum genui te, id est ante omnia tempora & temporalia. Secundùm autem formam serui, dictum est, Dominus creauit me in principio viarum suarum. Quia secundùm formam Dei, dixit, Ego sum veritas: & secundùm formam serui, Ego sum via. quia enim ipse est primogenitus à mortuis, iter fecit Ecclesiæ suæ ad regnum Dei, ad vitam æternam, cui caput est ad immortalitatem etiam corporis: & ideo creatus est in principio viarum Dei, in opera eius. Secundùm formam enim Dei, primogenitus omnis creaturæ, & ipse ante omnes est, & omnia in illo constant. *ad Coloss. 1. 15.* Secundùm formam serui, ipse est caput corporis Ecclesiæ. secundùm formam Dei, principium est quod & loquitur nobis, in quo principio fecit Deus cœlum & terram: secundùm autem formam serui, sponsus procedens de thalamo suo.

S. Aug.

A

IN PERSONA. *Cum persona, cum eo.* EDERE, *producere extra causas.* INDIVIDVAS SVAS. *Quia licet formali conceptu per intellectum nostrum distinguantur, sicut & attributa diuina, idem tamen Verbum, Sapientia, Ratio, & Sermo idipsum essentialiter sunt.* VT CORAM. *Vt actu præsentia fierent singula in propria existentia, quæ erant in Deo solâ potentiâ.* TVNC SERMO. Verbum quod erat in principio apud Deum, vnigenitus qui est in sinu Patris, *ex alto paterni cordis veluti silentio foras productum est*, cùm per ipsum omnia facta sunt: *dicente Deo ad singula creanda*, fiat. ORNATVM SVVM. *Similitudine sumptâ à sermone humano, qui sine sono & voce externa non percipitur.* NATIVITAS PERFECTA. *Se aptat rudi & crasso hominum intelligendi modo. Nihil enim ante mundi creationem deerat ad perfectionem Verbi; sed tum perfectio omnipotentiæ suæ æterna foras prodiit, & ex ornatu mundi, species & ornatus eius apparuit; & ex omni creatura valde bona, Verbum optimum se manifestauit, cùm omnia de nihilo per ipsum facta sunt.* CONDITVS AD COGITATVM, *id est Deo Patre cogitante, ab æterno genitum est Verbum.* GENERATVS AD EFFECTVM. *Quasi foras prolatus, cùm per ipsum Pater effecit & perfecit omnia.* IN NOMINE SOPHIÆ. *Cùm Sapientia vocatur, alibi Sermo, seu Verbum dicitur.* SERMONI INERAT. *Quia filius cum Patre intrinsecum est idem principium Spiritus. Vel sicut alibi dixit, Christum esse Dei Spiritum, quia Ioannis* 4. Deus Spiritus est. *Prætermissis Scripturæ locis, vtpotè alibi relatis; vnum aut alterum Psaltis, & Ioannis, Augustino interprete explanabo. Psalmo.* 2. 7. Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te. Quamquam, *inquit*, possit ille dies in Prophetia videri, quo Iesus Christus secundùm hominem natus est: tamen, hodie, quia præsentiam significat, atque in æternitate, nec præteritum quicquam est, quasi esse desierit, nec futurum quasi nondum sit; sed præsens tantùm; quia quidquid æternum est, semper est: diuinitus accipitur, secundùm id dictum, Ego hodie genui te, quo sempiternam generationem virtutis & sapientiæ Dei, qui est vnigenitus filius, fides sincerissima & Catholica prædicat. *& in Psal.* 32. Verbo Domini cœli firmati sunt, &c. Non habuerunt, *inquit*, aliquid ex se, & tanquam supplementum à Domino perceperunt: Spiritu enim oris eius, non pars, sed omnis virtus eorum. Sanè fratres, videte eadem opera & Filij, & Spiritus sancti: non enim negligenter prætereundum est, propter quosdam iniquos discretores, *Arrianos intelligit, de quibus suprà Scholio primo*, & turbulentos confusores, *Praxeanos & Sabellianos.* Vtrumque enim malè fit. Confundunt illi malè discernendo creaturam cum Creatore; & cùm sit Creator Spiritus Dei, inter creaturas eum numerant. Illi discernunt & confundunt. Confundantur, vt conuertantur. Audi modò vnum opus Filij, & Spiritus sancti. Verbum certè Dei, filius Dei est, & Spiritus oris eius, Spiritus sanctus est. Verbo Domini, &c. hoc ergo facit filius, & Spiritus sanctus. Nunquid sine Patre? quis

B

C

S. Aug.

D

S. Aug.

E

ergo

ergo facit per Verbum suum, & Spiritum suum, nisi cuius Verbum est, & cuius Spiritus? Trinitas ergo hæc vnus Deus. Hunc adorat, qui nouit adorare. Hunc vbique habet, quò se conuerterit. Non enim quæritur ab auersis, sed ipse vocat auersos, vt impleat conuersos. *Et in Psal. 148. personam Verbi distinctam probat ex Psalte.* Ipse dixit & facta

S. Aug. sunt, &c. Non mirum, *inquit*, si opera laudent operatorem, non mirum est si facta laudent factorem, non mirum si creatura laudet Creatorem. Ibi & Christus nominatus est. & quasi non audiuimus nomen ipsius. Quis est Christus? in principio erat Verbum, &c. omnia per ipsum facta sunt, &c per quid facta sunt? per Verbum. Quomodo hîc ostendit, quia per Verbum facta sunt? ipse dixit & facta sunt, &c. nemo dicit, nemo mandat, nisi Verbo?

S. Aug. *to. autem 9. tract. 1. in Io.* Quale Verbum quod & dicitur & non transit, &c. Est Verbum & in ipso homine quod manet intus, nam sonus ex ore procedit. Est Verbum quod verè spiritaliter dicitur, illud quod intelligitur de sono, non ipse sonus. Ecce Verbum dico, cùm dico Deus. quàm breue est, quod dixi, &c. An quantùm hoc vile est, tantùm charum est quod in eis intelligitur? Quid factum est in corde tuo cùm audisses, Deus? quid factum est in corde meo cùm dicerem, Deus? magna & summa quædam substantia cogitata est, quæ transcendit omnem mutabilem creaturam, carnalem & animalem, &c. Si tu potes habere Verbum in corde tuo, tanquam consilium natum in mente tua, vt mens tua pariat tibi consilium, & insit consilium quasi proles menti tuæ, quasi filius cordis tui: prius enim cor generat consilium; vt aliquam fabricam construat, aliquid amplum in terra molaris; iam natum est consilium, & opus nondum completum est. Vides tu quid facturus es: sed alius non miratur nisi cùm feceris, & construxeris molem, & fabricam illam ad exsculptionem, perfectionemque perduxeris. Attendunt homines mirabilem fabricam, & mirantur consilium fabricantis: stupent quod vident, & amant quod non vident. Quis est qui potest videre consilium? si ergo ex magna aliqua fabrica laudatur humanum consilium; vis videre quale consilium Dei est? Dominus Iesus Christus, id est Verbum Dei. Attende fabricam istam mundi: vide quæ facta sint per Verbum, & tunc cognosces quale sit Verbum, &c. vniuersa creatura per ipsum facta est, maior, minor: per ipsum facta sunt supera, infera: spiritalis, corporalis, per ipsum facta sunt. Nulla enim forma, nulla compages, nulla concordia partium, nulla qualiscumque substantia, quæ potest habere pondus, numerum, & mensuram, nisi per illud Verbum est; & ab illo Verbo Creatore, cui dictum est: omnia in mensura & numero & pondere disposuisti.

4. *Trinitas personarum vnitatem essentiæ non diuidit, nec Vnitas essentiæ personas confundit. cont. Prax. cap. 2. in m. 3. 4. per totum. & 5. in p.*

HAnc regulam ab initio Euangelij decucurrisse, etiam ante priores quosque hæreticos, nedum ante Praxeam hesternum, probabit tam ipsa posteritas omnium hæreticorum, quàm ipsa nouellitas Praxeæ hesterni. Quò peræquè aduersus vniuersas hæreses iam hinc præiudicatum sit, id esse verum quodcumque primum; id esse adulterum, quodcunque posterius. Sed saluâ istâ præscriptione, vtique tamen propter instructionem & munitionem quorundam, dandus est etiam retractatibus locus: vel ne videatur vnaquæque peruersitas, non examinata, sed præiudicata damnari; maximè hæc, quæ se existimat meram veritatem possidere, dum vnicum Deum non aliàs putat credendum, quàm si ipsum eundemque & Patrem & Filium & Spiritum sanctum dicat: quasi non sic quoque vnus sit omnia, dum ex vno omnia, per substantiæ scilicet vnitatem; & nihilominus custodiatur œconomiæ Sacramentum, quæ vnitatem in Trinitatem disponit, tres dirigens, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Tres autem non statu, sed gradu; nec substantiâ, sed formâ; nec potestate, sed specie: vnius autem substantiæ, & vnius status, & vnius potestatis; quia vnus Deus, ex quo & gradus isti, & formæ, & species, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, deputantur. Quomodo autem numerum sine diuisione patiuntur, procedentes retractatus demonstrabunt. Simplices enim quique, ne dixerim imprudentes & idiotæ, quæ maior semper credentium pars est, quoniam & ipsa regula fidei à pluribus Diis seculi, ad vnicum & verum Deum transfert; non intelligentes vnicum quidem, sed cum sua œconomia esse credendum, expauescunt ad œconomiam. Numerum & dispositionem Trinitatis, diuisionem præsumunt vnitatis; quando vnitas ex semetipsa deriuans Trinitatem, non destruatur ab illa, sed administretur. Itaque duos, & tres iam jactitant à nobis prædicari, se verò vnius Dei cultores præsumunt. quasi non & vnitas inrationaliter collecta, hæresim faciat; & Trinitas rationaliter expensa, veritatem constituat. Monarchiam, inquiunt, tenemus. Et ita sonum ipsum vocaliter exprimunt etiam Latini, etiam Opici, vt putes illos tam benè intelligere monarchiam, quàm enuntiant. Sed monarchiam sonare student Latini, œconomiam intelligere nolunt etiam Græci. At ego, si quid vtriusque linguæ præcerpsi, monarchiam nihil aliud significare scio, quàm singulare & vnicum imperium: non tamen præscribere monarchiam, ideo, quia vnius sit; eum cuius sit, aut filium non habere, aut ipsum se sibi filium fecisse, aut monarchiam suam non per quos velit administrare. Atquin nullam dico dominationem ita vnius sui esse, ita singularem, ita monarchiam, vt non etiam per alias proximas personas administretur, quas ipsa prospexerit officiales sibi. Si verò & filius fuerit ei, cuius monarchia sit, non statim diuidi eam, & monarchiam esse desinere, si particeps eius adsumatur & filius: sed proinde illius esse principaliter à quo communicatur in filium; & dum illius est,

CAPVT III.

proinde monarchiam esse, quæ à duobus tam vnicis continetur. Igitur si & monarchia
a Dan. 7. 10. diuina per tot legiones & exercitus angelorum administratur, sicut scriptum est, [a] *Millies millia adsistebant ei, & millies centena millia apparebant ei:* nec ideo vnius esse desiit, vt desinat monarchia esse, quia per tanta millia virtutum procuratur: quale est, vt Deus diuisionem & dispersionem pati videatur in Filio, & in Spiritu sancto, secundum & tertium sortitis locum, tam consortibus substantiæ Patris, quas non patitur in tot angelorum numero, & quidem tam à substantia alienis? Membra, & pignora, & instrumenta, & ipsam vim, ac totum censum monarchiæ, euersionem deputas eius. non rectè. Malo te ad sensum rei, quàm ad sonum vocabuli exerceas. Euersio enim monarchiæ illa est tibi intelligenda, quum alia dominatio, suæ conditionis, & proprij status, ac per hoc æmula, superducitur; quum alius Deus infertur aduersus Creatorem. Tunc malè, quum plures, secundùm Valentinos & Prodicos: tunc in monarchiæ euersionem, quum in Creatoris
Cap. IV. destructionem. Ceterùm, qui filium non aliunde deduco, sed de substantia Patris, nihil
Io. 5. 19. facientem sine Patris voluntate, omnem à Patre consecutum potestatem, quomodo possum de fide destruere monarchiam, quàm à Patre filio traditam, in filio seruo? Hoc mihi & in tertium gradum dictum sit, quia Spiritum non aliunde puto, quàm à Patre per Filium. Vide ergo ne tu potiùs monarchiam destruas, qui dispositionem & dispensationem eius euertis, in tot nominibus constitutam, in quot Deus voluit. Adeo autem manet in suo statu, licet Trinitas inferatur, vt etiam restitui habeat Patri à filio. Siquidem
b 1. Cor. 15. 24. & seq. Apostolus scribit de vltimo fine, [b] *quum tradiderit regnum Deo & Patri. Oportet enim eum regnare vsque dum ponat inimicos eius Deus sub pedes ipsius;* scilicet secundùm Psalmum, [c] *Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* [d] *Cùm autem subiecta*
c Ps. 109. 1. *erunt illi omnia, vtique absque eo qui ei subiecit omnia, tunc & ipse subiicietur illi, qui ei subiecit omnia, vt sit Deus omnia in omnibus.* Videmus igitur non obesse monarchiæ filium; etsi
d 1. Cor. 15. 28. hodie apud filium est; quia & in suo statu est apud filium, & cum suo statu restituetur Patri à filio. Ita eam nemo hoc nomine destruet, si filium admittat, cui & traditam eam à Patre, & à quo quandoque restituendam Patri constat. Hoc vno capitulo Epistolæ Apostolicæ potuimus iam & Patrem & Filium ostendisse duos esse, præterquam ex nominibus patris & filij, etiam ex eo quod qui tradidit regnum, & cui tradidit; item qui subie-
Cap. V. cit, & cui subiecit, duo sint necesse est. Sed quia duos vnum volunt esse, vt idem pater & filius habeatur, oportet & totum de filio examinari, an sit, & qui sit, & quomodo sit; & ita res ipsa, formam suam scripturis & interpretationibus earum patrocinantibus, vindicabit.

TRINITAS. 4. SCHOL.

HANC REGVLAM. *Fidei, traditam ab Apostolis* A *in symbolo, quâ Trinitatem personarum distinctarum credimus.* HESTERNVM. *De nouo, nuper, & recenter exortum.* QVÒ PERÆQVE, *vt similiter præscribam contra Praxeam, sicut & contra omnes hæreticos iam præscripsi; illud esse verum & certum, quod primò traditum est; falsum autem & erroneum, quodcumque postea contra illud primum inducitur.* QVORVMDAM. *Infirmorum in fide.* RETRACTATIBVS. *Tractatibus specialibus, contra speciales hæreses.* VNVS. Vnus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, *principium omnium personarum, qui solus est sine principio.* PER SVBSTANTIÆ VNITATEM, *propter vnicam & indiuisam in tribus personis substantiam; saluâ personarum distinctione, omnes vnum sunt.* OECONOMIÆ, *dispensationis mysterium. quo tres personæ directè & absque ambage, fide Catholicâ distinguuntur.* NON STATV. *Essentiâ, substantiâ, naturâ.* SED GRADV, *processione, origine.* FORMA, *proprietate, notione.* SPECIE. *Habendi modo.* NVMERVM, *personarum distinctum.* QVANDO VNITAS. *Cùm vnica essentia diuina sit communis tribus personis.* ADMINISTRETVR *Vnde dixit Oeconomiam.* DVOS ET TRES. *Deos scilicet.* INRATIONALITER COLLECTA. *Perperam restricta ad vnicam personam.* EXPENSA, *effusa & communicata, siue distributa per dispensationem fidei.* MONARCHIAM. *Vnicum Dei vnius principatum.* ETIAM OPICI, *Barbari.* SONARE STVDENT. *Praxeani Latini affectant hanc vocem Græcam buccis concrepantibus personare. Sed & quamuis linguæ Græcæ periti sint, nolunt intelligere quid œconomia sonet.* OFFICIALES SIBI. *Coadministras.* MILLIES MILLIA. *Dan.* 7. 10. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. *Vel vt habent* 70. mille millia deseruiebant ei: & dena millia denûm millium assistebant ei. SECVNDVM ET TERTIVM LOCVM. *Non naturæ, sed originis respectu & gradu.* A SVBSTANTIA. *Diuinâ & infinitè communicabili.* MEMBRA. *Non quasi partes. Sed vsu Scripturæ, quo filius,* brachium Domini reuelatum, *filius & Spiritus, altißimi manus appellantur:* Altitudo manus suas leuauit. *Et sponsa,* læua, *inquit*, eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. PIGNORA. *Amoris sui. De quo sic Christus Nicodemo:* Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. *Et Paulus,* qui dedit pignus Spiritus. TOTVM B CENSVM. *Substantiam fœcunditatis diuinæ naturæ, quam exhauriunt, filius quidem vi intellectiua; Spiritus autem voluntatis.* ÆMVLA SVPERDVCITVR, *contraria introducitur, sicut fecit Marcion, & Manes, Valentinus, & Prodicus, de quo Tertull. cont. Gnosticos cap. vltimo;* quod si iam tunc Prodicus aut Valentinus, &c. *Et hîc, vel in hoc prodigus diuinæ substantiæ, quòd eam profunderet in triginta Deos Æones.* IN DESTRVCTIONEM. *Si euertit Monarchiam vnius Dei Creatoris.* IN TOT NOMINIBVS, *Æonum diuersorum, vel si referas ad errorem Praxeæ, vt Deus pro libito nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus sanctus appelletur.* MANEAT, *supple Monarchia & indiuisum regnum.* APOSTOLVS. *1. Cor.* 15. 24. Cùm tradiderit regnum Deo & Patri, cùm euacuauerit omnem principatum & potestatem & virtutem. Oporteat autem illum regnare, donec ponat inimicos sub pedibus

eius, &c. cùm autem dicat: omnia subiecta sunt ei; sine dubio præter eum qui subiecit ei omnia. Cùm autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subiectus erit ei qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus. *Pluries hunc locum Pauli tractauit Augustinus lib. 1. de Trinit. sed breuitatis causâ solum referam quod habet cap. 8.* Inseparabilis, *inquit*, est operatio Patris, & Filij, *indiuisum regnum & Monarchia Trinitatis*; alioquin nec ipse Pater sibi subiecit omnia, sed Filius ei subiecit, qui ei regnum tradit, & euacuat omnem principatum, &c. *Id est splendore & gloria regni cœlestis & æterni, terrena & temporalia euertit.* De Filio quippe ista dicta sunt, &c. Ipse enim subiicit qui euacuat. Nec sic arbitremur Christum traditurum regnum Deo & Patri, vt adimat sibi. Nam & hoc quidam vaniloqui crediderunt. Cùm enim dicitur, tradiderit regnum Deo & Patri, non separatur ipse, qui simul cum Patre vnus Deus est. *vnus Dominus & Monarcha, &c.* Quid ergo est, cùm tradiderit? &c. quasi modò non habeat regnum Deus & Pater? sed quia omnes iustos, in quibus nunc regnat ex fide viuentibus, mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, perducturus est ad speciem, quam visionem dicit idem Apostolus facie ad faciem. Ita dictum est cùm tradiderit, &c. ac si diceretur, cùm perduxerit credentes ad contemplationem Dei & Patris. Sicut enim dicit: omnia mihi tradita sunt à Patre meo, & nemo nouit filium nisi Pater, & nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit filius reuelare, &c. Hæc enim nobis contemplatio promittitur, actionum omnium finis, atque æterna perfectio gaudiorum, &c. cùm tradiderit regnum, &c. id est cùm perduxerit iustos in quibus nunc ex fide viuentibus regnat, &c. ad contemplationem Dei & Patris. Si desipio, hîc corrigat me qui melius sapit; mihi aliud non videtur, &c. Denique propter ipsam inseparabilitatem, sufficienter aliquando nominatur, vel Pater, vel Filius solus, adimpleturus nos lætitiâ cum vultu suo. Nec inde separatur vtriusque Spiritus, id est Patris & Filij Spiritus. qui Spiritus propriè dicitur Spiritus veritatis, quem hic mundus accipere non potest. Hoc est enim plenum gaudium nostrum, quò ampliùs non est, frui scilicet Trinitate Deo, ad cuius imaginem facti sumus. Propter hoc aliquando ita loquitur de Spiritu sancto tanquam solus ipse sufficiat ad beatitudinem nostram: & ideo solus sufficit, quia separari à Patre & Filio non potest: sicut Pater solus sufficit, quia separari à Filio & Spiritu sancto non potest: & Filius ideo sufficit solus, quia separari à Patre & Spiritu sancto non potest, &c. *Et lib. 83. qq. q. 69. vbi fusè tractat hunc locum.* Cùm tradiderit, &c. quasi nunc non teneat regnum Pater: deinde quod dictum est donec ponat, &c. quasi postea non sit regnaturus, & ad hoc valeat quod supra dictum est: deinde finis: quod sacrilegâ opinione sic accipiunt, quasi finem dixerit, consummationem regni eius: cùm scriptum sit in Euangelio, & regni eius non erit finis. Postremò quod dictum est: cùm autem ei omnia subiecta fuerint, &c. sic volunt intelligi, quasi nunc aut filio aliquid non sit subiectum, aut Patri non sit ipse subiectus. Genere igitur locutionis soluitur quæstio. Sic enim plerumque Scriptura loquitur, vt quod semper est, tunc fieri dicatur ab aliquo, cùm in eo cognosci cœperit, &c. cùm tradiderit regnum, id est cùm Patrem regnare monstrauerit, vt per speciem manifestatione clarescat, quod nunc à fidelibus creditur, & ab infidelibus non putatur. Euacuabit autem omnem Principatum & potestatem, manifestando vtique regnum Patris: vt omnibus notum sit, nullum principum & potestatum, siue cœlestium, siue terrestrium per se habuisse, *sed à dicente, per me Reges regnant*, aliquid principatus & potestatis, sed ab illo ex quo sunt omnia, non solùm vt sint, verùm etiam vt ordinata sint. In illa enim manifestatione, nulli spes aliqua remanebit in quoquam homine, aut in quoquam principe: quod etiam nunc Propheticè canitur: bonum est sperare in Domino quàm sperare in homine, bonum est sperare in Domino quàm sperare in principibus. Vt istâ meditatione anima iam in regnum Patris assurgat, nec cuiusquam potestatem præter illum magni faciens, nec sua sibi ipsa perniciosissimè blandiens, &c. oportet eum ad tantam euidentiam regnum suum perducere, donec inimici eius nullo modo audeant negare quod regnet, &c. *De verbo autem præmisso ab Apostolo*, deinde finis. Ipse scilicet finis est, vt sit Deus omnia in omnibus, &c. aliter tunica finitur texendo, aliter cibus, comedendo. Deus autem omnia in omnibus dicitur, vt nemo eorum qui ei cohærent amet aduersùs eum suam propriam voluntatem. *Sed erit omnia in omnibus, dum Trinitas quæ est omne bonum, in æterno regno, replebit in bonis omnibus omnium electorum desiderium.*

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

5. *In Trinitate, Pater & Filius non sunt confusi, sed personarum proprietate distincti. cont. Prax. cap. 9. in f. & 10. in p. ad m.*

OMnia quod vocantur, hoc erunt; & quod erunt, hoc vocabuntur: & permiscere se diuersitas vocabulorum non potest omnino, quia nec rerum, quarum erunt vocabula. [a] *Est est, non non: nam quod amplius est, hoc à malo est.* Ita aut Pater, aut Filius est, & neque dies eadem, & nox, neque Pater idem & Filius, vt sint ambo vnus, & vtrumque alter; quod vanissimi isti Monarchiani volunt. Ipse se, inquiunt, filium sibi fecit. Atquin Pater Filium facit, & Patrem Filius. Et qui ex alterutro fiunt, à semetipsis sibi fieri nullo modo possunt, vt Pater se sibi Filium faciat, & Filius se sibi Patrem præstet. Quæ instituit Deus, etiam ipse custodit. Habeat necesse est Pater Filium, vt Pater sit; & Filius Patrem, vt Filius sit. Aliud est autem habere, aliud esse. Verbi gratiâ, vt maritus sim, habeam oportet vxorem; non ipse mihi ero vxor. Sic etiam, vt pater sim, filium habeo; non ipse mihi ero filius. Et vt filius sim, patrem habeo, non ipse mihi ero pater. Quæ enim me faciunt, si habuero, tunc ero pater, si filium habeam; filius ero, si patrem. porrò, si ipse ero quid eorum, iam non habeo, quod ipse ero: nec patrem, quia ipse ero pater; nec filium, quia ipse ero filius. In quantum autem alterum ex his habere me oportet, alterum esse; in tantum si vtrumque fuero, alterum non ero, dum alterum non habeo. Si enim ipse ero filius qui & pater iam non habeo filium, sed ipse sum filius. Non habendo autem fi-

[a] Matth. 5. 37. C 4 8. 8

lium, dum ipse sum filius, quomodo pater ero? Habere enim filium debeo, vt pater sim. Non sum ergo filius, quia patrem non habeo, qui facit Filium. Æquè si ipse sum Pater qui & Filius, iam non habeo Patrem, sed ipse sum Pater. Non habendo autem Patrem, dum ipse sum Pater, quomodo Filius ero? Habere enim Patrem debeo, vt Filius sim. Non ergo ero Pater, quia Filium non habeo, qui facit Patrem. Hoc erit totum ingenium diaboli, alterum ex altero excludere, dum vtrumque in vnum sub Monarchiæ fauore concludens, neutrum haberi facit. Vt & Pater non sit, qui scilicet Filium non habet: & Filius non sit, qui æquè Patrem non habet. Dum enim Pater est, Filius non erit. Sic Monarchiam tenent, qui nec Patrem nec Filium continent.

TRINITATE. 5. SCHOL.

OMNIA QVÒD VOCANTVR. *Ab omnium aliarum rerum exemplo, quæ id vocantur, quod sunt, & propria nomina habent secundùm singulares suas proprietates; probas personas quoque diuinas, vtpote inter se distinctas, propria & distincta nomina habere, nec debere confundi. Vnde & citat locum Matthæi 5. quem accommodat huic subiecto; vt à malo, hoc est diabolo fuerit Praxeæ suggestum, quod est amplius; hoc est supra regulam fidei, dicentis & docentis, quòd Pater, Pater est, & non Filius: & Filius, Filius est tantùm, & non Pater. Neque enim ambo vnica Persona est, neque alter eorum, vtraque persona.* MONARCHIANI. *Praxeæ discipuli, vnius personæ, sicut essentiæ principatum esse dogmatizantes.* PATER FILIVM FACIT. *Ideo, Filius dicitur quia Patrem habet, & Pater vicißim, quia habet Filium. Et hæc corelatiua realiter inter se distincta sunt.* QVÆ INSTITVIT DEVS. *Hoc ipsum in se ab æterno obseruat Deus, quod in homine disposuit; vt alter sit Pater, qui habet Filium; alter sit Filius qui habet Patrem.* INGENIVM DIABOLI, *ars & astutia serpentis suggerentis hæretico, ad dissoluendum mysterium Trinitatis, vt excludat fidem Filij ex Patre geniti, & Patris Filium generantis; dum Patrem & Filium vnam eandemque personam esse credendam persuadet; vt sic Patrem & Filium confundens dissoluat & annihilet.* NEC FILIVM CONTINENT, *id est verâ fide non concipiunt nec simul tenent & credunt Patrem & Filium inter se distinctos. Rursum in Sabellianis Praxeanos exagitat Augustinus tract. 36. in cap. 8. Io.* (S. Aug.) Quod, *inquit*, dicitur Filius missus venisse ad nos, Incarnatio ipsius commendatur, quia Pater non est Incarnatus. Nam Sabelliani dicti sunt quidam hæretici, qui vocantur & Patripassiani, qui dicunt ipsum Patrem passum fuisse: noli tu Catholice; si enim fueris Patripassianus, non eris sanus. Ergo intellige missionem filij, nominatam Incarnationem Filij: Patrem autem Incarnatum esse non credas, sed & à Filio Incarnato Patrem recessisse non credas. Ille carnem portabat, ille autem cum Filio erat. Si in cœlo Pater, in terra Filius, quomodo Pater cum Filio erat? quia & Pater & Filius vbique erant, &c. Si vbique est, quomodo cum Filio non est? itane cum Filio non est, qui si credis, & tecum est? &c. verum est, inquit, iudicium meum, quia Filius Dei sum. Vnde probas quia Filius Dei es? quia solus non sum; sed ego, & qui misit me Pater. Erubesce Sabelliane; audis Filium, audis Patrem. Pater, Pater est; Filius, Filius est: non dixit, ego sum Pater, & ego ipse sum Filius: sed, solus non sum, inquit. Quaré solus non es? quia mecum est Pater. Ego sum, & qui misit me Pater. Audis, ego sum, & qui me misit. Ne perdas personam, distingue personas, distingue intelligentiam. noli separare perfidiâ, ne iterum quasi fugiens Charybdim, in Scyllam incurras. Vorabat enim te gurges impietatis Sabellianorum, vt diceres ipsum esse Patrem qui est Filius, &c. agnoscis quia Pater, Pater est, & Filius, Filius est: benè agnoscis. Sed noli dicere, Pater maior est, Filius minor est: noli dicere, Pater aurum est, filius argentum est. Vna Substantia est, vna Diuinitas, vna coæternitas, perfecta æqualitas, dissimilitudo nulla, &c. benè periculum absorbentis gurgitis euasisti; quid vis ire in alteram partem, vt dicas aliud est Pater, Filius aliud? alius est, rectè dicis; aliud, non rectè: alius enim est Filius, quia non est ipse qui Pater: & alius Pater; quia non est ipse qui Filius: non tamen aliud, sed hoc ipsum est & Pater & Filius. Quid est, hoc ipsum est? vnus Deus est.

6. Trinitas personarum non diuidit Essentiam, sed personas. cont. Prax. cap. 12. in m. ad f. & 13. in p. ad m.

SEd & in antecedentibus operibus mundi, quomodo scriptum est? Primùm quidem,
a Gen. 1. nondum Filio apparente, [a] *Et dixit Deus, Fiat lux, & facta est:* ipse statim [b] *Sermo lux vera, quæ illuminat hominem venientem in hunc mundum*, & per illum mundialis quoque lux.
b Io 1. 9. Exinde autem in Sermone Christo adsistente & administrante Deus voluerit fieri, & Deus
c Gen. 1. 6 fecit. [c] *Et dixit Deus, Fiat firmamentum, & fecit Deus firmamentum; & dixit Deus, Fiant luminaria, & fecit Deus luminare maius & minus.* Sed & cetera vtique idem fecit qui & prio-
d Io. 1. 3. ra, id est Sermo Dei, [d] *per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil.* Qui si ipse
e Ibid. 1. Deus est, secundùm Ioannem, [e] *Deus erat Sermo*; habes duos, alium dicentem vt fiat, alium facientem. Alium autem quomodò accipere debeas, iam professus sum; personæ non substantiæ nomine; ad distinctionem, non ad diuisionem. Ceterùm, etsi vbique teneo vnam substantiam in tribus cohærentibus, tamen alium dicam oportet ex necessitate sensus, eum qui iubet, & eum qui facit. Nam nec iuberet, si ipse faceret, dum iuberet fieri per eum. Tamen iubebat, haud sibi iussurus, si vnus esset; aut sine iussu fa-
CAPVT XIII. cturus, quia non expectasset, vt sibi iuberet. Ergo, inquis, si Deus dixit, & Deus fecit; si alius Deus dixit, & alius fecit, duo dij prædicantur. Si tam durus es, puta interim; & vt
f Ps. 44. 8 adhuc amplius hoc putes, accipe & in Psalmo duos deos dictos, [f] *Thronus tuus Deus in*

tuum, virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus. Si ad Deum loquitur, & vnctum Deum à Deo affirmat; scilicet hîc duos deos proponit. Inde & Esaïas ad personam Christi, [g] *Et Sabaim*, inquit, *viri elati ad te transibunt, & post te sequentur vincti manibus, & te adorabunt, quia in te Deus est. Tu enim es Deus noster, & nesciebamus, Deus Israëlis.* Et hîc enim dicendo, *Deus in te*, &, *tu Deus*, duos proponit, qui erat, & in quo erat; Christum & Spiritum. Ipsum plus est, quod in Euangelio totidem inuenies, [h] *In principio erat Sermo, & Sermo erat apud Deum, & Deus erat Sermo.* Vnus qui erat, & alius penes quem erat. Sed & nomen Domini in duobus lego; [i] *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam.* Et Esaïas hæc dicit, [k] *Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est?* Brachium enim tuum, non Domini dixisset, si non Dominum Patrem & Dominum filium intelligi vellet. Etiam adhuc antiquior Genesis, [l] *Et pluit Dominus super Sodomam & Gomorram sulphur & ignem de cælo à Domino.* Hæc aut nega scripta, aut quis es, vt non putes accipienda quemadmodum scripta sunt, maximè quæ non in allegoriis & parabolis, sed in definitionibus & certis & simplicibus habent sensum? Quod si ex illis es qui tunc Dominum non sustinebant Dei se filium ostendentem, nec eum Dominum crederent, recordare tu cum illis scriptum esse, [m] *Ego dixi, vos dij estis, & filij Altissimi. &, Stetit Deus in Ecclesia deorum*; vt si homines per fidem filios Dei factos, deos scriptura pronuntiare non timuit; scias illam multò magis vero & vnico Dei filio, Dei nomen iure contulisse. Ergo, inquis, prouocabo te, vt hodie quoque ex auctoritate istarum scripturarum constanter duos deos & duos dominos prædices. Absit. Nos enim qui & tempora & causas scripturarum per Dei gratiam inspicimus, maximè Paracleti, non hominum discipuli, duos quidem definimus, Patrem & Filium, & iam tres cum Spiritu sancto, secundùm rationem œconomiæ, quæ facit numerum: ne (vt vestra peruersitas infert) Pater ipse credatur natus & passus; quod non licet credi, quoniam non ita traditum est. Duos tamen deos & duos dominos nunquam ex ore nostro proferimus; non quasi non & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus sanctus Deus, & Deus vnusquisque: sed quoniam retrò & duo dij, & duo Domini prædicabantur; vt, vbi venisset Christus, & Deus agnosceretur, & Dominus vocaretur, quia Filius Dei & Domini. Si enim vna persona & Dei & Domini in scripturis inueniretur, meritò Christus non esset admissus ad nomen Dei & Domini. Nemo enim alius præter vnus Deus, & vnus Dominus prædicabatur; & futurum erat vt ipse Pater descendisse videretur, quia vnus Deus & vnus Dominus legebatur; & tota œconomia eius obumbraretur, quæ in materiam fidei prospecta atque dispensata est.

g Esa. 45. 14.
h Io. 1. 1.
i Ps. 109. 1.
k Esa. 53. 1
l Gen. 19. 24.
m Ps. 81. 6. & 1.

TRINITAS. ✠ SCHOL.

NONDVM APPARENTE. *Nondum apertè declarato per Scripturam expressam, vel nondum Incarnato.* STATIM, *ab exordio mundi in nomine lucis figuratus Dei Filius.* SERMO LVX VERA. *Io. 1. Præter alibi dicta ex Aug. in Ioannem hæc subiicio ex eod. to. 6. lib. 1. cont. aduers. legis cap. 11.* Audire, *inquit*, ab eo vellem, cuius lucis existimet esse splendorem summum Deum: vtrum & ipsa: lux Deus sit, & vtrum Patrem intelligat lucem, eiusque splendorem vnigenitum Filium, quem tamen confessus est summum Deum. Quod si ita sentit, approbo & laudo. Sed quod eum quem credit esse lumen de lumine, vel incomparabilem splendorem incomprehensibilis lucis, non credit esse opificem mundi, improbo & culpo: cùm ibi legat, mundus per eum factus est; vbi legit, erat lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, &c. insidiatur vt decipiat nescientes in veteribus priùs diuinis literis scriptum, accedite ad eum & illuminamini: &, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos, &c. *quo iussit, dicendo per Verbum lumen verum. fiat lux*: porrò si huic displicet lucem initium sumpsisse de tenebris; etiam hoc enim verbis garrulæ vanitatis exagitat; eidem Apostolo hoc dicat, qui scribens ad fideles ait: fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Quis enim hoc fecit, nisi ille, qui cùm tenebræ essent super abyssum, dixit, fiat lux, & facta est lux? quod apertiùs alio loco Apostolus expressit dicens, Deus qui dixit de tenebris lumen clarescere, claruit in cordibus nostris. Si autem hoc putat Scripturis deesse Propheticis, quòd filius sit lumen de lumine, vel splendor lucis æternæ, legat quod in eisdem literis legitur de Sapientia; candor est enim lucis æternæ: aut illud in Prophetico Psalmo, Cantate Domino, & benedicite nomini eius, benè nuntiate diem ex die salutare eius. Quis est enim dies ex die, nisi Filius, lumen de lumine? Salutare autem Dei esse Christum legat in Euangelio, dicente Simeone sene; quando illum cognouit in manibus matris, carne minimum, spiritu maximum, acceptoque in manus suas ait; Nunc dimittis, &c. MVNDIALIS. *Mundi visibilis, & corporea lucis.* HABES DVOS. *Non Deos, sed personas diuersas, Patrem, & Filium.* IVBET FIERI. *Latè loquendo. Neque enim illud, fiat lux, imperantis est Patris Filio; sed excitantis seipsum vt per Verbum, cum Spiritu sancto, lucem crearet. Vel quia Deus vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, vt iubeat ea de nihilo progredi.* SI IPSE FACERET. *Crudè dictum, cùm ex Augustino, inseparabilis sit operatio Trinitatis. Sed hoc dixit vt magis conuinceret Praxeanos de distinctione personarum. Vnde & subiunxit, vt se dura eorum intelligentiæ coaptaret.* Si tam durus es, puta interim, &c. DVOS DEOS. *Non duplicatâ Deitate, sed diuinitatis appellatione & re tribus communi, in vnitate eiusdem substantiæ indistinctè cohærentibus. In Psalmo 44. 7.* Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. *Quem locum refert Paulus ad Hebr. 1. 8.* Ad filium autem: thronus tuus

5. Aug.

Deus in sæculum sæculi: virga æquitatis *Syr. sceptrum erectum*, virga regni tui, &c. oleo exultationis præ participibus tuis. *Locum habes alibi expositum ab* S. Aug. *Augustino tract. in Psal. 44. vbi inter cætera:* ô tu Deus, vnxit te Deus tuus, Deus vngitur à Deo, &c. vnum nomen est, quod cõpellatur, & alterum ab eo qui cõpellat &c. vnctus est ergo Deus à Deo. Quo oleo, nisi spiritali? &c. vt vngeretur, homo erat: sed ita homo erat vt Deus esset; ita Deus erat, vt homo esse non dedignaretur. Deus ergo homo. Et ideo vnctus Deus, quia homo Deus & factus Christus. INDE ET ESAIAS *cap. 45 14.* Hæc dicit Dominus: labor Ægypti & negotiatio Æthyopiæ, & Sabaim; viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt: post te ambulabunt, vincti manicis pergent: & te adorabunt, teque deprecabuntur: tantum in te est Deus, & non est absque te Deus. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Saluator. 70. Sabaim viri excelsi ad te transibunt, & tui erunt serui, & post te sequentur vincti manicis, &c & in te orabunt: quoniam in te Deus est, &c tu enim Deus es, & nesciebamus, &c. ANTIQVIOR GENESIS. *cap. 19. 24.* Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem a Domino de cœlo. *Aug. to 6.* S. Aug. *lib. 3 contra Maximinum cap 26.* Ecce, *inquit*, apparet illud incendium Sodomorum per Angelos factum, quos misit Dominus, in quibus tamen & ipse erat, &c. agnouit ergo Loth *cum dixit ore Domine*, vnum Deum in Angelis duobus, sicut Abraham vnum agnouit in tribus, &c. Quid sibi ergo vult ista visibilis Trinitas, & intelligibilis vnitas, nisi vt nobis insinuaretur, quòd ita tres essent pariter, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vt tamen simul, non tres Dij & Domini essent, sed vnus Dominus Deus, &c. cùm prædixisset Scriptura, visus est Deus Abrahæ, nec tamen tres Deos esse, quia & visus est Deus, dictum est, non, visi sunt Dij. Et ipse Abraham tres vidit, & vnum adorauit. A quo præteriri noluit, ab vno responsum diuinitatis accepit. Nec aliquos duos eorum, duos esse Deos sensit, sed vnum in omnibus: quia & Loth duos vidit, & tamen vnum Deum agnouit. Vbi mihi videntur per Angelos significari Filius & Spiritus sanctus: quoniam se illi Angeli missos esse dixerunt. Et de Trinitate quæ Deus est, solus Pater non legitur missus. Leguntur autem missi & Filius

A & Spiritus sanctus, quorum non ideo est diuersa natura. Nam & illi viri per quos significati sunt vnius erant eiusdemque naturæ. EX ILLIS ES. *Iudæis & Pharisæis Christi diuinitatem negantibus.* OECONOMIÆ *distributionis & distinctionis personarum in mysterio Trinitatis.* CVM ILLIS. *Quibus Christus ex Psalmo 81 obiecit. Io. 10. sic exponente Augustino, tract. 48.* Dominus, videte, quid responderit tardis: vidit eos non ferre splendorem veritatis, & eos temperauit in verbis. Nonne scriptum est in lege vestra, id est vobis data, *id est in veteri Testamento*, quia ego dixi Dij estis: Deus dicit per Prophetam in Psalmo hominibus, ego dixi Dij estis, &c. si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura; quem Pater sanB ctificauit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi Filius Dei sum. Si sermo Dei factus est ad homines, vt dicerentur Dij, ipsum Verbum Dei quod est apud Deum, quomodo non est Deus? si per sermonem Dei, fiunt homines Dij, si participando fiunt Dij, vnde participant, non est Deus? si calefacti quodammodo igne salutari, Dij efficiuntur, vnde calefiunt, non est Deus? si lumina illuminata Dij sunt, lumen quod illuminat non est Deus? accedis ad lumen & illuminaris, & inter filios Dei numeraris: si recedis à lumine obscuraris, & in tenebris computaris. Illud tamen lumen nec accedit ad se, quia non recedit à se. Si ergo vos Deos facit, sermo Dei, quomodo non est C Deus Verbum Dei? &c. vt sanctus esset, Pater gignendo ei dedit, quia sanctum eum genuit: nam si quod sanctificatur, antè non erat sanctum, quomodo dicitur Deo Patri, sanctificetur nomen tuum? &c. Agnosce proprium Domini, & munus serui: proprium Domini, est æqualitas Patris, munus serui est participatio Saluatoris. RETRO. *Pridie, in veteri lege, antequam Filius Incarnaretur.* DVO DII. *Id est, duæ personæ, Pater & Filius, nomine Dei & Domini appellabantur.* PRÆTER, *præterquam.* FVTVRVM ERAT. *Vt scilicet ab hæreticis Praxeanis, ipse Pater ad homines descendisse, & se incarnasse diceretur: & sic obnubilaretur, & confunderetur mysterium Trinitatis, quod à Deo propositum est nobis in obiectum maximum fidei; si vnum tantùm, Dei & Domini nomen in scriptura habuisse legeretur.*

7. *In Trinitate Patris & Filij vna diuinitas, personæ diuersæ. cont. Prax. cap. 18. per totum.*

HAnc societatem nominum paternorum in Filio, ne facilè perspiciant, perturbat illos scriptura, si quando vnicum Deum statuit: quasi non eadem & deos, & Dominos duos proposuerit, vt suprà ostendimus. Ergo quia duos & vnum, inquiunt, inuenimus, ideo ambo vnus atque idem, & Filius & Pater. Porrò, non periclitatur scriptura, vt illi de tua argumentatione succurras, ne sibi contraria videatur. Habet rationem & quum vnicum Deum statuit, & quum duos Patrem & Filium ostendit, & sufficit sibi. Filium nominari ab ea constat. Saluo enim filio rectè vnicum Deum potest determinasse, cuius est filius. Non enim desinit esse qui habet Filium ipse vnicus, suo scilicet nomine, quotiens sine filio nominatur. Sine filio autem nominatur, quum principaliter determinatur vt prima persona, quæ ante filij nomen erat proponenda; quia Pater antè co- a Esa. 45. 5. gnoscitur, & post Patrem Filius nominatur. Igitur [a] *vnus Deus Pater, & alius absque eo non est.* Quod ipse inferens, non filium negat, sed alium Deum. cæterùm, alius à Patre Filius non est. Denique, in pice sequentia huiusmodi pronuntiationum, & inuenies ferè ad idolorum factitatores atque cultores definitionem earum pertinere, vt multitudinem falsorum deorum vnio diuinitatis expellat, habens tamen filium quantò indiuiduum & inseparatum à Patre, tantò in Patre reputandum, etsi non nominatum. Atquin si nominasset illum, separasset, ita dicens, Alius præter me non est, nisi filius meus. Alium enim etiam filium fecisset, quem de aliis excepisset. Puta solem dicere: Ego sol, & alius præter me non est, nisi radius meus; nonne denotasses vanitatem; quasi non & radius in sole deputetur. Itaque præter semetipsum non esse alium Deum, hoc propter idololatriam

tam Nationum, quàm Israëlis: Etiam propter hæreticos, qui sicut Nationes manibus, ita & ipsi verbis idola fabricantur, id est, alium Deum, & alium Christum. Igitur & cùm se vnum pronuntiabat, filio Pater procurabat, ne ab alio Deo Christus venisse credatur, sed ab illo qui prædixerat, [b] *Ego Deus, & alius absque me non est*; qui se vnicum, sed cum filio ostendit, *cum quo cœlum solus extendit.* Quin & hoc dictum eius, in argumentum singularitatis arripient: [c] *Extendi, inquit, cœlum solus.* b ibid. 22. c Esa. 44. 24.

8. *Et ibid. cap. 16. à m.*

HÆretici quidem nec filio Dei deputabunt conuenire, quæ tu ipsi patri inducis, quasi ipse se deminorauerit propter nos; cùm scriptura alium dicat ab alio minoratum, non ipsum à semetipso. Quid si & alius qui *coronabatur gloriâ & honore*, alius qui coronabat, vtique filium Pater? Psal. 8. 6.

9. *Et ibid. cap. 20. à p. 21. 22. 23. 24. per totum. Habes tomo 1. lib. contra Praxeam, quo remitto Lectorem.*

IN TRINITATE. 7. 8. & 9. SCHOL.

HANC SOCIETATEM NOMINVM. *Scriptura Deum vnicum esse definiens, turbauit mentem Praxeanorum, ne agnoscerent communionem attributorum Patris & Filij, absque præiudicio vnitatis substantiæ; vt Filius sicut & Pater, omnipotens, altissimus, Rex & Dominus appelletur.* DEOS DVOS. *Id est plures appellatiuè & participatiuè, non propriè, vt supra,* Deos dixit, ad quos sermo Dei factus est; *propriè autem Scriptura Patrem & Filium, & Spiritum sanctum tres personas Deum vnicum dixit.* NON PERICLITATVR. *Stultè inquit putas scripturam in periculo esse hæresis, si plures personas Dei nomine appellet, vt sic videatur Essentiam diuinam diuidere, dum eam in pluribus esse dicit.* NON DESINIT ESSE. *Deus Pater.* SVO NOMINE. *Ipso facto quo Deus Pater est.* PATER ANTE COGNOSCITVR. *Quia prior est origine, non naturâ, vel tempore. Relatiua quippe sunt simul naturâ & cognitione.* ALIVS A PATRE. *Supple Deus non est. Nam idem est Deus cum Patre Filius: sed alius est personâ, vt supra ex Augustino vidimus. Verùm vt præmonui, cùm hæc scriberet, Ecclesia nondum instructa erat verbis tam propriis, vt nunc est.* TANTÒ IN PATRE. *satis in Deo Patre, intelligitur Filius, & si verbis non expressus, quia natura diuina fœcundissima est, Deo dicente Esa. 66. 9.* Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam dicit Dominus? si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus. INSPICE SEQVENTIA. *De facto, cùm dixisset Esa. 45. 5.* Ego Dominus, & non est amplius: extra me non est Deus, &c. *Et versu. 14.* Tantum in te est Deus, & non est absque te Deus, *statim subiicit*, confusi sunt & erubuerunt omnes, simul abierunt in confusionem fabricatores errorum. *Sanct. Pagn. ex Hebr. sculptilium, &c.* Nescierunt qui leuant lignum sculpturæ suæ, & rogant Deum non saluantem. DENOTASSES VANITATEM. *Arguisses superfluitatem dictionis. Satis enim clarè patet & Solem non esse absque radio, & Deum Patrem non esse absque Filio.* FABRICANTVR. *Pro*, fabricant. ARRIPIENT. *More heretico, si quod verbulum eorum errori faueat, statim occasionem probationis arripient, de alia persona excludenda; quia dixit Esa. 45. 22.* Ego Deus, & non est alius. *Et Esa. 44. 24.* Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, & nullus mecum. *Augustinus to. 6. lib. de quinque hæresibus, cap. 6.* Vbi, *inquit*, diem Natiuitatis Filij Dei legisti? Filij Dei dico, non dico Filij Dei & hominis. Vbi ergo diem natiuitatis ipsius ex Patre legisti? cum quo Mathematico Creatoris syderum constellationem quæsisti atque tractasti? &c. De Christi S. Aug.

A initio, deficit calculatio: quia cùm auditur sine initio æternitas, nulla ibi quæritur ætas. Si Pater Deus, & Filius Deus, Pater maior, filius minor: iam non vnus Deus, sed duo Dij. Si duo Dij sunt, quid est ergo quod dicit Dominus per Prophetam, ante me non est formatus Deus, & post me non erit? Quid dicis Arriane, &c? Pater, Pater est; Filius, Filius est: & ille nunquam non fuit Pater, & iste nunquam non fuit Filius, ambo æterni nec cœperunt esse, nec desierunt, &c. Concedite quæso Creatori, quod ipse præstitit creaturæ, & in creatura si potestis; capite Creatorem. Ecce ignis & splendor, duo sunt, alter ex altero est, nec sine altero, alter est. Ignis Pater, splendor Filius, ipse si posset splendor dicere, quod luceo, non à me ipso luceo, sed qui me B misit, ipse dedit mihi vt luceam. Ignis enim splendorem mittit. Et sicut filius de Deo patre dicit, Pater mecum est: ita & splendor diceret, si posset, ignis mecum est. Extinguo ignem, splendor nusquam parebit. Iste ergo ignis Pater, & splendor filius: vnus sine coniuge Pater, alius sine matre filius; nec diuidi alter ab altero potest: & cùm sit alter ex altero, initium tamen alterius esse non potest sine altero. Hoc enim posse à Creatore tributum est creaturæ: quid potest esse Creator? accedat Paganus, accedat Sabellianus, videat Arrianus: contemplentur lucernam, in ipsa videant, quod in Deo videre non possunt, &c. Scriptum est enim, lucerna pedibus meis Verbum tuum, &c. & de Deo dictum est, ignis consumens. Accedite ergo & lu- C cernam diligenter considerate, vestrasque factas tenebras remouete. Paganus intueatur, & illic sine coniugio esse Patrem discat & filium, & quomodo natus est filius: & si cæcus non es, ibi vide: inter ignem & splendorem quære medium: si nullum est medium, nullum est coniugium. Noli velle scrutari medium ne magnũ patiaris incendium. Accedat Sabellianus, dicamus & Praxeas, videat duos in vnum, ignem & splendorem. Numquid non rectè dicere potest splendor, ego in igne, & ignis in me: sicut & filius dicit, ego in Patre, & Pater in me? Accedat Arrianus, videat & alterum ex altero, nec tamen nasci posse alterum sine altero: nemo eorum prior, nemo posterior: coæui sunt Pater & filius, splendor & ignis: nec ignis sine splendore, nec splendor sine igne esse potest, &c. Non illis ortus qui non est, sed æternitas vna est, vna substantia. Ignis & splendor temporales sunt, Pater autem & filius æterni sunt. Sunt dico; quia Pater & filius: Deus dico, quia vnum. Dualitas in prole, vnitas in deitate. Alterum facit vnius natiuitas,

sed vnum ostendit esse diuinitas. Cùm dico filius, alter est: cùm dico Deus, vnus est. Alius est quia filius est; aliud quidem non est, quia Deus est. *Hactenus Tertulliano augustiùs de Trinitate Augustinus.*

8. HÆRETICI, *Marcionitæ & Valentiniani veram Christi carnem & natiuitatem negantes, quos opponit Praxeanis; & istos illis deteriores probat, quòd Praxeani etiam Patri imputarent humiliationem carnis, in qua seipso minorem se fecerat, cùm Marcionitæ eam veram, nec in ipso filio admitterent, quasi Deo indignam. Sed ipse Tertullianus ex eodem Psaltis loco probat distinctionem personarum; quòd alia sit qua minoratur & coronatur, alia qua minorat, & coronat. Psal. 8. 6.* Minuisti eum paulominùs ab Angelis, gloriâ & honore coronasti eum; *ait Psaltes, Deo Patri de Filio.* B *Hunc locum alibi iuxta Augustinum explicaui tract. in Psal. 8. cui superaddo quod habet to. 6. lib. contra Sermonem Arrianorum cap. 5.* (S. Aug.) Recolent, *inquit*, in epistola quæ ad Hebræos est, de Christo esse intellectum quod scriptum est, minorasti eum paulominus ab Angelis: & videant non ad diuersitatem & inæqualitatem naturæ Patris & Filij, valere quod dixit, Pater maior me est, sed ad illud potiùs, quod in forma serui, propter infirmitatem, in qua pati & mori potuit, minor etiam Angelis factus est. (S. Aug.) *Et eodem tomo erat. cont. Iud. Pagan. & Arrian. cap. 8.* Tunc dixit, *inquit*, Pater maior me est, quando & dicit scriptura minoratum paulominùs ab Angelis. Numquid etiam insana superbia ita irreuerens progreditur vestra, vt Verbum Dei manens apud Patrem, audeatis dicere in illa diuinitate Angelis esse minorem? Si non audes, hæretice, hoc dicere, serua hos gradus, & periet error tuus. Filius apud Patrem, æqualis cum Patre, quoniam sempiternus cum sempiterno, semper manens cum sempiterno, manet æqualis, missus, & veniens. In susceptione hominis minor, non solùm Patre, verùm etiam Angelis: æqualis in forma Dei, minor in forma serui. Æqualis cum Patre creans Angelos, æqualis cum Patre homines faciens: æqualis cum Patre nouum constituens mundum: minor Patre, perditum reparans mundum. Æqualis cum Patre vitam largiens æternam: minor Patre, mortem suscipiens nostram, &c. & hic Dei filius, & hominis filius: Dei filius de corde Patris, hominis filius ex vtero matris, &c. in quo vtero spiritales nuptiæ celebratæ; Deus coniunctus est carni, & caro adhæsit Deo, vt esset vnus Christus Deus & totus homo.

9. IN VETERIBVS. *In veteri Testamento, nihil ad exclusionem plurium in Trinitate personarum, sic errori suo fauere putant, quàm quod supra numero 7. Ex Esaia proferunt, sicut & se fundatos putant in illo Christi ad Philippum responso. Io. 14. 9.* Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum. *Vbi aduerte Christum non respondisse Philippo præcisè, & formaliter hæc verba quæ habentur Io. 10. 30.* Ego & Pater vnum sumus: *sed eadem est substantia. Quid enim aliud est:* qui videt me, videt & Patrem meum; &, nescitis, siue non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est. *Nisi*, E *illud ipsum*, ego & Pater vnum sumus? *vnitate scilicet Essentiæ, quæ eadem creditur esse in Patre & Filio, personaliter inter se distinctis.* HIS TRIBVS, *&c. Praxeani, stultè volunt omnia vtriusque testamenti testimonia de personarum distinctione scripta, his tribus versiculis cedere.* RETRO FVERIT. *Filius Verbum Dei, de quo Ioannes, antequam incarnaretur dixit.* In principio erat Verbum. LICET ET DEVS. *Quamuis filius Dei Verbum, Deus sit, Ioannes tamen tùm dixit.* Verbum erat apud Deum, *per Deum, Patrem intellexit. Et Verbum Deus dicitur, quia est Dei filius.* DISPOSITIONE ALIVM. *Oeconomiâ sicut supra dixit, ordine & gradu, persona diuersa.* NON DIVISIONE, A *supple essentiæ & naturæ.* HIC ERGO. *Filius est, de quo Ioannes subiecit, non verò de Patre, quem Praxeas vult Incarnatum fuisse;* Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre. *Vbi apertè vtramque personam distinguit.* SINVM DISSERVIT. *Io. 1. 18.* Deum, *Patrem*, nemo vidit vnquam: vnigenitus filius. *Syr. vnigenitus ille Deus*, qui est in sinu Patris, ipse narrauit SED NON IPSE. *Supple ipse filius, non est eadem cum Patre persona.* ÆDEM PATRIS. *Io. 2. 16.* Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. AD NICODEMVM. *Io. 3. 16.* Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. SALVVS SIT. *Vulgata, saluetur.* CREDIDERIT. *Sequitur Syriacam, nam vulgata legit*, non credit. VNICI. *Vulgata, vnigeniti.* IOANNES, *Baptista.* INTERROGARETVR. *A discipulis suis.* QVID CONTINGERET. *Crederet. Vnde alibi exposui cum Augustino, per tactum Hæmorroissa, & Magdalenæ, siue concessum, siue prohibitum, fidem rectam, vel prauam intelligi:* Ibi, *inquit*, me tanges, vbi credideris Patri non inæqualem filium. (S. Aug.) NON VIDEBIT DEVM. *Vbique habetur*, non videbit vitam. SAMARITIDI. *Samaritana, quam se Messiam esse & Christum docuit.* ALIBI CHRISTVS. *Tam à Petro, quàm Martha, & Nathanaële.* MEVM EST. *Io. 4. 34.* Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius. NIHIL FILIVS. *Io. 5. 29.* Amen amen dico vobis: non potest filius à se facere quidquam, nisi quod viderit C Patrem facientem. Quæcumque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit, &c. demonstrat ei quæ ipse facit: & maiora his demonstrabit ei opera, vt vos miremini. Sicut enim Pater suscitat mortuos, &c. Neque enim Pater iudicat quenquam, &c. vt omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat filium, non honorificat Patrem qui misit illum, &c. Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, &c. Amen amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quando mortui, &c. & qui audierint, viuent, &c. in semetipso, &c. & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. PER SPIRITVM. *Id est, diuinitatem. Author enim sæpiùs Christum dixit* D *Spiritum Dei, hoc est, Deum; vt Ioannis 4. dicitur, Deus Spiritus. vel alludit ad Paulum Rom. 1. 4.* Qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundùm Spiritum sanctificationis. *Vel, vt legit Syriaca*, qui natus est secundùm carnem ex semine domus Dauid, & agnitus filius Dei in virtute & Spiritu sancto. ADHVC ADIICIT. *Io. 5. 36.* Ego autem habeo testimonium maius Ioanne. *Id, est testimonio mihi à Ioanne dato.* Opera enim quæ dedit mihi Pater vt perficiam ea; ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me: & qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me: neque vocem eius vnquam audistis, neque speciem eius vidistis. RETRÒ PATREM. *Vult apparitiones Dei ante Incarnationem factas hominibus, fuisse non in persona Patris, sed Filij.* DENIQVE DICIT. *Io. 5. 43.* Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. IN DEI NOMINE. *Ex quibus collige, filium semper distingui à Patre quantum ad personam, licet quantum ad naturam & attributa diuina semper appellatus sit sicut & Pater, Deus, Rex, Dominus, omnipotens, altissimus.* INTERROGANTIBVS. *Cùm Christus Ioannis. 6. 27. dixisset*, operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis: hunc enim Pater signauit Deus. *Statim de turbis Euangelista subiicit:* dixerunt ergo ad eum:

eum: quid faciemus, vt operemur opera Dei? Respondit Iesus, & dixit eis: hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille. PANEM QVOQVE. *Ioa. 6. 33.* Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum, &c. omne quod dat mihi Pater ad me veniet: & eum qui venit ad me, non eiiciam foras: quia descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Hæc est autem voluntas eius qui misit me Patris, vt omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. Hæc est autem voluntas Patris mei qui misit me: vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. NEMINEM PORRO. *Io. 6. 44.* Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum, &c. & scriptum est in Prophetis, & erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, *Syr. ab eo*, venit ad me. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic vidit Patrem. CVM DISCEDVNT. *Post scandalum Capharnaitarum de cibo & potu sui Corporis & Sanguinis*; *Ioan. 6. 67.* Ex hoc multi Discipulorum eius abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Iesus ad duodecim: numquid & vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus Filius Dei. AD QVAM MIRABANTVR. *Ioan. 7. 15.* Mirabantur Iudæi dicentes: quomodo hic literas scit, cùm non didicerit? Respondit Iesus & dixit: mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. NEQVE ME SCITIS. *Ioan. 7. 28.* Et me scitis & vnde sim scitis: & à meipso non veni, sed est verax, qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum: quia ab ipso sum, & ipse me misit. AD INVADENDVM. *Ioan. 7. 32.* Miserunt Principes & Pharisæi ministros vt apprehenderent eum; dixit ergo eis Iesus: adhuc modicum tempus, &c. VBI NEGAT. *Ioan. 8. 16.* Et si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum: sed ego, & qui misit me Pater. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater. TAM DVOS. *Duas personas diuersas.* QVAM INSEPARATOS. *Indiuisos substantiâ.* DVM IDEM EST. *Vt vult Praxeas confundens personas.* INTERROGATVS. *Ioan 8. 19.* Dicebant ergo ei, vbi est Pater tuus? Respondit Iesus: neque me scitis, neque Patrem meum. Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis. IN MVNDVM. *In mundo.* EXTRINSECVS, *apertè. Ibidem* 27. Et non cognouerunt, quia Patrem eius dicebat Deum. *Vel vt habet Syriaca*; Eum de Patre ipsis verba facere. APVD IEREMIAM. 1. 9. Ecce dedi verba mea in ore tuo. 70. in os tuum. APVD ESAIAM. 50. 4. Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum qui lassus est, verbo. *Tertullianus secutus est* 70. NIHIL LOQVAR. *Io. 8. 28.* Facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor, &c. IN ALTERCATIONE. *Io. 8. 37.* Quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. *Syr. quod sermoni meo capiendo non sufficiatis.* Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor; & vos quæ vidistis apud patrem vestrum facitis; &c. LOCVTVM. *Ibidem.* 40. Qui veritatem vobis locutus sum quam audiui à Deo. DILEXISSETIS.

A *Ibid. 42.* Diligeretis vtique me, ego enim ex Deo processi, & veni. HONORO. *Honorifico.* SI EGO. *Io. 8. 54.* Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est, est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est, & non cognouistis eum: ego autem noui eum, & si dixero quia non scio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, & sermonem eius seruo. Abraham Pater vester exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est. CÆCVM ILLVM. *Natum, Io. 9. 4.* Me oportet operari, opera eius qui misit me. FILIVM DEMONSTRAVIT. *Io. 9. 37.* Et dixit ei Iesus: & vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est. DEHINC. *Io. 10. 15.* Sicut nouit me Pater, & ego agnosco

B Patrem, &c. Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam, &c. hoc mandatum accepi à Patre meo. INTERROGATVS. *Io. 10. 24.* Circumdederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei, quousque animam nostram tollis? *Syr. retines, id est suspendis.* Si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit eis Iesus: loquor vobis, & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me. STVLTI. *Praxeani.* AD SIMILITVDINEM. *Post Tertullianum, Ecclesia non iam Homousion similis substantiæ, sed Homousion eiusdem substantiæ filium docuit esse cum Patre.* MVLTA OPERA. *Io. 10: 32.* Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? QVA IPSVM DEVM. *Patrem scilicet.* SCITOTE *Io. 10.*

C 37. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio; & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre. VNVM ESSE. *Eiusdem potentiæ.* AD PATREM SVSPICIENS. *Io. 11. 41.* Iesus autem eleuatis sursum oculis dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat, dixi: vt credant quia tu me misisti. IN CONTVRBATIONE. *Io. 12. 27.* Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo: & clarificaui, *Syr. glorificaui.* Et iterum clarificabo. BENE SENSI. Benè complacui. NON EST SEPARATIO.

D *Essentiæ vel loci, quia eadem est maiestas vbique præsens. Sed sic dispositum est, & dispensatum mysterium Incarnationis.* HANC SEDEM. *Thronum in quo sedens adoraretur iuxta Psaltem.* Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes eius. VERSIPELLEM. *Mendacem.* VT CREDANT. *Hæc non habentur hoc loco, sed supra ex Io. 11. 41.* QVI CONSPICIT. Qui videt me, videt eum, &c. QVONIAM, *scilicet Io. 12. 49.* Quia ego à meipso non sum locutus, &c. ANTE SOLEMNITATEM. *Io. 13. 1.* Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, &c.

E sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, &c. NEC DIABOLO BENE. *Carpit Praxeam quem diabolo comparat: quòd vt hic misit in cor Iudæ vt traderet Dei filium, sic in cor Praxeæ vt crederet Patrem ipsum, sub filij nomine traditum.* QVI ERAT IN FILIO. *Non quasi in persona distincta, sic enim duo Christi essent.* GLORIFICATVS. Clarificatus. ANTE IESVM. *Supple incarnatum, Verbum erat, & virtus Dei apud Deum.* ERANT PLANE. *Io. 14. 5.* Dicit ei Thomas: Domine nescimus quò vadis; & quomodo possumus viam scire? ABHINC, amodo. RETRO

PRÆDICABATVR. *In veteri lege prænuntiabatur per Prophetas.* CORAM. *Apertè.* PATREM PRÆFEREBAT. *Siue eum sæpius inculcando, siue maiorem se propter carnem suam dicendo.* SE IGNORANTI. *Philippo, &c.* VICARIVM. *Vices Patris gerentem, eiusque gloriam procurantem, tractantem opera eius.* EX VIRTVTIBVS. *Miraculis.* QVO EXAGGERAVIT. *Vt quid inculcauit.* NE PATER SEORSVM. *Persona Patris, visibilis cernenda posceretur.* REPRÆSENTATOR HABERETVR. *Crederetur Filius Patris potentiam in suis mirabilibus exprimere.* NON VISV SED SENSV. *Non ita vt persona Patris in Filio operante visibilis cerneretur, sed intellectu & fide, manens & operans in filio Pater crederetur. Longum esset & fortè tædiosum omnes ex Ioanne locos relatos exponere per legitimum eius interpretem Augustinum, cùm maxima pars per se plana sit, & apertè communicat distinctionem personarum. Legendus erit à tractatu 17. in Ioannem vsque ad 79. in quibus sparsim distinctionem personarum iuxta Ioannis Euangelium probat. Pauca selectiora excerpo. Ac primò quidem, cum Tertulliano conspirat, supra dicente*, exiui à Patre, vt radius ex Sole, *sic fatus Sermone 58. de verbis Dom. secundùm* S. Aug. *Ioannem.* Nos, *inquit*, sicut solum Patrem semper, & sine initio ingenitum nouimus, ita filium semper, & sine initio ex Patre genitum confitemur. Nec alia aliqua causa est quæ diuisionem faciat personarum, nisi quòd hic ingenitus est, & ille genitus: id est, hic Pater est, & ille Filius: quia Pater, semper Pater est, numquam Filius, quia vt diximus, non est genitus, sed ipse genuit. Et filius semper filius, numquam Pater, quia non genuit, sed genitus est. Qua de re non alius quam Apostolus ipse in medio prouocandus est, qui præuidens Eunomij & Arrij malitiam exemplis rerum visibilium, inuisibilem, & inenarrabilem, & incomprehensibilem rem, in quantùm potuit, vel res ipsa permisit, explanare conatus est. Quid enim scribens ad Hebræos de filio dicit? qui est, inquit, splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, &c. vt exemplo illo intelligamus, quia sicut splendor ex substantia Solis nascitur, ita & filium ex substantia Patris genitum. Et sicut non est Sol aut ignis prior splendore suo, licet ex illo nascatur, &c. nec dici potest splendor Sole vel igne pòsterior, cùm tamen ex ipso nascatur: sic agnoscamus non esse Patrem filio priorem, aut filium Patre posteriorem, &c. Accipe etiam huius rei aliam similitudinem. Sicut splendor ex Sole natus, replet orbem terrarum, & tamen à genitore suo non abscinditur aliquando, nec recedit, ita filius ex Patre genitus, vbique cum sit, in Patre semper permanet. Et sicut substantialiter splendor in Sole est, & Sol in splendore: ita substantialiter Pater in Filio, & Filius in Patre est. Et sicut Soli & splendori vna substantia dum sit, non tamen est vna persona: Quia nec solum splendorem esse, nec splendorem dicimus Solem, quia scimus quòd Sol genuit splendorem, splendor verò ex Sole natus est: ita & Pater & Filius cùm sint vnius essentiæ, non tamen sunt vnius personæ, &c. & sicut Sol per splendorem & calefacit, & illuminat, & siccát, & candidat, & denigrat, & omnia quæ ei à Deo iniuncta sunt, operatur: ita & Patrem per vnigenitum Filium suum, omnia legimus fuisse operatum. *Et tract. 19. in cap. 5. Ioan.* Omne, *inquit*, iu- S. Aug. dicium dedit filio, vt omnes honorificent filium sicut honorificant Patrem, &c. Non potest ergo dicere aliquis, ego Patrem honorificabam quia filium non noueram: si nondum filium honorificabas, nec Patrem honorificabas. Quid est ergo honorificare Patrem, nisi quòd habeat filium? Aliud est enim cùm tibi commendatur Deus, quia Deus est: & aliud est cùm tibi commendatur Deus, quia Pater est. Cùm tibi quia Deus est commendatur, Creator tibi commendatur. Spiritus quidem summus, æternus, inuisibilis, incommutabilis tibi commendatur: cùm verò tibi, quia Pater est, commendatur, nihil tibi aliud, quàm & filius commendatur: quia Pater dici non potest, si filium non habet: sicut nec filius, si Patrem non habet. Sed ne fortè quidem Patrem honorifices tanquam maiorem, filium tanquam minorem, vt dicas mihi, honorifico Patrem: scio enim quòd habeat filium, & non erro in Patris nomine, non enim Patrem intelligo sine filio: honorifico tamen & filium tanquam minorem: corrigit te ipse filius, & reuocat te dicens, vt omnes honorificent filium, non inferiùs, sed sicut honorificant Patrem. Qui ergo non honorificat filium, non honorificat Patrem qui misit illum, &c. Ibi tollis honorem Patri, vbi minorem das filio. Quid enim aliud tibi videtur ita sentienti, nisi quia Pater æqualem sibi filium generare, aut noluit, aut non potuit? si noluit, inuidit: si non potuit, defecit. Non ergo vides quia ita sentiendo, vbi maiorem honorem vis dare Patri, ibi es contumeliosus in Patrem? proinde sic honorifica filium, quomodo honorificas Patrem, si vis honorificare & Patrem & Filium. *De inseparabilitate operum Trinitatis plura sapißimè disserunt, velut tract. 20. in cap. 5 Io.* Videte, *inquit*, & attendite quid velim dicere, & si fortè non possim, Catholica fides hoc habet firmata Spiritu Domini in sanctis eius, contra omnem hæreticam prauitatem, quia Patris & Filij opera inseparabilia sunt. S. Aug. Quid est quod dixi? quomodo ipse Pater & Filius inseparabiles sunt, sic & opera Patris & Filij inseparabilia sunt. Quomodo Pater & Filius inseparabiles sunt? quia ipse dixit, Ego & Pater vnum sumus, quia Pater & Filius non sunt duo Dij, sed vnus Deus, Verbum, & cuius est Verbum, vnus & vnicus Deus: vnus Pater & Filius charitate complexi, vnusque charitatis Spiritus eorum, vt fiat Trinitas, Pater & Filius, & Spiritus sanctus. Non ergo tantùm Patris & Filij, sed & Spiritus sancti, sicut æqualitas, & inseparabilitas personarum, ita etiam opera inseparabilia sunt. Non dicit Catholica fides, quia fecit Deus Pater aliquid, & fecit filius aliquid aliud: sed quod fecit Pater, hoc & Filius fecit, hoc & Spiritus sanctus fecit. Per Verbum enim facta sunt omnia; quando dixit & facta, per Verbum facta sunt, per Christum facta sunt. In principio enim erat Verbum, &c. omnia per ipsum facta sunt. Si omnia per Verbum facta sunt; dixit Deus, fiat lux, & facta est lux; in Verbo fecit, per Verbum fecit, &c. *Et paulò post in verba Christi:* Amen, Amen dico vobis non potest filius à se facere quidquam, S. Aug. nisi quod viderit Patrem facientem. Tanquam, inquit, diceret: quid scandalizati estis, quia Patrem meum dixi Deum, quia æqualem me facio Deo? ita sum æqualis, vt non ille à me, sed ego ab illo sim. Hoc enim intelligitur in his verbis, non potest filius, &c. hoc est, quidquid filius habet vt faciat, à Patre habet, vt faciat. Quare habet à Patre vt faciat? quia à Patre habet vt sit filius. Quare à Patre habet vt filius sit? quia à Patre habet, vt possit, quia à Patre habet, vt sit: filio enim hoc est esse quod posse, &c. homo aliud est,

quod est, aliud quod potest. Aliquando enim & est homo, & non potest quod vult: aliquando autem sic est homo, vt possit quod vult. Itaque aliud est esse ipsius, aliud posse ipsius: si enim hoc esset esse ipsius, quod est posse ipsius, cùm vellet posset. Deus autem, cui non est alia substantia vt sit, & alia potestas vt possit, sed consubstantiale illi est, quidquid eius est, & quidquid est, quia Deus est, non alio modo est, & alio modo potest, sed esse, & posse simul habet, quia velle & facere simul habet. Quia ergo potentia filij de Patre est, ideo & substantia filij de Patre est: & quia substantia filij de Patre est, ideo potentia filij de Patre est: non alia potentia est in filio, & alia substantia, sed ipsa est potentia quæ substantia: substantia vt sit, potentia vt possit. Ergo quia filius de Patre est, ideo dixit, non potest filius à se facere quidquam: quia non est filius à se, ideo non potest à se. *Et multis interiectis.* Hoc est, *inquit*, non potest filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quia videre filij, hoc est natum esse de Patre. Non alia visio eius, & alia substantia eius; &c. totum quod est, de Patre est, &c. ne fortè inquit, carnalis subreperet intellectus, vt auerteret mentem, & faceret sibi homo quasi duos fabros, vnum magistrum, alterum discipulum quasi attendentem ad magistrum; verbi gratiâ facientem arcam, vt quomodo fecit ille arcam, faciat & iste alteram arcam, secundùm visionem quam inspexit in magistro operante: secutus ait, quæcumque enim Pater facit, hæc eadem & filius facit similiter. Non facit Pater alia, & alia filius similia, sed eadem similiter. Non enim ait, quæcumque facit Pater, facit & filius alia similia: sed quæcumque, inquit, Pater facit, hæc eadem filius facit similiter. Quæ ille, hæc & ipse. Mundum Pater, mundum Filius, mundum Spiritus sanctus. Si tres Dij, tres mundi: si vnus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: vnus mundus factus est à Patre per Filium in Spiritu sancto. *De eo autem quod supra retulit de Philippo petente videre Patrem tract. 70. de cap. 14.* Audiunt, *inquit*, si cognouissetis me, & Patrem meum cognouissetis: si me, vtique & illum: alius ego sum, alius ille: sed ne putarent dissimilem, & amodo, inquit, cognoscetis eum, & vidistis eum. Viderunt enim ei similem filium, sed admonendi fuerant talem etiam esse Patrem, quem nondum videbant, qualis est filius quem videbant, & ad hoc valet quod postea Philippo dicitur, qui videt me, videt & Patrem. Non quòd ipse sit Pater & Filius, quod in Sabellianis, qui vocantur etiam Patripassiani, Catholica fides damnat: sed quòd tam similes sint Pater & Filius, vt qui vnum nouerit, ambos nouerit: solemus enim de duobus similibus ita loqui eis qui vnum illorum vident, & qualis sit alius volunt nosse, vt dicamus: vidistis istum, illum vidistis. Sic ergo dictum est, qui me videt, videt & Patrem: non vtique, vt ipse sit Pater qui Filius, sed quòd à Patris similitudine in nullo prorsus discrepet filius: nam nisi duo essent Pater & Filius, non dictum esset, si cognouissetis me, & Patrem meum cognouissetis. Vtique enim, quia nemo, inquit, venit ad Patrem nisi per me, si cognouissetis me, &c. Quoniam ego per quem venitur ad Patrem, perducam vos ad eum, vt ipsum etiam cognoscatis: sed quoniam illi sum omnino simillimus, amodò cognoscetis eum si cognoscitis me, & vidistis eum, si oculis cordis vidisti me, &c. Si ad te multum est hoc videre, saltem quod non vides, hoc crede.

S. Aug. S. Aug.

10. *In Trinitate Pater distinguitur personâ à Filio. cont. Prax. cap. 25. à p. ad f. & 26. per totum.*

PErcurre adhuc, & inuenies quem Patrem credis, vice Patris dictum. Et [a] *patrem agricolam*, vtique in terra tu putas fuisse. Hunc rursus in cœlis à filio agnosci, cùm illuc respiciens, discipulos suos Patri tradit. Sed & si in isto Euangelio non esset reuelatum: [b] *Deus meus, ad quid me dereliquisti?* &, [c] *Pater, in tuis manibus depono spiritum meum:* tamen post resurrectionem & deuictæ gloriam mortis, expositâ necessitate omnis humilitatis, cùm iam patrem se posset ostendere tam fideli feminæ, ex dilectione, non ex curiositate, nec ex incredulitate Thomæ, tangere eum aggressæ: [d] *Ne*, inquit, *contigeris me, nondum ascendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos (quin & in hoc se filium ostendit; Filios enim appellasset illos, si Pater fuisset) & dices eis, Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* Pater ad patrem, & Deus ad Deum, an filius ad patrem, & Sermo ad Deum? Ipsa quoque clausula Euangelij, propter quid consignat hæc scripta, [e] *nisi vt credatis*, inquit, *Iesum Christum filium Dei?* Igitur quæcunque ex his putaueris ad demonstrationem eiusdem patris & filij proficere tibi posse, aduersùs definitiuam Euangelij sententiam niteris. Non ideo enim scripta sunt, vt Patrem credas Iesum Christum, sed vt filium. Propter vnum Philippi sermonem, & Domini responsionem ad eum, videmus Ioannis Euangelium decucurrisse, ne tot manifestè pronuntiata, & antè & postea vnus sermo subuertat secundùm omnia potiùs, quàm aduersùs omnia etiam aduersus suos sensus interpretandus. Ceterùm, vt alia Euangelia non interponam, quæ de natiuitate Dominica idem confirmant, sufficit eum qui nasci habebat ex virgine, ab ipso annuntiari Angelo, filium Dei determinatum: [a] *Spiritus Dei superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit te. Propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Volent quidem & hîc argumentari, sed veritas præualebit. Nempe, inquiunt, filius Dei Deus est, & virtus Altissimi Altissimus est. Nec pudet illos inijcere. Quòd si esset, scriptum fuisset. quem enim verebatur, vt non apertè pronuntiaret, *Deus superueniet, & Altissimus obumbrabit te*? Dicens autem *spiritus Dei*, & si spiritus Dei Deus, tamen non directò Deum nominans, portionem totius intelligi voluit, quæ cessura erat in filij nomen. Hic spiritus Dei, idem erit Sermo. Sicut enim Ioanne dicente, [b] *Sermo caro factus est*; spiritum quoque intelligimus in mentione Sermonis: ita & hîc Sermonem quoque agnoscimus in nomine spiritus. Nam & spiritus substantia est Sermonis, & Sermo operatio spiritus, & duo vnum sunt. Ceterùm,

a Io. 15. 1. Io. 17. 1. & seq.
b Matth. 27. 46.
c Luc. 23. 46.
d Io. 20. 17.
e Ibid. 31.
CAPVT XXVI.
a Luc. 1. 35.
b Io. 1. 14.

alium Ioannes profitebitur carnem factum, alium angelus carnē futurum, si non & spiritus
Sermo est, & Sermo spiritus. Sicut ergo Sermo Dei non est ipse cuius est, ita nec spiritus; &
si Deus dictus est, non tamen ipse est cuius est dictus. Nulla res alicuius, ipsa est cuius est.
Planè cùm quid ex ipso est, & sic eius est, dum ex ipso sit, potest tale quid esse, quale & ipse
ex quo est, & cuius est. Et ideo spiritus Dei Deus, & Sermo Dei Deus, quia ex Deo, non ta-
c Luc. 1. 35. men ipse ex quo est. Quòd si Deus Dei tanquam substantiua res, non erit ipse Deus, sed
hactenus Deus, quia ex ipsius Dei substantia, quâ & substantiua res est, & vt portio aliqua
d Luc. 2. 49. totius. Multò magis [c] *virtus altissimi*, non erit ipse altissimus, quia nec substantiua res est
quod est spiritus, sicut nec sapientia, nec prouidentia; & hæc enim substantiæ non sunt,
e Matth. 4. 3. sed accidentia vniuscuiusque substantiæ. Virtus spiritui accidit, nec ipsa erit spiritus. His
itaque rebus quodcunque sunt, spiritu Dei & Sermone & virtute collatis in virginem,
f Marc. 1. 24. quod de ea nascitur, filius Dei est. Hoc se & in istis Euangelius ipse testatur statim à pue-
Matth. 16. 17. ro: [d] *Non scitis*, inquit, *quòd in Patris mei me esse oportet?* Hoc & satanas eum in tentationi-
bus nouit, [e] *Si filius Dei es.* Hoc & exinde dæmonia confitentur, [f] *Scimus qui sis, filius Dei.*
g Matth. 11. 25. 26. & 27. Patrem & ipse adorat. Christum se Dei à Petro agnitum non negat. Insultàns in spiritu
ad Patrem: [g] *Confiteor*, inquit, *tibi Pater, quòd absconderis hac à sapientibus.* Hîc quoque Pa-
trem nemini notum nisi filio adfirmat. Et Patris filium confessurum confessores, & ne-
Matth. 10. 32. gaturum negatores suos apud Patrem; inducens parabolam filij, non patris in vineam missi
Matth. 21. 37. post aliquot seruos, & occisi à malis rusticis, & à patre defensi; ignorans & ipse diem &
horam vltimam soli Patri notam; disponens regnum discipulis, quomodo & sibi disposi-
Matt. 24. 36. tum dicit à Patre; habens potestatem legiones Angelorum postulandi ad auxilium à Pa-
tre si vellet; exclamans quòd se Deus reliquisset, in Patris manibus spiritum ponens; &
Luc. 22. 29. post resurrectionem spondens missurum se discipulis promissionem Patris; & nouissimè
mandans, vt tinguerent in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, non in vnum. Nam
Matt. 26. 27. nec semel, sed ter ad singula nomina, in personas singulas tinguimur.

Matt. 28. 19. 11. *In Trinitate, Pater cum Filio duos facit, Personâ, non substantiâ. cont. Prax. cap. 19. in f.*

SI filium nolunt secundum à Patre reputari, ne secundus, duos faciat deos dici; osten-
dimus etiam duos, deos in scriptura relatos, & duos dominos; & tamen ne de isto scan-
dalizentur, rationem reddidimus, quâ Dei, non duo dicantur, nec Domini, sed quâ pa-
ter, & filius. duo; & hoc non ex separatione substantiæ, sed ex dispositione, quum indi-
uiduum & inseparatum filium à Patre pronuntiamus; nec statu, sed gradu alium; qui etsi
Deus dicatur. quando nominatur singularis, non ideo duos deos faciat, sed vnum, hoc
ipso quod & Deus ex vnitate Patris vocari habeat.

12. *In Trinitate, Patris & Filij est distincta persona: & licet vterque spiritus sit, quia Deus Spiritus est, solus Filius Christus est, & vnctus à Patre. cont. Prax. cap. 27. in f. & 28. in p.*

NOuissimè qui filium Dei carnem interpretaris, exhibe qui sit filius hominis. Aut
a Io. 4. 24. nunquid spiritus erit? sed spiritum Patrem ipsum vis haberi; quia [a] *Deus spiritus*,
quasi non & Dei spiritus: sicut & [b] *Sermo Deus*, & Dei Sermo. Itaque Christum facis Pa-
b Io. 1. 1. trem, stultissime, qui nec ipsam vim inspicias nominis huius, si tamen nomen est Chri-
CAPVT XXVIII. stus, & non appellatio potiùs; vnctus enim significatur. Vnctus autem non magis nomen
est, quàm vestitus, quàm calceatus, accidens nomini res. An tu, si ex aliquo argumento
vestitus quoque vocaretur Iesus, quomodo Christus ab vnctionis Sacramento, æquè Ie-
sum filium Dei diceres, vestitum verò Patrem crederes? Nunc de Christo. Si pater Chri-
stus est, pater vnctus est, & vtique ab alio. Aut si à semetipso, proba. Sed non ita docent
c Act. 4. 27. Acta Apostolorum, in illa exclamatione Ecclesiæ ad Deum, [c] *Conuenerunt enim vniuersi
in ista ciuitate aduersus sanctum filium tuum Iesum, quem vnxisti: Herodes & Pilatus cum Na-
tionibus*; ita & filium Dei Iesum contestati sunt, & filium à Patre vnctum. Ergo Iesus idem
erit Christus, qui à Patre vnctus est, non Pater, qui filium vnxit. Sic & Petrus, Firmissimè;
d Act. 4. 10. [d] *Itaque cognoscat omnis domus Israël, quòd & Dominum, & Christum*, id est vnctum, *fecerit
e 1. Io. 2. 22. cum Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis*, Ioannes autem etiam, [e] *Mendacem notat eum,
qui negauerit Iesum esse Christum: contrà de Deo natum omnem, qui crediderit Iesum esse Chri-
f 1. Io. 1. 3. stum*: Propter quod & hortatur vt credamus nomini filij eius Iesu Christi, [f] *vt scilicet com-
munio sit nobis cum Patre, & Filio eius Iesu Christo.* Sic & Paulus vbique Deum Patrem po-
g Rom. 1. 8. nit, & Dominum nostrum Iesum Christum. Cùm ad Romanos, scribit, [g] *Gratias agit Deo
per Dominum nostrum Iesum Christum.* Cùm ad Galatas, [h] *non ab hominibus se Apostolum præ-
h Gal. 1. 1. ferre, nec per hominem; sed per Iesum Christum, & Deum Patrem.* Et habes tota instrumenta
eius, quæ in hunc modum pronuntiant. & duos proponunt, Deum Patrem, & Dominum
nostrum Iesum Christum filium Patris, & Iesum ipsum esse Christum, in altero quoque
nomine Dei filium. Nam exinde eo iure, quo vtrumque nomen vnius est, id est Dei filij,

etiam alterum sine altero, eiusdem est. Et siue Iesus tantummodò positum est, intelligitur & Christus; quia Iesus vnctus est. Siue solummodò Christus idem est Iesus, quia vnctus est Iesus. Quorum nominum alterum est proprium, quod ab Angelo impositum est: alterum accidens, quod ab vnctione conuenit; dum tamen Christus filius sit, non Pater. Postremò, quàm cæcus est, qui nec in Christi nomine intelligit alium Deum portendi, si Christo nomen Patris adscribat? si enim Christus Pater Deus est, qui dicit, [i] *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum; & Deum meum, & Deum vestrum*; vtique alium Patrem super se, & Deum ostendit. Si item Pater Christus est, alius est [k] *qui solidat tonitruum, & condit spiritum, & adnuntiat in homines Christum suum.* Et si [l] *adstiterunt Reges terræ, & archontes congregati sunt in vnum, aduersus Christum ipsius*; alius erit Dominus, contra cuius Christum congregati sunt reges, & archontes. Et si, [m] *hæc dicit Dominus Domino meo Christo*; alius erit Dominus qui loquitur ad Patrem Christi. Et cùm Apostolus scribit; [n] *vti Deus Domini nostri Iesu Christi det vobis spiritum sapientiæ, & agnitionis*; alius erit Deus Christi Iesu charismatum spiritualium largitor.

i Io. 20. 17.
k Amos 4. 13.
l Psal. 2. 1.
m Esa. 45. 1.
n Ephes. 1. 17.

13. *In Trinitate, Filius, & Sermo à Patre; & Spiritus ab vtroque prolatus dicitur, non substantiâ, sed personâ separatus: nec minor essentiâ, sed posterior missionis ordine.* *cont. Prax. cap. 8. per totum. & 9. ad f.*

Si qui putauerit me προβολήν aliquam introducere, id est, prolationem rei alterius ex altera, quod facit Valentinus, alium atque alium Æonem de Æone producens; primò quidem dicam tibi, non ideo non vtitur & veritas vocabulo isto, & re ac censu eius, quia & hæresis vtitur; immò hæresis potiùs ex veritate accepit, quod ad mendacium suum strueret. Prolatus est Sermo Dei an non? Hîc mecum gradum fige. Si prolatus est, cognosce probolam veritatis, & viderit hæresis si quid de veritate imitata est. Iam nunc quæritur, quis quomodo vtatur aliquâ re, & vocabulo eius. Valentinus probolas suas discernit & separat ab auctore; & ita longè ab eo ponit, vt Æon patrem nesciat. Denique, desiderat nosse, nec potest; immò & penè deuoratur, & dissoluitur in reliquam substantiam. Apud nos autem [a] *solus filius Patrem nouit*, & sinum Patris ipse exposuit, & omnia apud Patrem audiuit & vidit; & quæ mandatus est à Patre, ea & loquitur. Nec suam, sed Patris perfecit voluntatem, quam de proximo, immò de initio nouerat. [b] *Quis enim scit quæ sint in Deo, nisi spiritus qui in ipso est?* Sermo autem spiritu structus est, & vt ita dixerim, Sermonis corpus est spiritus. Sermo ergo & in Patre semper, sicut dicit, [c] *Ego in Patre.* Et apud Deum semper, sicut scriptum est, [d] *Et Sermo erat apud Deum.* Et nunquam separatus à Patre, aut alius à patre; quia, [e] *Ego & pater vnum sumus.* Hæc erit probola veritatis, custos vnitatis, quâ prolatum dicimus filium à Patre, sed non separatum. Protulit enim Deus Sermonem, quemadmodum etiam Paracletus docet, sicut radix fruticem, & fons fluuium, & sol radium. Nam & istæ species probolæ sunt earum substantiarum, ex quibus prodeunt. Nec dubitauerim filium dicere, & radicis fruticem, & fontis fluuium, & solis radium; quia omnis origo parens est; & omne quod ex origine profertur, progenies est: multò magis Sermo Dei, qui etiam propriè nomen filij accepit: nec frutex tamen à radice, nec fluuius à fonte, nec radius à sole discernitur, sicut nec à Deo Sermo. Igitur secundùm horum exemplorum formam, profiteor me duos dicere; Deum, & Sermonem eius, Patrem & filium ipsius. Nam & radix & frutex duæ res sunt, sed coniunctæ. Et fons & flumen duæ species sunt, sed indiuisæ. Et sol & radius duæ formæ sunt, sed cohærentes. Omne quod prodit ex aliquo, secūdum sit eius necesse est de quo prodit, nõn ideo tamen est separatum. Secundus autem vbi est, duo sunt. Et tertius vbi est, tres sunt. Tertius enim est Spiritus, à Deo, & filio, sicut tertius à radice fructus ex frutice. Et tertius à fonte, riuus ex flumine. Et tertius à sole, apex ex radio. Nihil tamē à matrice alienatur, à qua proprietates suas ducit. Ita Trinitas per consertos & connexos gradus à Patre decurrens, & Monarchiæ nihil obstrepit, & œconomiæ statū protegit. Hanc me regulam professum, quâ inseparatos ab alterutro Patrē & Filium & Spiritū testor, tene vbique; & ita, quid quomodo dicatur, agnosces. Ecce enim dico alium esse Patrem, & alium filium, & alium Spiritum. Malè accipit idiotes quisque aut peruersus hoc dictum, quasi diuersitatem sonet, & ex diuersitate separationem protendat, Patris & Filij & Spiritus. Necessitate autem hoc dico, cùm eundem Patrem & Filium & Spiritum contendunt, aduersùs œconomiam Monarchiæ adulantes, non tamen diuersitate alium filium à Patre, sed distributione; nec diuisione alium, sed distinctione; quia non sit idem Pater & Filius, vel modulo alius ab alio. Pater enim tota substantia est; filius verò deriuatio totius, & portio, sicut ipse profitetur, [f] *Quia Pater maior me est.* A quo [g] *& minoratus* canitur in Psalmo, *Modicum quid citra angelos.* Sic & Pater alius à filio, dum filio maior; dum alius qui generat, alius qui generatur; dum alius qui mittit, alius qui mittitur; dum alius qui facit, alius per quem fit. Benè quod & Dominus vsus hoc verbo in persona Pa-

a Matth. 10. 32.
Io. 1. 18.
Io. 8. 28.
Io. 6. 38.
b 1. Cor. 2. 11.
c Io. 14. 10
d Io. 1. 1.
e Io. 10. 30.
CAP. 12.
f Io. 14. 28.
g Psal. 8. 6.

racleti, non diuisionem significauit, sed dispositionem: [h] *Rogabo* enim, inquit, *Patrem, & alium aduocatum mittet vobis, spiritum veritatis.* Sic alium à se Paracletum, quomodo & nos à Patre alium filium, vt tertium gradum ostenderet in Paracleto, sicut nos secundum in filio, propter œconomiæ obseruationem. Ipsum quod Pater & filius dicuntur, nonne aliud ab alio est?

h Io. 14. 16.

IN TRINITATE. 10. 11. 12. 13. SCHOL.

QVEM PATREM CREDIS. *Eandem cum Filio personam.* VICE PATRIS, *supra dixeras.* Vicarium Patris filium. ET PATREM AGRICOLAM. *Certè distinctam personam suam à Patre probat dum ait: Io. 15. 1.* Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est. *Et præterea conuincit Praxeam quòd filius leuatis in cœlum oculis discipulos suos Patri commendauit. Io. 7. 1.* Subleuatis oculis in cœlum, dixit: Pater venit hora clarifica filium tuum, &c. *Et versu 9.* Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo: sed pro his quos dedisti mihi: quia tui sunt, &c. AD QVID. *Vt quid.* IN MANIBVS. In manus tuas commendo spiritum meum. EXPOSITA, *deposita.* NECESSITATE. *Congruente conditioni viatoris & Redemptoris.* PATREM SE. *Si fuisset eadem persona, vt vult Praxeas.* TAM FIDELI. *Magdalenæ, non curiositate fœmineâ quærenti, nec incredulitate simili Thomæ.* NE CONTIGERIS. *Io. 20. 17.* Noli me tangere, nondum enim ascendi, &c. SERMO. *Verbum Incarnatum.* CLAVSVLA EVANGELII. *Non quòd sit versus extremus vltimi capitis, sed penultimi, quo sic concludit Ioannes:* Hæc autem scripta sunt vt credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei: & vt credentes vitam habeatis in nomine eius. EIVSDEM PATRIS, *qui sit simul & confusè Pater & Filius.* SPIRITVS DEI. *Dei Filius.* DEVS EST. *Scilicet Pater vt volunt Praxeani.* QVOD SI ESSET. *Supple persona Patris & Filij eadem, scriptura non tacuisset.* INIICERE, *rursus obiicere.* VEREBATVR. *Archangelus Gabriel, non timuisset dicere, si verum fuisset, Deum Patrem altissimum superuenturum in virginem, vt in ea, & ex ea carnem sumeret; sed cùm non dixerit absolutè Deum, scilicet Patrem, sed Dei Spiritum, Filium Deum de Deo, Incarnandum; voluit non totam Trinitatem, sed eius portionem, scilicet filium carnem sumpturum. Aduerte, vt sæpe memini, hîc sumi nomen,* spiritus, *pro Diuinitate restricta ad personam filij.* SPIRITVS SVBSTANTIA. *Hoc nomen Spiritus, significat substantiam diuinam Verbi, in quantùm Deus spiritus est; Nomen autem Verbi, personam quam operatus est ad intra Deus spiritus Pater; qui duo vnum sunt naturâ & Substantia; dicente Christo,* Ego & Pater vnum sumus. CÆTERVM. *Si, inquit, Angelus per Spiritum Dei, non ipsum Dei filium, sed Patrem intellexit, profectò Ioannes ab Angelo dissentiet; & ille alium dicet Verbum carnem factum, iste alium carnem futurum.* NON EST IPSE. *Non est ipsa persona Patris, cuius est filius.* CVM QVID EX IPSO. *Cùm, inquit, aliqua res ab alia procedit, naturam eius participare potest & nomen, vt homo hominis filius, & ignis ab igne genitus, licet non sit eadem persona vel suppositum.* DEVS DEI, *Deus Filius Dei Patris.* TANQVAM SVBSTANTIVA RES, *id est, absolutè, in quantùm Deus est, non est ipse Deus, id est persona Dei Patris, sed in tantùm Deus est, in quantum ex Dei Patris substantia per intellectum genitus.* VT PORTIO. *Crudè dictum; totam enim substantiam Diuinitatis, & fœcunditatem Patris exhausit,* In quo plenitudo diuinitatis inhabitat. MVLTÒ MAGIS, *&c. Et hoc crudius, & iuxta Augustinum Scholio præcedenti corrigendum; quasi virtus, potentia, & cætera attributa Dei altissimi, sint quid minus, & non ipsa potiùs substantia diuina. Sed loquitur ex similitudine humana, in qua aliud est sapientia, aliud natura humana, aliud quod est, & aliud quod habet; in Deo autem virtus Spiritus, id est Dei, idipsum est quod ipse Deus Spiritus.* NON SCITIS. *Luc. 2. 49.* Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? INSVLTANS IN SPIRITV. *Exultans animo. Matth. 11. 25.* Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ: quia abscondisti hæc à sapientibus, &c. NEMINI NOTVM. *ibidem 27.* Et nemo nouit filium nisi Pater: neque Patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare CHRISTVM DEI, *filium.* VT TINGVERENT. *Baptizarent.* TER TINGVIMVR, *trinâ immersione tunc solitâ; ad singulas, nominatâ vnâ personâ Trinitatis. Quod supra Tertullianus de secunda persona Trinitatis explicuit dictum Gabrielis ad Virginem,* Spiritus sanctus superueniet in te, &c. *Patres omnes de persona Spiritus sancti explicant, cui sanctificationis opus tribuitur, & Christi conceptio. de quo sic Augustinus homil. 44. vbi virginem Zachariæ opponit, ex incredulitate eumdem Gabrielem interroganti.* (S. Aug.) Isti, *inquit,* dicitur, tacebis, quia non credis; illi autem causa exponitur, silentium non imponitur. Quomodo fiet istud, dum virum non cognosco? Et Angelus professus est virgini, ecce quomodo fiet quod quæris: Spiritus sanctus superueniet in te, &c. Non timeas æstum libidinis, sub tantæ vmbraculo sanctitatis, &c. Fit homo, & per liberum arbitrium perit homo, & inuenitur homo factus qui fecit, ne periret quem fecit. In principio Verbum Deus apud Deum, per quod omnia facta sunt, fit caro: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Caro fit Verbum, sed caro accedit ad Verbum, non perit in carne Verbum. *Quantùm ad id quod supra Tertull. distinxit rem substantiuam, quà Dei filius Deus est, & Pater Deus, ab esse relatiuo personarum, longè clariùs exponit Augustinus quem infrà citabimus, nunc sufficiet ex eodem referre idem esse substantiuè essentiam Dei & eius virtutem & potentiam vt doctè probat in verba Ioannis;* (S. Aug.) Pater, meus quod dedit mihi maius omnibus est. Quid, *inquit,* dedit filio Pater maius omnibus, nisi vt ipse ille esset vnigenitus filius? quid est ergo quod dedit? iam erat cui daret? an gignendo dedit? nam si erat cui daret, vt filius esset, aliquando erat, & filius non erat. Absit vt aliquando Dominus Christus fuerit, & filius non fuerit: de nobis hoc dici potest: aliquando filij hominum eramus, filij Dei non eramus. Nos enim filios Dei gratia fecit, illum natura. Quia verò natus est, non est vt dicas, non erat, antequam natus erat, nunquam enim non natus erat, qui Patri coæternus erat: qui sapit, capiat, qui non capit, credat; nutriatur, & capiet. Verbum Dei semper cum Patre, & semper Verbum: & quia Verbum, ideo filius: *quia per intellectum procedit & generatur in similitudinem naturæ genitoris;* (S. Aug.) semper ergo filius, & semper æqualis. Non enim crescendo, sed nascendo æqualis est, qui semper natus est de Patre filius, de Deo, Deus; de æterno, coæternus. Pater autem non de filio Deus, filius de Patre Deus: ideo Pater filio, gignendo dedit vt sibi coæternus esset, gignendo dedit, vt æqualis esset. Hoc est quod maius est omnibus. Quomodo vita filius, & habens vitam filius? quod habet, hoc est. Tu aliud es, aliud habes. Verbi gratia, habes sapientiam, nunquid tu es ipsa sapien-

tia? denique quia non es tu ipse quod habes, si A amiseris quod habes, redis vt non habeas: & aliquando resumis, aliquando amittis. Quomodo oculus noster non habet in seipso inseparabiliter lucem: aperitur & capit, clauditur & amittit. Non sic est Deus Dei filius, non sic est Verbum Patris, non sic est Verbum quod non sonando transit, sed nascendo manet. Sic habet sapientiam, vt ipse sit Sapientia, faciatque sapientes: sic habet vitam, vt sit ipse vita, faciatque viuentes, &c. sed quia ille cuius est Verbum, non est de Verbo, Verbum autem de illo est cuius est Verbum, ideo ait, quod dedit mihi Pater, maius est omnibus: id est, vt sim Verbum eius, vt sim vnigenitus filius eius, vt sim splendor lucis eius, maius est omnibus.

11. SI NOLVNT. *Praxeani.* SECVNDVM A PATRE. *Alium, siue secundam personam, gradu distinctam processionis, non honoris & maiestatis.* DVOS DEOS, *siue vt supra retulit, ex Psalte, ego dixi Dij estis: siue quòd & Pater Deus & Dominus, & filius Deus & Dominus in scriptura dicantur, non vt duo Dij intelligantur, sed quia duæ personæ sunt distinctæ.* EX VNITATE PATRIS. *Quia iuxta Paulum:* vnus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi. VOCARI HABEAT. *Filius ex vno Deo Patre, habet vt Deus vnigenitus Dei filius sit, & vocetur.*

12. NOVISSIME. *Tu Praxea, qui nuperrimus es, & nouus interpretator nominis filij Dei, quo nomine vis significari carnem assumptam à Patre; dic tandem nobis quis sit ille filius hominis toties inculcatus in Scripturis?* C NVMQVID SPIRITVS, *an eum vis esse qui spiritus dicatur? An fortè illud dictum Christi ad Samaritanam,* Deus spiritus est, *ad Patris personam vis restringere, quasi filius Dei non sit etiam spiritus, & Verbum Dei à Ioanne non dicatur Deus? expressè quippe dixit:* Et Deus erat Verbum. NON MAGIS NOMEN. *Proprium scilicet, sed tantùm appellatiuum.* ACCIDENS. *Aduentitia res, & non de essentia & substantia rei.* ARGVMENTO, *causâ.* ACTA APOSTOLORVM *cap. 4. 27. ex Psalmo 2.* Vnanimiter leuauerunt vocem ad Deum, & dixerunt, Domine tu es qui fecisti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt: qui Spiritu sancto, per os Patris nostri Dauid pueri tui D dixisti: quare fremuerunt gentes, &c. conuenerunt enim verè in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis, *Syr Synagoga*, Israël, facere quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri. *De quo breuiter Augustinus* S. Aug. *in Psal. 2.* Vt quid fremuerunt gentes, &c. Pro eo, *inquit*, dictum est, vt quid? ac si diceretur, frustra. Non enim impleuerunt, quod voluerunt, vt Christus extingueretur. Dicitur hoc ergo de persecutoribus Domini qui in Actibus Apostolorum commemorantur. *Non ergo impleuerunt quod voluerunt, sed quod Deus voluit: nec extinxerunt Christi nomen; sed eius oleum toto orbe effuderunt Apostoli, in quibus Paulus ait:* E bonus Christi odor sumus in omni loco.

13. PROBOLAM, *prolationem Verbi veritatis, siue veri Dei Filij.* CENSV EIVS, *substantia & medulla significationis.* AB AVCTORE. *Valentinus tot Deorum quot Æonum inuentor, cuiusdam eorum auctorem & Patrem supprimit; adeò vt Æon, nullum Patrem agnoscat. Loquitur autem de Enthymesi, siue Achamoth, siue Sophiâ secundâ, ex nullo Patre genita, de qua contra Valent. cap. 14. suo loco dicendum, quæ longè contraria est æterna & vera Sapientia Patris, quæ & Patrem nouit, nec in eum dissoluitur & confunditur personâ, licet sit eadem cum Patre substantia.* QVIS ENIM SCIT. *1. Cor. 2. 11.* Quis enim hominum scit quæ sunt hominis nisi spiritus hominis qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei.

A *Quem locum suo speciali more, filio applicat.* SPIRITV STRVCTVS, &c. CORPVS SPIRITVS. *Id est Verbum, pro substantia qua constat, habet vt sit Spiritus, sicut Pater.* ALIVS A PATRE. *Non substantia, sed persona.* PARACLETVS. *Vel Montanum, vel ipsum Spiritum sanctum intellige id in scriptura docentem.* DISCERNITVR, *separatur.* DEVM ET SERMONEM. *Patrem & Verbum.* A DEO, *Patre.* NIHIL OBSTREPIT, *non repugnat vnitati diuini principatus, & seruat statum dispositionis & distributionis trium personarum.* EVMDEM PATREM. *Tres personas in vnam confundentes Praxeani.* VEL MODVLO ALIVS, *tantillùm diuersus & distinctus.* TOTA SVBSTANTIA. *Origo & fons, non quòd plus sit substantiæ diuinæ in Patre, quàm in filio & Spiritu* B *sancto.* PORTIO. *Suprà iam exposui, crudè dictum: nisi per portionem intelligas personam genitam.* MAIOR ME EST. *Origine scilicet, non natura vel ætate maior. Sed & Christi & Psaltis dictum, de natura humana Christi prorsus intelligendum est.* NON DIVISIONEM, *diuersitatem substantiæ, sed personæ.* TERTIVM GRADVM. *Personam.* IPSVM QVOD. *Eo ipso quòd.* ALIVD. *Correctius*, alius ab alio. *Quod supra distuli ex Augustino nunc refero, tract. 39. in Io. 8.* Filius, *inquit*, S. Aug. Patris est Filius; & Pater vtique Filij Pater est. Sed Deus de Deo Filius dicitur, lumen de lumine Filius dicitur: Pater dicitur lumen, sed non de lumine: Pater dicitur Deus, sed non de Deo, &c. Quamuis ergo sicut aures Catholicæ sunt eruditæ in gremio matris Ecclesiæ, nec ille qui est Pater, sit Filius; C nec ille qui est filius, sit Pater, nec Spiritus sanctus Patris & Filij, sit vel filius vel Pater: tres Deos tamen esse non dicimus, quamuis de singulis, si quæratur, necesse est de quocumque interrogati fuerimus, Deum esse fateamur, &c. Trinitas vnus Deus, Trinitas vna æternitas, vna potestas, vna maiestas, tres personæ sed non tres Dij, &c. Id quod Pater ad se est, *hoc est quantùm ad suum esse absolutum*, Deus est: quod ad filium est, *quantùm* S. Aug. *ad esse relatiuum*, Pater est. Quod Filius ad seipsum est, Deus est: quod ad Patrem est, filius est. Ista quæ dico potestis de similitudinibus agnoscere quotidianis. Homo, & alter homo, si ille sit pater, ille D filius; quod homo est, ad seipsum est: quod pater est, ad filium est, &c. Pater Deus ad aliquid est Pater, id est ad filium; & filius Deus ad aliquid est filius, id est ad Patrem: sed non quomodo illi duo homines sunt, sic isti duo Dij: quare hoc non ita est ibi? quia illud aliud, hoc autem aliud est, quia illa diuinitas est, hæc humanitas. Est ibi aliquid ineffabile, quod verbis explicari non possit, vt & numerus sit, & numerus non sit: videte enim si non quasi apparet numerus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, Trinitas. Si tres, qui tres? deficit numerus. Ita Deus nec recedit à numero, nec capitur numero: quia tres sunt, tanquam est numerus: si quæris qui tres? non est numerus: vnde di- E ctum est, magnus Dominus Deus noster, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus. Vbi cogitare cœperis, incipis numerare: vbi numeraueris, quid numeraueris non potes respondere. Pater, Pater est: Filius, Filius est: Spiritus sanctus, Spiritus sanctus est. Quid sunt isti tres? Pater, & Filius & Spiritus sanctus. Non tres Dij? non. Non tres omnipotentes? non. Non tres mundi Creatores? non. Ergo omnipotens Pater? omnipotens planè. Ergo & Filius non omnipotens? & filius omnipotens planè. Ergo Spiritus sanctus non omnipotens? & ipse omnipotens. Tres ergo omnipotentes? non, sed vnus omnipotens. Hoc solo numerum insinuant, quod ad inuicem sunt, non quod ad se sunt: quia enim Deus Pater, ad se Deus est simul cum Filio & Spiritu sancto, non sunt tres

Dij: quia ad se est omnipotens simul cum Filio & Spiritu sancto, non sunt tres omnipotentes. Quia verò non ad se est Pater, sed ad Filium: nec filius ad se est, sed ad Patrem: nec Spiritus sanctus ad se, in eo quod dicitur Spiritus Patris & Filij, non est: *supple ad se*, quid dicam tres? nisi Patrem, & Filium & Spiritum sanctum, vnum Deum, vnum omnipotentem, ergo vnum principium. *Subiicit exemplum ex lib. Actorum 2. vbi tria millia conuersorum apposita sunt corpori Ecclesiæ. Et Act. 4. quinque millia, & concludit.* Attendite ergo fratres, & hîc agno-

S. Aug. scite mysterium Trinitatis, quomodo dicamus, & Pater est, & Filius est, & Spiritus sanctus est, & tamen vnus Deus est. Ecce illi tot millia erant, & cor vnum erant: ecce tot millia erant, & vna anima erant: sed vbi? in Deo: & quantò magis ipse Deus? Numquid erro in verbo quando dico duos homines, duas animas, aut tres homines tres animas, aut multos homines, multas animas? rectè vtique dico. Accedant ad Deum, & vna anima est omnium. Si accedentes ad Deum, multæ animæ per charitatem vna anima est: & multa corda vnum cor; quid agit ipse fons charitatis in Patre & Filio? nonne ibi magis Trinitas est vnus Deus? &c. Si charitas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis, & multas animas facit vnam animam, & multa corda facit vnum cor; quantò magis Pater & Filius, & Spiritus sanctus Deus vnus, lumen vnum, vnumque principium? *Quid his addi possit ignoro, ad tenebras Tertulliani in tam obscuro mysterio, contra Praxeanos & Sa-*

S. Aug. *bellianos illuminandas. De quibus sic eodem tract. post. initium:* turbantur, *inquit, infidelibus loquens*, quia non illuminantur: cor clausum habent, quia clauem fidei non habent. Nos ergo fratres fide præcedente quæ sanat oculum cordis nostri, quod intelligimus, sine obscuritate capiamus, quod non intelligimus, sine dubitatione credamus. A fundamento fidei non recedamus, vt ad culmen perfectionis veniamus. *Libro autem 7. de Trin. cap. 4. vbi*

S. Aug. *fusè de verborum nostrorum inopia ad exprimendum mysterium Trinitatis:* Cùm, *inquit*, conaretur humana inopia loquendo proferre ad hominum sensus quod in secretario mentis pro captu tenet de Domino

A Deo Creatore suo, siue per piam fidem, siue per qualemcumque intelligentiam, timuit dicere tres essentias, ne intelligeretur in illa summa æqualitate vlla diuersitas. Rursum non esse tria quædam, non poterat dicere, quod Sabellius, quia dixit, in errorem lapsus est. Certissimè quippe & de scripturis cognoscitur, quòd piè credendum est, & aspectus mentis indubitatâ perceptione perstringitur; & Patrem esse, & Filium, & Spiritum sanctum: nec eumdem Filium esse, qui Pater est; nec Spiritum sanctum eumdem esse, vel Patrem vel Filium. Quæsiuit quid tria diceret, & dixit substantias, siue personas; *capite 6. tres hypostases, tria prosopa dixit*, quibus nominibus non diuersitatem intelligi voluit, sed singularitatem: vt non solùm ibi vnitas

B intelligatur, ex eo quod dicitur vna Essentia: sed & Trinitas, ex eo quod dicuntur tres substantiæ vel personæ. *Postea dicit absurdum esse vt substantia relatiuè dicatur cap. 5.* Res, *inquit*, mutabiles, neque simplices, propriè dicuntur, substantiæ. Deus autem si subsistit, vt substantia propriè dici possit, inest in eo aliquid tanquam in subiecto, & non est simplex, cui hoc sit esse quod illi est, & quidquid aliud de illo ad illum dicitur, sicut magnus, omnipotens, bonus, & si quid huiusmodi de Deo non incongruè dicitur. Nefas est autem dicere, vt subsistat, & subsit Deus bonitati suæ, atque illa bonitas non substantia sit, vel potiùs essentia, neque ipse Deus sit bonitas sua, sed in illo sit tanquam in

C subiecto. Vnde manifestum est, Deum abusiuè substantiam vocari, vt nomine vsitatiore intelligatur essentia, quod verè ac propriè dicitur: itaut fortassè solùm Deum dici oporteat essentiam. Est enim verè solus, quia incommutabilis est, idque nomen suum famulo suo Moysi enuntiauit, cùm, ait. Ego sum qui sum: &, dices ad eos, qui est, misit me ad vos. Sed tamen siue essentia dicatur, quod propriè dicitur, siue substantia, quod abusiuè, vtrumque ad se dicitur, non relatiuè ad aliquid. Vnde, hoc est Deo esse, quod subsistere: & ideo si vna essentia Trinitas, vna etiam substantia; fortassis igitur commodiùs dicuntur tres personæ, quàm tres substantiæ, &c. S. Aug.

14. *Trinitas personarum probatur ex Scriptura, maximè ex formatione hominis. cont. Prax. cap. 11. in f. & 12. ad m.*

HÆc pauca de multis. Nec enim adfectamus vniuersas scripturas euoluere, cùm & in singulis capitulis plenam maiestatem & auctoritatem contestantes, maiorem congressum in retractatib. habeamus. His itaque paucis, tamen manifestè distinctio Trinitatis exponitur. Est enim ipse qui pronuntiat, spiritus, & Pater ad quem pronuntiat, & filius de quo pronuntiat. Sic & cetera quæ nunc ad Patrem de Filio, vel ad filium, nunc ad filium de patre, vel ad patrem, nunc ad Spiritum pronuntiantur, vnamquamque per-

Cap. xii. sonam in sua proprietate constituunt. Si te adhuc numerus scandalizat Trinitatis, quasi non connexæ in vnitate simplici, interrogo quomodo vnicus & singularis pluraliter lo-

a Gen. 1. 26. quitur? [a] *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; cùm debuerit dixisse, Faciam hominem ad imaginem & similitudinem meam; vtpote vnicus & singularis. Sed &

b Gen. 3. 22. in sequentibus, [b] *Ecce Adam factus est tanquam vnus ex nobis.* fallit aut ludit; vt cùm vnus, & solus, & singularis esset, numerosè loqueretur: aut nunquid angelis loquebatur, vt Iudæi interpretantur, quia nec ipsi filium agnoscunt; an quia ipse erat Pater Filius, spiritus, ideo pluralem se præstans, pluraliter sibi loquebatur? Immò quia iam adhærebat illi filius, secunda persona, Sermo ipsius; & tertia, Spiritus in Sermone, ideo pluraliter pronuntiauit, *Faciamus*, &, *Nostram*, & *Nobis*. Cum quibus enim faciebat hominem, & quibus faciebat similem? cum filio quidem, qui erat induturus hominem; Spiritu verò, qui erat sanctificaturus hominem, quasi comministris & arbitris, ex vnitate Trinitatis loquebatur. De-

c Gen. 1. 27. nique, sequens scriptura distinguit inter personas. [c] *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum.* Cur non, suam, si vnus qui faciebat, & non erat, ad cuius faciebat? Erat autem

autem ad cuius imaginem faciebat: ad filij ſcilicet; qui homo futurus certior & verior, imaginem ſuam fecerat dici hominem, qui tunc de limo formari habebat, imago veri & ſimilitudo.

TRINITAS PERSONARVM. 14. SCHOL.

CONGRESSVM IN RETRACTATIBVS. *Ampliorem diſputationis materiam contra Praxeanos habeamus in tractatibus aduersùs eos ſuſceptis.* EST IPSE SPIRITVS. *Qui Scriptoribus ſacris, tam de ſe, quàm de Patre & Filio ſcribenda dictauit.* IN VNITATE SIMPLICI *Eiuſdem indiuiſæ Eſſentiæ.* AN QVIA IPSE ERAT PATER. *Vt vult Praxeas, confundens perſonas.* NEC IPSI FILIVM. *Supple incarnatum: aliàs Iudæi non negant filium.* SPIRITVS IN SERMONE. *Quem ſimul cum Verbo & Filio ſuo tanquam vnicum principium produxit.* MINISTRIS. *Cooperatoribus.* AD CVIVS, *ſcilicet imaginem.* HOMO FVTVRVS CERTIOR. *Exemplar & formam primi hominis, ſecundùm humanitatem & carnem, vult fuiſſe Chriſtum Dei & hominis filium. Quod ipſe, quòd legerim, vnicus Patrum ſenſit.* B *Vnde, cùm exemplar ſit quid certius & perfectius, re factâ ad exemplar, vtpote cauſa exemplaris nobilior eſt effectu, ſic Chriſti humanitas certior & verior eſt, quàm ipſe Adam, qui imago & ſimilitudo, ad tantum exemplar efformatus eſt. Quod maximè facit ad Marcionis & Manichæi errorem conuincendum, contra veram Chriſti carnem dogmatizantium. Cæterùm exertè contra Praxeam, probat hoc Geneſis loco Trinitatem perſonarum communi vſu Patrum. Auguſtinum vnicum referam. Libro 3. de Gen. ad lit. cap. 19.* S. Aug. Non, *inquit*, indifferenter accipiendum, quod in aliis operibus dicitur, dixit Deus, fiat: hìc autem dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram; ad inſinuandum ſcilicet, vt ita dicam, pluralitatem perſonarum, propter Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. C Quam tamen Deitatis vnitatem intelligendam ſtatim admonet dicens, & fecit Deus hominem ad imaginem Dei: non quaſi Pater ad imaginem Filij, *in quo diſſentit a Tertulliano*, aut filius ad imaginem Patris: alioquin non verè dictum eſt ad imaginem noſtram, ſi ad Patris ſolius, aut Filij ſolius imaginem factus eſt homo: ſed ita dictum eſt, fecit Deus ad imaginem Dei, tanquam diceretur, fecit Deus ad imaginem ſuam. Cùm autem nunc dicitur, ad imaginem Dei, cùm ſuperius dictum ſit ad imaginem noſtram: ſignificatur quòd non id agat illa pluralitas perſonarum, vt plures Deos vel dicamus, D vel intelligamus; ſed Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, propter quam Trinitatem dictum eſt, ad imaginem noſtram: vnum accipiamus Deum, propter quod dictum eſt, ad imaginem Dei. *De eo autem quod habet hic Tertullianus.* Ecce Adam factus eſt tanquam vnus ex nobis: *lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 39.* S. Aug. Non aliter, *inquit*, intelligendum eſt quod ait, vnus ex nobis, niſi propter Trinitatem numerus pluralis accipiatur: ſicut dictum erat, faciamus hominem; ſicut etiam Dominus de ſe & de Patre: veniemus ad eum & manſionem apud eum faciemus. Replicatum eſt igitur in caput ſuperbi, quo exitu concupiuerit quod à ſerpente ſuggeſtum eſt: eritis ſicut dij: ecce, inquit, Adam factus eſt, E &c. verba enim ſunt hæc Dei, non tam huic inſultantis, quàm cæteros ne ita ſuperbiant, deterrentis, &c. Quid aliud intelligendum niſi exemplum timoris incutiendi eſſe propoſitum, quod non ſolùm non fuerit factus, qualis fieri voluit, ſed nec illud quod factus fuerat conſeruauit? *De imagine autem Dei in homine in quo conſiſtat, paucis explicat lib. 11. de Ciuit. cap. 26.* S. Aug. Et nos quidem, *inquit*, in nobis, tametſi non æqualem, imò valde longè diſtantem, A neque coæternam, & quò breuiùs totum dicatur, non eiuſdem ſubſtantiæ cuius eſt Deus, S. Aug. tamen quâ Deo nihil ſit in rebus ab eo factis naturâ propius, imaginem Dei, hoc eſt ſummæ illius Trinitatis agnoſcimus, adhuc reformatione perficiendam, vt ſit etiam ſimilitudine proxima. *Vnde & Ioannes, ſimiles, inquit, illi erimus, & videbimus eum ſicuti eſt.* Nam & ſumus, & nos eſſe nouimus, & noſtrum eſſe ac noſſe diligimus, &c. *& lib. 12. de Trin. c. 6. rides cum Tertulliano per imaginem Dei intelligentes filium, vt probent filium eſſe Deum.* S. Aug. Si enim, *inquit*, Pater fecit ad imaginem filij, ita vt non ſit homo imago Patris & Filij, diſſimilis eſt Patri Filius, ſi autem pia fides docet, ſicuti docet, filium eſſe ad æqualitatem eſſentiæ ſimilem Patri: quod ad ſimilitudinem filij factum eſt, neceſſe eſt etiam ad ſimilitudinem Patris factum ſit. Deinde ſi hominem Pater, non ad ſuam, ſed ad filij fecit imaginem, cur non ait, faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem tuam? ſed ait, noſtram; niſi quia Trinitatis imago fiebat in homine, vt hoc modo eſſet homo imago vnius veri Dei, quia ipſa Trinitas vnus verus Deus eſt. *& libro 14. de Trinit. c. 18. probat in corpore nos habituros imaginem & ſimilitudinem in gloria filij Dei, in anima autem totius Trinitatis perfecta viſione, cùm enim ex 1. Io. 3. dixiſſet:* Scimus autem quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus; quoniam videbimus eum ſicuti eſt. *ſic concludit:* S. Aug. hinc apparet tunc in iſta imagine Dei fieri plenam eius ſimilitudinem, quando eius plenam perceperit viſionem. *Supra dixerat ex Paulo, nos autem reuelatâ facie gloriam Domini contemplantes in eandem imaginem transformamur de gloria in gloriam: & ſubiicit, locum Ioannis de gloria corporum poſſe intelligi iuxta Paulum dicentem oportere conformes fieri imagini filij, vt portemus imaginem cæleſtis.* Et in hac quippe, inquit, *immortalitate corporis* ſimiles erimus Deo, S. Aug. ſed tantummodo filio, quia ſolus in Trinitate corpus accepit, &c. *capite igitur* 18. S. Aug. At verò, *inquit*, illa imago de qua dictum eſt, faciamus hominem, &c. quia non dictum eſt, ad meam, vel ad tuam, ad imaginem Trinitatis factum hominem credimus. *Lib. autem 10. de Trinit. cap. 11. in vnitate animæ, & potentiarum eius Trinitate ponit imaginem Trinitatis.* S. Aug. Hæc, *inquit*, tria, memoria, intelligentia, voluntas, quoniam non ſunt tres vitæ, ſed vna vita, nec tres mentes, ſed vna mens, conſequenter vtique, nec tres ſubſtantiæ ſunt, ſed vna ſubſtantia. Memoria quippe quòd, *id eſt in quantùm*, vita, & mens, & ſubſtantia dicitur, ad ſeipſam dicitur. Quòd verò memoria dicitur, ad aliquid relatiuè dicitur. Hoc de intelligentia quoque, & de voluntate dixerim. Et intelligentia quippe, & voluntas ad aliquid dicuntur. Vita eſt autem vnaquæque ad ſeipſam, & mens, & eſſentia. Quocirca tria hæc eò ſunt vnum, quò vna vita, vna mens, vna eſſentia, & quidquid aliud ad ſeipſa ſingula dicuntur, etiam ſimul, non pluraliter, ſed ſingulariter dicuntur. Eò verò tria, quò ad ſe inuicem referuntur: quæ ſi æqualia non eſſent, non ſolùm ſingula ſingulis, ſed etiam omnibus ſingula, non vtique ſe inuicem caperent. Neque enim tantùm à ſingulis ſingula, verùm etiam à ſingulis omnia capiuntur. Memini enim me habere memoriam, & intelligentiam, & voluntatem: & intelligo me intelligere, & velle, atque meminiſſe: & volo me velle, & meminiſſe, & intelligere, to-

tamque meam memoriam, & intelligentiam, & voluntatem simul memini. *Quæ omnia facile est applicare essentiæ Diuinæ vnitati, personarum distinctioni, & æqualitati. Sed altiùs erigit hanc imaginem à statu naturæ, ad statum gratiæ. lib. 14. de Trinit. cap. 12.*
S. Aug. Hæc, *inquit*, trinitas mentis non propterea Dei est imago, quia sui meminit mens, & intelligit, ac diligit se, sed quia potest etiam meminisse, & intelligere. & amare à quo facta est; quod cùm facit, sapiens ipsa fit; si autem non facit, etiam cùm sui meminit, seséque intelligit ac diligit, stulta est. Meminerit itaque Dei sui, ad cuius imaginem facta est, eumque intelligat atque diligat. Quod vt breuiùs dicam, colat Deum, non factum, cuius ab eo capax est facta, & cuius particeps esse potest: propter quod scriptum est Iob. 28 Ecce Dei cultus, est sapientia: & non suâ luce, sed summæ illius lucis participatione sapiens erit, atque vbi æterna, ibi beata regnabit, &c. Magna itaque hominis miseria est, cum illo non esse, sine quo non potest esse. In quo enim est, proculdubio sine illo non est: & tamen si eius non meminit, eumque non intelligit, nec diligit, cum illo non est.

15. *Trinitas personarum post Christum Incarnatum notior facta quàm in Veteri lege. cont. Prax. c. 30. in f. & 31. per totum.*

1. Cor 15. 3. Io. 3. 13. Marc. 16. 19. Act. 7 55. a Psl. 109. 2. Act. 1. 11. Act. 2. 2. CAPVT XXXI.

Filius & moritur, & resuscitatur à Patre, secundùm scripturam. Filius ascendit in superiora cœlorum, qui & descendit in interiora terræ: hic sedet ad dexteram Patris, non Pater ad suam Hunc videt Stephanus cùm lapidatur, adhuc stantem ad dexteram Dei, vt exinde sessurum, [a] *donec ponat illi Pater omnes inimicos sub pedibus suis.* Hic & venturus est rursus super nubes cœli, talis, qualis & ascendit. Hic interim acceptum à Patre munus effudit Spiritum sanctum, tertium nomen diuinitatis, & tertium gradum maiestatis, vnius prædicatorem monarchiæ, sed & œconomiæ interpretatorem, si quis sermones nouæ prophetiæ eius admiserit, & deductorem omnis veritatis, quæ est in Patre, & Filio, & Spiritu sancto, secundùm Christianum Sacramentum. Ceterùm, Iudaïcæ fidei ista res, sic vnum Deum credere, vt filium adnumerare ei nolis, & post filium, spiritum. Quid enim erit inter nos & illos, nisi differentia ista? Quod opus Euangelij, quæ
b Matth. 11. 13. est substantia noui Testamenti, statuens [b] *Legem & Prophetas vsque ad Ioannem*, si non exinde Pater, & Filius, & Spiritus, tres crediti, vnum Deum sistunt? Sic Deus voluit nouare Sacramentum, vt nouè vnus crederetur per filium & spiritum, vt coràm iam Deus in suis propriis nominibus & personis cognosceretur, qui & retrò per Filium & Spiritum
1. Io 2. 22 prædicatus non intelligebatur. Viderint igitur Antichristi, qui negant Patrem & filium. Negant enim Patrem, dum eundem filium dicunt; & negant filium, dum eundem Pa-
1. Io. 4. 15. trem credunt, dando illis quæ non sunt, auferendo quæ sunt. Qui verò confessus fuerit
c 1. Io. 5. 11 12. Christum Filium Dei, non Patrem, Deus in illo manet, & ipse in Deo. [c] *Nos credimus testimonio Dei, quo testatus est de filio suo, Qui filium non habet, nec vitam habet.* Non habet autem filium, qui eum alium quàm filium credit.

16. *Et cont. Prax. cap. 13. in f.*

VBi venit Christus, & cognitus est à nobis, quòd ipse sit qui numerum retrò fecerat, factus secundus à Patre, & cum spiritu tertius, & iam Pater per ipsum pleniùs manifestatus, redactum est iam nomen Dei & Domini in vnionem. vt quia Nationes à multitudine idolorum transirent ad vnicum Deum, & differentia constitueretur inter cultores vnius, & plurimæ diuinitatis. Nam & lucere in mundo Christianos oportebat
a Ephes. 5. 8. vt [a] *filios lucis*, lumen mundi vnum, & Deum, & Dominum colentes, & nominantes. Ceterùm, si ex conscientia quà scimus Dei nomen, & Domini, & Patri, & Filio, & Spiritui conuenire, deos & dominos nominaremus, extinxissemus faces nostras, etiam ad martyria timidiores, quibus euadendi quoque pateret occasio, iurantibus statim per deos & dominos, vt quidam hæretici, quorum dij plures. Itaque deos omnino non dicam, nec
Rom. 1. 1. dominos; sed Apostolum sequar, vt si pariter nominandi fuerint Pater, & Filius, Deum Patrem appellem, & Iesum Christum Dominum nominem. Solum autem Christum po-
b Rom. 9. 5. tero Deum dicere, sicut idem Apostolus [b] *Ex quibus Christus, qui est*, inquit, *Deus super omnia benedictus in æuum omne.* Nam & radium solis, seorsum solem vocabo; solem autem nominans cuius est radius, non statim & radium solem appellabo. Nam etsi soles duos non faciam, tamen & solem & radium eius tam duas res, & duas species vnius indiuisæ substantiæ numerabo, quàm Deum & Sermonem eius, quàm Patrem & Filium.

17. *Trinitas personarum in baptismo declarata. cont. Prax. cap. 26. in f. V. sup. num. 10.*

TRINITAS PERSONARVM. 15. & 16. SCHOL.

FILIVS MORITVR. 1. *Cor.* 15. 3. Tradidi vobis in primis, quod & accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm scripturas. RESVSCITATVR A PATRE. *Act.* 2. 24. Quem Deus suscitauit à mortuis solutis doloribus inferni. IN INFERIORA. Quid est quod ascendit,

nisi quia descendit in inferiores partes terræ? ADHVC STANTEM. *Quasi non sederit ad dexteram Patris nisi post visionem Stephani, cùm Marci 16. 19. coniunctim dicatur:* assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. QVALIS ASCENDIT. *Act.* 1. 11. Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. ACCEPTVM A PATRE. *Iuxta Psaltem*; accepisti dona in hominibus. *Id est inter homines homo, plenus Spiritus donis, effudit ea in Apostolos. Vel quia, vt accepit à Patre vt Filius esset, sic accepit vt esset cum eo vnicum Spiritus sancti principium.* TERTIVM NOMEN, GRADVM. *Non quod sit inferior Spiritus sanctus; sed refert ad ordinem processionis. Eodem quippe gradu maiestatis incedit nomine Dei clarus, & tertia persona Trinitatis, qui per Apostolos & linguas eis datas vnicum Deum, & Monarcham, & Dominum vniuersi prædicauit, & trium personarum distinctionem per eosdem interpretatus est.* NOVÆ PROPHETIÆ. *Hic nouum suum Prophetam Montanum insinuat, quem vult præ Apostolis deduxisse homines in cognitionem omnis veritatis. Sed ego eum non deductorem, sed seductorem cum Ecclesia voco.* SACRAMENTVM. *Fidei mysterium, quod in baptismo profitemur per Symbolum Apostolicum.* IVDAICÆ FIDEI. *Iudæorum, inquit, est, sic in vnum Deum credere, vt explicitè in filium & Spiritum sanctum non credant, quòd olim obscurè in lege & Prophetis latebat, nunc autem in hoc discernimur à Iudæis, quòd post Christi & Spiritus sancti aduentum, apertè & explicitè credimus vnicum Deum subsistentem in tribus personis.* NOVARE SACRAMENTVM. *Nouam legem veteri substituere, cuius vmbras & figuras impleuit.* VT CORAM. *Apertè & explicitè docente filio & Spiritu sancto, vnus Deus in tribus personis crederetur, quem idem filius Verbum Patris, & Spiritus sanctus obscurè loquebatur in Prophetis.* VIDERINT ANTICHRISTI. 1. *Io.* 2. 22. Quis est mendax, nisi is qui negat quoniam Iesus est Christus? hic est Antichristus; qui negat Patrem, & Filium. *Syr. clariùs: negat & filium*, omnis qui negat filium, nec Patrem habet: qui confitetur filium, & Patrem habet. *Apertiùs Syriaca:* & qui negat filium, is ne in Patrem quidem credit. Qui confitetur filium, & Patrem quoque confitetur. QVI VERÒ CONFESSVS. 1. *Io.* 4. 15. Quisquis confessus fuerit quoniam Iesus est Filius Dei, Deus in eo manet & ipse in Deo. NOS CREDIMVS. 1. *Io.* 5. 9. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est: quoniam hoc est testimonium Dei, quod maius est: quoniam testificatus est de filio suo, &c. & hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio eius est. Qui habet filium, *id est credit in filium*, habet vitam: qui non habet filium, vitam non habet. *Et quoniam nihil expressiùs in noua lege habemus de Trinitate quàm in baptismo Christi, vbi vox Patris Filio attestatur, & Spiritus specie columbæ super eum sedens. Accipe ex* 1. *Io.* 5. 6. *præcedentia verba:* hic est qui venit per aquam & sanguinem, Iesus Christus: non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine. Et Spiritus est qui testificatur quoniam Christus est veritas. Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra: Spiritus, & aqua, & sanguis: & hi tres vnum sunt. Si testimonium hominum, &c. *Præclarè Augustinus hunc locum elucidat, to. 6. lib. 3. cont. Maximinum Arrianorum Episcopum cap. 22.* S. Aug. Sanè, *inquit*, falli te nolo in epistola Ioannis Apostoli, vbi ait, tres sunt testes, Spiritus, aqua, & sanguis, & tres vnum sunt: ne fortè dicas spiritum, aquam, & sanguinem, diuersas esse substantias, & tamen dictum esse, tres vnum sunt, &c. hæc enim Sacramenta sunt, in quibus

A non quid sint, sed quid ostendant semper attenditur, quoniam signa sunt rerum, aliud existentia, & aliud significantia. Si ergo illa quæ his significantur, intelliguntur, ipsa inueniuntur, vnius esse substantiæ; tanquam si dicamus: petra & aqua vnum sunt, volentes per petram, significare Christum; per aquam, Spiritum sanctum. Quis dubitat petram, & aquam diuersas esse naturas? sed quia Christus, & Spiritus sanctus vnius sunt eiusdemque naturæ; ideo cùm dicitur, petra & aqua vnum sunt: ex ea parte rectè accipi potest, quia istæ duæ res, quarum est diuersa natura, aliarum quoque signa B sunt rerum, quarum est vna natura. Tria itaque nouimus de corpore Domini exisse, cùm penderet in ligno. Primò spiritum: vnde scriptum est: & inclinato capite tradidit spiritum. Deinde quando latus eius lanceâ perforatum est, sanguinem & aquam. Quæ tria si per seipsa intuemur, diuersas habent singula quæque substantias: ac per hoc non sunt vnum. Si verò ea quæ his significata sunt velimus inquirere, non absurdè occurrit ipsa Trinitas, quæ vnus solus verus summus Deus est, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: de quibus verissimè dici potuit: tres sunt testes, & tres vnum sunt. Vt nomine spiritus significatum accipiamus, *iuxta Tertullianum* Deum Patrem. De ipso quippe adorando loquebatur Dominus, vbi ait, Spiritus est C Deus. *Vnde & subiecit, veri adoratores, adorabunt Patrem.* Nomine autem sanguinis, Filium; quia Verbum caro factum est, & *proinde sanguis, de sanguine virginis*, & nomine aquæ, Spiritum sanctum. Cùm enim de aqua loqueretur Iesus, quam daturus erat sitientibus, ait Euangelista: hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Testes verò esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, quis Euangelio credidit & dubitat, dicente filio, Ego sum qui testimonium perhibeo de me, & testimonium perhibet de me qui misit me Pater? vbi etsi non est commemoratus Spiritus sanctus, non tamen intelligitur separatus. Sed nec de ipso alibi tacuit, eumque testem satis aper-D tè monstrauit. Nam cùm illum promitteret, ait: ipse testimonium perhibebit de me. Hi sunt tres testes, & tres vnum sunt, quia vnius substantiæ sunt. Quòd autem signa quibus significati sunt, de corpore Domini exierunt, significauerunt Ecclesiam prædicantem Trinitatis vnam eandemque naturam: quoniam hi tres, qui trino modo significati sunt, vnum sunt: Ecclesia verò eos prædicans corpus est Christi. Sic ergo tres res quibus significati sunt, ex corpore Domini exierunt, sicut ex corpore Domini sonuit, vt baptizarentur gentes in nomine Patris, & *Filij, & Spiritus sancti*: in nomine, non in nominibus. Hi enim tres vnum sunt: & hi tres, vnus est Deus. Si quo autem alio modo tanti Sacramenti ista profunditas, quæ in epistola Ioannis legitur, exponi & intelligi potest secundùm Catholicam fidem, quæ nec confundit, *vt error* E *Praxeæ*, nec separat, *vt Arrius*, Trinitatem, nec abnuit tres personas, nec diuersas credit esse substantias, nullâ ratione respuendum est. Quod enim ad exercendas mentes fidelium, in Scripturis sanctis obscurè ponitur, gratulandum est, si multis modis, non tamen insipienter exponitur.

16. VBI VENIT CHRISTVS. *Post Christi aduentum, postquam ipse per diuina opera & verba se filium Dei esse notum hominibus fecit, seque ipsum esse qui priùs in veteri lege, licet obscurè, dixerat in Prophetis & figuris, se esse secundam personam Trinitatis, & cum Spiritu sancto & Patre tertium, plenè manifestauit; iam nomen Dei & Domini, quod pluribus personis tributum fuerat, sic in vnum redactum est, vt vnus Deus*

& Dominus, & diceretur & crederetur, vt quoniam Gentiles à cultu plurium idolorum, ad vnius Dei cultum transibant, hac notâ discernerentur, vnius veri Dei cultores, à cultoribus multorum Deorum. LVMEN VNVM. *Solem & lumen animarum.* FILIOS LVCIS. *Ephes. 5. 8.* Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate. FACES NOSTRAS. *Lucem & feruorem fidei.* IVRANTIBVS STATIM. *Dat rationem cur Christiani plures Deos & Dominos non dicant; licet Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum singillatim Deum appellent; quia scilicet potuissent æquiuoco euadere mortem, iurando per Deos & Dominos; vt sic pro Deorum cultoribus haberentur.* VT QVIDAM HÆRETICI. *Vel Valentinianos intelligit tot Deorum quot Æonum cultores, vel Gnosticos à martyrio auocantes.* SOLVM CHRISTVM. *Id est cùm seorsim de Christo loquar, cum Apostolo dicam Rom. 9. 5. vbi de Israëlitis:* quorum Patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen. RADIVM SOLIS. *Aptissimè ad prædicta. Cùm, inquit, Christum solum nominabo, nullâ Patris factâ mentione, eum Solem aptè vocabo: cùm autem Patrem & Filium simul iungam, non duos Soles, dicam, sed Patrem Solem, & Filium eius radium, duas personas distinctas numero, Deum Patrem, & Verbum eius eiusdem indiuisæ substantiæ. Præter supra dicta de Sole. Rursum idem Augustinus, in eo non tantùm Patris, & Filij, sed & Spiritus sancti hoc est totius Trinitatis indiuisam vnitatem, expressam agnoscit, sicut & in igne. ser. 1. de verb. Apostoli.* C

S. Aug. Sic, *inquit*, huius vnicæ Deitatis præcelsa insignia prædicamus, vt tamen nòn sicut Iudæi, *obscurè & confusè*, sed sicut Christiani Trinitatis diuina mysteria pariter fateamur. Sicut enim omnipotens & ineffabilis Pater est, ita omnipotens & incomprehensibilis filius, ita etiam Spiritus sanctus in Patre & Filio indiscretè connexus, ineffabilis, atque immensus est. Pater enim & Filius, & Spiritus sanctus, vnus omnipotens Deus, vnus in Trinitate, vnus in potestate. Vnitas, Trinitas, sempiterna maiestas, vnus potens per omnia, & Trinitas in vnitate, & vnitas in Trinitate consistit. Sed nec Trinitas diuiditur, nec vnitas separatur, &c. Quomodo Diuinitas à semetipsa discernitur cùm lucis splendor, aut Solis calor nullatenus separatur? ecce enim

A sicut videmus in Sole tria sunt, & separari non possunt, &c. cursus, splendor, & calor. Videmus enim Solem in cœlo currentem, fulgentem, calentem. Diuide ergo si potes, Arriane, Solem, & tum demum diuide Trinitatem, &c. Ecce aliud proponimus elementum quod minus est, & in terra nobiscum est, ignem dico qui in manibus nostris habetur, & tamen non diuiditur. Et ignis enim tria habet, & diuidi non potest, hoc est, motum, lucem, & feruorem. Si igitur, nefande hæretice, diuidere non potes creatum Solem & ignem, quomodo potes diuidere Deum omnium Creatorem? *Et tract. 77. in cap. 14. Io. de Trinitate sic fatur, sine de tribus personis in Euangelio clariùs quàm in veteri lege expressis.* Paracletus Spiritus sanctus quem mittet S.Aug.

B. Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, &c. Numquid nam, *inquit*, dicit Filius, & docet Spiritus sanctus, vt dicente filio verba capiamus, docente autem Spiritu sancto, eadem verba intelligamus? Quasi dicat filius sine Spiritu sancto, aut Spiritus sanctus doceat sine filio, aut verò non & filius doceat, & Spiritus sanctus dicat, & cùm Deus aliquid dicit & docet, Trinitas ipsa dicat & doceat? sed quoniam Trinitas est, oportebat singulas eius insinuare personas, easque nos distinctè audire, inseparabiliter intelligere. Audi Patrem dicentem, vbi legis, Dominus dixit ad me: audi & docentem, vbi legis, omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me: filium verò dicentem modò audisti: de se quippe ait, quæcumque dixero vobis. Quem & si docentem vis nosse, magistrum recole, vnus enim est, inquit, Magister vester Christus Spiritum porrò sanctum quem modò audisti docentem, vbi dictum est, ipse vos docebit omnia: audi etiam dicentem, vbi legis in Actibus Apostolorum cap. 10. Beato Petro dixisse Spiritum sanctum, vade cum illis, quia ego misi eos. Omnis igitur & dicit & docet Trinitas: sed nisi etiam sigillatim commendaretur, eam nullo modo humana capere vtcumque posset infirmitas. Cùm ergo omnino sit inseparabilis, numquam Trinitas esse sciretur, si semper inseparabiliter diceretur: nam & cùm dicimus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, non eos vtique dicimus simul, cùm ipsi non possint esse nisi simul.

IN TRINITATE PRIMA PERSONA PATER.

1. *Pater, nomen est pietatis & potestatis, in quo tota Trinitas, & ipsa Ecclesia Mater implicitè continetur: quem inuocando, tria etiam præstamus. De orat. cap. 2. per totum & 3. in p.*

INcipit à testimonio Dei, & merito fidei, quum dicimus, [a] *Pater qui in cœlis es.* Nam & Deum oramus, & fidem commendamus, cuius meritum est hæc appellatio. Scriptum est, [b] *Qui in eum crediderint, dedit eis potestatem vt filij Dei vocentur.* Quamquam frequentissimè Dominus Patrem nobis pronuntiauit Deum. immò & præcepit, [c] *ne quem in terris Patrem vocemus, nisi quem habemus in cœlis.* Itaque sic adorantes etiam præceptum obimus. Felices qui patrem agnoscunt. Hoc est quod Israëli exprobratur, quòd [d] *cœlum ac terram Spiritus contestatur; Filios, dicens, genui, & illi me non agnouerunt.* Dicendo autem Patrem, Deum quoque cognominamus. Appellatio ista & pietatis & potestatis est. Item in Patre filius inuocatur. [e] *Ego enim, inquit, & Pater vnum sumus.* Ne mater quidem Ecclesia præteritur. Si quidem in filio & Patre mater recognoscitur, de qua constat & Patris & Filij nomen. Vno igitur genere aut vocabulo & Deum cum suis honoramus, & præcepti meminimus, & oblitos Patris denotamus. Nomen Dei Patris nemini proditum fuerat. Etiam qui de ipso interrogauerat Moyses, aliud quidem nomen audierat. Nobis reuelatum est in filio. Iam enim filius nouum Patris nomen est. [a] *Ego veni, inquit, in nomine Patris. Et rursus.* [b] *Pater glorifica nomen tuum.* Et apertiùs, [c] *Nomen tuum manifestaui hominibus.*

a Matth. 6. 9.
b Io. 1. 12. Matth. 7. 9. & 10. 29 & 16. 17. & 21. 13.
c Matth. 23. 9.
d Esa. 1. 1.
e Io. 10. 30 Gen. 32. 29. Exo. 3. 6. & 14.
CAP. III.
Matth. 21 9.
a Io. 5. 43.
b Io. 12. 28
c Io. 17. 6.

IN TRINITATE PRIMA PERSONA PATER. 1. SCHOL.

INCIPIT, *scilicet oratio Dominica.* A TESTIMONIO DEI. Quomodo enim inuocabunt, in quem non crediderunt? CVIVS MERITVM. *Per fidem enim meremur*, vt filij Dei nominemur & simus, *quem Patrem inuocamus.* SCRIPTVM EST. Dedit potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. PRÆCEPIT. *Matth.* 23. 9. Et Patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim Pater vester qui in cœlis est. SIC ADORANTES. *Orantes, hoc præceptum exequimur.* SPIRITVS CONTESTATVR, *id est Deus Pater, vt supra exposui.* APPELLATIO ISTA, *Patris nomen.* IN PATRE FILIVS. *Quin & Spiritus sanctus, propter inseparabilitatem.* MATER ECCLESIA. *In qua per baptismum geniti sumus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Sine Ecclesia enim matre nostrâ, Patris & Filij nomen non inuocaremus.* DEVM CVM SVIS. *Aliis personis à se procedentibus, & matre, filia Dei Ecclesia & sponsa.* PRÆCEPTI MEMINIMVS. *Quo nobis prohibitum est, Patrem vocare super terram.* OBLITOS DENOTAMVS. *Iudæos ingratitudinis insimulamus, agnoscentes Patrem quem illi spreuerunt* NEMINI PRODITVM. *In veteri Testamento ne Moysi quidem. Qui tantùm audiuit*, Ego sum qui sum. NOVVM PATRIS, *id est in noua lege, per Christum nobis reuelatum est nouum nomen Patris. Et cùm relatiua sint simul naturâ & cognitione, eo ipso quòd filius dicitur, Patris eius nomen & persona supponitur. Matth.* 21. 9. Benedictus qui venit in nomine Domini. *Io.* 5. 43. Ego veni in nomine Patris mei. *Io.* 12. 28. Pater, clarifica nomen tuum. *Augustinus tract.* 106. *in Io.* 17. Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi. Non ergo, *inquit*, nouerant Dei nomen, cùm essent Iudæi? & vbi est quod legitur Psalmo 75. Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius? ergo manifestaui nomen tuum, &c. qui me audiunt hoc dicentem, non illud nomen tuum quo vocaris Deus, sed illud quo vocaris Pater meus, quod nomen manifestari, sine ipsius filij manifestatione non posset: nam quòd Deus dicitur, vniuersæ creaturæ, & omnibus gentibus, antequam in Christum crederent, non omni modo esse potuit hoc nomen ignotum. Hæc est enim vis veræ diuinitatis, vt creaturæ rationali iam ratione vtenti, non omnino ac penitus possit abscondi. Exceptis enim paucis, in quibus natura nimium deprauata est, vniuersum genus humanum, Deum mundi huius fatetur auctorem. In hoc ergo quod fecit hunc mundum cœlo terrâque conspicuum, & antequam imbuerentur in fide Christi, notus omnibus gentibus Deus: in hoc autem quod non est in iniuriis suis, & cum diis falsis colendus, notus in Iudæa Deus: in hoc verò quod Pater est huius Christi, per quem tollit peccata mundi, hoc nomen eius priùs occultum omnibus, nunc manifestauit eis, quos dedit ei Pater de mundo. *Sermone autem* 126. *de tempore.* Dicimus, *inquit*, Pater noster qui es in cœlis. Sic incipiendo, bonitatem Dei & gratiam protestamur. Nam quando nos terrestres, & miseri & imbecilles, & inutiles serui auderemus vultum leuantes ad cœlum, dicere, Pater noster; nisi ipse per suum nobis vnigenitum hanc fiduciam præstitisset? sicut scriptum est quotquot eum receperunt, dedit illis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: Acceptâ igitur potestate Patrem vocamus Deum, quia per fidem Spiritum adoptionis accepimus, vt nos factos Dei filios gratulemur. *Et to.* 4. *lib.* 2. *de ser. Do. in monte.* Nusquam, *inquit*, inuenitur præceptum populo Israël vt diceret Pater noster, aut oraret Patrem Deum, sed Dominus eis insinuatus est, tanquam seruientibus, id est, secundùm carnem adhuc viuentibus. Hoc autem dico cùm mandata legis acciperent quæ obseruare iubebantur. Nam Prophetæ sæpè ostendunt eumdem Dominum Deum etiam Patrem eorumdem esse potuisse, si ab eius mandatis non aberrarent. Sicut est illud, *præcitatum à Tertulliano*, filios genui & exaltaui, ipsi verò spreuerunt me. Et illud, ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes. Et illud, si Dominus sum, vbi est timor meus & si Pater sum, vbi est honor meus? & alia permulta, vbi arguuntur Iudæi, quia filij esse peccando noluerunt: exceptis eis quæ in Prophetia dicuntur de futuro populo Christiano, qui Patrem Deum esset habiturus, secundùm illud Euangelicum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Apostolus autem Paulus dicit, quamdiu hæres paruulus est nihil differt à seruo: & Spiritum adoptionis nos accepisse commemorat, in quo clamamus, Abba, Pater. Et quoniam quòd vocaremur ad æternam hæreditatem, vt simus Christi cohæredes, & in adoptionem filiorum veniamus, non est meritorum nostrorum, sed gratiæ Dei: eandem ipsam gratiam in orationis principio ponimus, cùm dicimus, Pater noster. Quo nomine & charitas excitatur. Quid enim carius filiis debet esse quam Pater? & supplex affectus, cùm homines dicunt Deo, Pater noster: & quædam impetrandi præsumptio quæ petituri sumus; cùm priusquam aliquid peteremus, tam magnum donum accepimus, vt sinamur dicere, Pater noster, Deo. Quid enim iam non det filiis petentibus, cùm hoc ipsum antè dederit, vt filij essent? Postremò quanta cura animum tangit, vt qui dicit, Pater noster, tanto Patre non fit indignus, &c? Admonentur etiam hîc diuites, vel genere nobiles secundùm sæculum, cùm Christiani facti fuerint, non superbire aduersùs pauperes & ignobiles, quoniam simul dicunt Deo, Pater noster: quod non possunt verè ac piè dicere, nisi se fratres esse cognoscant: vtatur ergo voce noui Testamenti populus nouus ad æternam hæreditatem vocatus, & dicat Pater noster qui es in cœlis, id est, in sanctis & iustis. *Nec dedignetur Gentilis factus Christianus admittere in fratrem Iudæum conuersum, vt vterque in Spiritu sancto factus filius adoptionis, clamare possit, Abba, Pater. Quod & subtiliter notauit Augustinus in Psal.* 78. Hæc, *inquit*, Ecclesia, hæc hæreditas Dei ex circumcisione & præputio congregata est, id est ex populo Israel, & ex cæteris gentibus, per lapidem quem reprobauerunt ædificantes, & factus est in caput anguli: in quo angulo tanquam duo parietes de diuerso venientes copularentur, ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, vt duos conderet in se in vnum nouum hominem, faciens pacem, & coadunaret vtrosque in vno corpore Dei, in quo corpore sumus filij Dei, clamantes Abba Pater: Abba, propter illorum linguam, Pater, propter nostram: hoc enim est Abba, quod & Pater. *Vide quàm eximiè, & clarè exponat, quod obscurè dixerat Tertullianus, in nomine Patris*, ne mater quidem, inquit, Ecclesia præteritur. *Quæ ex Iudæis & Gentilibus in vnum corpus coalescit: de qua & Psaltes sub figura Sion:* numquid Sion dicet, homo, *Gentilis*, & homo, *Iudæus*, natus est in ea: & ipse fundauit eam altissimus. *Pater scilicet qui est in cœlis, in lapido Sion angulari è cœlo misso.*

2. *Pater per filium fecit omnia, & tradidit illi omnia. qui ab initio, in lege veteri apparuisse narratur.* cont. *Prax. cap. 15. in f. & 16. in p.*

Constat eum semper visum ab initio, qui visus fuerit in fine; & eum nec in fine visum, qui nec ab initio fuit visus; & ita duos esse, visum, & inuisum. Filius ergo visus est semper, & filius conuersatus est semper, & filius operatus est semper, ex auctoritate
a Io.5.19. Patris & voluntate; quia [a] *filius nihil à semetipso potest facere, nisi viderit Patrem facientem*; in sensu scilicet facientem. Pater enim sensu agit. Filius verò qui in Patris sensu est, videns
b Io.1.3. perficit. Sic [b] *omnia per filium facta sunt, & sine illo factum est nihil.* Nec putes sola opera
CAPVT XVI. mundi per filium facta, sed & quæ à Deo exinde gesta sunt. [c] *Pater enim qui diligit filium, & omnia tradidit in manu eius*; vtique à primordio diligit, & à primordio tradidit. Ex quo,
c Io.3.35. [d] *à primordio Sermo erat apud Deum, & Deus erat Sermo*, [e] *cui data est omnis potestas à Patre in*
d Io.1.1. *cœlis & in terra.*
e Matth. 28.18.

3. *Pater in se inuisibilis, in filio videtur & auditur, & visibiliter operatur.* cont. *Prax. cap. 24.* *V. Verbum Trinitas. num. 9.*

PATER PER FILIVM. 2. SCHOL.

Constat evm. *Filium scilicet, non autem Patrem olim in veteri Testamento apparuisse, qui in fine temporum incarnari debebat.* Dvos esse. *Duas personas distinctas: Patrem, de quo scriptum est:* non videbit me homo & viuet. Et Deum nemo vidit vnquam: *& filium, de quo,* vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre. Semper. *Quoties Deus in veteri Testamento apparuisse dicitur, vt infra dicetur.* Ex avctoritate. *Quasi missus à Patre cum eadem plenitudine auctoritatis.* In sensv. *Intellectu.* In Patris sensv. *In sinu, in intellectu, à quo procedit & in quo manet, identitate naturæ.* Videns perficit. *Quia filius est quasi oculus Patris. Alludit, vel ad locum supra expositum;* Non potest filius à se quidquam facere, nisi viderit Patrem facientem. *Vel ad illud Genesis;* vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Opera mvndi. *Ipsum mundi opificium, & omnia quæ ab initio per Verbum facta sunt.* Exinde gesta. *Vnde dixit:* Pater meus vsque modò operatur & ego operor. Pater enim. *Io. 3. 35.* Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius. A primordio. In principio erat Verbum. Cvi data est. *Matth. 28. 18.* Data est mihi omnis potestas, in cœlo, & in terra. *De eo quod dixit Tertull.* filium videndo perficere, *doctè Augustinus to. 1. de Gen. cont. Manich. cap. 8. sic inducens eos obijcientes:* vidit Deus lucem, quia bona est. Dicunt,
S. Aug. *inquit,* ergo non nouerat Deus lucem, aut non nouerat bonam. Miseri homines, quibus displicet, quòd Deo placuerunt opera sua, cùm videant etiam hominem artificem, &c. tandiu lignum cædere, atque tractare, dolando, asciando, planando, vel tornando atque poliendo, quousque ad artis regulas perducatur, quantùm potest, & placeat artifici suo. Numquid ergo, quia placet ei quod fecit; ideo non nouerat bonum? Prorsus nouerat intus in animo, vbi ars ipsa pulchrior est, quàm illa quæ arte fabricantur. Sed quod videt intus artifex in arte, hoc foris probat in opere. Et hoc est perfectum, quod artifici suo placet. *Et hoc voluit Tertullianus, cùm dixit, filius videndo perficit, quod Pater in sensu,*
S. Aug. *hoc est in arte, id est in filio suo & sapientia fecerat.* Vidit ergo Deus lucem, quia bona est: quibus verbis non ostenditur eluxisse Deo insolitum bonum, sed placuisse perfectum. *Et to. 6. lib. 1. cont. aduers. legis cap. 7.* Quid, *inquit,* Deus vidit à se factum, quod non in luce quæ ipse est. *vt & filium eius,* priùs vidit esse faciendũ? &c. vidit ergo Deus lucẽ quam fecit, quia bona est: quoniam quod faciendum placebat

A vt fieret, factum placuit vt maneret, quantùm cuique rei, existendi, siue manendi à tanto fabricatore fuerat constituenda mensura. *Rursum iuxta id quod supra dixerat auctor,* nõ potest filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrẽ facientem. *Idem Aug.*
tract. 21 in Io. 5. Intelleximus, *inquit,* quia non seorsum aliquid Pater facit, quod cùm viderit filius, faciat & ipse aliquid tale, inspectò opere Patris sui: sed id quod dixerat: non potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientèm: quia de Patre est totus filius, & tota substantia & potentia eius ex illo est, qui genuit eum. Modò autem cùm dixisset & se hæc facere similiter quæ facit Pater: vt non intelligamus alia facere Patrem, alia filium, sed simili potentiâ facere filium eadem ipsa
B quæ Pater facit, cùm Pater facit per filium, secutus ait, Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit, &c. Ergo, ait aliquis, seorsum Pater facit, vt possit filius videre quod fecit, &c. Cùm ergo Pater facit, filius non facit, vt possit videre filius quod Pater facit? certè omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, &c. Quid fecit Pater? mundum. Itane factum mundum demonstrauit filio, vt ipse tale aliquid faceret? detur ergo mundus nobis quem fecit filius. Sed & omnia per ipsum facta sunt, &c. & mundus per ipsum factus est. Si factus per eum est mundus, omnia per ipsum facta sunt, & nihil facit Pater, quod non per filium faciat. Vbi demonstrat filio Pater quod facit, nisi in ipso filio per quem fa-
C cit? Quis enim locus vbi demonstretur opus Patris filio, quasi extra faciat, & extra sedeat, & filius attendat manum Patris quemadmodum faciat? vbi est illa inseparabilis Trinitas? vbi est Verbum de quo dictum est, quòd ipse est virtus, & sapientia Dei? vbi quod de seipsa Sapientia dicit, candor est enim lucis æternæ? vbi quod de illa iterum dicitur; attingit à fine vsque ad finem fortiter, &c. si quid facit Pater, per filium facit. Si per sapientiam suam & virtutem suam facit, non extra illi ostendit quod videat, sed in ipso illi ostendit quod faciat, &c. Est, inquit, homo, non videns: & ipse cùm viderit, dicitur homo videns. Non ergo hoc est illi videre, quod esse hominem, &c. Numquid ita filius? absit. Numquid fuit filius non videns, & postea factus est videns? sed videre Patrem, hoc illi est esse filium, &c. sic ergo demonstrat Pater omnia quæ facit filio, vt in Patre sit omnia filius. Videndo enim natus est, & nascendo vi-

det, &c. in eo quod est illi videre, in eo est illi natum esse, &c. Verbum Patris est Filius, nihil dixit Deus, quod non dixit in Filio: dicendo enim A Filio, quod facturus erat Pater per Filium, ipsum Filium genuit per quem faceret omnia.

TRINITATIS SECVNDA PERSONA FILIVS.

1. *Qui Filium non agnoscit, ignorat Patrem.* 3. *cont. Marc. cap.* 6. *circa f.*

SI non in Christum, sed in ipsum potiùs Deum volueris referre omnem Iudaïcæ ignorantiæ de pristino reputationem, nolens etiam retrò Sermonem & Spiritum, id est, Christum Creatoris despectum ab eis, & non agnitum, sic quoque reuinceris. Non negans enim Filium, & spiritum, & substantiam Creatoris esse Christum eius; concedas necesse est, eos qui Patrem non agnouerint, nec Filium agnoscere potuisse; per eiusdem substantiæ conditionem; cuius si plenitudo intellecta non est, multò magis portio; certè quâ plenitudinis consors.

2. *Filium soluunt hæretici dicentes Filium carnem esse, Patrem autem Spiritum & Christum. cont. Prax. cap.* 27. *à p.*

ALiter eam ad suam nihilominus sententiam interpretari conantur, vt æquè in vna persona vtrumque distinguant, Patrem & Filium, dicentes Filium carnem esse, id est hominem, id est Iesum: Patrem autem Spiritum, id est Deum, id est Christum. Et qui vnum eumdemque contendunt Patrem & filium, iam incipiunt diuidere illos potiùs quàm vnare. Si enim alius est Iesus, alius Christus; alius erit Filius, alius Pater; quia Filius Iesus, & Pater Christus. Talem monarchiam apud Valentinum fortasse didicerunt, duos facere, Iesum & Christum.

TRINITATIS SECVNDA PERSONA FILIVS. 1. & 2. SCHOL.

SI NON IN CHRISTVM. *Si tu Marcion velis increpationes, in veteri Testamento, & nouo, factas Iudæis, contra eorum cæcitatem, non tam eos arguere, quòd Christum Filium Creatoris, quàm Deum Patrem eius ignorarent: si præterea censes, non ipsum Christum, qui Verbum est & spiritus Dei Creatoris, à Iudæis fuisse contemptum; non minùs reus erroris conuinceris. Licet enim Christum tuum, noui Testamenti auctorem recipias: quia tamen non negas Christum alium fuisse mali Dei Creatoris filium, eiusdem cum eo substantia spiritalis, necesse est vt consequenter fatearis, Iudæos non potuisse ignorare & contemnere Patrem, nisi ignorando & contemnendo filium, propter eandem vtriusque substantiam. Quia enim Pater caput est & fons plenus substantiâ diuinitatis vnde filius vt riuus emanat: fonte* C *ignorato, riuus quoque consequenter ignoratus est.* PORTIO, *supra dicta in hanc vocem consule, quanquam se explicet sequentibus verbis, quibus docet filium non partem tantùm plenitudinis accepisse.* Quâ plenitudinis consors, *id est eandem possidens cum Patre plenitudinem.*

2. EAM, *supple distinctionem personarum quam fides docet.* ÆQVE, *similiter Praxeam conantur distinctionem realem eludere dicendo se in vna persona duas distinguere; Dicunt enim Iesum filium esse, siue hominem & carnem, Patrem verò Christum, qui Deus est & Spiritus.* VNARE, *adunare, vnire.* MONARCHIAM *vnius Dei principatum.* APVD VALENTINVM. *Vide infrà contra Valent. cap.* 11. & 12. *vbi fingit Christum ex primo Monogene editum, Iesum verò ex omnibus Æonibus compactum. Sic vides numero primo Marcionitas, sicut in hoc secundo Praxeanos qui ex duobus nominibus filij constituunt duas personas in vna, nomine Antichristi dignos, de quibus supra ex Ioannis* 1. 2. 22. Quis est mendax, nisi is qui negat quoniam Iesus est Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem, & filium. *Supple, negat. &* 1. *Io.* 4. 3. Omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est. Et hic est Antichristus. *In quem locum Augustinus tract.* 6.

B Soluis, *inquit*, Iesum, & negas eum in carne venisse, non es ex Deo: ideo dicit in Euangelio qui soluerit vnum de mandatis, &c. quid est, soluit? quid est, docetur? soluitur factis, & docetur quasi verbis. *Quod torquet contra dicentes & non facientes, confitentes fide, negantes opere. Qui sic soluunt Christum, diuidentes fidem in Christum, ab operibus bonis in quibus creati sumus in Christo. Sed ad literam soluebant Valentiniani, qui Iesum à Christo diuidebant. Soluebant & Praxeani, qui Iesum dicebant filium, Christum autem Patrem, cùm idem & vnus sit Iesus Christus, licet hæc duo nomina diuersam habeant significationem, vt notat Augustinus tract.* 3. *in ep. Io. in præfata verba*, Quis est mendax, nisi is qui negat quod Iesus non sit Christus? Aliam, *inquit*, significationem habet Iesus, aliam habet Christus, cùm sit vnum Iesus Christus Saluator noster; Iesus tamen, proprium nomen illi: quomodo Moyses proprio nomine appellatus est, quomodo Helias, quomodo Abraham: sic tanquam proprium nomen habet Dominus noster Iesus: Christus autem, Sacramenti nomen est: quomodo si dicatur Propheta, quomodo si dicatur Sacerdos: sic Christus commendatur vnctus, in quo est redemptio totius populi Israël. Iste Christus sperabatur venturus à populo Iudæorum; & quia humilis venit, non est agnitus, quia lapis paruus erat, offenderunt in illum, & fracti sunt, sed creuit lapis, & factus est mons magnus, &c. *De Praxeanis autem, quorum errorem* D *Sabelliani suscitauerunt, personas confundentes & in vno Iesu Christo duas personas diuidentes; rursum idem Aug. ser.* 33. *de verb. Apost.* Sabellianum, *inquit*, audi, ipse est filius, qui est Pater, hoc dicit, hinc pungit, hinc venena diffundit: ipse est, inquit, Pater; quando vult filius est; quando vult Pater est. Non est ipse Christus & tu erras, si hunc Christum dicis in carne venisse, quia iste Christus non est, negas Christum in carne venisse.

S. Aug. S. Aug. S. Aug.

* 3. *Filius est Dei Sermo; non vox, aut aër offensus, & quid inane, sed substantiuum & solidum. cont. Prax. cap. 7. in m. ad f.*

ERgo, inquis, das aliquam substantiam esse Sermonem, spiritu, & Sophiæ traditione constructam? Planè. Non vis enim eum substantiuum habere in re, per substantiæ proprietatem, vt res & persona quædam videri possit, & ita capiat secundus à Deo constitutus duos efficere, Patrem & Filium, Deum & Sermonem? Quid est enim, dices, sermo, nisi vox & sonus oris, & (sicut Grammatici tradunt) aër offensus, intelligibilis auditu; ceterùm, vacuum nescio quid, & inane, & incorporale? At ego nihil dico de Deo inane & vacuum prodire potuisse, vt non de inani & vacuo prolatum; nec carere substantiâ, quod de tanta substantia processit, & tantas substantias fecit. fecit enim
a Io. 1. 3. & ipse quæ facta sunt per illum. Quale est vt nihil sit ipse, [a] *sine quo nihil factum est?* vt inanis solida, & vacuus plena, & incorporalis corporalia sit operatus? Nam etsi potest aliquando quid fieri diuersum eius per quod fit, nihil tamen potest fieri per id quod vacuum & inane est. Vacua & inanis res est Sermo Dei, qui Filius dictus est, qui ipse Deus cogno-
b Io. 1. 1. minatus est, [b] *Et Sermo erat apud Deum, & Deus erat Sermo?* Scriptum est, [c] *Non sumes no-*
c Exo. 20. 7. *men Dei in vanum.* Hic certè est, [d] *qui in effigie Dei constitutus, non rapinam existimauit esse*
d Philip. 2. 7. *se æqualem Deo.* In qua effigie? Dei? vtique in alia, non tamen in nulla. Quis enim negabit Deum corpus esse, etsi [e] *Deus spiritus est?* Spiritus enim corpus sui generis, in sua ef-
e Io. 4. 24. figie. Sed & inuisibilia illa quæcunque sunt, habent apud Deum & suum corpus & suam formam, per quæ soli Deo visibilia sunt; quantò magis quod ex ipsius substantia missum est, sine substantia non erit? Quæcunque ergo substantia Sermonis fuit, illam dico personam, & illi nomen Filij vindico; & dum Filium agnosco, secundum à Patre defendo.

4. *Filius Dei, Verbum apud Deum. cont. Prax. cap. 15. in m.*

a Io. 1. 1. ET si [a] *Deus Sermo*, sed *apud Deum*, quia ex Deo Deus, quia cum Patre apud Patrem.
b Ibid. 14. [b] *Et vidimus gloriam eius, tanquam vnigeniti à Patre*; vtique Filij, scilicet visibilis, glorificati à Patre inuisibili. Et ideo quoniam Sermonem Dei, Deum dixerat, ne adiuuaret aduersariorum præsumptionem, quasi Patrem ipsum vidisset, ad distinguendum inter in-
c Ibid. 18. uisibilem Patrem, & filium visibilem, superdicit ex abundanti, [c] *Deum nemo vidit vn-*
d 1. Io. 1. 1. *quam.* Quem Deum? Sermonem? Atquin, [d] *Vidimus, & audiuimus, & contrectauimus, de*
e Io. 1. 1. & 18. *Sermone vita* prædictum est. Sed quem Deum? scilicet Patrem; [e] *apud quem Deum erat Sermo, vnigenitus scilicet Filius, qui in sinum Patris, ipse disseruit.* ipse & auditus, & visus; & ne
Io. 20. 24 phantasma crederetur, etiam contrectatus.

FILIVS EST DEI SERMO. 3. & 4. SCHOL.

ERGO, INQVIS, *inducit obiicientem Praxeam.* DAS, *doces Verbum esse aliquam substantiam solidam, & licet simplicem, tamen accepto à Patre spiritu hoc est diuinitate & plenitudine sapientiæ constantem.* NON VIS ENIM, *&c. An non vis nos credere realiter & de facto ac propriè Verbum habere substantiam, itaut sit, & possit dici & credi secunda persona à Deo Patre genita.* AER OFFENSVS, *elisus.* QVALE EST. *Quis credat?* INCORPORALIS. *Vide dicta de errore eius; Verbo, Deus corporeus; quem multi excusant, quòd non neget Deum esse spiritum, sed quòd velit eum habere substantiam solidam, non vacuam & inanem.* DIVERSVM EIVS, *diuersum ab eo.* NON SVMES. *Arguté probat, non potuisse à Ioanne Verbum dici Deum, si vana esset eius substantia & vacua, cùm sit prohibitum, nomen Dei sumere in vanum.* IN EFFIGIE. Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, &c. IN QVA EFFIGIE? DEI? *in qua forma? an Dei Patris?* VTIQVE IN ALIA. *Non aliâ quidem formâ, id est essentiâ Diuinitatis, sed aliâ personâ.* SVI GENERIS, *nempe substantia solida spiritalis, & Deo digna.* INVISIBILIA ILLA. *Attributa diuina.* SOLI DEO. *Comprehensiua; vel intelligit substantias Angelicas, & animas rationales, quod literalius est, vt patet ex eius illatione:* Quantò magis, &c. MISSVM EST, *genitum, & emissum vt radius ex sole, flos ex arbore, riuus ex fonte.* SINE SVBSTANTIA. *solida.*

4. SCILICET VISIBILIS. *In assumpta carne.*

A ADVERSARIORVM. *Praxeanorum.* SVPERDICIT, *præterea adiicit.* ATQVIN. *Quin etiam se vidisse & audiuisse confirmat Ioannes in epistola sua.* SED QVEM DEVM. *Supple*, nemo vidit vnquam. NE PHANTASMA CREDERETVR. *Ab Apostolis, & postea à Marcionitis, & Manichæis. Differentiam vocis, & verbi externi, & interni notauit Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 11.* Verbum quod foris sonat signum est verbi quod intus lucet, cui magis verbi competit nomen. Nam illud quod profertur carnis ore, vox verbi est; verbumque & ipsum dicitur, propter illud, à quo vt foris appareret, assumptum est. Ita enim verbum nostrum vox quodammodo corporis fit, assumendo eam in qua manifestetur sensibus hominum: sicut Verbum Dei caro factum est, B assumendo eam, in qua & ipsum manifestaretur sensibus hominum. Et sicut verbum nostrum fit vox, nec mutatur in vocem: ita Verbum Dei caro quidem factum est, sed absit vt mutaretur in carnem. Assumendo quippe illam, non in eam se consumendo, hoc nostrum vox fit, & illud caro factum est, &c. illud Verbum Dei quærimus qualitercumque per hanc similitudinem, *verbi mentis nostræ*, nunc videre, de quo dictum est, Deus erat Verbum: de quo dictum est, omnia per ipsum facta sunt: de quo dictum est, fons sapientiæ, Verbum Dei in excelsis. Perueniendum est ergo ad illud verbum hominis, ad verbum rationalis animantis, ad verbum non de Deo natæ, sed à Deo factæ imaginis Dei, S. Aug.

quod

quod neque prolatiuum est in sono, neque cogitatiuum in similitudine soni quod alicuius linguæ esse necesse sit, sed quod omnia quibus significatur signa præcedit, & gignitur de scientia quæ manet in animo, quando eadem scientia intus dicitur sicuti est, &c. Nam quando per sonum dicitur, vel per aliquod corporale signum, non dicitur sicuti est, sed sicut potest videri, audiriue per corpus. Quando ergo quod in notitia est, hoc est in verbo, tunc est verum verbum, & veritas: qualis expectatur ab homine, vt quod est in ista, hoc sit & in illo: quod non est in ista, non sit & in illo: hic agnoscitur, est, est; non non. *Et hæc est conformitas intellectus cum obiecto.* Sic accedit quantùm potest ista similitudo imaginis factæ, ad illam similitudinem imaginis natæ quâ Deus Filio Patri per omnia substantialiter similis prædicatur. *Nisi quod verbum nostrum accidens est, diuinum autem, substantia solida est.* Animaduertenda est in hoc ænigmate

S. Aug. etiam ista Verbi Dei similitudo; quod sicut de illo Verbo dictum est, Omnia per ipsum facta sunt: vbi Deus per vnigenitum Verbum suum prædicatur vniuersa fecisse; ita hominis opera nulla sunt, quæ non priùs dicantur in corde. Vnde scriptum est Eccli. 37. 20. Initium omnis operis, Verbum: sed etiam hîc cùm verum verbum est, tunc est initium boni operis. *Vnde alibi dixit, non possunt esse bona opera, nisi primò præcesserint cogitationes bonæ.*

S. Aug. Verum autem verbum est, cùm de scientia benè operandi gignitur, vt etiam ibi seruetur, est, est; non, non. *Id est vt quod scitur non faciendum, non, fiat fiat, quod faciendum est.* Vt si est in ea scientia qua viuendum est, sit & in verbo per quod operandum est; si non, non: alioquin mendacium erit verbum tale, non veritas: & inde peccatum, non opus rectum. Est & hæc in ista similitudine verbi nostri, similitudo Verbi Dei, quia potest esse verbum nostrum, quod non sequatur opus: opus autem esse non potest, nisi præcedat verbum: sic & Verbum Dei potuit esse nullâ existente creaturâ: Creatura verò nulla esse potest; nisi per ipsum, per quod facta sunt omnia. *Tam concludit contra*

S. Aug. *Praxeanos, Patrem Incarnatum mentientes:* Ideoque, non Deus Pater, non Spiritus sanctus, non ipsa Trinitas, sed solus Deus Filius, quod est Verbum

A Dei, caro factum est, quamuis Trinitate faciente: *Patre mittente Filium, & Spiritu Virginem obumbrante*, vt sequente atque imitante verbo nostro eius exemplum, rectè viueremus, hoc est nullum habentes in verbi nostri, vel contemplatione mendacium. *De distinctione autem Patris, & Verbi, sic fatur lib. 7. de Trinit. cap. 1* Verbo, *inquit*, S. Aug. quod genuit, dicens est, non verbo quod profertur, & sonat, & transit, sed Verbo quod erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & omnia per ipsum facta sunt; Verbo æquali sibi, quo semper atque incommutabiliter dicit seipsum. Non est enim ipse Verbum, sicut nec Filius, nec Imago; Dicens autem, exceptis illis temporalibus vocibus Verbi Dei, quæ in creatura fiunt, nam sonant

B & transeunt. *Sicut frequenter in Prophetis dicitur, factum est Verbum Domini.* Dicens ergo illo coæterno Verbo, non singulus intelligitur, sed cum ipso Verbo, sine quo non est vtique dicens: &c. *Et cap. 2.* Pater, *inquit*, & Filius simul vna Essentia, S. Aug. & vna magnitudo, & vna veritas, & vna sapientia. Sed non Pater & Filius simul ambo vnum Verbum, quia non simul ambo vnus Filius. Sicut enim Filius ad Patrem refertur, non ad seipsum dicitur, ita & Verbum ad eum, cuius Verbum est, refertur, cùm dicitur Verbum. Eo quippe Filius, quo Verbum; & eo Verbum quo Filius: quoniam igitur Pater & Filius simul non vtique vnus Filius, consequens est, vt Pater & Filius simul non

C ambo vnum Verbum. &c. Quoniam verò & Verbum sapientia est, sed non eo Verbum quo sapientia: Verbum enim relatiuè, sapientia verò essentialiter intelligitur: id dici accipiamus cùm dicitur Verbum, ac si dicatur, nata Sapientia, vt sit & Filius, & Imago, &c. Quapropter, non quia Pater non est Filius, & Filius non est Pater, aut ille ingenitus, ille autem genitus, ideo non vna Essentia, *Sapientia bonitas, &c.* quia his nominibus relatiua eorum ostenduntur. Vterque autem simul vna sapientia, & vna essentia, vbi hoc est esse quod sapere: non autem simul vterque Verbum aut Filius; quia non hoc est esse quod Verbum esse, aut filium esse, sicut iam satis ostendimus ista relatiuè dici. *Et ex his clarissimè Praxeanorum, siue Sabellianorum error refellitur.*

5. *Filius omnia Patris nomina & attributa habuit, exceptâ personâ. cont. Prax. cap. 17. à p. ad f.*

SEd & nomina Patris, Deus omnipotens, Altissimus, Dominus virtutum, Rex Israëlis, Qui est. Quatenus ita scripturæ docent, hæc dicimus & in Filium competisse, Gen. 28. 3 Gen. 14. & in his Filium venisse, & in his semper egisse, & sic ea in se hominibus manifestasse. 18. [a] *Omnia*, inquit, *Patris, mea sunt.* Cur non & nomina? Cùm ergo legis Deum omnipotentem, & Altissimum, & Deum virtutum, & Regem Israëlis, & Qui est, vide ne per hæc Filius etiam demonstretur, suo iure Deus omnipotens, quâ Sermo Dei omnipotentis, quâque omnium accepit potestatem; Altissimus, quâ [b] *dextera Dei exaltatus*, sicut Petrus in Actis concionatur; [c] *Dominus virtutum, quia omnia subiecta sunt illi à Patre*; *Rex Israëlis*, quia illi propriè excidit sors gentis istius; Item, [d] *Qui est*, quoniam multi Filij dicuntur, & non sunt. Si autem volunt & Christi nomen Patris esse, audient suo loco. Interim, hîc mihi promotum sit responsum aduersùs id quod & de Apocalypsi Ioannis proferunt: [e] *Ego Dominus qui est, & qui fuit, & venit omnipotens*; & sicubi alibi Dei omnipotentis appellationem non putant etiam Filio conuenire. quasi qui venturus est, non sit omnipotens. cùm & Filius omnipotentis tam omnipotens sit, quàm Deus Dei Filius.

Psal. 23. 7. 10. Esa. 44. 6 Exo. 3. 14. a Io. 16. 15 b Matth. 28. 18. c Act. 2. 33. 1. Cor. 15. 25. 28. d Exo. 3. 14. e Apoc. 1. 8.

FILIVS OMNIA NOMINA PATRIS. 5. SCHOL.

IN FILIVM. *Filio conuenisse.* QVATENVS. *Quia* EGISSE, *dum hominibus apparuit.* OMNIA PATRIS. *Io. 16. 15.* Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. VIDE NE. *Intellige etiam Filium iisdem cum Patre appellatum nominibus.* SVO IVRE, *in quantùm Filius eiusdem substantiæ cum Patre.* Quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula. SICVT PETRVS. *Act. 2. 33.* Dexterâ igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus sancti acceptâ à Patre, &c. REX ISRAELIS. *Esa. 44. 6.* Hæc dicit Dominus Rex Israël 70. *Deus Rex Israël qui eruit eum* & redemptor eius. EXCIDIT SORS, *in quantùm iuxta Augustinum, Christus secundùm humanam naturam prædestinatus est Filius Dei sine merito, sorte quoque illi obtigit, siue ex decreto Dei, cecidit super eum sors regni Israël, in quantùm iuxta Paulum:* Factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei secundum spiritum sanctificationis. MVLTI FILII. *Adoptiui.* ET NON SVNT. *Naturâ geniti, sicut vnigenitus, qui propriè est Dei Filius, de Deo Deus. Alij autem dij appellatiuè & participatiuè.* SI VOLVNT *Praxeani.* AVDIENT SVO LOCO. *Supple refutationem huius hæresis. cap. 27. quod iam supra exposuimus numero 1. vbi inducit.* Dicentes filium carnem esse, id est hominem, id est Iesum; Patrem autem Spiritum, id est Deum, id est Christum. DE APOCALYPSI, *cap. 1. versu 8. vbi Filium introducit dicentem:* Dicit Dominus: qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens. *Vnde stultè abutuntur hoc loco Praxeani, cùm Angelus Ioanni loquens hîc induat personam Filij venturi cum nubibus ad iudicium; qui cùm sit Dei filius, idem est cum Patre Deus omnipotens. Omnia, exceptâ personâ, Patris & Filij, communia esse sæpius inculcat Augustinus. Ac primò quidem occurrit quod habet tract. 106. in verba Io. 17.* Tui erant, & mihi eos dedisti. An, *inquit*, aliquando erant Patris, & non erant vnigeniti Filij eius, & habuit aliquando Pater aliquid sine Filio? absit. Veruntamen habuit aliquid aliquando Deus Filius, quod nondum habuit idem ipse homo Filius, quia nondum erat homo factus ex matre, quando tamen habebat vniuersa cum Patre. Quapropter quod dixit, tui erant, non inde se separauit Deus Filius sine quo nihil vnquam Pater habuit, sed solet ei tribuere omne quod potest, à quo est ipse qui potest: à quo enim habet vt sit, ab illo habet vt possit, & simul vtrumque semper habuit, quia nunquam fuit, & non potuit. Quocirca quidquid potuit Pater, semper cum illo Filius potuit, quoniam ille qui nunquam fuit & non potuit, nunquam sine Patre fuit, nunquam sine illo Pater fuit: ac per hoc sicut Pater æternus omnipotens, ita Filius coæternus omnipotens: & si omnipotens, vtique omnitenens, quid enim potiùs Verbum è Verbo interpretamur, si propriè volumus dicere quod à Græcis dicitur παντοκράτωρ, &c. Quid ergo vnquam habere potuit æternus omnipotens, quod non simul habuerit coæternus omnitenens. *Rursum tract. 107. in verba eiusdem Io. 17.* Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt. Vbi, *inquit*, satis apparet quomodo vnigeniti Filij quæ sunt Patris, per hoc vtique, quod etiam ipse Deus est, & de Patre Patri est natus æqualis; non quomodo dictum est vni ex duobus filiis, maiori scilicet, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. Illud enim dictum est de his omnibus creaturis, quæ infra creaturam rationalem sunt, quæ vtique subduntur Ecclesiæ, in quâ vniuersa Ecclesia & illi duo intelliguntur filij maior & minor, *hoc est populus Iudæus & Gentilis quo constat Ecclesia*, cum omnibus Angelis sanctis, quibus erimus æquales in regno Christi & Dei: hoc autem ita dictum est, & mea omnia tua sunt, & tua mea: vt hîc sit etiam ipsa creatura rationalis, quæ non nisi Deo subditur, vt ei quæ infra illam sunt cuncta subdantur. Hæc ergo cùm sit Dei Patris, non simul esset & Filij, nisi Patri esset æqualis: de ipsa quippe aiebat, *creatura rationali*, cùm diceret, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt, & mea omnia tua sunt, &c. nec fas est, vt sancti, de quibus hæc locutus est, cuiusquam sint, nisi eius à quo creati & sanctificati sunt: ac per hoc & omnia quæ ipsorum sunt, necesse est vt eius sint, cuius & ipsi sunt: ergo cùm & Patris & Filij sint, æquales eos esse demonstrat, quorum æqualiter sunt. *De cæteris quoque attributis æqualitatem asserit in personis diuinis, libro sexto de Trinitate cap. 3.* Pater, *inquit*, & Filius vnum sunt, vtique secundum vnitatem substantiæ, & vnus Deus est, & vnus magnus, & vnus sapiens, &c. Vnde ergo maior Pater? si enim maior, magnitudine maior. Cùm autem magnitudo Filius eius sit, nec ille vtique maior est eo qui se genuit, nec ille maior est eâ magnitudine quâ magnus est, ergo æqualis. Nam vnde æqualis si non eo quo est, cui non est aliud esse, & aliud magnum esse? aut si æternitate Pater maior est, non est æqualis Filius quacumque re. Vnde enim æqualis? si magnitudine dixeris? non est par magnitudo, quæ minus æterna est, atque ita cætera. An fortè in virtute æqualis est, in sapientia verò non est æqualis? Sed quomodo est æqualis, &c. virtus quæ minus sapit? an in sapientia æqualis est, in virtute autem non est æqualis? sed quomodo æqualis sapientia, quæ minùs potens est? restat ergo vt si in vlla re æqualis non est, in omnibus non sit æqualis; & scriptura clamat, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, &c. *Capite autem 4.* Humano, *inquit*, animo non hoc est esse, quod est fortem esse, aut prudentem, aut iustum, aut temperatum: potest enim esse animus, & nullam istarum habere virtutum. Deo autem hoc est esse, quod fortem esse, aut iustum esse, aut sapientem esse, & si quid de illa simplici multiplicitate, vel multiplici simplicitate dixeris, quo substantia eius significatur, &c. *Capite tandem 5 idem etiam probat de Spiritu sancto.* Quapropter, *inquit*, etiam Spiritus sanctus in eadem vnitate substantiæ & æqualitate consistit. Siue enim sit vnitas amborum, siue sanctitas, siue charitas, siue ideo vnitas quia charitas, & ideo charitas, quia sanctitas, manifestum est quòd non aliquis duorum est quò vterque coniungitur, quo genitus à gignente diligatur, generatoremque suum diligat, sintque non participatione, sed Essentiâ suâ, neque dono superioris alicuius, sed suo proprio, seruantes vnitatem Spiritus in vinculo pacis. Quod imitari per gratiam, & ad Deum, & ad nosipsos iubemur: in quibus duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ. Ita sunt illa tria *supposita scilicet & personæ vel hypostases* Deus vnus, solus, magnus, sapiens, sanctus, beatus. Nos autem ex ipso,

& per ipsum, & in ipso. Beati, quia ipsius munere inter nos vnum, cum illo autem vnus Spiritus, quia adglutinatur anima nostra post eum, &c. Spiritus ergo sanctus commune aliquid est Patris & Filij, quidquid illud est. At ipsa communio consubstantialis & coæterna. quæ si amicitia conuenienter dici potest, dicatur, sed aptiùs dicitur charitas. Et hæc quoque substantia, quia Deus substantia, & Deus charitas, sicut scriptum est. Sicut autem substantia simul cum Patre & Filio, ita simul magna, & simul bona, & simul sancta, & quidquid aliud ad se dicitur: quoniam non aliud est Deo esse, & aliud esse magnum, vel

A bonum esse, &c. Si enim minus magna est ibi charitas quàm sapientia, minus quam est, diligitur sapientia. Æqualis est igitur, vt quanta est sapientia, tantùm diligatur. Est autem sapientia æqualis Patri, æqualis est igitur etiam Spiritus sanctus, & si æqualis, in omnibus æqualis, propter simplicitatem quæ in illa substantia est. Et ideo non amplius quàm tria sunt, vnus diligens eum qui de illo est, & vnus diligens eum de quo est, & ipsa dilectio. Quæ si nihil est, quomodo Deus dilectio est? si non est substantia, quomodo Deus substantia est? *Et hæc de personarum æqualitate in essentia & attributis clarissimè dicta sufficiant.*

6. Filius cum Patre, vnus atque idem mundi opifex, absque Angelorum adiutorio. cont. Prax. cap. 19. à p. ad circa f.

QVantùm ad ceteras virtutes, solus, præstruens aduersùs coniecturas hæreticorum,
qui mundum ab Angelis & potestatibus diuersis volunt structum; qui & ipsum Crea-
torem aut angelum faciunt, aut ad alia quæ extrinsecùs, vt opera mundi, ignorantem
quoque subornatum. Aut si sic solus cœlum extendit, quomodo isti præsumunt in per Esa. 44.
uersum hæretici, quasi singularis non admittatur Sophia illa dicens, [a] *Cùm pararet cælos,* 24.
ego aderam illi simul. Et si dixit Apostolus, [b] *Quis cognouit sensum Domini? & quis illi consilio* a Prou. 8.
fuit? vtique præter Sophiam ait, quæ illi aderat. In ipso tamen & [c] *cum illo vniuersa com* 27.
pingebat, non ignorante quid faceret. Præter Sophiam autem, præter Filium dicit, qui est b Rom. 11
Christus, Sophia & virtus Dei, secundùm Apostolum, [d] *solus sciens sensum Patris. Quis enim* 34. c Prou. 8.
scit quæ sunt in Deo, nisi spiritus qui in ipso est? non qui extra ipsum. Erat ergo qui non solùm 30.
Deum faceret, nisi à ceteris solùm. Sed & Euangelium recusetur, quòd dicat [e] *omnia per* d 1. Cor.
Sermonem à Deo facta esse, & sine eo nihil factum. Nisi enim fallor, & alibi scriptum est, 2. 11.
[f] *Sermone eius cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnes virtutes eorum.* Et Sermo autem, Vir- e Io. 1. 3.
tus & Sophia, ipse erit Dei filius. Ita si per Filium omnia, cœlum quoque per Filium ex f Psal. 32.
tendens, [g] *non solus extendit*, nisi illâ ratione quâ à ceteris solus. Atque adeo statim de fi 6.
lio loquitur, [h] *Quis alius deiecit signa ventriloquorum, & diuinationes à corde auertens sapien-* g Esa. 44.
tes retrorsum, & consilium eorum infatuans? sistens verba Filij sui, dicendo scilicet, [i] *Hic est Fi-* 24. h ibid. 25.
lius meus dilectus; hunc audite. Ita Filium subiungens, ipse interpretator est, quomodo i Matth.
cœlum solus extenderit, scilicet cum Filio solus, sicut cum Filio vnum. Proinde & Filij 17. 5.
erit vox, [k] *Extendi cælum solus*; quia [l] *Sermone, cæli confirmati sunt.* Quia, Sophia, id est, k Esa. 44.
Sermone adsistente paratum est cœlum; &, [m] *Omnia per Sermonem sunt facta;* competit 24.
& Filium solum extendisse cœlum, quia solus operationi Patris ministrauit. Idem erit di l Psal. 32.
cens, [n] *Ego primus, & insuper ventura ego sum.* Primum scilicet omnium, Sermo, [o] *In* 6. Prou. 8.
principio erat Sermo; in quo principio prolatus à Patre est. Ceterùm, Pater non habens 27.
initium, vt à nullo prolatus, vt innatus, non potest videri. Qui solus fuit semper, ordi- m Io. 1. 3.
nem habere non potuit. Igitur si propterea eundem & Patrem & Filium credendum pu n Esa. 41.
tauerunt, vt vnum Deum vindicent, salua est vnio eius, qui quum sit vnus, habet & 4.
Filium, æquè & ipsum eisdem scripturis comprehensum. o Io. 1. 1.

FILIVS CVM PATRE. 6. SCHOL.

QVANTVM AD CÆTERAS. *Angelicas scilicet virtutes, non earum ministerio, Deus Creator vsus est, sed per Filium solum, cum Spiritu sancto. vnus & solus Deus cælos extendit.* PRÆSTRVENS. *Præmuniens nos Esaias, de quo immediatè antè dixerat;* Quin & hoc dictum eius in argumentum singularitatis, *ad exclusionem pluralitatis personarum*, arripient; Extendi, *inquit*, cœlum solus. *Non ergo Esaias hoc verbo exclusit Filium, sed nos præmuniuit contra vanas opiniones hæreticorum; scilicet contra Simonem Samaritanum, Basilidem, Carpocratem, Cerinthum, maximè autem Valentinianos; qui dicunt Creatorem fuisse Angelum, vel aliam quamlibet virtutem ignorantem & subornatam, hoc est clam submissam, ad externa opera mundi compingenda.* QVASI SINGVLARIS SOPHIA. *Non aduertunt Praxeani volentes vnicam personam, sicut vnum Deum solum extendisse cælum; singularem, hoc est personalem Sapientiam Patris, id est Filium sic loqui Prouerbiorum* 8. 27. Quando præpa-

B rabat cœlos aderam. 70. aderam illi. CONSILIO FVIT. Consiliarius eius fuit. *Quis præter sapientiam aderat, Patri?* COMPINGEBAT. Cum eo eram cuncta componens. NON IGNORANTE, *vt supra hæretici dicebant* ignorantem & subornatum. SECVNDVM APOSTOLVM. Prædicamus Christum Dei virtutem, & Dei Sapientiam. EXTRA IPSVM. *Quales sunt Angelicæ & creatæ virtutes.* ERAT ERGO. *Sapientia Patris, id est Filius.* NON SOLVM DEVM. *Patrem, & vnicam personam.* A CÆTERIS SOLVM. *Absque ministerio aliarum virtutum, solum cum Filio & Spiritu sancto, cælos extendentem.* EVANGELIVM RECVSETVR. *Licet Euangelium non diceret, iam dixerat expreßè de cælo Psaltes;* Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. STATIM DE FILIO, *quasi solo qui essentialiter virtus est faciens mirabilia, & sapientia* stultam faciens sapientiam mundi. *Esa. 44. 24. cùm dixisset:* Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cœlos solus,

stabiliens terram, & nullus mecum. *Statim subiicit versu 25.* Irrita faciens signa diuinorum, & ariolos in furorem vertens. Conuertens sapientes retrorsum, & scientiam eorum stultam faciens. 70. *paulo aliter*, quis alius dissipabit signa Pythonum, & diuinationes in corde, &c. *Subiicit statim Propheta*, Suscitans verbum serui sui, & consilium nuntiorum suorum complens. 70. *autem*. & statuens verbum pueri sui, & consilium Angelorum suorum verum probans. MINISTRAVIT, *non quasi seruus, sed cooperator*. IDEM ERIT DICENS. *Esa.* 41. 4. Ego Dominus, primus & nouissimus. 70. *verò*. Ego Deus primus, & in ea quæ ventura sunt, ego sum. PRIMVM SERMO. *Verbum primum omnium rerum principium.* IN QVO PRINCIPIO, *non temporis, sed in Patre ipso à quo procedit, in eodem manet, enim egressio à diebus æternitatis. Exit enim seu profertur à Patre dicente, secunda persona; & in eodem Patre manet, identitate naturæ.* NON HABENS INITIVM. *Originem, quia ingenitus est.* NON POTEST VIDERI, *quia incarnatus non est, nec visibilis factus.* SOLVS SEMPER, *ingenitus.* ORDINEM HABERE NON POTVIT, *vt esset nouissimus, & minor Patre seipso, non est enim ordo eiusdem ad seipsum.* SALVA EST VNIO. *Si Praxeani timent ne periclitetur vnitas diuinitatis, si admittatur pluralitas personarum; salua & incolumis atque indiuisa manet, si aduertant in eisdem scripturis eadem conuenire Patri & Filio, quos vnum eumdemque Deum esse credimus. Quod hoc textu habet Tertullianus, summatim in duo capita redigitur; nempe quòd per Verbum omnia facta sint; secundò Patrem quidem ingenitum, sed non solum extendisse cælos, sed cum Filio, & per Filium omnia creasse; & proinde cum cæteris rebus etiam ipsos Angelos; tantùm abest vt eorum ministerio vsus sit ad creationem rerum. Quantùm ad primum, Aug. to. 6. libro 2 cont. Maximinum cap. 17.*

S. Aug. Dixeras, *inquit*, ideo à nobis vnum Deum pronuntiari, quia vnus est super omnia innatus, infectus; respondi huic audaciæ tuæ. Sic autem dicis Patrem infectum, quasi Filius factus sit, per quem facta sunt omnia. Deinde addidi, scito factum esse Filium, sed in forma serui: nam in forma Dei vsque adeo non est factus, vt per illum facta sint omnia

S. Aug. &c. *Et cap. 18.* De innato Patre, id est ingenito, quia & hoc dixeras, tecum agendum putaui, & dixi: non itaque dico ingenitum, *Filium*, sed Patrem genitorem, Filium genitum. Hoc tamen genuit Pater quod est, alioquin non est verus filius, si quod est Pater, non est Filius. *De omnipotentia autem Filij cum Patre Creatoris omnium, absque confusione personarum, & vnitatis diuisione, fusissimè lib. 3. cont. eumdem Maximinum cap. 12. cùm enim credamus in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium, proinde credimus in Filium eius vnicum per quem omnia facta sunt.* Ac

S. Aug. per hoc, *inquit*, si habet Pater omnipotentiam quam non habet Filius, falsum est quod ait Filius: omnia quæ habet Pater mea sunt. Deinde si aliquid facit Pater, *verbi gratia, si extendit cœlum solus, vt volunt Praxeani*, quod facere non potest filius, meritò dicitur potentior Pater quàm Filius. Cùm verò dicat, quæcumque Pater facit, hæc & Filius similiter facit: nonne melius auditur ipse quàm vos, meliusque ipsi creditur docenti, quàm decipientibus vobis? sed potentiam, inquis, Pater à nemine, Filius verò accepit à Patre. Fatemur & nos Filium ab illo accepisse potentiam de quo natus est potens: Patri verò potentiam nullus dedit, quia nullus eum genuit. Gignendo enim dedit potentiam Pater Filio, sicut omnia quæ habet in substantia sua, gignendo dedit ei quem genuit de substantia sua, &c. Si Patris omnipotentia Filij non est, quomodo quæcumque Pater facit, hæc & Filius facit similiter, quod vtique non potest, si omnipotens non est? *Vnde ad mentem Tertulliani probat quòd sicut stultè Praxeani ex loco Esaiæ præcitato contendebant, vnicam esse personam quæ cælos extendit, sic ex loco Apostoli Arriani ineptè concludere solum Patrem beatum, potentem, Regem, &c. sed & Filium & Spiritum sanctum vnum Deum hæc omnia attributa indiuisim possidere.* Ac per hoc, *inquit*, quod ait Apostolus 1. Tim. 6. Beatus & solus potens: non cogor de Patre tantummodò accipere, sed de Deo, quod est ipsa Trinitas. Loquens enim ad Timotheum: præcipio, inquit, tibi coram Deo qui viuificat omnia, & Christo Iesu qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem, vt serues mandatum sine macula irreprehensibile, vsque ad aduentum Domini nostri Iesu Christi: quem temporibus propriis ostendet beatus & solus potens Rex regum & Dominus dominantium: qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem: quem nemo hominum vidit, nec videre potest, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen. Nihil hîc video dictum quod non conueniat Trinitati, &c. Si dixeris Patrem solum viuificare omnia, quomodo ergo quæcumque Pater facit, hæc & Filius similiter facit. Deinde vbi ait Io. 5. sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat, sic & Filius quos vult viuificat: quomodo verum est, si Pater sine Filio viuificat omnia? proinde quod addidit, & Christo Iesu, &c. de Filio propriè voluit, quia Filius quidem sicut Pater viuificat omnia: sed sub Pontio Pilato, in forma serui Filium nouimus passum fuisse, non Patrem. *Vt Praxeani putant.* Deinde subiungitur; quem temporibus propriis ostendet beatus & solus, &c. Ostendet vtique Deus, quòd non solus est Pater, quia secundum veritatem, non secundum vestrum errorem, Trinitas vnus est Deus beatus & solus potens, Rex regum, & Dominus dominantium. Numquid enim vel vos dicere audetis Filium non esse Regem regum, &c? de quo inter cætera scriptum est in Apoc. Ioannis; & ipse calcat torcular vini potentis, in tunica, & in femore habet nomen scriptum: Rex regum, Dominus dominantium. Sed ne fortè dicatis, quòd nomen Patris Filius habet scriptum in veste & in femore, alio loco eiusdem libri superiùs legitur; & Agnus vincet eos, quoniam Dominus dominantium est, & Rex regum. Quapropter secundum vos duo sunt Reges regum, &c. & contra vos est, si de Patre tantùm ait Apostolus, Beatus & solus potens, &c. *Quod similiter probat de immortalitate.*

S. Aug. Immortalitatem, *inquit*, Deus, habere dicitur solus, quia est immutabilis solus. In omni enim mutabili natura, nonnulla mors est ipsa mutatio, quia facit aliquid in ea non esse, quod erat. Proinde & ipsa anima humana quæ propterea dicitur immortalis, quoniam qualitercumque secundum modum suum non desinit viuere, habet tamen pro ipso modo suo quandam mortem suam: quia si iustè viuebat & peccat, moritur iustitiæ: si peccatrix erat, & iustificatur, moritur peccato: vt alias eius mutationes taceam, de quibus longum est, disputare. Et creaturarum natura cœlestium mori potuit, quia peccare potuit; nam & Angeli peccauerunt, & dæmones facti sunt, quorum est diabolus princeps: & qui non peccauerunt, peccare potuerunt. Et quicumque creaturæ rationali præstatur vt peccare non possit non est hoc naturæ propriæ sed Dei gratiæ. Ac per hoc solus Deus habet immortalitatem, qui non cuiusquam gratiâ, sed naturâ suâ, nec potuit, nec potest aliquâ conuersione mutari nec potuit, nec poterit aliquâ mutatione peccare, &c.

Idem probat de sapientia Dei quæ ipsi soli propriè conuenit Trinitati. S. Aug. Deus, *inquit*, quod est ipsa Trinitas, propterea solus sapiens rectè dicitur, quia solus secundùm substantiam sapiens est, non secundùm accedentem, vel accidentem participationem sapientiæ, sicut sapiens est rationalis quæcumque creatura. *Qua habet cap. 13. ex Rom. 16. 17.* Vbi ait Apostolus soli sapienti Deo per Iesum Christum, S. Aug. cui gloria in sæcula sæculorum, &c. Quod, *inquit*, interpositum est, per Iesum Christum: vtrùm soli sapienti Deo per Iesum Christum accipi debeat, vt scilicet solus Deus, *Pater*, sapiens, per Iesum Christum sapiens esse intelligatur, non participando, sed gignendo sapientiam quod est Iesus Christus: An verò non per Iesum Christum, sapienti; sed per Iesum Christum gloria soli Deo sapienti, videtur ambiguum. *De vita eandem sicut & omnibus aliis Patri filioque communibus lib. 3. cont. Max. Arria. cap. 4.* S. Aug. Omnia ergo, *inquit*, quæ habet Pater, dedit ille gignendo, accepit iste nascendo; nec dando ille amisit quod habuit, nec iste cùm esset & non haberet, accepit. Sed sicut ille permansit habens omnia, cùm ea quæ habet, Filio dederit omnia: sic iste numquam fuit sine omnibus, quæ non egendo, sed nascendo accepit vt Filius, quia numquam potuit esse non natus, & ea sine quibus non est natus, & est immutabilis natus, semper habuit, quia semper est natus, &c. ac per hoc dedit ille vitam, quia genuit vitam. Accepit iste vitam, quia natus est vita, &c. & ille quippe & iste id habet quod est ipse: sed ille de nullo vita, *quia ex Tertulliano iuxta Ioannem est principium innatum & ingenitum.* Iste vita de vita: sed talis, qualis illa, tanta quanta illa, S. Aug. hoc omnino quod illa, quia verus est Filius, quia perfectus est Filius, quia non est degener ab vno Deo Patre, Deus vnicus Filius. Patri ergo æqualis est Filius, &c. cùm Pater omnia quæ habet gignendo dederit, æqualem vtique genuit, quoniam nihil minus dedit. *Addat qui potest tanta tanti viri Doctrinæ & eloquentia.*

7. *Filij persona incarnanda, sola visibilis apparebat in veteri lege; persona Patris vsque ad visionem beatificam inuisibili remanente. cont. Prax. cap. 14. & 15 ad circa f.*

ADhuc & illa nobis regula adsistit duos vindicantibus Patrem & Filium, quæ inuisibilem Deum determinauit. Cùm enim Moyses in Ægypto desiderasset Domini
conspectum dicens, [a] *Si ergo inueni gratiam coram te, manifesta mihi te, vt cognoscenter vi* a Exo.33.
deam te. Non potes videre, inquit, faciem meam. Non enim videbit homo faciem meam, & vi- 13 & 20.
uet; id est, morietur qui viderit. Inuenimus enim à multis Deum visum, & neminem tamen eorum qui eum viderant, mortuum. Visum quidem Deum, secundùm hominum
capacitatem, non secundùm plenitudinem diuinitatis. Nam Patriarchæ Deum vidisse Gen.12.7
referuntur, vt Abraham & Iacob; & Prophetæ, vt Esaïas, vt Ezechiel, & tamen mor- 17 1 18 1.
tui non sunt. Igitur aut mori debuerant, si eum viderant; [b] *Deum enim nemo videbit, & vi-* Gen.26.2
uet: aut si Deum viderunt, & mortui non sunt, scriptura mentitur, Deum dixisse. *Fa-* 31.30.
ciem meam homo si viderit, non viuet: aut scriptura mentitur, cùm inuisum, aut cùm vi- Esa.7.1.
sum Deum profert. Iam ergo alius erit qui videbatur, quia non potest idem inuisibilis de- Ezech.1.1
finiri, qui videbatur; & consequens erit, vt inuisibilem Patrem intelligamus, pro ple- b Exo.33.
nitudine maiestatis; visibilem verò Filium agnoscamus, pro modulo deriuationis: Sicut 20.
nec solem nobis contemplari licet, quantùm ad ipsam substantiæ summam quæ est in cœlis, radium autem eius toleramus oculis pro temperatura portionis quæ in terram inde porrigitur. Hic ex diuerso volet aliquis etiam Filium inuisibilem contendere, vt Sermonem, vt spiritum; & dum vnicam conditionem Patris & Filij vindicat, vnum potiùs atque eundem confirmare Patrem & Filium. Sed diximus scripturam differentiæ patrocinari, per visibilis & inuisibilis distinctionem. Nam & illud adiiciunt ad argumentatio-
nem: Quod si Filius tunc ad Moysen loquebatur, ipse *faciem suam nemini visibilem* pro- Exo.33.
nuntiaret, quia scilicet ipse inuisibilis Pater fuerit in Filij nomine. Ac per hoc, sic eundem 20.
volunt accipi visibilem & inuisibilem, quomodo eundem Patrem & Filium: quoniam &
paulò suprà, antequam faciem Moysi negasset, scriptum, [c] *Dominum ad Moysen locutum* c Ibid.11.
coràm, velut si quis loquatur ad amicum suum, non minùs quàm & Iacob. [d] *Ego vidi*, inquit, d Gen.32.
Dominum facie ad faciem. Ergo visibilis & inuisibilis idem. Et quia idem vtrumque, ideo 30.
& ipse, quà Pater, inuisibilis; & quà Filius, visibilis. Quasi non expositio scripturæ quæ fit à nobis, Filio competat, Patre seposito in sua inuisibilitate. Dicimus enim & Filium suo nomine eatenus inuisibilem, quà Sermo & spiritus Dei ex substantiæ conditione iam nunc, quà Deus, & Sermo, & spiritus: visibilem autem fuisse ante carnem; eo modo quo dicit
ad Aaron & Mariam, [e] *Et si fuerit Prophetes in vobis, in visione cognoscar illi, & in somnio lo-* e Num.12.
quar illi, non quomodo Moysi: Os ad os loquar illi in specie, id est in veritate; & non in ænig- 6.7.
mate, id est, non in imagine. sicut & Apostolus, [f] *Nunc videmus tanquam per speculum in* f 1. Cor.
ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Igitur quum Moysi seruat conspectum suum & col 13.12.
loquium facie ad faciem in futurum, (nam hoc postea adimpletum est in montis secessu, Exo 33.
sicut legimus in Euangelio visum cum illo Moysen colloquentem) apparet retrò semper 11 13
in speculo, & ænigmate, & visione, & somnio Deum, id est, Filium Dei, visum tam L. c.9. 30
Prophetis & Patriarchis, quàm & ipsi adhuc Moysi. Et ipse quidem Dominus si fortè co Esa.7 3.
ràm ad faciem loquebatur, non tamen vt est, homo faciem eius videret, nisi fortè in spe- Gen.12 7
culo & in ænigmate. Denique, si sic Moysi locutus est Dominus, vt & Moyses faciem Exo.33.11.
eius cominus sciret, quomodo statim atque ibidem desiderat faciem eius videre; quam

quia viderat, non desideraret? Quomodo æquè & Dominus negat videri faciem suam posse, quam ostenderat, si tamen ostenderat? Aut quæ est facies Dei, cuius conspectus negatur, si erat quæ visa est? [g] *Vidi*, inquit Iacob, *Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* Alia debet esse facies, quæ si videatur, occidit. Aut nunquid Filius quidem videbatur, & sic facies, sed ipsum hoc in visione, & somnio, & speculo, & ænigmate: quia sermo, & spiritus, nisi imaginaria forma videri non potest. Faciem autem suam dicit inuisibilem Patrem. Quis enim Pater? non facies erit Filij, nomine auctoritatis, quam genitus à Patre consequitur? Non enim & de aliqua maiore persona congruit dicere, Facies mea est ille homo, &, faciem mihi præstat? [h] *Pater*, inquit, *maior me est.* Ergo facies erit filij, Pater. Nam & scriptura quid dicit? [i] *Spiritus personæ eius, Christus Dominus.* Ergo si Christus personæ paternæ spiritus est, meritò cuius spiritus persona erat, id est Patris, eum faciem suam, ex vnitate scilicet, pronuntiauit. Mirarer planè, an facies filij Pater accipi possit, qui est caput eius. [k] *Caput enim Christi Deus.* Si hunc articulum quæstionibus scripturæ veteris non expediam, de nouo Testamento sumam confirmationem nostræ interpretationis; ne quodcunque in Filium reputo, in Patrem proinde defendas. Ecce enim & in Euangeliis & in Apostolis visibilem & inuisibilem Deum deprehendo, sub manifesta & personali distinctione conditionis vtriusque. Exclamat quodammodo Ioannes, [l] *Deum nemo vidit vnquam.* Vtique nec retrò. Ademit enim temporis quæstionem, dicendo Deum nunquam visum. Confirmat & Apostolus de Deo, [m] *Quem nemo vidit hominum, sed nec videre potest*; scilicet quia morietur qui viderit. Iidem ipsi Apostoli & vidisse se Christum, & contrectasse testantur. Porrò si ipse est Christus & Pater & Filius, quomodo visus est, & inuisus? Ad hanc diuersitatem visi & inuisi in vnum conferendam, quis ex diuerso non argumentabitur, rectè vtrumque dictum; visibilem quidem in carne, inuisibilem verò ante carnem: vt idem sit Pater inuisibilis ante carnem, qui & visibilis in carne? Atquin, si idem ante carnem inuisibilis, quomodo visus etiam retrò inuenitur ante carnem? Æquè si idem post carnem visibilis, quomodo & nunc inuisibilis pronuntiatur ab Apostolis? nisi quia alius, quem & retrò visum in ænigmate, plenius visibilem caro effecit; Sermo scilicet, qui & caro factus, est alius, quem nunquam quisquam vidit, nisi Pater; scilicet cuius est Sermo. Denique, inspiciamus quem Apostoli viderint. [n] *Quod vidimus*, inquit Ioannes, *quod audiuimus, oculis nostris vidimus, & manus nostræ contrectauerunt; de sermone vitæ.* Sermo enim vitæ caro factus, & auditus, & visus, contrectatus, quia caro, qui ante carnem [o] *Sermo tantùm in primordio apud Deum* Patrem, non Pater apud Sermonem. Nam & si Deus Sermo, sed apud Deum, quia ex Deo Deus, quia cum Patre apud Patrem. [p] *Et vidimus gloriam eius, tanquam vnigeniti à Patre*; vtique Filij, scilicet visibilis, glorificati à Patre inuisibili. Et ideo quoniam Sermonem Dei, Deum dixerat, ne adiuuaret aduersariorum præsumptionem, quasi Patrem ipsum vidisset, ad distinguendum inter visibilem Patrem, & Filium visibilem, superdicit ex abundanti, [q] *Deum nemo vidit vnquam.* Quem Deum? Sermonem? Atquin, [r] *Vidimus, & audiuimus, & contrectauimus, de sermone vitæ* prædictum est. Sed quem Deum? scilicet Patrem; apud quem Deum erat Sermo, [s] *vnigenitus* scilicet Filius, *qui in sinum Patris, ipse disseruit.* ipse & auditus, & visus; & ne phantasma crederetur, etiam contrectatus. Hunc & Paulus conspexit, nec tamen Patrem vidit. [t] *Nonne*, inquit, *vidi Iesum?* Christum autem & ipse Deum cognominauit, [u] *Quorum Patres, & ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in æuum.* Ostendit & ipse visibilem Dei Filium, id est Sermonem Dei, quia qui caro factus est, Christus dictus est. De Patre autem ad Timotheum, [x] *Quem nemo vidit hominum, sed nec videre potest.* Exaggerans amplius, *Qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem.* De quo & suprà dixerat, [y] *Regi autem seculorum, immortali, inuisibili, soli Deo*: vt & contraria ipsi Filio adscriberemus, mortalitatem, accessibilitatem; quem mortuum contestatur secundùm scripturas; & [z] *à se nouissimè visum*, per accessibilem vtique lucem: quamquam & illam neque ipse sine periculo luminis expertus est, neque Petrus & Ioannes & Iacobus sine rationis amentia: qui si non passuri Filij gloriam, sed Patrem vidissent, credo morituri ibidem. [aa] *Deum enim nemo videbit, & viuet.* Si hæc ita sunt, constat eum semper visum ab initio, qui visus fuerit in fine; & eum nec in fine visum, qui nec ab initio fuit visus; & ita duos esse, visum & inuisum. Filius ergo visus est semper, & Filius conuersatus est semper, & Filius operatus est semper, ex auctoritate Patris & voluntate.

g Gen. 32. 30. — h Io. 14. 28. — i Thren. 4. 20. — Cap. xv. — k 1. Cor. 11. 3. — l Io. 1. 18. — m 1. Tim. 6. 16. — 1. Io. 1. 1. — n 1. Io. 1. 1. — o Io. 1. 1. — p Ibid. 14. — q Io. 1. 18. — r 1. Io. 1. 1. — s Io. 1. 1. & 18. Io. 20. 14. & seq. — t 1. Cor. 9. 1. — u Rom. 9. 5. — x 1. Tim. 1. 17. Ibid. — y 1. Tim. 1. 17. — 1. Cor. 15. 3. — z Ibid. 8. Act. 9. 8. Matth. 17. 3. Luc. 9. 33. — aa Exo. 33. 20.

8. *Filius solus apparebat, vtpote solus incarnandus, iam inde affectus humanos induens ad captandam fidem. cont. Prax. cap. 16. à p. ad f. & 17. in p.*

Filius itaque est qui ab initio iudicauit, turrim superbissimam elidens, linguasque dissertiens, orbem totum aquarum violentiâ puniens, pluens super Sodomam & Gomorram ignem & sulphurem: Dominus à Domino. Ipse enim & ad humana semper col-

Gen. 11. 7. — Gen. 6. 10. — Gé. 19. 24.

loquia descendit: ab Adam vsque ad Patriarchas & Prophetas, in visione, in somnio, Gen.3.9.
in speculo, in ænigmate, ordinem suum præstruens ab initio semper, quem erat per- & 12.
secuturus in finem. ita semper ediscebat, & Deus in terris cum hominibus conuersari & 17.1.18.
non alius potuit quàm Sermo, qui caro erat futurus. Ediscebat autem, vt nobis fidem ster- 1.26.2.32.
neret, vt faciliùs crederemus Filium Dei descendisse in seculum, si & retrò tale quid 30.
gestum cognosceremus. [a] *Propter nos enim sicut scripta sunt*, ita & gesta sunt, *in quos ano-* Exo.3.2.
rum fines decucurrerunt. Sic etiam adfectus humanos sciebat iam tunc, suscepturus etiam Esa.7.3.
ipsas substantias hominis, carnem & animam; interrogans Adam quasi nesciens, [b] *Vbi es* Baruch.3
Adam? pœnitens quod hominem fecisset, quasi non præsciens; tentans Abraham, quasi 38.
ignorans quid sit in homine; offensus, reconciliatus eisdem. & si qua hæretici adprehen- a 1.Cor.
dunt quasi Deo indigna, ad destructionem Creatoris, ignorantes hæc in Filium compe- 10.1.
tisse, qui etiam passiones humanas, & sitim, & esuriem, & lacrymas, & ipsam natiuita- b Gen 3.9
tem, ipsamque mortem erat subiturus: Propter hoc [c] *minoratus à Patre modicum quid ci-* Gen.6.6.
tra Angelos. Sed hæretici quidem nec Filio Dei deputabunt conuenire, quæ tu ipsi Patri Gen.22.2
inducis, quasi ipse se deminorauerit propter nos; cùm scriptura alium dicat ab alio mi- Exo.32.
noratum, non ipsum à semetipso. Quid si & alius qui *coronabatur gloriâ & honore*, alius qui 27.
coronabat, vtique Filium Pater? Cæterùm, quale est, vt Deus omnipotens ille inuisi- c Ps.8.6.
bilis, [d] *quem nemo vidit hominum, nec videre potest: ille qui inaccessibilem lucem habitat: ille qui* Ibid.
non habitat in manu factis; à [e] *cuius conspectu terra contremiscit*, [f] *montes liquescunt vt cera*; d 1. Tim.
[g] *qui totum orbem manu adprehendit velut nidum*; [h] *cui cœlum thronus, & terra scabellum*; in 6.16.
quo omnis locus, non ipse in loco; qui vniuersitatis extrema linea est; ille Altissimus, in Act.17.
paradiso ad vesperam deambulauerit, quærens Adam; & arcam post introïtum Noë 24.
clauserit; & apud Abraham sub quercu refrigerauerit; & Moysen de rubo ardenti vo- e Ioël.2.
carit; & in fornace Babylonij Regis quartus apparuerit, (quamquam Filius hominis est 10.
dictus) ni hæc in imagine, & speculo, & ænigmate fuissent? Scilicet & hæc nec de Filio f Ps.96.5.
Dei credenda fuisse, si scripta non essent; fortasse non credenda de Patre, licet scripta, g Esa.10.
quem isti in vuluam Mariæ deducunt, & in Pilati tribunal imponunt, & in monumento 14.
Ioseph concludunt. Hinc igitur apparet error illorum. Ignorantes enim, à primordio h Esa.66.
omnem ordinem diuinæ dispositionis per Filium decucurrisse, ipsum credunt Patrem & 1.
visum, & congressum, & operatum, & sitim & esuriem passum, (aduersus Prophetam Gen.3.8.
dicentem [i] *Deus æternus non sitiet, nec esuriet omnino*; quantò magis nec morietur, nec se- Gen.7.16
pelietur) & ita vnum Deum semper egisse, id est Patrem, quæ per Filium gesta sunt. Gen.18.1.
Faciliùs existimauerunt Patrem in Filij nomine egisse, quàm Filium in Patris; dicente Exo.3.2.
ipso Domino, [k] *Ego veni in Patris mei nomine.* Item ad ipsum Patrem, [l] *Nomen tuum mani-* Dan.3.92
festaui hominibus. Condicente etiam scripturâ, [m] *Benedictus qui venit in nomine Domini*; vti- Matth.
que Filius in Patris nomine. 27.2.59.

i Esa.40. 28.
CAPVT XVII.
k Io.5.43.
l Io.17.6.
m Matth. 21.9.

9. *Et 5. cont. Marc. cap. 19. à p.*

[a] INuisibilis Dei imaginem ait Christum. Sed nos enim inuisibilem dicimus Patrem Chri- a Coloss.
sti, scientes Filium semper retrò visum, si quibus visus est in Dei nomine, vt imagi- 1.15.
nem ipsius: nè quam & hinc differentiam scindat Dei visibilis & inuisibilis; cùm olim Dei
nostri sit definitio, [b] *Deum nemo videbit, & viuet.* b Exo 33. 20.

[*] 10. *Et de Car. Chri. cap. 6. in m.*

TVnc quoque inter Angelos illos ipse Dominus apparuit Abrahæ sine natiuitate cum carne, scilicet pro eadem causæ diuersitate. Sed vos hoc non recipitis, non eum Christum recipientes, qui iam tunc & adloqui, & liberare, & iudicare humanum genus Gen.18.1. ediscebat in carnis habitu, non natæ adhuc, quia nondum moriturae, nisi priùs & natiuitas eius & mortalitas adnuntiarentur.

Trinitatis tertia persona Spiritus sanctus. V. Verbum Spiritus sanctus.

FILII PERSONA SOLA VISIBILIS. 7.8.9.10. SCHOL.

REGVLA ADSISTIT. *Præter præcitata argumenta, quibus supra probauimus contra Praxeam absque præiudicio vnitatis Essentiæ, distinctas Patris & Filij personas, fauet etiam nobis scriptura, cùm definiens Deum esse inuisibilem, scilicet Patrem; Filium, non tantùm in vera & nata carne post Incarnationem, sed & antè Patribus in veteri lege sub forma humana factum visibilem.* CVM MOYSES, *Exo.* 33.13. Si ergo A inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam vt sciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos, &c. Rursumque ait: non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & viuet. 70. *autem*, ostende mihi temetipsum manifestè, vt videam te, vt sim inueniens gratiam ante te, &c. & dixit: non poteris videre faciem meam non enim videbit homo faciem meam & vi-

uet. PRO MODVLO DERIVATIONIS. *Crudè dictum si de persona Filij intelligas, quæ non minus inuisibilis est quàm Pater in plenitudine maiestatis, sed sustineri posse dicit aptè radium Solis, id est Filium*, pro temperatura portionis quæ in terram porrigitur: *in quantùm scilicet iuxta Baruch. alibi relatum* in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, *siue in forma assumpta apparens Patriarchis & Prophetis, siue postquam incarnatus est.* VNICAM CONDITIONEM. *Naturam*, VNVM POTIVS, *vnam eandemque personam. Sed scriptura apertè suffragatur distinctioni personarum, dum Patrem inuisibilem, Filium visibilem dicit.* SI FILIVS TVNC. *Praxeans dicunt quòd si velimus tunc Filium fuisse Moysi loquutum, dicendo faciem suam inuisibilem, tunc Patrem ipsum sub alio nomine, nempe Filij, se dixisse visibilem. Sed non potest eadem & ipsa persona, licet sub diuersis nominibus esse visibilis & inuisibilis. Nam & supra ibidem versu 11. apertè dicitur*; loquebatur autem Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. *Ergo oportet vt diuersæ personæ sint, vna Filij visibilis, & loquentis facie ad faciem: alia scilicet Patris inuisibilis, de qua Filius dixit, Patrem suum faciem suam appellans, cuius imago est, quam nemo vidit vnquam in mortali carne, sed tantùm in lumine gloriæ. Vnde Philippo petenti à Filio videre Patrem hoc est faciem, Filius tanquam imago respondit*, qui videt me, videt & Patrem meum, *propter identitatem naturæ, & propter opera diuina Filij Incarnati.* QVA PATER. *Id est in quantùm Pater inuisibilis est in plenitudine maiestatis, in quantùm Deus, sed in quantùm Filius incarnatus, vel speciem humanam induens ante Incarnationem.* QVA SERMO. *Quatenus Verbum est, & spiritus Dei, hoc est de Deo Deus, propter substantiam diuinam inuisibilem.* ANTE CARNEM. *Incarnationem.* DICIT AD AARON. *Num.* 12 5. Descendit Dominus in columna nubis & stetit in introitu tabernaculi vocans Aaron & Mariam. Qui cum issent, dixit ad eos. Audite sermones meos: si quis fuerit inter vos Propheta Domini. in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei, & palam, 70. *in specie*, & non per ænigmata & figuras Dominum videt. *Aug. lib.* 4 *de symbolo ad Catech. cap.* 3. *tractat hunc locum sicut & alibi, quod infra simul examinabimus.* LOQVAR ILLI, *scilicet Moysi.* NON IN IMAGINE. *Quia ex Augustino clariùs cæteris, visione intellectuali visurus erat. Vel refert ad visionem humanitatis Christi.* APPARET RETRO. *Hinc colligitur manifestè personam Filij iam tum locutam Moysi, in forma humana assumpta, cùm promiserit ei se locuturum os ad os.* IPSI ADHVC MOYSI, *loco præcitato Exodi.* NON TAMEN EST. *Id est, tunc viuenti Moysi, non ostendebat Filius essentiam suam diuinam nisi in speculo & in ænigmate. Quod vel ex eo patet, quòd si facie ad faciem Deum Patrem sicuti est, vidisset, eam videre non desiderasset. Quamquam & propter infinitum obiectum nullum ex conuersatione tædium patiens, dictum sit*, in quem desiderant Angeli prospicere, qui tamen semper vident faciem Patris. QVIA VIDERAT, *si viderat.* ALIA DEBET ESSE. *Certè ex duobus locis sibi oppositis, liquet duas esse facies & personas, de quarum vna, videlicet Patris dictum est*, non videbit me homo & viuet: *quæ sit tam splendida, vt eam homo ferre non possit, sed amore deficiat & moriatur: alia autem facies Filij in natura humana apparens, & iam inde animam & vitam saluans fide & spe futuræ incarnationis, de qua Iacob ait*, vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. ET SIC FACIES. *Assumpta scilicet, vt Verbum & Spiritus, hoc est Filius Deus in imaginaria*

S. Aug.

A *forma, non in propria specie & forma Dei se visibilem redderet. Per faciem autem quæ videri non poterat, intelligit maiestatem Patris, quam vt Filius accepit à Patre.* SPIRITVS PERSONÆ. *Vide alibi dicta. Interim dicit Christum spiritum personæ Patris, quia Deus est spiritus, de Deo spiritu, id est à Patre procedens; & faciem suam dicebat Patrem propter naturæ identitatem.* MIRARER PLANE, *ironicè dicta. quasi verò, inquit, sit aliquid mirum in eo quod dico Patrem esse faciem Filij, cùm & totum caput, hoc est principium eius dicat Apostolus.* IN FILIVM REPVTO, *de Filio dictum assero, tu de Patre pronuntiatum esse contra sustineas.* SI IPSE EST CHRISTVS. *Si eadem est persona Patris & Filij.* QVIS EX DIVERSO. *Sic opponit Praxeam*

B *obiicientem ex aduerso, de eodem Patre dictum, quòd fuerit inuisibilis ante carnem assumptam, visibilis autem post eam assumptam.* ATQVIN. *Respondet, id de Patre intelligi non posse. Cùm & Deus in veteri Testamento scribatur visus, & nunc ab Apostolis dicatur inuisibilis post Incarnationem.* NISI QVIA ALIVS. *Scilicet Filius, qui priùs visus in forma humana, significante carnem ex Virgine nascituram, in qua pleniùs appareret. In quantum autem Verbum est à Patre genitum, de eo dictum est*, nemo nouit Filium nisi Pater. NON PATER APVD SERMONEM. *Tanquam in principio scilicet, sicut de Verbo dictum est*: in principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum. *Nam & Pater apud Verbum dici potest, propter identitatem naturæ, ipso Verbo dicente*: Ego in Patre, & Pater in

C me est. PAVLVS CONSPEXIT. 1. *Cor.* 9. 1. Non sum liber? non sum Apostolus? nonne Christum Iesum Dominum nostrum vidi? NOVISSIME VISVM. 1. *Cor.* 15. 8. Nouissimè autem omnium tanquam abortiuo visus est & mihi. PER ACCESSIBILEM LVCEM. *Sine qua supra dixerat* lucem habitat inaccessibilem. SINE PERICVLO LVMINIS. *Oculorum orbitate. Act.* 9. 8 *cum priùs versu* 3 *dictum esset*, subitò circumfulsit eum lux de cœlo: *subiicitur*, surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum. Et erat ibi tribus diebus non videns. SINE RATIONIS AMENTIA. *Sic vocat sæpiùs excessum & ecstasim mentis.* SI NON PASSVRI,

D *nisi fuisset Filij visibilis gloria corporea, sed Patris; non tantum rapti fuissent, sed è viuis erepti.* EVM VISVM. *Nempe Filium.* EX AVCTORITATE PATRIS. *A quo missus, eius maiestatem in corpore assumpto visibilem, & authoritate quâ loquebatur, imperabat, operabatur, Patrem ipsum repræsentabat.*

8 AB INITIO IVDICAVIT: *sicut in fine mundi solus index apparebit: quia* Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio. *Condemnauit enim ab initio turrim Babel, Sodomam, totum orbem.* DOMINVS A DOMINO. *Filius à Patre missus.* ORDINEM SVVM PRÆSTRVENS, *iaciens quasi fundamenta Incarnationis suæ, cui præludebat, implens*

E *illud Prouerb.* 8. Ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ esse cum filiis hominum. ÆVORVM. 1. *Cor.* 10. 11. Hæc autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, *Syr. eruditionem*, in quos fines sæculorum deuenerunt. ADFECTVS SCIEBAT, *iam vt homo cum hominibus agebat, de quibus omnibus habes in verbo*: Dei & Christi infirma. HÆRETICI. *Maximè Marcionita, qui ex his infirmitatibus in Scriptura de Deo dictis, tanquam indignis Deo, Creatorem indignum diuinitate censuerunt.* IN FILIVM. *Filio.* NEC FILIO DEPVTABVNT. *Praxeam hic pungit, eumque Marcionitis peiorem probat, quòd cùm nec Filio quidem has infirmitates conuenire posse iudicarent, iste etiam Patrem hæc omnia subiisse censeret.* QVALE EST. *Quis credat?* EXTREMA LINEA; *qui immensus*

vbique

vbique est, omnia continens, & ambiens, & terminans. A QVAMQVAM FILIVS HOMINIS. *Se corrigit, quod hoc exemplum apertè Patrem excludat, & Filium hominis nominet.* FORTASSE NON CREDENDA, *exaggeratio est. Quia si scriptum esset Patrem in vtero Virginis Incarnatum, sine dubio credendum esset.* CONGRESSVM, *maximè in lucta cum Iacob.* ADVERSVS PROPHETAM. *Alibi iam dixi cum Pamelio locum hunc non reperiri expressum, non iam in aliquo Propheta, sed nec in tota Scriptura, nisi intelligatur paraphrasticè suo more scripsisse ex Psalmo 49. 12.* Si esuriero non dicam tibi: meus est enim orbis terræ & plenitudo eius. Numquid manducabo carnes taurorum aut sanguinem hircorum potabo? VNVM DEVM. *Verentur enim Praxeani ne diuidant vnitatem essentiæ, si* B *personas in ea distinguant; & sic volunt Patrem semper ab initio apparuisse, & res tractasse, quæ per Filium gestæ sunt.* DICENTE IPSO DOMINO *Cum tamen contra eos expressè Christus dixerit, se à Patre distinguendo semper, quoad realem personarum distinctionem; vt alibi locos exposuimus.*

9. NE DIFFERENTIAM SCINDAT. *Ne Marcion occasionem arripiat ex loco Pauli, inducens duos Deos, vnum inuisibilem, Deum scilicet Marcionis, & visibilem Deum Creatorem. Frustra enim hoc asserit, cùm iam olim in veteri Testamento dixerit filius Moysi de Patre suo Deo Creatore,* Deum nemo vidit vnquam.

10. SINE NATIVITATE. *In vera carne, licet non-* C *dum nata de Virgine; de quo vide Verbo,* Christus, *in alphabeto Errorum.* CAVSÆ DIVERSITATE. *Id est, quia tunc non veniebat, nec apparebat, vt moreretur, ideo in carne nata non videbatur, aliquando nasciturus ex Virgine, moriturus pro homine.* NON RECIPITIS. *Marcionitæ enim vetus Testamentum reiiciunt.* NISI PRIVS. *Quia priùs in veteri Testamento per apparitiones & figuras disponebat fidem in natiuitatem & mortem suam.*

Iam ex quatuor præmissis textibus, vno contextu selectiora cum Augustino exponamus de Deo visibili, vel inuisibili. Ac primo quidem ep. 112. ad Paulinam anum religiosam, de videndo Deo, cap 8. Inuisibilis est, *inquit*, naturæ Deus, non tantùm Pater, sed & ip- D sa Trinitas vnus Deus. Et quia non tantùm inuisibilis, verùm etiam incommutabilis, sic apparet quibus voluerit, in qua voluerit specie, vt apud eum integra maneat eius inuisibilis incommutabilisque natura. Desiderium autem verac ter piorum, quo videre Deum cupiunt, & inhianter ardescunt, non opinor in eam speciem contuendam flagrat, quâ vt vult apparet quod ipse non est, sed in eam substantiam, quâ ipse est, quod est. Huius enim desiderii sui flammam sanctus Moyses fidelis famulus eius ostendit, vbi ait Deo, cum quo vt amicus facie ad faciem loquebatur: si inueni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum. Quid ergo? ille non erat ipse? si non esset ipse, non ei diceret, ostende E mihi temetipsum, sed ostende mihi Deum; & tamen si eius naturam substantiamque conspiceret, multò minus diceret, ostende mihi temetipsum. Ipse ergo erat in ea specie quâ apparere voluerat, non autem ipse apparebat in natura propria, quam Moyses videre cupiebat. Ea quippe promittitur sanctis in alia vita. Vnde quod responsum est Moysi, verum est, quia nemo potest faciem Dei videre, & viuere, id est nemo potest eum in hac vita videre viuens, sicuti est. Nam multi viderunt, sed quod voluntas elegit, non quod natura formauit, &c. *Et cap. 10.* Deus, *inquit*, licet non in sua natura, sed in qua voluit specie dignatus est apparere sicut Abrahæ, sicut Esaiæ, aliisque similibus. *Et cap. 11.* Potest, *inquit*, mouere, quomodo iam ipsa Dei substantia videri potuerit à quibusdam in hac vita

positis, propter illud quod dictum est ad Moysem, nemo potest faciem meam videre, & viuere: nisi quia potest humana mens diuinitus rapi ex hac vita ad Angelicam vitam, antequam per communem mortem carne soluatur. Sic enim raptus est, qui audiuit illic ineffabilia verba quæ non licet homini loqui, &c. Et illi fidelissimo antiquo famulo Dei Moysi, mirum ni in hac terra laboraturo, populumque illum adhuc recturo concessum est quod petiuit, vt claritatem Domini videret, cui dixerat, si inueni gratiam &c. Accepit enim in præsentia congruum responsum, quòd faciem Dei videre non posset, quam nemo videret, & viueret: hoc modo significante Deo alterius potioris vitæ illam esse visionem, &c. Quod autem dicere institueram desiderio eius etiam illud quod petierat fuisse concessum, in libro Numerorum postea demonstratum est; vbi Dominus arguit contumaciam sororis ipsius, & dicit aliis Prophetis in visione se apparere, & in somno, Moysi autem per speciem, non per ænigmata: vbi etiam addidit dicens, & gloriam Domini vidit. Quid ergo est quod eum sic fecit exceptum, nisi fortè quia talem contemplatione dignum etiam tunc habuit populi sui talem rectorem & ministrum in tota domo sua fidelem, vt quemadmodum concupiuerat, videret eum sicuti est, quæ contemplatio cunctis filiis in fine promittitur. *Et libro 2. de Trinit. cap. 16. vbi rursum de Moyse.* Quid est, *inquit*, quod in omnibus Deus videri per tuam substantiam putabatur, vnde à miseris creditus est, non per creaturam, sed per semetipsum visibilis Filius Dei, &c. Nouerat vtique Moyses quod corporaliter videbat, & veram visionem Dei spiritaliter requirebat, &c. sed Deum Patrem quis corporeis oculis videt. Et quod in principio erat Verbum, & Verbum, &c quis corporeis oculis videt? & Spiritum sapientiæ quis corporeis oculis videt? quid est autem. Ostende mihi temetipsum, &c. nisi ostende mihi substantiam tuam, &c. Et hoc quidem quod postea Dominus dicit ad Moysem, ecce locus penes me est, & stabis super petram, statim vt transibit mea maiestas, & ponam te in specula petræ, &c. & tunc videbis posteriora mea, nam facies mea non apparebit tibi, non incongruenter ex persona Domini nostri Iesu Christi præfiguratum solet intelligi: vt posteriora eius accipiatur caro eius, in qua de Virgine natus est, & mortuus est, & resurrexit: siue propter posterioritatem mortalitatis, posteriora dicta sint, siue quòd eam prope finem sæculi, hoc est posteriùs suscipere dignatus est. Facies autem eius illa Dei forma, in qua non arbitratur rapinam esse æqualis Deo Patri, quam nemo vtique potest videre & viuere: siue quia post hanc vitam in qua peregrinamur à Domino, & vbi corpus quod corrumpitur aggrauat animam, videbimus facie ad faciem, &c. siue quòd etiam nunc in quantùm Dei Sapientiam per quam facta sunt omnia, spiritaliter intelligimus, in tantùm carnalibus affectibus morimur, vt mortuum nobis hunc mundum deputantes, nos quoque ipsi huic mundo moriamur, & dicamus quod ait Apostolus, mundus mihi crucifixus est, & ego mundo, &c. Illa est ergo species quæ rapit omnem animam desiderio sui, tantò ardentiorem, quantò mundiorem, & tantò mundiorem, quantò ad spiritalia resurgentem; tantò autem ad spiritalia resurgentem, quantò à carnalibus morientem. Sed dum peregrinamur à Domino, & per fidem ambulamus, non per speciem: posteriora Christi, hoc est carnem *& posteriores glorias*, per ipsam fidem videre debemus, id est in solido fidei fundamento stantes, quod significat pe-

tra, & eam de tali tutissima specula intuentes, in Catholica scil. Ecclesia, de qua dictum est, & super hanc petram, &c. tantò enim certius diligimus, quam videre desideramus faciem Christi, quantò in posterioribus eius agnoscimus quantùm nos prior dilexerit, &c. qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram, &c. quod firmissimè nos credentes tanquam de petræ soliditate contuemur, vnde certâ spe adoptionum expectamus adoptionem corporis nostri, &c. quod perfectum esse in ipso tanquam in capite nostro, fidei sanitate cognoscimus. Inde non vult nisi cùm transierit, *post mortem suam quâ transiuit ad gloriam*, videri posteriora sua, vt in eius resurrectionem credatur. Pascha enim Hebræum verbum dicitur quod transitus interpretatur, &c. *Vide ab eodem de Moyse dicta to. 9. lib. 4. de symbolo ad Catech. cap. 3. vbi inter cætera.* Ipsa, *inquit*, sunt posteriora Dei, Christus Dei. Hoc vidit Moyses prophetando, quod Paulus exponit dicendo, cùm venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere. *Et rursum quod habet lib. 12. de Gen. ad lit cap. 26. fusissimè. to. autem 6. libro contra Adimantum cap. 9. vbi de diuersis apparitionibus Filij in Angelis, sicut Iacob in lucta, in rubo Moysi, &c.* Rectè, *inquit*, dicitur Deus dixit, & Deus apparuit: & item rectè, Angelus dixit, & Angelus apparuit: cùm illud dicatur ex persona inhabitantis Dei, illud ex persona seruientis creaturæ. *Et paulò supra*, Ipse, *inquit*, Filius qui est Verbum Dei, non solùm nouissimis temporibus, cùm in carne apparere dignatus est, sed etiam priùs à constitutione mundi, cui voluit, de Patre annuntiauit; *agebat de loco Ioa. 1. Deum nemo vidit vnquam, nisi vnicus Filius qui est in sinu Patris, ille annuntiauit nobis de eo*; siue loquendo, siue apparendo vel per Angelicam aliquam potestatem, vel per quamlibet creaturam: quia ipse est in omnibus veritas, & omnia illi constant, & omnia illi ad nutum seruiunt, atque subiecta sunt: vt etiam oculis per visibilem creaturam, cui vult, quando dignatur, appareat: cùm ipse tamen secundùm diuinitatem suam, & secundùm id quod Verbum est Patris coæternum Patri, & incommutabile, per quod facta sunt omnia, non nisi purgatissimo, & simplicissimo corde videatur. *Verosimile est, personam Filij vel in Angelis, quia magni consilij Angelus dictus est, & in humana forma potiùs apparuisse, quàm Patrem, quem nec mitti, nec incarnari decebat. Vnde & Filium credo iam tum in paradiso errantem ouem quæsiuisse, & in rubo inter spinas moriturum Moysi locutum fuisse, & cum Iacob luctatum; quo viso facie ad faciem dicere potuit* salua facta est anima mea. *de qua & Psaltes*, ostende faciem tuam, & salui erimus.

VALENTINIANI HÆRETICI.

1. *Valentinus, spe Episcopatus carens alterique sibi prælato inuidens, ab Ecclesia defecit, & vetus semen hæresis excitauit. cont. Valent. cap. 4. in p. ad vltra m.*

NOuimus optimè originem quoque ipsorum, & scimus cur Valentinianos appellemus, licet non esse videantur. Abscesserunt enim à conditore, sed minimè origo deletur; & si fortè mutatur, testatio est ipsa mutatio. Sperauerat Episcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat & eloquio. sed alium ex martyrij prærogatiua loci potitum indignatus, de Ecclesia authenticæ regulæ abrupit (vt solent animi pro prioratu exciti, præsumptione vltionis accendi) ad expugnandam conuersus veritatem: & cuiusdam veteris opinionis semen nactus, Colarbaso viam deliniauit. eam postmodum Ptolomæus instrauit, nominibus & numeris Æonum distinctis in personales substantias, sed extra Deum determinatas, quas Valentinus in ipsa summa diuinitatis, vt sensus, & adfectus, & motus incluserat. Deduxit & Heracleon inde tramites quosdam, & Secundus, & Magus Marcus. Multum circa imagines legis Theotimus operatus est. Ita nusquam iam Valentinus; & tamen Valentiniani, qui per Valentinum. Solus ad hodiernum Antiochiæ Axionicus memoriam Valentini integrâ custodiâ regularum eius consolatur. Alioquin tantùm se huic hæresi suadere permissum est, quantùm lupæ feminæ formam quotidie supparare solenne est. Quidni? quum spiritale illud semen suum sic in vnoquoque recenseant.

2. *Valentiniani hæretici numerosiores cæteris, quòd facilè ad fabulas conuertantur; silentium etiam imponunt discipulis, vt suspensio disciplinæ, cupiditatem incendat. cont. Valent. cap. 1. per totum.*

VAlentiniani, frequentissimum planè collegium inter hæreticos, quia plurimum ex apostatis veritatis, & ad fabulas facile est, & disciplina non terretur; nihil magis curant quàm occultare quod prædicant; si tamen prædicant qui occultant. Custodiæ officium, conscientiæ officium est. Confusio prædicatur, dum religio adseueratur. Nam & illa Eleusinia, hæresis & ipsa Atticæ superstitionis, quod tacent pudor est. Idcirco & aditum priùs cruciant, diutiùs initiant, linguam consignant, cùm epoptas antè quinquennium instituunt; vt opinionem suspendio cognitionis ædificent: atque ita tantam maiestatem exhibere videantur, quantam præstruxerunt cupiditatem. Sequitur iam silentij officium. adtentè custoditur, quod tardè inuenitur. Ceterùm tota in adytis diuinitas, tot suspiria epoptarum, totum signaculum linguæ, simulacrum membri virilis reuelatur. Sed naturæ venerandum nomen, allegorica dispositio prætendens, patrocinio coactæ, figuræ sacrilegium obscurat, & conuicium falsi, simulacris excusat. Proinde quos

nunc destinamus hæreticos, sanctis nominibus, & titulis, & argumentis veræ religionis, vanissima atque turpissima figmenta configurantes, facili caritati, ex diuinæ copiæ occasione, quia de multis multa succedere est; Eleusinia Valentiniani fecerunt lenocinia, sancta silentio magno, solâ taciturnitate cœlestia. Si bonâ fide quæras, concreto vultu, suspenso supercilio, Altum est, aiunt. Si subtiliter tentes, per ambiguitates bilingues communem fidem adfirmant. Si scire te subostendas, negant quidquid agnoscunt. Si cominus certes, fatuam simplicitatem sæuâ cæde dispergunt. Ne discipulis quidem propriis antè committunt, quàm suos fecerint. Habent artificium quo priùs persuadeant, quàm edoceant. Veritas autem docendo persuadet, non suadendo docet.

VALENTINIANI HÆRETICI. 1. 2. SCHOL.

A *Quoniam, vt præmonui in Præfatione totius huius operis, nihil ex libro contra Valentinianos vtilitatis, Lectori potest accedere, breuissimè, quoad potero, obscuriora perstringam; atque in primis, ob frequentes Æonum voces peregrinas, ordine alphabetico eorum nomina, & expositionem subtexam; vt cùm legenti occurrerit difficultas, eò recurrat, & semel exposita, frequenter à me repetita non requirat. Interim id circa tantilitatem huius libri ipso Tertulliano teste prælibasse sufficiat, quod habet cap. 35.* Malo, *inquit*, ignorare quàm discere. Quid enim recti habent, quæ tam peruersè proferuntur? quantò meliores, qui totum hoc tædium, de medio amoliti, nullum Æonem voluerunt, alium ex alio, per gradus reuerà Gemonios structum. A CONDITORE. *Auctore primo huius hæresis Valentino, de quo vide iam dicta in expositione libri Præscriptionum contra hæreticos cap. 49.* B MINIME DELETVR. *Licet multa addiderint & mutauerint.* POTERAT, *præstabat. Ex Epiph. hæresi 31. Valentinus patriâ erat Phrebonites, Ægypti maritima, Græcorum literis in Alexandria instructus. Imitatus Theologiam Hesiodi, qui triginta Deos innexit. Ex Irenæo lib. 3. cap. 4. Romam venit sub Hygino, increuit sub Pio, prorogauit tempus vsque ad Anicetum. Ex Augustino libro de Hæresibus iam vidimus*, Valentinianos à Valentino quodam Platonico vocari, qui Æonas, id est sæcula quædam in originem Dei Creatoris induxit. S. Aug. C AVTHENTICÆ REGVLÆ. *Fidem sanam profitente.* VETERIS OPINIONIS. *Basilides, qui ex Tertull. de Præscr. c. 46.* Summum Deum nomine Abraxas cum 365. editionibus commentatus est. COLARBASO, *&c. de his omnibus ibidem diximus.* EXTRA DEVM, *eas excludens à Diuinitate, quas Valentinus incluserat in ea velut proprios eius affectus.* CIRCA IMAGINES LEGIS. *Vmbras & figuras veteris Testamenti, quas suis fabellis admiscebat.* NVSQVAM IAM. *Propter tot mutationes factas à discipulis.* AD HODIERNVM. *Supple diem.* AXIONICVS. *Vnicus fidelis Valentini discipulus.* SVADERE SE. *Insinuare. quantùm meretrici commune, formam suam quotidie fucare, & vertere, vt polliciat amatores.* SPIRITALE SEMEN. *Cùm alios censerent, præ sua doctrina, animales, quod semen in suis discipulis recipi iactabant, vt eos allicerent.*

2\. FACILE EST. *Iter in hanc hæresim, quæ austeritate & castigatione non deterretur.* CONSCIENTIÆ OFFICIVM. *Quia pudet reuelare, & tam stultam & nugatoriam Religionem profiteri.* ELEVSINIA. *Sacra nefanda quæ species est hæresis apud Græcos, summum præ pudore silentium inducebat. De his Aug. lib 7. de Ciuit. cap. 20.* In Cereris sacris prædicantur illa Eleusinia, quæ apud Athenienses nobilissima fuerunt. S. Aug. ADITVM CRVCIANT, *antequam admittant ad arcana, diu suspendunt auditores, linguam silentio obligant.* EPOPTARVM. *Alij legunt*. tot siparia portarum. *Id est vela portas tegentia ob secretum. Epoptæ autem dicebantur illi, qui iam spectatores sacrorum fiebant post quinquennium vel circiter. Vnde ex Budæo, Epoptica dicebantur, vltima initiatorum cærimoniæ.* OPINIONEM ÆDIFICENT. *Istâ dilatione pariunt magnam suæ disciplinæ opinionem.* VENERANDVM, *pudendum.* ALLEGORICA. *Sic frequenter Augustinus contra Varronem, qui turpia quæque & fabulosa, naturalis Philosophiæ secretis excusat, & obumbrat sub imaginibus & figuris latentia.* DESTINAMVS. *In scopum iaculandum.* DIVINÆ COPIÆ. *Abundantia Deorum facilè simplex & stulta charitas capitur. vel alludit ad tres personas Trinitatis, & diuinam fœcunditatem.* DE MVLTIS. *Supple diis, facilè est, multa figmenta produci.* LENOCINIA. *Sic imitati sunt Græcos, vt captarent discipulos.* SOLA TACITVRNITATE. *Nullo alio commendantur, quàm quòd legant in Apoc.* Factum est silentium in cœlo quasi mediâ horâ. CONCRETO VVLTV. *Contractâ fronte.* COMMVNEM FIDEM. *Simulant se esse Christianos, & nihil præter communem fidem docere.* FATVAM. *Alij simpliciter legunt*, tuam. SÆVA CÆDE, *non occidendo quidem, sed cachinnis vel pugnis, feriendo, & totam argumentorum vim clamoribus euertendo.* SVOS FECERINT, *plenam potestatem in eorum animos vsurpando, suamque sectam sanctissimam & irrefragabilem persuadendo, etiam antequam eam doceant. Vide infra dicenda in fine cap 39. ex August. pulcherrima. Interea texo alphabetum, ad totius libri faciliorem intellectum.*

INDEX ALPHABETICVS NOMINVM GRÆCORVM quibus vtitur Irenæus, Epiphanius, & Tertullianus in fabulis Valentinianorum euoluendis.

Agenitos.	ἀγένητος.	*ingenitus.*
Ageratos.	ἀγήρατος.	*non senescens.*
Ainos.	αἶνος.	*laus.*
Ainus.	ἀείνους.	*semper mens.*
Alethia.	ἀλήθεια.	*veritas.*
Anarchos.	ἄναρχος.	*sine principio.*
Anennoetos.	ἀνεννόητος.	*incogitabilis.*
Angelus.	ἄγγελος.	*nuntius.*
Archangelus.	ἀρχάγγελος.	*Princeps nuntius.*
Anonomastos.	ἀνονόμαστος.	*innominatus.*
Antropos.	ἄνθρωπος.	*homo.*
Aoratos.	ἀόρατος.	*inuisibilis.*
Apator.	ἀπάτωρ.	*sine patre.*
Arche.	ἡ ἀρχή.	*principium.*
Arche ton panton.	ἀρχὴ τῶν πάντων.	*principium omnium.*
Arrhetos.	ἄρρητος.	*arcanus.*
Autopator.	αὐτοπάτωρ.	*per se pater.*
Autophyes.	αὐτοφυής.	*per se naturalis.*
	B.	
Basileus.	βασιλεύς	*Rex.*
Bythios.	βύθιος.	*profundus.*
Bythos.	βυθός.	*profundum.*
	C.	
Carpistes.	καρπιστής.	*traductor.*
Cenoma.	κένωμα.	*vacuum.*
Charis.	χάρις.	*gratia.*
Christus.	χριστός.	*vnctus.*
Choicus.	χοϊκός.	*terreus.*
Cosmos.	κόσμος.	*mundus.*
Cosmocrator.	κοσμοκράτωρ.	*munditenens.*
Ctistes.	κτιστής.	*Creator.*
	D.	
Decas.	δεκάς.	*denarius.*
Demiurgus.	δημιουργός.	*opifex.*
Dodecas.	δωδεκάς.	*duodenarius.*
Doryphori.	δορυφόροι.	*satellites.*
	E.	
Ecclesia.	ἐκκλησία.	*Ecclesia.*
Ecclesiasticus.	ἐκκλησιαστικός.	
Ectroma.	ἔκτρωμα.	*partus abortiuus.*
Elpis.	ἐλπίς.	*spes.*
Ennoea.	ἔννοια.	*intelligentia, cogitatio.*
Enthymesis.	ἐνθύμησις.	*animatio.*
	G.	
Ge.	ἡ γῆ.	*Terra.*
	H.	
Hebdomas.	ἑβδομάς.	*septenarius.*
Hebdomas Houranon.	ἑβδομὰς οὐρανῶν.	*septenarius.*
Hedone.	ἡδονή.	*voluptas.*
Hen.	ἕν.	*vnio.*
Henosis.	ἕνωσις.	*vnio.*
Henotes.	ἑνότης.	*vnitas.*
Hierusalem.	ἱερουσαλήμ.	
Homosincrasis.	ὁμοσύγκρασις.	*similis commixtio.*
Horos.	ὅρος.	*terminus.*
Horothetes.	ὁροθέτης.	*finium designator.*
Hydor.	ὕδωρ.	*aqua.*
Hyle.	ὕλη.	*materia.*
Hylicum.	ὑλικόν.	*materiale.*
	I.	
Iesus.	ἰήσους.	
	K.	
Kyrios.	κύριος.	*Dominus.*

	L.	
Logos.	λόγος.	*Sermo. Verbum.*
Lytrotes.	λυτρωτής.	*Redemptor.*
	M.	
Macaria.	μακαρία.	*fœlicitas.*
Macariotes.	μακαριότης.	*fœlix.*
Mater.	μήτηρ.	
Mesoteros topos.	μεσότητος τόπος.	*regio, locus medietatis.*
Metagogeus.	μεταγωγεύς.	*circumductor.*
Metricos.	μητρικός.	*maternus.*
Metropater.	μητροπάτωρ.	*patermater.*
Mixis.	μίξις.	*mixtio.*
Monas.	μονάς.	*solitas.*
Monogenes.	μονογενής.	*Vnigenitus.*
Monotes.	μονότης.	*vnitus.*
	N.	
Nus.	νοῦς.	*mens.*
Nymphon.	νυμφών.	*thalamus, nuptiarum domus.*
	O.	
Ogdoas.	ὀγδοάς.	*octonarius, octonatio.*
Ourani.	οὐρανοί.	*cæli.*
	P.	
Pantocrator.	παντοκράτωρ.	*omnitenens. omnipotens.*
Paracletus.	παράκλητος.	*aduocatus.*
Pater.	πατήρ.	
Pater panton.	πατὴρ πάντων.	*pater omnium.*
Patricos.	πατρικός.	*paternus.*
Philetus.	φιλητός.	*amabilis.*
Phos.	φῶς.	*lux.*
Phronesis.	φρόνησις.	*prudentia.*
Pistis.	πίστις.	*fides.*
Pleroma.	πλήρωμα.	*plenitudo, vniuersitas.*
Pneuma.	πνεῦμα ἅγιον.	*Spiritus sanctus.*
Pneumaticum.	πνευματικόν.	*spiritale.*
Pneumatica Ponerias.	πνευματικὰ πονηρίας.	*spiritalia nequitia.*
Proarche.	προαρχή.	*prior principio.*
Problema.	πρόβλημα.	
Probole.	προβολή.	*emissio.*
Proon.	προών.	*praexistens.*
Propator.	προπάτωρ.	*primus pater.*
Protogenes.	πρωτογενής.	*prior genitus.*
Psychicum.	ψυχικόν.	*animale.*
Pyr.	πῦρ.	*ignis.*
	R.	
Risa.	ῥίζα.	*Radix.*
	S.	
Sabbatum.	σάββατον.	
Solium demiurgi.		
Sophia.	σοφία.	*sapientia.*
Soter.	σωτήρ.	*Saluator.*
Stauros.	σταυρός.	*Crux.*
Stoïchia.	στοιχεῖα.	*elementa.*
Syge.	σιγή.	*silentium.*
Syncrasis.	σύγκρασις.	*commixtio.*
Synesis.	σύνεσις.	*intelligentia.*
Syzygia.	συζυγία.	*coniugatio, copulatio.*
	T.	
Tabulatum medium, & secundum.		
Teletus.	τελετός.	*perfectus.*
Teletus.	θελητός.	*voluntas, voluntarius.*
Thelesis.	θέλησις.	*voluntas.*

Tetras,	τέτρας.	*quaternarius.*
Triacontas.	τριακοντάς.	*tricenarius.*
Topos ouranios.	ὑπερ... τόπος.	*subcœlestis locus.*

Z.

Zoa.	ζῶα.	*animantia.*
Zoe.	ζωή.	*vita.*

GENERALIA NOMINA, AD PRODVCTIONEM, CONIVGIA, & numerum Æonum pertinentia, ex cap. 7. 8. 12. 23. 30. & 31.

Æon.
Æones,
Sizigia.
Nymphon.
Probole.
Ogdoas.
Tetras.
Decas.
Dodecas.
Triacontas.
Ectroma.
xxx Æonum nomina.

Ogdoas, seu Quadriga duplex Æonum cap. 7.

1. Bythos. Æon telios. Arche. Proarche. Propator. Pater. Pater panton. Proon. Autopator. Anarchos. Rita.
2. Sige. Ennoea. Charis. Mater.
3. Nus. Monogenes. Protogenes. Pater. Arche ton panton.
4. Alethia.
5. Logos.
6. Zoë.
7. Anthropos.
8. Ecclesia.

Decas Æonum c. 8.

9. Bythios.
10. Mixis.
11. Ageratos.
12. Henosis.
13. Autophyes.
14. Hedone.
15. Acinetos.
16. Syncrasis. Homosyncrasis.
17. Monogenes.
18. Macaria.

Dodecas Æonum, eodem c. 8.

19. Paracletus.
20. Pistis.
21. Patricos.
22. Elpis.
23. Metricos.
24. Agape.
25. Ainos. Ainus.
26. Synesis. Phronesis.
27. Ecclesiasticus.
28. Macariotes.
29. Teletus. Philetus. Teletus.
30. Sophia.

Custodis Pleromatis Hori ex Bytho solo producti nomina cap. 9. & 10.

Horos.
Stauros.
Lytrotes.
Carpistes.
Metagogeus.
Horothetes.

Ectromatis, siue abortiui fœtus nomina, cap. 9. 14. & 21.

Enthymesis.
Achamoth.
Sophia.
Ogdoas.
Ge.
Mater.
Pneuma hagion.
Hierusalem.
Kyrios.

Nouorum ex primo Monogene duorum Æonum nomina, cap. 11.

Christus.
Pneuma hagion.

Æonis ex omnibus Æonibus concinnati nomina.

Iesus.
Soter.
Christus.
Logos.
Paracletus.

Problema.

Angelorum ex iisdem productorum nomina, eodem cap. 12.

Angeli.
Doriphori.

Trinitatis generum ex Achamoth nomina cap. 17. ac 18.

Hylicum.
Psychicum.
Pneumaticum.

Demiurgi ex Achamoth & animali substantiâ nomina, cap. 18. 19. & 20.

Demiurgus.
Metropator.
Apator.
Pater.
Basileus.
Hebdomas.
Archangelus.
Angelus.
Pantocrator.
Custes.

Christi Filij Demiurgi nomina cap. 26. & 27.

Christus.
Iasus.
Soter.
Phos.
Logos.
Nus.

Arcium quibus singuli Æones collocati sunt, nomina, cap. 23. 24. & 25.

Trinarij aliorumque aliquot Æonum sedis nomina.

Pleroma.
Achamoth locus.
Cenoma.
Mesoteros topos,
Medium.
Tabulatum.
Secundum.

Demiurgi locus super septemplici cælo.

Sabbatum.
Solium Demiurgi.
Topos Ouranios.

Diaboli & hominis locus.
Cosmos.

Creaturarum à Demiurgo, & Achamoth conditarum nomina. cap. 20. 22. & 25.

Spiritualium.
Hebdomas ouranon.
{ Ourani.
{ Angeli.
Paradisus.
{ Angelus.
{ Archangelus quartus.
{ Diabolus.
{ Cosmocrator.
Dæmonia.
Pneumatica Ponerias.

Materialium.
Hyle.
Cosmos.
Stoichia.
Pyr.
Aër.
Hydor.
Ge.

Animalium.
Anthropos.
Zoa.

Trinitatis, siue trium generum hominis nomina, c. 26. & 29.
Choïcus.
Psychicus.
Pneumaticus.

Alterius Bythi coniugis secundùm quosdam nomen. c. 33.
Thelesis.

Ogdoadis alterius secundum quosdam Bytho anterioris nomina cap. 35.
Proarche.
Anennoëtos.
Arrhetos.
Aoratos.
Arche.
Acataleptos.
Anonomastos.
Agennetos.

Tetras Æonum, quos alij omnium Æonum parentes faciunt nomina cap. 37.
Monotes.
Henotes.
Monas.
Hen.

3. *Valentiniana fabulæ, in syluas Gnosticas excreuerunt. cont. Valent. cap. 39. in f.*

TAlia ingenia superfruticant apud illos ex materni seminis redundantia. Atque ita inolescentes doctrinæ Valentinianorum, in siluas iam exoleuerunt Gnosticorum.

4. *Valentinianæ fabulæ. cont. Valent. cap. 7. per totum & seq. vsque ad finem.*

HOc modo incipiam. Primus omnium Ennius Poëta Romanus, *Cœnacula maxima cœli* simpliciter pronuntiauit, de lati situs nomine, vel quia Iouem illic epulantem legerat apud Homerum. Sed hæretici quantas supernitates supernitatum, & quantas sublimitates sublimitatum in habitaculum Dei sui cuiusque suspenderint, extulerint, expanderint, mirum est. Etiam Creatori nostro Enniana cœnacula in ædicularum disposita sunt forma, aliis atque aliis pergulis superstructis, & vnicuique Deo per totidem scalas distributis, quot hæreses fuerint. Meritorium factus est mundus. insulam Feliculam credas, tanta tabulata cœlorum. (nescio vbi), Illic enim Valentinianorum Deus ad summas tegulas habitat.

Vide reliqua tomo 1. V. Valentiniani.

VALENTINIANÆ FABVLÆ ÆONVM. 3. 4. SCHOL.

A TAlia ingenia. *Inuentiones & fictiones Valentinianorum superabundans, vtpote procedentes ex redundantia seminis Achamoth, de quo consule cap. 25.* In syluas Gnosticorum, *quibus amplam fabulandi dederunt materiam, unde ob fœcunditatem Tertull. eos scorpio comparat, & Epiph. hæresi 26. quòd sicut ex fœcundo serpentis aut aspidis ouo sint geniti. Et in hæresi contra Valentinianos, quòd velut scorpij, alter alteri implexus cathenam nectentes, de tecto, siue domo seipsos demittunt, & sic cum dolo perniciem hominibus inducunt, ita Valentinus & qui ab eo orti sunt Gnostici post præceptorem, erroris additionem fecerunt, & aliam hæresim ex priori dependentem innexerunt, diuisi tamen in hæreses diuersas.*

B 4. Simpliciter. *Bonâ fide Poëtica.* Hæretici, *Valentiniani tot cœli tabulata finxerunt.* Creatori nostro. *Sicut Ennius Iovi.* Cœnacula. *Ex Vitruu. lib. 2. Architect. Romani aucti numero, cùm prius habitarent in domibus vnius contignationis, plura tabulata siue cœnacula superiora fabricarunt.* Pergulis. *Dictis ab vlterius pergendo, cubiculis exporrectis, siue ambulacris.* Meritorium. *Diuersorium siue taberna meritoria, sicut ad capiendam multitudinem, hinc inde multiplicari solent, sic dicta à merendo, quod mercede locarentur. l. 91. §. balneas. ff. de legat. lib. 3. l. 13. §. vltimo, ff. de vsufru. &c.* Insulam feliculam. *Alludit ad insulas Felices, ob multitudinem mercium, & officinarum circa forum, quibus comparat Æonum domicilia in cœlo & mundo. Vel respicit ad insulam Platonicam, quam Æonem vocat tanquam fabulosam, de qua libro de Pallio cap. 2. dicit.* Etiam nunc quæri in mari Atlantico. Substantialiter, *quasi substantia diuinitatis eius sit, quod sit Æon summus atque perfectus.* Minime congrvebat. *Cùm enim Bython profundum significet, stultè eum in summis tegulis locant,* Statim probent. *Eo ipso talem esse, quem priùs simpliciter esse, probare deberent.* Vt sit expostulo. *Volo vt mihi probent, esse dictum Æonem.* Denoto, *argue.* Non sua, *à se non condita & creata.* Iussit Epicurus. *A suis discipulis credi voluit hebetem Deum.* Moneri. *Quasi excitare dormientem, vt à seipso det tandem initium rebus, Valentiniani scilicet, Deo suo prudentiores.* Hoc vice seminis, *nempe rerum initium velut semen effudit in Sigem suam, Charitem siue Ennœam.* Parit silentio. *Comparat Sigem puellæ ex furtiuo semine clam parienti, & parturientis clamorem comprimenti.* Ipse Pater. *Nus scilicet vnigenitus siue Monogenes.* Agnoscitur. *Vna scilicet cum veritate, vnde non tam Monogenes quàm Protogenes propriè debuerat appellari.* Prima quadriga. *Alludit ad factiones Circi, de quibus diximus lib. de Spectaculis, in quibus certatim spondebant, pro his, vel pro illis quadrigis. Hæc est prima tetras, siue quaternio Æonum, ex quibus cæteri propa-*

gati sunt. PROLATIONIS OFFICIVM. *Vt ipse posset ex se emittere & producere Sermonem & Vitam.* HÆC SOBOLES. *Nempe Sermo & Vita.* FORMATI PLEROMATIS, *perfectæ vniuersitatis & plenitudinis, hominem & Ecclesiam generat.* TETRADEM DVPLICEM. *Geminam quadrigam, siue Octonarium Aeonum originalium Numinum.* CENSVS. *Series, & genealogia.* MASCVLORVM ET FŒMINARVM. *Nam Bython pro vxore habet Sigen. Nus sororem veritatem, Sermo Vitam, homo Ecclesiam coniugem habet simul & sororem, quæ prima Ogdoas est veluti fons & origo reliquæ fœcunditatis.*

CAPVT VIII. FRVCTICASSET, *germinasset.* VTRIVSQVE NATVRÆ, *masculi & femellæ.* HAC SERMO, &c. *scilicet copulâ & coniugio cum Vita, decem Æones proferunt. Vel*, hac illac. *Hinc & inde.* ILLAC HOMO, &c. *cùm sint tantùm duo Æones, homo scilicet & Ecclesia, supra parentes suos, quibus se æquare possunt, decem procreant, tot scilicet quot parentes, cum quibus duodenarium ipsi numerum conficiunt. Sermo igitur & vita, decem Aeones subscriptos generant; homo autem & Ecclesia duodecim effundunt.* CVM VIRVM FORTEM PERORARET, *id est, repræsentaret frigidè satis & insulsè.* PHEV *Græcè* εὖ. *Vox apud Græcos, non solùm dolentis, sed & laudantis & admirantis, quasi acclamarent discipuli voce tragicâ toti familiæ magistri sui. Quod applicat Valentinianis, qualis fuit Ptolemæus qui inter suos Æones quatuor hîc memoratos recensetur.* PLEROMA. *Explicat quid sit, nempe triginta Aeonum siue Deorum plenitudo* PRIVILEGIA NVMERORVM. *Vt in Ætnos referri mereantur.* CASTRATA VIS. *Vt vltra tricenarium numerum generare non possint.* NVMERORVM COAGVLA, *copulæ, vel semina.* DE PEDAGOGIO. *Supple supperessent, magistris Arithmeticis recentioribus ex Schola Pythagoræ. Irenæus enim quaternationem Pythagoricam vocat, & Valentiniani de Schola Platonis numeros didicerunt* STERCOLÆ. *duo manuscripta Vaticana legunt* Stercoiæ *mendosè quidem, & lapsu calami posito. i. pro. l. vbi exprobrat quòd inter tot cellas & diuersoria Aeonum, non dederint locum nutricibus ster ora puerorum colligentibus.* ET SYNTROPHI, *hoc est coalumni. Aptè ad coniugia Deorum iungit fœminas stercolas tot Deorum partibus necessarias, coalumnis, simul enutritis, & in Pædagogio Aeonum instructis.*

CAP. IX. EXCEPTIO PERSONARVM, *vox quidem iuris, sed & Scriptura in vtroque testamento, vnde pungit Valentinianos quòd solus Nus ex omnibus Æonibus ad immensi Patris notitiam admittatur, cæteris ex zelo dolentibus.* AIVNT FACTVM. *Vt scilicet Syge mater pro emphasi nominis non permiserit vt Sermo fieret cæteris, ne innotesceret Pater.* NOVISSIMA ÆON, *femella, nempe Sophia, per incontinentiam sui ipsius, absque coniuge suo Phileto. id est Theleto, quem Tertullianus Philetum vocat, id est amabilem; cum se non caperet, præ cæteris, desiderio videndi Patris erumpit; & zelo quidem cæteris communi ardens, qui velut torus in Sophiam defluxerat; & sub prætextu dilectionis in Patrem cæteros omnes, contra Num, æmulatione superabat.* FRVSTRARAT. *Frustrata erat.* PRÆ VI DVLCEDINIS, *Amor enim & desiderium, ex eoque inuestigatio dilecti, labor est dulcis, quo penè Sophia dissoluta est in reliquam substantiam Aeonum, nec cessasset à desiderio, nisi occurrisset illi Horon, quam ille obuiam missus, confortauit; & hic quidem Horon Crux, Carpistes, & Lytrotes, appellatur. Carpistes autem significat vindicem, assertorem, manumissorem; Lytrotes redemptorem Horon tandem, Pleroma siue vniuersitatem Aeonum extrinsecus custodit, cuius veluti fundamentum est, & terminus. Sophia denique quamuis tardè ab Horo persuasa ne Patrem vlterius inuestigaret; & ipsa peperit totam Enthymesim, id est animationem; quæ nihil aliud fuit quàm vehementius passio animi desiderio flagranti videre*

A Patrem. EXPOSVIT. *Tanquam partum expositiium.*

CAP. X. EXITVM. *Casum & infortunium.* RESTITVTIONEM. *In melius commutationem.* IRRITOS CONATVS. *Videndi Patris.* QVAM AMISSVM. *Non minùs doluit priuatam se visione Patris, quàm si defunctus esset.* VVLTVRES. *Alibi ex Æliano id retuli.* INCONSVMMATIONEM. *Fœtum imperfectum & abortiuum.* NE FINIS. *Ne mors instaret.* DE OCCVLTATIONE. *Ob pudorem, quòd concepisset sine masculo, & partum informem effudisset.* VBI TRAGŒDIÆ; *in quibus huiusmodi spectacula repræsentantur, & ex quibus spectaculis ediscunt mulieres, quomodo pueros suos exponant.* CONVERTIT, *pro*, conuertitur. SVCCIDIT. *Genuflexa & inclinata* PROPINQVITAS, *omnium Aeonum parentela.* CAVSA MALI, *quia obiectum erat doloris*

B *& zeli.* VACVIT. *Casus irritus non fuit, nam inde vita est materia.* IN HÆC PROMIT. *Emittitur, parit, depromit, emittit cum materia ignorantiam, pauorem, mœrorem, substantias nobiles.* FŒMINA MARE, *ideo suprà vulturi eam comparat, in quo est & similis Patri qui de se solo sine fœmina genuit.* ITA VARIANT. *Valentiniani Patrem velut Hermaphroditum inducunt, marem & fœminam; vel, nunc cum coniuge Syge, nunc ex seipso parere volunt.* CIRCVMDVCTOREM. *Alij malunt transferri*, ad vlteriora ductorem. CENSV. *Cathegoria.* ENTHYMESIN. *Concupiscentiam, vel inuentionem & figmentum.* APPENDICEM, *comitem tam.* EXTRA ÆVVM. *Extra numerum Aeonum abactum.* INSPECIATAM. *Sine specie & & forma.* NIHIL AP-

C PREHENDISSET, *de visione Patris.*

CAP. XI. EXTORREM. *Exulem, & foras missam, extra plenitudinem Aeonum.* CONIVGI REDVCEM. *Theleto scilicet marito ex illa peregrinatione, quâ perrexerat foras vt videret patrem.* OTIOSVS PLANE. *Vtpote qui omni curâ liberatus à patre solicito circa statum suum firmandum, & muniendam plenitudinem & terminos Aeonum, ne deinceps quisquam tentaret ad patrem pergere Nus nouam de viro concepit & protulit copulationem, eamque tanto interstitio quo duos masculos parem coniugatos effudit Christum & Spiritum.* VVLNERATVR *Impregnatur, monstruoso modo Christus masculus a Spiritu sanct. fœmina.* FLVMEN VNVM.

D *Hic dualitas vna est diuina potentia, quæ procurant perfectam consummationem coniugiorum Aeonum, seu ipsos ad terminum perfectionis, & omnibus muneris absolutos perducant.* INAVGVRATIO DIVIDENDÆ DOCTRINÆ. *Ex officio Christi & Spiritus sancti communis, distribui cœpta est Valentini doctrina.* CHRISTI ERAT, *vt Aeonas coniungeret binos, vides quàm magnum ille susceperat negotium, & vt possent vtcumque conijcere, quantus esset Pater à nullo natus.* NE NOSSENT. *Supple perfectè, nec immediatè; nisi tantùm per Monogenem Nun.* INCOMPREHENSIBILE, *Patrem incomprehensibilem, siue id quod erat incomprehensibile in Patre.* EGENTIVM PERPETVITATIS, *quia scilicet natiuitas & formatio ære subsistant & durent,*

E *perpetuitate indigent.* APPREHENSIBILEM. *Monogenem dicunt posse comprehendere Patrem.* PROPRIA. *Supple sunt.* QVIETEM. *Ducerentur in quietem.*

CAP. XII. ALTERI OMNES. *Sibi inuicem omnino similes.* VT OVIDIVS, *adeunt.* MAIOREM. *Valentinianum artis fingendi & transformandi peritiorem.* PLEROMATE LIBERATO, *à timore & periculo concussionis; rebus omnibus per Christum & Spiritum sanctum compositis & quietis.* CVM DEDECORE. *Insaniendo, risu immoderato.* AD SYMBOLAM. *Collationem à singulis in commune actam; quod maximè in conuiuio collatitio fieri solet. Inque & cibi erant symbolici, vt armus & pectus, Regi, & Sacerdoti, dabatur. Vel Symposiarchæ, munera à conuiuis Symbolica dabantur. Sapiens in neutro ponit Prou. 23. 20.* Noli esse in conuiuiis potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad

vescendum

vescendum conferunt; quia vacantes potibus, & dantes Symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio. *Priorem partem sic extulit versio 70.* Ne fueris bibax vini, neque extendas te ad Symbola & carnium emptiones: omnis enim ebrius & scortator mendicabit. *Per Symbolam item intelligi potest æs collatitium quod Nautæ datur pro transfretando, vel ineundâ societate mercaturâ.* QVOD FLOREBAT. *In quo quisque florebat.* VANE VACABAT *Frustra vtor hîc comparatione Symbolæ, quæ ex variis cibis, vel summis constat; cùm omnes Æones similes facti essent.* ÆRE COLLATITIO. *Sicut olim multa opera fiebant, quibus inscribebatur,* ÆR. COLLAT. DE PATRVITIS. *Patronimicè, hoc est de paternis & auitis.* GRACVLVM ÆSOPI. *Nota fabula in eos iactari solita qui alienis plumis gloriantur, vnde & Horatius,* vndique collatis plumis, &c. PANDORAM, *sic dictam ab omnibus donis in eam collatis à diis. Huius fabulæ meminit Irenæus libro 2. cap. 19. & ipse Tertull. lib. de corona Militis:* si fuerit, *inquit,* aliqua Pandora, quam primam fœminarum memorat Hesiodus; hoc primum caput coronatum est à Charitibus, cùm ab omnibus muneraretur. ACCI PATINAM. *Hæc omnia iam exposui. V.* hominis dignitas. *Num. 5* TANTVM SIGILLARIVM. *Simulacrum, arte, quam vocant, Mosaycâ, diuersicoloribus lapillis extructum, stipare satellitibus Angelis. Quos, Valentiniani, pares genere si inter se facerent, nil repugnarem; sed incongruè eos suo Iesu coæquant, & eiusdem substantiæ, imo, ut infra habet, & simul comparant, & antistare siue præcellere volunt. Malim ego dicere quasi lictores ante eum stantes.*

CAPVT XIII. PRIMAM PROCESSIONEM. *Sic Tertullianus ridet, ut actionem comicam, procedentes ab inuicem Æones, quos inducunt in scenam procedentes; & repetit per recapitulationem dicta præcedentibus capitibus.* EXPIATVM, *expiationem.* PÆDAGOGATVM TVTELAREM, REFORMATVM. *Reformationem Æonum in melius, sub Christo & Spiritu tanquam tutoribus & Pædagogis eorum. Vnde & supra meminit Scholæ, & Cathedræ.* PAVONINVM. *Diuersicolorem, instar caudæ Pauonis.* VALETE ET PLAVDITE. *Sic concludebatur comœdia: quasi diceret, video vos huiusmodi nugis iam fessos, & finem optare imponi stultæ huic Comœdiæ; imò verò, inquit, Tertull. quoniam cœpi, reliquum audite, & conspuite; nullum enim plausum meretur hæc fabula.* DECVCVRRISSE, *actitatum esse, in magno scilicet illo cœtu & plenitudine Æonum.* TRANS SIPARIVM. *Intra velum expansum, & vltra theatrum. sic dictum quòd separaret Actores in theatro coram populo agentes, ab his qui latebant retro velum Mimicum.* COTHVRNATIO. *Cothurnus ad Tragœdos pertinet, calceamenti genus: sicut soccus erat Comœdorum. quasi diceret hactenus scenica diximus, quæ intra circulum Pleromatis acciderunt; quæ sequuntur, extra Pleroma acta grauiora sunt. Si tamen congruè loquar, cùm enim tam stulta gesta sunt in Meditullio coram ipso summo Bytho, & custode Horo, quid potuit agi in loco libero ab aspectu & præsentia Dei & summi Æonis?*

CAPVT XIV. IAM ACHAMOTH, *nouo & penè non interpretabili nomine dicta, vnde & infra eius etymologiam quærens;* Achamoth vnde, adhuc quæritur. *Aliqui ab Hebræo Hachamoth deducunt, quasi sapientiam dicerent. Mallem ego ab à priuante, & Chamo; quasi sine fræno, & erraticam.* EXPLOSA, *eiecta in obscura loca, qualis est tota fabula Pleromatis siue plenitudinis Æonum, quod vacuum, ab Epicuro & Democrito sumpsere Valentiniani.* DEFECTIVA. *Sic loquitur de fœtu abortiuo scilicet Enthymesi.* ITA RERVM. *Ita res se habet, Christus superior siue in su-* A *perioribus residens, vel à superioribus Æonibus misericordiâ flectitur.* DEDVCITVR PER HORON. *Qui dictus Metagogeus, traducit, siue introducit, abortiuum illum Sophiæ ad Christum, ut eam virtute propriâ, non quidem scientiâ, sed sola substantiâ informet. Ex Irenæo tamen, & Theodoreto, cùm Horon sit idem quod crux, Christus per crucem extensus est siue flexus.* PECVLIO *portione aliquâ scientiæ, quâ incorruptibilitatem, ex misericordia Christi, subodoretur, & conscius factus miseri sui casus, ampliora dona desiderando, suppleretur quod ei deerat.* EX LIBERALITATIBVS *Alij legunt,* ex libertatibus. *Nomina plerumque, siue cognomina imponuntur ab iis qui vel libertate, vel liberalitate aliquem donant. Simplicius &* B *literalius, carpit phantasiam, & effusam licentiam qua pro libito etiam diis nomina imponebant.* DE ACTV. *Vehementis scilicet animi desiderij.* DE PATRE. *Alij legunt* de matre; *Quod Sophia sit Metropator, se sola Enthymesin generans.* APVD CHRISTVM *in quo Angelus erat.* DERELICTA, *supple Achamoth siue Enthymesis.* LVMEN EIVS, *notitiam Christi.* MATRI EIVS, *Sophiæ* VENERAT, *obuiam occurrerat, ut supra visum est.* IAO. *Iren. lege* Iaioth. *Epiph. notat Iao esse principem a Valentinianis collocatum in primo cœlo. Euseb. dicit per Iao intelligi salutem, siue Dei salutare. Macrob. nomen soli inter cætera impositum. Ipse Tertull. lib. de Præscr. cap. 41. Iaioth fi-* C *lium Ialdabaoth. Diodorus notat Moysem à Iao summo Deo legem accepisse.* IN SCRIPTVRIS. *Ironicè si Scripturam sacram accipias, nihil enim tale ibi legitur.* PORRO QVIRITES. *Vt solent clamare Baiuli, facientes sibi viam liberam; vel ne lædant quempiam sarcinas suas abiiciendo.* FIDEM CÆSARIS. *Quasi iuraret Horon per Deum, vel fidem Cæsaris inuiolabilem, ne Enthymesis vltra pergeret.* NON HABENS. *Cùm non posset vltra progredi & sursum ascendere.* CATVLLI LAVREOLVM EXERCITATA, *i. agenda Tragicomœdia versata, quam Catullus Mimographus Laureolum inscripsit, a quodam indice sic dicto, qui in crucem actus est. De qua Tragœdia, Iuuenalis satyra 8. Mart. lib. 1. Epigram. Ioseph. lib. 1. Antiq.* D *sensus est quod si Achamoth exercitata fuisset in ista Tragicomœdia, arte Mimicâ, transiluisset Horon, id est crucem, quam Actor repræsentans Laureolum sæpius euaserat.* DESTITVTA. *A Christo relicta suæ connatæ passioni, ut multiplici nexui & generi passionis. Non mirum igitur si ita perplexa & impedita crucem prætervolare non potuit.* PERPETRASSET INCŒPTVM. *Grande nempe scelus, fuit conatus videndi & agnoscendi lumina Christi.* NEC VT MATER. *Sophia, inter Æones recensita, non solo desiderio videndi Patris sicut illa, sed & insuper agnoscendi Christi, rea, & afflicta de frustratione.* PRO CONDITIONE. *Quia extra Pleroma eiecta fuerat vt fœtus abortiuus.* TEMPERATA. *Ideo formata vt ad Christum conuer-* E *teretur, à quo vitam acceperat & substantiam formatam.*

DISCANT PYTHAGORICI. *Pulchra ironia, quasi velis dicere, Valentinianos superare omnes Physicos, & naturales Philosophos, qui dicunt materiam innatam rerum omnium fuisse principium, sicut Pythagorici ex Epiph. hæresi 7. quod cum Stoicis & ipso Platone senserunt; Pythagoricos autem fuisse Valentinianos docuit Irenæus lib. 2. cap. 19 Cæteros autem vult ad Scholam ipsorum venire & discere, vnde materia illa quam iactant innatam, nata & exorta fuerit; nempe ex illo nouo genere passionis, quo Achamoth ad Christum conuersa est desiderio, & hæc passio conuersio appellatur; ex qua formata est totius mundi anima, & quidquid in eo viuit, & ipse Demiurgus, id est opifex, & Creator Deus noster.* INITIATA SVNT CÆTERA. *Reliqua creatura, initium & ortum acceperunt à ma-* Cap. XV.

rore & metu Achamoth. EX LACRYMIS EIVS. *Reliquum capitis huius habes expositum Verbo.* Lacrymæ.

CAPVT XVI. MORE MATERNO. *Sicut supra Sophia fecerat conuersa ad Patrem. cap. 10.* RVRSVS EXTRA PLEROMA. *In quod recurrerat Christus cum Spiritu sancto, siue Iesu & Sotere, vt habetur cap. 14. hunc Soterem, cui Pater largitus fuerat summam Æonum omnium potestatem, quâ posset omnes eos sibi subiicere, vt iuxta Apostolum omnia instaurarentur; tanquam vicarium suum misit ad Achamoth, cum ministerio, & comitatu Angelorum satellitum cum lictorum fascibus: sicut Consules Romani incedebant.* SVGGESTVM, *pompam, apparatum.* FRVCTIFERVM, *vtpote quo conceperat, & vires occurrendi Soteri Iesu, quem vt Dominum salutauit.* CONFORMAT AGNITIONE IAM. *Nam cap. 14.* Informauerat solius substantiæ, non etiam scientiæ forma. EXPVMICAT, *expurgat, & expolit, sicut pumice charta mundatur, & in balneo sordes pedum exterguntur.* NON EADEM NEGLIGENTIA. *Longè diligentius quàm prius iniurias Passionis, nempe mœrorem, metum, consternationem, ignorantiam, quæ Sophiæ matri acciderant, & in filia, exercitio vires auxerant, ab ea separata eliminauit & exterminauit; & in vnam massam redacta huiusmodi vitia seorsum defixit ad præparandum corpus materiæ.* COMMVTANS EX INCORPORALI, &c. *Paracletus scilicet arte suâ passionem incorporalem naturaliter inditam Achamoth, habilem fecit, & sic disposuit, vt statim peruenire posset in corporales & contrarias substantias. Et sic factum est vt duarum substantiarum genera diuiderentur, aliud pessimum ex vitiis, aliud passionale ex conuersione.* HÆC ERIT MATERIA. *Hinc, inquit, vt supra dixerat capite 15. nata est materia, quam contra Hermogenem disputantes, & iuxta fidem, Deum omnia ex nihilo creasse asserentes, non innatam esse probauimus.*

CAPVT XVII. EX INFELICITATE. *Post infœlicitatem.* SVBFERMENTATA. *Intumescens instar mulieris grauidæ.* NON EST. *Non possum modestius exprimere.* SVBAVIT, *vox impura deducta à suibus in feruore coitus.* IN ILLOS. *Amore in Angelos, in viua eorum imagine sibi viuaciter repræsentata præ gaudio, quam intimè cordi suo impresserat; & tria genera peperit substantiarum, materiale, ex passione, animale ex conuersione, spiritale ex imaginatione.*

CAPVT XVIII. FORMARE. *Expolire quasi rudia genera.* AVCTORITATE TRIVM LIBERORVM. *Vetus interpres Codicis Theodosiani lib. 5. cap. de legit. hæred. docet matrem ius habere trium liberorum si ingenua tres partus viuos, & libertina quatuor ediderit. Quod ius multum valebat ad hæreditates adeundas. Vt videlicet cæteris non ita fœcundis præferrentur.* SOCIETAS NATVRÆ. *Similitudo. Quia simile non agit in simile.* SOTERIS DISCIPLINIS. *Donis & doctrinis spiritus.* PRÆTER HÆRETICORVM. *Marcionitas propriè intelligis qui Deum Creatorem non agnoscant.* POST ILLVM. *Sunt scil. vt ab eo condita.* SIGILLARIO D·CIV, *alij legunt* singillario. *Id est, ad singula quaque opera quasi manu extrinsecus mouente imaginem circulatoris alicuius mobilem.* PERSONARVM AMBIGVITATE, *quia dubium est, an Demiurgus pater omnium, an Achamoth eum mouens, opera faceret. vnde & nomen illi inditum Metropatoris, ex patre & matre compositum; cætera autem eius nomina imposita sunt ei, ex natura & situ operum eius.* IN VNIVERSITATE, *in quantum toti mundo præsidet.*

CAPVT XIX. SED NEC NOMINVM. *Demiurgus non propriè sumpsit nomina ab operibus suis, cùm propriè eius non essent; sed præmouentis Achamoth: sed nec ab illa propriè procedebant; cùm enim Valentiniani dicant Achamoth in honorem Æonum, eorum sibi ideas, & ima-*

A *gines in animo confinxisse, rursum id tribuunt Soteri, qui eam mouit ad agendum, ipsi imprimens imaginem Patris, incognitam & inuisibilem Demiurgo, quem filium nempe suum; ad imaginem Nun filij Bython efformaret: Archangeli denique facti à Demiurgo, cæteros Æonas, id est, eorum imagines exprimerent.* TANTAS TRIVM. *Tot Æonum, a tribus effictarum.* PICTORIS, *Valentini, vel Ptolomæi eius Discipuli.* IMAGINEM PATRIS? *quomodo enim fœmina marem repræsentat?* SIMVLACRA DOMINORVM? *quomodo famuli Dominos suos repræsentare possunt?* MVLVM DE ASINO. *Sic animalia nata ex diuersis generi-*

B *bus, neutri parentum assimilantur; sic ortus à Valentino Ptolomæus, eius Discipulus, nec ipsi similis fuit in hæresi.*

Cap. XX. DVPLICIS SVBSTANTIÆ, *corporalis & incorporalis.* DE STRVE *compositione, ex incorporalibus, supple discreta.* SVBLIMANTIA, *in sublime suâ leuitate tendentia.* VERGENTIA. *Deorsum.* SEPTEMPLICEM SCENAM. *In qua vt Mimus Imperator sedet. Infra dixit hebdomadem, siue Sabbatum, propter sedem & quietem supra septem cœlos.* OGDOAS MATER. *Ab Octonario primo Æonum. Ludit in voce, propter septenarium filij eius Demiurgi.* NOEROS. νοερὸς, *id est intellectuales.* ET HVNC, *scilicet Paradisum serunt & plantant supra tertium cœlum, quem vocant Archangelum quartum. Sic Valentiniani videntur ne-*

C *gasse paradisum visibilem & terrestrem; quod Augustinus libro de hæresibus, tribuit Seleucianis & Hermianis.* DICIBVLORVM. *Fabularum quas pueri dicunt.* NVCETA. *Loca consita nucibus, & pomaria.* ANTE INGENIA. *Inuentiones & commenta.*

CAPVT XXI. SOPHIAM COGNOMINARI. *Ipsam scilicet Achamoth nomine matris suæ insigniri.* PVTO ET BARBAM. *Quia Spiritum sanctum masculino nomine vocant.* NON ERAT COMPOS. *Non poterat propter originem inualidam & infirmam. Vtpote censendus inter animalia, intellectu attingere quæ spiritalia sunt, vt cum vero Deo exclamaret illud toties repetitum Esa. 45.* Ego Deus & absque me non est. FACTVM, *esse, quanquam animalis intelligebat, nec ignorabat quem-*

D *cumque opificem cuiuscumque operis necessario esse, quia agere supponit esse. Vnde ergo solùm se esse gloriari poterat, qui vtcumque, saltem se ab aliquo factum esse scire debebat, cùm se prius non fuisse sciret.*

CAPVT XXII. TOLERABILIOR INFAMIA. *Si hanc ignorantiæ notam impegissent diabolo, ferendum esset vtcumque, quia posset id in originem eius refundi, vtpote qui de mœrore Achamoth exortus est.* SPIRITALIVM MALITIARVM, *alludit ad Ephes. 6.* Spiritalia nequitiæ. MVNDI TENENTEM. *Irenæus, Cosmocratorem. Iuxta Paulum ibidem* rectores tenebrarum harum. CVI PROCVRANTVR. *Ab hæresiarchis, negotiorum diaboli actoribus.*

CAPVT XXIII. SINGVLARIVM POTESTATVM ARCES. *Singulorum Æonum sedes.* TRICENARIVS PLEROMA, *id est plenitudo diuinitatis triginta Æonum. Horon autem in extremo iacet vt custos Pleromatis. Inter Ho-*

E *ron, & Demiurgum filium supra septimum cœlum sedentem, quasi medium thronum, siue locum more castrorum metatur sibi Achamoth, magis adhuc infra Demiurgum, nobiscum diabolus in isto mundo communi nobis & ipsi, elementari & corporeo habitat, composito ex Sophiæ nobis vtilissimis casibus. Sophiam autem non matrem, sed filiam Achamoth eodem nomine insignitam intellige:* QVA NEC AEREM. *Itaut ipse Demiurgus filius Achamoth aërem ad respirationem non haberet, nisi eum secunda hæc Sophia sua mœstitia liquidum tenuemque formasset. Vide hanc descriptionem Verbo* Aer. SICVT ANIMALIA. *Vt mœror eius aërem ex quo fluunt imbres, ita metus eius animalia, & conuersio ad Angelos contẽplandos,*

Demiurgum finxit. INSLABELLATVS. *Insufflatus.* CVIVS PASSIONEM. *Ignem scilicet, excussum dicam velut ex collisu eius.*

CAPVT XXIV. CVM TALIA, *supple fingant de Deo vel diis & deabus, quid putas eos de homine finxisse?* EI CAPIT, *ad eum formandum eligit.* MATERIÆ PHILOSOPHICÆ. *Confictæ scilicet ab Hermogene.* DE SOPHIÆ FLETIBVS. *Primæ scilicet illius, quæ mater est Achamoth.* GRAMIS, *oculorum sunt vitia, siue pituita* QVOD DESIDET. *In fundo iacet.* CHOICVS, *terrenus.* AD IMAGINEM. *Demiurgi scilicet factoris.* QVADRVPLEX RES, *homo scilicet. Primò quidem imago Demiurgi quod vix credibile, cùm sit choicus siue terrenus ratione materiæ, de qua non est productus Demiurgus. Secundò quòd sit similis Demiurgo, in quantum est animalis sicut ille. Tertiò carnalem superficiem induit, quam volunt fuisse tunicam pelliceam de qua & libro de Resur. cap.7.* Neque enim vt quidam volunt, *Valentiniani scilicet,* ille pelliceæ tunicæ, quas Adam & Eua paradisum exuti, induerunt, ipsæ erunt carnis ex limo reformatio. OBNOXIAM SENSVI. *Visibilem. Rem quartam subiicit capite sequenti quâ constat homo, nempe semen spiritale.*

CAPVT XXV. PECVLIVM QVODDAM. *De quo supra cap.14.* Cum aliquo peculio relinquitur. GNARO. *Sciente, ignorante scilicet Demiurgo semen illud spiritale sibi à matre furtim inditum.* IN CHOICVM. *Terrenum.* FŒTVRATVM. *Confotum.* SERMONI PERFECTO. *Logon intelligit quintum Aeonem, vel perfectam rationem.* COMMITTIT, *infundit, propaginem animæ suæ inserit in Adam.* SEMEN MATRIS. *Vtpote spiritale; Demiurgus inter animales substantias deputatus ignorat.* SPECVLVM. *Repræsentans Ecclesiam supernam.* HOMINIS CENSVM, *supra dixit peculium, substantiam, redditum præcipuum, & substantiam, quam ab Achamoth deriuatam putant, sicut animalem substantiam à Demiurgo, terrenam à materia Philosophica, quam Hermogenes censuit principium necessarium Deo ad faciendum cœlum & terram; carnalem autem à materia pelliceæ tunicæ.* QVADRVPLVM GERYONEM. *Cùm triformis tantùm fuerit ille antiquus. Nota fabula, de tribus fratribus sic concordibus, vt tria corpora vno animo regi viderentur. Dicerem Ianum Quadrifrontem, compositum hominem ex spiritali, animali, choico, & carnali; qui corpus à limo, carnem à materia, animam à Demiurgo, spiritalem hominem à matre Achamoth sumpserit.*

CAPVT XXVI. EXITVM. *Sortem & finem.* MATERIALI. *Iam redigit quadruplicitatem, ad Trinitatem Valentinianam de qua libro de Anima cap. 21. quòd corpus & caro idem sint.* INDVBITATVM INTERITVM. *Eo quòd nullam inspirationem & spem incorruptionis recipere possit.* ILLAC DEBITO. *Supple homini destinato & addicto, in quod maiorem propensionem habuerit sæpiusque fuerit inclinatus.* CÆTERVM SPIRITALEM. *Dicunt spiritale semen infundi in animalis compositionem, vt quod est in homine animale erudiri & instrui possit, cum spiritali conuersando, & simul agendo.* PARATVRAM MVNDI. *Creationem rerum omnium corporalium promissam homini animali, vt sensibilibus doctrinis, id est rerum sensibilium scientiâ instrueretur.* IN HOC SOTEREM. *Ideo missus est Saluator & ipse substantiæ animalis, vt præsentia sua hominem animalem saluaret.* ALIA COMPOSITIONE. *Adeout Iesus non solùm formis omnium Aeonum constaret, sed & primitias, vt legit Irenæus, trium dictarum substantiarum acciperet.* PROSICIAS. *Quasi segmenta alij legunt,* concupiscentias. A DEMIVRGO. *Soter scilicet acceptam à Demiurgo animalem substantiam, induit Christum Demiurgi.* INGENIO, *arte.* ADMINISTRATIONIS CAVSA. *Propter dispensationem conuersationis eius, ad salutem hominis necessariæ. Vt visibilis, palpabilis, & mortalis inuitus, & non sponte fieret. Ingrata enim sunt quæ fiunt ab inuitis.* EGENTIBVS SALVTE. *Alludit ad Christum dicentem;* Non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus. TOTVM HOC, *asserunt Valentiniani.* HABITVM, *veritatem carnis, in qua habitu inuentus vt homo.*

CAPVT XXVII. NVNC REDDO DE CHRISTO. *Refero quæ dicunt de Christo filio Demiurgi.* IESVM INSERVNT. *Quasi surculum nobiliorem, vtpote ex omnium Aeonum defloratione constantem: idque præstant Valentiniani tantâ licentiâ quantâ supra cap.25. Demiurgus licet nesciens, acceptum ab Achamoth matre semen illud spiritale, in animalem Adam confortandum afflauerat.* FARTILIA. *Supple hæc sunt in vnum congesta & conferta commenta Valentinianorum de hominibus & diis suis.* ESSE ENIM, *supple asserunt, Demiurgum quoque habere suum Christum Filium naturalem, quem quidem animalem protulit, de quo Prophetæ locuti sunt, de quo etiam quæritur per præpositiones,* per, & ex, *An ex virgine veram carnem sumpserit, an per virginem de cœlo allatus transmeauerit; quam proinde ipsi non matrem Christi, sed viam esse affirmant.* SOTEREM. *Iesum, sub specie columbæ.* ETIAM EX ACHAMOTH, *matre Demiurgi susceptum spiritale semen.* IN FIGVRAM, *quasi repræsentaret primum quaternionem supra memoratum quadruplicis substantiæ.* IN COGNITIONE PILATI. *Cùm apprehensus Christus animalis scilicet Pilato Iudici præsentatus est; Soter qui hactenus manserat in Christo, spiritus Iesu, & semen illud spiritale à matre Achamoth sumptum, subiici non potuit iniuriis, vtpote adeo subtile, vt nec ipse quidem Demiurgus illud cognouerit.* IN DELINIATIONEM. *Expressionem superioris illius Christi.* INNIXVS. *Iren. & Epiph. legunt,* in crucem extensus. VRGENT, *detorquent omnia fidei mysteria in figuras & vacuas vmbras.*

CAPVT XXVIII. DIVIDVNT PROPHETIALE PATROCINIVM. *Quòd etiam in aliquo sibi suffragari putant Prophetas, eorum Prophetias diuidunt in eas quæ aliquid à matre Achamoth dictum docent, in eas quæ à semine spiritali procedunt, & in eas quæ à Demiurgo.* OVANTER. *Triumphanter. Ex Irenæo cùm venisset Soter, dicunt Demiurgum ab eo omnia didicisse, & eum esse Centurionem Euangelij qui Christo dixit.* Sub potestate mea habeo milites & seruos, & quod iussero faciunt. *Et hoc est quod ait Tertullianus,* cum omnibus viribus suis. *Id est militibus.*

CAPVT XXIX. COLLIGAM EX DISPERSO. *Quod sparsim effutiunt, in vnum iam colligo.* TRIFORMEM NATVRAM INVNITAM, *id est simul in vnum Adam collatam.* DIVIDVNT. *In tria hominum genera distribuunt, scilicet in hominem spiritalem, animalem, & terrenum, iuxta prognatos ex Adam tres filios, Caïn, Abel, & Seth.* ARGVMENTA, *genera.* CHOICVM. *Terrenum, à salute degenerem & alienum, siue non generatum ad salutem, quod tribuunt Caïn.* DELIBERATVM. *Adiudicatum. Non absolutè quidem, sed quasi in libra ancipiti; vnde supra dixit;* dubitatum euentum, vtpote inter materialem spiritalemque mutanti. BONAS ET MALAS. *Malas absolutè choicas & terrestres iuxta Caïn; bonas secundùm inclinationem, animales iuxta Abel; absolutè autem bonas spiritales secundùm Seth.* DE OBVENIENTIA. *Non ex natura inditum, sed desuper ex indulgentia Achamoth, siue pluuia eius voluntaria, in animas recensitas in ordine animali superduci & superinfundi semen spiritale asserunt.* OBVENIENTIA. *Vox iuris est, nobis enim obueniunt bona quæ aliunde contingunt. Vlpianus sumit obuenientiam pro redditibus annuis.* ERVDITV. *Eius eruditione, per huius seminis eruditionem. Vide supra dicta cap.25.* PRÆVERTVNT. *Præcellunt.* EX LATERCVLO. *Libro, in quo dignitatum omnium tam militarium quàm ciuilium cognitio continebatur; de quo iam alibi. Laterculum igitur erat codex ex*

quo Demiurgus educebat eorum nomina, quos in Reges & Sacerdotes promouere consueuerat.

CAPVT XXX.

NEC OPERATIONES. *Hinc Valentiniani, cùm se de semine spiritali ortos iactitent, nos de animali, conspuant; nulla sibi bona opera necessaria dicunt.* DE SVFFRAGIO, ACTVS. *Merito bonorum operum.* IN SCRIPTVRA HVIVS SEMINIS, *qui inscripti sumus in censu & serie hominum animalium, vtpote qui ex Phileti siue Theleti cum Sophia amplexu, cum fœtu abortiuo geniti, in matre nostra Achamoth, per filium eius Demiurgum animalem, abortiui quoque & animales ex genere censemur.* VÆ NOBIS. *Si inclinatione malâ iugum diuinæ legis excutimus.* SI CONFITENDVM ALIBI, *Martyrium pro fide subeundum.* SVB POTESTATIBVS, *non sub Aeonum tribunali.* DE PASSIVITATE. *Ex Irenæo, licentiâ quidvis passim & promiscuè agendo, vitia diligendo, &c.* DELINQVENDO PROFECIT, *tentando scilicet rem illicitam & lumen Christi inuisibile videre cupiendo. Profecit autem misso Christo & Spiritu sancto, &c.* CONIVGIVM SVPERNORVM, *propter initio memorata coniugia Aeonum.* NEC LEGITIMVM VERITATIS, *supple filium vel discipulum.* DIVERSATVS. *Versatus; nota diuersorium esse & hospitium vnius diei, hunc mundum.* SPADONES. *Non quidem voluntarios, sed à natura.*

CAPVT XXXI.

SVPEREST, *vt dicamus,* MESSEM SEMINIS, *homines spiritales messuerit.* DEFARINATVM, *molâ in farinam contritum.* ALVEARIA, *arcam vbi farina aquâ conspergitur & fermento miscetur.* CONSVMMATIO VRGEBIT. *Statim veniet consummatio sæculi, & distributio mercedis.* COMPACTITIVS SOTER. *Iesus ex omnibus Aeonibus conflatus.* SPONSALE. *Thalamus nuptialis.* LEGES IVLIAS. *Hic ludit Tertullianus; quasi diceret, quòd nisi leges Iuliæ de adulteriis, & de vi publica obstitissent, periculum fuisse, ne cùm Achamoth de inferiori tabulato transibat in summum tabulatum Pleromatis, constupraretur à procacibus Angelis; aut vis ei aliqua inferretur; sicut puellis nupturis hinc inde deductis frequenter accidit periculum raptus. Notandum porrò legem Iuliam non solùm adulteros gladio punire, sed & masculorum concubitores, nec non etiam eos qui sine vi, vel virginem, vel viduam honestè viuentem stuprauerint.* SICVT ET CAINAM. *Vsâ legem Caij. Pompeij, Strabonis, quâ dedit Ius Latij veteribus incolis Transpadanis, videlicet vt ius adipiscerentur petendi Magistratus & Ciuitatis Romanæ. Itaque cùm Achamoth transiret ab inferiori tabulato ad Pleroma, egebat priuilegio quo fieret capax sublimioris dignitatis & loci.* DE HEBDOMADE SVBCŒLESTI. *Superiùs cap. 23. cum locauerat in Hebdomade sua septemplicis cœli.* IN VACVVM. *Iren. vocat Cenoma siue vacuum Epicuri. Simpliciter ad literam intellige vacuatum locum per matris transmigrationem.*

CAPVT XXXII.

HOC EXITVS. *In hunc exitum & sortem, vt qui fuerint terreni, penitus etiam quoad animam intereant; præter eas animas, quæ per fidem saluæ fient.* NOSTRÆ. *Scilicet à Demiurgo Creatore iuxta ipsum animales factæ, quæ per bona opera id meruerint cum ipso Demiurgo, in cœnaculum vacuum matris recipientur.* AGIMVS GRATIAS. *Scilicet Valentinis, quos irridet.* QVO ASCENSVS. *Supple progredi potest. Nec enim vlterius scilicet vsque ad Pleroma, animales, sed tantùm spiritalis populus Valentini, admittuntur.* INTERIORES. *Non enim hoc intelligunt de expoliatione carnis, sed ipsius animæ, quam ipsi spiritales expoliatam reddent Demiurgo animali, quas dum viuerent, quantùm potuerant ab ipso auertrant, vtpote semper spiritalibus intenti. Et tunc Valentiniani depositâ prorsus omni substantiâ animali, mutabuntur in spiritus Angelis similes, inuisibiles & intractabiles.* FVRTIM. *Quia depositâ veste, & inuisibiliter.* SABINAS RAPTAS. *Ex Liuio lib. 1. Decad. 1. cùm Vrbs recenter à Romulo condita vxorum penuriâ* A *laboraret, Sabinis recusantibus nuptias cum Romanis contrahere, celebres Neptuno equestri ludos decreuere; quo Sabini cum vxoribus & puellis suis ad spectandum conuenerunt. Inter spectacula signo dato iuuentus Romana irruit in mulieres, & elegantiores formâ traditæ sunt principibus primis, cæteræ plebeis. Tale quid spectaculi exhibent Valentiniani, & sursum rapiendas animas spiritales, in coniuges Angelorum promittunt.* VT MARCVS, *more Iurisperitorum, vtitur exemplo Marci & Caij; quasi diceret, ad hoc valent huiusmodi fabulæ, vt credamus animam verbi gratiâ, Marci, Caii, Seueri, creatam à Deo, & infusam corpori barbato &* B *per omnia virili, vt pro mercede, ab Angelo turpissimè subigatur, idque in sublimissimo & purissimo Aeonum Pleromate. Vnde tu fortè generes in thalamo nuptiali hoc est Nymphone Pleromatis vbi generantur Aeones, aliquem quoque satellitem Angelum ex Angelo, Soteri vtilem, quod sonat Onesimus. Nisi velit ludere in hoc nomine Onesimi, quem Paulus Coloss. 4. 9. charissimum & fidelem fratrem vocat. Ad Philemonem autem versu 10.* Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi & tibi vtilis. *Translat. Syr.* valde vtilis. HIS NVPTIIS. *Animarum cum Angelis.* RECTE DEDVCENDIS, *ritè vt more Romano deducebantur sponsæ in domos virorum.* PRO FACE, *tæda nuptiali, quæ ex Festo Pompeio erat ex spina alba,* C *quam præferebat puer patrimus & matrimus, id est superstitem habens patrem & matrem. Duo autem alij eiusdem sortis pueri hinc inde sponsæ manum tenentes eam deducebant. Nupta insuper aqua aspergebatur, tum vt aquâ & igne purior & castior viro seruaretur, tum vt cum eo elementa & cætera omnia communia habere doceretur.* ET FLAMMEO, *id est velo, à quo nuptæ dicebantur, quo Flaminis siue Pontificis vxor semper velabatur, cui numquam licebat diuortio à viro separari.* IGNIS ARCANVS, *à cuius colore sicut & à face argumentatur. Vel alludit ad ignem mysticum quem supra ex febrili calore Sophiæ, & collisu conflictantis eius animi elicitum risit, vel seriò ad ignem extremæ conflagrationis respexit, qui totam substantiam non tantùm Aeo-* D *num, sed & totius mundi deuorabit, & nulla iam fabula astitabitur, sed vt habet libro de Spectac.* Alia nobis supersunt spectacula. *Iudicij scilicet extremi repræsentatio.* NÆ, *certè. Cùm tamen ironicè hæc omnia dicat.* SACRAMENTVM. *Arcanum mysterium doctrinæ Valentinianæ illudendo detexerim.* INSANIAT. *Vt mærori, & timori eius, passio noua furoris accedat, adeò vt bacchanti similis in me irruat.* NE PHILETVS. *Sponsus eius, sui nominis amabilis leuitatem in iram vertat.* NE FORTVNA, *Macharia, & beatitudo secundi Monogenis vxor, à me auersa, exacerbetur, & me infortunatum dimittat.* HOMO DEMIVRGI. *Verendum mihi est illusori, cùm sim & ipse homo, & proinde opus Demiurgi, &c. vel seriò per Demiurgum intelligit opificem mundi, Deum Creatorem.* ILLVC HABEO DEVERTERE. *Cùm me doceat Deus Creator per filium suum, me illuc debere transmeare, vbi* non nubent, E neque vxores ducent: *& vbi debeo iuxta Paulum,* non expoliari, sed superuestiri. DESPOLIOR SEXVI. *Exuo sexum, non quidem quoad membra, sed quantùm ad vsum corruptibilem.* DEPVTOR ANGELIS. *Inter Angelos recensendus qui sunt incorruptiles & sexu carentes. Vbi non est masculus neque femella sicut apud Aeones.* FACIET. *Turpe scilicet.*

CAPVT XXXIII.

EPICITHARISMA. *Sicut ἐπιμύθιον, in fabula, sic in Comœdia post longam enarrationem, ad tædium spectatorum subleuandum, prodibat Cytharœdus ludens.* NE ORDINI OBSTREPERENT. *Ne ordinem turbarent & attentionem lectoris.* EMENDATORIBVS PTOLOMÆI. *Sicut iste Valentini fabulis multa addidit, ita & illius discipuli multa aliter fabulanda consuerunt, facti contra*

Euangelium, Discipuli supra magistrũ. DVPLEX CONIVGIVM. *Duas coniuges, quas dispositiones vocant. Primò enim mente concepit, deinde quod conceperat emittere voluit.* PROLATV. *Prolatione, productione, emissione.* PRIMVM CONIVGIVM. *Primò igitur coniunctim produxit Monogenem marem, fratrem, cum sorore sua Veritate.* CENSVM, *ordinem, sexum.*

CAPVT XXXIIII. APVD SOLOS LVNENSES. *Ptolemaeus duo recenset oppida huius nominis, vnum in Hetruria, aliud in Lusitania. Et isti colebant Lunam, quam Androginam siue Hermaphroditam ex vtroque sexu temperatam, pro Deo venerabantur.*

CAPVT XXXV. DEFENDANT POSTVMATVM. *Bythum non primum Æonem asseuerant, sed posteriorem Ogdoade, quam volunt à Tetrade, hoc est primo quaternario Æonum productam, quorum nomina habes exposita in praeambulari Alphabeto.* HOC QVÆ RATIO. *Non video cur sic desultoriè bini & bini Æones, aliis praetermissis, procedant.*

CAPVT XXXVI. PER GRADVS GEMONIOS, *alludit ad scalam stantem in colle Auentino, reorum suppliciis infamem. De qua iam alibi, sicut & de mappa missa à Praetore, vno iactu, in signum incipiendi spectaculi.* SEMEL OCTOIVGEM. *Propter Ogdoadem coniunctorum Æonum.* EX PATRE ET ENNOEA. *Ex Bytho, & eius filiâ, Cogitatione.* EXCLVSAM. *Vt auem ex ouo.* EIVS MOTV. *Actu.* HOC PATER. *Propter hoc.*

CAPVT XXXVII. ALIA INGENIA. *Fabulas, inuentiones Poëticas, commenta.* CVRRVCÆ ENNIANI. *Variè legitur hic locus, alij per ironiam, legunt,* Cicuria Enniana, *quasi cicurata & callida facta ingenia in Schola Ennij. Vnde & Hiero. lib. 2. cont. Ruffinum.* Nos, *inquit*, simplices homines & Cicures Enniani. *Vel ob verba sesquipedalia & tumentia Ennij. Alij* Lyncuriana, *vel à Lyncis perspicacibus oculis, vel à Lyncuria gemma ignita & praelucente. Nos cum aliis correctioribus*, Currucæ Enniani, *de quo Iuuenal. Satyra 6.* Tu tibi nunc Curruca places, fletumque labellis exsorbes. PONTIFICALI. *Fuit hic Episcopus de secta Valentini, qui sequens oraculum fudit.* INEXCOGITABILE, *ens scilicet primum omnium principium.* QVOD SERMO, *lingua Graeca.* MONADA. *Vnitatem.* PROTVLERVNT. *Cum haec omnia res vna essent, diuersis vocabulis insignita, emiserunt cùm nihil emiserint.* INITIVM OMNIVM MONADA. *De facto enim vnitas est principium omnis numeri.* QVAM APPELLAT VNIO. *Iren. Graecè hen, id est vnum.* O DIFFERENTIA. *Explodit vanam distinctionem, cùm vnum omnes istae virtutes sint, quantumcumque digito designaueris.* MVTETVR VNIO. *Licet inuertas ordinem, & incipias ab vltima, idipsum est.*

CAPVT XXXVIII. SECVNDVS. *Et hic Valentinianus Octonarium Æonum reduxit in dextram & sinistram, lumen & tenebras. In hoc circa foetum abortiuum ab aliis differens, quòd hanc, quam vocat virtutem desultricem, id est secedentem à reliquis Aeonibus, non à Sophia Teleti siue Phileti coniuge, sed à fructibus Aeonum hoc est posterioribus Aeonibus ortam asserit. Itaque Secundus, iuxta Iren., tradidit Quaternionem esse dexteram, & quaternionem sinistram, & lumen & tenebras.*

CAPVT XXXIX. QVANTA DIVERSITAS SCINDITVR. *Quàm inter se diuisi sunt Valentiniani, cùm de Iesu disserunt. Alij enim eum constare dicunt ex defloratione omnium Aeonum. Alij tantùm ex decem Aeonibus qui emissi sunt à Logo & Zoë, vnde & parentum nomine volunt eum vocari Sermonem & Vitam, quòd horum duorum potissimùm oculi in eum respexerint. Alij ex duodecim qui geniti sunt ab homine & Ecclesia, & ideo dictum filium hominis.* CONFICTVM. *Allusione factâ ad figmentum ex luto. Magnâ quippe blasphemiâ, etiam Patrem Christi hominem fingunt.* CVI ADÆQVARIS. *Si enim Deus Pater non est aliud quàm homo, quomodo, Valentiniane, in Deum credis, speras in Deum, qui tibi*

A *similis est homo; cùm praescriptum sit à Psalte*; Bonum est confidere in Domino quàm confidere in homine?

Mysteriis ac secretis fabulosis ac commentitiis, sicut & silentio Valentinianorum pulchrè congruit quod habet Augustinus tractatu 96. in Io. 16. vbi exponit illud: S. Aug. adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Moneo, *inquit*, vos in charitate Christi, vt seductores caueatis impuros, & obscœnae turpitudinis sectas de quibus ait Apostolus Ephes. 5. quae autem occultè fiunt ab illis turpe est dicere: nè cùm horrendas immunditias docere cœperint, quas humanae aures, qualescumque sint portare non possunt, dicant ipsa esse quae Domi-B nus ait, adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò: & per Spiritum sanctum asserant fieri, vt possint illa immunda & nefanda portari. Alia sunt mala quae portare non potest qualiscumque pudor humanus, & alia sunt bona quae portare non potest paruus sensus humanus. Ista fiunt in corporibus impudicis, illa remota sunt à corporibus vniuersis. Hoc impurà carne committitur, illud purâ mente vix cernitur. Renouamini ergo spiritu mentis vestrae Rom. 12. & intelligite quae sit voluntas Dei; quod bonum & beneplacitum, & perfectum est, vt in charitate radicati & fundati, Ephes. 3. possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit longitudo & latitudo, altitudo & profundum: cognoscere etiam superemi-C nentem scientiae charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Isto enim modo vos docebit Spiritus sanctus omnem veritatem, cùm magis magisque diffundet in cordibus vestris charitatem. *Aptissimè quidem ad cauendos Valentinianis similes, qui longo silentio suspendebant ab aditu, & visu prophanorum mysteriorum. Instituebant quippe Epoptas suos per Isagogica parua mysteria, ad maiora quinquennio enim silentium seruabant, & diu suspirabant ardenterque desiderabant grande nimirum videre mysterium.*

Ab his rursum deterret curiosis secretis Augustinus tract. 97. in Io. 16. Cauete, *inquit*, maximè qui par- S. Aug.
D uuli estis, & adhuc alimentis lacteis indigetis, nè hominibus sub hac occasione deceptis & deceptoribus, quia Dominus ait, adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò, aurem curiosam praebeatis ad incognita scienda, cùm mentes inualidas habeatis ad vera & falsa diiudicanda: maximè propter obscœnissimas turpitudines, *quales in ostensione membri virilis Valentiniani, & in suis turpitudinibus, de quibus alibi, Gnostici*, quas docuit S. Aug. vanitas animas instabiles atque carnales: ad hoc Deo sinente, vt eius vbique sint tremenda iudicia, & in comparatione impurae nequitiae, dulcescat purissima disciplina: atque illi det honorem, timorem autem vel pudorem sibi, qui in illa mala vel illo regente non cecidit, vel illo inde leuante sur-
E rexit. Cauete timendo, & orando, ne irruatis in illud aenigma Salomonis, Prouerb. 9. vbi mulier insipiens & audax, inops panis effecta, conuocat praetereuntes, dicens: panes occultos libenter attingite, & aquae furtiuae dulcedinem. Haec enim mulier vanitas est impiorum: cùm sint insipientissimi, aliquid se scire opinantur, sicut de ista muliere dictum est, inops panis efficitur. quae cùm sit inops panis, promittit panes, id est, cùm sit ignara veritatis, promittit scientiam veritatis; occultos tamen panes promittit, quos tamen dicit libenter attingi, & aquae furtiuae dulcedinem, vt ea scilicet libentiùs & dulciùs audiantur, & agantur, quae palàm in Ecclesia dici credique prohibentur. Ipsa quippe occultatione condiunt quodammodo ne-

sarij Doctores sua venena curiosis, vt ideo se existiment aliquid discere magnum, quia merentur habere secretum: & suauiùs hauriant insipientiam, quam putant scientiam, cuius prohibitam quodammodo furantur audientiam. *Alij, audaciam. Deinde prosequitur contra magos, alijsque curiosos, & maximè impuros Gnosticos & Valentinianos.* Hinc, *inquit*, & nefarios ritus suis hominibus, *epoptis de quibus supra*, sacrilegà curiositate deceptis, vel decipiendis, magicarum artium doctrina commendat. Hinc illæ illicitæ diuinationes, inspectis pecudum visceribus occisorum, aut vocibus & volatibus auium, aut signis multiformibus dæmoniorum, insusurrant auribus hominum periturorum, per colloquia perditorum. Propter hæc illicita atque punienda secreta, mulier illa non solùm insipiens, verùm audax etiam nuncupatur. Sed hæc non solùm à re ipsa, verùm & a nomine nostræ religionis aliena sunt. Quidquòd mulier hæc insipiens & audax, sub Christiano vocabulo, tot scelestas hæreses condidit, tot nefandas fabulas finxit; vtinam tales, quales in theatris siue cantantur, siue saltantur, siue mimicâ scurrilitate ridentur: & non quasdam tales, quales aduersùs Deum fingere potuisse, sic illam doleamus insipientiam, vt miremur audaciam.

S. Aug.

Tum dicit hæreticos hoc Euangelij loco abusos ad secreta sua turpia coloranda. Omnes autem insipientissimi hæretici, qui se Christianos videri volunt, audacias figmentorum suorum, quas maximè exhorret sensus humanus, hac occasione Euangelicæ sententiæ colorare conantur, vbi Dominus ait: adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò, quasi & ipsa sint quæ tunc discipuli portare non poterant, & ea docuerit Spiritus sanctus, quæ palam docere atque prædicare quantâlibet feratur audaciâ, spiritus erubescit immundus. Hoc Apostolus in Spiritu sancto præuidens, ait: 2. Tim. 4. erit enim tempus quo sanam doctrinam non sustinebunt, sed secundùm desideria sua magistros sibi coaceruabunt prurientes auribus, & à veritate quidem auditum suum auertentes, ad fabulas autem conuertentur: illa enim secreti, furtique commemoratio, quâ dicitur: panes occultos libenter attingite, & aquæ furtiuæ dulcedinem, pruritum

S. Aug.

A facit audientibus, in auribus spiritaliter fornicantibus, sicut pruritu quodam libidinis, etiam in carne corrumpitur integritas castitatis. Audite itaque Apostolum talia præuidentem, & ea vitanda salubriter admonentem 2. Tim. 2. Prophanas, inquit, verborum nouitates deuita, multùm enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum sicut cancer serpit. Et non ait, verborum nouitates, sed addit, prophanas: sunt enim & doctrinæ religionis congruentes verborum nouitates, sicut ipsum nomen Christianorum, quando dici cœperit scriptum est. Act. 11. in Antiochia enim primùm, post ascensionem Domini appellati sunt Discipuli, Christiani sicut legitur in Actibus Apostolorum: & Xenodochia & Monasteria postea sunt appellata nouis B nominibus: res tamen ipsæ & ante nomina sua erant, & religionis veritate firmantur, quâ etiam contra improbos defenduntur. Aduersùs impietatem quoque Arrianorum hæreticorum, nouum nomen Patres Homousion condiderunt, sed non rem nouam tali nomine signauerunt: hoc enim vocatur Homousion, quod est, ego & Pater vnum sumus, vnius videlicet eiusdemque substantiæ. Nam si omnis nouitas prophana esset, nec à Domino diceretur mandatum nouum do vobis, nec testamentum appellaretur nouum, nec cantaretur in vniuersa terra canticum nouum. Sed prophanæ sunt verborum nouitates, vbi dicit mulier insipiens & audax, C panes occultos, &c. Ab hac pollicitatione falsæ scientiæ prohibet etiam illo loco Apostolus, vbi dicit 1. Tim. 6. ô Timothee depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates, & contradictiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Nihil enim sic amant isti, quàm scientiam promittere, & fidem rerum verarum, quas credere paruuli præcipiuntur, velut imperitiam deridere.

Quis porrò tot prophanas vocum nouitates affectauit & innexit? quis aquas tam furtiuas & panes occultos venditauit? quis tanto silentio & morâ epoptas suos suspendit, sicut insipiens secta Valentinianorum? quis tot fabulas & coniugationes Aeonum commentus est? vt totus hic liber Valentini sectariorumque vanitates & insanias falsas continens abundè testatur.

VANA GLORIA.

1. *Vanè quis gloriatur, nisi gloriam de gratia Deo referat.* 4. *cont. Marc. cap.* 9. *à m.*

Luc. 5. 14 QVantùm ad gloriæ humanæ auersionem pertinebat, vetuit eum diuulgare: quantùm ad tutelam legis, iussit ordinem impleri: *Vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyses.* Argumenta enim figurata vt pote prophetatæ legis adhuc in suis imaginibus tuebatur, quæ significabant hominem quondam peccatorem, verbo mox Dei emaculatum, offerre debere munus Deo apud templum, orationem scilicet & actionem gratiarum apud Ecclesiam, per Christum Iesum Catholicum Patris Sacerdotem.

VANA GLORIA. 1. SCHOL.

AD GLORIÆ AVERSIONEM. *Christus exemplo suo nos docuit, quomodo fugere debeamus laudem & gloriam humanam, dum iussit leproso mundato, tacere, & sacrificium Deo Patri omnium bonorum largitori referre; cùm dixit Luc. 5. 14.* Et ipse præcepit illi, vt nemini diceret; sed, vade, ostende te Sacerdoti, & offer pro emundatione tua sicut præcepit Moyses. *Vide cætera textus exposita, verbo,* Christi elogia num. 31. & verbo, gratiarum actio. *Aug. lib. 5. de Ciuit. cap. 17.* Quid est, *inquit*, loquacius vanitate? quæ non ideo potest quod veritas, quia si voluerit, etiam plùs potest clamare quam veritas. *Non vanus*

S. Aug.

D *sed humilis erat Dauid, qui silebat à bonis & sibi ipsi silentium imponebat Psal. 38.* Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. *In quem locum Augustinus ponderans simul titulum qui est* In finem pro Idithum canticum ipsi Dauid. *Vbi dicit significare transilientem eos, & inter cætera.* Stat, *inquit*, peccator propriâ quâdam notâ peccator: superbus quisquam & inuidus: audit loquentem, transilientem, captat verba, proponit laqueos, difficile est vt non inueniat aliquid non ita dictum vt dici debuisset, nec audiendo ignoscit, sed calumniatur inuidendo. Contra hos iste Idithum S. Aug.

transiliens eos silere delegerat, vnde ita cantauit. S. Aug. Dixi custodiam, &c. quamdiu capior à calumniosis, aut captor, *sicut Christus a Sacerdotibus & Pharisæis*, & si non capior: custodiam vias meas, &c. quamuis transilierim delectationes terrenas, quamuis non me capiant temporalium rerum volatici affectus, quamuis iam hæc despiciam, & ad meliora consurgam, in ipsis tamen melioribus sufficit mihi delectatio intelligentiæ coram Deo: quid mihi opus est captanda loqui, &c. obsurdui & humiliatus sum & silui à bonis. *Vulgata legit, obmutui & humiliatus sum.* Peccare metuebam vt non loquerer, vt silentium mihi imponerem, &c. dum nimis timeo ne loquar aliqua mala, tacui omnia bona, &c? vnde enim dicebam bona, nisi quia audiebam? Auditui enim meo dabis exultationem & lætitiam, & amicus sponsi stat, & audit eum, & gaudet gaudio propter vocem, non suam sed sponsi, &c. *Et lib. 5. de Ciuit. cap. 14. quod totum est de resecando amore laudis humanæ.* S. Aug. Huic, *inquit*, cupiditati meliùs resistitur sine dubitatione quàm ceditur. Tantò enim quisque est Deo similior, *Christum intellige, qui contempsit & fugit laudem humanam, & totum quod agebat retulit Patri*; quantò ab hac immunditia mundior. quæ in hac vita & si non funditus eradicatur ex corde, quia etiam benè proficientes animos, *& cum Idithum transilientes cæteros*, tentare non cessat, saltem cupiditas gloriæ superetur dilectione iustitiæ: vt si alicubi iacent, *repetit quod ex Tullio capite præcedenti dixerat, honos alit artes, omnesque accenduntur ad studia gloriâ, iacentque ea semper, quæ apud quosque improbantur.* S. Aug. Quæ apud quosque improbantur: si bona, si recta sunt, etiam ipse amor humanæ laudis erubescat, & cedat amori veritatis. Tam enim est hoc vitium inimicum piæ fidei, si maior in corde sit cupiditas gloriæ, quàm Dei timor, vel amor, vt Dominus diceret, quomodo potestis credere, gloriam ab inui- A cem expectantes, & gloriam quæ à solo Deo est non quærentes: &c. *Tum de Apostolis*; S. Aug. Quod, *inquit*, eos diuina facientes atque dicentes, diuinéque viuentes, debellatis quodammodo cordibus duris, atque introductâ pace iustitiæ, ingens in Ecclesia Christi gloria consecuta est: non in ea tanquam in suæ virtutis fine quieuerunt, sed eam quoque ipsam ad Dei gloriam referentes, cuius gratiâ tales erant. Isto quoque fomite eos quibus consulebant, ad amorem illius à quo & ipsi tales fierent accendebant. Namque ne propter humanam gloriam boni essent, docuerat eos magister illorum dicens, cauete facere iustitiam vestram coram hominibus, &c. Sed rursus ne hoc peruersè intelligentes, B hominibus placere metuerent, minusque prodessent, latendo quod boni sunt, demonstrans quo fine innotescere deberent: luceant, inquit, opera vestra coram hominibus, vt videant, &c. non ergo vt videamini ab eis, id est, hac intentione vt eos ad vos conuerti velitis, quia non per vos aliquid estis: sed vt glorificent Patrem vestrum, &c. ad quem conuersi, fiant quod estis. Hoc secuti sunt Martyres, qui Scæuolas, & Curtios, & Decios, non sibi inferendo pœnas, *quod fecit Scæuola errantem dexteram concremando, Curtius in terræ hiatum se mittendo, Decius pater & filius de quo lib. 4. de Ciuit. cap. 20. cum pro exercitu se vouerunt in mediosquè hostes perituri se immiserunt*, S. Aug. sed illatas ferendo, & virtute verâ, quoniam verâ pietate, & innu- C merâ multitudine superarunt. Sed cùm illi essent in ciuitate terrena, quibus propositus erat omnium pro illa officiorum finis, incolumitas eius, & regnum non in cœlo sed in terra, non in vita æterna, sed in decessione morientium, & successione moriturorum: quid aliud amarent quàm gloriam, quâ volebant etiam post mortem tanquam viuere in ore laudantium?

2. *Vana est gloria & laus, ex alterius ignominia sumpta. 4. cont. Marc. cap. 15. à p.*

QValis est ille, qui, vt suam insinuaret bonitatem, Creatoris opposuit asperitatem? Infirma commendatio est, quæ de alterius destructione fulcitur.

VANA GLORIA. 2. SCHOL.

QVALIS EST ILLE. *Quàm vanus Deus Marcionis, quàm vecors ipse Martion, qui vt Dei sui lenitatem exaggeret, Dei Creatoris seueritatem opponit.* INFIRMA COMMENDATIO. *Acutè dictum. Quàm enim fragili fulcro nititur vana gloriæ colossus, qui in ruina & puluere alterius statua euersæ fundatur. Talis Pharisæi & similium gloria, qui laudem captant ex aliorum opprobrio & contemptu. Sic iste in ruina Publicani exultabat:* non sum sicut cæteri hominum, &c. velut hic Publicanus. *Sic velut mare feruens, sordes suas in littus vicinum euomebat, sic de eo Aug. in Psal.* S. Aug. 31. Vnde, *inquit*, superbus? non quia de bonis suis Deo gratias agebat, sed quia super alterum, *addo & malis eius insultando*, se de ipsis bonis extollebat. Pharisæus ergo ille dicebat, Gratias tibi ago. Sed vnde superbus? quia spernebat cæteros. Vnde probas? in ipsius verbis. Quomodo? Pharisæus, inquit, ille contempsit de longè stantem, cui Deus confitenti propinquabat, &c. tunsio pectoris, obtritio cordis, & propè est Dominus his qui obtriuerunt D cor, &c. *Tum de Pharisæo*, Si, *inquit*, sine vllis peccatis esset, ipsa superbia grande crimen erat. *Tum illi applicat verba Psaltis.* S. Aug. Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea acclamando totâ die, &c. Si acclamando, quomodo tacuit? tacuit quiddam, non tacuit quiddam. Tacuit vnde proficeret, non tacuit vnde deficeret, &c. peruersè tacuit peccata sua, clamauit merita sua. *Publicani accusauit peccata, &c.* Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua. Quid est grauata est, &c? Magna res fratres, &c. Quid dictum est de Pharisæo? quoniam humiliatur. Quid dictum est de Publicano? quoniam exaltatur. Quare ille humiliatur? quia exaltauit se. Quare exaltatur? quia humiliauit se. Ergo vt exaltantem se humiliet Deus, grauat super illum manum suam. Noluit humiliari confessione iniquitatis suæ, humiliatus est pondere manus Dei, &c. Quàm leuis fuit manus subleuantis, tam grauis manus humiliantis; vt in illo fortis, & in illo fortis: fortis ad illum premendum, fortis ad illum subleuandum.

3. *Vana gloria & laus humana ex singularitate, omni fideli, sed maximè virgini cauenda, ne iusto Dei iudicio ruat. De Vel. Virg. cap. 13. per totum, & 14. ad circa f.*

SI propter homines habitu abutuntur, impleant illum etiam in hoc, vt & apud ethnicos caput velent. Certè in Ecclesia virginitatem suam abscondant, quam extra Ecclesiam celant. Timent extraneos, reuereantur & fratres: aut constanter audeant, & in vicis virgines videri, sicut audent in Ecclesiis. Laudabo vigorem, si aliquid & apud ethnicos virginitatis nundinarint. Eadem natura foris quæ & intus, eadem institutio apud homines, & apud Dominum eadem libertate constat. Quò ergo foris quidem bonum suum abstrudunt, in Ecclesia verò prouulgant? Exposco rationem. Vtrumne vt fratribus suis placeant, an vt ipsi Deo? Si vt ipsi Deo: tam idoneus est ad conspicienda quæ in occulto
Matth.6. 2. fiunt, quàm iustus ad remuneranda quæ soli sibi fiunt. Denique præcipit, nihil debuccinemus eorum quæ apud illum mercedem merebuntur, nec ea ab hominibus compensemus. Quod si vnius Victoriati, vel quamcunque eleemosynæ operationem, sinistrâ conscia facere prohibemur, quantùm tenebrarum circumfundere debemus, cùm tantam oblationem Deo offerimus, ipsius corporis, & ipsius spiritus nostri, cùm illam ipsam naturam consecramus? Ergo quod non potest videri propter Deum fieri, quia sic fieri Deus non vult, sequitur vt hominum gratiâ fiat: vtique primò illicitum, vt gloriæ libidinosum.
Sap.8.21. Gloria enim illicitum est eis, quorum probatio in omni humiliatione constat. Et si à Deo
a 1. Cor. 4.7. confertur continentiæ virtus; [a] *Quid gloriaris quasi non acceperis? Si verò non accepisti, quid habes quod datum tibi non est?* Hoc ipso autem constat à Deo datam tibi non esse, quod illam non soli Deo præstas. Videamus ergo quod humanum est, an firmum sit & verum.
CAPVT XIV. Referunt aliquando dictum à quadam, cùm primùm quæstio ista tentata est, Et quomodo ceteras sollicitabimus ad huiusmodi opus. Scilicet felices nos facient, si plures erunt, & non Dei gratia vel merita cuiusque. Virgines Ecclesiam, an Ecclesia virgines ornat Deo, siue commendat? Confessa est igitur gloriam esse in causa. Porrò vbi gloria, illic sollicitatio; vbi sollicitatio, illic coactio; vbi coactio, illic necessitas; vbi necessitas, illic infirmitas. Meritò itaque dum caput non tegunt vt sollicitentur gloriæ causa, ventres tegere coguntur infirmitatis ruina. Æmulatio enim illas, non religio producit: aliquando & ipse venter Deus earum, quia facilè virgines fraternitas suscipit. Nec tantùm autem ruunt, sed & funem longum delictorum sibi adtrahunt. Prolatæ enim in medium, & publicato bono suo elatæ, & à fratribus omni honore & charitatis operatione cumulatæ, dum non latent vbi quid admissum est, tantùm dedecoris cogitant, quantùm honoris habuerunt. Si intectum caput virginitati adscribitur, si qua Virgo exciderit de gratia virginitatis, ne prodatur, intecto permanet capite: & tunc iam alieno ambulat habitu, id est quem sibi vindicat virginitas: permanet nihilominùs in habitu, vel tunc saltem alieno, ne scilicet mutatione prodatur. Consciæ mulieritatis iam indubitatæ, audent nudo
b Matth. 10. 26. capite ad Deum adire. Sed æmulator Deus & Dominus, qui dixit, [b] *Nihil occultum quod non reuelabitur*, plerasque etiam in conspectum deducit. Non enim confitebuntur, nisi ipsorum infantium suorum vagitibus proditæ. Quantùm autem plures, non etiam de pluribus sceleribus suspectas habebis?

VANA GLORIA. 3. SCHOL.

SI PROPTER HOMINES, *vt placeant hominibus, cupientes ab his in matrimonium deposci.* HABITV ABVTVNTVR. *Cùm enim virgines sint adhuc in cætero vestitu & cultu, ornantur vt mulieres, quæ id agunt vt placeant viris; cur non eas imitantur in reliquo habitu capitis, & sicut nuptæ, non velantur, sed solâ hac notâ singulari virgines adhuc videri volunt, & hoc honore ab aliis discerni?* VT ET APVD ETHNICOS. *Id est cùm foris prodeunt, & in conspectum Gentilium veniunt.* VIRGINITATEM SVAM. *Velo assumpto se non esse virgines, sed maritatas prodant.* TIMENT EXTRANEOS. *Verentur fortè ne forma earum reuelata Gentiles alliciat ad libidinem procliues, timeant & fratribus Christianis esse scandalo.* CONSTANTER AVDEANT. *Id est vno tenore procedant tam in plateis quàm in Ecclesiis sine velo.* LAVDABO VIGOREM. *Si virtute masculâ coram ethnicis profiteantur statum virginalem, contra quem leges & pœnas statuunt.* NVNDINARINT, *quasi in nundinis pretiosæ merces exponuntur, & non absconduntur. Vel alio sensu ironicè dicta, quin & insultanter, per constantiam & vigorem, intelligit impuden-* A *tiam & frontosam virginitatis nundinationem, vt tam in locis sacris quàm prophanis exponant formam suam tanquam venalem oculis tam infidelium quàm Christianorum.* EADEM NATVRA. *In libidinem prona tam foris apud Ethnicos extraneos à fide, quàm intus in Ecclesia apud Christianos.* EADEM INSTITVTIO, *velandi capitis aut reuelandi.* APVD DOMINVM. *In Scriptura & Ecclesia, liberum est matrimonium, libera virginitatis professio. Vel per homines intelligit Ethnicos, per Dominum, Ecclesiam, vt sit sensus: si libero capite in Ecclesiam veniunt, idem institutum & habitum coram Ethnicis seruent.* QVÒ ERGO. *Vt quid abscondunt & celant se esse virgines coram Gentilibus, cùm id manifestent coram fidelibus.* SOLI SIBI. *Ad purum sui solius honorem*, vt pater tuus qui videt in abscondito reddat tibi. DEBVCCINEMVS. Noli tuba canere ante te. VNIVS VICTORIATI, *species est nummuli sic dicti à signo Victoriæ ei impresso. de quo Plin. lib. 33. c. 3.* Qui nunc Victoriatus appellatur lege Clodiâ percussus est. Antea enim hic nummus ex Illyrico aduectus mercis loco habebatur. Est autem signatus Victoria,

tia, & inde nomen. OPERATIONEM. *Opus. Per Emphasim eleemosyna bonum opus est præ cæteris, vnde Paulus* operemur bonum ad omnes, maximè ad domesticos fidei. SINISTRA CONSCIA. Nesciat sinistra tua, quid facit dextera tua. *Vnde Chrysologus ser. 9. à medio*, Putas, *inquit*, quam vult nescire alterum, qui teipsum qui facis, aliquâ tui parte vult nescire? QVANTVM TENEBRARVM, *quam denso velo obtegi, quanto silentio claudi.* TANTAM OBLATIONEM, *de qua Paulus*, Exhibeatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, Deo placentem. IPSIVS SPIRITVS. Vt sit sancta corpore & spiritu. IPSAM NATVRAM. *Totum quod sumus; animam & corpus.* GLORIÆ LIBIDINOSVM. *Ex libidine & appetitu vanæ gloriæ procedit quod placere ex virginitate velint hominibus, & inde gloriam captare, quod est contra virginitatem mentis. Neque enim casta censeretur sponsa quæ ex ornamentis à viro datis, alteri placere vellet, aut ea sibi arrogare; quantò magis ex dono quod solus Deus dat? Sap. 8. 21.* QVID GLORIARIS. 1. *Cor.* 4. 7 Quid habes quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? CONSTAT, *moribus tuis & arrogantiâ, & desiderio placendi hominibus, id probas.* A QVADAM. *melius sic legitur quàm* à quodam. *Quia agebatur de vana gloria captanda ab omnibus virginibus, ex forma reuelata, vel ab hac nota virginitatis quâ sine velo incedentes discernerentur à nuptis.* FŒLICES NOS FACIENT. *Ironicè, quasi verò plurium virginum detectarum numerus, & non propria virginitatis merita, eorumque conscius, iudex & remunerator Deus, verè præstet esse fœlices.* VIRGINES ECCLESIAM. *An fidelium cœtum & Ecclesiam Dei sponsam in omnibus membris etiam nuptis, fidei & humilitatis integritate virginem, paucæ corpore tantùm & non mente virgines, Deo commendabilem & acceptam faciunt, & non potiùs ipsa Ecclesia tota humilis & fide virgo eas in occulto Deo sponsas ornat soli sponso placere solicitas.* ILLIC SOLLICITATIO. *Cùm enim ex forma gloriantur, & ob eam laudari volunt, laudantur ab hominibus, & solicitantur ab importunis amatoribus, & si non annuant, vi rapiuntur, vnde necessario sequitur, vt ruant per infirmitatem sexus in libidinosos actus.* VENTRES TEGERE, *vt fœtum abscondant.* ÆMVLATIO, *vt formosiores præ cæteris appareant.* NON RELIGIO. *Stricta obseruatio habitus virginalis absque zelo.* VENTER DEVS. *Alludit ad Paulum:* quarum Deus venter est, & gloria in confusione ipsarum: *vt scilicet, vel ex paupertate, vel ex gula, fratrum id est Christianorum in virgines pauperes liberalium Eleemosynas corrogent.* FVNEM LONGVM. Trahunt peccata sicut restem longam. Funes peccatorem circumplexi sunt me. PVBLICATO. *In publicum sine velo producto.* INTECTVM. *Non opertum velo.* ALIENO HABITV. *Vsurpat & furatur quod iam suum non est, corruptâ virginitate.* CONSCIÆ MVLIERITATIS *cognito occultè masculo, & fœtu in vtero gestiente.* AD DEVM ADIRE. *Templum ingredi.* VAGITIBVS, *Hiero. ad Eustochium* quas nisi tumor vteri, & infantium prodiderit vagitus erectâ ceruice, & ludentibus pedibus incedunt. NON CONFITEBVNTVR. *Assumpto velo, & depositâ virginitatis notâ.* QVANTVM AVTEM PLVRES. *Supple sunt quæ virgines apparent, in pœnam vanæ gloriæ quâ vsurpant & sibi arrogant Dei donum, vel ex forma sibi & hominibus placent, in grauiora scelera prolabuntur. Superest vt duo ex Augustino colligamus; primò quidem virginitatis & continentiæ donum à Deo solo dari, de quo proinde gloriandum non sit; secundò frequenter & iustè Dei iudicio virgines & matronas honestas in pœnam vanæ gloriæ permissas constuprari. Sic igitur ipse fatetur lib. 7. Confess. cap. 11.* Expertus non eram, & propriarum virium credebam esse continentiam, quarum mihi non eram con- S. Aug. A scius, cùm tam stultus essem vt nescirem, sicut scriptum est Sap. 8. 21. neminem posse esse continentem, nisi tu dederis. Vtique dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas, & fide solidâ in te iactarem curam meam. *Et epistola 89. ad Hilarium.* Iste, *inquit*, cùm sciret neminem esse posse continentem nisi Deus det, adiit Dominum & deprecatus est; vtique volens adiit, volens deprecatus est, nec petisset nisi esset voluntas. *Et vnde voluntas boni, & orandi boni nisi à Spiritu iuuante infirmitatem nostram?* sed nisi petisset, quantùm posset voluntas? quia & si possit antequam petat, quid ei prodest nisi illi agat gratias ex eo quòd potest, à quo petendum est quod nondum potest? vnde etiam qui iam continens est, non habet vtique continentiam, nisi adsit voluntas: sed nisi accepisset, quid haberet voluntas? Quid enim habes, inquit, quod non accepisti? &c. id est, quid gloriaris quasi à teipso habeas, quod si non accepisses à teipso habere non posses? Hoc autem dictum est, vt qui gloriatur, non in seipso, sed in Domino glorietur: & qui nondum habet vnde glorietur, non à seipso speret, sed Dominum precetur. Satius est enim minus quemque habere quod à Deo petat, quàm plus habere quod sibi tribuat: quoniam expedit ab imo surgere, quàm ex alto cadere. *Deiecisti enim eos dum allevarentur. Ipsum, inquit Aug. eleuari, iam deiici est.* Deus enim, scriptum est, superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *Et in ep. 143. ad Iulianam viduam matris Demetriadis virginis.* De ipsa, *inquit*, quoque sacra continentia virginali, quòd non sibi sit ex seipsa, sed sit Dei donum, quamuis credenti volentique collatum, eumdem audiat veracem piumque Doctorem, qui cùm hinc ageret, ait, vellem omnes esse sicut meipsum: sed vnusquisque proprium donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic. Audiat etiam ipsum non tantùm suum, sed vniuersæ Ecclesiæ vnicum sponsum, *quàm aptè ad textum Tertull. supra expositum*, de tali castitate atque integritate dicentem; non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est: vt intelligat ex eo quòd habet tam magnum bonum atque præclarum; se potiùs Deo & Domino nostro gratias agere debere, quàm cuiusquam verba, *Iuliani scilicet Pelagiani, qui id Demetriadi scripserat*; quod velut ex seipsa id habeat, vt non dicamus assentantis adulatoris, ne de occultis hominum temerè iudicare videamur, certè, errantis laudatoris audire. Omne quippe datum optimum & omne donum perfectum, &c. Hinc ergo & sancta virginitas, quâ te filia volentem gaudentemque vicit, natu posterior, actu prior, genere ex te, honore ante te, ætate subsequens, sanctitate præcedens: in qua etiam tuum esse cœpit, quod in te esse non potuit. Illa quippe carnaliter non nupsit, vt non tantùm sibi, sed etiam tibi vltra te spiritaliter augeretur: quoniam & tu eâ compensatione maior illa es, quod ita nupsisti, vt nasceretur. Hæc Dei dona sunt, & vestra quidem sunt, sed non ex vobis. Habetis enim thesaurum istum in terrenis corporibus, & adhuc fragilibus, tanquam in vasis fictilibus, *vnde ruina, casus, infirmitas, de qua supra Tertullianus, caueri debet*; vt eminentia virtutis sit Dei, & non ex vobis. *Quòd autem Dei iudicio fuerint aliquando continentes violatæ, docuit idem Aug. lib. 1. de Ciuit. cap. 28. vbi de constupratoribus:* Si fortè, *inquit*, cur permissi sint quæritis, alta quidem est prouidentia Creatoris mundi atque rectoris, & inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Verumtamen interrogate fideliter animas vestras, ne fortè de isto integritatis, & continentiæ, aut pudicitiæ bono vos inflatius

extulistis, & humanis laudibus delectatæ in hoc etiam aliquibus inuidistis. *Consonat Tertulliano supra de æmulatione loquenti.* Non accuso quod nescio, nec audio quod vobis interrogata corda vestra respondent. Tamen si ita esse responderint, nolite mirari hoc vos amisisse, vnde hominibus placere gestiistis: illud vobis remansisse, quod ostendi hominibus non potest. Si peccantibus non consensistis, diuinæ gratiæ, ne amitteretur, diuinum accessit auxilium; humanæ gloriæ, ne amaretur, humanum successit opprobrium. In vtroque consolamini pusillanimes: illinc probatæ, hinc castigatæ: illinc iustificatæ, hinc emendatæ. Quarum verò corda interrogata respondent, numquam se de bono virginitatis, vel viduitatis, vel pudicitiæ coniugalis superbisse, sed humilibus consentiendo, de dono Dei cum tremore exultasse, nec inuidisse cuiquam paris excellentiam sanctitatis & castitatis: sed humanâ laude postpositâ, quæ tantò A maior deferri solet, quantò est bonum rarius quod exigit laudem, optasse potiùs, vt earum amplior numerus esset, quàm vt ipsæ in paucitate ampliùs eminerent, &c. Sicut ergo quidam morte rapti sunt, ne malitia mutaret intellectum eorum: ita quiddam ab ipsis vi raptum est, ne prosperitas mutaret modestiam earum. Vtrisque igitur, quæ de carne sua, quòd turpem nullum essent perpessæ contactum, vel iam superbiebant, vel superbire, si nec hostium violentiâ contrectatæ essent, forsitan poterant, non ablata est castitas, *quæ in anima inaccessibili residet*, sed humilitas persuasa. Illarum tumori occursum est immanenti, istarum occursum est imminenti. *Quam iustè igitur velum virginibus Tertullianus imponat quo fit ne de singularitate inter mulieres glorientur, aut de forma ab hominibus quibus placere volunt laudatæ, tandem sollicitatæ corrumpantur.*

S. Aug.

4. *Gloria omnis est interdicta Christiano, sed præcipuè vana, de carne sumpta. 2. de cultu fœm. cap. 3. à p.*

NObis primò quidem nullum gloriæ studium est: quia gloria exaltationis ingenium est. porrò exaltatio non congruit professoribus humilitatis ex præscriptis Dei. dehinc si omnis gloria vana, & stuporata, quantò magis quæ in carne? nobis dumtaxat. Nam etsi gloriandum est, in spiritus bonis, non in carne placere velle debemus, quia spiritalium sectatores sumus. Quibus operamur, illis gaudeamus. De his gloriam carpamus, de quibus salutem speramus.

VANA GLORIA. 4. SCHOL.

NObis. *Christianis.* Ingenium. *Adinuentio superbia quæ semper vult exaltari.* Stuporata. *Vel stupida, vel quæ in stuporem rapit oculos.* Nobis dumtaxat. *Nam opinione fidelium gloria carnis, diuitiarum, honoris, non habetur vana.* Et si gloriandum. *Supposito quòd per Christi legem gloriari liceret, magis gloriandum esset in bonis spiritualibus, quæ longè solidiora sunt carnalibus. Verùm sapientiùs Augustinus, to. 7. lib. de prædest. Sanctorum cap. 3. ex Cypriano lib. 3. ad Quirinum cap. 4.* Non sic, *inquit,* pius atque humilis Doctor ille sapiebat, Cyprianum beatissimum loquor, qui dixit, in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. Quod vt ostenderet, adhibuit Apostolum testem dicentem, quid autem habes quod non accepisti? &c. *Et ep. 143. ad Iulianam.* Gloria quidem eius, *Demetriadis filia de qua Scholio praced.* in ipsa est, non in verbis alienis, sicut Apostolus dicit Gal. 6. opus autem suum probet vnusquisque, & tunc in semetipso gloriam habebit, & non in altero. Sed absit vt gloria sua ipsa sit, & non ille cui dicitur: gloria mea & exaltans caput meum. Ita quippe est in ea salubriter gloria eius, cùm Deus qui in illa est, ipse est gloria eius, à quo habet omnia bona, quibus est bona, & habebit omnia quibus melior erit, in quantùm in hac vita melior esse poterit, & quibus perfecta erit, quando fuerit diuinâ gratiâ, non humanâ laude perfecta. In Domino enim laudabitur anima eius, quia satiauit in bonis desiderium eius; quia & hoc desiderium ipse inspirauit. ne virgo eius sic in aliquo bono glorietur, quasi non acceperit. *Quàm vana sit gloria sumpta de carnis pulchritudine nobis insinuauit, Ioannes II. Dux Cliuia & tertius Comes Marchiæ in Emblemate in quo sculptum erat lilium cum Epigraphe,* hodie, cras nihil. *Cui & respondet Camilla Pallauicina Marchionissa vxor Roberti Marchionis Vicarij Imperij; quæ similiter pro suo Symbolo depingi voluit lilium expansum, cuius infra* B *culmum testudo rodebat cum verbo:* Ogni belleza ha fine. *docens tardè & sensim pulchritudinem marcescere. Quid enim est lilium nisi* fallax gratia & vana pulchritudo? *vnde Christus Luc. 12. 27. eius speciem reducit ad fœnum.* Considerate lilia quomodo crescunt: non laborant neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur, sicut vnum ex istis. Si autem fœnum quod hodie est in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quantò magis vos pusillæ fidei? *Et Psaltes* tanquam flos agri sic efflorebit, &c tanquam fœnum velociter arescent. *Et Esa. 40.* Omnis caro fœnum, & claritas hominis sicut flos fœni. *quod sic exponit Augustinus in Psal. 71. in versum*, florebunt C de ciuitate sicut fœnum terræ. Profectò, *inquit*, & ciuitas illa intelligenda est quæ sæculi huius societatem significat: non enim frustra primus Caïn condidit ciuitatem, &c. semper caro fœnum fuit, & claritas carnis vt flos fœni: sed quia non demonstrabatur quæ fuerat eligenda & præponenda fœlicitas, flos fœni pro magno habebatur, nec solum minimè contemnebatur, sed etiam maximè appetebatur, &c. diffamabitur super omnia quod in æternum promittitur, & comparabitur fœno terræ, quidquid pro magno habetur in sæculo. *Pulchriùs adhuc tract. 7. in Io.* Lætitia, *inquit*, sæculi vanitas, cum magnâ expectatione speratur vt veniat, & non potest teneri cùm venerit. Iste enim dies qui lætus est perditis hodie in ista ciuitate, cras D vtique non erit; nec idem cras hoc erunt, quod hodie sunt. Et transeunt omnia, & euolant omnia, & sicut fumus vanescunt. Et væ qui amant talia: omnis enim anima sequitur quod amat. Omnis caro fœnum, & omnis honor carnis quasi flos fœni. Fœnum aruit, flos decidit: Verbum autem Domini manet in æternum. Ecce quod ames si vis manere in æternum.

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

VELANDÆ VIRGINES.

1. *Velari virgines veritas iubet, & consuetudo nationis eiusdem fidei, contra aduersam consuetudinem. De vel. Virg. cap. 1. in f. & 2. in p. ad m.*

HIc erit solus à Christo magister & dicendus & verendus. [a] *Non enim ab se loquitur, sed quæ mandantur à Christo.* Hic solus antecessor, quia solus post Christum. Hunc qui receperunt, veritatem consuetudini anteponunt. Hunc qui audierunt vsque nunc, non olim prophetantem, virgines contegunt. Sed nolo interim hunc morem veritati deputare. Consuetudo sit tantisper, vt consuetudini etiam consuetudinem opponam. Per Græciam & quasdam Barbarias eius, plures Ecclesiæ virgines suas abscondunt. Est & sub hoc cœlo institutum istud alicubi. ne qui gentilitati Græcanicæ aut Barbaricæ consuetudinem illam ascribat. Sed eas ego Ecclesias proposui, quas & ipsi Apostoli vel Apostolici viri condiderunt, & puto ante quosdam. Habent igitur & illæ eandem consuetudinis auctoritatem, tempora & antecessores opponunt magis quàm posteræ istæ. Quod obseruabimus? quid deligemus? Non possumus respuere consuetudinem, quam damnare non possumus, vtpote non extraneam, quia non extraneorum, cum quibus scilicet communicamus ius pacis & nomen fraternitatis. Vna nobis & illis fides, vnus Deus; idem Christus, eadem spes, eadem lauacri Sacramenta. Semel dixerim, vna Ecclesia sumus. Ita nostrum est, quodcunque nostrorum est. ceterùm, diuidis corpus. Tamen hîc; sicut in omnibus variè institutis, & dubiis, & incertis fieri solet, adhibenda fuit examinatio, quæ magis ex duabus tam diuersis consuetudinibus disciplinæ Dei conueniret. Et vtique ea deligenda, quæ virgines includit, soli Deo notas, quibus, præter quòd à Deo non ab hominibus captanda gloria est, etiam ipsum bonum suum erubescendum est.

a Io. 16. 13.
Cap. II.

2. *Et ibid. cap. 3. in f. & 4. ad circa m.*

EXurge igitur, veritas, exurge, & quasi de patientia erumpe: nullam volo consuetudinem defendas; nam iam & illa, sub qua te fruebaris, * expugnatur. Te esse demonstra quæ virgines tegis. Ipsa scripturas tuas interpretare, quas consuetudo non nouit. Si enim nosset, nunquam esset. Quatenus autem & de scripturis aduersùs veritatem argumentari consuetudo est, statim opponitur nobis; nullam mentionem virginum ab Apostolo factam, vbi de velamine præfinit, sed tantùm mulieres nominatas: cùm si voluisset & virgines tegi, de virginibus quoque cum mulieribus nominatis pronuntiasset: quomodo illic, inquit, vbi de nuptiis tractat, quid obseruandum sit etiam de virginibus, declarat: itaque non contineri eas lege velandi capitis, vt non nominatas in hac lege: immò ex hoc reuelari, quia non iubentur, quæ nec nominantur. Sed & nos eandem argumentationem retorquemus. Qui enim sciebat aliàs vtriusque generis facere mentionem, virginis dico, & mulieris, id est non virginis, ex causa distinctionis; in his in quibus non nominat virginem, non faciens distinctionem, ostendit conditionis communionem. Ceterùm potuit hîc quoque constituere differentiam inter virginem & mulierem, sicut alibi dicit: Diuisa est mulier & virgo. Igitur quas non diuisit, tacendo inalterauit. Nec tamen quia illic diuisa est & mulier & virgo, hîc quoque patrocinabitur illa diuisio, vt quidam volunt. Quanta enim alibi dicta, non valent, vbi dicta scilicet non sunt, nisi si eadem sit causa, quæ alibi; vt sufficiat semel dictum? Illa autem causa virginis & mulieris longè diuisa est ab hac specie.

* expungitur.
Cap. IV.
1. Cor. 11. 5. 10.
1. Cor. 7. 25.
1. Cor. 7. 34.

3. *Velandas virgines, scriptura, natura, disciplina probat. De vel. Virg. cap. 16. in p.*

IN his consistit defensio nostræ opinionis secundùm scripturam, secundùm naturam, secundùm disciplinam. Scriptura legem condit, natura contestatur, disciplina exigit. Cui ex his consuetudo opinionis prodest, vel qui diuersæ sententiæ color est? Dei est scriptura, Dei est natura, Dei est disciplina. quicquid contrarium est istis, Dei non est. Si scriptura incerta est, natura manifesta est. & de eius testimonio scriptura incerta non potest esse. Si de natura dubitatur, disciplina quid magis Deo ratum sit ostendit. Nihil est illi carius humilitate, nihil acceptius modestiâ, nihil perosius gloriâ, & studio hominibus placendi. Illud itaque sit tibi & scriptura, & natura, & disciplina, quod ratum Deo inueneris, sicut iuberis [a] *omnia examinare, & meliora quæque sectari.*

a 1. Thess. 5. 21.

4. *Velanda est Virgo, sub communi mulieris nomine & specie comprehensa; quia nupta est Christo; cui vni viro nota placere debet. De vel. Virg. cap. 16. in f.*

ADimple habitum mulieris, vt statum virginis serues. Mentire aliquid ex his quæ intus sunt, vt soli Deo exhibeas veritatem. quamquam non mentiris nuptam. nupsisti enim Christo: illi tradidisti carnem tuam, illi sponsasti maturitatem tuam. Incede secundùm sponsi tui voluntatem. Christus est qui & alienas sponsas & maritatas velari iubet, vtique multò magis suas. 5. *Et de velandis Virginibus, c. 6. à p. V. mulier. 1. à m.*

*6. *Velari debet Virgo, eâdem causâ quâ mulier. De vel. Virg. cap. 7. in f. & 8. per totum.*

a 1. Cor. 11. 15. SI & naturæ præiudicium adiicit Apostolus, quod [a] *honor sit mulieris redundantia capillorum, quia coma pro operimento est*: vtique hoc maximè virginis insigne est, quarum & ornatus ipsa propriè sic est, vt cumulata in verticem, ipsam capitis arcem ambitu crinium contegat. CAPVT VIII. Horum certè omnium contraria efficiunt, ne vir caput velet: scilicet quia non sit naturaliter consecutus ambitionem capillorum, quia radi siue tonderi non sit turpe illi, quia non propter illum Angeli exorbitarint, quia gloria & imago Dei sit, quia caput eius Christus. Itaque cùm de viro & muliere Apostolus tractet, cur illam oporteat velari, illum verò non, apparet cur & virginis silentium fecerit: eâdem ratione scilicet virginem in muliere intelligendam sinens, quâ & puerum vt in viro deputandum non nominauit, totum ordinem vtriusque sexus propriis vocabulis complexus, mulieris & viri. b Gen. 2. 23. Sic Adam etiam adhuc integer, vir in Genesi est cognominatus: [b] *Vocabitur*, inquit, *mulier, quia de viro suo sumpta est.* Sic vir Adam ante nuptiarum congressum, quemadmodum & Eua mulier. De vtraque parte satis ad vniuersam speciem cuiusque sexus Apostolus pronuntiauit, & breuiter & plenè, & tam instructâ definitione, c 1. Cor. 11. 5. [c] *Omnis*, inquit, *mulier.* Quid est omnis? nisi omnis generis, omnis ordinis, omnis conditionis, omnis dignitatis, omnis ætatis. Siquidem omne totum est, & integrum, & nullâ sui parte defectum. *Ibid.* Pars autem mulieris, & virgo est. Æquè & de viro non velando, *Omnis*, inquit. Ecce duo diuersa nomina, Vir & mulier, *Omnis*, vterque. Duæ leges obnoxiæ inuicem, hinc velandi, inde nudandi. Igitur si eo quòd dictum sit omnis vir, commune est nomen viri, etiam nondum viri, masculi inuestis: commune autem cùm sit nomen secundùm naturam, communis est & lex non velandi eius, qui inter viros virgo est secundùm disciplinam: cur non præiudicatum sit proinde & mulierem virginem omnem muliere nominatâ contineri consortio nominis, vt contineatur & communione legis. Si virgo mulier non est, nec vir, inuestis est. Si non operitur virgo, quia mulier non sit, operiatur inuestis, quia vir non sit. Eiusdem virginitatis, æqua sit venia. Sicut virgines non coguntur velari, ita pueri non iubeantur reuelari. Cur ex parte definitionem Apostoli agnoscimus absolutam circa omnem virum, nec retractamus quare non & puerum nominarit: ex parte autem præuaricamur, æquè absoluta ea circa omnem mulierem? a 1. Cor. 11. 16. [a] *Si quis*, inquit, *contentiosus est, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Ostendit contentionem aliquam de ista specie fuisse, ad quam extinguendam toto compendio vsus est: neque virginem nominans, vt ostenderet dubitandum de velanda non esse, & omnem nominans mulierem, cùm nominasset virginem. Sic & ipsi Corinthij intellexerunt. Hodie denique virgines suas Corinthij velant. Quid docuerint Apostoli, qui didicerunt * approbant. (* approbantes.)

7. *Velandi capitis muliebris causæ omnes, ampliùs in virginem cadunt. De vel. Virg. cap. 7. in p.*

COnuertamus ad ipsas iam rationes recensendas, per quas Apostolus docet velari feminam oportere, an eædem etiam virginibus competant: vt ex hoc quoque vocabuli communio inter virgines & non virgines constet, dum eædem velaminis causæ in vtraque parte deprehenduntur. a 1. Cor. 11. 3. [a] Si *caput mulieris vir est*, vtique & virginis, de qua fit mulier illa quæ nupsit: nisi si virgo tertium genus est monstruosum aliquod sui capitis. b Ibid. 6. Si [b] *mulieri turpe est radi siue tonderi*, vtique & virgini. Proinde viderit seculum æmulum Dei, si ita virgini cæsum capillum decori mentitur, quemadmodum & puero promissum. Ergo cui æquè non conuenit radi siue tonderi, æquè conuenit operiri. c Ibid. 7. Gen. 2. 21. [c] Si *gloria viri est mulier*, quantò magis virgo, quæ & gloria sibi est? Si mulier ex viro & propter virum, costa illa Adæ virgo primùm fuit. d 1. Cor. 11. 10. Si [d] *mulier potestatem habere super caput debet*, vel eo iustiùs virgo, ad quam pertinet quod in causa est.

* 8. *Velandæ virgines, quòd flos pulchritudinis earum, virorum etiam Angelicorum, & filiorum Dei libidinem prouocet. De vel. Virg. cap. 7. circa m.*

V. Verbo Angeli amatores femin. 7. in alphabeto Errorum tom. 1. p. 3.

9. *Non velata Virgo, formam suam venalem exponit, aut mentis integritatem, dum vanæ gloriæ exponitur, sic apparens singularis inter mulieres. De vel. Virg. cap. 3. circa f.*

PRopter eiusmodi igitur capita nundinatitia, trahantur virgines sanctæ in Ecclesiam, erubescentes quòd cognoscantur in medio, pauentes quòd detegantur accersitæ quasi ad stuprum. Non minùs enim & hoc pati nolunt. Omnis publicatio virginis bonæ, stupri passio est. Et tamen vim carnis pati, minùs est; quia de officio naturæ venit. Sed cùm spiritus ipse violatur in virgine, sublato velamine didicit amittere quod tuebatur. O sacrilegæ manus, quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt! Quid priùs aliquis persecutor fecisset, si hoc à virgine electum cognouisset? Denudasti puellam à capite, & tota iam virgo sibi non est: alia est facta.

10. *Velum virgo sumit pro clypeo, & oculos etiam mulierum fugit. De vel. Virg. cap. 15. per totum.*

VEra, & tota, & pura virginitas, nihil magis timet quàm semetipsam. etiam feminarum oculos pati non vult. alios ipsa oculos habet. confugit ad velamen capitis, quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat aduersùs ictus tentationum, aduersùs jacula scandalorum, aduersùs suspiciones, & susurros, & æmulationem, ipsum quoque liuorem. Nam est aliquid etiam apud ethnicos metuendum, quod fascinum vocant, infeliciorem laudis & gloriæ enormioris euentum. Hoc nos interdum diabolo interpretamur: ipsius est enim, boni odium interdum Deo deputamus: illius est enim, superbiæ iudicium, extollentis humiles, & deprimentis elatos. Timebit itaque virgo sanctior, vel in nomine fascini, hinc aduersarium, inde Deum: illius liuidum ingenium, huius censorium lumen: & gaudebit sibi soli & Deo nota. Sed & si cui innotuerit, sapit si tentationibus gradum obstruxerit. Quis enim audebit oculis suis premere faciem clausam, faciem non sentientem? faciem (vt dixerim) tristem? Quicunque malus cogitatus ipsâ seueritate frangetur. Iam se etiam mulierem negat, quæ virginem celat.

11. *Velandæ virgines post vsum rationis. De vel. Virg. cap. 1. in p.*

PRoprium iam negotium passus meæ opinionis, latinè quoque ostendam, virgines nostras velari oportere, ex quo transitum ætatis suæ fecerint.

* 12. *Velum virgini non datur, nisi maturæ, & luctam carnis patienti, iuxta primos parentes. De vel. Virg. cap. 11. in p. ad m.*

QVod supra intermisimus, ex parte subsequutæ disputationis, ne cohærentiam eius dispergeremus, nunc responso expungemus. Vbi enim gradum fiximus de Apostoli absoluta definitione, * *omnem mulierem*, etiam omnis ætatis intelligendam, responderi ex diuerso habebat, Ergo à natiuitate & à primo nomine ætatis, virginem operiri oportere. 1. Cor. 11. 5.
Non ita est autem, sed ex quo se intelligere cœperit, & censum naturæ suæ intrare, & de virginis exire, & pati nouum illud quod alterius ætatis est. Nam & principes generis Adam & Eua quam diu intellectu carebant, nudi agebant. At vbi de arbore agnitionis Gen. 2. 25
gustauerunt, nihil primùm senserunt quàm erubescendum. Itaque sui quique sexus intel- Gen. 3. 7.
lectum tegmine notauerunt. Sed & si propter Angelos velanda est, sine dubio ab ea æta- 1. Cor. 11. 10.
te lex velaminis operabitur, à qua potuerunt filiæ hominum concupiscentiam sui adducere, & nuptias pati. Ex illo enim virgo desinit, ex quo potest non esse. Et ideo penes Israël illicitum est ad virum tradere, nisi post contestatam sanguine maturitatem: ita ante hunc indicem acerba res est. Igitur si tam diu virgo, quàm diu acerba est, desinit virginem cùm matura cognoscitur, & vt non virgo iam legi applicatur, sicut & nuptiis.

VELANDÆ VIRGINES. 1. & sequentibus SCHOL.

HIc. *Spiritus sanctus.* A CHRISTO. *Missus, & post Christum ad Apostolos magister transmissus.* NON ABS SE. *Io. 16 13.* Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur. ANTECESSOR. *Vox Iuris quâ Doctor Iuris appellatur. Cæteros antecedit Doctores Spiritus sanctus, quia nullus post Christum expectandus.* VSQVE NVNC. *In noua lege. Vel respicit Montanum Paracletum præ Apostolis Spiritu sancto edoctum.* CONTEGVNT. *Velo capita earum operiendo.* NOLO INTERIM. *Nunc differo hunc morem nostrum veritati adscribere, hoc est veræ & à Spiritu sancto receptæ doctrinæ acceptum referre. Satis mihi est nunc bonam consuetudinem, peruersa opponere. Mos enim est in Ecclesia Græca siue Orientali, & in pluribus eius prouinciis barbaris, nempe Illyricâ, Galatiâ, Achaiâ, Ponto, Epheso, Thessalonicâ, Corintho, &c. Virginum caput velo abscondere.* SVB HOC CŒLO. *In Ecclesia Occidentali.* ALICVBI. *Quia mos non erat vniuersalis sicut in Græcia.* NE QVI, *ne fortè quis.* PVTO ANTE QVOSDAM. *Ironicè. Carpit enim consuetudinem Africæ posteriorem.* QVID DELIGEMVS? *quem morem, antiquum an nouum, bonum an malum eligemus?* NON

EXTRANEAM. *Gentilem, sed domesticam & fidelem.* CÆTERVM DIVIDIS. *Alioquin vnitatem corporis Ecclesiæ scindis.* CONCLVDIT. *Non quidem septo claustrali, quo necdum conclusæ erant, sed velo.* PRÆTER QVOD, *præterquàm.* BONVM SVVM. *Non tam forma, quam virginitatis, pudore celandum est. Ambr. 2. de Virg.* Sume, *inquit*, habitum qui abscondat fœminam, &c. Sume pileum qui tegat crines, abscondat ora.

2. EXVRGE VERITAS. *Post consuetudinem meliorem & antiquiorem, iam Scripturæ veritatem profert.* IAM ILLA EXPVGNATVR. *Consuetudo scilicet bona & vetus, sub qua latens, robur tuum obtinebas, iam prauâ consuetudine euertitur.* NVMQVAM ESSET. *Nusquam introduceretur, si apertè contrarium faciendum esse præscripsissent Scripturæ sacræ. Nec enim Paulus cùm de nuptis mulieribus velandis ageret, quidquam præscripsit de virginibus.* SED ET NOS. *Respondet Tertullianus Paulum qui propter distinctionem conditionis, nuptæ scilicet & innuptæ, quas seorsim in causa matrimonij suis nominibus appellauit, satis probauit se communem fœminæ conditionem eadem lege obligare, cum determinatè virginem non nominauit, sed communem naturæ vtriusquè posuit appellationem.* HIC QVOQVE, *scilicet vbi præscripsit mulieri omni velare caput absque differentia & diuisione virginis & mulieris: sicut alibi diuisit mulierem à virgine.* 1. *Cor.* 7. 34. Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. *Translat. Syr. magis respondet Tertulliano.* Porrò differentia est inter mulierem & Virginem. Quæ non est viri, meditatur in Domino, &c. TACENDO INALTERAVIT. *Nil expresso verbo distinguendo, non alterauit, id est non discreuit in obligatione velaminis virginem à muliere, sed alteram in altera comprehendit dum ait* 1. *Cor.* 11. 5. *loquendo generaliter & absque distinctione*, Omnis autem mulier orans aut prophetans, non velato capite deturpat caput suum. ILLIC DIVISA EST. *Supple* 1. *Cor.* 7. *vt iam vidimus. Causa enim nuptiarum alia est à causa velaminis.* QVANTA ALIBI DICTA. *Quàm multa sunt dicta in scriptura loco vno quæ applicari non possunt speciebus & causis dissimilibus, si autem de re simili agatur, sufficit id semel in scriptura præscriptum esse, vt in causis eiusdem speciei valeat.*

3. IN HIS. *Quæ subiicit, scilicet, scripturâ, naturæ honestate, Christianâ disciplinâ, nititur nostra sententia, quâ defendimus velandas esse virgines.* SECVNDVM NATVRAM. *Intelligit etiam ex natura ipsa virginem dici posse mulierem, ex quo patitur menstruum.* CONSVETVDO OPINIONIS, *in sola opinione vulgi fundata.* PRODEST, *prodesse vel obesse potest.* VEL QVI COLOR. *Aut quis tandem color vel prætextus potest contra rectam consuetudinem, Scripturam, naturam, ecclesiasticam disciplinam allegari?* PEROSIVS. *Odiosius vanâ gloriâ.* RATVM DEO. *Deceptum, gratum, constitutum à Deo. Alij legunt supra*, operosius gloriâ; *grauius, & molestius curâ solicitâ ornandi & comandi se, vt placeas hominibus.* IVBERIS. 1. *Thess.* 5. 21. Omnia autem probate, quod bonum est tenete. Ab omni specie mala abstinete vos. *Translat. Syr.* Ab omni voluntate mala fugite.

4. ADIMPLE HABITVM. *Vt reliquo habitu repræsentas nuptam, sic & in velamine, quo velut clypeo & muro virginitatem tuam serues.* MENTIRE ALIQVID. *Finge te esse nuptam, dissimula te virginem.* ALIENAS SPONSAS. *à viris mortalibus ductas.* MVLTÒ MAGIS SVAS. *Zelator quippe Christus est*: lampades eius lampades ignis, &c. *Accipe Hieronymum ad Eustochium.* Zelotypus, *inquit*, est Iesus, non vult ab aliis videri faciem tuam.

6. NATVRÆ PRÆIVDICIVM. *Natura etiam antè censuit velandam esse virginem, cuius caput sicut & mulieris prolixo capillamento velauit & texit. Quo argumento vsus est Apostolus.* 1. *Cor.* 11. 13. Vos ipsi iudicate: decet mulierem non velatam orare Deum? Nec ipsa natura docet, vos quòd vir quidem, si comam nutriat, ignominia est illi? mulier verò, si comam nutriat, gloria est illi? quoniam capilli pro velamine ei dati sunt. AMBITIONEM. *Redundantiam.* ANGELI EXORBITARINT. *Vide dicta in alphabeto Errorum. Et alludit ad Paulum supra versu* 10. Ideo debet mulier potestatem habere supra caput, propter Angelos. ADAM INTEGER, *virgo, nondum cognitâ Euâ.* INSTRVCTA. *Plena.* DEFECTVM. *Præcisum.* INVESTIS, *sine pube.* ÆQVA VENIA, *par licentiâ.* CVM NOMINASSET. *Et si nominasset.*

7. VOCABVLI COMMVNIO, *nomen commune & appellatio mulieris.* CONVERTAMVS, *supple sermonem; vel conuertamur.* SI CAPVT. 1. *Cor.* 11. 3. Volo, *inquit*, vos scire quòd omnis viri caput, Christus est; caput autem mulieris, vir: caput verò Christi, Deus. DE QVA SIT. *Quia nupta non fit, nisi quæ priùs virgo fuerit, nisi fortè virgo sit aliquod tertium monstruosum, & contra naturam, præter virum, & mulierem, quæ capiti suo hoc est viro, ex quo Eua priùs virgo quàm mulier sumpta est, ei dominetur, sub cuius potestate esse debet, cuius velamen impositum est symbolum. Sic ergo argumentatur: si omnis mulieris, & proinde virginis quæ hoc nomine comprehenditur, caput velari debet, omnis mulieris & consequenter virginis velatum esse debet.* SI MVLIERI TVRPE. *Paulus supra versu* 5. Omnis mulier orans vel prophetans non velato capite, deturpat caput suum: vnum enim est ac si decaluetur. *Translat. Syr. similis est ei cuius rasum est caput.* Nam si non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe est mulieri tonderi aut decaluari, velet caput suum. VIDERIT SÆCVLVM. *Nihil ad me, nec fidelium interest quid apud Gentiles molles & luxuriosos hac in causa factitetur, qui virgines interdum tondent, vt sint instar puerorum intonsorum, pueros autem intonsos relinquentes vt apparerent instar virginum.* ÆMVLVM DEI, *Gentilium mores Dei disciplinæ sunt contraria. Deus enim & natura vult hominis caput liberum esse & rasum sine superfluo capillamento, mulierem verò etiam præter capillaturam, velo obtegi.* DECORI MENTITVR, *ad decorem mendacem sexus masculi assumendum, casâ comâ.* PVERO PROMISSVM. *Effusum & prælongum. Contra hos fucos & mendacia vultus, Clemens Alex. lib. 3. Pædag. cap.* 3. Omnia, *inquit*, immutauit luxus, hominem probro ac dedecore affecit: mollis & luxuriosa ac superflua curiositas quærit omnia, aggreditur omnia, naturam comprimit, homines patiuntur muliebria, & fœminæ præter naturam viros agunt. SI GLORIA VIRI. 1. *Cor.* 11. 7. Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago & gloria Dei est: *quæ vtique reuelanda est*, mulier autem gloria viri est. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Ideo debet mulier potestatem habere supra caput, propter Angelos. *Vide alibi dicta in hanc rem ab Augustino. Interim accipe sensum ex D. Thoma in hunc locum.* Mulier est gloria viri, quia claritas mulieris deriuatur à viro, quoniam de viro sumpta est. *Vnde sequitur, cùm costa Adæ primò virgo fuerit, hanc quoque à viro deriuatam, & proinde viri gloriam esse quidquid habeat mulier.* GLORIA SIBI EST. *In quantùm virgo non pendet à viro, nec ordinatur ad virum scilicet mortalem. Non quòd velit donum virginitatis de quo supra diximus, à libero virginum pendere arbitrio, sed quòd nemo eam seruare cogatur, sed liberum sit nubere vel non nubere. Sensus ergo integer est, quòd si omnis mulier nupta quia glo-

ria est viri, & nihil à se habet, & cum ipsa costa adhuc virgo de viro sumpta sit. sub cuius potestate est posita, cuius Symbolum est velum; multò magis virgo, quæ & virginitatis decorem à Christo viro suo habet, velari debet, nec in se gloriari, sed totum referre ad caput suum Christum. Vir ergo ex D. Thoma sub Deo immediatè existens, non debet habere velamen super caput, vt ostendat se immediatè Deo subesse: mulier autem debet habere velamen, vt ostendat se præter Deum alteri naturaliter subesse, quia est rationis minùs vigorosæ. Præterea quia omnis gloria est occultanda, mulier viri gloria debet occultari; homo autem imago & gloria Dei prior & potior non debet occultari, sed reuelari.

9. CAPITA NVNDINATITIA, quia nuditate suâ exponunt formam suam tanquam venalem TRAHANTVR. Quasi victimæ libidinis. ERVBESCENTES. Imò verò potius si Sanctæ sunt & veræ virgines erubescant humilitate verecundâ, quòd in medio Ecclesiæ agnoscantur reuelatæ inter mulieres velatas. PAVENTES. Quia ex Ambrosio trepidare virginum est. ACCERSITÆ. Quia sic detecta videntur velle occasionem dare stupri. NON MINVS ENIM. Idem quippe est velle videri, & stuprum pati. OMNIS PVBLICATIO. Detectio, reuelatio; expositio in publicum. MINVS EST. Corrumpi carne in finem matrimonij & prolis leuius est quàm spiritu corrumpi. Spiritum autem violat quæ sine velamine procedit, quia hinc edíscit amittere pudorem virginalem quem tuebatur; & non soli licitæ matrimonij copulæ, sed multis criminosis libidinibus se exponit. O SACRILEGÆ MANVS. Vel inuehitur in primos moris huius pessimi inuectores vel in aliquem libidinosum, qui velum detraxerat alicui virgini Deo dicatæ. QVID PRIVS. Grauius in delicto, vel priùs tempore. Primò enim persecutor velum detrahit virgini, cùm vult eius pudicitiam aggredi. Quoties autem tyranni & præfecti non velum tantùm, sed & vestem omnem virginibus detraxerunt, vt oculos suos explerent? TOTA IAM VIRGO NON EST. Quia tota tecta esse debet.

10. VERA. Non dissimulata. TOTA, mente & spiritu. PVRA. Incorrupta non habens maculam neque rugam. SEMETIPSAM. Fragilitatem carnis suæ, & amorem proprium, & innatum appetitum gloriæ. ALIOS OCVLOS. Supple differentes à nuptis, longè pudiciores. Vnde Hiero. ad Gaudentium: virgo es; quid te mulierum delectat societas? & ad Eustoch. Sed aliter vident impudici oculi. QVASI AD CLYPEVM. Naz. oratione 31. sic loquitur virgini: inaccessibilem te custodi, &c. vndequaque prauus ille te perscrutatur atque explorat, vbi feriat, vbi vulneret, numquid nudum aliquid apertum reperiat, plagæque obuium. FASCINVM. Plin. lib. 7. In eadem, inquit, Africa familias quasdam effascinantium, Isigonus & Memphidorus tradunt: quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes. Hinc subijcit magis infœlicem esse euentum ex nimia gloria & laude, quam ex quocumque fascino, quo & animæ humilitas corrumpitur, & forma laudata & concupita violatur. DIABOLO. A diabolo procedere dicimus hæc infortunia, vel à Deo etiam iusto iudice tradente in reprobum sensum. CENSORIVM LVMEN. Oculos iudices & arbitros. SOLI DEO. Athanasius lib. de Virginitate. Homini si occurras, faciem velà defixam humi, nec homini faciem attollas, nisi tantùm Deo tuo. OCVLIS PREMERE, vrgere. Aug. lib. 14. cap. 20. vbi de turpitudine Cynicorum, potius arbitror concumbentium motus dedisse oculis hominum nescientium quid sub pallio tegeretur, quàm humano premente conspectu, potuisse illam peragi voluptatem. IAM SE MVLIEREM NEGAT. Virgo tecta velamine, eo ipso videtur satis seque-

S. Aug.

A strari de communi sorte mulierum, eo ipso quòd se esse virginem dissimulat, assumpto velo communi mulierum.

11. PROPRIVM IAM PASSVS. Iam suscepto sponte onere, & scripto iam libro Græco de velandis Virginibus, superest vt Latinè quoque probem velandas statim esse, cùm puerilès annos transierint, quæ propriè virgines sunt, nullo incontinentiæ motu ad libidinem excitatæ.

12. EXPVNGEMVS, implebimus, perficiemus. EX PARTE SVBSECVTÆ. Vt non interrumperem contextum eius. EX DIVERSO HABEBAT. Poterat, ex aduerso respondere. SE INTELLIGERE. Ratiocinari, & B agnoscere sibi esse erubescendum. CENSVM NATVRÆ, propriam naturæ corruptæ originem, quâ cum primis parentibus nudari erubescit ob rebellionem carnis. DE VIRGINIS EXIRE, priùs enim in pueritia nihil tale patiebatur. Alij legunt: sensum naturæ. NOVVM ILLVD, menstruam purgationem. INTELLECTV CAREBANT. Non quòd irrationales essent, in perfecta ætate conditi, sed priusquam sentirent rebellionem illam. ARBORE AGNITIONIS. Ligno scientiæ, ex quo argutè dixit priùs intellectu caruisse, scilicet practico per experientiam pœnæ inflictæ. TEGMINE NOTAVERVNT, ostenderunt, folia in succinctoria consuendo, mutuam se in membris libidinem passos. SI PROPTER ANGELOS. De quo iam supra ex Paulo. OPERABITVR. Vim obtinebit. FILIÆ HOMINVM, quas iuxta errorem suum alibi re- C futatum, concupierunt Angeli. EX ILLO. Ab eo tempore. VIRGO DESINIT. Cessat esse, quantùm attinet ad naturalem virginitatem, quæ priùs libera erat à motibus impudicis. POTEST NON ESSE, vtpote nubilis & viro matura. AD VIRVM TRADERE. Dare viro ad nuptias. CONTESTATAM SANGVINE. Donec sanguis menstruus testari possit illam esse iam nubilem. ACERBA RES EST. Immatura concubitui. DESINIT VIRGINEM. Virgo esse. LEGI APPLICABITVR, obstringetur lege velaminis. PENES ISRAEL. Apud Iudæos. Post Pamelium quæsiui nec inueni huiusmodi legem. Nec enim hic agit Author de eo quod habetur Deut. 22. 15. de viro vxorem suam dimittere volente, quasi ante corruptam: tollent eam pater & mater eius, & fe- D rent secum signa virginitatis eius ad Seniores vrbis qui in porta sunt. Hoc est ex Lyr. & Tost. linteum tinctum sanguine ex primo coitu, quo iuxta Galenum labia vteri dilacerantur. Lyranus intelligit testimonium scriptum matronarum, de virginitate puellæ explorata, quod parentibus eius tradebatur.

Iam de velo virginum aliquid referamus ex Patribus. Cyprianus de disciplina & habitu virginum. Instruit, inquit, Paulus & dicit, Virgo & mulier innupta cogitat ea quæ sunt Domini, vt sit sancta & corpore & spiritu. Virgo non esse tantùm, sed & intelligi debet & credi, vt nemo cùm virginem videt, dubitet an Virgo sit. Parem se integritas in omnibus præstet, nec bonum corporis cultus infamet. Quid ornata, quid compta procedit, quasi maritum, aut habeat aut quærat? timeat potiùs placere si virgo E est, nec periculum sui appetat, quæ ad meliora & diuina se seruat, &c. Neque enim fas est virginem ad speciem formæ suæ comi, aut de carne, & de eius pulchritudine gloriari; cùm nulla sit illi magis quam aduersùs carnem colluctatio, & vincendi corporis ac domandi obstinata certatio. Ad quod certamen, supra, veli clypeum, & galeam necessariam dixit Tertullianus. Quâ autem ætate velandæ sint virgines docuit Ambrosius lib. 3. de Virginibus circa medium. Aiunt, inquit, plerique maturioris ætatis virgines esse velandas. Neque ego abnuo Sacerdotalis esse cautionis debere, vt non temerè puella veletur. Spectet planè, spectet ætatem Sacerdos, sed fidei vel pudoris: spectet maturitatem vere-

cundiæ, examinet grauitatis canitiem, morum senectam, pudicitiæ annos, animos castitatis. Tum deinde si matris tuta custodia, comitum sobria sedulitas. Si hæc præsto sunt, non deest virgini longæua canities: si hæc desunt, differatur puella, moribus quam annis adolescentior. Non ergo ætas reiicitur florentior, sed animus examinatur. Et certè Theclam non senectus, sed virtus probauit. Et hinc quid plura contexam, cùm omnis ætas habilis Deo, perfecta sit Christo? Denique non virtutem ætatis appendicem dicimus, sed virtutis ætatem. Nec mirere in adolescentulis professionem, cùm legeris in paruulis passionem. Scriptum est enim: ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. An dubitamus si eum vsque ad continentiam sequatur adolescentia, quem vsque ad mortem confitetur infantia? & quasi incredibile putamus, si puellæ nubiles Christum sequantur ad regnum, quem etiam pueri sequebantur in desertum, &c. Nolite adolescentulas arcere, de quibus scriptum est, propterea adolescentulæ dilexerunt te, & introduxerunt te in domum matris suæ. *Et lib. 1. de Virginibus circa fin. refert exemplum inuitis parentibus velatæ:* Bonum, *inquit*, est si virgini studia parentum quasi flabra pudoris aspirent, sed illud gloriosius, si teneræ ignis ætatis, etiam sine veteribus nutrimentis, sponte se rapiat in fomitem castitatis, &c Memoriæ nostræ puella dudum nobilis in sæculo, nunc nobilior Deo, cùm vrgeretur ad nuptias à parentibus & propinquis, ad sacrosanctum altare confugit. Quò enim melius virgo recurreret, quàm vbi sacrificium virginitatis offertur? *Aduerte vinum germinans virgines & corpus de virgine sumptum; & Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech sine patre & matre.* Ne is quidem finis audaciæ, stabat ad Aram Dei, pudoris hostia, victima castitatis: nunc capiti dexteram Sacerdotis imponens, precem poscens, nunc iustæ impatiens moræ, summum altari subiectans verticem. Num melius, inquit, mater tu me, quàm altare velabis, *nota nouæ nuptæ velum imponi solitum à matre*, quod sanctificat ipsa velamina? plus talis decet flammeus, *de quo supra Tertullianus*, in quo caput omnium. *Etiam virorum, supra ex Paulo*, Christus quotidie consecratur. *Cuius sanguine rubescit.* Quid agitis vos propinqui? quid exquirendis adhuc nuptiis sollicitatis animum? iam dudum prouisas habeo. Sponsum offertis? meliorem reperi. Quaslibet exaggerate diuitias, iactate nobilitatem, prædicate potentiam: habeo eum cui nemo se comparet; diuitem mundo, potentem Imperio, nobilem cœlo. Si talem habetis, non refuto optionem: si non reperitis, non prouidetis mihi, sed inuidetis. *Tractatu autem ad virginem lapsam cap. 5.* Non es, *inquit*, memorata diem sanctum, diem Dominicæ Resurrectionis, in quo diuino altari te obtulisti velandam? in tanto tamque solemni Conuentu Ecclesiæ Dei, inter lumina illa splendida regni cœlestis quasi Regi nuptura processeras, &c. His in illo tunc die consecrationis tuæ dictis, & multis super castitate tua præconiis, sacro velamine tecta es, &c. Quæ se spopondit Christo & sancti velamen accepit, *nota cum Sancto Sanctorum comparare virginem.* Iam nupsit, iam immortali iuncta est viro. Et iam si voluerit nubere, communi lege coniugij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Si hoc ita est, quid de illa dicendum est, quæ occultâ & furtiuâ turpitudine constupratur, & fingit se esse quod non est? Habitu virgo, facto non virgo. Bis adultera, & in actu, & in aspectu. *Quia adulterinum & mentitum virginis habitum obiicit aspectui*

A *hominum. Aptißimè in rem Tertulliani. Et lib. de instit. virg.* Non, *inquit*, solitaria dos pudoris est: succingat sacræ Virginis crinem modestia, sobrietas, continentia, virtutum vt accincta comitatu, purpureo Dominici sanguinis redimita velamine, mortificationem Domini Iesu in sua carne circumferat. Hæc sunt enim meliora velamina, quæ sunt indumenta virtutum, quibus culpa obtegitur, innocentia reuelatur. *Leuit. 4. 17. olim Sacerdos velum septies aspergebat sanguine victimæ. Et numerus hic virgineus est, & indiuisibilis, sicut indiuisa virgo. Idem Ambr. ep.* 12. Non vittæ capitis decus, sed ignobile velamen vsu nobile castitatis: non exquisita, sed abdicata lenocinia pulchritudinis. *Et Hiero. ep.* 8. *ad Demetriadem.* Scio quod ad imprecationem, *sumit in bonam partem*, Pontificis, flammeum virginale sanctum operuit caput. *Et epist. ad Eustoch.* Vbi, *inquit*, in pectore virginali sæcularium negotiorum cura æstuat, statim velum templi scinditur, sponsus consurgit iratus, & dicit, relinquetur vobis domus vestra deserta. *Nota & iuxta Iosephum lib. 6. de bello Iudaico duplex velum erat templi, vnum interius, aliud exterius; quod postremum ex Hiero. ep. 150 quæst. 8. tempore Paßionis est scissum: & ex Ephrem sermone de Paßione, tunc columba ex templo visa est egredi. Augustinus claudet hunc locum vno aut altero textu. Ep. 73. ad Possidium.* Nolo, *inquit*, de ornamentis auri vel vestis præproperam habeas in prohibendo sententiam: nisi in eos qui neque coniugati, neque coniugari cupientes, cogitare debeant quomodo placeant Deo. Illi autem cogitant quæ sunt mundi, quomodo placent vel viri vxoribus, vel mulieres maritis, nisi quòd capillos nudare fœminas, quas etiam caput velare Apostolus iubet, nec maritatas decet. *Epistola autem 79. ad Probam & Iulianam, quibus adgratulatur de Demetriade, quæ virginitatis velum acceperat.* Quis verbis, *inquit*, explicet, quis digno præconio prosequatur, quantùm incomparabiliter gloriosius atque fructuosius habeat ex vestro sanguine fœminas virgines Christus, quàm viros Consules mundus? Nam volumina temporum si magnum atque præclarum est nominis dignitate signare, quantò est maius atque præclarius cordis & corporis integritate transcendere? magis itaque gaudeat puella nobilis genere, nobilior sanctitate, quòd sit per diuinum consortium, præcipuam in cœlis consecuta sublimitatem, quàm si esset per humanum connubium prolem propagatura sublimem. Generosius quippe elegit Aniciana posteritas tam illustrem familiam beare nuptias nesciendo, quàm multiplicare pariendo, & in carne iam imitari vitam Angelorum, quàm ex carne adhuc numerum augere mortalium. Hæc est vberior fœcundiorque fœlicitas non ventre grauescere, sed mente grandescere; non lactescere pectore, sed corde candescere: non visceribus terram, sed cœlum orationibus parturire, &c. Imitentur eam multæ familiæ Dominam, ignobilès nobilem, fragiliter excelsæ, excelsius humilem virgines quæ sibi optant Aniciorum claritatem, eligant sanctitatem. Illud enim quantalibet cupiditate, quando assequantur? Hoc autem si plenè cupierint, mox habebunt, &c. pignora sanctitatis vestræ, præcipuè ipsam sanctitatem vestram præcipuam debito vestris meritis officio, dilectionem Domini salutamus. Velationis Apophoretum gratissimè accepimus. *Apophoreta, sunt munuscula, siue xenia, quæ dabantur Saturnalibus, vel etiam quæ à conuiuis post cœnam data auferebantur. A quo fortè die velationis filiæ accepta munuscula, Augustinus gratanter accepit à Iuliana. Institutum virginum quod Paulus ad Corinthios*

S. Aug.

S. Aug.

bios commendauit, per alias postea Ecclesias toto orbe propagatum testatur Iustinus Martyr oratione ad Antoninum Pium. Cyprianus de habitu virginum, sanctus A *Ignatius ep. 8. 10. 12. 13. Hiero. contra Iouin. lib. 1. vbi de quatuor filiabus S. Philippi Diaconi, &c.*

VELANDÆ MVLIERES.

1. *Velant Ethnici sponsas adhuc intactas, ducentes eas ad virum. De velan. Virg. cap. 11. circa f.* *V. Verbo, Osculum 3.*

2. *Velanda mulieres exemplo Rebeccæ & Susannæ. De Coro. cap. 4. à p.* *V. Verbo, Traditio, num. 5. in m.*

* 3. *Velare debet mulier caput suum, in signum subiectionis debitæ viro, & satisfactionem scandalosi quondam decoris. 5. cont. Marc. cap. 8. à p.*

QVare * *mulier potestatem super caput habere debebit? Si quia ex viro, & propter virum facta est* secundùm institutionem Creatoris, sic quoque eius disciplinam Apostolus curauit, de cuius institutione causas disciplinæ interpretatur. Adiicit etiam, *Propter Angelos.* Quos? id est, cuius? Si Creatoris apostatas, meritò, vt illa facies quæ eos scandalizauit, notam quandam referat de habitu humilitatis, & obscuratione decoris. Si verò propter Angelos Dei alterius quid veretur, si nec ipsi Marcionitæ feminas appetunt? *1. Cor. 11. 10.* *Ibid.*

4. *Mulier omnis & omnimodè velanda est, quia totum caput est, & vndique tentat, omnique viro periculosa est. De vel. cap. 16. in m.*

SVperest etiam vt ad ipsas conuertamur, quo libentiùs ista suspiciant. Oro te siue mater, siue soror, siue filia virgo, secundùm annorum nomina dixerim, vela caput: si mater, propter filios: si soror, propter fratres: si filia, propter patres. omnes in te ætates periclitantur, indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.

5. *Et ibid. cap. 17. in p. ad m.*

SEd & vos admonemus alterius pudicitiæ mulieres, quæ in nuptias incidistis, ne sic à disciplina velaminis exolescatis, ne quidem in momento horæ, vt quia reiicere illam non potestis, alio modo destruatis, neque tectæ, neque nudæ incedentes. Mitris enim & lanis quædam non velant caput, sed conligant; à fronte quidem protectæ, quà propriè autem caput est, renudæ. Aliæ modicè linteolis, credo ne caput premant, nec ad aures vsque demissis cerebro tenus operiuntur. Misereor, si tam infirmo auditu sunt, vt per tegmen audire non possint. Sciant quia totum caput mulier est. limites & fines eius eo vsque porriguntur, vnde incipit vestis. quantùm resoluti crines occupare possunt, tanta est velaminis regio, vt ceruices quoque ambiantur. ipsæ enim sunt quas subiectas esse oportet, propter quas * *potestas supra caput haberi debet*: velamen iugum illarum est. Iudicabunt vos Arabiæ feminæ ethnicæ, quæ non caput, sed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo liberato, contentæ sint dimidiam frui lucem, quàm totam faciem prostituere mauult femina videre, quàm videri. quas propterea infelicissimas ait Romana quædam regina, quòd adamare magis quàm adamari possint. cùm sint vel ex alterius infelicitatis, & quidem frequentioris, immunitate felices, quia faciliùs adamari, quàm adamare feminæ possint. Et ethnicæ quidem disciplinæ meracior, & (vt ita dixerim) barbarior modestia. *1. Cor. 11. 10.*

6. *Et ibid. à m. ad f.*

QVantam autem castigationem merebuntur etiam illæ, quæ inter Psalmos, vel in quacunque Dei mentione retectæ perseuerant? Meritóne etiam quæ in oratione ipsa facillimè fimbriam, aut villum, aut quodlibet filum cerebro superponunt, & tectas se opinantur? Tanti caput suum metiuntur. Aliæ, quibus planè maior est palma omni fimbriâ & filo, non minùs capite suo abutuntur, vt bestia quædam magis quàm auis, licet pennata, breui capite, protractâ ceruice, cetera altegradia. Hanc aiunt, cum delitescendum habet, caput solum planè totum in condensum abstrudere, reliquam se in aperto relinquere. Ita dum in capite secura est, nuda quà maior est, capitur tota cum capite. Tales erunt & istæ minùs quàm vtile est tectæ. Oportet ergo omni tempore & omni loco memores legis incedere, paratas & instructas ad omnem Dei mentionem: qui si fuerit in pectore, cognoscetur & in capite feminarum. Hæc cum bona pace legentibus, veritatem consuetudini præponentibus, pax & gratia à Domino nostro Iesu redundet, cum Septimio Tertulliano, cuius hoc opusculum est.

cundiæ, examinet grauitatis canitiem, morum senectam, pudicitiæ annos, animos castitatis. Tum deinde si matris tuta custodia, comitum sobria sedulitas. Si hæc præsto sunt, non deest virgini longæua canities: si hæc desunt, differatur puella, moribus quàm annis adolescentior. Non ergo ætas reiicitur florentior, sed animus examinatur. Et certè Theclam non senectus, sed virtus probauit. Et hinc quid plura contexam, cùm omnis ætas habilis Deo, perfecta sit Christo? Denique non virtutem ætatis appendicem dicimus, sed virtutis ætatem. Nec mirere in adolescentulis professionem, cùm legeris in paruulis passionem. Scriptum est enim: ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. An dubitamus si eum vsque ad continentiam sequatur adolescentia, quem vsque ad mortem confitetur infantia? & quasi incredibile putamus, si puellæ nobiles Christum sequantur ad regnum, quem etiam pueri sequebantur in desertum, &c. Nolite adolescentulas arcere, de quibus scriptum est, propterea adolescentulæ dilexerunt te, & introduxerunt te in domum matris suæ. *Et lib. 1. de Virginibus circa fin. refert exemplum inuitis parentibus velatæ:* Bonum, *inquit*, est si virgini studia parentum quasi flabra pudoris aspirent, sed illud gloriosius, si teneræ ignis ætatis, etiam sine veteribus nutrimentis, sponte se rapiat in fomitem castitatis, &c Memoriæ nostræ puella dudum nobilis in sæculo, nunc nobilior Deo, cùm vrgeretur ad nuptias à parentibus & propinquis, ad sacrosanctum altare confugit. Quò enim melius virgo recurreret, quàm vbi sacrificium virginitatis offertur? *Aduerte vinum germinans virgines & corpus de virgine sumptum; & Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech sine patre & matre.* Ne is quidem finis audaciæ, stabat ad Aram Dei, pudoris hostia, victima castitatis: nunc capiti dexteram Sacerdotis imponens, precem poscens, nunc iustæ impatiens moræ, summum altari subiectans verticem. Num melius, inquit, mater tu me, quàm altare velabis, *nota nouæ nuptæ velum imponi solitum à matre,* quod sanctificat ipsa velamina? plus talis decet flammeus, *de quo supra Tertullianus*, in quo caput omnium. *Etiam virorum, supra ex Paulo*, Christus quotidie consecratur. *Cuius sanguine rubescit.* Quid agitis vos propinqui? quid exquirendis adhuc nuptiis sollicitatis animum? iam dudum prouisas habeo. Sponsum offertis? meliorem reperi. Quaslibet exaggerate diuitias, iactate nobilitatem, prædicate potentiam: habeo eum cui nemo se comparet; diuitem mundo, potentem Imperio, nobilem cœlo. Si talem habetis, non refuto optionem: si non reperitis, non prouidetis mihi, sed inuidetis. *Tractatu autem ad virginem lapsam cap. 5.* Non es, *inquit*, memorata diem sanctum, diem Dominicæ Resurrectionis, in quo diuino altari te obtulisti velandam? in tanto tamque solemni Conuentu Ecclesiæ Dei, inter lumina illa splendida regni cœlestis quasi Regi nuptura processeras, &c. His in illo tunc die consecrationis tuæ dictis, & multis super castitate tua præconiis, sacro velamine tecta es, &c. Quæ se spopondit Christo & sancti velamen accepit, *nota cum Sancto Sanctorum comparare virginem.* Iam nupsit, iam immortali iuncta est viro. Et iam si voluerit nubere, communi lege coniugij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Si hoc ita est, quid de illa dicendum est, quæ occultâ & furtiuâ turpitudine constupratur, & fingit se esse quod non est? Habitu virgo, facto non virgo. Bis adultera, & in actu, & in aspectu. *Quia adulterinum & menticum virginis habitum obiicit asfellni*

A *hominum. Aptissimè in rem Tertulliani. Et lib. de instit. virg.* Non, *inquit*, solitaria dos pudoris est: succingat sacræ Virginis crinem modestia, sobrietas, continentia, virtutum vt accincta comitatu, purpureo Dominici sanguinis redimita velamine, mortificationem Domini Iesu in sua carne circumferat. Hæc sunt enim meliora velamina, quæ sunt indumenta virtutum, quibus culpa obtegitur, innocentia reuelatur. *Leuit. 4. 17. olim Sacerdos velum septies aspergebat sanguine victimæ. Et numerus hic virgineus est, & indiuisibilis, sicut indiuisa virgo. Idem Ambr. ep. 12.* Non vittæ capitis decus, sed ignobile velamen vsu nobile castitatis: non exquisita, sed abdicata lenocinia pulchritudinis. *Et Hiero. ep. 8.*

B *ad Demetriadem.* Scio quod ad imprecationem, *sumitur in bonam partem*, Pontificis, flammeum virginale sanctum operuit caput. *Et epist. ad Eustoch.* Vbi, *inquit*, in pectore virginali sæcularium negotiorum cura æstuat, statim velum templi scinditur, sponsus consurgit iratus, & dicit, relinquetur vobis domus vestra deserta. *Nota & iuxta Iosephum lib. 6. de bello Iudaico duplex velum erat templi, vnum interius, aliud exterius; quod postremum ex Hiero. ep. 150 quæst. 8. tempore Passionis est scissum; & ex Ephrem sermone de Passione, tunc columba ex templo visa est egredi. Augustinus claudet hunc locum vno aut altero textu. Ep. 73. ad Posidium.* Nolo, *inquit*, de ornamentis auri vel vestis præproperam habeas in prohibendo sententiam: nisi in eos qui neque coniugati, neque con- S. Aug.

C iugari cupientes, cogitare debeant quomodo placeant Deo. Illi autem cogitant quæ sunt mundi, quomodo placent vel viri vxoribus, vel mulieres maritis, nisi quòd capillos nudare fœminas, quas etiam caput velare Apostolus iubet, nec maritatas decet. *Epistola autem 79. ad Probam & Iulianam, quibus adgratulatur de Demetriade, quæ virginitatis velum acceperat.* S. Aug. Quis verbis, *inquit*, explicet, quis digno præconio prosequatur, quantùm incomparabiliter gloriosius atque fructuosius habeat ex vestro sanguine fœminas virgines Christus, quàm viros Consules mundus? Nam volumina temporum si magnum atque præclarum est nominis dignitate

D signare, quantò est maius atque præclarius cordis & corporis integritate transcendere? magis itaque gaudeat puella nobilis genere, nobilior sanctitate, quòd sit per diuinum consortium, præcipuam in cœlis consecuta sublimitatem, quàm si esset per humanum connubium prolem propagatura sublimem. Generosius quippe elegit Aniciana posteritas tam illustrem familiam beare nuptias nesciendo, quàm multiplicare pariendo, & in carne iam imitari vitam Angelorum, quàm ex carne adhuc numerum augere mortalium. Hæc est vberior fœcundiorque fœlicitas non ventre grauescere, sed mente grandescere; non lactescere pectore, sed corde candescere: non visceribus terram, sed cœ-

E lum orationibus parturire, &c. Imitentur eam multæ familiæ Dominam, ignobilès nobilem, fragiliter excelsæ, excelsius humilem virgines quæ sibi optant Aniciorum claritatem, eligant sanctitatem. Illud enim quantalibet cupiditate, quando assequantur? Hoc autem si plenè cupierint, mox habebunt, &c. pignora sanctitatis vestræ, præcipuè ipsam sanctitatem vestram præcipuam debito vestris meritis officio, dilectionem Domini salutamus. Velationis Apophoretum gratissimè accepimus. *Apophoreta, sunt munuscula, siue xenia, quæ dabantur Saturnalibus, vel etiam quæ à conuiuiis post cœnam data auferebantur. A quo fortè die velationis filiæ accepta munuscula, Augustinus gratanter accepit à Iuliana. Institutum virginum quod Paulus ad Corinthios*

bius commendauit, per alias postea Ecclesias toto orbe propagatum testatur Iustinus Martyr oratione ad Antoninum Pium. Cyprianus de habitu virginum, sanctus A *Ignatius ep. 8. 10. 12. 13. Hiero. contra Iouin. lib. 1. vbi de quatuor filiabus S. Philippi Diaconi, &c.*

VELANDÆ MVLIERES.

1. *Velant Ethnici sponsas adhuc intactas, ducentes eas ad virum. De velan. Virg. cap. 11. circa f. V. Verbo, Osculum 3.*

2. *Velanda mulieres exemplo Rebeccæ & Susannæ. De Coro. cap. 4. à p. V. Verbo, Traditio, num. 5. in m.*

3. *Velare debet mulier caput suum, in signum subiectionis debitæ viro, & satisfactionem scandalosi quondam decoris. 5. cont. Marc. cap. 8. à p.*

QVare [a] *mulier potestatem super caput habere debebit? Si quia ex viro, & propter virum* a 1. Cor.
facta est secundùm institutionem Creatoris, sic quoque eius disciplinam Apostolus 11. 10.
curauit, de cuius institutione causas disciplinæ interpretatur. Adiicit etiam, *Propter An-* Ibid.
gelos. Quos? id est, cuius? Si Creatoris apostatas, meritò, vt illa facies quæ eos scandalizauit, notam quandam referat de habitu humilitatis, & obscuratione decoris. Si verò propter Angelos Dei alterius quid veretur, si nec ipsi Marcionitæ feminas appetunt?

4. *Mulier omnis & omnimodè velanda est, quia totum caput est, & vndique tentat, omnique viro periculosa est. De vel. cap. 16. in m.*

SVperest etiam vt ad ipsas conuertamur, quo libentiùs ista suspiciant. Oro te siue mater, siue soror, siue filia virgo, secundùm annorum nomina dixerim, vela caput: si mater, propter filios: si soror, propter fratres: si filia, propter patres. omnes in te ætates periclitantur, indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.

5. *Et ibid. cap. 17. in p. ad m.*

SEd & vos admonemus alterius pudicitiæ mulieres, quæ in nuptias incidistis, ne sic à disciplina velaminis exolescatis, ne quidem in momento horæ, vt quia reiicere illam non potestis, alio modo destruatis, neque tectæ, neque nudæ incedentes. Mitris enim & lanis quædam non velant caput, sed conligant; à fronte quidem protectæ, quâ propriè autem caput est, renudæ. Aliæ modicè linteolis, credo ne caput premant, nec ad aures vsque demissis cerebro tenus operiuntur. Misereor, si tam infirmo auditu sunt, vt per tegmen audire non possint. Sciant quia totum caput mulier est. limites & fines eius eo vsque porriguntur, vnde incipit vestis. quantùm resoluti crines occupare possunt, tanta est velaminis regio, vt ceruices quoque ambiantur. ipsæ enim sunt quas subiectas esse oportet, propter quas [a] *potestas supra caput haberi debet*: velamen iugum illarum est. Iudicabunt a 1. Cor.
vos Arabiæ feminæ ethnicæ, quæ non caput, sed faciem quoque ita totam tegunt, vt 11. 10.
vno oculo liberato, contentæ sint dimidiam frui lucem, quàm totam faciem prostituere maulit femina videre, quàm videri. quas propterea infelicissimas ait Romana quædam regina, quòd adamare magis quàm adamari possint. cùm sint vel ex alterius infelicitatis, & quidem frequentioris, immunitate felices, quia faciliùs adamari, quàm adamare feminæ possint. Et ethnicæ quidem disciplinæ meracior, & (vt ita dixerim) barbarior modestia.

6. *Et ibid. à m. ad f.*

QVantam autem castigationem merebuntur etiam illæ, quæ inter Psalmos, vel in quacunque Dei mentione retectæ perseuerant? Meritóne etiam quæ in oratione ipsa facillimè fimbriam, aut villum, aut quodlibet filum cerebro superponunt, & tectas se opinantur? Tanti caput suum metiuntur. Aliæ, quibus planè maior est palma omni fimbriâ & filo, non minùs capite suo abutuntur, vt bestia quædam magis quàm auis, licet pennata, breui capite, protractâ ceruice, cetera altegradia. Hanc aiunt, cum delitescendum habet, caput solum planè totum in condensum abstrudere, reliquam se in aperto relinquere. Ita dum in capite secura est, nuda quà maior est, capitur tota cum capite. Tales erunt & istæ minùs quàm vtile est tectæ. Oportet ergo omni tempore & omni loco memores legis incedere, paratas & instructas ad omnem Dei mentionem: qui si fuerit in pectore, cognoscetur & in capite feminarum. Hæc cum bona pace legentibus, veritatem consuetudini præponentibus, pax & gratia à Domino nostro Iesu redundet, cum Septimio Tertulliano, cuius hoc opusculum est.

7. *Sine velo mulier ceruice nudatâ ab Angelo percussa est. De vel. Virg. cap. 17. in m.*

NObis Dominus etiam reuelationibus, velaminis spatia metatus est. Nam cuidam sorori nostræ Angelus in somnis ceruices quasi applauderet verberans, elegantes, inquit ceruices, & meritò nudæ. bonum est vsque ad lumbos à capite veleris, ne & tibi ista ceruicum libertas non prosit. Et vtique quod vni dixeris, omnibus dixeris.

8. *Velari iussa mulieres frustra caput ornant. 2. de Cult. fœm. cap. 7. in m.*

1. Cor. 11. 10. FRustra laboratis ornatæ videri, frustra peritissimos quosque structores capillaturæ adhibetis. Deus vos velari iubet. Credo ne quarundam capita videantur.

VELANDÆ MVLIERES. 3. 4. 5. 6. 7. & 8. SCHOL.

POTESTATEM *supra locum retuli ex Paulo, & explicui velum, quod est signum subiectionis; quòd, vt ait, mulier ex viro & propter virum facta, sub eius potestate posita sit.* SECVNDVM INSTITVTIONEM CREATORIS. *Contra Marcionem spernentem vetus Testamentum, cuius authoritatem defendit Apostolus, & causas ex eo adducit velaminis imponendi super caput mulieris.* PROPTER ANGELOS, *à Deo Creatore bonos conditos. Reliqua habes exposita in alphabeto Errorum, Verbo,* Angeli amatores fœminarum, *num. 9.*

4. AD IPSAS. *Mulieres, cuiuscumque conditionis sint, sermonem conuertam.* ARMATVRAM PVDORIS. *Supra dixerat clypeum & galeam esse velum.* NEC TVOS EMITTAT. *Hinc Aug. ep. 109. alibi relata vult capitum velamina non esse tenuia. Et ibidem de oculorum* S. Aug. *custodia.* Oculi vestri si jaciantur in aliquem, figantur in neminem, &c.

5. ALTERIVS PVDICITIÆ. *Inferioris gradus, hoc est nec continentiæ, nec virginitatis, sed nuptialis.* NEQVE TECTÆ, NEQVE NVDÆ, *id est partim velatæ, partim reuelatæ.* EXOLESCATIS, *à consuetudine recedatis.* MITRIS, *redimiculis, breuissimis capitis integumentis.* TOTVM CAPVT. *Quia vndique tentat, tota operiri debet. Clem. Alex lib. 2. Pædag. cap. 2.* Nullo modo, *inquit,* permittendum est mulieribus, vt nudam aliquam corporis partem reuelent. *Et cap. 10.* Nullam partem fœminæ nudari decorum est. ARABIÆ FŒMINÆ. *Etiamnum id ab eis obseruari notat Leo Africus lib. 1.* LIBERATO. *Libero à seruitute veli.* PROSTITVERE, *vt solent impudicæ.* MAVVLT FŒMINA. *Supple Arabica, vt patet ex sequentibus.* ROMANA REGINA. *Messalina Claudij vxor, ideo Arabicas mulieres omnium infœlicissimas censuit, quæ sic opertæ tantummodo possent amare, idque tantò ardentiùs, quò vno oculo clauso, acutiùs altero hominum formam intuentes adamarent. Mediâ autem tantùm parte viris conspicuæ, minùs formosæ, minùs proinde amabiles essent.* EX ALTERIVS INFŒLICITATIS. *Sic carpit Tertullianus Messalinæ impudentiam. Erras, inquit, ô Regina, ex hac potiùs infœlicitate virorum, fœlices sunt Arabicæ fœminæ, cùm enim ardentior sit & impudentior hominum amor in fœminas, quàm fœminarum in viros, ab hoc malo liberæ sunt Arabicæ mulieres, quæ cùm velatæ sint, nec ab hominibus videantur, nisi ex parte, minùs proinde ab hominibus amari & corrumpi possunt.* MERACIOR, *purior, & crudior modestia, siue seuerior, quàm Christianarum, quæ proinde ab Arabicis iudicabuntur.*

6. DEI MENTIONE. *Lectione sacrâ vel prædicatione.* MERITÓNE. *An verè velatas se dicere audebunt, vel potiùs illudere Pauli præcepto, sic leui tegumento caput opertæ.* TANTI METIVNTVR. *Tam paruo spatio mensurant caput suum, vt illud tantùm in summo vertice ponant. Meritò quidem capitula & terebella se habere ex veliculis probant.* MAIOR EST PALMA, *tegumentum capitis cui palma intexta, palmæ manus la-*

A *titudine, quæ solùm caput non autem ceruices tegebat.* BESTIA QVÆDAM. *Struthio camelus, de quo Plin. lib. 10. cap. 1.* Sequitur natura auium, quarum grandissima, & penè bestiarum generis Struthiocameli Africi vel Æthyopici, altitudinem equitis insidentis equo excedunt, celeritatem vincunt: ad hoc demum datis pennis vt currentem adiuuent: ceterò non sunt volucres, nec a terra tolluntur. Vngulæ iis ceruinis similes, quibus dimicant, bisulcæ comprehendendis lapidibus vtiles, quos in fuga contra sequentes ingerunt pedibus; concoquendi sine delectu deuorata, mira natura, sed non minùs stoliditas, in tanta reliqui corporis altitudine, cùm colla frutice occultauerint, latere se existimantium. Præmia ex iis oua propter amplitudinem,
B pro quibusdam habita vasis, conosque bellicos, & galeas adornantes pennæ. *Huic bestiæ aptè Tertull. comparat fœminas sola capita tegentes.* CÆTERA ALTEGRADIA. *De cætero bestia est altè gradiens ob prolixa crura.*

7. SPATIA METATVS EST. *Mensuram præscripsit quousque velum mulierum extendi, & quas partes obtegere debeat.* REVELATIONIBVS. *Ex quo adhæsit Montano, & duabus Prophetissis eius, plus æquo reuelationibus adhæsit. Legendus Hieronymus in ep. ad Latam, vbi similem reuelationem refert.* CVIDAM SORORI. *Christianæ, vel de secta Montani.* CERVICVM LIBERTAS. *Colli nuditas.*

8. STRVCTORES CAPILLATVRÆ, *concinnatores, vel ex adscititiis crinibus, vel propriis. Alibi de ornatu*
C *capillorum dicta consule.*

De velandis mulieribus hæc super adiicio ex Patribus. Tertull. cap. 4. de Corona militis. Apud Iudæos tam solemne est fœminis eorum velamen capitis, vt inde noscantur. *Et de vel. Virg. cap. 11.* Atquin etiam apud Ethnicos velatæ ad virum ducuntur. *Ambr. in exhortatione ad Virg.* Nubes, *inquit*, sunt, & graues nubes quæ nupserunt, namque à nubibus verbum nubentium tractum arbitror. Denique operiuntur, & nubes cùm acceperint nupturæ velamina: & veræ graues nubes quæ sustinent sarcinam matrimonij. *Et libro 3. de Virginibus sic nuptam inducit*, vtinam potuissem reuocare nuptias, vtinam possem flammicum nuptiale pro integritatis velamine mutare. *Porrò cùm Paulus velit velamen*
D *à muliere ferri, in signum potestatis & dominij viri super se, cui inclinari debet, rectè apud Hebræos Baghal significat maritum & dominum. Imitari debent mulieres palmam femellam de qua Ambr. 3. in Hexam. cap. 13.* Videas, *inquit*, palmam quæ dactylos generat, plerumque inclinantem ramos suos, & subiicientem arbori quam marem arborem appellant pueri rusticorum. Illa ergo palma fœmina est, & sexum suum subiectionis specie confitetur. *Romanis Matronis velum in vsu fuit. Inde Valer. Maxim. lib. 6. c. 3.* Horridum est, *inquit*, Sulpitij Galli Ma-

ritale supercilium: nam vxorem dimisit, quòd eam capite aperto foris versatam cognouerat. *Et de Poppæa Sabina Tacitus lib.* 14. Rari in publicum egressus, idque velatâ parte oris; ne satiaret aspectum: vel quia sic decebat. *Idipsum testantur antiqua numismata Liuiæ, Faustinæ, Martiæ Augustarum velatarum, cum inscriptione.* Pudicitia. *De Græcis Apuleius lib.* 7. *&* 11. Mulieres candido splendentes amicimine. *Idem historici notant de Turcarum fœminis, & Tartarorum Reginis, & Sinarum matronis. Optatus Mileuitanus lib.* 6. *de Africanis virginibus velo purpurâ picto potius quàm tincto, vti solitis, in quo aut Christi nomen, aut crucis signum erat expressum, vt opinatur etiam Baronius to.* 4. *ad annum Christi* 362. *vt notarent se Christo sponso subiectas, cuius nomen non tantùm in frontibus iuxta Apoc. sed in capite gestarent & crucis amatrices. D. autem Linus velatas mulieres iussit esse in templo; primò ne aliis essent scandalo; secundò ne in domo orationis humilitatem exigentis, de capillis & capitis ornatu superbirent. Tertiò vt memores peccati, cuius mulier fuit initium tanquam rea coram iudice se sisterent. Sic enim lex Romana præcipit:* caput obnubito, & infœlici arbori suspendito. *Quod & in Aman factum est suspendendo in patibulo quod Mardochæo præparauerat. Esther.* 8. Necdum verbum de ore Regis exierat, & statim operuerunt faciem eius. *Quod & habet Sanct. Pagn. ex Hebr.* Et faciem Haman operuerunt. *Licet* 70. *simpliciter dicant:* Aman autem audiens confusus est facie. *Nec prætereo quod Gen.* 20.16. *Abimelech Saræ dixit, vt iam non sicut innupta sine velo, sed vt nupta velata procederet:* A ecce mille argenteos dedi fratri tuo, *quem fratrem dixeras, qui tamen maritus tuus est*; hoc erit tibi in velamen oculorum. *Tandem quia signum erat potestatis viri super mulierem velamen illud capitis; quòd Augustinus lib.* 12. *de Trinit. transtulit pro potestate, vt alij legunt prætermissis, quæ alibi ex eodem Augustino retuli in locum Pauli, hæc breuiter superaddo de subiectione mulieris viro suo; cuius velamen erat Symbolum. Sic itaque libro* 11. *de Gen. ad lit. cap.* 37. Id quod dictum est, *inquit*, & ad virum tuum conuersio tua, & ipse dominabitur tui, videndum est quemadmodum propriè possit accipi. Neque enim & ante peccatum aliter factam fuisse decet credere mulierem nisi vt vir ei dominaretur, & ad eum ipsa seruiendo conuerteretur. Sed rectè accipi potest, B hanc seruitutem significatam, quæ cuiusdam conditionis est potiùs, quàm dilectionis: vt etiam ipsa talis seruitus quâ homines hominibus postea esse serui cœperunt, de pœna peccati reperiatur exorta. Dixit quidem Apostolus ad Galat. 5. per charitatem seruite inuicem: sed nequaquam diceret, inuicem dominamini. Possunt itaque coniuges per charitatem seruire inuicem, sed mulierem non permittit Apostolus dominari in virum. Hoc enim viro potiùs Dei sententia detulit; & maritum habere dominum meruit mulieris non natura, sed culpa. Quod tamen nisi seruetur, deprauabitur amplius natura, & augebitur culpa. *Velentur ergo mulieres subiectæ viris, memores primæ illius sententiæ: velentur, ne earum peccata ex superbia, & scandalo dato, augeantur.* S. Aug.

VERBVM DEI QVANTI FACIENDVM.

1. *Verbum Dei solius, diuinum est, non Platonis; quo Moyses antiquior est. De Ani. cap.* 28. *in p.*

QVis ille nunc vetus sermo apud memoriam Platonis de animarum reciproco discursu, quod hinc abeuntes eant illuc, & rursus huc veniant & viuant, & dehinc è vita abeant: rursus ex mortuis effici viuos? Pythagoricus, vt volunt, quin & diuinus, vt Albinus existimat, aut Mercurij forsitan Ægyptij. Sed nullus sermo diuinus, nisi Dei vnius, quo Prophetæ, quo Apostoli, quo ipse Christus intonuit. multò antiquior Moyses etiam Saturno, nongentis circiter annis, nedum pronepotibus eius; certè diuinior multò, qui decursus generis humani ab exordio mundi quoque per singulas natiuitates nominatim temporatimque digessit, satis probans diuinitatem operis ex diuinatione vocis.

VERBVM DEI. 1. SCHOL.

APVD MEMORIAM PLATONIS. *Pungit reminiscentiam Platonis de qua alibi.* VETVS SERMO. *De quo Plato in Phædone.* PYTHAGORICVS. *Scilicet sermo qui pro diuino oraculo habebatur, de reuolutione animarum in corporâ. Quem sermonem Plato etiam cognomento diuinus à Pythagora sumpsit, vel forte diuinus reputatus est ab Albino Discipulo Platonis, vel depromptus à Mercurio Trismegisto.* NONGENTIS ANNIS. *Huic supputationi suffragatur Lactantius lib.* 4. *c.* 5. *& Theophilus lib.* 3. *ad Autolycum.* PRONEPOTIBVS. *Posterioribus qualis Mercurius, & alij postea.* TEMPORATIM. *Per singula tempora. Verbum diuinum cuicumque humano verbo præcellere, & omnes paruos & magnos instruere, præclarè docuit Aug. in Psal.* 103. *in versum*, inter medium montium pertransibunt aquæ; potabunt omnes bestiæ agri, expectabunt onagri in siti sua. *Cùm concione secunda in hunc Psal. per montes intellexisset Apostolos, quorum in medio, verbi diuini fluenta omnibus communia decurrebant. Et conclusisset*; media, *inquit*, aqua posita erat hominibus, præceptum Dei, *lex Dei, verbum Dei*, media aqua, quodammodo publica sine fraude volebat, S. Aug. sine labe, sine cœno fluebat, si ipsa aqua semper C biberetur, semper viueretur. *Tum concione* 3. Indè S. Aug. bibit lepus, inde Onager: lepus paruus, & Onager magnus: lepus timidus, & Onager ferus. Vterque inde bibit, sed quisque in sitim suam. Non dicit aqua, lepori sufficit, & repellit Onagrum: neque hoc dicit Onager accedat, lepus si accesserit, rapietur: tam fideliter & temperatè fluit, vt sic Onagrum satiet, ne leporem terreat. Sonat strepitus vocis Tullianæ, Cicero legitur, aliquis liber est, Dialogus eius est, siue ipsius, siue Platonis, seu cuiusque talium: *qui diuini habiti sunt: sed nunquam sic homo locutus est, sicut Deus & Filius Dei: de quo toties in Prophetis scriptum est, factum est Verbum Domini, &c.* Audiant imperiti, infirmi, minoris cor- S. Aug. D dis, quis audet illuc aspirare? strepitus ibi aquæ, & fortè turbatæ, certè tamen tam rapaciter fluentis, vt animal timidum non audeat accedere & bibere. *Ex aduerso cùm turbæ irruerent, vt audirent Verbum Dei, &c.* cui sonuit, *primò Ioanni piscatori, deinde Petro Pater reuelauit, & filius Marthæ, & primò Samaritanæ, principium se esse dixit*, in principio fecit Deus cœlum & terram, & non ausus est bibere? *quod Moyses antiquior Pythagorâ & Platone an-*

dixit à Deo & scripsit, doctis & indoctis. Cui sonat A
Psalmus, & dicat, multum est ad me? Et ecce mo-
S. Aug. do quod sonat Psalmus, certè occulta sunt myste-
ria, tamen ita sonat, vt & pueros audire delectet,
& imperiti accedant ad bibendum, & satiati ru-
ctent in psallendo. *Et ibid. in versum*, super ea vo-
lucres cœli habitabunt, de medio petrarum da-
bunt voces. Spiritales, *inquit*, quasdam animas si-
gnificat hoc nomen. Volatilia spiritalia corda sunt
quæ aëre libero perfruuntur, gaudent serenitate
cœli aues istæ, &c. Sicut vna illa petra Christus
Verbum Dei, sic multa verba Dei, multæ petræ,
& istæ petræ in montibus. *Supra dixerat, montes Pro-*
S. Aug. *pheta, montes Apostoli, montes omnes prædicatores ve-*
ritatis. Vide aues ibi habitantes. Sed noli putare
quia ista volatilia cœli authoritatem suam sequan- B
tur. Vide quid dicat Psalmus, de medio petrarum
dabunt vocem suam. Modò si dicam vobis, cre-
dite, hoc enim dixit Cicero, hoc dixit Plato, hoc
dixit Pytagoras, quis vestrum non irridebit me?
ero enim auis quæ non de petra emitto vocem
meam. Quid mihi vnusquisque vestrum debet di-
cere? Hoc debet dicere ille qui sic instructus est,
si quis vos euangelizauerit præter quàm quòd ac-
cepistis, anathema sit. Quid mihi dicis de Platone,
& de Cicerone, & de Virgilio? habes ante te pe-
tras montium, de medio petrarum mihi da vocem
tuam. De medio petrarum dabunt vocem suam.
Audiantur quia petræ audiuntur; audiantur, quia
& in illis multis petris petra auditur, petra enim
erat Christus. Audiantur ergo libenter, de medio
petrarum dantes vocem suam. Nihil suauius tali
voce alitum. Illæ sonant, & petræ resonant; so-
nant illi; disputant spiritales. Resonant petræ te-
stimonia, respondent scripturæ, ecce inde volati-
lia de medio petrarum dant vocem suam, habitant
enim in montibus. Ipsi montes, & illæ petræ inde
habent vocem. Vt enim rigemur scripturis, con-
fugimus ad Apostolum Paulum. Ille vnde habet?
confugimus ad Esaiam. Esaias vnde? audi vnde.
Rigans montes de superioribus suis. *Quicumque*
B *ergo ex doctis hominibus, siue Pythagoras, siue Plato,*
siue alius quicumque loquatur, homo loquitur. Non sic
vult Paulus prædicatores Christi loqui: si quis loquitur,
inquit, quasi sermones Dei. *Præterea verba quæ lo-*
quuntur sapientes Ethnici, homines quoque sapientes fa-
cere possunt, numquid Deos? At Deos dixit ad quos
sermo Dei factus est. *Quid mirum?* Semen est Ver-
bum Dei, & semen facit iuxta genus suum. Et po-
testatem dedit filios Dei fieri his qui credunt in
nomine eius. *Et vnde fides?* fides ex auditu: audi-
tus autem per Verbum Dei.

2. *Verbum Dei audire vtraque lex iubet. 4. cont. Marc. cap. 22. à m.*

a Luc. 9. 35. [a] HVnc *audite*, quem ab initio edixerat audiendum in nomine Prophetæ, quoniam &
b Deut. 18. 15. Propheteres existimari habebat à populo. [b] *Prophetam*, inquit Moyses, *suscitabit vo-*
bis Deus ex filiis vestris; secundùm carnalem scilicet censum: *tanquam me audieritis illum.*
Omnis autem qui illum non audierit, exterminabitur anima eius de populo suo. Sic & Esaïas,
c Esa. 50. 10. [c] *Quis in vobis metuens, exaudiat vocem filij eius?* Quam & ipse Pater commendaturus erat.
d Luc. 9. 35. Sistens enim verba filij sui, dicendo scilicet, [d] *Hic est filius meus dilectus; hunc audite* inquit.
Itaque & si facta translatio sit auditionis à Moyse & Helia in Christo, sed non vt ab alio
Deo, nec ad alium Christum, sed à Creatore in Christum eius, secundùm decessionem
e Esa. 63. 9. veteris, & successionem noui Testamenti. [e] *Non legatus*, inquit Esaïas, *nec nuntius, sed*
ipse Dominus saluos eos fecit.

3. *Verbo Dei sumpto ex Moyse & Prophetis obedientes Apostoli Christum audire meruerunt. 4. cont. Marc. cap. 34. in f.*

NOstri Dei monela de cœlo, non Moysen & Prophetas iussit audiri, sed Christum;
a Luc. 9. 35. [a] *Hunc audite.* Meritò. Tunc enim Apostoli satis iam audierant Moysen & Prophe-
tas, qui secuti erant Christum, credendo Moysi & Prophetis. Nec enim accepisset Pe-
b Ibid. 20. trus dicere, [b] *Tu es Christus*, antequam audiuisset & credidisset Moysi & Prophetis, à qui-
bus solis adhuc Christus annuntiabatur. Hæc igitur fides eorum meruerat, vt etiam vo-
c Esa. 51. 7 ce cœlesti confirmaretur, iubente illum audiri, quem agnouerant; [c] *euangelizantem pa-*
d Esa. 33. 14. *cem, euangelizantem bona*; [d] *annuntiantem locum æternum*; [e] *ædificantem illis ascensum suum in*
cœlum. Apud inferos autem de eis dictum est, [f] *Habent illic Moysen & Prophetas, audiant*
e Amos. 9. 6 *illos*: qui non credebant, vel qui nec omnino sic credebant esse post mortem superbiæ
f Luc. 16. 29. diuitiarum, & gloriæ deliciarum, supplicia annuntiata à Moyse & Prophetis: decreta
autem ab eo Deo, qui de thronis deponit dynastas, & de sterculinis eleuat inopes. Ita
Luc. 1. 52. quum vtrinque pronuntiationis diuersitas competat Creatori, non erit diuinitatum sta-
1. Reg. 2. 8 tuenda distantia, sed ipsarum materiarum.

VERBVM DEI. 2. & 3. SCHOL.

HVNC AVDITE. *Dixit vox Patris ad Apostolos.* AB INITIO. *Iam à Veteri Testamento.* HABEBAT, *debebat, tanquam Prophetam, vnde dicebat populus*, Propheta magnus surrexit in nobis. *De quo Deut.* 18. 15. Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies. 70. Ex fratribus tuis. *Et versu* 19. Qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit ego vltor existam. CAR- C NALEM CENSVM: *Originem ex Hebræis, ex quibus Christus secundùm carnem.* SISTENS VERBA, *facta ad filium, vel de filio, vel cùm filius Moysi & Elia loqueretur, ipse Pater verba filij comprimens, & post eum statim loquens, dixit, hic est filius meus, &c.* IN CHRISTO. *In Christum quasi ad Verbum originale facta est omnis translatio, vt omnis Prophetia & lex vetus in ipsum directa, vt iam nouissimè loquentem in filio audiremus qui priùs*, Multifariam multisque mo-

dis olim locutus fuerat in Prophetis. NON VT AB ALIO. *Sicut Marcion volebat. Cætera alibi exposui.*

3. MONELA. *Monitum.* CREDENDO MOYSI, *Christum prænuntianti.* LOCVM ÆTERNVM. *Esa.33. 14. ubi vulgata*, Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? 70. *legunt*; quis annuntiabit vobis locum æternum? *Christus scilicet toties inculcans ignem & combustionem æternam.* QVI NON CREDEBANT. *Scilicet quinque fratres diuitis, qui adhuc in Christum non credebant, vel qui non credebant à Prophetis nuntiata supplicia diuitibus superbis, & in delicijs suis gloriantibus: quæ tamen ordinata erant à Deo iusto vindice, qui deponit potentes de sede, & de stercore eleuat pauperes.* PRONVNTIATIONIS DIVERSITAS. *Licet diuersa sententia pronuntiata sit contra superbos, & in fauorem pauperum id est humilium, quod iusto & bono Creatori iudici conuenit; stultè Marcion duos Deos inuexit; unum malum vindicem, alterum bonum bona præstantem; cùm vnus atque idem pro diuersitate meriti, materia, & subiectis, diuersas sententias proferat. Quoniam vterque textus coincidit, vt Verbum Dei, siue in veteri, siue in nouo Testamento audiatur, & credatur, & vterque de Moyse ad Christum quem Prophetauit, mittente tractet; quod ex Augustino in hanc rem excerpere potui, ad illustrationem Tertulliani, huc conferam. Primò quidem to. 7. libro 3. ad Bonifacium cap. 4. contra duas Epistolas Pelagianorum.* Moyses, *inquit*, Testamenti minister veteris, hæres noui. *Quia scilicet per fidem in Christum venturum, quem prædixerat, non iam terra promissæ hæres factus est, quam quidem vidit, sed non introiuit, sed cælestis hæreditatis particeps factus est; enim & in monte prægustauit dulcedinem visâ claritate vultus Christi, ad quem vsque miserat eius Prophetia Iudæos. Ser. autem 45. de verbis Do. ex Ioannis 5. sic inducit Ecclesiam loquentem, quam & ipse Christus vult nos audire: dicat, inquit*, Ecclesia; si crederetis Moysi, crederetis & mihi. De me enim ille scripsit: quia corpus sum eius, de quo scripsit. Nam Moysi verba dixi, in semine tuo benedicentur omnes gentes. Moyses hoc in libro scripsit. Si crederetis Moysi, crederetis vtique & Christo. Quia Moysi verba contemnitis, necesse est vt Christi verba contemnatis. *Tum iungens immediatè alium locum dictum ab Abraham diuiti:* habent ibi, *inquit*, Moysem & Prophetas, audiant illos. Non, Pater Abraham; sed si quis à mortuis venerit, ipsum audient. Et ille: si Moysem & Prophetas non audiunt, nec si quis à mortuis resurrexerit, credent. Hoc de Iudæis dictum est: ergo non dictum de hæreticis? à mortuis resurrexerat qui dicebat, oportebat Christum pati & resurgere, &c. hoc credo, inquit, credo. Credis? quare non credis quod sequitur? oportebat Christum pati, &c. hoc dictum est de capite: crede & quod sequitur de Ecclesia, prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes. *Et lib. 16. cont. Faust. cap. 26.* Aduerte, *inquit*, non esse falsum, quod in Euangelio Christum dixisse legimus, si crederetis Moysi, &c. & Euangelij quidem tam eminens est authoritas, & tam fundata veritas, vt etiamsi nos propter tarditatem intelligentiæ nostræ, nulla inueniremus à Moyse scripta de Christo; *quale supra cap. 23. ex Deut. 28. videbis vitam tuam pendentem, & non credes vitæ tuæ.* Non solùm esse aliqua, sed ad Christum omnia pertinere præscripsit, quia non ait, & de me scripsit: sed de me ille scripsit: credere deberemus. Nunc autem & si de isto Euangelij capitulo, quod absit, dubitandum esset, compertis tam multis in scriptura Moysi de Christo testimoniis, omnis illa dubitatio tolleretur: & quia de capitulo Euangelij dubitandum non est, etiam si illa comperta non essent, esse tamen credi oporteret, &c. *Et cap. 27.* Si non erat verisimile, *iuxta Fausti errorem*, vt Iudæi Moysi & Christo pariter crederēt, multo minùs verisimile est, vt orbis terrarum Moysi & Christo pariter credat. Cùm verò videamus omnes gentes vtrique credere, & illius Prophetiam cum Euangelio huius conuenientem, fide robustissimâ & celeberrimâ retinere non ad aliquid impossibile gens vna vocabatur, cùm ei diceretur, si crederetis Moysi, crederetis & mihi: potiúsq; est miranda & vehementiùs arguenda duritia Iudæorum, qui hoc non fecerunt, quod totum mundum fecisse conspicimus. *Et cap. 26. supra vbi de Christo.* Videbat, *inquit*, spiritu Prophetico, & Deo sibi loquente multos exsurrecturos hæreticos diuersorum errorum Magistros aduersùm doctrinam Christi, qui non eum Christum prædicarent. *Qualis Marcion contra quem hic agit Tertull.* qui verus est Christus: ille enim verus est, qui per Prophetias, per eumdem Moysem cæterosque sanctos eius gentis editas prænuntiatus est. Quisquis itaque alium docere vellet, ipsum interficiendum Moyses præcipiebat. Quid autem nunc aliud agit lingua Catholica, nisi vt spiritali gladio vtriusque testamenti acie bis acuto, interficiantur omnes, qui nos à Deo nostro volunt auertere, aliquodue infringere mandatorum, inter quos præcipuè cadit ipse Manichæus, *dicamus & Marcionita*, cùm eius error, assertâ legis & Prophetarum veritate perimitur, volentis nos auertere à Deo nostro, Deo Abraham, & Isaac & Iacob quem Christus commendat: *dicendo vt supra notauerat, multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cælorum, &c. & contra Pharisæos non legistis quod Deus locutus sit de rubo ad Moysem ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus mortuorum, sed viuorum. Omnes enim illi viuunt. Et Tertullianus hic induxit Christum loquentem de Abraham remittente ad Moysem:* & volentis infringere mandata legis, in quorum etiam figuris Christum prophetatum esse cognoscimus. *Aduertendum autem est quod dixit Tertullianus supra in fine, scripturam sacram* pro distantia & diuersitate materiarum *diuersa dixisse eodem Deo Creatore vtriusque testamenti, tam Moysi quàm Christi & Christum ipsum remisisse ad Moysem incredulos sicut & Abraham quinque fratres diuitis, vt qui in Christum non adhuc credebant, per Moysem & Prophetas Christum annuntiantes, priùs instructi, faciliùs in Christum quem prædixerant, postea crederent: Pater autem Apostolos qui priùs Moysi & Prophetis crediderant, Christum audire præcepit, vt ablato velamine, & à claritate Moysi per Christum euacuata, ad Christum eiusque gloriam & legem gratiæ permanentem intenderent. Pulchrè hoc mysterium expressit Augustinus to. 4. lib. 83. quæst. q. 64. vbi fusè de Euangelio Samaritana.* Quinque viros, *inquit*, quinque libros qui per Moysem ministrati sunt, nonnulli accipiunt. Quod autem dictum est, & nunc quem habes, non est tuus vir: de seipso Dominum dixisse intelligunt, vt iste sit sensus: primò quinque libris Moysi quasi quinque viris seruisti: nunc autem quem habes, id est quem audis, qui loquor tecum, non est tuus vir, quia nondum in eum credidisti. *Hinc Paulus de lege Moysi quamdiu viuebat, id est vigebat tanquam vir, Synagoga velut vxor lege eius tenebatur obstricta, mortuo autem hoc viro, Christo nouo legislatore veniente, soluta est, & Christo nubere debuit.* Sed quoniam nondum credens Christo adhuc vtique illorum quinque virorum, id est quinque librorum copulatione tenebatur; potest mouere quomodo dici potuerit, quinque viros habuisti, quasi nunc eos iam non haberet, cùm ad-

huc vtique ipsis subdita viueret? Deinde cùm quinque libri Moysi, nihil aliud quàm Christum prædicent, sicut ipse ait, si crederetis Moysi, crederetis forsitam & mihi; ille enim de me scripsit: quomodo potest intelligi à quinque illis libris recedere hominem, vt ad Christum transeat, cùm ille qui credit in Christum, non relinquendos quinque illos libros, sed spiritaliter intelligendos, multò auidiùs, amplectatur? *Hinc est quod Christus illi dixit: voca virum tuum: hoc est meipsum, & considera me ipsum esse Messiam in lege Moysi & Prophetis promissum. Et tunc, vt infra habet Augustinus*, Cùm spiritus hominis hæserit Christo, quia caput viri Christus est, amplexu spiritali, æternâ vitâ sine vllo separationis timore perfruitur. S. Aug.

4. *Verbum Dei prædicare, dignius fuit Paulo, quàm baptizare. De Bapt. cap. 14. per totum.*

a 1. Cor. 1. 17. DE ipso Apostolo reuoluunt, quod dixerit, a *Non enim me ad tinguendum Christus misit*. quasi hoc argumento baptismus adimatur. Cur enim tinxit Gaïum & Crispum,
Ibid. 14. & Stephanæ domum? quanquam etsi non eum miserat Christus ad tinguendum, tamen aliis Apostolis præceperat tinguere. Verùm hæc pro conditione tunc temporis ad Co-
Ibid. 12. rinthios scripta sunt, cùm schismata & dissensiones inter illos mouebantur, dum alius Paulo deputat, alius Apollo. Propter quod pacificus Apostolus, ne sibi omnia defendere videretur, non ad tinguendum ait se missum, sed ad prædicandum. Nam & priùs est prædicare, posterius tinguere. Sed sit priùs prædicatum. puto autem licuit & tinguere, cui licuit prædicare.

VERBVM DEI. 4. SCHOL.

REVOLVVNT, *baptismi contemptores.* AD TINGVENDVM, *baptizandum. 1. Cor. 1. 17. totum locum subtexo.* Significatum est mihi de vobis, fratres mei, ab iis qui sunt Chloës, quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico quòd vnusquisque vestrum dicit: ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Christi. *Translat. Syr. est denique qui dicit: Ego sum ipsius Meschiche.* Diuisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? gratias ago Deo quòd neminem vestrum baptizaui, nisi Crispum & Caïum, ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis. Baptizaui autem & Stephanæ domum: cæterùm nescio si quem alium baptizauerim. Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare: non in sapientia verbi, vt non euacuetur crux Christi. PAVLO DEPVTAT. *Acceptam scilicet maiorem baptismi gratiam, quàm si ab inferiore ministro.* SIBI DEFENDERE. *Sibi imputare & arrogare.* PRIVS EST, *non tantùm dignitate, sed & tempore. Dictum est enim.* Euntes docete omnes gentes, &c. *Ad literam tamen loquitur de prioritate dignitatis, cùm à maiore ad minus argumentetur. Augustinus in hunc locum tract. 5. in Io. 1.* Baptismus, *inquit*, Domini diuinus, quia Dominus Deus, &c. ideo vt in illo spes esset baptizatorum, à quo se baptizatos agnoscerent, noluit ergo seruum spem ponere in seruo: ideoque clamabat Apostolus, cùm videret homines volentes spem ponere in illo: numquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? baptizauit ergo Paulus tanquam minister, non tanquam potestas. Intendite. Et potuit hanc potestatem seruo dare, sed noluit. Si enim daret hanc potestatem seruis, id est, vt ipsorum esset quod Domini erat, tot essent baptismi, quot essent serui, &c. Dicit se seruus baptizare, & rectè dicit, sicut Apostolus dicit, baptizaui autem & Stephanæ domum: sed tanquam minister. *De schismate autem & diuisione propter doctrinam vel baptisma inter carnales, subtiliter disserit concione 3. in Psal. 103. vbi de diuisis tribus animalibus in sacrificio Abrahæ.* In ariete, *inquit*, intelliguntur Præpositi, ducunt enim greges: in vacca intelligitur plebs Iudæorum, habuit enim iugum legis sub quo laborabat. In capra intelligitur Ecclesia de Gentibus: in quibusdam enim liberis saltibus insultabat, & amaro pascebatur oleastro. Trima sunt dicta hæc animalia, quia tertio tempore gratia reuelata est, &c. diuiduntur duces, diuiduntur & plebes *per Arietem, vaccam, & capram animalia diuisa significati*; vt cæcus cæcum sequatur, & simul in foueam cadant. Ponuntur aduersùs se inuicem. Aues autem non diuisit: *turturem & columbam.* Spiritales non habent diuisiones, non cogitant Schismata, &c. Non potui, inquit, 1. Cor. 3. loqui vobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. Et quomodo probatur quia carnales diuiduntur? Adiungit; cùm enim dicit vnusquisque vestrum, ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, nonne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis? *recipientes baptisma vel verbum, non sicut est, Dei, sed pro capacitate & merito hominum.* Rogo vos fratres, audite, & proficite, excutite vos de loco carnali, pergite in turturem & columbam. Aues enim non diuisit, &c. *De camino autem illo seu clibano fumante, & transeunte inter diuisa animalia Gen. 15.* Vespera, *inquit*, illa finis est sæculi, & caminus ille veniens, dies iudicij: diuisit inter media illa quæ diuisa erant, etiam caminus. Si inter media transiit caminus; alia in dexteram, alia in sinistram separauit, &c. Hoc aget caminus, alios in sinistram separabit, alios in dexteram quodammodo eliquabit, *pœnitentes saluos faciet quasi per ignem*; aues autem non diuisit. sed aues videant, si aues tales sunt quæ super montes illos inhabitent; non debent sequi altitudinem cordis sui, de quibus dicitur, posuerunt in cœlum os suum; ne à ventis tollantur; in montibus requiescant, &c. in Apostolis, in Prophetis. *De prælatione ministerij verbi supra baptismum D. Thomas in 1. Cor. 1.* Assignat, *inquit*, rationem quare paucos baptizauerit, dicens, non enim misit me Deus baptizare, sed euangelizare, contra quod videtur esse quod dicitur Matthæi vltimo; euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. sed dicendum est quod Christus Apostolos misit ad vtrumque: ita tamen quod ipsi per seipsos prædicarent, secundùm quod ipsi dicunt Act. 6. non est æquum relinquere nos verbum Dei, & ministrare mensis: baptizarent autem per inferiores ministros. Et hoc ideo quia in baptismo nihil operatur industria vel virtus baptizantis. Vnde indifferens est vtrum per maiorem vel minorem ministrum detur baptismus: sed in prædicatione Euangelij multum operatur sapientia & virtus prædicantis:

& ideo prædicationis officium per seipsos Apostoli tanquam maiores ministri exercebant. Sicut & de ipso Christo dicitur Io. 4. quia ipse non baptizabat, sed discipuli eius: qui tamen de seipso dicit A Luc. 4. quia & aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum Esa. 61. ad annuntiandum mansuetis misit me.

5. *Verbum Dei fideliter audientes, proximiores sunt Christo, ipsis consanguineis. 4. cont. Marc. cap. 19. in f. V. Verbum Christi Natiuitas 7. in f.*

VERBVM DEI. 5. & 6. SCHOL.

Habes alibi textum & Scholia. Verbo. Christi Natiuitas. 7. Et Verbo, Parentes.

7. *Verbum Dei ornamentum est auris; quod à transgressoribus amittitur. Scorp. cap. 3. à p.*

VRgetur Aaron, & iubet inaures feminarum suarum in ignem conferri. Amissuri enim erant in iudicium sibi vera ornamenta aurium, Dei voces. Exo 32.2.

VERBVM DEI. 7. SCHOL.

VRGETVR AARON. *A populo petente Deos sibi fieri, vt fusiùs alibi iam dixi & explicui.* ORNAMENTA AVRIVM. *Inaures, symbola erant Verborum Dei & Propheticorum Oraculorum, quæ Deus iusto iudicio propter inobedientiam, & aurium surditatem ablaturus erat à Iudæis. Et quidem Psaltes legem Dei, præceptum, iudicia, auro, & lapidi pretioso præponit Psalmo* 18. Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multùm. *In quem locum Aug.* Si quisque ipse sit aurum, lapisque pretiosus, vt igne non consumatur, sed assumatur in thesaurum Dei, plusquam seipsum desiderat iudicia Dei cuius voluntatem præponit suæ. *Et Psalmo* 118. Dilexi mandata tua super aurum & topazion. *Et rursum:* bonum mihi lex oris tui, super millia auri & argenti. Vt ampliùs, *inquit*, diligat charitas legem Dei, quàm diligit cupiditas millia auri & argenti. *Et lib. 1. de Trinit. cap. 8.* Tunc, *inquit*, reuelabitur à filio Pater, cùm euacuauerit omnem principatum, & omnem potestatem & virtutem, id est, vt necessaria non sit dispensatio similitudinum per angelicos principatus, & potestates, & virtutes. *Addo & prædicatores Dei Angelos & ministros verbi, varias similitudines apponentes auribus auditorum.* Ex quarum persona non inconuenienter intelligitur dici in Cantico Canticorum ad sponsam: similitudines auri, *vulgata, murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*; faciemus tibi cum distinctionibus argenti, quoadusque Rex in recubitu suo est, id est quoadusque Christus in secreto suo est: quia vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: cùm B Christus, inquit, apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Quod antequam fiat, videmus nunc per speculum in ænigmate, hoc est in similitudinibus, tunc autem facie ad faciem. *Hanc videre volebat ad consummatam beatitudinem quæ dicebat:* indica mihi quem diligit anima mea vbi pascas; vbi cubes in meridie: *vbi nulla vmbra, nulla nox. Sed responsum est*, murenulas aureas faciemus tibi, &c. *hoc est*, audi filia & vide, inclina aurem tuam, *murenulis.* Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est: *& tu dicis*, fac nobis Deos qui nos præcedant: *iusto iudicio, inaures, ornamenta aurium detracta tibi sunt, ablata fides ex auditu per Verbum. Augustinus homil. 26.* Vellem scire, *inquit*, si ab illa hora quâ Verbum Dei prædicari cœperit, semper C pretiosissimas gemmas, & inaures, vel annulos aureos erogare vellemus, vtrum stare, aut accipere vellēt filiæ nostræ? Sine vlla dubitatione, cum grandi ambitione quæ illis offeruntur acciperent. Nos verò quia ornamenta corporalia offerre nec possumus, nec debemus, ideo non libēter audimur. Sed non est iustum, vt spiritalia ministrātes superflui iudicemur. Qui enim verbum Dei libenter audit, inaures animæ de patria paradisi transmissas se suscepisse non dubitet. Qui admonetur vt pauperi tribuat aliquid, dum manus ad eleemosynas expandit, dextralia à Christo transmissa percipiet. *Qui ad obedientiam collum flectere commonetur, torques & monilia collo circumponit; dicente Salomone*, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. *Vide Verbo Idololatria 5.*

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

8. *Verbum Dei multi audiunt aure carnis, non cordis. 4. cont. Marc. cap. 19. à p.*

ILla quoque pronuntiatio eius ad populum,[a] *Aure audietis, & non audietis*, dedit Christo frequenter inculcare,[b] *Qui habet aures, audiat.* Non quasi ex diuersitate, auditum permitteret Christus, quem ademisset Creator: sed quia comminationem exhortatio sequebatur, Primò, *aure audietis, & non audietis*; dehinc, *qui habet aures, audiat.* Non enim audiebant vltrò qui aures habebant? sed ostendebat aures cordis necessarias, quibus illos audituros negarat Creator. Et ideo per Christum adiicit,[c] *Videte quomodo audiatis, & non audiatis*; non corde scilicet audientes, sed aure. Si dignum sensum pronuntiationi accommodes, pro sensu eius qui auditui suscitabat, etiam dicendo, *Videte quomodo audiatis*, non audituris minabatur.

a Esa. 6. 10. b Luc. 8. 8 c Ibid. 10.

VERBVM DEI. 8. SCHOL.

ILLA PRONVNTIATIO. *Sententia Dei Patris iustè indignantis populo Iudæo, occasionem dedit Christo, vt inculcaret illud Luc.* 8. 8. Qui habet aures audiendi audiat, &c. vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis; vt videntes non videant, & audientes non intelligant. *Quod* D *repetitur Matth. 13. 14. Marci 14. 12. Act. 28. 27. Rom. 11. 8. & c. iuxta Esa. 6. 10.* Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua: & oculos eius claude: ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum. EX DIVERSITATE. *Non quasi Christus, ad-*

uerſetur Creatori, ſed quòd poſt ſeueritatem antiquæ legis, Chriſtus lenitatem legis gratia demonſtraret. PER CHRISTVM ADIICIT. *Non quòd verba hæc expreſſa ſint, ſed quòd innuat, non ſufficere aure carnis audire verbum Dei quod per ſemen ſignificabatur in parabola quam explicabat, ſed & aurem cordis, quam apertam nemo ex ſe habet, ſed qui accipit ex gratia Dei.* PRO SENSV EIVS. *Id eſt ſi huic Chriſti ſententiæ des ſenſum, quem Chriſtus ipſe volebat ingerere, qui non ad literam de auribus corporis, ſed ſecundùm ſenſum moralem de auribus cordis loquebatur, cùm minaretur audientibus, ipſos non intellecturos. Tantùm igitur abeſt, vt Chriſtus contrarius ſit Creatori, ſicut putat Marcion, quin potius & ipſe Ioannis 12. & Apoſtolus, Rom. 11. in eandem rem adducit locum Eſaiæ præcitatum. Aug. homil. 28. de vtraque aure ſic loquitur.* Non ſilet, *inquit*, opus eſt vt audiamus, ſed aure cordis: nam facile eſt audire auribus carnis. Illis auribus audire debemus quas quærebat Magiſter ipſe cùm diceret, qui habet aures audiendi audiat. Quis enim ante illum, quando iſta dicebat, ſine auribus carnis ſtabat? omnes aures habebant, & pauci habebant: non omnes habebant aures audiendi, hoc eſt obediendi. *Et ſer. 18. de verb. Do.* Surdos quàm multos ante oculos ſuos Dominus intuebatur cùm diceret; qui habet aures, &c. Quis enim ante illum ſine corporis auribus ſtabat? quas ergo alias aures niſi interioris hominis requirebat? *Sed eas non aperit niſi Deus, quod ſæpiùs docuit Auguſtinus. Ex innumeris pauca colligo lib. de dono perſeuerantiæ cap. 14.* Quamuis dicamus Dei donum eſſe obedientiam, tamen homines exhortamur ad eam. Sed illis qui veritatis exhortationem obedienter audiunt, ipſum donum Dei datum eſt, hoc eſt obedienter audire: illis autem qui ſic non audiunt, non eſt datum. Non enim quicumque, ſed Chriſtus, nemo, inquit, venit ad me niſi ei fuerit datum à Patre meo. Et, vobis datum eſt noſſe myſterium regni cœlorum, illis autem non eſt datum, &c. Ac per hoc ſicut exhortatur & prædicat rectè, *Paulus ſecundùm gratiam datam ſibi*, ſed ille qui accepit hoc donum; ita exhortantem rectè atque prædicantem profectò ille obedienter audit, qui accepit hoc donum. Hinc eſt quòd Dominus cùm eis loqueretur qui carnis aures apertas haberent, dicebat tamen, qui habet aures audiendi, audiat, quas non omnes habere proculdubio nouerat. A quo autem habeant quicumque habent, ipſe Dominus oſtendit vbi ait, Baruch. 2. dabo eis cor cognoſcendi me, & aures audientes. Aures ergo audiendi, ipſum eſt donum obediendi, vt qui id haberent venirent ad eum, ad quem nemo venit, niſi fuerit ei datum à Patre ipſius. Exhortamur ergo atque prædicamus: ſed qui habent aures audiendi, obedienter nos audiunt, qui verò eas non habent, fit in eis quod ſcriptum eſt, vt audientes non audiant Matth. 13. 13 Audientes videlicet corporis ſenſu, non audiant cordis aſſenſu: cur autem illi habeant aures audiendi, illi non habeant: hoc eſt, cur illis datum ſit à Patre vt veniant ad filium, illis autem non ſit datum: quis cognouit ſenſum Domini? &c. Numquid ideo negandum eſt quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt, quod occultum eſt? numquid, inquam, propterea dicturi ſumus, quod ita eſſe perſpicimus, non ita eſſe, quoniam cur ita ſit non poſſumus inuenire? *nec obſtat quod ſcriptum eſt Eſa. 54. 13.* Vniuerſos filios tuos doctos à Domino. 70. Diſcipulos Dei. *Id enim non de omnibus hominibus dictum eſt, neque de omnibus filiis Iſraël, ſed de omnibus quos docet Deus.*

Ita Auguſtinus in hunc locum to. 6. tract. 26. Quare, *inquit*, hoc dixi, ô Iudæi? Pater vos non docuit, quomodo poteſtis me agnoſcere? omnes regni illius, *prædeſtinati*, homines docibiles Dei erunt, non ab hominibus audient; & ſi ab hominibus audiunt, tamen quod intelligunt, intus datur, intus coruſcat, intus reuelatur. Quid faciunt homines forinſecus annuntiantes? quid facio modò ego cùm loquor? ſtrepitum verborum ingero auribus veſtris. Niſi ergo reuelet ille qui intus eſt, quid dico, quid loquor? exterior cultor arboris, interior eſt Creator. Qui plantat & qui rigat extrinſecùs operatur, hoc facimus nos: ſed neque qui plantat eſt aliquid neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Hoc eſt erunt omnes docibiles Dei. Qui omnes? omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me. Videte, quomodo trahit Pater: docendo delectat, non neceſſitatem imponendo. Ecce quomodo trahit, erunt omnes docibiles Dei. Trahere Dei eſt, omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Trahere enim Dei eſt, &c. diſce trahi ad filium à Patre, doceat te Pater, audi Verbum eius. Quod Verbum inquies, audio? in principio erat Verbum. *Quid porrò proficeret vox exterior prædicatoris, ſine interiore gratia Creatoris? quid, inquam, remedij præſtaret exterior medicina illa, abſque interna gratia medicinali Saluatoris; cùm nec ipſa Dei vox exteriùs ſonans auribus Caïn, quidquam profuerit ad corrigendam obfirmatam in malo eius voluntatem? Hoc acutè diſcreuit Auguſtinus libro 15. de Ciuit. cap. 6. diſcrimen gratiæ electorum, à gratia reproborum.* Hoc modo, *inquit*, curantur ciues Ciuitatis Dei in hac terrena peregrinantes, & paci ſupernæ patriæ ſuſpirantes. *Et quomodo tandem?* Spiritus, *inquit*, ſanctus operatur intrinſecùs, vt valeat aliquid medicina quæ adhibetur extrinſecùs. Alioquin, etiam ſi Deus ipſe vtens creaturâ ſibi ſubdita in aliqua ſpecie humana, ſenſus alloquatur humanos, ſiue iſtos corporis, ſiue illos quos iſtis ſimillimos habemus in ſomnis, nec interiore gratiâ mentem regat, atque agat, *ponderate verba quibus expreſſit interiorem gratiam efficacem regentem, agentem, mouentem, voluntatem, iuxta Paulum enim, Deus eſt qui operatur in nobis velle & operari:* nihil prodeſt homini omnis prædicatio veritatis. Facit autem hoc Deus à vaſis miſericordiæ vaſa iræ diſcernens, diſpenſatione quâ ipſe nouit multùm occulta, ſed tamen iuſta. Ipſo quippe adiuuante mirabilibus & latentibus modis, cùm peccatum quod habitat in membris noſtris, *id eſt fomes peccati, concupiſcentia, & pronitas in peccatum*, quod potiùs iam pœna peccati eſt, ſicut Apoſtolus præcipit, non regnat in noſtro mortali corpore, ad obediendum deſideriis eius, &c. conuertitur ad mentem, non ſibi ad mala, DEO REGENTE, conſentientem. *Quod autem hîc alluſerit ad Caïn, apertè ſignificauit capite ſequenti dum ait:* cùm eſſet, *inquit*, iniuſtus, non rectè diuidendo, hoc eſt non rectè viuendo, *ſupra dixerat: quia hic ipſe malè diuidebat, dans Deo aliquid ſuum, ſibi autem ſeipſum. Præterquam quòd malè, inuidiâ diuiſus erat à fratre.* Et indignus cuius approbaretur oblatio cùm eſſet iniuſtior, quòd fratrem iuſtum gratis odiſſet, oſtendit: non tamen eum dimittens ſine mandato ſancto, iuſto, & bono: quieſce, inquit, ad te enim conuerſio eius, & tu dominaberis illius. Numquid fratris? abſit. Cuius igitur, niſi peccati? dixerat enim, peccaſti: tum deinde, addidit: quieſce: ad te enim conuerſio eius, &c. poteſt quidem ita intelligi, ad ipſum hominem conuerſionem eſſe debere peccati; vt nulli alij quàm ſibi ſciat tribuere debere quod peccat. Hæc eſt enim ſalubris pœnitentiæ medicina, & veniæ petitio non incongrua, vt vbi ait, ad te enim conuerſio eius, non ſubaudiatur, erit, ſed ſit: præcipientis videlicet, non

prædicentis

prædicentis modò. *Præsciebat quippe Deus ipsum non dominaturum iræ & inuidiæ, sed seruum peccati futurum. Quem tamen sic monendo reddebat inexcusabilem, cui iusto iudicio gratiam indebitam medicinalem applicare nolebat. Vnde concludit Augustinus:* Sed illud, *inquit*, Dei præceptum, *videlicet gratiæ admonentis medicinam*, Caïm sicut præuaricator accepit. Inualescente quippe inuidentiæ vitio, fratrem insidiatus occidit. Talis erat terrenæ conditor ciuitatis. *Similis Romulo fratricidæ Romæ conditori.* Quomodo autem significauerit Caïm Iudæos à quibus occisus est Christus Pastor ouium hominum, quem Pastor ouium pecorum præfigurabat Abel parco nunc dicere.

S. Aug.

Sanctus quoque Prosper vbique se Augustino magistro conformans, libro 2. de vocatione Gentium cap. 13. Deum non remedia ipsi negasse prosequens, sic de Caïm: principem Gentis impiæ, sancti fratris meritis inuidentem, cædemque eius parricidali corde meditantem, dignatur Dominus paterno mitigare consilio, dicens ad Caïm: vt quid tristis factus es? vt quid concidit vultus tuus? &c. Depone ortam de inuidiæ æmulatione tristitiam, & flammas odij crudelis extingue. Nihil tibi Abel nocuit, nec mihi placendo, te læsit. Despexi munera tua, meo iudicio, non illius voto, &c. non dignè inter me & te diuisisti, quoniam tibi electiora seruasti, &c. quiesce, & noli in insontem fratrem moueri, ad te potiùs tua culpa reuocetur. Noli peccato regnum in te dare, sed tu potiùs in ipsum sume dominatum, &c. cùm ergo talia ad Caïm loqueretur Deus, numquid ambiguum est, voluisse eum, *voluntate signi de qua D. Thomas in 1. Tim. 2. qua significabat, & monebat sibi displicere inuidiam, quam nolebat ad actum progredi.* Et quantùm ad illum medendi modum sufficiebat, *scilicet, de quo Augustinus supra*, egisse vt Caïm ab illo impietatis furore resipisceret? sed malitia pertinax, inde facta est inexcusabilior, vnde debuit esse correctior. Et vtique præsciebat Deus, ad quem finem insanientis esset progressura conceptio. Neque ex eo quod falli scientia diuina non poterat, necessitate peccandi vrgebatur facinus voluntatis. A cuius vtique intentione atque effectu, potuit incolumitas Abel illæsa defendi; *Tum quia voluntate mala, & libera inuidebat fratri, tum quia poterat Deus, si voluisset, efficaci gratia malam eius immutare voluntatem; vel mille aliis modis Abel ab eius furore eripere*, nisi placuisset Deo cum magna laude patientiæ suæ, vt temporalis furor impij, fieret perpetuus honor iusti. *Expressiùs adhuc Greg. Magnus, vtrumque, iuxta Tertullianum, & Augustinum, cordis & carnis distinguit auditum. libro 17. Moralium cap. 11.* Per Paulum, *inquit*, dicitur, Dei adiutores sumus. 1. Cor. 3. Nam cùm ei quem ipse per internam gratiam infundit, nos exhortationis voce concurrimus, hoc quod ille per Spiritum sanctum agit intrinsecùs, nos exteriùs ministerio vocis adiuuamus: & tunc solùm nostra exhortatio ad perfectionem ducitur, cùm in corde Deus fuerit qui adiuuetur. *Et lib. 27. Mor. cap. 13. ex Io. 3.* Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, & quò vadat, &c. Quia, *inquit*, cùm vnam prædicationem multi audiunt, intelligi proculdubio non potest, quem deserens abiiciat, aut cuius ingrediens in corde requiescat. Vna quippe res foris agitur, sed non per hanc vno modo intuentium corda penetrantur; quia qui inuisibiliter visibilia modificat, in humanis cordibus causarum semina incomprehensibiliter plantat. *Et homil. 30. in Euangelia.* Ipse vos docebit omnia. Quia nisi idem spiritus cordi adsit audientis, otiosus est sermo doctoris, &c. quomodo cùm vox dispar non sit, cur in cordibus vestris dispar est vocis intelligentia: nisi quia per hoc, quod vox loquentis communiter admonet, est Magister interior, qui de vocis intelligentia quosdam specialiter docet? de hac vnctione spiritus rursus per Ioannem dicitur, sicut vnctio eius docet vos, &c. sed cur ista de doctrina hominum loquimur, quando & ipse conditor, non ad eruditionem hominis loquitur, si eidem homini per vnctionem spiritus non loquatur? Certè Caïn priusquam fratricidium opere compleret, audiuit, peccasti, &c. sed quia culpis suis exigentibus voce est admonitus, non vnctione spiritus, audire verba Dei potuit, sed seruare cõtempsit. *Tandem idem Gregorius lib. 11. Moral. cap. 5.* Nec mirum, *inquit*, si à corde reprobo prædicator minimè auditur, dum nonnunquam ipse quoque Dominus in his quæ loquitur resistentium moribus impugnatur. Hinc est enim quod Caïn, & diuinâ voce admoneri potuit, & mutari non potuit: quia exigente culpâ malitiæ, iam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat. *Vt foret iuxta præmissa ex Prospero inexcusabilior, qui etiam monitus, in peius per inuidiam corruerat. Et S. Isidorus Hispalensis lib. 3. sententiarum cap. 10. de doctrina sine gratia.* Doctrina, *inquit*, sine adiuuante Dei gratia, quamuis infundatur auribus, ad cor nunquam descendit. Foris quidem perstrepit, sed interiùs nil proficit. Tunc autem Dei sermo infusus auribus, ad cordis intima peruenit, quando Dei gratia mentem interiùs, vt intelligat, tangit. Sicut enim quosdam flammâ charitatis suæ Deus illuminat, vt vitaliter sapiant; ita quosdam frigidos torpentesque deserit, vt sine sensu persistant.

9. *Verbum Dei, semen est sinapis. 4. cont. Marc. cap. 30. à p.*

PArabolarum congruentiam vbique recognoscor exigere. [a] *Simile est regnum Dei, inquit, grano sinapis, quod accepit homo, & seminauit in horto suo.* Quis in persona hominis intelligendus? vtique Christus: quia licet Marcionis, filius hominis est dictus, qui accepit à Patre semen regni; sermonem scilicet Euangelij; & seminauit in horto suo, vtique in mundo, putà nunc in homine. Sed cùm in suo horto dixerit, nec mundus autem nec homo illius sit, sed Creatoris; ergo qui in suum seminarit, nec Creator ostenditur. Aut si, vt hunc laqueum euadant, conuerterint hominis personam à Christo, in hominem accipientem semen regni, & seminantem in horto cordis sui; nec ipsa materia alij conueniet quàm Creatori. Quale est enim vt lenissimi Dei regnum significet semen, quod etiam iudicij feruor lacrymosâ austeritate subsequitur?

a Luc. 13. 19.

10. *Verbum Dei in terram cadere, anxiè patiuntur iusti. V. Verbum ad Eucharistiam dispositio. num. 9.*

11. *Verbum breue gratum est. De vel. Virg. cap. 4. à m.*

NAturaliter compendium sermonis & gratum & necessarium est : quoniam sermo laciniosus, & onerosus & vanus est.

Et 2. cont. Marc. cap. 28. in f.

Expedita virtus veritatis, paucis amat : multa mendacio erunt necessaria.

12. *Et 5. cont. Marc. cap. 15. in p.*

Breuioribus quoque epistolis non pigebit intendere. est sapor & in paucis.

VERBVM DEI. 9. 11. 12. SCHOL.

PARABOLARVM CONGRVENTIAM. *Lector, inquit, meus ex vsu meo aduertit facilè, exigere me ab aduersario vt Christi parabolas, rebus tractatis conuenire fateatur; cùm ipsa Patris sapientia, insipienter & incongruè loqui non possit.* IN HORTO SVO. *Luc. 13.* 18. Dicebat ergo : cui simile est regnum Dei, & cui simile æstimabo illud ? Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & creuit, & factum est in arborem magnam : & volucres cœli requieuerũt in ramis eius. LICET MARCIONIS. *Quamuis Marcion Christum sibi arroget, quem negat tamen verè hominem Incarnatum, vbique tamen filius hominis dicitur.* NEC MVNDVS. *Perperam hoc de suo Christo Marcion intelligit. si enim verbum suum seminauit, vel in homine, vel in mundo, in alieno prorsus horto seminauit, scilicet Creatoris aduersarij sui solum vsurpans, cùm nec hominem, nec mundum Deus Marcionis condiderit, nec ostendi possit aliquid habere suum quod creauerit.* SI CONVERTERINT. *Si Marcionis: per hominem seminantem, non Christum, sed quemlibet alium volunt intelligi, qui à Deo accepit semen; quomodo tam acre granum sua acerbitate etiam lacrymosa, indicium Dei præfigurans à Deo Marcionis tam leni, & iudicium & vindictam nesciente, dari potuit. Sequitur autem in Euangelio de eodem filio hominis & Patre familias excludente à regno Dei cuius angusta est porta versu 27.* Nescio vos vnde sitis : discedite à me omnes operarij iniquitatis. Ibi erit fletus, & stridor dentium : cùm videritis Abraham, & Isaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.

11. NECESSARIVM. *Ad tædium vitandum.* LACINIOSVS. *Prolixus & superfluus, deducto verbo à syrmate, & nimia profusione vestium.* PAVCIS AMAT *supple verbis loqui. Cùm mendacium vix multis persuadeat.*

12. BREVIORIBVS EPISTOLIS. *Pauli scilicet, quales sunt ad Titum & Philemonem.* SAPOR IN PAVCIS. *Sicut in vno grano sinapis, cui hic comparatum est à Tertulliano verbum Euangelicum, de quo alibi.* Compendiosus est sermo Euangelicus, & cunctis laciniosè legis oneribus expeditus. *Granum sinapi Augustinus fidei applicat, sed hæc iuxta Paulum.* Ex auditu; auditus autem per verbum Christi *Ita to. 4.*

S. Aug. *lib. 1. quæst. Euang. q. 11.* Granum sinapis, *inquit*, ob feruorem fidei, vel quòd dicatur venena expellere maius fit omnibus oleribus, id est dogmatibus. Dogmata autem sunt placita sectarum, id est quod placuit singulis sectis. *Et quæst. 39. circa f. Cùm fidem comparasset eidem grano, quod primò quidem pungit oculos sapore feruido, sed postea illuminat.* Quod

S. Aug. dixerunt Discipuli, Domine adauge nobis fidem; potest quidem intelligi, hanc fidem sibi eos augeri postulasse, quâ creduntur ea quæ non videntur: sed tamen dicitur etiam fides rerum quando non

A verbis, sed rebus ipsis præsentibus creditur : quod futurum est, cùm iam per speciem manifestam, se contemplandam præbebit sanctis ipsa Dei sapientia, per quam facta sunt omnia. De qua fide rerum lucisque illius præsentatæ forsitan Paulus Apostolus dicit, iustitia enim Dei reuelatur ex fide in fidem. Dicit & alio loco, &c. de gloria in gloriam. De gloria scilicet Euangelij quo nunc credentes illuminantur, in gloriam ipsius incommutabilis, & manifestæ veritatis, quâ tunc commutati perfruentur, &c. cùm dixissent, Domine adauge nobis fidem : ait illis Luc. 17. Si habueritis fidem tanquam granum sinapis, dicetis huic arbori moro, eradicare & transplantare in mare, & obediet vobis,

B &c. quò pertinet illud quod de grano sinapis eis primò respondit : priùs illos fidem habere debere præsenti vitæ necessariam, quæ minima videtur quandiu thesaurus est in vasis fictilibus, sed vi maximâ efferuet & germinat. *Minutum est item Verbum Dei sicut manna, cuius sapor erat & in paucis. De quo Aug. ser. 91. de temp.* Vide, *inquit*, si non ipsa nominis virtus ad discendum te prouocat, vt cùm audieris legem Dei recitari in Ecclesia, semper interroges, & dicas doctoribus. Quid est hoc ? hoc enim est quod indicat manna. Tu ergo si vis manducare manna, si cupis suscipere Verbum Dei, scito illud minutum esse, & valde subtile sicut semen coriandri. *Immo vt granum sinapis.* Habet enim ali- S. Aug.

C quid in se oleris, *& cùm creuerit maius est omnibus oleribus.* Quo nutriri & recreari possit infirmus, quia qui infirmus est, olus manducet. Habet aliquid rigoris. & ideo vt pruina est. Candoris autem & dulcedinis habet plurimùm. Quid enim candidius, quid splendidius eruditione doctrinæ ? quid dulcius, quidue suauius eloquiis Domini, quæ dulciora super mel & fauum? &c. istud manna prout vult quisque talem saporem sapit. *Et sinapi saporis est condimentum.* Audi enim & Dominum dicentem his qui accedunt ad se, fiat tibi secundùm fidem tuam. Et tu ergo si verbum Dei quod in Ecclesia prædicatur, totâ fide, totâ deuotione suscipias, fiet tibi ipsum verbum, quodcumque desideras. Verbi gratiâ, si tribularis, consolatur te dicens. Cor contri-

D tum & humiliatum Deus non despiciet. Si lætaris prosperè, cumulat tua gaudia, dicens, lætamini in Domino & exultate iusti. Si iracundus es, mitigat te dicens, Dominus sanat omnes languores tuos. *Languor enim naturæ lapsæ & ægrotæ inter alias passiones est ira quæ iustitiam Dei non operatur.* Si paupertate consumeris, consolatur te dicens, Dominus erigit de terra inopem, & de stercore erigit pauperem. Sic ergo manna verbi Dei reddit in ore tuo saporem quemcumque volueris. *Sic iuxta Tertull.* Est sapor & in paucis. S. Aug.

VERITAS.

1. *Veritatem verbi sui Deus veretur, nè non implens, mendacij arguatur. cont. Prax. cap. 11. à p. V. Trinitas. 2. à m.*

2. *Veritas verbi Dei inconcussa. 4. cont. Marc. cap. 33. in f.*

[a] TRanseat cœlum & terra citiùs, sicut & Lex & Prophetæ; quàm vnus apex verborum Do- a Luc. 16.
mini. *Verbum* enim, inquit Esaïas, [b] *Dei nostri manet in æuum.* Nam quoniam in Esaïa 17.
iam tunc Christus, Sermo scilicet & spiritus Creatoris, Ioannem prædicarat, [c] *vocem cla-* b Esa. 40.
mantis in deserto parare viam Domini, in hoc venturum, vt Legis & Prophetarum ordo ex- 8.
inde cessaret, per adimpletionem, non per destructionem, & regnum Dei à Christo an- c Ibid. 3.
nuntiaretur: ideo subtexuit, [d] *faciliùs elementa transitura, quàm verba sua;* confirmans hoc d Luc. 16.
quoque quod de Ioanne dixerat, non præteriisse. 17.

VERITAS VERBI. 2. SCHOL.

TRANSEAT COELVM. *Luc. 16. 17. Interruptos locos vno contextu refero ad faciliorem intelligentiam.* Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem; ex eo, *Syr. ab eo tempore*, regnum Dei euangelizatur, & omnis in in illud vim facit. *Syr. quiuis ipsum corripit vt introeat.* Facilius est autem cœlum & terram præterire, quàm de lege vnum apicem. *Syr. elementum vnum*, cadere. INQVIT ESAIAS. *cap. 40. 8.* Verbum autem Domini manet in æternum. SPIRITVS CREATORIS. *Filius, Deus de Deo, in Isaia erat, ad quem, vt & ad cæteros Prophetas*, factum est Verbum Domini, *vt longè ante de Ioanne prophetaret, quod post Incarnationem de eo dictum est ab ipsomet*, Ego vox clamantis, &c. NON PER DESTRVCTIONEM. *Vt malè intelle-* A *xit Marcion*, QVOD DE IOANNE, *scilicet ipsum esse terminum legis veteris & Prophetiarum impletarum; vel quòd*, à diebus Ioannis regnum cœlorum vim patitur. *Nec præteritura hæc verba, vt nec cætera*, donec omnia fiant, *Psalte id quoque prophetante:* In æternum Domine verbum tuum permanet in cœlos In generationem & generationem veritas tua, &c. *& rursum*, veritas Domini manet in æternum. *Psal. 116. in quem versum Aug.* Veritas inquit Domini manet in æternum: siue in eis quæ promisit iustis, siue in eis quæ minatus est impiis. *Toties hic de locis, & rebus cum Augustino tractaui, vt pigeat hinc plura conferre.* S. Aug.

3. *Veritatis in iniustitia detentæ, vltor Deus. 5 cont. Marc. cap. 13. à p.*

[a] IRam dicit *reuelari de cœlo, super impietatem & iniustitiam hominum, qui veritatem in in-* a Rom. 1.
iustitia detinent. Cuius Dei ira? vtique Creatoris. Ergo & veritas eius erit cuius & ira, 18.
quæ reuelari habet in vltionem veritatis. Etiam adiiciens, [b] *Scimus autem iudicium Dei se-* b Rom. 2.
cundùm veritatem esse; & iram ipsam probauit, ex qua venit iudicium pro veritate, & ve- 2.
ritatem rursus eiusdem Dei confirmauit, cuius iram probauit probando iudicium. Aliud
est, si veritatem Dei alterius in iniustitia detentam Creator iratus vlciscitur. Quantas
autem foueas in ista vel maximè epistola Marcion fecerit, auferendo quæ voluit, de no-
stri instrumenti integritate parebit. Mihi sufficit quæ proinde eradenda non vidit, quasi c Rom. 2.
negligentias & cæcitates eius accipere. Si enim [c] *iudicabit Deus occulta hominum, tam eo-* 16.
rum qui in lege deliquerunt, quàm eorum qui sine lege; quia & hi legem ignorant, & naturâ fa- Ibid. 11.
ciunt quæ sunt legis, vtique is Deus iudicabit cuius sunt & lex, & ipsa natura, *quæ legis est* & 14.
instar ignorantibus legem. Iudicabit autem, quomodo? [d] *secundùm Euangelium*, inquit, *per* d Ibid. 16.
Christum. Ergo & Euangelium & Christus illius sunt, cuius & lex & natura, quæ per Euangelium & Christum vindicabuntur, adeo illo iudicio Dei quod & suprà, secundùm veritatem. Ergo quà defendenda reueletur de cœlo ira, nonnisi à Deo iræ: ita & hic sensus pristino cohærens, in quo iudicium Creatoris edicitur, non potest in alium Deum referri, qui nec iudicat, nec irascitur; sed in illum, cuius dum hæc sunt, iudicium dico & iram, etiam illa ipsius sint necesse est, per quem hæc habent transigi, Euangelium & Christus.

4. *Veritas paucis conuincit, mendacium vix suadet multis. 2. cont. Marc. cap. 28. in f. supra. Verbum Dei num. 11.*

VERITAS. 3. SCHOL.

IRAM DICIT. *Rom. 1. 18.* Reuelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in iniustitia detinent: REVELARI HABET. *Debet manifestari.* ADIICIENS. *Rom. 2. 2.* Scimus enim quoniam iudicium Dei est secundùm veritatem in eos qui talia agunt. ALIVD EST. *Nec verosimile, Deum Creatorem, alterius Dei aduersarij sui veritatem detentam vlcisci.* B QVANTAS FOVEAS, *quot hiatus & lacunas in epistola ad Romanos fecerit Marcion, ex eiusdem Pauli integro & non corrupto Autographo patebit. Sed vel ex his quæ per cæcitatem & negligentiam reliquit, satis habeo, vt conuincam Deum vltorem esse, ipso Pauli testimonio. Verbi gratiâ Rom. 2. 12.* Non est acceptio personarum apud Deum. Quicumque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: & quicumque

in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur, &c. Cùm enim Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die cùm iudicabit Deus occulta hominum, secundùm Euangelium meum, per Iesum Christum. *De ira Dei, eius vltione, iudicio, cæterisque hoc textu contentis, quære alibi dicta fusissimè, & consule rerum & scripturæ indicem.* QVA DEFENDENDA. *In quantùm à Paulo sustinetur & asseritur reuelanda ira de cœlo.* PRISTINO, *priori, præcedenti.* IN ALIVM DEVM. *Lenem & mansuetum Marcionis.* HABENT TRANSIGI. *Sunt peragenda. In priorem locum Pauli de ira Dei Aug. to. 4. in exposit. propositionum in ep. ad Rom. proposit 9.* Iram Dei, *inquit*, vbique loquitur pro vindicta. Idcirco ait, iusti iudicij Dei. Notandum autem quia ira Dei ponitur & in nouo testamento: quod cùm in vetere legunt homines qui legi veteri aduersantur, *inter quos erat Marcion*, culpandam eam putant, cùm Deus vtique sicut nos, perturbationibus non subiaceat, dicente Salomone, Sap 12 tu autem Dominus virtutum cum tranquillitate iudicas. Sed ita vt dictum

S. Aug.

A est, in vindictæ significatione ponitur. *De veritate autem in iniustitia detenta, ser. 143. de temp.* Quid est, *inquit*, super omnem impietatem? non solùm super Iudæos qui Dei legem acceperunt, *de qua Psaltes, & lex tua veritas*, & legis datorem offenderunt: verùm etiam super omnem impietatem Gentium reuelatur ira Dei de cœlo. Et ne quisquam diceret, quare, cùm ipsi legem non acceperint? secutus adiunxit: & iniustitiam eorum, qui veritatem in iniquitate detinent. Iam tu responde, quam veritatem? non enim acceperunt legem, non enim audierunt Prophetam Audi quam veritatem. Quoniam quod notum est, *inquit*, Dei, manifestatum est in illis, &c. *Quanta autem sit ira & vindicta Dei*

S. Aug.

B *vera in huiusmodi homines, ipsa veritas Verbi Dei docet. De qua idem Aug. in Psal. 89. in verba*; quis nouit potestatem iræ tuæ? quàm difficile inuenitur, qui nouerit ita præ timore tuo dinumerare iram tuam, vt etiam addat, & ad eam intelligat pertinere, quod nonnullis quibus plùs irasceris, parcere videaris, vt prosperetur peccator in via sua, & maiora recipiat in nouissimo. Potestas quippe humanæ iræ, cùm corpus occiderit, ampliùs non habet quid faciat: Deus verò habet potestatem, & hîc punire, & post corporis mortem mittere in gehennam.

S. Aug.

VESTIVM ORIGO ET POMPA.

1. *Vestes de terra, mari, vermibus vndique sumptæ. De Pall. cap. 3. V. supra. Verbo Mutatio. 9.*

2. *Vestibus texendis, Minerua telam, Mercurius lanificium inuenit. De Pall. cap. 3. V. Mutatio. 9.*

3. *Vestis Empedoclis arguitur. De Pall. cap. 4. à m.*

ET Philosophi puto ipsi aliquid eiusmodi affectant. Audio enim & in purpura Philosophatum. Si Philosophus in purpura, cur non & in baxa? Tyrium calciari nisi auro, minimè Græcatur. Dicet, atquin alius, & sericatus, & crepidam æratus incessit? dignè quidem, vt bacchantibus indumentis aliquid subtinniret, cymbalo incessit. Quòd si iam tunc locorum Diogenes de dolio latraret, non cænulentis pedibus, vt thori Platonici sciunt. sed omnino totum Empedoclem in adyta Cloacinarum detulisset, vt qui se cœlitem delirarat, sorores priùs suas, dehinc homines, Deus salutaret.

VERITAS. 3. SCHOL.

PHILOSOPHI AFFECTANT. *Alij legunt* affectarent. *De Alexandro priùs dixeras purpurato, & molliter vestito, depositâ Chlamyde militari, quem hic ironicè excusas propter Philosophos, etiam hunc habitum affectantes.* AVDIO PHILOSOPHATVM. *Iuxta Ælianum in varia historia, Gorgiam Leontinum, & Hippiam Eleonem intelligit. Non hos Salmasius putat, quos vtpote Sophistas Laërtius præterijt in libro de vita Philosophorum: sed Aristippum, cuius sectatores Cyrenaici dicti sunt, quòd ipse Cyrenæus esset.* Tyrium calciari, &c. *Non conuenit Græcorum cultui; vt qui Tyrio, id est purpureâ veste induuntur, aliter quàm auro calcientur. Sed si quis obiiciat, Empedoclem purpuratum, æreas crepidas gestasse; respondeo tales calceos decuisse bacchantem; tales enim calceos habebant in sacris Bacchi. Quòd si tunc temporis vixisset Diogenes, non thoros Empedoclis, vt Platonis, sed totum Empedoclem percalcasset, & in cloacas calcibus misisset; vbi is qui se Deum esse somniauerat, meritò Deas sorores suas Cloacinas, Deus salutasset ante homines. Vnde Plautus in Curculione, mendacem & gloriosum mittit ad sacra Cloacinæ.* SI IN PVRPVRA, *supple Philosophatur; cur non in Baxa fiat Baxea, hoc est crepida purpurea Philosophiam profitebitur? Ex Isidoro lib. 2. Baxea calciamentum Comœ-*C *dorum. Ex Turnebo, Philosophorum. Tyrij porrò purpurarij erant.* CALCIARI NISI AVRO. *Id est, non mirum si Philosophi purpureâ crepidâ incedant, cùm eos & auro calceari deceret magis iuxta pompam Græcorum Philosophorum.* GRÆCATVR. *Alij:* Græcatos decet. DICET. *Alter etiam obiiciet fortè, Empedoclem in veste quidem serica, sed tamen non in crepida, vel Tyria, vel aurea, sed ærea incessisse, dum incidit in Æthnam.* BACCHANTIBVS. *Propter sonantia calceamenta Bacchanti similis.* DE DOLIO LATRARET. *Velut canis, vnde & dictus Cynicus, dolium pro domo habens, & luteis pedibus Platonis fastum calcans.* ADYTA CLOACINARVM. *Cypr. de Idol. vanit.* Deam quoque Cloacinam Tacius & inuenit & coluit. *Huius meminit Aug. lib. 4. de Ciuit. cap. 8. quam vocat Cluacinam & cap. 23. & lib. 6. cap. 10.* Cluacinam T. Tatius dedicauit Deam. SE CŒLITEM. *Deum, sicut testatur Horatius & Tatianus contra Græcos.* Empedoclis, *inquit*, arrogantiam Æthnæ cratores in Sicilia coarguerunt: quòd cùm homo esset, Deum se ab hominibus credi falsò mentiretur. SORORES SVAS. *Dignas quidem Cloacarum Præfectas.* OMNES DEOS. *Alij legunt*, homines Deus salutaret. *Qui se Deum esse somniarat.*

S. Aug.

4. *Vestes variæ & vanæ, sub specie religionis, magis carpendæ quàm Pallium Tertulliani. De Pall. cap. 4. circa f.*

CVr istos non spectas, vel illos item habitus qui nouitati suæ stare religionem mentiuntur? cùm ob cultum omnia candidatum, & ob notam vittæ, & priuilegium galeri, Cereri initiantur: cùm ob diuersam affectionem tenebricæ vestis, & tetrici supra caput velleris, in Bellonæ * montes fugantur: cùm latioris purpuræ ambitio, & galatici ruboris superiectio Saturnum commendat: cùm ipsum hoc pallium morosiùs ordinatum, & crepidæ Græcatum Æsculapio adulantur. Quantò tunc magis arguas illud, & vrgeas oculis, & si iam simplicis, & inaffectatæ, tamen superstitionis reum? * mentes.

VESTES VARIÆ. 4. SCHOL.

CVR ISTOS. *Alij referunt ad impudicas mulieres, de quibus immediatè antè dixerat. Vnde legunt:* cur istas non spectas? *cur non arguis habitus vel impudicos, vel superstitiosos, & in honorem idolorum institutos, longè reprehensibiliores meo pallio?* NOVITATI SVÆ. *Nouo induendi mori innixi, cultum Deorum suorum antiquum mentiuntur.* OMNIA CANDIDATVM. *Per omnia candidum.* OB NOTAM. *Insignia vitta, quæ Cereri sacra erat, ex Iuuenali, Satyra 6. & Tertull. de testim. anim. cap. 2.* Vitta Cereris redimitæ. PRIVILEGIVM GALERI. *Alij legunt* Galericuli: *nota ius Galeri, Flamini Diali tantùm datum. Qui tamen sacris Cereris, filiam Proserpinam quærentis initiabantur, & eam quasi viatores sequi profitebantur, non nudo capite, sed tecti Galero, ex priuilegio incedebant.* OB DIVERSAM AFFECTIONEM. *Ob modum & rationem diuersam, qui Bellonæ dedicabantur, non albis, sed nigris, & tenebrarum propriis vestibus induebantur, & fusco vellere caput operiebant, in quosdam montes ei sacros relegati.* CVM LATIORIS PVRPVRÆ. *Vide dicta de testimonio animæ de pallio Saturni coccineo.* GALATICI RVBORIS, *quia granum coccineum, in Galatia nascitur teste Plin. lib. 16. cap. 8.* Coccum Galatiæ rubens granum. AMBITIO. *Circumamictus, vel qui ambiebant Saturno consecrari, vestem purpuream sumebant, sanguinei coloris quem multum effundebant. Porrò per* latiorem *intellige lato clauo insignitam vestem: per superiectionem, pallium coccineum supra vestem indutum.* CVM HOC PALLIVM; *non suum quidem simplex, & quadrangulum, quod vno iactu sibi imponebat, sed Græcum, & amplum, longáque morâ* A *circumpositum, arguendum dicit; quale Æsculapiò imponitur ab iis qui eum vt Medicinæ Deum colunt more Græco crepidatum. Galerus item erat compositio crinium adsextorum in modum galeri facta, quibus Matronæ caput velabant. De quibus Tertull. lib. de Cultu fœm.* Affigitis nescio quas enormitates sutilium atque textilium capillamentorum, nunc in Galeri modum, quasi vaginam capitis, &c. *Meretrices flauo, nigro matronæ vtebantur. Vnde hic subiicit Tertull.* Tetrici super caput velleris. *Pileum enim ex lana nigra portabant Bellonarij.* In Bellonæ montes, *vel* Bellonæ, *supple ædes,* mentis fugantur. *id est extra mentem, quasi fanatici, mittebantur; sic dicti quòd in fanis, & circa fana, mentis excessum paterentur. Per* B *latiorem ergo purpuram, tunicam latis clauis purpureis distinctam accipe, quâ soli Senatores dicti* laticlauij *vtebantur. Per* superiectionem, *omne genus pallij coccinei, qualis erat amictus Saturni, quale & Sacerdotum eius pallium magnâ curâ ordinatum, longè diuersum à Philosophico quo nihil expeditius.* Crepidæ Græcatæ vel Græcatim; *Alij legunt, meliùs quàm* cretatæ, *id est Creta inductæ.* QVANTÒ MAGIS. *Si nos in nostra Christiana, simplici, & non affectata religione, pallio vtentes, quod depositâ togâ induimus, sic arguitis; quantò magis nos irrideretis, si vobis similes, diuersimodè vestiremur, nunc albati in cultu Cereris, nunc denigrati, in honorem Bellonæ, nunc purpurati, & crepidati ad blandiendum Saturno, vel Æsculapio. De Bellona Aug. lib. 3. de Ciuit. c. 25.* Febrem Bellonamque prætulerunt, quibus antiqua fana fecerunt. S. Aug.

5. *Vestis terram verrens, contra naturæ, & modestiæ decentiam, arguitur. De Pall. cap. 4. à m.*

TAles igitur habitus qui de natura & modestia transferunt, & acie figere, & digito destinare, & nutu tradere meritò sit. Prorsus si quis * Mæandrico fluxu delicatam vestem humi protrahat, audiat * ponè se, quod & comicus, Qualem demens iste chlamydem disperdit? * Menandrico. * penes se, quod.

VESTIS TERRAM, &c. 5. SCHOL.

DE NATVRA. *Virili in fœmineam, de quo alibi.* MODESTIA. *In luxum & libidinem.* ACIE FIGERE. *Toruè intueri.* DESTINARE. *Ostendere & denotare.* TRADERE. *Supple irridendos.* MÆANDRICO FLVXV. *Si quis vestem sericam & pretiosam longo syrmate, siue, vt aiunt, caudâ instar Mæandri flexuosam pompaticè incedendo & hinc inde terram verrendo iustè post se audiat mussitantem, sicut audiuit quidam comicus in theatro chlamidem pretiosam dissipans. Vlpianus* C *pro veste puerili sumit. Alij legunt* Menandrico fluxu *confluxu populi tanto, quanto olim Athenis Menandrum Comœdiam Thaida ludentem spectatum ibant, in qua fortè Actor aliquis, siue histrio, in veste prælongâ irrisus est. Mæandros in vestibus, putà fascias & ornamenta, extremitas vestium erat ambientia.* AVDIAT PONE SE *alij legunt,* penes se & comicus. *Menander scilicet de quo in versibus Phædri:* qualem demens iste, &c.

6. *Vestium pretiosarum vsus communis, iam non discernit personas. De Pall. cap. 4. à m.*

IAm dudum censoriæ intentionis episcynio disperso quantùm denotatui, passiuitas offert libertinos in equestribus, subuerbustos in liberalibus, dediticios in ingenuis, rupices in vrbanis, scurras in forensibus, paganos in militaribus: vespillo, leno, lanista tecum vestiuntur.

VESTIVM PRETIOSARVM. 6. SCHOL.

IAM DVDVM. EPISCYNIO. *Graui & superciliosa nota Censorum, ceu nube austeritatis dispersa, quantùm paßim obuia morum corruptela offert denotationi, & exponit infamia; quòd iam sublatâ censurâ, omnis vestium differentia sublata est: unde miror quòd in tanta vestium confusione promiscua, vos Gentiles Christianos arguatis, dum a Toga transeunt ad Pallium.* Quantùm denotatui: *quantum attinet ad denotationem censoriam. Episcynium dispergere, est frontem porrigere, quam contrahebat Censor arguens. Quantò ergo magis irrisioni Satyrica materiam præstet, quòd passim & vulgò videmus nihil in habitu differentes, manumissos* A *& libertate donatos, ab equitibus; seruos sub verberibus & vstulationibus siue stigmatibus igne inustis notatos, nihil à liberis; dedititios siue infima conditionis libertinos ab ingenuis; rupices, id est rudes, rusticos, in rupibus degentes, ab vrbium incolis; scurras & histriones, ab aduocatis; habitantes in pagis, à militibus.* VESPILLO, *vilis cadauerum funerator, qui pauperes circa vesperam portabat ad funus.* LENO, *deductor meretricum.* TECVM VESTIVNTVR. *Eodem tecum habitu vtuntur, ut desinas de tua veste pompatica gloriari in qua iam non distas, à vilissimæ sortis hominibus.*

7. *Vestis lasciua, matronam non discernit à lupa. Apol. cap. 6 à p. V. Abstinentia 1. in m.*

Vestes modestæ & officio congruentes à fideli indui possunt, sed nefas est in his mutare sexum. De Idol. cap. 16. in p. ad m.

CIrca officia verò priuatarum, & communium solemnitatum, vt togæ puræ, vt sponsalium, vt nuptialium, vt nominalium, nullum putem periculum obseruari de flatu idololatriæ, quæ interuenit: causæ enim sunt considerandæ, quibus præstatur officium. Eas mundas esse opinor, per semetipsas: quia neque vestitus virilis, neque annulus, aut coniunctio maritalis, de alicuius idoli honore descendit. Nullum denique cultùm à Deo maledictum inuenio, nisi muliebrem in viro. [a] *Maledictus enim*, inquit, *omnis qui muliebribus induitur.* Toga verò, etiam appellationis virilis est. Nuptias quoque celebrari non magis Deus prohibet, quàm nomen imponi. Sed his accommodantur sacrificia.

a Deut. 22. 5.

VESTES MODESTÆ. 7. SCHOL.

DE FLATV. *Hæc officia non procedunt ab idololatria. Per se enim togam virilem induere, sponsalia contrahere vel nuptias, nomen imponere, vel huiusmodi solemnitatibus interesse, malum non est; modò quis sacrificiis in huiusmodi offerri solitis à Gentilibus, non participet.* TOGÆ PVRÆ. *Aduerte pueros vsque ad annum 18. togâ prætexta vsos, apud Romanos; sic dictâ quòd huic vesti purpura intexeretur. Post hunc annum, sumebant togam virilem. Vnde Tertullianus subiecit:* toga verò etiam appellationis virilis est. *Tunc enim eâ induti viri censebantur. Hæc toga virilis etiam Libera dicebatur. Erat præterea toga picta, toga regia, auro & purpurâ intexta, quâ Reges vtebantur, quæ à Liuio inter insignia triumphantis numeratur: erat & toga vitrea, quæ vitri instar translucebat, de qua Turnebus 14. aduers. cap. 19. quæ ostentabat tunicæ clauos.* C *Toga porrò libera, pura, seu virilis, significabat, pueros à magisterio Pædagogorum, & tutorum authoritate excedere, suæque permitti libertati, sed tum apud Gentiles intercedebat idololatria, à qua cauere debebant Christiani. Sic enim Propertius.*

Matris & ante Deos libera sumpta toga est.

Solebant item eam induere in Liberalibus, in Liberi honorem, & vitæ liberæ significationem. Sic Ouidius.

Restat vt inueniam qua te toga libera detur,
Lucegeri pueris, candide Bacche, tua.

Togâ tandem candidâ magistratum ambientes induebantur, inde dicti candidati. Quæ toga petitionis signum erat, vt à populo dignoscerentur, qui ambirent Magistratum. Tandiu enim petere, & perstare in suo ambitu credebantur, quandiu togam candidam retinebant. D *Vnde & Sanctus Antonius Martyr purpuram ambiens, processit in forum, candidâ veste indutus.* NOMINALIVM. *Solemnitas erat, quâ nomen imponebatur. Sicut solemnitatem agebant Iudæi in die Circumcisionis, quo nomen pueris imponebant. Vnde Cicero. 13. Philipp.* Ego, *inquit*, eum, vt quod à patre accepi, filio reddam, meâ nominatione cooptabo. CAVSÆ CONSIDERANDÆ. *Etnici, quibus agimus, & conuersamur.*

B *Sic Augustinus concione 12. in Psal. 118.* Magni interest, cùm aliquid boni facimus, cuius rei contemplatione faciamus. Officium quippe nostrum, non initio, sed fine pensandum est: vt scilicet non tantùm, si bonum est quod facimus, sed præcipuè si bonum est, propter quod facimus, cogitemus. S. Aug. NVLLVM CVLTVM. *Vt quid ergo toties inuehitur in superfluas vestes? sed maledictio in aliis locis non ita videtur expressa.*

MALEDICTVS. *Deut. 22. 5.* Non induetur mulier veste virili, nec vir vtetur, veste fœmineâ, abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc. 70. Non erunt vasa viri, *Chald. ornamentum viri*, super mulierem: neque induetur vir stolam muliebrem: quoniam abominatio Domino Deo tuo est omnis faciens hæc. *Nec tamen quacumque ex causa inlicitum est, imò meritorium, si fiat honoris, aut vitæ, multò magis salutis æternæ propriæ vel proximi conseruandæ causa, sicut fecit miles apud Ambrosium. Et tot fœminæ Monachorum habitu cum Pelagia, Euphrosina, Theodora, Euphemia, & cæteris. Vnde Augustinus sua ipse cum ratione colloquens libro 2. Soliloquiorum cap. 16.* Credo iure infames, intestabilesque haberi, qui muliebri habitu se ostentant, quos nescio vtrùm falsas mulieres, an falsos viros meliùs vocem. S. Aug. Veros tamen histriones, verosque infames sine dubitatione possumus vocare: aut si latent, nec infame quidquam, nisi à turpi fama nominatur, veros nequaquam, non sine veritate dicimus, vt opinor. Alius locus nobis erit, de istis rebus disserendi. Multa enim fiunt, quæ quasi facie populari turpia videntur, aliquo tamen fine laudabili honesta monstrentur. Et magna quæstio est, vtrùm patriæ liberandæ causâ, muliebri tunicâ indutus debeat hostem decipere, hoc ipso quòd mulier facta sit, fortasè verior vir futurus. Et verùm sapiens qui aliquo modo certum habeat necessariam fore vitam suam rebus humanis, malit emori frigore, quàm fœmineis vestibus, si aliud non sit, amiciri.

8. *Vestes insignes & pompam omnem propriam idololatriæ fugere debet Christianus, exemplo Christi pauperis, & inglorij. De Idol. cap. 18. in m. ad f.*

IAm nunc qui de Ioseph & Daniel argumentaris, scito non semper comparanda esse Gen. 41.
vetera & noua, rudia & polita, cepta & explicita, seruilia & liberalia. nam illi etiam 42.
conditione serui erant. tu verò nullius seruus, in quantùm solius Christi, qui te etiam Dan. 5. 29 1. Cor. 6.
captiuitate seculi liberauit, ex forma Dominica agere debebis. Ille Dominus in humili- 20.
tate & ignobilitate incessit, domicilio incertus: nam [a] *filius*, inquit, *hominis non habet vbi* a Luc. 9.
caput collocet. vestitu incultus. neque enim dixisset, [b] *Ecce qui teneris vestiantur, in domibus* 58.
regum sunt. [c] *vultu denique & aspectu inglorius*, sicut & Esaïas pronuntiauerat. Si potestatis b Matth.
ius quoque nullum ne in suos quidem exercuit, quibus sordido ministerio functus est; si 11. 8.
regem denique fieri, conscius sui regni, refugit, plenissimè dedit formam suis, dirigen- c Esa. 53.
do omni fastigio & suggestu * tam dignitatis quàm potestatis. Quis enim magis iis vsus fuis- 2. 3. Io. 13. 4.
set tam Dei filius? quales & quanti eum fasces producerent? qualis purpura de humeris Io. 6. 15.
eius floreret? quale aurum de capite radiaret? nisi gloriam seculi alienam & sibi & suis * quam.
iudicasset? Igitur quam noluit reiecit, quam reiecit damnauit, quam damnauit in pompa diaboli deputauit. Non enim damnasset, nisi non sua: alterius autem esse non possent, nisi diaboli, quæ Dei non sunt. Tu si diaboli pompam eierasti, quicquid ex ea attigeris, id scias esse idololatriam; vel hoc te commonefaciat, omnes huius seculi potestates & dignitates non solùm alienas, verùm & inimicas Dei esse, quod per illas aduersùs Dei seruos supplicia consulta sunt, per illas & pœnæ ad impios paratæ irrogantur. Sed natiuitas & substantia tua molestæ tibi sunt aduersus idololatriam. Ad euitandum, remedia deesse non possunt; cùm etsi defuerint, supersit vnicum illud, quod felicior factus non in terris magistratus, sed in cœlis.

9. *Vestes nobilitatis insignes, à Ioseph, Daniele, cæterisque iuxta proprium officium sumi licitò potuerunt; cætera idololatriæ propria, fugienda sunt. De Idol. cap. 18. in p. ad m.*

IAm verò de solo suggestu & apparatu honoris retractandum. proprius habitus vniuscu-
iusque est, tam ad vsum quotidianum, quàm ad honorem & dignitatem. Igitur purpura
illa, & aurum, ceruicis ornamentum, eodem more apud Ægyptios, & Babylonios insignia Gen. 41.
erant dignitatis, quo more nũc prætextæ, vel trabeæ, vel palmatæ, & coronæ aureæ Sacer 42.
dotum prouincialium, sed non eâdem conditione. Tantùm enim honoris nomine confere Dan. 5. 29
bantur his qui familiaritatem regum merebantur. Vnde & purpurati Regum vocabantur à
purpura, sicut apud nos à toga candida candidati: sed non vt suggestus ille Sacerdotiis quo-
que aut aliquibus idolorum officiis adstringeretur. Nam si ita esset, vtique tantæ sanctitatis
& constantiæ viri statim habitus inquinatos recusassent, statimque apparuisset Danielem
idolis non deseruisse, nec Belem nec dracone colere, quod multò postea apparuit. Simplex Dan. 14.
igitur purpura illa, nec iam dignitatis erat, sed ingenuitatis apud Barbaros insigne. Quem- 3. 4. 24.
admodũ enim & Ioseph qui seruus fuerat, & Daniel qui per captiuitatem statum verterat,
ciuitatem Babyloniam & Ægyptiam sunt consecuti per habitum barbaricæ ingenuitatis: Gen. 41.
sic penes nos quoque fideli, si necesse fuerit, poterit & puerilis prætexta concedi, & pue- 42.
rilis stola, natiuitatis insignia, non potestatis; generis, non honoris; ordinis, non super- Dan. 5. 29
stitionis. Ceterùm purpura, vel cetera insignia dignitatum & potestatum, insertæ dignitati & potestatibus idololatriæ ab initio dicata, habẽt profanationis suæ maculam. cùm præterea ipsis etiam idolis induantur prætextæ, & trabeæ, & laticlaui, fasces quoque & virgæ præferantur; & meritò. nam dæmonia magistratus sunt sæculi. huius collegij insignia, fasces & purpuras, gestant. Quid ergo proficies, si suggestu quidem vtaris, opera verò eius non administres? Nemo in immundis mundus videri potest. Tunicam si induas inquinatam per se, poterit forsitan illa non inquinari per te, sed tu per illam mundus esse non poteris.

VESTES INSIGNES. 8. & 9. SCHOL.

QVI ARGVMENTARIS. *Qui defendis vestium pompam esse licitam, maximè in Curiis Regum, propter exempla Ioseph & Danielis. Gen. 41. 42.* Dixitque rursus Pharao & Ioseph: ecce constitui te super vniuersam terram Ægypti, tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius: vestiuitque eum stolâ byssinâ & collo torquem auream circumposuit, &c. *Et Daniel. 5. 29.* Tunc iubente Rege 70. *Et dixit Baltassar.* Indutus est Daniel purpura & circumdata est torques aurea collo eius: & prædi- A catum est de eo quòd haberet potestatem tertius in regno suo. SERVILIA. *Quia vt explicat, emptitium erat Ioseph quem vendiderant Ismaëlitæ, emptum à Fratribus. Daniel verò in captiuitate Babylonica positus.* SOLIVS CHRISTI. *dicente Paulo:* iam non estis vestri: empti enim estis pretio magno. *Et rursum:* non estis ancillæ filij, sed liberæ, quâ libertate vos Christus liberauit. EX FORMA DOMINICA. *Domini exemplum sequi debebis.* COLLOCET. *Reclinet.* NEQVE DIXISSET, *si videlicet veste pretiosa vsus fuisset.*

TENERIS. *Mollibus.* VVLTV INGLORIVS. *Esa.* 53. 2. Non est species ei neque decor. 70. *neque gloria.* Et vidimus eum, & non erat aspectus, &c. SORDIDO MINISTERIO. *Non tantùm quia dixit:* Ego in medio vestri sicut qui ministrat; *sed & quia lauit pedes Discipulorum suorum.* CONSCIVS. *Quia de stirpe Dauid; & is* per quem Reges regnant; & regnum in manu eius & potestas & imperium. REFVGIT. *Io.* 6. 15. Iesus ergo cùm cognouisset quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. DIRIGENDO FASTIGIO, *in communem, & planum ac vulgarem statum deponendo omni apice dignitatis & pompa humilianda. Sic enim* dirigitur via Domini, dum omnis mons & collis humiliatur. FASCES PRODVCERENT, *in publicum scilicet procedentem procederent, sicut Consules & Magistratus, lictores fasces tenentes cum securibus pracedebant.* FLORERET, *niteret.* AVRVM, *corona aurea.* GLORIAM SAECVLI. *Pompam mundi.* EIERASTI. *Abiurasti in baptismo.* POTESTATE. *Intellige Imperatores, & Magistratus Gentiles, qui sicut impiis & reis, decretas per leges pœnas irrogant; sic & supplicia decernunt in Martyres, & nominis Christi Confessores.* IRROGANTVR. *Alij legunt* ignorantur. *Et tunc alius erit sensus; vt Gentiles ignorent pœnas aeternas, quae vt diabolo, sic & impiis paratae sunt.* SED NATIVITAS. *Sic obiicis, fortè, inquit, tibi molestum est, quòd cùm sis diues & nobilis, proindéque ornatu & veste pretiosa dignus, propter spiritalem ex Deo natiuitatem, & substantiam fidei quam professus es in baptismo, contra idololatriam certare non possis, deponendo vestes quibus vsi sunt maiores tui.* AD EVITANDVM, *supple hoc fidei praeiudicium, multa tibi remedia occurrunt, sed hoc vnum sufficiet si cogites te futurum longè fœliciorem in purpura Martyrum & gloria cœlesti, quàm in magistratu terrestri.*

9. SOLO SVGGESTV. *Pompa vestium. Abstrahendo à cultu idolorum.* RETRACTANDVM, *tractandum. Facta etiam abstractione ab ipso Magistratu, & officio coniuncto cum ludis, aut aliis ceremoniis quoquo modo ad idololatriam pertinentibus.* CERVICIS ORNAMENTVM. *Torques aurea.* APVD ÆGYPTIOS. *Vt supra dictum est de Ioseph.* ET BABYLONIOS. *De Daniele.* PRAETEXTAE. *Erant puerorum de quibus infra. Nunc autem tractat de virilibus, quae ex Festo nulli alij in vsu erant, nisi eis qui in loco publico iure Magistratus ludos facerent.* TRABEAE. *Vestes Consulares erant, quibus vtebantur Consules Romani, priusquam in Prouincias pergerent, trabeati & paludati vota nuncupabant. Ex Isidoro lib.* 19. *Orig. cap.* 24. Trabea erat togae species ex purpura & cocco, quâ operti Romanorum Reges initio procedebant. Hanc primùm Romulus adinuenisse perhibetur ad discretionem Regij habitus. Trabea autem dicta quòd in maiori gloria hominem transbearet, hoc est vltra & in posterum ampliori dignitate honoris beatum faceret. PALMATAE. *Ex eodem ibidem:* toga palmata dicebatur, quam merebantur ij qui reportabant de hostibus palmas. Ipsa vocabatur, & toga picta, eo quòd victorias cum palmis intextas haberet. CORONAE AVREAE. *Prudentius, & Epictetus Sacerdoti Prouincia coronam auream tribuunt.* TOGA CANDIDA. *Isid. supra:* toga, *inquit*, candida eademque cretata, in qua candidati, id est, Magistratum petentes ambiebant, additâ cretâ, quo candidior insigniorque esset. Cicero oratione quam habuit contra competitores in toga candida scripsit. NON VT SVGGESTVS. *Sic Regum amici, ornatum vestium assumebant, sicut Ioseph & Daniel, non vt aliquo modo participarent Idolis, quòd statim viri sancti recusassent, sed tantùm honoris & fauoris Regij gratia* NEC BELEM. *Dan.* 14. 1. Erat autem Daniel conuiua Regis, & honoratus

A super omnes amicos eius. Erat quoque Idolum apud Babylonios nomine Bel, &c. Rex quoque colebat eum, & ibat per singulos dies adorare eum: porrò Daniel adorabat Deum suum, &c. Et erat draco magnus in loco illo, & colebant eum Babylonij. STATVM VERTERAT. *In seruitutem libertate mutata.* CIVITATEM CONSECVTI. *Ius ciuium & ingenuorum, quorum apud Barbaros insigne erat purpura, aut stola byssina, & torques aurea.* PENES NOS, *apud Christianos.* PVERILIS PRAETEXTA *Ex Isid. supra:* praetexta puerile pallium est, quousque ad sexdecim annos pueri nobiles sub disciplinae cultu vte-

B bantur. Vnde & praetextati pueri appellati sunt. Dicta autem praetexta, quia praetexebatur ei latior purpura. CAETERVM PVRPVRA. *Tertull. nunc respondet austero suo modo, supra dicta obiicienti, & defendenti ornatum vestium, exemplo Danielis, & Ioseph; & prorsus ornatum omnem Christiano interdicit; quòd tam purpura, quàm caetera insignia dignitatum, prophanam & superstitiosam ab initio traxerint maculam, & fuerint ab initio dicata Idololatriae, quae à Diabolo immixta est & inserta dignitatibus Idololatriae praefectis. Et licet, natu nobiles innocenter indui possint ornatiùs, vilissimae sortis hominibus, cùm tamen pompa omnis sit inuecta à diabolo, & Christianae humilitati repugnans, proinde fugienda est Christiano.* CVM PRAETEREA. *Ad haec accedit, quòd & idola sic induantur*

C *sicut Magistratus. Et dignè quidem; cùm daemones sint.* Rectores & potestates tenebrarum mundi. HVIVS COLLEGII. *Alij legunt:* vnius: *quasi vna sit societas daemonum & Magistratuum Gentilium.* LATI CLAVI. *Vestes insignes. Latus clauus tunica erat purpurea praetexta, latior tunica vulgari, qua Senatores vtebantur. Hac iuxta Plin. lib.* 9. *cap.* 39. *primus vsus est Tullus Hostilius Rex Romanorum. Item Sacerdotes eam induebant vt innuit Silius Italicus lib.* 3. Sacrificam lato vestem distinguere clauo. QVID PROFICIES? *frustra sumes huiusmodi ornamenta. Cùm enim instituta sint in finem Idololatriae, cui seruiunt Magistratus, nec vllo modo opera ad idololatriam spectantia possis aggredi, nullo tibi modo ista conueniunt.* NEMO

D IN IMMVNDIS. *Praeter haec; cùm Christianus in omnibus munditiam colere debeat, debet prorsus immundis renuntiare vestibus.*

Locus hic esset cum Patribus, maximè Augustino contra pompaticum vestium ornatum insurgendi. Sed quoniam iam bis, tam verbo mulierum ornatus, *quàm verbo*, ornatus superfluus, *quidquid ex Augustino excerpere potui, illuc retuli; hìc quaedam selectiora ex aliis Patribus conferam. Nusquam enim tanta apud Christianos vestimentorum & cultus corporis cura & luxus efferbuit, vt hodie debacchatur. Accipe primò Clem. Alex. lib.* 3. *Paedag. cap.* 11. Aurum, *inquit*, gestare, & molliori vti veste, non omninò rescindendum est: sed fraenandae sunt rationis expertes appetitiones, ne per nimiam dissolutionem abripientes nos, *sicut equus indomitus de Ephipiis glorians sessorem ex-*

E *cutit*, nos ad mollem ac luxuriosam vitam impellant, &c. Quemadmodum militis & nautae, ita etiam pudicae fœminae est propria vestis, quae minimè est elaborata, & est decora ac munda. Vnde etiam quae in lege Leuit. 13. per Moysem de lepra est lata lex, reiicit id quod est varium, & multis maculis notatum, perinde atque nefarium, vt quod sit serpentis variis squamis simile. Eum ergo qui varietate colorum minimè efflorescit, totus autem à vertice capitis, vsque ad extremos pedes est candidus, mundum esse statuit: vt quemadmodum in corpore, varia quoque ac versipelli relictâ mentis affectione, qui non est varius, nec anceps, simplicem veritatis colorem diligamus. *Et paulò infra.* Vtatur etiam fœmina veste frugali & honestâ, magis

magis autem molli quàm viro conueniat; sed non quæ pudorem omnino abiecerit, nec planè mollitie diffluat. Congruant autem vestes ætati, personæ, figuris, naturæ, studiis. Pulcherrimè enim nobis præcipit diuinus Apostolus, vt Iesum Christum induamus, & ne carnis curam geramus in desideriis. *Et lib. 2. Pædag. c. 12.* Sit in vestrarum manuum carpis sanctus ornatus, quæ facilè impertitur communicatio, & familiæ administrandæ opera, &c. in pedibus appareat impigra alacritas ad benefaciendum, & ingressus ad iustitiam. Torques autem & catenæ, sint pudor & modestia: talia Deus fundit monilia, &c. non perforentur aures, vt aureæ ab eis inaures dependeant, &c. Non alius fuerit melior aurium ornatus quàm vera catechesis, hoc est, quæ per auditum suscipitur institutio. Oculi autem verbo, *non stibio vt Iezabel*, inuncti, &c. verbo vere veram ostendente pulchritudinem quam oculus non vidit, &c. *Et ibidem supra:* Apelles, *inquit*, pictor cùm vidisset quemdam ex suis discipulis pinxisse Helenam, multo auro ornatam: ô adolescens inquit, cùm non posses pingere pulchram, pinxisti diuitem. Tales sunt Helenæ quæ nunc sunt mulieres, non verè pulchræ, sed multis effictæ & ornatæ diuitiis. *Et lib. 3. Pædag. cap. 11.* Eis, *inquit*, opus est theatro, & pompâ, & spectatorum multitudine, & errore in sacris, & diuturnâ morâ in triuiis, vt eæ sint manifestæ omnibus. Ornantur enim vt aliis placeant, quæ in facie, non in corde gloriantur. Sicut enim notæ inustæ fugitiuum, ita etiam floridi colores adulteram indicant, &c. *Porrò Idololatriæ speciem quis neget esse Philautiam? subiicit Clemens aptè in rem Tertulliani ornatum damnantis idololatriæ proximum:* Neque verò, *inquit*, vt est in Græcorum fabulis, formoso Narcisso rectè successit, quòd suæ fuerit contemplator imaginis. Quòd si Moyses præcipit hominibus nullam facere imaginem quæ Deum arte repræsentet: quomodo hæc rectè fecerint mulieres quæ fallaci personæ fictione, suas per reuerberationem, *in speculo*, imitantur imagines? *Imo adorant, & ex Bernardo* tanquam idolum hominibus adorandum exhibent. *Et quoniam hic Tertullianus, nobis proponit exemplum Christi pauperis, inglorij, veste simplici induti, peto ab Isidoro Pelusiota lib. 1. ep. 74. locum de Christi tunica.* Quis, *inquit*, vestis illius vilitatem ignorat, vt quâ Galilæorum pauperes vtantur, apud quos etiam maximè huiusmodi vestis genus fieri solet? *Et Petrus Damianus homilia 102.* Ipsa, *inquit*, Maria fecit filio suo paruulo tunicam inconsutilem, quæ sicut corpus crescebat, pariter crescebat, & illius proportioni semper conueniebat, quam vsque ad crucem portauit. *Ibidem autem de virginis indumento ex Cant. 6.* Pulchra es amica mea, suauis & decora sicut Ierusalem. Sicut Ierusalem, *inquit*, non sicut Babylon quam vidit Ioannes ornatam purpurâ & cocco, & inauratam auro, & lapide pretioso, & margaritis. Babylonem hanc diabolus, Ierusalem inhabitat Christus: ille luxuriantis amictus varietate reficitur, hic asperis & humilibus. *Hinc Gregorius Turon. in quodam manuscripto de Salutatione Angelica scripsit* se diuino oraculo monitum cognouisse Deiparam ex quo templum ingressa est, numquam sine cilicio carnem illam beatam pungente vixisse.

A Illius vestes ex vilissima lana, nullo infectæ colore. Somno ipsius semper humo nudâ, vel duris tabulis adhærebat. *Et Author operis imperfecti in caput 2. Matth.* Inuenerunt Magi matrem eius vix vnam tunicam habentem, sed ad tegumentum nuditatis proficientem quam habere poterat vxor Carpentarij. *Pudeat Christianos Christi & virginis filios veste ornatâ gloriari.* Induimini, *inquit*, Paulus Dominum Iesum *Cui accinit D. Bonau. in Psalterio.* Mariam induite quotquot diligitis eam, hæc luceat in moribus, splendeat in actionibus. *Nec prætermittam hoc loco obiectionem quæ fieri posset contra præmissa de apparatu vestium, maximè earum quæ in officio Idololatriam aliquam sapiant, quam aliqui ex ipso Tertulliano non

B insulsè proferre possent, libro de Corona cap. 8. vbi & ipse sibi obiicit:* audio dici & alia multa ab eis, *dæmonis vel hominibus pro diis habitis*, prolata, quos sæculum deos credidit; tamen in nostris hodie vsibus, & in pristinorum sanctorum, & in Dei rebus, & in ipso Christo deprehendi, non aliàs scilicet hominem functo, quam per communia illa instrumenta exhibitionis humanæ, &c. Si vniuscuiusque supellectilis, & singulorum vasculorum aliquem ex diis sæculi auctorem nominant; agnoscant necesse est, & recumbentem in lectulo Christum, *in vltima cœna, & apud vtrumque Simonem, Pharisæum, & leprosum, & Matthæum:* & cùm peluem Discipulorum pedibus offert, & cùm aquam ex vrceo ingerit, & cùm linteo circumstringitur, pro-

C priâ Osiridis veste. *Quænam sit hæc propria Osiridis vestis, varius est diuersorum sensus. Osiris Ægypti deus sacerdotes habuit, de quibus Herodotus libro 2.* Sacerdotes ferunt tantùm vestem lineam. *Et Plin. vestes inde sacerdotes Ægypti gratissimæ. & Apuleius* mundissima lini seges, inter optimas fruges terræ, non modò indutui, & amictui sanctissimis Ægyptiorum sacerdotibus, sed opertui quoque inde rebus sacris vsurpatur. *Quin etiam iisdem linum simplicitatis est symbolum, quòd omnem tincturam reiiciat, lana ex aduerso hypocrisis, quòd omnem admittat. Nec mirum Christum epulantem in azymis sinceritatis & veritatis, accingentem se mundissimo omnium sacrificio, lineis præcinctum fuisse, hoc est perizomate lineo, non vt aliqui scribunt, veste cœnatoriâ lineâ apud Romanos:

D cùm Tertullianus iuxta Euangelium non circumuestitum dicat, sed circumstrictum propriâ Osiridis veste; de cuius cultoribus agens Herodotus dixit:* nefas apud Ægyptios fuisse laneas vestes in ædes sacras inferre; proinde lineis vtebantur. *Nec probabilitate caret, hoc linteum quo Christus vsus est, ipsissimam fuisse, & propriam Osiridis Regis Ægypti, vel summi eius sacerdotis vestem. Cùm enim iuxta Patres, & Greg. Naz. maximè, vltima Cœna facta sit in loco strato & parato Ioannis cognomento Marci filij Mariæ, potentis & diuitis, nil repugnat ex Ægypti spoliis in Palestinam translectus, hanc vestem sacerdotis, & regis seruatam fuisse in hac domo, quam Christus idololatriæ destructor, qui commouerat in Ægyptum fugiens omnia simulacra Ægypti, verum sacrificium instituturus, pedibus Apostolorum idololatriam destructuris dictam vestem abstergendis impenderit, ex quibus clara est responsio, posse nos exemplo Christi, vel in communibus vsibus, vel in idololatriæ contemptum, iisdem vasis & vestibus cum Gentilibus vti, sed fine longè diuerso.*

VIDVITAS MVLTIS RATIONIBVS COMMENDATVR.

1. *Viduitatem vxori suæ suadet Tertullianus. 1. ad Vxo. cap. 1. circa m.*

PRæcipio tibi, quantâ continentiâ potes, post excessum nostrum renuncies nuptiis, nihil mihi isto nomine collatura, nisi quod tibi proderis.

2. *Viduitas seruata magni est meriti, relicta autem pro secundo coniugio, venia facilis.* 2. *ad vxo. cap.* 1. *in m.* *V. Nuptiæ cum infideli num.* 1.

* 3. *Viduitatem seruare, modestia persuadet.* *De Exhort. cast. cap.* 1. *in f.* & 2. *in p.*

MOdestia est, ablatum non desiderare, & ablatum à Domino Deo; sine cuius voluntate nec folium de arbore delabitur, [a] *nec passer assis vnius ad terram cadit.* Quàm denique modesta illa vox est, [b] *Dominus dedit, Dominus abstulit: vt Domino visum est, ita factum est!* Et ideo si nuptias sublatas restauremus, sine dubio contra voluntatem Dei nitimur, volentes habere rursus, quod habere nos noluit. Si enim voluisset, non abstulisset. Nisi si & hoc voluntatem Dei interpretamur, quasi & rursus nos voluerit habere quod iam noluit.

a Matth. 10. 29. Cap. 11. b Iob. 1. 21.

4. *Viduitas consulitur, quòd eximat debito, animam soluat carni, aptetque spiritalibus.* *De Exhort. cast. cap.* 10. *in p. ad m.*

ET quando finis nubendi? credo post finem viuendi. Renuntiemus carnalibus, vt aliquando spiritalia fructificemus. Rape occasionem, etsi non exoptatissimam; attamen opportunam, non habere cui debitum solueres, & à quo exoluereris. Desiisti esse debitor. O te felicem! dimisisti debitorem. sustine damnum. Quid si, quod diximus damnum, lucrum sentias? Per continentiam enim negotiaberis magnam substantiam sanctitatis; parsimoniâ carnis, spiritum adquires. Recogitemus enim ipsam conscientiam nostram, quàm alium se homo sentiat, cùm fortè à sua femina cessat. spiritaliter sapit. Si orationem facit ad Dominum, propè est cœlo. Scripturis incumbit, totus illic est. Si psalmum canit, placet sibi. Si dæmonem adiurat, confidit sibi. Ideo Apostolus temporalem purificationem orationum commendandarum causâ adiecit; vt sciremus, quod ad tempus prodest, semper nobis exercendum esse, vt semper prosit. Quotidie, omni momento oratio hominibus necessaria est, vtique & continentia, post quam oratio necessaria est.

5. *Viduitas suadetur, propter onus liberorum, dissuadentur autem secundæ nuptiæ quæsitæ pro cura familiæ, suscipiendis hæredibus, & per eos tuendæ Reipublicæ.* *De Exhort. cast. cap.* 12. *per totum.*

SCio quibus causationibus coloremus insatiabilem carnis cupiditatem. prætendimus necessitates adminiculorum, domum administrandam; familiam regendam, loculos, claues custodiendas, lanificium dispensandum, victum procurandum, curas communiendas. Scilicet solis maritorum domibus benè est. Perierunt cœlibum familiæ, res spadonum, fortunæ militum, aut peregrinantium sine vxoribus. Non enim nos & milites sumus? eò quidem maioris disciplinæ, quantò tanti Imperatoris: Non & nos peregrinantes in isto seculo sumus? cur autem ita dispositus es, ô Christiane, vt sine vxore non possis? Nunc & consors onerum domesticorum necessaria est. Habe aliquam vxorem spiritalem. adsume de viduis, fide pulcram, paupertate dotatam, ætate signatam. Bonas nuptias feceris. Huiusmodi vxores etiam plures haberi Deo gratum est. Sed posteritatem recogitant Christiani, quibus crastinum non est. Heredes Dei seruus desiderabit, qui semetipsum de seculo exheredauit? Et ideo quis repetat matrimonium, si de pristino non habeat liberos? Habebit itaque hoc primùm, vt diutius velit viuere, ipso Apostolo festinante ad Dominum? certè expeditissimus in persecutionibus, constantissimus in martyriis, promptissimus in communicationibus, temperantissimus in acquisitionibus: postremò securus morietur, relictis filiis forsitan qui illi parentent. Nunquid ergo huiusmodi & reipublicæ prospectu aguntur, ne ciuitates deficiant, si suboles non exerceantur; ne leges, ne iura, ne commercia delabantur, ne templa derelinquantur; ne non sint qui adclament, Christianis leonem? Hæc enim audire desiderant, qui filios quærunt. Sufficiant ad consilium viduitatis vel ista, præcipuè apud nos, importunitas liberorum, ad quos suscipiendos legibus compelluntur homines; quia sapiens quique nunquam libens filios desiderasset. Quid ergo facies si nouam vxorem de tua conscientia impleueris? dissoluas medicaminibus conceptum? Puto nobis non magis licere nascentem nocere, quàm natum. Sed fortasse illo tempore prægnantis vxoris, remedium tantæ sollicitudini à Deo petere audebis, quod in te positum recusasti? Aliqua, opinor, sterilis prospicietur, iam vel frigidioris ætatis. Satis consultè, & in primis fideliter. Nullam enim credidimus Deo volente sterilem aut anum enixam. quod adeo magis euenire potest, si quis præsumptione huius prouidentiæ suæ, Dei æmulationem prouocarit. Scimus denique quendam ex fratribus quum propter filiam suam, secundò matrimonio sterilem captasset vxorem, tam iterum patrem factum, quàm & iterum maritum.

6. *Viduitas liberior in persecutione, expedita onere liberorum.* *V. verbum nuptiæ secundæ num.* 11. *à p.*

VIDVITAS. 1. 3. 4. 5. SCHOL.

PRÆCIPIO TIBI. *Non ignorabat ius viri in fœminam morte solui, iuxta Paulum enim*, morte, lege viri soluta est. *Sed præceptum hic latè sumitur pro consilio.* QVANTA FOIES, *quia maior est impugnatio expertæ voluptatis.* POST EXCESSVM. *Post obitum meum.* NIHIL MIHI. *Totus enim fructus continentiæ tuus erit, quia eris adhuc in via meriti. Vide iam alibi expositum hunc locum.*

3. ABLATVM. *Morte sublato coniuge alterutro.* MODESTA VOX. *Sancti Iob, alibi per Augustinum exposita.* NITIMVR. *Crudè & iuxta errorem suum abundè refutatum, & iterum proprio loco refellendum.* QVASI RVRSVS. *Sic videtur repetens nuptias, & interpretans Deum velle, vt cum alio contrahat, sublato priore coniuge; Deum fingere inconstantem; & nunc velle dissoluere matrimonium, nunc restaurare.*

4. CARNALIBVS, *vt Paulus etiam viuente coniuge suadet* ad tempus, vt orationi vacent. CVI DEBITVM. *Quod mutuò iuxta Apostolum debent sibi coniuges.* MAGNAM SVBSTANTIAM. *Nam ex Sapiente*, non est digna ponderatio continentis animæ. PARSIMONIA CARNIS. Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis, *ait Apostolus. Augustinus autem* consumptis carnibus, spiritus ero & spiritalis. (S. Aug.) PROPE EST COELO. *Id est penè incorruptibilis iuxta sapientem*, incorruptio facit proximum Deo. TOTVS ILLIC EST. *Quia caro quæ corrumpitur non aggrauat animam nec distrahit.* PLACET SIBI. *Ex consortio Angelorum, de quibus Psaltes*; præuenerunt principes coniuncti psallentibus. ADIVRAT. *Exorcismis.* CONFIDIT SIBI. *Merito continentia contra immundum spiritum potentior.* TEMPORALEM PVRIFICATIONEM. 1. *Cor.* 7. 5. Nolite fraudare inuicem nisi fortè ex consensu ad tempus vt vacetis orationi. SEMPER EXERCENDVM. *Seruatâ perpetuâ viduitate.* OMNI MOMENTO. Oportet semper orare, & nunquam deficere. Sine intermissione orate. POST QVAM. *Quia continentia dispositio est ad orationem.*

5. QVIBVS CAVSATIONIBVS. *Rationibus & prætextibus secundæ nuptiæ necessariæ asserantur, quòd vir res domesticas absque vxore administrare non possit, quæ curas & solicitudines matrimonio coniunctas cum ipso partiatur.* SCILICET SOLIS, &c. *Ironicè vt satis patet.* MILITES SVMVS. *Paulo sæpiùs militem Christianum armante & hortante, & Iob apertè monente*: quòd militia est vita hominis super terram. PEREGRINANTES. 1. *Pet.* 2. 11. Charissimi, obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis quæ militant aduersùs animam. NON POSSIS. *Supple viuere.* NVNC ET CONSORS. *Esto, si socia tibi somministra necessaria est.* ÆTATE SIGNATAM. *Continentiâ longâ probatam, insignem*, CRASTINVM NON EST, donec hodie cognominatur. DE PRISTINO. *Priore coniugio.* FESTINANTE. *Cùm diceret*, cupio dissolui & esse cum Christo, CERTE EXPEDITISSIMVS. *Sequentia per ironiam dicta. Cùm liberorum onera maximè grauent & retardent à martyrio subeundo.* RELICTIS FORSITAN. *Frequenter enim accidit vt liberi non nascantur.* SECVRVS, *tam de bonis relictis hæredibus, quàm de animæ post mortem refrigerio, & honore sepulturæ, cuius solliciti erunt liberi.* CHRISTIANIS LEONEM. *Metuunt fortè ne numerus Martyrum non impleatur, si filios non procreent, quos Gentiles in theatro postulent damnari ad leones.* AVDIRE DESIDERANT, *vt de filiorum Martyrum gloria exultent.* APVD NOS. *Christianos.* LEGIBVS COMPELLVNTVR. *Eadem habes in cap. 5. libri 1. ad vxorem. Apol. cap. 4. & lib. de Monog. de quibus suo loco. Indicem consules.* QVIA SAPIENS. *Ideo, inquit, necessariæ fuerunt leges quæ cogerent homines ad suscipiendos liberos, quia aliàs nemo sapiens sponte tantum onus subiisset.* DE TVA CONSCIENTIA. *Si conscius fueris te de nouo ductam vxorem impregnasse, & tamen onus prolis abhorreas, quid facies vt illud excutias? An conceptum fœtum aliquo medicamine dissolues?* NASCENTEM NOCERE. *Nascenti & recenter concepto nocumentum inferre.* IN TE POSITVM. *Cùm non coactus, sed sponte renupseris.* FIDELITER. *Ironicè; cùm fides in scriptura doceat, & steriles ex Dei munere, vt Saram & Annam, & Anus liberos edidisse.* PRÆSVMPTIONE PROVIDENTIÆ. *Deum enim irritat, & eius prouidentiam in zelum prouocat vir qui prouidet sibi vxorem sterilem aut vetulam ne ab ea suscipiat.* PROPTER FILIAM. *Quam ex asse & in solidum hæredem relinquere volebas.*

Ne Lector hic multa à nobis expectet, cùm sæpiùs iisdem de rebus cum Tertulliano tractauerim, dum explicarem cap. 5. libri 1. ad vxorem, de Monogamia cap. 16. item in tract. de Matrimonio, & secundis nuptiis, in verbo Castitas. Ne tamen vacuus prorsus abeat Lector, nonnulla suggeram hic, & ampliùs sequentibus Scholiis. Augustinus to. 4. cap. 18. & 19. libro de bono viduitatis, sic hortatur Iulianam ad eius obseruantiam, iuxta Tertulliani mentem. (S. Aug.) Spero, *inquit*, has literas meas merito excellentiæ vestræ, citò in manus etiam talium esse venturas, &c. Deinde vt tu ipsa, & quæcumque aliæ viduæ ista legerint, vel cùm leguntur, audierint, noueritis vos, ad diligendum, & habendum continentiæ bonum, plùs proficere orationibus vestris, quàm exhortationibus nostris: quoniam si quid vos adiuuat quod vobis etiam nostra ministrantur alloquia, totum illius gratiæ tribuendum est in cuius manu sunt, sicut scriptum est Sap. 7. 16. nos & sermones nostri. *Iuxta 70.* Si ergo, *inquit Aug. cap. sequenti*, nondum vouisses continentiam vidualem, exhortaremur profectò vt voueres. (S. Aug.) Quia verò iam vouisti, exhortamur vt perseueres. Talia mihi tamen video esse dicenda, quibus eam diligant, & arripiant, & quæ adhuc nubere cogitabant. Aurem igitur inclinemus Apostolo. Quæ innupta est, inquit, solicita est quæ sunt Domini, vt sit sancta corpore & spiritu: quæ autem nupta est, solicita est ea quæ sunt mundi, *non tantùm muliebris ornatus, sed & curæ domesticæ de qua hic Tertullianus, quæ diuidit & distrahit animam ab oratione, & intentione in Deum*: quomodo placeat viro. (S. Aug.) Non ait, solicita est quæ sunt mundi, vt sancta non sit: sed certè minor est ea coniugalis sanctitas ex ea parte curarum quâ mundana cogitatur voluptas. Quidquid itaque intentionis animi etiam his rebus impenderetur, quibus placendum esset viro, colligere quodammodo, & redigere debet innupta Christiana in eam intentionem quâ placendum est Domino: & videat cui placeat, quæ Domino placet: & vtique tantò est beatior, quantò plùs placet ei: quantò autem magis cogitat ea quæ sunt mundi, tantò minùs placet. Placete itaque totâ intentione specioso formâ præ filiis hominum: eius enim gratiâ illi placetis, quæ diffusa est in labiis eius. Placete illi eâ quoque parte cogitationis quæ occuparetur mundo, vt placeretur viro. Placete illi qui displicuit mundo, vt placentes ei liberarentur ex mundo. Hunc enim speciosum formâ præ filiis hominum viderunt homines in cruce passionis, & non habuit speciem neque decorem, sed facies eius abiecta, & deformis positio eius. Ex hac tamen deformitate Redemptoris nostri, manauit pretiũ decoris vestri, sed decoris interioris.

Omnis enim pulchritudo filiæ Regis intrinsecùs. Hac pulchritudine illi placete: hanc pulchritudinem studiosâ curâ & solicitâ cogitatione componite. *Tum de eius filia, & socru sic loquitur*; inuenistis
S. Aug. mater & filia, cui contemptis nuptiis, illa omnibus, tu secundis, pulchritudine castitatis simul placere debeatis, &c. Illâ integritate virginali, tu continentiâ viduali, ambæ pulchritudine spirituali. In qua pulchritudine, etiam illius auia, socrus tua quæ iam certè senuit, est pulchra vobiscum, vigorem quippe huius pulchritudinis dum extendit in anteriora charitas, *iuxta Paulum in interiora extentum*, rugam in ea non facit annositas, &c. ideo non diceris auia vt sanctarum cogitationum & operum fœtibus, cum filia possis esse fœcunda. Omnes itaque pariter atque concorditer vni viro, vnius coniugis, in cuius corpore vno spiritu viuitis, placete moribus, instate orationibus. *Et ep. 121. ad Probam viduam de orando Deo, vbi respondet petenti quid &*
S. Aug. *quomodo orare deberet.* Vt quid, *inquit*, per multa dispergimur, & quærimus quid oremus, timentes ne fortè sicut non oportet oremus, ac non potiùs cum Psalmo dicimus: vnam petij à Domino hanc requiram vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, &c. *cùm tamen de præsenti vita, nec*
S. Aug. *certum crastinum habeamus*: ibi namque omnes dies non veniendo, & transeundo fiunt omnes, nec initium alterius, est finis alterius, omnes sine fine simul sunt, vbi nec ipsa vita habet finem, cuius illi dies sunt. Propter hanc adipiscendam vitam beatam, ipsa vera vita beata nos orare docuit, non in multiloquio, *Oratio enim Dominica, de qua iuxta finem,*

A *breuissima est.* tanquam eo fiat vt exaudiamur, quo loquaciores sumus, cùm eum oremus, qui nouit, S. Aug.
sicut ipse Dominus ait, quid nobis necessarium sit, priusquam petamus ab eo. *Oportet tamen semper orare, & non deficere quod & ipse statim citat vt semper sine defectu, beate viuamus.* Ac per hoc, *inquit*, & quod ait Apostolus, sine intermissione orate, quid est aliud, S. Aug.
quàm beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab eo qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderate, &c. sed ideo ab aliis curis atque negotiis, quibus ipsum desiderium quodammodo tepescit, *maximè in nuptiis solicitis quæ sunt mundi*: certis horis ad negotium orandi mentem reuocamus, verbis orationis nos admonentes, in id quod desideramus, intendere, ne quod tepescere cœperat,
B omnino frigescat, & penitus extinguatur, nisi crebriùs inflammetur. *Inde Paulus viduam vult instare orationibus. De quo in principio eiusdem epistolæ*: quàm, *inquit*, me lætificauerit ipsa petitio tua, in qua cognoui quantam rei tantæ curam geris, verbis explicare non possum. Quod enim maius oportuit esse S. Aug.
negotium viduitatis tuæ, quàm persistere in oratione nocte ac die secundùm Apostoli admonitionem? ille quippe ait. 1. Tim. 5. quæ autem verè vidua est & desolata sperat in Domino, & persistit in oratione nocte ac die. Vnde mirùm videri potest, cùm sis secundùm hoc sæculum nobilis, diues, tantæque familiæ mater, & ideo licet vidua, non tamen desolata, quomodo occupauerit cor tuum præcipuéque sibi vindicauerit orandi cura nisi quia prudenter, *inspirante vt subdit Deo*, intelligis quòd in hoc mundo & in hac vita nulla anima possit esse secura.

7. *Viduitas etiam apud Gentiles, & Cœlibatus, Pontificatu maximo honoratus: digamus autem à Sacerdotio & Episcopatu, & vidua renubens, honoris sede excluditur.* 1. *ad vxo. cap. 7. à m.*

1. Tim. 3. 3. QVantùm detrahant fidei, quantùm obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, disciplina Ecclesiæ & præscriptio Apostoli declarat, cùm digamos non sinit præsidere, cùm
1. Tim. 5. 9. viduam adlegi in ordinem, nisi vniuiram, non concedit. aram enim Dei mundam proponi oportet. Tota illa Ecclesiæ candida de sanctitate conscribitur. Sacerdotium viduitatis, & cælibatium est apud Nationes. Pro diaboli scilicet æmulatione Regem seculi Ponti-
CAPVT VIII. ficem Maximum rursùs nubere nefas est. Quantùm Deo sanctitas placet, cùm illam etiam inimicus adfectat? non vtique vt alicuius boni adfinis, sed vt Dei domini placita cum contumelia adfectans.

8. *Vidua sexaginta annorum, priuilegio sedis & loci in Ecclesia digna. De vel. Virg. cap. 9. in f.*

PLanè scio alicubi virginem in viduatu ab annis nondum viginti collocatam: cui si quid refrigerij debuerat Episcopus, aliter vtique saluo respectu disciplinæ præstare potuisset, ne tale nunc miraculum, ne dixerim monstrum, in Ecclesia denotaretur: virgo vidua, hoc quidem portentuosior, quòd nec quà vidua caput texit, vtrumque se ne-
1. Tim. 5. 9. gans, & virginem quæ vidua deputetur, & viduam quæ virgo dicatur. Sed eâ auctoritate illic sedet intecta, quâ & virgo. Ad quam sedem præter annos sexaginta non tantùm vniuiræ, id est nuptæ, aliquando eliguntur, sed & matres, & quidem educatrices filiorum. scilicet, vt experimentis omnium affectuum structæ, facilè norint ceteras & consilio & solatio iuuare, & vt nihilominùs ea decucurrerint, per quæ femina probari potest. adeo nihil virgini ad honorem de loco permissum est.

9. *Viduitas suadetur exemplo viduarum Gentilium, continentium in matrimonio, & virginum.* 1. *ad vxo. cap. 5. in f. & 6. ad circa f.*

1. Cor. 7. 29. TEmpus, inquit, *in collecto est. superest, vt qui matrimonia habent, tanquam non habentes, agant.* Quòd si habentes obliterare debent quod habent, quantò magis non
CAP. VI. habentes prohibentur repetere quod non habent, vt cuius maritus de rebus abiit, exinde requiem sexui suo nubendi abstinentia iniungat: quàm pleræque Gentilium feminarum memoriæ carissimorum maritorum parentant. Cùm quid difficile videtur, difficiliora

alios obeuntes recenseamus. Quot enim sunt qui statim à lauacro carnem suam obsignant? Quot item qui consensu pari inter se matrimonij debitum tollunt? voluntarij spadones pro cupiditate regni cœlestis. Quòd si saluo matrimonio abstinentia toleratur, quantò magis adempto? Credo enim difficiliùs saluum derelinqui, quàm amissum non desiderari. Durum planè & arduum satis, continentia sanctæ feminæ post viri excessum. Dei causâ, cùm Gentiles satanæ suo & virginitatis & viduitatis sacerdotio perferant. Romæ quidem quæ ignis illius inextinguibilis imaginem tractant, auspicia pœnæ suæ cum ipso dracone curantes, de virginitate censentur. Achææ Iunoni apud Ægium oppidum virgo sortitur: & quæ Delphis insaniunt, nubere nesciunt. Ceterùm viduas Africanæ Cereri assistere scimus, durissimâ quidem obliuione à matrimonio allectas. Nam manentibus in vita viris, non modò decedunt, sed & alias eis vtique ridentibus loco suo insinuant, adempto omni contactu vsque ad osculum filiorum: & tamen durante vsu perseuerant in tali viduitatis disciplina, quæ pietatis etiam sanctæ solatia excludit. Hæc diabolus suis præcipit, & auditur. prouocat nimirum Dei seruos continentia suorum, quasi ex æquo.

VIDVITAS. 7. 8. 9. SCHOL.

QVANTVM DETRAHANT FIDEI. Vix possum eius excusare errorem, cùm apertè secundas nuptias alibi damnauerit vt fusè videbitur in alphabeto Errorum; tamen cùm hoc ipso capite dixerit; nam & si non delinquas renubendo, &c. Vult simpliciter dicere, secundas nuptias repugnare perfectioni sanctitatis, hoc est castimoniæ, quam profiteri debet qui fidem Christianam amplexatus est. DISCIPLINA ECCLESIÆ. Austeritas in Apostoli authoritate fundata, qui Monogamos tantùm ad sacros ordines admittit. PRÆSIDERE. Ad Pontificatum admitti. ADLEGI IN ORDINEM. Eligi in Diaconissam. ARAM MVNDAM. Vt sicut altare mundum est, sic & eius ministri sint puri. Mundi estote, qui fertis vasa Domini. ECCLESIÆ CANDIDA. Turba scilicet quam Ioannes vidit in Apocalypsi amictam stolis albis. SACERDOTIVM VIDVITATIS. Etiam Gentiles non nisi viduos & cælibes ad Sacerdotium admittunt. Diabolus enim æmulator Dei, arcet à pontificatu maximo bigamum. Vt hinc constet quantùm placeat Deo continentia, quam etiam inimicus eius, licet ab omni bono alienus affectet; vt videlicet Deo placita, & ab eo sanctißimè instituta, quantùm potest imitando prophanet.

8. SCIO ALICVBI. Locum non nominat, vt parcat Episcopo, qui in hoc egerat contra disciplinam Ecclesiasticam; vnde & infra monstrum dixit quasi rem sine exemplo. COLLOCATAM. In collegio viduarum, vt eleemosynis eis præstitis aleretur, cùm potuisset aliunde ei victum præstare. VIRGO VIDVA. Inter viduas, pro vidua habita, vnde & monstrum dixit potiùs quàm C miraculum. NEC QVA VIDVA. Et quod monstruosius fuit, nec saltem in quantùm viduis cohabitans, cum eis caput texit velo. Vt sic vtriusque dignitatis priuilegium vsurparet, reuelata sicut virgo Gentilis, educata vt vidua Christiana. Sed vtramque dignitatem hoc facto abnegauit; virgineam quidem, quia inter viduas deputata est: vidualem, quia inter viduas sedit vt virgo non tecto capite. PRÆTER ANNOS SEXAGINTA. Sic 1. Tim. 5. 9. Vidua eligatur non minùs sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educauit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsecuta est. STRVCTÆ, instructæ experientiâ omnis affectus materni & coniugalis, vt sic possint cuicumque mulierum statui, meliùs consulere. ADEO NIHIL VIRGINI. Ex quibus constat præfatam virginem nullo modo admitti debuisse ad gradum & locum vidualem. De viduis Diaconißis vide dicenda numero sequenti.

9. TEMPVS IN COLLECTO. 1. Cor. 7. 29. Tempus breue est, &c. SI HABENTES. Si nupti, quasi obliti rei coniugalis, agere debent & se gerere, quasi in- A nupti essent. PROHIBENTVR NON HABENTES. Soluto per mortem alterutrius coniugio. Ceterùm crudè id prohibet repeti, cùm Paulus det libertatem renubendi. DE REBVS ABIIT. E viuis sublatus est. REQVIEM SEXVI. Ne sit deinceps solicita quæ sunt mundi. QVAM PARENTANT; quam viduali luctu totâ vitâ consecrant, memoriæ maritorum. Alij legunt, quum parcant. OBEVNTES, subeuntes. CARNEM OBSIGNANT. Statim à baptismo, voto perpetuo continentiæ inuiolabilis se obligant. VOLVNTARII SPADONES. Qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. SALVO MATRIMONIO. Quoad vinculum. ABSTINENTIA. à thoro. ADEMPTO. Soluto per mortem. DIFFICILIVS. Ob præsentem ex superstite occasionem concupiscentiæ. DVRVM PLANE. Ironicè. quasi verò, inquit, durum & difficile B videri debeat Christianæ fœminæ, post viri mortem, à secundis nuptiis abstinere pro honore Dei, cùm Gentiles in honorem diaboli, & viduitatem & virginitatem superstitiosi sacerdotij causâ seruent. IGNIS IMAGINEM. Vestales custodes ignis perpetui, Vestæ sacri seruientes, & draconem naturæ igneæ, ipsi proinde sacrum, vel, vt alij volunt, Æsculapium sub forma draconis expressum curantes, iam inde & æterni ignis, & inferni draconis auguria sibi sumunt, dum miserrimæ suam diabolo virginitatem immolant, vt inter virgines eius sacrificulas & collegium recensitæ computentur. ACHÆÆ IVNONI. In Achaia, in oppido Ægio de quo Plin. lib. 4. c. 5. Iunonis cultui virgo sorte ducta in sacerdotem assumitur. De qua sic Pausan. in Achaicis Iunonis simulacrum, ne- C mini præter eam mulierem cui sacerdotium obtigit, fas est aspicere. QVÆ DELPHIS INSANIVNT. Vates & Prophetissæ Apollinis, quæ furore percitæ oracula dabant. CERERI AFRICANÆ. Vide iam dicta lib. de Exhort. cast. & lib. de Monog. quam Afri specialiter colebant. ASSISTERE. Quod proprium est altaris ministrorum. SCIMVS. Quasi testes oculati. DVRISSIMA OBLIVIONE. Quia abstracta à matrimonio, viuentibus viris, non modo recedunt ab eis, sed & alias vxores, viris tantam stultitiam irridentibus tradunt. IN VITA. Retinui Rigaltij lectionem. Pamelius habet. In æternùm: quasi dicas, & si semper viri superstites manerent; nunquam vterentur coniugio, sed eis siue viuentibus, vt alij legunt, siue ridentibus viris, alias suo lo- D co substituerent. DVRANTE VSV. Quandiu sacerdotio funguntur, hoc est totâ vitâ, in tam rigorosa viduitate perseuerant, vt etiam ab osculo & consortio filiorum excludantur. QVASI EX ÆQVO, velut si ex pari cum Deo contendant. Notatu dignum ex historicis viduas Goënses, siue Brachmanes, post virorum obitum, quantumuis iuuenculas, nusquam renubere; quidquod & priusquam edicto Regio prohibita essent, simul cum maritorum cadaueribus, ipsorum rogo se cremandas proiiciebant. Apud Sinenses item Mandarini magna præmia, liber-

tates & priuilegia concedunt viduis quæ nuptias secundas non repetunt. Baron. An. Chri. 691. refert Kalendis Nouembris celebratum tertium Concilium Cæsaraugustanum in quo, inter alia, cùm iam antea Toletanum 13. C. 5. statuisset ne vxores Regum post eorum obitum ad secunda vota transirent, ne occasio daretur ex Regina secundis nuptiis alicui, Tyrannidis inuadendæ; eadem causâ additum est, vt Regis vidua regiam vestem deponeret, & religiosam induens, in monasterio cum Monialibus vitam transigeret. Pulchrè porrò ad verba Pauli præcitata à Tertulliano hoc postremo textu; tempus in collecto est, *hortatur Augustinus ad viduitatem non solùm seruandam ex libito, sed inuiolabiliter custodiendam ex voto; libro de bono viduitatis cap. 20.* Præteritus, *inquit,*
S. Aug. dies non reuertitur in futurum, & post hesternum pergit hodiernus, & post hodiernum perrecturus est & crastinus. Et ecce omnia tempora & temporalia transeunt, vt veniat mansura promissio: & qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Si mundus iam periit, nuptura cui parit? aut corde paritura, & carne non paritura, cui nubit? si autem adhuc duraturus est mundus; cur non magis amatur, per quem factus est mundus? si iam deficiunt illecebræ sæculares, non est quod Christianus animus cupiditate conquirat: si autem adhuc manebunt, est quod sanctitate contemnat. Horum duorum in altero spes nulla libidinis, in altero maior est gloria charitatis. *Quæ propter Deum oblecta-*
S. Aug. *menta contemnit, quæ Gentiles propter diabolum:* quot autem & quanti sunt ipsi anni, quibus videtur vigere flos carnalis ætatis? nonnullæ fœminæ nuptias cogitantes & ardenter optantes, dum spernuntur, aut differuntur, repente senuerunt, vt eas nubere iam puderet ampliùs, quàm liberet. Multæ autem nuptæ recentissimâ suâ coniunctione, in longinqua profectis viris suis, reditum eorum expectando grandæuæ factæ sunt, & tanquam citò viduatæ, aliquando nec remeantes saltem senes suos, anus suscipere meruerunt. Si ergo vel spernentibus, vel tardantibus sponsis, vel peregrinantibus maritis carnalis concupiscentia potuit contineri, ne stuprum, aut adulterium committeretur, cur contineri non potest, ne sacrilegium committatur? Si repressa est, cùm ferueret, dilata; cur non opprimitur, cùm friguerit amputata? Plus enim ardenter ferunt libidinem, quæ non desperant eius- dem voluptatem. Quæ autem innuptarum castitatem Deo vouent, ipsam spem subtrahunt, quæ fomes amoris est. Vnde faciliùs concupiscentiâ refrænantur, quæ expectatione succenditur; contra quam tamen nisi oretur vt superetur, ipsa illicita exoptatur ardentibus.

A *Et quoniam honoris prærogatiua non paruum incentiuum est custodiendæ viduitatis, sic ad eam adhortatur Ambrosius to. 4. libro de viduis à princip.* Nec immeritò, *inquit*, has irreprehensibiles ostendit esse debere, quibus vt opus virtutis indicitur, ita honorificentia larga defertur, vt etiam ab Episcopis honorentur. Qualis autem eligi debeat, ipso Doctoris Gentium sermone describitur. Non minùs, inquit, sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor. Non quo senectus sola viduam faciat, sed quo viduitatis merita, stipendia sint senectutis. Nam vtique illa præclarior, quæ calorem adolescentiæ, & iunioris feruescentem edomat ætatis ardorem: nec mariti gratia, nec vberiora liberorum oblectamenta desiderans: quàm quæ effæta iam corpore, fri-
B gida senectute, matura æui, nec calere voluptatibus potest, nec sperare de partu. Neque verò si qua in secundas nuptias inciderit, quas vtique Apostolica præcepta non damnant, quasi fructu pudoris amisso, si rursus soluta fuerit viro, ab effectu viduitatis arcetur. Habebit illa quidem vel seræ meritum castitatis, sed probatior erit quæ alterius non fuerit experta coniugium. In illa enim eminet studium castitatis: huic autem senectus aut pudor modum videtur fecisse nubendi.

De viduis annosis agit Lucas Act. 6. Factum est murmur Græcorum aduersùs Hebræos eo quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ earum. *Ministrabant autem mensis, & eleemosynis distribuendis. A S. Ignatio in epist. ad Antioch. vocantur*
C *huiusmodi Diaconissæ*, sacrorum vestibulorum custodes. *Vt enim ex Iosepho lib. 6. de Bello cap. 6. in templo Ierosol. erant fœminarum porta & loca orationis, à viris separata; sic in Ecclesiis postea factum est, quarum introitui, fœminis præsidebant Diaconissæ. Disco autem à Clemente Romano lib. 3. constit. c. 15 & Epiph. hæresi 79. deputatas fuisse ministerio lauacri, id est baptismi, ob honestatem, & abstersionem olei sancti. Item visitationis, laborisque mulierum. Laicæ tamen erant, nec aliquo Sacramento initiatæ vt constat ex Nicena Synodo canone 19. Pauli edictum renouauit Theodosius Imperator teste Sozomeno lib. 7. cap. 16. Ne mulieres, nisi liberos haberent, & annum sexagesimum exegissent, Diaconissæ præfectæ cæteris munus obirent; quod extat l. 27. Cod. Theod. de Episc. ex occasione Diaconi, qui nobilem vi-*
D *duam Diaconissam constuprauerat. Et quoniam hæc vidua bona sua exhauserat in ditando Diacono; Theodosius eadem lege cauit, ne viduæ pauperibus, Ecclesiæ, vel eius ministris bona sua relinquerent: sed Ambrosio rogante, duobus post mensibus eadem lex abrogata est, alia lege, quæ est 28. Codice eodem.*

10. *Vidua virgini præfertur; quòd licet virginitas Deo proximior sit, & fœlicior; viduitas fortior est. 1. ad vxo. cap. 8. à p.*

Licet in illis integritas solida, & tota sanctitas de proximo visura sit faciem Dei, tamen vidua habet aliquid operosius: quia facilè est non appetere quod nescias, & auersari quod desideraueris numquam. Gloriosior continentia quæ ius suum sentit: quæ quid viderit, nouit. Poterit virgo felicior haberi, at vidua laboriosior. illa quòd bonum semper habuit, ista quòd bonum sibi inuenit. In illa gratia, in ista virtus coronatur. Quædam enim sunt diuinæ liberalitatis, quædam nostræ operationis. Quæ à Domino indulgentur, suâ gratiâ gubernantur: quæ ab homine captantur, studio perpetrantur.

VIDVA VIRGINI. 10. SCHOL.

Licet in illis. *Scilicet virginibus, de quibus immediatè dixerat:* non tantùm virginibus datum opinor. *Vt scilicet Deus index & adsertor sit expressè dictus in Scriptura, virginis, sicut appellatus est viduæ.* Integritas solida. *Hoc est nec à viro, nec à partu delibata.* De proximo visura. *Quia,* incorruptio facit proximum Deo. *Et licet de omnibus beatis dictum.* Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, *tamen de virginibus cecinit Psaltes,* adducentur Regi virgines post eam, *Desponsam vir-*

ginem & virginum Reginam, proximæ eius afferentur tibi. *Et in Apoc.* Sequuntur agnum quocumque ierit. OPEROSIVS. *Difficilius. Cypr. de bono patientia scribit*, in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem. IVS SVVM SENTIT. *Voluptatem, in quam ius habuit in matrimonio primo, & potest, si velit, repetere in secundo. Vnde Hiero. in ep. ad Geruntiam:* virginitas, *inquit*, in eo facilior est, quòd carnis incentiua non nouit: & viduitas in eo solicitior, quòd præteritas animo recolit voluptates. SIBI INVENIT. *Quasi labore peperit. Ambr. to. 4. de viduis in p.* Neque, *inquit*, inhonoras eas debuimus præterire, & a virginum præconio separare, quas Apostolica sententia cum virginibus copulauit. Iuxta quod scriptum est: & mulier innupta, *hoc est vidua*, & virgo cogitat quæ sunt Domini, vt sit B sancta corpore & spiritu. Quodammodo enim magisterium virginitatis, viduarum valescit exemplis. Quæ cum viro, *post eius mortem*, castum cubile custodiunt, documento virginibus sunt, integritatem Deo esse seruandam. Et propemodum non inferioris virtutis est, ab eo abstinere coniugio quod aliquando delectauerit, quàm coniugij oblectamenta nescire. In vtroque fortes: vt eas & coniugij non pœniteat cui fidem seruant, & coniugalia oblectamenta non alligent, ne videantur infirmæ, quæ sibi adesse non possunt, &c. quid verò illud, quòd temporibus iis quibus fames omne genus vrgebat humana, Elias ad viduam destinatus est? & vide quemadmodum propria singulis gratia C reseruetur. Angelus ad virginem, Propheta ad viduam. Adde quod Gabriel ille, hic Elias: vt ex Angelorum & Prophetarum numero præstantissimi principes videantur electi. IN ILLA GRATIA. *Hoc est Dei liberalitas.* Qui coronat te in misericordia & miserationibus qui dat gratiam pro gratia; *vt sæpiùs inculcat Augustinus, merita nostra, Dei munera vocans.* NOSTRÆ OPERATIONIS STVDIO PERPETRANTVR. *Quasi egregium opus facimus humano labore partum. Non quòd ignorauerit, nec minimum quidem sine Dei gratia nos posse, aut velle, aut perficere, cùm ab Apostolo dictum sit*, non quasi sufficientes simus aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est. *Fatendum est tamen Patres omnes ante ortum Pelagij, non ita & humanam infirmitatem, & diuina gratiæ necessitatem perpendisse, sicut huius hæresis confutanda causa præstitit Augustinus, cuius doctrinam in omnibus postea

A secuti sunt, Pontifices, Patres, Concilia; & ex eius scriptis hæretica dogmata refutata sunt. Ipsum accipite sic fantem lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 14.* Quid, S. Aug. *inquit*, opus est vt eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad soluendum quæstione versari? quod proculdubio facerent si respondere talibus cogerentur. Vnde factum est, vt de gratia Dei quid sentirent, breuiter quibusdam scriptorum suorum locis & transeunter attingerent: immorarentur verò in eis quæ aduersùs alios inimicos Ecclesiæ disputabant, &c. *Nunc quod attinet ad præsentem de castitate virginali & viduali tractatum; vtramque non humanis viribus, sed puro Dei dono & gratiæ tribuendum esse sæpissimè docuit to. 4. lib. de bono viduitatis cap. 16.* Illud, *inquit*, moneo, vt quantumcumque tibi inesse sentis piæ continentiæ dilectionem, beneficio Dei tribuas: eique gratias agas, S. Aug. qui de spiritu suo tantum tibi largitus est, vt eius in corde tuo charitate diffusa, licitæ rei licentiam tibi amor melioris boni auferr t. Donauit enim, *vt voueres*, ne liberet nubere cùm liceret, vt iam non liceret, etiam si liberet: & ex hoc firmius non liberet, ne fieret quod non liceret, quod factum non est etiam cùm liceret: tantaque mereretis, vt te existente viduâ Christi, filiam quoque videres virginem Christi: dum enim tu oras sicut Anna, facta est illa quod Maria. Hæc dona Dei esse quantò magis nosti, tantò magis es eisdem donis beata: imò aliter non es beata, nisi quod habes, noris à quo habeas, &c. Nemo est autem donis Dei beatus, qui donanti existit ingratus, &c. *Et cap. 17.* Arbitrium voluntatis humanæ nequaquam destruimus S. Aug. quando Dei gratiam quâ ipsum adiuuatur arbitrium, non superbiâ negamus ingratâ, sed gratâ potiùs pietate prædicamus. Nostrum enim est velle, sed voluntas ipsa etiam mouetur vt surgat, & sanatur vt valeat, & dilatatur vt capiat, & impletur vt habeat. Nam si nos non vellemus, nec nos vtique acciperemus ea quæ dantur, nec nos haberemus. Quis enim haberet continentiam nisi volens, quia & nemo acciperet nisi volens? sed à quo detur, vt nostrâ voluntate accipi & haberi possit, si quæris, attende scripturam, &c. Sap. 8 21. cùm scirem, inquit, quia nemo esse potest continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ scire cuius esset, hoc donum, *vide eundem to. 7. lib. de gratia & lib. arbit. cap. 9.*

11. *Viduarum & pupillorum, misericordia Dei & Christi semper est sollicita.*
4. cont. Marc. cap. 14. à p.

QVid mirùm est, si & ab affectibus Creatoris ingressus est per huiusmodi dictionem, semper mendicos, & pauperes, & humiles, ac viduas, & pupillos vsque diligentis, consolantis, asserentis, vindicantis? vt hanc Christi quasi priuatam benignitatem, riuulum credas de fontibus saluatoris. Reuerà quò dirigam nescio, in tanta frequentia eiusmodi vocum, tanquam in silua, vel in prato, vel in nemore pomorum, passim provt incidit, res petenda est. Inclamat Psalmus, [a] *Iudicate pupillo & mendico, & humilem & pauperem iustè tractate. Liberate pauperem, & mendicum de manu peccatoris eruite.* Item Psalmus a Psal. 81. 34. septuagesimus primus, [b] *Iustitia iudicabit mendicos populi, & faciet saluos filios pauperum.* b Psal. 71. Et in sequentibus de Christo, [c] *Omnes nationes seruient ei.* Dauid autem vni genti Iudaicæ 4. præfuit, ne quis in Dauid putet dictum, quia & ille susceperat humiles, & necessitati c Ibid. 18. bus laborantes. [d] *Quòd liberauerit*, inquit, *à dynasta mendicum, parcet mendico & pauperi, &* d & ibid. 12. 13. 14. *animas pauperum saluas faciet. Ex vsura & iniustitia redimet eorum animas, & honoratum nomen eorum in conspectu ipsius.* Item, [e] *Auertantur peccatores in inferos, omnes nationes quæ Dei* e Psal. 9. *obliuiscuntur; quoniam non in finem obliuioni habebitur mendicus: tolerantia pauperum non pe-* 18. 19. *ribit in finem.* Item, [f] *Quis sicut Deus noster, qui habitat in excelsis, & humilia prospectat in cœ-* f Psal. 112. *lo & in terra? Qui suscitat mendicum de terra, & de stercore exaltat pauperem. vt sedere eum fa-* 5. 6. *ciat cum principibus populi*; vtique in regno suo. Sic & retrò in Basiliis, Anna mater Sa-

g 1. Reg. 2. 8. muelis, spiritu gloriam Deo reddens, [g] *Qui*, inquit, *excitat pauperem de terra, & mendicum, vti sedere eum faciat cum dynastis populi*: vtique in regno suo. *& in thronis gloriæ*; vtique
h Esa. 3. 13. regalibus. Per Esaiam verò, quomodo inuehitur in vexatores egenorum? [h] *Vos autem ad quid incenditis vineam meam, & rapina mendici in domibus vestris? Cur vos læditis populum*
i Esa. 10. 1 *meum, & faciem mendicorum confunditis?* & rursus, [i] *Væ qui scribunt nequitiam; scribentes enim scribunt nequam, vitantes iudicia mendicorum, & despicientes iudicata pauperum populi mei.*
k Esa. 1. 17. 18. Quæ iudicia pupillis quoque & viduis exigit, vt & ipsis egenis solatij. [k] *Iudicate pupillo, & iustè tractate viduam, & venite conciliemur, dicit Dominus.* Cui tantus adfectus in omnem conditionem humilitatis Creatoris est, eius erit & regnum quod à Christo repromittitur; ad cuius adfectum iamdudum pertinent ij, quibus repromittitur.

Et 1. ad vxorem cap. 8. in p.

a Esa. 1. 17. 18. DE viduitatis honoribus apud Deum vno dicto eius per Prophetam expeditum est: [a] *Iustè facite viduæ & pupillo, & venite disputemus; dicit Dominus.* Duo ista nomina in quantùm destituta auxilio humano, in tantùm diuinæ misericordiæ exposita suscipit tueri Pater omnium. Vide quàm ex æquo habetur, qui viduæ benè fecerit. Quanti est vidua ipsa, cuius adsertor cum Domino disputabit. Non tantùm virginibus datum opinor.

12. *Viduitatem seruare suadet Dei voluntas ad perfectius inducens, qui nuptias secundas tantùm permittit. De Exhort. cast. cap. 1. in p. ad m. V. Verbo. Voluntas humana. 1.*

VIDVARVM ET PVPILLORVM. 11. SCHOL.

SI AB AFFECTIBVS CREATORIS. *Non mirum, cùm Christus filius esset Dei Creatoris, si eius affectus induens, ingressus est & exorsus sermonem in monte docens:* beati pauperes spiritu, &c. *vt credas Marcion, hanc in pauperes benignitatem, non priuatam & propriam Christo tuo benignitatem, quasi de fontibus eius riuulum, sed à Patre misericordiarum & Deo totius consolationis Creatore, sed maximè pauperum & viduarum assertore, & defensore depromptam.* QVO DIRIGAM. *Vnde primò exordiar, inopem me copia facit.* PROVT INCIDIT, *vt occurrit memoriæ.* IVSTE TRACTATE. Iustificate pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate, &c. *Et rursum.* Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum. IN DAVID. *de Dauid.* A DYNASTA. Liberabit pauperem à potente, pauperem cui non erat adiutor, parcet pauperi & inopi, & animas pauperum, &c. Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen eorum coram illo. AVERTANTVR. Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliuiscũtur Deum: quoniam non in finem obliuio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem. IN EXCELSIS. In altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra. Suscitans à terra inopem & de stercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. RETRÒ IN BASILIIS. *Priùs in primò libro Regum, alibi relatum.* PER ESAIAM VERÒ. *Cap. 3. 13.* Stat ad iudicandum Dominus, & stat ad iudicandum populos. Dominus ad iudicium veniet, cum senibus populi sui, & principibus eius: vos enim depasti estis vineam, 70. *meam*, & rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis? 70. *confunditis.* ET RVRSVS. *Esa. 10. 1.* Væ qui condunt leges iniquas: & scribentes iniustitiam scripserunt: vt opprimerent in iudicio pauperes, 70. *declinantes iudicium inopum*, & vim facerent causæ humilium populi mei: vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. EGENIS SOLATII. *Solatio indigentibus. Vnde Paulus 1. Tim. 5.* Quæ verè vidua est & desolata. *Esa. 1. 17.* Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, 70. *iustificate viduam.* Et venite & arguite me dicit Dominus. 70. *verò:* & venite, arguamur. CONDITIO- A NEM HVMILITATIS, *hominum humilium sortem, siue creaturam humilem.* EIVS REGNVM. *Non Dei Marcionis, sed Dei Creatoris est ipsum regnum quod dilectis eius pauperibus maximè viduis Christus promittit.* DE VIDVITATIS. *Repetit hic locum supra citatum ex Isaia.* DVO ISTA NOMINA. *Vidua scilicet & pupilli.* QVAM EX ÆQVO, *quàm Deo sit similis reddens quod iustum est viduæ.* CVIVS ADSERTOR, *vindex, defensor, & patronus, vt cum Deo quasi ex pari audeat contendere, & ab eo iustitiam petere. Hic aliquantulum immoremur vt Dei circa viduas patrocinium ponderemus. De quo Psalmo 145. 9.* Pupillum & viduam suscipiet, & vias peccatorum disperdet. *Aug. in Psal. 131 in versum*, viduam eius benedicens benedicam. Vnde, *inquit*, vidua est? quia non habet auxilium S. Aug. B aliunde nisi solius Dei. Illæ quæ habent viros, quasi superbiunt de auxilio virorum. Desertæ videntur viduæ, & robustius est auxilium earum. *Et ser. 141. de temp.* Si accedat, *inquit*, pupillus paruâ manu pulsare ianuam paternam, nuntiant eum S. Aug. Angeli Domino, pupillus pulsat, defensionis pietatem expectat, responde illi Domine: tibi enim derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor. Respondet illi qui diues est, misericordiâ plenus, qui miseris pater est, Ego sum iudex viduarum, & pater orphanorum: nemo lædat quos ego suscipio, nemo expoliet, quos ego defendo. *Et ep. 121. ad Probam viduam:* Dominus, *inquit*, cùm ad semper S. Aug. orandum, & non deficiendum nos hortaretur, viduam commemorauit, quæ licet iniquum & im- C pium iudicem, ac Dei & hominum contemptorem, ad audiendam causam suam assiduè interpellando conuertit, &c. ora ergo vt vidua Christi, nondum habens eius conspectum, cuius precaris auxilium. Et licet sis ditissima, sicut pauper ora: nondum enim veras futuri sæculi diuitias habes, vbi nulla damna formides. *Et to. 4. lib. 5. qq. in Deuter. q. 43.* Non declinabis iudicium aduenæ, & or- S. Aug. phani, & viduæ. Non pignerabis vestem viduæ. Cur non ait, & non pignerabis vestimentum eorum? quæ enim causa est, vt trium illorum iudicium declinare vetuerit, pignus autem auferri vestimentum soliùs viduæ, non & illorum: nisi quia iudicia omnium facienda, propterea commendauit, quia non habent vnde defendantur; siue adu-

uena, quia in terra aliena est, siue orphanus, id est pupillus, quia parentibus caret: siue vidua, quia maritum non habet. Pignus verò cum prohibet vestimentum auferri viduæ, puto quod satis eleganter admoneat, eas verè dicendas esse viduas, quæ etiam pauperes sunt. *Quod probat ex eo, quòd cùm Paulus de communibus viduis dixisset*, si qua vidua filios aut nepotes habet &c. *de verè vidua subiiciat:* quæ autem verè vidua est & desolata, speret in Domino, &c. hanc, inquit, verè viduam dixit quæ non habet à quibus sustentetur: quia non solùm viro, sed etiam posteris atque omni ope destituta est: diuitem quippe, non diceret desolatam, &c. *Nec modo sub protectione Dei sed & beatissimæ Virginis viduæ sunt positæ. Ita enim D. Zeno eam alloquitur ser. de tribus virtutibus Theologicis*, tu scutum validissimum viduarum. *Et Alanus in verba Cant. 1. 9.* Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis. *Turtur autem mortuo masculo, alteri non iungitur, in viduæ symbolum:* S. Aug.

A Pulchræ, *inquit*, sunt genæ tuæ, &c. quòd continentiæ ac pudicitiæ in ea tanquam turturum volitet multitudo. *Quasi nidum in virgine quærens, sicut in filio eius certissimum habent asylum. Quod testatur Augustinus tom. 4. lib. de octo dulcitij quæstionibus, quæst. 7. vbi de Sara præseruata ab concubitu Abimelech, territo minis, & plagis, & visionibus per somnium.* Dicam, inquit, quod factum est in Mauritania Sitifensi. Neque enim Deus Sanctorum, non ipse est etiam nunc Deus. Viduam in proposito continentiæ constitutam Celticchius quidam Catechumenus iuuenis rapuit, vt haberet vxorem. Antequam concumberet, pressus somno, & territus somnio, Sitifensi Episcopo eandem vehementissimè requirenti reuocauit intactam. Viuunt adhuc de quibus loquor. Ille baptizatus, & ipso in se facto miraculo conuersus ad Dominum, ad Episcopatum mirabili probitate peruenit, illa in sancta viduitate persistit. S. Aug.

13. *Vidua diues est oratione & fiduciâ in Deum perseuerante. V. Verbum Seruus Dei num. 3.*

14. *Vidua labori, sobrietati, & silentio vacet, & vitet contraria castitati. 1. ad vxor. cap. 8 in m. ad circa f.*

STude igitur ad virtutem continentiæ, quæ pudori procurat: sedulitati, quæ nugas non facit: frugalitati, quæ seculum spernit. Conuictus atque colloquia Deo digna sectare, memor illius versiculi sanctificati per Apostolum: [a] *Bonos corrumpunt mores congressus mali.* Loquaces, otiosæ, vinosæ, curiosæ contubernales, vel maximè proposito viduitatis officiunt. Per loquacitatem inrepunt verba pudoris inimica: per otium à seueritate deducunt: per vinolentiam quiduis mali insinuant: per curiositatem æmulationem libidinis conuehunt. Nulla huiusmodi feminarum de bono vniuiratus loqui nouit: [b] *Deus* enim illis (vt ait Apostolus) *venter est*, ita & quæ ventri propinqua.

a 1. Cor. 15. 33. 1. Tim. 5. 13. b Philip. 3. 19.

VIDVA. 13. & 14. SCHOL.

STVDE IGITVR. *Ad comparandam perfectam virtutem continentiæ, stude modestiæ, quæ propria pudoris administra est, sedulò & seriò te occupa, esto parca in vestitu & victu, conuersationes & colloquia digna Deo, viduarum sponso, sectare.* CONGRESSVS MALI. *Versus est Menandri, quem post Paulum in sanctum vsum transtulerunt Cyprianus, Chrysost. Augustinus, & alij 1. Cor. 15. 33* Corrumpunt mores bonos colloquia mala. LOQVACES. 1. *Tim. 5. 11. & seq.* Adolescentiores autem viduas deuita. Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, simul autem & otiosæ discunt circuire domos: non solùm otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet. *D. Thomas in hunc locum*, luxuria, *inquit*, quandoque sumitur pro omni superfluitate rerum corporalium, & sic sumitur hîc. quasi dicat: cùm habuerint superabundantiam per suffragium Christi: *id est inter Christi viduas educata; vnde supra exposuit ad literam, adolescentiores vitandas, id est non passim admittendas ad sustentationem in Ecclesia, vel vitandas quoad consortium & familiaritatem:* tunc nubere volunt. Exo. 32. sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Valerius dicit, quod à Cerere, id est cibo & Libero patre, propinquus est locus ad Venerem. A SEVERITATE. *A seriosa occupatione.* PER CVRIOSITATEM. *Vestium & cultus corporis.* CONVEHVNT. *Quasi merces quibus æmulationem etiam irritant libidinis placendi hominibus.* INREPVNT, *insinuant verba procacia.* VNIVIRATVS. *Monogamia, quod vno viro contenta, in continentia maneant.* VENTRI PROPINQVA, *non tantùm situ, sed & actu Chrysologus ser. 2.* Viuunt ventri, & æstus carnis in volutabra luti temperant. *Vide dicta in hanc rem verbo luxuria. Augustinus to. 6.*

B *lib. de sancta Virginit. cap. 33. & seq.* Curiosas, *inquit*, & verbosas malas innuptas, *id est viduas Paulus Apostolus notat, & hoc vitium dicit venire ex otio. Simul autem, inquit, & otiosæ discunt circumire domos, &c. De his superius dixerat: iuniores autem uiduas euita. Cùm enim in delicijs egerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, quam Christo vt sponso dederant*, id est, in eo quod primò vouerant non steterūt. Nec tamen ait, nubunt, sed nubere volunt. Multas enim earum reuocat à nubendo, non amor præclari propositi, sed aperti dedecoris timor, veniens & ipse à superbia, qua formidatur magis hominibus displicere quàm Deo. Hæ igitur quæ nubere volunt, & ideo non nubunt, quia impunè non possunt, quæ C meliùs nuberent quam vrerentur, id est quam occulta flamma concupiscentiæ, in ipsa concupiscentia vastarentur, quas pœnitet professionis, & piget confessionis, nisi correctum cor dirigant, & Dei timore rursus libidinem vincant, in mortuis deputandæ sunt, siue in deliciis agant, vnde dicit Apostolus, quæ autem in deliciis agit, viuens mortua est: siue in laboribus atque ieiuniis, nullâ cordis correctione, superfluis, & magis ostentationi quam emendationi seruientibus: non ego talibus magnam curam humilitatis ingero, in quibus superbia ipsa confunditur, & conscientiæ vulnere cruentatur. Nec ebriosis, aut auaris, aut alio quolibet damnabilis morbi genere iacentibus, cùm ha-D beant corporalis continentiæ professionem, moribusque peruersis a suo nomine dissonent, hanc magnam solicitudinem piæ humilitatis impono, nisi fortè in his malis etiam ostentare se audebunt, *quibus ait Psaltes, quid gloriaris in malitia?* quibus non sufficit quòd eorum supplicia differuntur. Nec de S. Aug.

his ago, *curiosis de quibus hîc agitur*, in quibus est quidam placendi appetitus, aut de elegantiore vestitu, quam tantæ professionis necessitas postulat, *ironicè* aut capitis ligamento notabili, siue pro tumidis vmbonibus capillorum, siue tegminibus ita teneris vtuntur, vt reticola subtus posita appareant: his nondum de humilitate, sed de ipsa castitate, vel integritate pudicitiæ danda præcepta sunt. Da mihi profitentem perpetuam continentiam, atque his, & eiusmodi carentem omnibus, & maculis, & vitiis morum, huic superbiam timeo, huic tam magno bono ex elationis tumore formido. Quò magis inest vnde sibi placeat, eò magis vereor, ne sibi placendo, illi displiceat, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *De viduarum autem propriis operibus & oblectamentis to. 4. lib. de bono viduit. cap. 21.* Deliciæ, *inquit*, spiritales deliciis carnalibus in sancta castitate succedunt, lectio, oratio, Psalmus, bona cogitatio, bonorum operum frequentatio, spes futuri sæculi, & cor sursum: atque de his omnibus gratiarum actio Patri luminum, à quo sine vlla dubitatione omne datum optimum, &c. Absit autem à vobis, vt diuitiarum cupiditate capiamini, pro cupiditate nuptiarum, & in cordibus vestris nummus, viri amori succedat, &c. nam sicut in ipsis sensibus corporis acutius audiunt qui non vident, & tangendo multa discernunt, &c. tanquam ex altero conetur implere, quod negatur in altero: ita etiam sæpè carnalis cupiditas, à concumbendi voluptate cohibita, maioribus viribus in pecuniæ se porrigit appetitum, & illinc auersa, huc se impetu ardentiore conuertit. In vobis autem amor diuitiarum simul frigescat cum amore nuptiarum: & pius vsus rerum quas possidetis, ad spiritales delicias conferatur, vt liberalitas vestra magis ferueat adiuuandis egenis, quàm ditandis auaris. In thesaurum quippe cœlestem, non mittuntur dona cupidorum, sed eleemosynæ pauperum, quæ in immensum modum orationes adiuuant viduarum. *Bonorum operum, sed mortificationis maximè viduis præbuit exemplum beatissima Virgo & ipsa vidua, cui Rupertus lib. 5. in Cant. hæc verba Cantic. 5. 5 applicat.* Surrexi vt aperirem dilecto meo: manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatissimâ. Oportebat, *inquit*, namque vt maximè relictis, credentium atque Apostolicam vitam imitantium viduis, manifestum daret exemplum mortificationis vitiorum. *Hinc Augustinus supra eodem libro & capite:* ieiunia quoque, *inquit*, & vigiliæ, in quantùm valetudinem non perturbant, si orando, psallendo, legendo, & in lege

S. Aug.

S. Aug.

A Dei meditando sumantur, in delicias spiritales, etiam ipsa quæ videntur laboriosa vertuntur. Nullo modo enim sunt onerosi labores amantium, sed etiam ipsi delectant, sicut venantium, aucupantium, piscantium, vindemiantium, negotiantium, ludo aliquo sese oblectantium. Interest ergo quid ametur. Nam in eo quod amatur, aut non laboratur, aut & labor amatur. Et vide quam pudendum & dolendum sit, si delectat labor vt fera capiatur, vt cupa & sacculus impleatur, vt pila iaciatur, & non delectat, vt Deus acquiratur. *Tandem de conuersatione in solitudine & silentio, notatu dignum quod apud Hebræos vidua dicatur*, almana, *id est muta, à verbo* alam, *quod est obmutescere: quod vt ait Paginus in Lexico, viro mortuo, vidua non valeat* B *loqui, & litigare. Malim ego referre ad Paulum, verbosas notantem, & circumeuntes domos, cùm deberent esse* testitudines domiportæ, & elingues, *proprium viduarum Symbolum. Alij dicunt,* Almanah ab alam, *id est colligare; quòd domi colligata sileat suos in vnum Deum colligens affectus. Græcis autem χήρα. Per antiphrasim, παρὰ τὸ χαίρειν. Quòd omnibus deliciis & oblectamentis careat. De sancta conuersatione monuit etiam viduas Augustinus, & cura famæ supra capite 22.* In omnibus, *inquit*, sanè deliciis quibus fruuntur innuptæ, sancta earum conuersatio cauta etiam debet esse, ne fortè cùm mala vita non sit per lasciuiam, mala sit fama per negligentiam. Nec audiendi sunt siue viri sancti, siue fœminæ, quando reprehensa in aliquo negligentia sua, per quam fit vt in C malam veniant suspicionem, vnde suam vitam longè abesse sciunt, dicunt sibi coram Deo sufficere conscientiam, existimationem hominum, non imprudenter solùm, verùm etiam crudeliter contemnentes, cùm occidunt animas aliorum, siue blasphemantium viam Dei quibus secundùm suam suspicionem, quasi turpis, quæ casta est, displicet vita Sanctorum: siue etiam cum excusatione imitantium, non quod vident, sed quod putant. Proinde quisquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi benefacit: quisquis autem etiam famam, & in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra: D & vtique etiam quod aliis ministramus misericorditer ad salutem, ad nostram quoque redundat vtilitatem: vnde non frustra Apostolus, prouidemus, inquit, bona non solùm coram Deo, verùm etiam coram hominibus. Item dicit, placete omnibus per omnia, sicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis vt salui fiant. *Vide Verbo* Monica.

S. Aug.

VIRGO.

1. *Virgo digna est paradiso. De vel. Virg. cap. 5. à p. V. Verbo. Castitatis excellentia nu. 4. in f.*

2. *Virginitas & virtus omnis, visum & laudes erubescit, vitium autem impudens est. De vel. Virg. cap. 2. circa f.*

Hic, sicut in omnibus variè institutis, & dubiis, & incertis fieri solet, adhibenda fuit examinatio, quæ magis ex duabus tam diuersis consuetudinibus disciplinæ Dei conueniret. Et vtique ea deligenda, quæ virgines includit, soli Deo notas, quibus, præter quod à Deo non ab hominibus captanda gloria est, etiam ipsum bonum suum erubescendum est. Virginem magis laudando, quàm vituperando confundas: quia delicti durior frons est, ab ipso, & in ipso delicto impudentiam docta.

3. *Virgini fœminæ, magis quàm masculo vitanda singularitas: & virgo præ cæteris humilis esse debet in Ecclesiâ; cui, vt mulieri omni, officium omne, non solùm Sacerdotale, sed etiam virile inhibitum. De Vel. Virg. cap. 9. à p.*

NOn permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tinguere, nec offerre, nec vllius virilis muneris, nedum sacerdotalis officij sortem sibi vindicare. Quæramus an aliquid horum virgini liceat. Si virgini non licet, sed in omnibus eadem conditione subiicitur, & necessitas humilitatis cum muliere censetur, vnde illi vnum hoc licebit quod omni feminæ non licet? Quid prærogatiuæ meretur aduersùs conditionem suam, si qua virgo est, & carnem suam sanctificare proposuit? Idcirco velaminis venia sit illi, vt in Ecclesiam notabilis & insignis introeat, vt honorem sanctitatis in libertate capitis ostendat? Potuit digniùs honorari aliqua prærogatiua virilis aut gradus, aut officij. 1.Cor.14. 34.

VIRGO. 2. & 3. SCHOL.

HIc. *Dum agimus de variis & diuersis consuetudinibus velandi aut reuelandi, id est sine velis producendi virgines, agendum est nobis, sicut agitur in aliis materiis quæ diuersè à diuersis populis factitantur; & examinandum, quæ ex duabus, consuetudo magis conueniat modestiæ Christianæ.* VIRGINES INCLVDIT. *Non quidem tunc claustro, sed saltem velo.* SOLI DEO NOTAS. *Cui vni placere debent, & de virginitatis suæ bono erubescere, vel etiam formæ, quam non debent ostentare.* LAVDANDO MAGIS, *vt plùs erubescat de forma laudata, & virginitate, iuxta Psaltem:* Exaltatus autem humiliatus sum & conturbatus. IMPVDENTIAM DOCTA. *Comparat peccatum prostitutæ mulieri, cui dicitur in Scriptura,* frons meretricis facta est tibi, erubescere nesciuisti. *Ambrosius lib. 3. de Virginib.* Ea, *inquit*, non debet esse vulgaris, non debet esse in foro, non in plateis voce querula; gressu lubrica, facilis auditu, vilis aspectu, &c. Quid tibi cum cæteris? soli Deo loquere, soli fabulare Christo. *Scitè & aptè in rem nostram Græci pupillam & virginem eâdem voce significant κόρη. Quia vt pupilla obtegi & velari debet; quia vel leuissimo puluere læditur, vnde Chrysost. homil. 22. ad populum.* Pupilla, *inquit*, appellatur oculus, vt sicut ille duabus palpebris, velut in quodam conclaui clausus est, ita & virgo permaneat. *Et Isid. Pelus. lib. 5. epist. 146.* Pupillæ in oculis veluti virgines in thalamo sunt collocatæ, ciliis, seu palpebris, tanquam velis tectæ: æquum itaque fuerit prudenti ratione eas regi ac tutari, vt assiduè quidem erubescant, pudeatque eorum quæ oportet. Si verò & aliorum spectarint pulchritudinem, ampliùs erubescant, velaque contrahant, & deorsum oculos demittant, terramque velut matrem intueantur, quæ doceat non nostram modò naturam, sed & spectatam illam venustatem ex ipsa efflor uisse, & denuò marcescentem illam lucem redituram. Id si effectum dabit, de quorum reapse virgines seruarent. Sin impudenter atque impotenter quæuis conspexerint, pro virginibus canes esse potiùs comperies qui in alienam pulchritudinem velut rabie impellantur. *Malim referre ad puluerem vanitatis, quo puritas obscuratur, à quo maximè cauere debet virgo; vt erubescat laudata, & clausa sit pulueri. Hinc Cantic. 4. 1.* Oculi tui columbarum absque eo quòd intrinsecùs latet. *Et versu 3.* Sicut fragmen mali punici, *quod ad Solem erubescit*, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecùs latet. 70. *verò*, extra taciturnitatem tuam. *Alij vertunt*, intra velum tuum. *Vide supra dicta ex Augustino, verbo*, Vana gloria.

3. IN ECCLESIA LOQVI. 1. *Cor.* 14. 34. Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut lex dicit. *Sub viri potestate eris, & ad virum conuersio tua.* Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. NEC DOCERE. 1. *Tim.* 2. 11. Mulier in silentio discat, cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio. Adam enim primus formatus est, deinde Eua. Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit. NEC TINGVERE. *Baptizare, scilicet præsente viro, & quocumque masculo.* NEC OFFERRE. *Sacrificium missæ, aut orationem publicam.* VIRILIS MVNERIS, *vel in Ecclesia, Cleri; vel in foro, iudicis.* NEDVM. *Multò minùs.* EADEM CONDITIONE. *Quâ mulier est, & in sortem omnis humilitatis, censumque ac tributum redacta.* SI QVA VIRGO. *In quantum virginitate præcellit.* VELAMINIS VENIA, *an ideo exempta est lege velaminis, vt inter mulieres, hoc habitu, hoc est capite à subiectione velaminis libero, singulariter eminens videatur, vt laudetur & superbiat tam de conditione & gradu virginitatis, quàm de formæ adolescentiæ præstantia.* POTVIT DIGNIVS. *Licet indignum sit virginem immiscere se officiis virorum propriis, magis tamen indignum est virgineo pudore, reuelatâ facie in Ecclesiam progredi. Isidorus libro 2. Eccl. offic. cap.* 18. In gradibus, *inquit*, vel officiis Ecclesiasticis fœminæ nullatenus præscribuntur: nam neque permittitur eis loqui in Ecclesia, vel docere: sed neque tangere, *sacra vasa*, vel offerre, neque vllius virilis muneris, aut Sacerdotalis officij sibi sortem vendicare. *Aug. earum superbiam conterit, & ad humilitatem obligat in Psal. 99.* Inuenis, *inquit*, Sanctimoniales indisciplinatas. Numquid ideo Sanctimonium reprehendendum est? multæ non stant in domibus suis, circumeunt domos alienas, curiosè agentes, loquentes quæ non oportet, superbæ, linguatæ, ebriosæ; & si virgines sunt, quid prodest integra caro, mente corruptâ? meliùs est humile coniugium, quàm superba virginitas. Si enim nuberet, non haberet nomen vnde extolleretur, & haberet frænum quo regeretur. Sed numquid propter virgines malas, damnaturi sumus & sanctas, & corpore & spiritu? Aut propter istas laudabiles, etiam illas improbandas laudare cogemur? vndique vnus assumetur, & vnus relinquetur. *Et ser.* 53. *de verbis Domini.* Minorem locum habebit mater, in regno cœlorum, quoniam maritata est, quàm filia, quoniam virgo est, &c. ambæ tamen ibi; quomodo fulgida stella, obscura stella, ambæ tamen in cœlo. Si verò mater tua fuerit humilis, tu superba: illa habebit qualemcumque locum, tu autem nullum locum. Et quis inuenit alterum locum, qui ibi non habuerit locum, nisi cum illo qui inde cecidit, stantemque deiecit. Inde cecidit diabolus, vnde stantem deiecit hominem. *Vtrimque de Paradiso, in quo tandiu virgo stetit Adam omnium Dominus, quandiu Deo fuit humilis, obediens, & subiectus.* Deiecit stantem; sed Christus descendens

S. Aug. S. Aug. S. Aug.

erexit jacentem. Vnde te tamen erexit Dominus tuus, attende; humilitate erexit: humiliauit semetipsum, &c. Princeps tuus humilis, & tu superbus? caput humile, *& vir caput est mulieris, &c. despondi vos vni viro, &c.* & membrum superbum? Absit. Non vult esse de corpore capitis humilis, qui amat superbiam. *Fusissimè autem virgines ad humilitatem hortatur to. 6. lib. de sancta virginitate à capite 35. ad 55. sic incipit:* Certè, *inquit*, præcipuum magisterium & virginalis integritatis exemplum in ipso Christo contuendum est. Quid ergo amplius continentibus de humilitate præcipiam, quàm quod ille, qui omnibus dicit, discite à me quia mitis sum, & humilis corde, cùm magnitudinem suam supra commemorasset: & idipsum volens ostendere, quantus propter nos, quantillus effectus est: Confiteor, inquit, tibi Pater, &c. Omnia mihi tradita sunt, &c. ille cui omnia tradidit Pater, & quem nemo agnoscit nisi Pater, &c. Non dicit, discite à me mundum fabricare, aut mortuos resuscitare, sed quia mitis sum & humilis corde. O doctrinam salutarem! ô Magistrum Dominumque mortalium! quibus mors poculo superbiæ propinata atq; transfusa est: noluit docere quod ipse non esset, noluit iubere, quod ipse non faceret, &c. quid, obsecro te, per quem facta sunt omnia, fili Dei, & idem qui factus es inter omnia, fili hominis: quid, vt discamus à te, venimus ad te? quoniam mitis sum, inquit, &c. huccine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi in te, vt hoc pro magno discamus à te, quoniam mitis es & humilis corde? Itanè magnum est, esse paruum, vt nisi à te qui tam magnus es, fieret, disci omnino non posset? ita planè. *Et cap. 36. cùm de Publicano, Centurione, Zachæo, Peccatrice dixisset.* Audiant te, *inquit*, & veniant ad te, & mites atque humiles esse discant à te. *Cap. 37. sic alloquitur virgines.* Non ego, *inquit*, te anima piè pudica, quæ appetitum carnalem nec vsque ad concessum coniugium relaxasti, quæ discessurum corpus nec successori propagando indulsisti, quæ fluitantia membra terrena, in cœli consuetudinem, *vitam Angelicam*, suspendisti: non ego te vt discas humilitatem, ad publicanos & peccatores mitto, qui tamen in regnum cœlorum præcedunt superbos; non te ad hos mitto: indigni sunt enim qui ab immunditiæ voragine liberati sunt, vt ad eos imitandos mittatur illibata virginitas: ad Regem cœli te mitto; ad eum per quem creati sunt homines, & qui creatus est inter homines, propter homines: ad speciosum formâ præ filiis hominum, & contemptum à filiis hominum, pro filiis hominum: ad eum qui dominans Angelis immortalibus, non dedignatus est seruire mortalibus. Eum certè humilem, non iniquitas, sed charitas fecit: charitas quæ non æmulatur, &c. Non ibis ad eum qui oculos ad cœlum leuare non audebat pondere charitatis: non ibis ad eam quæ Domini sui pedes lachrymis lauit, quærens indulgentiam omnium peccatorum; sed ibis ad eum qui cùm daret indulgentiam omnium peccatorum, lauit pedes suorum seruorum. Noui dignitatem virginitatis tuæ, non tibi propono imitandum Publicanum humiliter accusantem delicta sua, sed timeo tibi Pharisæum superbè jactantem merita sua. Non dico, esto qualis illa de qua dictum est, dimittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multùm: sed metuo, ne cùm tibi modicum dimitti putas, modicùm diligas. Metuo inquam tibi vehementer, ne cùm te agnum quocumque ierit secuturam esse gloriaris, eum præ tumore superbiæ sequi per angusta non possis, &c. *Tandem post alia multa præclara, cap. 51.* Illos proinde sequentes, agnus quocumque ierit, ducit, in quibus priùs ipse vbi caput inclinet, inuenerit. Nam quidam superbus & dolosus hoc ei dixerat: Domine sequar te quocumque ieris. Cui respondit, vulpes foueas habent, & volatilia cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. Arguebat nomine vulpium astutam dolositatem, & nomine volucrum ventosam elationem, in quo vbi requiesceret, piam non inueniebat humilitatem. Ac per hoc, nusquam omnino secutus est Dominum, qui se promiserat, non vsque ad quemdam profectum, sed omnino quocumque ierit, secuturum. Quapropter hoc agite virgines Dei, hoc agite, sequimini agnum quocumque ierit. Sed priùs, ad eum, quàm sequamini, venite, & discite quoniam mitis est & humilis corde. Humiliter ad humilem venite si amatis, & ne discedatis ab illo ne cadatis. Qui enim timet ab illo cadere, rogat & dicit, non veniat mihi pes superbiæ. Pergite viam sublimitatis, pede humilitatis. Ipse exaltat humiliter sequentes, quem descendere non piguit adiacentes. Dona eius illi seruanda committite, fortitudinem vestram ad illum custodite. Quidquid mali ipso custodiente non committitis, tanquam remissum ab illo deputate: ne modicum vobis existimantes dimissum, modicùm diligatis; & tundentes pectora, Publicanos, ruinosâ iactantiâ contemnatis. De viribus vestris expertis cauete, ne quia ferre aliquid potuistis, inflemini: de inexpertis autem orate, ne supra quàm potestis ferre, tentemini: existimate aliquos in occulto superiores, quibus estis in manifesto meliores. Cùm aliorum bona fortè ignota vobis benignè creduntur à vobis, vestra vobis nota, non comparatione minuuntur, sed dilectione firmantur. Et quæ fortè adhuc desunt, tantò dantur faciliùs, quantò desiderantur humiliùs. Perseuerantes in numero vestro præbeant vobis exemplum, cadentes autem augeant timorem vestrum. Illud amate vt imitemini, hoc lugete ne inflemini. *Hæc monita virgo quæ seruat, in humilitate secura Deo gratissima perseuerat.*

(Margin: S. Aug. — S. Aug. — S. Aug. — S. Aug.)

VIRTVS HEROICA.

Virtutes magnæ à Deo petendæ sunt; quia infirmitatis nostræ vires excedunt. De Pat. cap. 1. à p. Verbo Patientia. numero 1. in m.

VLTIO PROHIBITA.

a Ro. 12. 17. 19. Leuit. 19. 18. Deut. 32. 35. Ro. 12. 18.

1. *Vltionem vtraque lex prohibet.* 5. *cont. Marc. cap. 14. circa f.*

a *MAlum pro malo nemini retribueritis; & malitia fratris vestri ne memineritis. Nec vosmetipsos vlciscentes. Mihi enim vindictam, & ego vindicabo, dicit Dominus. Pacem cum omnibus hominibus habetote.* Ergo & legalis talio non retributionem iniuriæ permittebat, sed inceptionem metu retributionis comprimebat.

2. *Vltionem, & pœnam talionis, lex noua abstulit. De Exhort. cast. cap. 6. in f. & 7. in p.*

SEmper initia laxantur. Propterea syluam quis instituit, & crescere sinit, vt tempore suo cædat. Sylua erit vetus dispositio, quæ ab Euangelio nouo deputatur, in quo & [a] *securis ad radices arboris posita.* Sic & [b] *Oculum pro oculo, & dentem pro dente*, iam senuit; ex quo iuuenuit, [c] *Malum pro malo nemo reddat.* Puto autem etiam in humanas constitutiones atque decreta posteriora pristinis præualere. Cur autem de pristinis exemplis non ea potiùs agnoscamus, quæ cùm posterioribus communicant, de disciplina & forma vetustatis, ad nouitatem transmittunt?

a Matth. 3. 10.
b Exo. 21. 24.
c Rom. 12 17.
Cap. vii.

3. *Vltio Christianis vetita, quam nunquam sumpserant de Gentilibus, licet numerosi, & multis iniuriis affecti. Apol. cap. 37. in p.*

SI inimicos, vt supra diximus, iubemur diligere, quem habemus odisse? Item si læsi vicem referre prohibemur, ne de facto pares simus, quem possumus lædere? Nam de isto, ipsi recognoscite. Quoties enim in Christianos desæuitis, partim animis propriis, partim legibus obsequentes? quoties etiam præteritis vobis, suo iure nos inimicum vulgus inuadit lapidibus & incendiis? ipsis Bacchanalium furiis, nec mortuis parcunt Christianis, quin illos de requie sepulturæ, de asylo quodam mortis, iam alios, iam nec totos, auellant, dissecent, distrahant. Quid tamen vnquam denotastis de tam conspiratis, de tam animatis ad mortem vsque, pro iniuria repensatum? quando vel vna nox, pauculis faculis, largiter vltionis posset operari, si malum malo dispungi penes nos liceret. Sed absit, vt aut igni humano vindicetur diuina secta, aut doleat pati, in quo probatur.

Matth. 5. 44.

4. *Vltio de inimicis, à Christianis non petitur, sed certa timetur à iusto iudice; cuius vindictæ temporales, signa sunt æternæ. Ad Scap. cap. 2. in f. & 3. per totum.*

ABsit vt indignè feramus ea nos pati quæ optamus, aut vltionem à nobis aliquam machinemur, quam à Deo expectamus. Tamen (sicut supra diximus) doleamus necesse est, quòd nulla ciuitas impunè latura sit sanguinis nostri effusionem. sicut & sub Hilariano præside, cùm de areis sepulturarum nostrarum adclamassent: AREÆ NON SINT: areæ ipsorum non fuerunt. messes enim suas non egerunt. Ceterùm & imbre anni præteriti, quid commeruerit genus humanum, apparuit, cataclysmum scilicet & retrò fuisse propter incredulitatem & iniquitates hominum: & ignes qui super mœnia Carthaginis proximè pependerunt per noctem quid minati sint, sciunt qui viderunt, & pristina tonitrua quid sonuerint, sciunt qui obdurauerunt. Omnia hæc signa sunt imminentis iræ Dei, quàm necesse est quoquo modo possumus, vt & annuntiemus, & prædicemus, & deprecemur interim localem esse. Vniuersalem enim & supremam suo tempore sentient, qui exempla eius aliter interpretantur. Nam & sol ille in Conuentu Vticensi extincto penè lumine adeo portentum fuit, vt non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati, positus in suo hypsomate & domicilio. Habetis Astrologos. Possumus æquè & exitus quorundam præsidum tibi proponere, qui in fine vitæ suæ recordati sunt deliquisse quòd vexassent Christianos. Vigellius Saturninus qui primus hîc gladium in nos egit, lumina amisit. Claudius Herminianus in Cappadocia, cùm indignè ferens vxorem suam ad hanc sectam transisse, Christianos crudeliter tractasset, solusque in prætorio suo vastatus peste, cùm viuus vermibus ebulisset: Nemo sciat, aiebat, ne spe gaudeant Christiani. Postea cognito errore suo, quòd tormentis quosdam à proposito suo excidere fecisset, penè Christianus decessit. Cæcilius Capella in illo exitu Byzantino, Christiani gaudete, exclamauit. Sed & qui videntur tibi impunè tulisse, venient in diem diuini iudicij. Tibi quoque optamus admonitionem solam fuisse, quòd cùm Adrumeticum Mauilum ad bestias damnasses, & statim hæc vexatio subsecuta est, & nunc ex eadem causa interpellatio sanguinis. Sed memento de cætero.

Cap. iii.

5. *Vltio Deo sacrificanda, quam sibi seruat. V. Verbum, Impatientia, num. 4. & 5.*

6. *Vltio Deo honorem surripit. V. Verbum, Iudicium temerarium, num. 3.*

VLTIO PROHIBITA. 1. 2. 3. 4. SCHOL.

MALVM PRO MALO. *Rom.* 12. 17. Nulli malum pro malo reddentes. MALITIÆ FRATRIS. *Hos omnes locos habes alibi relatos, quibus prorsus non immoror vt nec in lege talionis.* PACEM CVM OMNIBVS. *Rom.* 12. 18. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes: non vosmetipsos defendentes, *Syr. nec vlciscamini*, charissimi, sed date locum iræ: scriptum

est enim : mihi vindicta, & ego retribuam dicit Dominus.

2. INITIA LAXANTVR, *lex vetus non ita stricta disciplinæ obstringebat, vt lex Euangelica.* VETVS DISPOSITIO DEPVTATVR, *amputatur, succiditur, restringitur à lege noua, hinc & securis in Euangelio fit mentio, quæ non tantùm nunc superflua legis amputet cerimonialia, quæ tunc necessaria erant populo in idololatriam prono, sed & prorsus succidit legem talionis & vindictæ, quæ iam vt senior, & veterem hominem sapiens abrogata est, ex quo per Christum & Paulum mali retributio prohibita, & bonum pro malo inimico reddere est præceptum.* PVTO AVTEM. *Sic leges posteriores derogant prioribus.* DE PRISTINIS EXEMPLIS. *Ex veteri Testamento debemus potiùs imitari & sequi quæ cum lege noua concordant, & iam ab auo, & tempore veteris legis, nos ad nouam legem ex conformitate præceptorum velut manu duxerunt, in quo fuerunt velut forma & exemplar noui Testamenti.*

3. QVIM HABEMVS. *Debemus aut possumus odio prosequi?* NE DE FACTO PARES. *Augustinus*: Ne, S. Aug. *inquit*, duo mali sitis. IPSI RECOGNOSCITE. *Vos Gentiles de hoc iudicate.* ANIMIS PROPRIIS. *Priuatâ singulorum in Christianos animositate & odio.* PARTIM LEGIBVS. *Contra Christianos latis ab Imperatoribus & Præfectis in odium Christi.* PRÆTERITIS VOBIS *Nullo ex Magistratu consulto, vel iubente.* SVO IVRE. *Quod nullum aliud est præter furorem, & innatam in Christianos sæuiend libidinem.* IAM ALIOS. *Id est mortuos, nec vobis ex cultu diuino displicere valentes, aut iustâ contra vos se defensione tueri.* NEC TOTOS. *Semicorruptos. Hanc barbariem prohibitam, bellè expressit libro 6. variarum, cap. 8. Cassiodorus.* Defunctorum quin etiam sacram quietem, æquabilia iura tuæ conscientiæ commiserunt, ne quis vestita marmoribus sepulcra nudaret, ne quis columnarum decorem irreligiosâ temeritate præsumeret, ne quis cineres alienos, aut longinquitate temporis, aut voraci flammâ consumptos sceleratâ perscrutatione detegeret, ne corpus quod semel reliquerat molestias mundanas, humanas iterum pateretur insidias. DE TAM CONSPIRATIS. *Quos falsò in Rempublicam conspirare censetis, & animosos contra Imperij Romani salutem, vt nec mortem timeamus, quid vnquam notastis nos vindictæ sumpsisse pro tantis iniuriis à vobis acceptis, cùm vel paruo igne, possemus vrbem incendere, & proinde largam exercere vltionem, si liceret apud nos malum pro malo reddere?* DISPVNGI. *Debitum reddi.* IGNI HVMANO, *cùm diuino longè ardentiori dignum subiaceat.* DIVINA SECTA. *Christi Dei religio, profitens eius patientiæ exempla sectari.* IN QVO PROBATVR. *Velut aurum in fornace.*

4. DOLEAMVS. *Ex charitate, nobis erga inimicos præceptâ.* SVB HILARIANO. *Præfecto, qui præcesserat Scapulam.* AREÆ NON SINT. *Cœmeteria non dentur cadaueribus Christianorum.* AREÆ IPSORVM. *Messis non fuit, quæ in areis teretur. Cœmeteria autem area siue arenaria vocabantur.* CATACLISMVM RETRÒ *Vt olim diluuium in pœnam peccatorum, sic nuper inundatio testata est, quid peccata vestra, & in Christianos crudelitas mereretur.* QVI OBDVRVERVNT, *sicut Pharao ad tonitrua, & ad cæteras plagas cor obdurauit.* LOCALEM ESSE. *Non vniuersalem, & iudicij extremi prauiam.* EXEMPLA ALITER INTERPRETANTVR. *Non intelligunt hos terrores de cælo, exempla esse & prognostica futuri iudicij.* IN CONVENTV VTICENSI. *Habes expositum, verbo,* Solis Ecclipsis. EXITVS: *similiter & sinistros casus & obitus.* VIGELLIVS. *Primus Præfectus qui Carthagine Christianos persecutus est, vtroque oculo orbatus est.* AD HANC SECTAM TRANSISSE, *factam Christianam.* IN PRÆTORIO SVO. *Villa vrbana, quæ comptior erat rusticâ. Hinc ioco* *Hieronymi lib. 2. cont. Iouin. de dolio Diogenis.* Cùm, *inquit*, se contorqueret in dolio, volubilem se habere domum iocabatur, & se cum temporibus immutantem. Frigore enim dolij os vertebat in meridiem. Æstate ad Septentrionem: & vtcumque se Sol inclinauerat, Diogenis simul prætorium vertebatur. NE SPE. *Scilicet euadendi persecutionem.* A PROPOSITO. *Fidei confessione & constantiâ.* CÆCILIVS CAPELLA. *Hic iuxta Baronium & Dionem, fuit Præses Byzantij Christianorum persecutor sub Seuero, quòd partes fouisset Pescennij Nigri, ciuitate à Seuero expugnatâ, mox cum omnibus Magistratibus occidendus, meliora Christianis tempora praeuidens exclamauit præ dolore:* gaudete Christiani. IN EXITV. *In exitio & ruina.* TIBI ADMONITIONEM SOLAM. *Vt in tot Præsidei sumptâ à Deo vindicta, te solùm admoneat corrigendæ crudelitatis, nec te sicut illos puniat, aut extremo iudicio seruet damnandum, quòd Adrumeticum Mauilum Christianum damnaueris ad bestias; cuius morte crudeli excitatus est populus ad vexandos Christianos, pro quorum sanguine fundendo nunc etiam apud te interpellat. Caue igitur in posterum iustam super te Dei vindictam, si furori plebis acquiescas.*

Augustinus in Psal. 78 in versum, vindicta sanguinis seruorum suorum qui effusus est, introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum. Vel sic intelligitur, *inquit*, *sancta & optanda vindicta*, cùm credunt in Deum verum qui persequebantur eius hæreditatem: quia & ipsa vindicta est, quâ perimitur sæua iniquitas eorum gladio verbi Dei, de quo dictum est, accingere gladio tuo: vel cùm perseuerantes inimici in fine puniuntur. Nam mala temporalia, quæ in hoc sæculo patiuntur, communia possunt habere cum bonis. Est aliud vindictæ genus quo Ecclesiæ dilatationem, & fœcunditatem in hoc sæculo post tantas persecutiones, quibus eam omnino perituram putabant, peccator, & incredulus, & inimicus videt, & irascetur, dentibus frendet & tabescet. Quis enim negare audeat hanc etiam esse grauissimam pœnam? &c. sed propter illud quod scriptum est in Apocalypsi, sub ara Dei martyres ad Deum clamare, & dicere, quousque Domine non vindicas sanguinem nostrum? &c. ne propter exsaturandum odium credantur sancti desiderare vindictam, quod ab eorum perfectione longè abest; & tamen scriptum est, lætabitur iustus cùm viderit vindictam, &c. & Apostolus Paulus ait, non vosipsos vindicantes charissimi, sed date locum iræ, &c. Nec ipse itaque præcepit, vt nolint vindicari, sed vt non seipsi vindicantes, dent locum iræ Dei, qui dixit, mihi vindictam &c. & Dominus in Euangelio viduam proponit in similitudinem, quæ vindicari desiderans, iudicem interpellabat iniustum, qui eam tandem aliquando non iustitiâ ductus, sed tædio victus audiuit. Hoc autem Dominus proposuit, vt ostenderet multò magis Deum iustum citò facturum iudicium electorum suorum qui ad eum clamant die ac nocte. Inde est & ille sub ara Dei martyrum clamor, vt Dei iudicio vindicentur. Vbi est ergo illud, diligite inimicos vestros, &c? vbi est & illud; non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto. Et nulli malum pro malo reddentes? &c. Quapropter cùm & homo iustus, & homo malus, de inimicis suis velint à Domino vindicari; vnde discernentur nisi quia iustus, & magis cupit inimicum suum corrigi quàm puniri; & cùm in eum videt à Domino vindicari, non eius delectatur pœnâ, quia non eum odit, sed diuina iustitia, quia Deum diligit? Denique si in hoc sæculo si in eum vindicatur, vel pro illo etiam lætatur, si corrigitur, vel certè pro aliis, vt eum timeant

imitati. *Quàm appositè ad Tertull. dicentem, doleamus necesse est, quòd nulla ciuitas impunè latura sit sanguinis nostri effusionem. Et rursum: tibi quoque optamus admonitionem solam fuisse.* Ipse quoque fit melior, non supplicio illius odia sua pascendo, sed errata emendando. Ac per hoc de beneuolentia est, non de malitia, quòd lætatur iustus, cùm videt vindictam, & manus suas lauat, id est, opera sua mundiora efficit in sanguine, hoc est in exitio peccatorum: sumens inde non mali alieni gaudium, sed diuinæ admonitionis exemplum. Si autem in futuro sæculo vltimo Dei iudicio vindicatur, hoc ei placeet quod Deo, ne benè sit malis, ne piorum præmiis etiam impij perfruantur: quod vtique iniustum est, & à regula veritatis quam iustus diligit, alienum. Cùm enim nos ad diligendos inimicos Dominus hortaretur, exemplum proposuit Patris nostri cœlestis, qui Solem suum facit oriri, &c. Numquid tamen ideo vel temporalibus correctionibus emendat, vel pertinaciter duros in fine non damnat? sic ergo inimicus diligatur, vt non displiceat Domini iustitia quâ punitur: & sic placeat iustitia quâ punitur, vt non de malo eius, sed de bono iudice gaudeatur. Maleuolus enim animus contristatur, si eius inimicus correctus euaserit pœnam. Et cùm puniri eum videt, vindicari ita se gaudet, vt non iustitia Dei quem non diligit, sed illius quem odit miseria delectetur. Et cùm Deo dimittit iudicium, *id præstat*, vt plus noceat Deus, quàm ipse nocere possit, exoptat. Et cùm dat cibum esurienti inimico, potumque sitienti, malitiosè sapit quod scriptum est: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Agit enim vt ampliùs aggrauet, & ei excitet indignationem Dei, quam carbonibus ignis significari putat; non intelligens illum ignem esse pœnitentiæ vrentem dolore, quousque caput erectum superbiâ, beneficiis inimici, ad humilitatem salubrem, *tanquam ad cineres*, deponitur, & in bono illius huius malum vincitur. Vnde Apostolus vigilanter adiunxit, noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Quomodo autem potest vincere in bono malum, in superficie bonus, & in alto malus? *alij legunt in abdito.* Qui opere parcit, & corde sæuit, manu mitis, voluntate crudelis? *Proponit idem Augustinus in Psal. 108. exemplum Saluatoris, vt ab eo discamus quam vltionem rependere debeamus inimicis nostris; in versum*; pro eo vt me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam. Quid, *inquit*, meliùs intelligere debemus, quàm pro eis ipsis? &c. Pater ignosce illis, &c. Et quoniam in profundo malignitatis reddebant ipsi mala pro bonis, ille in summo benignitatis reddebat bona pro malis, &c. quando ipse pendens in ligno, vt commendaret patientiam, non ostendebat potentiam, inter verba detrahentium, quos posset diuinâ potestate delere. Sed nobis vtilius erat, quod patientiæ præbebat exemplum, quàm si suos inimicos sine dilatione perdendo, ad hoc nos ædificaret, vt impatienter festinaremus, de his quos malos patimur, vindicari, cùm scriptum sit, melior est patiens quàm fortis vir, &c. *Deinde discrimen ponit inter iudicem vltionem reddentem, & innocentem læsum, vltionem poscentem.* Reddere, *inquit*, mala pro malis, habent & mali, vel mediocriter mali, vel mediocriter boni: vsqueadeo vt lex eis dederit vlciscendi modum, oculum pro oculo, &c. quæ si dici potest, iniustorum iustitia est. Non quia iniquum est vt recipiat vnusquisque quod fecerit, alioquin lex nequaquam id constitueret: sed quia vlciscendi libido vitiosa est, magisque ad iudicem pertinet, inter alios hoc discernere, quàm bonum hominem expetere, &c. Ille quippe reddit malum pro malo; *læsus scilicet*, iste autem, etiam cùm vindicat, non reddit malum pro malo; quoniam iustum reddit iniusto. Quod autem iustum est, vtique bonum est. Punit ergo non delectatione alienæ miseriæ, quod est malum pro malo: sed dilectione iustitiæ, quod est bonum pro malo. *Vide August. to. 10. 693.*

S. Aug. — S. Aug. — S. Aug.

VOLVNTAS HVMANA.

1. *Voluntati nostræ propositum est bonum & malum, & malum peccati neque Deo, neque diabolo, sed hominis voluntati imputandum est. De Monogamia cap. 14. in f. Vide in alphabeto Errorum Verbo Nuptiæ secundæ 16. in f.*

Et de Exhortatione cast. cap. 2. à p. ad circa f.

CVm vtrumque ex præceptis eius didicerimus, quid velit, & quid nolit; tamen nobis est voluntas & arbitrium eligendi alterum, sicut scriptum est, [a] *Ecce posui ante te bonum & malum*: gustasti enim de arbore agnitionis. Et ideo non debemus quod nostro expositum est arbitrio, in Dei referre voluntatem, quos vult ipse & velle, qui malum non vult. Ita nostra est voluntas, cùm malum volumus aduersùs Dei voluntatem, qui bonum vult. Porrò, si quæris vnde venit ea voluntas, quâ quid volumus aduersus Dei voluntatem? dicam. Ex nobis ipsis. Nec temerè; semini enim tuo respondeas necesse est: siquidem ille princeps & generis, & delicti, Adam, voluit quod deliquit. Neque enim diabolus voluntatem ei imposuit delinquendi, sed materiam voluntati subministrauit. Ceterùm, voluntas Dei in obaudientiam venerat. Proinde & tu si non obaudieris Deo, qui te proposito præcepto, liberæ potestatis instituit, per voluntatis libertatem volens deuerges in id quod Deus non vult. & ita te putas à diabolo subuersum, qui etsi quid vult te velle quod Deus non vult, non tamen facit vt & velis; quia nec tunc istos protoplastos ad voluntatem * delicti subegit; immò neque inuitos, neque ignorantes quid Deus nollet. vtique enim nolebat fieri, cùm admisso mortem destinabat. Ita diaboli opus vnum est, tentare quod in te est, an velis. at vbi voluisti, sequitur vt & sibi subiungat; non operatus in te voluntatem, sed nactus occasionem voluntatis.

a Eccli. 15. 18. — Gen. 3. 5. — * dilectio.

VOLVNTAS HVMANA. 1. SCHOL.

EX PRÆCEPTIS EIVS. *Affirmatiuis, quid velit, negatiuis, quid nolit.* SICVT SCRIPTVM EST. *Eccli.* 15. 18. Ante hominem vita & mors, bonum & malum. GVSTASTI ENIM. *Ironicè contra præuaricationem primi hominis, cui Deus irrisione dignissimo, post gustatum fructum ligni vetiti, & iuxta Augustinum, experto quanta differentia esset inter bonum innocentiæ, & malum peccati; dixit, Gen.* 3. 22. Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum. NON DEBEMVS. *Blasphemat enim qui peccatum Deo imputat, eiusque voluntati malum peccati nolenti, & prohibenti; quod ipse proprio committit arbitrio.* VVLT VELLE. *Deus liberalitate suâ hominem præ cæteris creaturis voluit esse liberum, seu libero velle, liberâ voluntate donauit.* SEMINI TVO. *Origini ex Adam peccatore sumpta, cui similis es.* IN OBAVDIENTIAM, *Deus præceptum dederat Adamo, vt ei obediret, sicut & mandatum dedit nobis quos condidit liberos. Vnde licet post peccatum naturæ corruptæ, sine gratiæ medicinalis auxilio, bonum velle actu non possimus, Deus siquidem illud* operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate: *tamen à bono virtutis, ad malum peccati, quod Deus non vult, deflectimus propriâ libertate. Vnde nec Deo, nec tentanti diabolo, sed homini volenti peccatum prorsus imputandum est.* SVBIVNGAT. *Subigat, subiiciat. Hic aduertè diligenter, vt supra verbo* libertas; *Tertullianum non discreuisse inter statum naturæ integræ sine stantis, & lapsæ ac corruptæ, sicut postea contra errorem Pelagij discreuit Augustinus. Nec verba pro integra hominis libertate, quam à Deo ante peccatum accepit à Sapiente de Adam innocente scripta; nunc homini lapso de naturæ corruptæ plenè conueniunt: sic enim & Deum à calumnia purgat, & totum peccatum homini deputat, cùm sic fatur Eccli.* 15. 11. Non dixeris, per Deum abest: quæ enim odit, ne feceris. Non dicas, ille me implanauit; *decepit,* non enim ei necessarij sunt homines impij. Omne execramentum erroris odit Dominus, & non erit amabile timentibus eum. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata & præcepta sua. *Et ex Tertull. alibi vidimus, præceptum Adæ datum, fuisse matricem in qua Decalogus contentus erat.* Si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposui tibi aquam & ignem; ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi: quoniam multa sapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes sine intermissione. S. Aug. *Augustinus to. 7. lib. de gratia & lib. arbit. cap. 15. aptissimè in hanc rem, vbi & locum hunc ex parte citat;* Meminerimus, *inquit,* ipsum dicere facite vobis cor nouum, & spiritum nouum, qui dicit, dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum dabo in vobis. Quomodo ergo qui dicit, facite vobis, hoc dicit, dabo vobis? quare iubet, si ipse daturus est? quare dat si homo facturus est, nisi quia dat quod iubet, cùm adiuuat, vt faciat cui iubet? semper est autem in nobis voluntas libera, *etiam tùm peccat, quia nec à tentatione cogitur, sed tantùm mouetur in malum, in quod est pronissima; nec dum bonum vult, quod tantò vult liberius, quantò proprium obiectum excitatur amare suauius.* Sed non semper est bona. Aut enim à iustitia libera est, quando seruit peccato, & tunc est mala: aut à peccato libera est, quando seruit iustitiæ, & tunc est bona. Gratiâ verò Dei semper est bona, & per hanc fit vt sit homo bonæ voluntatis, qui priùs fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, vt ipsa bona voluntas quæ iam esse cœpit, augeatur: & tam magna fiat, vt possit implere diuina mandata quæ voluerit, cùm valdè perfectéque voluerit. Ad hoc enim valet quod scriptum est: si volueris, conseruabis mandata: *quod Adam potuit sanus & innocens, absque extraordinario auxilio, sed sufficienti tum ipsi dato, vt alibi ex Augustino retuli.* S. Aug. Vt homo qui voluerit, & non potuerit, nondum se plenè velle cognoscat, & oret vt habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata. Sic quippe adiuuatur, vt faciat quod iubetur. Tunc enim vtile est velle, cùm possumus; *quod poterat Adam,* & tunc vtile est posse cùm volumus. Nam quid prodest, si quod non possumus, volumus; aut si quod possumus, nolumus. *Deinde cap. 16. sic explodit Pelagianos.* S. Aug. Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt; non iuberet Deus quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? sed ideo iubet aliqua quæ non possumus, vt nouerimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat. Denique ipse qui dixit, si volueris, conseruabis mandata: in eodem libro Ecclesiastico aliquantò post dicit: quis dabit in ore meo custodiam? &c. Iam certè mandata acceperat, prohibe linguam tuam à malo, &c. cùm ergo verùm sit quod dixit, si volueris, &c. quare quærit in ore suo dari custodiam, &c? quare non ei sufficit mandatum Dei, & voluntas sua, quandoquidem si voluerit, conseruabit mandata? *Subiicit exempla de superbia, gula, luxuria, Dei mandato prohibitis, à quibus tamen sapiens petit à Deo gratiam abstinendi, & sic inducit ipsum loquentem:* S. Aug. ex ista oratione mea, quâ hæc à Deo peto, intelligite quomodo dixerim, si volueris, conseruabis mandata. Certum est enim nos mandata seruare, si volumus: sed quia præparatur voluntas à Domino, *Prouerb.* 8. *secundum* 70. ab illo petendum est, vt tantùm velimus, quantùm sufficit, vt volendo faciamus. Certum est nos velle cùm volumus, sed ille facit vt velimus bonum, de quo dictum est quod paulò ante posui, præparatur voluntas à Domino: de quo dictum est, à Domino, *vulgata apud Dominum,* gressus hominis dirigentur, & viam eius volet: de quo dictum est: Deus est qui operatur in vobis & velle. Certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit vt faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati: qui dixit; *Ezech.* 36. faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis. Cùm dicit, faciam vt faciatis: quid aliud dicit, nisi, auferam à vobis cor lapideum vnde non faciebatis, & dabo cor carneum, vnde faciatis? & hoc quid est nisi auferam cor durum, vnde non faciebatis, & dabo cor obediens, vnde faciatis. *Et lib. 15. de Ciuit. cap. 21. vbi de Adam, & eadem hominis libertate:* S. Aug. Ex cuius, *inquit,* origine damnata, veluti massa vna meritæ damnationi tradita, fecit Deus alia in contumeliam vasa iræ, alia in honorem vasa misericordiæ: illis reddens quod debetur in pœna, istis donans quod non debetur in gratia: vt ex ipsa etiam comparatione vasorum iræ, superna ciuitas discat, quæ peregrinatur in terris, non fidere libertate arbitrij sui, sed speret inuocare nomen Domini, *sicut Enos filius Seth, de quo hoc dictum est.* Quoniam voluntas in natura quæ facta est bona à bono Deo, sed mutabilis, ab immutabili, ex nihilo ab eo qui est, & à bono potest declinare vt faciat malum, quod fit libero arbitrio; & à malo, vt faciat bonum, quod non fit sine diuino adiutorio. *Quàm clarè & exertè docet quid ex se sine Dei gratia possit humanum arbitrium, malum quippe & peccatum: bonum autem nullo modo potest actu exequi sine diuino adiutorio.*

2. *Voluntas humana Dei voluntatem potiùs sequi debet quàm abuti indulgentiâ datâ renubendi. De Exhort. cast. cap. 1. in p. ad m.*

NOn dubitò, Frater, te post vxorem in pacem præmissam, ad compositionem animi conuersum, de exitu singularitatis cogitare, & vtique consilij indigere. Quamquam in huiusmodi, cum fide sua conloqui debet vnusquisque, eiusque vires consulere. Tamen quoniam in ista specie, carnis necessitas cogitatum mouet, quæ ferè apud eandem conscientiam fidei resistit, opus est fidei extrinsecùs consilio, tanquam aduocato aduersùs carnis necessitates. Quæ quidem necessitas facillimè circumscribi potest, si voluntas potiùs Dei, quàm indulgentia consideretur. Nemo indulgentiâ vtendo promeretur, sed voluntati obsequendo.[a] *Voluntas Dei est sanctificatio nostra.* Vult enim imaginem suam nos etiam similitudinem fieri,[b] *Vt simus sancti, sicuti ipse sanctus est.* a 1. Thess. 4. 3. b 1. Io. 3. 3

Et ibidem cap. 8. in p.

LIceat nunc denuò nubere, si omne quod licet, bonum est. Idem Apostolus exclamat, *Omnia licent, sed non omnia prosunt.* Quod non prodest, oro te, bonum potest dici? Si licita sunt & quæ non pro salute, ergo & quæ non bona sunt, licita sunt. Quid autem magis velle debebis, quod ideo bonum est, quia licet, an quod ideo quia prodest? Multùm existimo esse, inter licentiam, & vtilitatem. De bono non dicitur, licet; quia bonum permitti non exspectat, sed adsumi. Permittitur autem, quod an bonum sit, in dubio est; quod potest etiam non permitti, si non habeat aliquam sui causam primam. 1. Cor. 6. 12.

VOLVNTAS. 2. SCHOL.

A FRATER, *fidelem alloquitur.* IN PACEM. *sepulturam, quoad corpus, & cœli requiem, quoad animam.* AD COMPOSITIONEM. *Concupiscentiam carnis frænandam proposito continentiæ.* DE EXITV SINGVLARITATIS, *quomodo occasione tibi data per vxoris mortem, seorsim deinceps sine coniuge viuere deliberes.* CVM FIDE SVA. *Conscientiâ propriâ, vel intelligit robur fidei Christianæ, quæ si fuerit valida, faciliùs ex Dei gratia continentiam seruat.* CARNIS NECESSITAS. *Fragilitas in luxuriam prona, vel propagatio prolis quæ ad renubendum solicitat, & in cuiusque conscientia, fidei inspirationibus resistit.* SI VOLVNTAS, *expressè declarata per mortem coniugis, quæ Deo volente accidit, à qua positi sunt vitæ termini.* IMAGINEM. *Per naturam;* SIMILITVDINEM, *per sanctimonia & castitatis gratiam. Probat autem ex Apostolo expressam Dei voluntatem.* 1. *Thess.* 4. 3. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Iesum. Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione: vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, sicut & gentes quæ ignorant Deum. *In quem locum Aug. ser. de conuersione Pauli citato à Beda:* eo ipso, *inquit*, concesso, immoderatiùs vtendo, corrumpis in te templum Dei: nemo te accusat extraneus, sed quod responsum dabit conscientia tua Deo dicenti per Apostolum, vt sciat vnusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione, non in morbo desiderij? &c. LICEAT DENVO. *Hic rursum insinuat errorem suum de nuptiis quas illicitas facit, cùm licitas faciat Paulus.* 1. *Cor.* 7. 28. Si acceperis vxorem non peccasti. *Et rursum versu* 39. Si dormierit vir eius liberata est; cui vult nubat, tantùm in Domino. OMNIA LICENT. 1. *Cor.* 6. 12. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. *Quo loco abutitur Tertullianus non enim hic omnino sermo erat de secundis nuptiis, sed de litibus Christianorum apud Iudices Gentiles cùm possent lites componere apud fideles. Vnde D. Thomas ibid.* Manifestat, *inquit*, quod dixerat de prohibitione Iudicij, ostendens quo sensu id reprehenderit. Quia scilicet non reprehendit illud quasi omnino illicitum: sed quasi non expediens & nociuum, &c. Dicuntur autem illa illicita quæ homo facere prohibetur: est autem duplex prohibitio: vna coactionis, alia præcepti. Et secundùm hoc, quidam dixerunt illa licere, à quibus non prohibetur aliquâ necessitate cogente: & ideo quia arbitrium hominis naturale liberum est à coactione, intellexerunt Apostolum eo sensu dicere, omnia mihi licent, quia scilicet libero hominis arbitrio subiacent, siue sint bona, siue sint mala, secundùm illud Eccli. 15. Ante hominem bonum & malum, &c. sed hic modus loquendi alienus est à Scriptura sacra: in qua dicitur non licere ea quæ diuinâ lege prohibentur: secundùm illud Matth. 14. non licet tibi habere vxorem fratris tui. Ideo quod hîc Apostolus dicit, omnia mihi licent, quæ scilicet diuinâ lege non prohibentur. Et potest hoc ad tria referri: primò quidem ad id quod dixerat de iudiciis, quia licet omnia sua iudicio repetere, cùm non sit lege diuinâ prohibitum: alio modo potest referri ad id quod infra capite octauo dicturus est de indifferenti vsu ciborum, vt sit sensus: licitum est mihi omnes cibos comedere, secundùm illud ad Titū. 1. omnia munda mundis. Tertiò potest referri ad id quod dicturus est infra cap. 14. omnia mihi licent, scilicet accipere ad necessitatem vitæ, sicut Coapostolis meis. Subdit autem, sed non omnia expediunt. Dicitur autem illud expedire, quod est sine impedimento finem consequendi. Contingit autem quod aliquid non totaliter excludit finem, sed impedimentum aliquod adfert: sicut matrimonium, *non tantùm secundum, sed & primum.* Non excludit hominem à regno Dei: impedimentum tamen adfert, quia scilicet quæ sub viro est mulier cogitat quomodo placeat viro. Vnde Matth. 19. discipuli dicunt, si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere. Sic ergo fornicari nec licet nec expedit, quia totaliter excludit finem, qui est vita æterna. Matrimonium autem est licitum, sed non expediens. MVLTVM ESSE, *interesse, sine differentia esse.* CAVSAM PRIMAM, *propter quam permitti potest. Augustinum in hanc rem alibi retuli ex lib.* 2. *ad Pollentium de Adulterinis coniug. c.* 15. *&* 16. *vbi de manducandis quæ in macello veneunt.* Potest, *inquit*, aliquid licere & non expedire; expedire autem, quod non licet, non potest. Ac per hoc, non omnia quæ licita sunt, expediunt; omnia illicita non expediunt. Sicut enim

(Margin: B, C; S. Aug.; S. Aug.)

omnis qui Christi sanguine redemptus est, homo est: non tamen omnis qui homo est, etiam Christi sanguine redemptus est: ita omne quod non licet, non expedit; nec tamen omne quod non expedit, etiam non licet. Sunt quippe licita quæ non expediunt, sicut Apostolo teste discimus, &c. Quapropter, quia verum dixisse Apostolum dubitare non possumus, & aliqua peccata esse licita dicere non audemus: restat vt dicamus aliquid fieri quod non expediat, & tamen si licitum est, non esse peccatum: quamuis, quoniam non expedit, non sit vtique faciendum.

VOLVPTAS.

1. *Voluptas propriè non est in hoc sæculo, & Christiano indigna est; qui si misceatur temporali gaudio Gentilium, participabit luctus æterno eorum: suas autem habet proprias voluptates & spectacula. De Spectac. cap. 28. in f. & 29. per totum.*

SAginentur eiusmodi dulcibus conuiuæ sui. & loca, & tempora, & inuitator, ipsorum est. nostræ cœnæ, nostræ nuptiæ nondum sunt: non possumus cum illis discumbere, quia nec illi nobiscum. vicibus disposita res est. nunc illi lætantur, nos conflictamur. [a] *Seculum*, inquit, *gaudebit, vos tristes eritis.* Lugeamus ergo dum ethnici gaudent, vt cùm lugere ceperint, gaudeamus, ne pariter nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus. Delicatus es, Christiane, si & in seculo voluptatem concupiscis, immò nimiùm stultus, si hoc existimas voluptatem. Philosophi quidam hoc nomen quieti & tranquillitati dederunt, in ea gaudent, in ea auocantur, in ea etiam gloriantur. Tu mihi metas, & scenas, & puluerem, & arenam suspiras? Dicas velim: Non possumus viuere sine voluptate, qui mori cum voluptate debemus? Nam quod est aliud votum nostrum, quàm quod & Apostoli, exire de seculo, & recipi apud Dominum? Hîc voluptas, vbi & votum. Iam nunc puta delectamentis exigere spatium hoc. Cur tam ingratus es, vt tot & tales voluptates à Deo contributas tibi satis non habeas, neque recognoscas? Quid enim jocundius, quàm Dei Patris & Domini reconciliatio, quàm veritatis reuelatio, quàm errorum recognitio, quàm tantorum retrò criminum venia? Quæ maior voluptas, quam fastidium ipsius voluptatis? quàm seculi totius contemptus? quàm vera libertas? quàm conscientia integra? quàm vita sufficiens? quàm mortis timor nullus? quòd calcas deos Nationum? quòd dæmonia expellis? quòd medicinas facis? quòd reuelationes petis? quòd Deo viuis? Hæ voluptates, hæc spectacula Christianorum, sancta, perpetua, gratuita. in his tibi Circenses ludos interpretare, cursus seculi intuere, tempora labentia, spatia dinumera, metas consummationis expecta, societates ecclesiarum defende, ad signum Dei suscitare, ad tubam angeli erigere, ad martyrum palmas gloriare. Si [*] scenicæ doctrinæ, delectant, satis nobis literarum est, satis versuum est, satis sententiarum, satis etiam canticorum, satis vocum; nec fabulæ, sed veritates; nec strophæ, sed simplicitates. Vis & pugillatus & luctatus? præsto sunt non pauca simul. Aspice impudicitiam deiectam à castitate, perfidiam cæsam à fide, sæuitiam à misericordia contusam, petulantiam à modestia adumbratam. & tales sunt apud nos agones, in quibus ipsi coronamur. Vis autem & sanguinis aliquid? habes Christi.

[a] Io. 16. 20.

Philipp. 1. 23.

CAPVT XXIX.

[*] scientiæ

2. *Voluptatis abdicatio ex Dei amore facienda magis, quàm metu mortis. De Spectac. cap. 1. in f.*

SVnt qui existimant Christianos, expeditum morti genus, ad hanc obstinationem abdicatione voluptatum erudiri, quo faciliùs vitam contemnant, amputatis quasi retinaculis eius, nec desiderent, quam iam superuacuam sibi fecerunt, vt hoc, consilio potiùs & humano prospectu, non diuino præscripto definitum existimetur. Pigebat scilicet etiam perseuerantes in voluptatibus propter Deum mori. Quamquam & si ita esset, tam apto consilio, tantæ obstinatio disciplinæ debebat obsequium.

3. *Voluptatis vis corrumpit animas, dissimulatione vel ignorantiâ. De Spectac. cap. 1. in p. ad m.*

QVi status fidei, quæ ratio veritatis, quod præscriptum disciplinæ inter cætera sæcularium errorum, etiam spectaculorum voluptates, adimat, Dei serui cognoscite, qui cùm maximè ad Deum acceditis recognoscite, qui iam accessisse vos testificati & confessi estis, ne aut ignorando, aut dissimulando quis peccet. Tanta est enim vis voluptatum vt & ignorantiam protelet in occasionem, & conscientiam corrumpat in dissimulationem, aut vtrumque adhuc forsitan alicui opiniones Ethnicorum blandiuntur, quæ in ista causa aduersùs nos ita argumentari consueuerunt: nihil obstrepere religioni, in animo & conscientia tua, tanta solatio extrinsecùs oculorum, vel aurium: nec verò Deum offendi oblectatione hominis, quâ, saluo erga Deum metu, & honore, suo in tempore, & suo in loco frui scelus non sit. Atquin hoc cummaximè paramus demonstrare, quemadmodum isthæc non competant veræ religioni, & vero obsequio, erga Deum verum.

4. *Voluptatis magis, quàm vitæ amittendæ metus valet in plurimos. De Spectac. cap. 2. à p.*

PLures inuenias, quos magis periculum voluptatis, quàm vitæ, auocet ab hac secta. Nam mortem etiam stultus, vt debitam non extimescit, voluptatem etiam sapiens, vt tantam, non contemnit: cùm alia non sit & stulto & sapienti vitæ gratia, nisi voluptas.

VOLVPTAS. 1. 2. 3. 4. SCHOL.

CONVIVÆ SVI. *Gentiles pascantur ad satietatem vsque spectaculis diabolicis.* LOCA ET TEMPORA. *Circi theatra, &c. dies festi, Magistratus munera & spectacula prabens populo, omnia hæc dæmonum sunt instituta, ad dæmones spectant.* NOSTRÆ NVPTIÆ. Nondum venerunt nuptiæ Agni. *Veniet resurrectionis & iudicij spectaculum.* NON POSSVMVS DISCVMBERE. 1. *Cor.* 10. 20. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. SÆCVLVM GAVDEBIT. Mundus gaudebit, vos verò contristabimini. PHILOSOPHI QVIDAM. *Stoici scilicet, beatitudinem in animi tranquillitate ponentes, eam solam voluptatis nomine dignam censuerunt.* AVOCANTVR, *à curis & solicitudinibus.* GLORIANTVR, *præsumentes se solos beatos, sapientiâ & animi constantiâ quâ passionibus omnibus & animi perturbationibus carere se iactant.* METAS. *Circi vel stadij.* SCENAS, *theatri.* PVLVEREM. *Xisti.* ARENAM. *Amphitheatri.* MORI CVM VOLVPTATE. Pretiosa enim in conspectu Domini mors sanctorum eius: &, non videbit me homo & viuet. APOSTOLI. *Addo, & Augustini: dicentis,* dixisti: Domine, non videbit me homo & viuet; eia Domine moriar, vt te videam: nolo viuere, volo mori, dissolui cupio, & esse cum Christo. VOTVM NOSTRVM. *Desiderium.* HIC. *Ibi.* IAM NVNC. *Et post hæc cogita, huius vitæ breuis spatium transigere in delicijs.* DOMINI RECONCILIATIO. *Alludit ad filium prodigum exceptum à patre, stolâ primâ, annulo, vitulo saginato, symphoniâ.* VERITATIS REVELATIO, *per fidem & Prophetiam.* VERA LIBERTAS. Verè liberi eritis, si filius vos liberauerit. CONSCIENTIA INTEGRA. *De qua & Horatius,* integer vitæ scelerisque purus. VITA SVFFICIENS. *De qua Paulus.* Quæstus magnus, pietas cum sufficientia. CALCAS DEOS. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. MEDICINAS FACIS. Super ægros manus imponent, & benè habebunt. In nomine meo dæmonia eiicient. REVELATIONES PETIS. *Sic Psaltes,* reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. *Et Christus.* Confiteor tibi Pater Domine Rex cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. DEO VIVIS. *Sic Paulus,* mihi viuere Christus est, & mori lucrum, &c. qui viuunt iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est. Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. *Iam ante Psaltes:* & anima mea illi viuet, &c. SANCTA. *Quæ non inquinant vt spectacula Gentilium.* PERPETVA. *Non sicut vt ait alibi Tertull.* Vnius anni volaticum gaudium. *Imò longè breuius teste Iob.* Gaudium hypocritæ ad instar puncti. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. *Perpetua item, quia secura mens iuge conuiuium. Quidquid & Paulus.* Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. GRATVITA, *vel ob gratias gratis datas, supra memoratas, vel quia gratis & sine labore & apparatu; qualem exigunt spectacula; dantur fidelibus a Deo interiora spectacula.* INTERPRETARE. *Refer omnia spectacula externa, & converte ad interna.* METAS CONSVMMATIONIS. *Finem sæculi.* Omnis consummationis vidi finem. SOCIETATES DEFENDE, *cœtus Christianorum ad Dei verbum, & Missæ sacrificium confluentium sustine, & dic laetiores esse quauis numerosâ multitudine Gentilium conuenientium ad spectaculum.* AD SIGNVM DEI. *Vexillum Crucis, vel facit allusionem ad mappam missam à Prætore vel Imperatore pro signo statim incipiendi spectaculi.* SVSCITARE. *Quasi dormiens, à somno, in spem resurrectionis, audis tubam Angelicam mortuos excitantem.* SCENICÆ DOCTRINÆ. *Fabulæ Poëticæ, quæ ibi luduntur, pro quibus habemus Scripturam sacram, Psalmos, Cantica, Musicam, &c.* NEC STROPHÆ. *Illusiones, imposturæ, ludificationes, mimis, & circulatoribus propria.* SIMPLICITATES. *Veritas enim fidei, & disciplinæ Christianæ nuda est simplicitas, indictum quippe est à fidelibus:* estote simplices sicut columbæ. *Et de Christianorum Deo dictum:* Et cum simplicibus sermocinatio eius. DELECTAM. *Sicut aurigam in Circo.* CÆSAM, *vt in Amphitheatro.* CONTVSAM, *vt in Xisto à pugile.* ADVMBRATAM. *Vt in Scena & theatro velis obumbrato.* SANGVINIS ALIQVID, *vt in cruento spectaculo.* HÆRES CHRISTI. *Passionem eius reuelendo in incruento maximè Sacrificio, quod est memoriale cruenti, iuxta Paulum:* quotiescumq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. *De spectaculis Christianorum spiritalibus, vide supra dicta ex Aug. Verbo* Spectacula: *maximè numero* 24. *vbi habes pulcherrima. Cæterùm hæ Christianorum voluptates puræ, & sinceræ, & securæ nil habent admixtum periculi, quales sunt sæculi, de quibus Tertullianus lib. de spectaculis cap.* 27. *immediatè præmiserat.* Omnia illic, *in spectaculis*, seu fortia, seu honesta, seu sonora, seu canora, seu subtilia, proinde habe, ac si stillicidia mellis de ranunculo venenato: *supple fluentem fugas:* nec tanti gulam facias, *id est auiditatem,* voluptatis, quanti periculum per suauitatem. *Ranunculus porrò ranula est siue rubeta quæ ex Plin. lib.* 32. *c.* 5. *quòd in vepribus tantùm viuat & rubis, sic dicta est miráque ex ea veneficia refert. Et lib.* 8. *c.* 31. *venena semper sibi reseruare dicit, de quo & Ælianus lib.* 17. *de animali. c.* 12. *vnde & Iuuenalis Satyra* 3: Ranarum viscera numquam inspexi. *& Satyra* 7. At nunc res agitur tenui pulmone rubetæ. *Et in prima:* quæ molle Galenum, porrectámque viro miscet sitiente rubetam. *Sic igitur voluptatem spectaculi permixtam hauris spectator, veneno crudelitatis, luxuriæ, &c. sicut qui fauum mellis cum pulmone rubetæ expressum & venenatum proinde sumeret. Sed Christo Xystarchi & Agonotheti nostro, de spectaculis sanctis & innocentibus, veráque, merâ ac solidâ & innocuâ voluptate plenis acclamandum;* ipsi gloria in sæcula.

2. EXPEDITVM MORTI GENVS. *Gentiles aliqui putant Christianos velut gladiatores semper paratos ad mortem: ad quam obstinato furore subeundam credunt eos disponi, cuicumque voluptati renuntiando, cuius vnius causâ homines præsentis vitæ vinculo detinentur. Hinc fit vt Christiani vitam quasi superfluam negligant.* NON DIVINO PRÆSCRIPTO, *quo Christus definit odiendam animam, hoc est vitam, & perdendam propter se.* HVMANO PROSPECTV. *Prouidentiâ, intuitu, fine. Vt scilicet mortem non timeant, quibus voluptas omnis vitæ displicet.* PIGEBAT SCILICET. *Quasi verò, inquit, voluptatibus addicti, si fuissent Christiani, propter Deum mori timuissent. Imo verò certißimè piget*

S. Aug. (margin)

voluptuosos, suas pro Deo relinquere voluptates. QVAMQVAM SI ITA ESSET. Sed esto, inquis, ideo fideles voluptates deserunt, vt iis non implicati, expeditiores sint ad mortem subeundam; vel hac causa sufficeret, ob quam tam seueræ & austeræ disciplinæ & temperantiæ obsequi deberent constantes illi Christiani, quos Ethnici obstinatos & desperatos dicunt. Verùm nec metu mortis, nec tædio vitæ, nec aliqua necessitate, sed sola charitate fideles renuntiant voluptatibus, nec delectantur peccatis propter spiritum libertatis. Ita Augustinus lib. de Spiritu & litera cap. 16. S. Aug. Vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Hic autem spiritus Domini cuius dono iustificamur, quo fit in nobis vt non peccare delectet, vbi libertas est. Longè beatior tranquillitate & gaudio Stoico, de quo supra. Sicut præter hunc Spiritum, peccare delectat, vbi seruitus: à cuius operibus abstinendum, id est spiritaliter sabbatizandum. S. Aug. Et cap. 29. ex Psal. 30. Quàm magna multitudo, ait Psalmista, dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te, perfecisti autem sperantibus in te. Ex lege autem, veteri, timemus Deum, ex fide speramus in Deum: sed timentibus pœnam, absconditur gratia. Sub quo timore anima laborans, quando concupiscentiam malam, verbi gratia spectaculorum quibus oculi delectantur, non vicerit, nec timor ille quasi custos seuerus abscesserit, per fidem confugiat ad misericordiam Dei: vt det quod iubet; atque inspiratâ gratiæ suauitate, per spiritum sanctum faciat plùs delectare quod præcepit, odisse animam in hoc mundo, quàm delectat quod impedit. Scilicet voluptas vitæ. Ita multa multitudo dulcedinis eius, hoc est lex fidei, charitas eius conscripta in cordibus atque diffusa perficitur sperantibus in S. Aug. eum; vt anima sanata, non timore pœnæ, sed amore iustitiæ, operetur bonum. Et constanter subeat Martyrium. Et lib. de Natura & gratia cap. 65. Ideo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est S. Aug. charitatis. Et libro 2. de Nupt. c. 30. Non timor est torquens sed amor libens, ibi sumus veraciter liberi vbi non delectamur inuiti.

3. QVI STATVS FIDEI, &c. Vos fideles, maximè cùm ad baptismum accessistis, & post susceptam fidem in disciplina Christiana perseuerastis, nostis vos inter cætera, mundo, pompis, & spectaculis eius renuntiasse; & quanta cum ratione id feceritis, ob oculos ponite, ne vel dissimulatione aliqua, vel ignorantiæ prætextu spectacula adeundo, peccetis contra statum & professionem fidei vestræ. PROTELET, prætendat, & ex ea arripiat occasionem. NIHIL OBSTREPERE. Repugnare Christianæ disciplinæ, seruata in anima fide. oculos & aures suas pascere, & recreare spectaculis. NEC DEVM OFFENDI. Sic serpens auribus & oculis Euæ blandiens palpando suggessit: nequaquam moriemini, &c. sed eritis sicut dij, &c. CVM MAXIME, frequenter vtitur hoc composito, pro, maximè. Aduerte, quod sicut voluptate serpens decepit Euam dissimulatione criminis, sic ad transgressionem mandati Dei & decalogi, voluptate nos impelli. Sic notauit Aug. lib. 15. de Ciuit. cap. 20. vbi quærit cur à Caïn vsque ad diluuium, vndecim generationes numerentur, vt Lamech ab Adam septimus sit per Caïn, Lamech autem tres filij & vna filia numerentur, vt vndenarius numerus impleatur. Et respondet. Profectò numerus vndenarius, quoniam transgreditur numerum denarium, transgressionem legis, ac per hoc peccatum significat. Hinc est quòd in tabernaculo testimonij, quod erat in itinere populi Dei velut templum deambulatorium, vndecim vela cilicina fieri præcepta sunt; in cilicio quippe recordatio est peccatorum, propter hœdos ad sinistram futuros, quod confitentes in cilicio prosternimur, tanquam dicentes quod in Psalmo scriptum est: peccatum meum ante me est semper. Pro-

A genies ergo ex Adam per Caïn sceleratum, vndenario numero finitur, quo peccatum significatur: & ipse numerus fœminâ clauditur, à quo sexu initium factum est peccati, per quod omnes morimur. Commissum est autem, vt & voluptas carnis quæ spiritui resisteret, sequeretur: nam & ipsa, vndecima ab Adam, filia Lamech, Noema, id est voluptas interpretatur.

4. PERICVLVM VOLVPTATIS. Amissio, abdicatio. AB HAC SECTA. Disciplina Christiana, quæ Christi vestigia sectatur. VT DEBITAM. Ob mortalitatem, & commune addictæ naturæ debitum. ETIAM SAPIENS, vt ipse Salomon. B Quid habet homo de labore? &c. VITÆ GRATIA. Vita aliàs grata non est, Sapiente dicente: melior est mors, quàm amara vita. Ne igitur Christianus, omni pro Christo voluptate se abdicans, nimio huius vitæ tædio conficeretur, spiritales delectationes pro carnalibus substituit, & vt de ariete in locum immolandi Isaac suffecto, pulchrè dicitur à Bernardo, non morietur Isaac, sed aries, risus, & gaudium non moritur, & subtrahitur, sed mutatur.

Præclarè Augustinus ser. 17. de verbis Apost. opponit delectationes animæ & carnis. S. Aug. Delectant, inquit, oculos & spectacula ista naturæ, sed delectant oculos etiam spectacula theatrorũ. Hæc illicita, illa licita. Psalmus sacer suauiter cantatus delectat auditum, sed delectant auditum etiam Cantica histrionum: hoc licitè, C illud illicitè. Delectãt olfactum flores & aromata, & hæc Dei creatura: delectant olfactum etiam thura in aris dæmoniorum. Hoc licitè, illud illicitè. Delectant coniugales amplexus, delectant etiam meretricum, hoc licitè, illud illicitè. Videtis ergo charissimi, etiam in istis corporis sensibus licitas esse, & illicitas delectationes. Iustitia sic delectet, vt vincat etiam licitas delectationes, & ei delectationi quâ licitè delectaris, præpone iustitiam, &c. si habes oculos interiores, vides iustitiæ lumen. Quoniam apud te est fons vitæ, &c. si habes aures interiores, audis iustitiam. Tales aures quærebat qui dicebat, qui habet aures audiendi audiat. Si habes olfactum interiùs, audi Apostolum, Christi bonus D odor sumus Deo in omni loco. Si habes gustum interiùs, audis gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. Si habes tactum interiùs, audi quid sponsa cantet de sponso, sinistra eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me, &c. Carnem vestram delectant illicitæ voluptates, mentem vestram delectet inuisibilis, pulchra, casta, sancta, canora, dulcis iustitia, vt non ad eam timore cogamini. Si enim ad eam timore cogimini, nondum delectat. Peccare non debes, non timore pœnæ, sed amore iustitiæ, &c. In iniquitate secutus es voluptatem, pro iustitia tolera dolorem, &c. parum est vt contemnas quidquid te delectabat, contemne quidquid te terrebat, contemne carceres, contemne vincula, contemne equuleum, contemne tormenta, contemne mortem, &c. Millia Martyrum adiacent E oculis nostris ipsi veri amatores perfectæ iustitiæ. De illis dictum est; omne gaudium existimate fratres, &c. qui amat animam suam perdet illam, & qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam inueniet eam. Libro autem 2. de peccatorum meritis cap. 17. rationem reddens cur in hac vita sit perfectè non ametur iustitia, vt homo sine peccato non sit, quamuis gratia adiuuante diuina esse possit. Possem, S. Aug. inquit, facillimè ac verissimè respondere, quia homines nolunt, &c. Ac ne quis in libero hominis arbitrio id positum esse diceret, quærenti cur nolint, sic respondet; nolunt, inquit, homines facere quod iustum est, & quid iustius, quàm delectari in Domino, & pro videnda eius voluptate, contemnere spectacula delectationesque terrenas? siue quia latet an iustum sit, siue

quia non delectat. Tantò enim quidque vehementiùs volumus, quantò certiùs quàm bonum sit, nouimus, eoque delectamur ardentiùs. Ignorantia igitur, & infirmitas, *de qua supra numero 3. Tertullianus: ne aut ignorando, aut dissimulando quis peccet*, vitia sunt quæ impediunt voluntatem, ne moueatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. *Qualis est voluptas spectaculi*: vt autem innotescat quod latebat, & suaue fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adiuuat voluntates: quâ vt non adiuuentur, in ipsis itidem causa est, *peccatum scilicet, in cuius pœnam ignorantia & infirmitas facta est*; non in Deo, siue damnandi prædestinati sint propter iniquitatem superbiæ: siue contra ipsam suam superbiam iudicandi, *id est humiliandi*, & erudiendi, si filij sint misericordiæ, &c. Ideo quisque nostrum bonum opus suscipere, agere, implere, nunc scit, nunc nescit; nunc delectatur, nunc non delectatur: vt nouerit, A non suæ facultatis, sed diuini muneris esse, vel quod scit, vel quod delectatur: ac sic ab elationis vanitate sanetur, & sciat quàm verè non de terra ista, sed spiritaliter dictum sit, Dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Tantò autem magis delectat opus bonum, quantò magis diligitur Deus summum atque incommutabile bonum, & auctor qualiumcumque bonorum omnium. Vt autem diligatur Deus, charitas eius diffusa est in cordibus nostris, non per nos, sed per spiritum sanctum qui datus est nobis. *Qui ex eodem Augustino*, ineffabilis est complexus genitoris & geniti, ingeniti largitate perfundens creaturas pro earum captu, *donec calcatâ voluptate sæculi*, intremus in gaudium Domini, inebriandi torrente voluptatis & fluminis impetu lætificante ciuitatem Dei B *dicturi in raptu gaudij*, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsque in finem. S. Aug.

VSVRA.

Vsura non exigenda de proximo; nec pignus retinendum, sed debitum relaxandum.
4. cont. Marc. cap. 17. in p.

DE fœnore quum interponit,[a] *Et si feneraueritis à quibus speratis vos recepturos, quæ gratia est vobis?* percurre sequentia Ezechielis, de eodem viro iusto:[b] *Pecuniam*, inquit, *suam fœnori non dedit; & quod abundauerit, non sumet*; fœnoris scilicet redundantiam, quod est vsura. Priùs igitur fuit, vt fructum fœnoris eradicaret, quò facilius assuefaceret hominem ipsi quoque fœnori, si fortè, perdendo, cuius fructum didicisset amittere. Hanc etenim dicimus operam Legis fuisse procurantis Euangelio. Quorundam tunc fidem paulatim ad perfectum disciplinæ Christianæ nitorem, primis quibusque præceptis balbutientis adhuc benignitatis informabat. Nam & supra:[c] *Et pignus, inquit, reddes*; vtique si non sit soluendo: quia soluturo, vtique pignus restituendum esse, vtrum homo scriberet? Multò manifestius in Deuteronomio,[d] *Non dormies super pignus eius.: Redditione reddes illi pallium circa solis occasum, & dormiet in pallio suo.* Adhuc clarius suprà:[e] *Dimittes omne debitum quod tibi proximus debet, & fratrem tuum non reposces: quoniam remissio Domini Dei tui inuocata est.* Porrò, quum debitum dimitti iubet, vtique non exsoluturo; plus enim est; &, si exsoluturo, quum reposci vetat, quid aliud docet quàm non exsoluturo fœneremus, qui tam detrimentum fœnori indixit?[f] *Et eritis filij Dei.*

a Luc. 6. 34.
b Ezech. 18. 8.
c Ibid. 7.
d Deut. 24. 12. 13.
e Deut. 12. 2.
f Luc. 6. 35

VSVRA. SCHOL.

CVM INTERPONIT, *cùm inter cætera præcepta misericordiæ quam Christus exigit proximis exhiberi etiam ponit illud de mutuo. Luc. 6. 34.* Et si mutuum dederitis his à quibus speratis recipere; quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur vt recipiant æqualia. SEQVENTIA EZECHIELIS. *Præcesserat enim. Ezech. 18. 5.* Et vir si fuerit iustus, & fecerit iudicium & iustitiam, in montibus non comederit, *Idolothyta*, & oculos suos non leuauerit ad idola domus Israël; & vxorem proximi sui non violauerit, & ad mulierem menstruatam non accesserit: & hominem non contristauerit, 70. *per potentiam non oppresserit*, pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit, panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento: ad vsuram non commodauerit, & ampliùs non acceperit: ab iniquitate auerterit manum suam, & iudicium verum fecerit inter virum & virum: 70. *& inter proximum eius.* In præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea custodierit, vt faciat veritatem: hic iustus est: vitâ viuet, ait Dominus Deus. REDVNDANTIAM. *Quod à fœneratore exigitur vltra sortem & summam principalem.* PRIVS FVIT, *&c. Debuit priùs lex vetus infirma, & imperfectioribus data, fructum ipsum fœnoris siue commodationis extirpare; vt assuefacti homines non captando lucro, etiam damnum totius debiti proximo relaxare discerent in noua, in qua Christus* C *perfectionis magister docturus erat Luc. 6. 30.* Omni autem petenti te tribue: & qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. *Et versu 35.* Verumtamen diligite inimicos vestros: benefacite, & mutuum date nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa, & eritis filij altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos, &c. dimittite & dimittemini, date & dabitur vobis. OPERVM LEGIS. *Ideo vetus lex præmissa est, ad hoc opus ante nouam data est, vt quasi infantes, balbutiente adhuc & infantili benignitate erudiret, ac sic ad perfectam & virilem legis Euangelicæ misericordiam promoueret.* NAM ET SVPRA. *Ezech. scilicet 18. 8. Non habenti vnde reddat, debitum iubet relaxari.* VTRVM HOMO SCRIBERET? *Neque enim* D *vel homo tantillum sapiens & humanus præscriberet, debitori restituendum esse pignus, à creditore, cui debitum persoluisset: tantùm abest vt Deus id præscripserit.* IN DEVTERONOMIO. *Deut. 24. 10.* Cùm repetes à proximo tuo rem aliquam quam debet tibi, non ingredieris in domum eius vt pignus auferas: sed stabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit. Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante Solis occasum: vt dormiens in vestimento suo benedicat tibi, & habeas iustitiam 70. *misericordiam.* coram Domino Deo tuo. ADHVC CLARIVS SVPRA. *Deut. 15. 1. & seq.* Septimo anno facies remissionem: quæ hoc ordine

celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico, vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini. 70. *autem:* per septem annos, *id est septennio quoque*, facies remissionem: & sic constitutio remissionis. Remittes omne debitum proprium, quod debet tibi proximus, & à fratre tuo non repetes, inuocata enim est remissio Domino Deo tuo. TAM DETRIMENTVM INDIXIT. *Absolutè voluit Deus etiam totam summam remitti proximo non habenti vnde reddat: quantò magis vsuram non exigi præcepit? nomen fœneris quomodo sit intelligendum de mutuo gratuito docuit Augustinus to. 3. libro 5. locutionis de Deuteronomio num. 42.* Si fuerit in te egenus in fratribus tuis in vna ciuitatum tuarum, in terra quam Dominus Deus tuus dat tibi, non auertes cor tuum, neque constringes manum tuam à fratre tuo egente: aperiens, aperies manus tuas ei, fœnus fœnerabis ei quantumcumque postulat, & quantùm eget. Hic, *inquit*, certè cùm opera misericordiæ præcipiat, non vtique vsurarum crudelitas suscipienda est. Vnde apparet, quod ait, fœnus fœnerabis ei: mutuo dandum quod postularet, intelligi voluisse. Quod autem ait aperiens, aperies manus tuas; tale est quod sequitur: fœnus fœneraberis, vsitata locutio est in Scripturis sacris. *Et to. 4. lib. 5. qq. in Deut. q. 21. ex cap. 15. 9.* Attende tibi ipsi, ne fiat verbum occultum in corde tuo iniquitas dicens, appropiat annus septimus annus remissionis, & malignetur oculus tuus in fratrem tuum egenum, & non tribuas ei. *Vulgata, nolens ei quod postulat mutuum commodare.* Et exclamabit aduersum te ad Dominum, & erit in te peccatum magnum. Magnificè occultum verbum hoc dixit, quoniam nemo audet hoc dicere, qui potuerit cogitare. Ideo non esse mutuum dandum indigenti, quoniam appropinquat annus remissionis; cùm Deus propter misericordiam vtrumque præceperit, & commodari cum quisque indiget, & remitti anno remissionis. Quomodo ergo misericorditer remissurus est illo anno quo remittendum est, si crudeliter cogitat illo tempore dandum non esse quo dandum est? *Et lib. 1. de ser. Do. in Monte cap. 40.* quod ait, qui vult à te mutuari, ne auersatus fueris: ad animum referendum est: hilarem enim datorem diligit Deus: mutuatur autem omnis qui accipit, etiam

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

A si non ipse soluturus est. Cùm enim misericordibus Deus plura restituat, omnis qui beneficium præstat, fœneratur. Aut si non placet accipere mutuantem, nisi eum qui accipit redditurus; intelligendum est, Dominum duo ipsa genera præstandi esse complexum. Namque aut donamus quod damus beneuolè, aut redditturo commodamus. Et plerumque homines qui proposito diuino præmio donare parati sunt, ad dandum quod mutuum petitur, pigri fiunt: quasi nihil recepturi à Deo, cùm rem quæ datur, ille qui accipit, exsoluat: rectè itaque ad hoc beneficij tribuendi genus nos diuina hortatur authoritas dicens, & qui voluerit à te mutuari, ne auersatus fueris: quid est, ne propterea voluntatem alienes ab eo qui petit, quia & pecunia te vacuat, & Deus tibi non redditurus est, cùm homo reddiderit. Sed cùm id ex præcepto Dei facis, apud illum qui hæc iubet, infructuosum esse non potest. *Vide alibi dicta de eleemosyna vsura. Interea hæc contra vsuram accipe. Benè Chaldæi vsuram vocant* Chabulia *à vastando & depascendo. Et Hebræi propriè* Nesech à Nasach *à mordendo, & Raby Salomon, quòd vt serpens, paruo inflicto vulnere totum corpus inficiat. Vnde Chrysost. vel quisquis est Author homiliæ 12. in Matth.* Similis est pecunia vsuraria aspidis morsui. Sicut enim qui ab aspide percutitur, quasi delectatus vadit ad somnum, & sic per suauitatem soporis moritur; sic & qui accipit pro vsuris, per tempus quasi delectatur, quasi qui beneficium accepit, & sic per suauitatem beneficij non sentit quomodo captiuus efficitur. Nam sicut venenum aspidis latenter per omnia membra discurrit, & corrumpit: sic vsura per totas facultates eius discurrit, & conuertit eas in debitum. *Claudam hunc locum eximia Chrysologi sententiâ ad fœnerandum pauperi, iuxta Tertullianum hortantis. ser. 32. à m. vbi de manu arida extensa & curata à Christo.* Nec sit, *inquit*, in Ecclesia cuius manum arefaciat cupiditas, contrahat auaritia, rapina debilitet, tenacitas ægrotam constringat: sed si acciderit idipsum, audiat Dominum, *dicentem*, *extende manum tuam.* Et citò eam in opere pietatis extendat, relaxet, & in misericordia, in Eleemosynis porrigat. Sanari nescit, qui nescit pauperi fœnerari.

B

C

VXOR.

1. *Vxor soli suo viro placeat; nec ideo ornatum affectet, quem nullus maritus exigit, castitatis exactor. 2. de Cult. fœm. cap. 3. in f. & 4. per totum.*

CAP. IV. SAnctæ feminæ, si naturaliter speciosæ, non adeo sit occasio. certè si & fuerit, non adiuuare, sed etiam impedire debet. Quasi Gentilibus dicam, Gentili & communi omnium præcepto alloquens vos, solis maritis vestris placere debetis. In tantùm autem placebitis eis, in quantùm aliis placere non curaueritis. Securæ estote, benedictæ; vxor nulla deformis est marito suo satis placuit cùm electa est, seu moribus, seu formâ commendata. ne qua vestrûm putet, si temperauerit à compositione sui, odium & auersionem maritorum prosecuturam. omnis maritus castitatis exactor est. formam verò Fidelis non expostulat, quia non iisdem bonis quæ Gentiles bona putant, capimur: Infidelis contrà, etiam suspectam habet, vel ex illa scelerata in nos opinione Gentilium. Cui ergo pulcritudinem tuam nutris? si fideli, non exigit. si infideli, simplicem non credit. quid gestis aut suspecto, aut non desideranti placere?

2. *Vxorem defuncti fratris, olim ducere iussum est, nunc vetitum. De Monog. cap. 7. à p. V. Verbo nuptiæ. 2. num. 13. in alphabeto Errorum.*

VXOR. 1. SCHOL.

SANCTÆ FOEMINÆ. *Christianæ, sanctitatem profiteri debentis, formæ & pulchritudinis prærogatiua, non sit occasio scandali & peccati viris.* SI ET FVERIT. D *Si id cognouerit; tantùm abest, vt eam superfluis ornamentis & pigmentis augere debeat, quin potiùs eam imminuere, non tantùm neglectu, sed &, si possit detri-*

mento, saluâ sanitate, & complacendi proprio viro studio, cui soli etiam Gentiles fœminæ placere debent. PROSECVTVRAM. *Consecuturam, vel prouocaturam.* SVSPECTAM HABET, *vxorem Christianam, propter sceleratam opinionem incestuum, quos putant in cœtibus nocturnis à fidelibus perpetrari.* SIMPLICEM NON CREDIT, *id est, non sibi soli, sed & aliis placere velle te putat.* QVID GESTIS PLACERE? *Quid tanto complacendi desiderio flagras? scio Paulum 1. Cor. 7. 34. Licitum facere mulieri nuptæ, vt se ornet, ad complacendum viro.* Quæ autem nupta est cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. *Sed vt supra dixit Tertullianus,* vxor nulla deformis est marito suo. Satis placuit cùm electa est, seu moribus, seu formâ commendata. *Vnde Augustinus ser. 18. de verb. Apost.* A

S. Aug. Corporis, *inquit*, huius, id est exterioris hominis ornamenta, quantò magis appetuntur, tantò sunt interioris maiora detrimenta. Quantò autem minùs appetuntur ornamenta exterioris hominis, tantò magis moribus pulchris homo interior adornatur. Vnde dicit & Petrus, ornantes se non in tortis crinibus. Cùm enim dixisti ornantes se, quid aliud à carnalibus quam visibilia ista ornamenta putarentur? continuò tulit, *abstulit*, cogitationi, quod cupiditas inquirebat. Non, *inquit*, intortis crinibus, neque auro, vel margaritis, vel veste pretiosâ, sed ille absconditus cordis homo, qui est ante Deum diues. Neque enim Deus diuitias daret exteriori homini, & inopem relinqueret interiorem: dedit inuisibili diuitias inuisibiles, & inuisibilem ornauit inuisibiliter. *Nullum melius coniugibus exemplum exhibere potuit Augustinus, quàm Beata Monicæ lib. 9. c. 9. Confess.* Educata, *inquit*, pudicè ac sobriè, potiusque à te subdita parentibus, quam à parentibus tibi, vbi plenis annis nubilis facta est, tradita viro seruiuit velut domino, & satégit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus suis, quibus eam pulchram faciebas, & reuerenter amabilem, atque mirabilem viro. Ita autem tolerauit cubilis iniurias, vt nullam de hac re cum marito haberet vnquam simultatem. Expectabat enim misericordiam tuam super eum, vt in te credens castificaretur. Erat verò ille præterea sicut beneuolentiâ præcipuus, ita irâ feruidus. Sed nouerat hæc, non resistere irato viro, non tantùm facto, sed ne verbo quidem. Iam verò refracto & quieto, cùm opportunum videret, rationem facti sui reddebat, si fortè ille inconsideratius commotus fuerat. Denique cùm matronæ multæ quarum viri mansuetiores erant, plagarum vestigia etiam dehonestatâ facie gererent, inter amica colloquia, istæ arguebant maritorum vitam, hæc earum linguam veluti per iocum grauiter admonens, ex quo illas tabulas quæ matrimoniales vocantur, recitari audissent, tanquam instrumenta quibus ancillæ factæ essent, deputare debuissent; proinde memores conditionis, superbire aduersùs dominos non oportere. *Saram in hoc imitabatur Monica. de qua idem Aug. to. 4. libro de bono viduitatis Petrum referens. 1. 3.* Illas, *inquit*, alloquens, *nuptas scilicet*, subditas esse viris suis, exemplo Saræ adhortatur. Nam sic quædam, inquit, sanctæ mulieres, quæ in Dominum sperabant, ornabant se, obsequentes viris suis: quomodo Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans, cuius factæ estis filiæ, benefacientes, & non timentes vllam perturbationem. cap. 5. S. Aug.

3. *Vxorum communitas vetita fidelibus, libita Ethnicis. Apol. cap. 39. in m.*

QVi animo, animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta sunt apud nos, præter vxores. In isto solo consortium soluimus, in quo solo ceteri homines consortium exercent, qui non amicorum solummodo matrimonia vsurpant, sed & sua amicis patientissimè subministrant; ex illa, credo, maiorum & sapientissimorum disciplina, Græci Socratis, & Romani Catonis, qui vxores suas amicis communicauerunt, quas in matrimonium duxerant liberorum causâ & alibi creandorum. nescio quidem an inuitas. quid enim de castitate curarent, quam mariti tam facilè donauerant? O sapientiæ Atticæ, ô Romanæ grauitatis exemplum. Lenones Philosophus & Censor.

VXORVM COMMVNITAS. 3. SCHOL.

QVI ANIMO ANIMAQVE MISCEMVR. *Inter quos nulla discordia animi, idem animorum consensus, eadem etiam anima sensitiuæ sustinendæ, alendæque substantia, commune ærarium, præter vxores singulis matrimonio iunctis priuatas, cætera bona communia sunt; quia in nostro matrimonio, memores sumus verbi Pauli:* Sacramentum hoc magnum, in Christo dico & in Ecclesia. Iam non sunt duo, sed vna caro. OMNIA INDISCRETA. *Act. 4. 32.* Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, *Syr. anima vna & vna mens.* Nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. *Quo loco vtitur Augustinus* C

S. Aug. *lib. 5. de Ciuit. cap. 18. vbi de Romanis pauperibus;* Illud, *inquit*, quod Rempublicam id est rem populi, rem patriæ, rem communem cùm haberent opulentissimam, atque ditissimam, sic ipsi in suis domibus pauperes erant, vt quidam eorum, *ex Valerio lib. 2. hic fuit Cornelius Rufinus à Fabricio Censore Senatu motus.* Qui iam bis Consul fuisset, & illo Senatu pauperum hominum pelleretur notatione Censoriâ, quòd decem pondo argenti in vasis habere compertus est: si ita iidem ipsi pauperes erant, quorum triumphis publicum ditabatur ærarium; nonne omnes Christiani, qui excellentiore proposito diuitias suas communes faciunt, secundùm id quod scriptum est in Actibus Apostolorum, vt distribuatur vnicuique sicut cuique opus est, &c. Intelligunt se nullâ ob hoc ventilari oportere iactantiâ: id faciendo pro obtinenda societate Angelorum, *quibus communis est substantia regni cælorum*, cùm penè tale aliquid illi fecerint pro conseruanda gloria Romanorum. CONSORTIVM SOLVIMVS. *Communitatem non habemus.* VSVRPANT, *vel raptu aperto, vel adulterio secreto.* GRÆCI SOCRATIS. *Lactantius lib. 3. instit. non tantùm Socrati, sed & Platoni hanc sententiam tribuit.* ROMANI CATONIS. *De hoc Aug. to. 4. lib. de fide & operibus cap. 7.* Absit, S. Aug.
D *inquit*, vt sensu non humano, sed planè vano sic doleamus, cùm flagitia corriguntur, tanquam connubia dirimantur: *remouendo à baptismi susceptione concubinarios;* maximè in ciuitate Domini, in monte sancto eius, hoc est in Ecclesia; vbi nuptiarum non solùm vinculum, verùm etiam Sacramentum ita commendatur, vt non liceat viro vxorem suam alteri tradere: quod in Republica tunc Romana, non solùm minimè culpabiliter, verùm etiam laudabiliter Cato fecisse perhibetur. *Eiusdem meminit*

celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico, vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini. 70. *autem*: per septem annos, *id est septennio quoque*, facies remissionem: & sic constitutio remissionis. Remittes omne debitum proprium, quod debet tibi proximus, & à fratre tuo non repetes, inuocata enim est remissio Domino Deo tuo. TAM DETRIMENTVM INDIXIT. *Absolutè voluit Deus etiam totam summam remitti proximo non habenti vnde reddat: quantò magis vsuram non exigi præcepit? nomen fœnoris quomodo sit intelligendum de mutuo gratuito docuit Augustinus to. 3. libro 5. locutionis de Deuteronomio num. 42.* Si fuerit in te egenus in fratribus tuis in vna ciuitatum tuarum, in terra quam Dominus Deus tuus dat tibi, non auertes cor tuum, neque constringes manum tuam a fratre tuo egente: aperiens, aperies manus tuas ei, fœnus fœnerabis ei quantumcumque postulat, & quantùm eget. Hic, *inquit*, certè cùm opera misericordiæ præcipiat, non vtique vsurarum crudelitas suscipienda est. Vnde apparet, quod ait, fœnus fœnerabis ei: mutuo dandum quod postularet, intelligi voluisse. Quod autem ait aperiens, aperies manus tuas; tale est quod sequitur: fœnus fœnerabetis, vsitata locutio est in Scripturis sacris. *Et to. 4. lib. 5. qq. in Deut. q. 21. ex cap. 15. 9.* Attende tibi ipsi, ne fiat verbum occultum in corde tuo iniquitas dicens, appropiat annus septimus annus remissionis, & malignetur oculus tuus in fratrem tuum egenum, & non tribuas ei *Vulgata, nolens ei quod postulat mutuum commodare.* Et exclamabit aduersum te ad Dominum, & erit in te peccatum magnum. Magnificè occultum verbum hoc dixit, quoniam nemo audet hoc dicere, qui potuerit cogitare. Ideo non esse mutuum dandum indigenti, quoniam appropinquat annus remissionis; cùm Deus propter misericordiam vtrumque præceperit, & commodari cum quisque indiget, & remitti anno remissionis. Quomodo ergo misericorditer remissurus est illo anno quo remittendum est, si crudeliter cogitat illo tempore dandum non esse quo dandum est? *Et lib. 1. de ser. Do. in Monte cap. 40.* quod ait, qui vult à te mutuari, ne auersatus fueris: ad animum referendum est: hilarem enim datorem diligit Deus: mutuatur autem omnis qui accipit, etiam

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

A si non ipse soluturus est. Cùm enim misericordibus Deus plura restituat, omnis qui beneficium præstat, fœneratur. Aut si non placet accipere mutuantem, nisi eum qui accipit redditurus; intelligendum est, Dominum duo ipsa genera præstandi esse complexum. Namque aut donamus quod damus beneuolè, aut reddituro commodamus. Et plerumque homines qui proposito diuino præmio donare parati sunt, ad dandum quod mutuum petitur, pigri fiunt: quasi nihil recepturi à Deo, cùm rem quæ datur, ille qui accipit, exsoluat: rectè itaque ad hoc beneficij tribuendi genus nos diuina hortatur authoritas dicens, & qui voluerit à te mutuari, ne auersatus fueris: quid est, ne propterea voluntatem alienes ab eo qui petit, quia & pecu-

B nia te vacuat, & Deus tibi non redditurus est, cùm homo reddiderit. Sed cùm id ex præcepto Dei facis, apud illum qui hæc iubet, infructuosum esse non potest. *Vide alibi dicta de eleemosyna vsura. Interea hæc contra vsuram accipe. Benè Chaldæi vsuram vocant* Chabulia *à vastando & depascendo. Et Hebræi propriè* Nesech *à* Nasach *à mordendo, & Raby Salomon, quòd vt serpens, paruo inflicto vulnere totum corpus inficiat. Vnde Chrysost. vel quisquis est Author homiliæ 12. in Matth.* Similis est pecunia vsuraria aspidis morsui. Sicut enim qui ab aspide percutitur, quasi delectatus vadit ad somnum, & sic per suauitatem soporis moritur; sic & qui accipit pro vsuris, per tempus quasi delectatur, quasi qui beneficium accepit, & sic per suauitatem beneficij non

C sentit quomodo captiuus efficitur. Nam sicut venenum aspidis latenter per omnia membra discurrit, & corrumpit: sic vsura per totas facultates eius discurrit, & conuertit eas in debitum. *Claudam hunc locum eximia Chrysologi sententiâ ad fœnerandum pauperi, iuxta Tertullianum hortantis. ser. 32. à m. vbi de manu arida extensa & curata à Christo.* Nec sit, *inquit*, in Ecclesia cuius manum arefaciat cupiditas, contrahat auaritia, rapina debilitet, tenacitas ægrotam constringat: sed si acciderit idipsum, audiat Dominum, *dicentem, extende manum tuam.* Et citò eam in opere pietatis extendat, relaxet, & in misericordia, in Eleemosynis porrigat. Sanari nescit, qui nescit pauperi fœnerari.

VXOR.

1. *Vxor soli suo viro placeat; nec ideo ornatum affectet, quem nullus maritus exigit, castitatis exactor. 2. de Cult. fœm. cap. 3. in f. & 4. per totum.*

CAP. IV. SAnctæ feminæ, si naturaliter speciosæ, non adeo sit occasio. certè si & fuerit, non adiuuare, sed etiam impedire debet. Quasi Gentilibus dicam, Gentili & communi omnium præcepto alloquens vos, solis maritis vestris placere debetis. In tantùm autem placebitis eis, in quantùm aliis placere non curaueritis. Securæ estote, benedictæ; vxor nulla deformis est marito suo satis placuit cùm electa est, seu moribus, seu formâ commendata. ne qua vestrûm putet, si temperauerit à compositione sui, odium & auersionem maritorum prosecuturam. omnis maritus castitatis exactor est. formam verò Fidelis non expostulat, quia non iisdem bonis quæ Gentiles bona putant, capimur: Infidelis contrà, etiam suspectam habet, vel ex illa scelerata in nos opinione Gentilium. Cui ergo pulcritudinem tuam nutris? si fideli, non exigit. si infideli, simplicem non credit. quid gestis aut suspecto, aut non desideranti placere?

2. *Vxorem defuncti fratris, olim ducere iussum est, nunc vetitum. De Monog. cap. 7. à p. V. Verbo nuptiæ. 2. num. 13. in alphabeto Errorum.*

VXOR. 1. SCHOL.

SANCTÆ FOEMINÆ. *Christianæ, sanctitatem profiteri debentis, forma & pulchritudinis prærogatiua, non sit occasio scandali & peccati viris.* SI ET FVERIT.

D *Si id cognouerit; tantùm abest, vt eam superfluis ornamentis & pigmentis augere debeat, quin potius eam imminuere, non tantùm neglectu, sed &, si possit detri-*

mento, saluâ sanitate, & complacendi proprio viro studio, cui soli etiam Gentiles fœminæ placere debent. PROSECVTVRAM. *Consecuturam, vel prouocaturam.* SVSPECTAM HABET, *vxorem Christianam, propter sceleratam opinionem incestuum, quos putant in cœtibus nocturnis à fidelibus perpetrari.* SIMPLICEM NON CREDIT, *id est, non sibi soli, sed & aliis placere velle te putat.* QVID GESTIS PLACERE? *Quid tanto complacendi desiderio flagras? scio Paulum 1. Cor. 7. 34. Licitum facere mulieri nuptæ, vt se ornet, ad complacendum viro.* Quæ autem nupta est cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. *Sed vt supra dixit Tertullianus,* vxor nulla deformis est marito suo. Satis placuit cùm electa est, seu moribus, seu formâ commendata. *Vnde Augustinus ser. 18. de verb. Apost.*
S. Aug. Corporis, *inquit*, huius, id est exterioris hominis ornamenta, quantò magis appetuntur, tantò sunt interioris maiora detrimenta. Quantò autem minus appetuntur ornamenta exterioris hominis, tantò magis moribus pulchris homo interior adornatur. Vnde dicit & Petrus, ornantes se non in tortis crinibus. Cùm enim dixisti ornantes se, quid aliud à carnalibus quàm visibilia ista ornamenta putarentur? continuò tulit, *abstulit*, cogitationi, quod cupiditas inquirebat. Non, *inquit*, intortis crinibus, neque auro, vel margaritis, vel veste pretiosâ, sed ille absconditus cordis homo, qui est ante Deum diues. Neque enim Deus diuitias daret exteriori homini, & inopem relinqueret interiorem: dedit inuisibili diuitias inuisibiles, & inuisibilem ornauit inuisibiliter. *Nullum melius coniugibus exemplum exhibere potuit Augustinus, quàm Beatæ Monicæ lib. 9. c. 9. Confess.* Educata, *inquit*, pudicè ac sobriè, potiusque à te subdita parentibus, quam à parentibus tibi, vbi plenis annis nubilis facta est, tradita viro seruiuit velut domino, & sategit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus suis, quibus eam pulchram faciebas, & reuerenter amabilem, atque mirabilem viro. Ita autem tolerauit cubilis iniurias, vt nullam de hac re cum marito haberet vnquam simultatem. Expectabat enim misericordiam tuam super eum, vt in te credens castificaretur. Erat verò ille præterea sicut beneuolentiâ præcipuus, ita irâ feruidus. Sed nouerat hæc, non resistere irato viro, non tantùm facto, sed ne verbo quidem. Iam verò refracto & quieto, cùm opportunum videret, rationem facti sui reddebat, si forte ille inconsideratius commotus fuerat. Denique cùm matronæ multæ quarum viri mansuetiores erant, plagarum vestigia etiam dehonestatâ facie gererent, inter amica colloquia, istæ arguebant maritorum vitam, hæc earum linguam veluti per jocum grauiter admonens, ex quo illas tabulas quæ matrimoniales vocantur, recitari audissent, tanquam instrumenta quibus ancillæ factæ essent, deputare debuissent; proinde memores conditionis, superbire aduersùs dominos non oportere. *Saram in hoc imitabatur Monica. de qua idem Aug. to. 4. libro de bono viduitatis Petrum referens. 1. 3.* Illas, *inquit*, alloquens, *nuptas scilicet*, subditas esse viris suis, exemplo Saræ adhortatur. Nam sic quædam, inquit, sanctæ mulieres, quæ in Dominum sperabant, ornabant se, obsequentes viris suis: quomodo Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans, cuius factæ estis filiæ, benefacientes, & non timentes vllam perturbationem. cap. 5. S. Aug.

3. *Vxorum communitas vetita fidelibus, libita Ethnicis. Apol. cap. 39. in m.*

QVi animo, animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta sunt apud nos, præter vxores. In isto solo consortium soluimus, in quo solo ceteri homines consortium exercent, qui non amicorum solummodo matrimonia vsurpant, sed & sua amicis patientissimè subministrant; ex illa, credo, maiorum & sapientissimorum disciplina, Græci Socratis, & Romani Catonis, qui vxores suas amicis communicauerunt, quas in matrimonium duxerant liberorum causâ & alibi creandorum. nescio quidem an inuitas. quid enim de castitate curarent, quam mariti tam facilè donauerant? O sapientiæ Atticæ, ô Romanæ grauitatis exemplum. Lenones Philosophus & Censor.

VXORVM COMMVNITAS. 3. SCHOL.

QVI ANIMO ANIMAQVE MISCEMVR. *Inter quos nulla discordia animi, idem animorum consensus, eadem etiam anima sensitiuæ sustinendæ, alendæque substantia, commune ærarium, præter vxores singulis matrimonio iunctis priuatas, cætera bona communia sunt; quia in nostro matrimonio, memores sumus verbi Pauli:* Sacramentum hoc magnum, in Christo dico & in Ecclesia. Iam non sunt duo, sed vna caro. OMNIA INDISCRETA. *Act. 4. 32.* Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, *Syr. anima vna & vna mens.* Nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. *Quo loco vtitur Augustinus*
S. Aug. *lib. 5. de Ciuit. cap. 18. vbi de Romanis pauperibus*; Illud, *inquit*, quod Rempublicam id est rem populi, rem patriæ, rem communem cùm haberent opulentissimam, atque ditissimam, sic ipsi in suis domibus pauperes erant, vt quidam eorum, *ex Valerio lib. 2. hic fuit Cornelius Rufinus à Fabricio Censore Senatu motus.* Qui iam bis Consul fuisset, & illo Senatu pauperum hominum pelleretur notatione Censoriâ, quod decem pondo argenti in vasis habere compertus est: si ita iidem ipsi pauperes erant, quorum triumphis publicum ditabatur ærarium; nonne omnes Christiani, qui excellentiore proposito diuitias suas communes faciunt, secundùm id quod scriptum est in Actibus Apostolorum, vt distribuatur vnicuique sicut cuique opus est, &c. Intelligunt se nullâ ob hoc ventilari oportere iactantiâ: id faciendo pro obtinenda societate Angelorum, *quibus communis est substantia regni cœlorum*, cùm penè tale aliquid illi fecerint pro conseruanda gloria Romanorum. CONSORTIVM SOLVIMVS. *Communitatem non habemus.* VSVRPANT, *vel raptu aperto, vel adulterio secreto.* GRÆCI SOCRATIS. *Lactantius lib. 3. instit. non tantùm Socrati, sed & Platoni hanc sententiam tribuit.* ROMANI CATONIS. *De hoc Aug. to. 4. lib. de fide & operibus cap. 7.* Absit, S. Aug. *inquit*, vt sensu non humano, sed planè vano sic doleamus, cùm flagitia corriguntur, tanquam connubia dirimantur: *remouendo à baptismi susceptione concubinarios*; maximè in ciuitate Domini, in monte sancto eius, hoc est in Ecclesia; vbi nuptiarum non solùm vinculum, verùm etiam Sacramentum ita commendatur, vt non liceat viro vxorem suam alteri tradere: quod in Republica tunc Romana, non solùm minimè culpabiliter, verùm etiam laudabiliter Cato fecisse perhibetur. *Eiusdem meminit*

& to.6. libro de bono coniugali cap.8. Nec causâ, *inquit*, A numerosioris prolis fecerunt sancti nostri, quod Cato dicitur fecisse Romanus, vt traderet viuus vxorem, etiam alterius domum filiis impleturam. In nostrarum quippe nuptiis, plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas vteri. Si ergo & illi qui propter solam generationem, propter quam sunt institutæ nuptiæ, coniunguntur, non comparantur patribus, multa aliter ipsos filios, quàm isti, quærentibus: quandoquidem filium immolare iussus Abraham, intrepidus ac deuotus, quem de tanta desperatione susceperat, vnico non pepercit, nisi eo prohibente manum deponeret, quo iubente leuauerat.

ZACHÆVS.

Zachæus Christum excepit, iuxta opus misericordiæ ab Esaia commendatum.
4. cont. Marc. cap.37. in p.

Luc. 19.9 CONsequitur & Zachæi domus salutem. Quo merito? Nunquid vel ille crediderat Christum à Marcione venisse? Atquin adhuc in auribus erat omnium vox illa cæci,
a Luc. 18. 38. & 43. [a] *Miserere mei, Iesu fili Dauid; Et omnis populus laudes referebat Deo;* non Marcionis, sed Dauid. Enimverò Zachæus etsi allophylus fortasse, tamen aliquâ notitiâ scripturarum ex
b Esa. 58. 7. commercio Iudaico adflatus; plus est autem, & ignorans Esaiam, præcepta eius impleuerat. [b] *Confringito, inquit, panem tuum esurienti; & non habentes tectum, in domum tuam in-*
c Luc. 19. 6. *ducito;* hoc cùm maximè agebat, exceptum domo suâ pascens Dominum: [c] *Et nudum si videris, contegito;* hoc cùm maximè promittebat, in omnia misericordiæ opera dimidium
d Esa. 58. 7. substantiæ offerens; [d] *dissoluens violentiorum contractuum obnexus, & dimittens conflictatos in*
Ibid. 6. *laxamentum, & omnem conscriptionem iniquam dissipans*, dicendo; [e] *Et si cui quid per calum-*
e Luc. 19. 8. *niam eripui, quadruplum reddo.* Itaque Dominus, *Hodie*, inquit, *salus huic domui.* Testimonium dixit, salutaria esse quæ præceperat Prophetes Creatoris.

ZACHÆVS. SCHOL.

ZAchæi domvs. *Luc.* 19.9. Ait Iesus ad eum: quia hodie salus domui huic facta est: eo quòd & ipse filius sit Abrahæ. *Per fidem scilicet, licet fortè, vt subdit Tertull. esset alienigena & Gentilis genere; dicente Paulo:* qui ex fide sunt, hi filij sunt Abrahæ. Qvo merito? *certè nullo proprio, cùm esset Publicanorum Princeps, & magnus peccator. Fides igitur merito salutem consecutus est. Sed fidem ipsam non promeruit. Nam, vt sæpè ex Paulo Augustinus:* vobis datum est vt in eum credatis. Non omnium est fides. Vnicuique partitus est mensuram fidei. Christvm a Marcione, *Christum filium Dei Marcionis, de quo nemo adhuc quidquam audierat. Quinimò recens adhuc erat memoria cæci illuminati, qui dixerat Luc.* 18. 38. Iesu fili Dauid miserere mei, &c. Et Iesus dixit C illi: respice, fides tua te saluum fecit Et confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo. Allophylvs. *Alienigena. Et quidem verisimile est, Hebræum non fuisse Zachæum, cùm Publicani odiosi essent Iudæis, & pro Gentilibus habiti.* Ignorans Esaiam. *Locum vide in indice Scripturæ, quem alibi exposui.* Dimidivm svbstantiæ. *Luc.* 19. 8. Stans autem Zachæus dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. *Translat. Syr.* Et cuicumque aliquid per iniuriam eripuerim, quadruplum retribuo. Obnexvs. *Colligationes impietatis, pleonexias, vsuras.* Conflictatos, *confractos in libertatem.* Conscriptionem. *Cautiones & syngraphas, de quibus Psaltes:* Declinantes autem in obligationes adducet cum operantibus iniquitatem. Testimonivm dixit. *Opere comprobauit, salutaria esse documenta veteris Testamenti data ab Esaia Propheta Dei Creatoris. De Zachæo sæpius Augustinus magnificè scripsit, ex quibus sequentia decerpsi, ac primò quidem to. 4. lib. de octo Dulcitij quæst. q.* 4. Quid, *inquit*, potentius, *dixerat ex Psalte potens in terra erit*
S. Aug. *semen eius*, quam vt regnum cœlorum non solùm Zachæus emat dimidio rerum suarum, sed & vidua duobus minutis; & tantumdem ibi vterque possideat? Quid potentius, quàm vt idem regnum & B thesauris diuitis & calice aquæ frigidæ pauperis valeat? *Tract.* 5. *in* 1. *ep. Io.* Quando, *inquit*, erat Dominus in carne mortali, esuriuit, sitiuit Eo tempore S. Aug. quo esuriebat & sitiebat, susceptus est hospitio, ministrarunt illi qui habuerunt, de substantia sua: sicut legimus in Euangelio. Suscepit eum hospitio Zachæus, saluus factus est à morbo, suscepto Medico. Quo morbo? auaritiæ: erat enim ditissimus, & Princeps Publicanorum. Attendite sanatum à morbo auaritiæ: dimidium, inquit, bonorum meorum do pauperibus, & si cui aliquid tuli, quadruplum reddam. Ideo seruauit alterum dimidium, non quo frueretur, sed vnde debita solueret. Suscepit ergo tunc Medicum hospitio, quia erat infirmitas carnis in Domino, cui hoc obsequium præberent homines; & hoc quia voluit præstare obsequentibus: obsequentibus enim proderat, non illi. Cui enim Angeli ministrabant, horum obsequium requireret? Nec Helias seruus illius hoc necessarium habebat aliquando, cui panem & carnem per coruum mittebat: & tamen vt vidua religiosa benediceretur, mittitur seruus Dei, pascitur a vidua, quem Deus in secreto pascebat. Verumtamen quanquam de his seruis Dei, sibi præstent, qui eorum indigentiam considerant, propter illam mercedem à Domino in Euangelio positam manifestissimè; qui suscipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet: qui suscipit Prophetam in nomine Prophe- D tæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui dederit calicem aquæ frigidæ vni ex his minimis tantùm in nomine discipuli, Amen dico vobis non perdet mercedem suam. Quamuis ergo sibi præstent qui hæc faciunt, tamen nec hoc poterat præberi ascensuro in cœlum. Quid illi poterat retribuere Petrus qui amabat illum? audi, pasce oues meas: id est, fac pro fratribus, quod pro te feci. *Et ser.* 110. *de temp. vbi probat in diuitiis cauendam esse superbiam.* Da mihi, *inquit*, Zachæum habentem magnas diuitias Principem Publicanorum, confessorem pec- S. Aug. catorum, staturâ breuem, animo breuiorem, ascendentem lignum, vt transeuntem videret, qui pro illo pendebat in ligno, *affectu & voluntate.* Da

mihi dicentem, dimidium rerum mearum, do pauperibus, sed multùm diues es, ô Zachæe, multùm diues es: ecce dimidium dabis, dimidium quare reseruabis? Quia si cui aliquid abstuli, quadruplum reddo. *Tandem ser. 35. de verbis Domini secundùm Lucam, vbi tractat de Mammona iniquitatis:* Numquid, *inquit*, Zachæus de bono habebat? *hoc est de æquo*; S. Aug. legite & videte. Maior erat Publicanorum, id est cui vectigalia publica conferebant. Inde habebat diuitias. Multos presserat, multis abstulerat, multa congesserat. Intrauit domum eius Christus, & venit salus super domum eius, sic enim ait ipse Dominus, hodie salus huic domui facta est. Sed ipsam salutem videte. Primò desiderabat Dominum videre, quia staturâ pusillus erat, sed turbâ impediente ascendit in arborem sycomorum, & vidit transeuntem. Ille autem aspexit eum & ait, Zachæe descende, apud te oportet me manere. Tu pendes, sed non te suspendo, hoc est, non te differo. Volebas videre transeuntem, hodie me apud te inuenies habitantem. Ingressus est ad eum Dominus, repletus ille gaudio ait, dimidium rerum mearum do A pauperibus. Ecce quomodo currit, qui currit facere amicos de mammona iniquitatis. Et ne reus aliunde teneretur; si cui aliquid tuli, ait, quadruplum reddam. Inflixit sibi condemnationem, ne incurreret damnationem. Ergo qui habetis de malo, facite inde bonum: qui non habetis de malo, nolite acquirere de malo. Esto bonus tu qui bonum facis de malo, & cùm cœperis boni aliquid facere de malo, noli tu remanere malus. Nummi tui conuertuntur in bonum, tu autem remanes malus?

Et hæc hactenus in Tertulliani Omniloquium, dudum suscepta, & multo labore promota, post longi & periculosi morbi interruptionem, receptâ cœlitus valetudine, vt cœpi, & promoui, sic B *opitulante diuinâ gratiâ consummaui, ipsâ D. Patris Augustini vigilia, ad omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti gloriam, beatissimæ semper Virginis Mariæ Matris Christi Domini nostri laudem, & sancti Patris nostri Augustini honorem; cuius ex scriptis selectissimis, nouum hoc in Tertullianum opus, vt promiseram, vbique per omnia & singula Scholia illustraui.*

EPILOGVS TOTIVS OPERIS.

METAS, Xistarche Spiritu sancto stadij prægrandis attigimus, saluâ rate & mercibus diuturnæ nauigationis portum eodem aspirante & gubernante appulimus, Tertullianum in frusta dissectum, & ordine alphabetico & rationali digestum ad verba singula obscura ad literam expositum, omnibus Erroribus, & Hæresibus sanâ ac Catholicâ S.P. Augustini Doctrinâ defæcatum, per omnia lustrauimus, & illustrauimus. Neque verò cuiquam mirum videri debet, si patriâ filius hæreditate potius Thesauros sapientiæ & scientiæ pretiosissimos manu largissimâ profundat. Nec insolens quod Aurelij Augustini Parentis amantissimi & Doctoris Angelici præ cæteris Discipulis eius tenacissimi sectatoris toto hoc opere placita Doctissima, & Catholicissima cæteris anteponam, quibus celeberrima Academia Salmaticensis sic addicta fuit; vt statuto iuramentoque solemni se tenendæ docendæq; Doctrinæ SS. Augustini & Thomæ Aquinatis obstrinxerit, vt constat ex eruditissimo libello Sapientissimi Magistri F. Basilij Pontij Ordinis nostri Cathedratici Doctoris Salmaticensis 1. in Hispania, 2. Romæ, tertiò Duaci, cum magna approbatione Doctorum, & applausu omnium edito. In hoc libello, parte primâ, in vndecim Paragraphos distributâ; Primo quidem, rationem & tenorem exponit iuramenti, vt videlicet dilueret notam calumniosè inustam florentissimæ facultati, quasi nouas opiniones in suas Scholas induci pateretur: cui vt oportuno remedio occurreret, re in omnibus Cœnobiis per orationes, sacrificia, & continuas corporis castigationes, per multos dies Deo commendata, ex sexaginta suffragiis, nullo refragante solemniter iuratum est; exceptâ opinione de Immaculatæ Virginis Conceptu, Academiam quouis postposito timore, non admissuram, neque docturam doctrinam, quæ Sanctis Augustino & Thomæ aduersaretur, nisi in his quæ iure Ecclesiastico immutata sunt, vel immutanda sunt; vel quæ cùm olim controuersa essent, iam Constitutionibus Apostolicis diffinita sunt. In secundo, iuxta Chrysostomum, Epiphanium, Tertullianum, & Augustinum, ad sanam doctrinam, & firmam, nihil vtilius quàm vnum aut alterum Magistrum Optimum sequi. In tertio, probat Augustinum & Thomam ipso SS. Pontificum Elogio, probatissimos esse Theologiæ Magistros. In quarto probat necessitatem huius iuramenti; cùm eo tempore Augustinus & Doctor Angelicus, verbis & scriptis parui fierent imò nihili penderentur, & omnes alij scriptores illis æquarentur; quorum auctoritatem grauiter læsam, & cum ea labefactatam Ecclesiæ fidem, hoc iuramento tutati sunt, nihil rati Academici Salmantici tutius, quàm si Ecclesiæ Doctrina esset vniformis, quam præ cæteris duo dicti Patres professi sunt. In quinto, id necessarium esse ad nouitates euitandas, & antiquas Ecclesiæ Doctrinas sequendas. Sexto ad seruandam doctrinæ vnitatem. Septimo, eandem, paci regni & bono eius regimini expedire. Octauo, vtile esse optimo docendi modo, & profectui auditorum. Nono, proinde licitum, & materiam eius, iuramento & voto congruere. Decimo Academiæ nomen, & ordinum hoc iuramento obstrictorum esse pensandum. Vndecimo tandem conuenienter factum esse iuramentum.

In secunda autem parte respondet omnibus obiectionibus contra factis, & concludit

non posse hoc iuramentum tam sanctè & maturè factum absque crimine violari.

Neque verò sine SS. Spiritus impulsu, tot S Ordines in Doctrinam D. Thomæ suscipiendā vnanimes conspirarunt. Cōstitutiones Ordinis S. Dominici dist. 2 c. 14. §. 1. præcipiunt iuxta plurima Capitula Generalia, exactè seruari Doctrinam D. Thomæ. Et in Constit. Carmelitarum Excalceatorū parte 2. cap. 4. num. 6: sub pœna priuationis ab officio Lectorum. *Lectores Theologiæ operam dabunt, sacram Doctrinam à Sanctis Patribus, præcipuè à S. Thoma traditam edocere.* Societas Iesu in Constit. parte 4. c. 14. S. 1. *Legetur Doctrina Scholastica D. Thomæ.* Et in Congregatione 3. Generali can. 9. *Sequantur nostri Doctores in Scholastica Theologia Doctrinam D. Thomæ, nec deinceps ad Cathedram Theologiæ promoueantur, nisi qui doctrinæ D. Thomæ benè affecti fuerint: ab ea verò alieni, docendi munere repellantur.* Nostræ item Constitutiones quinta parte cap. 2. *Vt vniformitas quoad doctrinam, quemadmodum quoad alia in Ordine nostro custodiatur, volumus vt Magistri Regentes in lectionibus & determinationibus disputationum, in omnibus sequi & tueri debeant sanam & Catholicam Doctrinam fundatissimi Doctoris nostri B. Ægidij Romani quondam nostri Sacri Ordinis Generalis. Vbi verò eius scripta non reperiuntur, ex D. Thoma Aquinatis Doctrina suppleatur.* Quod Decretum Pius V. in Bulla expressè confirmauit: quod & nuper Reuerendissimus Pater Generalis P. M Paulus Luchinus, nostris quanquam indignis literis, pro sua benignitate respondere dignatus his verbis inculcauit. *Labores tui quos Tertulliano viro grauissimo impendisti, nobis gratissimi sunt, quos ea propter non desinemus, si quo modo poterimus, nostris fauoribus prosequi, & prædecessoris nostri pro te, conatum, quantùm in nobis erit, promouere. De Ægidio nostro Scholis prælegendo extat Pij V. Decretum, quod omnino volumus obseruatum, iisque reuerentiam haberi auctoribus, quos sacræ Constitutiones nostræ nominant. Benè in Domino vale Romæ 16. Augusti 1655.* Vrbanus V in Bulla Tolozam missa in Translatione corporis S. Thomæ. *Volumus*, inquit, *& tenore præsentium vobis iniungimus; vt B. Thomæ Doctrinam, tanquam veridicam, & Catholicam sectemini, eamque studeatis totis viribus amplexari.* Pius, item V. in sua Bulla, cùm hæreses ex eius doctrina confutatas recensuisset, ita subiungit: *Maiore quàm antea, grati & pij animi affectu colendam statuimus.* Innocentius Sextus; *qui hanc sequitur, nunquam errare, qui verò eam deserit, aut impugnat, semper esse de veritate suspectum.* Ita & Ioānes XXII. in solemnitate Canonizationis eiusdem Clemēs VIII. in Bulla Neapolim missa; expressè dicit Doctorem Angelicum, scripsisse *sine vllo prorsus errore.* Quis porrò post Spiritum sanctum, lumen ei præstitit, quo in tot tenebris à via veritatis non erraret? Nonne ille quem medio pictum gerit in pectore, quo scripta sua omnia, per singulas, paginas illustrauit, Sol & lumen Doctorum omnium Augustinus?

Quanto itaque, quámque sano iudicio Academia Salamantica Doctrinæ SS. Augustini & Thomæ per omnia sectandæ solemni se iureiurando constrinxit; Quibus & omnes Vniuersitates ad vniformitatem eiusdem in Ecclesia Doctrinæ conformari, esset in votis. Mihi certè tot Summorum Pontificum, tot Sanctorum Ordinum statutis morem non gerere piaculum credidi; & vt toto hoc nostro in Tertullianum conatu SS. Pontificum, Conciliorum, Patrum, Doctorum, & Augustini quàmmaximè, ac Doctoris Angelici vestigiis inhærenti, propositum tenui; & hæreses omnes ex eorum principiis confutaui; sic & nuperas ab Innocentio X. primùm, dehinc ab Alexandro VII. Pontifice Maximo in quinque Propositionibus ex Iansenio decerptis damnatisque, rursum in omnibus & per omnia vt Ecclesiæ filius, & Sedis Apostolicæ obedientissimus subditus, iuxta tenorem Constitutionum Apostolicarum, mentemque ac sensum summorum Pontificum, damnasse me, ac denuò damnare profiteor; insuper & iureiurando contestor, me nunquam legisse Librum Iansenij; Ex quo dictæ Propositiones decerptæ, à Summis Pontificibus referuntur.

Elogiis Augustini tam in Præfatione generali Tomi primi, quàm in prælectione imputatorum Errorum, & in alphabeto eorum. V Doctrina, & Vindiciis præliminaribus secundi Tomi præmissis subdere non pigebit & sequentia consideratione dignissima. Concilium Romanum 1. quo à 70. Episcopis libri sacri & authentici ab apocryphis sunt discreti sub Gelasio. Anno Domini 494. Vbi *post Propheticas, Euangelicas, atque Apostolicas scripturas quibus Ecclesia Catholica per gratiam Dei fundata est: post primam sedem Petri Apostoli Romanam Ecclesiam, secundam apud Alexandriam Beati Petri nomine à Marco eius Discipulo & Euangelista consecratam, tertiam Antiochenam eiusdem Beatissimi Petri nomine quòd illic priusquam Romam venisset habitauit, sanctam Synodum Nicænam in qua Arius condemnatus est, Constantinopolitanam in qua Macedonius, Ephesinam in qua Nestorius, Chalcedonensem in qua Nestorius Eutychius & Dioscorus, & si qua alia Concilia hactenus à Sanctis Patribus instituta: post horum auctoritatem, & custodienda, & recipienda, & decernimus & mandamus. Opuscula B. Cypriani Martyris & Carthaginiensis Episcopi. Item Opuscula B. Gregorij Nazianzeni Episcopi. Item Opuscula B Basilij, Athanasij, Cyrilli Alexandrini, Ioannis Constantinop. Theophili Alexandrini, Hilarij Pictauiensis; item Opuscula B. Ambrosij Mediolanensis, item opuscula B. Augustini Hipponensis Episcopi, item Opuscula B. Hieronymi Presbyteri item Opuscula Prosperi viri Religiosissimi*

item epistolam B. Leonis Papæ ad Flauianum Constantinopolitanum Episcopum destinatam cuius textum quispiam si vsque ad vnum iota disputauerit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit. Quod si prædictus Papa cum tanto Concilio, sic iudicio Hieronymi detulit, vt de Ruffini scriptis ab eo notatis sic decreuerit: *quoniam B. Hieronymus eum in aliquibus de arbitrij libertate notauit; illa sentimus, quæ prædictum B. Hieronymum sentire cognoscimus: & non solùm de Ruffino, sed etiam de vniuersis quas vir sæpiùs memoratus zelo Dei & fidei religione reprehendit. Item Origenis nonnulla opuscula, quæ vir Beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscepimus:* Quantò digniùs suscipiendus Augustinus, cuius opuscula omnia nullo reiecto, cùm Concilio Romano approbauit Gelasius? quem in hac causa sibi ipsi prætulit in fine tertij libri contra Pelag. Hieronymus, & ep. 30. suspexit; & eius scripta tanquam sua defendere decreuit, & epist. 25. sic prædicat: *Catholici te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur, atque suspiciunt.* Quid quòd & Hugo à S. Victore in ep. ad Gal. quæst. 6. *Saluâ*, inquit, *reuerentiâ secretorum, B. Augustini sententiam præferimus sententiæ B. Hieronymi.* Georgius Scholarius inter Græcos Concilij Florentini, postea successor Patriarchæ Constantinopolitani qui Florentiæ decessit, hæc habet in præconium Augustini in expositione sua fidelissima dicti Concilij cap. 1. sect. 8. *At quis fortasse dicet nos Augustino adhærere non opus esse, neque ipsius scripturas sequi: cùm Occidentalis sit Doctor, & Latinus, ad quos respondeo: si opera eius ab Oecumenica Synodo comprobata non fuissent, benè se haberet quod dicis: sed quoniam Oecumenica Synodus*, Florentina sess. 7. *ea seruari iubet, idque cum imprecationibus & anathemate, non rectè dicis. Quòd ita se res habeat, audi ex actis sanctæ & Oecumenicæ sextæ Synodi.* CONSENTIT SANE IN OMNIBVS SANCTIS PATRIBVS ET DOCTORIBVS SANCTÆ DEI ECCLESIÆ ATHANASIO, HILARIO, BASILIO, AVGVSTINO &c. CVNCTAQVE EORVM SCRIPTA DE RECTA FIDE, ET AD HÆRETICORVM DAMNATIONEM RECIPIMVS. *Similiter & septima sub Adriano* I. REIICIENTIBVS SS. PATRVM SENTENTIAS PRO DOGMATIBVS DEI ECCLESIÆ CONSTITVENDIS PROMVLGATAS, ATHANASII, CYRILLI, AMBROSII, AMPHILOCHII, DIVINI LEONIS, AVGVSTINI; ANATHEMA. Quibus addo Concilium Toletanum 8. sub Martino I. *Vir Sanctissimus Augustinus, inuestigationis acumine cautus, inueniendi arte præcipuus asserendi copiâ profluus, eloquentiæ flore venustus, sapientiæ fructu fœcundus.* Incontradicibilem censuit Augustinum Sanctus Ildephonsus Episcopus Toletanus ser. 2. ex duodecim quos de Beata Virgine scripsit. AVDIANT AVGVSTINVM CVI CONTRADICERE FAS NON EST. Venerabilis Beda lib. de sexta ætate mundi vocat *Augustinum omnium Ecclesiarum Doctorem eximium.* Haymo Episcopus Halberstadiensis olim magni Alcuini Bedæ Discipuli auditor. in 2. Cor. 12. *Augustinus in elucidandis quæstionibus, omnes Doctores post Apostolos præcellit.* Remigius Antissiodorensis in 2. Cor. *Sicut Sol excedit omnes Planetas, ita Augustinus omnes Doctores.* Et in Psalmos, idem: *sicut stellæ lumen à Sole recipiunt, sic omnes Doctores ab Augustino.* Ambrosius Ansbertus libr. 6. in Apoc. *B. Augustinus vt Doctor facundissimus veniat in medium;* DE QVO NVLLVS DVBITAT FIDELIVM. Rupertus abbas lib. 7. de operibus Spiritus sancti cap. 19. *Iste est Augustinus columna & firmamentum veritatis, & verè columna nubis in qua thronum suum posuit Sapientia Dei.* Sanctus Vincentius Ferrariensis ser. de S. Augustino. *Audeo dicere, omnes Doctores qui venerunt post S. Augustinum sustentantur* SVPER EIVS DOCTRINA SINE ERRORE: *& quilibet Doctor est contentus ad probandum dictum suum, si potest habere vnam auctoritatem sancti Augustini.* Antonius Fornerius Cuciacensis Sacræ Theologiæ Professor in Dialogo de peccato orig. & Conceptione intemeratæ Virginis circa annum 1492. cuidam quærenti de immortalitate in qua Adam conditum dicebat, & Augustinum perperam citanti: *à tanto*, inquit, *quis dissentiet auctore?* NEMO NISI DVCTVS ARROGANTIA. *Nec vellem, nec possem illius dictis aduersari*, QVO ECCLESIÆ DOCTORE NEMO DOCTIOR, NEMO SACRIS LITERIS MELIOR. Sed optimè omnium Eminentissimus Cardinalis Baronius in Appendice pagina 965. edit. Plant. *Sedes*, inquit, *Apostolica professa est se probare sententiam Beati Augustini de gratia & libero arbitrio.* ADEOVT EIVS AVCTORITAS ET DOCTRINA NVNC LÆDI, ET VLLA EX PARTE IMPVGNARI AC REPREHENDI NON POSSIT, SINE MANIFESTO VIGINTI ET AMPLIVS SVMMORVM PONTIFICVM CONTEMPTV, ET SINE SINGVLARI SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ INIVRIA. Quidni posthæc liceat contra aduersarios Augustini hanc Marciani Imperatoris pronunciatam in Concilio Chalcedonensi Act. 3. torquere sententiam? *Verè impius est & sacrilegus, qui post tot Sacerdotum sententiam, opinioni suæ aliquid tractandum reliquit: extremæ quippe dementiæ est, in medio & perspicuo die commentitium lumen inquirere. Qui enim post veritatem repertam aliquid vlteriùs discutit, mendacium quærit.* Nec satis mirari possum priuatos & parui nominis authores, qui in nostri gygantis comparatione quasi locustæ meritò videantur, audeant temerè, dictis & scriptis sua somnia solidis & profundis Augustini disputationibus adæquare, de quibus Summus & Sanctus Pontifex Cœlestinus in calce epistolæ ad Episcopos Galliæ: *Profundiores*, inquit, *difficilioresque partes occurrentium quæstionum quas latiùs pertractarunt*, loquitur de Magistris optimis, inter

quos Augustinus habebatur; *qui hæreticis restiterunt*, *sicut* NON AVDEMVS CONTEMNERE, *ita non necesse habemus adstruere.* Audiant Prosperum aduersùs Collatorem B. Cœlestini memorem: *per hunc*, inquit, *intra Gallias istis ipsis, qui sanctæ memoriæ Augustini scripta reprehendunt, maleloquentia est adempta libertas, quando consultationum actione suscepta*, ET LIBRORVM QVI ERRANTIBVS DISPLICEBANT, PIETATE LAVDATA, QVID OPORTERET DE EORVM AVCTORITATE SENTIRE, SANCTO MANIFESTAVIT ELOQVIO. De eadem Cælestini epistola Photius in Bibliotheca: *Scripsit quoque ad Episcopos Galliarum* DE FIDE S. AVGVSTINI. Ac ne quis scriptorum Augustini partem aliquam approbatione meritâ frustretur, ad Gelasij suffragium, omnia sine exceptione eius opuscula approbanti, S. Prosperi contra collatorem agentis post Cælestini elogium verba subscribo: *contra istam clarissimam laudationis tubam, contra istam sacratissimi testimonij dignitatem, audet quisquam maligna interpretationis murmur emittere, & perspicuæ sincerissimæque sententiæ, nubem obliquæ ambiguitatis obtendere?* Viderint asseclæ Samuelis Maresij Professoris hæreseos Groeningæ, viderint qui cum ipsis sanctæ Sedi Apostolicæ iniuriosi, Augustinum in eadem naui cum Iansenio naufragum, eodem ictum anathematis fulmine dicere, vel scribere non verentur. Quantò veriùs, & debitæ tanto Patri pietati congruentiùs, cùm Eminentissimo Cardinale Seripando, sancti Tridentini Concilij Præsidente, & nostri priùs Eremitici Ordinis S. Augustini Generale, in calce sui in Epistolam ad Romanos præludij, mei in Tertullianum operis, in commendatione eiusdem Augustini claudam Epilogum? *Hoc*, inquit, *studio, hoc animi ardore, hac augendæ gratiæ cupiditate, & agnoscendæ veræ salutis viâ, non nostro ingenio, sed diuinæ opis auxilio freti, Pauli ad Romanos epistolam aggrediamur: cuius argumentum, non meis*, SED AVGVSTINI, IN QVO OMNIVM IVDICIO ATQVE SENTENTIA, AD INTERPRETANDAS SACRAS LITERAS SVMMA OMNIA FVERE, *verbis proponendum duxi. Is enim, quanquam aliud agens, totam huius epistolæ causam sic breuiter & absolutè complexus est. Epistolæ ad Romanos intentio est, vt de operum meritis nemo glorietur, de quibus audebant Israëlitæ gloriari, &c.* Ego verò Augustinum vnicum, quanquam aliud agentem, totius Tertulliani interpretem, illustratorem, censorem toto hoc opere protuli. Absit vt in eo audeam cum Israëlitis gloriari. Multò consultiùs cum B. Cœlestino I. concludam: qui cùm Augustinum Sanctæ recordationis virum, insuspectum, Magistrum optimum/à præcessoribus habitum confirmasset, & obtrectatoribus eius malè crescentibus resisti iussisset; capitulo duodecimo: *Non dubitemus*, inquit, *à Dei gratia omnia hominis merita præueniri, per quem fit vt aliquid boni & velle incipiamus, & facere. Quo vtique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudente sit prouidum, &c. Agit quippe in nobis, vt quod vult, & velimus, & agamus.* Illi ergo gratias illi soli honor, & gloria, qui ad tantum opus tamque spinosum adgrediendum, prosequendum, perficiendum, & velle dedit, & perficere immensâ suâ largitate concessit, *ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Cuius vt nutu & prouidentiâ factum est, vt susceptum hoc opus quod attinet ad compositionem, vigiliâ sancti Patris Augustini finiretur, eadem omnino, typographiæ opus sit fœliciter consummatum.

Lib. 1. ad Simpl. q. 2.

Tomo 1. Concil. p. 1. in ep. Cœlest. cap. 2.

Ibid. cap. 12.

Rom. 11. 36.

Finis Omniloquij Tertulliani.

INDEX
SCRIPTORVM VETERVM,
quorum mentio in Scriptis Tertulliani.

SACRORVM.

ECCLESIASTICORVM.

HÆRETICORVM.

Valentiniani, eorum Commentarij.
Victorinus.

EORVM QVI DE DEO ET DEIS scripserunt, eóque pertinentibus.

ANtiphon de somnijs.
Artemon de somnijs.
Callimachus de Coronis.
Claudius Saturninus de Coronis liber, origines, caussas, species & sollemnitates earum edisserens.
Cratippus de somnijs.
Diodorus.
Dionysius Rhodius de somnijs.
Epicharmus. [*Harpocration.*
Hermateles, siue Termateles, de Circensibus ludis.
Hermippus Beritensis omnem historiam somniorum cum suis originibus, ritibus, & relatoribus quinione voluminum satiatissimè exhibuit.
Histrionum littera.
Leo Ægyptius de Coronis.
Musaus.
Nicander de Oraculis.
Numa Pompilius.
Pherecides de Saturno.
Philochorus Atheniensis.
Pindarus.
Piso de Ludis.
Serapion de somnijs.
Strato Lampsacenus.
Timaus de Ludorum origine.
Varro Romanus Cynicus.

MAGORVM.

BErenice.
Damigeron.
Dardanus.
Nectabis.
Hosthanes.
Thyphon.

MEDICORVM, MATHEMATICORVM, & Physicorum.

ANdreas.
Apollodorus,
Apollophanes.
Archimedes.
Asclepiades.
Chrysippus.
Diocles.
Erasistratus.
Harpocration.
Herophilus, qui sexcentos exsecuit vt naturam scrutaretur.
Hicesius.
Hippocrates.
Mercurius Trismegistus, magister omnium Physicorum.
Nicander lib. de Venenatis bestijs.
Soranus Methodica medicina instructissimus auctor, plenissimè super Anima commentatus, quatuor voluminibus.
Strato Physicus.

PHILOSOPHORVM.

ÆNesidemus de Anima.
Albinus Platonicus.
Anacharsis,
Anaxagoras de Deo.
Anaximander.
Anaximenes de Anima.
Apollophanes de Anima.
Aristodemus.
Aristophon.
Aristoteles in Dialectica, de Anima.
Arius.
Callinicus in Orationibus.
Cebes in Pinace, de Anima.
Chrysippus de Diuinatione, de Anima.
Cleanthes, de Anima.
Cratippus.
Critias de Anima.
Critolaus Atheniensis de Anima.
Critolaus Peripateticus.
Democritus de Anima, de Somno.
Dicaarch⁹ Messeni⁹ de Anima libris trib⁹.
Diogenes Cynicus, de morte.
Diogenes Cyrenaus, seu Smyrnaus.
Empedocles de Anima, de Amicitia & inimicitia, de Somno.
Epicharmus.
Epicurus, de vacuo & inani, de Anima, in Epistola ad Menecaum de Somnijs.
Eubulus de Anima.
Heraclides Ponticus de Anima.
Heraclitus de Igneo Deo, Lib. de Natura.
Hipparchus de Anima.
Hippon de Anima.
Menedemus prouidentia vindex de editione.
Mercurius Ægyptius, in Asclepio.
Moschion.
Nigidius.
Panetius de Anima.
Parmenides de Somno.
Pherecydes Pythagora magister.
Phado.
Plato, in Timao, in Socrate, in Phadone, in Phadro, in Sophista, Hipparcho, Lachete, Protagora, Symposio, Alcibiade, Gorgia, Critone, de Republica, in Theateto, in Parmenide & Timao de Ideis, in Legibus, Philebo, in Politia.
Posidonius de Anima.
Protagoras.
Pyrron.
Pythagoras, Samius Sophista.
Socrates.
Strato Physicus, de Somno.
Thales de Anima.
Xenocrates de Anima.
Xenophanes de Somno.
Zenon Citticus.

HISTORICORVM.

ÆGyptiorum, Chaldaorum, Phanicum archiua.
Alexander Polyhistor.
Appion, siue Apion.
Aristeas de Interpretibus.
Berosus Chaldaus.
Callisthenes.
Cassius Seuerus.
Charon Lampsacenus Herodoto prior.
Cornelius nepos.
Cornelius Tacitus in Commentarijs, in historia Romana lib. 5. mendaciorum loquacissimus.
Ctesias.
Demetrius Phalereus Bibliotheca Ptolemai prafectus, Grammaticorum probatissimus.
Diodorus Siculus.
Dionysius Afer.
Ephorus.
Euphorion.
Fenestella in Annalibus.
Gracorum Annales.
Heraclides.
Hermotimus.
Herodotus, in Clio, in historijs, in Melpomene.
Ironus Phœnix, Tyri rex.
Iosephum in libris contra Apionem imitatur Tertullianus.
Iuba rex.
Manethon Ægyptius.
Menander Ephesius.
Nestor in Coceto.
Nymphodorus.
P. Pilatus Epistola ad Tiberium.
Pisistratus Bibliothecarum studiosus.
Plinij Secundi pleraque imitatur ex libris histor. natural.
Plutarchum de Placitis Philosophorum imitatur Tertullianus plerisque locis.
Ptolemaus Mendesius.
Ptolemaus Philadelphus eruditiss. studio Bibliothecarum Pisistratum amulatus, Interpretibus 70. trãsferenda in linguam Gracam Biblia tradidit, Bibliotheca eius apud Serapeum.
Sallustius.
Silenus Phryx.
Strabo.
Suetonius Tranquillus; quem imitatur Tertullianus, in Nerone.
Thallus.
Traiani rescriptum ad Plinium.
Vitellius in commentarijs.
Zeno Eleates.

ORATORVM, POETARVM, & Grammaticorum.

ÆSopus in Fabulis.
Aratus in Phanomenis.
Cato senior.
Catullus Mimographus in Laureolo.
Cebetis Pinax ex Virgilio.
Cicero seu M. Tullius, in Tusculanis, de Oratore.
Comicus incertus.
Demetrius Phalereus Grammaticorum probatissimus.
Demosthenis Gracus versiculus.
Diogenes Comicus.
Ennius.
Epicharmus Comicus.
Hesiodus de Pandora, poëticus Pastor appellatus.
Homerus in Odyss. in Iliad.
Homerocentones.
Hostilius Comicus.
Laberius Mimographus.
Lentulus Mimographus in Catiniensibus.
Lucretius lib. 1. de rerum natura.
Macrobius in somnium Scipionis.
Menander Comicus in Fullonibus.
Neoptolemus Tragœdus.
Nonius Comicus in Fullonibus.
Ouidius Geta in Medea Tragœdia ex Virgilio. Et in Metamorphosibus.
Pacuuius.
Phosphorus Rhetor.
Poeta incertus, in Tragœdia Cerberi.
Seneca, in Fortuitis, quem sapè nostrum appellat, Et lib. de superstitione.
Sophocles Tragicus.
Theopompus Comicus.
Tragœdia Oedipus.
Virgilius in Æneide.
Virgiliocentones.

INDEX
PRO CONCIONIBVS EX HOC OPERE CONTEXENDIS.
PRÆMONITIO.

NVLLI legem impono, nulli vim facio: liberum esto cuicumque Ecclesiasti, vt suggesserit, *qui dat verbum Euangelizanti virtute multa*, quæ voluerit ex hoc opere, suo magis adblandientia sensui decerpere. *Verbum Dei non est alligatum.* Paucis consulo. Primùm, vt diuinâ gloriâ, & animarum zelo præ oculis habito; nunquam concionator, se sermonis cuiuscumque compositioni accingat, nisi priùs in oratorio suo feruenter & humiliter imploratâ spiritus Sancti gratiâ, deposcat inspirari sibi diuinitùs quod Thema, vel argumentum, instruendis, & mouendis talibus, vel talibus auditoribus congruat. Secundò ex sacris biblijs Dominicæ, Festi, vel Diei, Epistolam, & Euangelium proprium, integrum attentè, & deuotè legat cum vita Sancti. Tertiò oratione aliqua breui & iaculatoria aperiri sibi sensum à Deo postulet, vt quod ei magìs placitum est, ex lectis eligat. Quartò consulat indicem Scripturæ, & siquid à Tertulliano, vel Augustino alijsque sit citatum vel expositum locis ibi notatis quærat. Quintò indicem item rerum amplissimum euoluat, & quæ ad doctrinam, vel mores magìs facient, iudiciosè decerpat.

Quoniam porro, non omnes habent domi Missale Romanum: habet hîc concionator exactissimè notatas Epistolas, & Euangelia totius anni, cum capite, & versu à quo incipiunt, & ad quem vsque finiunt.

Et quoniam, quantùm possum studeo breuitati, & facilitati; satis puto præstare, si concionatorem moneam, tria summatim, in concionando argumenta occurrere. Vel enim mysteria fidei credenda proponuntur, qualia sunt Incarnationis, Natiuitatis, Trinitatis, &c. vel Sanctorum Festa; vel Dominicæ per annum exponendæ, iuxta Epistolas, & Euangelia. Et singula attentè ac deuotè legenda, & meditanda sunt primò; dehinc mysteria populo clarè explicanda, & ad fidem eorum excitandus est auditor; & si quid ad mores inde deduci potest, siue contra vitia, siue ad virtutes debet conuertere sermonem.

Si festa sanctorum; primò commendari debent quæ in eis sunt laudabiliora; siue dictis, siue gestis. Deinde inuitandus est ad deuotionem circa eos, & maximè ad imitationem populus, à vitijs contrarijs deterrendo. Si denique Dominicæ tractantur; vel dicta, vel opera Christi narrantur: & similiter ex his vtiliora populo decerpenda sunt, siue ad instructionem, siue ad mores reformandos; virtutes & vitia his contraria exaggerando. Vix autem occurret aliquod mysterium fidei, vel virtus, aut vitium; aut aliquis scripturæ locus in Epistolis, & Euangeliis, ex quo lector aliquid non inueniat consonum in indicibus, tam Scripturæ, quàm rerum. Si nihil in proprio Euangelio, vel Epistola respondens inueniat in indicibus, consulat alias Epistolas & Euangelia, in quibus aliquid congruentiùs rei reperiet. Breuiter itaque Epistolas omnes, & Euangelia totius anni subijciam, singulis festis tam proprijs, quàm communibus, & Quadragesimæ feriis, ab Ecclesiâ applicata, nec me exactiori, singulorum argumentorum, ad Tertullianum aptationi obstringam, hâc præmonitione contentus.

Litera, t. significat tomum, v. vide, siue, verbo tali, vel tali.



IN FESTA PROPRIA SANCTORVM.

In Festum S. Andreæ Apostoli.

V. Euangelium Matth. 4. 18. ad 23. consule indicem scripturæ.

V. & Epistolam Rom. 10. 10. ad 19. in eodem indice.

De cruce ferenda exemplo S. Andreæ, Matth. 10. 38. qui non tollit crucem suam & sequitur me, non est me dignus, v. in indice.

De crucis mysterijs habes fusè, t. 2. v. crux in indice rerum. Item ex verbis Apostoli Coloss. 1. 24. adimpleo quæ desunt passionum Christi in corpore meo, v. in indice scripturæ. Cùm enim Christus recto corpore, Petrus inuerso sit crucifixus, Andreas quod deerat huic figuræ, impleuit, & non iam tribus horis, sed biduò in ea pependit.

In festo S. Nicolai Episcopi.

Epist. habetur ad Hebr. 13. 7. ad 18. Euang. Matth. 25. 14. ad 24. & Luc. 19. 13. in indice.

Cùm præ cæteris virtutibus eluxerit in S. Nicolao misericordia, & eleemosyna & charitas in proximum, v. hæc tria verba in indice rerum: item, v. pastor, & Episcopus de vigilantia pastorum.

De Conceptione B. Mariæ Virg.

Peccatum originale quodammodo naturale, v. animæ vis, 15. & schol. in p.

V. t. 1. parte 1. V. Maria & consule proprium indicem.

Item de peccato originali, t. 3. v. peccatum originale: cuius grauitate pensatâ, facile est concludere, Mariam totam pulchram & sine macula Dei matrem conceptam fuisse.

De eius laudibus, v. indicem, v. Maria t. 3.

Epist. habes, Prou. 8. 22. ad 36. v. indicem scripturę, & congrua festo sume.

Euangelium Matth. 1. 1. ad 17. v. similiter conuenientia.

S. Thomæ Apostoli.

Euang. Io. 20. 24. ad 30.

Epist. Ephes. 2. 19. ad f.

Consule Indicem scripturæ, & quære locos argumento congruentes.

V. indicem v. Thomas Apostolus.

Vel sume Thema ex Psal. 41. 8. abyssus abyssum inuocat, i. abyssus miseriæ & infidelitatis Thomæ, abyssum misericordiæ Christi, in voce catharactarum, id est plagarum, quæ apertæ sunt, & rupti sunt fontes abyssi magnæ, Christo crucifixo, de fide & Resurrectionis veræ in Christi carne palpabili habes innumera t. 2. V. fides v. Christi resurrectio, & 10. 3.

V. Resurrectio elige congruentiora.

Item in verba, pax vobis, v. Pax.

Item de confessione fidei, Christi & peccati, in verba Thomæ: *Dominus meus, & Deus meus, t. 2. v. confessio fidei, & v. confessio peccati.*

In die natali Domini.

In media nocte. Epist. Tit. 2. 11. ad 15.

Euang. Luc. 2. 1. ad 15.

In missa aurorę Epist. Tit. 3. 4. ad 8.

Euangel. Luc. 2. 15. ad 21.

In tertia missa Hebr. 1. 1. ad 13.

Euang. Io. 1. 1. ad 15.

Agere potes de incarnat. Christi: fusissimè habes t. 2. v. Christi incarnatio, & de natiuitate v. Christi natiuitas.

Vel sumpto Themate apparuit humanitas, ex epistola. Habes de apparitionibus filij Dei præludentis incarnationi futuræ, t. 3. v. Trinitatis secunda persona filius, & t. 2. v. Angelus 10.

Vel de eius humilitate in verba Pauli; exinaniuit semetipsum.

Pro S. Stephano.

Epist. ex Actis, 6. 8. ad 11. & cap. 7. 54. ad f.

Euang. Matt. 23. 34. ad f.

Elogia S. Stephani habes v. Stephanus, in indice rerum.

Item de dilectione inimicorum, v. inimicorum dilectio, t. 2. & vltio non sumenda v. vltio, t. 3.

De S. Ioanne Euangelista.

Epist. Eccli. 15. 1. ad 7.

Euang. Io. 21. 19. ad 25.

Elogia Ioannis habes, t. 2. v. Ioannes Euangelista fusè.

Pro festo Sanctorum Innocentium.

Epist. ex Apoc. 14. 1. ad 6.

Euang. Matth. 2. 13. ad 19.

V. indicem rerum v. infantes, & elige aptiora. Item v. Innocentia.

Item morale contra crudeles matres vel præfocantes, vel exponentes infantes v. infantes.

In Circumcisione Domini.

Epist. Tit. 2. 11. ad f.

Euang. Luc. 2. 21. ad 22.

De Circumcisionis mysterio v. Circumcisio, t. 2. & in indice rerum.

De nomine Iesu hoc die Christo imposito, v. infra, in festo S. nominis Iesu.

In Epiphania Domini.

Epist. Esa. 60. 1. ad 7.

Euang. Matth. 2. 1. ad 13.

V. t. 2. Christi elogia, 18. 19. à pag. 340. ad 345.

Et t. 2. v. Magi, pag. 61.

Et t. 2. v. Abraham, 2. 2. vbi de Gentilibus fidei filijs, quales erant Magi.

Et v. Angelus 1. t. 2. magi Dei cognitores: consule & indicem rerum.

In festo Sanctissimi nominis Iesu.

Epist. ex act. Apost. 4. 8. ad 13.

Euang. vt sup. in Circumcisione v. V. Iesus, t. 2. & in indice rerum.

Et t. 3. v. nomen.

Et t. 2. v. Angelus 10.

In Cathedra S. Petri Romæ.

Epist. 1. Pet. 1. 1. ad 8.

Euang. Matth. 16. 13. ad 20.

De Primatu Petri, & Pontificis, & Ecclesiæ Romanæ, v. t. 3. v. Petrus, & v. Papa & v. Ecclesia t. 2.

In Conuersione S. Pauli.

Epist. Act. 9. 1. ad 23.

Euang. Matth. 19. 27. ad 30.

v. t. 3. v. Pauli conuersio fusè, & indicem rerum consule, v. Paulus & v. mutatio t. 3.

In Purificatione B. Mariæ V.

Epist Malach. 3. 1. ad 5.

Euang. Luc. 2. 22. ad 33.

V. Maria t. 3. & in indice rerum v. Maria quæ conuenient festo, partus incorrupti, & humilitatis, & obedientiæ B. Virginis quæ exempta à lege se legi subiecit.

In festo S. Matthiæ Apostoli.

Epist. Act. 1. 15. ad f.

Euang. Matth. 11. 25. ad f.

De sortibus missis, v. in indice rerum, v. sors de Apostolis in genere. v. Apostoli.

In festo S. Thomæ Aquinatis.

Epist. Sap. 7. 7. ad 15.

Euang. Matth. 5. 13. ad 20. & Luc. 14. 34.

De doctrina, miraculis, & virtutibus eius, vita eius legenda, & consulendus index scripturæ & rerum in argumenta congrua.

IN FESTA PROPRIA SANCTORVM.

In festo S. Ioseph.

Epist. Eccli. 45.1 ad 7.
Euang. Matth. 1. 18. ad 22.
Quod S. Ioseph sponsus Virginis, & Christi pater putatiuus & nutritius, v. indicem rerum v. Ioseph & quæ de Ioseph Patriarcha consona habentur, applica illi. Illiberi & veluti mortuo per votum castitatis Spiritus S. de Virgine vxore eius filium produxit, v. Tertull. 4. cont. Marc. 4. & de hac lege v. indicem script. Deut. 25. 5.

In festo Annuntiationis B. Mariæ.

Epist. ex Isa 7.10. ad 16.
Euang Luc. 1. 26. ad 39.
V. indicem, v. Maria & excerpe congrua maxime quod Eua contraria tractanti cum diabolo, & to 3. v. Maria fusissimè.

In festo Paschatis.

Epist. 1. Cor. 5.7. ad 9.
Euang Marci. 16 1. ad 8.
V. tomo 2. Christi magnalia, v. Christi Resurrectio, & v. Christi carni, & nostræ competit resurrectio cui mors.
Et vide in indice rerum fusissimè v. Resurrectio, impugnata ab hæreticis, v. Resurrectio probata scripturis figuratiuis & expressis. Item rationibus. Tandem de corporis gloriosi dotibus t. 3.
Et v. Carnis dignitas in ordine ad gloriam. t. 2. per multa capita.

Feria 2. post Pascha.

Epist. Act. 10. 37. ad 44.
Euang. Luc. 24. 13. ad 36.
V. indicem scripturæ.
Et indicem rerum, v. peregrinus.
Et v. opera bona, & t. 3 v. opera bona, & v. eleemosina.
Item de fractione panis Eucharistici, & de communione sub vnica specie locis proprijs, v. Eucharistia.

Feria 3. post Pascha.

Epist Act. 13. 26. ad 34.
Euang. Luc. 24 36. ad 48.
V. indicem v. pax.
Et de Christo post resurrectionem manducante, & de carne eius non phantastica, sed vera, v. caro Christi. t. 2.

In festo S. Marci Euang.

Epist. Ezech. 1 10. ad 15.
Euang Luc. 10. 1 ad 10.
V. Euangelista, t. 2. & in indice. lege vitam, & quæ in ea digna laude, & imitatione, elige, & consule indices scripturæ, & rerum.
Et si vis age de pace, quam Christus eidem apparens dedisse narratur, v. pax. t. 3.

In festo Apostolorum Iacobi & Philippi.

Epist. Sap. 5. 1. ad 6.
Euang. Io. 14. 1. ad 14.
Lege vitas, & elige laude & imitatione digniora, & indices scripturæ, & rerum, virtutes eorum, & vitia ijs contraria. Vel iuxta Epistolam & Euangelium sume conuenientia laudibus, & moribus.

In festo Inuentionis S. Crucis.

Epist. Philipp. 2. 5. ad 12.
Euang. Io. 3. 1. ad 16.
Consule indices scripturę, & rerum, & t. 2. v. Crux per totum fusissimè, & v. in indice scrip de thesauro abscondito in agro, cui comparatur regnum cœlorum, cuius rex à ligno regnauit. Matt. 13. 44. & Psal. 95. 9.

In festo S. Matris nostræ Monicæ.

Epist. 1. Tim 5. 3. ad 11.
Euang Luc 7. 11. ad 17.
V. Monica in indice rerum.
Et de lachrymis eius, v. lachrymæ. t. 3.
Et in indice rerum.
Item de triplici eius statu, v. castitas.
t. 2. v. Virgo & v. vidua. t. 3. & matrimonium, nuptiæ, & v. vxor.
Item de cultu muliebri ab ea neglecto: contra mundum muliebrem, v. mulierum ornatus, & v. vestis t. 3.

In festo S. Ioannis ante portam Latinam.

Epist. Sap. 5. 1. ad 5.
Euang. Matth. 20. ad 24.
V. indicem scripturæ & rerum, v. Ioannes Euangelista, maximè in dolium olei feruentis missum.

In apparitione S. Michaëlis Archangeli.

V. dicenda in festo eius mense Septembri.
Epist Apoc. 1. 1. ad 6.
Euang. Matth. 18. 1. ad 11.

In festo Ascensionis.

Epist. Act. 1. 1. ad 12.
Euang. Marc. 16. 14. ad f.
V Christi magnalia t. 2. v. Ascensio Christi, & de dotibus gloriosi corporis v. caro in ordine ad gloriam, t. 2. & v. Resurrectionis dotes. t. 3.

In festo Pentecostes.

Epist. Act. 2. 1. ad 12.
Euang. Io. 14. 23. ad f.
De linguis igneis v. indicem scripturæ & rerum, v. lingua, t. 3. & v Apostoli, t. 2. & morale de linguæ vitijs, mendacio contra spiritum veritatis, v. mendacium. t. 3. v. iuramentum. t. 2.
V. Spiritus S. t. 1. fusissimè.
Item de dono linguarum t. 2. v. amor Dei. 2. in textu & sch. & v. acta Apostolorum.
In igneam fornacem mittamus cor, deificandi, t. 2. v. anima 2. & schol. circa f.
Spiritus S. insufflatus Apostolis t. 2. v. anima 6. schol. à p.
Spiritus S. anima mundi, eum implens, & mouens, t. 2. v. animæ vis 1. schol in m
Lingua ignea, spiritus libertatis & veritatis, vrget mendacium, seruile vitium t. 2. v. animæ vis 4. in textu, & schol. à m.
Habes. sufficienter pro duobus diebus sequentibus, t. 3. v. spiritus, fusissimè: partim pro parte doctrinali sermonis, partim pro morali.

Feria 2. Pentecostes.

Epist. Act. 10. 42. ad f.
Euang. Io. 3. 16. ad 22.

Feria 3. Pentecostes.

Epist. Act. 8. 14. ad 18.
Euang. Io. 10. 1. ad 11.

In festo SS. Trinitatis.

Epist. Rom. 11. 33. ad f.
Euang. Matth. 28. 18. ad f.
1. Io. 5. 7 tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, verbum, & Spiritus S. & hi tres vnum sunt.
V. t. 3. verbo Trinitas per totum fusissimè & t. 2. v. Dei vnius notitia, & in indice scripturæ, & rerum, & v. Angelus 10. t. 2.

In festo corporis Christi, & per totam Octauam.

Epist. 1. Cor. 11. 23. ad 30.
Euang. Io. 6. 56. ad 60.
V. in indice rerum, v. Eucharistia.
Et t. 2. v. Eucharistia, & to. 3. v.
Sacramentum & sacrificia, vbi de Missæ sacrificio, & t. 2. v. elogia Christi. Christus catholicus sacerdos & catholicum templum.
Ex quibus facilè erit singulis diebus multa præclara texere tam de reali Christi præsentia in Eucharistia, quàm de eius effectibus, & dispositionibus ad eam necessarijs.
Item de communione sub vtraque specie, & an fuerit infantibus necessaria, t. 2. v. infantes & v Angelus, 4. t. 2. Christus nobis mater & nutrix, & t. 2. v. anima 2. Eucharistia crater amoris, schol. in f. & v. anima 4. schol in f. poculum inebrians verè.

In festo S. Barnabæ Apostoli.

Epist. Act. 11. 21. ad 27. & cap. 13. 1. ad 4.
Euang Matth. 10. 16. ad 25.
V. Apostoli t. 2. & in indice rerum & scripturæ, & quod Deus cum Paulo sit dictus. Ego dixi dij estis. Psal. 81. & Io. 1. 12. dedit potestatem filios Dei fieri.

In festo S. Ioannis Baptistæ.

Epist. Esa. 49.1.ad 4.
Euang. Luc.1.57.ad 69.
V.t.2.v.Ioannes Baptista, & in indice rerum, & scripturæ sacræ.
Vinum & siceram non bibet, contra ebriosos v.gula & v.ebrietas,t.2.
Vestitus de pilis caprarum, contra luxum, & pompam vestium,v. ornatus, & v. vestes, t.3.& v.pœnitentia, & v.satisfactio, t.3.& exomologesis,t. 2. & à diebus Ioannis regnum cœlorum vim patitur, & quid patiantur sæculi filij propter vnius anni volaticum gaudium,v. Æternitas,t.2.

In festo S. Petri principis Apostolorum.

Epist. Act.12.1. ad 12.
Euang. Matth.16. 13.ad 20.
V.Petrus to.3.& in indice fusissimè de doctrina, virtutibus, & morte eius habes quid eligas.

In Commemoratione S. Pauli.

Epist. Gal.1.11. ad 21.
Euang.Matth. 10.16.ad 23.
V.t.3. Pauli doctrina, virtutes, &c. fusissimè & in indice rerum.

In Visitatione B. Mariæ.

Epist.Cant.2. 8.ad 15.
Euang. Luc.1.39.ad 48.
Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me, v. Maria Dei mater, t.3.

In festo S. Mariæ Magdalenæ.

Epist.Cant.3. 2. ad 6.& cap.8.6.ad 8.
Euang. Luc. 7.36.ad f.
V. Magdalena, t.3.
Hæc vt regina Berenice leonem de tribu Iuda cicurauit, t.2.v. animæ vis,15. & schol.in m. & ei quasi pulchræ dilectionis matri crines sacrauit, ibid

In festo S. Iacobi Maioris.

Epist. 1. Cor. 4. 9.ad 16.
Euang. Matth.20.20 ad 24.
Potes in multis eum conferre cum Iacob Patriarcha, vt quòd B. Virginem vt schalam cœli viderit, quòd luctatus sit cum Christo Angelo testamenti. quòd pede claudicarit. Item quòd cum fratre, vanè ante lucem surgere voluerit, & Christo humiliato exaltari. Indicem scripturæ consule in verba psaltis. Vanum est vobis, &c. Psal. 126. 3. & in indice rerum v. Iacob. & Iacobus Apostolus.

In festo S. Annæ.

Epist. Prouerb. 31 10. ad f.
Euang. Matth.13.44.ad 53.
Conferre potes eam, cum alijs Annis in scriptura commendatis, de quibus in indice rerum. v. Anna.
Item quòd Anna significet gratiam, & requiem, & in ea Maria gratia plena requieuit. Adeò vt & ipsa velut sabbatum & requies Dei fuerit, v.indicem scripturę in Genesim Requieuit Deus, Gen.2.2.& 3.
Anna etiam significat respondentem gratiæ, cui non est resistendum, quære concion, de thesauro gratiæ, item de eleemosinis templo, & pauperibus dandis, quibus Ioachim & Anna sunt pro meriti Mariam, thesaurum omnium gratiarum.

S. Petri ad vincula.

Epist. & Euangel. vt in proprio die.
De vinculis tribulationum, carcere, &c. consule indicem rerum proprijs locis, cum indice scripturæ.

In festo Transfigurationis.

Epist. 2. Petri 1. 16.ad 20.
Euang. Matth. 17.1.ad 10.
V. totum Euangel. expositum,v. Christi magnalia, 4.t.8.402. in m. Christus imago Patris, hic est filius meus dilectus, & ibid. 404. fusissimè, & de mutatione vultus Christi apud Tertull. de resurrect. cap. 55. & 4. cont. Marc. cap. 22.

In festo S. Laurentij.

Epist. 2. Cor.9.6.ad 11.
Euang. Io.12.24. ad 27.
V. indicem scripturæ.
Item, t. 3. v. Martyres, & Martyrium, & in 1. Cor. 3.12. vbi de fundamento, & probandis per ignem.

In festo Assumptionis B. M.

Epist. Eccli.24.11.ad 21.
Euang. Luc.10.38.ad f.
Si vis compara Mariam cũ Eua, & dic ex Gen. 2.18. non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile. Maria enim adiutrix, & cooperatrix fuit humanę reparationi, mediatrix & aduocata. nec Christum Deum & hominem, bonum fuit solum esse in paradiso cœlesti. Sed sicut ille innocens sic & illa, non debito peccati, sed amore mortua est, nam mors ex peccato, & stimulus mortis peccatum est, nec homo mortuus fuisset si mansisset innocens. Deinde ex terra Virginitatis incorrupta, in loco corruptionis manere non debebat. Si Christus primitiæ dormientium, Maria etiam sexui fœmineo præcurrere debebat, testante Paulo 1. Cor. 15. quod vnusquisque in ordine suo. Psaltes non soli, Christo, sed & Mariæ vt Arcæ sanctificationis acclamat: surge domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ. Ad hæc vt Christus aduocatus apparet vultui Dei pro nobis sic Maria aduocata vultui filij: Quem bonum non est esse solum, quia & iudex est: Maria autem tota misericors est. Quæ & cùm omni virgine, & vidua sit castior, si iuxta Tertull. viduæ conferetur, vt ad primum tubæ Angeli pulsum resurgat: de quo v. t. 3. v. vidua, debet omnem tubam pręcessisse Virgo. Signum magnum in cœlo, &c.

In festo S. Rochi.

Epist. & Euang. vt in communi Confessoris non Pontificis.
Medicus est grauissimi pestilentiæ morbi, v. medicus in indice rerum. Maximè autem exemplis voluntariæ paupertatis, fugæ principatus, & perpetuæ castitatis, tres mundi pestes curat, auaritiam, superbiam & luxuriam De quibus in indice scripturæ & rerum quære locos conuenientiores.

De S. Bartholomæo.

Epist. 1. Cor.12.27.ad f.
Euang. Luc.6.12.ad 20.
V. Martyres, & Martyrium,t.3.& v. Apostoli.
Et quæ in Epist. Euangelio, & vita eius ad laudem & imitationem virtutum aptiora elige, & in indicibus scripturæ, & rerum inquire.

De S. Ludouico Rege Christianissimo.

Epist. Sap.10.10.ad 15.
Euang. Luc.19.12. ad 27.
Ecce plusquàm Salomon hic, Luc.7.11.
Salomon nil negauit oculis suis; hic nil dedit, nec infanti in Eucharistia videndo. Salomon vestibus, epulis, delicijs indulsit, ad idola deflexit, vnicum templum erexit, &c. per antitheses exalta Ludouicum miraculis, virtutum exemplis.

In festo S. Patris Augustini.

Epist Eccli.50.1. ad 15.
Euang. Matth.5.13.ad 20.
Vide elogia Augustini in indice rerum fusissimè.

In Decollatione S. Ioannis.

Epist. Ierem. 1.4. ad 11. & 18.ad f.
Euang. Marc.6.17.ad 30. & Luc.3.19.
V Ioannes t. 2.
V.t. 2.p 11.v. adulter Herod. contra choreas, & conuiuia, & adulteria, & vana iuramenta, v.proprijs locis in indice rerum.

In Natiuitate B. Virginis.

Epist. Prouerb 8.22. ad 36.
Euang. Matth.1.1.ad 17.
V. Maria t.3

In festo S. Nicolai Tolentini.

Epist. Eccli.45.1.ad 7.
Euang. Matth.19.27.ad 30.
Miracula eius, & virtutes habes in vita, & in rerum indice v. abstinentia, ieiunium, pœnitentia, oratio, innocentia, deuotio circa animas purgatorij liberandas. In quib⁹ omnibus excellebat.

In Exaltatione S. Crucis.

Epist. Philipp. 2. 5. ad 12.
Euang. Io. 12. 31. ad 37.
V. Crux t. 2. per totum.
Et de Cruce tollenda propria, de tribulationibus v. vtrumque indicem, scripturæ & rerum.

In festo S. Mathæi Apostoli.

Epist. Ezech. 1. 10. ad 15.
Euang. Matth. 9. 9. ad 14.
Lege vitam, & nota miracula & virtutes, v. Publicanus, t. 3. v. Matthæus, t. 3. & quòd se publicanũ vocet. v. Confessio peccati. t. 2. & quod Iphigeniæ Regis filiæ Virginitatis custodiam suaserit, vt virtutis excellentissimæ, v. Virgo, & velandæ Virgines, t. 3. & v. castitatis species, t. 2. item, v. Apostolus, & v. Euangelista, t. 2.

In Dedicatione S. Michaëlis Archangeli.

Epist. Apoc. 1. 1. ad 6.
Euang. Matth. 18. 1. ad 11.
V. Michaël in indice.
Et dic, quòd fuerit debellator Luciferi in cœlo & futurus Antichristi profligator. Dux Synagogæ in primogenitis Ægypti occidendis, educendo populo, columnam nubis ferens, motor piscinæ, præfectus iudicio particulari, cuius nomen sonat, quis vt Deus? à quo docemur zelo pari resistere contra Deum insurgentibus. Deum vnum omnibus præponendo; cum psalte dicentes, *Quis in nubibus æquabitur Domino? Quis sicut Deus noster qui in altis habitat?* &c. & quære in indicibus congrua suis locis, vt ad honorem summi Angelorum principis, & eius imitationem auditores accendas.

In festo S. Angeli Custodis.

Epist. Exo. 23. 20. ad 24.
Euang. Matth. 18. 1. ad 11.
V. Angelus, t. 1. vbi habes plurima de Angelorum custodum circa nos officijs, v. etiam indices scripturæ, & rerum.

In festo SS. Rosarij.

Epist. Cant. 2. 1. ad 5.
Euang. Luc. 8. 1. ad 11.
De rosis v. Midæ rosetum, & v. Rosæ centenariæ in indice rerum.
Et v. Maria, t. 3. item. v. indulgentiæ.

In festo S. Francisci.

Epist. Gal. 6. 14. ad f.
Euang. Matth. 11. 25. ad f.
Mira habes dicenda de prodigijs, innocentia, charitate Dei & proximi, humilitate & pœnitentia S. Francisci, quæ suis locis in indice requires.

In festo S. Dionisij.

Epist. Act. 17. 22. ad f.
Euang. Luc. 12. 1. ad 9.
Dionisius commendabilis à linguata ciuitate Atheniensium, ab Areopagi præfectura, sapientia, astrologia & eclypsi solis, die Dominicæ Passionis; à doctissimis scriptis, Pauli discipulatu, Gallorum conuersione, Martyrio, &c. quæ potes magna ex parte sparsa hinc inde colligendo, ex hoc opere illustrare, indices euoluendo.

In festo S. Lucæ Euangelistæ.

Epist. 2. Cor. 8. 16. ad f.
Euang. Luc. 10. 1. ad 10.
V. Lucas, t. 3. v. Euangelistæ, t. 2. & v. discipuli, ibid. Quod perpetuò cœlebs, v. cœlibatus, quod Martyr, v. Martyr. Item quòd medicus, tot remedia vitijs suggerat, quot habet in Euangelio capita.

In festo SS. Simonis & Iudæ.

Epist. Ephes. 4. 7. ad 14.
Euang. Io. 15. 1. ad 16.
Simon obedientem, Iudas confitentem siue confessionem sonat, vterque pro fidei confessione, Christum imitans, factus est obediens vsque ad mortem, & nos ad idipsum hortatur exemplo. Iudas scripsit Epistolam, in qua multa paucis complexus est, ex quibus magna dicendi copia est oratori. Quære in indicibus conuenientia.

In festo Sanctorum omnium.

Epist. Apoc 7. 2. ad 13.
Euang. Matth. 5. 1. ad 13.
Satis superque materiæ suggerit tam Epist. quàm Euangelium.
Ad hæc v. indicem rerum, v. sanctus, t. 3. & de gloria cœli, & vijs quibus sancti ad eam peruenerunt.
Item de honore sanctis debito, de eorum inuocatione, & reliquijs, & pretiosa morte.

In Commemoratione omnium fidelium Defunctorum.

Epist. 1. Cor. 15. 51. ad 58.
Euang. Io. 5. 25. ad 30.
De Purgat. pœnis, & nouissimo quadrante in eo exsoluendo, v. Purgatorium, t. 3. & ibid. de oblationibus annuâ die pro iis faciendis.

In festo S. Marcelli Parisiis.

Epist. v. infra de Communi Conf. Pont.
Euang. v. inf. de Communi Confess. Pont.
Dic quòd fuerit à Deo vocatus tanquam Aaron, de virtutibus eius & miraculis. Lege vitam & consona quære in vtroq; indice.

In festo S. Martini.

Epist. Eccli. 44. & 45 excerpta ex f. & p.
Euang. Luc. 11. 33. ad 37.
Vita eius plena miraculis, & virtutum exemplis, de quibus facile erit in indicibus conuenientia inuenire.

In Præsentatione B. Virginis.

Epist. Eccli. 24. 14. ad 17.
Euang. Luc. 11. 27. ad 29.
De parentum debito erga filios Deo dicandos, de eo quod habet Paulus, *Obsecro vos vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam,* &c. Rom. 12. 1. de votis, de castitate proprijs locis in indice.

In festo S. Catharinæ V. & Mart.

Epist. Eccli. 51. 1. ad 9. & 12. ad 13.
Euang. Matth. 25. 1. ad 14.
De aureolis Doctoris, Virginis & Martyris, de quibus habes in indice singulis verbis. Potes & ex Paulo sumere *Stultam fecit Deus sapientiam huius mundi; qui per adolescentulam quinquaginta Philosophos confudit, vt qui gloriatur in Domino glorietur.*

In Communi Sanctorum.

In Communi Martyrum Pontificum.

Epist. Iac. 1. 12. ad 19.

Martyrum tantùm.

Sap. 10. 10 ad 15. & 2. Tim. 2. 8. ad 11. & cap. 3. 10. ad 15. & 1. Petri. 4. 13. ad f & Iac. 1. 2. ad 15.
Et pro temp. Paschali, Sap. 5. 1. ad 6. & 1. Petr. 1. 3. ad 8. Apoc. 19. 1. ad 10.
Euang. pro Communi Martyr. Pontif. Luc. 14. 26. ad 34. & Matth. 16. 24. ad 28.
Pro Martyre tantùm. Matth. 10. 34. ad f. & cap. 10. 26. ad 33. & Io. 12. 24. ad 27. v. Martyrium, & Martyr t. 3.

Pro pluribus Martyribus tempore Paschali.

Epist. habes suprà.
Euang. Io. 15. 1. ad 8. & ibid. 5. ad 12. & cap 16. 20. ad 23.
Pondera diligenter verba Euangelij, applica sanctis propria excerpta ex eorum vita, & quære in indicibus conuenientiora tam laudi, quàm imitationi.

In Communi Confess. Pontif.

Epist. Eccli. 44. 45. est composita ex vtriusque capite. Hebr. 7. 23. ad 28 & cap. 5. 1. ad 5. & cap. 13. 7. ad 18.
Euang. Matth. 25. 14. ad 24. & cap. 24. 42. ad 48. & Luc. 12. 35. ad 37. & Marc. 13. 33. ad f.

Commune Doctorum.

Epist. 2. Tim. 4. 1. ad 9. Eccli. 39. 6. ad 15.
Euang. Matth. 5. 13. ad 20.

In Communi Confess. non Pontif.

Epist. Eccli. 31. 8. ad 12. 1. Cor. 4. 9. ad 15. Philipp. 3. 7. ad 13.

Euang. Luc. 12.35.ad 41.& ibid. 32.ad 35.& cap. 19.12.ad 27.

In Communi Abbatum.

Epist. Eccli. 45.1.ad 7.
Euang. Matth. 19.27 ad 30.

In Communi Virg. & Mart.

Epist. 2. Cor. 10.17.ad f.& cap. 11.1.ad 3.& 1. Cor. 7.25.ad 35.
Euang. Matth. 16.1.ad 14.& cap. 13.44. ad 53.

In Communi Martyr. tantùm.

Epist. vt suprà.
Euang. Matth. 25.1.ad 14. & cap. 13 44.ad 53.

Pro nec Virg. nec Martyr.

Epist. Prouerb. 31. 10.ad f.
Euang. Matth. 13. vt suprà 44.ad 53.

Commune viduarum.

Epist 1. Tim. 5.3.ad 11.
Euang. vt suprà.
De Communi Virginum, Martyrum, Nuptarum, Viduarum, multa præclara habes in indice rerum, v. Virgo, vidua, matrimonium, nuptiæ, t.3.& v. castitas. t. 2.

In Dedicatione Ecclesiæ.

Epist. Apoc. 21.2.ad 16.
Euang. Luc 19.1.ad 11.
De templo non profanando, v. templum, t.3. de templo item proprij corporis non violando luxuriâ, v. luxuria t. 3.
De domo orationis, &c.



PRO OMNIBVS DOMINICIS
Dominica prima Aduentus.

Epist. Rom. 13.11 ad f.
Euang. Luc. 21.25.ad 34.
De signis præcedentibus iudicium, habes to. 2. v. iudicij signa.
Decurre Euangelium, & quære consona in indicibus, & Luc 21.27. *Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate*, v. iudicij spectaculum & ordo. Item de timore Dei, v. Timor. & Dei iustitia, & Christus iudex proprijs locis.

Dominica 2. Aduentus.

Epist. Rom. 15. 4. ad 14.
Euang. Matth. 11 2.ad 11. Luc 7.18.
De vinculis Ioannis, & afflictionibus, & carcere iustorum.
Habes contra errorem Tertulliani in verba Euangelij, *Tu es qui venturus es?* Quasi fuerit spiritu Prophetię destitutus, t. 1. parte 3. in alphabeto errorum, v. Ioannes.
In verba cæci vident, &c. t. 2. v. Christi miracula.
In illa, *Pauperes Euangelizantur, de verbo Dei audiendo, quod pauperes spiritu aure cordis auidius excipiunt*, v. verbum Dei, t.3.
Beatus qui non fuerit scandalizatus in me, v. scandalum t. 3.

Dominica 3. Aduentus.

Epist. Philipp. 4.4.ad 8.
Euang. Io. 1.19. ad 29.
Decurre Euangelium, & elige. *Tu quis es?* De vera & humili cognitione sui, v. humilitas, t. 2. *Et Confessus est, & non negauit, quia non sum ego Christus*, de Confessione fidei & Christi, v. Confessio t. 2. *Ego vox, &c.* v. t. 2. v. Ioannes, *Medius vestrum stetit, &c.* v. Christus mediator Dei & hominum, t. 2.

Dominica 4. Aduentus.

Epist. 1. Cor. 1.1.ad 6.
Euang. Luc. 3.1. ad 7.
Venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ, potes agere de Baptismo Ioannis, præparatorio ad baptisma Christi, v. baptisma Ioannis, t. 2. fusè.
Item de Baptismo pœnitentiæ, & quia Iordanis significat causam & iudicium, & sacramentum pœnitentiæ est iudicium in quo agitur causa animæ, tres dic esse regiones Iordanis, 3. partes pœnitentiæ tres, & v. verbo contritio, t. 2. v. Confessio, ibid. v. satisfactio, t. 3.

Dominica infrà Octauam Natiuitatis.

Epist. Gal. 4. 1. ad 8.
Euang. Luc. 2. 33. ad 41.
Plurima habes quæ requiras à Tertull. & Aug. tractata in singulas partes huius Euangelij.

Dominica infrà Octauam Epiphan.

Epist. Rom. 12. 1. ad 6.
Euang. Luc. 2.42.ad f.
Habes & quod inuenias maximè de Christi obedientia, v. Christi obedientia, t. 2. & de progressu in virtute. tom. 4.

Dominica 2. post Epiphan.

Epist. Rom. 12.6.ad 16.
Euang. Io. 2.1.ad 12.
De nuptijs Canæ, & primo miraculo, non pauca inuenies, v. Aqua. t. 1.
Item de Nuptijs, v. nuptiæ.

Dominica 3. post Epiphan.

Epist. Rom. 12.16.ad f.
Euang. Matth. 8.1.ad 14.& Luc. 5.12. & Luc. 7.1.
Habes de Leproso curato & puero Centurionis suis locis in Christo medico, v. Christus, t. 2. v. gratiarum actio, t. 2.

Dominica 4. post Epiphan.

Epist. Rom. 13.8.ad 11.
Euang. Matth. 8. 23.ad 28.& Luc 8.22.ad 26.
De fide medica, de tempestate obediente Christo. Eiusque in periculo tranquillitate: quære congrua.

Dominica 5. post Epiphan.

Epist. Coloss. 3.12. ad 18.
Euang. Matth. 13.24.ad 31.
De zizanijs praxeanis, hæresim figurantibus, habes lib. cont. Praxean. c. 1.
De malis admixtis bonis, ob quos schisma non est faciendum, v. pax t. 3.

Dominica 6. post Epiphan.

Epist. 1. Thess. 1.2.ad f.
Euang. Matth. 13.31. ad 36.& Luc. 13.18.
De grano sinapis, & fermento mulieris abundat hic materia.

Dominica in Septuagesima.

Epist. 1 Cor. 9.24.ad f.& cap. 10.1.ad 6.
Euang. Matth. 20.1.ad 17.
De parabola, quærentis operarios ad vineam, de oculo nequam & inuido, de paucis electis, quære suis locis.

Dominica in Sexagesima.

Epist. 2. Cor. 11.19.ad f.& cap. 12.1.ad 10.
Euang. Luc. 8.4.ad 16.
De parabola seminis verbi audiendi habes multa, v. verbum Dei, t.3.

Dominica in Quinquagesima.

Epist. 1. Cor. 13. 1. ad f.
Euang. Luc. 18.31.ad f.& Matth. 20.17.
De commemoratione futuræ Passionis.
Et de cæco Iericho Iesum filium Dauid inclamante. Deque hominis libertate, cui dicitur; *Quid tibi vis faciam?* Quære suis locis.

Dominica prima in Quadrages.

Epist. 2. Cor 6.1. ad 11.
Euang. Matth 4 1. ad 12. & Luc 4. 1.
De Christi tentationibus; gula, ambitione vel auaritia, & curiositate, de ieiunio, deque Angelorum ministerio, habes suis titulis plenissimè.

Dominica 2. in Quadrages.

Epist. 1. Thess. 4. 1. ad 8.
Euang. Matth. 17. 1. ad 10. & Luc 9. 28.
Habes de hoc Myst. supra notata in festo Transfigurationis.

Dominica 3. in Quadrages.

Epistola Ephes. 5. 1. ad 10.
Euang. Luc. 11. 14. ad 29.
De dæmoniaco surdo muto, & immundo, habes, v. luxuria. v. Confessio, v. peccati pudor. In verba item; *Reuertar in domum meam*; v. relapsus, & in v. *Beati qui audiunt*, v. verbum Dei, &c.

Dominica 4. in Quadrages.

Epist. Gal. 4. 22. ad f.
Euang. Io. 6. 1. ad 16.
Multa habes apud Tertullianum quæ referas in hoc Euangelium, de Prouidentia, v. Prouidentia, t. 3. & in indicibus rerum & scripturæ apposita require.

Dominica Passionis.

Epist Hebr. 9. 11. ad 16.
Euang Io. 8. 46. ad f.
Quod Deus, & Christus solus sit absque peccato, & de odio, damnisque peccati, deque Innocentia custodienda. De veritate, de verbo Dei audiendo, &c. non deficit materia, sed superabundat.

Dominica Palmarum.

Epist. Philipp. 2. 5. ad 12.
Euangel. Matth. 21. 1. ad 10.
In verba, *Soluite & adducite*, de potestate ligandi & soluendi data Ecclesiæ, & sacramento pœnitentiæ, De Christo rege, *Ecce rex tuus*, de vestium contemptu, item de veteris hominis expoliatione, *prosternebant vestimenta sua in via*, de acclamatione puerorum, hosanna.

Dominica Resurrect.

Epist vt supra. In die Paschatis.
Euang. vt supra.

Dominica in albis.

Epist. 1. Io. 5. 4. ad 11.
Euang. Io. 20. 19. ad f.
Cum fores essent clausa, de sensibus externis claudendis, vel subtilitate corporis gloriosi: *Pax vobis*, de pace cum Deo, proximo, seipso habenda, v. Pax, t. 3 de stigmatibus Christi, v. stigmata.

Dominica 2. post Pascha.

Epist. 1. Petri 2. 21. ad f.
Euang Io. 10. 11 ad 17.
Christus Pastor bonus: præclara habes de Christo pastore bono, cuius imago picta in Calice. Item de ouibus ab eo cognitis & prodest, quæ in indice scripturæ propriis locis inuenies.

Dominica 3. post Pascha.

Epist. 1. Petri 2. 11. ad 19.
Euang. Io. 16. 16. ad 23.
Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, de vanis mundi gaudijs, de lachrymis, de modica temporis duratione, & cæteris huius Euangelij materijs multa reperies.

Dominica 4. post Pascha.

Epist. Iac. 1. 17. ad 22.
Euang. Io. 16. 5 ad 23.
Vado ad eum qui misit me, quantâ constantia & libertate inter mortuos liber, ierit ad mortem, *tristitia impleuit cor vestrum*, de nullo dolendum nisi de absentia Christi; *expedit vobis vt ego vadam*, quanto magis, vt auferat Deus à nobis noxias voluptates; *paraclitus non veniet*, quàm delicatè tractandus V. Spiritus, t. 3.

Dominica 5. post Pascha.

Epist. Iac. 1. 22. ad f.
Euang. Io. 16 23. ad 31.
Petite & accipietis vt gaudium vestrum sit plenum, Quid, & quomodo petendum sit, habes fusissimè. v. oratio, t. 1 vbi de excellentia & conditionibus orationis. Item de orationis dono, v. Spiritus adoptionis in quo clamamus, Abba Pater.

Dominica infra octauam Ascens.

Epist. 1. Petri 4. 7. ad 12.
Euang. Io. 15 26. ad f. & 16. 1. ad 5.
De Spiritu S. à Patre filioque procedente, de Spiritu veritatis dante Apostolis os & sapientiam ad exhibendum testimonium Christo, de præparatione animi ad tentationes, & tribulationes ferendas, habes suis locis.

Dominica Pentecostes habes supra in die Pentecostes.

Dominica Trinitatis, vide supra in eodem Festo.

Dominica prima post Pentec.

Epist. 1. Io. 4. 8. ad f.
Euang. Luc. 6. 36. ad 43.
Estote misericordes, de Dei misericordia, fusè, *Nolite iudicare*, v iudicium temerarium. *Date & dabitur vobis*, de eleemosyna, item: *Hypocrita eijce*, &c. de Hypocrisi, & trabe.

Dominica infra Octauam corporis Christi, quæ est 2. post Pentecostem.

Epist. 1. Io. 3. 13. ad 19.
Euang. Luc. 14. 16. ad 25.
Homo quidam fecit cœnam magnam, v. cœna, t. 2. *Iuga boum*, de 5. sensibus non consulendis in mysterio Eucharistiæ cœnæ magnæ, *Compelle intrare*, vide omnia suis locis.

Dominica 3. post Pentecostem.

Epist. 1 Petri 5. 6. ad 12.
Euang. Luc 15. 1. ad 11.
De parabolis ouis centesimæ, drachmæ perditæ, &c. habes plurima suis locis inuentu facillima, & de peccatore pœnitentiam agente.

Dominica 4. post Pentecostem.

Epist. Rom. 8. 18. ad 24.
Euang. Luc. 5. 1. ad 12.
Cùm turba irruerent vt audirent verbum Dei, v. verbum Dei, & quàm auidè audiendum.
Ascendit in nauiculam Simonis, quia in Ecclesia cui Petrus præsidet, veritas verbi.
Per totam noctem laborantes nil cepimus, de statu peccati, sine merito.

Dominica 5. post Pentecostem.

Epist. 1. Petri 3. 8. ad 16.
Euang. Matth. 5. 20. ad 25.
Nisi abundauerit iustitia vestra, legem Euangelicam abundare præ Mosaica, v. lex, t. 3. *omnis qui irascitur*, v. ira, t. 2. *si offers munus tuum*, &c. *vade reconciliari fratri tuo*, de pace, reconciliatione, &c. habes multa.

Dominica 6. post post Pentecostem.

Epist. Rom. 6. 3. ad 12.
Euang. Marc 8. 1. ad 10. & Matth. 15. 32.
Coincidit cum Dominica 4 quadragesimæ, licet miraculum sit diuersum in numero panum, piscium, turbæ saturatæ & multiplicationis. Dic si vis de gratiarum actione multiplicante bona, & semine eleemosynæ quæ similiter vsuræ genus est, vel de Christi misericordia, & prouidentia.

Dominica 7. post Pentecostem.

Epist. Rom. 6. 19. ad f.
Euangel. Matth. 7. 15. ad 22. & Luc. 6. 44.
Attendite à falsis prophetis, contra hæreticos, & hypocritas, *omnis arbor bona*, &c. v. opera bona, *Exciditur & in ignem mit-*

torur, de igne inferni, & pœna peccatorum & malorum ope-rum.

Dominica 8. post Pentecostem.

Epist.Rom.8.12.ad 18.
Euang. Luc. 16.1.ad 10.
Decurre Euangelium, consule scripturæ indicem, *facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, de eleemosyna peccata & debita soluente, deque vsu recto diuitiarum, vide plurima.

Dominica 9. post Pentecostem.

Epist.1.Cor.10. 6. ad 14.
Euang. Luc.19.41.ad 48.
Videns ciuitatem fleuit super illam, de Christi misericordia, lenitate, lachrymis, *venient dies in te*, de excidio Ierusalem ob mortem Christi, *Cœpit eijcere vendentes*. *v. simonia.*

Dominica 10. post Pentecost.

Epist.1.Cor.12.2.ad 12.
Euang.Luc 18.9.ad 15. De publicano & Pharisæo.
Vno superbo, altero humili, *ascendebant in templum vt orarent*, domus enim Dei, domus orationis. *Gratias tibi ago*, de gratiarum, actione humili, non superba, *Deus propitius esto mihi peccatori* v. confessio.

Dominica 11. post Pentecost.

Epist. 1.Cor.15.1. ad 11.
Euang. Marci 7.31.ad f.Luc.11.14.
De surdo, & muto, de vitijs auris, & linguæ, cui curandæ Christus cœlum suspicit, ingemiscit. &c. vide suis locis in vtroque indice.
Misit digitos in auriculas eius. Spiritus S. dono aures cordis aperiuntur, *loquebatur recte*, donum linguæ à digito Dei est.

Dominica 12. post Pentec.

Epist.2.Cor.3.4. ad 10.
Euang.Luc.10.23.ad 38 & Matth.13 16.
Beati oculi qui vident, quanto beatior qui videt essentiam Dei? Si *Abraham vidit & gauisus est*, viso ariete inter vepres, aut visis tribus angelis & vno adorato. Si Petrus viso Domino transfigurato dixit, bonum est. *Diliges Dominum, & proximum*: de ipso diligendo & probando opere, cum Samaritano, de dilectione & charitate Dei & proximi. Item de semiuiuo relicto, & statu naturæ lapsæ, v. plurima suis locis.

Dominica 13. post Pentec.

Epist.Gal.3.16. ad 23.
Euang Luc.17.11.ad 20. de 10. Leprosis.
De decalogi transgressione. *Ite ostendite vos sacerdotibus*, de Lepra peccati per confessionem ostendêda sacerdoti, *vnus ex 10. gratias egit*, pauci verè Deo grati sunt. de gratiarum actione, *fides tua te saluum fecit*, v. fides. Consule indices, & v. Christi elogia.

Dominica 14. post Pentecost.

Epist.Gal 5.16. ad 25.
Euang.Matth.6.24.ad f.
Non potestis Deo seruire, & mammonæ, Dei cultus cum auaritiæ idololatria incompatibilis, *Ne solliciti sitis*, *&c.* de fiducia in Dei prouidentia lilia vestiente, volucres pascente, &c.
Anima plusquam esca, de animæ cura, & eius dignitate, contra gulosos ventricolas, *quærite primum regnum Dei & iustitiam eius*, id est bona opera quę iustè promerentur.

Dominica 15. post Pentec.

Epist. Gal.5.25.ad f.& cap.6.1. ad 11.
Euang.Luc.7.11.ad 17. Vidua Naïm lachrymis filij resurrectionem impetrat.
Hic agere potes de viduis, morte, resurrectione, funeris pompa, Christi misericordia, lachrymis: superabundant argumenta, quæ omnia in indicibus reperies.

Dominica 16. post Pentec.

Epist. Ephes.3.13. ad f.
Euang.Luc.14.1 ad 12.
Ipsi obseruabant eum, hic est oculus inuidi, *Hydropicus stabat ante eum*. quanti hydropici siti voluptatum, auri & argenti, honorum ambitu torquentur, *Si licet sabbatis curare*, de sabbato, operibusque in eo licitis, aut prohibitis, habes, v. sabbatum. t. 3.

Dominica 17. post Pentec.

Epist.Ephes.4.1. ad 7.
Euang Matth.22.35.ad f. & Luc.10.27.
Quod est mandatum magnum in lege? V. mandatum Dei, v. lex, v. charitas. v. amor, *Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? Dicunt ei: Dauid*, v. indicem scripturæ: & v. Christi magnalia, t. 2.

Dominica 18. post Pentec.

Epist. 1.Cor.1.4 ad 9.
Euang.Matth.9.1 ad 9.& Luc.5.18.
Venit in ciuitatem suam, cuius est mundus. Cœlum sedes, terra scabellum pedum eius, *Ascendit in nauiculam & transfretauit*, immensus, vbique præsens, cœlum, terram implens, mensus pugillo aquas, qui SS. Hiacyntho, Raymundo, Francisco de Paula dedit super vestes transfretare, *offerebant ei paralyticum*, charitas proximi tollit onus, *vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* de iudicio temerario: decurre cętera, omnia enim, præclara argumenta suggerunt.

Dominica 19. post Pent.

Epist.Ephes.4.23.ad 29.
Euang Matth.22.2.ad 15.& Luc.14.16.
Fecit nuptias filio suo, dum incarnari voluit eum, duo in vna carne faciens. Deum homini iungens. v. incarnatio, & Christi elogia, & sacramentum hoc magnum. Mira habes in indicibus, *amice quomodo huc intrasti*, *&c.* de dispositione ad Euchar. v. Eucharistia, *ligatis pedibus, &c. ibi erit fletus*, v. infernus, &c.

Dominica 20. post Pent.

Epist. Ephes.5.15 ad 22.
Euang. Io 4.46. ad 54.
Nisi signa & prodigia videritis, &c. fidelibus signa non esse necessaria, sed infidelibus, v. fides, t. 2. *Domine descende, &c.* Christus vbique presens verbi immensitate, *Credidit ipse & domus eius tota*, tribulationes nos ad Deum eiusque fidem, conuertere, vide suis locis.

Dominica 21. post Pent.

Epist.Ephes.6.10.ad 18.
Euang. Matth.18.23.ad f.
De ratione reddenda in iudicio, *voluit rationem ponere cum seruis suis*, *iussit eum Dominus venundari*, de vexatione debitorum, *Nonne oportuit & te misereri, &c. sicut & ego tui misertus sum, &c. sic faciet, &c. nisi remiseritis, &c.* de remissione iniuriarum, v. remissio & in expositione orat. Dominicæ, *dimitte nobis*.

Dominica 22. post Pent.

Epist.Philipp.1.6.ad 12.
Euang. Matth.22.15.ad 23.& Luc.20.20.
Vt caperent Iesum in sermone, &c. licet censum dare Cæsari an non? De tributo persoluendo, & debito subditorum erga reges, principes, dominos, quære conuenientia. *Cuius est superscriptio hæc & imago?* De anima signata Dei imagine, v. anima, v. homo, t. 2. vide indices.

Dominica 23. post Pent.

Epist.Philipp 3.17.ad f.& cap.4.1.ad 4.
Euang.Matth.9.18 ad 26.& Luc.8.41.
De filia Archisinagogi suscitata, *Non est mortua puella. Sed dormit.* mors iustorum somnus, *impone manum tuam super eam.* Christi contactus viuificus, mirum, cùm Adam de manu Euæ acceperit mortem; mulier de Christi manu accipit vitam.
Aliud habes miraculum de Hæmorroissa: vide Christi miracula, t. 2. & in indicibus, & congrua moralia sume.

Dominica 24. post Pent.

Epist.Coloss.1.9.ad 15.
Euang.Matth.24.15.ad 36.& Luc.21.20.
Cum videritis abominationem, consule indicem scripturæ. In Danielem, Matth. & Lucam, de peccato, & idololatria, stante in templo animæ, extremaque eius desolatione, *Qui in Iudæa, id est fide & confessione sunt, fugiant ad montes*, id est inuocēt sanctos, *Væ prægnantibus, &c.* quære hunc locum, *sicut fulgur, &c. ita erit aduentus, &c.* de improuiso aduentu iudicis tanquam furis. Item de fulgure timoris in pluuiam lachrymarum pœnitentiæ conuerso, in indice Psalmorum, *Sol obscurabitur, &c.* v. iudicij signa præcedentia, *Videbunt filium hominis, &c* de persona

tremenda

tremenda & amanda iudicis pro cuiusque meritis.

Dominicas quæ superfuerunt post Pentecost. habes supra post Epiphaniam.

IN OMNES DIES FERIALES Quadragesimæ.

Feria 4. Cinerum.

Age de cineribus, & vtili mortis memoria, vel
Ex Epistola diei Ioel.2.12.ad 20.
Euang. Matth.6.16. ad 22.
Cùm ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes, contra hypocritas, & de ieiuniis fructibus, vel obligatione. &c. & corpori etiam prodesse, vt patuit in sociis Danielis, *Nolite thesaurizare*, *&c.* contra auaros, & diuites, & de eleemosyna in cœlo thesaurizante, *Pater qui videt in abscondito*. *&c.* de intentione pura.

Feria 5. post Cineres.

Epist. Isa 58.1. ad 7.
Euang. Matth 8.5 ad 14. & Luc.7.5.
Domine puer meus iacet in domo. *&c.* de cura seruorum, & horum debito erga Dominos: *Dico huic vade & vadit*, *& fac hoc, & facit.* De obedientia, *Domine non sum dignus*, de humili dispositione ad Eucharistiam, *non inueni tantam fidem in Israël*, de fide gentilium conuersorum, supra fidem Iudæorum, & prælatione populi iunioris. *Ibi erit fletus & stridor dentium*, de inferni pœnis.

Feria 6. post Cineres.

Epist. Isa 58.1. ad 10.
Euang. Matth.5.43.ad f.& cap.6.1.ad 7.& Luc 6 27.
Habes quod eligas, vel de inimicorum dilectione, vel de eleemosyna intentione pura facienda.

Sabbato post Cineres.

Epist. Isa 58.9.ad f.
Euang. Marci 6.47.ad f.& Matth.14.25.
Decurre Euangelium & excerpe vtiliora.

Dominicam 1. habes inter Dominicas supra.

Feria 2. Dominica 1.

Epist. Ezech.34.11.ad 17.
Euang. Matth.25.31.ad 17.& Luc. 13. 27.
Habes fusissimè de iudicio extremo, t. 1. v. iudicium extremum. Itemque v. æternitas, gloria, ignis inferni, opera bona, eleemosyna, &c.

Feria 3. D. 1.

Epistola Isa.55.6.ad 12.
Euang. Matth.21. 10. ad 18.
Eiiciebat omnes vendentes, *&c.* templi prophanatores argue. Et quid in templo agendum sit doce. Item quod anima templum est Dei cùm iusta est. dum sit peccatrix, est spelunca latronum, peccata enim animum spoliant, vulnerant & occidunt. Vel quòd principes sacerdotum præ inuidia indignati sint gloriæ & acclamationi Christi, age de inuidia: contra vendentes columbas, de simonia. Habes denique ex Psal. 8. 3. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Verbo infantes*, 2.t.f. 735. *in m. & seq.*

Feria 4. D. 1.

Epist. Exo.24.12.ad f.
Euang. Matth.12.38.ad f.& Luc.11. 29. ad 33.
Generatio mala & adultera signum quærit: torquere potes contra Iudæos & Christianos infideles & degeneres: Signa enim infidelibus. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti*, *&c.* Vide dicta de Iona & Niniuitis. & triduo sepulturæ, & quadraginta diebus triduoque pœnitentiæ. *Regina Austri surget in iudicio*, item de eo quod subiicit: *Ecce plusquam Salomon hic*, de Christo plusquam Salomone in oraculis sapientiæ. Vel *cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem, & non inuenit.* Nota quòd qui iuxta Iob in locis humentibus moratur i. in crapulis, in aridis & ieiuniis siue austeris requiem non inuenit, in quibus Spiritus sanctus habitat, v. abstinentia & ieiunium t.2. *Reuertar in domum meam vnde exiui.* Nota dæmonem etiam eiectum, ad tentationem importunum regredi, *inuenit eam vacantem:* Otium quippe dæmonum & vitiorum est palatium, *Assumit septem alios spiritus nequiores se*, septem peccata lethalia, *fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus*, de relapsus periculo, vel de morte peccatorum pessima. *Quæ est mater mea, & qui fratres mei?* &c. Habes & hunc locum, Luc. 8. 20. tractatum à Tertulliano ex Aug. quæ omnia suis locis inuenies in indicibus.

Feria 5. D. 1.

Epist. Ezech.18.1.ad 10.
Euang. Matth.15.22.ad 29.& Marc.7.25.
Ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa, & tu egredere de terra tua, de idololatriæ & peccati terminis, *Miserere mei Domine, fili Dauid.* Misericordiæ fons Christus, & debellator dæmonum adeundus, sine cuius nutu nullus dæmon vel porcum inuadit. *Filia mea male à dæmonio vexatur*, filiæ plerumque matrum sequentes exemplum, male torquentur à dæmone, vanitatem, ludum, luxum, &c. sequentes: bene autem aliqui torquentur, quibus vtile est cum Paulo ab angelo Satanæ colaphizari, vt virtus in infirmitate perficiatur. *Accedentes discipuli rogabant eum*, tractare potes de inuocatione sanctorum. *Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus.* Christus quidem missus ad oues .i. Iudæos, non ad gentiles immundos vt canes, sed mutatæ sunt sortes, *Maior minori seruiet*. *& Tyrus & populus Æthiopum, hi fuerunt illic*, & rursum: *filia Tyri in muneribus. Æthiopia præueniet manus eius Deo*, imitare humilitatem, & perseuerantiam Chananeæ dicentis: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, &c.* quid plura? Fidem gentilium extolle cum Christo exclamante, O *mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis!* Mira habes dicenda de fide, v. fides, t.2.

Feria 6. D. 1.

Epist. Ezech.18.20. ad 29.
Euang. Io.5 1.ad 16.
Erat dies festus Iudæorum, i. sabbatum vnde Iudæi paralitico sanato dixerunt: *Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum*, dic de operibus licitis vel illicitis die sabbati v. sabbatum, t.3. *Est autem Ierosolymis probatica piscina, quinque porticus habens*, v. plura ex Aug. de lege in quinque libris Moysi, infirma, & infirmos non sanante, vel de piscina pœnitentiæ, & baptismi. *Expectantium aquæ motum*, quis enim à peccato sanetur, sine gratia præmouente? v. gratia, t. 2. *Angelus Domini descendebat*, Christum intelligit Augustinus, turbantem populum, vide dicta vel de Angelo præside piscinæ, v. Angelus, t.2. *Qui prior descendebat.* Lauda diligentiam, *triginta & octo annos habens in infirmitate*, hoc habes temporis apud Deum computatum, quod in patientia transigis, v. patientia t.3. *Vis sanus fieri?* qui fecit te sine te non saluabit te sine te, v. libertas t.3.

Tolle grabatum tuum, sic Paulus, *alter alterius onera portate*, portabat à quo priùs portabatur: de his omnibus consule indices, & multa reperies.

Sabbato D. 1.

Epist. Deut 26.12.ad f.
Euang. vt supra. D. 2. Quadragesimæ.

Dominica 2.

Vide supra inter Dominicas.

Feria 2. D. 2.

Epist. Dan.9.15.ad 20.
Euang. Io.8.21.ad 31.
Ego vado & quæretis me, & in peccato vestro moriemini, de anima a Deo deserta propter peccata, & iusto ac tremendo Dei iudicio, de peccato infidelitatis Iudæorum proprio, *Moriemini in peccatis vestris*, de morte peccatorum pessima, & malo habitu in quo plerumque quisque moritur. *Principium qui & loquor vobis*, de filio Dei omnium principio, sine cuius gratia nec incipere quicquam possumus, *cum exaltaueritis filium hominis*, de Christo in cruce exaltato, & per hanc cognito & glorificato Dei filio, *à me facio nihil, quæ audiui hæc loquor*, omnia dicta, & facta Deo referenda, *quæ placita sunt ei facio semper*, de perseuerantia in bono, quære in propriis titulis, in indicibus.

Feria 3. D. 2.

Epistola 3.Reg.17.8. ad 7.
Euang. Matth.23.1.ad 13.
Super cathedram Moysi sederunt, &c. omnia ergo quæcumque dixerint vobis seruate & facite, de obedientia prælatis debita, quos qui audit, Deum audit, sed malorum mores non imitandis *omnia opera sua faciunt vt videantur ab hominibus*, de intentione peruersa, & vana gloria, *dilatant Philacteria, &c. amant primos accubitus, &c. vocari Rabbi*, de ambitione, & superbia, *vnus est pater vester qui est in cælis*, de quo Tertullianus: *Tam pater nemo, tam pius nemo*, animæ & corporis creator, principium, finis, mer-

ees. omnia, in solidum hęreditas, *qui se humiliat exaltabitur*, de sublimitate humilium, habes quid eligas suis locis.

Feria 4. D. 2.

Epist. Esther. 13.8.ad 18.
Euang. Matth. 20.17.ad 29.& Luc.18.31.

Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur, &c. de inculcanda memoria passionis, *tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis adorans & petens aliquid ab eo.* Nota: tunc importunè satis, cum de illusione sua Christus agit & morte crucis, sedes gloriæ quærit, postulanda in oratione est in hac vita humilitas & patientia ad ferendam crucem, & bibendum calicemque sine Dei gratia magna, bibere non possumus, *Dic vt vnus sedeat ad dexteram, alius ad sinistram.* Habes de dextera & sinistra dicendum pro hac vita, vbi prosperitas & aduersitas est: at in regno Christi sola dextera, vbi Christus est, vbi stat regina Maria, vbi statuet oues: hædos autem à sinistris. Vnde audiunt, *Nescitis quid petatis, non est meum dare vobis:* Non hoc dat cognatio carnalis, cùm & ego sim prædestinatus filius secundùm carnem: *Sed quibus paratum est à patre meo*, hæc est prædestinatio sanctorum in qua Deus secundùm propositum parauit cuique electo propriam mensuram, mansuramque mansionem, *qui voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister*: Hęc vnicum medium glorię, humilitas scilicet, *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*, pudeat seruum exaltari velle, vbi tantus Dominus pro seruo est humiliatus, *& dare animam suam redemptionem pro multis*, sufficientissime pro omnibus & singulis hominibus: efficaciter pro omnibus fidelibus; efficacissime pro multis electis; qui tamen pauci sunt in comparatione reproborum. Elige quæ voles, & euolue congruos indices.

Feria 5. D. 2.

Epist. Ierem. 17.5. ad 11.
Euang. Luc. 16.19 ad f.

Homo quidam erat diues, non parabolam, sed historiam tenet Tertullianus. Locum consule proprium. & v. scriptura, t. 3. 400. à m. *Erat diues*, v. diuitiæ, *induebatur purpura & bysso*, v. ornatus, & vestes, t. 3. *epulabatur quotidie splendidè*, v. gula, *erat quidam mendicus nomine Lazarus*, gaudeant pauperes quorum nomina sunt scripta in libro vitæ agni, cùm recedentes ab eo in terra scribantur, nec memor fit nominum eorum per labia sua, *Vlceribus plenus, &c.* dic de vlceribus Iob & feretro patientiæ eius à Tertulliano descripto. Cui compara Lazarum, *nemo illi dabat*, crudeli Domino, domestici sunt similes, eructant epulis, nec micam tribuunt, *Sed & canes veniebant & lingebant vlcera eius*, plus humanitatis accipit à bestiis, quam ab hominibus. *Factum est vt moreretur mendicus*, mortua est mendicitas, &c. finitæ miseriæ, sed *Patientia pauperum non peribit in finem*, hic age de vtraque morte & sorte diuersa diuitis & Lazari, *eleuans oculos cum esset in tormentis*, sera pœnitentia, oculos in tormentis aperire. *Crucior in hac flamma*, v. infernus, *Chaos magnum firmatum est.* v. æternitas pœnæ. Irremeabilis est locus, sæpius de hoc euangelio tractauit Tertull. & superabundat materia.

Feria 6. D. 2.

Epist. Gen. 37.6.ad 23.
Euang. Matth. 21.33 ad f. Luc 20.9. ad f.

V. parabolam patrisfamilias qui plantauit vineam, &c. *Nouissimè ad eos misit filium suum dicens verebuntur filium meum*, dic de Christo à patre misso per incarnationem ad Iudæos, qui non angelos, sed semen Abrahæ apprehendit. *Apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt*, extra portam enim passus est Christus. *Auferetur enim à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius*, de ablato regno & sacerdotio temporali, deque vastitate Iudæorum ob necem Christi, deque fide ab his translata ad gentiles, tremendisque Dei iudiciis & desertione quę manet ingratos, plura reperies, *lapidem quem reprobauerunt ædificantes*, de Christo reprobato ab hominibus & electo à Deo v. dicta in hunc locum, *super quem ceciderit, conteret eum*, v. inter elogia Christi de lapide conterente regna.

Sabbato D. 2.

Epist Gen 27.6. ad 40.
Euang. Luc. 15.12 ad f.

De duobus filiis prodigo & frugi, multa habet Tertullianus ad quæ remitto lectorem indices consulturum, *Profectus est in regionem longinquam*, quia nempe, *longè à peccatoribus salus, quoniam qui elongant se à te peribunt, perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* In ista regione dissimilitudinis, *dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè*: Quia iuxta Iob. *ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina*, substantiam dissipauit, animæ, corporis, fortunæ. *Infixus sum in limo profundo, & non est substantia*, Psal. 68. 2. vide locum & illud Pauli 1. Cor. 6. 18. *Qui autem fornicatur in proprium corpus peccat.* Quanta prodigi miseria. vt missus in villam pasceret porcos Sicut sponsa eiecta, ignorans pulchritudinem suam, pasceret hœdos. id est dæmones vel sensus carnales. *In se autem reuersus*, compellente miseria & fœlici necessitate: dic de conuersione & mutatione peccatoris, *Pater peccaui in cœlum*, v. contritio, *Citò proferte stolam primam, &c.* de innocentiæ reparatione, *Adducite vitulum saginatum*, v. Eucharistia & ad eam dispositiones, *indignatus est & nolebat introire*, de inuidia filij senioris, &c.

Domina 3.

V. supra in Dominicis.

Feria 2. D. 3.

Epist. 4. Reg. 5. 1. ad 16.
Euang. Luc. 4. 23. ad 31.

Medice cura teipsum, &c. ait autem, Amen dico vobis. Quia nemo Propheta acceptus est in patria sua. Aduerte morbum inuidiæ, cuius oculi lippientes ferre non possunt lucem proximam. Adeo vt nec ciues. nec domestici, nec fratres ęquo animo ferant. Subiicit exempla Eliæ & Elisæi qui ab exteris melius suscepti sunt. Et Christus ipse per inuidiam occisus, diabolicum malum, cùm & ipse diabolus homini stanti inuiderit, v. inuidia. t. 2. item de Cain inuido & homicida, *Repleti sunt omnes in Sinagoga irâ*, v. ira.

Feria 3. D. 3.

Epist. 4. Reg. 4. 1 ad 8.
Euang. Matth. 18. 15. ad 23.

Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, locus moralis de correptione fraterna, *adhibe tecum vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum*. consule hunc locum expositum. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, de fide Ecclesiæ Romanæ audienda eique præstanda obedientia. *Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo.* de potestate clauium, & remissione peccatorum habes fusissimè. *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à patre meo*, de bono pacis & oratione communi, *Ibi sum in medio eorum*, quis enim diligat proximum sine charitate diffusa in medio cordis? *Qui manet in charitate, in Deo manet. & Deus in eo.*

Feria 4. D. 3.

Epist. Exo. 20. 12. ad 25.
Euang. Matth. 15. 1 ad 12.

Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Non enim lauant manus suas cùm panem manducant. De murmure & detractione, cuius proprium est leuia in proximo arguere, grauia in se nec aduertere. Sicut gentiles notauit Tertullianus de hac cæcitate: *quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Agere potes contra traditiones vanas, & hortari ad seruandas Ecclesię traditiones de quibus habes præclara, v. traditio, t. 3. *honora patrem & matrem*, v. dicta de honore parentum in indicibus, *Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias dicens: populus hic labiis me honorat, &c.* consule hunc locum & v. hypocrisis, t. 2. *quod procedit ex ore. hoc coinquinat hominem*, age de custodia linguæ, quæ iuxta Iacobum maculat totum corpus.

Feria 5. D. 3.

Epist. Ier. 7. 1. ad 8.
Euang. Luc. 4. 38 ad f. & Matth. 8. 14. ad 18.

Surgens Iesus de Sinagoga, introiuit in domum Simonis, deserta Sinagogâ Christus ædificat in domo Petri Ecclesiam, quæ præfertur Sinagogæ. *Socrus Simonis tenebatur magnis febribus*, morbos & tribulationes adducere Deum ad nos, dic de bono tentationum, *Cum ipso sum in tribulatione, &c.* subiicit, *rogauerunt illum pro ea*, de suffragio sanctorum, *Continuò surgens ministrabat illis*, de gratitudine reddenda pro gratiis, & Deo diligendo ex totis viribus, cui cum psalte dicendum: *Fortitudinem meam ad te custodiam*, deinde quod dicitur & à Tertulliano refertur, *Increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum* Neque enim, *pretiosa est laus in ore peccatoris*, Prosequitur de turbarum deuotione, *detinebant illum ne discederet ab eis*, tandem, *& aliis ciuitatibus oportet me Euangelizare regnum Dei*, contra vanos oratores & vaniloquos, qui nil minus Euangelizant, quàm regnum Dei, cùm ad hoc tantùm missi sint, non ad nugas & fabulas, & verba compta. *Quia ideo missus sum*, O excellentiam ministerij verbi! *Pro Christo legatione fungimur*, Christi munus implemus, ad hoc missi & Apostoli.

Feria

Feria 6. D. 3.

Epist.Num.20.1.ad 3.Exo.17.1 ad 3.Num.20.6.ad 14.
Euang. Io.4.5.ad 43.

Tam prolixum est Euangelium colloquij Christi cum Samaritana, vt inopem copia faciat. Eligat quod volet orator Ecclesiasticus. Vel de Christi infirmitate, fatigati ex itinere. vel de sedente sic supra fontem & peccatricem expectante. Sic hora sexta pendens in cruce, salutis fonte, sic petit ibidem bibere, sitiens salutis nostræ, vel de dono Dei, hoc est gratia aqua viua, quæ gratis datur, de qua & pecora.i. peccatores bibunt, quæ solaimplet, cùm aqua voluptatis, & cuiuscumque alterius boni sitim accendat. Vel de quinque viris, hoc est sensibus, iuxta Augustinum, quibus regitur anima paruuli, &c. vel de veris adoratoribus in spiritu & veritate. Vel de vitanda familiaritate mulierum; nec tamen malè iudicandum, quia *mirabantur Apostoli, quòd cum muliere loquebatur*. vel de cibo, quem habet manducare Christus, scilicet obedientię patris: vel de mercede, & messe boni operis, & seminis, &c.

Sabbato post Dominicam 3.

Epist.Dan 13.1.ad 63.
Euang Io.8 1 ad 12.

Hæc mulier modo deprehensa est in adulterio, contra adulteros locus. Et de lapidatione eius pœna. *Hoc dicebant tentantes eum*, tentata est clementia, si mortis sententiam ferret, iustitia, si indulgeret. *Iesus autem inclinans se deorsum digito scribebat in terra*, inclinatur vtique ad misericordiam, & de monte Oliueti descendens ad lenitatem. scribebat in terra recedentes à se Scribas & Pharisæos, pauimento templi duriores, quibus lex in lapide duro duris præscripta fuerat: ipse verò in tabulis cordis carnalibus legem gratiæ scribere venerat *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*, iudex enim innocens esse debet à crimine quod punit, *generatio autem ista praua & adultera erat fornicans à Deo, eadem agens quæ prædicabat*. Concludit Christus: *Nec ego te condemnabo; vade, & iam amplius noli peccare*, Dei misericordiâ non abutendum, nec relabendum in peccata priora, perge lector ad indices.

Dominica 4.

Habes eam inter Dominicas.

Feria 2. D. 4.

Ep.3.Reg.3.16.ad f.
Euang. Io.2.13.ad f.

Inuenit in templo vendentes boues & oues, & columbas, vt supra cont. Simoniacos. Sic *dilectus quemadmodum filius vnicorniun*. *sanctificauit sicut vnicornium sanctificium suum in terra*, sicut enim vnicornis munda, non patitur sordes in cubili suo, sic nec Christus sordes auaritiæ & Simoniæ in templo suo. *gratis accepistis, gratis date*, dic etiam de zelo decoris domus Dei, quo Christus & Paulus æmulator dilexit Ecclesiam, *Zelus domus tuæ comedit me*. Item de eo signo omnium maximo nempe resurrectione corporis sui. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*. habes & comparationem corporis Christi cum templo, tot diebus ædificato, &c. quod suggeret index, item de eo quod habetur in fine Euangelij: *ipse sciebat quid esset in homine*, de manifestis Christo tenum scrutatori, absconditis cordis.

Feria 3. D. 4.

Epist. Exo.32 7 ad 15.
Euang. Io 7 14 ad 11.

Ascendit Iesus in templum & docebat, doctrinam Christi sublimem mirabantur, cum eum scirent scholas nunquam adiisse, sed ipse: *Mea, inquit, doctrina non est mea*. Doctrina Christi & doctrina patris verbum est, & pater est verbum, vnde subiicit, *à me ipso non loquor*, dehinc contra vaniloquos gloriam captantes ex proprijs inuentis & verbis. *Qui autem quærit gloriam eius qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in illo non est*. Summa iniustitia est seipsum discernentis, in te non in Domino glorianti, *Quid enim habes quod non accepisti?* Subijcit Christus contra legis & mandatorum transgressores aptissimum: *Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?* Locus sequitur communis de operibus bonis Sabbato faciendis: *Si Circuncisionem accepit homo in Sabbato. vt non soluatur lex Moysi, mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in Sabbato*. Tandem contra iudicia temeraria: *nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate*. Vel contra Astrologos iudiciarios & fatidicos: *Quærebant eum apprehendere, & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius*.

Feria 4. D. 4.

Epist. Ezech.36.23.ad 29.
Euang. Io.9.1.ad 39.

Præteriens vidit Iesus hominem cæcum à natiuitate, omnis homo à natiuitate Adæ filius cęcus, sine fide nascitur quâ perdidimus in Adam, nam vt ait Tert. *fiunt, non na cuntur Christiani*. & Paulus, *non omnium est fides*, subijcit Christus, *me oportet operari opera eius qui misit me. donec dies est. venit nox quando nemo potest operari*. de necessitate bonorum operum in hac die gratiæ & vitæ faciendarum, quia in nocte mortis aut peccati mortalis statu, meritoria non sunt. & vix in morte superest rationis vsus, in inferno autem, aut purgatorio, frustra opus. *Vade in natatoria Siloe*, de baptismo lumen fidei & gratiæ dante. *Scimus quia Deus peccatores non exaudit, sed si quis Dei cultor est, &c.* de oratione, eiusque conditionibus.

Feria 5. D. 4.

Epist. 4.Reg.4.25. ad 38.
Euang. Luc.7.11. ad 17.
V. sup. dicta Dominicâ 15. post Pentec.

Feria 6 D. 4.

Ep.3.Reg.17.17. ad f.
Euang. Io.11.1 ad 46

Domine ecce quem amas infirmatur. amoris Dei signum sunt morbi & afflictiones, nam subiicit: *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam*. Quinetiam: *Lazarus mortuus est & gaudeo*, docens non tantum patienter, sed & cum gaudio mortem amicorum ferendam. *Resurget frater tuus*, magna consolatio, *Consolamini inuicem in verbis istis*, Age de fide resurrectionis. Luges in terra seminatum corpus animale fratris, corruptibile, &c. resurget frater tuus in corpore spiritali, &c. magna seges suppetit oratori. *Domine iam fœtet, quatriduanus est enim*. de tumulo mali habitus & lapide duro obstinationis. Viden, vt pro Lazaro suscitando, *lachrymatus est Iesus. fremuit in semetipso, voce magna clamauit, Lazare veni foras*. Agere etiam potes de solutione peccatorum in hæc verba: *Soluite eum & sinite abire*, vel de Christo infirmitates nostras suscipiente, & passiones gaudij, tristitiæ, quæ tamen plenissimè subiectæ erant rationi.

Sabbato D. 4.

Epist. Isa.49.8. ad 16.
Euang. Io.8.12. ad 21.

Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ, dic de Christo sole illuminante omnem hominem: de quo & Ioannes: *& vita erat lux hominum*: & Psaltes, *apud te est fons vitæ. & in lumine tuo videbimus lumen*, vel contra temerè iudicantes, si oculi Christi, multo plus super solem lucidiores, & scrutantes corda, dum viueret, neminem iudicarunt, quid nos toti tenebrosi, &c. *Vos secundum carnem iudicatis: ego non iudico quenquam, & si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum: sed ego & qui misit me, pater*, vel rursum contra fatidicos: *Nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora eius*. Vt scias nullum quamuis infensum posse nobis nocere sine nutu Dei, & capillos, & momenta vitæ Deum numerare.

Dominica Passionis.

Epist. & Euang. quære supra inter Dominicas & age de Christo innocente & sine peccato, de veritate, de verbo Dei & ibid. contentis.

Feria 2. D. Passionis.

Ep. Ionæ 3.1. ad f.
Euang. Io.7.32 ad 40.

Vado ad eum qui misit me, de morte libenter obeunda exemplo Christi, tanquam reditu ad patriam & patrem. *Quæretis me & non inuenietis, & vbi ego sum, vos non potestis venire*, de reprobis sua culpa à Deo desertis exclusis cœlo. *Si quis sitit veniat ad me, & bibat, &c. Hoc autem dixit de Spiritu, &c.* de gratia, & eius siti, &c. vel Christo fonte perenni, & petra deserti consequente; de qua Paulus.

Feria 3. D. Passionis.

Epist. Dan.4.28. ad f.
Euang. Io 7.1. ad 14.

Nemo in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse: Contra vanam gloriam age & fuge vanitatem. Opera quidem bona facienda ad exemplum, sed vt videant nos homines, non vt nos

glorificent, ſed patrem noſtrum. *Tempus meum nondum aduenit, tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum. &c. meum tempus nondum impletum eſt.* Iuſti cum Chriſto omnia tempore beneplacito Deo faciunt, ſicut iuxta ſapientem: *Tempus omni rei*, cùm mundani ſemper tempus paratum habeant, vt illud pro libito nugis impendant.

Feria 4. D. Paſsionis.

Epiſt. Leuit. 19. 1. ad 3. & 11. ad 19.
Euang. Io. 10. 22. ad 39.

Facta ſunt encænia in Ieroſolymis, de renouatione templi animæ exemplo ſerpentis, aquilæ, phœnicis, &c. *Vos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum.* De prædeſtinatione gratuita, & libertate hominis reſpõdente. *pater meus quod dedit mihi maius omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu patris mei.* Vel de dignitate filij Dei, vel de electorum numero inamiſsibili, eorumque præcellentia, locus aptiſſimus. *Ego dixi dij eſtis*, habes expoſitum.

Feria 5. D. Paſsionis.

Epiſt. Dan. 3. 25. ad 26. & 34. ad 46.
Euang. Luc. 7. 37. ad f.

Ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix. Ecce portentum conuerſio peccatricis, *in ciuitate*, ſcandalum vrbis, oculis, crinibus, vnguentis & fucis, oſculis, ornamentis libidinem prouocans: ſed ecce per eadem ſatisfacit, *vt cognouit*, citò parendum gratiæ, cui multi etiam interiori reſiſtunt. *Attulit alabaſtrum vnguenti*, contra fœtorem luxuriæ, *ſtans retro*, præ pudore omni vitio, maximè luxuriæ connato, *lachrymis cœpit rigare pedes eius*, & affectus ſuos prauos extinguere, pedes inquam quorum ex ſanguinis merito, fundebat lachrymas ſanguinem cordis ſui. *Hic ſi eſſet propheta, ſciret vtique, &c.* iudicium errat, iam enim ſancta erat. *Cui minus dimittitur, minus diligit*, non quòd plus peccandum ſit, vt plus diligatur, ſed ex peccato dimiſſo, &c. *vbi abundauit delictum, gratia ſuperabundat*, vide v. Magdalena, & an eadem ſit ſoror Lazari, & peccatrix de qua eiecit Ieſus 7. dæmonia.

Feria 6. D. Paſsionis.

Epiſt. Ierem. 17. 13. ad 19.
Euang. Io. 11. 47. ad 55.

Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent noſtrum locum & gentem. Contra reſpectus humanos & timorem vanum amittendi temporalia, & de iniquorum concilio. *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit*, de inuidia bona proximi non ferente. *Caiphas cùm eſſet Pontifex prophetauit*, prophetiæ donum etiam impiis datum, *Expedit vobis vt vnus homo moriatur pro populo*, de morte Chriſti neceſſaria ad ſalutem hominum. *Ieſus moriturus erat, non tantùm pro gente ſed vt filios Dei qui erant diſperſi congregaret in vnum*, dic quomodo mediator Dei & hominum Eccleſiam ex gentibus & Iudæis, & ex vtroque populo electos collegerit, & quomodo velit omnes ſaluos fieri.

Sabbato Dominicæ Paſsionis.

Ep. Ier. 18. 18. ad f.
Euang Io. 12. 10. ad 37.

Coincidit cum Dominica palmarum ex parte, de zelo & inuidia Phariſæorum ex triumpho Chriſti, propterea enim obuiam ei venit turba, quia audierat ab eo Lazarum ſuſcitatum. *Phariſæi ergo dixerunt ad ſemetipſos, videtis quia nihil proficimus? Ecce mundus totus poſt eum abijt.* Item de deſiderio videndi Ieſum quo tenebantur gentiles rogantes Philippum, *Domine volumus Ieſum videre*, quære an hi vel Cornelius centurio ſine fide & gratia [illegible] agere potuerint, &c. *dum lucem habetis credite in lucem vt filij lucis ſitis*, de fidei lumine.

Dominica Palmarum.

V. inter Dominicas.

Feria 2. maioris hebdomadæ.

Ep. Eſa. 50. 5. ad 11.
Euang. Io. 12. 1. ad 10.

Lazarus vnus erat ex diſcumbentibus, quia rurſum moriturus erat, non tantum vt probaret ſe viuere, ſed ad neceſſitatem comedebat. In reſurrectione gloriæ poteſtas erit edendi, non neceſſitas. *Maria accepit libram vnguenti*, libra iuſtitia fuit, & eleemoſyna pedibus Chriſti, pauperibus impendenda, ex ſuperfluis, & iuſtitia manet in ſæculum ſæculi. Et fama magna erit maximè in die iudicij, Vnde etiam nunc bonus odor exempli.

Feria 3. maioris hebdomadæ & 4.

Non habes Euangelia niſi de Paſſione ſecundum Marcum 14. 1. ad f. & cap. 15. per totum pro feria 3. epiſt. autem Ier. 11. 18. ad 21

Pro feria 4. autem epiſt. Iſa. 62. 11 ad 12. & cap. 63. 1. ad 8.
Euang. autem Luc. 22. & 23. ad 34. his diebus age vel de præparatione ad Euchariſtiam, vel incipe myſteria Dominicæ Paſſionis.

Feria 5. in cœna Domini.

Epiſt. 1. Cor 11. 20. ad 33.
Euang. Io. 13. 1. ad 16.

Cum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos, de amore Chriſti in homines, maximè in Inſtitutione ſanctiſſ. Sacramenti, *Sciens quia omnia dedit ei pater in manus, &c. cœpit lauare pedes, &c.* quantus ad quàm vilia ſe deponit. *Tu mihi lauas pedes?* Expende illud, tu, mihi: *extersit linteo quo erat præcinctus*, habes de propria Oſiridis veſte apud Tertullianum. *qui lotus eſt non indiget niſi vt pedes lauet*, affectus à puluere, & modicis peccatis venialibus, dic de ſumma munditie ad Euchariſtiam requiſita. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*, de exemplo bono dando, & ſectando, vel de Euchariſtia.

Feria 6. in paraſceue.

De myſteriis ſingulis paſſionis, tam prophetatis quam impletis, habes fuſiſſimè to. 2. v. Chriſti Paſſio & mors.

Sabbato Sancto.

Agendum de ſepultura Dominica, de qua habes & proprio titulo.

FINIS.

IN INDICEM SCRIPTVRÆ SACRÆ, tam à Tertulliano in textu, quàm ab alijs Patribus expositæ in Scholijs; & ad vsum facilem Bibliorum & Concordantiarum, Præmonitiò, Lectori studioso.

Vtilitati Lectorum in omnibus consulens, librorum omnium Scripturæ S. veteris & noui Testamenti seriem in nouem, rudes licet, sed iuuandæ memoriæ perutiles versiculos redegi, & singulis verbis studiosior breuitatis, quàm grammaticæ quantitatis, numerum capitum imposui. Quo fiet, vt nullâ morâ inueniatur liber, & caput Scripturæ de quo quæritur.

In veteri Testamento sunt libri 46.

50. 40. 27. 36. 34.
Genesis. Exo. Leui. Numerorum. Deuteronomi.
24. 21. 4. 1. Reg. 31.|2. 24.|3. 22.|4.25.|1.29. 2. 36. 1.10.2.13.
Iosue. Iudic. Ruth. Regum. Paralipomen. Esdras.
14. 16. 16. 42. 150. 31. 12.
Tob. Iudith. Esther. Iob. Psal. Prouerb. Ecclesiastes.
8. 19. 51. 66. 52. 5. 6. 48. 14.
Cantica. Sap. Eccli. Is. Ier. Thren. Baruch. Ezechiel. Dan.
14. 3. 9. 1. 4. 7.
Osee. Ioel. Amos. Abdias. Iona. Michæas.
3. 3. 3. 2. 14. 4. 1.6.2.15.
Nahum. Abach. Sophon. Aggæus. Zach. Mal. Machabei.

In nouo Testamento sunt libri 26.

28. 16. 24. 21. 28.
Matthei. Marci. Lucæ. Ioannis. & Actus.
16. 1.Cor.16.2.13. 6. 6. 4. 4. 1.5.2.3.
Rom. Cor. Gal. Ephes. Phil. Coloss. Thessalonicens.
1.6.2.4. 3. 1. 13. 5. 1.5.2.3. 1.5.2.1.3.1. 1. 22.
Timo. Titus. Philémon. Heb. Iac. Pet. Io. Iud. Apocal.

Hos omnes libros Canonicos habemus, immediatè quidem à Concilio Tridentino, Sessione quarta in Decreto de Canonicis Scripturis, his verbis. *Sacrorum librorum Indicem huic Decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt verò infrascripti. Testamenti veteris quinque Moysi: id est, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus & secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Hesther, Iob, Psalterium Dauidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ (Prouerbia) Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ Minores, id est, Osee, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Abacuch, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum, primus & secundus. Testamenti noui, quatuor Euangelia, secundùm Matthæum, Marcum, Lucam & Ioannem: Actus Apostolorum à Luca* Euangelista *conscripti: quatuordecim Epistolæ Pauli, 1. ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri Apostoli duæ, Ioannis Apostoli tres: Iacobi Apostoli vna, Iudæ Apostoli vna, & Apocalypsis Ioannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata editione habentur, pro Sacris, & Canonicis non susceperit, & traditiones prædictas (de quibus præmiserat,) sciens & prudens contempserit, Anathema sit.*

PRÆFATIVNCVLA NECESSARIA LECTORI.

ABES hîc Lector selectissimos ex vtroque testamento, sagacissimi Authoris Tertulliani iudicio locos, quos quia ipse vtriusque linguæ peritissimus græcæ ac latinæ, ex Septuaginta Interpretibus vel de verbo ad verbum transtulit, vel partem leuiter delibauit, vel paraphrasticè retulit, aliquos ex obliuione locos præ numero, non suis authoribus adscripsit: ego nulli curæ parcens, omnes ac singulos ad originale collatos, integrè in nostro Omniloqúio alphabetico & rationali in duos tomos bipertito, tam iuxta Septuaginta, quàm secundum vulgata Biblia recensui. Et quidem quod attinet ad vetus Testamentum, vbi lectio Hebraïca vel paraphrasis Chaldaica à præfatis differunt, adnotaui. Sicut & translationem Syriacam, nostrâ plerumque clariorem apposui in textibus noui. Quidquid insuper in singulis locis difficultatis occurrit, breuiter enodaui. Quod porrò te Lector mirificè delectabit, ad indicem scripturarum prout à Tertulliano citantur, appendicem attexui ex omnibus penè Scripturæ libris & quammaximè Psalmis, prout à D. Augustino exponuntur, ad Tertulliani argumenta concinnatis. Quoties autem litera, t. minuscula, cum numero, 1. vel 2. occurrit in indice, toties tomum primum vel secundum indicatum puta. Maiusculum autem T, significat Tertullianum in suo textu tali, vel tali paginâ appositâ scripturæ locum retulisse quem in margine paginæ reperies, si fidelitas Typographi sedulitati meæ responderit: vbi autem post maiusculum T, numerus aliquis additus fuerit sine eadem littera maiuscula, vel minusculis a, b, c, d, in textu Tertulliani, præcitato immediatè tomo & numero requirendum. Loci porrò in scholijs expositi his literis medias inter duas columnas totius Omniloquij indicantur cum numero columnæ: verbi gratiâ, a. b. c. d. e. a. 1. id est litera, a, columna prima, a. 2. columna secunda. Vbi autem numerus columnæ non ponitur, signum est sub eadem literâ in vtraque columna locum exponi. Præterea cùm locus aliquis scripturæ in textu Tertulliani occurrerit, scholium sequens legas, & si quę versio aut expositio vel illustratio eius necessaria fuerit, inuenies. Quòd si errore Typographi, tomus secundus pro tertio positus fuerit, quod in vno non reperies, sub eodem paginæ numero, require in altero. Nec præteribo nimiâ bibliopolæ expediendi operis curâ, tribus simul typographis partito opere non concurrentibus numeris in secundo tomo à litterâ D. & Verbo *Deus, eiusque notitia*, ad vsque literam H, & Verbum *Hæresis* numeros Romanos in his duabus litteris decurrendis fuisse seruatos, & à nobis pariter in indicibus fuisse notatos, cæteros scripturæ locos explicatos consulet Lector in calce tomi primi parte secunda & tertia.

INDEX SCRIPTVRARVM SACRARVM, vti citantur à Tertulliano : & explicatio plurium.

Ex Genesi.

3. *Ex ligno quod est in medio paradisi, Deus edere vetuit.* t.3.171.a.2.173 b.1.
4. *Et dixit: serpens nequaquam moriemini.* t.3.388.T.
5. *Aperientur oculi vestri.*
Et eritis sicut Dij. t.2.6.8.b.2. t.3.356.c.2.
De arbore agnitionis gustauerunt.
6. *Credidit Eua serpenti.* t.3. 89.T.
Deditque viro suo, qui comedit. t.3.117.T. t.2.645.a.b.2. t.3.292.d.
7. *Et aperti sunt oculi amborum.*
Et cognouerunt se esse nudos. t.3.775.T. t.3.56.d.2. 205.b.1.256.b.1.
De ficulneis folijs. t.3.50.T.204.256. t.3.289.b.1. 397.b.1.
8. *Dominus in paradiso ad vesperam deambulauit.*
9. *Adam, vbi es?* t.3.753. T. t.2.* lxxvj.T. 706. t.2.* lxxvij. d. e.1. 575.c.2.
15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ipsa conteret, &c.* t.3. 40.T.t.3.188.d.
16. *In doloribus & anxietatibus paries filios, & ad virum tuum conuersio tua, & ille dominabitur tui.* t.3.184.T. t.2.* lviij. T. t.3.188. T. t.2.575.c.2. t.3.184.b.2. 781.a.b.2.
18. *Tribulos & spinas edet tibi..* t.3.74.T. t.3.514.b.1. t.2.517.b.c.1.
In sudore vultus tui pasceris pane tuo.
19. *Terra es, & in terram ibis; vel quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* t.3 83.T. 490. 495.512. 513. t.2.. 170.T. t.2.549.T. 171.a.1.
20. *Eua, quoniam mater viuentium.*
21. *Pellicea siue scortea tunica, quas fecit Adam.* t.3.184. T.204. t.2.380.a.b.1. & seq. t.3.184.c.1.
22. *Ecce Adam factus est tanquam vnus ex nobis, & nunc ne quando extendat manum, & sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum.* t.3.176.T.738. t.2.* lxxvj.T. t.2.503.T.188.232. t.2.* lxxvij.627.c.d.2.707.b.c.d.1. & seq.232.d.1. & seq.t.3.186.c.1.177.a.1. 739.d.e.1.
23.24. *Adam de paradiso eiectus. & Cherub positus.* t.3.583.T. t.3.24. t.3.215.c.1.396.b.c.d.2. t.2.cc. b.1.& seq.

Cap. 4. v.4. *Abel verò minor filius obtulit munera Deo de fructu ouium suarum. Respexit Deus in Abel, & in munera eius.* t.3.565.T.
5. *In Caïn autem & in munera eius non respexit.* t.3. 113.a.1.
6. *Et dixit Deus ad Caïn: quare concidit vultus tuus?* & seq. t.3.476.T. t.3.787.b.c.d.1.
7. *Quoniam si rectè quidem offeras, non rectè autem diuidas, peccasti, quiesce. Ad te enim conuersio eius, & tu dominaberis eius.* t.3.17.T. t.3.786.c.2.& seq.787. c.d. 2.587.a.1. t.3.387.b.1.& seq. 576.a.b. t.2. & seq.
8. *Et tunc dixit Caïn ad Abel fratrem suum, eamus in campum; & abiit cum eo illic, & interfecit eum.* t.3. 89.T. 112.157. t.2.637.b.1.& seq.
9. *Et tunc dixit Deus ad Caïn, vbi est Abel frater tuus? Et dixit, Nescio. Nunquid custos fratris mei sum ego?* t.2.* lxxvj.T. t.2.* lxxvij.a.b.2.
Et dixit ei Deus.
10. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*
11. *Propter quod maledicta terra quæ aperuit os suum ad excipiendum sanguinem fratris tui.* t.3.514.T. t.2. 503.T. t.2.763.b.2.
12. *Gemens & tremens eris super terram.*
19. *Lamech duabus maritatus.* t.3.156.T.157.
24. *De Caïn septies, de Lamech septuagies septies reputabitur vltio.* t.3.157.T. t.3.357.c.2.

Cap. 5. v.22. *Enoch, iustissimus.*
24. *Transtulit Deus Enoch, qui nondum mortem gustauit, vt æternitatis candidatus.* t.3.17.T. 565.

v.3. *Non manebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt.* t.3.54.T.540. t.2.179.d.2.& seq. Cap. 6.
6. *Pœnitens quod hominem fecisset.* t.3.422.T. t.3.422. c.2.423.a.b.1.
7. *Iniquitates diluuium prouocauerunt.* t.3.157.T.
8. *Noë iustus inuentus, quem Deus de diluuio liberauit.* t. 3.5.T.& 17.565.
10. *Orbem aquarum violentiâ puniens.* t.3 752.T.
19. *Ex omnibus bestijs, ex omni carne, duo induces in Arcam, vt viuant tecum. Masculus & femina erunt de animalibus & volatilibus, secundum genus, & de omnibus serpentibus terræ, secundum genus ipsorum. Duo ex omnibus introibunt ad te, masculus, & femina.* t.3.159.T. t.3 161.b.1. t. 2. 623. c.d.e.1.664 a b.c.d.2.
v.2. *Ex omnibus bestijs, ex omni carne, duo induces in Arcam.* t.3.159.T. Cap. 7.
v.10. *Diluuium.* t.3.199.T. t.3.199.c.2.& seq. Cap. 8.
11. *Columba pacis præco, cum olea reuersa.* t.2.505.T. t.3.626.c.2.
v.1. *Benedixitque Deus Noë & filij eius, & dixit ad eos, Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* t. 3. 159.T. Cap. 9.
2. *Terror vester sit super cuncta animantia.*
3. & 4. *Ecce dedi vobis omnia in escam tanquam olera fæni; verum carnem in sanguine animæ suæ non edetis.* t.2. 696.T. 81.688. t.2.6.b.2. t. 2.cclxxx. d.1.& seq.
5. *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum.* t.3.501.T.515.523.
6. *Qui effuderit sanguinem hominis, pro sanguine hominis eius infundetur.*
v.7. *Venite descendamus, & confundamus illis ipsorum linguas.* t.3. 752. T. Cap.11.
v.18. *Abraha reuertenti de prœlio, panem & vinum obtulit Melchisedech.* t.3.5.T.& 17.565.t.3. 18. a.2. Cap.14.
Rex Dei altissimi Sacerdos.
19. *Et benedixit ei.*
v.5. *Velut stella cæli erit semen tuum.* t.2. p. 2. Cap.15.
7. *Abraham credidit Deo, & iustitiæ deputatum est ab eo.* t.3.331.T. t.2.2.T.
v.5. *Et dedit eam viro suo vxorem.* t.31. 156.T.158. t.3. 372. c. 1. & seq. Cap.16.
4. & 5. *Abraham pater nationum multarum.* t.2.1.T. Cap.17.
v.1. *Abrahæ visus Deus apud quercum Mambre.* t.2.233. c. d. e. 1. Cap.18.
2. *Et venerunt Angeli ad Abraham.* t.3.753.T.
Et vnum adorauit.
4. *Dominus apud Abraham, sub quercu refrigerauit.*
21. *Descendam, & videbo si secundùm clamorem peruenientem ad me, consumment; si verò non, vt agnoscam.* t. 2.* lxxviij.T. t.2.* lxxviij. a.b.
v.16. *Loth de incendio Sodomitarum liberatus.* t.3. 17.T. Cap.19.
17. *Respectare noluit Dominus quos ex Sodomis liberarat.* t.3.249.T. 472. t.3.250.a.1.
24. *Et pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem de cælo à Domino.* t.3.727.T. 752. t.3.200.T. t.3.201.b.1.728.b.c.1.
v.2. *Abraham sororem mentitur Saram.* t.3.458.T. t. 3. 230.b.1. Cap.20.
v.1. *Tentauit Deus Abraham.* t. 3. 331.b. 2. & seq. Cap.22.
2. *Tolle filium tuum quem diligis Isaac.* t.3.331.T.565. t.2.380.c.2.
6. *Isaac à patre in hostiam deditus, lignum sibi ipsi portabat.* t.2.383.a.1.& seq.384.c.1.& seq.
17. *Et faciam semen tuum tanquam stellas in cælo.* t.3. 550.T. cclxxxvj. t.2.2.c.1.& seq.
18. *In semine tuo benedicentur nationes terræ.* t.2.3.2.c. & seq. t.3. 93.T. t.3.312.d.2.
v.4. *Postulans Saræ humandi locũ de filijs Cheth, dixit Abraham; date mihi possessionem sepulchri vobiscum, & hu-* Cap.23.

mabo mortuam meam. to.3.495.T.

Cap.24. 3. *Pone manum tuam super femur meum. Non accipies in uxorem filio meo de filiabus Cananaeorum. t. 2. 339.b. c.2.*

64. & 65. *Rebecca conspecto procul sponso velamen innasit. t.3.229.T. 712, t.3.229.d.1.*

Cap.25. 22. *Viscera Rebeccae inquietantur. t. 3. 601.T. t. 2. ccxlvii.T.*

23. *Ecce gemini, duae gentes in utero tuo sunt, & duo populi de ventre tuo diuidentur, & populus populum superabit, & maior seruiet minori. t.cclxxxvi.T. t. 2. ccxlvii.b.c.2. ccxlviii.d.e.1. & 2.*

27. *Esaü venator ferarum.*

Cap.26. 2. *Apparuitque ei Dominus, & ait. Tibi & semini tuo dabo uniuersas regiones has.*

Cap.27. 28. *Det tibi Deus de rore caeli. t.2.ccxcj.T.*

39. *De opimitate terrae erit inhabitatio tua, & à rore caeli. t.2. ccxcj.T.*

Cap.28. 9. *Nuptiae frequentatae. t.3.156.T.*

12. *Scala Iacob. t.3. 438.T. 691. t.3. 439.a.b.2.441. 2.b.c.2.& seq. 648.b.2. t.2.547.d.2.& seq.*

Cap.30. 4. *Deditque illi Balam in coniugium.*

Cap.32. 28. *Dixitque ei, non vocabitur iam nunc nomen tuum Iacob, sed Israël erit nomen tuum, quia inualuisti cum Deo, & cum hominibus potens es. t.3.104.T.*

30. *Et vocauit Iacob nomen illius, Visio Dei. Vidi enim Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. t.3.751.T.752.*

Cap. 38. 14. *Thamar visa est quaestui sedere. t.3. 296.T.*

Cap.41. 42. *Ioseph in ornamento. t.3.793.T.*

45. *Ioseph fuisse unyngum. t.3.161.T.*

C.45.24. *Ne irascamini in via. t.2.752.T.*

C.46.1. *Chaldaeum semen in Aegyptum educatur. t.3.206.T.*

C.48.13. & seq. *Iacob nepotes suos ex Ioseph Ephrem & Manassem capitibus impositis & intermutatis manibus benedixit. t.2.504.T.*

C 49.5. & 6. *Simeon & Leui perfecerunt iniquitatem ex sua secta. Ne veneris in Concilium eorum anima mea, & in stationem eorum ne incubuerint secora mea, quoniam in indignatione sua interfecerunt homines, in concupiscentia sua subneruauerunt Taurum. t.2.386.T. t.2.386. a.b.c.*

10. *Non auferetur sceptrum de Iuda. t.2.576.a.1.*

11. *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine uuae amictum suum. t.2. clxxiv.T. t.2.clxxvij.a.1. a.b.c.2. & seq.*

27. *Beniamin lupus rapax ad matutinum comedet adhuc, & ad vesperam dabit escam. t.3.342.T.345. t.3. 343.a.b. & seq.346.b.1. & seq.353.c.2.*

Ex Exodo.

Cap. 1. 11. *Laterina deducta ab Hebraeis, & villae, ac ciuitates aedificatae. t.2. lxx.T. cclxix.*

15. *De obstetricibus protegentibus partus Hebraeos. t.3. 457.T. t.2.cclij.b.2. t.3.458.a. t.2.*

16. *Masculi filij Hebraeorum interfici iussi. t.3.223.T. t.2. cclxix.T.*

Cap. 2. 13. *Quid proximum tuum percutis. t.2.* cxxx.T.

14. *Quis te constituit Magistrum, aut Iudicem super nos? t.2.* cxxx.T. t.2. cxxx.c. & cxxxj. a.b.c.1.

Cap. 3. 1. *Moyses autem pascebat oues Ietro soceri sui Sacerdotis Madian.*

2. *Apparuit Moysi Dominus.*
De rubo ardenti. t.3.73.T

5. *Solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est. t.3.63.T.149. t.3.304.d.2*

6. *Vocauit eum Dominus, & dixit: Ego sum Deus Abraham, Isaac & Iacob. t. 2.* ccxxxj.T. t.3.344. c.1. & seq.

8. *Et introducam te in terram quam paraui tibi, & terram lacte & melle manantem dabo vobis. t.3.120.T.606.*

14. *Ego sum qui sum, qui est. t.3.747.T.*

2. *Virgam portauit Moyses. t.3.153.T.* Cap. 4.

3. *Virga in serpentem commutata. t.3.515.c.d.1. & seq.*

6. *Moyses manum in sinum condit, & emortuam profert, & rursus insinuat, & viuidam explicat. t.3.510.T. 515. t.3.516.a.*

10. & seq. *Moysi causato linguae tarditatem, os repromisit, & sapientiam ipsam, cui nemo resisteret. t.3.103.T. t.3. 104.b.1.*

24. & 25. *Filius Moysi ab Angelo praefocatus fuisset, si non Sephora mater eius calculo praeputium infantis circumcidisset. t.2.478.T. t.2.478.d.1. & seq. 479. c.d.1. & seq.*

14. *Flagellati praefecti Hebraeorum. t.2. cclxix.T.* Cap. 5. v.

23. *Aaronem non fuisse digamum. t.3.161.T.* Cap. 6. v.

3. *Et ego indurabo cor eius. t.3.62.T.* Cap. 7. v.

10. *Signa per Moysem facta t.3.81.T.*

12. *Magicarum virgarum dracones. t.3.59.T. t.3.60. b.1. & seq.*

17. *Plagae Aegyptiorum decem.*

20. *Aqua in sanguinem.*

v.6. *Ranarum.*

17. *Cinyphum.* Cap. 8.

19. *Digitus Dei est. t.2.297.T. t.2.298.c.1. & seq.*

24. *Muscarum.*

6. *Pestis pecorum.*

10. *Hulcerosarum vesicarum.* Cap. 9.

23. *Grandinis, tonitrui & fulguris.*

14. *Locustarum.*

21. *Tenebrarum palpabilium.* Cap. 10.

2. *Dices ergo omni plebi, ut postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua, vasa argentea, aurea & vestem. t.2.* xxxiv.T. C. 11. v.

5. *Mors primogenitorum.*

11. *Pascha est Domini. t.2.* clxxiij T. Cap. 12.

12. *Dominus comminatur exitium Aegyptijs. t.3.661.T.*

v.13.14.34. & 35. *Petierunt ab Aegyptijs vasa argentea, & aurea, & vestes, & illis spolijs offarcinatos cum oneribus consparsionum eduxit Moses ex Aegypto. t.3. 450.T. t.2. cclxix.T. t.2. cclxix.c.2. & seq.* Cap. 12.

36. *Direptio iusta Aegypti per filios Israël. t.2.* lxx.T. t.3.417.b.1. & seq. 451. a.b.2. 450.T.

5. *De terra fluente lacte & melle. t.3.606.T.* Cap. 13.

21. *Virga Moysi imperat mari rubro. t.2.290.b.1. & seq.* Cap. 14.

28. *Mare reuersum est primo diluculo ad priorem locum, fugientibusque Aegyptijs occurrunt aquae, & inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus. t.3.427.T.*

26. *De ligno amaram aquam dulcem reddente. t.2.547.T. t.2.547.c.d.1. & seq. 548.a.b.c.2.* Cap. 15.

13. & 15. *Panem petentibus de caelo dedit manna, & ortygometram. t.3.264.T. 451. t.3.788.b.c.d.2.*

16. *De collatione mannae duplici in Parasceue Sabbati. t.3.561.T. t.3.562.c.2.*

10. *Agmen agit Iesus Naue, & bellat populus. t.3.153.T.* Cap. 17.

11. *Moses extensis manibus orabat usque in occasum, quum Iesus aduersus Amalech praeliaretur. t.2.540. T. t.2.541.b.c.1. & seq. t.3.279.a.1.*

16. *Apparuit Dominus in igne & nube, in monte & voce de caelo. t.3.75.T.* Cap. 19.

1. *Lex Dei data est. t.3.5.T.* Cap. 20.

2. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Aegypti. t.2.647.T.*

3. *Non erunt tibi Dei alij praeter me.*

4. *Non facies tibi simulacrum (siue idolum) eorum quae in caelo, & quae in terra deorsum, & quae in mari infra terram. t.3.660.T. t.2.652.T. 665. t.2.* xvj.T.

5. *Non adorabis ea, neque seruies eis. Ego enim sum Dominus Deus zelotes. t.3.74.T. Exigens delicta Pa-*

erum in filios. t.2.*lxvij.T. t.2.408.T.424.T.638. t.3.62.T. t.2.425.a.b.2. t.2.*lxviij.d.1. & seq. t.2. 409.b.1. & seq. 424. d.2. & seq.

7. Non sumes nomen Domini Dei tui in vano. t.3.746. T. t.2.458.T. t.2.662.T. t.2.458.a.b.662.b.1. & b.c.2. & seq.

9. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. t.2. *xv.T.

10. Septima autem die Sabbatum Domini est. Non facies in ea omne opus tuum. t.3. 563.565.

12. Honora patrem tuum & matrem. t.3.164.T. t.2. *ccxliij.T. t.2.*ccxliij. c.1. & seq.

Vt sis longæuus super terram.

13. Non occides. t.3.9.T. & 31. 660.664. t.2.538.T. 228. t.2.228.d. & seq.

14. Non adulterabis siue Mœchaberis. t.3.19.T. & 22. & 31. & 46.660.

15. Non fraudaberis, seu furaberis. 660. T.

22.23. & seq. Ipsi vidistis quòd locutus de cœlo ad vos sum. Non facietis vobis deos argenteos, deos aureos non facietis vobis secundùm hac. Deus tuus. t.2.647.T. 649.d.e.1. & seq.

Cap. 21. 2. Septimo anno seruitia libertate soluuntur. t.3.12.T.

22. De aborsu. t.2.635.b.c.1. & seq. fusè.

De pœna talionis. t.3.86.T. t.2.635.b.c.d.2.

24. Dentem pro dente, oculum pro oculo. t.3.86.T.807. 335. t.2.742.T.

Cap. 23. 4. Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. t.2.524.T.

13. Nomen deorum non memorabitis. t.3.116.T. t.2. 662. t.3.118.c.

20. Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui te custodiat in itinere, & introducat te in terram quam præparaui tibi. t.2.42.T.

21. Intende illi. & audi eum. Ne inobediens fueris ei. Non enim celauit te, quoniam nomen meum super illum est.

Cap. 24. 16.17. Per nubem congressus Domini cũ Mose. t.3.75.T.

Cap. 25. 18. Quadraginta dies ieiunio Moses functus. t.3.487.T.

18. Cherubin & Seraphin aurea. t.2.*xvj.T.

Cap. 28. v.13. Fibulam portauit Aaron. t.3.153.T.

17.18. Duodecim gemmæ in tunica sacerdotali Aaronis. t.2.94.T.

Cap. 32. 1. Fac nobis deos, qui nos antecedant, seu præeant nobis. t. 2.477.T. 484.755. cxciij. T. t.3.785.T.

2. & seq. Vrgetur Aaron, iubet inaures fœminarum suarum in ignem conferri. t.3.385.T. t.3.386.b.c.1.

Quum ex monilibus feminarum & annulis virorum aurum fuisset igne conflatum, & processisset eis bubulum caput, huic figmento vniuersus Israël, abrelicto Deo, honorem dederunt, dicentes: Hi sunt Dei qui nos eiecerunt de terra Ægypti. t.2.755.T. 555.T. t.2.701. d.1. & seq.

6. Et sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. t.3.14.T. t.2.511.T. t.2.701.T.

10. Sine me, & indignatus ira disperdam illos, & faciam te in nationem magnam. t.2.*lxxiv. T. t.2.334. & seq. *lxxiv. c.1.

32. Non facies istud, aut & me cum iis impende. t.3.315. T. t.2.lxxiv.T. t.2.334.T. t.2.*lxxiv.b.c.2. t.2. 334.b.c.1. t.3.316.a.1.

Cap. 33. v.11. Os ad os stabat Moses, & facie ad faciem cum Deo, sicut quis loquitur ad amicum suum. t.3.751.T. t.2. 405.T.

13. Si inueni gratiam coram te, manifesta te mihi, vt cognoscenter videam te. t.3.751.T. t.2.405.T.

18. & 19. Et dixit Moses, Ostende mihi gloriam tuam. t.2.405.T.

Et Dominus, ego præcedam in gloria mea: & tunc videbis posteriora mea. t.2.405.T.

20. Non potes videre faciem meam.

Nemo hominum Deum videbit, & viuet. t.2.405.T. t.3.751.T. 752.753. t.2.*lxxv.T.

23. Et tunc videbis posteriora mea. t.3.755.d.e.2. & seq.

16. Vetus lex ademit coniugium allophylorum. t.3.234. Cap. 34. t.3.234.a.1.

30. Splendore faciei suæ Moses oculos percutiebat filiorum Israëlis. t.3.25.T.510. t.3.510. c.1.

Ex Leuitico.

1. & 15. Locutus est Mosi Dominus. t.3.10.T. Cap. 1.1.

Nadab & Abiu, igne succensi. t.2. 9.t.2. C. 10.1.

9. Vinum & siceram non bibetis tu & filij tui post te, si quando ingrediemini tabernaculum, vel ascendetis ad altare, & non moriemini. t.3.30.T. t.2.9.T. t.2. 9.e.1.

44. Sancti eritis, quia Deus sanctus. t.3.272.T. t.3. 272.b. 1. t.2.204. Cap. 11.

2. & 45. Solennis partualis sanguinis fluxus de lege taxatur, & modus temporis præscribitur. t.3.123.b.1. Cap. 12.

2. & seq. Lex Leprosorum. t.2.ccl.xxxv.c.d.2. Cap. 13.

12. Si autem varietas effloruerit in cutem, & totam cutem texerit à capite vsque ad pedes per omnem conspectum.

13. Et Sacerdos cùm viderit, emundabit eum, quoniam conuersit in album, mundus est.

14. Qua verò die visus fuerit, eiusmodi color viuus, inquinatus est. t.3.290.c.1.794.c.2.

5. & 7. De hircis duobus in Sacrificio t.2.418.T.387. t.2.419.a.b.c. 2.387.a.b.2. clxxxiij.b.c.d.1. Cap. 16.

4. Non sequemini idola, & deos fusiles non facietis vobis. Ego Dominus Deus vester. t.2.648.T. Cap. 19.

17. Non odies fratrem tuum in animo tuo, traductione traduces proximum tuum, & non sumes propter illum delictum. t.2.523.T.

18. Fratris malitiæ memor non sis. t.3.479.T.

Diliges proximum tibi tanquam te. t.2.224.225.T.

20. De famula concubitu. t.3.50.T.

21. Quicumque sumpserit fratris vxorem, immunditia est. t.3.233.T. t.3.234.b.2. Cap. 20.

1. & 11. Super omnem animam defunctam Sacerdos non introibit. t.3.164.T. 567. t.2.419.b.c.1. t.3.164.b. 2.567.c.1. & seq. Cap. 21.

14. Sacerdotes mei non plus nubent. t.3.163.T. t.3.163. in f. & seq.

13. Filia Sacerdotis vidua, vel eiecta; Si semen non fuerit illi, in domum patris sui regrediatur, & de pane eius alatur. t.3.164.T. t.3.164.b.1. Cap. 22.

3. Non facies omne opus in ea, nisi quod fiet omni animæ. t.3.563.T.565. t.3.564.e.2. Cap. 23.

27. Decima mensis septimi dies placationis sancta erit vobis dies, & vexabitis animas vestras. t.2.671.T.

29. Et omnis anima quæ vexata non fuerit in illa die, exterminabitur de populo suo.

20. Oculum pro oculo, dentem pro dente, liuorem pro liuore. t.3.13.T. & 26. t.2.477.T. t.3.14.a.1. Cap. 24.

1. Filij Israël famuli: pueri mei. Hi sunt quos eduxi de terra Ægypti. Ego Dominus Deus vester. Non facietis vobis manu facta, nec sculptile, nec staticulum statuetis vobis, nec lapidem scopum ponetis in terra vestra. Ego Dominus Deus vester. t.2.648.T. Cap. 26.

Ex Numeris.

2.11. Eiiciens de castris omnem leprosum. t.3. 626.T. Cap. 5.

3. Vinum bibere prohibitum Nazaræis. t.3.T. & 30. t.2.9.c.d.2. t.3.9.c.2. Cap. 6.

6. & 7. Qui se Deo vouerit, ne super vllam animam

introeat defunctam, ne super Patris quidem, aut matris, aut fratris. t.3. 567. T.

Cap. 11. v. 4. *Carnem & ortygometram.* t. 3. 263. T. t. 3. 266. b. 2.

5. *In mentem nobis veniunt cucumeres & pepones, & porri, & cæpe, & allia.* t. 3. 14. T.

Cap. 12. v. 6. 7. 8. *Et si Propheta fuerit in vobis, in visione cognoscar illi, & in somno loquar ad eum. Non quomodo ad Mosem, os ad os loquar ad eum in specie, non in ænigmate,* t. 2. 403. T. t. 3. 751. T.

Cap. 13. v. 17. *Et cognominauit Moses Ausen filium Naue Iesum,* t. 3. 161. T. t. 2. 422. T.

Cap. 15. v. 30. 33. *Ligna colligens morti datus.* t. 2. xvi. T. t. 3. 564. c. 1.

Cap. 20. v. 11. *Aqua de petra fluxit,* t. 2. 337. T.

Cap. 21. v. 8. *De serpente æneo suspenso in ligno,* t. 2. 541. T.

9. *Fecit Moses serpentem æneum,* t. 2. * xvj. T. t. 2. * xvij. c. 1. 542. b. c. 1. & seq.

Cap. 22. v. 5. *De Balaam Propheta,* t. 3. 103. T. 677. t. 3. 677. d. 1.

Cap. 33. v. 1. *Profectio filiorum Israël ex Ægypto,* t. 3. 450. T.

9. *Duodecim fontes Elim, & 70. palmas,* t. 2. * cxxiij. T. 941.

Ex Deuteronomio.

Cap. 5. v. 20. *Et proximum tuum, tanquam te,* t. 2. 476. T.

21. *Vxorem proximi tui non concupisces,* t. 3. 221. T.

Cap. 6. v. 2. *Vt timeas Dominum Deum tuum,* t. 3. 116. T.

4. *Audi Israël, Dominus Deus tuus vnus est,* t. 2. * ij. T. 647. t. 2. * ij. b. 1. xj. c. 1.

5. *Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & ex tota Anima tua, & ex totis viribus tuis,* t. 2. * lv. T. t. 3. 9. T. 63. 116 t. 2. 476. T. t. 2. 30. T. 647. t. 3. 63. b. 1. & seq.

13. *Dominum Deum tuum timebis, & illi famulaberis soli, & illi ad glutinaberis, & in nomine eius iurabis,* t. 2. * lvj. T. 647.

14. *Non ibitis post Deos alienorum, & Deos nationum quæ circum vos,* t. 2. 647. T.

Cap. 8. v. 12. *Ne quum manducaueris, & repletus fueris, & domos magnas ædificaueris,* t. 2. * cxxvij. T. 701. T.

13. *Ouibus & bubus tuis multiplicatis, & pecunia & auro.*

14. *Extollatur cor tuum, & obliuiscaris Domini Dei tui.*

Cap. 10. v. 16. *Circumcidetis duricordiam vestram,* t. 3. 20. T. t. 2. 479. T.

Cap. 11. v. 27. *Ecce posui ante te maledictionem & benedictionem,* t. 2. 371. T.

Benedictionem, si audieritis præcepta Domini Dei vestri, quæcumque ego præcipio hodie.

28. *Maledictionem, si erraueritis de via qua mandaui vobis, vt abeuntes seruiatis deis alijs quos non scitis,* to. 2. 148. T.

Cap. 12. v. 2. *Perditione perdetis omnia loca in quibus seruierunt nationes Deis suis, quas vos possidebitis hæreditate, super montes & colles, & arbores densas quasque,* t. 2. 647. T.

Cap. 13. v. 1. *Si Prophetes exsurrexerit in te, aut somnium somnians, & dederit tibi signum vel ostentum,* t. 2. 647. T.

2. *Et euenerit, & dixerit; Eamus, & seruiamus Deis alijs quos non scitis.*

3. *Ne audiatis sermonem Prophetæ, aut somniatoris illius: quia tentat vos Dominus Deus vester. Vt sciat si ex toto corde vestro, & ex tota anima vestra diligatis Deum.*

5. *Prophetes autem & somniator ille morietur: locutus est enim ad seducendum te à Domino Deo tuo,* t. 3. 57. T.

7. & 8. *Ex deis nationum quæ circum te proximè sunt, aut longè, ne velis ire cum illo, & ne audiaris eum. Non parcet oculus tuus super eum. Non misereberis, nec celabis eum, sed adnuntians adnuntiabis de eo,* t. 2. 647. 648. T.

12. & seq. *Si quam de ciuitatibus constiterit suasu iniquorum hominum transiisse ad Deos alios, vt interficiantur omnes incolentes eam, & deuotamenta fiant vniuersa eius, & colligantur*

omnia spolia eius in omnes exitus eius, & igni crementur cum omnibus vasis suis, & cum omni populo in conspectu Domini Dei. Et non erit habitabilis in æternum, non reædificabitur amplius, nec adhærebit quicquam manibus tuis ex deuotamento eius, vt auertatur Dominus ab indignatione iræ suæ, t. 2. 648. T.

Cap. 14. v. 3. *De ciborum immundorum prohibitione,* to. 3. 14. T.

7. & 8. *Camelum ne comedatis, nec leporem, nec suem.*

9. *In piscibus munda sunt quæ cooperta squamis, & armata remigijs.*

10. *Sepia. pisculentum reprobum,* t. 2. * xxxiv. T.

14. *Edi prohibetur coruus.*

15. *Noctua.*

16. *Cygnus.*

18. *Charadrius, vespertilio,* t. 3. 14. T.

Cap. 15. v. 2. *Dimittes omne debitum quod tibi proximus debet, & fratrem tuum non reposces; quoniam remissio Domini Dei tui inuocata est,* t. 3. 815. T.

4. *Non erit in te indigens, vti benedicens benedicat te Dominus Deus tuus,* t. 2. clix. T.

7. *Si autem fuerit indigens de fratribus tuis, non auertes cor tuum, nec constringes manum tuam à fratre tuo indigente, & seq.* t. 2. clix. T. t. 3. 816. a, b, c.

8. *Aperiens aperies illi manum, fœnus fœnerabis illi quantum desiderauit,* t. 3. 816. b. c. 1.

Cap. 18. v. 15. *Prophetam suscitabit vobis Deus, ex filiis vestris,* t. 2. 404. T. t. 3. 782. T. 787.

Cap. 19. v. 15. *In tribus testibus stabit omne verbum,* t. 2. 404. T. 97. T. 18. 118. 41. t. 2. 218. d. 2.

Cap. 21. v. 22. *Si autem fuerit in aliquo delicto, ita vt iudicium mortis sit, & morietur, & suspendetis eum in ligno,* t. 3. 70. T.

23. *Sed & sepultura sepelietis eum ipsa die, quoniam maledictus omnis homo qui pependerit in ligno; & non inquinabitis terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in sorte,* t. 2. 382. T. 371. t. 2. 371. c. d. 2. & seq.

Cap. 22. v. 5. *Maledictus qui muliebribus vestietur,* t. 3. 660. T. 792. t. 3. 791. c. d. 2.

28. & 29. *Qui ex compressione matrimonium fecerit, non poterit dimittere vxorem in omne tempus,* t. 3. 138. T.

Cap. 23. v. 3. *Ammonita & Moabita prohibentur Ecclesiam populi Dei ingredi,* t. 3. 155. T. t. 3. 156. a.

4. *Quod populum Ægypto profectum inhumanè & inhospitaliter copijs defraudassent.*

Cap. 24. v. 1. *Si sumpserit quis vxorem, & habitauerit cum ea, & euenerit non inuenire eam apud eum gratiam, eo quod inuentum sit in illa impudicum negotium, scribet libellum repudij, & dabit in manu eius, & dimittet illam de domo sua,* t. 3. 137. T. 138. 481.

12. *Non dormies super pignus eius,* t. 3. 815. T. & 816. b. c. 1.

13. *Redditione reddes ei pallium circa Solis occasum, & dormiet in pallio suo,* t. 3. 815. T.

Cap. 25. v. 4. *Boui terenti os non colligabis,* t. 2. * lxx. T. t. 3. 12. T. t. 3. 1. b. 1.

5. *Si quis frater illiberis decesserit, à fratre ipsius suppærabitur semen illi,* t. 2. 12. d. c. 1. 13. a. 1.

Cap. 27. v. 15. *Maledictus homo qui fecerit sculptile aut fusile aspernamentum Domino opus manuum artificis, & collocauerit istud in abscondito,* t. 2. 648. T.

Cap. 28. v. 63. *Eijciemini de terra in quam introibitis.*

65. *Et in nationibus illis non eritis in requiem, & non erit stabilitas vestigij pedis tui, dabit tibi Deus cor tædians, & tabescentem animam, & oculos deficientes, vt non videant,* t. 2. 549. T.

66. *Et erit vita tua pendens in ligno ante oculos tuos, & non credes vitæ tuæ,* t. 2. 547. T. t. 2. 547. a. b. 1.

Cap. 29. v. 5. *Per quadraginta annos populus calceamenta & vestimenta non detriuerat,* t. 3. 451. T.

Cap. 30. v. 11. *Præceptum excelsum non est, nec longè à te,* t. 3.

469. T. t. 3. 470. a. 1. & seq.

12. *Non est in cœlo vt dicas, Quis ascendet in cœlum, & deponet nobis illud, & auditum illud faciemus?*

13. *Nec vltra mare est vt dicas, Quis transfretabit, & sumet illud nobis, & auditum illud faciemus?*

14. *Propter te est verbum, in ore tuo, & in corde tuo, & in manibus tuis facere illud.*

19. *Ecce posui ante vos benedictionem & maledictionem*, t. 2. * lviij. T.

Cap. 32. v. 15. *Incrassatus est dilectus, & pinguefactus, & dilatatus est, & dereliquit Deum qui fecit eum, & abscessit à Domino saluificatore suo*, t. 2. 701. T.

20. *Auertam faciem meam ab eis, & monstrabo quid illis in nouissimis. Quoniam genitura peruersa est, filij in quibus fides non est*, t. 2. 484. T.

21. *Illi obæmulati sunt me in non Deo, & prouocauerunt mè in iram in Idolis suis, Et ego obæmulabor eos in non natione, in natione insipiente prouocabo eos in iram*, t. 2. 484. T.

35. *Vindictam mihi, & ego vindicabo*, t. 3. 13. T. t. 2. 720. T.

39. *Ego percutiam, & ego sanabo*, t. 2. * lv. T. 742. t. 3. 27. T. 61. 540. 599. 693. t. 2. 588. T. 779.

Cap. 33. v. 17. *Tauri decor eius, cornua vnicornis cornua eius; in eis nationes ventilabit pariter ad summum vsque terræ*, t. 2. 539. T. 423. T. t. 2. 423. c. d. 2.

Ex Iosue.

Cap. 3. v. 1. & seq. TRansiuit Iordanem Iesus cum populo Israël.

Introduxit Iesus Naue populum in terram repromissionis melle & lacte manantem, t. 2. 711. a b. 1. & seq.

Cap. 4. v. 3. *Duodecim l[illegible] ab Iesu de Iordane electi, & in Arcam testamenti conditi*, t. 2. 94. T.

Cap 6. v. 1. & seq. *Iesus Naue quum Hierico Ciuitatem debellabat, præceptũ sibi à Deo dixit, vti populo mandaret vt Sacerdotes Arcam testamenti Dei septemdiebus circumferrent in circuitu Ciuitatis, atq; ita septimi dies circuitu peracto sponte ruerent muri Ciuitatis. Quod ita factũ est, & finito spatio diei septimi, sicut prædictum erat, ruerunt muri Ciuitatis. Quo die non tantum Sacerdotes sunt operati, sed & in ore gladij præda facta sit Ciuitas ab omni populo Israël*, t. 3. 562. T. 563. t. 2. * xv. T. t. 2. 417. a. b. t. 2. * xvj. a. 2. t. 3. 564. b. c. d. 1.

12. *Stetit Sol in Gabaon, & luna in Aialon; donec vlcus est populus de inimicis suis.* t. 2. 679. T.

Iudicum.

Cap. 2. v. 16. & seq. CRitis obaudire non perseuerauerunt, vt quis Critarum obierat, illi ad delinquendum supra quàm Patres eorũ, abeundo post Deos alienum, & seruiendo, & adorando eos. Itaque Dominus iratus, quoniam quidem, ait, transgressa est gens ista pactum meum, quod disposui Patribus eorum, & non obaudierunt voci meæ, & ego non aduertam ad auferendum virum à facie eorum, ex nationibus quas reliquit decedens Iesus, t. 2. 648. T.

Ex 1. Regum.

Cap. 1. v. 15. PEr abstinentiam Anna Samuëlem Deo vouerat. *Vinum inquiens, & inebriamen non bibi*, t. 2. 9. T. t. 2. 9. c. d. 1.

20. *Anna vxor Helcanæ sterilis, per Ieiunium impetrauit sibi filium*,

C. 2. v. 6. *Qui occidit & viuificat*, t. 3. 61. T. 500. t. 2. * lv T. 779

8. *Anna mater Samuëlis: Qui, inquit, excitat pauperem de terra & mendicum, vti sedere eum faciat cum Dynastis populi, & in thronis gloriæ*, t. 3. 802. T.

Cap. 8. v. 7. *Non te contempserunt, sed me*, t. 3. 318. T.

Cap. 9. v. 16. *Adlegitur Saül*. t. 2. 300 inf. & 301. in. p.

Cap. 10. v. 6. *Saül in alium virum conuersus*, t. 3. 510. T.

12. *Quid hoc filio Cis; an & Saül in Prophetis?* t. 3. 640. T.

Cap. 10. 24. *Qualis non erat in filiis Israel*, t. 2. * xix. T.

Cap. 14. 24. *Maledictus homo qui ederit panem ad vesperam, vsque dum vlciscar de inimico meo, & non gustauit totus populus eius.*

43. & 44. *Ionathas filius Saülis, resignati ieiunij culpam deprecatione deleuit.*

45. *Liberauit populus Ionatham vt non moreretur*, t. 2. 300 a. b. 2.

Cap. 15. v. 11. *Pœnitet quod Regem Saül fecerim*, t. 2. * xix. T. t. 2. * xix. a. b. 2. xxi. b, c, 1.

28. *Discidit Dominus regnum Israëlis de manu tua hodie.* t. 2. * xx. T.

Cap. 16. v. 7. *Homo in faciem, Deus in præcordia contemplatur, seu videt ea quæ patent; Dominus autem intuetur cor*, t. 3. 403. T. t. 2. ccı. T. t. 3. 403. c. 1.

Cap. 18. v. 14. *Abscessit Spiritus Domini à Saüle. Et Dauid exagitatur*, t. 3. 112. & seq. t. 3. 694. c. d. & seq.

21. 6. *Dauid cum suis panes propositionis accepit, & comedit.* t. 3. 561. T.

Cap. 21. v. 7. & 28. 11 *Saül iubet Pythonico Spiritu è sepulchro vocari animam Samuëlis*, t. 2. * lxxxj. T. t. 2. * lxxxij. b, c, d, e, 2. & seq.

Ex 2. Regum.

Cap. 7. v. 12. SEmen tuum quod erit ex ventre tuo, t. 3. 92. T.

Cap. 11. 15. 27. *Dauid per sanguinem nuptias sibi iniecit*, t. 3. 161. T.

Cap. 14. v. 13. *Et dixit Nathan agnoscenti Dauid delictum suum in Vriam: Dominus circumduxit delictum tuum*, t. 2. * lxiv. b. c. 1. & seq. & ibid. d.

Cap. 15. v. 16. 17. *Dauid exagitatur*, t. 3. 112. T.

Ex 3. Regum.

Cap. 3. v. 12. SAlomon omni gratia & sapientia donatus à Domino, t. 2. * cxxvij. T.

Cap. 4. 15. *Bersabee vsq; Dan termini regni eius*, t. 2. 334. T.

Cap. 11. v. 3. *Salomon diues vxoribus.*

4. *Salomon ad Idololatriam à mulieribus inducitur*, t. 3. 183. T.

Cap. 12. v. 26. *Cum Ieroboam vaccas aureas & lucos colebat*, t. 2. 755. T.

Cap. 17. 1. *Viuit Dominus, cui adsisto in conspectu eius, si erit ros istis annis & imber*, t. 2. 706. T.

13. *Vidua Sareptensis pascitur ab Helia Propheta*, t. 3. 452. T. t. 3. 379. a. b. 2. 452. c. d. 1. & seq.

Cap. 19. 2. & seq. *Helias minantem Iezabel fugiens, post vnicum pabulum & potum, quem ab Angelo expergefactus inuenerat, & ipse quadraginta diebus & noctibus vacuo ventre, arido ore peruenit in montem Choreb; vbi cum in speluncа diuertisset, familiari ingressu Dei exceptus est*, t. 3. 112. T. 487. t. 2. 707. d, e, 2.

9. *Quid tu Helia hic?* t. 2. 706. T.

12. *Non in igni Dominus, sed in Spiritu miti*, t. 2. * lx. T. t. 3. 327. T. t. 3. 327. c. 1.

Ca. 21. v. 27. & 28. *Achab Regem maritũ Iezabel reum Idololatriæ, & sanguinis Nabutæ, veniam meruit pœnitentia nominat.*

29. *Et factus est sermo Domini ad Heliam*, t. 2. 702. T.

Ex 4. Regum.

Cap. 1. v. 10. DEscendat ignis de cœlo & deuoret te, t. 2. * lx. T.

11. *Helias curru raptus.*

Translatus est, t. 3. 146. T. 375.

Cap. 3. v. 24. *Immisit Helizæus pueris Vrsos*, t. 3. 457. T. t. 3. 457. b, c, 2.

Cap. 4. v. 26. *Mandauit Helisæus Giezi, cùm introisset ad Sunamitin, dicere ei, pax viro tuo, pax filio tuo?*

28. Accinge

Ex 2. Paralipomenon.

Ex Esdra 1.

Ex Iob.

Ex Psalmis.

Ex Prouerbijs.

Ex Eccleſiaſte.

Ex Canticis.

Ex Sapientia.

Ex Eccleſiaſtico.

Ex Iſaia.

Cap. 38. v. 16. *Corripies me, & viuificabis*, t. 3. 500. T. 599. to. 3. 501. a, 1.

Cap. 39. v. 6. *Ecce dies veniunt, & auferentur omnia quæ in domo tua sunt; & quæ Patres tui congesserunt in Babylonem, transferentur*, to. 2. * cxxvij. T, cxxx.

Cap. 40. 3. *Ego sum vociferator in deserto, & praparator viarum Domini*, to. 3. 789. T,

5. *Et videbit omnis caro salutare Domini*, to. 3. 486. T, 540.

7. *Omnis caro fœnum*, to. 3. 486. T, 540. *Et omnis gloria eius quasi flos fœni*, t. 2. 772. c, d, 2. 235. d, 1.

8. *Verbum enim Domini manet in æternum*, to. 3. 789. T, to. 2. 134. T,

9. *In montem excelsum ascende qui Euangelizas Sion; extolle cum vigore vocem tuam, qui Euangelizas Ierusalem*, to. 3. 354. T,

12. *Quis mensus est manu cælum, & palma terram?* tom. 2. 528 T, & 278. T,

13. *Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* to. 3. 102. T, to. 2. 583. T, to. 2. * xxij, T,

14. *Aut quem consultatus est, aut viam intelligentiæ & scientiæ quis demonstrabit illi?* to. 2. * j. T,

15. *Nationes velut stillicidium situlæ, aut puluis ex area, & quasi saliua*, to. 2. 492. T, 403. to. 3. 431. T, 486. 692. to. 2. cxxxj. * cclxxxvj.

18. *Cui me similabitis?* to. 2. * x. T,

28. *Deus æternus, Deus qui creauit terminos terræ, non esuriet, nec laborabit*, to. 3. 753. T, to. 2. * xvj. T, 706.

Cap. 41. v. 4. *Ego primus & nouissimus, & præter me non est Deus*, to 3. 125. T, 749.

17. *Quærunt aquas, & non erunt*, to. 2. 526. T.

18. *Ponam flumina in regione sitienti*, to. 3. 606. T,

19. *Et in solitudine Cedrum & buxum*, to 3. 606. T, 635.

Cap. 42. v. 1. *Ecce filius meus quem elegi, dilectus meus in quem bene sensi*, to 3. 719. T.

2. *Non contendit, neque clamauit, neque audita est foris vox eius*, to. 3. 315. T, to. 2. * lx. T, 382.

3. *Arundinem contusam non comminuit, linum ardens non extinxit*, to. 2. 347. T, & 349. c, d, e, 2. to. 3. 326. b, 1.

4. *In nomine eius nationes sperabunt*, to. 3. 354. to. 2. 312. T,

5. *Qui dedit flatum populo super terram, & spiritum calcantibus eam*. to. 3. 676. T,

6. *Ecce dedi te in dispositionem generis mei: posui te in lucem nationum*, t. 2. * lxxi. T. to. 3. 354. T. t. 2. 416. T. 638. & 403.

7. *Aperire oculos cæcorum, exsoluere de vinculis vinctos, & de cella carceris sedentes in tenebris*, to. 3. 11. T, 81. to. 2. 416. T, to. 2. cclxxxj. T,

19. *Quis cæcus nisi pueri mei? Et qui surdi nisi qui dominantur eorum?* to. 3. 87. T, 675.

Cap. 43. v. 18. *Non memineritis priorum, & antiqua ne recogitaueritis*, to. 3. 703. T.

19. *Ecce noua quæ ego nunc facio*, to. 3. 18. T, to. 2. 312. T, & 316. to. 2. 312. b, 1.

20. *Benedicent me bestiæ agri*, to. 3. 606. T.

Ponam in terra inaquosa flumina, t. 2. 94. T. t. 3. 606.

Cap. 44. v. 5. *Hic dicet, ego Dei sum; & clamabit in nomine Iacob, & alius inscribet in nomine Israelis*. to. 3. 102. T, 104.

6. *Rex Israelis.*

Ego primus, & ego nouissimus, & absque me non est Deus, to. 3. 125 T,

8. *Testes vos estis.*

9. *Si est Deus absque me, & erunt tunc qui fingunt, & exsculpunt, omnes vani qui faciunt libita sibi, quia illis non prodeerunt*, to. 2. 653. T,

20. *Cognoscite quod cinis sit cor illorum, & errent, & nemo animam suam liberare possit*, to. 2. 72. T, 653.

24. *Ego sum Dominus omnium auctor, extendens cælos solus*, to. 3. 125. T, 729. 749.

25. *Quid alius? dissiciet signa ventriloquorum, & diuinationes ex corde. Auertens in posteriora sapientes, & cogitationes eorum infatuans*, to. 3. 749. T, to. 2. 638. T,

Ex Isai.

Cap. 45. v. 1. *Sic dicit Dominus Deus Christo Domino meo, cuius tenui dextram, vt exaudiant illum gentes, Fortitudines regum disrumpam, aperiam ante illum portas, & Ciuitates non claudentur illi*, to. 3. 719. T, 735. t. 2. 411. T, to. 2. * ccxiv. T,

3. *Et dabo illis thesauros occultos, inuisibiles aperiam eis*, to. 3. 11. T, to. 2. 638. T, to. 3. 11. d, 2.

5. *Ego sum Deus, & non est alius præter me iustus & saluans*, to 3. 125. T, 728. to. 2, 580. T, 595.

7. *Ego sum Dominus qui struxi lucem, & feci tenebras; faciens pacem & condens malum*, to. 2, * lv. T, lxvj. to. 3. 61. T, 75. 76. 692. to. 2. 508. T, to. 2. * xix. T, tom. 2. 535. b, c, d, 1. 538. a,

14. *Sabaim viri elati ad te transibunt, & post te sequentur vincti manibus, & te adorabunt, quia in te Deus est*, t. 3. 727. T.

18. *Hæc dicit dominus qui fecit cælum, iste deus qui demonstrauit terram, & fecit illam. Non in vacuum fecit illam, sed vt habitari*, t. 3. 444. T. t. 3. 444. c. 1.

23. *Iurauit per semet ipsum Deus, quod alius non sit qualis ipse* t. 3. 125. T. 729. t. 2. 785. T.

Cap. 46. v. 9. *Ante me Deus non fuit*, t. 2. 580. T.

12. *Qui longè estis à me, appropinquauerunt iustitia mea*, t. 2. 394. T. 96.

Cap. 48. v. 13. *Manus mea fundauit terram, & dextera mea firmauit cælum*, t. 2. 528. T.

Cap. 49. v. 6. *Posui te in lucem nationum, vt sis salus in extremum terræ*, t. 3. 719. T.

7. *Sanctificate eum qui circumscribit animam suam*, t. 3. 697. T, t. 2. 638. T.

10. *Non esurient, neque sitient*, t. 2. clxij. T.

12. *Ecce isti venient de longinquo: isti autē venient ab Aquilone & mari, alij autem de terra Persarum*, t. 2. cxlij. T. t. 2. cxliii. a. b.

18. *Attolle per circuitū oculos tuos, & vide, omnes congregati sunt, Et circumdabis enim illos tibi tanquam ornamentum sponsæ*, t. 2. 345. T. 351.

Cap. 50. v. 3. *Cælum vestiam tenebris*, t. 2. 374. T.

4. *Dominus dat mihi linguam disciplinæ, quando debeam proferre sermonem*, t. 3. 104. T. & t. 2. 277. T.

6. *Dorsum meum posui in flagella, maxillas autem meas in palmas, faciem meam vero non auerti à fœditate sputaminum*, t. 3. 599. T.

10. *Quis in vobis qui metuit dominum exaudiat vocem filij eius?* t. 2 404. T. 382. t. 3. 782. T.

11. *Propter me hæc facta sunt vobis, in anxietate dormietis*, t. 2. 397. T. t. 2. 761.

Cap. 51. v. 4. *Audite me, audite me populus meus, & reges auribus intendite in me, quoniam lex prodibit à me, & iudicium meum in lumen nationum*, t. 3. 703. T.

7. *Ne metueritis ignominiam ab hominibus, & nullificatione eorum ne minuamini*, t. 3. 697. T.

9. *Exsurge, exsurge Ierusalem, induere fortitudinem brachij tui*, to. 3. 63. T.

Cap. 52. v. 5. *Propter vos blasphematur nomen meum in nationibus*, t. 3. 586. T. 697. t. 2. 597. T. t. 2. 760. T.

6. *Propterea cognoscet populus nomen meum in illa die, quòd ego sum ipse qui loquebar*. t. 2. 278. T. 760. t. 2. 279. d. 1. & seq.

7. *Quam tempestiui super montes pedes euangelizantis Sion pacem, Euangelizantis bona*, t. 2. ccxcvij. T. 96. in. f. t. 3. 354. T. 782.

10. *Reuelauit Dominus brachio suo sanctum coram nationibus, vt viderint vniuersæ nationes, & summa terra salutem*, t. 3. 19. T. t. 2. 96. T.

11. *Diuertite, diuertite, excedite illinc, & immundum ne attigeritis. Excedite de medio eius, & separamini qui causam Domini portatis*, t. 3. 19. T. & 30. t. 2. 96. T.

14. *Quemadmodum expauescent multi super te, sic sine gloria erit forma tua*, t. 2. 382. T.

Cap. 53. v. 1. *Domine quis credidit auditui nostro? & brachium domini cui reuelatum est?* t. 3. 719. T. 727.

Ex Ieremia.

Ex Threnis.

Ex Baruch.

Ex Ezechiele.

Ex Daniele.

Ex Osee.

Ex Ioele.

Ex Amos.

Ex Iona.

Ex Michæa.

Ex Nahum.

Ex Habacuc.

Ex Zacharia.

Ex Malachia.

Ex 1, Machabæorum.

Ex Matthæo.

Ex Marco.

Ex Luca.

34. *Quid nobis & tibi est, Iesu? venisti perdere nos? scio qui sis Sanctus Dei.* to. 2. 422. T,
35. *Et increpuit illum Iesus.* to. 2. 303. b. 1. 304. *fusissimè.*
41. *Itaque spiritus nequam excedebant vociferantes, Tu es filius Dei. Sed increpabantur, & iubebantur tacere.* to. 3. 92. T. 303.
Cap. 5. v. 9. *Dixit Christus Petro trepidanti de copiosa indagine piscium.*
10. *Ne time; adhinc enim eris homines capiens.* to. 2. 93. T.
11. *Et Petrus & filij Zebedai, Iacobus & Ioannes, relictis naviculis secuti sunt eum.* to. 2. 93. T,
14. *Et vetuit illum diuulgare, sed iussit: vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus quod pracepit Moses, vt sit vobis in testimonium.* to. 3. 768. T, to. 2. 314. T,
17. *& seq. Curatur & paralyticus, & quidem catu spectante populo.*
22. *Quis dimittet peccata nisi solus Deus?*
24. *Vt sciatis quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata, ait Paralytico, exsurge, & tolle grabatum tuum.* to. 2. 293. T, to. 2. 293. b. c. 1. *& seq.*
31. *Medico non habent opus sani, sed malè habentes,* to. 3. 540. T. to. 2. 291. T.
33. *At illi dixerunt ad eum, quare discipuli Ioannis assiduè ieiunant & orant, tui autem manducant & bibunt?*
34. *Quibus ipse ait, non possunt ieiunare filij sponsi, quamdiu cum eis est sponsus.* to 2. 747. T.
35. *Postea verò ieiunabunt quum ablatus fuerit ab eis sponsus.*
36. *Nemo nouum additamentum inijcit veteri vestimento.* to. 2. 321. T.
37. *Nemo committit vinum nouum in vtres veteres,* tom. 2. 316. T. to. 2. 582. d. 1. *& seq.* 673. a, b, c, d. 2. 317. 1. *fusè.* to. 3. 121. b. 1. 675. c. d.
Cap. 6. v. 1. *In Sabbato Discipuli spicas decerptas manibus effrixerant,* to. 3. 561. T. 563. to. 3. 562. b. c, 1.
3. *Excusat illos Christus, exemplo David.* to. 3. 561. T. tom. 3. 561. b. 2.
4. *Intrograssi Sabbatis templum, & operati cibum audenter fractis panibus propositionis.* to. 3. 561. T.
5. *Et dicebat illis, Quia Dominus Sabbati est filius hominis.* to. 3. 563. T. t. 2. 316. T.
9. *Interrogat autem illos, licetne Sabbatis benefacere, an non; animam liberare, an perdere?* to. 6. 563. T.
12. *Et ascendit in montem, & illic pernoctat in oratione.* to. 2. 278. T. to. 2. 278. *inf.* 279. *in p.*
17. *Et conueniunt à Tyro & ex alijs regionibus multitudo etiam transmarina.* to. 2. cxlij. c, d, 1.
20. *Beati mendici, quoniam illorum est regnum cælorum.* to. 3. 696. T. to. 2. 280. b. c. d. 1. *& ibid.* T.
21. *Beati esurientes, quoniam ipsi saturabuntur.* to. 3. 697. T. to. 2. clxi. T. to. 3. 321. a. 2.
Beati plorantes, quoniam ridebunt, to. 3. 696. T. 697. to. 3. 698. a, b, 1.
22. *Beati eritis, cum vos odio habebunt homines, & exprobrabunt, & eijcient nomen vestrum velut malum propter filium hominis,* to. 3. 697. T,
23. *Secundum hac enim faciebant Prophetis Patres eorum.* to. 3. 113. T. to. 3. 114. c. 1.
24. *Va vobis diuitibus, quoniam accepistis aduocationem vestram.* to. 3. 338. T. to. 2. * cxxiiij. T. cxxvij.
25. *Va etiam saturatis, quia esurient; etiam ridentibus nunc, quia lugebunt,* to. 2.* lviij. T. to. 3. 194. T.
26. *Va quum benedixerint vobis homines, secundùm hac faciebant, & Pseudoprophetis Patres illorum.* to. 3. 194. T.
27. *Sed vobis dico qui auditis, diligite inimicos vestros, & benedicite eos qui vos oderunt.* to. 2. 742. T.
29. *Et qui te percutit in maxillam, prabe illi alteram amplius; & qui aufert tibi tunicam, pallio quoque cede.* to. 2. *lxv. T.
30. *Omni petenti te, dato.* to. 2. cclxvj. T. clix. T. 152. T. t. 2. clix. a, 1. to. 3. 330. d. 2.
31. *Et sicut vobis fieri vultis ab hominibus, ita & vos facite illis.* to. 2. 227. T.
34. *Et si fæneraueritis à quibus speratis vos recepturos, qua gratia est vobis?* to. 3. 815. T. & 816. c, 1. *& seq.*
35. *Et eritis filij Dei, quia ipse suauis est aduersus ingratos & malos.* to. 3. 146. T. 480. 815.
36. *Estote misericordes, sicut Pater vester misertus est vestri,* to. 2. cxliv. T.
37. *Nolite iudicare, ne iudicemini; nolite condemnare, non condemnemini; dimittite & dimittemini.* to. 2. * lix. T. cliv. T. to. 2. * lix. b, c, 1. *& seq.*
38. *Date & dabitur vobis; mensuram bonam, pressam ac fluentem dabunt in sinum vestrum; eadem qua mensi eritis mensura, remetietur vobis.* * to. 2, * lix. T. to. 2. * lix. c. 1. *& seq.* clv. a, b, 1.
39. *Cæcum cæcus ducit in foueam, numquid colligunt de spinis vuas?* &c. to. 2. 709. T. 593. to. 2. 582. a, b, c, d, 1.
40. *Non est Discipulus super magistrum.* to. 2. 571. T. 583.
42. *Exime de oculo tuo trabem, & tunc reuincas stipulam in oculo Christiani.* to. 2. 583. to. 2. 753. d, 1. *& seq.*
43. *Arbor bona, non profert malum fructum, nec mala bonum,* to. 3. 75. T,
45. *Malus homo, de malo thesauro profert malum.* to. 2. 583. b, c, d, 2. *& seq.*
Cap. 7. v. 9. *De Centurione dixit Christus, talem fidem nec in Israël inueni.* to. 2. 280. T. to. 2. 281. b. 1. *& seq.*
15. *Resuscitauit & mortuum filium vidua.*
16. *Et gloriam retulerunt Deo dicentes, magnus Prophetes prodijt in nobis, & respexit Deus populum suum,* to. 2. 281. T.
24. *Et testimonium Ioanni perhibuit: quid existis videre?* to. 2. 301. T.
27. *Prophetem eum confirmans, immò & supra Prophetem.*
27. *Hic est super quo scriptum est; Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui praparet viam tuam ante te.*
28. *Maior quidem Ioannes omnibus natis mulierum; sed qui minor fuerit in regno Dei, maior erit illo,* t. 2. 302. a. b. c. d. 2.
37. 38. 39. *Peccatrix femina pedes Domini osculis figebat, lacrimis inundabat, crinibus detergebat, vnguento perducebat,* to. 3. 58. T. 83. to. 2. 307. c. 308. a. b. c. 1. 2. to. 3. 58. b. 1.
50. *Ab eo audiit, fides tua te saluum fecit,* t. 3. 58. T.
Cap. 8. v. 2. *Diuites Christo mulieres adharebant qua & de facultatibus suis ministrabant ei,* t. 3. 188. T. to. 3. 188. c. 1.
3. *Inter quas & vxor procuratoris regis,*
Et Magdalena, de qua eiecit 7. damonia. t. 2. * lxxxvij. T.
8. *Qui habet aures, audiat,* t. 3. 785. T. t. 3. 786. b. c. d. c. 1. *& seq.*
10. *Videte quomodo audiatis, & non audiatis,* t. 3. 785. T.
16. *Nemo lucernam abscondit,* t. 3. 72. T.
17. *Nihil occultum quod non reuelabitur,* to. 2. 500. T.
18. *Et qui habet, dabitur; ab eo autem qui non habet, etiam quod habere se putat, auferetur ei,* t. 3. 315. T. t. 2. * lx. T. t. 2. * lx. b. 1. & 2. & c. 2.
20. *Et adnuntiatum est illi, mater tua & fratres tui stant foris, quarentes videre te,* t. 3. 785. T.
21. *Qui respondens dixit ad eos, Qua mihi mater, & qui mihi fratres, nisi qui audiunt verba mea, & faciunt ea?* t. 2. 275. T. t. 2. 275. 2. *fusè.*
25. *Quis est iste qui & ventis & mari imperat & obaudiunt ei?* t. 2. 289. T.
28. *Quid mihi & tibi est, Iesu fili Dei?*
30 *In vno homine multitudo damonum, Legionem se professa est,*
Dei filium verum, legio testata est,
31. *Et depetunt ab eo veniam abyssi,* t. 2. 298. a. 1. *& seq. fusè*
Cap. 43. v. 44. *Tangitur à femina qua sanguine fluitabat* t. 3. 83. T. t. 3. 351. b. 2.
45. *Et ait Iesus, quis est qui me tetigit? excusantibus autem discipulis, dixit Iesus,*
46. *Tetigit me aliquis; sensi enim virtutem ex me profectam,*

Ex Marco.

Ex Luca.

47. Videns autem mulier quia non latuit, tremens venit, & indicauit quemadmodum confestim sanata sit,
48. At ipse dixit ei, fides tua te saluam fecit, t. 2. 294. T. t. 2. 294. 295. fusè.
Cap. 9. v. 1. 2. Dimittit Discipulos ad prædicandum Dei regnum,
3. Et prohibet eos victui ac vestitui quid in viam ferre,
5. Et iubet puluerem excutere de pedibus in eos, à quibus excepti non fuissent in testimonium, t. 3. 155. T.
18. Interroganti Domino quisnam Discipulis videretur,
20. Respondit Petrus, Tu es Christus, t. 3. 405. T. t. 2. 404. t. 3. 782. T. t. 3. 406. d. c. 1. per totum.
21. At ille præcepit, ne cui hoc dicerent, t. 3. 405. T.
22. Quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à Presbyteris, & Scribis & Sacerdotibus, & interfici, & post tertium diem resurgere, t. 3 405. T.
24. Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet illam; & qui perdiderit illam propter me, saluam faciet eam, to. 3. 104. T.
29. Qui confusus me fuerit, & ego confundar eum, t. 2. 388. T. 255. t. 2. 256. c. 1.
28. Et assumpsit tres de discentibus arbitros futuræ visionis & vocis, & in montem secedit, t. 2. 404. T.
29. Et vultus & vestitus eius refulsit. t. 2. 405. T.
30. 31. Et ecce loquebantur cum illo Moses & Helias, conspecti in consortio claritatis, t. 2. 404. T. t. 2. 406. a. 2.
33. Et ait Petrus, bonum est nos hic esse; faciamus hic tria tabernacula, vnum tibi, Mosi vnum, & Heliæ vnum, nesciens quid diceret, t. 2. 406. a. b 2.
34. Et nubes ambiuit eos. to. 2. 406. c. 2.
35. Et vox facta est de cœlo dicens, Hic est filius meus dilectus, hunc audite. to. 2. 404. T. to. 3. 782. T. to. 2. 406. c. 2.
41. O genitura incredula, quousque ero apud vos? quousque sustinebo vos? to. 2. 283. T. to. 2. 284. d. 1. & seq.
47. Et ecce apprehendit Iesus puerum, tales esse docens debere, qui semper maiores velint esse, tom. 3. 457. T, to. 3. 457. a. b. c. 1.
52. 54. Increpauit Christus Discipulos destinantes ignem super viculum Samaritanorum. to. 2. * lx. T. to. 2. * lxj. d. 1. & seq.
55. Nescitis cuius spiritus sitis.
56. Filius hominis venit non animas perdere, sed saluas facere.
57. Recusauit eum Dominus qui dixerat, sequar te quocumque ieris, to. 2. 642. T,
58. Vulpes foueas habent, & volucres, &c. Filius hominis non habet vbi caput suum collocet. to. 3. 793. T. to. 2. d. 1. & seq.
59. 60. Alteri causato Patris sepulturam respondet, sine mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade, & adnuntia regnum Dei, to. 3. 567. T. to. 3. 567. c. 2. & 568. a b.
61. Alterum prius suis valedicere petentem prohibet retro respectare, t. 3. 472. T.
62. Nemo aratro manum imponens, & retro spectans aptus est to. 3. 476. d. 2.
Cap. 10 v. 1. Adlegit Deus & alios septuaginta Apostolos, t. 2. * cxxiij. T. to. 2. * cxxiii. a. b. c.
4. Nolite in viam ferre neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaueritis, t. 3. 448. T. 451. 581. t. 3. 304. a. 1. d. 2. 351. a. 2. 581. c. d. 1.
5. In quam autem introieritis domum, pacem ei dicite, t. 3. 380. T. to. 3. 380. a. 1.
7. Dignus est autem operarius mercede sua t. 3. 448. T. t. 2. * lxx. c. 2. & ibid. T.
9. Adpropinquauit in vos regnum Dei, t. 2. 772. T.
10. Eis qui vos non receperint dicite,
11. Etiam puluerem terræ vestræ excutimus in vos, t. 2. 421 T, to. 2. 422. a. 1.
Scitote tamen in vos adpropinquasse regnum Dei. to. 2. 772. T.
16. Qui vos spernit, me spernit, to. 3. 318. T. to. 3. 318. b. c. 2.
19. Ecce dedi vobis potestatem calcandi super colubros & scorpios. to. 3. 589. T. to. 2. 470. T.

Ex Luca.

21. Gratias ago, & confiteor, Domine cœli, quod ea quæ erant abscondita sapientibus, & prudentibus, reuelaueris paruulis t. 3. 72. T.
22. Omnia mihi tradita sunt à Patre, & nemo scit qui sit Pater nisi filius, & qui sit filius nisi Pater, & cuicumque filius reuelauerit. to. 2. 403. T.
23. Beati oculi qui vident quæ videtis. to. 2. 95. T, to. 2. 95. à m.
24. Dico enim vobis quia Prophetæ non viderunt quæ vos videtis.
25. Et ecce legis Doctor Dominum adgressus, Quid faciens (inquit) vitam æternam consequar? to. 2. 30. T.
27. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis. to. 2. 31. c. d. 2.
Cap. 11. v. 1. Et quum quodam loco orasset, adgressus eum ex discipulis quidam: Domine, inquit, doce nos orare, sicut Ioannes discipulos suos docuit. to. 3. 263. T,
2. Pater sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum. to. 3. 264. T. to. 3. 263. c. 2. 267. c. 1. totum explicat.
3. Panem nostrum quotidianum da nobis. to. 3. 264. T. to. 3. 265. a. 1. 267. b. 2.
4. Et dimitte nobis delicta nostra, siquidem & nos dimittimus; Et ne nos sinas induci in tentationem. to. 3. 264. T, to. 3. 265. c. 1. 267. c. 2.
5. Amice, da mihi mutuò tres panes. Et ille de intus dicat. to. 3. 264. T, to. 3. 265. d, 2. & seq. 280. d, 1.
7. Noli mihi molestus esse, iam ianua clausa est, & infantes mecum cubant, to. 3. 264. T, to. 3. 273. b. 2.
8. Et si ille perseuerauerit pulsans, dabit illi quotquot habet necessarios, to. 2. ccxxix. T,
9. Petite, & dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis, t. 3. 264. T. t. 3. 265. d. 2. & seq.
11. Quis autem ex vobis patrem petit panem, aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi? to. 3. 280. b. 1.
12. Aut si petierit ouum, numquid porriget ei scorpium? to. 3. 264. T, to. 2. 470. c. 1. & seq. fusè.
13. Si ergo vos quum sitis mali, nostis bona data dare, quanto magis Pater vester dabit Spiritum Sanctum?
14. Et erat expellens dæmonium, & illud erat surdum.
15. Quidam autem dixerunt, in Beelzebule eycit dæmonia, to. 2. 297. T,
18. Non potest sathanas diuidi aduersus semetipsum. Quomodo enim adhuc staret regnum eius?
19. Si ergo in Beelzebule eycio dæmonia, filij vestri in quo eyciunt?
20. Quod si ego in digito Dei expello dæmonia, ergone adpropinquauit in vos regnum Dei? t. 2. 297. c. 1. 2. fusissimè.
21. 22. Parabola fortis armati, quem validior alius oppressit. to. 2. * xxij. T, 297. T,
27. Exclamauit mulier de turba, beatus vterus qui te portauit, & vbera quæ te educauerunt, to. 2. 254. T,
28. Et Dominus: immo beati qui sermonem Dei audiunt & faciunt, to. 3. 313. T, to. 2. 252. T, to. 2. 254. b. 1. & seq.
29. Signum non dabitur ei, nisi Ionæ, to. 3. 501. T,
39. Et ait Dominus, vos calicis & catini exteriora emundatis, interiora autem vestra plena sunt rapina & iniquitate, to. 3. 3. T, to. 2, 286. d, 2. & seq. to. 3. 3. a, 1.
41. Date quæ habetis Eleemosynam, & omnia munda erunt vobis, to. 3. 3. T,
42. Væ vobis Pharisæis, qui decimatis mentam, & rutam, & oluscula, vocationem autem & dilectionem Dei præteritis, to. 2. * lxxiij. T, 285. to. 3. 362. T,
46. Et vobis Doctoribus legis væ, quod oneretis alios importabilibus oneribus, quæ ipsi ne digito quidem adgredi audetis, to. 2. 285. T, to. 2. 285. d, 2.
47. Væ vobis qui ædificatis Prophetis monumenta, interemptis à Patribus vestris, to. 2. 424. T,
50. Vt inquiratur sanguis omnium Prophetarum qui effusus est à constitutione mundi.
52. Væ vobis legis Doctoribus, qui habuistis clauem legis, ipsi non introistis, nec aliis aditum præstastis, tom. 2. 287. b. 4.

tu maris fluctuantis.
26. *Pro expectatione imminentium orbi malorum, quod & ipsa vires cœlorum concuti habeant.* to.2.769. c. d. e.
27. *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum plurima virtute.* to. 2.767. T. to.2.769. d.1.
28. *Quum autem hæc fient, erigetis vos, & leuabitis capita, quoniam adpropinquauit redemptio vestra.* to.2. 424. T.
30. 31. *Adspicite ficum & arbores omnes, quum fructum protulerint, intelligunt homines æstatem adpropinquasse. Sic & vos, quum videritis hæc fieri, scitote in proximo esse regnum Dei.* to. 2. 24. T. 767.
32. *Cœlum & terra transibunt.*
34. *Attendite vobis nequando grauentur corda vestra crapula & ebrietate, & sæcularibus curis, & insistat repentinus dies ille.*
35. *Velut laqueus.* to.2.152. T.
37. *Per diem in templo docebat; Ad noctem vero in Elaeonem secedebat.* to.2.277. to.2.277. b. c. d. 1.
Cap. 22. v. 3. *Intrauit autem Satanas in Iudam.* tom. 2.* xxij. T.
15. *Concupiscentia concupiui Pascha edere vobiscum antequam patiar.* to. 2. clxxiij. T.
19. *Acceptum panem, & distributum Discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, quod pro vobis traditur.* to. 2. clxxj. to. 3. 65. T. clxxxvj. to.3.68. d.1.
20. *Sic & in calicis mentione testamentum constituit, sanguine suo obsignatum.* to.3. 579. c.1. 583. d.1.
22. *Væ per quem traditur filius hominis.* t.2.372. T. clxxiv. T.
28. *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.*
29. *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater regnum.* to.3. 724. T.
31. *Ecce postulauit Satanas vt cerneret vos velut frumentum.* to.3. 692. T. to.3. 694. a.1.
32. *Verùm ego rogaui pro te, ne deficeret fides tua.* to. 3. 692. T.
35. *Petrus præsumptione elocutus.* v. to. 1. *Verbo Petrus.* Parte. 2.
42. *Pater, inquit, transfer poculum istud, veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat.* to. 2. * xxxij. T.
67. *Ab ipso esset Christus interrogatur.*
Si dixero vobis non credetis. to.2.373. T.
69. *Abhinc erit filius hominis sedens ad dexteram virtutis Dei.* to.2.374. T.
70. *Ergo, inquiunt, tu Dei filius es? Et respondit: vos dicitis quia ego sum.* to.2. 374. T.
Cap. 23. v. 3. *Perductum illum ad Pilatum, onerare cœperunt quod se regem diceret.* to.2.374. T.
8. *Delectatus est Herodes viso Iesu.*
9. *Nec vocem vllam ab eo audiuit. Deputatus cum iniquis.* to.3. 605. T.
25. *Barrabas nocentissimus vita donatur, Christus verò morti expostulatur.* to.2.384. T.
32. *Sed & duo scelesti circumfiguntur illi, vt inter iniquos deputaretur.* to.2.376. a. b. 1. (*Psal.* 21.
34. *Milites vestitum eius diuiserunt, sortes concedentes.* V. in
44. *Erat autem ferè hora sexta.*
Occidit sol meridie. to.2.374. T.
45. *Ecce autem & elementa concutiuntur.* ibid.
Scissum est templi Velum. to. 2. 41. T.
46. *Vociferatur ad Patrem, vt Prophetias adimpleret; hoc dicto, expirauit.* to. 3. 733. T. to. 2. 374. T. 389. 261. to. 2. 262. a. 1. & seq. fusè.
51. *Ioseph qui non consenserat in scelere Iudæis.*
52. *Postulauit à Pilato corpus Iesu.*
53. *Detractum de patibulo, sindone inuoluit, & in sepulchro nemo condidit.* to.2. 262. a. 1. & seq. fusè. 378. d.e.1. & seq.
Cap. 24. v. 1. *Mulieres ante lucem conuenerunt ad sepulcrum cum odorum paratura.*
2. *Et inuenerunt lapidem reuolutum à sepulcro, & ingressæ non inuenerunt corpus Domini.*
4. *Et ecce duo Angeli apparuerunt.* to.2. 41. T.
6. *Rememoramini quæ locutus sit vobis in Galilæa, dicens: Quod oportet tradi filium hominis, & crucifigi, & tertia die resurgere.*
8. *Et recordatæ sunt verborum eius.*
9. *Et regressæ à sepulcro.* to.3.189. T.
38. *Quid turbati estis, inquit, & quid cogitationes subeunt in corda vestra?*
39. *Videte manus meas & pedes, qui ego sum, quia spiritus ossa non habet, sicut me videtis habere,* t. 2. 264. 265.
41. *Adhuc eis non credentibus, propterea cibum desiderauit,* t. 2.294. T. t.2.264. c.d.1. & seq.
5 . *t ferebatur in cœlum,* t.2.408. T.

Ex Ioanne.

Cap. 1. v. 1. *IN primordio (siue principio) erat Sermo, & Sermo apud Deum, & Deus erat Sermo,* to. 3.721. T.726. 727. 734. 735. 744. 746. 749. 752. t. 2. 525. T. 534. 176. t. 3. 286. a. 2. 729. c. 1. & seq. 731. c. d. e. 747. a. b. c. 2.
3. *Omnia per ipsum facta sunt, sine quo factum est nihil,* t. 3. 442. T. 721. 726. 744. 746. 749. t. 2. 528. T. t.2.235. T. t. 2. * vij. b. c. 2. x. b. 2. t. 2. 533. T. 421. T. t.2. 536. a. b. 1. t. 2. 655. d. 1. & seq. t. 3. 127. b. 1. 732. c.d.e. 747. b. c. 1. 750. c. 1.
9. *Erat lux vera quæ illuminat hominem venientem in hunc mundum,* t. 3. 633. T. 726. t. e. 751. b.c. 2. t. 3. 633. d. 1. & seq. fusè. 634. per totum. 727. a. b.
12. *Qui in eum crediderint, dedit eis potestatem, vt filij Dei vocentur,* t. 3. 742. T. t. 2 2. inf. & 3. in p.
13. *Non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo natus est,* t. 2. 580. T. t. 3. 97. T. 608. t. 3. 97. a. 2. 98. a. 1.
14. Verbum Caro Factum est, *& habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius tanquam vnigeniti à Patre,* t. 3. 50. T. 94. 96. 97. 733. 746. 752. t. 2. 546. T. clxvij. T. t. 2.* xli. c. d. 2. lxxvi. c. 1. & seq. 233. a. b. 2. & seq. t. 2.389. c. d. 1. t. 3. 98. b. 1. 746. a. b. 2. & seq. 747. c. 1. b. c. d. 2.
18. *Deum nemo vidit vnquam; vnigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse differuit,* t. 3. 721. T. 735. 746. 752.
21. *Tu es Helias?* t. 3. 146. T. t.2.749. T. t.2.750. c. 1. & seq.
29. *Ioannes agnum Dei demonstrat,* t. 3. 25. a. 2.
32. *Vidi spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, & mansit super eum,* to. 3. 66. T.
Cap. 2. v. 19. *Diruite templum istud, & ego illud triduo resuscitabo,* t. 3. 369. T. 495. t. 3, 495. inf. & seq.
Cap. 3. v. 5. *Nisi quis nascatur ex aqua, & spiritu, non introibit in regnum Dei; seu, nisi natus ex aqua quis erit, non habet vitam,* t. 3. 344. T. t. 2. 130. T.
6. *Quod in carne natum est, caro est; & quod de spiritu, spiritus est,* t. 3. 96. T. t. 2. 236. T.
11. *Quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur;*
13. *Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo,* t. 3. 740. T.
14. *Sicut Moses exaltauit serpentē in deserto, ita exaltari oportet filium hominis,* t. 2. 570. b. c. t. 3. 545. c. 1. 658. b.c.d.1.
31. *Qui de terra est, de terra loquitur; qui de supernis venit, super omnes est,* t.3.276. T. t. 3. 276. b. 1.
35. *Pater diligit filium, & omnia tradidit in manu eius,* t. 3. 744. T.
Cap. 4. v. 2. *Et tamen non tinguebat, sed Discipuli eius,* t. 2. 131. T. t. 2. 131. d. 2. & seq. xliij a. b. c. 1.
6. *Apud puteum vires resumit,* t. 2. 370. a. 2.
17. 18. *Samaritana maritum negat, vt adulterum ostendat numerosum maritum,* t. 2. 84. T. t. 2. 219. a. 1. 308. c. 1. & seq.
20. *Patres nostri in isto monte adorauerunt, & vos dicitis quia Ierosolymis oportet adorare,*
24. *Deus Spiritus est,* to. 3. 96. T. 734. 746. t. 2. 530. T.
Cap. 5. v. 2. *De piscina Bethsaida,* t. 2. 38. T. t. 2. 39. per totum & 292. d. 2. & seq.

Ex Actis Apostolorum.

Ex Epistola ad Romanos.

58. Non enim qui in manifesto Iudeus, sed in occulto; t. 3. 63. T. to. 2. 479 T. to. 2. clxxx. T. to. 2. 479. b. c. 2.

Cap. 3. v. 29. Non Iudaorum Deus tantum, sed & gentium. to. 2. 479. T, to. 2. cclxxxvij. b, c. 1.

Cap. 4. v. 3. Credidit Abraham Deo, & deputatum est ei iustitia. to. 3. 331. c. 1.

Cap. 5. v. 1. Iustificati fide pacem habeamus ad Deum, tom. 3. 380. T,

3. Non solùm autem, verùm etiam in pressuris, certi quod pressura tolerantiam perficit, to. 3. 345. T.

Tolerantia verò probationem, probatio autem spem,

5. Spes verò non confundit,

Per vnum hominem peccatum &c.

12. In omnes homines mors pertransiit, to. 3. 391. a. b. 2.

14. Mors regnauit ab Adam vsque ad Christum, t. 3. 543. c. 1.

20. Lex superintroiuit vt abundaret delictum; vbi delictum abundauerit, illic gratiam superabundasse, t. 3. 27. T. 541. to. 2. 140. T, to. 3. 28. b. 1. c. d. 2.

21. Vt sicut regnauit in morte delictum, ita & gratia regnet in iustitia in vitam sempiternam per Iesum Christum Dominum nostrum, to. 2. 140. T.

Cap. 6. v. 1. Quid ergo dicemus? perseuerabimus in delinquentia, vt superet gratia? absit, totus locus ad versic. 11. to. 3. 473. T. to. 3. 475. b. c. 1. & seq.

2. Qui mortui sumus delinquentia, quomodo viuemus in ea adhuc? to. 3. 473. T,

3. An ignoratis quod qui tincti sumus in Christo Iesu, in mortem eius sumus tincti? to. 3. 473. T, to. 2. 140. T, to. 3. 530. c. 1. to. 2. 140. b. 2.

4. Consepulti illi ergo sumus per baptismum in mortem, vt sicut Christus resurrexit à mortuis, ita & nos in nouitate vita incedamus, to. 3. 473. T, to. 3. 530. a. b c. 2.

5. Si enim consatisumus simulacro mortis eius, sed & resurrectionis erimus, to. 3. 473. T, to. 2. 140. T,

6. Hoc scientes, quia vetus homo noster, simul confixus est illi, to. 3. 473. T, to. 2. 164. T, to. 2. 166, fusissimè, t. 3. 260. d. 1. 475. d. e. 1.

7. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quod & conuiuemus cum illo, to. 3. 473. T,

9. Scientes quod Christus suscitauit à mortuis, iam non moriatur, mors iam non dominetur eius, to. 3. 473. T.

10. Quòd enim mortuus est delinquentia, mortuus est semel; quod autem viuit, viuit Deo, to. 3. 473. T,

11. Ita & reputate vosmetipsos mortuos quidem delinquentia, viuentes autem Deo per Christum Iesum, to. 3. 27. T. 473. to. 2. 164. T,

12. Ne ergo regnauerit in corpore vestro mortali delinquentia ad obaudiendum ei, to. 3. 473. T, to. 2. 164. T,

13. Et ad exhibendum membra vestra arma iniustitia delinquentia; sed exhibete vosmetipsos Deo velut ex mortuis viuos, & membra vestra arma iustitia,

19. Sicut exhibuistis membra vestra famula immunditia & iniquitati ad iniquitatem, ita & nunc exhibete membra vestra famula iustitia in sanctificium, to. 3. 473. T. to. 2. 164. T,

20. Quum enim serui essetis delinquentia, liberi eratis iustitia,

21. Quem ergo fructum habeatis super his, de quibus nunc confundimini? finis enim illorum mors,

22. Nunc vero liberi facti à delinquentia, famulati autem Deo, habetis fructum vestrum in sanctificium, finem autem vitam aternam, to. 3. 620. b. 1.

23. Stipendia enim delinquentia mors, donatiuum autem Dei, vita aterna, in Christo Iesu Domino nostro,

Cap. 7. v. 4. Itaque, fratres, mortificamini & vos legi per Corpus Christi, vt efficiamini alteri, ei scilicet qui à mortuis resurrexit, vti fructum feramus Deo, t. 2. * ccxij. T,

7. Quid ergo dicemus? quia lex peccatum? absit, t. 3. 27. T,

Sed ego delictum non scio, nisi per legem, t. 3. 27. T.

11. Non ergo lex seduxit, sed peccatum, per peccati occasionem, to. 3. 27. T,

12. Lex sancta, & praceptum eius iustum & bonum, to. 3. 19. T, & 27. to. 3. 16. d. 1.

Ad Romanos.

14. Scimus autem quod lex spiritualis est, to. 3. 12. T, to. 3. 12. b. 1. c. 2.

18. Scio enim quod non inhabitat in me, hoc est in carne mea bonum, t. 3. 473. T. 540.

20. Sed quòd habitat in me peccatum, to. 2. 163. T,

23. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis mea, to. 3. 505. T, to. 3. 8. c, 2. 12. c. 1.

Cap. 8. v. 2. Lex enim spiritus vita in Christo Iesu manumisit me à lege delinquentia & mortis, to. 3. 473. T, t. 2. 193 T,

3. Quod enim inualidum erat legis in quo infirmabatur per carnem, misso Deus filio suo in simulacro carnis delinquentia, & per delinquentiam damnauit delinquentiam in carne, to. 3. 473. T, t. 2. 163. T, 262. 263. t. 2. 165. b. c. & seq. 263. d, 1. & seq. 387. b. 2. & seq. 369. a, b, 1. & seq.

4. Vt ius legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum incedimus, t. 3. 473. T, t. 2. 163. T,

5. Qui enim secundum carnem incedunt, ea qua carnis sunt sapiunt; & qui secundum spiritum, ea qua sunt spiritus, to. 3. 473. T,

6. Nam sapere secundum carnem, mors est; secundum spiritum verò sapere, vita aterna, t. 3. 272. T, 473. t. 3. 272. c. 2.

8. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt, t. 3. 473. T, 540. to. 2. 698. T, 163 T, 166.

9. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu. Qui spiritum Christi non habet, hic non est eius t. 3. 504. T, t. 2. 163. T,

10. Corpus mortuum propter delinquentiam, spiritus autem viuit propter iustitiam, t. 2. 407. T, 163. t. 2. 408. a. 1. t. 3. 545. d. 1. & seq.

11. Quòd spiritus eius qui suscitauit, seu excitauit Iesum à mortuis, habitauit in vobis, qui suscitauit Iesum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis, t. 2. 407. T, 163. t. 2. 408. a. b. 2. 164. 165. fusè.

13. Si enim secundùm carnem vixeritis, futurum est vt moriamini: si vero spiritu actus carnis mortificaueritis, viuetis, t. 3. 473. T, t. 3. 676. c. d. 1. & seq.

14 Qui spiritu Dei aguntur. to. 3. 112. T, & 677. c. 2.

17. Quod si filij, & haredes; haredes quidem Dei, cohaeredes vero Christi. Siquidem compatimur, vti & cum illo conglorificemur. to 3. 345. T, 499.

18. Reputo enim passiones huius temporis non esse dignas ad gloriam, qua in nos habeat reuelari. to. 2. ccxlix. T, to. 2. ccliij. c, d, 2. ccliv. c. 1. & seq. fusè.

19. Quum reuelatio filiorum Dei redemerit conditionem à malo vtique vanitati subiectam, to. 3. 128. T. to. 3. 128. c. 1.

20. Inuita creatura succidit vanis plurimùm vsibus. to. 2. 474. T, to. 2. 474. b. c. 1. 521. c. 2. & seq.

28. Diligentibus Deum, omnia cooperantur, &c. to. 2. 16. c. d. 1. & seq.

32. Si Deus filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non & cum illo omnia condonauit nobis? t. 3. 102. T, t. 2. cclxij. T, 398. to. 2. 390. c, d, e. 2. & seq. t. 3. 103. a. 2.

35. Quis separabit nos à dilectione Christi? pressura? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an machera? secundùm quod scriptum est. t. 3. 345. T. t. 3. 346. c. 1. & seq.

Cap. 9. v. 4. Iudaeus prior in adoptione. to. 3. 601. nondum nati. to. 3. 440. d. 1.

5. Quorum Patres, ex quibus est Christus, secundum carnem, qui est super omnia benedictus in aeuum omne. to. 3. 740. T. 752.

20. Numquid dicet figmentum ei qui se finxit. t. 2. 180. T.

23. Vt ostenderet diuitias gloria in vasa misericordia. t. 3. 440. b. 1. & seq.

Cap. 10. v. 2 Zelum Dei habent, non tamen per scientiam. to. 2. 758. T.

3. Deum enim ignorantes, & suam iustitiam sistere quarentes, non subiecerunt se iustitia Dei.

4. Finis legis Christus in iustitiam omni credenti, to. 2. 758. T.

Ex I. ad Corinthios.

Ex 2. Epistola ad Corinthios.

Ex 2. ad Corinthios.

Ex Epistola ad Galatas.

Ex Epistola ad Ephesios.

Ex Epistola ad Philippenses

Ex Epistola ad Colossenses.

Ex 1. ad Thessalonicenses.

Ex 2. ad Thessalonicenses.

Ex 1. ad Timotheum.

Ex 2. ad Timotheum.

Ex Epistola ad Titum.

15 Omnia

Ex Epist. ad Hebræos.

Ex Epistola D. Iacobi.

Ex Epistola priori D. Petri Ad Ponticos.

Ex 1. Epistola D. Ioannis.

Ex Apocalypsi D. Ioannis.

FINIS.

APPENDIX LOCORVM S. SCRIPTVRÆ selectiorum à S. Augustino expositorum tam secundo quàm tertio tomo: & aliquorum à Tertulliano citatorum quos prior index omiserat.

Appendix ex Genesi.

Appendix ex Exodo.

Appendix ex Leuitico.

Appendix ex Numeris.

Appendix ex Deuteronomio.

Appendix ex Iosue.

Appendix ex Iudic.

Appendix ex primo Reg.

Ex 2. Regum.

Appendix ex 3. Reg.

Ex 4. Regum.

aaa

Ex 2. Paralip.

Appendix Ex 1. Esdræ.

Ex Tobia.

Appendix ex lib. Esther.

Ex Iob.

Appendix ex Psalmis.

Pſ. 140.

Appendix ex Prouerbiis.

Ex Eccleſiaſte.

Appendix ex Cant. Cant.

Ex Sapientia.

Appendix ex Eccleſiaſtico.

Ex Eſaia.

Appendix ex Eſaia.

Ex Ieremia.

Appendix ex Thren.

Ex Baruch.

Appendix ex Ezechiele.

Ex Daniele.

Ex Osea.

Ex Ioele.

Ex Iona.

Ex Habacuc.

Ex Zacharia.

Ex Malachia.

Ex 2. Machab.

Appendix ex nouo testamento.
Ex Matthęo.

Ex Marco.

Appendix ex Luca.

Appendix ex Ioanne.

Appendix ex Actis.

Appendix Epist. ad Romanos.

Appendix ex 1. ad Cor.

Appendix ex 2. ad Cor.

Appendix ad Galatas.

Appendix ad Ephes.

Appendix ad Philipp.

Appendix ad Coloss.

Appendix 1. & 2. Thessal.

Appendix ex 1. ad Tim.

Appendix ex 2. Tim.

Appendix ex Ep. ad Tit.

Appendix ad Philem.

Ex Ep. ad Hebr.

Appendix ex Iacobo.

Ex Epist. 1. S. Petri.

Appendix ex Ep. 2. S. Petri.

Ex Ep. 1. S. Io.

Appendix ex Apocal.

INDEX GENERALIS EXACTISSIMVS, & amplissimus omnium Dictionum, & Rerum, tribus in Tertullianum tomis contentarum.

PRÆFATIO LECTORIS VSVI PERNECESSARIA.

ADES huc, Lector mente, oculo, manu, clauem Thesauri omnis scientiæ humano diuinæ toto hoc opere conclusæ, accipe, volue, & reuolue. Nil tibi clausum, nil obscurum; si vt totâ, quoad nos licuit, curâ egimus, Typographi, & Correctoris industria vigilauerit, & collaborauerit, In hoc indice generali correctè concinnando, pro tanta rerum & vocum doctarum ac difficilium copia, breuiato. Plurimas dictiones, ipso in Indice expositas habes, alias facilè tomo primo citatas, & in calce cuiusque argumenti singulorum capitum, ad secundum & tertium Omniloquij fideliter remissas, sicut & materias siue res notatu dignas inuenies. Vt autem notas nostras intelligas; quædam aduertenda præmoneo.

Quod spectat ad notas ad primum tomum remittentes. Minor litera t. 1. tomum primum indicat. Maior T. textum Tertulliani. In quo cùm Typographi omiserint ad Marginem ponere literas capitales. A.B. C.D.E. singulas paginas diuidentes; coactus fui eas diuidere per principium, medium, & finem. Vel à principio, circa medium, à medio circa finem. His literis. In p. à p. circa m. circa f. in. f. Quæ singulæ notæ capiunt circiter octo, decem, vel duodecim lineas sicut & in aliis Libris dictæ literæ capitales. A. B. C. D. E. adeo vt si præcisè in. p. m. vel fine non inueniatur qudo quæritur, In 8. 10. vel 12. linearum spatio reperiatur.

Quantum ad 2. & 3. tomum t. pariter 1. vel 2. tomum primum; vel secundum, T. Tertulliani textum. S. Scholia. col. columnam. Literæ minusculæ a. b. c. d. e. Maiusculas indicant, inter vtramque columnam positas. a. 1. primam. a. 2. secundam, & sic de cæteris. Vbi autem numerus. 1, uel 2. non additus est literæ, signum est in vtraque columna de eadem re tractari.

Quia porrò tres simul Typographi laborantes in diuersis locis, non potuerunt concurrere in numeris paginarum aduerte à litera D. & voce Deus, ad literam H. siue Hæresis, in secundo tomo sumptum fuisse characterem numeri Romani 1. 11. x. xl. &c. & à litera H. resumptum numerum communem.

Quia etiam sæpè fit vt num. 1. pro 2. & 3. pro 5. 6. pro 9. & vicissim ponatur à Typographis, quod in vno non inuenies, require in altero, litera 1, vel id. significat, idest.

A.

Aug.

Crux.

Dei vnius Essentia & vnitas omnibus nota.

Dei attributa.

Carnis Excellentia in Ordine quem habet ad animam, in operibus naturæ.

Carnis dignitas ex operibus gratiæ.

Carnis dignitas in ordine ad incorruptionem & gloriam.

Castitatis Excellentia.

Castitatis species inuicem comparatæ.

Castitatis amor & custodia.

Charitas proximi.

Circumcisio.

B.

C.

Dracontarium

F.

Fides.

G.

Gentilium laudabilia.

Gloria vana.

Gloria vera.

Homo eiusque dignitas.

I.

Idolum & Idololatria.

Idololatriæ participes.

N

Impatientia,

Infernus & Inferi.

Iudicium extremum.

Iudicium temerarium.

L.

Lex prima data Adæ.

Lex vetus.

Legis veteris abrogatio.

Lex noua.

Lex vetus & noua simul.

Lex humana.

Libertas, & Liberum arbitrium.

Luxuria.

M. Macedo

M

Mendacium.

T

N

Nascitur

Peccatum

Pressura

Q

R

Redormantur

Resurgere, & Resurrectio.

Resurrectionis fidem quomodo impugnent hæretici.

S.

Sacer-

sequester

T

Valentin

Velanda Virgines.

Velandæ mulieres.

Virginitas. Virgo.

Viri-

FINIS.